# NATALIS COMITIS HISTORIARVM

## SVI TEMPORIS,

## *LIBER QVARTVS DECIMVS.*

1561 OMNIA verò Europæ atque Aſiæ imperia fore pacata & quieta hoc anno videbantur, qui fuit primus poſt mille quingentos & ſexaginta à partu Virginis, cum Numidię, Scotiæ, Briānniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Liuoniæ, Germaniæ res aut compoſitæ eſſent, aut conquieſcerent metu maiorum periculorum, ſed Italia in primis per pacem inter duos Chriſtianorum Reges; cum omnia non modo nullo pacto ad bellum, ſed ad ſtabiliendam confirmandamque diuturnam populorum tranquillitatem proſpectare viderentur. nam partim factæ fuerant, partim fiebant variæ regionum, vrbium, caſtellorum reſtitutiones in Hetruria, Cyrno inſula, Callia ſubalpina pro pacis conditionibus. Idcirco Philibertus dux Allobrogum cũ Margherita Franciſci primi regis Gallorum filia in ſuum principatum reſtituitur cum incredibili totius ciſalpinæ Gallię & tranſalpinæ lætitia. nam præter Sauilianum Pinariolumque oppida, vniuerſum vetus ducum Sabaudienſium imperium illi reſtitutum fuerat. omnes vrbes, omnes populi, omnes prouinciæ, & Italia in primis plurimum hiſce rebus lætebatur, quòd ita res demũ verè tranquillias fore cenſebant, cum illa viderent hincinde reſtitui & concedi ſine controuerſia, pro quibus tantis ſumptibus, tantis cladibus; tot, tantis, tamque multiplicibus difficultatibus tã diu fuiſſet dimicatum. Sic ciuitates omnes à tot bellicis laboribus, quot diutiſſimè pertulerant reſpirare ſibi denique viſæ ſunt. Sabaudieſibus ducibus ex urbe Lutetia Pariſiorum profectis ad Nicęam Prouinciæ accedentibus, atque inde Vercellas omnes quæ ſunt in itinere ciuitates inuſitatæ lætitiæ ſignificationẽ oſtendunt. Hos cum ingenti pompa, magnificentiaque excipiunt obuiam honoris gratia ciues & magiſtratus effuſi, & magna ciuium omnis generis multitudo. omni amoris, obſeruantiæ, humanitatis genere, tamquam Rerga eges vtuntur. Philibertus vbi Vercellis nonnullos dies fuiſſet, pro ſuo ſingulari in genio, vt princeps rei militaris peritiſſimus locum ad arcẽ excitandam ſatis amplum deſignat. fundamenta iacit. propugnaculum illud excitat aduerſus irrũpentes ex Inſubribus. Pontifex per hanc tranquillitatem omnium ferè Chriſtianorum opportunã euellendis tot hæreſium radicibus nactus occaſionem, quę vbique paulatim ſerpebant, & in peſtiferũ multorũ populariũ malorũ ſegetẽ propè floreſcebãt, nihil habet antiquius, quam vt prauæ opiniones euellerentur & à vera, ſancta, incontaminata religione diſſentientes homines, ad verum catholicumque Dei cultum ſalubriter iis euulſis perducerentur. conuocat omnes antiſtites, qui doctrina cęteris præſtarent, ad Synodum à ſuperioribus pontificibus incæptam, quo maturè rebus eccleſiaſticis, vel, vt verius dicam, multorum ſaluti conſuleretur; qui aduerſus pia, rectaque inſtituta maiorum inſurgebant. Nam Franciſci & Henrici patris Galliarum regum interitus non nihil cõmodorum dediſſe videbatur peſtiferis illis iam erumpẽtibus ſeminibus, cum ita fors tulerit vt clariſſimi illi reges pręſtantiſſimis ingeniis vſi conſultoribus prius deceſſerint, quàm illa conuellere potuerint, & tantum malorum cumulum, quantus conſurgere uidebatur, labefactare. Succeſſit his, vt dictum eſt, Carolus Nonus omnibus præſtantiſſimis naturę dotibus ornatus, atque ad auitam, ueramque religionem egregie informatus, qui incendia per multos annos aucta, altiusque ingreſſa omnino reſtinguere non potuit, quamuis ſummas difficultates pro catholica fide, & pro uera religione conſtantiſſime ſuſtinuerit. Enimvero peſtis illa adulterinæ, nouæque religionis non ſolum Germaniam, Aquitaniam, Belgas, Britanniam, Scotiam, Liuoniam, Galliamque peruagata eſt, ſed

Vercellis arx extructa.

Caroli noni indoles & ingenium.

etiam



etiam in Hiſpaniam penetrauit, & in Italiam prorupit citra montem Apenninum atque alpes Coctias, ac primum omnium vallem Engroniam peruaſit, quæ proſpectat fines Salaſſios. Hæc incendiorum initia Italiam vniuerſam videbantur in maximas difficultates coniectura, ſi aliunde auxilia acceſſiſſent, aut vires ſerpendo cepiſſent, Sed Philibertus princeps ſapientiſſimus perſpectis ſecum in animo tantis difficultatibus, quantæ poterant conſurgere, niſi cito his motibus occurreretur, ſumma celeritate copias colligit. Antiſtitem Trinitatis virum ſtrenuum & rerum bellicarum peritum cum ſummo imperio huic expeditioni præficit. Montani illi homines agreſtes in hæreſim collapſi auditis Philiberti Ducis bellicis apparatibus, qui in ipſos fiebant, multi in vnum cõueniũt, ſemperque ſuccreſcentibus viribus acceſſione multorum eiuſdem factionis, non modo non terrẽtur metu futuri belli, verum etiam multa alacritate ſe accingunt ad ſuſtinendos copiarum impetus, & ad propulſandos Allobrogum conatus. Agros finitimos præterea inuadentes omnia infeſtant iucurſionibus, prædantur. diripiunt. homines tracidant. animalia abigunt. ſuccendunt ædificia. quantum poſſunt regionis populantur ac deuaſtant. conueniunt ad illud bellum & itali homines non ſcripti complures, tanquam communi conſenſu ad commune totius Italiæ incendium reſtinguendum, cui niſi maturè occurſum eſſet, videbatur tota Italia breui conflagatura. Nam profecto nihil eſt tam vtile, tamquã ſalubre ciuitatibus, quam, vbi maximorum malorum ſemina erũpunt, illa repente opprimere, ſedareque initia ſeditionum, quæ ubi diutius conualuerint non eruũtur ſine magno vrbis exitio vel periculo. Vt enim humanorum corporũ, ita ciuitatum morbis ſtatim initio ægritudinis opportunè adhibenda ſunt remedia; quæ, ſi purgentur vt conuenit, confert, & facile ferturſinè cæterorum membrorum detrimento. neque ſolum initia malorum conuellenda ſunt: quia, parua quæ ſunt, magna fiunt creſcendo, ſed etiam quia tanquam tenellæ radices & nondum validæ tutius euelluntur. nam quæ inueterarint morborum radices, non conuelluntur poſtmodo ſine magno totius corporis periculo. Inter hos bellicos apparatus auctus eſt filio Philibertus, qui infans Carolus Philibertus vocatus eſt cum magna Margheritæ lætitia. inter hos igitur rerum tantarum motus in Italia, atque apparatus neceſſarios illis reprimendis, iam nõ in vulgus tantum manauit viuendi licentia ab autoribus nouæ religionis conceſſa, ſed etiam peruaſit in Galliam Tranſalpinam per multos proceres aulicos, tantaque ſuccreuit paulatim hæreticorũ vbique multitudo, vt regnum illud in maximum periculum iniecerit. atqui vereor ne diuina vltio permiſerit tãtum malorum in illo regno excitari, quia Henricus accita in auxilium claſſe Turcarum effecerit, vt multa Chriſtianorum millia abducta ſint in miſerimam ſeruitutem, atque Italiæ pars nonnulla fuerit deuaſtata. nam diuina caſtigatio aliquando in filios & nepotes etiam redundat. cũ enim nulla lex diuina iubeat arma capeſſere aduerſus impias & barbaras gẽtes religionis cauſa, quãto minus conuenit Chriſtiano principi barbaras, immanes, & crudeliſſimas nationes ad Chriſtianorum cladem vel datis ſtipendijs incitare? præclarè agunt Turcæ in priuatis controuerſiis ac differentiis, nam cum legem habeant, quæ improbè iubeat in populos diuerſarum religionum ſæuire, abſtinere autem prorſus à mutuis cædibus. inuitant aduerſarios Chriſtianum aliquem ſtrenuum ad ſingulare certamen prouocare; quod ſi abnuerint, neque audeant, ipſi vltro inuitant, ita ſe fortiores eſſe per aduerſariorũ ignominiam profitẽtur, quos arguunt ignauiæ. Nemo diu felix arma Turcica in Chriſtianos cõuertit, cum ſit potius diuinum auxilium implorandum. nam & antiqui Pannonię Reges ex Imperio deiecti ſunt à Turcis, quod ad Turcica potius auxilia, quam ad diuina confugerint, & Epirus, Dardania, Myſia ſuperior, Illyris, Macedonia eadem de cauſa paret imperio Turcarum. Carolus Gallorum rex curauit per hoc tempus edictum Regium promulgandum per præconem, per quod hortabatur Gallos omnes ad cultum ſanctę & catholicæ incontaminatæ religionis, atque complexos iam hæreſim obſtinatè ac pertinaciter metu grauiſſimorum ſupliciorum ab impietate deterrebat, ac reuocabat. Sed iam inierat annus alter qui fuit ſecundus ſalutis noſtræ 1562.
poſt mille quingentos & ſexaginta, cum indictum toties, tantiſque pontificum decretis & ſtudiis inſtitum concilium, apertum eſt Tridenti, ad quod legationes omnium principum Chriſtianorum, & patres ex vniuerſis Chriſtianis prouinciis doctrina & eruditione præſtantes deſtinabantur. Pontifex delegit purpuratos patres inter eum ordinem vitæ integitate & eloquentia, doctrinaq; claros Herculem Gonzagam Mantuanum, Hieronymum Seripandum Neapolitanum. Ioannem Moronum Mediolanenſem. Stanislaum Hoſium Polonum. Ludouicum Simonetam Mediol. Marcum Siticum Amaſienſem Cermanum, Bernardum Naugerium Venetum. Cæſar delegit ad illam legationem viros & ipſe inſigni doctrina, bonitate; cognitione multarum rerum præſtantes, Sigiſmundum Tuunium Tridentinum, Ludouicum Lanſacium, Antonium Muglitium Morauũ archiepiſcopum Caſurgienſem. Galliarum Rex & ipſe ſuos oratores miſit, inter quos fuit Renaldus Ferrerius vir ſingulari cognitione rerum & linguarum excellentium, ſed in primis rerum ſacrarum & legum ciuilium peritisſimus, vt ex eius conſuetudine cognoui; & eximia bonitate, nullaque re cognitione rerum inferiore. cum hoc profectus eſt Guido Faber iudex primarius Toloſæ. acceſſit eo & Georgius Praſcouitius Illyricus orator Cæſareus pro regno Pannoniæ. Valentinus Herbutus Polonus pro regno Poloniæ. Philippus Hiſpaniarum rex virum inſignem ad eam legationẽ delegit Claudium Fernandeſium Quignonium Comitem Lunenſem. Veneti Nicolaum Põtium & Matthęum Dandulum viros magnæ prudentiæ, multarumque rerum cognitione claros mittũt. Erat Pontius inſignis cuiuſdam virtutis & ſcientiæ, cum in omni genere doctrinæ maximè excelleret: nam philoſophiam publicè Venetiis ſumma cum laude, & omnium admiratione profeſſus fuerat, cũ non minus pręſtaret eloquentia, in qua nulli Veneto erat ſecundus. miſſus eſt Hieronymus Gaddius pro Duce Florẽtiæ, & Ioannes Strozza Florẽtinus vir opibus, eloquẽtia, bonitate clarus, &

Hæreſes vallis Engroniæ oppreſſę.

Carolus Philibertus natus Duci Sabaudiæ.

Turcarũ duella.

Legationes principum accedunt ad Concilium.

Nicolai Põtij laus.

Marcus

B 38

# NATA
# VN
## SVI
### LIBRI
Ab anno ſalutis noſtræ 15

Cum duobus Indicibus Laurentij Gott
recentium nominum variorum lo
rum, vrbium, montium, oppic
hiſtorijs contentarum

*CVM PRIVI*
*Summi Pontificis, Inuictiſſimi Cæſaris, R*

VIRTVTI SIC



VENETIIS
Apud Damianum Zenarum. M D

PAGINARVM
...m Lectoris.



| | |
|---|---|
| ...an. | 1 |
| | 30 |
| | 57 |
| | 69 |
| ...50 | 72 |
| ...51 | 74 |
| ...552 | 96 |
| 1553 | 133 |
| 1554 | 158 |
| 1555 | 183 |
| 1556 | 198 |
| 1557 | 213 |
| 1558 | 240 |
| 1559 | 257 |
| 1560 | 274 |
| 1561 | 296 |
| 1562 | 297 |
| 156[illegible] | 307 |
| 1564 | 310 |
| 156[illegible] | 319 |
| [illegible] | 342 |
| 1[illegible]67 | 378 |
| 1[illegible]68 | 407 |
| 1569 | 419 |
| 1570 | 443 |
| 1571 | 465 |
| 1572 | 494 |
| 1573 | 512 |
| 1574 | 527 |
| 1575 | 548 |
| 1576 | 596 |
| 1577 | 618 |
| 1578 | 634 |
| 1579 | 654 |
| 1580 | 672 |

# CLARI

## PRAESTANT

### Ioanni Baptii

**Damianus Zenarius.**

FATALI quodam
eſſe crediderim, vt N
ſcriptor, cum eam in
nullo munire patroci
tandam omnem opi
potius quam in verita
dum patrocinium & ſp
quæreret, eum homines crederẽt quicquam vo
num recenſere. Ego enim ſimul ac ſuã in huiu
ſpexi, quid mihi huic negocio poſt eum prefecto
ſideraui. Primum ſiquidem illud in animum in
liſſimum ſanè, ac gratiſſimum hominibus futu
quod me negligentiæ nomen conſecuturum, ſi
mentorum, quæ in cæteris adhiberi ſolent, im
de vero illud exactius conſideranti mihi obui
diligentiæ opere, quod homines ferè inter offic
amoris connumerare ſolent, aliquod indicium
beneuoli declarare poſſe erga aliquem illorum
probitate bene de omnibus, tum beneuolentia
me de me meriti eſſent. Qua quidem in re pau
moratus, immò vero ſine vlla dubitatione is
Bernarde obuiam fuiſti, cuius gratia id vnum n

n me vel beneuo-
am, quod ego ob-
mis perſpectam, &
ntiæque longe prætu-
nimi mei deliberatio-
honeſtandam. At mul-
m animum alio me ver-
ſuadeant eligendum, cui
umenta commendare volue-
res geſtas, & conſilia comple-
is Philoſophiæ, Mathematicæ
arum quas tu ſummo labore, at-
re à pueritia tibi tanquam orna-
dignisſimum ſuſcepiſti tractandas,
inſtrumenta quædam tuam ab ille-
nq; laudi, ac gloriæ traderes. Nec ab-
ia, quia cum exactisſime tempora, &
, nationum recenſere ſoleat, conue-
tuo (ſi quando tibi ocium à publicis
rre poſſe, dum ea perſpicies facta, quæ
ſiſti, vel diſſuaſiſti, vel ea certe ſuaſiſſes,
iæ tuæ fuiſſent, quam tu ſumma chari-
n ſaluti, & ornamento vna cum cæteris
o ſaluam, ac felicem fore curant. Extant
teſtimonia, quæ prudentiæ magnitudi-
orum integritatem, cæteraſque illas ani-
ciuem patriæ gratum, ſuis iucundum,
ant, facile declarare posſint. Hæc omnia
cum ciuibus tuis in vrbe magiſtratus geren
io addictas fideliter adminiſtrando. Nam,
cuit Præfectus Vicentinæ ciuitatis factus
tiæ tuæ ſolum memoriam, verum etiam
ntiæ ſigna reliquiſti, dum eam pulcherri-
dificiis ornari voluiſti, quæ res tibi non mi-
em, ac beneuolentiam, quam recta ſua-
uſque adminiſtratio Patrum, totiusque
onciliauit. Quod tunc patefactum eſt
tiæ, & integritatis tuæ opinionem primo
t, quod ſanè oneris non niſi innocentisſi-
mis,

mis, grauiſsimis, ac b
let. Non autem facile d
ſapientiæ, quantum chari
poribus, quibus peſtis pa
gocio præfectus fuiſti. Q
cura, vigilantia adminiſtr
acie ingenij tui facile ſupe
rum conſilio recedentibus,
nem nactæ ſunt, nec prius tan
conſilia iterum veſtra reuerſum en
qui honor præter cæteros ſummo iudici
delatus eſt, ita te geſsiſti, vt & ciuitas illa t
te animi ſinceritatem, & grauitatem cun
& cæterę vel te, vel talem ſibi contingere
torem ſummopere deſiderent. Poſtea ver
ſus es, tam hilari omnium conſenſu ob r
niſtratas in Aduocatorum magiſtratum
elegere, vt inde facile intellectum ſit,
illuſtrentur potius quam, vt ab illis tu
tionis tuæ incrementum. Tunc enim t
cutus es & abſens, & inuitus, qui meliori
perſpectis tradi ſolet. Non ſolum igitur
meam in te obſeruantiam, verum etiam
que hiſtoriæ dignitate feciſſe videbor, qui ea
luerim. Ego verò, qui comitatem, qui v
habeo perſpectam non dubito quin hoc anim
beneuolentiam ſimul, & obſeruantiam præ
ſimum accidat. Nam de hiſtoria quidem nil
tu hos, atque alios perſimiles virtutis, & ing
bores non ſolum ames, verum etiam foueas,
ſi cum opere, meum in te quoque ſtudium (v
bere, ſatis illud bene commendatum exiſtimau
gium huius diligentiæ meæ conſequutum eſſe
Tuis enim in Rempub. meritis, tuæ in me bene
pendiſſe videbor, quantum vires meæ poſſunt
beo nullo modo me relaturum crediderim. T
cipias velim horum laborum monimenta, vt &
ſimum ſemper fore, & nihil hoc tempore tibi p
magis te probaturum exiſtimauerim. ſed nimis

s horarum moras
ſicandi gratia nunc
tuam iſtis mihi opus
que inter eos, qui plu-
nt habeas. Vale.

X I.

# Cęſaris Auguſti P

RVDOLPHVS Secundus, Diuin
Romanorum Jmperator ſemper Augu
riæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclau
Auſtriæ. Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carin
bergæ &c. Comes Tirolis, &c. Recognoſcimus, & no
ſentium vniuerſis, quòd cum nobis humiliter exponendu
nus Zenarius, ciuis, ac Typographus Venetus, ſe pro com
Natalis Comitis typis excudere decrruiſſe, vereri autem,
plerunque fieri ſolet, proprio quæſtui intenti, hunc librum v
vel alia arte ſiniſtra excudere, ipſumq́; ſperato fructu pri
miſſè proinde nobis ſupplicando, vt ſuæ hoc loci indēnita
reo cōſulere benignè dignaremur. Nos, pro ſolito noſtro,
dæ ſtudio, humilibus eiuſdē precibus non ſolùm clemente
ſtitutum hoc ipſius fauore noſtro proſequēdum, atque p
Jdeoq; ex eerta ſcientia, & animo deliberato, omnibus &
Bibliopolis, alijsq́; librariam negotiationem quouis modo e
terdicimus, & inhibemus, ne quis hoc Opus per decenni
die numerandum, in toto vel in partę ſimili, aut alio quopia
ma intra ſacri Romani Jmperij, & quorūcunq; Regnorum
noſtrorum hæreditariorum fines imitari, recudcre, & diſtra
culté, citra expreſſum ipſius Zenarij, aut hæredum eius conſe
tem auſit. Quiſquis verò ſecus faciendo interdictum hoc no
cùm non ſolum libro illo, ſic, vt præfertur, perperam impreſſo,
nimirum vbicunque deprehenſo præfatus Zenrrius, aut hærede
rij eiuſdem, vel propria authoritate, vel Magiſtratus loci illius o
ſibi vendicare poterunt) omninò priuandum, verùm & pœna
rum auri puri Fiſco noſtro Imperiali fraudis vindici, ac ſup
eiusvę hæredibus numerāda, omni ſpe veniæ ſublata, plectend
Hac tamen ratione, quòd idem Damianus Zenarius tria
peri exemplaria ſuis ſumptibus ad Cancellariam noſtram Jm
mùm tranſmittere teneatur: Quòd ſi neglexerit, priuilegi
quam vti poſſit, ſed eo ipſo priuatus & exutus planè cenſeat
ergo vniuerſis ac ſingulis noſtris, & ſacri Romani Imperij,

*reditariarum ſubditis, tam Eccleſiaſticis,*
*qui in Magiſtratu conſtituti ſunt, ac vel*
*, & loco Iuris ac Iuſtitiæ adminiſtratio-*
*um hoc noſtrum Cæſareum impunè ſper-*
*tur; quin potius, ſi quos contumaces com-*
*quibus id rectè fieri poterit, modis coerceant*
*ac grauiſſimã ſimul indignationem noſtram*
*amur præſentibus literis, manu propria ſubſcri-*
*eſſione munitis. Datum in Arce noſtra Re-*
*ulij, Anno Domini milleſimo quingenteſimo octua*
*rorum Romani ſexto, Hungarici nono, & Bohe-*
*Rudolphus*

*andatum ſacræ Cæſareæ Maieſtatis proprium.*

# NOMINA VETERA ET RECEN
ſtorijs nominantur, quæ quidem diſſentia
Gottij ciuis Veneti ad legentium h
liqua vulgari vſu

A Azirum Argirone.
Abantis Negroponte.
Abdara Adra. Almeria, Beticç.
Abdera Aſtrizza, Traciç.
Abdua Adda. fl. Lombardiæ.
Abea Calamata, Peloponneſi.
Abella Auellino, Hirpinorum opp.
Abidus Elſio, Aegypti.
Abudiacum Fieſſa, Norici opp.
Abula Auila, Hiſpaniç Tarracon.
Abus Caicol, mons Georgianorum.
Abuſina Albenſperg, Germaniç vrbs.
Abydus Abutich, Aegypti vrbs.
Abyla Colonna d'Hercole.
Abyſtrum Vrſimorſo, Magnç Grçciç.
Acamas capo. S. Epiphanio.
Acantina Angotina, inſ. arabici. ſinus.
Acarnania Deſpotato, regio Epiri.
Acedum Aſola, Venetæ regionis.
Acerra Carpi, Acerano, Italiç.
Aceſine cantarà, Siciliæ, fl. Accitum Finiata, Beticæ.
Achçorum portus Bon porto. Euxini.
Achatara Auter vrbs ſinarum.
Achates, cantara, fl. Siciliæ.
Achaia Liuadia, Romania alta. Achelous Aſpri.
Achçron Capaniano, fl. Brutiorum.
Acheruntia Matera, Apuliç. Achillea, cacearia. Euxi.
Acins Acri magne Grecie.
Acithius Acilino. fl. siciliæ.
Acra iapygia Capo, d'otranto, Italiæ.
Acræ Palozolo, Siciliæ.
Acrate Veles de Gomera, mauritaniç.
Acritas Capo de Gallo. prom. meſſeniæ.
Acroceraunii. Cimeriothi, vſchochi, mõte Chimara
Acronius Lago di Coſtanza. (Epiri.
Actium prom. Capo figalo Epiri.
Acula Aqua pendente, Latii.
Acuſiorum colonia granoble.
Adana Adena, ciliciç.
Adedi Aden, Arabiæ fel. pop.
Adra Zerunaz, illyrij opp.
Adrana Rhoer. fl. Germ.
Adranum Aderno, siciliç.
Adrianopolis Andrinopoli, Thraciç.
Adrumetum mahometa, Africç.
Ad ſtatuas coloſſas colozca, pannoniç.
Aduatici Boſleduc, Galliæ pop.
Adula monte S. Gotardo.
Adule Ercoco. Æthiopiç.
Ædui Borgognoni.
Ægçum mare Arcipelago.
Ægathes Fauagnana, inſ. maris Afri.
Ægialia cicerigo, Peloponneſi inſ. Aegina Leginæ.
Æmylia Lumbardia, citra padum Italiæ.
Æminium Agada, coimbra, Luſitaniç.
Ænonia Città noua, Hiſtriæ.
Ænaria Iſchia. Tyrrheni maris inſ.
Ænia mancaſtro, macedoniç.
Æſarus Eſaro, magnç Grçciç.
Aethuſa Limoza.
Aetolia Paeſe di Lepanto.

Agarb
Agoma
Agatha
Agathy
Agaunu
Agendic
Ageſine
Aginnu
Agiſimb
Agrippin
Aguntu
Agurium
Ailanum
Alanariſca.
Alata C
Alba Au
Alba Grç
Alba iuli
Alba Pom
Albimini
Albingau
Albiniana c
Alboin
Albium inte
Albonenſes
Alcimenium
Alduaſdubis
Alemanus fl.
Alenconium
Aletha
Alexandria Palea
Alexia Alize, Aleſſo,
Algidum Roc
Aliartus Ne
Aliſca An
Aliſontia Alt,
Allia, Caminate. Vm
Allobroges Delfin
Alma Arbia, fl.
Almus Arpatar
Alone Alicante,
Alpes Iuliç Zelie, fo
Alpheus Carbon, fl
Alſa Auſa, fl.
Alſium Cerri, op
Altarium Altaro,
Altanum Sotero,
Altinum Torcell
Altinum Boſoch,
Aluta Alth, A
Alybe Almina
Amanus mons Monte
Amantia Porto Ra
Amathus Limiſò,
Amaſius fl. Ems, Ge
Ambarri Semar,
Ambiani Barbone,
Ambibarij Ambie.
Ambiuariti Brabante
Ambracia Larta, Ep
Ambracius ſinus golfo d

5

acij,
vrbs me . Me
Anglarũ Angiari.
aniæ.
orgi.
min.
aniæ.
tamiæ.
hracii inſ.
piri vrbs.
am.
s paleſtinæ.
u vrbs.
e vrbs.
,Gallię Narb.
po d'antio.
,Galliæ,
magnæ Græcię.
,opp.Ferentanorum.
ina,Volſcorum.
ia,Sicilię.
cula, Phæniciæ.
redonia, Apulię Danuię.
o ponente, uentus.
,Mahomæta Numidię.
ctuz, Hiſp.opp ad Pirenços.
llona,Macedoniæ.
opp.Maced.
Thracię.
uzat, Africę.
erię.
Macedonię.
opp.cretę.
rri,Italiæ.
ollicano.
.ad Pirenæos.
des.
opp.Italię.
ndente,latinorum.
,Hirpinorum.
noniæ infer.
vaſcogna,Galliæ.

Arabia Aden.
Arabia felix Aiman.
Arabicũ mare Mar roſſo.
Arabicus ſinus Mare di Mecha.
Aracus Arga.
Araduca Arzua,Hiſp.Tarracon.
Aræ Solis Capo de Margia,prom.Hiſp.
Arrę Flauię Nordlingen, germaniæ.
Aræ Tutelæ Calonega.opp.cyrni.
Aræ Sextilię Lugo, Hiſpanię.
Araducta La marante,Luſitan.
Arapotes Laco de Antacon,Ægypti.
Araris Sona,fl.Gallię.
Arauſio Orange,Gallię Narb.
Arauzona Oſtrouiza,opp.illyrij.
Araxes Arais,Armenię.
Araxus Chiarenza.prom.Pelopon.
Arboretum Albereto.
Arboroſa Arbois, Gallię.
Arbor felix Arbon,opp.Heluetiorum.
Arcanum Arce.Arcem um. Braciano.
Arcilacis Alcala,Betice.
Arcobriga Arcar.ſiue Arcaſor, Luſitanie.
Archios Agios phocas, Byzantij.
Ardotium Magonica,opp.illyrij.
Arduenna ſylua foreſta de Ardania.
Arebrigium Eremburg.opp. ſalaſſorum.
Arecomici Niſmes Gallie.Narb.
Aredate Lintz,opp.Auſtrie.
Arelatum Arles,Gallie Narb.
Arenoſũ litus Laiere,vrbs cyrni.
Areopolis Moab,Paleſtine.
Aretium Rezo di Toſcana.
Areua Ereſma,fl.Hiſpanie.
Areuacce Adauacca,Hiſp.Tarrac.
Arganicus ſinus Golfo de Bengala,ind.
Argelia Torgao,vrbs Germanie.
Argennum Braciano, Thuſcie.
Argennum Capo ſtellato,prom.eolidis.
Argennum Capo S.Aleſſo,prom. Sicilie.
Argenomeſcũ Arnano,opp.Hiſp.Zarracon.
Argenteus amnis Argenton.fl.gall.Narbon.
Argenteus mons Sierra,ſegura,mons Hiſp.
Argentoratum Argentina, Germanie.
Argeſtes Vento da maeſtro.
Argirutum Noue gradi,illyrij.uel obroazzo.
Argolicum mare mar di Napoli,Peloponn.
Argolicus ſinus Golfo di Napoli,Peloppon eſi.
Argos Amphilochi.Nicopoli,Peloponneſi.
Argos Macedonie Armiro.
Argous portus Porto ferrato.ethalie inſ.
Aricomij Auignon,populi Gallie.
Ariuianum Arignano, Thuſcie.
Armenia maior Turcomania,Aſie regio.
Armenia minor Anaduole.
Armonactum Moncaſtro.
Armorica Normania, Bretagne.
Armozum Capo iaſquette,carmanie,prom.
Armuzia Ormus,vrbs ſinus Perſici.
Arnon Adramelech,fons Moabitarum.
Arocelum Nodales,Hiſpanie.
Aromata Capo de guarda fu,prom.Africe.
Arpi Sarpi,Monte S.Angelo, Apulie.
Arſa Arcoz, Betice opp.
Arſenaria Arzen, Arzerum.
Arſia ſylua Boſco di Bacano,latij.

Arſieua

# Index loc


Argolicum mare mar di Napoli, Pelopon.
Argolicus ſinus Golfo di Napoli, Peloponneſi.
Argos Amphilochi Nicopoli, Peloponneſi.
Argos Macedoniæ Armirò.
Argous portus porto ferrato. Aethaliæ inſ.
Aricomii Auignon, pop. Galliæ.
Ariuianum Arignano, Thuſciæ.
Armenia maior Turcomania, Aſiæ regio.
Armenia minor Anaduole.
Armonactum Moncaſtro.
Armorica Normania, Bretagne.
Armozum Capo Iaſquette, Carmaniæ prom.
Armuzia Ormus, vrbs ſinus Perſici.
Arnon Adramelech, fons Moabitarum.
Arocelum Nodales, Hiſpaniæ.
Aromata Capo de guardafu, prom. Africæ.
Arpi ſarpi. Monte s. Angelo, Apulię.
Arſa Arcoz, Betice opp.
Arſenaria Arzen, Arzerum.
Arſia ſylua Boſco di Bacano, latij.
Arſieua Bruna, Vindeliciæ.
Arſinarium Capo verde, prom. libye.
Arſinoe Trocara, Africe opp.
Arſinoe Auez, porto del mar roſſo.
Artabrum Capo finis terre, prom. Hiſp.
Artaxata Coi, Armenie, maioris.
Artemiſium Agatha, Oenotrie opp.
Artigis Alhama, Hiſp. opp.
Aruci Moron, pop. Betice.
Arunda Ronda, Betice.
Artobriga Ratiſbona, Artzburgh.
Arteſia Artois, Belgii regio.
Artomici Armignac, Gallie.
Aruda Tripoli di ſoria, ſirie.
Aruerni Aluernia, Auergine, Gallie.
Arx Caucrum Rocauion.
Aſama Azamor. fluuius Maurit. Ting.
Aſcania Lago de Nicea, Bithynie.
Aſcanius Aſcu. fl. Bithynie.
Alciburgium Auſpruch, Emerich, Germ.
Aſcriuium Cataro, Illyrij.
Aſenus Monteal, Sicilię.
Aſia minor Natolia, ponto, Bithynia, Caria, licia.
Aſine Anchora, vicus argiuus.
Aſopus Rampano, laconie opp.
Aſpauia Apea, opp. Hiſp.
Aſperum mare Golfo de melinde, Troglodytarum.
Aſphaltes mare morto, lacus iudeę.
Aſphithra Aſpida, ſinarum vrbs.
Aſpledon Spledon, Achaiæ vrbs.
Aſſidona Xeres della frontera, Hiſp.
Aſſinarus Falconera, fl. ſicilie.
Aſſyria Azimia. Adinza.
Aſſiſium Aſſiſi.
Aſſorum & creſſa Cherſo, & oſſaro, inſ. Adriatici.
Aſſum Santi quaranta, Troadis prom.
Aſtacapra Campanir, indiæ.
Aſta Colonia Aſti, Galliæ Ciſalpinæ.
Aſtagenus ſinus golfo di Nicomedia, propont.
Aſtapa Steppa, Hiſp.
Aſtapus Abaui. fl. Aethiopiæ.
Aſtura ſtora, Latii fl.
Aſtrabeni Aſtriadi.
Aſtra Aſtura.
Aſtures Aſturia, Hiſp.
Aſturia Auguſta Aſtorga, Hiſp.

Aſtypa
Atalanta
Ategua T
Atella
Aternum
Ateſte
Athenæ
Athenæum pro
Athenæum prom
Atheſis A
Athos r
Athyras A
Atlas mons M
Atlantis inſ.
Attacuni
Attalia
Attrebates A
Atuacutum A
Aturenſium A
Aturnus A
Aturrus D
Auaricum Via
Auarum C
Tarracon
Auenium A
Auenticum Au
Auernus La
Aufidus L
Auginus Au
Auguſta emerita M
Auguſta Rauraconu
Auguſta Tricaſtinc
Auguſta Vindelicię
Auguſta Acilia Azalc
Auguſta Taurin
Auguſta Romanduorum
gij.
Auguſta Treuirorum
Auguſta Vagienorum
Auguſta Veromanduoru
Auguſtodunum Autum,
Auguſtobriga Medina celi,
Auguſtoritum poichiers. Gallię
Auguſtonometum Neuers, Gall
Auia Villalon, Hiſp.
Aulerci Orleans, roan,
Aulon Valona, Mace
Aurantium Oranges, Belg
Auraſius Auraz, mons
Aurea Cherſoneſſus Iapan, ſiu
Aureatum Aichſtadt. Ger
Aurelia Orleans, Gall
Aureliarum lintz, opp.
Aureus mons Monte gra
Aurumna Aurica.
Auſa Vich, Hiſ
Auſcij Audox, aq
Auſeris Serchio, li
Automala Zamagra,
Autricum Chartres, Galli
Autrigones pop. di Nauarra,
Auximum Oſimo, picenoru
Axantum lanciano, opp.
Axius Vardari, fl. Mac
Axona Diſne, Belgij fl.
Azimia Aſſyria.

| | |
|---|---|
| Bocanum | Marocco, Mauritaniæ. |
| Bodeni | Podolia. Sarmaſię Europeę. |
| Bodiontij | Fontenay, ad lacum Lęmanum. |
| Bodurgium | Metropolis Sleſię. |
| Boij | Borboneſi pop. Gallię. |
| Boiodurum | Patauia, Germaniæ. |
| Bonitium | Puggibondi, opp. Thuſciæ. |
| Bononia | Bonmonſter, Pannonię. |
| Bononia | Bologna, Aemilię. |
| Boreas | Græco Tramontana. |
| Borodurum | Patauia, Germ. |
| Boryſthenes | Briſna, ſiue Neſter Sarmatię fl. |
| Boſa | Buoſa, opp. Sardiniæ. |
| Boſporus Thracius | Stretto di Coſtantinop. |
| Boſporus Cimmerius | Stretto di Caffa. ſiue boca S. Ioanne |
| Boterius mons | Monte Butiro. |
| Botrus | Boterò, Syrię vrbs. |
| Bouianum | Boiano, Samnitum vrbs. |
| Bouillę | Babuca, vrbs Campaniæ. |
| Bragada | Maiordec, fl. Africę. |
| Bramagum | Bragantz. Sequanorum opp. |
| Bramma | Brema, ſinarum vrbs. |
| Brangonia | Vuerceſtre, Britannię. |
| Brannouiſces | Brianſon, Galliæ. |
| Branum | Burgos, Hiſp. |
| Bratus pontium | Gratepanze, Gallię. |
| Bregetium | Iauarino, Parmon. ſuper. |
| Bretoleum | Britio. |
| Brettanis | Bracia, inſula Adriatici: |
| Brigantes | Eboraceſi, |
| Brigantium | Lago de Idro Rhætorum. |
| Brigantium | Briaſon, vrbs seguſian. |
| Brigantum | Ganaforda. |
| Brintum | Bretinorum, Æmylie opp. |
| Briſaccius mons | Briſach, irripa rheni opp. |
| Britannia | Inghilterin. Albion inſ. |
| Bruten | Vueſtpali. |
| Brunduſium | Brindeſi. |
| Brutij | Calabria: Italiæ. |
| Bubaſtus | Azioth. vrbs Ægypti. |
| Bubiemum | Praga, Boemie. |
| Bucephalus portus | Caualla, prom. Peloponn. |
| Budorgij | Vratis lauia, Germanię. |
| Bugodinum | Vtrich, Germanię. |
| Bugunti | Pomerania pop. |
| Burdigala | Bordeaux, Biturigum Vrbs. |
| Buri | scelſia pop. Germanie. |
| Burnum | Crachoua, opp. Illyrij. |
| Buſacteri | Friſia, pop. Germanie. |
| Buſonium | Buſſonia. |
| Buſſuntium | Pomerania. |
| Buthratorum ſinus | Golfo Butrintò, Epiti. |
| Butrotus | Nouito, fl. magnæ Græcię. |
| Buxentum | Policaſtro. |
| Buyza colonia | Orano, Africę. |
| Byblos | Saites, Phęnicię. |


## C


| | |
|---|---|
| Cabillonum | Chalon, Gallię Lugdunenſis. |
| Cęcias | Greco leuante. |
| Cacyron | Caſſaro, vrbs siciliæ. |
| Cadetes | Caſtel briante, celtarum pop. |
| Cadurci | Cahors, celtarum populi. |
| Cænis | Coda de volpe, prom. Italię. |


Cænomani

Cænomani Marca Triuiſana, Italiæ.
Cærperis Poſtcheſtre, vrbs Angliæ.
Cærſenerus Saryburi, opp. Angliæ.
Cæſarea Panias Belina, Phæniciæ.
Cęſarea Paleſtinę Belinæ.
Cæſarea Auguſta Saragoſa, Hiſp.
Cæſiæ litus Calui, Cyrni,
Calacta Aquæ dolci. Siciliæ.
Calatum Tadcaſtre, opp. Albionis.
Calcedone Scurari.
Calegia Vitemberga.
Calena Oxonia.
Calenum Carinola, Italiæ vrbs.
Caletum Cales.
Caleſij Cales pop. Belgij.
Calle Vicus Caglio, Piceni.
Callipolis Gallipoli, Thraciæ.
Calpe mons Stretto di Gibilterra. Hiſp.
Camani Miſnia, Germaniæ.
Camalodunũ Vinceſtre, ſiue Colcheſtre. vrbs Anglię.
Cambodunum Monocaſtro, Vindeliciæ. ſiue Chempteni.
Cameracum Cambrai, Belgij.
Camertes Camerino, pop.
Camirus Ferachio, Rhodi opp.
Campania felix Terra di lauoro, Italiæ.
Campilium Campoli, Italię.
Cana Canaçain, portus Arabiæ felicis.
Canariæ inſ. Fortunate.
Canaſtræum Monaſtier.
Caneſtræum prom. Capo crio.
Candidũ prom. Capo ferrata, Africæ.
Canelate Scala de Canello, vrbs Corſicæ.
Caneniphatũ Selandia.
Canodurum Conſtanza.
Canopus Bicheri, Aegypti.
Canta Cataio, Sinarum.
Cantabri Biſcaglia, Hiſp pop. ſiue Nauarra.
Canthi ſinus Golfo di Cambaia.
Canthapis Calecut, Carmaniæ.
Canthiæbis Himberga. Germaniæ.
Cantium promontor. Cantelberghen, Britannię, ſiue Chempton.
Canuſium Canoſa, Dauniorum.
Cappadocia Amaſia, Aſiæ.
Capenates Canabina, Thuſciæ.
Cappara Cappara, Luſitaniæ.
Caphereus Figera, Eubæę.
Capreſia Magnauacca.
Capreæ Campanela, inſ. Tyrrheni.
Caraca Guadalaira,
Carambis Capo Piſello, Galatiæ.
Carbas Africo, Garbino vento.
Carda Nilaro.
Caritni Virtimbergeſi pop. Germ.
Carmaniola Carmignola, Galliæ Subalp.
Carmania Nerſinga, inter ſinum Perſicum & Arabicum.
Carmon Carmona, vrbs Beticæ.
Carnicum Iuliũ Villaco, ſiue Goritia, Norici.
Carnum Poſtuin.
Carnutes Chartres, Celtarum.
Carpathus Scarpanto, inſ. Aſiæ.
Carpentoracte Carpentras, Galliæ Narbon.
Carpium Carpi.
Carraca Caraugio.
Carrha
Carrodun
Carſiolum
Carthago v
Carthago no
Carteia
Cartennę
Caryſtus pro
Caſale prom.
Caſalius ſinus F
Caſinum S
Caſiope Ca
Caſſilinum C
Caſſiope
Caſſiterides
Caſtrum n
Caſuari
Caſurgium I
Catana
Cathelaunum C
Cataonia, C
Catti H
Catyeuchlani Erf
Catuacum Dou
Caucaſus A
Cauci Lu
Caulonia Ca
Caunus La
Cauſennis Ca
Celenderis Pa
Celtæ No
Celtiberi Ca
Cemmerus Mo
Centrones Sai
Centuncellæ Ciuita
Ceraunia Ceri
Ceraunij mõtes Cimr
Cercinna Cannelata,
Cerciti Circai
Cerne S. Lorenzo, inſ.
Cerue Porto S
Ceruania Corbiere,
Ceſoniacũ nauale Cales, Bologn
Ceſtria Soppoto, opp. Ep
Ceſſero Santo Huberto.
Cetaria Scupello, Siciliæ vr
Cetius mons Calemberg. Norici.
Chadiſia Phadiſia, Ponti.
Chalcedon Scutari, Chalci
Chalcis Negroponte, Eu
Chalcis Euripi Canale de Negro
Chaldæa Azamia, Babylon
Chaluſus. Drauena, fl. C
Chalybon Halap vrbs Sy
Chaonia Cannina, Syrię
Charax Sibecca, Africæ e
Charidenis prom. Capo di Agat
Charybdis & Scylla Faro di Meſ
Charybdis Garofaro, freti M
Chelidoniæ Caſtel Ruzo, Pan
Chelidoniæ ſcopuli, Caproſe, Pa
Chelonites Caſtel torneſo, capo T
Cherſoneſus parua, Boſire, Aegy
Cherſoneſus Milazzo, Sicili
Cherſoneſus Capodoro, Eu
Cherſoneſus Punta de Cor

| | |
|---|---|
| Carſinium | Campi. S.Peſſino, Pelignorum. |
| Corindiber | Carıbier, indiæ vrbs. |
| Coriniuum | Cyzeſtre, Dobunorum. |
| Corinthiacus | Sinus Golfo di Patraſſo ſiue de Lepanto. |
| Corinthus | Coranto, Achaię. |
| Coritus mons | Monte Coruo, Vmbriæ. |
| Cornabui | Cathenesiá, pop. Albionis. |
| Cornium | Gloceuſtre, Albionis. |
| Corone | Coron, Peloponneſi. |
| Cornubij | Cornouaglia. |
| Cornu Byzātij | Pera. |
| Corſtopitum | Corbrigde, vrbs Britann. |
| Cortacha | Tartaho. vrbs indiæ. |
| Corola | Coloran, vrbs indiæ. |
| Corycus | Cambraſia, Cretę prom. |
| Corycus | Curcu. opp. Siciliæ. |
| Corycium | Coruch, prom. Siciliæ. |
| Coryphaſium | Capo Iunchi, Meſſeniæ. |
| Coſamba | Satigan, vrbs indiæ. |
| Coſſa | Coſauo, Thuſciæ. |
| Coſyra | Temolo, inſ. Africi maris. ſiue Fauagnana. |
| Cotara | Calecut, indię vrbs. |
| Cotes | Capo Spartelle, Africæ prom. |
| Creta | Candia, inſ. |
| Creſa | Porto Malfetan, Doridis. |
| Criū Metopū | Capo lion, promon. Cretæ. |
| Crommyon | Comachietto, prom. Cypri. |
| Crypta Ferrara | Grota Ferrata. |
| Crypta Neapolitana | Grota de Napoli. |
| Ctemenæ | Griſano, Macedoniæ. |
| Ctenos | Saline, Tauricæ Cherſon. |
| Cumæ | Foglia negra, Aeolidis. |
| Cumerum | Monte di Ancona. Piceni prom. |
| Cuniū Chariō | Capoferrato, prom. Sardin. |
| Cunium prom. | Capo delle Gatte. |
| Cuqueni | Bierneſi, Aquitaniæ. |
| Curianum | Sellac, Aquitaniæ prom. |
| Curcuta | Curzola. |
| Curium | Limisò. Epiſcopia, Cypri. |
| Curioſelitæ | Cornouaglia, Celtarum. |
| Curictæ | Veia, inſ. Ilyrij. |
| Cuſiliæ lacus | Lago di pie di Luco. Vmbriæ. |
| Curta | Buda, Pannonię inſ. |
| Cyaneū prom. | Capoſpada, Cretæ. |
| Cyclades | Iſole di Arcipelago. |
| Cydonia | Canea, Cretę vrbs. |
| Cyllene | Chiarenza, Elidis. |
| Cypariſſium | Capo Conello, Pelopon. |
| Cyphanta | Porto delle Bote, Laconiæ. |
| Cyriopolis | Sammachi, Mediæ. ſiue Scyra, Perſarum vrbs. |
| Cythera | Cerigo, Cypri. |
| Cytheum | Candia, Cretæ vrbs. |
| Cyzicus | Chizico, vrbs Myſiæ. |

D

| | |
|---|---|
| Dacia | Moldauia, Valachia, Tranſyluania. |
| Dana palus. | Chiane. |
| Dani | Pop. Danimarca. |
| Dardania | Ruſſia. |
| Dardani | Seruia pop. |
| Daretis | Adilbegian, Mediæ regio. |
| Dariorigum | Vannes, Galliæ Lugd. |

Daſcyl-

# Index locoru

| | |
|---|---|
| Daſcylleum | Diaſquillo, vrbs Bithyniæ. |
| Dauciones | Danimarca pop. |
| Daunia Apulia | Puglia piana. |
| Decem pagi | Duoſe, Germaniæ. |
| Decetia | Decile, Galliæ Lugd. |
| Decumates | Virtimbergeſi, Germ. |
| Delphi | Salona, Locrorum. |
| Delphini portus | Porto Fin, Liguriæ. |
| Deua | Ceſter, Albionis. |
| Deuana | Doncaſtre, Albionis. |
| Deſerta Heluetiorum | Selua Negra. |
| Diabate | Aſinaria, inſ. ad Sardiniam. |
| Diablintres | Leondul di Bertagna. |
| Didyme | Panaria, inſ. vna æolidarum. |
| Digentia | Riuo del Sole. fl. Italiæ. |
| Dinogetia | Drimago, Mæſię vrbs. |
| Dion | Capo della Fraſchea, Prom. cretæ. |
| Dios | Scandea. |
| Dionyſiopolis | Varna, Myſiæ ſuperioris. |
| Dioſpolis | Chio, Bithynię vrbs. |
| Diuodurum | Metz, Mediomatricum. |
| Doclea | Antiuari, opp. Illyrij. |
| Dolyche | Aſchria, opp. Macedonię. |
| Donini Fanum | Borgo S. Donino. |
| Dordomana | Deizer, vrbs parthorum. |
| Drauus | Draua, fl. Pannonię. |
| Drido | Boliana, fl. Dalmatiæ. |
| Drepanum | Trapani, prom. Cypri. |
| Druentius | Darance, fl. Gallię Narbon. |
| Druſomagum | Memingen, Rhętorum. |
| Dryopes | Aldradina, pop. Epiri. |
| Dadini | Nadin, Illyrij pop. |
| Dulychium | Iſola del Compare. |
| Dumna | Hoy, inſ. Oceani. |
| Dunium | Donchestre, Albionis opp. |
| Durainus | Dordoma, Aquitaniæ fl. |
| Durbera | Moſel, vrbs Meſopotamię. |
| Durius | Duero, fl. Hiſpanię. |
| Durocottorum, | Reinſ. Belgij. |
| Dyrrhachium | Durazzo, vrbs Macedoniæ. |

E

| | |
|---|---|
| Ebulum | Ebolo, Campaniæ. |
| Ebrus | Mariza, fl. Thraciæ. |
| Eburaici | Aurelianeſi, Gallię. |
| Eburones | Liege pop. Gallię Belgicę. |
| Eburonices | Ebreux. Gallię Lugdunenſis. |
| Eburorum | Ambrun, Germaniæ. |
| Eburum | Olmra, Germanię. |
| Echidnades | Curzolari, inſ. Ionij. |
| Ecbatana | Ecbatana, Medię Metropolit: ſiue Tauris. |
| Edeſſa | Rages, Orfa, Meſopotamiæ. |
| Edippa | Scandalio, vrbs Phęniciæ. |
| Efflui | Retelo, Germanię Septentrion. |
| Egeſta | Campo S. Viro, vrbs Sicilię. |
| Eguri | Medinade rio ſecco, pop. Hiſp. Tarracon. |
| Eione | Capo di Croce, promon. Thauricæ Chers. |
| Elauer | Alier, fl. Galliæ. |
| Eleuſa | Curcu, opp. Ciliciæ. |
| Eleuſine | Lepſina, vrbs Achaię. |
| Eleutherus | Vallania, fl. Syrię. |
| Eleutherus | Ponte Rotto, fl. Sicilię. |
| Eliberri | |
| Eliocrote | |
| Elis | |
| Eloronenſium | |
| Elorum | |
| Elſatij | |
| Elyma | |
| Elyma | A |
| Elymiotæ | Pla |
| Emerita Auguſta | M |
| Emiſſa, | Ca |
| Emaus | Ni |
| Emporię | Am |
| Enderium | |
| Eniſipia | |
| Entella | Lauagn |
| Epetium | Spalatro, I |
| Epidamnum | Drazio, vrb |
| Epidaurus | Maluaſia, v |
| Epidaurus | Raguſa, Dal |
| Epirus | Albania, Græ |
| Epiphania | Aleppo, Syriæ |
| Epitergium | Oderzo, Euga |
| Epla | Couo, Cicerigo |
| Eporedia | Inurea, vrbs Sala |
| Eporſius Vicus | Iuois, Belgij. |
| Equabona | Couna, vrbs I |
| Erbita | Chiazza, vrbs |
| Ereſſus | Cidonia, vrb |
| Eretum | Monte ritondo |
| Ericuſa | Paxo, Ionij inſ. |
| Erigonum | Viſtritza, Macedon |
| Ermęa | Talara, inſ. a Sardi |
| Erona | Narenta. |
| Erotas | Baſilipotamo. |
| Erimanthus | Dimizana, Arcadię v |
| Erythrę | Capo bianco. ſiue Colir |
| Erytrhęum | Capo roſſo, Cretę prom. |
| Eryx | Monte S. Iuliano, Sicilię v |
| Eſſui | Retelois. ſiue Tierarche popul. |
| Ereta | Rocana, Mæſiæ ſuperiori |
| Eubęa | Negroponte, Aegęi inſ. |
| Eubęum prom. | Mantello, Aegæi. |
| Euboicũ mare | Golfo di Nogroponte, Ae |
| Eudoſes | Libanothani. ſiue Miſneſi. |
| Euonium | Dounſtphage, Scotiæ opp. |
| Euonyma inſ. | Vulcaneto: |
| Euonymus | Stromboli, vna Aeolidarum. |
| Eupatorium | Pompeiopoli, Armenię mi |
| Eupilis | Lago di Puſſiano, Italię |
| Euplęa | Gaiola, Tyrrheni inſ. |
| Euripus Chalcidicus | Stretto di Negr |
| Euxinum mare | Mare maggior. |
| Exiliſſa | Septa, Africæ vrbs. ſ |
| Exitani | Salobrenna, Betice fl. |

F

| | |
|---|---|
| Falacrium | Raſo Colmo, Sicilię |
| Faliſci | Monte Fiaſcon, Pha |
| Fanũ Fortunæ | Fano, Vmbrię. |
| Faraſſum | Sibech |
| Fauentia | Faenza, Galliæ togatæ. |
| Felſina | Bologna, Galliæ togatę. |
| Feronia | Caſtello S. Silueſtro, Thuſc |

Fe

is.

Hiſp. Tarracon.
gio.

nſpadonæ.
Forli.

bardia.
Vmbrię.
riæ.
ę togatę.
li. vrbs flaminię in Ita-

Bertinoro, Galliæ Ciſalpi-

ua morta, Germanię.
gano. Daciæ.
igliano.
nte Fortino.
, mar di Marocco.
um, Faro de Meſina.
po di Bona ſperanza.
iſolone, Latij.
go di Tagliacozzo, ouero cela-

gno, Vmbriæ.
radadda. Italię.

G

Phęnicię.
Africę.

fl. Tarentinorum.
Normandia.
onte, Italię.
Contado di Perpignan.
gna.
ia.
ancia oltramontana,
nonte.
alia oltra il Pò.
a de quà dal Pò.

| | |
|---|---|
| Gallinaria inſ. | Iſola di Arbenga, in mari Tyrrheno. |
| Gallus | Garippo, Bithynię fl. |
| Garabriuij | Gamberga. |
| Ganodum | Coſtanza, ad Acronium lacum. |
| Gandauum | Gantes. |
| Gardiſtallum | Guaſtalla, Italię opp. |
| Garganus | Monte S. Angelo, Apulię. |
| Gaulos | Gozo, ad Melitam. |
| Gaumelum | Biella, inſubrum. |
| Gaza | Gazera, Paleſtinę. |
| Geloni | Tartari pop. Scythiæ Europęę. |
| Genabum | Orliens, Galliæ, |
| Genadium | Choniad, Hungariæ vrbs. |
| Geneua | Zeneuta, |
| Georgiana | ab Hyrcano ad Męotidem, Aſia. |
| Georgobina | Molins, Boiorum. |
| Gerigouia | Chiaramonte, Gallię. |
| Gerunda | Geroua, Hiſp. Tarracon. |
| Geſſoniacum | Bruges Galliæ; Bologne. |
| Geſodunum | Daltzburg. Norici. |
| Getuli & Numidæ Arabi. | |
| Giganeum | Sauaſtopoli, Chalcidis. |
| Giſira | Oue, Africę vrbs. |
| Giſna | Ghines, Morinorum. |
| Glanis | Chiane, Thuſciæ. |
| Glanicus | Garigliano, Thuſcię. |
| Glanum | Gap. Gallię Narbon. |
| Gleſſaria inſ. | Sudau, Balthici maris. |
| Glota | Cluda, Britannię fl. |
| Gnoſſos | Cinoſa, Cretæ vrbs. |
| Gobęum | S. Matthio, Gallię Lugd. |
| Godium | Goito, opp. Italię. |
| Gorditanum torio. | Capo Lugudori, Sardinię promon- |
| Gorduni | Gordoni, pop. di Gant. |
| Gorgones inſ. | Capo verde, Atlantici maris. |
| Graiæ alpes | Monte S. Bernardo, Salaſſiorum. |
| Grampius | Granzempain, Scotiæ mons. |
| Gratianopolis | Granoble, Gallię Narb. |
| Grauionarium | Bamberga, Germanię. |
| Grauiſcę | Monte alto, Thuſcię. |
| Grinnes | Groningen, Batauorum. |
| Grudij | Bruges, Belgij, ſiue Louagno. |
| Gyaros | Stipodia, vna Cycladum. ſiue iero. |
| Gythium | capo de Pagù, Laconiæ. |
| Gygis | Golfo d'Arabi, Marmaricæ portus. |

H

| | |
|---|---|
| Hadrianę | Heliopoli, Lycię. |
| Hæmus mons | Monteargentaro, Thracię. |
| Halicarnaſſus | Caſtel S. Pietro, Aſię min. |
| Hama | Camella. |
| Hanebaldus | Anibau. |
| Hannones | Hinan. |
| Hamaxobij | Tartari, Moſcouiti. Sarmatiæ Europ. |
| Harudes | Conſtanza pop. Sequanorum. |
| Hebrus | Marita, fl. Thraciæ. |
| Hedui | pop. di Autun, Burgundię. |
| Hegetmatia | Lignitz, Sleſię vrbs. |
| Hegoris, | Egoſpotomos. |
| Helene | Macroniſo, Aegęi inſ. |
| Helenopolis | Francfort. |
| Heliopolis | Bethſemer, vrbs Aegypti. |
| Helleſpontus Georgio. | Stretto di Gallipoli. ſiue brazzo S. |

Heluetij

# Index locoru

| | |
|---|---|
| Heluetij | Suizzeri Germaniȩ. |
| Hemerum | Marocco.Numidiæ. |
| Hephæſtias | Cochino,Lemni opp. |
| Heraclea | Ciuità noua.Italiæ. |
| Heraclea | Cheſcia,Macedoniæ. |
| Heraclea | Haſſio porto,Cariȩ. |
| Heraclea | S.Gylles,Galliȩ Narbonenſis. |
| Heraclea | Comaro,Macedoniæ. |
| Heraclea pōtica | Aupep,Ponti. |
| Heraclea ſentica. | Setia,Cretȩ. |
| Herculia | Buda. |
| Herberia | Rubera,inſubrum. |
| Herculis prom. | Capo de Cantin, Mauritaniæ Ting. |
| Herculis templum | Marſa Sirocho, Melitæ portus. |
| Hermæa | Capo de Nubia, Africȩ promon. |
| Hermȩum | Neocaſtro,Boſpori promon. |
| Herminius mōs | Monte Armino,Luſitaniæ. |
| Hermanduri | Miſnia,Germaniæ. |
| Hermonaſſa | Moncaſtro,Mæſiæ opp. |
| Heſperides inſ. | Iſole verdi, oceani Atlantici. |
| Heſperiū cornu | Capo Bianco, Libyæ. |
| Hiera | Fauagnana, inſ.ad Siciliam. |
| Hiadera | Zara,Illyrij. |
| Hierapolis | Alepo,phæniciæ. |
| Hippici | Mazariſci,Sarmatiæ montes. |
| Hipporegia | Inurea. |
| Hiſpalis | Siuiglia,Hiſpaniȩ. |
| Hiſpellum | Spello, Vmbriæ opp. |
| Hydralis | Belgrado. |
| Hydrus | Otranto, Calabriȩ. |
| Hygris | Sabardi,Sarmatiæ. |
| Hylȩa | Podolia. |
| Hyllis | Capo cifta, Liburniæ. |
| Hypania | Accumba. |
| Hyrcania | Diargument,regio Aſiæ. |
| Hyrcania vrbs | Carizath,Hyrcaniȩ metropolis. |
| Hyrcanum mare | mar de Baccù . ſiue mar de Giorgiani. |

I

| | |
|---|---|
| Iader | Fiume di Zara, Illyrij. |
| Iamma | Ciuita della, vrbs Balearis minoris. |
| Iapydia | Stiria. |
| Iapygia | Puglia,Italiȩ. |
| Iapygium | Capo de S.Maria, Apuliæ prom. |
| Iarganum | Capo S.Maria Phrygiæ prom. |
| Iaſonium | Biſitas. |
| Iaſius ſinus | Golfo de S.Piero.Cariȩ. |
| Iaſus | S.Piero,Gariȩ opp. |
| Iaxartes | Cheſel,Sogdianȩ Aſiȩ fl. |
| Ibernia | Irlanda,Iuernia. |
| Iberus | Ebro,Hiſp.fl. |
| Icarium mare | Mar de Nicaria, Aegei. |
| Iccius portus | Cales, Belgij. |
| Iceni | Norfolchi, Britannie. |
| Iconium | Cogni , Cappadocie . |
| Icoſium | ſorano, Mauritanie Ceſarienſis. |
| Ida | Pſiloriti,mons Crete. |
| Idruſa | Ina. |
| Idubeda | Vbeda,Hiſp.mons. |
| Ieros | ſuda. |
| Ieuiza | Fomentara inſ.Tyrrheni maris. |
| Iginium | Giglio,inſ.Tyrrheni. |
| Iguini | Vgubio, Vmbriæ |
| Ilipa | Niebla,Beticæ vrbs. |

| | |
|---|---|
| Illiberis | |
| Illici | A |
| Illipula magna | Gra |
| Illuro | Bada |
| Illyrium | Boſſi |
| Ilua | Elba,ma |
| Ilurgis | Illora,Bet |
| Imbrus | Lembro,in |
| Inachus | Planizza,A |
| Incriones | Heſſi pop. |
| Inſ. fortunatæ | Canariæ. |
| Inſubres | Lombardia p |
| Interamnia | Terani,Vmbri |
| Intuergi | Palatinato Vir |
| Inutrium | Iſpruch.Germ |
| Inycus | Camerata,Sic |
| Ionia | Quiſcon,Aſiȩ |
| Ionium mare | mar di Cephal |
| Ioppe | Zaffo,Paleſtinæ |
| Ioſedum | Corbet,Galliæ p |
| Iouis mons | Monte Iudaico, |
| Ipaſſurgi, | Triumphale,H |
| Ippona | bona,Africæ v |
| Iria Flauia | S.Maria in fini |
| Iſapis | Sauio fl.Flami |
| Iſara | Yſere,Galliæ Na |
| Iſaurus | Foglia,piceni fl. |
| Iſca | Exceſtre,Dumnio |
| Iſburgij | popoli Morauia |
| Iſcalis | Ilceſtre,Britannia |
| Iſcopolis, | Tripoli Cappado |
| Iſſa | Liſſa,Illyrij. |
| Iſſedon Scythica | Succuir,Scythiæ. |
| Iſſus | Laiazzo,Scyriæ. |
| Iſthmus | Eſamiglio, Thraciæ. |
| Iſthmus | Zuchala,Tauricæ Cherſo |
| Iſtonium | Vaſto. |
| Iſtrianus | Calamita,Cherſoneſi fl. |
| Iſurium | Aldburg,Britanniæ. |
| Itacha | Iſola del compare Ionij. |
| Itanus | Paleocaſtro,Cretȩ. |
| Itea | Segura, Phrygiæ. |
| Ithome | Grebegin,Meſſeniȩ. |
| Iulia bona | Honſten. |
| Iulia liberalitas | Ebora, Luſitaniæ. |
| Iulia Libyca | Linca,Hiſp.Tarracon. |
| Iulia Myrtilis | Mertola,Luſitaniȩ. |
| Iulia pietas | Pola,Iſtriȩ. |
| Iuliacum | Gulich,Germ.inferior. |
| Iulia Cȩſarea | Algeri,Numidiȩ. |
| Iulia Taurica | Mirandola. |
| Iuliobona | Vienna. |
| Iulicurgium | Branſuicco. |
| Iuliobriga | Oliua,Cantabrorum |
| Iuliodunum | Lodon,Galliȩ opp. |
| Iuliola | Longoſarda,Sard ni |
| Iuliomagum | Anger.Galliȩ Lugd |
| Iulium Curnicum | Goritia,Carint |
| Iungaria | Iunqueras,Hiſp.tar |
| Iunonis ſacrum | Gozo,vna Pelagiari |
| Iunonis prom. | Capo gialo. |
| Iura mons | monte S.Claudio,Bu |
| Iuſtinopolis | Capo d'Iſtria. |
| Iuuania | Salburg,Bauariæ. |

…niæ.
…magnę Gręcię ſiue
…nſi.
…lochina.Pelop.
…eura,Germ.
…archa,Africę
…icę Cherſon.
…ſp.
…uſitaniæ.
…Taranto.
…Myſię vrbs. ſiue Cirſe.
…j opp.
…rij opp.
…ię.
…anię.
…ndię vrbs.
…acedonię.
…no.
…pellana,Hetrurię.
…di Roma.
…icilię.
…ypti vrbs.
…ng.Germanię
…uſitanię.
…alliæ vrbs.
…toné
…indiuina,vrbs Italię.
…a,Inſubrum vrbs.
…uſtrię opp.
…nſubrum.
…Macedonię.
…la,Ægei inſ.
…ta, Troadis prom.
…i Lozanne.
…nene,Ægei inſ.
…ſinas, Gallie ad pictones.
…ege,Germanie.
…Mantello,Eubeę
…enion,Boſpori Tracij.
…tapa,Elidis vrbs.
…frice pars.
…o,vna Sporadum.
…ria Hiſp.vrbs.
…Margarita,vna Stechadum.
…etelino,Ægei.
…lpi del pelegrino,Ligurum.
…rdeburg,ſiue Axella, vel Ooſtburg,
…ſa.
…Leucoſo,Salentinorum vrbs.
…ra Epiri.
…llie Lugdunēſis, ſiue Lucem
…anco,Corcyre prom.
…llearme Calabrie.
…nſ.Tyrrheni.
…onie vrbs.
…ormanie.
…matie Europee.
…Zara,regio Illyridis.
…vrbs Bithynie.
…Vindelicie pop.

Licneni val de Nilô,Corſice pop.
Ligeris Loire,Gallie fl.
Ligij Schleſier,Germanie.
Liguria riuera di Genoa,Italie regio, ſiue Genoeſato.
Ligurnum Liuorno,Thuſcie opp.
Ligurum montes monte di Caprara,ſiue Lunegian Thuſciæ.
Liguſticum mare mar di Leone.
Lilybeum capo Coco.Sicilie ꝓm.ſiue Marſalla.
Limiri Lubec.
Lindum Lindo,Rhodi opp.
Lingones Langreſi.Celtarum pop.
Linterna portus,lago della patria,Campanie.
Linternum Torre della patria, campanie.
Liquentia Liuenza, fl. Eugareorum.
Liris fl. Garigliano.
Liſſus Phioniſſo,Crete vrbs.
Litana ſylua ſelua di lago,Gallie Togate.
Litus Ceſie Calui,Corſice
Liuerna Liorna.
Lixa Larach,Mauritanie Tingit.
Liziſum Lippa,Pannonie
Lobetum Altranazin,Hiſp. Tarracon.
Locanus Sagriano, fl.magne Grecie.
Locri Torre di Greco,Magne Greci
Loncium Luntz,Norici opp.
Longuntica Guardamar,Hiſp.Tarracon.
Lopaduſa Lampidoſa, Africi maris inſ.
Lotaringia Lorena,Gallie.
Lotophagite Gerbi,maris Afri.inſ.
Lucani Baſilicata,Calabrie.
Laceoli opp. il Candiano.
Lucenſes Lugo pop.
Lucentum Lucerna conteſtanorum Hiſp.Tarra.
Luciferi fanum s.Luccar de Barrameda;Betice
Lucopibia Caerlul,Albionis.
Lucrinus lacus mar morto,Campanie.
Luculli villa,fraſcato,bagno d'agnano.
Luna Clugni,Gallie Lugdunenſis.
Lune mons ponte de luna, Luſitanie.
Lune mons Bed, Africe.
Lune portus porto Venere,Ligurie.
Lunarium capo Triclis,Hiſp.Tarrac.prom.
Lupia Necchar,fl.Germ.
Luſitania portogallo.
Lureuani Lodeſue,Gallię Narbon.
Lutetia pariſi, Galliæ.
Lutibani Sleſia,Germanię.
Lycaonia Agogna, Aſiæ.
Lycaſtrum Doi caſtelli, Cappadociæ vrbs.
Lychnidus Ochrida,Macedonię vrbs.
Lycomedis lacus Linxano,Africæ.
Lyctus paleocaſtro,Cretæ.
Lycus plataui,Siciliæ fl.
Lydda Rama,iudeę.
Lyſimachia Hexamili,Thracię.
Lyſimellia pantauella,Sicilię palus.

M

Macra fl. Magra,diuidens Thuſciam a liguria.
Macaria Cipro,inſ.celebris Ægæi.
Machrium Mazarino,siciliæ.
Madianitę Salaboni, Arabiæ pop.
Madiſanites Golfo di saudra,perſici ſinus.

# Index locorum


Madoce Aden, Arabiæ felicis opp.
Madritum Madril.
Mæagrum Caſtel nouo di Napoli.
Mæander Madre, fl. corſicæ.
Mæandria Alandriana.
Mæatæ Laudonia, Scotiæ.
Meninx Gerbi, maris Afri inſ.
Mænomenæ Canelle, ſardiniæ montes.
Mæotis Palus Mar della Tana, ſiue mar de Zabacche.
Magetrobia Maſieres, celtarum.
Magna Grecia Calabria, Italiæ.
Magneſia Capo Verlichi, Macedoniæ.
Magneſia Mangreſia. Aſiæ.
Malea Capo Malio, Peloponneſi.
Maliacus ſinus Golfo de Ziton, Aegæi.
Mamertini Meſſineſi.
Mamertinum fretum Fato di Meſſina, Siciliç.
Mamilla Ceitz, Miſniæ vrbs.
Manarmanis Harlingen, Germaniç.
Mancunium Mancheſtre, Britanniæ.
Manda Menan, indie fl.
Mandagara Mongalor, indiç opp.
Maniolæ Prazel.
Mandurium Andoria, Apuliæ lacus.
Manliana, Magliano, Thuſciæ.
Mantini Baſtea, italiç.
Manliana, monte maior, luſitaniæ.
Mantinia Goriza, Arcadiæ.
Mantua carpetanorum Madril Hiſpaniç opp.
Mapeta Copo, Sarmatiæ Aſiaticæ.
Maracanda Sanimichanda, ſoglianç.
Marathon Maraſona, Achaiç.
Marcia Marcena, Beticç opp.
Marcomani Morauia, Germaniæ.
Mare Euxinum Mar maggior.
Mare Atlanticum Mar delle canariæ.
Mare Erythreũ Mar roſſo.
Mare liguſticũ Mar di Genoua & lione.
Mare ſiculum Mar di Sicilia.
Mare Gallicũ Mar di Narmandia.
Mariana Capo S. Maria, corſicæ.
mariana villa marino, latij.
marianus mons Sierra Morena, Beticç mons.
mariæ burgum marimborgo.
marianæ foſſæ Aqua morta.
maridunum Caermardin, Angliæ.
marinus lacus Lago di orbetello, Thuſciæ.
maronea Marogna, Thraciæ.
martianum marchian, Thuſciæ opp.
marſi Abruzeſi. Italiæ.
maruingi Sleſia pop.
maſſicus mons monte Dracon, Campaniç fel.
maſeria meſieres.
maſſilia marſilia, galliæ.
matiſcon Maſcon, Aeduorum ad Ararim.
matrona marne, Galliæ.
mattiaci Dcelanders, Belgii.
mattiacom martpurg, Germaniæ.
mauritani, a larbi.
mauritana Tingitana Barbaria, Africa. ſiue Maroc-co, Feſſa.
mechlinia malines, Belgij.
media Seruam.
mediolanium Orliens, Galliæ.
mediolanium Lancaſtre, Britaniç.
mediolanum Santonum Xaintes, Galliæ.
mediolum m
mediomatrices m
meduacus minor Ba
meduacus portus Por
meduacus, maior Bren
medi. Paeſe del
megalopolis Leontari, A
megara Iſola dell
melantij ſcopuli Forni, ma
melas ſinus Golfo de Caridia,
meldç meaulx, Belgij.
melita melida inſ. prope Dal
melitç malta, una pelagiarum
mellaria Begerra de melena, B
mellodunum melum, ſennonum
melos milo, inſ. cretici ma
melphum melci, inpubrum op
memorantium memoranſi, Galliç.
menphis Cairo, urbs Aegyp
menapij Gheldreſi, cleueſi,
mendeſium Damiate, Nili oſtiu
meneſthei portus porto S. Maria, Be
menlearia marcia.
menoſgada Egra, Germ. opp.
menrabia Beiar de Meleno Hi
mentiſæ mentexa, oretanoru
mçroe Geguere, inſ. Nili,
merula metra, ligurum fl
meſopotamia Diarbecca, Aſiç
meſſene mattagia, Pelo
di unde meſſana extructa.
meſſenaicus ſinus Golfo di coron,
meſuium mendeburg. German.
metacum Caluiate, Arabiç fel.
metagonium Capo de tre forche, Maur
metapontus manfredoniæ.
metelis Roſſetto, Aegypti vrbs.
metaurus fl. metro, vmbriæ.
methone Modon, Meſſeniç,
metubarris Zighet, inſ. Pannoniæ.
meuania Beuagna, vmbriæ.
miletum mileto, calabriæ.
miletus melaxo, cariç.
mimantis Capo ſtillari, Aſiç prom.
minagara manciquepatan, indiç.
minius minio. fl. Hiſp. Tarracon.
mimodunum Milden, Rauracorum.
minoa. Altemura, cretç.
minthe Olono, Pelopponeſi mons.
minturnç Caſtro almar.
miſiſtra miſiſtrato
mitylene metelino, lesbi.
mochara mecha, Arabiæ fel
modoetia monza, inſubrum.
mocontiacum magunza, Germ
modura Bimagar, indiç.
moduſi Pinder, Taprob
morida Bucharia, ægypt
mçſia Valachia, ſiue
uel moldauia Boſſina.
moloſsi Pandoſia, Epiri.
molybodes Iſole de S. Piero, ad la
mona mon, inſ. apud Anglia
monæcus portus uilla franca, liguriç.
monogloſſum mangalor, indiç.
monettium monſpurg. iapydum.

...l Hyrcanum mare.
...Galatię.
...rmeniæ.
...elio, Siciliæ.
...zo.
...a, Beticę.
...ch, Pannonię.
...ouiza, Pannonie.
...lina, Italiæ opp.
...e, vna cycladum.
...zzo, Sicilię.
...r, Æthiopiæ. opp.
...no, vrbs Lemni.
...di mandria, ad Cariam.
...a, Aſiæ.
...ſiria, Aſiæ.
...dauia, Aſiæ.

N

...din.
...etich, Hiberniæ.
...orde.
...tes, Aquitaniæ.
...nſi, Galliæ.
...ſe de uauult, Galliæ.
...arbone, Tectoſagum vrbs.
...incia Linguadocca. Prouenza, Gal

Narenta, Liburniæ.
Palatinato pop.
Liſonzo.
Coſacho, Thraciæ.
Lepanto, Achaiæ.
Napoli di romania, pelo.
...ubiana, Tauriſcorum.
...ecſia, vna cycladum Æg.
...ahometa, uel Napoli di Barbaria.
Chriſopoli, Macedoniæ,
Napoli, Campaniæ.
Lebrixa, Beticæ,
Nadin, illyrij.
...ulcinde, maris rubri.
...riſtena, Peloponneſi.
Spireſi Germanię.
...ormati, Galliæ ad rhen.
...al de cerna, Hiſp. Tarra.
...pira, Namurs, Belgij.
Thocato, cappadocię,
...uilfordia, Britannię.
...Saluador, Galliæ.
...oion, Galliæ Narbon.
...rmours Galliæ.
...eondul.
...epi.
Nettuno. Latij.
...Maura, ithacæ.
...ardi, Salentinorum.
... de terra, Hiſp.
...a, Beticę.
...dia, Hiſp. Tarrac.

Neruii — Tornaceſi, Belgij.
Neſactium — Caſtel nouo, iſtriæ.
Neſſus — Neſto, Thraciæ fl.
Neſter — Tira, fl. Myſię ſuperioris.
Neuſtrij — Normandeſi, Galliæ.
Nicęa — Nichea, Bithynię.
Nicæa — Nizza, Ligurię,
Nicates — Maiella, Italię mons.
Nicephorium — Nanſiuacanſi, Meſopot.
Nicer, — Nechar, fl. Germaniæ.
Nicia — Lenza, fl. Italiæ.
Nicomedia — Comidia Bithyniæ.
Niconium — Nomanoſter. Mæſiæ.
Nicopolis — Gallipoli Bithynię.
Nicopolis — Nicopoli, Thracię.
Nicopolis — Preueſa, Epiri.
Nicopolitanus ſinus Golfo del montaace, propontidis.
Nigir — Gambra, fl. Libię.
Nigreũ prom. — Capo Ianizzeri.
Nimetacum — Lens, Arteſiæ.
Niniue — Muſala, Aſię vrbs.
Niſſæa — Saluia, Achaię.
Niſoa — Nubia, Africę.
Niſyrus — Niſare, inſ. Rhodiorum.
Nitiobriges — Mompolier, celtarum.
Niuaria — Gomerra, vna fortunatarum. inſ.
Niuomagum — Numagen, Germanię,
Noela — Noya, Hiſp. Tarracon.
Nora — Caluiri, Sardiniæ.
Norba cæſarea Alçantara. Luſitaniæ
Noreia — Goritia, Tauriſcorum. vel Norimberga Germanię.
Noricum — Bauiera.
Normanni — Noruegia ad Septentrionem pop. uel Scandiani.
Normania — Normandia, Galliæ.
Northumbriũ, Notumberlan, Britanniæ.
Noſtradama — Enau.
Notium — Capo del mar oliuario, promonto. Hiberniæ.
Nouante — Gallouidiani, albionis.
Nouembaſia — Naluaſia città.
Nouiodunum — Noion, Belgii.
Nouiomagum — Nimmeghen, Batauorum.
Nuagera — Aquiſgrana, Belgij.
Nuſſana — Numano.
Numantia — Sorſa città Hiſpanię.
Numidia — Barbaria.
Nurſia — Norza, ſabinorum.
Nuſſia, fl. — Nanſau.

O

Oboritę — Mechelburger, Germ.
Obricus — Moſſella, Belgij.
Obtricenſe — maſtrich. moſę opp.
Ocelis — Capo de Celi, Arabiæ fel.
Ocelli — Adem, Emporium Arabum.
Odyſſęę portus Porto de Pali, Sicilię.
Odyſſia — Capo Marzo, prom. Siciliæ.
Oenanthia — Santa Sofia, Sarmatię.
Oeniadę — Dragameſto, Acarnanię.
Oenipons — Iſpruch. Germanię.
Oenotrides — Ponza & Iſchia, Tyrrheni inſ.
Oenuſſæ, — Sapienza, Peloponneſi.


Oeſcus

Oeſcus Blida, Triballorum.
Oeta Bunina, Macedoniæ mons.
Oeteus ſinus Golfo de Negroponte.
Olanę Volana, Padi oſtium.
Olbia Verlia, Bithyniæ.
Olbia Eres, Gallię Marbonenſis.
Olchinium Dulcigno, Illyrij.
Olenus Chaminiza, Achaiæ.
Oliarus Quinimінio, vna cycladum.
Oliba Olit, Hiſp. Tarracon.
Olulis Olulo, Cretę,
Olulis Soranto, Siciliæ.
Olympia Langianico, Elidis.
Olympus Lacha, Macedoniæ mons.
Olyſippo Liſbona, Luſitanię.
Ombri Ghana Ægypti.
Ombrio rio del ferro. porto s. vna fortunatarũ.
Onæum Capo Cumano, Illyridis.
Onchesmus porto santi Quaranta. Epiri.
Oopellum Ceuſtria.
Opane Opin Æthiopię.
Ophir Peru, Indię regio.
Ophiuſa frumentaria inſ.
Orcades Orcane, inſ. apud Scotiam.
Ocelis Tamora, Hiſp. Tarracon.
Opitergium Vderzo.
Oretani Calatraua, Hiſp. Tarrac.
Oricum Orcho, Epiri vrbs.
Oriuetum Oruietto.
Orolaunum Arlun, Belgij.
Oromanſaci S. Odomaro. Guines Ternan. Flandrię.
Orontes Farfaro vel Oronz ſyrię fl.
Oropitum Oruieto, Thuſciæ.
Oropus Tucamini, Bęotiæ.
Oroſpeda porto della Tauolata.
Orrhea Necaſte, Myſiæ.
Orthura Oriſſa Indię.
Ortoſpana Candahar, Aſiæ.
Oſca Hueſca, Hiſp. Tarrac.
Oſi Oſenburg, Germaniæ.
Oſicerda Oſſera, Hiſp. Tarrac.
Oſiſini Landriguet, Gallię ad mare Britannicum.
Oſſonaba Gibraleon, Luſitanię.
Ouporum Obroazzo.
Oxonium Oxenford, Britanniæ.

P

Pachynus Capo paſſaro, sicilię prom.
Pactorum portus Calamita, Tauricę cherſoneſi.
Paduſa Canale S. Alberto.
Pagraſa Perpen, Indię.
Palępolis poggio realem.
Palantia Palenzia, Vaccæorum.
Paleis Palichi, Cephaleniæ vrbs.
Palinurus, Capo palemudo peſtani ſinus.
Palla S. Bonifacio, corſicæ.
Palanum, Paliſin.
Pallene Caniſtro, Macedoniæ.
Palmaria palmarola, liguſtici inſ.
Paloda palota, pannoniæ.
Paltos Ghibel, phęnicię.
Pamphylia Caramania, Satelia, Aſiæ minoris regio.
Panaſſa Pandargu, In
Pandataria Palmarola, Tyrrh
Pandoſia Caſtrofranco,
Pangæus Malaca, Thra
Paniſus Tiffoo, Græcię
Panium phauarion, Eu Cyaneas.
Pannonia Vngaria.
Pannonia inferior Tranſiluania.
Panormus, panormo, Epiri p
Panormus, Voliſmeni. cretæ.
Panormus, Raphei, Achaiæ.
Panormus, Macri, Samiæ terræ
Panormus Yeriſco, chalcidicæ
Panormus palermo, Sicilię.
Pantanus lacus Lago di Leſina, Ap
Panticarpes Conſcauoda, Scyth
Panticapæa Voſpero, Tauricę c
Pantornatrium Milopotamo, Cre
Panyaſus Spirnaſſe, Maced
Panyſus Lanza, Mæſiæ fl.
Paphos Bapho. cypri.
Parętonium Derton. porto
Parentium parenzo, Iſtrie.
Parnaſſus parnaſo. Liacur
Paropaniſus sableſtan. Aſiæ
Paros pario, vna cycladu
Parthenius Dolap, Aſiæ mino
Parthenope palmoſa, Tyrrheni
Parthotum rex Tamerlan,
Parthyene Tharpaſtan, Naiſigio.
Partiſcum Cechometh, Iazvgun
Paſargada Chelquera, perſidis.
Paſumena Caſentino, Thuſcię.
Patara patera, Lyciæ.
Paterniana, Paſtruna, carpitanorum Hiſp
Patmos palmoſa, Icarij inſula.
Patræ patraſſo, Græcię.
Pauca pauonia, corſicę opp.
Pax Iulia Beia Luſitaniæ.
Paxum pacsù.
Peceutia Apulia, puglia di Barri.
Pedalium Capo de Greco, cypri prom.
Peguntium Almiſſa, Illyrij.
Pelagię Conigliari, inter Siciliã Afric
Pelaſgicus ſinus Golfo di armiro.
Pelendones Medina celi, Hiſpanię pop.
Pella Tuchria, Macedoniæ.
Pellene Tachara, Achaiæ.
Peloponneſus Morea, Græciæ.
Pelorus Capo de torre del Faro, siciliæ
Peluſium Belbais. Damiata, Ægypti.
Peneus Salampria, Maced. fl.
Peparethuſ lemene, Maced. inſ.
Peperina Qualpenea, Indiæ.
Perge pirgi pamphylię.
Perimula patane, Aureæ cherſonenſi.
Perinthus pontiro, Thracię.
Peronticum Verdiſco, Thraciæ.
Peſſinus Tribanta, Paphlagonię.
Peſſium Seghedin.
Peſſulus Mompolier.
Peſtum policaſtro.
Petelia pitigliano. magnę Græcię. Belicaſtro.

petrææ.
iliæ Petralia.
tanix.
, Cretæ oppidum.
ticho, Chij prom.
ſcon.
maniæ.
armatiæ Aſiaticæ.
yrij.
Ægęi inſ.
Ponti regio.
urg, Germanie.
ia, Medie.
colchidis fl.
idi, Peloponneſi.
io, Achaie.
, Macedonie.
ſtat, Germanie.
tocopa, ad Boſporum.
Macedonie.
o de ſabia, Africe.
Porto vecchio, corſice.
Foſſon, oſtium Padi.
Ceruia, Gallie togate.
Foica, Peloponneſi.
foglia vecchia.
ure, vna Æoliarum.
S. Niqueta, crete.
ſambre, Belgij fl.
Capo Bianco, cypri prom.
Porto del Patriarcha Maronarice.
Ceruia Gallie Togate.
Capo de Carena, Cyrenaicum prom.
Beniſuaif, Ægypti.
Choſabet, Meſie.
Fieſcho Aſie minoris.
Marcha di Ancona, Italie.
Poictou, Aquitanie.
Vornoc, Aquitanie prom.
Pinguento, Iſtrie.
Veria, Macedonie.
Piſuerga, Hiſp. caſtelle fl.
Mezouo, Grecie mons.
Phiſtona, Dacie opp.
Valladolit, Hiſp. Tarracon.
cheroga, Vacceorum.
Terra de pulici, Sicilie.
porto Lione, Athenarum.
Ciuità vecchia, Latij.
lana Brailano, Myſie inſ. opp.
Albaneſi, Illyrij.
Peſchara, Italie.
Peſcenas, Gallie Narbon.
n Piſtoia, Thuſcie.
S. Georgio, Troadis opp.
Talabbo, corſice fl.
checuſa inſ. Iſtchia Tyrrheni maris.
lanaria Pianoſa inſ.
lemmyrium Capo maſſa Vliueri, sicilie prom.
Pleumoſij Cortrijch, Belgij.
Plote striuali, Ionij inſ.
Plotinopolis Ploudin, Tracie.

Plobium Salſari, sardinie opp.
Pluitalia Iſola del Ferro, vna è fortunatis.
Plutia Plaza, sicilie.
Podoce Podophetaro, Indie.
Poeante satabella, Ponti.
Pocile Paxoli, Cilicie.
Poecilaſium Pentalo, crete.
Poenine alpes Monte maior, S. Bernardo.
Polemonium Vatiza, cappadocie.
Polyegos Falconeta Policandro, Ægei inſ.
Pompelon Pampelona, Vaſconum.
Pons Aſture Ponte ſtura.
Pontes Pontieu, Belgij.
Pontus Euxinus mare maiore.
Populonia pampalona. Thuſcie.
Populonium Portus Traianus Pionbino. Thuſcie.
Populonij prom. Porto Barato, Thuſcie.
Populonij portus porto Ferrato. Thuſcie.
Porcifera Porceuera, ligurie.
Portunata Vegia, Illyrij inſ.
Portus Annibalis Albor, luſitanie.
Portus magnus Marzachibir, Mauritanie Ceſarieſis.
Portus Mauritius porto Moriſo, ligurie.
Portus Monœci, Porto Monaco, ligurie.
Portus Romatinus Porto Gruer, fori Iulij.
Precutini Abruzzo, Italie.
Præneſte Paleſtina, Latij.
Prępeſinthus Arzentara, vna cycladum.
Prætorium Pridanich, Pannoniæ.
Praſſum Moſambique, prom. Æothiopię.
Preciani Precins, Aquitaniæ.
Priapus Laſpi, Aſiæ opp.
Priene Palathia, Ioniæ.
Prille Lago di orbetello. Thuſciæ.
Prium Prim. Arabię felicis.
Priuernum Piperno, Latij.
Proconeſus Marmora, propontidis.
Propontis Mare di Tabache. inter ęgæũ & Euxinum. Mare di marmora.
Prota proti, Boſpori Thracij inſ.
Prote pruodo. Ionij inſ.
Pruſa Bouræ, Bithyniæ.
Pruteni Pruſia pop.
Pſychiura priotiza, cretæ opp.
Pſyra Pſara, Ciorum inſ.
Ptolemais Tolemeta, Libyę.
Ptolemais Suachem, Æthiopię.
Ptolemais Cayphа, phęniciæ.
Ptychia Palopoli, corcyrę.
Pucinum Proſeco, carnorum.
Puteoli pozzolo, campaniæ felicis.
Pylethicæ Vaſcapu, Tranſiluaniæ.
Pylos Nauarino, Meſſeniæ.
Pyſenęus monte S. Adriano.
Pyramus Malmiſtra, Ciliciæ fl.
Pyrgeum prom. Capo linaro.
Pirenei, Montes.
Pyrenęi qui Galliam ab Hiſp. diuidunt

Q

Quiza Xenittana Orano, Mauritaniæ Cęſari.

R

Rapolanum Rauignan.
Raptrum prom. Magalæ Æthiopiæ.
Raraſſa Racang, Indiæ.

# Index locorum


Ratas Ratiford, Britanniç
Ratiaſtum Limoges. Aquitaniç.
Rauraci Baſilea pop.
Reatinus ager campo pendente.
Regium Lepidi Rezzo di Lombardia.
Regium Iulicum Rezzo di calabria.
Remi Remeſi pop.
Rha Volga, ſarmatię Aſiaticę.
Rhaetiaria Nicopoli, Myſię ſuporeris. opp.
Rhaphea Rama.
Rhegiates Corregio pop. Italię.
Rhazunda Rhemen, Medię opp.
Reglodoij Retelois pop.
Rhedones Rhenez, Gallię.
Rhene Phermene, Ægęi ins.
Rhenus Rheno, Boiorum fl.
Rheti Grigioni.
Rheticę alpes monte Braulio. monte S. Gotardo.
Rhindacus Lartaco.
Rhinocorura Pharamica, Ægypti
Rhitrium ſalonchemen. Pannonię fl.
Rhitimna Rhetima, cretę.
Rhium & Antirium Dardaneli. ſtretto di Lepanto, Gręcię prom.
Rhizinum Riſano. cataro.
Rhodope montagna dello argento. Czernaniueti, Thraciæ mons.
Rhoſſicus Capo Ganzir, Phęnicię.
Rhucantij Aſperemont, Heluetiorum.
Rhutani Rouergne, Galliæ.
Rhyndacus Lartacho, Myſię fl.
Ricinetum Reccanati, piceni.
Rigiacum Arras, Attrebatum.
Ripa alta Tolma, Pannonię inf.
Ripa alta Roxemburg.
Riphei montes Riphei inter ſcythas.
Riphearma Reama, Arabię felicis.
Riſpia Veſprino
Rizonicus ſinus, golfo di Cataro.
Roetius Capo di muro, Corſicæ. mons.
Ropicum Rogella, Corſicæ.
Roſulum Monte Ruſolo, Thuſcię.
Roſellæ Roſella Thuſcię:
Rothomagum Roan, Gallię.
Rouinium Bouiam.
Roxium Sregella, corſicę.
Rubicon Piſatelo. Roncone, Italię fl.
Rubo Duna, Sarmatię Europeæ.
Rubenſis lacus Lago di Perpiniano Galliæ. Narb.
Rubricatum Lobregat, Hiſp. Tarracon.
Ruſcia Roſſano, Thurinorum opp.
Ruſcino Perpignan, Galliæ Narb.
Ruſcinum Ronciglion.
Ruſellana Croſſetto Thuſciæ.
Ruſicada ſtora, Africæ.
Ruſpæ Altaques, Africæ.
Ruſtonium Breſca, Mauritaniæ Cæſarienſis.
Ruſſadirum Arcudia, Maurit. Tingitanę.
Ruſſadrium Capo de Verde, libyę inferioris.
Rutheni Rhodes, Ruſcia.
Rutupię Repcheſtre, Albionis.
Rutupię ſandouich.


S


ſaba Mecha, Arabię fel.
ſabana ſaendebar, Aureę cherſon.
Sabatia ſauona, Liguriæ.
Sabathra Rachianabes, A
ſabatus Lago di Braxiano.
Sabbatus Fiume de Beneuen
Sabis Sambre, Belgij fl.
Sabona Brixen, alpium opp.
ſabriana Seuarne, Angliæ fl.
ſacrum prom. Capo corſo. Capo s. Vicen
ſacrum promont. ſalauga, Hiberniæ.
ſacrum promon. Capo corſo. corſicæ
ſacrum prom. Capo Chelidoni, Lyc
ſadunum Valles, Galliæ.
ſagis Goro, oſtium Padi.
ſaguntum Moruedre, Hiſp.
ſais ſibnit, Ægypti.
ſalatia ſetubal. Luſitaniæ.
ſalamis Coluri, Peloponne
ſalamis Famagoſta, cypri.
Salonga monte S. Donin.
ſalapia ſalpi, Apulię Dauniæ.
ſalduba Guadalquiueio, Bet
ſalentini Terra dotranto, Italia
ſaletio ſelza, Germaniæ.
ſalia ſaia, Hiſp. fl.
ſalij Franconia, Gallię.
ſalinum Theth, Pannonię inferio
ſalamantica ſalamanca, Luſitaniæ.
ſalo Xalon, celtiberorum
ſalſubium Caſtrocaro, Galliæ T
ſalſulæ ſalſas; ad Pyrenęos.
ſalſum Guadaior, Beticę fl.
ſaltus caſtulonenſis Porto Mulada, B
ſalua Scalmar Seghedin, Pa
ſaluia vrbs Vrba ſaluia, Gothoru
ſamarobriga s. Quintino. Belgij.
ſambroca ſambuca, Hiſp. Tarraco
ſamnites Abruzeſi, Italiæ.
ſamonium Capo ſalamon, cretæ.
ſamos Cephalenia.
ſamotracia Taprobane, Eoi maris, in
ſamunis ſamachi Albaniæ.
ſandeſirium ſandreſi.
ſangarius Acada. fl. Aſiæ minoris.
ſangobardi Marchia.
ſantones Xantoigne, Aquitaniæ reg
ſantonum portus Rochelle, Gallię.
ſantonum prom. Blaye, Galliæ.
ſapis ſauio, fl. æmylię.
ſarabacus ſinus Golfo ſauolas, Indiæ.
ſarabris Camora, Hiſp. Tarracon.
ſaranus ſar, Treuirorum fl.
ſardica Triadizza, Thracię.
ſarepta, ſaphet, Palęſtinæ.
ſarmatia Europæa Tartaria, Polonia.
ſaronicus ſinus Golfo de Lieſena, Engia, Peloponne.
ſarus ſangro, Magnæ Gręciæ fl.
ſarus Adena, Ciliciæ.
ſaſo ſaleno, Ionij inſ.
ſauaria Gratz, Auſtriæ.
ſarus fl. ſaua, Pannonię.
ſcalę Annibalis coſta de Garaf. Hiſp. Tarrac.
ſcaldis ſchelda, Eſſault, Belgij fl.
ſcamandrus, Paleſcamandria. ſimoeres, Myſiæ fl.
ſcandauia ſelandia.
ſcardona Malconſiglio, Illyrici inſ.
ſcardono ſcardo, Illyrij opp.

| | |
|---|---|
| aus | Marinai, mons Dalmatię. |
| onum portus | Scarlio Thuſciæ. |
| dra | Schutari, Illyrij. |
| Schedia | Raſchit, Ægypti. |
| Sciathus | Sciato, Ægei ins. |
| Scombraria | Capo de palo, Hiſp. Tarrac. |
| Scombroaria | Eſcombrera, ad Carthag. nouam. |
| Scopelus | Scopulo, Ægęi ins. |
| Scopelus | S. Maura, Ionij maris. |
| rdiſci | Ruſſia. boſſina. Scodili Pannoniæ inſe r. |
| na | panoro, fl. æmyliæ. |
| | Scopia Myſiæ ſuperioris. |
| n | Garofilo Brutiorum prom. |
| m prom. | Capo della volpe. |
| um | Capo Sigillo, Peloponneſi. |
| um mare | Mare de Squillazzo. locrorum. |
| ylla | Scyllo, Scopulus Mamertini maris. |
| Scylla | Sciglio, Brutiorum opp. |
| Scythæ | Tartari, Sarmatiæ pop. |
| Scythia | Regno de Catay, Tartaria. |
| Scythiaca | CampoCharmeli, Ægypti. |
| Scythicum. prom. | Capo del figo, Cantabrorum. |
| Sebaſta | Siues, Perſiæ. |
| ebennuticum | Sturioni, oſtium Nili. |
| betus | Fiume della Madalena, Italię. |
| inus lacus | Lago di Iſeo, Italię. |
| ſiani | Paeſe di Breſſe, Galliæ. |
| ſani | Beliçenſi, Miſſemburgi, Germaniæ. |
| | S. Celloni, Hiſp. Tarrac. |
| | Muela, celtiberiæ. |
| | Luſon, Aquitanię portus. |
| i | Foreſt paeſe, Galliæ. |
| | Valleſia ſuperior; Gallię. |
| m | Sion Galliæ. |
| num | Seged, Hungariæ ad Tibiſcum. |
| a Tiguliorum | Specia, Liguriæ. |
| i | Segney, Amburg, Germaniæ. |
| Segobriga | Segorbia, Hiſp. Tarracon. |
| Segodunum | Segedin. Noremberg, Germaniæ. |
| Segontia | Siguenza, Hiſpanię. |
| Segontiaci | Sengerer, Anglię. |
| Segonialacta | Sepulueda, Hiſp. Tarracon. |
| Segouellani | Valentinois, Galliæ Narb. |
| Segubia | Segobia, Hiſp. Tarrac. |
| Seguntium | Cilceſter, Angliæ. |
| Seguſiani | Lionnois, Galliæ Narbon. |
| elambina | Salobrenna, Beticæ. |
| elampura | Lampuraa, Indiæ. |
| eleucia | Saleſica, Ciliciæ. |
| Seleucia | Seleucia, Syrię. |
| Seleucia | Baudras. Cueſer, ad Tigrim fl. |
| Seleucia | Soldino, Syriæ cauę. |
| Seleucia | Charazaſar, Pamphyliæ. |
| Selga | Philadelphia, Pamphyliæ. |
| Selinus portus | Horto Alberto, Africæ. |
| Selimus | Mazara, Siciliæ. |
| Selinus | Madiani, Siciliæ fl. |
| Sempronium | Medemburg, Auſtriæ opp. |
| Senia | Segnia. |
| Senogallia | Sinigaglia, Semnonum. |
| Sennones | Pomerania Marchia de Brandeburg. |
| senones | sens, Galliæ pop. |
| sentica | Zamora, Hiſp. Tarracon. |
| senus | sheneijn, Hiberniæ fl. |
| sepias | Capo Monaſter, Maced. prom. |
| sepius, tis | Manfredonia. |
| septimancæ | simanca, Hiſpanię. |
| sequana | sona, Gallię fl. |
| sequani | Borgognoni, Galliæ lugd. |
| serabis | segura, Hiſp. Tarrac. |
| serbetos | Miron, Maurit, Cęſarienſis. |
| serica | Cataio, Aſiæ regio |
| seriphus | serphone, Ægæi ins. |
| sermitum | sermoneta, latij. |
| serra opp. | S. Quirico. |
| serus | Coromaran, Indię. |
| seſtriaria | Galba, Maurit. Tingit. |
| seſtus & Abydus | Malido, Helleſponti oppida. |
| seſunij | Exiſini, celtarum opp. |
| setelſis | Aſtarlid, Hiſp. Tarrac. |
| setia | Sezza, Latinorum. |
| setius mons | Mompenſier, Gallię. |
| sex | Motrel, Beticę. |
| sfragia | sapienza, Iſola. |
| siberena | s. seuerina, galabriæ. |
| sicambri | Gheldreſi, cleueſi, Gallię. |
| sicum | sebenico, Illyrij. |
| sicyon | Chiarenza Baſilicata, Peloponneſi. |
| sida | Chiriſonda, Pamphylię. |
| Sidon | said, Palęſtinę. |
| sidonia | Polonia Sarmatiæ europeæ. |
| sidrona | Belas, Illyrij. |
| siga | Tenne, Maurit Cęſariem. fl. |
| siga colonia | Humain, Maurit. Ceſarienſis. |
| sigeum | Ianizzeri, Troadis prom. |
| Sigindunum | simedro, Myſię ſuperioris. |
| sigium | capo de ſete, Gallię Narb. |
| silanus | siol campaniæ fl. |
| simeni | Auoniani, Albionis pop. |
| sinæ | China, Aſię pop. |
| singaras | Atalib, Meſopotamię. |
| singidonum | Tenderin, Pannonię. |
| sinhiticus ſinus | Golfo de monte santo, Macedoniæ |
| Sinope | Pordapas, Paphlagoniæ. |
| Sinuella | sinueſca, campanię. |
| siphnos | siphano, vna cycladum. |
| sipontum | siponto, Apulię Daunię. |
| siraci | siroen, pop. ad caucaſum. |
| sirbonis palus | ſtagno de Teneſe. |
| siris | sino, Magnę Gręcię. |
| sirmio | sermione, ad Benacum. |
| sirmium | sirmiſch, Pannonię. |
| siſapona | Xeres della frontiera, Hiſp. Tarra: |
| siſopa | Zagabra. |
| sitioenta | Tolza, Myſię. |
| sitones | Filandia, scandię. |
| sittaene | Rabia, Aſſyriæ regio, |
| smyrna | smirne, Ioniæ regionis. |
| soana | Terchin, ſarmatiæ fl. |
| sobannus | sian, Indiæ fl. |
| soderani | Brandeburg. pop. |
| sogdiana | caraſmia, Aſię regio. |
| solicinium | solms, Germanię. |
| solis fons | carzaron de Mahoma, Africę. |
| solis mons | capo Boiador, capo cantin, Maurit. Tingicæ. |
| sontiates | Lauedan, Aquitanię. |
| sontius | Liſonzo, fori Iulij. |
| sora | Ponte curuo. |
| soractos | Monte S. siluestro, Thuſcię. |
| sperchea | gomen, Maced. prom. |

# Index locorum

| | |
|---|---|
| Spineticum | Primera, Padi oſtium. |
| Spoletium | Spoleto, Italiæ opp. |
| Stabiæ opp. | caſtello al mare de Stabia, cumarum. |
| Stagira | Liba uoua, Macedoniæ. |
| Staliocanus portus | porto S.Paolo, Galliæ Lugd. |
| Statones | Scarſino, Thuſciæ. |
| Stereontium | Caſſel, Germaniæ. |
| Stlupi | Oſtrouizza. |
| Stobi | Starachino, Macedoniæ. |
| Stæchades | Camergas, Galliæ Narb. inſ. |
| Stragona | Poſnaſſia, Germaniæ. |
| Stridon, | Sdrina, Dalmatiæ. |
| Strigonium | Gran, Hungariæ. |
| Strigalia | Chepeſtaum, Albionis. |
| Strongyle | Stromboli, vna ex æolijs. |
| Strophades | Striuali, inſ. Ionij. |
| Strymon | Stromona, Maced. fl. ſiue Marmario. |
| Strymone | Marmario. |
| Strymonicus ſinus | golfo de monte Santo. di conteſſa. |
| Stucia | Seiont, Albionis. |
| Stymphalus | Pogliſi, Peloponneſi mons. |
| Stymphalus | Vulphi, Arcadiæ. |
| Sublacum | Sollago, Latij opp. |
| Subficinum | Belforte. |
| Subur | Siges, Hiſp. Tarracon. |
| Sucro | Xucar, Hiſp. Tarra. fl. |
| Suditi | Fiechtelberg, Germ. montes. |
| Suel, | Molena, Beticæ. |
| Sueſſiones | Soiſsō, ſiue cāpagna di Fiādra, Belgij. |
| Sueſſitani | Sangueſa, Hiſp. Citerioris. |
| Sulmo | Sulmona, Pelignonum. |
| Sulmoneta | Sermoneta. |
| ſunium | Capo delle colonne, Atticæ. |
| ſuph tha | Geſtię, Parthorum. |
| ſur | Tor, Arabiæ ad ſinum. |
| ſurdaones | Campi de cerdania, Hiſp. Tarrac. |
| ſuriga | Abet, Maurit. Tingit. |
| ſurrentum | ſurrento, Picentinorum. |
| ſuſa | ſuſtra, ſuſſianæ regionis. ſiue ſaſſa. |
| ſuſiana | Cuſiſtam, Aſiæ regio. |
| ſutrium | ſutri, Thuſciæ. |
| ſuuianum | ſoana. |
| ſyagros | Capo Riſalgate, Arab. fel. |
| ſybaris | Cochile, Brutiorum fl. |
| ſybota | ſyuita, ſiculi maris inſ. |
| ſycaminos | Capo carmelo, Phęnicię. |
| ſycta, | Syra, Perſidis. |
| ſyene | Guegere, Aegypti. ſiue China. |
| ſymethus | Lazareto, ſiciliæ fl. |
| ſymbalum | Sibula, Tauricæ cherſon. |
| ſyngilia, | Antiquera, Beticæ. |
| ſyracuſæ | ſtraguſa, ſicilię. |
| ſyracuſanus portus | s.Bonifacio. |
| ſyraſtra | ſaurac, indię. |
| ſyria | ſoria, Aſiæ regio. |
| ſyros | ſyro, Aegæi inſ. |
| ſyrtes | ſecco di Barbaria, Africę. |
| ſyrtis maior | Secco di Palo, Africæ. |
| ſyrtis minor | ſecco Beito, Africæ. |
| ſyſcia | ſiſſeg, Pannoniæ ſuperioris. |

## T

| | |
|---|---|
| Tabuda | Schelda, fl. germanię. |
| Taburnus | Taburo, campaniæ mons. |
| Tacola | Tauay, aureę cherſon. |
| Tænarus prom. | Capo Matapā, ſiue Maina, Pelepo |
| Tænarrium | porto delle quaglie, lacon. |
| Tęniolonga | Meſenna, Maurit. Tingit. |
| Tagus | Tayo, Hiſp. fl. |
| Taizali | Northumberlant, Anglię pop. |
| Talabriga | Talauera, della Reina Luſit. |
| Tamare | Tamertum, Albionis. |
| Tamarus, | Tanner, Albionis fl. |
| Tamaſſus | Famagoſta, Cypri. |
| Tamnada | Bœchia, Maurit. Tingit. |
| Tamuſiga | Feſſa, Maurit. Tingit. |
| Tamagora | Anatoria, Bæotię. |
| Tanais | Tana, fl. Aſię ab Europa diſterminans. |
| Tanais | Aſoph, ad oſtia fl. vrbs. |
| Tanarus | Tanaro, Lombardiæ fl. |
| Tanatis | Terriana, Mœſię. |
| Taoça | Thimnr, Perſidis. |
| Taphra | Fachs Africę minoris. |
| Taprobane | Sumatra, Zeilan, Eor maris inſ. ſiue ſamothracia. Acamba. |
| Tapſus | Manghiſi, icilię peninſ. |
| Tarbella | Tarbe, Galilę ad Pirenços, ſiue Baio |
| Tarentaſia | Mouſtier, centronum opp. |
| Tarentum | Taranto, magnę grę ciæ. |
| Tariona | Zuina, Liburnię opp. |
| Tarrabeni, | buſtitica. |
| Tarne | Dordona, aquitanię fl. |
| Tarracon | Tarragona, Hiſp. Tarrac. |
| Tarſatica | s.Maria de Tranſiach, Illyrij. |
| Tarſus | Teraſſa, Cicilię. |
| Tarteſſus | Cadir, Hiſpanię. |
| Taruidum | Dungis behead, Albionis prom. |
| Taruſates | Torrſani. |
| Tauriſium | Treuiſo, Italię carnorum. |
| Tauriſci | Treuiſo pop. carnorum. |
| Taurica cherſoneſus | Tartaria, gottia. |
| Tauroſcithę | Podolia. |
| Taurus mons | cocaz. |
| Taurus | caraman. mons Aſiæ. |
| Taurumnum | Belgrado, Pannonię. |
| Taururum | Alba gręca. |
| Taurcentium | Tolonę galliæ. |
| Taurus | capo Santa croce. Sicilię. prom. |
| Tectoſates | Linguadoc, gallię. |
| Telo Martius | Tolon, portus gall. Narb. |
| Temeſa | s.Marco, Brutiorum. |
| Tenebrium | capo de Alfaques Hiſp. Tarrac. prom. |
| Tenedos | Tenedo, aſię. |
| Teniſſa | Tremiſſen, Maurit cęſ. |
| Tenos | Tinę, vna cycladum. |
| Teos | ſuſot, Ionię opp. |
| Teredon | Balſara, in ſinu perſico ad Eufratem. |
| Tergeſte | Trieſte, fori Iulij. |
| Tergeſtinus ſinus | golfo de Trieſte. |
| Terina | Terni. |
| Termaicus ſinus | golfo ſalonichi. |
| Termulę | Termini. |
| Teuceri | Heſſia, pop. germanię. |
| Teuthrania | Tripoli, galatię. |
| Teuthrone | Scopia, Laconię. |
| Teutoburgium | Cinque chieſe, pannoniæ inferior. |
| Teruana | Teroanna, Morinorum. |
| Teuchira | Tabacorra. |
| Tabracha | Bugia. Africæ. |
| Thalame | Baſilopotamo, Laconiæ. |
| Thameſis | Thames, Albionis. |

Tharas

# Index locorum


[illegible] Taraſſo.
[illegible]s Taraſſo.
[illegible]os Taſo, Ægęi inſ.
[illegible]bæ Stibes,Bęotię.
Thebę Lucanæ S.Lucio,Lucanorum
Themiſcyra Fauagoria, Ponti regio.
Theodoſia Capha,Tauricæ Cherſ.
Theraſia Santorino,Ægæi inſ.
Thermæ ſtyganæ bagni ſabatini.
Thermæus ſinus golfo Salonichi Ægęi .
Thermodon Pormon,Cappad.fl.
Thermopylæ bocca di lupo,œtę montis Anguſtię, ſiue terræmoto
Theſſalonica Salonichi Macedonię.
Thinurtium, Turnon,Gallię.
Traſimenus lacus lago di Perugia.
Thule inſ. Tile Tabule, inſ. Oceani occidui, ſiue Iſlanda.
Thurę Calamata,Meſſenię.
Thuria Aqua che fanella,magnæ Græciæ.
Thurium Terranoua magnę Græciæ.
Thuſcia Toſcana,Italiæ regio.
Thyamis Niſta,Cypri prom.
Thyelli Thyeto,Oenotriæ.
Thymiaterium Azamor, Libyæ ad Oceanum Atlanticum.
Thynias Sagora,Thraciæ
Thynnias Farnaſia,Ponti Euxini.
Tibarenum Bagnacauallo,Gallię Tog.
Tiberiacum Bagnacauallo,Æmyliæ.
Tiberiopolis Stromizza,magnæ Phrygiæ.
Tibiſca Sophia,Męſiæ inferioris.
Tibiſcus Tiſſa,fl.Pannoniæ.
Tibiſcum Temeſuar Daciæ.
Tiberia Tabaria.
Tibur Tiuoli, Latij.
Ticinum Pauia.Inſubrum.
Ticinns Ticino,fl.Galliæ Ciſalp.
Tifata monte di Capua,campaniæ fel.
Tifernum ciuita di caſtello, vmbriæ.
Tignium S.Maria in Georgio,piceni.
Tigranaana Tauris,Armeniæ maioris.
Tigranocerta Sulthania,Arm.maioris. ea vox imperatoriam ſignificat.
Tigris, Bendamir.ſiue Tegil Aſiæ fl.
Tigulia Laula,Liguriæ.
Tigurini Turric.Heluetiorum
Tiliauentum Tagliamento,fori Iulij.
Tilium S.Reparata,Sardiniæ.
Tilogramon Catigan,Indiæ.
Tilox Capo Chenelar, Corſicæ promontorium.
Timica Tremeſin, Mauritaniæ Cæſarien.
Tingis Tangia,Maurit.Tingitanę.
Tinia Topino,Vmbrię fl.
Tinurtium Turnon, Galliæ.
Tipaſa Taues,Maurit. Cæſarien.
Viquadra Conigliera, Balearici inſ.
Tiſſa Randazo, Siciliæ.
Titius Varieſca,Illyrij fl.
Tolbiacum Zulpich,Belgij.
Toletum Toledo,Hiſp.Tarracon.
Toloſa Colonia Toloſa, Germaniæ ad Hercyniam ſyluam.
Tomis Tomi,Męſiæ.
Tonica Zazella,Africæ emporium.
Topidis Puſio,Thraciæ.
Tornacum Tornay,Belgij.
Toronaicus ſinus golfo di Rampa, ad Maced.
Torone Caſtel rampo,Macedoniæ.
Trachiris Gambea,Libyæ fl.
Tragurium Trau,Illyrij.
Traiana legio Cobolenz, Belgij.
Traiani pons Ponte d'Alcantara, Hiſp.
Traianopolis Troyna, ſiciliæ.
Traianus portus Peſcara,Thuſciæ.
Traiectum Vtrecht.
Traiectus Moſæ Maſtrich.Germ.inferior.
Trallis Chora,Phrygiæ.
Tranum Trani, Apulię Peceutiæ.
Trapezuntia Trebiſunda, Cappadociæ.
Trapezas Luſtia.Tauricæ Cherſon.
Tretum Capo ferrato,Africæ.
Treua Bamburg,Germanię.
Treuiri Treueri, Belgicę Gallię.
Triballi Bulgari, Sarmatię Europeę.
Triboces ſcelſi, Germanię.
Tribocij Elſatij.
Tricadiba Queilloa,Indię.
Tricca Tricala, Macedoniæ
Tricorium Craux,Gallię.Narb.
Tricorneſii Topliza,Myſię ſuperio.
Triconium Columbarz, Myſię ſuperio.
Tridentum Trento,cęnomanorum.
Trifernus Biſano.
Triglypton Pega,Indię.
Trinium Trenio,Italię fl.
Trinouantes Londino pop.Albionis.
Tripolis Trabelo, Phæniciæ.
Tripolis Tripoli Mauritanię.
Triſmis Trachina,Myſię inf.
Tritium metallũ Tafalla,Hiſp.Tarracon.
Tritolinus mons Saluiati, Italię.
Triuię lacus, Lago di Nemo, Latii.
Troezena Trezina, Peloponneſi.
Troglodytę Sirfia, Africę pop.
Trogylium Gatoniſi, Ionię prom.
Trophæa Auguſti Torbia,Latij opp.
Truentus Tronto,Picenorum.
Tuder Todi, Vmbriæ.
Tuliſurgium Branſuich, Germanię.
Tunetum Tuniſe,Africæ.
Tungri Brabantini, German.inter Moſam & Tabudam.
Turiaſo Tarazona,Hiſp. Tarracon.
Turingi Duringer, Germanię.
Turmodigi Raias,Hiſp.Tarracon.
Turones Tours,ſiue Teruanni, Galliæ vrbs.
Turoni Iſleſia pop.
Turriuermium Tornay.
Turris Herculis Corcora.
Turris Syllana Tordefilla,Hiſp.
Turuntuſus Duina, Sarm.Europ.
Tuſculum Thuſculo, ſiue Fraſcati, Latij.
Tybur Tiuoli, Latij.
Tyriſſa, Cereſi, Macedonię.
Tyrrhenũ mare Mare di Toſcana.
Tyrus Suri, Phęniciæ.

V

Vabar Biſmeo, Maurit. Cęſ.


Vacca

# Index locorum


Vacca Ponterouga, Luſitanię.
Vacorium Villaco, Norici.
Vacua Vouga, Luſitaniæ fl.
Vada Magening, Batauorum.
Vadimonis lacus lago di Baſſanelo, Thuſciæ.
Vahalis Vuael, Batauorum fl.
Valcum Veltz, Pannoniæ inferioris.
Valdanus Valpo, Pannoniæ fl.
Valena Gran, Pannoniæ ſuperioris.
Valenſia Valeſcia, Hiſp. Tarrac.
Valentia Colonia Valenza Galliæ Narb.
Valentium Valenza di Lombardia.
Valeria Iſtria region. prom. & Germ.
Valleſium Vallois, Galliæ.
Vangiones Spireſi, ſiue Palatinato Germani ad Rhenum.
Varatrum æſtuarium Dumbor.
Varianus vicus Figarola, Italiæ.
Varini Marchia de Brandeburg, Germaniæ.
Vaſcones Vaſcogna, Hiſp.
Vbij Colonia Germaniæ.
Vcubis Lucubi. Beticæ.
Vcultiuiacum Curiga, Beticæ.
Vellicaſſi pop. di Roan.
Velinus lacus lago de Torni, Vmbriæ.
Velitræ Veletri, Latij.
Vellaunij Vallania, Galliæ Narbon.
Vellanodunum Auxerre, ſiue Villa noua Burgundiorum.
Vellica Victoria, Cantabrorum.
Vempſum Valmontone, Latij.
Veneli Percherons, Galliæ Lugd.
Venicnium Ligra, Hiberniæ prom.
Vennoneres Veltolini, Rhetorum pop.
Venta Briſton, opp. Belgij.
Veragri Pais du Gauot, alpium pop.
Verbanus lacus Lago maior, Italiæ
Vercellæ Verceli, Inſubrum.
Verginium mare Canal S. Georgij, inter Angliam & Hiberniam.
Verodunum Verdum, Belgij.
Verolanium Verula, Britanniæ opp.
Veromandia Vandali.
Veromandui Vermandois pop. Belgij.
Veromandum .Quintino.
Verragri S. Mauritio, pop.
Verulum Veruli.
Veſeuus monte de Somma, Italiæ.
Veſſones Branſuicco, pop. Belgij
Veſuius mons Veſo, Alpium.
Veſuna Perigot, Aquitaniæ.
Vffugum Mont'alto, Brutiorum.
Viatienſes Baezza, Hiſp. pop.
Vibali Tomila, Hiſp.
Vibo Vibona.
Victorię mons Monzia, ad oſtinm Iberi.
Vicus Irie. Voghera, inſubrum.
Vicus Valerius Vicouaro, Latij.
Vigenna Vienne, Gallię fl.
Vindelicia Auguſtani di Bauiera.
Vindinum Vendoſme, Cenomanorum.
Vindius Montes d'Oca, Hiſp. Tarrac.
Vindomagus S. Tibere, Galliæ Narb.
Vintium Venza, Neruſiorum opp.
Vinundria Agria, Pannoniæ.
Viridanium Punta d'Adiazza, Corſicæ
Virodunum Verdum ſopra la ſona di lorena.
Virodunum Ciuidal de Beluno carnorum.
Viroeſca Biruieſca, Hiſp.
Viraginates Frieſinger Vindeliciæ pop.
Virginiū mare Brazzo S. Reinier.
Viſpi Piſguardi.
Viſuntium Viteo, Hiſp. Tarracon.
Viſuntium Beſanzon, Sequanorum.
Viſtula Viſela fl. Germaniæ.
Viſurgis Vueſoyo. Germanię.
Vitellianum Vindana, Galliæ ciſalp.
Viterbium Viterbo, Thuſciæ.
Viti Ronçone fl.
Viuarium Viuiers, Galliæ Narb.
Vliarus Oleron, Aquitanici maris inſ.
Vlipada Adacth.
Vliſpona Lisbona, Luſitanię.
Vlmos Ilrz, Pannonię inferior.
Vlpianum Alba Iulia, Dacię.
Vlyſſis portus Porto Raſcaranchi, Sicilię.
Vmbria Ducato d'Vrbino & Spoleto.
Vmbrici Croatia, Scythiæ regio.
Vmbro Vmbrone, Thuſciæ fl.
Vndalus Porto Trallia, Galliæ Narb.
Voberta Bobierca, Hiſp. Tarracon.
Vocontij Valdeuiſo, Gallię Narb.
Vogeſus Mont de Fociles, Gallię vnde fl. Moſa.
Volcarum Mompolier, Galliæ Narb.
Volce Auignon, Galliæ Narb.
Volci Gaiette Italiæ.
Volſinium Bolſena, Thuſcię.
Voltumnæ fanū Maſſa.
Vrbatellum Orbetello, Thuſciæ.
Vrbs vetus Aldemburg. Holſatiæ.
Vrcinium Aiazzo, Corſicę.
Vrgella Vrgel, Hiſp. Tarracon.
Vria fl. Ruſa.
Vrſatia Madrid.
Vrſo Olluma, Betic̨ę.
Vſellis Boſa, Sardiniæ.
Vſipeti Francfort, pop. Germanię.
Vtica Biſerta, Africæ.
Vtica Porto farina Africæ.
Vtina Vdene, Fori Iulii.
Vulturnum Caſtello al mar de Botorno, Campanię.
Vulturnns Nataron, Campaniæ fl.
Vxama Argellę Oſma, Hiſp. Tarracon.
Vxellodunum Cadenacen, Celtarum.
Vxicata Buggia, Africę.

X

Xanthus Sirbis, Lycię.
Xanthus Scamandro, Troadis.
Xera Xeres dela Frontera Hiſp. opp.
Xilia Arzilla, Africę opp.
Xiphonię Capo de molina, Sicilię.

Z

Zaaram Geſam, Arabię fel. regio.
Zacynthus Zante, Ionij inſ.
Zagri pylę Semirami, anguſtie montis in Media.

| | |
|---|---|
| | Cazales, Africę vicus. |
| | Scander, Iberię. |
| | Zimat, Arabiæ felicis. |
| | Cara, Laconiæ opp. |
| …hyrius | Capo de Mirabello, Cretę prom. |
| …hyrium | Tarſu, Ciliciæ prom. |
| …hyrium | capo de Burſano ſiue capo Spartiuen- |
| …, Locrorum | prom. ſiue bonandrea |
| …hyrium | Bonandrea, Africæ. |
| Zetha | Zerbi, Africę prom. |
| Zeugitana | Zingani, Africæ pars. |
| Zeugma | Claſemburg, Daciæ. |
| Zigæ | Circaſſi, Sarmatiæ Aſiaticę. |
| Zilia | Algier, Tingitanę Maur. |
| Zoriga | Caracmit. |
| Zurobriga | Temeſuar, Daciæ. |
| Zygę | adiga. |
| Zygris | Solonet, Marmaricę. |


*FINIS INDICIS LOCORUM.*

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS,

## *LIBER PRIMVS.*

VNIVERSA noſtri temporis bella terra, marique geſta, quæ ſigillatim ab alijs pertractata ſunt, ſcribere adorti, ſuperuacaneum propè eſſe ducimus quempiam ad hiſtoriæ lectionem adhortari; quòd omnibus pateat hanc ſolam eſſe veram viuendi magiſtram, quæ docet quo pacto res priuatas & publicas gubernari oporteat, non ſolùm ratione, ſed etiam rerum præteritarum exemplis. Nam qui res geſtas literis committunt, vel ſi hoc diligentiſſimè fecerint, niſi patefecerint conſilia ducum, & errorum virtutumque rationes, vt ex his certam vitæ legem quiuis in poſterum ſibi poſſit conſtituere, vel nullam, vel certe perexiguam legentibus afferunt vtilitatem. Quæ enim alia ratio præſtantior eſſe posſit imperij defendendi, aut etiam amplhandi, quam ſi conſtiterit quibus artibus, quove bellandi genere ciuitates, reſtiterint potentisſimis exercitibus, diuturnasq; pertulerint obſidiones, aut quibus facile victæ fuerint? Quippe cum ea, quæ pertinent ad militarem diſciplinam, ſiquis ignorauerit, huic cum bonorum omnium, libertatisque iactura in poteſtatem hoſtium venire neceſſe ſit: cum peritis contra & gloria apud poſteros, & imperium in cæteros homines, & omnis humana felicitas ſit propoſita. Quæ cum ita ſint, non minus vtiles ciuitatibus exiſtimandi ſunt recte ſcribentes hiſtoriam, quàm duces, & defenſores vrbium: quòd illi paucas vrbes, & non ſæpius defendant, cum prudentes rerum geſtarum ſcriptores & ſemper & vbique vrbes tueantur; omnesq; poſteros informent ad varios fortunæ euentus. Nam vix fieri poteſt vt quis ſit bonus hiſtoriarum ſcriptor, qui idem eſſe non poſſit bonus imperator. Plerique tamen rerum bellicarum imperiti, vt rem leuem, hiſtoriam ſcribere aggrediuntur, ignari quantum onus ſuſceperint: quod ita fit, quia rerum ſingularum inſcitia facit homines ad omnia pericula audaciores. Nos igitur his ita cognitis, dabimus operam pro viribus, vt ea cognoſcantur, quę geſta ſunt vbique gentium, ab ijs temporibus & rebus geſtis incipientes, quæ ſcripta Pauli Iouij attigerunt: perſequemurque ad ea vſque tempora, quæ nobis diuinitus concedentur; in quibus ſeruabimus tanquam iuſiurandum ne quid ſcientes mentiamur, aut ſcribamus ad alicuius gratiam, cum ſciamus veritatem eſſe animam hiſtoriæ, qua dempta nihil relinquitur, niſi inanis ſcribentis labor, & miſerabile cadauer.

Gallia itaq; omnis, & Italia, & reliquæ orbis terræ prouinciæ, gentes, imperia, ſuauiſſima tranquillitate perfruebantur, cum pax inter duos potentiſſimos Chriſtianorum principes fuiſſet compoſita: quòd nationes reliquę, vel horum bellis fuiſſent implicatę, quorum hortatu arma ſumpſiſſent; vel quòd per horum diſſidia ad res magnas aſpirare poſſe ſibi tutò viderentur. Fuit pax illa inter Franciſcum præſtantiſſimum Galliarum Regem, & Carolum Quintum Imperatorem Maximum confecta apud Crepinium caſtellum in Sueſſionibus; aſtipulantibus hinc Cæſarianis procuratoribus illi negotio præfectis, ſacramentoque affirmantibus, Nicolao Perenoto Granuelio Cæſariani ſcrinij magiſtro, & Ferrando Gonzaga primam autoritatem in caſtris poſt Cæſarem militaris imperij obtinente: inde Regijs proceribus Hanebaldo Amirante, & Nulleio ſenatore, viris magnæ exiſtimationis & autoritatis inter Gallos. In eas pacis conditiones omnes ferè Chriſtiani Principes, & liberę Italiæ ciuitates ſunt incluſæ. Agebatur annus ſalutis noſtræ quadrageſimus ſextus 1546
poſt mille & quingentos, cum in locum demortui Alphonſi Dauali marchionis Iſtonienſis ſufficitur in Mediolanenſem præfecturam à Cæſare Ferrandus Gonzaga pauloante Prorex Siciliæ: vir rerum bellicarum & vrbanarum peritia inſignis. Cæſar poſt pacem cum Franciſco Gallorum re-

[illegible]ctam in Germaniam ſe confert eo conſilio, vt ſuperbiam nonnullorum frenaret, qui nouas, veteresque inimicitias exercebant cum Auſtriaca familia. Proteſtantes vocati, qui principes erant hæreticorum, conuentus habent in vrbe Vſipetorum, vbi decretum eſt de Tridentina ſynodo. de ſumptibus belli Veſſonienſis. de non deſerendo Archiepiſcopo Colonienſi Vbiorum, qui contra Pontificis, Cæſariſq; mandatum antiquæ religionis inſtituta mutauerat. Nam propter frequentes de religione, variaſq; ſententias ſingulorum, omnia plena erant tanta perturbatione, vt non mediocriter laboraret res Germanica. Licebat enim de ſummis magiſtratibus accuſationes ad paucos Principes Imperij deferre, qui omne auxiliorum genus liberaliter Archiepiſcopo promiſerant, ſi qua vis inferretur. Atqui cum paulatim ſerperet Lutheri lex, & adulterina rerum Euangelicarum explicatio, atque ea in principatum Intuergorum denique fuiſſet admiſſa, Proteſtantes tanquam pro glorioſa victoria, & inſigni aliqua re geſta, legationes gratulatum mittunt: iuſſæq; ſunt ſacræ

Imagines ſanctorū vt colendæ.

Chriſti cruci affixi imagines proſterni & infringi, quòd impium eſſe dicerent imagines coli. Sed & nos non ſolùm impium, & nefarium eſſe fatemur idola, & ſimulacra, & vanam materiam tanquàm Deum colere, verum etiam quicunque hoc faciat inſaniæ & dementiæ condemnamus: cum tamen tam impium ſit imaginem Ieſu Chriſti Redemptoris noſtri vlla contumelia afficere, quàm nefarium diuinos honores materiæ inani, & ex ea factis imaginibus, tanquam Deis tribuere. Non enim piè bellum geritur cum imaginibus. ijdem rurſus cenſemus ſacras imagines in ſacris locis neceſſariò eſſe habendas, quæ non minus per picturam, & fortaſſe magis ad ſenſum, quàm monumenta literarum, pietatis & diuinæ erga nos charitatis ſublimitatem referunt. Sed quoniam Tridentina ſynodus noluiſſet colloquium Artobrigenſe comprobare, id intelligens Cæſar quòd Proteſtantes ipſam ſynodum non admitterent, ne paci & tranquillitati procurandæ defuiſſe videretur, conceſſit haberi colloquium, ſine præiudicio tamen Tridentinæ ſynodi, ad quam intelligebat negotium de religione neceſſariò deuolui oportere, vt publicè Chriſtianorum paci conſuleretur. Diſputatum eſt diu de ratione colloquij, ad quod octo proteſtantes, & totidem catholici collocutores, & auditores ſunt delecti. Neque tamen res conuenire poterat, quòd alij ſcriptis omnia colloquia committi volebant, alijs illud procraſtinatio tantum videbatur. Prius denunciatur à catholicis ſiquid aduerſus ſacram ſcripturam, Apoſtolicaſq; traditiones dictum fuerit, id ſe pro nihilo velle haberi. at ſiquid communi ſententia decernatur, illud habendum eſſe pro familiari ſermone ſine vlla vi, aut robore decreti. Mox prolata confeſſione Auguſtana, quam Cæſar Auguſtę Vindeliciæ cum apologia conceſſerat anno 1530. rogantur proteſtantes, an perſiſterent in eadem ſententia, ſcriptaq; illi repugnantia, vel ſua omnia damnarent. Bucerus, qui primas apud proteſtantes obtinebat, diu hæſitauit, ac reſpondit demum ſe damnare ſcripta contraria. Per illud reſponſum ſuos etiam damnauit, qui in pleriſq; ab ea defecerant, res eo denique perducta eſt, vt facile Buceri improbitas patuerit, cum in tam abſurda dicta compulſus ſit à Maluenda viro doctiſſimo Theologo catholicæ pietatis, vt per repentinam diſputationem in magno doctorum virorum conſeſſu nō puduerit, affirmare, eū qui mortali peccato tenetur fidem catholicam amittere ſe nō credere Deū trinum & vnum eſſe, neque Chriſtum eſſe filium Dei, neque redemptorem humani generis, neque natum, neque crucifixum, neque reuixiſſe, omnia peccata eſſe incredulitatis, nullum imbecillitatis aut inſcitiæ, ſed omnia ex malitia, & contra conſcientiam committi, quæ certè ſine nauſea & horrore audiri à pijs auribus non poſſunt. diditus eſt rumor fallax, deinde ad tegendam malitiam, Maluendam ad Buceri dicta obmutuiſſe. Atque ne deliramenta, quæ multa prolata ſunt à Bucero, memorem, id tantum dicam, quòd ille non minus Atheos, quàm antiquus ille Diagoras, viſus eſt. Deinde cum Cæſar literas dediſſet, quibus colloquij habendi forma præſcribebatur, non complectētibus eam proteſtantibus, conuētus paulatim euanuit: at contra Tridentina ſynodus in-

Tridētina Synodus incœpta.

choatur, quò miſerat iam Pontifex legatos viros doctrina integritateq; præſtantes, Reginaldum Polum, Mariam Mōtium purpuratos Antiſtites, ac Marcellum Ceruinum. Nolebat autem Cæſar aduerſus eas nationes bellum ſuſcipere contra Principes, qui hæreticos protegebant, quia videbatur ea prouincia ita affecta, vt niſi per ſummam difficultatem, ſummumq; periculum non poſſet armis compelli ac reduci ad veterem religionem. His accedebant cum Rege Gallorum potentiſſimo multæ eorum Principum amicitiæ, & coniunctiones, & Solimani copiæ ingentes, quæ varijs incurſionibus Pannoniam infeſtabant, vniuerſamq; propè occupauerant, cum ſe pupillum regem tueri profiterentur. His omnibus tamen tantis difficultatibus reiectis, cum religio, & Dei cultus ſit omnibus cęteris humanis negotijs præferendus, acerrimū maximeq; difficile, & periculoſum Germaniæ perdomandæ bellum ſuſcipit, neque eam patitur impune defeciſſe ab inſtitutis religionis, ritibuſq; maiorum, & ab illa maieſtate Imperij, quæ ſumma ſemper obſeruantia culta eſt ab illis nationibus, quod vnum propè continet ipſius Germaniæ ſplendorem. Ad hoc autem bellum explicandum videtur paulo altius repetendum, quibus conſilijs, quibuſvè auxilijs permoti fuerint ad defectionem duo potētiſſimi Germaniæ duces Philippus Lantgrauius princeps Cattorum, & Ioānes Federicus antiquiſſimę ſtirpis nobiliſſimus Dux Saxonum, qui ſe arma ſumpſiſſe pro tuenda libertate Germanici nominis profitebantur, & ad eius rei nomen liberas etiam ciuitates ad ſuſcipiendam communitatem eius belli excitauerant. Quo tempore tenuit Imperium Saxonum Ioannes, Pontifice Leone decimo, quod accidit anno ſalutis noſtræ decimo ſeptimo ſupra mille &

Martini luteri origo, & diſſenſio à Pont.

quingentos, multi præclari homines, & in omnibus diſciplinis præſtantes, liberaliſſimis propoſitis præmijs inuitati ſunt ad vrbem Calegiam, vbi Dux ille morabatur. Exijt per id tempus monachus eremitanus Martinus Lutherus ex ignobili pago Iſlebio, qui eſt agri Masfeltij, vbi etiam mortuus eſt hoc tempore initio fermè anni præſentis, cum annum ageret ætatis ſuæ tertium poſt ſexageſi-

mum,

mum, qui vt ſuorum monachorum principatum obtineret, cum iam aliquantulu[illegible]
nis eſſet adeptus, perſuadet Ioanni Duci, vt à Pontifice diploma, indulgentiā ſcilicet vulgo voca-
tam, impetrare conaretur. Sed cum res non ſucceſſiſſet è ſententia, incredibili odio aduerſus Ponti
ficem exarſit, putauitq; ſuis rebus optime conſuli, ſi illud dignitatis quæſiſſet impugnando, quod
implorando obtinere non potuiſſet. Idcirco multa edidit maledicta publicè aduerſus autoritatem
Pontificiam, & aduerſus indulgentias præcipuè. Pontifex audita huius hominis temeritate, & im-
portunitate Thomam Caietanum Cardinalem mittit ad ſurgentem flammam ſeditionum extin-
guendam. Sed cum facilis & placidus ventus excitare ignem, rapidiſſimus extinguere ac diſſipare
ſoleat, tamen longe alia ratione in his vti conuenit, vti docuit experientia : nam cum Thomas ni-
mis ſeuerè aggredi rē viſus eſſet, irritauit potius, quàm vlla ex parte reſtinxit aut diſſipauit ſurgēs
incēdium. Pontifex deinde iuſtiſſimis cauſis compulſus diris imprecationibus Lutherum inſecta
tur, qui pro petenda venia in dirarum imprecationum vindictam, non ſolum rudes homines, &
faciles, naturaq; propenſos ad omnem uiuendi licentiam ab obedientia Pontificia, catholicisq; in-
ſtitutis ſollicitauit, & abduxit, verumetiam falſas explicationes euangelicas in medium ita attulit,
vt per nuda occultarum diuinarumq; ſententiarum verba populorum ac Principum animis illu-
ſerit, feceritq; vt propoſita liberiore vitæ ratione adulterina pro veris facile complexi ſint. Primi
igitur Saxones & Sueui eam doctrinam imbiberunt, atq; multorum poſtea, qui doctiſſimi eſſe pu-
tabantur malitia rem eò deduxit, vt ex his ſeminibus, multisq; alijs denuo ſe addentibus, noua quæ
dam religio pullularit, cuius ſtolones in alias nationes tranſmiſſi in tantam germinarūt ſentētiarū
varietatem, totq; ſectas hæreticorum, vt ſępe totidem in eadem domo, vel etiam plures de religio
ne ſententiæ fuerint, quàm homines: cum tamen vna religio tantum bona ſit, vt quæ vnius Dei cul
tum proſpiciat, neque tam diuerſę, & inter ſe diſſidentes bonæ ſimul eſſe poſſint. Pontifex de
omnium ſalute mirificè ſollicitus ad opprimenda illa incēdia quouis humanitatis genere viſus eſt:
ſed ea tantopere creuerunt atq; inueterauerunt paulatim in animis hominum, vt multis Principi-
bus ad nouam religionem ſe addentibus, & conſpirantibus comitia religionis indicta ſint à Fede-
rico electore Smacaldicam, illud eſt nomen oppidi inter Caſuaros, & Incriones ad Schalmum flu-
uium. Conuenerunt ad illa comitia, quæ facta ſunt anno quarto poſt mille quingentos, & trigin- Smacaldica comitia.
ta Principes inſignes Henricus pater & Mauritius filius Saxonum duces, Philippus Lantgrauius
Incrionum, Bernardus & Philippus Sennonum, Franciſcus & Herneſtus Caucorum, Odericus In-
tuergorum, Philippus Veſſonum Dux, Ioannes regulus Aliſi, Golphangus Anhalti princeps, Al
bertus Maſfeltius, Tecchenelburgius, Aldemburgius, & duo Nanſienſes comites. Vrbium præte
rea Septentrionalium Principes, quæ magis ad vrſas vergunt, Pheugari, Phamirani, Treuæ, Pha-
rodini, Mindę, Phrigę, Tunemburgi, Lemburgi, Gottingę, Goſlarię, Hannuberę. Liberarum vr-
bium Sueuorum Principes, Auguſtę, Argentorati, Bibaci, Geſfingę, Cauſaporni, Canoduri, Chem-
ptę, Dechnelburgi, Alcimenij, Rottemburgi, & ne multis ducibus ac ciuitatibus, quæ principes ho-
mines ad ea comitia miſerunt memorandis tempus abſumam, vniuerſa ferè Germania in has le-
ges conſpirauit, quę in illis comitijs factę ſunt. 1. Vt in quinquageſimum annū leges latę intelli-
gerentur ad religionis ſui ipſorum, fœderatorumq; omnium defenſionem. 2. Ne liceret cuiquam
bellum inferre, aut hoſtiliter inuadere agrum fęderatorum. 3. Si quis inuaderetur, ſtatim vt cæteri
atq; ſignificatum eſſet, ſubſidia mitterent, quanto maiori poſſent conatu & diligentia, quod niſi
factum eſſet intra certum ſpatium, vrbs illa poſſet ſine perfidiæ nomine cum hoſte paciſci, vel etiā
aduerſus coniuratos arma capere. 4. Vt vnius hoſtes cæterorum hoſtes intelligerentur. 5. Vt nemi-
ni liceret ſemel ſuſceptum bellum aduerſus quemuis hoſtem deponere, niſi reliquorum omniū
conſenſu. 6. Ne armatus exercitus permitteretur per agrum cuiuſquam fœderatorum ad bellum
inferendum pertranſire, niſi communi omnium decreto. 7. Vt qui auxilia acciuiſſent, per viginti
dies commeatum ſuppeditarent ab initio belli eò profectis, ac totidem poſt bellum : ea tamen le-
ge, vt qui acciuiſſet, & cuius cauſa bellum gereretur, ſummum haberet imperium eius expeditio-
nis, quod nemini ſuſcipere liceret ad alios infeſtandos vel Principes, vel ciuitates. 8. Vt ſi qua inter
ipſos fœderatos naſceretur cōtrouerſia, pro iure & æquitate, at non pro armorum vi dijudicaretur,
ſeruareturq; iuramentum, quod interceſſerat. 9. Vt liceret principibus, & fœderatis ciuitatibus cō
muni conſilio mutare, vel addere ſiquid opus eſſet, aut æquum videretur, liceretq; ſapientius cō-
muni omnium ſaluti conſulere. 10. Vt eiuſdem fœderationis ſocij ac participes omnes & liberæ
ciuitates Saxonū & Sueuorum intelligerentur. His tot populorum vrbiumq; Smacaldicæ fœdera-
tionis auxilijs elati Philippus Lantgrauius & Federicus Saxonū Dux, Principes nobilitate, potētia,
autoritate præſtantes, vt qui ſibi viderentur ita plurimum poſſe ſuos terminos dilatare, ſua fortu-
na minimè contenti, ad maiora aſpirare incipiunt. Viſum eſt autem optimè conſuli rebus tam po
tentis fœderationis, ſi imperium etiam ad nouam illam religionem detorquerent, vt non ſolùm
potentia, ſed etiam dignitate Imperatoria fœderationem inſignirent. Ad illud conſilium ca-
piendum incitabat Federicum veterum Imperatorum ſuæ familiæ recordatio; cum duo Hen-
rici, tres Otthones, & nuper Lotarius atque Adulphus in memoriam veniebant, ad quos om-
nes è ſua familia imperium fuerat delatum. Confirmabant vero in ea ſententia preter fędera-
tos multæ etiam cum externis principibus amicitiæ, & affinitates. Atque vt manifeſtius belli
Germanici magnitudo appareat, & quantæ fuerit difficultatis Germaniā vincere, quæ non niſi ſuis
armis videtur poſſe ſuperari; quippe quòd hęc vna prouincia multo plures exercitus Romanorum
profligaſſe dicatur, quàm vniuerſus fere orbis reliquus, non erit abſurdum ſi ſitum & mores & na-
turam Germaniæ quanta fieri poterit breuitate deſcripſerimus; quoniam illis ignoratis in multas

ę de dubitationes diligentem lectorem incidere neceſſe erit. Germania igitur eſt omnis in partes quatuor diuiſa, vnam quarum hinc claudit Danubius, inde Rhenus fluuius ampliſſimi. Alterã Gallia comata attingit à meridie, cum Belgica regio & Heluetij nuper Germaniæ prouinciæ acceſſerint. Tertia Germanię pars Norico & Vindelicia & Rhetia terminatur ab oriente, & alpibus, & nonnulla parte Illyrij: cum ex eo latere etiam German i ſpretis obijcibus Danubij nouas regiones ſuo imperio adiecerint. Teutones populi pręterea, qui ſunt traiecto Viſtula flumine, in alia parte habitãt Germaniæ, in qua ad ſeptentrionem habentur Sarmatæ & Pruteni. Terminantur igitur Germani ampliſſimis finibus, vt vno verbo dicam, ab oriente Sarmatia & Pannonia & Bebijs Sarmaticiſque montibus aſperrimis. Ad occidentem habent Belgarum regionem, quæ extenditur ad mare vſq; Britannicum. A' ſeptentrione clauduntur Oceani Germanici fluctibus, cum Alpes vocati montes & Italia à meridie ſecludant. Hanc prouinciam totam ferè tranſuersè ſcindit Albis fluuius, qui à Sudetis montibus ortus non procul à ſylua Hercynia in mare irrumpit ad Saxonum regionem. Atque cum Rhenus, & Danubius antiqui eſſent fines Germaniæ, qui per illam prouinciam ampliſſimi decurrunt, pars illa quæ fuit propria antiquitus Germanorum, vocata eſt ſuperior; at quę vergit ad oceanum occiduum, inferior. Hæc noſtra deſcriptio tametſi ab antiqua Germaniæ deſcriptione diſſentit, tamen non debet videri facta præter rationem, cum non minus legibus, inſtitutis, imperio, moribus, idiomate, quàm mari vel montibus vel fluuijs & naturæ terminis regiones aliquando ſint circumſcribendæ. Maximus eſt in Germania ampliſſimarum & opulentiſſimarum ciuitatum numerus, quas regio, cum frumenti, omniumque rerum victui neceſſariarum & metallorum ſit feraciſſima, copioſè alit: quamuis propter frigus alicubi non magna naſcitur vitium copia, cum arbor illa magis amica ſit caloris, quàm vt eius regionis naturam patienter ferre poſſit. Nam

*Liberarum ciuitatum numerus.*

ſolæ liberæ ciuitates ſunt nonaginta & duę. atqui ne vlla dubitatio poſſit legentis animum in vniuerſis rebus, quæ de Germania conſcribentur, retardare, in has ferè prouincias Germania diſtribuitur, in regionem Batauorum, Belgium, Buſatterorum. Buſuntes pręterea & Camani populi, & Cherusci, & Boemi, Caſuari, Caritni, Vangiones, Intuergi, Turoneſque Germani ſunt, & qui Suetiam, qui Valeriam, qui Selandiam habitant, qui Carinthiam, qui Veſſaliam, qui Noitelandiã, & Maringi, Marcomani, Tungri, Triboces, Lutiburi, Sangobardi, Sennones, Teuceri, Incriones, Menapij, Sicambri, Viſpi, & multi præterea populi ac regiones. Homines ſunt mirificè diſciplinarum ac rei militaris obſeruantes, legum cultores ciuilium, & ſi ad ſobrietatem potius, quàm ad ebrietatẽ pro patriæ conſuetudine vino aſſueſcerent vti, feliciſſima ingenia exiſtimarem Germanorum, nulliſq; inferiora mortalium. Quod attinet ad eius prouinciæ publicam adminiſtrationem, præter legum ciuilium obſeruantiam, municipaliaq; iura, aliæ ciuitates ſunt liberę, ſuiſq; vtuntur legibus ad morem rerum publicarum. Aliæ ſunt imperatoriæ ciuitates, & oppida, & pagi, quoniam proprium iſtud eſt imperij patrimonium, quæ ſtatim creati Imperatoris ditioni omnia ſubiecta eſſe intelliguntur. Aliæ ſunt ſacratorum antiſtitum, aut ducum, aut marchionum, aut comitum, ac cęterorum huiuſmodi principum imperio ſubiectæ, quorum tamen omnium princeps & quaſi caput eſt imperator, qui à ſeptem ex his principibus eligi conſueuit, vbi electionis indicendæ opportunitas oblata fuerit. Nam facultas eligendi Imperatoris ex Italia primum in Germaniam tranſlata eſt à Gregorio Quinto Pontifice Maximo, cum fuiſſet expulſus à Romanis anno ſalutis noſtræ quarto poſt noningentos & octoginta: quem poſtea Ottho in Italiam cum exercitu tranſgreſſus ſedi Apoſtolicæ reſtituit. Ea de cauſa pontifex Germanus per arma Germanica in imperium reſtitutus conſulente etiam ipſo Otthone facultatem eligendi Imperatoris Romanis ereptam ad ſuos Germanos tranſtulit. Sunt autem hi ſacrati Antiſtites Imperatorem eligentes; Coloniæ Agrippinenſis, Treuirorum, Mocontiaciq; Archiepiſcopi, quorum hic Galliam, ille Italiam, ille Germaniam refert. Reliqui ſunt comes Palatinus, dux Saxonum, marchio Sennonum, quorum ſuffragia cum paria ſint numero, vt commode fiat electio, neq; paritate ſuffragiorum impediatur, ſeptimus additus eſt Rex Boemorum propter potentiam & dignitatem eius electionis. Additum eſt præterea ad electionis maieſtatem vt adſint Camanorum, Marcomanorumq; marchiones, & alij complures proceres, liberarumq; ciuitatum legationes, quibus honoris cauſa diuerſa iniuncta ſunt munia. Vniuerſa Germania ſe nouo Imperatori præſtituram obedientiam iuramento obſtringit, ſeruaturamq; fidem eo defendendo aduerſus populos repugnantes imperatorijs mandatis. at contra iurat nouus Imperator promittens ſe libertatem & leges Germanis pro viribus defenſurum, cum imperij res maximę prouincięq; publica negocia ad ſalutem omnium ſpectantia per comitia Germanorum optimè ac ſapientiſſimè regantur. Illarum autem legum in primis ea præclara eſt, quæ facit ad hoc præſens bellum, è cuius contemptu nata ſunt ſemina omnium earum calamitatum Germanarum, quas ſumus explanaturi. Cautum eſt imperatorijs legibus ne quis pagus vel ciuitas, vel princeps, vel natio Germanica inconſulto Cęſare, vel inconſultis Comitijs arma publice ſumat religionis aut alterius rei cauſa; niſi quis renuntiatus ſit rebellis imperij & perduellionis reus, cui ſit indictum imperatorium exilium. illud nihil aliud ſignificat, niſi dari cuiuis impunitatem & licentiam eius capiendi, occidendi, diripiendi, bona eius prædandi. Cum verò per Smacaldicam fœderationem excluſi eſſent omnes, qui non fuiſſent eius nouę religionis participes, atq; pro hoſtibus haberentur à coniuratis, Philippus Lantgrauius copijs & pecunia à Federico adiutus breuiſſimo temporis ſpatio totum ferè imperium finitimum Henrici Ducis Iulicurgij ſuo adiecit, quoniam is à Pontificia obediẽtia & amicitia Cęſaris nullis ſuaſionibus, aut pollicitationibus abduci potuerat. At enim ego facinoroſi & impuri hominis ſemper eſſe exiſtimaui per ſimulationem contemptę aut violatę religionis alterius bona prædari, cum nulla ſit tam nefaria religio, tamque impia, quæ iubeat in homines diuerſæ religionis

*Germanię populi qui ſint.* *Germani quales natura.* *Imperatorũ electio Italis erepta.* *Electores imperij.* *Imperatorũ iuramẽtum.* *Imperatoriũ exilium quid ſit.*

gionis latrocinia exercere. Sed hæc ſunt auariſſimorum tyrannorum inſtituta,& improbita[illegible] gumenta. Quæ cum ita eſſe intelligeret Lantgrauius,id ſe feciſſe ſimulabat, quoniam prior Henricus ad concremandos pagos nonnullos ſuorum ſubditorum miſiſſet, & ad occupandas ferri fodinas, cędendasq; ſyluas Goſlariæ,quæ vna erat fęderatarum vrbium. Illa inſigni iniuria accepta Henricus collectis ijs copijs,quas anguſtia temporis paſſa eſt, ea recuperare conatur, quæ ſibi per vim iniquè fuerant ablata. eius optatis fortuna belli primum arridet. alias armis è ſuis ciuitatibus capit, alias per deditionem in fidem recipit. contrà Lantgrauius comparatis quam maximis copijs exit in apertum cum Henrico collatis ſignis dimicaturus,vbi facultas daretur. vterque paratus ad pugnam exercitus cum intra ſuos fines moraretur, Mauritius Philippi gener hortatur Henricum ad pacem per honeſtas conditiones,& ad arma deponenda. Dum agitur de pace,reſq; bellica paulo negligentius tractatur, repente inuaduntur caſtra Henrici, profligatiſq; copijs Hēricus ipſe & Carolus filius in poteſtatem hoſtis venerunt. Atqui cum ridiculus ſit is,qui prorſus vel illis credat, qui ſe amicos eſſe profitentur, niſi prius in rebus leuioribus aut neceſſarijs periculum fecerit eorum fidei, certe multo magis leuis eſt putandus,qui ſeſe committat placidis hoſtium blanditijs: cum difficilius ſit callidum & armatum hominem armis deuincere,quàm inermem & incautum fallacijs circumuenire. Plerique idcirco vtuntur hoc bellandi genere,vt quos auaros hoſtes & pigros eſſe arbitrātur, fallant ſpe pacis & tranquillitatis interim ab apparatibus bellicis retardantes dum ipſi maioribus viribus clam maturè collectis acrius inopinatos ac,nihil tale ſuſpicantes inuadant. Enimuero ſpe pacis ita deludi,perq; huiuſmodi fallacias opprimi valde triſte eſt & calamitoſum, ſed tamen nullum eſt detrimentum cum facti turpitudine conferendum; quoniam libertas & facultates aliquo modo recuperari poſſunt,at exiſtimatio,quę vel ipſa vita carior eſſe debet, vbi ſemel amiſſa fuerit, vix per multas ætates, multaq; poſterorum pręclara facinora poteſt reſarciri. ea res non mediocriter animum Cęſaris commouit,qui etiam fruſtra multis rationibus Philippo perſuadere conatus eſt, vt principatum libertatemq; Henrico reſtitueret. Poſtea Philippus impetrata venia, ac facultate adeundi Cęſaris cum quadringentis armatis equitibus Neomagum accedit,quæ inſignis eſt Nemetorum vrbs ſita vbi fluuius Ombricus cum Rheno coniungitur. Demonſtrat Cęſar ſe non æquo animo ferre illam iniuriam. hortatur vt Henrico ſua reſtituat. adduntur precibus minę,quòd niſi illud ſponte fecerit, profitetur Cęſar ſe per iura Germanica extorſurum. Philippus iræ,ſuperbieq; plenum dedit reſponſum,quippe quem felices rerum ſucceſſus,& eximię fœderationis vires non mediocriter extuliſſent; quę per bellum parta ſint,ea legitimè iure belli poſſideri,quæ lex antiquiſſima ſit,& non tunc primùm à ſe vſurpata: cum pręſertim eorum bellorum autor Henricus prior extitiſſet. ſeſe hortari inquit Cæſarem ad conſeruandam beneuolentiam fœderationis, cuius præſtaret ſibi conſeruare amicitiam, quàm tantum bellorum in ſe concitare,quantum ſuſtinere poſtea non poſſet. His dictis abijt Philippus. Cęſar tametſi ferebat grauiter reſponſum audaciæ, minarumq; plenum, tamen quia vltionem in magis opportunum tempus differendam cenſebat, iudicauit eam controuerſiam oportere in Tridentinis comitijs dijudicari,quæ per id tempus ſacris Patribus Tridentum indicta fuerant; quam ſynodum Philippus ibidem fieri flagitauerat,quòd vrbs illa commoda eſſet Germanis Principibus, vt apud Germaniam ſita in ripa Atheſis fluminis in extrema ora Italiæ. cum ad illud Concilium die ſibi dicta Philippus nō acceſſiſſet,ac neque ipſe, neque reliqui fœderati viderentur curare Imperatoriam dignitatem, aut amplitudinem, & autoritatem reliquorum comitiorum,ad quæ conuocati non conueniebant, vel certè quendam præ ſe ferebant contemptum,eam rem Cæſar cœpit ferre grauiſſime,atque eò denique deducta eſt, vt fœderati nouę religionis Principes comitia inter ſe celebrarent, mutuaque auxilia ſuggererent ad opprimendam maieſtatem imperatoriam. Cæſar hiſce rebus commotus comitia indicit Artobrigam, quæ vrbs eſt nobilis Vindeliciæ,quibus cum neque Federicus,neque Philippus Lantgrauius affuiſſent, vt quæ aduerſus ſeſe fieri intelligerent, decernitur in ijs referente Cæſare vt Federico dignitas eligendi imperatoris erepta cenſeretur; & quoniam multa contra leges imperatorias patriasque commiſiſſent,neglecta Auguſti Imperatoris autoritate,Philippus Lantgrauius & Federicus hoſtes imperij iudicarentur, ijſq; indiceretur imperatorium exilium. Nam Cæſar quamuis ęgre ferebat contemptum imperij, & catholicę religionis per eam prouinciam magis ac magis in dies ſerpere, firmioreſq; radices agere, quæ ſuperioribus temporibus tanta obſeruantia iuſtitiam, ac pietatem coluiſſet, tamen cum modo Pannonicis,modo Numidicis bellis diſtraheretur,neque tunc quidem rem illam aggreſſus eſſet, niſi vel poſt exilium acrius odium exarſiſſet, multaque damna cęſarianis amicis fuiſſent illata, ac neque ab imperatorijs quidem vrbibus ſibi temperatum fuiſset. cum verò breui futurum appareret,niſi opportuna remedia adhiberentur,vt illa prouincia tota ab auita religione & ab autoritate imperij deſciſceret, decernit rem non poſſe commodè diutius procraſtinari. maximè omnium incitauit atque inuitauit Cæſarem ad hoc bellum ſuſcipiendum præter cætera multa, Ioannis & Alberti coniuratio. nam Albertus Caſmiri filius & Ioannes Ioachimus Marchio Sennonum ſe multis iniurijs affectos ab illis fœderatis cenſebant; qui cum eſſent Henrico captiuo affinitate coniuncti ad preces Ioannis Henrici nepotis viginti & quinque millia peditum, octo equitum armatorum promittunt. Sic igitur conueniunt,vt omnes tres ęquam partem ſumptuum conferrent per tres menſes. ſummum imperium eius expeditionis defertur Alberto, qui priuſquam negotium aggrederetur Cæſarem conſulit. docet neceſſitatem belli,quod vel eſſet inferendum, vel expectandum domi. opprimendam eſſe hoſtis temeritatem & audaciam, quæ ſi relinquatur impunita,breui futura eſt intolerabilis. Cæſar non ſolùm Alberti rationibus aſſentit,ſed etiā princeps eius expeditionis negotium ſuſcipit, atq; ad apparatus bellicos faciendos ſtatim animum adiecit.

Henricus Iulicurgięſis p inſidias captus.

Fallaciæ cur vitandæ.

Tridēti ſitus

Lantgrauius, & Federicus Saxon hoſtes imperij iudicati.

atque cum multa eſſent, quæ ab huiuſmodi prouincia Cæſaris animum poſſent reuocare, deterrereque à tanta mole bellorum, coniuratorum eximia opulentia ſcilicet, excellens obſeruantia rei diſciplinæque militaris, conſtantia iis defendendis, quæ fuiſſent in Comitijs decreta, commeatus omnis generis magna abundantia, tormentorum bellicorum & apparatuum inſignis copia, peditum & equitum armatorum ingens numerus, tamen cum res bellica commodius vnius conſilio, quàm multorum huc illuc res propoſitas diſtrahentium nitatur, firmiusque ſit ac diuturnius bellū quod publicis, quàm quod priuatis fit ſumptibus, & per belli opportunitatem vi extortis, Cæſar omnino non minus neceſſarium quàm difficile bellum ſuſcipere decernit. Stimulabat animum Cæſaris iam ſatis ſua ſponte incitatum Gaſpar Contarenus Cardinalis Pontificis legatus, qui pontificio nomine & pecuniam, & armatorum auxilia ſponte policebatur liberaliſſimè ad extinguenda ſurgentis hæreſeos incendia. Præterea tametſi Catholicum ritum adhuc retinebant duo Gulielmi alter Menapiorum, alter Norici princeps, neque cum cæteris principibus Germanis conſpirauerant, tamen videbantur in neutram partem magis propenſi, neque cum Germanis vrbibus excitari. His verò duobus principibus datis in matrimonium duabus filiabus à Ferdinando Romanorum Rege non ſolùm Cæſar tutus futurus videbatur ab omni illorum moleſtia, ſed etiam ſperabat ſe commeatu & multis opportunis auxilijs adiutum iri: cum illorum ager feraciſſimus ſit omnium rerum humano victui neceſſariarum, & ſatis amplus. Acceſſit ad auxilia Cæſaris Mauritius etiam dux Saxonum particeps Smacaldicæ coniurationis, qui ſe ab impietate ita tuebatur, quia nullum iuriſiurandum ſeruandum ſit ad impietatem ac turpitudinem ſpectans: neque ſe putare aiebat cogi, Catholicam religionem, imperatoriamque maieſtatem per id iuramentum iure oppugnare oportere. Huius tamen auxilia vt ſuſpecta propter affinitatem Cæſar non accepit, ſed reſponſum beneuolentiæ plenum dedit, ac inquit ſe in magis opportunum tempus reſeruare. non enim integra prorſus fides cenſenda eſt eorum, qui vel pro æquitate peierant, quoniam periuria impietatem omnino ſapiunt quacunque ratione ſuſcepta fuerint. Epiſcopus præterea Artaurienſis, & Grauionarij potentiſsimorum principum potentiam veriti neutram in partem magis inclinabāt. Cæſar cum eſſet adhuc Artobrigæ vindeliciæ, vt diximus, quæ vrbs eſt extrema imperatoriarum ciuitatum ſita in ripa Danubij fluminis Noricū verſus, multos duces & tribunos militum ad ſe acciuerat. iuſſe ſunt adduci cohortes quinquaginta peditum Germanorum ex Pannonia, duo millia & octingenti Hiſpani è Gallia Ciſalpina, tria millia eorundem, equitum ad nouem millia conſcribi iuſſa in locis longe diuerſis. Illud bellum in ſe exarſurum veriti coniurati, rem totam tamen diſsimulant, apparatus bellicos clam & ipſi faciunt, Cæſaris animum ſenſim elicere nituntur. nam principum liberarumque ciuitatum legationes, & procuratores, qui erant apud Cæſarem captata opportunitate colloquij Cæſari inquiunt, ſe cognouiſſe illum tribunos miſiſſe ad conſcribendas copias. ſe rogare vt participes fierent conſilij aduerſus quem bellum ſuſciperetur, quòd eſsent, vti conſueuerant, omne genus auxilii liberaliter preſtituri. His reſponſum eſt arma parari aduerſus nonnullos rebelles. Cæſarem memorem futurum eius beneficentiæ, ſiquis ad illam expeditionem opem tuliſset, cæteros pro hoſtibus habiturum. illud reſpōſum vbi fœderatos ſpectare videretur effecit vt illi magis opportunè quam Cæſar copias inſtruxerint, atque Cæſariani apparatus clam obnunciati ſunt coniuratis. illud non parum periculi attulit cæſarianis rebus, cum ipſe Cæſar nullos adhuc neque Germanos conſcripſiſset, neque copiæ Pontificiæ iter cępiſsent, neque moti eſsent Hiſpani, qui ex inſubribus, Pannonia, Neapolitanoque regno acciti fuerant. Nam Cæſar initio eius belli militaria munia de more viris inſignibus diſtribuit, defert ſummum imperium Ferrando Toletano Hiſpano Albano regulo. Maximiliano nepoti Ferdinandi Regis filio mille, & quingentorum equitum imperium cōmittit. Carolo Lanoio Regulo Sulmonenſi quingentorum, & leuiorum equitum Italorum. mille committuntur imperio Volfegandi; Melchinquij Schuezoperij. Quingenti Henrico Veſſonum duci iuniori. aulicorum nobilium imperium datur Emanueli Philiberto Allobrogum ducis filio. quingentorum Ioanni Ioachimo, Alberto Caſmiri filio Principi Sennonum duorum millium. ſignificauit per literas Cæſar Florentio Comiti Lutiburorum, qui erat in Buſaterorum præfectura, vt decem peditum, tria equitū millia conſcriberet. Singulis his tribunis militum quatuor Germanorum peditum millia tribuit; Georgio Peusburgio, Alliprando Madruccio, Georgio Sicamburgio, Iacobo Mediceo Marinianio marchioni, cui ſummum tradit imperium tormentarij negotij, Georgium Vittepacchium Spuriū Norici præfecit decem vexillis peditum, Ferrantem Signorellium Caſtrouillæ regulum trecentis cataphractis equitibus. Scribit literas ad Coſmum Medices Florentiæ ducem, & Herculem Ateſtinum Ferrariæ, vt ducenta nummum millia ad illud bellum ſuppeditarent, ad quod Pontifex præter ducenta millia nummum iubet etiam Octauium Farneſium Camerinenſem ducem Cæſaris generum duodecim millia peditum, & mille equites ex Italia ducere. Magiſter caſtrorum dictus eſt Ioannes Baptiſta Caſtalius. Addita ſunt his duo millia operarum è Boemia, & octoginta bellica tormenta, & lintres complures ad pontes faciendos, omniaq; comparata ſunt, quæ forent tantis copijs neceſſaria. Auguſtani interea auditis his apparatibus, qui cum fierent in tam diuerſis locis propter varietatem ac magnitudinem occultari minime poterant, primum dubio ſunt animo quid cōſilij caperent, atque re diu inter ſe agitata, quāuis multo facilius ſit bellorum ingreſſum quàm exitum inuenire, tamen ita cogitant, ac palam proponunt, non eſſe arbitrio fortunę committenda, quæ vlla certa ratione ſeruari poſſunt. Quòd nulla certa fides præſtanda eſt illi bellorum communitati, quæ ad multos Principes vno tempore pertineat, quia ſi quis vel per auaritiam, vel perfidiam vel inopiam defecerit, reliqui aut debilitantur, aut certè priſtinam animi alacritatem in tenſio

nemque

Fœderationes cur inſtabiles.

Albanus ſummus dux copiarum. Maximiliani præfectura.

nemq; remittunt, decernunt tamen arma neceſſariò eſſe ſumenda. Viſum eſt enim communem eſſe belli fortunam, quæ non tantopere timenda eſt depreſſis & ad imum prope deiectis, quàm potentibus & ad ſummam felicitatem prouectis; nam vel hac ipſa ratione tentanda eſt ab infelicioribus, quòd ea inconſtanti perpetuaq; rerum humanarum varietate delectatur.

Fortuna bellorum vt inconſtans.

inualuerat apud omnes opinio quod non poſſet magna gloria comparari, niſi ſuperatis virtute magnis periculis. proponebant nonnulli quòd agebatur hoc tempore de religione & libertate totius Germaniæ, pro qua ſola omnia difficillima ſunt ſubeunda. neq; ferendum eſſe vt unus omnium populorum libertate pro arbitrio tyrannice abuteretur. Non eſſe dubitandum de fide coniuratorum, cum de communi omnium ſalute æque agatur: nam eadem cauſa videbatur omnes in ſocietate belli retentura, quę ad eam complectendam compuliſſet.

Mutuę Germanorú adhortationes ad bellum.

His ita vbiq; memoratis decernitur vt literæ conſcribantur ad omnes ſocios Smacaldicæ fęderationis, quibus peterentur auxilia. rogatur Daniæ Cimbrorumq; rex ne pateretur cæſarianam potentiam tantopere augeri, quia neutram in partem ille apparebat propenſior, quòd nemini ſatis tuta eſt, aut tolerabilis præpotentis principis vicinitas. Ad Federicum Comitem Rheni Nariſcorum principem, & ad Gulielmum Menapiorum vt ſubſidia laboranti communi Germaniæ libertati ſubmitterent, exiſtimarentq; in hoc vno bello totius Germanici nominis ſplendorem, ſalutem, dignitatem, libertatē, gloriam contineri. Nihil aliud agi in præſenti negotio, niſi an auitos mores, legeſq; antiquas Germaniæ antiquarent, an libertatis veſtigia, quę tot annos, per tot clades, totq; labores ſuſtinuiſſent, ac defendiſſent, nunc deſerere oporteat, atq; Romani Pontificis arbitrio ſubijcere, quod certe ſine plurimarum vrbium populorumq; euerſione fieri non poſſet. Præclarum eſſe in rebus glorioſis & arduis non coactos, ſed volentes & cupidos & alacres pro gloria labores ac pericula ſubire. Hæc dū agerentur per literas, neceſſarij bellici apparatus non frigide, ſed ſumma diligentia curantur. coniurati, antequam Cęſar primitias copiarū Madruccij ſeptingentos equites, cęterorumq; tribunorū copias Germanas ſibi adiungeret, & duo millia ſupra quingentos Hiſpanos e Pannonia, qui acciti fuerant duce Aluaro Sandeo, exeunt Auguſta cū viginti & duobus vexillis & cohortibus peditum eius ciuitatis, quatuor Alcimenienſium, ſex Caritnorum, mille armatis equitibus, viginti & octo bellicis tormentis. Atque cum hoc bellum, quod Cæſar parabat, ante auditum, quam incęptum uel paratum fuiſſet, opportunam maxime facultatem parandarum copiarum hoſtibus præbuit, quæ tamen minime apparebant parari aduerſus Cæſarem: quippe cum acceſſus & exitus omnibus cæſarianis in urbem illā pateret. Eas itaque copias cum inſtruxiſſent, ſimulabant ſe non aduerſus Cæſarem parare, ſed aduerſus exercitum ex Italia aduenientem, qui iuſſu Pontificis ad depopulandam Germaniam proficiſceretur. non enim ſe vexilla aduerſus cæſarianos, ſed Pontificios milites erigere profitebantur. Cum autem plurimum difficultatum tarditas in rebus bellicis plerumque afferre ſoleat, ſcire oportet aditum ex Italia in Germaniam eſſe difficillimum, quare auxilia non magno labore poterant impediri.

Tranſitus ex Italia in Germaniā tenebris.

Iſtud autem commode fit, vbi intercedunt anguſtiæ montium aſperrimorum, quæ certe ſunt prius occupandæ ſumma celeritate, ne hoſtibus pateant ad excipienda auxilia. Illis igitur qui ex Italia veniunt in Germaniam, Boiorumque regionem, Tridentum vrbs prius ad Cottias alpes ſita tranſeundum eſt. deinde adeundum Inutrium, quò ſimplex eſt iter. ab Inutrio in Boios, agrumque Noricum procedentibus duæ ſunt viæ, altera ſuperius, quæ ad oppidum munitiſſimum Ropſtainum vocatum ducit, quod eſt in principatu Rhetiæ in ingreſſu Boiorum & Norici agri, altera inferius, quæ ducit per quandam vallem, cuius in faucibus arx eſt munitiſſima Cluſa vocata. ea loca primùm occupare nituntur coniuratorum copiæ, quàm Cæſari auxilia accederent, vt illis ſic acceſſus præcluderetur. ea dum tentantur à fœderatis copijs in apertum primum egreſſis vniuerſi belli inſtruuntur bellici apparatus, vt illud fieri poſſet diuturnius. Decretum eſt vt ſingulis menſibus ducenta nummum millia colligerentur tandiu, quandiu bellum perduraſſet, in ſtipendia ſubſidiariorum mercenariorumque militum, qui non eſſent participes eiuſdem fœderationis. illa pecunia colligebatur ex omnibus principibus ac fœderatis vrbibus. erant ſub imperio Federici omnes Saxones, præter Dauciones populos, cum Philippus Sueuis imperaret, cæteriſque populis Sueuis finitimis Vicario munere fungebatur in caſtris Federici Herneſtus Philippi filius, qui duodecim cohortibus peditum erat præfectus; atque totidem ſingulis his commiſſæ ſunt Ioanni Heddecchio, Chriſtophoro Oldemburgio, Tumberſino Gulielmo, Vberto Beicolingo, equitatus duces complures erant, ſed præcipue autoritatis Henricus Scombergus, & Thedericus Taubeimius caſtrorum magiſter dictus eſt Chriſtophorus Steimbergus, at magiſter equitum, quod nomen Mareſciallum appellant, Volferraccius, omnium equitum Philippi dux ſummus erat Oldemburgus.

Munia in caſtris Lāgrauij.

Peditum fœderationis dux Sebaſtianus Schertellus vir rei militaris non ignarus Auguſtanorum, Alcimenienſium, aliorumq; populorum nomine. Argentorati nomine præerat Gulielmus Fuſtamburgenſis. vt verò rem totam paucis verbis concludam hi bellici apparatus & copię breui fuerunt in caſtris fæderatorum; peditum circiter octoginta, equitum quindecim millia, bellica tormenta varij generis, ſed plura muralia, centum & duo de viginti. ſex millia operarum. lintres complures ad pontes faciendos. carri multi qui puluerem tormentarium, reliquoſque apparatus bellicos conueherent ad horum vſum addita ſunt octo equorum millia. accedebant & fabri lignarij, & murorum magiſtri atque architecti, & cæteri artifices complures, qui ad vſum extruendorum pontium, vel excitandarum munitionum, ne quid tantis apparatibus deeſſet, caſtra ſequebantur.

Bellici apparatus fæderatorū.

Ea dum vtrinq; cōparantur ad bellum in Germania, & contra Germanos, naſcitur non nihil difficultatis etiam in nouo orbe Cæſaris imperio ſubiecto, qui fit certior per Diegum Aluarecium & Franciſcum Maldonatum de omnibus perturbationibus nouarum Indiarum, quas Perù vulgus nominat. Sunt autem

Indiæ nouæ: & amplitudo.

nouæ

nouæ Indiæ regio per ampla in occidente vltra columnas Herculis, anguſtiasque maris mediter-
ranei è regione Luſitaniæ & Lariſſæ, plurimo auro abundans à viro præſtanti Franciſco Pizzaro
Hiſpano primum inuenta, vt memoriæ proditum eſt: quibus Indijs inuentis tantam lætitiam Cæ-
ſar cepit, vt monetas etiam imprimi iuſſerit, inquibus ſcriptum erat inter duas columnas, Plus vl-
tra, cum in antiquis Herculis ſcriptum eſſet, Non plus vltra. Monetur Cæſar fuſum eſſe & cæſum
Blaſcum, qui poteſtate proregia præerat illis populis. opus eſſe ibi nouis ac validis remedijs, quia
niſi maturè tantis diſcordijs occurratur, periculoſum ſit ne tam amplum, tam ferax imperium, tã
opulentum amittatur: quod vix per ſex menſes terreſtri itinere poſſet pertranſiri. Cæſar etſi varijs
ac magnis occupationibus diſtringebatur, cum procul abeſſet ex Hiſpania, tamen ſtatuit ad eas con
trouerſias ſedandas mittere Petrum Gaſcam iuriſperitum virum ſpectatæ virtutis. Huic datus eſt
titulus Præſidis regiæ audientiæ, atq; addita eſt ſumma autoritas pro arbitrio adminiſtrandæ pro-
uinciæ, quo res componere, & veniam concedere omnium delictorum opportunè poſſet. Ille itaq;
fęlicibus ventis vſus ad oppidum diuæ Marthæ primum applicuit, vbi fit certior Melchiorem Ver-
dugum Cæſarianarũ copiarum ducem profligatum eſſe ab Hinogienſibus ſequentibus Conſalui
Pizzani partes. ſtatuit vlterius procedendum eſſe, quamuis expectaretur à reliquijs in portum Car
tagieæ, vbi ad Nombredium ventum eſt vrbem, vbi Hinogioſa centum & octoginta Hiſpanos reli-
querat duce Hernane Meſſia aduerſus Verdugum, iubet Alphonſum Aluaradenſem deſcendere ad
colloquium cum Meſſia, Præſidisq; aduentum ſignificare. Meſſias hortatur præſidem vt exeat è na
ui. demonſtrat quo in ſtatu res ſint vniuerſæ. Conſaluum Pizzarum aduerſus partes Cæſaris pu-
Panama vrbs gnare. eius claſſem ſtationem habere in portu ad Panamam vrbem præfecto cum ſummo imperio
Hinogioſa. Eſt autem Panama vrbs parua, parum ſalubris, ſed celeberrimum emporium, quo &
acceſſus frequens eſt ex Hiſpania, & precioſæ merces conuehuntur, & multa auri copia, vbi multi
etiam habitant mercatores. Regionem habet fertilem, multoq; auro abundantem, & multis anima
libus varij generis. mare multas habet conchas margaritarum feraces, & ingentia cete, quorum ho-
minum habitus & ſermo eſt Hiſpanus. docet illam vrbem facile poſſe capi, ſi vexilla Cæſariana ere
cta ciuibus ſeſe oſtentent. At pręſes demonſtrat ſeſe ad componendas res, non ad labefactandas aut
ad pugnam veniſſe, & ad ſedandas controuerſias, quæ ſeruandis legibus per nimiam aſperitatem
Blaſci proregis fuiſsent excitatæ. Tantam futuram Cæſaris clementiam, nemo vt proditionis tur-
pitudinem & periculoſas inimicitias mitiſſimæ atq; honorificæ Cęſaris ipſius amicitię pręferret.
non videri eſse è dignitate Cęſaris in quempiam ſęuire antequam animi cuiuſq; fiat periculum.
Alphonſus Hinogioſa ſummus dux claſſis Pizzari audita comitate Meſſię, qua pręſidem excepe-
rant, ęgrè tulit, literasq; dedit indignationis plenas. Meſſias iuſſu pręſidis Panamam conuolat, ne
animi militum paulatim magis inflammarentur: is vniuerſum negotium Hinogioſæ exponit. ſic
placato Hinogioſæ animo pręſes Panamam contendit. cum Hinogioſa eiusq; ducibus res oppor-
tunas tanta prudentia agit, tantaq; comitate vt per conciliatam ſibi magnam beneuolentiam, &
autoritatem iam liberè obtineret quicquid vellet. eò deniq; peruentum eſt, vt præſes nuntium cũ
literis ad Conſaluum miſerit, quibus illum hortabatur ad odia deponenda, ad ſedandos tumultus,
ad placandosq; populos, qui propter nimiam ſeueritatem proregis tumultuabantur, cum Blaſcus
prorex nullas populorum querelas vel iuſtiſſimas, nullasq; rationes audire voluiſſet, monet ſe miſ-
ſum eſſe ad ſedandas diſcordias, antiquanda ac delenda Blaſci inſtituta parum mitia, & ad dandã ve-
niam omnium commiſſorum. Additæ ſunt literæ Cęſaris ad iſtud ipſum impellentes. At Conſal-
uus vt primùm ſignificatum eſt per Hinogioſę literas Pręſidem ad eam prouinciam applicuiſſe
ſtatuit legationes mittere ad Cęſarem, quę ipſum docerent rerum omnium euentum. ſic enim in
conſilio ſuorum decretum fuerat. Quę dum ita tractantur, Velia cæſi proregis frater, qui captus
fuerat per eam cladem tanta cum libertate in caſtris Conſalui verſabatur, vt vel venatibus vacaret,
obequitaretq; per vrbem. cęſo igitur prorege confluentibus ad Conſaluum Hiſpanorum & Indo-
rum copijs grauiter adminiſtrationem eius ferentium, frater eius Velia ita propè liber per indul-
gentiam Conſalui, cępit paulatim illi ſubtexere inſidias. at ijs patefactis capitis publicè condemna-
tur, pronuntiatumq; eſt per præconem quòd regem eſſet proditurus. Laurentius Aldana qui cum
literis mittebatur ad Cæſarem Panamam profectus cum pręſide & Hinogioſa veniens in collo-
quium, intelligit præſidis autoritatem, ac literas Conſalui vanas futuras ſi nauiget in Hiſpaniam,
quare pręſidis partes amplectitur. præficitur paulo poſt quatuor nauigijs cum trecentis militibus,
qui iuſſus eſt ad portum vrbis Perù appellere, ea metropolis eſt eius prouinciæ, & portum Re
iæ vocatum repentino aduentu occupare, ne Conſaluus his cognitis conſilijs opportunè prouide-
ret, aut captiuos trucidaret. defertur ſummum imperium Hinogioſę. Hi fœlici vento vſi nullibi
terram attingentes ad eum portum nauigant: Præſes certiores facit per literas præfectos vniuerſa-
rum regionum, iubetq; quanto maiora poſſent colligere auxilia. Conſaluus, etſi nihil intellectum
erat eorum, quę Panamę agebantur, tamen quia nihil iandiu Panama afferretur in magnam venit
ſuſpicionem bellicorum apparatuum, qua vel ſola commotus iubet ſuas copias parari, promptaſ-
que eſſe. Nec ita multò poſt nũciatur quatuor nauigia apparuiſſe, quæ explorata regione nullis re-
bus vel neceſſarijs captis mox in altum receſſerint. Id tametſi magnam afferebat ſuſpicionem belli,
tamen nulla diligentia à Conſaluo ſciri potuit, quia literæ interciperentur. Diegus Morenſis cum
Fruſſilenſibus ciuibus cũ multo commeatu apparatuq; armorum, audito Aldanę aduentu in por
tum Malabrigum, ad ea nauigia nauigat eo conſilio, vt ſi nauigia eſſent Conſalui ſimularet ſe ad res
nouas audiendas accedere, & ad ferendum commeatũ. ſin eſſent Cęſaris, ad ferenda auxilia. atq; ita
eò profectus vires coniungit. Pizzarus cognitis his bellorum motibus, ſuos & ipſe ad vexilla con-

uocat.

uocat. Caruagialem & Cepedam duces creat leuionum equitum. Sclopettarijs duos Ioannes præficit,alterum Accoſtenſem, Velezium alterum. Armatorum præterea cum ſariſſis tres duces conſtituit. Caſtrorum magiſtrum dicit Franciſcum Caruagialem,cui tribuit centum ſclopettarios.Tũ fit edictum per tympanorũ ſonitum ſub pœna capitis, vt omnes vrbis coloni cuiuſuis conditionis ad vexilla,& ad capienda ſtipendia conuenirent. Cenſi ſunt mille homines egregiè inſtructi. iubet ſuos duces per literas comparatis copijs quanto maioribus poſſent omnes vndiq; conuenire. Conatur profectas copias ad ſe tuendum per æquitatem expoſtulationis allicere. Docet quòd Aldana ad Cæſarem commonefaciendum de omnibus,quæ acta erant,miſſus totius prouinciæ nomine cum præſide contra mandata cõſpirauerat,& cum claſſe ipſius Pizzari etiã bellum inferret. Quòd præſes miſſus a Cæſare ad res componendas, ad pacem,& tranquillitatem eius regni,proprio cõſilio ac priuata autoritate cũ omnibus copijs,quas colligere potuit, arma mouiſſet,ut in omnes priſtini tumultus participes animaduerteret. Plurimi oĩum referre,cũ omnes interfuiſſent. Se ingreſsũ præſidis in nouas Indias profitetur pro viribus impediturum, quia Cæſar, vt cognouiſſet è Maldonato ad Cæſarem hac ipſa de cauſa miſſo, non abrogaſſet ſuam præfecturã, ſed tantũ præſidem miſiſſet ad regiam audientiam. Ad harum rerum cõfirmationem conuocatis peritis iuris ad conciliũ, diligenterq; põderata auctoritate præſidi conceſſa,ut appareret ęquitas cauſæ Pizzari, & quòd pręſes præter Cæſaris mandatum in eã prouinciã ingreſſus eſſet cũ armatis copijs, nauigiaq; occupaſſet, omnes duces præſidis partes ſecuti capitis cõdemnantur. Quæ dum ſtatuũtur apud Cõſaluum, nunciatum eſt Aldanæ nauigia Truſillo egreſſa ſe litoribus oſtentaſſe, quare mittit Ioannem Accoſtenſem cũ centum ſclopettariis equitibus, qui litora percurrerent, neq; aquari paterentur. Ille Truſillum vſque percurrit,atq; ad portum Diuæ Marthæ contendit,ꝙ ibi Aldanã eſſe intelligeret. Aldana ab Hiſpanis ratibus trãſuectis fit certior. Centum & quinquaginta ſclopettarios in inſidijs locat, qua tranſiturus erat Accoſtenſis. at per captos claſſiarios patefiunt inſidię. ea re cognita Accoſtenſis miſſis captiuis ad Pizzarum in portu Guãtæ mandata expectat. Pizzarus è captiuis humaniter tractatis numerum hoſtium claſſiariorum intelligit, & quæ Punamæ geſta eſſent, ac ſubſidia quæ præſes vndique ex Indijs acciuiſſet.His cognitis decernitur vt Accoſtenſis & Caruagialis cũ ſuis copiis per litora Caſſamalcam vſq; excurrerent, trecentis ſclopettarijs equitibus ſcilicet, qui dũ parantur ad iter caſtrorum Pizzari magiſter propter ſuſpectam fidem eius ducis Caruagialis iubetur cum Accoſtenſe cum ducentis & octoginta ſclopettariis idem efficere.Hi Barancam vſque profecti, quod eſt oppidi nomen, & Truſſillum,non procedunt vlterius, quod audirentur fieri multæ ducum ac populorum defectiones ab Imperio Pizzari ad Cæſarem. Cętenus è clade proregis elapſus anno ſuperiore in ſpelunca quadam latuerat propter metũ Pizzari.is cognito pręſidis aduentu collectis nonnullis reliquiis quinquaginta viris ſtrenuis ad vrbem Cuzcum capiendam contendit.inuitauerant enim ad hoc nonnulli è primarijs,a tq; ſeſe opem laturos fuerant polliciti. Sed enim tanta erat his armorum inopia,vt pugiones prælongis haſtis alligarent, ob ſariſſarum lancearumq; penuriam. ea re cognita Antonius Roblius Cuzcum conuolat. huius monitu præfectus vrbis trecentos armatos in aciem inſtruit in foro. Franciſcum Aquitrium mittit ad incurſiones in agrum faciẽdas, qui copiis cum Centeno coniũctis illum quę fierent docet.alia via pernoctem aciem ducunt. Qui vero cum Centeno aut mortem aut victoriam ſibi propoſuerant, mira virtute vrbem inuadunt.Vrbani milites ingenti ſtrepitu ſublato rem minime intelligentes mutuis vulneribus cæduntur. Centenus porta per operam vrbanorum patefacta detractis frẽnis armentum equorum magno impetu ab indis impelli iubet in aciem inſtructam,qui ordinem diſſipantes atque aperientes irrumpunt. qui equos ſecuti ſunt, hoſtes fuſos nullo prope negotio trucidant. primi qui terga verterunt, fuerunt milites conſultò negotio aſſentientes, quorum fuga non leuis iniecta eſt cæteris trepidatio. Conſaluus miſſo Ioanne Silueino inſtruendarum acierum magiſtro ad trecentos homines colligẽdos, decernit Accoſtẽſem contra Centenum mittere,quem ipſe cum reliquis copiis ſequeretur:habebat enim noningentos in caſtris. at Accoſtenſis copię nouitate rerum deterritæ in fugam fuiſſent conuerſæ,niſi capitali nonnullorum ſupplicio fuiſſent retardatæ. Cæſus eſt præter cæteros Antonius Altamiranus,quòd res bellicas ſubfrigide adminiſtraſſet,eiuſq; bona fiſco ſunt addicta,& prętorium vexillum Antonio Riberio datum. Pizzarus vbi videt ſuas vires paulatim imminui,ſeq; pene deſertum,quem antea populi omnes eius regni ſingulari obſeruantia proſequebantur,ciues omnes & milites qui aderant,hortatur ad ſeruandam fidem, ſocietatemq; defenſionis; cum diceret ſe pro focis & aris omnium antea pugnaſſe, nunc omnibus pugnandum eſſe pro libertate communi, pro vxoribus,pro filiis,facultatibus,patria,vita,ſanguine ac iugulis ſingulorum; quippe cũ ficta ſint & ſimulata ad capiendos incautos,quæ de concedenda venia a pręſide dicuntur. eius rei præclarum eſſe argumentum,quòd legationes ad Cæſarem a ſe miſſas Panamæ detinuiſſet. quòd literas ſpargeret multarum contumeliarum plenas.Quod armatus ſuam ipſius Conſalui diœceſim inuaſiſſet. quòd claſſem pecunia Conſalui coemptam vi occupaſſet: quę certe iniuſſu Cęſaris fieri pateret. ſe neminem cogere inquit vt ſuas partes ſequeretur,ſed volentes laudaturum, at decipientes habiturũ pro hoſtibus.Cum omnes ſeſe eius mandata expectare reſpondiſſent,iubet Accoſtenſem per montuoſas partes Cuzcum verſus caſtra mouere.interea nuntiatur Conſaluo claſſem ſeſe litoribus Reienſibus oſtentaſſe,cum ſit Reia vrbs ſatis ampla, portumque habeat tutiſſimum.atque fuit illa metropolis regni,donec Pizzarus ſine controuerſia rebus pręfuit,quòd ibi haberet hoſpitium.eo nuntio allato decernit Pizzarus copias in apertum educere, quare fit edictum ſub pœna capitis,vt omnes exeant ad bellum. Poſtridie eius diei cum ſua nauigia ad litus appuliſſent,copias educit. in litore caſtrametatur,ne quis faceret deſcenſionem. erant in caſtris quingenti & quinquaginta milites.

iubet

iubet octo equites latere in inſidijs, nequis literas contumeliarum plenas ſpargeret. ſequenti die Pizzarus nuntium ad Aldanam tanquam obſidem mittit, qui hortaretur Aldanam vnum è ſuis in caſtra mittere, quod quædam de rebus magnis eſſet communicaturus. eum miſſum Pizzarus nō admittit in caſtra, niſi per noctem. Nuntius admiſſus exemplum diplomatis præſidis attulit, atq; vniuerſam veniæ facultatem, quam Cæſar conceſſerat, & vt reuocabantur inſtituta, quæ fuerant cauſa eius tumultus. at nuntius ipſe nihil certe reportauit præter Pizzari querelas. Aldana per nuntium agit vt Pizzari milites veniam intelligant. duplicata exempla dat omnium ſtatutorum cum literis ad inſigniores duces. Hic alterum exemplum occultat in cothurnis, alterum reddit Pizzaro. nuntiat ſibi Aldanam ſuaſiſſe vt in ea caſtra diuulgaret, ſe tamen dediſſe verba Aldanę dum extorqueret exemplum, quod deferret ad Pizzarum. ſic per hanc ſimulationem, magnam beneuolentiam credulitatemq; diligentiæ aſſecutus clam literas diſtribuit. Pizzarus ab vrbe Reienſi caſtra mouet. pręficit vrbi Petrum Martinum, ſenem quidem hominem, at robuſtū & crudelem, natum in ignobili Hiſpanię pago Medellino. iubet hunc omnes qui reliqui eſſent in vrbe, quiq; iniuſſu Pizzari caſtra deſeruiſſent extremo ſuſpendij ſupplicio afficere. ille mandati diligentiſsimus obſeruator vel ſuis manibus quendam exanimauit moræ ſuſpendij impatiēs. Pizzari milites nihilominus percepto diplomate veniæ ad cæſarianos cōfugere. caſtra minui quotidie. vires debilitari. vrbes inſignia Cæſariana erigere. claſsis trāsfugientes excipere. miſſi ſunt qui & in caſtris Accoſtenſis exēpla diplomatis ſpargerent, procuratūq; varijs modis vt clementia Cæſaris in eos populos cognoſceretur. Pizzarus veritus ne trāsfugientibus ita multis ſolus relinqueretur, quinta caſtra mouet, ac locat procul ab hoſtibus. atq; res eò deducta eſt, vt dicerētur eſſe in caſtris non plures ducētis, iiſq; non ſatis fido animo, quippe quos timor potius, quā amor ibi retineret, cum etiā Reienſis vrbs ad cæſarianos defeciſſet. his ita ſuccedentibus, in nouo orbe vel nouis Indijs, res Germanicæ magna diligentia tractātur. exercitus vtrinq; colligitur nō ſegniter ad futurū bellū. Schertellus cum iis copijs, quæ iam exierant ad Fieſſam oppidū caſtra mouet. id ſiue cōtrouerſia capit. Cluſam inuadit. diſploſis nōnullis tormētis potitur. coll ecta erant a Madruccio, ad quinq; Germanorū millia, & ad Marinianio ad cuſtodiā Cæſaris, qui pugnæ cupidiſſimi à ſuis ducibus Artobrigæ detinebantur. Duces.n. nō ſatis tutum eſſe cenſebant propter imparitatem virium ſigna cum hoſtibus conferre. & profectò neq, prudentis Imperatoris eſt ſemina & initia bellorum ita inconſideratè fortunæ arbitrio committere, cum maximi ſit ponderis ad vniuerſum negotium, quam exiſtimationem initia ceperint, ne in ipſo veſtibulo bellorum animi militum conſternentur. fœderati infeſta ſigna Artobrigam verſus conuertunt cum ijs copijs, quæ iam collectæ fuerant in agro Alcimenienſi, atq; cum Cluſæ adiunctis præſidijs ad Inutrium occupandum contendunt, in cuius vnius expugnatione facilis ratio conſiſtebat expugnandorum aliorum locorum: quippe cum omnes aditus ſic occludi poſſent, qui in Boios iter patefaciunt, & qua ex Italia ac Tridento Inutrium acceditur. ſic vna ratione omnis ſubſidiorum facultas Cæſari & Inutrio fuiſſet intercluſa. Præfecti cognoſcentes quanti referret ad omnem rem bellicam vrbem illam ſeruare incredibili celeritate intra ſeptem dierum ſpatium duodecim millia armatorum colligunt, quorum nonnullam partem ad vrbis præſidia intromittunt. illa diligentia vrbanorum præfectorum cognita fœderati mutant ſententiam, ac neq; ſe oſtentant quidem mœnibus Inutrij. qui certè in Artobrigam recta petijſſent, poterant omnia ſemina ſurgentis in ipſos incendij diſſipare: eſt enim tanta vis, tantumq; beneficium celeritatis in rebus bellicis, vt ſæpe vel paruæ copiæ celeriter collectæ maximorum bellorum apparatum omnem hoſtilem diſſipauerint, certamq; victoriam creditam è manibus extorſerint. coniurati ita ſpe potiundæ vrbis fruſtrati ad Cluſam & Fieſſam oppida ſumma induſtria munienda animum conuertunt. Copiæ pontificiæ interea iter facere. tria Hiſpanorum millia in Apuliam ex Inſubribus contendere. nec ita multo poſt cum Neapoli adductis nauigia conſcendere, ad pagum Dalmatiæ vocatum Flumen deſcendere, atq; inde per Carinthiam & Valeriam Iapideſq; profecti in Noricum agrum peruenire. Fœderati præclare rei gerendæ opportunitatem interea per inſcitiam tranſmittunt. Nam ſi contēto paſſu Artobrigam adiuiſſent, Cæſar tam repentino hoſtis aduentu oppreſſus, cum nullas propè haberet copias, nullaq; bellica tormenta, vix vnum, atque illud non ſatis tutum remedium ſalutis videbatur habiturus, vt è Germania ſcilicet profugeret ſecundo Danubio. Quippe cum ſolos haberet primùm ſuos aulicos, & nobiles comitantes, in quibus nullum erat ſatis validum firmamētum. ſic enim fœderati in vnius vrbis expugnatione vniuerſum ſurgentium bellorum incendium erant extincturi. Sed quid prodeſt ignauis aut ignaris optimorum, celerrimorumq; apparatuum copia, & magnificentia? non enim ad picturam, ſed ad vſum, & ad res gerendas inſignes exercitus aut claſſes ſunt inſtruendæ. Lantgrauius tamen antequam arma publice tractarentur, ac dux Saxonum literas humanitatis plenas dederūt ad Cæſarē, cognitis ijs ingētib. apparatibus, quibus ſeſe cognouiſſe inquiunt velle Cæſarem in rebelles nonnullos animaduertere. ſe cupere fieri participes conſilij, quòd eſſent auxilia miſſuri. ſin ipſos fierent apparatus, ſe promptos eſſe iniecta per inuidiam crimina & accuſationes diluere: quibus Cæſar nihil reſpondit. Schertellus cum Auguſtanis copijs Tonauertam ſe contulerat, quæ ciuitas plurimum conferret ad rem bellicam, vt in ripa Danubij fluminis ſita, quippe quæ etiam propugnaculum Danubij à quibuſdam ſit appellata, nuperq; fuerat in fidem coniuratorum accepta, quòd à Cæſare ad nouam religionem defeciſſet. locus ille opportunus viſus eſt Schertello, vbi Lantgrauii & Saxonis copiæ coniungerentur, cum ibi etiam factus eſſet magnus Auguſtanorum apparatus bellicus, & Lyco fluuio potiretur, qui per illam vrbem defluit in Danubium, Sueuorumq; agrum à Noricis finibus diſterminat. Potiebatur per eandem opportunitatem Danubio, per quem Calegia & Alcimenio opulentiſsimis feraciſsimis vrbibus

Germanicæ res proſequū tur.

Imperatoris prima eſtimatio magni eſt momenti.

Celeritas vtilis in rebus bellicis.

omnis generis commeatus & res exercitui neceſſariæ aduehi poterant. Nam ſcitè opportunus lo
cus parandis copijs eſt eligendus non ſolum munitus aduerſus impetus hoſtium repentinos, ſi
qui fiant: ſed etiam qui non procul abſit ab eorum finibus, ne longitudo itineris facultatem præri-
piat rei bene gerendæ. Tum ſpectandum eſt, vt ibi ſit aquarum facultas, vt lignornm copia, vt cō-
moditas fluuiorum ad conuehendos vndiq; apparatus & bellica tormenta. vt ſuppetat copia anno-
nę, ne cito copiæ labefactentur inopia commeatus: quę ſi omnia haberi non poſſunt, ſaltem quan
to plura fieri poterit requirenda ſunt.

Loci eligēdi ad colligendas copias.

vbi Schertellus ibi aliquantulum caſtrametatus eſſet, Saxo-
nes & fœderati reliqui accedunt iu caſtra, quare breui collectus eſt è fœderatis omnibus ciuitati-
bus potentiſſimus, maximeq; formidabilis exercitus. Cæſari quoq; accedunt Germani complures
duce Alberto Caſmiri filio Marchione Aliſi cum magna turma armatorum equitum, cuius etiam
in caſtra quotidie noua accedebant auxilia. Sicamburgius vero ad Montem nigrum cum ſuis co-
hortibus profectus, vbi Xuarezbaltum vocant, non poterat niſi per ſummam difficultatem, pericu-
lumq; pertranſire, quod iter faciendum eſſet per agrum Alcimenienſem, quæ potentiſſima eſt vrbs
hoſtilis, vel per agrum Caritnorum principis potentiſſimi fœderatorum. vt autem vitarentur hæc
pericula magnus ambitus erat faciendus, cum eundum eſſet per oram lacus apud Gandurū Rhe-
tiumq; agrum, quod iter vt magis amplum, ita minus periculoſum apparebat. nunciatum eſt Cæ-
ſari Hiſpanos aduentare ex Inſubribus, cum quibus ſexcenti equites galeati accedebant duce prin-
cipe Sulmonenſi. tormenta quoq; complura in lintribus Iuliobona aduehebantur. Interea fœdera-
ti minime perſpecta opportunitate opprimendi repente Cæſaris antequam auditæ vires coniunge
rentur, fruſtra tempus abſumunt expugnandis oppidulis. Nam cum Artobrigam inuadere opor-
teret, vt cuius loci natura moleſta eſſe poſſet, neq; tamen eſſet munita, Rainum Caſtellum ducis
Norici, quod diſtat quinq; millibus paſſuum à Tonauerta, inuadunt illud nullo expectato conatu

Rainum oppid. captum.

hac conditione venit in deditionem, vt liberi milites exirent armati ad tympanorum ſonitum, ere-
ctis vexillis ad profectionem. ibi poſita ſunt firma præſidia, quę Neoburgo conuenerant. eſt autem

Neoburgi nomen.

Neoburgum noua ciuitas, ſicuti nomen ipſum ſignificat. atqui neceſſe eſt vt nouis nominibus vta-
mur aliquando oppidorum & vrbium & locorum, quoniam vel nouæ ſunt vrbes, vel certe nomi-
na mutauerunt cum amiſerint formam & ſitum ob frequentes bellorūm ruinas. eſt autem Neo-
burgum pagus Comitis Palatini quindecim milliaribus diſtans à Tonauerta, quod pontem habet
ſupra Danubium. Ferdinandus Romanorum Rex Artobriga Caſurgium peruenerat interea, vbi
Mauritius Cæſaris iuſſu, ſeſe accingebat ad agrum Federici hoſtiliter inuadendum, cum eſſet Mau-
ritius vnus è ducibus Saxoniæ pro Germanorum more, qui res omnes in tres partes diuidunt. Hic
perpetuas ferè inimicitias aduerſus Federicum vel coniunctum exercuit, quamuis quo tēpore bel-
lum hoc eſt inceptum, pax inter illos intercederet. Nam poſteaquam indictum eſt imperatorium
exilium duobus ducibus Mauritius coniunctis caſtris cum rege Romanorum decreuit Saxonum

Mauritius cū Cæſare conſentit.

principatum occupare, quod ſibi peraccommodatum videbatur, vtpote ſuo finitimum & coniun-
ctum. fœderatorum copiæ capto Raino oppido mox Lanſueto infeſta ſigna inferunt. illud oppi-
dum eſt ducis Norici inſigne, quod hoſtium conſilium vbi nunciatum eſſet Cæſari, minime cun-
ctandum ratus in tantæ rei magnitudine, quòd oppidum ſitum eſſet non procul ab Inutrio in via,
quæ Artobrigam ducit, qua parte regionis ipſe copias expectabat Italas, non procul à Bacenis, ſiue
deſertis Heluetiorum caſtra ponit. Nam ſi fœderati Cluſa iam potiti eam viam occupaſſent, Cæ-
ſar nullam aliam viam erat habiturus ad accipienda auxilia, cum facile poſtea fuiſſet Artobrigam
etiam expugnare. cum enim neceſſariò eſſent eà tranſituræ Hiſpanæ & Italicæ copię, ea ratione in
maximas difficultates rem Cæſarianam hoſtes erant adducturi. Cæſar vt maturè tanto periculo oc-
curreret, opportuneq; conſuleret laborantibus rebus ſuis, ipſe vexillis erectis ad profectionem ad
illud oppidulum defendendum properat, quò vertebantur vniuerſæ hoſtium vires. relictis igitur
Artobrigę quatuor millibus Germanorum, & vna Hiſpanorum cohorte, ac tormentis & apparatu
bellico, qui Iuliobona fuerat aduectus præfecto Pyrrho Columna ipſe cum reliquis copijs Lanſue
tum verſus iter capit. Cęſariana enim caſtra aucta fuerant Madruccij, & Marinianij aduentu, & Hi-
ſpanorum è Pannonia, & quinq; Germanorum peditum, duobus equitum millibus, quos Cæſar
ipſe collegerat. idcirco caſtra in loco tuto metatus eſt eo conſilio, vt ibi moratus impetus hoſtium
ſuſtineret, periculaq; propulſaret, & auxilia ex Italia aduenientia exciperet, ſi tamen ante hoſtes ad
uertarent, quorum caſtra aſſiduè augebantur. Scribit etiam literas ad auxiliorum pręfectos, vt quā-
ta fieri poſſet celeritate approperarent, vt cum primum opportuna facultas apparuiſſet, poſſet con-
ferre ſigna cum hoſtibus, quando res placidè non poſſet componi. Nam dicere ſolitum in caſtris
accepimus Cæſarem ſe vel viuum res Germanicas compoſiturum, vel mortuum omnino inter Ger
manos futurum. Fœderati cum intelligerent Artobrigam omnibus iam rebus neceſſarijs, firmiſſi-
miſq; præſidijs eſſe munitam, neq; poſſe auxilia Cæſaris impediri, quòd is caſtra bifariam diuiſa ad
illa excipienda in loco peraccommodata poſuiſſet, rati id quod erat, ſe in illas difficultates propter
ſuam tarditatem, & negligentiam fuiſſe adductos, conſulunt quid ſibi eſſet agendū. Federicus mul-
to faciliorem pugnam exiſtimās fore cum præſentibus copijs, quàm cum Italis adiunctis, qui non
procul eſſe dicebantur, cenſet omnino eſſe totis viribus dimicandum. At Philippus non eſſe irritā-
dum animum ducis Norici potentiſſimi, & non hoſtilis principis arbitrabatur, cuius in agro ca-
ſtrametaretur Cæſar: cum ſumma videatur iniuria quempiam intra fines alterius adoriri, niſi & il-
le hoſtem ſe eſſe profiteatur. tentandum eſſe prius, inquit, conſilium ducis, qui dux poſtea reſpon-
dit ſe non poſſe Cæſari ſuo principi non omnia commoda concedere, neq; tamen velle horum eſ-
ſe hoſtem, ſed ſemper fuiſſe ac fore amicum fœderationis. His rationibus adductus Philippi literas
ſuperbię

ſuperbiæ & minarum plenas per puerum æneatorem, qui epiſtolam proferret ad teli amentum alligatam in caſtra Cęſariana mittit, & ad Albani præcipuè ſummi ducis eius expeditionis tētorium, ſi cuti mos eſt vetus Germanorum belli denuntiandi. Illę literæ neque lectę quidem ſunt a Cæſare. Continebatur in iis, quòd Cæſar nulla accepta iniuria, ſed ſolo opprimendæ Germanię deſiderio impulſus Philippum & Germaniam hoſtiliter inuaſiſſet. Philippum non poſſe deeſſe tanquā Germanum principem totius Germaniæ ſaluti, libertati, ac defenſioni pro viribus, ſeq; paratum ſemper fore ad ſeruandam fidem, quam iuratus patriæ dediſſet; quare ſe facere facultatem inquit Cęſari, ſi velit, collatis ſignis dimicandi. Reſponſum eſt ab Albano Cæſaris nomine, non eſſe prudentis Imperatoris vti conſiliariis hoſtibus de ineundo prelio. futurum enim vt ſatis opportunè pœnas daret ſuæ temeritatis. atq; vt reſponſi vis apertius pateret, mittit impreſſam formulam Imperatorij exilij: quo reſponſo accepto fœderati omne conſilium vertunt ad impedienda Cæſaris auxilia. cum vero Italiæ cohortes non procul abeſſe dicerentur, Cæſar ad Ingolſtadium caſtra mouet, quæ vrbs maximi eſſe momenti videbatur, cum natura eſſet munita, atq; in ripa Danubij fluminis ſita ad cōmeatus, apparatusque bellicos excipiendos peraccommodata. Hæc vrbs ita nominata fuit, ꝙ extructa ſit ab Anglis inter Oceanum & Albim fluuium habitantibus. Cum non procul inde caſtrametatæ fuiſſent Philippicę copiæ, ne facilis acceſſus Italis concederetur, Bartholomæus Montius & Nicolaus Siccius cum ducentis equitibus pontem occupant vrbi finitimum. Miſſus eſt ex altera parte Thomas Coccapanus cum ſexaginta equitibus ad hoſtiũ conſilia exploranda. Illud cum ſummo ſtudio curaret, neque vellet niſi re cognita redire, abfuit per biduum a caſtris Cęſarianis. per idem tempus Italę copię, quę fuerunt decem millia peditum cum ſexcentis equitibus duce Octauio Duce Camerinenſi augent caſtra Cæſariana. accedunt & centum ac ſexaginta equites leuioris armaturę duce Alphonſo Areſtino Ferrarienſi, & ducenti a Florentiæ duce præfecto Rodulpho Baleono. acceſſerant & Neapoli atque ex Inſubribus Hiſpanę copiæ; ita vt caſtra Cęſariana iam iuſti exercitus formam accepiſſe apparerent, cum adeſſent in iis ſexdecim Germanorum, octo Hiſpanorum, decē Italorum millia; equites Boemi Ioannis Aliſi Marchionis ſexcenti. Prutenorum præfectus ducentos, Albertus Marchio octingentos, ita vt Marchionis Alberti, Archiducis, cæterorumq; principum equites ad tria millia accederent. Germani, qui ex Heluetiorum deſertis accedebant, in multas maximasq; difficultates incidebant propter locorum anguſtias, cum Philippici omnes aditus armatis militibus in illa parte occupaſſent. Cęſar iis copijs auctus caſtra mouet Lanſueto Artobrigam verſus ad capienda quædam tormenta bellica muralia & campeſtria. Relictis itaq; tribus Germanorũ cohortibus ad cuſtodiam tormentorum, dum attraherentur, mox accedit Ingolſtadium, vbi hoſtes caſtra locauerant. Sed enim antequam vexilla conuelli iuberet ad profectionem, iubet repente totis caſtris ad arma conclamari, omneſq; Germanas copias in duo agmina diuidit, in primam ſcilicet & poſtremam aciem. a dextra cataphractos equites conſtituit ad confirmandum exercitum, à ſiniſtra Italos locat & Hiſpanos. equites rurſus leuiores in duas turmas diuiſi exercitui vniuerſo præcedunt. ex Hiſpanis ſclopettariis & Italis mille collocati ſunt ad latus Germanorum, totidemque ad latus cataphractorum equitum, quorum dux ſummus dictus eſt Albertus Caſmiri filius. Cæſar ſic inſtructis copiis Ingolſtadium uerſus contendit, vbi caſtrametatæ fuerant Philippicæ copiæ. diſtat autem Ingolſtadium ab Artobriga quadraginta & quinque millibus paſſuum, quod iter tribus caſtris conficitur. primis decem milliaribus confectis, ſecundis tredecim, caſtra poſita ſunt apud oppidum Neoſtatum ſitum in ripa Danubij ob commoditatem traiiciendi, quia pontem habet ſupra fluuium. Sed quoniam pons eſſet anguſtus, ad maiorem celeritatem traiiciendarum copiarum, iubet Cæſar tumultuarium pontem excitari e lintribus qui in hos vſus caſtra ſequebantur. Ea dum fiunt a Cæſarianis, Philippici ex altera parte Danubij ad obſidendam Artobrigam infeſta ſigna conuellunt. Illo conſilio hoſtium cognito Cęſar mille pedites Germanos & quadringentos equites ſclopettarios Hiſpanos ſumma celeritate mittit, qui eadem nocte vrbem ingrediantur: quibus præſidiis vrbs ita confirmatur, ut poſſet omnes conatus hoſtium refrenare, donec Cęſar cum vniuerſis copiis opem ferret. Philippus certior factus Artobrigam vrbem nouis præſidijs eſſe munitam, Cæſaremq; cum omnibus copijs ſubſequi, qui diſtabat tantum quindecim milliarib. atq; fluuium erat traiecturus, excidit prorſus de omni ſpe potiundę vrbis, quia videbat ſe hinc ciuitatem, inde hoſtilem exercitum habiturum eſſe, quo facile cōmeatus facultas poſſet intercludi. ad Ingolſtadij igitur expugnationem ſigna conuertit. Cæſar quòd intelligeret anguſtias quaſdam viarum perdifficiles eſſe hoſtibus tranſeundas, tria mittit ſclopettariorum millia & octingentos equites leuiores ad eos retardandos, dum ipſe cum reliquis copijs ſubſequeretur, ſi quam opportunam dimicandi facultatem locus ille ſuppeditaſſet. at Philippus contra tanto ſtudio, tantaq; celeritate anguſtijs nemorum ſuperandis utitur, in quas imperite ſe intruſerat, ut indēnis omnino euaſerit. Nā profecto periculoſum eſt vel potentiſſimis exercitibus ſeſe intra anguſtias montium, aut viarum, aut paludum includere, vel occupatis prius ipſis anguſtiis, cum facile poſſint intercludi, &, vel ab inſequentibus hoſtibus, vel ab obuiis fundi; cum vniuerſus exercitus nondum pertranſijt Philippici vbi in planitiem exiere ex anguſtijs copias in aciem inſtruunt, vexilliſq; ad profectionem erectis Ingolſtadium petunt, vbi erant in præſidijs ducenti pedites, & totidem equites Norici præfecto Petro Guzmano viro Hiſpano. Cæſar intra biduum per pontē veterē & tumultuariũ ſuppoſitis trabibus, cathenatiſq; lintribus Danubium traijciens caſtra in quadam valle, & ſuper colle Danubio propinquo locat, qui locus diſtat ab Ingolſtadio circiter decem millia paſſuum. Fuit maximi momenti ad vniuerſas res bellicas Cęſaris traiectus, cum hoſtis non ita libero agro potiretur, ac demōſtraret Cæſar ſe neq; timere hoſtē, neq; deuitaturũ pugnā cũ opportuna loci facultas daretur. Albanus ibi ad

vilam

Literæ Lantgrauij ad Cęſarem.

Cæſaris reſpōſum Lantgrauio.

Ingolſtadiũ vnde dictũ.

Auxilia Itala miſſa Cæſari.

Cæſaris acierũ inſtructio

villam quādam perpetua foſſa, & reparationibus ductis caſtra munit, vbi per triduum moratis Cęſarianis nunciatur hoſtis ad ſex millia paſſuum diſtantia ab Ingolſtadio ab altera parte vrbis caſtra poſuiſſe. Cæſar Sulmonenſem regulum cum ala expeditiſſima equitum leuiorum, & Antonium Toletanum cum ſclopettarijs equitibus mittit ad exploranda hoſtium conſilia. Hi nonnullis vrbanis ſe addentibus leue prælium cum hoſte committunt in parte ſiniſtra fluminis inter nemus. Certatur acriter, modo vera, modo ſimulata hinc inde fuga. tamē ad extremum Cęſariani partim locorum imperitia, partim nouis ſubſidijs hoſtiū ſemper accedentibus fatigati amiſſis, & captis nonnullis recedere compelluntur. atq; niſi pontificius equitatus laborantibus eorū rebus opem tuliſſet, ad vnū cecidiſſent in eo prelio. plurimum vero attinebat, vt Cæſar quamprimum Ingolſtadiū euaderet, ne vrbs in periculo poſita, in poteſtate hoſtiū deniq; relinqueretur, quæ poterat magno eſſe impedimento quominus Maximilianus comes Lutiburorum cum Cæſare caſtra coniungeret, quare neceſſe fuit Cęſari caſtra mouere. at enim cū maximè ſit neceſſarium illi, qui vicinū potentioremq; habeat hoſtem in ſitu tutiſſimo, ſi poſſit, caſtrametari ad omnes impetus conatusq; hoſtiū reprimendos, Cæſar præmittit qui duos locos ad caſtra explorarent. alterum ab vrbe diſtantem circiter mille paſſus, alterū ab altera parte vrbis non procul ab Ingolſtadio. vt autē his locis commodius potirentur Cæſariani, præmiſſus eſt Caſtalius caſtrorū eligendorū magiſter pridie eius diei, quo erāt caſtra mutaturi, qui locū caſtris deſignaret. Cæſar poſtridie ſumma celeritate diligētiaq; caſtra mouet omnibus copijs in priorem aciem tantum inſtructis. Itali, Germani, Hiſpani quotidie viciſſim mutant regiones caſtrorū, vt omnis illorū controuerſia de ſitu tolleretur. Cæſarianis proficiſcentibus adhuc ad hæc ipſa caſtra Albanus cū viginti equitibus Ingolſtadiū peruenit. altera caſtra diligētius explorat, locū deſignat, & regiones ſingulis nationibus. Philippus cū ſuis leue prælium feliciter ſucceſſiſſet iubet Gulielmū Furſtemburgenſem inſtaurare præliū; qui nonnullis ducibus ſibi adiūctis cū lectiſſimis peditibus, & equitibus tanta virtute, tamq; alacriter Cæſarianos inuadit, tamq; conferto cū globo armatorū, vt Cæſari nuntiatum ſit hoſtē cum vniuerſis copijs pugnaturū aduentare, quamobrem iubet & ipſe vniuerſas copias in aciē iuſtrui, Albanū precedere, hoſtiū conſilia diligenter explorare, ſe certiorem facere. ipſe interim frontem exercitus firmat intra caſtra. locū legit ad pugnam tormentis in apta loca, & equitibus ac peditatu diſtributis. atq; ibi expectans inuaſurū hoſtē conſiſtit. cum hora iam tardior videretur, neq; amplius opportunū tempus ad cōmittendū prælium, Albanus nunciatum mittit, vt ad alia caſtra acies procederent, ſicuti ſtatutū fuerat: quòd hoſtis intra ſuas munitiones ſe recepiſſet. Cęſar cum intelligeret quanti referret, vt eo die potius, vel tardè, quàm vt poſtridie caſtra occuparet, eamq; noctem, & partē ſequentis diei ſibi vendicaret ad illa cōmodius inſtruenda, cū vniuerſis copijs eò cōtendit, cū Ingolſtadium vrbē à tergo eſſet habiturus. A fronte palus erat perampla. omnis equitatus inter ſyluam conſiſtit, quæ erat in ſiniſtra parte apud Danubiū, & inter fluuium, apud quem erat agmen Italorū, & Germanorū peditum citra foſſam præaltam. vltra, omnes Hiſpani, & pars quędā Germanorum, & Italorū, cum reliqui apud męnia fuiſſent caſtrametati. atqui cū à dextra, & à fronte pars agri aperta haberetur, quamuis tota nox cōſumpta eſſet ducendis foſſis, vallisq; caſtrenſibus atq; erigendis aggeribus, Albanus antequā dies plane illuceſceret ambas eas partes diligēter explorat, vt, ſi quid erratum eſſet, emendaretur; cū multis rationibus hoſtis adduci poſſet ad illa caſtra inuadenda. Sed Philippus viribus potius, quam vlla militari ratione fretus nullam inuadendi hoſtis opportunitatem obſeruat; quippe qui non modo cōmune eſſe belli periculū non intelligeret, ſed etiam temere auſus eſſet promittere fęderatis ſe ſe intra triū menſium ſpatiū eiecturum eſſe è Germania Cęſarem, vel captiuū ducturum. Eius promiſſis cum eſſet creditū, collecta ſunt circiter octoginta peditū, quindecim equitum millia, bellica tormenta tradita centū, & triginta, atq; tanti faciebant iam Cæſarianos Philippici, vt palantes nonnulli vagarentur, ſtationemq; haberent, vbi libuiſſet equites nonnulli, neq; conarentur prorſus Cæſarianorū conſilia impedire. Cæſar eo die cōmoratur in ijs caſtris cōparandis illis, quæ neceſſaria viderentnr intentus, cū milites aſſidue armatos haberet, vereretur q; ne propinquus, hoſtis in loco nondum ſatis tuto caſtra adoriretur, qui non plus quinq; millibus paſſuū diſtans in loco munitiſſimo fuerat caſtrametatus. Philippus ob imperitiam rei militaris tam opportunam inuadendi hoſtis facultatem prætermittens poſtea inductus eſt in ſummas difficultates cum rerum omnium iactura. Non enim in colligendis magnis exercitibus ſolùm, aut in comparandis claſſibus, aut caſtris in tutiſſimo loco legendis, & muniendis conſiſtit virtus imperatoria, ſed multo magis in arripiendis opportunitatibus, quæ ſeſe offerunt rei præclare gerendæ. Plus enim vtilitatis afferre poteſt aliquando ſitus, ac momentum temporis, quàm vniuerſa ratio reliqua bellandi. Nam, vt paruus ignis, & ſucceſcens adhuc facile extinguitur, qui poſtea vbi latendo vires aſſumpſerit proxima quæque deuaſtat, neque poteſt niſi cum ſummo periculo reſiſtentium retardari: ſic bellorum initia aliquando ſupprimere facillimum eſt, at vbi paulatim accedentibus auxilijs ſunt adaucta, non niſi cum ſummis populorum periculis opprimuntur. Habebant Philippici à dextra parte caſtrorum fluuium, qui in ſemiplenæ lunæ orbem caſtra circundabat. à fronte paludem, & oppidulum quoddā quod caſtra tuebatur in ripa fluminis ſitum. a tergo ſylua erat prægrandis, apud quā collis leniter ab imo ſurgebat accliuis, ad cuius radices vtrinq; reliquę copiæ fuerant caſtrametatę, vbi Philippici omnia bellica tormenta erexerant. Poſtridie Cęſar Octauium Farneſium cū ducentis equitibus ad excitandos hoſtes ad leue prælium mittit, & ad eorum caſtra exploranda. vētum eſt ad Schertelli milites. inito prælio cum modo hi, modo illi cedere cogerētur, Cæſariani deniq; nulla re memorabili facta ad ſuos in caſtra redeunt. Farneſius nuntiat quæ viderat. Cæſar eadem nocte mille, & quingentos Hiſpanos ſclopettarios mittit, qui cæſis multis ex hoſtilibus excubijs inter ſe

B mox

Caſtrametatio Cęſaris ad Ingolſtadium.

Copiæ coniuratorum.

Imperatoris prudentia quam neceſſaria rebus bellicis.

Caſtrametatio coniuratorum.

mox arma couertũt per inſcitiã ob noctis obſcuritatẽ, mutuiſq; vulneribus cõfodiũtu r. Cũ Schertellus deinde ſtipẽdia eſſet daturus militibus earũ ciuitatũ, quarũ nomine dux erat creatus, viſũ eſt copias extra aggeres eſſe ducẽdas ac cẽſendas, ne Cæſarẽ prius inde diſcedere pateretur , quã fortunã eius belli tẽtaſſent. interea datus eſt Cęſari locus muniẽdi caſtra, dũ hoſtis ita ſegniter tractat res bellicas. Philippus tñ errore cognito Cæſari propinqua caſtra ponit. neq; plus ſpatij tribus millibus paſſuũ intererat inter vtraq; caſtra. Nã vbi ſuper quibuſdã collibus cõſtitiſſet, quos Cæſar occupare decreuerat, in loco etiã tutiore caſtrametatur. deinde cũ proceribus cõſulẽs quid eſſet agendũ Cæſar, iubet Sãdęũ cũ duobus millibus ſclopettariorũ per ſyluã quãdã trãſuerſè ꝓfectũ paulopoſt mediã noctẽ hoſtiũ caſtra inuadere, qui cęſis primis excubiis, magnã facit in hoſtes impreſſionẽ, tãdiuq; obuios trucidat, vt copiis in aciẽ inſtructis paucis è ſuis amiſſis cũ capto vexillo equitũ ad ſuos redierit. Cecidit in ea pugna è Philippicis Rodericus Craterus, & Riccius Ioãnes inſignes. ea re cognita moti ſpe gloriæ, quæ maximè omniũ ſtimulorum vel in tela hoſtiũ mortales impellit, & in aperta pericula, Octauius Farneſius, Io. Baptiſta Sauellus, Alexãder Vitellius Romanarũ copiarum duces inſignes anteaquã illuceſceret, ſtatuũt planitiẽ quãdã in dẽſiore parte ſyluę occupare, ibique locũ ad inſidias eligũt cũ mille, & quingẽtis peditibus, equitibus ſexcẽtis. eodem conſilio Philippus Guhelmũ Tubeſirnũ cũ duobus millibus ſclopettariorũ, Ioannẽ Sergenũ, & Iacobũ Haccii, aliosq; duces cũ ſexcẽtis equitibus ad morẽ leuiorũ armatis, cũ ſclopettis. ſ. & telis haſtatis (verutis pro patriæ ipſorũ conſuetudine mittit. Hi obuii inuicẽ facti prælių ineunt atrociſſimũ, fortunaq; ſæpius hinc inde alternante victoriã, deniq; Cęſariani virtute, & numero Philippicorũ ſuperati coguntur ad pagũ quendã ſe recipere, atq; inde mittere, qui peterẽt auxilia à Cæſare. His reſpõſum eſt, nolle Cæſarẽ fortunã belli eo die experiri. ſuæ priſtinę virtutis, & prudẽtiæ recordarẽtur. quoquo modo poſſent ſalutẽ ſibi cõpararent. Illi diu reſiſtẽtes cũ ignis vndiq; malleoliq; iniecti pagũ incẽdio abſumerẽt, coacti ſunt ſibi viã ferro per medios, & cõfertos hoſtes aperire. Cæſi ſunt è Cæſarianis cõplures, & calones, lignatores, pabulatores, lixæ capti. reliqui ex ea clade multi in caſtra ſe recipiunt. Captus eſt Bartholomæus Mõtius inſignis. e Philippicis quoq; nõnulli deſiderati ſunt. Diſtabãt inter ſe caſtra circiter tria millia paſſuũ, inter quæ fluuius multis in locis oblongos, multipliceſq; anfractus cõtorquẽs traiiciẽdus percurrebbat, iiq; Philippicorũ magis, quàm Cæſarianorũ caſtra cõplectebantur. ea re fiebat, vt non poſſent vtriq; niſi traiecto flumine ad leuia certamina excitari. His ita ſe habẽtibus cogitabat Cæſar qua ratione fieri poſſet, vt magis hoſtẽ infeſtaret. cũ ſciret ſibi vtile fore, vt è tã munito loco hoſtis abduceretur, quod tamẽ palã non audebat tentare, cũ ſuæ copiæ multo eſſent inferiores numero, ſciretq; ſibi opus eſſe arte potius quàm aperto Marte cũ hoſte pugnare. Philippici die poſtero caſtra locant propinqua Cæſarianis circiter mille paſsus, inſtructiſq; copiis ad profectionẽ cũ tormẽtis, quę per liberã apertamq; planitiẽ trahi cõmode poterãt, fluuiũ traiiciunt, atq; in formã lunæ ſemiplenæ iter faciũt, quod facile & amplitudo loci, & copiarum numerus patiebatur. Enimuero forma illa lunaris exercituũ maxime formidabilis apparet, ſi in apertiſſima planitie procedat, cũ vndiq; videatur hoſtẽ circumuenire velle. at niſi e maximo copiarum numero cõſtiterit, multo debilior omnibus propè alijs figuris efficitur, cũ diſſipati fere ſint milites ſi pauci exiſtãt. equitatus in quinq; turmas fuit diuiſus. præerat dextræ turmæ Herneſtus regulus, & Brocardus ad ripã Danubij, & apud paludes, quæ cõſtabat e duobus millibus equitũ, opponebaturq; ſiniſtræ Cæſarianorũ, atq; habebat decẽ bellica tormẽta. in ſiniſtra turma erãt cũ viginti bellicis tormẽtis, & pari equitũ numero Ioannes Bonicauus, & Gãgulphus Filinguus. Tũ paulopoſt ſequebatur Georgius Roccherotus cũ pari numero equitũ, qui vniuerſum peditatũ ab eo latere includebãt, ac protegebãt. ab altero latere cũ paribus turmis procedebãt duo Theodorici, hic Marcellus, ille Peſirdus peditatũ pariter intrudẽtes. Sic vniuerſę copiæ Philippicæ procedebãt, trahentes in agmine tormẽta in hoſtẽ cõuerſa. vbi copiæ domui cuidã Cæſarianis caſtris vicinæ propinquaſſent, quæ nõ ampliore ſpatio duobus ſtadijs diſtabat ab aggeribus valliſq; Cęſarianis, Hiſpani quidã ſclopettarij viſa hoſtiũ multitudine ex illa domo in caſtra refugiũt. Philippus vbi neminẽ exire e reparationibus intueretur, diſploſis nõnullis tormẽtis in caſtra Cæſariana, quæ poterãt a quatuor lateribus diuerberari, ibi cõmoratur, ac tormẽta in hoſtẽ dirigit. Cæſar iubet ſuos in aciẽ inſtrui cognito hoſtiũ aduẽtu, militeſq; hortatur, vt forti lætoq; ſint animo , neq; vel numerũ , vel clamorẽ hoſtiũ formidẽt, cũ nihil horũ ſit, quod virtutẽ, & fortitudinẽ ac prudẽtiã ſuperare poſſit. Albanus iubet foſſarũ caſtrẽſiũ aggeres inſtaurari, qui nõnullis in locis exeuntiũ, & ingrediẽtiũ pedibus fuerãt cõculcati. imperatũ eſt ſclopettarijs ne diſploderẽt ſclopettos, niſi in propinquũ hoſtẽ. Ductus eſt agger etiã qui à duobus lateribus aduerſus hoſtẽ exercitũ protegeret : atq; aduerſus tormẽta erecti ſunt corbes multi perampli gleba repleti, permultæq; arbores cęſæ ad vallos faciẽdos. his operibus reparationibusq; faciẽdis milites viciſſim permutabãtur aſſidue intẽti per duos dies ac totidẽ noctes, qui ſibi alterne ſuccedebãt ad laborẽ & quietẽ. Cæſariani pro regionibus caſtrorũ ſuos in aciẽ inſtruũt ita, vt Hiſpani eſſent à frõte, paludẽq; haberẽt à ſiniſtra. à dextra erãt Germani cũ prẹualido Hiſpanorũ ſclopettariorũ globo. à tergo Itali, vbi caſtra flectebãtur, cuius loci nõnulla pars erat intra illã munitionẽ, quæ fuit intra paludẽ erecta. Et qm̃ ſpatiũ quoddã copiarũ Madruccii apertum erat, ac ſine vllis reparationibus ad vrbem vſque, illud & carris, & lintribus, & pontibus clauditur, quod ſpatium cum non ſatis munitum videretur propter amplitudinem, munitum eſt etiam equitatu in quatuor turmas diuiſo; vt ſi equitatus hoſtium in eã partem irrumperet, facile loci reparationumq; beneficio ſuſtineri poſſet. erat ille ſitus peraccommodatus hoſti ad conferendũ prælium, quippe qui tum per aggeres foſſarum parum extolleretur, tum etiam ſpatia quædam haberet relicta inter ipſa agmina. Philippici quòd neminem exire audere cernerent; lætari. tormenta diſplo-

Acies in lunam inſtructæ vis.

Ordo acierũ procedẽtiũ.

Caſtrametatio Cęſaris.

ſa diſplodere, creberrimis ictibus caſtra Cæſariana infeſtare, tantam globorũ tempeſtatem, tamq; horrendam procellam effundere, tantoq; cum ſtrepitu, vt omnia circũ contremiſcere viderentur. Sed Cæſariani tormentarũ bombũ minime formidantes, quem propter multorum bellorũ vſum facile perferebant, cum preſertim paruam militum iacturam importaret tanta globorũ frequentia, non ſolùm intrepidi conſiſtunt in caſtris, ſed etiam è reparationibus allecti pugnandi deſiderio cum hoſtibus pugnam committunt. in Gallia verò cum arma infeſta mota eſſent à Britãnis, multaq; prælia hinc inde feliciter commiſſa, poſt multas. cedes pax deniq; componitur inter Franciſcũ Gallorũ & Henricũ Britannorũ reges. ſumma conditionum fuit, vt Gallus intra octo annos diſſolueret Britanno viginti, & quinq; millia librarum auri, cũ libra centũ aureos nũmos continere cenſeatur. vt in conditionibus pacis Scotia incluſa contineretur. vt poſt octauum annum ſolutamq; pecuniam Cæſoniacum nauale ſiue Bolonia reſtitueretur. Cæſar interea recognoſcit, vt Albanus copias inſttuxerat, ipſe armatus in equo nunc ante ſuam turmam conſiſtit. nunc Germanos, nunc Italos, nunc Hiſpanos viſit. vt forti ſint animo hortatur: qui mira virtute hoſtium conatus cum viderent adeſſe Cæſarem. contemnebant. Plurimi enim refert in difficultatibus ſummi imperatoris preſentia, qui vere eſt anima exercitus, & robur militum. neq; aliud eſt quod poſſit tantopere ad gloriam, & ad honoris deſiderium milites excitare, quàm ſi cognouerint non in obſcuro loco rẽ agi, ſed in conſpectu ipſius principis, & vniuerſi exercitus, inq; multorum populorum præſentia. Hæc ipſa res, hoc ipſum inquam gloriæ deſiderium, impulit Alexandrum Vitellium, & Io. Baptiſtã Burghenſem in magis denſum, magisq; confertum agmẽ Philippicorum tanta ſtrenuitate, tantaq; animi magnitudine, vt Philippus horum virtutem admiratus dixerit, quòd ſi tantæ ſtrenuitatis eſſent omnes Cæſaris milites, neq; tota quidem Europa poſſet Cæſarem e Germania dimouere. Ita inflãmati ſunt eo dicto nonnullorum Germanorum animi, vt fortiſſimè horum temeritati reſtiterint, multosq; nimis audacter irruentes trucidauerint. Nam profecto nulla audacia laudabilis eſt, quæ ſit à prudentia virtuteq; ſe iuncta, cum omnis laus cum virtute conſiſtat. Qui verò ſolus plures inuadat, niſi propoſita inſigni aliqua vtilitate, aut neceſſitate, vt fecit Cocles, aut qui gloriam ita appetat, vt propter eam vitam inconſultò profundat, ille magis ſtultus, & vitæ prodigus quàm fortis iudicandus eſt. Philippus cum per crebritatem ictuum non poſſet dimouere aut cogere hoſtes, vt caſtra mutarent, ac neq; illud quidem conſequeretur vt priuatorum quiſpiam militum è ſuo loco diſcederet, cenſet deniq; aliud conſilium eſſe capiẽdum, atq; copias in caſtra reducit, quæ duo millia paſſuum diſtabant à Cæſarianis. Dum caſtra Cæſariana tormentis impeterentur, Albanus Hiſpanos ſclopettarios extra aggeres collocarat, iuſſeratq; ab ea parte, quæ proſpectabat paludem cum hoſtibus ſeruantibus tormenta leue prælium inire: qui tamen nulla re memorabili facta redeunt in caſtra, Philippus tormenta contraxerat apud villam quandam apud Danubium diſtantem a caſtris Cæſarianis circiter ſexcentos paſſus, apud quam ſecundo fluuio fuerat caſtrametatus, perpetuoq; aggere ducto tormenta, & tentoria incluſerat. Neq; mirandũ eſt quod Cæſar equitatum intra aggeres, & foſſas incluſerit, cum libera, & aperta planities alioquin equitatui magis conueniat, quàm clari, & carceres, & foſſæ, inter quas potius peditatus aduerſus equitatum eſt includẽdus, cũ foſſæ atq; aggeres ita eſſent humiles, & paruæ, vt vel ab armatis equitibus facile poſſent tranſiliri. ferunt cenantem Philippum, multaq; locutum de preterito prælio prouocaſſe poculo Schertellũ Germanico more in honorem eorum, qui tormentis fuiſſent laniati. Huic Schertellus reſpondit magis conuenire in houorem viuorũ, qui neq; e veſtigio quidem per vim armorum ceſſerint. fuit tamen Schertelli conſilium vt tota caſtra Cæſariana inuaderentur, cui Philippus non aſſenſit. ita inutile eſt plures imperatores eſſe in caſtris. at Cæſariani iubent omnes carros exire ad conuehendos per eam noctem faſciculos lignorum ad caſtrorum reparationes diligentius inſtruendas, atq; ita caſtra muniunt, vt tuto iam intra aggeres eſſe poſſent. Albanus eadem nocte foſſam dilatari iubet, atq; ex ea parte, qua caſtrametati fuerant Hiſpani, magis hoſti propinquat. Sic pars illa caſtrorũ, quæ heſterno die aperta fuerat, efficitur & magis clauſa, & magis tuta aduerſus conatus Philippicorum. poſtero die antequam ſol conſurgeret, aut terram primis radijs illuſtraret, Philippus eadem ratione copias è caſtris educit. ad prælium Cæſarianos prouocat. vndiq; inſtructa acie caſtra cingit. cunctantes tanta globorum frequentia diuerberat, tantaq; tempeſtate, vt omnium fidem atq; credulitatem ſuperaret. exeunt e caſtris Cæſarianis complures ſclopettarij pauloipoſt. minutum prælium in aperta, liberaq; planitie committunt. Philippus cum ſuos inferiores eſſe numero videret, Nicolaum Bernardum, Georgium Roccherottum, Golphangum Golduchorum cum mille equitibus in tres turmas diuiſis ſubſidio mittit. prima turma habuit equites centum, qui ſoluti expeditiq; incedebãt. aliæ duæ ſuccedebant ordine. Hiſpani ſclopettarij trecẽti erãt in prima acie, at in poſtrema quingenti. primi equites ſoluti in ſclopettarios impetum faciunt incredibili alacritate, atq; cũ pedites ſclopettarij præſertim facile vincãtur ab equitatu in planitie, tamẽ ita tũc Hiſpani priores equites excipiũt vt eos in fugam verterint, coegerintq; ſecundã turmã moueri. ea mota eſt cum vexillo ad ſuos protegendos. Sed & in hanc tantam effundunt glandium procellam, vt totam aperuerint, compulerintq; terga vertere. mota eſt tertia cum vexillo prætorio, & non minus iacturæ illa quoq; patitur, quare, & ipſa cedere coacta eſt, atque intra aggeres fuit repulſa. Illud facinus ſane fuit memorabile, cum alioquin longo interuallo virtus equitum in planitie præſertim, & in equis locis ſoleat antecellere: atque ita patuit quàm debiliores ſint ſeparatæ, quàm coniunctæ vires: quæ ſi vno tempore in Hiſpanos impetum vndique feciſſent, vel multo maiorem numerum ſclopettariorum conculcaſſent. Cæſar neq; illo quidem die voluit vniuerſam belli fortunam experiri, quòd ſuæ copiæ multo eſſent numero inferiores, quia tribus peditum millibus, trecentis equi-

*Pax Gallorũ regis cũ Britanno.*

*Imperatoris preſentia, & induſtria, vt vtilis.*

*Fortitudo q ſit.*

*Schertelli nobile dictum.*

*Sclopettariorũ Hiſpanorum virtus.*

*Error bellicus.*

tibus, duodecim muralibus tormentis aucta eſſent hoſtiũ caſtra, qui liberarum ciuitatum ſtipẽdia Canoduri, & Argentorati merebantur. Sed animũ, & audaciam ſuis auctam è prioribus prælijs intelligens, vt magis hoſtem infeſtaret aſſiduitate præliorũ, iubet foſſam caſtrẽſem duci propinquiorem hoſtibus, quem cũ Philippus propinquare vidiſſet, neq; poſſet crebris ictibus tormentorũ, vel vllo artificio cõpellere, vt totis copijs dimicaret, in alia caſtra ſe recipit, quę hinc duodecim ſtadijs ab Italis, inde circiter duo millia paſſuum à Cæſarianis diſtabant, cũ non paruo Federici, & Schertelli mẹrore, qui omnino inuadenda eſſe caſtra Cæſariana cenſuerant antequam munirentur. ea nũc ita erant foſſis, atq; aggeribus altis offirmata, & munita, vt non modo nõ offendi, ſed etiam, vt offendere hoſtem poſſent; qui erat in loco magis aperto, & nudo caſtrametatus, cum viribus potius, quã vlla arte aut induſtria militari vincere ſtuderet. atqui inſulſum eſt, vel potius dementis, vbi tutò hoſtis vinci poſſit per dolũ, ſe potius exponere apertis periculis roboris oſtentandi cauſa, cum multo laudabiliores iure ſint, qui per calliditatem, & prudentiam exercitũ ex hoſtium faucibus eripuerint, quam qui per ſanguinem, & ferrũ ſibi viam aperuerint, cum iſtud euitare poſſent. eſt enim laudabilior exanguis, quàm cruenta victoria. atq;, vt vno verbo dicam, ego non quidem vulpi pellẽ leoninæ, vt putabat Lyſander Spartanus, ſed multò magis leoninam vulpinæ aſſuendam cenſeo. Albanus cum duo millia haberet in caſtris operarum è Boemia, eadem nocte foſſam perpetuam duci iubet, atq; ita caſtris Philippicis propinquat, vt nõ maius ſpatium quadringentis paſſibus inter vtraquẽ caſtra intereſſet, quæ diligentia plurimum natura terræ iuuabatur, cum per illud interuallum operarij protecti poſſent procedere, ad quorũ etiam cuſtodiam erant deſtinati complures ſclopettarij. Philippici tormenta dirigunt ad eam foſſam impediendam, ſed nihil magis diligentiæ remittitur. decreuerat Cæſar etiam mittere qui Heluetios hoſtes parũ accuratè tormenta quædam cuſtodientes inuaderent, ſed quia Philippici inſtructis copijs eodem ordine procedunt, caſtraq; pluribus è partibus quàm antea diuerberant, mutatur conſilium. atq; ipſe Cæſar conſtiterat ad propugnaculum, quod erat à fronte inter Inſubres Neapolitanasq; copias, quæ regio illis nationibus erat aſſignata, vt proſpectaret, quò res tenderet. in hos plures globi ſunt coniecti ſine multis cędibus, multaq; pericula viſa ſunt Cæſari imminere: nam, & illi propinqui milites fuerunt globis dilaniati, & & eius tentorium cubiculumq; caſtrenſe perforatum. vbi Philippici diu caſtra ita diuerberaſſent, mittitur ab Albano Alonſus Viues cum quingentis ſclopettarijs ſui Tertij ad excitandũm leue prælium. vt enim Romanorum legio, ac Macedonũ phalanx certum continebat armatorũ numerum, ſic Tertium apud Hiſpanos, apud Germanos vocatur Regimentum, militaris præfectura, quæ decem vexilla peditum continet. certatur acriter. Cæſariani primam foſſam caſtrorum prætereunt, atq; impetu facto, multiſq; trucidatis ex hoſtibus victores in caſtra redeũt. Cæſar, vt hoſtem aſſidua moleſtia, diuturniſq; laboribus vexat ac defatiget. mittit per noctem qui ad arma conclamare compellant, at per diem leuibus prælijs infeſtat. quare per noctẽ armatos eſſe oportebat, & per diem inuadentium conatus repellere. illa ratione factum eſt, vt impetus ac furor Philippicorum paulatim retunderetur, animusq; deficeret, qui cum prius ad ducentos paſſus propinquarent ad caſtra Cæſaris exploranda, nunc plures mille, & quingentis paſſibus diſtabant, cum ſclopettarij longe illos aſſidue ſummouerent, putabatq; vtile fore Cæſar vt per nouas foſſas, nouoſq; aggeres hoſtis cogeretur caſtra mutare. aucta ſunt caſtra Philippi interea trecentis equitibus comitis Palatini, ſed tanta erat moleſtia, quæ à Cæſarianis inferebatur, tantus labor, cum nunquam arma deponere liceret, tamq; facta ſunt propinqua caſtra, vt ex alteris exire in altera ingredi eſſet, vt omnino Philippus caſtra mutare decreuerit, ne tãq; infeſtum tam moleſtũ hoſtem haberet vicinum. illud tanta diligẽtia, tantòq; cũ ſilentio fit, vt carris atq; tormentis antequam illuceſceret Danubium traijcientibus, mox illuceſcente die nullum tentoriũ in caſtris viſum ſit. traiecerat peditatus ſub aurorã omnis, ſolæq; equorum turmæ reliquæ erant, quæ & ipſę cęperant pertranſire, quarum in poſtrema acie nonnulla tormenta trahebantur; atq; eo ordine ſeruato Neoburgum verſus ſigna conuellunt. Cæſar leuis armaturæ equites ad explorandũ iter hoſtium, & ordinem, quo procedebant, mittit. præmittebantur ab illis maiora tormẽta, poſt quæ ſubſequebatur peditatus, cuius latera turmæ equitum vtrinq; cingebant. Enimuero formidabile erat tanto armatorũ numero tectam planitem videre, cum omnia circum reniderent ſplendore armorũ, dum tantus equitatus, tamq; magnificè inſtructus procederet. eo ordine progreſſæ copiæ ad Neoburgũ caſtra ponunt, quo tempore nuntiatum eſt in caſtris Cæſarianis copias, quas Burorũ comes adduxerat ex Ambiuaritis per Incrionenſem Batodurenſemq; & Mocontiacum agrũ contra conatum hoſtium Rhenum traieciſſe, quamuis vbertus comes Oldẽburgienſis cum mille equitibus, & quindecim millibus peditum relictus eſſet ad traiectũ impediendum. Cæſar per nuntios facit certiorem Buranũ comitem hoſtes coactos fuiſſe mutare caſtra, atq; Neoburgum primum, deinde Tonauertam ſeſe recepiſſe, vnde videretur rationi conſentaneũ vt ad impediẽdum iter ſibi obuiam prodirent in agrum Vſipetorum, cũ pręſertim Vbertus ſcripſiſſet hoſtes pagũ occupaſſe diſtantẽ ad quindecim millia paſſuũ, per quẽ ſibi Rheni traiectũ aperuiſſent. fieri non poſſe, vt ipſe hoſtes impediret tum ob diſtãtiã, tũ etiam quòd illi multo armatorũ equitũ numero pręſtarẽt. Nã tria equitũ millia Buranus comes adducebat, quibus addebantur quatuor millia Alberti, & Ioannis Aliſi, & Volphegangi Marchingi Prutenorũ Ducis, & Maximiliani regis Boemorum: quæ copię cum Rhenum prius traijcere non auderent, aduentum Burani pręſtolabantur. nam adducebat ſecum Maximilianus Florentij filius Lutiburorum, comitis vti dicebam præfecti Buſaterorum quatuor Hiſpanorum, duo Italorum veteranorum vexillla, qui pro Britanno rege aduerſus Gallorum regem militauerant. ducentos Italos ſclopettarios equites. viginti, & quatuor vexilla Germanorum, duodecimque bellica tormenta. Buranus ad

Dolus in hoſtem laudabilis.

Tertiũ & Regimentũ q̃d ſint.

Cõiurati cur è ſuis caſtris pelluntur.

Burani comitis copiæ.

ripam profectus prima vigilia quinq; millia hominum procul ab hoſtium caſtris fluuium traijcere iubet, qui tranſgreſſi ſtatim pagum occupant, cuius beneficio omnes poſtea copiæ traijciunt. cum in agrum Vſipetorum ventum eſt, leue prælium committitur. pugnatur acriter. belli fortuna diu fit anceps. deniq; multis vndiq; cœſis Vſipeti in vrbem includuntur. Philippus relictis Neoburgi tribus vexillis peditum in præſidijs, iam præterita Tonauerta ad oppidum Vendalingã acceſſerat. ibi fit certior comitẽ Buranũ tranſmiſſo Rottemburgo oppido in agrũ Noreienſem aduenisse, (nã Philippus conabatnr pro viribus impedire quominus nouæ copiæ cum Cæſare iũgerẽtur, ) quod non mediocriter animos Cæſarianorũ extulerat ad ſpẽ rerum felicium. Illis.n.profligatis arbitrabantur ſe non poſſe diutius Philippicorũ impetum ſuſtinere. Philippus ea re cognita Tonauertã redit. munitione in ripa Lyci fluminis extructa, is eſt fluuius Sueuorũ regionis, vbi vocatur Vindelicia, caſtra ponit apud Rainum oppidũ, quæ aucta nuper fuerãt triginta & ſex vexillis peditũ, qui Rheni traiectum obſeruarant. at vero prudenter caſtrametatus fuerat Philippus, cũ ita fieret, vt per Lyci opportunitatem Auguſtam vrbem, per Tonauertam & Danubiũ Alcimenium tueretur. ibi conſtiterant copiæ Philippicæ, vt in loco natura munitiſſimo, & non inepto ad impediendum Burani acceſſum. Ceſar, quòd ea ignoraret, mittit Ioannem Baptiſtã Sauellum, Alphonſum Ateſtinũ, Rodulphũ Baleonum, Sulmonenſem principem cum tribus millibus equitũ ad iter hoſtis explorãdũ, &, ſi iter faceret, tandiu leuibus certaminibus retardandũ poſtremum agmen, dum Burani copiæ cũ Cæſarianis coniungerentur. Sed cũ viſi eſſent poſtridie Philippici in loco caſtrametati, vnde non poſſent nouas copias impedire, Cæſariani ad ſuos redeunt. Ceſar contra ſumma diligentia vti, vt illa auxilia quàm citiſſime accederent. multos ignes accendere, quà erant ventura, cũ per noctẽ iter eſſet faciendum. obuios mittere locorum peritos, qui comites eſſent ac duces viarũ. Leuia certamina ex altera parte caſtrorũ hoſtium excitare, vt Philippici detinerentur, reuocarenturq; ab opinione impediendorũ auxiliorum, quia putarent omnes Cæſarianos ibi eſſe caſtrametatos. iſtud callidè fit, quia Philippus conſilij Cæſaris ignarus facile cõceſſit vt per obſcurã noctem ignes iter monſtrarent Burano comiti, quare ſic vndecim peditũ & tria equitum millia Cæſarianis caſtris addita ſunt. aucta ſunt etiã tribus millibus equitum Maximiliani Regis, cæterorumq; principũ, quos memorauimus in locis Rheno propinquis traijciendi fluminis opportunitatẽ expectauiſſe. Philippus interea ſucceſſus ſibi felices ſignificabat per literas liberis ciuitatibus, & ad extollendos animos ſociorum mirifice præteritarũ rerum felicitatem, ceſorum, captiuorumq; numerum & dignitatem extollebat. adaugebat omnia, vt erigeret ad ſpẽ victoriæ. hortabatur ad ſumptus hilari animo ſuppeditandos. admonebat ne ſibi ipſis deeſſent, quia nullo pacto bellum eſſet remittendũ. futurum.n. ſi ipſe per inopiam rerũ neceſſariarum ab inceptis deſiſtat, vt vniuerſus exercitus Cæſarianorũ tanquam rapidiſſimus fluuius totam Germaniam rapinis & incendijs ac cedebus inuoluat, omnemq; Germanorũ libertatem ſecum deferat. ſe pugnare pro cõmuni omnium ſalute, pro liberis, pro coniugibus, pro focis, pro Dijs penatibus, libertate, honore, facultatibus vniuerſæ Germaniæ. præſtare quaſuis bellorum difficultates perpeti, quàm crudeliſſimarũ Italorum, Hiſpanarumq; gentium libidini, auaritiæ, feritati, Romaniſq; ſuperſtitionibus inſeruire. liberum eſſe cuiq; fortaſſe bellũ ſuſcipere aut deuitare, at ſemel ſuſceptũ non poſſe impune deſeri. iſtud autem fiebat, qm̃ Philippus ſemper in extrema parte literarum pecunias petebat, quod moleſtiſſimũ ciuitatibus videbatur, cũ tanti ſumptus fruſtra eſſe facti apparerent, & iam finis eius temporis adeſſet, quo promiſerat ſe captum Cæſarem ducturum, aut eiecturum è Germania. Cæſar nuper additis Lutiburorũ copijs biduum concedit ad quietem, & ad curanda corpora: at die tertio hoſtem inſequitur, neq; patitur amplius obſidionem, ſtatuitq; Neoburgum adoriri, vrbem ſanè optimis menibus & firmiſſimis præſidijs munitam, in qua erant mille & ducenti Germani. neq; enim videbatur conuenire bellicæ rationi vrbem tam validam, tamq; munitam & potentem à tergo relinquere, præſertim quæ in ripa Danubij eſſet ſita, atq; Danubio potiretur, qui fluuius quanti momenti futurus eſſet vtriq; exercitui, nemo ſane rerum bellicarum vel mediocriter peritus ignorauerit. Nam præter eximiam facultatem, quam vrbs illa occupata erat conceſſura commeatuum, omniſq; generis apparatus bellici, multorum etiam pagorum ſecum afferebat imperium, & liberum aditum in agrum Noricum ad Monachum vſque, quod oppidum eſt Norici, non procul a Vindelicia. Veruntamen quidam duces cenſebant his tantis commodis, quę proponebantur capiendæ vrbis, non minores difficultates opponi. atq; his demonſtrabant præcipue vrbem non eſſe tentandam; quia Cæſar alterutrum horum periculorum ſubire cogeretur, vel, vt opus eſſet aduerſus multo potentiorem exercitum hoſtiũ pugnare, fortunamq; belli experiri, ſi illi vellent opem ferre obſeſſis, vel, ſi Cæſar iſtud facere deuitaſſet, vt oporteret ab incepta oppugnatione turpiter deſiſtere, quorũ alterum maxime erat periculoſum, alterum turpe. Et ſane non ſatis eſt imperatori tutò, & nulla clade accepta ab expeditionibus ſuſceptis recedere, ſed illud etiam tentare conuenit, quod videatur non poſſe reſiſtere, ne temere, & inconſultò aliquod negotium ſuſcipi appareat. nihil ſiquidem eſt tam hoſti formidabile, quàm Imperatoris prudentia & calliditas & opinio nullius negotij fruſtra ſuſcepti, cum irriti contrà, vanique conatus, & oppugnationes fruſtra tentatæ, ridiculam faciant omnem potentiam Imperatoris. omneſque bellicos apparatus, idcirco præclarè diuinus Homerus callidum Vlyſſem, at non fortiſſimum. Aiacem, aut Achilem, Populatorem vrbium appellauit. Hiſce rationibus commotus Cęſar, ipſe cum leuiore equitatu, & magna manu ſclopettariorum Hiſpanorum ſummo mane ab Ingolſtadio ad explorandam vrbem proficiſcitur: quam vt melius ad expugnationem exploraret, & ipſe, & Albanus dux ex equo deſcendit. Vrbana præſidia nonnulla campeſtria tormenta, maioreſque ſclopettos in eos diſplodunt, qui tamen incolumes explorato negotio

Lycus fluui⁹.

Lantgrauius hortatur fœderatos ꝑ literas ad auxilia mittẽda

Imperatori turpe eſt tentare ꝙ perficere nõ poſſit.

ad ſuos redeunt. Non defuerunt qui reprehendant hoc Cæſaris factum, quòd dicāt illud eſſe munus caſtrorū magiſtri, aut etiam propè priuatorum militum aut Tribunorum. Sed non facillimum eſt iudicare an liceat aliquando imperatori ipſi iſtud facere, cum ex altera parte ſummi periculi venit in mentem, quod ſubire oportet, quod certe deuitandum eſt illi non negligenter, qui ſummū habet imperium, in cuius ſalute vniuerſi exercitus ſalus conſiſtat, ex altera ſummam vtilitatem memoria repeto, quia ſemper plurimi referre, & in omnibus negotijs affirmo, ipſe vt dominus negotij ſuis oculis res ſpectet ac percipiat. Cæſar vrbe ad expugnationem explorata poſtridie iubet duos tumultuarios pontes iaci ſupra Danubium ad copias citius traijciendas. Sic igitur per tres pontes breui traiectis copijs circiter tria millia paſſuum à Neoburgo caſtrametatur. at vero vbi apparuit Cæſarianorum multitudo, cum vniuerſæ copiæ in primum agmen & in phalangem eſſent inſtructæ, vrbis præfecti in caſtra mittunt ad Cæſarem, qui agerent de deditione.

Neoburgi deditio.

Sic igitur inſtructæ iter fecerunt copiæ Cæſarianæ, vt vniuerſæ è fronte, & denſiore phalange conſiſterent, tum quia nullum hoſtem timebant à tergo, tum etiam quia ſic vitabatur ne addito poſtremo agmine vniuerſus exercitus debiliaretur, cum multitudo ordinum faciat copias debiliores, niſi præpotens numerus extiterit. cum verò in duas acies Cæſariani fuiſſent diſtributi, quæ ſingulæ cōſtabant è duabus phalangibus peditum, & totidem turmis equitum, exercitus ita fiebat ab ea parte validus, vt hoſtes poſſet contemnere. Vbi viſus fuit igitur vrbi Cæſarianus exercitus, ciues vel ſplendore armorum territi, vel acierum multitudine, ciuitatem, vt diximus, dedunt Cæſaris arbitrio deniq; quod ipſum faciunt præſidiorum præfecti, veriti aliquam ſubeſſe proditionem. Sed enim quia flagitium eſt rem alicuius fidei virtutiq; creditam negligenter tueri, duces illi & milites condignum pręmium tantæ timiditatis reportarunt, quippe cum in inſulam per illam noctem expoſiti fuerint, quæ inter duo cornua Danubii intercipitur, vrbi propinquam, atq; poſtero die iurare compulſi ſunt, quòd intra quatuor menſium ſpatium neq; Philippi, neq; fęderatorum ſtipendia mererentur: quibus etiam arma adempta ſunt ad ignominiam, quia viderentur indigni tam timidi milites qui arma geſtarēt, quia tam facile ſuum principem prodidiſſent. eſt enim virtus vel apud hoſtes laudabilis. Poſtea libertati reſtituuntur.

Neoburgenſium pſidiorum ignominia.

Cæſar vt qui non poſſet non grauiter ferre tantam militum inertiam, neq; tamen iure belli ſęuire deberet, quod iubet in imprudētes & obſtinatos ac temerarios potius, quàm in timidos homines animaduertere, vt videretur tamen potius pro clementia, quàm pro ſeueritate rebus moderari, inquit ſe parcere illis ducibus, quia decepti ad illud bellum acceſſiſſent. at illi ad extollendam honeſtatem ſuæ cauſæ non ſolùm deceptos, ſed coactos etiam conueniſſe affirmarūt. Nam ſane præter omnem ſpem, omnemq; bellicam rationem accidit vt tam potens, tam munita, tam facilis ad accipiēda ſubſidia vrbs in poteſtatem Cæſaris veniret; quare qui ſe certam rerum futurarum rationem poſſe comprehendere per conſultationem, magnopere fallitur. Sępius enim illa, quæ ardua, difficilia, inſuperabilia in conſultationibus apparent, fortuna & euentus demonſtrat eſſe plana, facillima, maximeq; ad noſtra vota propenſa: contra vero accidit aliquando, vt quæ ratio plana, faciliaq; eſſe demonſtret, nullam fidem ſeruent, cum euentus ipſarum rerum noſtra conſilia magnopere fallat.

Quæ validiſſimæ ſint vrbium reparationes.

Quòd ſi quis animos militum, præfectorumq; pręſidiis vrbanis prudentiā poſſet inſpicere, ille omnibus cęteris melius de rebus agendis conſultaret: quoniam nulla vel ampliſſima mœnia, nulla tormenta, nulli bellici apparatus, nullæ munitiones, nulla propugnacula poſſunt cum virtute ducum ac militum ſtrenuitate comparari, quorum timiditas omnia hæc facit inutilia. Ciuium facultates neq; direptæ ſunt, neq; violata mulierum pudicitia: ſed quæ erat in arce Otthonis Henrici ſupellex & opulentia direpta eſt à Cæſarianis, quòd ille fœderationis eſſet ſocius. Cæſar Neoburgenſibus per hunc modum in fidem acceptis, cum ſatis feliciter ſuccedere bellorū initia viderētur, ea victoria vti ſtatuit: ſed prius oēs copias cēſuit, vt ſciret quantas ſecum adduceret. Fit ſiquidē vt nunc inaſſuetorum bellis interitu, nunc vitio transfugarum, nunc belli pertęſorum fuga caſtra debilitentur; quod vt deuitetur incommodum, ſi bellum appareat inueteraſcere, ſolent imperatores emittere edicta ſub capitali pęna, nequis inconſulto caſtrorum magiſtro vel ipſo Imperatore exeat ex aggeribus, collocanturq; leuioris armaturæ equites, qui ſpolient aut ſuſpēdant de proximis arboribus fugientes, in anguſtijs viarum ac locis opportunis: atq; in eos tāquam in hoſtes ſęuiant, qui ſine imperatoria teſſera profugiant è caſtris.

Remedia ne exercitus diſſoluuntur.

Cæſar itaque cenſis quadraginta & octo peditum, nouem equitum millibus, confirmata iuramento fide Neoburgenſium, relictiſque in vrbe octingentis peditibus poſt triduum conuulſis ſignis ad præfectionem aduerſus hoſtem caſtra promouet. erat illud Cæſaris conſilium, vt, ſi parem locum, aptumq; pugnæ ſortiretur, iam non amplius tergiuerſatione, ſed aperto Marte & collatis ſignis de ſumma rerum cum hoſte dimicaret, qui tunc etiam fuerat ad Tonauertam caſtrametatus. rurſus traijcit Danubium per tumultuarios & vrbis ipſius pontes. binis caſtris quinq; millia paſſuum ad hoſtem peruenit. in acie caſtrametatur in pago Marcheſana vocato. erat iter illud breue quidem, at multæ difficultatis plenum; quippe quod ſylua intercederet denſiſſima inter vtraq; caſtra, tam crebris arboribus, vix vt vlla in parte eſſet peruia, cum tranſitus viarum tam anguſtus plerumq; daretur, vt vix amplitudo carros capere poſſet, quæ dēſitas nemorum, anguſtiæq; viarum per quinq; millia paſſuum inter vtrumq; exercitum plerumq; extendebatur. à lęua fluuius ampliſſimus Danubius Cæſarianis caſtris erat coniunctus, recurrebatq; ad dextram, ſemperq; eundem tenebat curſum, donec ad Monachum pagum quendam diſtantem à caſtris Cæſarianis decem ferè millia paſſuum perueniretur. Cæſar mittit qui ſyluam recognoſcerent, hoſtiumq; caſtra explorarent, vt his perſpectis & ipſe commode caſtrametaretur. Sic enim opportunum fore videbatur, vt, ſi ſclopettarij ſyluam occupaſſent, ſecurus tranſitus daretur copijs. iuſſus eſt igitur Albanus cum ſclopettarijs & turma equitum ſyluam in-

gredi, iiſq; in opportuna loca diſtributis, ea explorare: qui paucis ſibi adiunctis comitibus circiter duo ſtadia Philippicis caſtris propinquat. Cum quatuor comitibus egreditur, equis in ſylua relictis. hoſtium caſtra diligenter explorat. hoſtis extruendis reparationibus intentus reliquas partes accuratè cuſtodiebat, at in eam partem neque proſpexit quidem. Sic igitur inſtructa erant caſtra Philippi. Sylua quæ inter vtrumq; exercitũ percurrebat, ita circumdederat Philippicos, vt ſola area quædam eſſet in medio, quæ occupabat ſpatium quingentorum paſſuum. Hanc attingebat deſcenſus valde aſper & difficilis, eiuſdemq; naturæ aſcenſus, in cuius ſuprema parte ad ſubiectæ vallis formam, quæ aſcenſui & deſcenſui ſubiacebat, ſuas foſſas & aggeres ac reparationes Philippici excitauerant. à ſiniſtra itaque cum ſylua iungebantur, vallibuſq; ampliſſimis protegebantur pro foſſis, quorum caſtra Danubius a dextra tuta faciebat. a tergo Tonauerta, & ignobilis fluuius Bernizzus vocatus cingebat, qui ibi influit in Danubium. Cęſar cum nimis diſtaret ab hoſte, cognouiſſetq; caſtramentandi difficultatem, quam maximam faciebant locorum anguſtiæ, & deſcenſus ad Danubiũ difficilis, quia nulla alia daretur aquandi facultas & copia, cœpit cogitare quibus rationibus fieri poſſet, vt ſubuerteret hoſtium conſilia, eoſque è tam munitis caſtris eliceret. Nam procul ab hoſtibus morari intercedente tanto ſyluarum interuallo inter ipſa caſtra, videbatur eſſe quoddam bellandi genus nimis amplum, at non, vt res propoſita poſtulabat, ſtrictum & propinquum. Nam profecto plurimi refert quibus temporibus, auxilijs, copijs, locis bellum geratur, cum in frigidioribus locis, regionibuſque Septẽtrioni magis propinquis, acerbitas hyemis; in æſtiuis aut meridionalibus imminens æſtas cauenda eſt, non ſolum ob difficultates & labores exercituum, ſed etiam quia corpora militum ſub dio fatigata facile morbo corripiuntur, atque vires debilitantur, quod etiã alijs magis, alijs minus contingit. In temperatis vero regionibus omnia propè tempora ſunt rebus bellicis accommodata. Idcirco ſi timeatur vis hyemis, vel tentanda eſt ante hyemem belli fortuna, vel per hyemem grauiſſimis & diuturnis ſumptibus copiæ alendæ, vel dimittendæ, & deſerendum ſuſceptum negotium. Cæſar tanta difficultate cognita, cum propinqua caſtra collocare non poſſet, relicto hoſte a ſiniſtra, ipſe ad oppidum Bendiguenum cõtendit. mox caſtris in pagis Marcheſana, Falange, alijſq, nonnullis poſitis quoſdam duces cum ſexcentis Hiſpanis, & Italis ſclopettarijs, ſexagintaque leuioribus equitibus mittit ad infeſtandos hoſtes, explorandaque illorum conſilia. Inter hos fuit Iulius Vrſinus, Thomas Coccapanus, Pyrrhus Columna, Baptiſta Caſtalius, Alexander & Paulus Vitellij. Philippus contra vbi nuntiatum eſt Cæſarem capto Neoburgo in ſe ſigna conuertere, contractis copijs, quæ ex vtraque parte Danubij ad Tonauertam caſtrametatæ fuerant, reparationes & munitiones erigit. Federicus præmiſſa magna Saxonum manu abatiam quoniam inter vtrunq; exercitum iam occuparent, firmaueratq; ſatis validis peditum equitumq; præſidijs. circum quam multi erant Saxones in denſiſſima ſylua in inſidijs collocati. Coccapanus vbi in illas inſidias incidiſſet, facile repentino hoſtium impetu in fugam vertitur. at Alexander Vittellius cognito periculo, quod imminere videbatur. ſi hoſtis pontem occupaſſet, liberumq; tranſitum haberet, qui intercedebat. eum ſtrenue defendit, quare Coccapanus reſumptis viribus certamen inſtaurat. pugnatur diu ancipiti vtrinq; victoria, modo his, modo illis fortunæ belli cedentibus. multi vtrinq; ceciderunt. ſed maior numerus fuit Cæſarianorum. vulnerati multi, nonnulli capti. Cæſar ea pugna cognita cum videretur hoſtis per eam abbatiam Cæſarianorum vim frenare, neq; liberum exitum e caſtris ab ea parte concedere, ſtatuit illam occupare. iubet Octauium ducem illam in diem poſterum ad expugnationem explorare, cui profecto negotium videtur per difficile, quòd ea omni genere apparatuum & tormentis bellicis egregie eſſet munita. neq; tamen valde erat commoda, cum propter aquarum penuriam ibi non aptè caſtra eligi poſſent. his ita perceptis caſtra mouet hoſte à ſiniſtra relicto, atq; ad Bendiguenum oppidum contendit, quod non procul diſtat à Norlinga, vbi caſtrametatur. Eſt autem Norlinga vrbs Sueuorum nobiliſſima, præpotens, munita, vna liberarũ ciuitatum, quæ non procul diſtat à Lupia ſiue vt vulgus vocat, Necchare fluuio vel Nicero vt alij maluerunt, rerum omnium abundantiſſima. erat locus ille accipiendis copijs accommodatus, cum eriperet hoſti commeatum à tergo, qui plurimus ab ea parte afferebatur in caſtra. Hæc antequam agerentur, quotidie leuibus prælijs inter milites vtrinque pugnabatur. Quo die Cæſar erat caſtrametaturus Marcheſana Mohanum proficiſcens, quod eſt oppidum Neoburgenſis ditionis, Philippici poſtremum agmen inuadunt, ad cuius defenſionem nonnullos ſclopettarios mittit, quia ratio itineris magis ſclopettariorum, quam equitum operam poſtulabat. Seruatus eſt hic ordo non tũ ſolùm, ſed etiam in vniuerſo huiuſce belli negotio, vt prior acies inſtructa procederet, quam ſubſequabantur copiæ reliquæ & ipſæ in phalanges inſtructæ. atq; dum tentoria erigeret, caperetq; caſtra prima acies, phalanges eam protegebant, quæ poſtea protegebantur eadem ratione ab acie poſtrema; quæ vbi priores fuiſſent caſtrametatæ, & ipſa aſſignatum locum occupabat, quare efficiebatur vt ſicut in itinere, ita in ponendis caſtris nunquam ſolutus exercitus poſſet reperiri. Philippus cognita hoſtium profectione atque itinere, exploratoq; conſilio, quòd ea vrbs videretur parum firmis præſidijs firmata eadem nocte ſumma diligentia octingentos pedites & ducẽtos equites immittit. præter hæc præſidia nihil innouauit, aut caſtra mouit. Cæſar poſtridie eius diei vbi caſtra ad Norlingam poſuiſſet leuiores equites præmittit ad explorandos hoſtes, quorum duæ ingentes turmæ & magnus globus peditum dicebatur apparuiſſe facere iter, neq; tamen ſciri quo procederent. interea Cæſar præcones ad Norlingenſes ſollicitandos ad deditionem mittit, iubetq; commeatum copijs præbere, qui illos bidui ſpatium ad deditionem poſtulare in caſtra reportarunt, & omnem commeatum quem poterant, fęderatis præbuiſſe. at contra mittunt ad Philippum qui peterent auxilia, eumq; de rebus omnibus certiorem facerent. etſi biduum ad deditionem Cęſar ſatis magnũ

ſpatium

Caſtra fœderatorum.

Imperatoriq; ſint neceſſariò cognoſcenda.

Norlingæ vrbis deſcriptio.

Acierum ordo ſeruatus a Cæſare.

ſpatium eſſe intelligebat ad mittenda auxilia, tam propinquo exercitu fœderatorum præſertim, tamen quia difficultas locorum plurimam ſpem eius vrbis potiundæ afferebat, quòd ipſe à duobus lateribus colles occupaſſet, cum valles illas proſpectaret, haberetq; à tergo paludem peramplam ac difficilem, & à fronte fluuium, qui in multos riuos diffundebatur, ſtatuit poſtulatum tempus eſſe expectandum. Philippo vero ſola via, eaq; perdifficilis ad ſubſidia relicta fuerat, quæ cum inuſitata fuiſſet ante illud tempus, neq; tunc quidem videbatur vlli vſui futura. Is igitur auditis nuntijs Norlingenſium, duplicatis carrorum ac tormentorum equis, cæterorumq; apparatuum, multis operis comparatis, impedimentisq; Tonauertæ relictis & mille ac quingentis peditibus, equitibus ducentis, ſumma celeritate, ſilentio, diligentiaq; vſus Norlingam accedit: atque prius in tutum primam aciem perduxerat, tormentaq; collocarat è regione vallis, in qua Cæſar conſtiterat, quam ab vllo Cæſarianorum ſentiretur, ad quod non parum iuuit obſcuritas & denſitas nebularum eius diei. Cæſar contra cum nuntiatum eſſet caſtra ab hoſtibus moueri, iubet copias inſtrui, ne repente inuaderetur: quod cum ante diem nuntiatum eſſet, acies totę ad diem vſque inſtructę conſiſtunt, vt ſi nebula decideret, inuaderenturq; caſtra, aptum ordinem ſeruarent. Sin aliud iter haberent, ſitusq; opportunitas pugnandi facultatem ferret, quam toties Philippus obtuliſſet, ne contemneretur. Tãta erat denſitas matutinæ nebulæ, vt non modo hoſtis proſpici non poſſet, ſed neque equites quidem, qui frequentes in turmis conſiſtebant, ſe inuicem viderent. illa nebula protecta Philippicorũ incæpta ſunt, atque illi opportunitate temporis fuerunt vſi, per quam duas difficultates locorum ſine controuerſia ſuperarunt, quoniam neque Hiſpani, neque Germani equites illorum iter exploratum miſſi cernere potuerunt. eſt ſanè ſummi Imperatoris munus ſcitè vti præſentibus temporum opportunitatibus, cum plus opis momentum temporis aliquando afferat, quàm vlla poſtea mortalium induſtria. Neque vllus eſt tam fidus, tamque diligens belli ſocius, quàm ipſum tempus, ſi quis rectè illius imperio & conſilio vti cognouerit, celerrimeq; conficiatur, quod illud rectè monuerit. vt enim ventus & curſus aquarum plurimum conferunt claſſibus, naualibusq; certaminibus, cum ſecundi curſus pro multis armatis ſint nauigijs; ſic nox, tenebrarum, nebularumq; beneficium plurimum confert ad multa munia militaria ſine controuerſia efficienda, quę alioquin non niſi per ſummam difficultatem ulla ratione conficerentur, aut ſine ſummo periculo. nam & vrbes per noctem captę admotis repente ſcalis, & ſubſidia ab obſeſſis ſunt admiſſa, & incluſi exercitus deceptis hoſtibus ſine controuerſia euaſerunt, quod ipſum per nebularum, aut pluuiarum opportunitatem aliquando factum eſt. Philippici igitur temporis opportunitate freti cum per totam noctem iter confeciſſent, atque dies eſſet pro alia nocte obſcurus, ſub meridiem duabus anguſtijs fluuioq; ſuperatis, vbi dabatur difficillimus tranſitus ad montem, quà Norlinga adiri poterat, ad montem ipſum perueniunt. tanta diligentia in eo itinere faciendo vſi ſunt, vt Cęſari apparuerint omnino Germanicam celeritatem ſuperaſſe, cum illi populi magis ſtatariis certaminibus, quàm villi celeritati apti crediti ſint. At verò non ſolùm prudentiſſimè, optimoq; ordine caſtra mouerunt Philippici, ſed etiam tam ordinatè procedebant, tamq; in opportunis locis tormenta pro natura ſituum mutabant, vt nullum militaris diſciplinæ munus in illis magis, quàm in Cæſare deſideraretur. Quippe cum plurimi ſit in omni re bellica, & non mediocris ingenij, aptum ordinem ſeruare. in mouendis, & in munitiſſimis ſitibus eligendis, quibus in rebus ſi quis error committatur, vniuerſus exercitus incidet in magnum periculum, atque eius ſalutis ſpes reliqua aut in fortunæ arbitrio, aut in hoſtium imperitia eſt collocanda. Summa igitur laude digni ſunt Heluetij, qui ſoli ferè omnium mortalium prorſus ſunt militaris diſciplinę obſeruantes, cum ordinatè caſtra moueant, ordinatè procedant, ordinatè ponant, ordinatè caſtrametentur; quos tam facile eſt fuſos in aciem inſtruere, quàm nationes nonnullas diſſipatas fugare. Neque minus virtutis oſtenderunt Philippici in leuibus certaminibus, cum ſemper leuiores equites præmitterent, quos nigros appellabant ab armorum colore, quòd haberent brachiorum integumenta ex orbiculis ferreis cõpacta, galeis coopertis, & breuibus ſclodettis vterentur, & telo ad morem venabuli, facileq; peditibus laborãtibus poſſent ſuccurrere. Atqui cum alia Dei munera, aliæq; virtutes alijs hominibus datæ ſint, nemoq; omnibus ſimul fruatur, idem genus hominum non valde patiens eſt laboris vbi noctu ſæpius ad arma conclamatur in caſtris: neque ſunt parandis nocturnis inſidijs, aut ſimilibus laboribus valde accõmodati. Cæſar, cum poſt meridiem nebulæ ad teporem ſolis diſſipatę enuauiſſent, hoſtem proſpicit in ſitu munitiſſimo ſuper colle Norlingæ, quem ipſe prior occupare decreuerat. Intercedebat inter vtraque caſtra fluuius, qui paucis in locis ab hominibus aut equis vadari poterat, niſi vt fieri ſolet aliquando in traijciendis copijs cum equi collocantur in ſuperiore parte curſus, vt ita fluuii aquarumq; impetus infringatur. ille vero modus traijciendi exercitus neq; commodus neq; tutus erat in conſpectu hoſtium, præcipue cum per pontem etiam eſſet periculoſus. Cæſar cum fluuius hora iam tarda inclinante die à nonnullis eſſet tentatus, copias inſtructas habuit, quia hoſtem propinquum putabat traiecturum, atq; totis copijs dimicaturum. Sic enim Albanus ad recognoſcenda caſtra, aciesq; & ſitum caſtrorum hoſtium miſſus retulerat. Copiæ vero ita ſunt inſtructæ; primam aciem ac frontem exercitus ductabat Albanus, & Buranus comes cum vniuerſo ſuo equitatu, ducentiſq; peditibus Belgicis, quibus omnibus dux Sabaudienſis imperabat. cum his erat Maximiliani equitatus, & Ioannis marchionis Sennonum. phalangis equitatus erat Italus, & regimentum Alliprandi Madruccij. poſtremam aciem ductabat Prutenorum præfectus, marchioq; Albertus, atque ſemper ferè phalanx cum illa pari paſſu incedebat, eodemq; ſpatio à prima acie diſtabant. Cõſtabat prima acies e decem ac ſeptem millibus peditum in tres phalanges inſtructorum, & tribus equitum millibus. poſtrema ex octo peditum millibus in vnam phalangem, & duobus equitum.

Opportunitatis beneficium.

Fluuiorum traijciendorum ratio.

Vniuerſus

Vniuerſus hic equitatus pro opportunitate locorū diuidebatur,nigris equitibus, & armatis lanceis in aptas partes diſtributis. His ita conſtitutis Cæſar ex altera parte Malaſpinā ex altera Sfortiā Orietenſem cum quinquaginta equitibus mittit ad tentandos hoſtes,ſi poſſent è ſuo ordine turbare. in hos impetum faciunt circiter mille equites Saxones in alæ formam cū ſclopettijs, atq; hos cum multa clade in caſtra repellunt. exit è caſtris rurſus Octauius cum denſo equitum globo ad infeſtādos hoſtes,& Io.Baptiſta Sauellus,qui tam atrox præliū committūt cum Schertelli militibus,vt ne ceſſe prope appareret fortunam belli illo die tentari, niſi noctis aduentus certamen diremiſſet:cū vtræq; copię egregiè forent inſtructæ, & mirifice pugnandi cupidę. Omnes.n.miro quodā gloriæ deſiderio incenſi erant, cupiebantque vt primi viderentur cęteris in ipſa prælia,quare multi e principibus vtrinq; cędebantur. fortuna itaq; & virtute militum ſępius alternante victoriam, acrioreq; pugna non ſemel renouata,Cæſar ad futurum præliū vniuerſas copias inſtruit. Sed cū putaret hoſtem,vt in ſitu munitiſſimo caſtrametatū,nulla arte tunc allici poſſe ad fortunam totius belli experiendam, quem cogere erat magnopere periculoſum,cum in tutis caſtris pauci multis poſſint reſiſtere, receptui cani iubet. at poſtridie eius diei Cæſar ratus eſt ſibi opportunitatem pugnandi datū iri,ſi caſtra mutaſſet ſæpius,quæ ratio ad facultatem commeatuū non mediocrem commoditatem allatura,& ad infeſtandos hoſtes parum aſſuetos aſſiduis itineribus,vtilis fore videbatur.at vbi ſigna ad profectionem conuellerentur, colligerenturq; vaſa,nuntiatur hoſtis non procul abeſſe, quare omne profectionis conſiliū conuerſum eſt ad ſtudium pugnandi. veruntamen vbi cognitū fuit hoſtem parum pugnā curare,inceptumq, iter perſequi,ſtatuit poſtremam aciem inuadere,multoſq; ſclopettarios à tergo iubet adoriri. Illi re cognita duas ingentes colubrinas in inſequentes Italos diſplodunt,quo bombo audito conſtitit vniuerſus exercitus,atq; ſigna conuertit ad ſuos ſubleuādos. At enim cū magna pars diei iam fuiſſet collapſa, paludeſq; & aquarum copia certaminibus eſſet nō leue impedimētū,vtriq; conſiſtunt in acie, expectantq; vter prior fluuium traijcere conaretur, qui medius inter vtroſq; exercitus per paludoſam vallem labebatur. Sed propter ſolem iam prope occidentem Cæſariani in caſtra redeunt,Philippiceq; copiæ ſuper collibus Norlingæ propinquis caſtrametantur. Cæſar grauiter ferens,quia non poſſet impedire Norlingæ ſubſidia, mox circiter mille & quingentos paſſus procul ab hoſte caſtrametatur.emiſſus eſt Sennonum princeps,& Alphonſus Ateſtinus duce Sulmonenſi principe cum Italo equitatu ad infeſtandū hoſtem,contra quos exeuntes Herneſtus Veſſonum dux,& Daniel Schemedoſſus inſignes fœderatorū duces profecti atrociſsimum præliū committunt:quod tantis viribus vtrinq; accedentibus pugnatū eſt, vt niſi nox pugnam diremiſſet, omnino iuſto Marte decertatū eſſet eo die. Vulneratus fuit dux Veſſonum, quo etiam ex vulnere paulopoſt Norlingæ deceſsit, alijq; viri inſignes complures. e Cæſarianis cecidit Andreas Forulenſis vir præſtans Italæ cohortis prefectus.at ignobiles ex vtraq; parte permulti.Cæſar ibi aliquot dies caſtrametatus hoſtem infeſtare conabatur,ſed is tam in munito loco cōſtiterat, tamq; idoneo ad accipiendos commeatus,vt appareret genus bellandi eſſe neceſſariò mutandū.neque moleſtum erat tamen tandiu tempus fruſtra abſumere,cum id nihil aliud eſſet,quàm vires hoſtiū,quæ conſtabant e multorum populorum auxilijs,ſuapte natura exinaniri. nam cum virtus, & robur,& audacia non ſufficere videretur ad hoſtem profligandū,omnis bellandi ratio ad aſtutiam, & ad artes couertitur.atq; cum ars bellica non minus in præoccupandis locis opportunis,quàm in ſuperandis virtute hoſtibus conſiſtat,illa loca eligenda ſunt,quæ non ſolùm tutū exercitum faciāt, ſed etiam quæ apta ſint accipiendis auxilijs, & commeatibus,&,ſi opus ſit,traijciendis copijs. Ceſar ægre ferebat quòd hoſtes dicebantur omni genere commeatuū abundare, cum iam non nihil ipſe laboraret penuria,quoniam illi vniuerſa planitie potirentur,quæ inter Tonauertam Alcimeniūq; interiacet rerum omnium fertiliſsima, & ampla, poſſentq; in Noricū principatum, multaſq; Sueuorum ciuitates commode penetrare. nam cum Danubio potirentur, multiſq; vrbibus in ripa Danubij poſitis,ſtatuit Cęſar illas opus eſſe occupare,quia magna pars victorię in illis ſubiugandis ſita eſſe videretur,magnamq; exiſtimationem,ſi eas occupaſſet, ad res ſuas acceſſuram putabat, plurimumq; detrimenti rebus hoſtilibus inde venturum.erat illarum facultas etiam infeſtando Alcimenio,& Auguſtę Vindeliciæ peraccommodata,quæ duę erant primarię potentia,dignitate, & opulentia coniuratarum vrbium. Hęc cū ita ſe haberent,conſultatur in caſtris an Alcimenium, vel Auguſtam prius tentare conueniret, quę ambę ciuitates tanti momenti eſse putabantur, vt ſi altera illarum fuiſset capta,pręter id quòd debilitaſset, infregiſsetq; vires fœderatorū,appareret plurimum omni auxiliorū genere Cæſariana caſtra ſubleuatū iri. ſed quoniam bellica ratio minime pati videbatur vt hoſtilia loca à tergo relinquerentur,quæ plurimū poſsent ſemper conſilia Cæſarianorum infeſtare & aliquando funditus euertere,apparuit Alcimeniū petere nihil aliud eſse, quàm ſe intra hoſtiū vires intrudere, & non minus obſideri ab hoſte,quàm hoſtem obſidere:cū præſertim vrbs illa bonitate murorū, & omni genere apparatuum,externiſq; præſidijs egregie eſset munita,multorumq; ciuium armis protecta. Sed Tonauertæ expugnatio viſa eſt facilior,cum pręcipue non opus eſset omnibus copijs velut expugnando Alcimenio, ad quod commodum illud etiam accedebat, quòd Tonauerta tam propinqua eſset Cęſarianis caſtris,vt non plus duodecim milliaribus diſtaret, & vna nocte, ſi parum res e ſententia ſuccederet, poſsent ſeſe in caſtra recipere. Quæ dum tractantur in caſtris à Cæſarianis,Inutrienſes,& Caſtellaltus Erembergæ expugnationem tentandam rati, quę vrbs parebat federatoeum imperio, collectis repente copiis, quas temporis anguſtia patiebatur,duodecim vexillis peditum,& Inutrio ſcilicet ac locis finitimis ſuperatis Inutrii montibus cum tribus muralibus tormentis nihil tale ſuſpicantibus Erembergenſiqus ſe mœnibus oſtentant, atq; ſuper colle munitionem deſuper deſpectante caſtrametantur. ad illud negotium ſuſcipiendum viſa eſt ad-

Tarcitatis qp ſit beneficiū in bello.

ſa eſt adhortari illa ratio, quòd Philippus per tantum diſtans interuallum non poſſet ſuppetias mittere, cum neq; poſceret bellica ratio, vt tam propinquo Cæſare caſtra debilitaret, aut copias minueret. Erembergenſes tam repentinam, & inexpectatam obſidionem intuiti, cum mœnia ſtatim profectis eò copijs acriter concuti cœpta ſint, ad rem inopinatam obſtupuerunt: quare vexillo ſuper mœnibus ipſius arcis relicto clam per obſcuram noctem aufugiunt. Cæſar vbi decreuiſſet Tonauertã, vt diximus, expugnare, iubet Puteum tribunum cum ducentis lectiſſimis equitibus prius explorare vrbem ad expugnationem. eſt autem Tonauerta vrbs opulenta Sueuorum ad radices nonnullorũ collium ſita, quæ planitiem, & partem collium intra ſe capit, per quam defluit Danubius, qui maiorem partem eius vrbis ad colles relinquit. exterius murus eſt alius præter mœnia, qui multa complexus ædificia ſuburbiũ continet. Puteus, dum partes vrbis debiliores ad expugnationẽ explorat, à quibuſdam præſidiarijs militibus admiſtis ciuibus, & regionis incolis magno impetu inuaditur. ſed cum virtus, & ſcientia militaris facile ſuperet tumultnariã multitudinem, vrbana arma retundũtur, multiſq; è ſuis amiſſis ciues intra mœnia fuga ſe recipiunt. Puteus vrbe diligenter cognita, nuntiat Cæſari quæ viderat, qui per noctem Octauium cum equitatu peditatuq; Italo, & Sciamburgenſem cum ſuis Germanis ac duodecim bellicis tormentis mittit eò, iubetq; ſumma diligentia vios Tonauertam contendere. diſtabat Tonauerta quindecim millibus paſſuum ab ipſis caſtris, tamen tanto ſtudio factum eſt iter, vt antequam illuceſceret tormenta in mœnia directa ſint, & cum prima luce vrbs concuti cœpta. Cæſariani itaq; per obſcuram noctem illuc profecti per diem tantum terroris illis ciuibus offuderunt, vt ſtatim cœperint agere de deditione, ſeq; Cęſari dediderint, atque antequam Philippici quidquam horum cognoſcerent, Cæſariani redierint in caſtra cum tormentis. Nã cum diſtarent inter ſe caſtra non plus mille & quingentis paſſibus, tanta diligentia, tamq; occultè res à Cæſare fuit inſtituta, vt hoſtes neq; opportunè ſuccurrere, neq; ſcire niſi peractum negotium potuerint. exeunt per conditiones deditionis duo vexilla præſidiariorum militum, qui à fœderatis ibi relicti fuerãt, per pontem Tonauertæ, quorum in locum duo vexilla rurſus introducta ſunt Cæſarianorum. eo felici ſucceſſu lętatus repente caſtra mouet, erectiſq; vexillis ad profectionem ſub lucem vniuerſas copias ad Tonauertam traducit. ibi caſtrametatur vrbem habens à tergo, à ſiniſtra Danubium, à dextra agrum fertiliſſimum. Nulli equites Philippici eo die Cæſarianos infeſtarunt, neq; iter facientes turbarunt, quamuis plurimum habebant equitatum, erantq; regionis periti, atque ſcirent quaſdam locorum anguſtias non ſine aliqua ordinum perturbatione poſſe pertranſiri; vel ſi ordo ſeruandus eſſet, plurimum temporis fore amittendum, vel tarde, vel incommodè oportere caſtrametari; qua ex re multa poterant contingere, quæ imperitè, vel, vt tulit fortuna, & neceſſitas, caſtrametantibus ſolent accidere. Cæſar tamen contra huiuſmodi hoſtiũ conſilia, ſi qua eſſent, Italos Hiſpanoſq; ſclopettarios in opportuna loca diſtribuerat, cum acies poſtrema ſatis eſſet valida, corroboraretur q; pro natura, & ſitu locorum. Cum ea nocte Cæſar Tonauertæ fuiſſet, mox cõuelli ſigna iubet ad profectionem, iterq; faciens ſecundum ripam Danubij nocturna caſtra ad Telingam poſuit, quæ ciuitas eſt purpurati antiſtitis Auguſtani poſita in ripa Danubij, vbi Gleda, & Egneida parui ac ignobiles fluuij Danubium ingrediuntur, quòd vrbs illa pontem haberet ad traijciendum Danubium peraccommodatum. Telinga cum præſidijs careret, quæ ad Laugingam oppidum ſe contulerant, ſtatim viſis Cæſarianis ſe dedidit. Philippus veritus ne Lauginga eandem fortunam ſubiret, certiores facit per literas Laugingenſes ſe poſtero die ſubſidia eſſe miſſurũ, quare illi non modo Cæſarianis præconibus hortantibus ad deditionem de more bellorum, non paruerunt, verum etiam acriter, & ſuperbe minati ſunt. Miſſus eſt eadẽ nocte Schertellus, qui pro adducendis ſubſidijs vniuerſa præſidia quatuor vexilla peditum nimirum, quæ aderant, exemit, atque Auguſtam abduxit. Laugingenſes, vt primum illuxit, mittunt ad Cæſarem qui agerent de deditione. Cæſar illa vrbe in fidem amicitiamq; accepta, audita Scherrelli profectione mittit Io. Baptiſtam Sauellum, & Nicolaum Sicium cum vniuerſo equitatu Romano ac centum, & quinquaginta ſclopettarijs, & ſclopettarijs Italis Sicij, qui quatuor vexilla hoſtium inſequerentur. Sauellus tanta vſus eſt diligentia, vt Schertellum comprehenderit, qui ſane vir ſtrenuus, intrepidus, noteq; virtutis viſis hoſtibus neque animo concidit, neq; locum mutauit, ſed conſtitit in ſitu percommodo, quem muniti ſſimum faciebat magnum ſpatium culti agri e regione, vbi ſe inſtruxit, parauitq; ad defenſionẽ tribus tormentis à fronte directis in Cæſarianos. Sauellus perſpecta eius ducis virtute, & fortitudine primùm ob iniquitatem loci aliquantulum ſubſtitit: ſed cum ſubiret quòd ſi diutius res protraheretur, ſalutis facultatem hoſtibus concederet, ſuas copias in tres partes ad pugnam diſtribuit. in dextra collocat Hiſpanos, in ſiniſtra Italos ſclopettarios, ipſe in medio conſiſtit, atq; ita iubet hoſtẽ inuadere. At enim cũ Schertellus fortiſſime reſiſteret, Cæſariani multis e ſuis deſideratis receptui canere coguntur, ſeq; ab illa pugna recipere, quia equitatus non mediocriter culturæ profunditate impediebatur, atq; ita vt equi freno parere non commode poſſent. Schertellus eo defenſionis honore contentus ſuorum ſalutem incertæ poſtea victoriæ anteponit, atq; inſtitutum iter facere aggreditur. at Sauellus intelligens non mediocre dedecus, ſi hoſtem incolumem diſcedere pateretur in ſe eſſe redundaturum, tanto impetu, tantaq; virtute denuo hoſtem inuadit, vt non paruam impreſſionem fecerit, multiq; vtrinq; ceciderint. Schertellus periculoſum negotium eſſe ratus paruas copias tanto equitatui diutius reſiſtere, ſyluam proximam, quę aderat, relictis tormentis, & duodecim carris commeatu onuſtis, reliquoq; bellico apparatu, ingreditur frequentiſſimis arboribus conſitam. Maluit enim certam exiguarum copiarum ſalutem conſeruare, quàm propter illa impedimenta omnia vno tempore in diſcrimen inijcere. Cæſar motis caſtris Laugingam contendẽs à ſiniſtra Danubium, à dextra ſyluam denſiſſimam inter vtrunq; exercitum percurrentem habebat, cum

Eremberga capta per ſegnitiem ciuium.

Tonauertæ deſcriptio.

Tonauertæ deditio.

Telingæ deditio.

Laugingę deditio.

Schertelli virtus.

bat,cum per apertam glabramq; planitiem iter faceret. Laugingam profectus, ibiq; excubias habens poſtea ſexcentis Germanis in præſidijs relictis ad Suntum caſtrametatur, qui pagus eſt in ripa Prẽzi ignobilis fluuij circiter quindecim millia paſſuum diſtans à Telinga, vbi fluuius ille Danubium ingreditur. Diſtat rurſus ille pagus per tantundem ſpatij ab Alcimenio, ad quam vrbem expugnandam cum Cæſar caſtra mouere diceretur, Philippus veritus tantæ, tamq; potentis vrbis iacturam,quę plurimum ad exercitus commoda,ad exiſtimationem, ad ſocios in fide retinendos, & ad omnem rem bellicam deniq; faciebat,cum propenſio rerum in quam partem inclinauerit, plurimi referat,& in principio bellorum præcipue;cum eſſet in legibus fęderationis caput non imprudenter ſcriptum,vt laborantibus rebus ſociorum ſtatim ſubſidia mitterentur,quod niſi fieret,intelligerentur ab omni ſuſpicione perfidiæ ſolutæ,vel ſi arma caperent pro victoribus contra fęderatos;contento paſſu ad eam vrbem ſubleuandam caſtra mouet, tamq; propinquum caſtris Cæſarianis iter facit,vt apertiſſimè tympanorum ſonitus à Cæſare exaudiretur. Cæſar vt caſtra hoſtium, profectionemq; deſpectaret cum nonnullis proceribus, collem aſcendit,qui erat ſuis caſtris propinquus,atq; ab hoſtibus equitibus cognitus colubrinarum ictibus petitur, quæ in prima fronte exercitus fuerant collocatæ. vocantur colubrinæ tormenta bellica longiora,& arctiora admorem fortaſſe colubrorum,quæ animalia teretem formam habent corporis atqui hæc tormenta minores globos contorquent triginta librarum ſcilicet plerumq;, ſed tamen qui magna vi propter longitudinem tormenti impulſi,vel ad longinquiora loca perueniant. Horum tormentorum vſus muris concutiendis vtilis eſt cum cannonibus vocatis, qui duplicis ponderis globos contorquent, quòd illi concutiant, & globi magnitudine, & aeris impulſu ac bombo,cum colubrinæ propter vim eximiam penetrent tantum,viamq; aperiant verberationibus,at non etiam concutiant. Hæc de ordinarijs tormentis aſſerimus,cum maiora,& extraordinaria vtrunq; poſſint efficere, ſed propter magnitudinem,& pondus ſunt faciendis itineribus inepta. Cæſar ex illo colle iter hoſtium proſpectās cognouit eos Ghengam proficiſci, quæ vna eſt liberarum vrbium, diſtabatq; ad quinq; milliaria a caſtris Cæſarianis apud fluuium Prenzum ſita, vbi caſtrametati ſunt. eo die initum eſt leue prælių, in quo nihil actum memoria dignũ:ſed fieri collatis ſignis certamina impediebat Prenzus fluuius, qui inter vtraq; caſtra interfluebat tantæ profunditatis, vt ſine ponte traijci non poſſet,cum ad traijciendum vel pontem conſtruendum non nihil temporis eſſet abſumendum,vt vniuerſæ copiæ poſſent tranſire illa diligẽtia,illoq; ſtudio,quod breui pugnaturis erat neceſſarium.at enim Cæſari Telingam accedẽti legationes,mittuntur,quæ agerent de deditione ab Hochſtata, Gundelfingueuaq; vrbibus ad ripam Prenzi fluminis poſitis,quarum altera habet munitiſſimam arcem, altera erat cardinalis Auguſtæ, ſed à fœderatis fuerat occupata:atq; hæ ambæ facile ſunt in fidem à Cæſare receptæ.Cæſar vrbes in ripa Danubij occupari plurimi ad rem bellicam,futuramq; victoriam referre ratus,nocturno tempore conſultat an Alcimenium ſit accedendum. poſt varias ſententias in vtranq; partem adductas,tandem die poſtero decernit locum ad transferenda caſtra deligere,ſi ferre ſuppetias conaretur hoſtis,vt nõ ſine aliquo incommodo cogeretur dimicare. Philippus vbi vidiſſet non auſum fuiſſe Cæſarem ſigna conferre,cuius conſilium occupandi Alcimenij ſibi videbatur impedijſſe,decernit Ghengæ caſtra firmare,atq; tria Heluetiorum millia,ex indigenis delectibus mille,& quingentos mittit ad Alcimenij præſidium,vt ita ſatis ciuium deſiderio fieret.Ceſar ita munitæ vrbis perdifficilem expugnationem arbitratus mutauit conſilium transferendi caſtra: quippe quòd videretur parum rei militari, bellicæq; prudentiæ conuenire, vt vrbem obſidere tentaret, in cuius oppugnatione habiturus eſſet à tergo nonaginta,& amplius armatorũ millia,qui,vt clare patebat, ſtatim erant occupaturi eadem caſtra,quę Cæſariani reliquiſſent.ea ratione fiebat,vt facillime commeatum Cæſarianis intercluderent,cum ad eos nulla alia eſſet via, omnibuſq; locis, & vrbibus eſſent potituri,quæ fuerant à Cæſarianis occupatæ. Nam ſi ibi conſtitiſſent Philippici,omnem ſubſidiorum ſpem vrbibus ademiſſent. Cæſar itaq; ſic erat habiturus à fronte Alcimenium,à dextra Inturgos,à ſiniſtra regionem Auguſtæ,& Danubium,loca omnia hoſtilia.cepit igitur bellum caſtrorum eligendorum potius ratione agi,quàm armis,cum vterq; in conſpectu hoſtis conſiſteret.certatum eſt frequẽter leuibus prę lijs,dum Cæſar Sunti,Philippus Ghengæ caſtrametatur ac muniunt, ſed nihil actum memoria dignum. vnum tantùm certamen memorabile fertur,quòd ante lucẽ tria ſclopettariorum millia in ſylua collocantur in inſidijs Prenzo flumini propinqua, quæ non pluribus ſexcẽtis paſſibus diſtabat a caſtris Philippicis; quibus acceſſit Italus equitatus ductore principe Sulmonenſi,Rodulpho Balleono,& Alphonſo Ateſtino,hoſteſq; ad certamen prouocati ſunt,veluti mos erat.princeps Sulmonenſis tanta arte hoſtes attraxit,vt ad eum locum,ad quem cupiebat, perduxerit.initur tum ab equitibus tum etiam à peditibus ſclopettarijs atrox pugna. multi è Philippicis cadunt. In eo prælio vtebantur multa tormentorum opera, tamen non mediocre damnum paſſi ſunt à Cæſarianis ſclopettarijs.equites magna virtute cuneatim in Cæſarianos impreſſionem faciunt. ſed tamen leuiores equites Cæſariani deniq; ſuſtinent impetum, cum preſtantiſſimi equites ex omnibus nationibus,quæ militabant Cęſari, eò glorię deſiderio conueniſſent. Cęſar poſtea iubet canere receptui,cum ſuos inclinare videret. Hoſtes pari conſilio in caſtra redeunt. nam exierant è caſtris Philippicis ad illud certamen Ioannes Federicus, Georgius Roccherottus, Bartholomæus Heimbruccus,cum trecentis equitibus,& nõnullis ſclopettarijs. Cęſar,vt aliqua inſigni clade hoſtem afficeret,in varias partes ſyluę,vbi tegi poſſet,equitatum Germanicum diſtribuit. poſtea Hiſpanos Italoſq; ſclopettarios latere iubet.vniuerſas reliquas copias in aciem inſtruit ad omnem neceſſitatem.iubet nonnulla tormenta in opportunis locis tecta collocari. Sulmonenſem hoſtes, vt heſterno die fecerat,ad certamen iubet allicere. Philippici exeunt è caſtris eductis duabus confertiſſimis

Tormentarũ vſus.

Prenzus flu.

Hoc ſtatæ ex Gundelfingueuæ deditio.

tiſſimis turmis equitum, quæ nunquam à ſuis aggeribus diſceſſerunt, niſi tam propinquæ vt ſuis tormentis protegi poſſent. vbi vero diu certatum eſſet, neq; Philippici potuiſſent in inſidias allici, vtriq; ſua redeunt in caſtra]. Cæſar cum vana atq; irrita ſua conſilia diurna euadere videret, hoſteſque nimis cautos vel admonitos inſidiarum rationes putaret, ad nocturnas inſidias animum cõuertit. Imperat Hiſpanum peditatum, Madruccijq; Regimentum cãdidis interulis exterius tegi, & præfecti Prutenorum, & Alberti marchionis equitatum. Ipſe, vt certior fierẽt, ſi opus eſſet ſubſidijs, imperat ſe excitari, quod eſſet in curru coperto dormiturus, cum nox iam eſſet longa, & frigidiſſima in illis regionibus; agebantur enim hæc menſe Octobri. Sed copiæ diſtabant quatuor ſtadijs tantũ à caſtris hoſtium, vbi cognitum eſt duplicatos eſſe vigiles, quare ſignificatum eſt nõ eſſe vlterius procedendum. cum diligentius etiam exploratum eſſet, perſpicitur admonitos eſſe Philippicos, quia multos ignes accendiſſent, in multaq, agmina apparerent inſtructi. Cæſariani; qui putarant repentino conatu, nihilq; tale cogitantes Philippicos ſomno ac vino ſepultos profligare, vbi & vigiles, & inſtructos, & paratos ad propulſandos impetus vident, ſpe potiundæ victoriæ fruſtrati in caſtra ante lucem redeunt nullo commiſſo prælio. Cæſar parum conferre ſuis rebus arbitratus aduerſus tantam vim equitatus, & peditatus exiſtimationem, & imperium, quod tãta induſtria hactenus defenderat, fortunæ arbitrio vno horæ momento committere, putauit præſtare in poſterũ vt frequẽter leuibus prælijs hoſtem fatigaret, quam vt armis omnibus vno tempore rem experiretur, quo diuturni belli pertæſus arma abijceret, cum præſertim nullum bellum poſſit eſſe diuturuum, quod è multorum ptincipum conſpiratione conflatum ſit ac ſuſtentetur, aut quod omnino è multis ſocijs periculorum conſiſtat. Nam ſi cuius animum, vel diſcordia, vel defatigatio, vel diuturnorum ſumptuum moleſtia inuadat, quod facillimè accidit in multitudine, omniũ poſtea vires, quia maius iam onus incumbit, ſine dubio, vel continuo, vel breui labefactantur. Cæſar interim curare, vt commeatus hoſtibus interciperetur. prædabundos, & quos prædæ cupiditas longius à caſtris euocaſſet, calonesq; & lixas trucidare. cogere ad arma ſæpius per noctem in caſtris cõclamare: quæ res eam nationem non nihil ſolet infeſtare. fiebant manifeſta inita omnia ferè Cęſaris conſilia, cũ nihil eſſet, de quo non ſtatim certior fieret Philippus in ſingula diei tempora, qui plures ducentis fidiſſimis exploratoribus habere in caſtris Cæſarianis dicebatur. atq; profectò maximi ſemper fuit momenti ad omnes res bellicas, vt fidiſſimi ac diligentiſſimi exploratores habeantur, pro qua re nullis ſumptibus parcendum eſt; quoniam vnum hoſtium conſilium opportunè, ac mature cognitum poteſt aliquando vniuerſum negotium ad optatum finem perducere, aut vniuerſas copias ex aliquo imminente periculo ſeruare. Nam illis, qui ad recognoſcenda loca mittũtur, & captiuis parum fidei tribuendum eſt quandoq;, quòd illi timidius, aut negligẽtius, aut imperitius res perſcrutentur, iſti ad intima conſilia, vt parum curioſi, non penetrent; ac diligentes exploratores omnia dicta, facta, viſa, audita ſtudioſiſſime obſeruant. quare ex his intima conſilia hoſtium, ex illis externa indicia, an cum horum ſignificatione conſentiant, expectanda ſunt. Quare cum tanta ſit vtilitas, quæ e diligentiſſimis fidiſſimiſq; exploratoribus percipitur vt ſepe victoria in cognitione conſiliorum hoſtilium, quæ per exploratores ſignificantur, conſiſtat, ſaluſq; vniuerſi exercitus, patet liberaliſſimos eſſe principes in huiuſmodi genus hominum oportere, qui nõ, niſi magnis præmijs propoſitis tantæ periculorum moli, tanteq; crudelitati, quanta patefactis exploratoribus proponũtur, ſe exponunt. Non leuibus igitur laudibus digna eſt Lantgrauij prudentia, qui tanta vteretur diligentia, cum Cęſar contrà ob exploratorum inopiam diutius etiam bellum protraxerit. Cæſariani igitur duplicatis cuſtodibus, armatiſq; Philippicis copiis tantum periculum non eſſe ſubeundum rati in caſtra redeũt. atqui Schertellus, qui Louinga peruenerat Auguſtam, vt ibi proſpectaret quò tenderent hoſtium conſilia, vt ſi illam vrbem tentarent, præſens ipſe defenderet, dicebatur in caſtra reuerſurus quinquaginta nummum millia ex Auguſta, finitimiſq; fœderatorum vrbibus collecta ſecum allaturus, quem tria peditum millia comitabãtur. Cæſar ea de re certior factus, mittit obuiã Franciſcum Ateſtinũ cũ quatuor peditum, & duobus equitũ millibus. Franciſcus omnes aditus occupat. mittit qui aduentum obliquè explorarent ac recurrent. omnia loca diligenter munit, vt eum interciperet. At Schertellus certior factus per exploratores illa nocte minime exit. per alium diem, aliaſq; vias incolumis tandem cum pecunia in caſtra ad ſuos redijt. Ateſtinus ea ſpe fruſtratus ad occupandam Frictenã contendit, quæ cum nulla haberet pręſidia, vltro ab ipſis ciuibus apertis portis admittitur. Aucta ſunt per id tempus caſtra Philippi triginta Intuergorum, finitimorũq; populorum vexillis, ac totidem ex altera parte diminuta. illum enim morem ſeruabant fœderati, vt tertio quoq; menſe noua ac recentia ſubſidia ſubminiſtrarent, militeſq; laboribus bellorum defatigatos per aliquod tempus immunitate belli donarent. at Cæſarianæ copię cum propter lõginquitatem regionum renouari non poſſent, erant magnopere diminutæ, quòd multi nõ ſolùm ferro, ſed etiam morbo abſumerentur. Moriebantur multi Hiſpani, & plures Itali, quippe quod eorũ corpora nec acerbitati frigorum, nec aeri eius regionis, nec tot incommodis ferendis eſſent aſſueta. Sed tamen multo plures moriebantur ex Italis, quia propter inopiam ſtipendiorum ſibi à Pontifice debitorum illa deeſſent, quæ neceſſaria ſunt conſeruandæ ſaluti. illa non ita deficiebant Hiſpanis, quia præſente Cæſare ſtipendia præbebantur. Hac de cauſa Cæſar ad conſeruandas reliquas copias Louingam in hyberna concedit, quia locus ille ad omnes res neceſſarias habendas appareret accommodatus. atque hoc ipſo tempore Farneſius purpuratus antiſtes, qui legatione fungebatur apud Cæſarem in eo bello, propter valetudinem Romam reuertit.

Fœderationes vt inualidæ.

Exploratorũ vtilitas.

Frictena capta.

NATALIS

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS,

## *LIBER SECVNDVS.*

SI QVIS diligenter ea, quæ ſuperius perſcripta ſunt à nobis, perpendat, multa profecto inueniet, quæ felicitati & fortunæ Cæſaris tribuenda ſint, multa quæ egregię virtuti militum, ſed multo plura quæ ſingulari eius prudẽtiæ ac diuino prope iudicio ſint iure aſſignãda. Si quidem conſiliorũ oĩum rectorum facultas, & rõ recte cogitãdi atq; gubernãdi, & principia ſeminaq;, vt ita dixerim, ſingularum actionũ; & actiones ipſas ad optatũ finẽ dirigendi, diuinitus nobis cõceſſa eſt. Facultatẽ vero euentuũ, & felicitatẽ, & exitus ipſarum actionũ in diuina voluntate oportet collocari, quàm vim; quoniã ignota eſt mortalibus, fortunã placuit appellare, cũ nihil, verè ſit fortuna, niſi ex ignotis & obſcuris cauſis rerũ ſingularũ euẽtus, qui cũ penitus ignoti ſint numine ſapientius operante nobis videntur fortuitò contingere. atq; cum Cæſar oĩum Imperatorũ præſtantiſſimus creditus ſit, pluſq; ſibi laudis & glorię & exiſtimationis in re militari comparauerit, q̃ Imperatores oẽs quotquot à Romano Imperio ad hæc vſq; tẽpora floruerunt, & oĩum bellorũ ab eo geſtorũ Germanicũ hoc maxime memorabile, glorioſumq; creditũ ſit, per qđ ille ſibi vniuerſam ferè illam exiſtimationẽ cõparauit, non erit abſurdũ ſi perquiramus qua in re tanta hęc p̃ſtantia, tantaq; ſapientia extiterit. Sic.n. rem cognitam diligentes hiſtoriarũ lectores poterunt non ſolum vt eximiã admirari, ſed ẽt vt maxime vtilem in poſterũ imitari. vniuerſa igitur Cæſaris laus & virtus & gloria in eligendis caſtris conſiſtit ante captũ Neoburgum, aduẽtumq; Burani comitis, cũ eorũ opera mirificè conſeruauerit exercitũ, qui poſtea ijs auxilijs auctus ſi non contẽnere, certè non magnopere formidare hoſtem potuit. fuit igitur illud admirabile in hac re, Cęſarem tanta prudentia vſum fuiſſe, vt caſtra tum callide, tãq; in opportunis locis elegerit, vt per egregias caſtrorũ munitiones cũ ſeptẽ millib. hominũ primũ reſtiterit tã potenti exercitui, tantis hoſtiũ copijs, tãto tormẽtorũ, equitũ, peditũq; numero, vt ſi conuiuia celebrata fuiſſent tunc à Germanis, ſinguliſq; decadib. pincerna Cæſarianus miniſtraret, multæ decades pincernarũ inopia cogerentur ad accipienda pocula à menſa conſurgere. Illud verò eſt fortunæ felicitatiq; Cæſaris tribuendũ, cũ tã diligẽtes haberet hoſtes, tã ſtrenuos, tã prudentes, tam obſeruantes rerũ militariũ, ꝙ Philippus pro tantis apparatib. caſtra ſummo conatu, antequam augerentur nouis auxilijs, nõ ſit adortus. id ſi cõtigiſſet, cõclamata fuiſſet ſine dubio oĩum Cæſarianorũ ſalus, atq; in vna caſtrorũ expugnatione tota vis belli fuiſſet extincta. Sed.n. cum euentus bellorũ, vt rerum cæterarum in volũtate Dei ſint collocandi, exiſtimãda eſt Cęſaris victoria diuino potius, quàm humano conſilio fuiſſe parta, vt ipſe poſtea Cæſar dicere ſolebat. Nã cum ſalus inſcite eligendis caſtris conſiſtat, tum certe victoria in expugnãdis hoſtiũ cõſilijs, & cognoſcendis erroribus, ſi qui ab ijs committantur. Cęterum Cæſar quo tempore Sunto profectus inſtructis ita copijs, vti conſueuerat, Louingam proceſſit, quadringenti equites Philippici ad infeſtandã extremã Cęſarianorũ aciẽ contendunt; ſed nihil actum memoria dignũ, cũ illa egregie Sulmonenſis principis opera defenderetur. coniecta eſſet a Philippicis in magnum diſcrimẽ res Cęſariana, quoniam illorum caſtra nuper aucta fuerant quindecim Intuergorum millibus, cum Cæſaris vires contra fuiſſent diminutæ multorum Italorum, Hiſpanorumq; obitu, vt diximus, cum Itali ad quatuor millia eſſent redacti, reliqui, aut ferro aut morbo abſumpti. At vero non ita placuit diuinæ voluntati, vt Germani cęteris in rebus diligentiſſimi hoc etiam per exploratores inueſtigarent, quod patet vel illa de cauſa, quòd nullo horum commodorum vti ſciuerunt: cum non minus debellandi hoſtis opportunitas per aliqua eius incommoda cuique Imperatori ſit aucupanda,

> Caſtrorum electio, præcipua Cæſaris laus.

da,q̃ exploranda conſilia ad ſalutem ſuorũ militum.cum Cæſar in hyberna ſe recepiſſet, Philippus
ratus eum copias retraxiſſe,futurumq; vt vires Cęſarianæ breui penitus labefactarẽtur,monet prin
cipes fęderatarum vrbium Cæſarem ab iſtituto deſtitiſſe.at Cæſar ibi per dies viginti & duos cõmo
ratus,cum exercitus Louingę parua pars eſſe poſſet,multiq; eſſent ſub dio,nihil memoria dignũ cõ
miſit,cuius in caſtris cęptum eſt plurimũ annonæ penuria laborare.angebat p̃terea milites nõ me-
diocriter cęli inclementia,cęnoſaq; itinera,& lutulentæ viæ, quorũ tantorũ malorũ pertæſi multi
aufugiebãt è caſtris.Terrebantur magnopere Cæſaris duces ne vniuerſus exercitus ſolueretur, quæ
**Cæſaris oratio militaris**
res cum fuiſſet delata ad ipſum Cęſarem breuiter illos ad perferenda incommoda hortatur; Quòd
ſi pro re mediocri,& quæ ſine ſumma turpitudine, vel potius ſcelere tranſmitti poſſet,bellũ ſuſce-
ptũ fuiſſet,libẽtiſſime tot inſigniũ Ducũ militũq; cõmoda, a tot virorum fortiũ ſalus cæteris reb.
eſſet anteferenda.Sed qm̃ non ſolũ de dignitate,nõ de gloria, nõ de Imperij maieſtate hoc vno bel-
lo decernitur,ſed cũ his ſimul oĩb. de ſacris ceremonijs,de vero Dei cultu, de auita religione oblite-
randa, nemo vir bonus dici põt,qui pro rebus tantis non mõ duriſſimos quoſq; labores non perfe
rat,ſed ẽt certiſſimo vitæ periculo,ſi res ita poſtulet,nõ ſeſe offerat:p̃ſertim cũ vniuerſa gloria lauſq;
militaris non in fruitione voluptatum vel in delitijs, ſed in inedia, vigilijs,caloribus ac frigorib. pa
tienter perferendis,& in plurimis laboribus ſuperandis fortiter,cõſtituta ſit.nã glorioſis & honorifi
centiſſimis quibusq; negotijs ſummi labores,ſummęq; difficultates ſunt propoſitæ;cũ Deus altiſſi
mus nihil laudabile,illuſtre,glorioſum mortalib.per ſocordiam & ignauiã cõparandũ propoſuerit.
His Cæſaris verbis ad milites delatis mirũ eſt quãtopere ad labores difficultatesq; propoſitas ſupe-
randas oĩum animi ſint inflammati.verũtamẽ cũ cęli inclementia nihil mágis remitteret,imbresq;
propè fierẽt aſſidui, propoſitũ fuit in caſtris Cæſarianis copias in hyberna prorſus eſſe traducẽdas,
ac diſtribuendas in loca finitima,neq;habendas eſſe ſub dio.Illis ſentẽtiæ Cæſar multis de cauſis pla
nè non aſſenſit,quod conſilium poſtea docuit experientia optimũ fuiſſe. Mauritius unus e Saxonũ
ducibus Cæſari pecuniã & auxilia initio eius belli obtulerat aduerſus Philippũ & Federicũ, quãuis
alrer eorũ ſocer eſſet,alter conſobrinus,hunc ad arma cõtra vel affines ſuſcipienda allexerat Impera
riũ exilium,& ſpes prædæ,& facultatis electionis ſpes oblata.ita poſternit & conculcat oĩa humani
tatis & naturæ iura cupido dominãdi.nã oĩa Federici ſpolia ad ſe vnũ pertinere arbitrabatur, cuius
aui Saxonũ duces antiquiſſimi & electores fuiſſent,cuius auxilia Cæſar tãquã minime neceſſaria &
ſuſpecta reiecerat,vt diximus. quia & is particeps fuiſſet Smacaldicæ coniurationis. at vero cũ pluri
mi referret Romanorũ Regis Maruingis,Luſatiæ, Boemięq; imperãti finitimis præſertim Saxoni-
**Mauritij auxilia Cæſari data.**
bus arma Mauritij ſuis viribus adiungere,cum ẽt ſæpius cõib.armis Saxonum impetus alias retudiſ-
ſet,ita ille egit cum Cæſare,vt electio imperatoria Mauritio adpromitteretur . Sic igitur nouis au-
xilijs conſcriptis,contractisq; copijs , quas in ſuis prouincijs habebant,ad quatuor equitũ, octo pe-
tum millia denuo ſunt collecta.Hi Saxonũ Imperiũ inuadentes omni bellico apparatu vacuũ,& pp
fęderations bellũ exinanitũ, magnã partẽ eius breui occupãt: quod nuntiũ vbi fuiſſet in caſtra dela
tũ ad Cæſarẽ,magna facta eſt tormẽtorũ & ſclopettariorum militaris ſalutatio, editaq; ſignificatio
**Cęſari diligẽtia.**
lętitię.Cũ igitur caſtra Louingę Cæſar adhuc haberet,quotidie, vt mos erat eius in vniuerſis bellis,
oĩa caſtra obequitat,proximũq; agrũ diligẽter proſpectat an aliquis eſſet locus, quẽ hoſtes aduerſus
ipſũ,vel ipſe aduerſus hoſtes, vtiliter poſſet occopare.deniq; ſtatuit mutare caſtra, ſicut antea in ani
mo decreuerat,copiaſq; in duas partes diuiſas mouit, cũ in altera procederet peditatus & tormẽta,
in altera aduerſus hoſtẽ equitatus.Enimuerſo vix fieri poterat vt diutius in ijsdem caſtris Cæſariani
morarentur,cũ cęnũ ita eſſet profundũ,vt annona proprius plauſtris aduehi non poſſet, & milites
ad genua vſq; in cęno plerũq; verſarẽtur.poterat vno die Philippus tot difficultatibus oppreſſos &
prope circũuentos Cæſarianos inuadere,non ſine maxima ſpe rei præclare gerendæ, ſed noluit for-
tuna Cęſaris, vel diuinum catholicæ fidei patrocinium, vel tam oculatos eſſe exploratores, ac tan-
tum felicitatis fœderatis tribuere,vt certiores diligẽter & opportune fierent, vel tantam cladem rei
Cęſarianę,quantam acceptura videbatur,infligere:quippe cũ iter per nemora Cæſari eſſet faciẽdũ,
in quo neceſſe erat diſiunctas plerunq; habere copias. Peruentũ eſt tamen ad deſignata caſtra, quæ
non plus duobus millibus paſsuũ diſtabant à Philippicis, vbi Cæſariani ſibi viſi ſunt ſalutẽ recupe-
raſse,reſpiraſseq; aliquantulũ à tantis laboribus & miſerijs, cũ & lignorũ copia & abunde ſuppete
ret;quę commoda in primis ſpectanda ſunt in eligendis caſtris,vnà cum facili conuehẽdi cõmeatus
**Caſtrorum mutatio Cæſaris & ſitus.**
facultate. erat ipſius loci natura magnopere caſtris accõmodata & munita,quippe cũ à fronte collẽ
conſurgentẽ aduerſus hoſtem haberet,ſuper quo conſtituta ſunt tormẽta, quæ vniuerſam planitiẽ
poſſent infeſtare. à dextra lacus claudebat, profundũq; cęnũ ac difficile, cũ ſiniſtrã partem nemus
p lõgũ ſpatiũ extẽſũ terga clauderet, tutaq; faceret ab hoſtibus ob arborũ dẽſitatẽ. cæpit Philippus
ita frequenter leuib.p̃lijs ob vicinitatẽ caſtrorũ infeſtari, vt niſi natura loci,in quo cõſtiterat, valde
munita fuiſſet,coactus eſſet oĩno caſtra mutare.Cæſar mittit qui cõmeatũ interciperẽt,qđ tãta dili-
gẽtia factitatũ eſt ab equitatu leuiore & à ſclopettarijs equitib.vt vniuerſum agrũ Norlingã, Augu
ſtã,Alcimeniũq; vſq; p̃dabundi excurrerẽt,& direptionib.atq; cædib.cũcta replerẽt. nã vbiq; in pla-
nitie cæſa cõmeatũ conuehentiũ corpora,& fuſa impedimenta,& plauſtra iacentia viſebantur. tan-
ta rurſus in caſtris Philippici afficiebantur moleſtia per noctem, cũ ſæpius ad arma conclamare co-
gerentur,per diem leuibus prælijs eſſet dimicandum, ut nulla propè quies à laboribus diurnis & no
cturnis concederetur. Concidit paulatim illis priſtinus animi vigor, & omnis pugnandi alacritas,
cũ vel demiſſiores fierent,vel non exirent prorſus ad leuia certamina,vt antea ſolebãt, quare cogni
tum eſt Cæſari quanti referret caſtra mutaſſe; ſed ſolum diſploſis in Cęſarianos prouocantes tor-
mentis e ſuis aggeribus ſignificare videbantur ſe eius belli iam eſſe pertęſos, quibus incommodis

illud

illud etiam accedebat,quòd eximiè in caſtris Philippicis laboraretur panis penuria, cum affirmarēt
captiui ſe iam quinque dies panem non vidiſſe. Cæſar vt magis etiam intimis coniunctiſque mole-
ſtijs hoſtem affligeret ac defatigaret,mittit qui alium collem recognoſcerent ad occupandum, vnde
hoſtis caſtra poſſent facile infeſtari,cum illis immineret. Iſtud dum fieret, ne impediretur à Philip-
picis,ex alia parte caſtrorum hoſtilium apud aggeres foſſaſque Philippicas iubet leue prælium com-
mitti : qui collis cum valde opportunus viſus eſſet, Cæſar illum occupat, atque caſtra eo transfert.
Illud conſilium ſanè prudenter fuit ſuſceptum, quòd apparebat breui futurum vt hoſtes caſtra mu
tare cogerentur,ſi ſeſe Norlinga dediſſet ad deditionem compulſa ; vbi ſi haberetur equitatus vni-
uerſus commeatus poterat Philippicis intercludi. nam nullum eſt conſilium neq; hoſtibus magis
pernitioſum, neq; formidabilius à Cæſare quidquam excogitari potuit, cum fames & rerum victui
neceſſariarum penuria ,magis formidabilis violentaq; ſit, quam vlla bellica tormenta, vel peditū ac
Fames bellica tormentū validiſsimū.
equitum ordo.nam arma armis repelluntur & conſilio & militaribus reparationibus, & fami & pe
nuriæ victus nulli aggeres, nullæ foſſæ,nulla propugnacula poſſunt reſiſtere. Philippica res eo deni
que redacta eſt, vt Philippus die poſtero decreuerit collatis ſignis dimicare,iuſſeritq; curare corpora,
parare arma, omnia inſtruere ad pugnam in diem craſtinum. Quæ dum ſtruuntur in caſtris Philip-
picis, fit certior Federicus per literas Sibillæ vxoris Mauritium & Ferdinandum coniunctis armis
ſuum principatum hoſtiliter inuaſiſſe,omniaq; veniſſe in eorum poteſtatem,præter pauca loca mu
nitiſſima. ſignificabatur mature ſuccurrendum eſſe domeſticis rebus,neque committēdum vt pro
pria bona amitteretur ab ipſo. occupandis alienis intento. Huic nuntio in caſtra Saxonum delato
inter priuatos primum nulla fides habetur,ac neq; illis quidem, qui ſeſe ex illis cladibus fuga ſerua-
uerant.Deniq; certiores facti Federici milites incredibili flagrant deſiderio tectorum,larium, libero
rum,vxorum,patriæ viſendę ac defendendæ. Philippus multis precibus, multiſq; rationibus cona-
tur Federicum ab illa profectione retardare, ſed quæ rationes ſatis eſſent validę aduerſus patriæ, fa-
cultatum,vxoris,liberorumq; ſalutem ? ille vbi cognouit ſe omnem operam ludere,cum etiam fœ-
deratæ vrbes belli diuturnitatem iam grauiter ferentes ſtipendia non promptè ferrent, decernit cōi
conſilio cum Federico belli laborem omnino eſſe deponendum, ſi poſſent honeſtæ pacis conditio-
nes inueniri.Iſtud autem facile pati poſſe honor & exiſtimatio fœderatorū videbatur,quia ſi non vi-
ctores,at certe neq; victi à Cæſare dici poſsent. erat in caſtris Philippicis vir quidam acri ingenio, ſin
gulariq; prudentia Adamus Trottus familiaris plurimæq; autoritatis apud Ioannem electorē Mar
chionem Aliſi,cui demandata eſt ea prouincia vt ageret de pace. Additę ſunt & quędam conditio-
nes & literę ad ipſum Ioannem perſcriptę,vt de negotio tranſigeret cum Cęſare.continebatur in li-
teris,vt ſummatim dicam,Philippum ad pacem idcirco animum flexiſſe, ꝙ cognouiſſet Cæſarē Im-
peratorem ſapientiſſimum,atq; clémentiſſimum pacem & tranquillitatem communemq; totius
Lantgrauius pacem petit.
Germaniæ ſalutem & conſeruationē proprio vltionis deſiderio prælaturū.His additæ ſunt nonnul
læ conditiones ad religionem ſpectantes,quas ſeſe obſeruaturos fœderati profitebantur,de quibus
actū erat ēt cū Mauritio. Petitū eſt ab Adamo vt difficultates Philippicorū caſtrorū ſumma diligē-
tia occultarentur, quę ſi cognitę fuiſſent à Cęſare,videbantur pacis viam pręcluſurę, aut certe mul-
to difficiliorem facturę. Ioannes re cum Cæſare clam conſultata, reſpondit ſe negotium diligentius
perpēdiſſe animo,atq; optime cognoſcere animum Cęſaris. Subijſſe deniq; atq; ita ſe credere,nihil
cum eo agi poſſe de pace,niſi poſitis armis Philippus & Federicus & principatus & ſeipſos arbitrio
clementięque Cęſaris commiſiſſent. Non ſibi videri ex imperatoria maieſtate,vt cum armatis ſub-
ditis ac propè minitantibus ageretur de pace. remiſerunt ad hūc fęderati qui nuntiaret opus eſſe ac
curatiore diuturnioreq; conſultatione negotio huic tanto,quod ſpectaret ad principatus,ſeq; ipſos
arbitrio Cæſaris dedendos. Quare,ſi Cęſari ita videretur,Cæſar ipſe veniret in colloquiū cū Burano
comite,quē locū colloquij Cęſar ipſe delegiſſet,ꝙ eo Philippus & Federicus eſſent vēturi. renouatū
eſt rurſus à Saxone ſuperius reſpōſum. Nā Cæſar difficultatibus hoſtiū cognitis cū diſtraherentur
cōſilia,ſtipēdia deficerent,milites quererentur, viderenturq; arma abiecturi, noluit hoſtiū legōnes
amplius in caſtta admitti.Federicus ſpe pacis deſtitutus decernit quāprimū reb. domeſticis cōſule-
re,& ſuis opē ferre,quē Philippus iā nō amplius quidē retardare conatur,ſed rogat ut clā, & quā fie
ri pōt occultiſſimè iſtud faciat. Schertellus harū copiarū diſceſſum grauiter ferens nuntiat factū ab
vrbibus fęderatis minime probatū iri, ſi ſineillarū conſenſu caſtra relicta ſint:neq; oīno rē futurā
Schertelli querela.
ſine ſuſpicione,ꝙ duces corrupti ſint largitionibus ab hoſtibus communibus.Curandum eſſe ſalu-
tem communem omnium Germanorum,non minus quàm propriā cuiuſq; exiſtimationē, qua in
columi,nihil pōt cuiquam magnopere formidabile contingere. at ea amiſſa deploratam eſſe ſalutē
ſingulorū.Norlingenſes interea clā agere de deditione,cum propter pręſidia Lātgrauij iſtud facere
palā non auderent.ex altera tamen parte mittere qui ſubſidia poſtularent. Cęſar eo colle occupato
nititur vi hoſtem ex illis caſtris detrudere, cū optaret negotiū iā ad finē perduci, difficillimūq; eſſet
eſse ſub dio. decernit idcirco ad octauū cal.Decēbris vt caſtra mutarentur veſperi, impeterenturq;
tormētis caſtra hoſtiū. iniungitur id munus Albano vt opportune res curaret,cū Norlingēſe nego
tiū differretur.Initū eſt poſtero die leue certamē.pauci cæſi.nihil memoria dignū actū. deinde Phi-
Lantgrauius caſtra mutat
lippici caſtra mouent.nūtiatur Cæſari ſub meridiē, quia nuntius ob denſitatē nebularū aberrauit à
via,neq; prius potuit redire in caſtra Cęſariana,quā Philippici noua occupaſſent.is monet Philippū
carros & impedimēta & maiora tormenta pmiſiſſe.ſub mediā noctē peditatū iter cępiſſe. in poſtre
ma parte pceſſiſſe oēm equitatū cū quadraginta cāpeſtrib. tormētis, q̄ in prima acie trahi conſueue
rāt.illo nūtio accepto Cęſar mittit leuiorē equitatū q exploraret an vere hoſtes diſceſſiſsēt, iubetq;
vt q̄ celerrime ſibi nūtiaret. eo pfectus eqtatus nullos vigiles,nullas cuſtodias, vallos relictos, caſtra

videt inania. his allatis Cęſar cum equitatu Burani comitis iter capit. iubet Germanos ſequi. peditatum inſtrui ad iter, cum iuberetur. ſeptingentos ſclopettarios Hiſpanos expeditiſſimos ſecum abducit. caſtra hoſtium viſit. multi erant in caſtris relicti vulnerati, aut ęgri, cum Philippici ſumma diligentia iter feciſſent. monetur Cæſar hoſtes circiter tria millia paſſuum diſtantes apparere, quos iubetur equitatus inſequi, ac leui certamine retardare. datur Albano petenti Burani equitatus. Cæſar ipſe mox ſequitur cum Germanico. præceſſerant equites. leue prælium initur. Philippici nihilominus iter facere, cum occupaſſent collem mille ſclopettarij, vniuerſusq; equitatus præterijſſet præter duo vexilla cum ſclopettariis coniuncta vbi Albanus circiter mille paſſus diſtans cæpit apparere procul, vniuerſusq; Cæſaris equitatus, omnes in planitiem deſcendunt. Albanus quanto potuit ſtudio viſus cum equitatu, Hiſpanisq; peditibus contendit collem ab hoſtibus deſertum occupare. diſtabat ab eo alius collis paulo plus mille paſſibus, quem occupauerant Philippici. inter hos colles intercedebat planities, quam vniuerſam Philippici ſex tormentis diuerberabant. Interea iter facere ſclopettarij nemori propinquum, quod ad dextram habebant, cum eſſet omnis equitatus in nouem turmas diuiſus Deſcendentibus quibuſdam Philippicis committitur leue prælium. Albanus equitum ſclopettariorum vexillum demittit è colle. certamen atrox eſt commiſſum. At Philippici tantum itineris conficiunt, vt infra ſua tormenta conſtituti ab ijs defenderētur, ſclopettarijsq; ad oram nemoris cum equitatu coniungerentur, qui tormenta in colle tutabantur. Cęſar collem adit à ſuis occupatum paucis comitantibus equitibus, cum alij ſubſequerentur. ibi excogitat an aliquid memorabile poſſet effici. Sed cum nox aduertaret, Philippiciq; in colle caſtrametati multos ignes accendiſſent, viſum eſt & ipſi Cęſari, vbi conſtiterat, per eam noctem caſtrametari. Iubetur Albanus vniuerſum peditatum illa ipſa nocte adducere, ne opportunum tempus hoſtium profectioni concederetur, cum Cæſarem ſequi decreuiſſet, donec aptũ locũ ad eos profligandos nactus eſſet. Iſtud niſi daretur, ſtudebat propellere e caſtris, cum maxima incommoda Philippici ita mutandis caſtris pati viderentur, quòd ſępius patiebantur annonę penuriam, cũ ijs commeatus facultatem Cæſar præcludere plerumq; niteretur. Iubet igitur Cęſar attrahi etiam tormenta in vſum poſteri diei, quę omnia cum præoccupare niteretur, ſumma conficiuntur diligentia. vtraq; caſtra ignes inuicem poſſunt proſpectare. Philippici per totam noctem accenſos ignes relinquētes iter capiunt. Poſtea cum mane illuxiſſet, fluuium Prenzum traiecerunt, cuius in ripa caſtrametantur apud Haidenam, quod oppidi nomen eſt munitiſſimi. miſſi ſunt qui hoſtes per eam noctem explorarent, atque nuntiatũ eſt eos inde diſceſſiſſe. Sed cum mane illuxiſſet, tanta fuit vis niuium, quæ per illam noctem deciderant, vt pedites ad genua vſque mergerentur, maximeque affligarentur, ac vix frigoris acerbitatem poſſent perferre. equi tam erant afflicti deficiente pabulo præſertim, cum nocturnis laboribus eſſent defatigati, atque fræna nunquam per noctem detracta, vt ad cæteros labores inhabiles viderentur. Nulla tamen neque temporis iniuria, neque incommodorum magnitudo, neque munitiones caſtrorum hoſtilium potuerunt Cæſaris ingenium retardare, quominus hoſtem inſequeretur niſi Neceſſitas magna dea, vt dicebant antiqui, illum ab inſtituto reuocaſſet. Quippe Cæſar propinquus hoſti caſtrametari non poterat propter commeatuum pabulorumque inopiam, cum ibi diu caſtrametati Phili ppici proxima quæq; deuaſtaſſent. At contra fœderatorum copiæ habebant à tergo Intuergorum regionem fertiliſſimam, quà videbantur iter facturę. His incommodis, & fame omnium incommodorum Regina impeditus Cęſar ne hoſtem inſequeretur, ad quod accedebat acerbitas temporis & diſtantia hoſtium, ſtatuit alia via negotium eſſe aggrediendum, vt & commeatus ſuppeditaretur copia, & liceret aliquando non eſſe ſubſidio, cum homines in aperto iam omnino non poſſent conſiſtere. in eo ſanè ſumma belli, & omnium calamitatum origo conſiſtit, quòd Philippus & Federicus Guinguena caſtra mouerint: atque paulo poſt nuntiatur Cæſari hoſtes Haidenę fuiſſe caſtrametatos bifariam diuiſos, cum altera pars urbanarum copiarum Auguſtam Alcimeniumque peteret, altera equitatus ac peditatus Federici ſcilicet & Philippi contenderet in Franconiam vocatam regionem. atqui ſi rei militaris rationem diligenter quis conſideret, ea poſtulabat vt ſummo conatu collatis ſignis dimicare ſtuderet Lantgrauius, cum in mora certiſſima eſſet iactura; in pugna, victoria ſi non certa, ſaltem ambigua. atque huic pro victoriæ præmio propoſitũ erat totius Germaniæ Imperium, & viuendi per arbitrio licentia, quam illi libertatem appellabant. ſin profligati fuiſſent Philippici, collapſuræ erant copię omnino diſſoluendæ, cum fieri non poſſet vt diutius coniunctæ tenerentur, omneſq; vrbes Germanę ita eſſent hominibus plenæ, vt debilitatis etiam & afflictis per eam cladem Cæſaris viribus facile poſſent reſiſtere. At Cęſar contra nulla in re magis periculum Imperij erat ſubiturus, quã ſi confligeret; quia nullis proprijs viribus ſuſtentatus, ſed alienis propè tãtum adiutus, non videbatur bellum diutius poſſe protrahere, qui ſi profligatus fuiſſet ſemel, futurũ erat vt omnis eius vis & autoritas tanquã leuis nebula à rapidiſſimo vento diſſi-

Ratiocinationes bellorum.

paretur; cũ oẽ ciuitatum Imperiorumq; pondus ad nutum, arbitriumq; victoris proruat, cuius volũtati oĩa quæ fuerant deuictorũ obediunt. verebatur Cæſar, vt ad inſtitutum redeamus, ne ſi Philippici illis regionib. potirentur, denuo renouaretur bellũ, cũ & nouos apparatus eſſent habituri, & annonæ copiã, & pecuniã multã in futura ſtipendia. Poterat autem Franconia facile occupari, quia non ſatis valida haberet prę̨ſidia, quibus locis occupatis maiori difficultate opus erat ad Philippicos inde diuellendos atq; eijciendos, quã fuerat ex omnibus prędictis locis, cũ illa cõmoda inde conſequi poſſent, quæ valerent profligatum exercitum inſtaurare ac reficere, nedum integrum ſuſtentare. Cęſar cognito per exploratores hoſtium conſilio maxima diligentia, quamuis niuibus & gelu infeſtabatur, duobus caſtris ad vrbẽ exiguã Poſſingã imperatoriã peruenit, quæ diſtat à Norlinga ad mille paſſus, quo itinere recta Rottẽburgũ patebatur. nã Cæſar omiſſis Philippicis copijs fugiẽtib.

ad

ad ſubiugandas nonnullas vrbes & caſtella animum adiecit, qua ratione ſibi & commeatibus viam
patefaceret, & faciliorem aditum ad primarias vrbes ſubiugandas. Deinde cum trecentos equites Bel
gas ad retardandos, infeſtandoſque animos ciuium Poſſingæ præmiſiſſet, obuios mox habuit princi
Poſſingæ de ditio.
pes vrbis, qui vrbem ipſam & oppidulum eius arbitrio dedunt, quos ille perhumaniter in fidem ac
cepit. eius rei fama perculſi Norlingenſes & ipſi ad deditionem conſpirare incipiunt. Sed duæ res
animos eotum maximè infeſtabant, altera fæderatorum præſidia, quæ erant ſatis valida aduerſus vr-
banas vires, altera ꝙ erant memores quãtum fraudis aduerſus Cæſarẽ admiſiſſent, ꝙ ſimulaſſent ſe
poſtulare tempus ad deditionem, cum tamen ad accipienda ſubſidia popoſciſſent. Sollicitabant au-
tem ad deditionẽ & vrbis debilitas, & infirmitas defenſorum, quia neutra harum rerũ, neq; vtręq;
ſimul videbantur fore ſatis validæ ad ſuſtinendas tantas Cæſaris vires. acceſſit adhoc ꝙ ipſa præſidia
ciuibus diffidentia per obſcuritatem noctis erectis quatuor vexillis ad profectionem ſeſe ad oppidũ
Groppiam vocatum ſatis amplum & munitum, diſtãs ad duo millia paſſuum a Norlinga, receperũt
vbi erant alia duo vexilla peditum. Poſtridie tamen cum mane illuxiſſet, Norlingenſes legationes
Norlingę de ditio.
mittunt ad Cæſarẽ, quæ vrbem arbitrio Cæſari dedant, atq; triginta & ſex millia nummũ præterea
offerant. Cæſar relicto ibi Cardinale Auguſtano cum mille & quingentis Germanis ipſe cũ magna
parte peditatus & equitatus ad vrbem Imperatoriam Tegheſpillũ ſigna promouet, cũ Buranus co-
mes iam Viſſemburgũ adijſſet. Hæ vrbes tametſi viſæ ſunt velle Cæſari reſiſtere, trânſitũq; liberũ ne
gare, & iam leuia prælia forent ẽt commiſſa, tamẽ antequã copiæ ad obſidionẽ expugnationẽue cõ
uenirent, ſe dedunt. Iſtud aũt fit, quia cum Hiſpanis pręceſſerat Tegheſpillũ Albanus dũ attraheren
Viſſemburgi & Tegheſpilli deditio.
tur tormenta, iuſſeratq; præconẽ de more bellorũ ſignificari ciuibus ꝙ ſi vel vnum tormẽtorũ ictũ
expectaſſent, futurum erat vt vrbs arbitrio militum dederetur. ad rapinas. ſ. & cædes & direptiones.
duobus igitur vexillis peditum in cuſtodijs relictis Cęſar Rottẽburgũ caſtra mouet: quod iter ſupe-
Rottemburgi deditio.
ratis grauiſſimis locorum ac temporum difficultatibus biduo conficitur. atq; illa vrbs ẽt per deditio
nem recepta eſt in amicitiam Cæſaris. Cæſare his locis occupandis ſubiugandiſq; intento, quæ pare
bant fæderatorum imperio, fæderati Franconia potiri ſtudent, quæ regio cũ fertiliſſima ſit ad meri-
Frãconiæ deſcriptio.
diẽ cum Sueuorum regione coniungitur. ad occidentem hẽt Rhenum fluuiũ, ad Septẽtrionẽ Menũ
Menus fl.
& ipſum fluuium & Cheruſcos. ad orientẽ ſyluã Hercyniã & montes Boemiæ, vnde Menus defluit
in Rhenum, multiſq; fluuijs quãuis ignobilibus, tamẽ plurimũ ad fertilitatẽ cõferentib. tota irriga
tur. Vocati ſunt autẽ Francones populi, quia pulſis Alanis eorũ Imperiũ infeſtantibus oĩ immuni-
Frãcones vnde dicti.
tate donati ſunt in decennium à Valentiniano, atq; ab ea immunitate dicti ſunt Frãcones, quod no-
men immune vulgo ſignificat. Cæſar acceptis in amicitiam Tegheſpillenſibus fit certior hoſtẽ pa
rum diſtare. vniuerſas copias mouet eo cõſilio, vt reliquias hoſtium regionẽ illã infeſtantes diſſipa
ret, atq; in fugã verteret, quãobrem cito curauit occupare Rottemburgũ vrbẽ munitiſſimã & popu
loſam, ꝙ ea vrbs videbatur particeps Smacaldicæ coniurationis plurimum auxilij hoſtib. datura. Sed
illa occupata apparebat non nihil iter, conatuſq; hoſtium retardatura. Hortabantur Cæſarem com-
plures è ſuis proceribus vt eſſet Norlingæ in hybernis per illud tempus, & in locis finitimis in ripa
Danubij ſubiugatis apud Auguſtam & Alcimeniũ, quia vis frigoris & gelu & niues exercitum maxi
me infeſtarent. at Cæſar maximi eſſe ponderis ducebat hoſti reſiſtere, Frãconiam defendere, ſeſe fæ
deratis opponere, ne apud Alcimenium & Auguſtam caſtrametarentur. apparebat. n. futurũ vt Phi
lippici maximis viribus comparatis, ſi res diutius procederet, maius bellum ac difficilius in annum
ſequentem eſſent collecturi. Philippici contra audito Cæſaris itinere ad vrbem Rottemburgũ mu-
tant conſiliũ. deſerunt Franconiã. per maxima frigora monteſq; aſperrimos in frigidiſſima regione
menſe Decembri iter capiunt Aſpergũ verſus & Chirchernam & Intuergos. maiora tormẽta non
nulla in oppida ditionis Intuergorũ ob difficultatem viarũ diſtribuunt. nam ſi eo pondere tormen
torum grauarentur, videbantur non nihil commodi Cęſari conceſſuri vt ab eo opprimerentur, atq;
tormenta & reliqua oĩa erant in maximo periculo cõſtituta. Sic igitur expeditus Federicus Saxoniã
repetit, qui iãiã vniuerſis Germanicis vrbib. vnà cũ Lantgrauio videbatur Imperaturus. Philippus
cũ ducentis equitib. domũ & ipſe reuertit, qui dũ per Vſipetorũ regionem iter faceret, ad eũ conue-
Lantgrauius & Federicus ſoluunt copias.
niunt in colloquium vrbis præfecti, tanquam ad ſummũ fæderationis Imperatorẽ, conſiliũq; petũt
quid ſibi faciendum eſſe cenſeret in tanta rerũ difficultate. His reſpõdet Philippus oportere quẽq;
pro ſuo ingenio ſuis & rationibus & ſaluti conſulere. Quę dum gerũtur à Cęſare in Germania, for
tuna non ſimplices calamitates imperijs aliquando minitans, ſed pluribus è partibus vno tempore
exercitans incẽdia, alia moleſtia Cęſaris animum vexare conatur. Nam ſub finem huiuſce anni Nea
polis vrbs totius Italię nobiliſſima atque opulentiſſima magnis tumultibus & bellorum motibus
fluctuare cępit. eorum motuum cauſa cauſa fuit, ꝙ Petrus Toletanus Neapoli cum poteſtate pro-
Tumultus Neapolis ob quæſitionẽ Hiſpanam.
regia illi regno præfectus procurauit vt quæſitio pro conſuetudine Hiſpana in ea ciuitate, & in
vniuerſo eo regno aduerſus hæreſim inſtitueretur. illa quidem quęſitio valde ſeuera eſſe diceba-
tur, vt pote quæ non ſolum ad refrenandos animos & audaciam ac temeritatem ſceleſtorum po-
pulorum ſit inuenta, ſed etiam ad cæteros per atrocitatem ſuppliciorum ab impietate deterren-
dos. Nam grauiſſima ſupplicia grauiſſimis ſceleribus conuenire iure cenſentur. eſt autem huiu-
ſcemodi quæſitio apud Hiſpanos excogitata, primum vt eximia ſeueritate puniant propter impu-
riſſima ſemina impietatis ibi nata, eos qui hæreſeos condemnati fuerint. atque condemnatorum
bona ad terrorem cæterotum eiectis domo filijs & vxoribus omnia ita addicuntur, vt vna pars accu-
ſatori, alia pauperibus, alia fiſco Principis aſſignetur ad bellicos ſumptus aduerſus impias nationes.
Iſtud apud ſe fieri nolebant Neapolitani, quòd extraordinaria via non ſeruatis omnibus ſolenni-
bus iudiciorum cæterorum per hunc magiſtratum procederetur. Toletanus nonnullos itaq; inſi-

gniores ciues multis honoribus ac beneficijs auaro conſilio ſibi deuinxerat & obſtrinxerat quo non ſolum ipſi non repugnarent per hanc opportunitatem, verum etiam cæteros hortarentur vt admitterent Toletani ſententiam tanquam piam & ſanctam & illi regno ſalubrem. Cum igitur ſibi viſus eſſet Toletanus rem ſatis aptè inſtruxiſſe, iubet quæſitionē populo proponi, perq; huiuſmodi viros ſibi beneficijs deuinctos rogari ad eam æquo animo amplectendam, qui quidem multis rationibus illud perſuadere conantur. Primum quia ciuitas, ſi foret impietate atq; impuritate hæreſeos contaminata, ita facile poſſet expurgari ab eo nefario ſcelere. deinde futurū vt viri boni & ſapiētes in ſua bonitate confirmarentur, qui nihil mali inde erant accepturi, cum leges non in viros bonos, ſed ad bonorum tutelam & patrocinium ferantur. leges enim ſolis conſceleratis eſſe timendas, multorumq; flagitiorum ſibi conſcijs, & ſcelerū pęnas, quia nō poſſunt niſi grauitate ſuppliciorū refrenari. Deniq; vel hac vna de cauſa quæſitionem eſſe admittendā, ſi nullæ honeſtiores ſubeſſent, ꝙ Cæſar ita fieri ad pietatis & religionis ſuorum maiorum exemplum atque imitationē ſtuderet. eos, qui diſſuadere tantum honeſtatis populo niterentur, inuidere Cæſaris felicitati, ac nouis rebus ſtudere, eamq; ciuitatem per hanc inuidiam in magnas calamitates coniecturos: cum per ſimulationem religionis quidam ſtudeant Cęſarem Germanicis bellis pro religione implicatum ex Italia detrudere. Habita ſunt hac ipſa de cauſa publica Neapolitanorū comitia, vt de propoſita quæſitione conſultaretur; in quibus poſt multas diſputationes in vtramq; partem factas, viſum eſt Toletani vanū & non neceſſariū conſilium, ac multa ſuſpicione atq; auaritiæ plenum, vt qui rem minime neceſſariam inepto etiam atq; importuno tempore procuraret. reſponſum eſt igitur, optimum videri & propè neceſſarium hiſce præſertim temporibus omne aptum remedium, quod aduerſus deteſtabile ſcelus hæreſim adhiberetur, ſummaq; ſeueritate eſſe in hæreticos animaduertendum, cum religionē animam legum, pacis altricem, conſeruatricem ciuitatum ſolam, ita incontaminatam ad poſteros tranſmittere oporteat, ſicuti accepta eſt a maioribus. Sed tamen harum rerum iudicationē ad Romanum Pontificem, & ad ſacratos antiſtites pertinere, vt in iure canonico continetur: nō autem ad Imperatorem aut ad laicos principes; qui potius ſpe prædæ opibus priuatorum inhiantes, quàm vllo vero deſiderio religionis aut diuini cultus huiuſmodi iudicationem ſibi vſurparet. concluditur deniq; ac decernitur in illis comitijs poſt multas hinc inde habitas diſputationes, ſummo ſtudio, ſummoq; conatu enitendum eſſe ne in ſuam patriam tam crudelis lex, tamq; iniqua per laicos iudices admitteretur, quę poſſet vniuerſarum ciuitatum ruinam & populationem ſecum afferre. quippe cum per ſimplicē alicuius maleuoli accuſationem nullis requiſitis probationibus, nulliſq; defenſionib. acceptis poſſet quiſq; incarceres detrudi, & vita, honore, facultatibus priuari. Toletanus percepto communi totius ciuitatis conſenſu, liquandiu ſuſpenſo animo fuit, ſecumq; diutius cogitauit quid ſibi in tanta rei difficultate eſſet agendum. Putat itaq; differendum eſſe negotiū, omniq; induſtria procurandum vt coniuncti animi nobilium & popularium per ſuos amicos diſtraherentur, quod videbatur eſſe facillimum, quia rarę ſunt ciuitates, in quibus animi popularium à nobilioribus non diſſentiant ob frequentes potentiorum contemptus & iniurias. Quę dum aguntur in Italia, & in vrbe Neapoli, non multum diſtante ab vrbe Roma, Pontifex his tumultibus motibuſq; populorum cognitis, ſignificat per literas Toletano hæreſeos iudicationem, vt omnium rerum ſacrarum, ad ſanctam ſedem Apoſtolicam, aut ad Cardinales, qui Pontificis vicem gererent, iure pertinere. Idcirco iubet ne ſe his negotijs ad Pontificem ſpectantibus implicaret. his literis populus ita inflammatus non mediocriter in ſua ſententia confirmatur. Atqui ſi rectè rationem, rerūq; publicarum adminiſtrationem perpendamus, & quid ad conſeruationem regnorum requiratur, inueniemus profectò maximum habere pondus religionem, cuius omnis non modo mutatio, ſed ēt acceſſio aut diminutio maximè periculoſa eſt imperijs, cum nunquam ferè mutetur religio, quin antiquorum Regum imperia excutiantur, niſi tamē reges ipſi autores fuerint cum populo nouæ religionis & duces mutationis. Idcirco in nouandis tantis rebus prius animi populorum tentādi ſunt per amicos Regum, dideduſq; rumor, vt ſciatur quo pacto tātam nouitatem animi ſint laturi: qui ſi magnopere renuere, grauiſſimeq; ferre apparuerint, abſtinendum eſt omnino, niſi tamen perdita ac deplorata prorſus imperia ſine hac ipſa nouitate intelligantur. Non enim decorum eſt vel honorificum aut vtile Regibus, at leuiſſimis de cauſis regna in maxima pericula conijcere, aut leges cogi reuocare, quæ parum conſiderate per miniſtrorum auaritiam propoſitæ fuerint; cum tamen re ipſa omnis ſacrarum rerum iudicatio iure optimo ad Pontificem ſolum ſpectet. Toletanus tamen, vt faciunt nonnulli, qui in quam partem animum inclinarint, immutabiles perſiſtunt, atq; pertinaciam pro conſtantia amplectuntur, ſuæ ſententiæ tenaciſſimus, iubet ſignificari omnino ciuibus ſe velle illam quæſitionem inſtitui, vt exequeretur Cæſaris inſtitutum, quo regnum illud etiam purgatū ab oī hæreſi ſeruaretur, ſicut alia regna Cæſaris. multa vtitur humanitate verborum, quia videbat cum popularibus animis conſpiraſſe nobiles ad illud iugum à ſuis ceruicibus excutiendum. Sed nullis neque blanditijs, neque minis ciues ab inſtituto dimoueri poſſunt, quia nulla apparebat probabilis cauſa huiuſce nouitatis, præter auaritiam præfectorum. Habita ſunt ſæpius comitia
1547 menſe Ianuario anni ſeptimi poſt mille quingentos & quadraginta à partu Virginis, hac ipſa de cauſa Neapoli, in quibus vndecim ciues Neapolitani repente abdicati ſunt illis magiſtratibus, qui ſibi à populo Neapolitano fuerant delati, atque cum magno ſtrepitu eiecti ſunt è comitijs, quia palam Toletani partibus aduerſus patriam libertatem fauerent, conarenturque populares animos à nobilioribus diſtrahere ad omnium perniciem, quò ſeparatæ vires vtriuſque condinis debiliores efficeretur. nam dicebant illam quæſitionem non aduerſus plebem, ſed aduerſus nobiliores tantùm inſtitui, cum errores plerumq; comites ſint facultatum. Inter cęteros ma-

Quæſitionis admittendæ rationes.

Neapolitanorum reſponſum.

Religionis vis.

Legū ferendarum ratio.

magiſtratus abdicatus fuit Conſeruaror, vt illi vocant, atq; in eiectorum locum ſtatim alij ſunt ſuf- Magiſtratus
fecti, Conſeruatorq; creatus Ioannes Sueſſanus è Paſchali familia vir callidus, negotiorũq; ciuiliũ Neapolitani
peritiſſimus. Et quoniam in ſola concordia propè conſiſtit ſalus & cõſeruatio omnium ciuitatũ, abdicati.
quam deuitans Toletanus eò viſus eſt omnia ſua conſilia cõuertere, vt diſtraheret ac ſepararet in-
uicem Neapolitanorum ciuium animos, fit decretum in ipſis illis comitijs, vt ad defenſionem pa-
triæ, libertatis, ciuitatis, proprieq; omnium ſalutis ne liceat vllo pacto à defenſione nobilium diſ-
ſentire, quod populi inſtitutũ gratiſſimum fuit nobilibus per Sueſſanum ſignificatum, verebàn-
tur enim ne diſiunctis viribus in maximas calamitates illaberentur. Sic ſane vniuerſa ciuitas hila-
ri animo ad mutuam defenſionem aduerſus eos, qui vellent opprimere, concorditer conſpirauit.
Toletanus cognitis hiſce motibus & conſilijs ciuium, cum eſſet Puteolis, mittit Scipionem Som-
meum regulum, qui populo nuntiaret ſibi quidem pergratum fore ſi ad expurgandam ciuitatẽ
quęſitio illa fuiſſet admiſſa, ſed tamen non eſſe vehementer ſollicitum, ac neque verbum quidem
in poſterum facturum de illa re, quando populorum animi tantopere abhorrere ab illa videren-
tur. His verbis Toletani tam placidis ad populũ per Sommeum delatis, duodecim viri præſtantio-
res è populo delecti ſunt, qui legatione fungerentur, gratiasq; agerẽt Toletano pro tam humano
animo, tamq; beneuolo in populũ Neapolitanũ. Illi cum magna verborum humanitate & admiſſi
ſunt & dimiſſi. neque multis ſanè diebus deinde interiectis cognitum eſt populares teſtes interro-
gari, inueſtigariq; qui nam fuiſſent autores repellendæ quæſitionis. ea de re animi ciuium non me
diocriter commoti ſunt, & rurſus legationes miſſę conqueſtum, quòd contra promiſſa prioribus
legationibus iſtud fieret. ſed quoniam plerunque fit vt animos turbatos, & in aliquem motum
propenſos fortuna non modo adiuuet, ſed etiam magno impetu impellat, accidit per idem tem-
pus vt quidam inops ad carceres traheretur, cui fiunt obuij quinque adoleſcentuli è primarijs ciui
tatis, quorum vnus eo inope ſeruo vſus fuerat. iubent adoleſcentuli ſatellites cõſiſtere. rogant cur Petri Toleta-
traherent ad carceres. petunt mandati formulam oſtendi. cum illi nil opus eſſe mandato reſpondiſ ni crudelitas
ſent, contenditur neminem poſſe capi ſine mãdato. inter has altercationes captiuus elabitur. for-
te iudex quidam ſuperueniens imperat adoleſcẽtulos comprehendi, qua re ad Toletanum dela-
ta cum veſperi forte Puteolis acceſſiſſet, imperat adoleſcentulos in arcem ad ſe adduci, atque clau
ſis portis tres eorum iubet à Mauro ſeruo in ſuo ipſius conſpectu crudeliſſimè iugulari. Toletani
ſententiæ, cum reliqui iudicandi propoſiti eſſẽt, regium concilium iuſtitiæ non aſſenſit, quia ne-
que ætatis ratio, cum nemo decimum ſextum annum ætatis præterijſſet, neq; criminis capite ple-
ctenda videbatur. illa ſeueritas, vel potius crudelitas ita populorum animos exacerbauit, vt vix di-
ci poſſit. cum illud etiam ad explendam ſuam feritatẽ addidiſſet, vt cæſorum adoleſcentum cada-
uera traherentur pedibus extra oppidulum, propoſitis grauiſſimis ſupplicijs ſiquis illa attigiſſet, do-
nec tracta ſint, denique eiuſdem iuſſu in ſacellũ, quod eſt è regione oppiduli. acceſſit his & alius To
letani error, qui non ſine vitæ ſuæ periculo nondum deferueſcẽribus aut refrigeratis odijs ciuiũ in
tãta populi indignatione, quaſi ad omniũ cõtẽptũ, ſtatuit obequitare per vrbẽ, cũ Hiſpanis ſclopet
tariis & plurib. ducentis equitibus, qui illũ comitari conſueuerãt. Vrbani magiſtratus pſpecto peri
culo, & quãtus malorũ cumulus inde emanare poterat, cũ populus eſſet armatus, mittunt rogatũ
Toletanum ne tunc exacerbatis animis omnium ciuium in tanta rerum omnium perturbatione
obequitaret, ſed aliquantulum differret. at ille cum neque cõſilio, neque precibus magiſtratuũ
aures præbuiſſet, rurſus magiſtratus ipſi populũ, qui iam vias confertim occupauerat, rogatũ mit
tunt nequid noui aduerſus Toletanum moliretur, ſed vt mos erat, reuerenter exciperet. Horũ
alterum factum eſt vt incolumis & illęſus præterierit; alterum prætermiſſum, cũ nemo vllius æta
tis aut conditionis inuentus ſit, qui vllum reuerentiæ ſignum ediderit. ita inflammati, & incenſi
erant animi omnium ciuium. Toletanus cũ aliquantulũ obequitaſſet, redijt in oppidul um. Quę
dum tumultuoſe gerũtur in Italia, Cæſar auditis hoſtibus ita ſe habentibus, vti ſuperius cõmemo-
ratum eſt, cum nulla reliqua ſpes eſſet illis exercitum aut vires colligendi propter eximia frigora,
aſperitatemq; locorum, ſtatuit aliqua parte exercitus dimiſſa ſeſe grauiſſimis ſumptibus ſtipendio-
rum ſubleuare. concedit Burano comiti, vt ſuas copias in Belgas reducat, quem iubet hoſtiliter in-
uadere agrũ Vſipetorũ, enitiq; potiri vel vi vel arte vrbe Frãcfortio vocata Vſipetorũ, metropoli ſa-
ne valde opulenta & ampla, ꝙ maxime ad præſens negotiũ pertineret. ipſe cum quadam parte co-
piarum redit in Suetiam. Albanum' cum reliqua parte Halam verſus mittit, omneſq; vrbes occu-
pare nititur, in quibus tota uis belli dignitaſq; victoriæ conſiſtere videbatur. erat autem Hala vna è Coccerus flu
fœderatis ciuitatib. in ripa Cocceri fluminis ſita, inter Charetinos populos, quæ duas habet valles men.
alteram ad orientem, alteram ad occidentem ſolem: quæ vrbs ſine controuerſia Cæſari ſe dedi-
dit. aucta ſunt caſtra Cæſaris per id tempus trecentis equitibus cataphractis è regno Neapolitano Halæ deditio
mirificè inſtructis duce Ferrante Signorello regulo Caſtrouillæ. Federicus comes Palatinus Rheni
& Alcimenienſes cognita imbecillitate fœderatorum ac fortuna Cæſaris eo profecta, vt certiſſima
calamitas eius hoſtibus immineret, ſaluti, libertatiq; ſuę mature conſulendum ſtatuunt, atque Ha Federici Pala
lam legationes mittunt, quæ agerent de deditione. Federicus ſtatuto tempore ad pedes Cæſaris per tini deditio.
Granuellium admiſſus ſupplex petit veniam eorum, quę aduerſus Cæſaream maieſtatem, dignita
temq; Imperij commiſiſſet, iureiurandoq; affirmat ſumma ſe diligentia in poſterum vſurum, vt fi-
de, ſtudio, obſeruantia præteriti temporis iacturam reſarciat. Cęſar pro veteri conſuetudine, & pro
comiſsorũ pœnitentia, proq; naturę coniunctione, ſe illũ in fidẽ amicitiãq; veterẽ recipere inquit,
obliterata prorſus omni errorum delictorumq; memoria, quia ſperet bonum & affinem & amicũ Alcemenij
illum in poſterum fore. ibidem cum Cæſar è pedibus laborans plures dies moraretur Alcimenien- deditio.
ſium

ſium legationes agunt de deditione, quæ Cæſari inquiunt Alcimenienſes ciues cognouiſſe in quos errores inciderint, & quantopere non nullorum fraude decepti Cæſaream maieſtatē offenderint. veruntamen omnem ſpem ſalutis in miſericordia, clementiaq́; maieſtatis Cæſareę collocaſſe, quā ad imitationem Chriſti tanta, tam grauia, tam atrocia ſibi peccata condonare ſperent. Quippe cū nulla tanta ſint ſcelera, quanta Dei clemētia non ſuperet, ſi quem pœnituerit. Se decreuiſſe in poſterum ſanguinem, libertatem, facultates, vitā ipſam denique per Cęſaris benignitatē & clementiā videri accepiſſe. Hiſce reſponſum eſt, errorum cognitionem plurimum conferre adueniā aſſequendam, ſed cognitionem liberalitatis etiam vltro inuitare ad conferenda beneficia, quare Cæſarē eos recipere in fidem libenter, & quæ ſpectarent ad conſeruationem Imperij mox inſtiturum. Paucis deinde diebus interiectis Cæſar diſcedit, quippe qui inuſitatam cęli clementiam experiretur in illis regionibus. nam cum maxima vis frigorum ineſſe ſoleat, tunc neque niues, neque imbres infeſtabant, cęlumq́; ita erat ſerenum, vt mirificus tepor ſolis animum Cæſaris ardentius incitaret ad reliqua perſequenda. Quamobrem Odericus Intuergorum Dux ſentiēs imperatoria vexilla propinquare cœpit ad pacem, paciſq́; cōditiones animū vertere, quoniam Alcimenio occupato viderentur arma ſuo principatui imminere. at ueritus Cęſar ne facilitas illa, propenſioq́; ad pacem ad aliā opportunitatem rerum nouarum viam aperiret, cum Alcimenium vtpote finitimus facile poſſet occupare, atq; cū Argentorati, Canoduri, Auguſtæ, aliorumq́; finitimorum locorum copijs nouas perturbationes ac bellorum motus poſſet excitare in Germania, ſubfrigidas pacis conditiones renuit, ſtatuitq́; per vim armorum illū ad obedientiam eſſe compellendum. copias igitur eò ſigna promouere imperat ad illum principatum ſubiugandum: qui vt non ampliſsimis finibus circumſcribitur, tamen & hominum frequentia, & fertilitate rerum omnium eſt opulentiſſimus, multis

Vitembergēſis principatus deſcripio

fluminibus perplacidis regionem irrigantibus, abundans etſi non nobilibus, tamen ad fertilitatē agri plurimum conferentibus. Inter eos fluuios principatum tenet is, qui ab indigenis Nechar vocatur, & ſylua Martiana defluens inter Canodurium & Borbeto magū ſiue Vormatiam cū Rheno coniungitur. vocatus eſt Necchar tanquam vinum, quod in planitie, & in collib. huic fluuio

Necchar flu.

propinquis naſcitur ob bonitatem, quaſi cęteris præſtans nectar ſit appellandum. Terminatur hęc regio ab Occidente fluuio Rheno, ad Septentrionē Franconiam habet. ad Orientem ſolem partim

Caritnorum regionis deſcriptio.

Meno, partim Danubio fluminibus terminatur, ad meridiem deſertis Heluetiorum, & Sueuorum finibus. prima igitur caſtra Cæſar fecit Ettingæ, ſecunda Neoſtati, tertia Alpruni, quæ ciuitas eſt libera, & fœderata in ripa Necharis poſita, vbi Charitini vocati populi habitarunt. ibi Cæſar laborans podagra decernit aliquantulum quieſcere, quare ſeruatis apud ſe cuſtodibus corporis, quos ad Imperatoriam dignitatem ſpectare arbitrabatur, Albanum præmittit ad eum principatum occupandum cum reliquis copijs, quæ erant regimentum Madrucij, tribuniq́; Xemburgi, & Hiſpanus peditatus. nam Italus peditatus erat perparuus ob multas eius belli difficultates, trecenti illi cataphrati equites, & Germanus equitatus reliquas copias ſequebantur. Quæ ſigna Cæſariana vbi primùm apparuerunt, non pauca oppida Cæſari ſe dedunt, fortunam belli minime tentandam rata. ſed Vingena, & Bertauum oppida, quia primis conatibus reſiſtere auſa ſunt, capta fuerunt per vim armorum, & cędibus oppleta, atq; arbitrio militum conceſſa. eius rei timor omnes pagos, omniaq́; caſtella eius regionis in poteſtatem Cæſarianorum redegit, Aſpergo, Chirchena, Scorendorfoq́; oppidis natura & arte munitiſſimis, & omnibus rebus ad reppellēdum hoſtem inſtructiſſimis exceptis. Nam profecto ita poſtulat bellica ratio, vt infirma loca, & parum apta defenſionibus, ac repellendis conatibus hoſtium, ſi per imprudentiam & imperitiam defenſorum obſtinatorum

Lex militaris

conentur curſum potentium exercituum retardare, dent pœnas ſuæ temeritatis, & tanquā à rapidiſſimo fluuio multis calamitatum vndis inuoluantur: ſicuti turpiſſimum eſt contrà defenſoribus munitiſſimorum locorum, & in quibus ſalus ac ſpes & propè vis tota regnorum continetur, propter timiditatem prodere, ſuorumq; Principum ſalutem ac dignitatem ad hoſtes per ignauiam transferre, quippe cum ſapientiſſimum illud antiquorum dictum, nequid nimis, poſſit etiā rebus bellicis non inſcitè accommodari. cæteris igitur locis Calegienſis principatus occupatis, quoniam illa prædicta caſtella videbantur indigere diuturna obſidione, Cæſari viſum eſt difficile negotium. at Odericus Intuergorum Dux Salubrius conſilium ſibi amplectendum ratus in has conditiones

Vitembergēſis oderici deditio.

pacis denique cum Cæſare conuenit, vt trecenta nummum millia in bellicos ſumptus Cæſari diſſolueret. vt tres munitiones quas mallet Cæſar concederet imponendis præſidijs arbitrio ipſius Cęſaris. vt omnes alias fœderationes refutaret, ſolamq́; perpetuam fœderationem & amicitiam cum Auſtriacis principibus exerceret. vt ſe hoſtem ſempiternum profiteretur rebellium ſacri Imperij. vt in omnes illos animaduerteret ſuos ſubditos, qui pro alio quouis principe militarent. per has conditiones Cęſar tres munitiones occupauit prædictas, in quibus reperta ſunt tormenta fœderatorum principum, quę illi propter difficultatem itineris ibi reliquerant, cum magna copia an

Vſipetorum deditio.

nonę, & multiplici varietate bellicorum apparatuum. Quæ dum fiunt à Cæſare, Buranus comes iam vrbem Vſipetorum compulerat ad deditionem, ibiq́; tria peditum millia & trecentos equites in præſidijs cum duodecim vexillis collocauerat, Alprunumq́; profectæ eius vrbis legationes in fidem atque amicitiam Cæſaris accipiuntur. Nec multo ſanè interiecto tempore, dum Cæſar ibi moratur, omnes ferè Sueuorum vrbes per legationes ſe Cęſari dedunt, præter Auguſtam, quę de nōnullis conditionibus diſſentiebat. ita fit plerunque vt magis exiſtimatio parta ob uictoriam per uniuerſas regiones finitimas peruagata vrbes ac populos compellat ad deditionem, quam ipſa victoria, quoniam magnum eſt quiddam & penè admirabile, rerum omniū in aliquam partem propenſio, cum omnia defluant quò fortunę benignitas aſpirat, omneſq́, affines & amici afflictam fortu-

nam

nā deterriti refugiant Cæſari ab oppido Alpruno proficiſcenti per Calegienſem agrum fiunt obuiæ apud Geſlinguam legationes Alcimeniēſium cum centum nobilibus,omnia ciuitatis commoda offerentes ad eum excipiendum, quibus reſponſum eſt datum tantæ humanitatis plenum,vt pater Germaniæ à quibuſdam vocaretur.fiunt obuiæ deinde Auguſtanæ legationes.rogant Cęſarem vt Schertello veniam concederet,& ne res religionis nouarentur, aut ſaltem ne illi ſua caſtella adi merentur. iſtud cum obtinere non potuiſſent,nūtiant Schertellum eſſe Auguſte cum duodecim millibus hominum,tantisq; viribus amicorum, vt non facile poſſit ſubiugari. His reſpondit Cæſar ne de hac re magnopere eſſent ſolliciti, quod illud breui fieret.per id reſponſum tantus terror iniectus eſt ciuibus Auguſtanis, vt ſenatus haberetur in palatio rurſus de deditione.illuc ingreſſus Schertellus cohortatus eſt illos vt id ipſum facerent, quod ſe quoque ipſum facturum eſſe pollicitus eſt.rurſus igitur Auguſtanæ legationes profectæ excipiuntur à Cæſare cum omni ſolennitate imperatoria,quæ cum ſumma reuerentia ingreſſæ præfatis titulis Imperatorijs de more,veniā primum commiſſi erroris pro ſuis ciuibus deprecantur.orant pro clementia miſericordiaq; ſua Cæſarem vt eos in fidem amicitiamq; recipiat.ſtudia populorum, obſeruantiam,fidem liberaliter pro mittunt.atque ita in amicitiam Cæſaris Auguſta eſt admiſſa. Tum Cæſari Alcimenium profecto, magnisq; cum lętitiæ ſignificationibus,muneribusq; excepto Alcimenienſes offerunt oblatam profecto, magniſq; cum lętitiæ ſignificationibus,muneribuſq; excepto Alcimeneſes offerunt oblatam pecuniam in conditionibus pacis, quibus ſubridens Cæſar reſpōdit eos eſſe bona nomina, ſed reſeruarent pecuniam in tempus magis opportunum. acceptis igitur in fidem Alcimenio, Auguſta,vrbeq; Vſipetorum,ſolum deerat Argentoratū è quatuor principibus vrbibus,quod poſtulatum miſerat Alcimenium,vbi Cæſar multos dies componendis rebus Germanicis moratus eſt, vt aditus pateret ſuis legationibus.illæ admiſſę vrbe Argentoratum fidei clementiæq; Cęſaris deduntur ijſdem conditionibus,quibus reliqui principes & vrbes admiſſæ ſunt. vt deletis & obliteratis omnibus fœderationibus perpetuo fœdere deuincti Auſtriacę familię intelligerentur. vt armatos quos vellet Cæſar intra ſuas vrbes admitterent. vt nulli eorum ſubdito extra Cęſaris caſtra cuiquā principi militare impune liceret. vt rebellium Imperij hoſtes eſſent perpetui.vt, quod in ſacro concilio ſtatutum fuerit, obſeruent. cæterum reliquæ omnes copiæ fuerunt in proxima loca in hyberna diſtributæ.Itali qui ſuperfuerunt è diuturnis laboribus, totq; calamitatibus,quas pertulerant ex hoſtibus,temporum iniuria, inopia ſtipendiorum, penuria rerum omniū ad illud bellum a Pontifice miſſi,dimittuntur inopes,victum plerique oſtiatim mendicantes in patriam pauci ex omni numero. quæ tamen calamitas non ſemel Italis accidit, aut in Germania ſolum. Præclarè idcirco ſe habent Rhetorum,Germanorumq; propè omnium militaria inſtituta, qui ad euitandas has calamitates nullum exeunt ad bellum, niſi primùm aptis conditionibus paciſcantur. Pactionum ſumma eſt vt tribuni militum ipſi, qui copias è regione deducunt, teneantur omnia ſtipendia diſſoluere.atque niſi ſoluta ſint apto tempore, reuerſis in patriam omnia bona diuendantur per patrios magiſtratus in ſtipendia perſoluenda. vt,ſiquis naſcitur in caſtris,quia pleriq; ducunt etiam vxores, ſtatim infantulo debeantur ſtipendia. vt, ſi vir moriatur in bello, ſtipendium eius belli tempore paruis filijs, aut vxori diſſoluatur tanquam viuo marito, ne miſerę fœminæ mendicæ, amiſſis maritis in patriam redire cogantur. vt ſtatim atque vrbem vel munitionem Germani aggrediuntur,ſeque periculo vitæ expoſuerint, aut inſtructi ad inuadēdum conſtiterint, accepta ſtipēdia abſoluta intelligantur. vt ne cogantur exire extra patriā per vlla promiſſa,niſi accepto ſtipendio, quod fit vbi primum cenſi ſunt. ne liceat tribuno alterius cohortis militibus dare ſtipēdia, ſine cohortis ipſius cōſenſu.Ne diſcedere cuiquam impune licitum ſit ex acie,quod ſi committatur, iudicetur in aperto per caſtrenſes iudices atque prefectos iuridicundo. aliæ ſunt præterea conditiones militares, quæ fortaſſe alibi opportunius à nobis explicabuntur.Florētinæ, Ferrarienſeſq; copiæ, quoniam ſtipendia opportune ſuppeditabantur, cū ſe aduerſus omnes aeris iniurias, cæteraq; incommoda tutatę eſſent, non ineptè erant inſtructę,quæ cum ad promiſſum tempus Cæſari feciſſent ſatis,dimiſſę ſunt liberaliter,& in patriam incolumes redeunt. Nunciatur Cæſari interea Henricum Britāniæ regem deceſsiſſe relicto impubere filio è Semera ſuſcepto hęrede teſtamento ita probātibus comitijs, qui ſi deceſſiſſet ſine filijs regnum ad Mariam, & poſt hāc ad Heliſabetam filias deuolui inſtituit. Odoardus filius tunc duodecimum agebat annum ętatis ſuę, qui relictus eſt hæres. Henrici mors occultata fuit per aliquot dies, vt filius ſine aliquo tumultu coronaretur,quia aliqua ſuberat ſuſpicio futuræ ſeditionis, cum paulo ante procuraſſet vt filius Neotorti reguli capite plecteretur,iuſſiſſetq; ipſum etiam regulum poſt coronationem noui regis capite plecti. reliquit autem ad Odoardi,qui ſextus fuit Britānię Rex eius nominis filij tutelam viginti è primarijs proceribus,quibus ſumma diligentia,& regni & filij incolumitatem ac ſalutem commendauit. Fuit Hēricus princeps multis regijs virtutibus ornatus,cum ob animi ſplendorem & variarum rerum cognitionē excelleret, niſi propè furioſum diuortij facinus regias virtutes contaminaſſet,quia Pontifex noluiſſet comprobare Annæ Bolemiæ coniugium.vixit annos quinquaginta & ſex, cum regnauiſſet triginta & octo. cæterum Federicus cum ſuis copijs in Saxoniam profectus non ſolùm multas è ſuis vrbibus recuperauerat, ſed etiam præter paucas vrbes Camanorum in Hermandnorū finibus, qui populi ſunt Boemi, vniuerſum Mauritij principatum occupauerat.inter vrbes,quę Mauritij adhuc parebāt Imperio,erat Lipſa,quam Federicus ſumma diligentia pluribus tormentis concutiebat.Mauritius Cęſarem facit certiorem per literas vniuerſam ſuam principatum in magno periculo verſari,niſi ſubſidia maturè mitterentur: quare Cæſar cognita rei magnitudine, & quanti referret ad vniuerſam rem bellicam ne Federicus eos populos prorſus ſubiugaret Albertum Caſmiri filiū marchionē

Argentorati deditio.

Germanica quædam inſtituta militaria.

Henrici Britanni regis mors & teſtamentum.

Aliſi, & Chriſtophorum Lantgrauium Lichtembergenſem mittit cum duobus millibus peditum Germanorum,& mille atque octingentis equitibus. His enim viribus adiunctis ſi non ſuperiores Ferdinandus & Mauritius, at certè non inferiores fore videbantur. Cęſari nihil reliquum eſſe apparebat ad abſolutam victoriam, præterquã Philippi Federiciq; ſubiugandi,& Canoduri occaſio, quare decreuerat aliquot dies Alcimenij commorari tũ vt corpus per pharmaca noxijs humorib. per bellicos labores oppletum expurgaret, tum etiam vt pararet neceſſaria ad futurum bellum abſoluendũ. Federicus interea cum armatis copijs non nihil fauentib. eius partibus Boemiæ populis, Boemiæ regioni imminebat, vrbemq; opulentiſſimam ob auri argentiq; fodinas Iaquimiſtalã tentabat. iſtud fieri per vim Saxonum fingebatur,quorum ſummus erat dux Tumberſinus, ſed nihil verè fiebat per vim,at per aſſenſum Boemorũ,qui omnem prorſus ſui Regis timorem reuerentiamq; exuerant. Cæſar tametſi quieſcere aliquãtulum decreuerat, tamen certior factus per literas Ferdinandi & Mauritij de tanta rerum magnitudine ſæpius inſtantium, quorum alter validiora auxilia flagitabat, quòd Federicus cũ quatuor equitum, decem peditum millibus omnem principatum Mauritij occupauerat, præter Lipſam, Freſenam, & Cuibiccam; alter rogaret Cæſarem, vt adeſſet, negotiumq; ipſum ſua præſentia iuuaret, nouos apparatus bellicos facit, putatq; non minoris referre & ipſe vt huic,quàm vt præterito bello intereſſet. Nam Federicus rem eò iam deduxerat vt vniuerſi Saxonum Boemorumq; populi ſuam amicitiam complecterentur, ſeq; amicos Saxonis profiterentur publicè,omni prorſus Regis memoria neglecta. per honeſtã itaq; ſimulationem vel ipſas filias Regis tanquam captiuas in arcem Caſurgij incluſerãt,quæ vrbs eſt metropolis Boemię. Cęſari hoc negotium arduũ faciebant multæ difficultates, etſi plurimi referebat ut intereſſet. primum quia paruas habebat copias ob inopiam ſtipendiorũ, quòd magnitudine ſumptuum anni ſuperioris valde exinanitum eſſet ęrarium: quòd timeret earum ciuitatum vires,quę nondum ſe dediſſent,quòd non ſatis cõfideret illis quas accepiſſet per deditionem,quòd tanti motus eſſent excitati in Italia, quanti futuri videbantur, quibus etiam non mediocriter angebatur. nã

Neapolitani tumultus magnitudo.

Neapolitani motus per Toletani ſeueritatem nimiam excitati paulatim eò creuerant, flagrantib. quotidie magis magisq; odijs ciuium in Toletanum,ut ad arma paſſim conclamatũ ſit in vrbe, ad tinnitum ęris campani vniuerſo populo ad arma concurrente. Id autem factum eſt,quia diditus eſt rumor trecentos Hiſpanos ſclopettarios ex arce in populũ exiuiſſe. atque tametſi rumor is uanus fuerat, tamen armatus populus voluit per publicam formulam conuentionem, ſocietatemq; defenſionis ſtabiliri. ea ſtabilita Franciſcus Aualus Marchio Peſcolienſis adoleſcens ſumpta Chriſti Cruci affixi imagine multis armatis comitantib. per vniuerſam vrbem vagatus cõclamans, ad Dei Cæſariſq; honorem protegendum omnes ad patriæ defenſionẽ hortabatur. iurarunt ſuper eadem imagine, quam adoleſcens ſuſtentabat in publicã ac mutuã defenſionem omnes ſocietatis & coniurationis participes, cuius principes fuerunt Ioãnes Sueſſanus,& Cæſar Marmirus,et duo è Caracciola familia præter cæteros. id facinus plurimũ animum Toletani infeſtauit,qui tantam audaciã & temeritatem populi non impune ferendam eſſe inquit,cum ad arma conclamari ad æris campani tinnitum genus quoddã defectionis videri arbitraretur, cum præſertim imperaſſet Cæſar,vt opprimerentur tumultus aliquo pacto,quia clã res nouas aduerſus ſe parari ſentiret à potentiſſimis principibus in Italia. Toletanus poſtridie ſub meridiem quadraginta ſclopettarios emittit ex oppidulo, qui ſuper ponte in acie conſiſtunt. tormenta in opportunis locis oppiduli in vrbem eriguntur. iuuenis quidam,quia obſeruaret quò tenderent Hiſpanorum ſclopettariorum conſilia, glande ab ijs transfixus cecidit. ſclopettarii ad forum vectigalis vſque tranſcurrunt, cædendos eſſe obuios quoſque conclamantes. diſplodũtur tormẽta in forum,& in vrbanas domos, quod tamen accidit ſine multorum cæde. populus ea inſolentia tam importuna Hiſpanorũ irritatus magno impetu facto aduerſus oppidulũ neglecta vi tormentorum foſſas aggereſq; ducit ad vrbis tutelam,cõmiſſo leui prælio cum Hiſpanis ſclopettarijs: atque per tres dies ac noctes aſſidue decertatũ eſt tormentis ex arce ac ſclopettis ſemper diſploſis. erãt in arce tria lectiſſimorum Hiſpanorum millia, cum præter ordinaria præſidia nonnulli aliunde clam eſſent acciti. infeſtabat vrbem ſanè non mediocriter arx Sancti Eremi, Turris Sancti Laurentij,& triremes, quæ ſtationem habebant in portu, cum illa omnia loca eſſent in poteſtate Hiſpanorum. ciues veriti ne res in aliquam eximiam calamitatem prorumperet, ſupra eminentiorem turrim diui Laurentij purpureum vexillum cum Cęſarianis inſignibus extollunt, ne poſſent rebelles appellari,& ne putarentur arma potius aduerſus Cæſarem, quàm aduerſus Toletanam crudelitatem ſumpſiſſe. ſic igitur vtrinq; Hiſpania & imperium à certantibus conclamatur. multi ceciderunt vtrinque in illis certaminibus, ſed denique intercedentibus quibuſdam Toletani amicis res eò deducta eſt, vt induciæ fierent, per quas Toletanus

Neapolitanę induciæ.

promiſit ſe in nullum præteritorum commiſſorum autorem animaduerſurum, vel publicum vel priuatum,niſi Cæſaris iuſſu,vbi rem cognouiſſet. populus item,qui nihil erroris ſe commiſiſſe arbitrabatur, vltro rem Cæſaris arbitrio defert. decernitur itaque vt ſuas legationes ciues ad Cæſarem mitterent, quæ rem eum docerent, tuerenturq; partes ciuitatis,qui Salernitanum principem eloquentia,gratia,autoritate præſtantem diligunt,& Placidium Sanclium,ac Marchionem Vallis. Toletanus contrà ad ſuas partes tuendas, docendumq; Cæſarem mittit Gonzalezum Mendocium Marchionem vallis Siculæ & ipſum virum eloquentia & autoritate inſignem. His ad Cæſarem proficiſcentibus neuter alterius ingenio fidebat. ciues quia ſuſpectam haberent nimiam Toletani ſeueritatem, & quia intelligerent aſſiduè noua auxilia Florentia mitti à Duce Coſmo Medices Toletani genero. Toletanus rurſus habebat ſuſpecta ciuium arma non ſolùm ob priſtinos tumultus, & quòd armatos vigiles aſſiduos eſſe in vrbe intelligeret, ſed etiam, quòd nonnulli apparerent clam

aliquam

aliquam rei præclarè gerendæ,& occupandi oppiduli aucupari occaſionem, aut cædendorum Hiſpanorum: quamuis neutris militibus inuicem verſari eſſet interdictum. Cæſar his tot difficultatibus,quæ ſuperius commemoratæ ſunt,circunuētus, cum denuo ſollicitaretur per literas vt maiora auxilia fratri ſubmitteret, Aluarum Sandæum caſtrorum magiſtrum cum ſuo Tertio Hiſpanorum mittit,& Marinianium marchionem cum octo vexillis Germanorum: quæ copiæ poſſent tādiu rem retardare,vt Cæſari daretur cōmoditas, ſi neceſſitas ita ferret, ipſe vt illi bello intereſſet. atq; cū videret in maximo periculo res fraternas ac Mauritij verſari, nulli neq; labori, nec periculo,nec induſtriæ parcendum eſſe decernit. nam ſi copias cum illis coniungeret,plurimum ad rem Germanicam referre arbitratur, ſinautem pateretur illud incendium vlterius progredi, breui futurum apparebat,vt vniuerſam victoriam partam per tot labores, tantamq; diligentiam,in præcipiti atq; adeo in fortunæ arbitrio collocaret. Ferdinādus interea comitia indicit principibus Boemiæ Litomarizzum,quæ ciuitas eſt metropolis Boemię Saxoniam verſus. Eò profectos docet quo pacto Cæſaris res ſucceſſerint; & quo in ſtatu ſint. rogat vt præſtent ſubſidia aduerſus hoſtiū vires. docet honeſtatem petitionis,quòd aduerſus rebelles Imperij,& religionis & eorum ipſorum patriæ,bellum geratur.precatur ne ſe ſuum principem per vim iniuriamq; hoſtium propè è regno deiectum,negligant. Huic reſponſum eſt neq; velle quenquam,neq; teneri aduerſus illos ſubſidia ſuppeditare,quæ ad ſui defenſionem ipſius regis, at non ad expugnationem amicorū dare debēt, cum illi ſint amici,& præterea fœdere coniuncti ad mutuam defenſionem.illud reſpōſum tametſi commouit animū Ferdinandi, tamen nullum indignationis dedit indicium, confeſtimq; ad vrbem Camanorum Preſenam ſe confert, quem ad duo millia peditum, equites quadringenti beneuolentiæ ſimulatione, at non debitæ reuerentiæ,ſequūtur. Hęc omnia per literas Cęſari ſignificauit Ferdinandus, monuitq; quo in ſtatu res ſint, niſi maturè ſuccurratur.nam facile futurum apparebat vt eius regni vires cū Saxone coniungerētur, quod regnum potentiſſimum eſt, vt in quo intra biduum colligi poſſint viginti equitum, & quadraginta & amplius peditum millia, qui populi tametſi non vtuntur pleriq; eodem genere armorum,quo cęteri Germani,cum multi haſtata tela geſtent ſariſſis breuiora, neq; vtuntur eodem genere militię, tamen cum armatis exterorū militū copijs feroces ſunt, & non negligendi milites.eſt autem Caſurgium vrbs clariſsima metropolis eius regni,quę à Libiſſa Gracchi filia muris primum cincta fuit,& à primo portę opere ſiue limine Praga vocata, cum prattin apud Gręcos laborare atq; agere ſignificet. ſita eſt apud Multauiam fluuium, cirea ſe habet vrbes non pauciores triginta, caſtella muris cincta circiter trecenta, atq; pargorum ad quinque millia.ita vero populoſa & frequens, vt facile poſſit non ſolùm ſuſtinere,ſed etiam repellere ac propulſare omnes impetus externorum armatorum. ſitus eius regni etiā non parum facit ad regionis defenſionem,quam ad ſeptentrionem,& occidentē ſolem verſus claudunt altiſſimi montes, & aſperrimi,atq, aduerſus externos hoſtes muniunt.ad meridiem protegitur ſyluis denſiſſimis. ad orientem defenditur obiectu variorum fluminum, quę etiam perpetuis curſibus illam abluūt, propter quorum copiam & amplitudinem regnum tutius efficitur. Cęſar miſsis Aluaro & Marinianio marchione cum ijs copijs, quas diximus, ſtatuit Noreiam proficiſci, vt bellicoſam ac potentiſſimam vrbem,omniūq; Germanicarum fortaſſe opulentiſsimam ita cōponeret,cum eſſet particeps coniurationir Smacaldicæ, vt nihil inde timeri poſſet. His ita ſecum ſtabilitis animum adijcit primum ad colligendum peditatum ac equitatum, vt in primarijs vrbibus præſidia relinqueret idonea, nequid nouarū rerum ſe abſente illæ molirentur. idcirco Georgium Sciamburgium cum tribus millibus & quingentis militibus mittit Auguſtam. Alcimenij alia præſidia relinquit tria millia peditum Ioanne Gulielmi Nanſienſis filio præfecto.in vrbe Vſipetorū quòd eſſent tria Belgarum millia peditum, equites galeati quadringēti,nulla addita ſunt prę ſidia: quæ vrbs Rheno & Meno fluminib. in ea parte dominatur, cum is in duo cornua diuiſus ad mœnia eius vrbis confluat & coniungatur.trecenti pedites Neoburgum, duo Germanorū millia tribunatus Madruccij in vrbes Aſpergū, Chirchenam,Scorendorfum loca munitiſſima ſunt diſtributa.his igitur ita inſtitutis iam iam exituro Alcimenio Cæſari intuergorum Dux Odericus, ꝗ ęger non prius potuiſſet ad Cæſarem accedere, nunc vltro ſe ſummittit. atq; paratis ſolennib. præfatis titulis per ſcribam, narrata cauſa præteritæ opportunitatis petens veniam delictorum,& eorū, quæ contra maieſtatem Imperatoriam commiſerat,in amicitiam Cęſaris accipitur. Poſtea cū vellet Odericus conſurgere ad manum Cæſaris exoſculandam,non paſſus eſt Cæſar ſenē debilē & omnibus membris inualidis iſtud facere,cum prior ipſe ſurrexiſſet,contendiſſetq; ad dextram coniungendam ad amicitię humanitatisq; ſignū. His actis Cæſar diſcedit Alcimenio,primaq; caſtra ponit Ghengę,ibidem vbi caſtrametati fuerant hoſtes, dum ipſe erat Sunti proceſſit cum illo Hiſpanus peditatus, erantq; iam in itinere cum defenſoribus tormenta, quę Alcimenio fuetant attracta. Cæſar ex amplitudine caſtrorum facile numerum hoſtiū coniectura cognoſcit. perſpicit munitiones. explorat vbi Saxones, vbi Catti atq; Incriones, vbi Sueui, vbi Intuergi ſua tentoria poſuiſſent.qu ippe cum maxima ſit cognitio virium hoſtilium ſi obſeruetur non ſolum numerus & genus armorum,ſed multo magis diſciplina militaris,& eligendorum caſtrorum, aut inſtruendarum acierum ratio & conſuetudo. Inde profectus Cæſar ſecunda caſtra ad Norlingam ponit. interea Federicus auctis viribus multis ſeſe quotidie addentibus vniuerſam Saxoniam occupauerat. Albertus in vrbe Rocanizzo, quam per deditionem ceperat, cum decem vexillis peditum & mille atque octingentis equitibus morabatur, vbi de rebus bellicis aduerſus Saxonem conſultabat.eſt autem vrbs Rocanizzum, quam Albertus occuparat,in ijs finibus aduerſus Saxoniam Biudę ſororis Philippi Lantgrauij, quæ tripudijs & conuiuijs & cęteris huiuſmodi blanditijs Germaniæ domeſticis Albertum

delectabat

Litomarizū metropolis Boemię Saxoniam verſus.

Boemiæ vires

Caſurgium Metropolis regni totius. Multauia flu.

Boemiæ deſcriptio.

delectabat,apparatibusq; regijs detinebat, quo paulo negligentior,ac non ita vigilans fieret, vt conuenit Imperatori, inter res bellicas præcipuè eadem Biuda contrà certiorem clam faciebat Saxonē de omnibus,quæ agebantur, qui erat cum triginta & ſex vexillis peditum, & nō ſatis validis copijs equeſtribus, indeq; diſtabat circiter quindecim millia paſſuum.ille poſtero die ſumma diligētia uſus Albertum nihil tale ſuſpicantem aggreditur,ac nullo propè negotio obuium factum, in planitiemq; egreſſum profligat victum, & in fugam vertit. Captus fuit Albertus & Chriſtophorus Lictembergenſis,at multi equites & pedites ſeſe fuga ad Mauritium ſeruarunt. qui refugerant in vrbem,cum inſequentibus hoſtibus miſtim ingreſſi partim trucidati ſunt,omnibusq; rebus ſpoliati, partim capti,& pro Germanorū more compulſi vt iurarent, quòd non amplius arma caperent aduerſus Saxonem. Eſt enim ea Germanorum conſuetudo vbi victis & captiuis libertatem reſtituūt, vt iurare cogant, ſe non amplius aduerſus eos victores,& aliquando intra ſtatutum tempus,arma laturos.id niſi ſeruauerint,ſi rurſus capti ſint,capitis condemnari ſolent, & tanquam rebelles ac ſacrilegi cum ſummo dedecore puniuntur. atqui Albertus, ſiquis eius factum ſpectet, magis ſtrenuus miles in eo negotio, quàm prudens dux apparuit,cum ſapientibus ducibus nō minus aduerſus fallacias,quàm aduerſus arma ſit aliquando dimicandum. omniū quippe fallaciarum calidiſſima eſt & potentiſſima voluptas,quæ ſæpius victrices copias,potentiſſimosq; exercitus triumphantesq; inſignibus cladibus afflixit. capta ſunt omnia peditatus Alberti vexilla, duodecim bellica tormenta,multumq; commeatus & bellicorū apparatuum,pecunia,aurea,argenteaq; vaſa,& multa ſupellex. Albertus miſſus eſt captiuus Gottam, quod oppidum eſt munitiſſimum Caſuarorum Saxonis principatus, qua victoria potitus Federicus errauit,quia nō vti ſciuit,neq; proceſſit aduerſus Mauritium propinquum,ſicuti belli ratio poſtulare videbatur,omnesq; prudentiores factum iri arbitrabantur,vt belli reliquias de medio tolleret. Mauritius propinquitatem potentiamq; hoſtis veritus Chennizzo oppido egreſſus ad coniungendas copias cum Alberto properat, ignarus eorum quæ acta fuerant, ſed vix quatuor millia paſſuum proceſſerat,cum clades illa nuntiatur.viſum eſt factu difficile primùm,vt vrbs tam munita, tantisq; præſidijs obfirmata venerit in poteſtatem hoſtium tam breui.quare rem,vt parum probabilem non credit,inceptumq; iter peragit. Sed obuijs factis nonnullis fugientibus equitibus credere demum coactus eſt. Exiſtimauit tunc Mauritius ſecū pręclare actum iri ſi hoſtem palantem ipſe cum minoribus copijs, & inſequētem fuſas reliquias, ac ad prædam diſſipatum repentino aduentu opprimeret, quod facile fieri poſſe videbatur, vt aſſolet in his opportunitatibus euenire. Alij non eſſe tam propinquum hoſtem contēdebant,vt hoc fieri cōmode poſſet. nam ſi contento gradu peditatus procederet, futurum,vt prius defatigaretur, quàm ad hoſtem perueniret, ſin odinatè mediocriq; itinere incederet, ſatis ſpatij datum iri hoſti, vt ſe colligeret,quare futurum vt harum etiam copiarum ſalus in magnum periculum conijceretur.his rationibus commotus Mauritius iubet copias Chennizzum reuerti, vnde diſceſſerat,atq; poſtridie ſeſe recipit ad oppidum Friburgum. Federicus iam Boemorum animos amplificatæ victoriæ nomine extulerat,& ad ſpem rerum nouarum magnopere excitauerat atq; erexerat,cū magis ad Boemiam ſubiugandam, quàm ad reliquias hoſtium profligandas aut diſſipandas aſpiraret, idcirco illis libertatem per nuntios, ſeq; ab omni tyrannide breui eos liberaliter liberaturum pollicetur. ſimulata igitur illorum defenſione mittit Gulielmum Tumberſinum cum duodecim vexillis peditum & ſexcentis equitibus ad vallem Iachimiſtallum occupandam. Boemi audita Saxonum victoria,quorum vires putabant ſuum Regem non poſſe amplius ſuſtinere, vt ſunt populorum animi mobiles per victorias,&, in quam partem fortuna benignè aſpirauerit,labiles,vel quia Cæſarem timerent,vel quia ſeſe liberos fore omnino ſperabant, maximè ad fauorem Saxonis ſpectare videbantur. potitus eſt autem ea valle Federicus per clandeſtinum Boemorum conſenſum, cum ad illud negotium conniuere apertè apparuiſſent. Tantarum rerum ſpe elati Boemi comitia habent inter ſe Caſurgij contra antiqua eius Regni inſtituta, totiusq; Germaniæ, in quibus ſummum rerū bellicarum Imperium defertur Gaſpari Flucco viro autoritate. nobilitate,opibus præſtanti. cōſcribūt triginta peditum,duodecim equitum millia ad eius Regni defenſionem. His viribus confirmati ad arma Cæſaris aut Ferdinandi contemnenda primum omnium includunt regis filias in arcem Caſurgij,deinde animum adijciunt ad copias etiam adaugendas. Ferdinandus cum vires hoſtium in dies ſuccreſcere, ſuasq; paulatim deficere ac debilitari ſentiret, Cæſarem facit certiorem ſe omnem ſpem regni in fraterna virtute tantum ac fortitudine collocaſſe, quare niſi magna vis equitum ac peditum mitteretur, vel potius,niſi ipſe accederet, actum eſſe de illius regni conſeruatione.his precibus fratris, omnibusq; rerum ſuperiorum euentis cognitis Cæſar, ſtatuit ipſe ad illud bellū proficiſci,quare iubet Nicolaum Madruccium ſupplementum veteranis cohortibus Alliprandi fratris conſcribere,cuius in locum Alcimenij demortui ſuffectus fuerat,mille & quingentos pedites ſcilicet.Hanzbalterus Sueuus iuſſus eſt quā celerrimè colligere tria peditum millia.accerſiti ſunt Neapoli Hiſpani & cataphracti equites, ac leuiores. Sed antequam Norlinga diſcederet, vt diximus, Argentorati legationes vrbis opulentiſsimæ,& natura atque arte munitiſsimę ijſdem conditionibus vrbem Cæſari dedunt,quibus Alcimenii, Auguſtæ, Vſipetorumq; vrbes in amicitiam Cęſaris acceptæ fuiſſent,vna præſidij accipiendi conditione obliterata, quam omnino admittere recuſarunt, quod plebs non eſſet admiſſura,quæ pro ſuo arbitrio pleriſque rebus ciuitatis moderaretur.Cæſar qui in his difficultatibus exiſtimaret præſtare quoquo modo hanc vrbē propter autoritatē & potentiā eſſe amicā,quam hoſtilem,eam in fidem accepit ijs ſolennibus ſeruatis,quæ cum cęteris conſueuerat.iurarunt præterea ſe Imperatorē defenſuros, atq; iurarunt in leges Imperii, quod nūquā antea fecerant,cum profiterentur ſe liberos eſſe, vt ſunt vrbes in extremis Saxoniæ partibus oceanū

Albertus Marchio captus per mulliebres blanditias.

Clandeſtina ad defectionem comitia Boemorum.

Argentorati deditio.

vſque

vſque. vocata fuit Argentoratum hæc ciuitas, vt quidam crediderunt ab antiquis propter argenti copiam, quod eò comportabatur ob Rheni commoditatem cum ſtatutum eſſet ibi ærarium publicum Tribocorũ à Iulio Cæſare Heluetijs Heduiſque ſubiugatis Romano Imperio. Hi tormenta multumque apparatum bellicum ad eam expeditionem Cæſari ſuppeditarunt. Cæſar ſtatim ſignificari iubet Mariniano & Aluaro Sandæo ne fines Noreiæ, quò iam peruenerant, trãſirent. atque cum ipſe propter valetudinem progredi non poſſet, præmittit Albanum cum reliqua manu Hiſpanorum, Italoque equitatu vt cum reliquis copijs coniunctis ibi ipſum præſtolaretur. ſed quoniam Caſuari illa victoria elati coniunctis viribus popularibus nonnullorũ ad ſyluam incolentiũ vniuerſum principatum Alberti finitimum cædibus & rapinis infeſtabant, Plaſſemburgumq; prætererant munitiſſimum oppidum in ripa Meri fluminis ſitum: veritus Marinianus ne illud oppidum veniret in poteſtatem hoſtium propter inopiam præſidiorũ, mittit eò trecentos pedites ſummo ſtudio, qui oppidum ſine controuerſia ingrediuntur. Albanus igitur Noreiam contendit, vt cęteris rebus conſuleret, quæ vrbs eſt Norici principatus, amplitudine, diuitijs, magnificentia facile princeps. ibi nata de hoſpitio contentio inter ciues & exteros vix denique compoſita eſt. Cæſar Noreiam verſus proficiſcens prima caſtra Ettinguæ, ſecunda Gunchezauſenę, tertia Sbouç poſuit quarta facit Noreiæ ſolitis cuſtodijs, & cataphractis ſtipantibus. Excipitur à Prutenorum magiſtratibus cum magna omnium ciuium lætitiæ ſignificatione, multaque munera Cæſari offeruntur ad reficiendas copias inopia victus & itinere defatigatas. Dum Cæſar ibi aliquautulum ad res bellicas comparandas commoratur, Ioachimus vnus è Marchionibus Sennonum elector cognita Federici victoria è profligatis Alberti copiis ſui ſobrini, cum principatus totus ferè eſſet iam occupatus, quem ex altera parte ſylua Caſuarorum claudit, ex altera cum Saxonum regione conterminat, & ab Adorfo ad Egram vſque protenditur, venit in ſuſpicionem ſuo quoque de principatu, qui & ipſe coniunctus eſt cum Saxonibus Albim fluuium verſus. ille igitur cum neutris partibus hactenus fauiſſet, ſtatuit antequam de proprijs finibus dimicare cogeretur, quod apparebat factũ iri ſi nimis auctę fuiſſent vires Saxonum, cum nulla tam firma ſanctaque ſit amicitia inter reges, quam non ſuperet ac proſternat, vel minima ſpes dilatandi Imperij oblata, mittit qui regi omne genus auxiliorum offerat per opportunitatem ſuarum calamitatum. vt autem manifeſtius animi ſui ſpecimen & indicium præberet, ipſe accedit paulo poſt ad regem, ſtatuiturque communi conſilio vt obuiam Cæſari iretur. at ipſe non multo poſt decernit ad ſuos redire, ſed mittit Ioannem Georgium primogenitum cum quadringentis equitibus. fit certior Cæſar de omnibus per Sigiſmundum Lodronium. interea rebus neceſſarijs comparatis, præſidijſque in opportuna loca diſtributis Cæſar colligit circiter mille & quingentos equites, peditum duo millia, cum quibus Trefena Litomarizzum verſus atque Egram proceſſit, vbi ſtatuerat caſtra coniungere. ſed quoniã vrbs illa parum erat fertilis rerum victui neceſſariarum ipſe cum cataphractis Neapolitanis equitibus, ſuiſque cuſtodijs ad dexteram iter deflectit ad victus commoditatem, iuberque Albanum cum cęteris copijs procedere, quo ordine ad Competum vſque, ideſt oppidi nomen, itum eſt. Iam Federicus factus erat certior de fęderatione Ioachimi Electoris cum Ferdinando rege & Mauritio, quam veritus in vrbes Saxonum inferiores redundaturam, ſtatuit Albim fluuium traijcere, quo præſens armis audaciam impetumque hoſtium refręnaret, ſi opus eſſet. at quia intelligebat Cæſarem cũ magnis copijs propinquare, regemque obuiam procedere, decernit ex altera parte pacem poſtulare, ex altera niſi res ſuccederet, fortunam belli armis experiri. erat in inferiore Germania Gulielmus Menapiorum Dux, vir ſummæ autoritatis apud Cæſarem & Ferdinandum, quòd alterum copijs adiuuiſſet in bello contra Lantgrauium, alterius Mariam filiam haberet in matrimonio, eratque Federico affinitate coniunctus. Huius autoritate fretus Federicus & Sibillæ vxoris prudentiſſimæ mulieris conſilio commotus, rogat vt captata opportunitate colloquij niteretur à Cæſare impetrare, vt Federicum ſuo principatu potiri pateretur, cuius pars quędam fuerat iam à Ferdinando extorta, qui deſiderio potius rerum alienarum, quam vlla iniuria impulſus eum principatum inuaſerat. Hortatur igitur vt ipſe Gulielmus ad illos principes accedat, rogetque vti deſiſtant ab incęptis, Federicumque in fidem & amicitiam accipiant. His addit nonnullas fuiſſe cauſas bellorum aduerſus Germanos, quæ legitimę viderentur: atque cum alij in amicitiam accepti ſint, ſe quoque dignum videri, qui in amicitiam Cæſaris acciperetur. mittit etiam nonnullas conditiones pacis vt honeſtius agi poſſet. ea dum aguntur, nullum ſtrenui ducis officium tamen prætermittit, omneſque res tantis viribus repellendis neceſſarias ſumma celeritate comparat. Ne igitur copias minueret, cum opus eſſet valida præſidia relinquere in prouincia citra Albim fluuium, accerſit triginta vexilla popularium militum conſcriptorum, cum haberet circiter viginti & octo millia armatorum præter equites. diſtributa ſunt ea præſidia in loca, quæ defendi poſſe videbantur. vt Adorſum tria vexilla ingreſſa ſunt cum centum equitibus, vrbem veterem, ſiue Aldemburgum quatuor, Halam ſex, Torgam quatuor & equites ducenti. Rocanizzum duo. totidem Elnieeum. tria Leſnicum. Chersbergum octo. Heldruno & Senobella præterea, & Namburgo in Caſuaris, & Grettentalo, & Salfeldo oppidis munitiſſimis apta præſidia impoſita ſunt & peditum & equitum. reliquos conſcriptos, qui accedebant ad decem & nouem millia iubet Gulielmi Tumberſini & Alberti Maſſeltij imperio parere: quorum alter erat in finibus Boemię cum viginti & quinque millibus peditum & mille ac ducentis equitibus, alter in inferiore parte ad Albim cum paribus propè copijs. erat illis conſilium ſi Cæſar Saxoniam inuaderet, vt hic Boemis fauentibus, ille opem ferentibus

Argentoratum vide dictum.

Competum oppo.

omnibus propè maritimis vrbibus vbique facultatem commeatus caſtris hoſtium præcluderent, ſemperque hoſtem inſectantur. His rebus ita comparatis, ipſe ad Albim fluuium properat, quo in itinere capit Triburgum vrbem Camanorum non ignobilem, vbi impoſitis mille & quingentis peditibus ad Treſſenam caſtrametatur. eius loci tentata expugnatione cum ciues ſeſe egregie defenderent, coactus eſt re infecta recedere. Boemi per illud tempus animos ſuos iam non occultè, ſed apertiſſimè declarant, oſtenduntque non vanam eſſe ſpem Saxonis, quam in eorum voluntate fideque collocarat. Nam, cum Cæſar iam tridui iter feciſſe à Noreia diceretur, vt caſtra cum Ferdinando & Mauritio coniungeret, veritus Gaſpar Flucchus vir, vt dictum eſt, autoritatis apud Boemos inſignis, omnes hos apparatus ad infeſtandos fines Boemorum ſpectare, collectis ijs viribus, quas breuitas temporis patiebatur, iubet ſyluas omnes proſterni quacunque Ferdinandus erat tranſiturus, omneſque aditus occupari. hac ratione iter nonnullos dies retardauit, coegitque regem per alias vias, & per difficiles montes pertranſire. Cæſar magnam manum peditatus obuiam mittit, qui à Boemis regem protegeret, ſi vi niterentur iter impedire. ſed cum per difficilia, & aſpera loca, minimeque à Boemis credita penetraſſet, iter liberum explicatumque habuit, quòd equitatus tranſitus occupaſſet opportunè. ſic igitur Ferdinandus Rex & Mauritius & Dux Sennonum Electoris filius cum tribus equitum millibus & ducentis, trecentiſue ſolùm peditibus conueniunt in caſtra Cæſaris, reliquis partim in caſtra Flucchi transfugientibus, partim in domos ſuas diſſipatis. Cæſar his auxilijs auctus ad Egram vrbem iter cepit, quæ ſita eſt in Norica regione inter Nariſcos populos. vbi moratur aliquot dies, dum ſolennibus reſurrectionis Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti intereſſet, cum maximè omnium conueniat bono prudentique principi non ſolùm priuatim, ſed etiam publice ſacris ceremonijs, & diuinis ſolennibus intereſſe, quippe cum præſentia principis non mediocriter cohortetur, & inuitet populos ad religionem. vulgus enim & ſubditæ gentes plerunque principum virtutes ac vitia imitantur, ſed vitia facilius, cum illud quod publicè fit à principibus, iure fieri putent, quo fit vt omnis bene inſtitutarum ciuitatum laus, aut omnis ſcelerum reprehenſio, nemini magis, quàm principibus, aut magiſtratibus ciuitatum debeatur. fuerat autem præfectus Flucchus illis copijs hoc pacto: proceres illi qui conuenerant ad eos tranſitus occuppandos conuiuium opiparum pararunt. poſt conuiuium ſortiti ſunt inter ſe cui eorum ſummum Imperium deferretur, atque ita ſortem coordinarunt, vt Gaſpari Fluccho omnino accideret. non ſanè, quòd ille magis eſſet idoneus ceteris omnibus proceribus huic tanto negotio, ſed quòd maiores vires ille poſſet colligere, magiſque abundaret pecunia in ſtipendia militum. cui rei illud etiam accedebat, quòd quiſque mallet in alterius caput, quàm in ſuum periculum deuolui, ſi res parum feliciter ſucceſſiſſet. Dum Cæſar Egræ moratur, eſt autem Egra vrbs Boemiæ Saxoniæ finitima, ſed extra montes, nam vniuerſa Boemia quaſi circuli formam habet, cuius circumferentia ſunt montes maximis denſiſſimiſque arboribus obſiti, cum planos habeat acceſſus in ea parte tantum, quæ Marcomanos ſiue Iſburgios ſpectat, in cuius faucibus ſita eſt Trigla. enimuero præter hunc auguſtum aditum in cæteris partibus natura videtur eam vndique muniuiſſe aduerſus exterarum gentium incurſiones, cum denſitas nemorum, profunditaſque altiſſimarum paludum difficillimos aditus faciant in eam prouinciam. terra quæ intra hæc nemora comprehenditur plana eſt & fertiliſſima, multaque habet caſtella & frequentes vrbes, cuius prouinciæ coloni ſunt ſanè ſtrenui, atque equites ad Germanorum morem armantur. pedites differunt à Germanis, neque eadem ſeruant inſtituta, neque vtuntur ijſdem armis, cum alij quaſi venabulis, alijs alabardis vocatis, alij breuibus ſclopettis vtantur. Gulielmus Menapiorum regulus lectis literis Federici cum precibus honeſtis, vt videbantur, Cæſari præſtò fuit. primùm gratulatur pro accepta victoria pacatis hoſtibus Imperij, atque paulo poſt ſubiungit Federicum cupidum eſſe veniæ conſequendæ, ſuppliciterque rogare, vt in amicitiam reciperetur. Petit ſuppliciter ipſe Gulielmus à Cæſare pro innata clementia & benignitate, qua vſus eſſet in omnes pœnitentia adductos, vt Federicum humaniter acciperet. vt autem facilius, Cæſar ad illud commouetur, proponit fortunæ regnorum inconſtantiam, bellorumque incertos euentus, in quibus maxime omnium rerum humanarum fortuna ludere ſolita eſt, cum modo aliquis rerum omnium imperio potiatur, quæ quaſi impulſu quodam ad vnum confertim ruunt, modo qui nuper feliciſſimus potentiſſimuſque apparebat, in ſumma rerum omnium inopia & imperio & amicitijs deſtitutus iaceat. Nam tametſi omnia rectiſſimo conſilio, ſumma prudentia, diligenti ſtudio, accuratiſſima ratione ſint ab Imperatoribus ad optimum finem inſtituta, tamen fortuna, vel potius vis diuina, videtur plurimum in his rebus dominari, cuius conſilii nemo ſit particeps. prudentiſſimi eſſe ducis inquit paciſci potius cum hoſte honeſtis conditionibus propoſitis, quàm tantum fortunæ periculum per multorum populorum cladem, & ruinas ſubire, atque omnia vno tempore fortunæ arbitrio concedere. non minus honorificam eſſe Imperatori illam pacem, quam per animi virtutes & moderationem & clementiam acquiſiuerit, quam que per vires multorum, per arma, per clades hoſtium & ſubditorum parta ſit. His reſpondet Cæſar non poſſe agi de pace cum Federico, niſi ille inermis ſe ipſum & principatum arbitrio prius Cæſaris committeret. habendam eſſe rationem perſonarum. vix vllam inueniri poſſe cauſam, quæ poſſit ſubditos impellere ad honeſtū bellum ſuo principi inferendum. Non tantum præſentis opportunitatis habendā eſſe rationē, ſed etiam præcauendum ne facilitate & clementia principis ceteri ad impunitatem ſcelerum, quaſi

Magiſtratuū verſus quanta ſit.

Boemiæ deſcriptio.

Cæſaris grauitus.

quaſi licentia quadam abutantur. Hæc eo vultu pronunciata ſunt à Cæſare, vt neque oculos quiquem contra attollere Gulielmus auſus ſit, nedum reſpondere; quamobrē re infecta domū reuertit, Federicūq; facit de ijs omnibus certiorem. Nuntiatur in caſtra Cęſariana pridie calendas Aprilis Franciſcum Gallorum regem naturæ conceſſiſſe anno ætatis ſuæ quinquageſimo quarto, vbi regnauiſſet triginta & tres annos. fuit autem Franciſcus omnibus regijs artibus, animique ornamentis inſtructus, cuius mortem non ſolùm Cęſar, ſed omnes viri boni viſi ſunt ægerrimè tuliſſe. nam fuit princeps diuina propè prudentia, memoria ſingulari, humanitate incredibili, inſignium vel ducū vel literatorum verè patronus & adiutor, vel potius pater, & qualem Gallia per multos annos eſt deſideratura. potuiſſet omnium regum Gallorum facile principatum obtinere, ſi pro animi dotibus fuiſſet fortunatus. Sed rara eſt fortunæ cum virtute concordia. Huic ſucceſſit in regnum Henricus filius, qui tunc agebat annum ætatis ſuæ vigeſimum octauum omnibus & ipſe excellentibus ac regijs artibus à patre informatus, qui nihil habuit antiquius, quàm vt populorum in ſe ſtudia conuerteret. eos cum ob diuturna bella videret defatigatos & afflictos, ſtatim initio ſui Imperij immodicis tributis ac ſumptibus ſubleuauit, qua liberalitate mirificè ſibi conciliauit animos tum Gallico Imperio ſubditarum, tum etiam exterarum gentium. Franciſci exequiæ magnificentiſſimè Lutetiæ ſunt celebratæ, cuius cadauer ex oppido Rombuleto, quod eſt in finibus Pariſiorum vbi mortuus eſt, allatum fuit Lutetiam atque à die mortis ad ſepulturæ vſque tempus facta eſt regia quædam imago ad eius imitationem, regijſque veſtibus induta, & in honorificentiſſimo throno collocata cum regio ſceptro ac diademate, quod fieri conſueuit prandij cęnęque tempore cum iiſdem ſolennibus, quæ uiuo rege ſeruabantur. cum mos ille multos dies fuiſſet ſeruatus, funebribus veſtibus imago mox induta eſt. quadraginta & octo monachi quotidie ſacra peragebant in templo Diui Dionyſij. è lectuli regione duo erant altaria cum multis luminibus, & quatuordecim candelabra, quæ circum conſtituta craſſa funalia ſuſtinebant. Rex plauſtro impoſitus ad ſepulturam vectus eſt, circum, quod erant viginti & quatuor monachi accenſos cereos geſtantes, quibus præcedebant quingenti inopes lugubribus induti ac cereos geſtantes. ſecuti ſunt cadauer vndecim purpurati antiſtites, multi epiſcopi, omnes Galli proceres, populus vniuerſus tanquam communem parentem totius prouincię, omniumque bonorum fautorem cum multis lacrymis. habita eſt oratio funebris à Maconenſis epiſcopo, quę multa lacrymarum copia fuit irrigata. coronatus fuit autem Henricus ſecundus Franciſci filius Rex Gallorum cum eſſet annorum viginti & octo de more cæterorum regum ſub dio in plauitie in agro Reinſio ab archiepiſcopo eius vrbis corona Caroli Magni. aſſiſtunt autem in regum Gallorum coronationibus in ſuis gradibus honorum atque magiſtratibus duodecim proceres à Carolo Magno inſtituti, tres horum Ducum dignitate inſigniuntur, Reinſius, Laonius, Andomatunenſis archiepiſcopi. hi verò epiſcopi Comitum habent dignitatem Bellonacenſis, Nouiodunenſis. His accedunt Sequanorum, Celtarumque ſiue Normaniæ duces & Aquitanię, atque comites Belgij, & Sueſſonum & Toloſæ Coloniæ. ſed quoniam horum nonnulli non ſunt ſub Imperio Gallorum, partim quòd deſciuerint, partim quòd ab aliis principibus regiones ſint occupatæ, & partim quòd duces atque comites non ſint omnino, pro his ſuccedunt Rex Cantabrorum, Dux Vandomius, & Ghiſius, & Auguſtonometanus, & Mompenſerius, & Vmalius. ea morte in caſtris Cæſarianis audita variæ ſententiæ ducum Cæſaris exortæ ſunt, cum multi parum tutum eſſe arbitrarentur rebus Italicis, vt Cæſar occuparetur ſubiugandis Saxoniæ populis, cum certe res Italæ longe eſſent pręferendæ. ad illud conſilium impellebat non ſolùm difficultas tranſituum cum hoſtis omnes aditus firmis præſidijs præcluſiſſet, impediuiſſetque conuectionem tormentorum, cum Federici vires in dies magiſque augerentur, verum etiam anguſtiæ locorum, cum non poſſent niſi per ſummas difficultates ſuperari ad aperiendam viam commeatibus, cum iter faciendum eſſet per ſyluas & montes, qui inter Cæſarianos & Saxones intercedebant. ea res animum Cæſaris non nihil commouit, quoniam non omnino carere ratione videbatur, cum multi eſſent Florentini Neapolitanique exules, iique non aſpernandæ autoritatis, qui poſſent nouum regem & animos cęterorum principum ad ſuam patriam liberandam aſſiduis precibus, & non ineptis rationibus apud hoſtem pręcipue incitare. intelligebātur illa eſſe multorum Italorum ingenia, vt rebus nouis delectarētur, qui ſoliti ſunt ſępius principes mutare, quam quidem mutationem ęquiore animo ferunt, quàm reliquæ nationes. ſtatuit igitur Cæſar Saxonię expugnationem dum res eſſet integra, non prætermittere quidem, ſed quanta fieri poteſt celeritate negotium conficere. poſtea re cum ijs, quos adhibebat conſilijs, communicata ſtatuitur poſtridie eius diei Egra caſtra mouere, vbi quadringentos pedites reliquit in præſidijs. ſed quoniam plures erant vię, quæ ducebant in Saxoniam, illarum non difficillima videbatur ea fore, quæ ducit per Boemiam, cum inter Saxones Boemoſque fluat Albis, qui multis in locis poſſet vadari. alia ſeſe offerebat per agrum Adorfinum in extrema parte Saxonum, non plurimum diſtans ab Egra, quem aditum Cæſar putabat poſſe per vim armorum aperiri, quamuis firmis præſidijs eſſet munitus. alia rurſus erat Caſuarorum difficilis & anguſta inter montes & fluuium Salam, quam etiam faciebant anguſtiæ aptam vt à paucis teneretur aduerſus vim multorum. Cæſar his omnibus inter ſuos propoſitis, atque diligēter in utranq; partē ponderatis ſtatuit deniq; Adorfinā viam eſſe faciendā, vt quæ magis apta videretur conuectioni tormentorum, cum etiā illud commodi per hanc viam conſequeretur, nequem locū cogeretur à tergo relinquere, qđ incommodum maxime omnium multis de clauſis deuitandum eſt à ſapientibus Imperatoribus. Præmittit Albanum ſummū copiarū ducem, qui primū locū autoritatis poſt Cæſarē habebat in caſtris

Fran. Gallorum regis mors. & laus

Ceremoniæ regum Gallorum funebres.

Henrici. 2. Gallorum regis coronatio.

Sala flu.

ſtris,cum vniuerſo peditatu, & parte equitatus. Albanus Elſnicchum expugnatum mittit Antonium Toletanum cum mille Hiſpanis peditibus,& equitibus trecentis. Adorſi præſidia Cæſarianis vix conſpectis aufugiunt, atque Elſnicchenſes uiſi ſunt primum propter finitimorum armatorum numerum velle reſiſtere, ſed viſis poſtea copijs Ceſarianis ad ſe venientibus, quamuis commiſſo prius leui prælio, mox ſeſe dedunt ea conditione, vt ſalua eſset vita militum vnà cum incolumitate ciuium, qui milites tunc eſsent intra mœnia, qui erant ſeptingenti pedites expediti. Toletanus eo confecto negotio cum ſuis copijs in caſtra redijt. Poſtridie Cæſar vniuerſas copias heſternas cum Albano præcedere imperat, cum ipſe ſequeretur cum alijs, diuerſis tamen itineribus. Non enim propter difficultatem locorum, quæ ſylueſtria erant & montoſa, vniuerſus exercitus commodè poterat incedere. ſic igitur ex itinere alijs nonnullis vrbibus,aut caſtellis per deditionem occupatis, quod facile conſequebatur propter clementiam & humanitatem, qua vtebatur in ſupplices, ( ea eſt enim maximè omnium tormentorum aliquando potens in bello) non inutile planè iter facit. Nuntiatur Cæſari interea Federicum traiecto Albi fluuio ad Maiſenam nobiliſſimam vrbem, metropolimq; Camanorum apud Albim fluuium caſtra collocaſse, vbi illa muniebat, viresque eius in dies ſuccreſcere: quo nuntio compulſus eſt Cæſar vt non mediocriter optaret, quam primum ſigna conferre. ſed quia inſtructus exercitus propter naturam locorum, vt diximus, duci non poterat, vbi peruentum eſt ad vrbem, quam Plaum vocant, iam planities incipit aperiri fertiliſſima, multaque amœniſſima prata, & caſtella varia in planitiem deſcẽdentibus ſeſe oſtentant. tota ea prouincia in armis conſtiterat, eratque præſidijs & armatis hominibus egregiè inſtructa: quippe, quæ paucos haberet pagos nedum caſtella, in quibus non eſsent aliqua peditum vexilla. Ceſar quo commodius copias in aciem inſtrueret in planitiem profectus non procul à Mulda ignobili fluuio meridiem verſus conſiſtit. ibi cum tam numeroſus non eſset exercitus & copiæ peditum, vt commodè poſſet in tria agmina diuidi, in duo tantum diſtribuit,in primam aciem & phalangem frequentem, quo pacto copiæ firmiores fore videbantur ad reſiſtendum. ſed quoniam à fronte ſemper hoſtem procedens erat habiturus, ſtatuit vt prima frons firmior inſtitueretur, in qua collocatæ ſunt Germanicæ copiæ Marinianij, & Aniualdi, Hiſpanæque Arzij, & Sandæi, erant in fronte quinquaginta ordines ſclopettariorum ad lineam rectam coordinatorum, qui ordines ſinguli viginti & vnum habebant ſclopettarios cum duobus ordinibus alabardiferorum egregiè armatorum pari numero. ſubſequebantur poſtea vexilla triginta & quinque, duo ſariſſis armatorum in ſexaginta, & tres ordines diſtributa, quorum ſinguli triginta & quinque armatos continebant. erant vtrinque à latere mille ſclopettarij à dextra ſcilicet, & à ſiniſtra tanquam alæ, qui vice extremæ aciei quoque perfungi poſſent. vniuerſus hic exercitus ab Albano ſummo copiarum Duce ductabatur, quem Pannones, Italique equites antecedebant. ſequebantur à tergo cataphracti Neapolitani & Mauritij equites. in extrema acie Cæſar ipſe ſubſequebatur cum copijs Nicolai Madrucij, equitatu Maximiliani regis, & Georgij Aliſenſis, ordinarijsque cuſtodijs, inter quas omnes copias trahebantur tormenta. ſic Ceſar inſtructis copiis omni diligentia in hoſtem contendit, cum nihil magis eſſet in optatis, quàm cum illo confligere, quia verebatur ne ſe in munitiſſima loca reciperet, vt Gottam, aut Eldrunum, aut Senobaltrum. nam hæ munitiones,& aliæ nonnullæ ita ſcitè fuerant à Federico inſtructæ propter mirificam naturam loci, multosque bellicos apparatus, vt viderentur in multos annos poſſe bellum ſuſtinere, ac protrahere. Peruenit igitur Cæſar ad Chenoſtanum, quod eſt paruum caſtellum, ſed munitum beneficio duorum collium, à quibus protegitur, cum ex altera parte fluuium habeat Muldam. miſſus eſt Sulmonenſis princeps cum Italis equitibus ad occupandam Valdembergam, alii miſſi Rocanizzum, quibus in locis cum eſſent finitimorũ populorum, accolarumque præſidia vix auditis tympanis Cæſarianorum,omnia domum ſunt diſſipata, vrbeſque ipſæ ſe Cæſari dediderunt. Præfectus præſidiorum Rocanizzi ſeſe Leiſniccum contulit, quæ vrbs erat hoſtilis, & à Saxonibus cuſtodiebatur. Cæſar Italos equites mittit ad eam vrbem explorandam ad expugnationem, quibus viſis Saxones defenſionis conſilium prę ſe tulerunt. Cæſariani quamuis vrbs & oppidulum eſſet in loco edito & ſaxoſo, quò difficile erat equis aſcendere, tamen collem vndique aſcendunt tanquam portas concrematuri. ciues tametſi eorum numerum equitum facile contemnebant, tamen quòd omni ſpe auxiliorum viderent ſe deſtitutos, & quòd victorem exercitum expectarent, cuius viribus viſa eſt nulla ciuitas poſſe reſiſtere, cęperunt inter ſe agere de expetenda pace. reſpondent igitur miſſis ad ſollicitandos, hortandosque ad deditionem ſeſe exituros eſſe ex vrbe ſalua libertate & impedimentis cuiuſque. His reſponſum eſt non eſſe Cæſaris conſuetudinem, vt armatos de pace agentes audiat, poſitis armis, quæ petantur forſitan conceſſum iri. illa ſpe confirmati portas aperiunt, omniaque committunt arbitrio Cæſaris. vita & bona omnium ciuium incolumia & illæſa ſunt conſeruata, ſed milites ſpoliati, & præſidiorum præfectus captus ad Cæſarem ductus.illuc poſtea Cæſar caſtra tranſtulit, cum vrbem opportunum locum caſtrametationibus eſſe intelligeret, alteramque partem copiarum citra fluuium Maldam, alteram vltra ſtatuit. præmittit interea quadringentos equites, qui ad Albim vſque fluuium procurerent inde diſtantem circiter triginta milliaria, vt aliquid de hoſte intelligeret. id cum haud ſegniter factum eſſet, non procul ab Albi fiunt obuij quidam equites Saxones, qui & ipſi excurrerant è caſtris, vt aliquid de Cæſarianis audirent. committitur ab vtriſque atrox prælium: ſed Saxones multo inferiores numero denique in fugam vertuntur nonnullis captis. Cæſar cognita è captiuis Saxonis caſtrametatione præmiſſis Italis & Pannonibus iter capit, qui ſpe prædæ longius.

Elſnicci & Adorſi deditio.

Clementia validum tormentum.

Ordo acierũ Cæſarianarũ incedentiũ.

Valdemberga & Rocanizzum captum.

Leiſnicci deditio.

Malda flum.

dæ longius à caſtris protracti, vel in intimas hoſtium vires excurrunt. ab incolis igitur, qui in vnum conuenerant propter metum Cæſarianorum in quandam ſyluam, proximo pago diripiendo intenti inuaduntur, atque nonnulli trucidantur. ſed Itali facile in vnum congreſſi breui agreſtium hominum rei militaris imperitorum impetum retundunt: quippe cum vel audito ſono tubarum ſtatim deterriti abiectis armis ſalutis ſpem omnem in celeritate pedum reponerent. veruntamen omnes ferè trucidati ſunt, cum omnibus eius pagi colonis, quia Pannones nulli neque ætati neque ſexui pepercisſent. ſunt enim Pannones pleriq; ut Turcæ planè crudeles, & in humani, neque vlla ſupplicum miſericordia, vel lacrymis commouentur, quod quidem modo fit ob temperamentum corporis, cum frigoribus regionis conſentiens, modo ob frequentem homicidiorum vſum, vt accidit in bellis diuturnis. Cæſar interea Maiſenam verſus ſingulari diligentia contendit, quæ vrbs eſt Mauritij ab illo Saxoni extorta. ea re cognita Federicus conſilium capit, vt videbatur ſalubre contrahendarum copiarum inferius magis oceanum verſus quòd ibi Albis eſſet profundior, traiectusque tanto difficilior, quanto vicinior oceano: qua ratione apparebat animos Boemorum confirmaturus, inuitatur uſque ad præſtanda ſibi auxilia, & à Cæſare multo acrius alienaturus. illo conſilio capto Federicus ne poſtridie, vel confligere, vel turpiter ſe recipere cogeretur, pontem concremat, qui ſupra fluuium erat factus, & caſtra mouet ſecundum fluuium, vt Cæſarianos à traiectu coerceret. Cæſari Maiſenam cum exercitu procedenti nuntiatur Tumberſinum cum ſuis copijs non plus tribus millibus paſſuum inde abeſſe, Federicumque traieciſſe Albim vt caſtra coniungeret. Hæc ita credita ſunt à Ferdinando & Mauritio atque ſi ipſi vidiſſent, quare ſtatim iuſſerat copias labore itineris defeſsas, & diurno calore afflictas iter capere, neque tamen ita certo nuntio accepto. Cæſar cum rem non ita temere credendam putaſset, ad quem ſumma prudentia, caſtrorumque adminiſtratio ſpectabat, hinc ducentos Pannones equites, inde ducentos Italos exploratum mittit hoſtium conſiliá. interim totum exercitum imperat quieſcere, quod conſilium ſanè fuit Cæſarianis ſalubrius, quàm ita inconſulto copias defatigare. cęterum qui exploratum miſſi fuerant, cum eò perueniſſent, vbi hoſtis caſtramentatus eſſe dicebatur, neminem inueniunt, quod vbi nuntiatum eſt in caſtra Cæſariana eam noctem quietam agunt, & diem ſequentem. nam per decem dies copiæ iter fecerant. nuntiatum fuerat Cæſari Federicum Maiſena diſceſſiſſe, atque Molburgum verſus iter cepiſſe, quare poſtera nocte contento paſſu ad fluuium contendit ignibus accendi vetitis, ne ſuus aduentus hoſtibus per lumen ſignificaretur. vix autem dies illuxerat cum obuiæ fiunt Maiſenenſium aliorumque populorum quorundam legationes veniam pacemque petentes ſuis vrnibus. nuntiatur Saxoni Molburgum profecto Cæſarem partem copiarum Maiſenam miſiſſe, quare ne inter duos exercitus interciperetur cum omnibus copijs tria millia paſſuum inde recedit, iubetque mille pedites & equites ducentos, quos ad defenſionem Torgenſium reliquerat, ingredi Calegiam. ibi poſitis caſtris confeſtim nuntiatur Cęſar fluuio propinquare, quod non ſine aliqua trepidatione auditum eſt. exiſtimabant rerum bellicarum periti Molburgum redeundum eſſe, ſummoque conatu enitendum ne hoſtis Cæſar fluuium traijceret, in quo vno conſilio apparebat tota ſpes eius belli eſſe repoſita: quippe cum multo melius ſit fortunam belli cum aliquo locorum, temporum, aut rerum aliarum huiuſmodi auxilio, ſi fieri poſſit, quàm omnino æquo marte, experiri. alij cenſebant præſtare, vt copiæ ad vrbes maritimas contraherentur, cum Calegia vrbs metropolis eius principatus, alięque nonnullæ ita eſſent munitæ, vt poſſent in multos annos bellum protrahere. hoc conſilium ridiculum ſanè videbatur, cum nullum tam munitum ſit oppidum, quamuis munitiſſimum, niſi ſubmittantur auxilia, quod vinci denique non poſſit obſidione, & aſſiduis certaminibus, omnia enim vel inexpugnabilia credita tempus & virtus obſidentium, & penuria denique rerum neceſſariarum, ſuperat. horum conſiliorũ neutrum viſum eſt ſalubre Federico, quòd alterum nimis timidum, & in quo ſumma erat militaris turpitudo, ſi ſe tanquam uictum ſponte fugæ dediſſet, alterum minime neceſſarium apparuit, cum tanta eſſet fluminis profunditas & altitudo vt omnino videretur inſuperabilis. miſit tamen ducentos pedites Molburgum & centum equites, qui reliquias pontis ſuccęderent & concremarent, vbi erant triginta & quinque lintres. putabat ſanè fieri poſſe, vt non minus ijs paruis copiis in ea parte, quàm vniuerſis fluuius defenderetur, propter anguſtias & aggeres vadi, cum ad anguſtias domibus maxime protecti citra fluuium pauci multos poſſent reprimere. Peruenerant copiæ Cæſarianæ iam ad pagum quendam diſtantem ab Albi ad mille paſſus, quem vocant Serfemecerum, & ad eam partem pręcipuè, vbi Saxones fluuium tuebantur. illud tametſi per exploratores ſignificatum fuerat Cæſari, tamen mittit Albanum cum magna ala equitum exploratum. relatum eſt in caſtra periculoſum eſſe ne magnam partem æſtatis in ea difficultate traijciendi fluuij abſumere cogeretur, cum neque pons vllus eſſet, neque ad pontes conficiendos vlla ſatis commoda materia. nam conuecti lintres propter amplitudinem ſpatij non ſufficiebant. vadari autem propter profunditatem aquarum à peditatu omnino non poterat. Cæſar eò ipſe profectus cum reliquis copiis viſis hoſtibus in vlteriore ripa, decernit omnino traijcere. non laudabatur Cæſaris conſilium ab ijs, qui bellicis conſultationibos adhibebantur, cum ſolutis lintribus traijcere in conſpectu hoſtium parum eſſet tutum. pontem extrui neque amplitudo fluminis, neque vis hoſtium videbatur paſſura, quibus erat facillimum illud prohibere. his accedebat, ꝙ Federicus caſtra habens propinqua, facile poterat aliquã partem copiarũ hoſtiliũ pati pertrãſire, deinde ita inuadere, vt vel ferro trucidarẽtur, vel ſuffocarẽtur in fluuio, q̃ qm̃ rõni bellicę couenire apparerẽt, Cęſar neq; ab ijs eſt territus aut retardatus, neq; tñ oĩno aſpernatur. iubet itaq; Hiſpanos

Pannonum natura.

Maiſenę deditio.

panos ſclopettarios protendi ſecundum flumen. apud hos conſiſtere loricatos & ſariſſas habentes cum ſex campeſtrib. tormentis in loco arboribus conſito, atq; cum his Germanos in duas acies inſtrui in eadem planitie, quæ inter Albim & Serſemecerum interiacebat. adiutus fuit etiam Cæſar nebulę beneficio ac protectus, quæ mane ſummo orta tam denſa & tamdiu perdurauit, nulla vt pars exercitus perſpici poſſet quà tenderet, aut quò iter alia conuerteret: quare prius ad fluuium acceditur, quàm hoſtes, id ſenſerint. vbi eò ventum eſt, omnis obſcuritas paulatim euanuit, Albiſque conſpectus eſt, & hoſtis in vlteriore ripa fluminis habens in caſtris ſex millia veteranorum peditum, & tria equitum, cum reliquas copias haberet ſecum Tumberſinus, & viginti bellica tormẽta. iubet Cæſar incolas eius regionis nonnullos capi, vt ex his poſſent vada fluminis cognoſci, atq; pons interim è regione & in conſpectu hoſtium confici. cognito Cæſaris conſilio capti ſunt quidã incolæ, ſed omnes ſignificabant fluuium non temerè eſſe tentandum, qui periculoſus eſſet ac difficilis cognitu. At Albanus mox ſe agreſtem quendam reperiſſe nuntiat, qui vadum optimè ſciret, quod gratum fuit Cæſari. ſed cum ad locum vadi peruẽtum eſſet, cognoſcitur hoſtes ex altera parte fluminis ſclopettarios & tormenta in ripa pro opportunitate locorum diſtribuiſſe, defenſuroſque eſſe & impedituros non modo traiectum vadi, ſed etiã prohibituros pontẽ fieri è lintrib. quos Cæſar ſecum adduxerat. erat ripa, quam tuebantur Saxones, multo ſuperior & altior Cæſariana, in eaque extructæ reparationes, quarum beneficio ſclopettarii protegebantur aduerſus Cæſarem. Cęſaris ripa contrà ita erat depreſſa, & aperta ac plana, vt omnis aquarum exreſcentium impetus eã ferretur, quibus Saxonum commodis illud etiam accedebat, quòd haberent caſtellum, quod tametſi viribus exercituum reſiſtere non potuiſſet, tamen vadum & traiectum difficillimi fluminis eximiè poterat impedire. pars rurſus agri, in qua Cæſar conſtiterat, ita erat glabra & aperta, vt nihil prorſus appareret præter nonnullas arbores à fluuio diſtantes. equites quidam Cæſaris deſiderio cognito nonļ ferentes moram, neque expectato vadi duce, gloriæ deſiderio impulſi omni moleſtiſſimo ſtimulo acutiore fluuium audacter ingrediuntur, natantibuſque aquis ad vlteriorẽ ripam perueniunt decem incolumes. ſurgebat agger in ea ripa ad altitudinem decem pedum cum nonnullis domibus ex altera parte, ex altera ſylua, in quam haud facile inſpici poſſet. ad eius frõtem in aperto loco apud fluuiũ erant nonnulli equites. ad aggerem verò, & intra domos pedites, qui fluuium tuebantur. habebat is profunditatem quatuor pedum plerunque, at in aliis locis paulominus. in alijs multo etiam magis erat profundus: eratque tantus currentium aquarum impetus, vt curſus eſſet inſtar magnæ profunditatis, cum latitudo pedum eſſet trecentorum. illi equites vi hoſtium ob paucitatem facile repelluntur, coguntur que rurſus fluuium ingredi, quorum nonnulli in fluuio perierunt, alij ſeſe incolumes ad ſuos receperunt. Federicus interim parum de viribus Cęſarianis ſollicitus explicationem euangelicam pro inſtitutis nouæ religionis diligenter attendebat. Cæſar quòd videret ita munitam eſſe ab hoſtibus aduerſam ripam fluminis, vt aliquo artificio opus eſſet aut vi inſigni, iubet ad illas arbores, quæ diſtabant ab aqua, quædam tormenta collocari, atque mille ſclopettarios inde ſtatuit, qui viciſſim in hoſtes diſploderent, ne tam apertè, tamque ſine controuerſia ripa tutò potirentur, vtq; poſſent Cæſariani quoque ad ſuam ripam accedere, quamuis eſſet aperta: quod tametſi magno fiebat cum periculo ac difficultate, tamen fieri omnino neceſſe erat. At verò tanta animi magnitudine id factum eſt à quibuſdam Cæſarianis, vt vel ſupra pubem aquam ingreſſi ſint, quo è propinquiore ſpatio ſclopettis hoſtem impeterent. Saxones ſclopettarij ad eam Cæſarianorum audaciam reprimendam in lintribus ſecundo flumine vehuntur, quare Cæſarianis in apertam ripam exire neceſſe ſit. cęptum eſt leue prælium ab vtraque ripa, cum Saxones ſclopettarij, & tormenta Saxonum vndique Cæſarianos impeterent. at Cæſariani erant in loco inferiore, tamen & ipſi maxime Saxones infeſtabant. Cæſar mille ſclopettarios rurſus progredi imperat cum Arze Inſubrum caſtrorum magiſtro ad hoſtes acrius etiam infeſtandos, quare tam frequens erat vtrinque vis ſclopettariorum ac procella, vt potius militaris ſalutatio, quàm læue prælium videri poſſet. Saxones, qui erant in lintribus, partim cęſi ſunt, partim, quia verebantur ne lintres venirent in poteſtatem Cæſarianorum, cum illos in tutum attrahere non poſsent, concremarunt. alij propter illã procellã glandiũ à Cæſãrianis efluentium non audebant ripam conſcendere, proſtratique iacebant in lintribus, quia ſi conſurgerent, ſibi videbantur incurrere in magnum periculum. ſed iam pons Cæſarianus ad ripam conuectus fuerat, at cum eſſet tanta amplitudo fluminis, lintres illi non apparebant ſufficere, quare neceſse fuit aliquo pacto ab hoſte reliquos lintres extorquere. Saxones quia tantam vim, tantamq; procellam Cæſarianorum ferre non poſsent, animo paulatim concidunt, ſenſimq; recedunt à fluuio, non ita tamen non vt multi reliqui eſsent ripę defenſores. Cæſarianis contrà ita auctus eſt animus, & ſpes certa victoriæ innata, vt viderentur omnia vel difficillima facile ſuperaturi: quippe cum tantundem audaciæ victoribus ſuccreſcat, quantum victis & profligatis ſolet imminui. nonnulli igitur Hiſpani gloriæ ſtimulo permoti poſitis veſtibus ſtrictos gladios mordicus capientes fluuiũ ingrediuntur, ad lintreſq; natant, in quibus Saxones latebant proſtrati. nã tametſi ex altera ripa frequẽtes glãdes à ſclopettarijs Saxonibus in hos effundebantur, tamẽ ab incæpto minime deſiſtunt. quinetiã ita inermes armatos in lintrib. trucidãt, lintribuſq; potiuntur, non ſine magna vtriuſque exercitus admiratione, ac ſuorum laude, quippe cum decem tantum nudi triginta, & quinq; armatos trucidarint. Albanus interea agreſtem hominem indigenam adducit ad Ceſarẽ magiſtrũ molendini cuiuſdã, ita peritum fluminis, vt nemo eius regionis diligẽtius ſingulas partes cognoſceret. peritiæ accedebat odium in Saxones, & vltionis deſiderium ob duos equos à Saxonibus nuper abactos, quare ſe ducem vadi vltro obtulerat Albano modo ſuorum equorum precium

Pugna ob traiectum albis fluminis

acciperet

acciperet, iubetur pons e raptis lintribus ad ripam alteriorem protendi coniunctis lintribus Cęſarianis, vt per eum vniuerſus peditatus tranſiret. atq; cum ripa vlterior libera apparuiſſet, imperat Cæſar equitatum per vadum ingredi duce ruſtico molendinario. conſtituit ad pontis cuſtodiā nouem vexilla Germanorum & quingentos equites: quem tametſi nonnulli Saxones ſclopettarij infeſtabant, tamen Cæſarianus equitatus tanta alacritate traijcit ad vlteriorem ripam, vt primi eo euadentes non minus tuti, quā in ſua ripa reliquos expectarent. ea re viſa Saxones de ſpe tuendæ ripæ prorſus decidunt, atque conſpecta tanta equitum multitudine ac peditum in ſe irruentium deſerta ripa tanta trepidatione replentur, vt reliquam ſpem ſalutis in fuga collocantes ferè vno tempore cum admiſtis Cæſarianis ad caſtra ſuorum peruenerint. vbi Cæſar vadum duce agreſti pertranſiſſet, omnes certatim traijcere contendunt. alij pedites ab equitibus accipiūtur, alij in lintribus ſemiuſtis, alij in trabibus excauatis, quæ erant in vlteriore ripa contis pro remis vſi portitorum munere funge bantur. ita magna multitudo militum ad vlteriorem ripam tranſuecta eſt. agreſti duo equi, & centum coronati Cæſaris iuſſu dati ſunt. ponte extructo prior Hiſpanus, deinde Germanus peditus per tranſit. accurrunt ad Federicum ſeruati è ripæ cuſtodijs, qui fuga euaſerunt. obnuntiant Cęſarē Albim cum magnis copijs traieciſſe, quare is caſtra mouet. Sclopettarij ab equitibus a tergo tranſuecti decertant leuibus prælijs cum hoſte, vt eum ab inſtituto itinere retardarent. is tamen quanto poteſt diligentiore ſtudio & ordine iter facit exercitu vniuerſo in duo agmina diuiſo, quorum hoc paruū erat, illud amplius. ita vero Saxonum copiæ diſtributæ incedebant, vt ſi Pannones aut leuiores equites Cæſariani inſtarent, mira quadam celeritate conuoluerentur, locumq; concederent peditibus ad iter faciendum. Cęſar properato gradu cum armatis equitibus hoſtem inſequitur, atq; per apertam, latamq; planitiem iter faciens inuenta Chriſti Cruci affixi imagine glande per contemptū trāſfixa ſublatis ad cęlum manibus precatur vt liceret eam iniuriam contemptę religionis vlciſci. cum vero puluis ſublatus oculos offenderet adimeretq; proſpectum, Cæſar à via diuertitur, vt proſpiceret ſi qua forent exercitui neceſſaria, periculumq; omne deuitaret, quod ſæpius compertum eſt imminere exercitibus, niſi acies opportuno ordine procedant. oſtendit enim non ſemel experientia diſciplinarum omnium magiſtra, quòd prima acies profligata, ſolet & vniuerſum agmen in fugā vertere, niſi illi maturè ſuccurratur, atque in apto loco conſtiterit. Cęſar idcirco ita ſe comparauit paulum à via recedens, vt ſi prior acies verſaretur in periculo, ipſe cum ſuis & Ferdinandi turmis rebus laborantibus maturè poſſet opem ferre, atq; in hoſtem impetum facere, qui tam inſtructus incedebat, vt ita facere omnino neceſſe eſſet. nam locorum, acierumq; hoſtilium ratio ſæpe nos monet quis ordo in mouendis caſtris ſit tenendus, cum plures ſint mutationum opportunitates, quàm vt ſub præceptis militaribus cōprehendi poſſint. Saxones, cum viſis propinquis Cæſarianis non ſatis commode poſſent in aciem inſtrui propter repentinum aduentum, omniaq; iam plena eſſent trepidatione & metu Federici caſtra, accidit prope vt in fugam ipſi ſua ſponte verſi ſint. tanti eſt celeritas in rebus militaribus. Cæſariani, qui præceſſerant, propter paucitatem conſtiterunt, dum vires aliorū acceſſu augerentur, quę aſſidue pluribus accedentibus ſuccreſcebant. Interea Federico datum eſt tēpus inſtruendi exercitus, ſi nō vt conſueuerat, ferebatq; ratio bellica, at ſaltem vt poſtulabat pręſens neceſſitas. in duo agmina peditatum diſtribuit, ad cuius alas collocat equitatum. in medio bellica tormenta & impedimenta. Cęſariani interea ita aucti fuerant, vt nō dubitarent cum hoſte congredi Scuuennizzum verſus iam capiente iter. certatur primum leuibus pręlijs, ſed Saxones iter cęptū peragentes de illis parum fiunt ſolliciti, cum non modo ſtrenue reſiſterent, verum etiam non ſine clade Cęſarianorum vlterius progreſſos audaciores repellerent. Poſtea cum Albanus cum magno equitum globo apparuiſſet ad pulueris elati nebulam veriti adeſſe vniuerſas copias Cæſarianas, iter accelerare apparent. ea re cognita nonnulli e Cæſarianis equitibus genus quoddam fugæ illud eſſe rati ſublato clamore magno impetu Saxones inuadunt. atque cataphracti equites nonnulli, qui aderant in apertiore loco, conantur Saxones ex altera parte circundare. Tunc magna ala ſclopettariorum equitum e caſtris Saxonum egreſſi tanto impetu, tanta procella, tam horribili Cæſarianos inuadunt equites, vt nemo conſiſtere auſus ſit, ſed ſtatim fugam arripuerint, coactiq; ſint inter cataphractos refugere. erant hi milites in finibus Pannoniæ, Prutenorum, Sidoniæ ac Illyrij collecti duce Bartholomæo Illyrio, viri ſane rerum bellicarum gnari ac veterani. Federicus horum virtute cū animos ſuorum aliquantulum confirmatos fuiſſe intelligeret, iubet pedites comitis Beicolingæ, quibus plurimum fidebat, & equitatum Ioannis Ponicauij & Gangulphi Eilingenſis aduerſus frontem hoſtium inſtrui. monet ſi inuadantur atque infeſtentur, ſimulent ſe cedere, donec opportune daretur ſignum pugnæ. Quę dum fiunt à Federico, tantum proceſſerat Cęſar cum Ferdinando, vt ad Albani equitatum peruenerit, quare oblatā ſibi pugnę opportunitatem ratus, vti cupiebat, quòd inclinaret iam dies, ſuo conſilio repente cum inſignioribus ducibus communicato, ita exercitum inſtruit in aciem; in primam frontem ſcilicet & phalangē. in fronte locat ſexcentos equites Mauritij lanceis armatos. pręterea ſexcentos Pannones equites, & Italos ſeptingentos, qui omnes fere ad duo equitum millia accedebāt, & centum ſclopettarios equites. Pānones à dextra, à ſiniſtra Germanos, Italos in medio locat, cum omnes hos in tres turmas diuiſiſſet. e reliquijs copijs inſtruit phalangem, quam in duas partes diuidit. ita alteri pręficitur Ferdinandus, alteri ipſe præeſt, cum hæc mille equitibus conſtaret, illa ſeptingentis, quorum alij lanceis, alij ſclopettis vtebantur. Cæſar iubet ſuas copias ita procedere vt prima acies valde lata efficeretur, diuerſo plane ordine atque ſolent Germani, qui anguſtiorem frontem, latera ampliora efficiunt, vt ea maiorem numerum pręſe ferret. Quippe quod is ordo non ad aſpectum tantum, ſed etiam ad ſecuritatem plurimum conferat, ſi tamen natura loci patiatur, cum non ita facile poſſit ab hoſtibus circumueniri, quod non magna diſſi-

Cæſar Albim vadatur duce ruſtico.

Acierum inſtructio Federici.

Acierum inſtructio Cæſaris.

difficultate poteſt contingere ſi phalanx anguſta extiterit. Federicus habebat ſex millia peditum in duas phalanges diſtributorum, vti dictum eſt, & nouem equitum vexilla, qui erant ſexcenti & octaginta ſupra duo millia, qui per ſuas phalanges oberrans opportune conſulebat, qui vbi ſolam Cæſarianorum frontem proſpexiſſet, (nam puluis phalangem occultabat,) ſibi viſus eſt poſſe facillime vim tam pauci equitatus ſuſtinere ac vincere. Sed monitus à ſuis vt parumper recederet, quo diligẽtius intueretur aduerſus quos eſſet pugnaturus, proſpicit inſtructam phalangem, in qua Cæſar & Rex, & dux Allobrogum procedebant. Cognito igitur vniuerſo equitatu & ordine & conſilio Cæſaris ad ſuos reuerſus decernit nemus ſatis amplum & paludoſum, quod erat inter vtrunq; exercitũ inexplicabili viarum ambitu occupare, cum eius beneficio arbitraretur ſe poſſe in noctem vſq; certamen differre, quòd tutus redderetur ibi futurus. at tantum erat aperti ſpatij inter ipſos exercitus, quantũ videbatur ad congreſſum, cũ in trecẽtos & amplius paſſus planities pateret. ea ſi potiti eſſent Cęſariani, putabant facile fore vt hoſtem profligarent, quare Albanus eo conſilio leuiores equites præmittit, qui omni induſtria niterentur hoſtem impedire, quominus eo ſitu potiretur. Sed quoniam in illa parte conſtiterat peditatus, & duæ alæ equitum, coacti ſunt Cæſariani re infecta ad ſuos redire. Albanus præter expectationem ſuos repulſos ſentiens cũ denſiore ala Germanorũ illos iubet conſiſtere, ipſeq; cęteros ad gloriã & ſtrenuitatẽ cohortatur. cõferebat. n. plurimũ ad oĩa eius mãdata peritia militũ qui oĩa militaria citiſſime & accurate exequebantur, quare renouato prelio ita ho-

Federici oratio.

ſtem infeſtat, vt prope in fugam verterit. Federicus perſpecta animorum imbecillitate ſuorum ne undique ab hoſtibus circumueniretur, præoccupareturque via ſalutis, turmam equitum accit à ſiniſtra, iubetque laborantibus ſuccurrere, ſuoſque pro breuitate temporis ad fortitudinem, auitamque gloriam tuendam cohortatur fere in hunc modum. niſi vobis conſtaret milites vniuerſam prope nobilitatem, gloriamq; humanam in re militari conſiſtere, opus eſſet vt pluribus verbis demõſtrarem nulla ex alia re maiores noſtros exiſtimationem, gloriam, imperium ac quiſiuiſſe, vobiſq; diuinas prope illorum & admirabiles res geſtas in memoriam reuocarem. Sed quoniam non ita fert temporis anguſtia, quę magis animorum fortitudinem ac robur corporis requirit, quam ullam dicendi copiam, id tantum dico, quòd hoc ipſo tempore nobis eſt de rebus omnibus noſtris dimicandum, quarum conſeruatio in ſola fortitudine & vi armorum noſtrorum poſita eſt. Nam ſi viri fortes & ſtrenui, quales profecto eſſe debetis, velitis eſſe, feliciſſimus & poſteris omnibus maxime memorabilis hic dies nobis illuxerit, in quo licet non modo facultates, patriam, libertatem, religionem, vxores, liberos defendere, quæ per ſe ipſa nobis cariſſima ſunt, & digniſſima pro quibus omnia pericula ſubire debeamus: neq; ſolum recuperare principatum Saxoniæ & conſeruare; ſed cum maxima laude & admiratione omnium exterarum gentium, nationum, populorum, preſentiũ, ac poſterorum, gloriam Germanici nominis per virtutem veſtram ad priſtinam libertatem reuocare Imperium Germaniæ, cæteroſq; hoſtes Germanici nominis à vexanda Germania in poſterum detere, ac tranquillam & glorioſam maxime pacem in perpetuũ cõparare licet. at contra ſi cedamus fortunæ, quæ audacibus plerumq; amica eſt, vt timidis ac verecundis perraro propenſa, nobis neceſſe eſt per ſummam turpitudinem in manus hoſtium venire, omniaque præſentia bona vno tempore amittere. His rationibus Saxones aliquantulum confirmati ſunt, quibus vt opportunum videbatur inſtructis, Federicus ipſe cum ſua ala equitum conſiſtit ante peditatum, vt is cõfirmaretur, quòd illi non parum diffideret. Herneſtum Veſſonum ducem præficit cum ſummo imperio equitibus Nicolai Bernardi, & Ioannis Seghernij, quos firmiſſimos fore putabat aduerſus Cæſarianos in dextro cornu. ſtatuit Federicus item vt ſi phalanx à Cæſarianis inuaderetur, ſclopettos omnes diſploderent, ſemperq; ordine ſeruato & diſplodendi & conſiſtendi impetus hoſtiũ ſuſtinerent, neq; quis è ſuo loco recederet. Sibi enim curæ fore, vt opem ferret, cum opus eſſet, atq; ita ſenſim expectare Cæſarianorum impetus, vti imperatum fuerat. Federicus ipſe thorace indutus nigro argenteis ac liuentibus lineis variegato ita affabrè facto vt arte Phrygionica propè laboratus videretur ſupra interulam è minutiſſimis annulis ferreis intextam equo inuectus eximiæ pulchritudinis huc illuc rebus maturè prouidens percurrebat. iubet equitatum, & nonnullos Cæſarianos infeſtare, quo commodius reliquus peditatus ad nemus ſecederet, cuius patrocinio tutus ſibi fore videbatur, qui ſtrenue ſane inuadunt. at per illud tempus Cęſar iam cum prima ſuorum acie ſeſe coniunxerat, bre-

nomina militaria.

uiq; oratione ad prælium hortatur, datis nominibus Georgij, Hiſpaniæ, Imperij. Eſt enim conſuetudo militaris, vt non ſolum ad tutelam caſtrorum, ne clam ab ignotis hoſtibus ea inuadantur nocturno tempore, aut ne impune exploratores vltro citroq; commeent per noctem, quæ mater eſt inſidiarum, toties vt mutentur nomina, quoties nocturni vigiles & excubiæ atque coſtodiæ mutantur, quod fieri ſolitum eſt in caſtris tertia quaque hora plerumq;; verum etiam cum illud bellum geritur, in quo pugnent vtrinq; homines eiuſdem nationis, ut nomina dentur à ſummo Imperatore ad dignoſcendos ſuos ab hoſtibus. atque neſcientes nomina, hoſtes iudicantur, & impune occiduntur iure belli, aut ſi non poſſint interfici, à vigilibus conclamatur ad arma. cum omnia agmina Cæſariana incederent, ventum eſt ad cænoſum paludoſumq; locũ vbi cũ equi cõplures vt in lubrico labarentur, neceſſum fuit alæ ſeſe explicare donec prima acies tranſiret, ne ambę plalanges perturbarẽtur atque permiſcerentur. hac ratione perfectum eſt illis ſuccedentibus, vt frons ante opportunum tempus pertranſierit, quo tempore Saxones erant prælium commiſſuri, qui in leuiores equites ſatis apto ordine impetum faciunt. illa rei bene gerendę opportunitate cognita, Cæſar ex altera parte cataphractos equites, ex altera ſclopettarios mittit & Mauritium, vt Saxonum partem illam quæ timidior prius viſa fuerat, inuadant. cæptum eſt prælium in dextro cornu, vnde diſploſis omnibus ſclopettis à Saxonibus, vt imperatum fuerat, vno temporis momento, primum viſum eſt atrox prælium.

lium. Sed irruentibus ex altera parte in latus leuibus equitibus Italis & Pannonibus, nullumq; cōmodum concedentibus vt ſclopetti replerentur, inſtantibus hinc Neapolitanis cataphractis, inde Mauritijs, tanta fit in Saxones impreſſio, vt prima acies, quæ iam nemus ingrediebatur, aperta diſſipataq; ſit. Mirum fit quam breui temporis ſpatio, & quaſi momento omnes Saxonum copiæ proſtrata, profligatæq; fuerint Pannonibus & leuibus equitibus incredibili celeritate perſequentibus victoriam, cui rei maximè apti ſunt Pannones. Sunt enim armaturæ Pannonum leues, cum lanceis primum vtantur, & ſcutis alarum formas præ ſe ferentibus. galeę priore parte faciem protegente carent, pro qua ferrum eſt quoddam ſuſpenſum donec ceſſerit lancearum vſus. cum vero cominus ad arma ventum eſt, acinacibus aut acutis malleis ferreis res agitur, ferrumq;, ad faciei defenſionem demittitur. rari ſunt thoraces geſtantes aut minutis annulis cōtextas interulas, cum reliquum corpus ſit inerme: quare & ad fugam, quam ſibi non turpē putant, incurſionibus enim potius, quàm firmo ordine pugnant; & ad inſequendum ob leuitatem maxime ſunt accommodati. Federicus tametſi nitebatur ſuis opportune ſuccurrere, matureq; rebus omnibus prouidere, tamen cum tantum numerum ſuorum proſtratorum intueretur, decreuit ſe in nemus ſeruare, quod intelligeret cum reliquis nullo pacto ſe poſſe reſiſtere. Sed cum forte à quodam è ſuis iam capto fuiſſet oſtenſus hoſtibus, ad quod credendum regius fere aſpectus & venerabilis quædam maieſtas facile adducebat, duo Itali primum Saxonem inſectantur, qui cum à ſuis egregie defenderetur, accedentibus nōnullis Cæſarianis poſt non leue prælium ab Hippolyto Portio Vincentino capitur duce equitum, atque detracta galea ad captiuitatis indicium impoſitus eſt galerus. cum ad nemus poſtea à Cæſarianis accederet, tot arma proſtrata & proiecta reperta ſunt, tot cadauera cęſa in itinere, vt lacrymabile ſuis ſpectaculum, cæteris non leue fieret impedimentum, cum alij fratres, alij coniunctos & amicos à ſe cęſos intuerentur. tantus verò erat preterea captiuorum numerus, vt multi Cęſariani quindecim aut viginti vinctos haberent. Sed quoniam prędę, auiditate nimis diſperſi Cæſariani equites vagari viderentur, quod non leue periculum eſt inter victorias, ne ignota auxilia hoſti aduenientia diſſipatos & palantes victores nullo negotio fundant, quod non ſemel euenit, Cæſar iubet cataphractos reuocari, & canere receptui. Nunciatur Cęſari captum eſſe Federicum, & ad Albanum adductum, qui mox adducitur ad Cæſarem. atq; cum vellet manum Cæſaris detracto galero exoſculari ex equo deſcendens, id non paſſus eſt Cæſar. cum vero videretur intrepido animo & magis audacter quàm captiuo conueniret dixiſſe potentiſſime atq; clementiſſime Imperator nunc tuus ſum captiuus, rogo mediocriter me tractes. reſpondet Cæſar, nunc Imperatorem vocas? at plurimum hoc nomen differt à priſtino. nam cum prius exercitum fęderationis & ipſe & Lantgrauius ductarent, appellabant Carolum, qui ſe Imperatorem eſſe arbitraretur. his addidit Cęſar Saxonem à ſuis erroribus eo fuiſſe adductum. his ille nihil reſpondit oculos præ pudore demittens. tum datus eſt in cuſtodias Albano, & ad curandum vulnus quod in faciem acceperat deductus. ceciderunt in eo prælio. quod commiſſum eſt in agro, Calegienſi apud ſyluam Loccanam circiter duo millia Saxonum, plures ſeptingentis vulnerari, capti octingenti pedites. ex equitibus deſiderati quingenti, capti multo plures, cum multi Germani fuiſſent à Germanis protecti. ex vniuerſis copijs illis vix quadringēti equites, ac totidem pedites fuga ſe ſeruarunt Calegiam. ceciderunt inſigniores pauci. capti præter Federicum Herneſtus dux Veſſonum, Carolus Toringius comes, & duo à ſecretis Federici. venerūt in poteſtatem Cęſaris per eam victoriam decem & ſeptem vexilla peditum, & nouem equitum. magna copia ſupellectiliū, pecunia, bellici apparatus, duæ colubrinę, quatuor ſemicolubrinæ, quatuor ſemicannones, quinque vocati falconeti, filius maior natu Federici Henricus. Ioannes enim duobus acceptis vulneribus in caput ex equo deiectus, cęſo in vltionem illo à quo vulnera acceperat à ſuis protectus liber Calegiam peruenit. Ceciderunt è Cæſarianis ad quinquaginta, quòd prelium hora vndecima inceptum ſeptimo Cal. Maij ad horam vſque ſeptimam noctis perdurauit: nam Saxones circiter quindecim millia paſſuum pugnando ab Albi fluuio confecerunt, cum nunquam intermiſſa ſit pugna, niſi profligatis prorſus copijs Federici.

Pannonum arma.

Federicus profligatus & captus.

Clades Saxonum.

*Libri Secundi finis.*

NATALIS

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS,

## *LIBER TERTIVS.*

QVÆ dum ita geruntur in Germania, rebus Cæſari feliciter ſuccedentibus, Italia varijs tumultuũ fluctibus agitabatur, varijsq́; in locis pullulabant germina bellorum. Nam rebus ita Neapoli conſtitutis, vti narratum eſt ſuperius, Toletanus prorex nouos milites quotidie in arcem admittere, qui iã excreuerant ad quinque millia peditum, & Florentiæ dux Toletani gener auxilia ſubmittere. Ciues veriti ne repente per induciarum opportunitatem opprimerentur, omnes exules conuocant, ſceleſtum planè & maleficũ hominum genus, quorum erant fere quinque millia, quibus conceſſa eſt impunitas præteritorũ ſcelerum poſt factas inducias per vniuerſum illud tempus, quo ciuitas eorum opera indigeret ad patriæ ipſius conſeruationem. His multa indigna quotidie facientibus, ſollicitantibusq́; & vexantibus Hiſpanos, commiſſum eſt atrox certamen inter milites vtrinque. tantus autem excitatus eſt tumultus, vt vniuerſa ciuitas in armis conſtiterit, rurſusq́; ventum ſit ad leuia prelia, per quę tormentis ciues plurimum ſunt infeſtati. Perdurauit illa pugna quindecim dies cum noctibus nunquam intermiſſo certamine, per quam multi vtrinque ceciderunt, pluresq́; ſunt vulnerati. Cenſa ſunt enim quatuordecim millia ciuium, qui ſoli erant exules & mercenarij milites, præter vrbanas copias. atque illorum magna pars erant ſclopettarij periti, fere nouem millia ſcilicet. Quæ dum fiunt Neapoli, legati redeunt à Cęſare cum ſumma populi expectatione. renouantur inducię vt Cæſaris conſilium intelligeretur, quod fuiſſe cognitum eſt, vt ciues arma depoſita Toletano concederent, tunc autem cognitum iri quę foret Cęſaris ſententia. & quoniam Neapolitanus populus videbatur Regem cooptaſſe Salernitanum principem in ijs tumultibus, qui tamen renuit populi conſenſum, quia diceret regnum eſſe Cæſaris, literas ſcripſit Toletanus non eſſe ex vtilitate eius regni, vt vir tantæ autoritatis, quantæ erat is princeps, eſſet in illa vrbe furore armata. quia qui ſemel regnum renuiſſet, cognita tanta propenſione popularium in ſe animorum, non erat in eadem conſtãtia & integritate fortaſſe diutius permanſurus. nimis eſſe magnũ præmium improbitatis propoſitum regni Neapolitati maieſtatemi. iuſſus eſt igitur Salernitanus eſſe apud Cæſarem tanquam obſes donec res Neapolitana componeretur, quia Cæſar maiores tumultus formidabat. Sed parum humaniter ibi viſus eſt per id tempus à Cæſare tractari. Illud Cæſaris reſponſum acerbum & periculoſum viſum eſt illis ciuibus, ſi armato hoſti arma concedere, ſeque præterea inermes eius arbitrio concredere cogetentur. tamen quia nollent in maiores difficultates incidere, cum exterorum principum conſilia aduerſus Cæſarem inita vana & irrita fuiſſe conſpicerent, quæ ſpectabant ad ipſum Cæſarem ex illo regno eijciendum, ad quod conſilium multi conſpirarunt, decernunt eſſe parendum. omnes itaque àrma ad Ioannem Sueſſanum delectum & Conſeruatorem ciuitatis comportant, quæ ipſe ad Toletanum in arcem deferenda curaret. atqui quamuis multa retenta ſunt, tamen ſtatuit Toletanus potius in his rebus eſſe conniuendum, quàm ſumma ſeueritate vtendum, cum per illud facinus populus non paruiſſe mandato non poſſet videri. Ciues rogant Toletanum vt Cæſaris ſententiam aperiat, qui paulopoſt omnes magiſtratus vrbanos in arcem conuocauit ad audiendam ſententiam. conueniunt frequentes, cum multi tamen ſibi metuentes abfuerint. his ingreſſis in oppidulum ſublatus eſt pons, quæ res non mediocriter trepidatione affecit exterius intuentes. Toletanus hos perhumaniter allocutus dixit Cęſarem vrbi parcere quæ arma ſumpſerat, quia conſtabat nullam eſſe rebellionis ſuſpicionem, quia ſimulabat

Neapolitana pugna diuturna.

Salernitanus Princeps iuſſus eſſe tãq́; obſeſo.

Neapolitani arma deponere iuſsi.

ſe

ſe neſcire Neapolitanorum communicata eſſe cum exteris principibus aduerſus ipſum conſilia. illa verba Toletani poſtea delata ſunt ad populum, & excepta cum magna lætitia. Paucis deinde horis interiectis Toletanus triginta & ſex ab illa venia & liberatione exceptos pronuntiat, viros primarios eius vrbis, inter quos fuit ipſe Ioannes Sueſſanus, Cæſar Marmirus, prior Barrij: qui omnes eodem die in collaterali concilio ſtatutum eſt vt capti necarentur. verum tamen cum è veſtigio fuiſſent facti certiores, Romam confugiunt, quare perpetui exilij damnantur, eorumq; bona fiſco ſunt addicta. Illud, ſtatutum quoniam fuiſſet de ſententia Toletani, at non de ſententia Cæſaris, paulo poſt viginti & quatuor ex illis ab exilio reuocantur. nec multo poſt omnes alij, prȩter tres prædictos, & eos qui Gallorum Regi per illud tempus militauiſſent. Sic igitur mira quadam dexteritate conſopiti ſunt tumultus, qui Pontifice aſſentiente cum magna vtilitate regis Gallorum videbantur excitari. Nam felices rerum Cȩſarianarum euentus in Germania non mediocriter animum vtriuſque principis torquebant, vt fit in rationibus regnorum, quia nemo ſapiens ſatis tutam eſſe arbitratur nimis potentis principis vicinitatem. his enim videbatur Cȩſar elatus Germanica victoria, auctusq; inſignium populorum deuictorum tot viribus mox vniuerſo Galliæ & Italiȩ imperio formidabilis imminere. retrahendum igitur à tam felicibus ſucceſſibus exiſtimabant per rerum Italicarum motus. ſi varijs in locis vno tempores res fluctuarent, id facile ſe conſecuturos ſperabant. Nā cum Cæſar ſummo ſtudio curaſſet vt ſynodus antiſtitum Tridenti haberetur, poſtea Pōtifex cognouit futurum nihil vt commodi ex eo concilio reportaret, ſed potius ſua autoritas in magno diſcrimine verſaretur. Idcirco patres antiſtites ac purpuratos Tridento Bononiam acciri iubet, quod Cæſarem grauiter laturum ſciebat cuius inſtinctu & ſuaſu illud fuerat indictum. Neq; tamen ſola potētia Cȩſaris animum Pontificis ſollicitum faciebat, ſed multo etiam magis Petri Aloyſij Farneſij filij cedes plane acerba & violenta Placentiæ Parmȩq; Ducis recens, quem anno ſuperiore Pontifex de omnium patrum purpuratorum conſenſu illo principatu inſigniuerat. vexabat vero Henricum Galliarum regem non ſolum, vicinitas nimis potentis Cȩſaris, quȩ omnibus regibus ſemper eſt ſuſpecta, ſed etiam principatus Allobrogum in Gallia ſubalpina, qui Carolo Duci fuerat ereptus, cum pateret fore aliquando vt de illo contenderetur armis; quia Carolus Dux eiectus ad Cȩſaris fidem miſericordiamque confugerat, & ab illo perhumaniter fuerat exceptus. Tentatus eſt igitur clam à Gallis maximè propenſus ſua ſponte ad res nouas Ioannis Aloyſij Phliſci Genuenſis Sinibaldi filij animus, per quem iuuenem magnȩ & auctoritatis & opulentiæ ſperabant Galli facile fore, vt & claſſe & vrbe Genua potirentur. erat Ioannes Aloyſius Phliſcus iuuenis eius ciuitatis primarius auctoritate, ingenio, firmitate corporis, valdeq; potens non ſolum propter nobilitatem, eximias opes, ſed multo magis propter liberalitatem, magnificentiam, comitatem ac facilitatem in omnes, qui hami ſunt populares. erant duȩ factiones in ea vrbe, quarum alterius principatum tenebant Spinula & Auria familiæ nobiliſſimæ, alterius Phliſci & Grimaldi præcipuæ autoritatis eius ciuitatis. reliqui ciues harum factionum principes ſequebatur, cum alij Imperatorijs partibus, alij Gallicis magis fauerent, atque has Fregoſas & Adornas vocabant, quæ eædem factiones erant in omnib. propè Italis ciuitatibus, ſed alijs nominib. alibi vocabātur, vt inter Inſubres Guelphi & Ghebellini; in Latio, Nigri, Albi. per eas factiones vel potius inſaniam, ad euellendum proſternendumq; multorum impurorum ſicariorum genus diuinitus immiſſam multa millia mortalium miſerabiliter cæſa ſunt vbique nullo prȩmio victoriæ propoſito; cum odia atrociſſima & propè inextincta orta fuiſſent & inueterata, multisq; cȩdibus confirmata inter nationes & ciues eiuſdem ciuitatis, atque eiuſdem domus ſȩpe, eiuſdemq; familiæ nulla probabili de cauſa. florebat per illud tempus maximè Auriȩ familiæ ſplendor & autoritas ac magnificentia; quam Auriarum amplitudinem grauiter ferebant Phliſci, vt ſolet in his controuerſijs accidere, cum omnes in vnum principem Auriam oculos conuerterent, quo extincto cætera omnia Auriæ familiæ lumina poſſe parui à Phliſcis fieri Ioanni Aloyſio videbantur. Neque vero tanti fuerunt frequentes nuptiæ hinc inde contractæ, neq; affinitates, neque mutua inter has familias beneficia, vt occulta & inueterata odia prorſus poſſent delere, vel efficere vt Auriæ principis amplitudo à Phliſcis æquo animo perferretur. Nam vbi creuerunt inſignes opes quorundam ciuium, ibi naſcitur denique neceſſario de præſtantia contentio, atque tyrannis patriæ præmium victoribus demum propoſita eſt. quare nihil magis formidandum videtur in vrbibus liberis, quàm inſignes paucorum opes. His omnibus optimè cognitis à Petro Aloyſio Farneſio Placentiæ Parmæq; Duce, qui pro ſententia Pontificis patris clam Gallicis partibus magis fauebat, occultè agit cum Aloyſio Phliſco vt Auria principe trucidato triremes Genuenſes occuparet. vrbanos excitaret tumultus. Genuam Gallo regi aperiret. neque iſtud ſanè propter cauſas prædictas inconſulto Pontifice fieri poſſet exiſtimari. ad iſtud ipſum negotium tametſi antiqua odia mutuȩq; ipſorum ciuium ſimultates impellebant acribus ſtimulis, tamen multo magis ſollicitare viſæ ſunt Pontificis. & Henrici regis ingentes pollicitationes, & honorificentiſſima promiſſa, ſi res ad exitum optatum perduceretur. quippe quòd illa vrbs plurimum poſſet rem Gallicam iuuare & augere in Italia, quæ non parum Cæſarem infeſtaret, cum ſit terreſtribus claſſicisque rebus accommodata. Eſt enim Genua vrbs nobiliſſima in Italia, Liguriæ metropolis in ora maris Tyrrheni, quod etiam Liguſticum appellatur, e regione Cyrni inſulæ ſita fere, opibus, potentiaque præſtans, & propter pulchritudinem ædificiorum prope admirabilis, quam vel ante Chriſti aduentum multos annos extructam fuiſſe memorant, quo tempore primum Dardanus Troiæ imperare cȩpit. habet nauale accipiendis claſſibus accommodatum, ſemperq; fere dedita fuit rebus Gallicis ab anno ſalutis noſtræ nonageſimo poſt mille & trecentos, quo tempore Carolus ſextus Gallorum Rex ad eius vrbis tutelam fuit accitus. nam multis parū placebat multorum imperium, (vrbs enim

Cæſaris indulgentia prudens.

Conſpiratio principū in Cȩſarē pro fortuna rerū

Aloyſij Phliſci facinus.

Guelforū & Ghebellinorum factiones.

Genuȩ deſcriptio.

libera

libera eſt,& ad reip.formam gubernatur,)vt quod tyrannidi multorum reſpublicas huc illuc diſtra
hentium ſimilius videretur, quam quod pro paterna charitate adminiſtraretur, quare magis pla-
cuit plerisq; à regibus ſe Gallorum,aut à Mediolanẽſi duce,quã à ſuis magiſtratibus gubernari.in-
de fiebat vt frequentes eſſent in vrbe ſeditiones,cũ multi ad propriã magis, quã ad publicam patriæ
vtilitatẽ ſpectarent:quo efficitur vt populi principes ipſos perfidię auaritiæq; magiſtros ſępe imitẽ
tur,cum vtrique minimum illum commodi referre cenſeant, qui plane iuſtitia vtatur. nam quales
ſunt nobiliores,talis eſt plebs in oĩb. ciuitatib.atq; vbi turbulenta ſit,aut parũ morata plebs, ibi no-
bilitatẽ parũ bonã eſſe neceſſe eſt,quoniã ignobiles nobiliorũ mores imitantur, aut certe coguntur
imitari.Idcirco modo eiectis modo receptis Gallis Adornorũ Fregoſorumq; opera & diſſenſionib.
illis familijs, ꝑ quas tot mutationes Genua paſſa fuerat, per arma popularia maiori ex parte eiectis
ex vrbe,deniq; per Andreã Auriã eã libertatẽ recuperauit,qua nunc ẽt vtitur.vt magis opportune
dicemus.Petrus igitur Aloyſius Farneſius partib.factioniq; Gallicę adhęrens,quo res occultius age
retur,procurat Põtificias triremes(nã Pontifex tũc triremes habebat ſex ab Anguſciola de Gallis, &
de Anguſciola à Pontifice coemptas ad hoc ſtretagema,cũ tamen ſimularetur ad expurgandũ ſinũ
Adriaticum piratica) diuendi Phliſco ad exercendã piraticã, vt profitebatur, expurgãdũq; ꝑdationi-
bus & frequentib. rapinis ac latrocinijs barbarorũ mare Liguſticũ,quib.quotidie infeſtabatur. hæc
fingebantur,quę oĩb.apparebant probabilia : ſed re ipſa per illã opportunitatẽ procurabat Phliſcus
vt ſibi daretur facultas alendorũ armatorũ & colligẽdarũ cuſtodiarũ triremiũ nomine, ſine vlla ſu
ſpicione affectatæ tyrãnidis. Sic igitur efficiebatur vt ſibi liceret ꝓ arbitrio colligere armatos ad illa *Phliſci ſtratagema.*
cõſilia,q̃ in aĩo conceperat,& Gallo ſatis honeſta rõ apparebat oblata vt claſſem haberet inſtructam
Maſſiliæ ad littora Gallicę regionis,ſi à Phliſco,inuaderẽtur,tutanda : q̃ tamẽ opportune fuerat in
ſtructa ad auxilia in Italiã reb.Genuẽſib.ſummittẽda. Phliſcus acceptis triremib.multos armatos cõ
uocat Genuã. cõſiliũ cũ principe Auria cõicat exercẽdæ piraticę,vt illũ ſubleuet oĩ ſuſpicione.cõica
tũ ẽt collaudatur; cui additũ eſt,ꝙ ea rõne ad experientiã rerum maritimarũ, & per hanc ad hono-
rificentiſſimos gradus honorũ peruenitur.cum præſertim aptiſſimũ genus hominũ reb. maritimis
ſint Genuẽſes,qui ſemper in nauigãdi peritia cęteris nationib.Italicis ꝑſtare crediti ſunt.Phliſcus eiã
participes facit ſui aduerſus patriã pro Gallis initi cõſilij nõnullos ſuos propinquos & amicos, atq;
in primis Ioãnẽ Baptiſtã Verrinũ virum celeritate ingenij & facultate orationis nemine eius ciuita
tis inferiorẽ,atq; non minus ſtrenuitate corporis,quã oratione prõptũ,qui vniuerſum cõſiliũ Phli
ſci nõ mõ collaudat,ſed ẽt diligentiſſime ad exitũ informat. ad tãtũ verò,tãq; impurũ facinus aggre
diendũ initur cõſilium ſceleris & audaciæ plenũ : decernitur.n. vt Auria princeps, Ioannes Figue-
roa vir Hiſqanus Cæſaris aſſiduus orator Genuæ, Adamus tribunus Ioannettini Auriæ ſocer, alijq;
cõplures eius factionis ad Thyeſtęũ vel Agamẽnoniũ ꝓpẽ cõuiuiũ ſtato die aduocarẽtur, atq; oẽs
poſt cęnã trucidarentur,qua re peracta facile futurũ videbatur his vt triremib.& vrbe prope ſine cõ
trouerſia potirentur. ad eius rei facilitatẽ, & defenſionẽ facinoris, imperatũ fuerat à Phliſco multis
vt e caſtellis ac pagis finitimis ipſius Phliſci in vrbẽ per vallẽ Beſagniã vocatam conuenirent. Ferrã-
dus Gonga,qui erat cũ ſummo imperio in ꝑfectura Mediolanẽſi facit certiorẽ per literas Figueroã
ſe cognouiſſe per exploratores ſermonẽ eſſe inter proceres Gallos occultũ de quibuſdã motibus ac
reb.nouis excitãdis Genuæ per quẽdã Phliſcum,(nã plenæ ſunt aulæ principum exploratorum,qui
oĩa dicta,factaq; & Regũ & procerũ aucupãtur ac rimantur ꝑꝑ occultũ lucrũ)per quẽ periculoſum
erat ne vrbs ipſa in poteſtatẽ hoſtiũ Gallorũ veniret.eas literas Figueroa Auriæ oſtendit,atq; his ſub
iunxit ſe ſuſpecta habere Ioannis Aloyſij Phliſci conſilia. Auria, qui paterna prope charitate apud
ſe Aloyſium educauerat, eũq; magnopere amabat,rñdet ſe nõ poſſe credere tantum ſceleris in aĩo
eius Iuuenis eſſe conceptũ; quippe ꝙ beneuolentia nõ mõ faciat virtutes ampliores, vitia vel nulla
vel minora multò apparere, ſed ẽt aliquãdo errores in virtutes putat cõuerti. Auriæ dolor podagræ
per illud tp̃s forte auctus illũ tantæ crudelitati alũni ſubtraxit, cũ domi iacere neceſſe eſſet tã nefarij
& acerbi cõuiuij tempore. Phliſcus veritus ſi res diutius differatur ne ſua paterent cõſilia.q̃ cũ mul
tis pręcipue iã cõmunicata videbantur diu latere non poſſe,decernit alia rõne rẽ eſſe aggrediendã.
cõuocatis igitur oĩb.vel affinitate,vel non vulgari amicitiæ vinculo coniunctis,aut illis etiã,qui ſibi
audaciores viderentur,quorũ primarij fuerunt Petrus Frãciſcus Phliſcus, Hieronymus & Raphael
Sacchi, Franciſcus Marchio,Benedictus Cireſius,duo Franciſci item alter Verzius,alter Curlius,Ga
ſpar Bottus,Ioannes Baptiſta Verrinus,Hieronymus Magidus,Scipio Carſettus, alijq; complures,
eos hortatur ad negotium ſtrenue inuadendum. proponit vtilitatem, quam ex eo periculo ſunt re
portaturi. Pollicetur honorificentiſſima munera regio nomine. literas ẽt fictas & adulterinas pro *Aloyſij Phliſci ſtratagema.*
ueris oſtẽdit,in quib.fingebatur ꝙ vt facilius Genua ab Hiſpanis opprimeretur, Ioannettinus Auria
iubebatur Aloyſiũ Phliſcũ occidere, tanquã vnicũ impedimentũ ac ſolũ decertãtẽ pro patria. ſubiũ
git ꝑſtare amicos & antiquos defenſores patrię ad eius conſeruationẽ admittere,quã per negligẽtiã
pati,vt oẽs in poteſtatẽ aduerſariæ factionis turpiter cũ maximo capitis periculo oĩum deueniãt.eſ- *Oratio Phliſci horrantis ad rebellionem.*
ſe ſapientũ ante calamitates occurrere periculis,eaq; propulſare, cũ poſt ærũnas parũ vtiliter ſapia
mus. Se velle priorẽ aggredi hoſtem patriæ,patriamq; ipſam ab imminẽte Hiſpano iugo ſeruitutis
vendicare,priſtinæq; libertati reſtituere. futuros tanti, tã egregij, tã laudabilis facinoris adiutores &
defenſores Pontificẽ ac Gallorũ Regẽ, neq; paſſuros vt victores ab Hiſpanis denuo opprimerẽtur.
poſſe per hũc modũ oẽs præſentes ſibi immortalem gloriã,& incredibiles laudes apud omnem po
ſteritatem comparare,quod vnum precioſiſſimum eſt,& maxime oĩum expetẽdum præmiũ ab ani-
mis ingenuis & ſublimibus.cum alij ſe promptiſſimos eſſe ad oĩa pericula conclamarent, alij repu
gnarent conſilio Phliſcorũ,quibus videbatur libertas patriæ non minus à Gallis, quàm ab Hiſpa-
nis

nis oppreſſum iri, reſpondiſſentq; ſibi videri negotium periculoſum nimis, & multarum difficulta-
tum plenum, & aduerſus patriæ tranquillitatem ſuſceptū, at non contra Hiſpanos, inter quos fuit
Paulus Panſa, & Ioannes Baptiſta Iuſtinianus pręcipuę autoritatis ciues. omnes ita ſentientes intra
domum ſunt traditi in cuſtodias, nę rem magiſtratibus ante tempus opportunum calamitoſe ape-
rirent. quanquam fuerunt etiam qui primos hos trucidandos eſſe cenſebant. ad quartum igitur no
nas Ianuarij prima vigilia Aloyſius Phliſcus cum armatis è domo egreditur comitantibus Ottobo-
no, Cornelio, Hieronymo fratribus. diſtributæ ſunt copię coniuratorum in tres partes, atque vnicui
que fratri propria iniuncta ſunt munia, vt vrbs in varijs locis vno tempore inuaderetur. erant enim
plures trecentis qui cum Phliſcis domo exierunt. iniunctum eſt Cornelio Phliſco vt portam teſtudi
dinis ſtatim occuparet ad accipienda ſuorum auxilia, quæ iuſſa erant in vrbem ad ſtatum tempus
conuenire. Ottobonus iubetur portam Sancti Thome capere trucidatis cuſtodibus, per quam pete
batur principis Aurię, & Ioannettini palatium. ipſe Aloyſius cū tertia parte copiarum, lectioribus-
que militibus naualę inuadit, conaturq; triremes occupare. captę ſunt duę portę, ſicuti imperatum
fuerat, omneſq; reſiſtere qui conabantur, trucidati. ſublato igitur ſtrepitu cum vbiq; arma, cędes, fu
ga libertas conclamaretur, omnia repleta ſunt trepidatione & fuga & metu, vt par eſt pręſertim in
rę tam inexpectata & nocturno tempore. Ioannettinus audito tanto tumultu cum dormiturus eſ-
ſet extra palatium, ſtatim ſumptis armis ad principis defenſionem accurrit. ad portam vrbis profe-
ctus circumuentus ab armatis Ottoboni copijs, qui eum ibidem expectabat, trucidatur, multis acce-
ptis vulneribus. eius cędis nuntius vbi ad principem laborantem ex pedibus perueniſſet, cum om-
nia ab armatis miſceri audiret, & vbiq; Phliſcos ac libertatem cōclamari, clam equum aſcēdens, vel
per acerbiſſima frigora paucis veſtibus propter celeritatē fugę indutus ad oppidū ex vrbe profugit,
quod inde diſtat circiter quinq; millia paſſuum. Sub auroram eo profecto principi, vbi vires aliquā
tulum collegiſſet nauiculam exploratoriam cum paucis conſcenſuro, vt longius etiam aufugeret,
nuntiatur trucidatum eſſe Ioannettinum. triremes à Phliſcis occupatas, omnia plena armatis, vrbē
eſſe in poteſtate Phliſcorum. Sed non multo poſt, alius nuntius accedens magna celeritate ſignifi-
cat fortunam vrbis tantum calamitatis depuliſſe à capite ciuium, omniaq; iam eſſe in tuto colloca-
ta. Nam cum omnia pro votis Phliſcorum ſucceſſiſſent, atque maior pars rerum vrbanarum fuiſ-
ſet occupata, iam Galli vrbe potiebantur, niſi mors inopina Aloyſii Phliſci, fortunaq; eius ciuitatis Phliſci mors.
aliter tuliſſet. Sed ea ita fecit vt Aloyſius dextra gladium, ſiniſtra ſcutum tenens dum ex occupata
triremi in aliam occupandam tranſiret, nam primis eiectis cuſtodiis nouas introducebat, in mare de
ciderit, cum pontem vnius, eiuſq; ſimplicis aſſeris conſcendiſſet, neq; tamen bene firmatum, qui nul
lum habebat par pondus ex altera parte. ſuffocatus eſt propter armorū pondus, quæ geſtabat, pro-
pterq; obſcuritatem noctis cum nemo illum lapſum neq; vidiſſet, neq; ſenſiſſet ob frequentem ſtre
pitum, neq; idcirco vllius opera fuiſſet adiutus. cum poſtridie mane illuxiſſet, omniaq; armis fuiſsēt
occupata, cognita re ob mirificam populi beneuolentiam in Phliſcorum nomen, audita præſertim
Ioannettini Auriæ cæde & fuga principis, conclamata pręcipuè vbiq; libertate, nemo viſus eſt ma-
gnopere aut acrius Phliſcorum conſiliis aduerſari. Sed enim cum Aloyſius princeps & autor eius
negotii nullibi mane reperiretur, territi aſſeclæ, & conſilli participes vel nullo aduerſante, neq; repu
gnante populo voluntariam ſibi fugam indicunt. Cæterum cum Phliſci fratres tardiores ad fugā
viderentur, & quaſi inopes conſilii quid agendum eſset neſcirēt, hiſce perſuadet ſenatus vt exeant
ex vrbe, quod continuo factū eſt promiſsa illis perpetua obliuione rerū geſtarū. Hieronymus Mō-
toliū profectus, quod erat eius oppidū munitiſſimum in finitimis montibus, poſtea expugnato op-
pido Cæſaris iuſsu capitur cum Verrino, cuius expeditionis dux fuit Auguſtinus Spinula comitā- Phliſci ſupplicium.
tibus nonnullis ducibus Genuenſiū. ita captus capitis condēnatur. reliqui coniurati, & coniurato-
rū ſocij publicè iugulati ſunt. princeps Auria audito & alio nuntio, qui ſignificauerat res eſſe quie-
tas, relicta celoce ſtatim Genuā reuertit. iubet magna diligentia cadauer Aloyſij requiri, quod inuē
tū ſub prora cuiuſdā triremis iuſſum eſt denuo in mare deijci, neq; ſepulturæ quidē conceſſum eſt.
Solo æquata ſunt præterea magnifica Phliſcorū ædificia, omniſq; ſupellex direpta, quæcunque erat
Genuæ. Caſtella Phliſcanæ ditionis capta omnia & fiſco addicta. tituli & honores erepti, omnia pa
terna & auita bona prorſus adempta. Sic effectum eſt, vt ea familia, quæ amicis antea, opulentiaque
inſigni, & magnificentia ac ſplendore in vrbe florentiſſima enituit, quaſi momento temporis pro-
pter auaritiam, immoderatamq; cupiditatem honorum ad imum infelicitatis gradum deiecta, pro
lapſaq; ſit cū magna poſterorum infamia. res illa quoniam vana fruſtraq; tentata fuiſſet, credita eſt
non parum vexaſſe animos illorum principum, qui res Italas turbare, Cæſariſq; animum ab illa vi-
ctoria reuocare conabantur, cum omnia conſiliorum ſuorum fundamenta corruiſſe perſpicerent.
Neq; enim claſſis, quæ Maſſiliæ nuntium Gennenſe expectabat, vt poſtea Phliſco duce Neapolim
appelleret, iter cepit; neq; in Italia quidquam eſt innouatum. Neapolitani itaq; omni ſpè auxilioru
per Phliſci caſum deſtituti, ſimularunt nulla ſe admiſiſſe defectionis conſilia, ſed tantū quæſitionē
voluiſſe deuitare: cum tamen re ipſa propter quæſitionis metum, miniſtrorūq; regiorum acerbita-
tem ad externa auxilia aſpiraſſent. fuit enim Pontificis, & Galli regis conſilium, vt deuicta Genua
Gallica claſſis, & Genuenſis & Phliſcana coniunctis viribus Neapolim inuaderēt, atq; terreſtres co-
piæ interim comparatæ impetum facerent in regnum Neapolitanum per Latium conſpirantibus
ad hoc & cōſentientibus Neapolitanis, quæ tamen omnia Cæſari clā per exploratores fuerūt in ſu-
ſpicionem reuocata, quando apertè & dilucidè ſciri aut intelligi non poterāt. Pontifex enim ad hoc Stratagema
cōſiliū quæſitionis imponēdæ Cæſarem excitarat, vt irritatos animos Neapolitanorū propēſiores Pont.& Gal-
haberet, quos ex altera parte protegebat, quia ſic futurū ſperarat vt regno Neapolitano potiretur. li regis.

*P. Aloyſij Farneſij mortis cauſa.*

Cæſar percepto ſucceſſu rerũ Genuẽſiũ viſus eſt grauiter tuliſſe mortẽ Ioãnettini, quarũ rerũ Pontificẽ, & Gallorũ regẽ auctores fuiſſe ratus, cõſultoreq; Petrũ Aloyſiũ Farneſiũ põtificis filiũ, ſimultatẽ hãc, & indignationẽ in magis opportunũ tẽpus diſſimulat. neq; enim ratio præſentiũ bellorũ poſtulabat, vt eodẽ tẽpore bellũ etiã in Italia aduerſus potẽtiſſimas, bellicoſiſſimasq; nationes excitaret, nõ neceſſariũ pręſertim, cũ tot negotiis Germanicis, ac Boemis vix vnus poſſet ſufficere. cæpit tamẽ in animo clã ſecũ excogitare quo pacto fieri poſſet, vt eas iniurias vtiliter vlciſceretur, quod cõſiliũ ſæpius per literas cũ principe Auria, & Ferrãdo Gõzaga viris callidiſſimis cõmunicauit. Verũ vt ad res Germanicas, & eò, vnde digreſſi ſum⁹, redeamus, Cæſar illa inſigni victoria aduerſus Federicũ Saxoniæ Ducẽ profligatũ, & fuſum potitus, nõ modo res Germanicas, ſed etiã Boemorũ cõſilia aduerſus ipſum inſurgẽtia repreſſit, & cõſopiuit. quod niſi factũ fuiſſet, apparebat periculoſũ fore ne Cæſar cogeretur cũ viribus maritimarũ vrbiũ cũ Saxone cũiunctis ſigna cõferre, aut ne cõmeatus via illi pręcluderetur, ſi interius in Saxoniã penetraſſet, quòd facile futurum apparebat ob paucitatẽ Cæſarianorũ. Sed qm̃ rei militaris peritia, & cognitio atq; perſpicacia rerũ præſentiũ faciebat, vt nõ minus hæc ipſa cõſilia Cæſari quã Saxoni paterent, Cæſar curauit prius cũ Federico dimicare, quã in illas difficultates veniretur. Sed enim cęlũ quoq; ipſum viſum eſt fauere Cæſarianis rebus, cũ ſignis & augurijs ea ipſa victoria fuerit prædicta. Nã cum Cæſar ante traiectũ Albis fluminis iter faceret, aquila viſa eſt ab occidẽte regione aduolans vniuerſa caſtra Cæſaris præ lætitia obiuiſſe, quod vbi feciſſet ſæpius ſeptẽtrionẽ verſus auolauit. Deinde lupus inſignis magnitudinis caſtra ingreſſus huic illuc agitatus clamoribus inſequẽtiũ, deniq; gladijs occiditur. nebula præterea ita Cæſarẽ protexit, vt ad meridiẽ vſq; cæteris aduẽtũ Saxonibus occultauerit, qui cũ ad Albim fluuiũ acceſſiſſet, non ſolũ erupit ſol clariſſimus, ſed etiã tardior viſus eſt nõnullis curſum diurnũ perficere, & Albis non eãdẽ aquarũ copiã deuoluere, quã antea cenſueuerat. eius victoriæ rumor cũ ad reliquas Germaniæ vrbes peruaſiſſet, fecit vt legationes cõplures earũ de deditione acturę mitterẽtur.

*Augutiũ Cęſari obiectũ.*

*Argeliæ deditio.*

Sic igitur Argelia prima omniũ illo rumore cõpulſa ſe Cæſari dedit. Argeliẽſiũ exẽplũ reliquæ oẽs vrbes, quæ ſunt trans fluuiũ ſecutæ ſunt præter Calegiã, cuius vrbis ciues etſi perculſi fuerãt aduerſo prælio, tamen quia ſuam vrbem munitiſſimam, & propè inexpugnabilem iudicarent, ad defenſionem ſe accingunt, omniaq; neceſſaria inſtruunt, tormentaq; in opportuna loca mœniorum diſponunt, quæ quidem habebant complura, cum illam vrbem vt metropolim principatus Federicus per viginti, & quinq; annos, nunquam deſtitiſſet opportunis munitionibus inſtruere. illa re cognita Cæſar, vt apertius etiam ciuium animũ intelligeret, præconem mittit qui ſolicitaret ad deditionẽ. acceptũ eſt longe diuerſum atq; putabatur, & exoptabatur reſpõſum. reſponderunt enim ſe natos eſſe & educatos ſub Ducibus Saxoniæ, atq; ſtatuiſſe ad extremum vſq; vitæ diem velle eandẽ fidem incontaminatam Saxoniæ Ducibus ſeruare. eandem vitæ rationem habiturũ Albertum Sẽnonum Ducem apud ipſos captiuum, quam habuiſſet Federicus apud Cæſarem. Cæſar eo reſponſo cõmotus, quod arrogantiæ, ſuperbiæq; plenum videretur, ſtatuit rem armis eſſe agendam. iubet itaq; regem & Mauritium decem peditum vexilla, quæ Lipſæ, & Treſenæ relicta fuerant in præſidijs ad ſe mittere. è proximis locis muralia tormenta, operaſq; promiſſas accit. his cum apparatibus Calegiã contendit, quò quinq; caſtris peruenit. ſecum adducit Herneſtum & Federicum captiuos à trecentis Hiſpanis cuſtoditos, quibus præerat Alphonſus Viues cum Cæſar diſtaret ab vrbe Calegia circiter tria millia paſſuũ, iubet Aloyſium Pizzanum vrbem explorare ad expugnationẽ, diligẽterq; animaduertere vbi cõmodius fluuius traijci poſſet. eſt enim Calegia in planitie plana nudaq; ſita, quadrata forma, cuius pars extenſior fluuium habet coniunctum, quæ poteſt vel procul accedentes proſpicere. habet foſſam altiſſimam & latiſſimam aqua plenam. reparationem verò è terra ad latitudinẽ ſexaginta pedum. illa terra ita firma compactaq; eſt, & diuturnitate cõcreta, vt multis arboribus multaq; herba tegatur. eſt via quædam occulta, & tecta intra foſſam ad radicem reparationis ad vſũ ſclopettariorum, & à foſſa protecta, quæ nullo pacto diuerberari poteſt. habet quinque perampla propugnacula, & oppidulum, quod vniuerſam planitiem deſpectat. eo exploratũ miſſus Aloyſius Pizzanus vir Hiſpanus maximè rerum bellicarũ peritus, vt qui optimè intelligeret rationes caſtrametationum, expugnandarumq; vrbium, iubetur, ſi ita ſibi viſum ſit, pontem occupare, quem Calegienſes e regione fecerant. illuc profectus cum ducentis leuioribus equitibus, duobus tantum è ſuis amiſſis vrbem diligentiſſimè explorat. interea decem & octo muralia tormenta Cæſari. aduecta ſunt in lintribus, ſed operæ vix trecentę è quindecim millibus acceſſerunt, quas Mauritius pollicitus fuerat, cum commeatus etiam promiſſi copia valde ſit diminuta. Sed quoniam neceſſe erat lintribus tormenta ſecundo fluuio conuehentibus non procul ab vrbe Calegia pręterire, Cęſar veritus ne tormenta interciperentur, decernit cum magna manu militum ipſe ad vrbem poſt reuerſum Pizzanum accedere, quo ciues veriti ne interciperentur à Cæſarianis, ne exirent ex vrbe. Cognouit Cęſar eodem tempore non eſse tutum ibi caſtrametari, quòd nimis aperta eſset planities, & non ſatis tuta. Neque tamen fluuius viſus eſt poſse traijci, quia pars illa nimis eſset vrbi vicina. ſtatuit itaque infra vrbem ferè duo milliaria Oceanum verſus caſtrametari. Calegienſes quòd ſcirent vadum fluminis eſse propinquum, turmam equitum emittunt, qui in altera ripa conſiſtentes viſi ſunt indicaſse Cęſari pontem ibi eſse faciendum, cum ibi facilior eſset traiectus. erat ibi nemus quoddam in vtraque ripa fluminis, vbi latere facile poterant Calegienſes, quod non parum difficultatis præbuit Cęſarianis ad pontem extruendum. Malaſpina fluuium cum ducentis equitibus traijciens, vbi vadari potuit, cũ tormenta etiã viginti in Calegiẽſes ex altera ripa diſploderenrur, ita fecit vt ciues quamuis aliquantulum reſtitiſsent, negotium deſerere coacti ſint. illis vero cedentibus Cęſar incredibili celeritate fluuium cum vniuerſo exercitu traiecit. nemus occupatũ eſt

*Calegiæ deſcriptio.*

circiter

circiter mille paſſus diſtans ab oppidulo,atq; pago ibi intra caſtra incluſo,qui forte aderat,caſtra pe-
ditum deſignāt.vndiq; cingūt hos cataphracti equites,qui Albi fluuio propinqui ſtationes habebāt
ad aquationis commoditatem,cum ita caſtra tutiſſima redderētur. nā equitatus non includitur in-
tra aggeres,cum in libera planitie ſoleat habere ſtatiua à lateribus caſtrorū,in locis non tamen tam
diſiunctis,vt tubarum ſonitus, clangoresq; mutui exaudiri non poſſint.Cęſar ita ad vrbem Calegiā
caſtrametatus,cum vrbem inexpugnabilem vi propè eſſe intelligeret,ne fruſtra tēpus obſidendo ab
ſumere cogeretur,credidit ſe captiuum per Federicum illam poſſe capere. decernit igitur mittere,
qui conſilia Calegienſium exploraret, ad quod conſilium forte adiuuit Federici ipſius poſtulatio,vt
liceret mittere ad vrbem qui de vxoris,filiorumq; ſalute referret,resq; nōnullas reportaret, quibus
indigebat. Cęſar ea Federici opportunitate petitionis vſus Antonij Burienti præfecti cohortis ſigni
ferum mittit,virum peritiſſimum rerum militarium, & munitionū pręcipuè non ignarū. iuſſus eſt
hic Calegiā accedere ad mandata Federici exequenda, atq; de vniuerſo negotio maxime inſtructus
eſt. at Calegiēſes rati id quod erat,non ſolū ad mandata Federici, ſed etiā ad exploratione vrbis hūc
miſſum eſſe,magno animo demōſtrant ſe Cęſaris minas non timere. eum igitur circa vrbē ipſi de-
ducunt,vt omnia diligenter ſpecularetur,cum oſtentarent ſe velle illam defendere; quę cum exte-
rius videretur munitiſſima,tum certe interius diligenter intuenti,explorantiq; ſingula, viſa eſt inex-
pugnabilis. ea res Cęſari ſignificata ita eius animum commouit,vt non per ſuorum cladem, ſed per
aliam quamuis rationem illa potiri omnino conaretur. mittit nuntiatum Federico vt procuret ſibi
vrbem Calegiā aperiri, quod niſi fiat,minatur capitis periculum. Sed Federicus cōtemptis ſuperbis
minis Cęſaris, oſtendit ſe parum vitę eſſe cupidum,cū reſponderit Calegiā non eſse in ſua manu:ip
ſe procuraret ſi quo pacto poſset per conditiones ciues ad deditionem allicere. ſibi relictam eſſe ani

Federici nobile reſponſum.

mi libertatem,quamuis fortuna corporis eripuiſſet. idcirco neq; minas magni neq; ſuperbiam vi-
ctoris ſe facere. illo reſponſo inter milites diuulgato in non paruam admirationem omniū animos
conuertit,atq; Cęſar nonnihil commotus eſt. Sed tamen nequid aſperius in hunc egiſſe videretur,
neq; reprehendi poſſet,quòd propter auaritiā, alienarumq; rerum cupiditatem,quàm propter ęqui
tatem in illum animaduerteret,decernit vt res legitimè iudicaretur. conuocat igitur ſuorum conci-
lium. Federicus capitis condemnatur,vt rebellis imperij,ac reus imperatorij exilij in hunc ferè mo-
dum. quia conſtat Philippum Lantgrauium, & Federicum Saxonum Ducē multis principibus Ger
manis bona ac principatus per vim eripuiſſe,perq; ſummā iniuriam contempſiſſe legationes, negle
xiſſe leges, & inſtituta imperij,multa cōtra æquitatē admiſiſſe,deuaſtaſse,populatos eſse,neq; vnquā
ſuorum delictorū veniam poſtulaſse,ſicuti ſæpius admoniti fuerunt, illi niſi ſunt non amplius eſſe
tolerabiles. nam ſi diutius tolerentur,videbuntur ceteri illa clementia, & impuritate ad illud ipſum
faciendum inuitari. decretum eſt igitur ad pacem, & tranquillitatem Germaniæ, & ad liberationē
principum captiuorum ad arma veniendū eſſe,vt de ijs maleficis ſupplicium ſumeretur. cum diui-
na ergo potius,quàm humana opera primùm diſſipati ſint, deinde Federicus in Camanos cū eadē
pertinacia peruenerit,Deusq; vel inuitum ad obediētiā compulerit,nos Carolus Imperator declara
mus, & ſtatuimus, vt Federico ad ſuorum ſcelerum commiſſorū ſuppliciū, & ad deterrendos cæte-

Federici ducis Saxonū condemnatio.

ros ab huiuſmodi flagitijs caput amputetur: quod fieri ſub die in opertoq; iubemus ante vnā por-
tarū Calegiæ. erat Federicus in ſuo tētorio cū Hernēſto Veſſonū duce, vbi Cæſaris ſentētia illi fuit
recitata. nulla notata eſt vultus mutatio,neq; vllus cognitus animi mœror poſt eā lectionē, ſolūq;
reſpōdit, mea cædes igitur in Calegiæ deditione cōſiſtit? at nihil plus cōmodi Cęſar per illā conſe-
quetur,cū mei mortui filios non minus intrepidos hoſtes ſit habiturus. his dictis Herneſtū ad taxil

Federici cōſtantia.

lorū ludū reuocauit nulla captiuitatis,nedū cōdēnationis capitis edita ſignificatione. tāta erat in eo
principe animi fortitudo, & cōſtantia. nā tametſi nonnullis iucūda mors Federici videbatur accide-
re,qui aliquā in ſe redundaturā vtilitatem inde cenſebant,cū partes Cæſarianas ſecuti fuiſsēt, tamē
alij propter affinitatē,alij propter ius amicitiæ eius ſalute. procurarent. inter hos princeps depreca-
tionū fuit Philippus Menapiorū dux, qui nitebatur tanti principis caſu ad miſericordiā Cæſarē cō-

Philippi Menapiorū ducis oratio.

mouere,cū diceret ſatis lacrymabilē eſſe Federici fortunā,quòd è tāto, tā illuſtri,tā ſublimi dignita-
tis gradu ſit in tā miſerabilē captiuitatē cōiectus. eſſe mortaliū omniū errare,peccare, & labi, at vel
ſolius Dei,vel ſolius sūmi animi,ſummæq; bonitatis parcere errātibus, cū omnis humanitas, om-
nisq; virtus hominis in bonitate,clemētia, miſericordia cōſiſtat: quæ quidē nulla eſſe pōt erga feli-
ces, & ſapiētes,cū omnis prudētia, & probitas ſit quaſi medela alienæ etiā imbecillitatis, & inſcitiæ.
Adiuuabat ad hoc Ioachimus, & Mauritius ſingulari diligētia,quia mors Federici apparebat Mauri
tio omnē ſpē recuperādi ſui principatus in præcipiti collocare. Pronūtiatæ sūt variæ de morte Fe-
derici ſentētiæ: quippe ꝙ alijs pſtare videretur in eū animaduertere,quā vnā rē poſſe ſtabilire victo
riā Cæſaris arbitrarētur, quo cæteri exēplo huiuſce ſupplicij deterrerētur in poſterū ab armis ad-
uerſus Imperium ſuſcipiendis,atq; vt reliqui potius in clementia Cęſaris, quàm in fortitudine, &
virtute armorum ſalutem ſuam reponerent, deuitarentque ne in fortunam Federici deuenirent.

An ſit ī principes animaduertēdū, & quatenus.

alii non tutum eſſe cenſebant vel imperatori ſuas manus principum magnorum ſanguine cruen-
tare,quòd poſtea mature, & opportūni inſperati vltores talium cædium aliquando inſurgant,at
que in crudeles principes facile hominum ingenia excitētur. ſatis graue fore cæteris nationibus in-
uidiam perferre e felicitate amplitudineq; Cæſaris, niſi etiam occulta odia propter cædes propin-
quorum adderentur,excitareturq; ſuſpicio affectatę crudeliſſimæ tyrannidis totius Germanię. To
lerabiliores eſſe multo errores principum,qui propter miſericordiam, & humanitatem, quàm qui
propter crudelitatem committerentur. Cæſar ſuis auditis, vt qui nullam victoriam,quàm ſeipſum
vincere, animique motus frænare, glorioſiorem putaret, quando armati exercitus, vrbes, regio-

nes, prouinciæ, imperia, ſine multorum opera non ſubiugantur; facilè motus eſt ad mutandā ſentē tiam. nam profectò ſe ipſum victorem vincere, hoc eſt è crudeliſſimorum tyrannorū captiuitate ſe ipſum liberare, quales ſunt illegitimi animi motus, quia illud fit ſine adiutoribus, genus victoriæ glorioſum, & maximè laudabile ſemper fuit ab omnibus ſapientibus iudicatum. idcirco his deprecatoribus ait Cæſar ſe capitale ſuppliciū quidē reuocare, ſed ne prorſus impunitas inuitatio foret ad ſcelera, eas cōditiones impoſuit, vt facilè cognoſceret in quos errores illapſus eſſet. nā primùm ius electionis adimit, & omnes vrbes, quas poſſidebat eo nomine, inter quas erat Calegia, & Argelia. fuerunt autē conditiones huiuſmodi de voluntate Cæſaris à Federico confirmatæ neceſſariò. primùm quod Federicus renuebat ius electionis, confirmabatq; illud cuicumq; Cæſar illud cōceſſiſſet. quòd Calegiā, & Gottā vrbes cum omnibus tormentis, bellicis apparatibus, omni genere bellicorū armorū, tertiā partem cōmeatus cōcederet, exceptis armis militū, qui erant in ſtatiuis, quibus conceſsū eſt diſcedere ſine vexillis cū cæteris impedimentis, vt liberarentur Chriſtophorus Lantgrauius Calegiēſis, & Albertus Sennonū marchio ſine vllo precio redēptionis, atq; reſtituerētur vtriſque vexilla, & tormenta Roccanizzi erepta, cui Herneſtus contrà gratis conceditur, vt nullius aduerſus Cæſarē, aut regē Romanorū mereretur ſtipendia confirmatū eſt. continebatur in ijſdem conditionibus, vt Sonueluatū, & Heldrungam Selmenſi & Maſfeltio comitibus reſtitueret, & Prutenorū regulo quodcunq; eripuiſſet, ceterisq; omnibus proceribus reſtitueretur, quorū aliquid fuiſſet occupatū. his additur, vt cederet Cæſari omnia iura quæcūq; Limiri, & Halæ ad ſe pertinerent, obliteratis Pheugari, & Madeburgi obligationibus. ſtatutū eſt, vt tantū ſui principatus Federico relinqueretur, quātū ſufficeret ad annuū redditum quinquaginta milliū nummū. illa tamē cōditione nullū vt conceſſorū oppidorum triginta, & tria libera ſiquidē fuerunt præter portiones quorundam, munire liceret incōſulto Cęſare. quin etiam Gottæ munitionē proſterneret, funditusq; euerteret. vt omnes fęderationes obliteratę, delectæq; intelligerētut, nihilq; approbaret Federicus, niſi quod ad cōſeruationē tranquillitatēq; imperij pertineret, & quod Cæſar ipſe approbaſſet. ad harū rerum cōfirmationē iuſſus eſt Federicus ſemper Cæſarē, aut Philippū Hiſpaniarū principē ſequi. per eaſdē cōditiones Maſfeltius comes cū filiis, comes Rheni, & Beiccolingæ, & Rectenrodophi, & Eſumbeſitni liberi dimittūtur, ita tamē, vt copias intra mēſem dimitterēt, adpromitterētq; ſeſe preſentes cōditiones ſeruaturos. at Cæſar poſtea pro innata ſua magnificētia vbi magnitudinē animi, quā in vtraq; fortuna Federicus ſeruauerat, cognouiſſet, multū etiā prouētus redditusq; annuos auxit. quibus rebus ita cōpoſitis procuratū eſt à Federici filijs, vt cōditiones cōfirmarentur. accerſitus eſt primogenitus, qui Gottæ erat vulneratus. induciæ factæ ſunt in triduū cū Calegienſibus, ita tamen ne Cæſariani vltra certū ſpatiū vrbi propinquarēt. erecti ſunt valli in eo termino, vltra quē impune licebat trucidare ſiquis temere fuiſſet progreſſus. accedit ad Cęſarē ſecundus filius Federici, qui vix adduci potuit, vt, tā ſeueras, & tā, vt ſibi videbātur, iniuſtas cōditiones ſua ſubſcriptione cōfirmaret. poſtea in vrbē reuerſus profectionē indixit præſidiis vrbanis poſt triduū. milites rē ęgerrime ferentes, vt quæ contra dignitatem Federici, & militarem rationē acta videretur, decernunt caſtra Cæſaris repente adoriri, ex illa parte, in qua Federicus aſſeruabatur. Sed tamē nihil actum eſt. iidem rurſus cōſtituunt non exire ex vrbe, niſi integra ſtipendia, quæ ſibi debebantur, perſoluta ſint. quæ cū Federicus minime haberet, deniq, vt res ad exitum perduceretur, neceſſe fuit Mauritio certum numerum pecuniarum perſoluere. Præſidia igitur Calegiæ, quæ erant tria peditum millia, & ducenti equites in acie die poſtero quàm ſoluta ſunt ſtipendia ſine vexillis, vel tympanorū ſtrepitu exeunt ex vrbe cum omnibus ſuis armis, & impedimentis, pro quibus tria Germanorū vexilla duce Nicolao Madruccio ingrediuntur. poſtea die tertio Sibilla Federici vxor comitante vno è filiis, & Catherina ſorore Sibillæ vxore Herneſti accedit ad Cæſaris tentoriū. Huic honoris gratia obuii fiūt filii Regis Romanorū, & marchio Aliſi, & alii complures Germani proceres. hæc ad pedes Cæſaris lacrymabūda procidens, & ꝓuoluta, vt docuit miſerabilis fortunæ viciſſitudo, præſentisq; calamitatis cōditio, tanta commiſeratione præſentes omnes permouit, nemo vt fuerit qui ad illud ſpectaculū lacrymas continere potuerit. quippe cū inter ſingultus fortunæ ſuæ inconſtantiam cumulosq; calamitatum recenſeret, ac pro mariti, & filiorū fortuna precaretur. Cæſar ob grauitatem orationis, & venerabilis matronæ aſpectum miſericordia commotus eam ſuſtulit, neque paſſus eſt diutius eſſe proſtratā, quod fecit quanta cum potuit humanitatis ſignificatione, atq; nihil illi oſtendit indignū priore fortuna. Illa poſtea quædam poſtulauit à Cæſare, ſed reſponſum potius humanitatis plenū extorſit, quàm quidquā eorū, quæ poſtulauerat. Deinde cū Federico collocuta redijt in arcem Calegiæ. Cæſar eò profectus die poſtero ad eam viſendā Regio atq; magnificentiſſimo apparatu excipitur, atq; omnes cū Cæſare ingreſſi in arcem eodem die menſis aſſiduis. Cæſar tantam mulieris magnificētiā admiratus, quid inquit ſi Federicus non fuiſſet captus? Tum munitione diligenter cōſiderata iubet Marinianium marchionem tormenta, & incredibilē apparatuū copiā efferendā curare. Sed quia Sibillæ quatriduum tantum conceſſum erat, intra quod ſpatiū opus erat exire ex vrbe, omnemq; ſupellectilem efferre, rogauit Federicus Cæſarē vt liceret accedere ad vrbem, ſibique neceſſaria ſecuturo caſtra cōparare. conceſſum eſt eo proficiſci ducentis Hiſpanis comitātibus, quibus pro innata ſua liberalitate, regiaq; munificētia trecētas monetas argēteas, quos Talaros vocant, largitur. præfectū cohortis Alphōſum quatuor equis lectiſſimis cādidis donauit. nā cōſueuit Federicus pro ſua liberalitate mirificè omniū animos ſibi deuincire. Sic exijt cū multorū lacrymis ex vrbe Federic⁹ caſtra verſus, at Sibilla lacrymās in Caſuaros iter cepit, ꝙ principatū eū amiſiſſet, quē ꝑ octingētos, & amplius annos ſui maiores poſſediſſet. renouat⁹ eſt ciuiū luctus, qa eductis ijs ꝑſidijs recētib⁹, Cęſar quatuor vexilla Mauritij impoſuit, ꝙ adeo Mauritio moleſtū accedit, vt nullius ciuium

Federici ſententia reuocata in parte.

Federici vxor in caſtra Cæſaris.

Vittēberga capta.

uium quidem vultu conſpecto ingreſſus ſit in arcem. Boemi,rebus Federici in eum ſtatum addu-
ctis,quia verebantur ne prius inuaderentur,quàm Philippus Lantgrauius, & Tumberſinus, quos
acciuerant,accederent ad impetum regis frenandum,qui in eos parabatur,nituntur omni induſtria
fortunam Cæſaris victricem retardare, quam vi & armis non poterant. Cæterarum igitur vrbium
ac nationum exemplo,quæ Cæſari ſe dediderant,legationes mittunt,quæ primum pro victoria ad-
uerſus Federicum parta gratularentur,deinde illum orarent,vt apud regem iratum pro eius regni
ſalute intercederet. eam controuerſiam inde natam eſſe inquiunt,quia petijſſent ſibi ſeruari priui-
legia,quę à ſuis maioribus fuiſſent per ſuas virtutes acquiſita. reſpondit Cæſar,ſi ſeſe regi, vt par e-
rat,ſubiicerent,eiusq; imperia ſeruarent,ſe facile futurum deprecatorem. ſin autem perſiſtere mal
lent in eadem pertinacia controuerſiæ,ſe rem fraternam ſuam exiſtimaturum.eo reſponſo conſter-
nati ſunt animi Boemorum non mediocriter,atq; cum rex armatus in regnum eſſet iamiam initu-
rus,dubii fiunt quid nam conſilii ſibi ſit capiendum. Sed cum denuo legationes miſſę ſint ad Cæſa-
rem pro tranquillitate eius regni rogandum,cognitum eſt Boemiam non amplius fluctuare ac tu-
multuari,quare ſtatuit Cęſar Philippum adoriri,in qna vna victoria apparebat vniuerſus labor con
ſiſtere ſubiugandæ Germanię propter eius principis autoritatem,qui multas victorias alias conſe-
cutus eſſet.eo conſilio Cęſar rurſus Albim traiicit,ſed antequam diſcederet conuenerant Sarmata-
rum,Tauricæ Cherſoneſi,& eorum,qui ad Boryſthenem fluuium incolunt,nõnulli tribuni militũ
quatuor equitum millia Cęſari,ſi velit,offerentes, quibus Cęſar gratias agens reſpondet bellum iã
cò eſſe adductum,vt iis non opus ſit. accedunt & regis Tunetani legationes, quæ præter cætera ne-
gotia,de quibus actum eſt,tria Arabum millia ad illud bellum obtulerãt.tanti eſt victoria illa exiſti-
mata,tãtaq; autoritas Cæſaris, vt vel Libycę,Ciliſſæq; nationes vltro ſe offerrenr ad auxilia,tantiq;
eſt fortunæ in alterutram partem propenſio atq; inclinatio.nam cõtinuò conuertuntur omnia po
pulorum ac regnorum ſtudia,in quam partem fortuna benignior aſpirauerit. Cæſar iubet Lazarũ
Suendium cum duobus vexillis peditum Gottam proficiſci,tandiuq; eſſe ibi, dum funditus muni-
tiones euerterentur.Illud conſilium Cæſaris cum Philippo Lantgrauio cognitum eſſet,cæpit Mau Lantgrauius veniam petit.
ritio,& Ioachimo deprecatoribus vti ad reconciliandam gratiam Cæſaris,veniamq; impetrandam.
proponit etiam quaſdam conditiones,quas illi conarentur perſuadere Cæſari non eſſe contemnẽ
das.nam eo reconciliato videbatur vniuerſa Germania reconciliari;qui ſi reijciatur,poſtea negotiũ
erit per multos ſumptus,& labores,& amicorum cędes perficiendum. Cæſar his reſpondet ſemper
ita tuliſſe ius bellorum,vt victores darent leges victis,at non ab illis acciperent. ſi optaretur vt Phi-
lippus conſequeretur iniuriarum,& commiſſorum obliuionem,opus eſſe vt præſens errorem à ſe
commiſſum fateretur,& veniam poſtularet.quod ni ſponte feciſſet,vi poſtea perfectum iri.erat Phi-
lippus tunc Lipſæ,quæ ciuitas eſt Libonotriæ ſubdita imperio Mauritij,in ea parte regionis,vbi Se- Lipſa vrbs.
rabes vocati populi habitarunt, quæ diſtabat à caſtris circiter triginta milliaria.eius coniunctionis,
& conciliationis cum Cæſare cupidus Mauritius,& Ioachimus citatis equis ad Philippum cõuolãt,
qui tamen paulopoſt re infecta redeunt in caſtra,quòd eas petitiones Cæſar egerrimè tuliſſet.Quę
dum tractantur à Mauritio, Albertus Masfeltius,& Gulielmus Tumberſinus,alijq; nonnulli duces
collectis ijs copijs, quas habebant in Boemia,quatuor millibus equitum, & tredecim peditum,ſta-
tuunt ſuppetias ferre vrbi Phamirano,quæ à Cæſarianis obſidebatur, vni ſcilicet fęderatarũ vrbiũ.
obſidebat illam ex altera parte Henricus iuuenis Veſſonum dux cum duobus equitum quatuor pe
ditum millibus Cæſaris iuſſu:ex altera cum paribus copijs Chriſtophorus Fonſpergius, & Philip-
pus Herbeſtianus.conſulunt hi quid eſſet in tantis rerum motibus agendũ,at Masfeltius non amit-
tendã præſentem opportunitatem ratus dum vires hoſtium adhuc eſſent diuiſę incredibili celerita
te vſus traiecto fluuio caſtra hoſtium repẽte inuadit tanta ſtrenuitate, vt Henricus omnibus propè
copijs profligatis,& cęſis ad Cæſarem confugere coactus ſit.at Chriſtophorus fluuium, & ipſe tra-
iecerat vt caſtra cõiungeret cũ Henrico,atq; ita iter faciens obuia habet hoſtium impedimenta, quę Hẽricus dux Veſſonũ profligatus.
ob partam victoriam incuſtodita vagabantur. illam opportunitatem arripuit & ipſe Chriſtopho-
rus.vbi ventum eſt ad præliũ,magnam partem capit impedimentorũ,& plures equites duobus mil
libus Alberti conatum minime expectantes direpti ſpoliatiq; ſunt. amiſſa ſunt à Tumberſino cẽtũ
nummũ millia in ea pugna. poſtea noctis aduentu Fonſpergius ſeſe incolumẽ intra Buſaterorum
fines recepit.vbi clades ducis Sennonum opportunitatem dediſſet tantæ prædę atq; victoriæ,quan
tum ipſe amiſiſſe accuſabatur, magna ſimultas inter illos nata eſt propter iniuriã, quia alter alteri
negligentiã obijceret.illa res non parum animum Cæſaris infeſtauit, quia verebatur ne per horum
victoriam arma Boemiæ nondũ ſatis pacata excitarentur,aut Philipppus deiectus de ſpe reconcilia
tionis inuitaretur,vt ſeruitutis iugum,quod ſibi imminere intelligebat,& tantũ malorum cumulũ
quantus proponebatur,à ſua ceruice propulſaret. Verũtamen ſtatuit fortunæ non eſſe cedendum,
quæ ſæpe iudicio,& ingenio ſuperatur. quippe cum in tractandis negotijs non raro incognitæ, &
prius occultæ viæ ſe patefaciant,quæ mox ad optatum exitum ipſa negotia perducant.interea Aloy
ſius Rizzanus exploratum miſſus à Cæſare Madeburgum vrbem munitiſſimam,quæ eſt vna è pri-
marijs ciuitatibus Saxonum, nuntiat Cæſari, vt acceperat è captiuis, ciues eius vrbis plurimum in- Madeburgẽtium ſententię variæ de deditione.
ter ſe diſſentire,quòd alij imperij,alij liberam adminiſtrationẽ magis eligendã cenſerent. quæ vrbs
ẽ ſita ĩ ripa Albis fluuij quare Cęſar credidit ſe breui illa eſſe potiturũ.vbi ſpes & cõſiliũ Cęſaris fuiſ
ſet ad ciues delatũ,vniuerſa ſeditio atq; diſcordia cõſopita eſt,atq; omnes vnanimes ad vrbis defen-
ſionẽ cũiunctis animis cõtinuò ſe cõuerterũt.Illud cõſiliũ Cęſaris multis nõ ſatis prudẽs viſum eſt,
neq; illa ratione ſolũ,quòd nulla fides habẽda eſt tumultuarijs populis,aut per ſe cõcitatæ multitu
dini,quia qui facile incitãtur ad irã,citò illã deponũt,atq; vbi periculũ propinquũ eſt ſępe cõuerſis

animis ad ſuos protegendos communi concordia conueniunt, verum etiam quia multa ibi ineſſent præſidia, circumq; liberę nonnullę præpotentes ciuitates, quæ poſſent ad ferendas illi ſuppetias excitari, quòd eadem arma victricia ſtatim in ſe ipſas conuerſum iri arbitrarentur. his rationibus diligentius à Cęſare conſideratis mutauit conſilium, reſeruauitq; hoc totũ negotium in proxima comitia, per quæ ſi contumaces viſæ fuiſſent liberæ ciuitates, condemnatæ imperatorij exilij mox experituræ eſſent vires omnium amicorum Cæſaris, vt multi pollicebantur. Cæſar his ita cõfirmatus Halam verſus iter capit, quæ ciuitas ſita eſt in ripa Salæ fluminis, quo tribus caſtris peruenit, quæ vrbs erat Federici. Tumberſinus, & Maſſeltius, & ceteri fęderati audita Federici clade, cuius ſtipendia merebantur, amiſſa præſertim tanta copia argenteorum nummorum, vti diximus, cum non poſſent amplius ſpe ſtipendiorum aut lenitate verborum animos militum demulcere ac retinere, copias neceſſariò dimittunt. ac prius pro ſtipendijs gratias agunt Federici nomine, quia tam benignè illi principi militaſſent. Sic igitur Tumberſinus Iulicurgium, Maſeltius Pharodinum ſe confert. Philippus Lantgrauius his rebus commotus, tametſi non videbatur prius Cęſarem curaturus, tamen ita perculſus eſt, ita de omni ſpe ſalutis decidit, vt ſignificauerit per literas Mauritio, & Ioachimo ſeſe ſeruaturum eſſe quidquid ipſi duo communi conſenſu ſtatuiſſent. Illi cum Cæſare agentes de Lantgrauio tanto difficiliorem inueniunt, quanto depreſſior factus erat Philippus. Sed tamen Ioachimi, & Mauritij generi precibus, & gratia, & promiſſis ita deniq; permotus eſt Cæſar, vt de priſtina ſeueritate aliquantulum dimiſerit. Peruenerat tunc Philippus Namburgum, quæ vrbs erat Federici, quò profecti deprecatores ita rem componunt, vt in gratiam Cæſaris Philippus reciperetur, veniamq; ſupplex obtineret his conditionibus. 1. vt Philippus ſupplex ad petendam veniam ſuorum errorum ſe conferret ad Cæſarem, ſeq; & omnes vrbes, caſtella, munitiones arbitrio Cæſaris committeret, adpromitteretq; fidem, & conſtantiam omnibus ijs ſeruãdis, quæ ad tranquillitatem Germaniæ ſpectarent, & ad quæ propter conſeruationem imperij iuberetur, & pręcipuè ad turcicas vires propulſandas. 2. vt cæteras omnes fœderationes, & in primis Smacaldicam ex animo obliteraret, proferretque ſingulorum coniuratorum nomina, & cauſas aperiret, quibus ſinguli compulſi ſunt ad illam amplexandã, omniaq; ſcripta fęderationis Cęſari concederet. 3. vt nequid ageret in poſterum, quod pernitioſum eſſe poſſet Romanorum regi. 4. Ne quem Cæſaris hoſtem in ſuum principatum admitteret, ſed vndiq; inſectaretur. 5. ne quos ſuorum ſubditorum impune pateretur aduerſus Cæſarem, aut eius fratrem militare, in quos, niſi paruiſſent, poſt decimum quartum diem more Cæſaris animaduerteretur, bonaq; fiſco addicerentur Cæſaris nomine, quod tamẽ fieri intelligeretur ſine præiudicio iuriſditionis ipſius Philippi. 6. omnes munitiones ſui principatus proſterneret, præter Ziuenianũ aut Caſellam, quod fieret arbitrio ipſius Cæſaris; atq; eius munitionis milites iurarent ſe fidem ſeruaturos, atq; ita excluderent Philippum, ſiquid aduerſus Cæſarem moliretur, & munitio cum omnibus apparatibus ſeruaretur Cæſari. neq; abſurdum eſt Cęſarem ita confiſum eſſe iuramento Germanorum, cum gens illa ſit iuramenti obſeruantiſſima, neq; poſſit niſi per ſummam difficultatem ad illud compelli, quod etiam fit magna reuerentia. nemo enim pręſens eſt, vbi iuratur, quin magno ſilentio detracto integumento capitis, tãquam ſacras ceremonias ſpectet. 7. Ne liceret nouas munitiones excitare inconſulto Cęſare. 8. Vt omnia bellica tormenta, bellicíq; apparatus Cæſari offerrentur. 9. Vt Henricus Veſſonum dux, & filius liberi dimitterentur, alijſq; omnes Cęſariani captiui. 10. Ne Philippus quempiam infeſtaret, qui Cæſarianas partes fouiſſet, omneſq; lites, & controuerſiæ ad electores imperij deferrentur. 11. Hæc autem omnia confirmarentur à filijs maioribus natu, & à ciuibus omnibus ſubditis Lantgrauij, quem, ſiquid contra imperium machinaretur, ipſi tenerentur tradere captũ Cęſari. 12. Vt Philippus curaret numerari Cæſari propter bellicos ſumptus centum, & quinquaginta florenorũ millia. 13. Ne vita Philippo eriperetur, neq; perpetui carceris condemnaretur. Hę conditiones à Philippo acceptæ Mauritii, Ioachimi Volphangi ducis Turiburgi ſubſcriptionibus confirmatæ ſunt, qui omnia auxiliorum genera Cęſari ad earum obſeruationem polliciti ſunt. Cęſar ita quem vitam conceſſit Philippo. ſuſtulit imperatorium exilium omnium delictorum veniam dedit, & in gratiam liberaliſſimè recepit, quæ res mirificè viſa eſt Cęſaris rebus conuenire. Sed enim quia Cæſaris illa felicitas videbatur vniuerſæ Germanię libertati imminere, iam incipiebat eſſe moleſta vel illis qui cum ipſo militarent, cum pręſertim omnes honores Italis, & Hiſpanis tribuerentur, Federicoq; Hiſpanis commiſſo cuſtodijs, videretur non ſatis confidere Germanis. idcirco natis hinc inde contumelijs, & iniurijs inter ipſas nationes ad arma aliquando ventum eſt, cum vtrobiq; in acie conſiſteretur. Cæſaris tamen interuentu paucis cęſis res conſopita eſt, quòd partem Germanarum copiarum accedere iuſſiſſet. Philippus his tumultibus vix ſedatis duobus ducibus Veſſonum patre, & filio comitantibus cum centum armatis equitibus venit in caſtra, quem Cæſar cum maiore, & honorificentiore apparatu in diem poſterum excipiendum ducit. conuocatis itaq; primariis proceribus, qui Cęſarem ſequebantur, multis etiam ad illud ſpectaculum confluentibus Germanis principibus, Cęſar aulam ſub meridiem ingreditur cum omnibus ſolennibus imperatorijs, quæ per ſummas opportunitates ſunt in vſu. Accedit paulopoſt Lantgrauius, qui ad genua Cæſaris prouolutus veniã petiit ſuorum delictorum, cum diceret ſe iuſtiſſimam indignationis cauſam Cæſari prębuiſſe, eſſeq; omni vel grauiſſimo dignum ſupplicio: ſed tamen cum reliquam ſpem ſalutis ſuę in Cæſaris clementia collocarit, ſe vitam principatum, facultates, omnia bona ſua Cæſaris arbitrio committere implorare eius principis clementiam, quæ non minus quàm iuſtitia in ſummo principe ſit laudabilis. nullam eſſe poſſe clementiæ, miſericordiæ, humanitatis opportunitatem in rebus proſperis, niſi errores, inſcitia, miſeriæ illam præbuerint. neq; ſe dubitare tantam eſſe Cæſaris clementiã, quãta deliria

Lantgrauio conditiones impoſitæ.

Iuramẽtum Germanorũ

ta deliria.& commiſſa peccata longo ſpatio ſuperet. promittit in poſterum ſe nutus Cæſaris ſanctiſſimè,& incontaminatè obſeruaturum,nihilq; excogitaturum,nedum facturum, quod voluntatem Cæſaris offendere poſſit.atq, hæc prolata ſunt per ſcribam Lantgrauij, Lantgrauij ipſius nomine,vt mos eſt Germanorum,qui non ipſi quidem publice loquuntur,ſed viri præſtantiores, & à ſecretis pro ipſis principibus. his Ioannes Marquatus reſpondit Cæſaris nomine;quod tametſi errores grauiſſimi extiterunt,tamen pœnitentia iſta,& commiſſorum cognitio, & ſupplex veniæ petitio,videretur non indigna clementia noſtra,atq; aliqua.ex parte mereri, vt mandentur ſempiternæ obliuioni.atque iſtud etiam facere perſuadent honorificentiſſimorum principum pro tua incolumitate amantiſſimæ preces.idcirco præter vitam,quam liberam concedimus, neque condemnamus perpetui carceris,imperatorium exilium delemus. in gratiam amicitiamq; recipimus. hortamur,& iubemus ſeruare conditiones. vbi Philippus conſurgens manum Cæſari eſſet porrecturus, vti conſueuerat,non aſſenſit Cæſar,ſed iuſſit ad Albanum accedere, ex quo quid agendum eſſet intelligeret. Illud tametſi moleſtum accidit Lantgrauio, tamen quia putabat ſpectare ad imperatoriam grauitatem,æquo animo tulit. vbi verò ad cænam in arcem inuitatus cum Mauritio, & Ioachimo magnificè exceptus eſt,& poſt cœnam datum illi hoſpitium,commiſſusq; eſt cuſtodiæ Ioãnis Gueuarę præfecti Tertii Hiſpanorum Inſubriæ,ſenſit in quas calamitates eſſet illapſus. illud facinus cum præter expectationem accidiſſet, non ſolùm Philippum maxima indignatione affecit, ſed etiam ipſos electores plurimùm ira inflammauit. Sed cum diditus eſſet rumor tandiu cuſtoditum iri,donec conſcriptę conditiones perficerentur, rem electores: carcerem,& captiuitatem Philippus æquiore animo tulit. at verò iſtud accidit imperitia Philippi,qui dum perpetuum carcerem in conditionibus deuitarit,reliquit inconſultò captiuitatis,& carceris facultatem arbitrio victoris. Sed ita fit aliquando,vt cum fortuna labatur etiam ingenium. nam cum Philippus calliditate, & rerum gerendarum peritia præſtare cæteris Germanis principibus putaretur, in hoc nõ alieno negotio imprudens apparuit,cum carceris incommodis non occurrerit.multæ ciuitates interea legationes mittunt gratulatum Cæſari, rogantes commiſſorum veniam, ac petentes in amicitiam admitti,quibus omnibus data eſt venia,& liberaliter ſunt in amicitiam receptę. ius electionis conceſſum eſt Mauritio,munera data ſunt Italis, & Hiſpanis ducibus, quorum opera egregie in Germanico bello enituiſſet.deinde ſtatim in Sueuiam cum exercitu recedere, vt ibi habitis comitiis decerneretur de nonnullis principibus ac vrbibus debellandis, quę in eadem pertinacia perſiſtebant, ſtatutum eſt.acceſſerunt Pauli tertii Põtificis maximi legationes pro victoria gratulantes,quę vt erat ſcriptum in diſplomate,Maximum,& Fortiſſimum Cæſarem appellarunt.acceſſit Gotta & filius Federici ad Cæſarem maior natu, qui paternas conditiones confirmauit,atq; perhumaniter à Cæſare fuit acceptus.iuſſa ſunt tormẽta bellica captiua trahi Grauionarium,quæ poſtea in omnes Cæſaris prouincias diſtributa ſunt,tanquam trophæa,& indicia victorię.nam fuerunt circiter quadringenta,& quinquaginta,& pleraq; inuſitatæ pulchritudinis,quoniam illi ptincipes magnopere illis apparatibus delectarentur.Cęterum Cęſar iter facit per Caſuaros populos,quia verebatur ne Saxones collecto magno equitatu,adauctisq; ſibi viribus Incrionum populorum ad principes captiuos in libertatem vendicandos inſurgerent, quod facile videbatur fore propter ingenia Cattorum, & Anoluorum, quod genus hominum bellicoſum eſt & intrepidum ad pericula, cũ vbi res Cæſaris eſſent imminutæ multorum equitum abſentia,quos rex ſecum adduxerat in Boemiam.his accedebant vetera,& recentia Germanorum odia,quos ſecum adducebat,cum principes illi potius externorum cuſtodiæ,quàm ſibi commiſſi,creditiq; fuiſſent.Illud iter fecit Cæſar,quia præſtaret viribus ſclopettariorum,cum regio Caſuarorum mnltos difficileſq; aditus habeat, vt quę montuoſa ſit,& equiratui minime accommodata. Sic enim periculum equitatus videbatur euitaturus,qui nõ multum,niſi in planis apertiſq; locis valet. erant aditibus tamen illis difficillimis additæ quoq; munitiones,ita vt videri poſſent inſuperabiles. Sed propenſa inclinataq; fortuna omnes portas aperit victoribus,omniaq; clauſtra procedentibus patefacit. per eas vias igitur,quæ tutiores viſæ ſunt Cæſar in Caſuaros ingreſſus iubet ſuas copias coniunctas incedere, quòd non ſatis fideret incolis eius regionis,Federicumq; medium haberent,ac intra ſe ſtiparent. neq; illud ſanè temere fit, quia latebant in inſidijs ſyluarum,quarum plena eſt ea prouincia,ſclopettarij complures,qui omnes tardiores Cæſarianos trucidabant.Cæſar iratus omnes extra vrbes inuentos iubet occidi; ſed cum illi pro arbitrio laterent, parum detrimenti acceperunt.ſæuitum eſt à Cæſarianis in ædiſicia per flammas, quando in homines ferro vti non poſſent, multiq; pagi Caſuarorum ſunt incenſi :ac niſi Cæſar id fieri vetuiſſet,vniuerſa regio flammis fuiſſet abſumpta. milites enim,qui nihil habent præter vitam & arma,nulla mouentur miſericordia incendiorum aut deuaſtationum, quia neſciunt quantus ſit amor domini in res ſuas. Septem igitur caſtris Cæſar pertranſit eam regionem,donec ad fines Hercynię ſyluę peruentum eſt,in quibus noui tumultus excitantur. Quedus enim,& Nauarettus duarum Hiſpanarum cohortiũ præfecti præmiſſi ſunt ab Albano, ac inſſu neminem pati recedere ex ordine.hi inuaduntur à magna incolarum manu, commiſſoq; leui prælio coguntur ad exercitum ſe recipere.decertatum eſt per trium horarum ſpatium antequam altera pars cederet, delatumq; in caſtra pleroſq; milites duorum pręfectorum trucidatos fuiſſe,ſed accedentibus omnibus copijs Cęſarianis incolę paucis e ſuis amiſſis in eam ſyluam ſe ſeruarunt. Aditus earum ſyluarum clauſi tenebantur trabibus pręgrandibus miro artificio coniunctis,& concathenatis,ita vt tranſitum difficilem,& periculoſum redderent Cęſarianis;quod ipſum faciebaut altiſſimę,& frequentes arbores in itinere deciſę,& in vijs tranſuersè iacentes. Cęſar illo itinere confecto ſtatuit Agunti conquieſcere, vt exercitus difficultate aſperitateq; viarum defatigatus reficeretur. Sed tumultuantibus Boemis,ad

Lantgrauius captiuus.

Mauritius elector creatus.

Cæſar Maximus appellatus.

Boemiæ tumultus.

quos

quos victoriæ Maſfeltij rumor peruenerat,& diſcordiæ Philippi, qui cõditiones Cæſaris renuebat, concepta fuerat ſpes in ea prouincia fore vt regnum illud liberum ab omni regia poteſtate fieret, antequam Cæſar poſſet opem ferre. erat rex ipſe tunc Litomarizzi, quæ vrbs eſt ampliſſima Boemiæ,diſtatq; à Caſurgio viginti millia paſſuum,qui cognitis tumultibus cum non ſatis tutum arbitraretur in regnum ipſum inuadere,de omnibus facit Cęſarem certiorem. poſcit auxilia priuſquam res vlterius procederet.iuſſus eſt Marinianius cum octo vexillis Germanorum eò proficiſci, & Auguſtus Mauritij frater cum duobus millibus peditum,& quingentis equitibus. Cęſar Noreiam cõtendens,eò ſecundis caſtris peruenit,qui quoniam intelligeret ab illis populis bellicoſiſſimis Federicum mirificè amari,veritus nequis tumultus in vrbe excitaretur propter captiuos principes,iubet eos in caſtella finitima cum omnibus reliquis copiis ab vrbe recedere. tum audito Cæſaris aduentu vniuerſa nobilitas honoris gratia effuſa eſt,& procul obuiam captiuis principibus facta. Vniuerſam Boemiam interea fama captiuitatis Philippi peruaſerat, quare demiſſis animis omnes conuerſi ſunt Boemi ad placandum regem,obliterata prorſus,& deiecta omni ſpe regni liberandi. miſſæ ſunt legationes,quæ rogarent vt in regnum accederet,ſed non tanquam hoſtis,at tanquam rex in regionem ſuorum ſubditorum. rex Litomarizzo diſcedens Caſurgiũ cõtendit ad caſtellum vetus,quod ab vrbe ſeparatur Multauia flumine ſatis amplo, atq; arcem ingreſſus Caſurgii,quia non ſatis placidis verbis credendum putaret,duo equitum, tria peditum millia adducens, decreuit ſubſidia expectare. Boemi quòd ſibi periculum imminere videretur, milites ad vexilla conuocant. nouos duces creant. omnia ad defenſionem neceſſaria parant. rex tametſi multis artibus conatus eſt illam vrbẽ ad ſua vota perducere, tamen omnia fruſtra tentauit. hæc quamuis communi totius regni conſilio agebantur, tamen nonnulli è primariis fauebant regiis partibus. rex audita controuerſia, cauſaque tumultus quòd inde manaret,quia multi quererentur ſibi non ſeruari priuilegia quarundam immunitatum,iubet omnes vrbium præfectos ad ſe acciri,& Caſurgienſes præſertim, ſibiq; oſtentare priuilegia. certum conueniendi tempus aſſignat. eo elapſo non profectis indicit perduellionis pœnam. Boemi dilationem procurantes conueniendi per ſimulationem temporis noua auxilia colligunt. Scribunt ad amicos principes exteros finitimarum vrbium, à quibus poſtulant auxilia. rex cũ equitatum, peditatumq; omnem citra fluuium haberet, quæ copiæ quotidie nouis auxiliis augebãtur, vbi cognitum eſt Marinianium etiam cum aliis auxiliis propinquare, Boemi veriti ne per arcẽ fieret impetus in vrbem, ſtatuunt prius præſentes has paruas copias regis profligare, quæ eſſent vltra fluuium, quàm illis accederent noua auxilia. Sed tamen ad ripam tantum fluminis profecti diſploſis in regias copias frequentibus tormentis, pluribusq; ſclopettis, cęſis decem tantum è regiis militibus in vrbem redeunt, eamq; incredibili celeritate ac diligentia muniunt. tormenta in opportuniora loca trahunt; ad omnia finitima caſtella mittunt, qui auxilia conſcribant. omnia ad defenſionem neceſſaria parant. Marinianius interea Sazzum peruenerat, id eſt oppidum diſtans viginti millia paſſuum à Caſurgio, cui rex ſignificatum mittit, vt quãta poſſet celeritate vſus ſuis rebus ſuccurreret. iubet ſuos quietem agere, ne pauciores facile à pluribus profligarentur, cum rex non plures haberet quinq; millibus armatorum, at ciues plures octo millibus, poſtea rex audito auxiliorũ aduentu, quę accedebant Caſurgienſibus è variis vrbibus finitimis, iubet Carolum Saradinum cũ maiori parte equitatus fluuium traijcere atq; obuiam hoſtibus prodire, hortareturq; redire domũ, & perfrui conceſſa tranquillitate ſuarum vrbium. Sin autem nihil profuiſſet adhortatio, ſe ad vim conuerteret. Saradinus acceptis itaque duobus millibus equitum Germanorum Pannonũ,& Boemorum ad alteram partem fluminis traijcit ante auroram ſine controuerſia. ciues rati copias, quæ traieciſſent eſſe iam in ſua poteſtate, ſtatuunt eas vndiq, adoriri. Illud negotiũ facile pro votis ſucceſſurum putabant propter finitimarum vrbium auxilia, quæ ſciebant iter cepiſſe, neq; procul abeſſe à prima acie Saradini: qui à tergo habebat vrbem, à dextra & à ſiniſtra Albim,& Egram & Miſam vocatos fluuios. illa ſpe elati ciues exeunt ex vrbe Caſurgio mille, & ducẽti partim equites, partim pedites. hi vbi paulo plus mille paſſibus itineris confeciſſent exiſtimantes auxilia eſſe propinqua certamen committunt, quod non diutius protrahitur, cum ciues coacti ſint cedere maioribus viribus, atq; vel intra mœnia refugientes trucidantur ab inſequentibus. Tantus autẽ terror illis per illam pugnam eſt iniectus, vt nonnulli deſperata defenſione Caſurgii ad alia caſtella ſeſe receperint. res illa primum imprudenter, & infeliciter geſta magna trepidatione vniuerſam Boemiam repleuit, quam etiam auxit recens Marinianii aduentus, cuius autoritas ciuitatem ipſam Caſurgium ad regis fidem amicitiamq; perduxit. Iſtud autem ſubdole fit à Caſurgienſibus, qui per ſimulationem liberalitatis, & obedientiæ erga regem, ſtudebant rem tandiu differre, dum noua auxilia accederent, quæ etiam ſollicitabant per literas. interceptæ paulopoſt ipſæ literæ ſeueriorem regem, magiſque iratum reddiderunt, cum illa de cauſa magiſtratus ſuſtulerit, atq; ita fecerit, vt nullum libertatis veſtigium reliquum fuerit in eo regno. Boemi omni ſpe libertatis fruſtrati, ſtatuunt omnem ſpem ſalutis reliquam in regis clementia collocare: cum ſperarent ſe per Auguſtum ducem,& Ferdinandum ſecundum regis filium multum humanitatis conſecuturos. quingenti igitur eorum poſitis armis ad regem petentes veniam contendunt, qui omnes vno tempore in genua procidentes clemẽtiam, humanitatem, miſericordiam regis implorant. His iubet rex deliramenta, & offenſiones publicè recitari de ſcriptis, atq; prioribus precibus ſupplicũ additæ ſunt etiam lacrymæ. rex ad eas ſubridens, nimis tardè inquit, cum lacrymas oportebat conſilijs addere comites. Principes prædicti pro his intercedunt, quorum preces plurimum profuerunt priuatis quibuſdam. omnes tamen in arcẽ tunc ſunt incluſi, neq; prius dimiſſi, quàm omnia imperata executi ſint, priuilegia obtulerint, ad res priuatas & publicas ſpectantia, fœderationum ſyngrapha, iura in ſubditos, aut vrbes, aut caſtella,

Boemi profligati.

Boemis iniũcta ſupplicia.

prouent us,

prouentus, tributa, vectigalia, tormenta bellica, atq; bellici apparatus in arcem importati ſint; præter ſclopettos, lanceas, ſariſſas, thoracas, cæteraq; huiuſmodi arma, quæ iuſſa ſunt in publicum armamentarũ vrbis cõportari, quæ omnia facta ſunt incredibili celeritate. poſtea Rex populo parcit. omnes expertes primorum conſiliorum dimiſſi. reliqui arctioribus cuſtodijs traditi, quorum non nullis capita ſunt amputata, & bona fiſco addicta, quo cęteri ab huiuſmodi flagitijs deterrerentur. illud iure fieri propè videri potuit, quia nullis iniurijs impulſi, nulla re oppreſſi, nulla nouitate ſuarũ rerum commoti, ſola ingeniorum leuitate ad rumorem infelicitatis Cæſaris arma, & ipſi aduerſus ſuum regem ſuſceperant. Sed illud factum eſt, quia diuitiæ, & opes, & rerum copia plerumq; populorum animos ad res nouas moliendas extollunt, & inſanire faciunt, ſi leues præſertim, minimeq; à ſapientia firmatos inueniant, cum inopia contrà maxime omnium timidos, & abiectos faciat, teneatq; in comparandis rebus neceſſarijs occupatos. Boemis debellatis omnes publici prouẽtus vrbium ſunt adempti, & regiæ poteſtati, ærarioq; regio addicti, quæ res effecit, vt plus ſpoliorum, & prædę Rex ex iſta, quàm Cæſar è tot ampliſſimis victorijs reportauerit. Nam opulẽto regno, & amplo, & frequentia ciuium pleno, & munito potitus ſine ſanguine Ferdinãdus factus eſt opulentior; at Cæſar tot principibus & vrbibus ſubiugatis factus eſt quidẽ glorioſior, ſed magis inops ob multitudinem ſtipendiorum, & munerum. huius victoriæ rumor vel ad extremas partes Saxoniæ perlatus omnes liberas ciuitates perpulit, vt cogitarent de deditione, atq; primi omnium Treuenſes Saxoniæ populi, qui ad Cherſoneſum Cimbricam reſpiciunt, quorum vrbs ſita eſt in ripa Albis fluuij, potentiſſimi inter liberas ciuitates, Noreiam profecti in amicitiam Cæſaris recipiuntur ijſdem conditionibus, quibus reliquæ vrbes acceptæ fuerant. iuſſi præterea ſunt centum nummũ millia in bellicos ſumptus diſſoluere, quæ deditio pergrata fuit Cæſari, quòd per eam putabat ſe facilius Limiros, Phamiranum, & Iulicurgium ad deditionem poſſe compellere, & finitimas his præterea ciuitates.

Liberæ ciuitates ſe dedũt Cæſari.

Sed quoniam compoſitæ fuerant res Boemiæ, Cæſar quia non egeret collectis copijs, eas dimittit, quarum dux erat Anſualdus, atq; cum ſolis cohortibus Madruccij, quas ad ſui corporis cuſtodiam reſeruauerat, Auguſtam verſus iter capit, præmiſſis cum Hiſpanis cohortibus principibus captiuis. Agebatur iam initium anni quadrageſimi octaui poſt mille, & quingentos à partu virginis; cum aliæ copię dimiſſæ ſunt, quas per hyemem aluerat Cæſar; nam tria peditum Germanorum millia, quæ ad illud vſque tempus duce Georgio Sciamburgio militauerant, acceptis omnibus ſtipendijs, quę meruerant, dimiſſę ſunt, & Mariniani rurſus, Ioannisq; Nanſienſis copiæ. iuſſus eſt, Philippus eſſe Tonauertæ, vbi erant Hiſpani, at alter vrbem ingredi, vbi futura erant comitia.

1548.

Bernardus & Philippus Sennonum duces, & Cauci, & Limiri, & Phamiranenſes, & Helſenſes, alijq; populi Oceanum Septentrionalem verſus habitantes, priſtina ferocitate depoſita fortunæ, victoriæque Cæſaris cedentes, ac veriti exilium imperatorium decernunt ante comitia ad Cæſaris clementiam eſſe confugiendum. petunt igitur veniam per legationes, multasq; excuſationes ſuorum commiſſorum adducunt. vrbes, facultates, ſe ipſos arbitrio Cæſaris concedunt, qui omnes ſuperioribus conditionibus in amicitiam ſunt recepti. Iſtud ipſum facere voluerunt Caucorum duces, ſed cum nimis ſuperbè atq; elatè feciſſent, Cæſar eorum amicitiam renuit, quamuis poſtea multis variorũ principũ precibus fuiſſet rogatus, & in primis à Rege Daniæ; cum decreuiſſet poſt comitia hos, & alias eius regionis vrbes ad iuſtam pęnitentiam ſuorum errorum armis compellere. at copiæ Nicolai Madruccii cum de promiſſis ſtipendiis magnopere quererentur, eas hortatus eſt ſignifer, vt querelas ad ſuum tribunum deferrent, quo patrono, & deprecatore apud Cęſarem vterentur. at milites inflammati magnopere, & quaſi furore perciti, quòd iniuriam ſibi fieri à Cęſare exiſtimarent, ſub ſignis ad Cęſaris palatium contendunt. illa res multos ciues ad arma ſuſcipienda compulit ad ſuam ſuorumq; ſalutem protegendam. Cęſar ignarus quò res tenderet clauſo palatio ſe cum ſuis aulicis ad defenſionem accingit. ille tumultus circiter tres horas non ſine aliqua cæde vtrinq; perdurauit, qui tãdem pollicitationibus, & promiſſis ſtipendiis fuit ſedatus. at Cęſar rebus poſtea pacatis puniuit ſuſpendio eius tumultus autores.

Tumultꝰ militaris ac ſeditio.

Neq; ſanè poteſt Cęſar auaritiæ accuſari, cum Italis Hiſpaniſque ducibus corrolaria etiam ſtipẽdiis addiderit, legationibus Boemorum magni ponderis torques largitus ſit, ciuitatibus mulctatis aut offerentibus magnum auri pondus & numerum pecunię dimiſerit. Sed inopia nummorum aliquando ad penuriam ſtipẽdiorum imperatores adducit, & pręſertim in maximis, & diuturnis bellis: at inſolentia certe, & temeritas militum facit vt aliqui digna ſupplicia conſequantur. vt enim nihil eſt magis peſtiferum in exercituum imperatoribus quã parſimonia, & auaritia, quę priuatas res alit, publicas deſtruit; ita militum inſolentia omnes rectas leges militares euertit, ſi diutius impune feratur. atq; vt nemo glorioſus auarus Imperator dici poteſt, niſi omni auro gloriam & virtutem pręferendam cenſeat; ita inutilis eſt rebus militaribus qui audeat vel in ipſos imperatores omni abiecta reuerentia audacter inſurgere.

Auaritia peſtis rei militaris.

Enimuero mirabile fuit illud, quòd Cęſar non modo tam confuſas, & fluctuantes res Germanicas compoſuerit, verũ etiam quòd illud fecerit intra tam breue ſpatium, vt incredibile propè videri poſſit, cum tantæ vires in illum inſurgerent, quantas vix vlla humana potentia multis annis potuiſſet infringere. & profectò aduerſus aliàs omnes vires Chriſtianas potuiſſent reſiſtere, ſiquis voluiſſet aduerſus tantam fęderationem iniqua arma importare; ſed vbi quis contra æquitatem legesq; pugnat, Deum habet aduerſarium plerunq;, cuius potentiæ qui exercitus, quæ claſſes, qui armati, quæ caſtra, qui imperatores poſſent reſiſtere? Nam & Roma orbis terræ propè domina tanti eſſe duxit Rhenum tranſire, vt cũ Iulius Cæſar id feciſſet, ſupplicationes Diis immortalibus decretæ ſint. & Carolus cognomẽto Magnus appellatus triginta annos abſumpſit in perdomanda Saxonia, cum Carolus Quintus eius nominis imperator vniuerſam Germaniam intra quindecim mẽſium ſpatium ſubiugauerit. Sed duæ

Germaniæ potentia.

res fue-

res fuerunt Germanis pernitioſę & grauiſſimę aduerſarię in hoc bello; altera quòd arma ſuſcepe rant contra ęquitatem,& vel contra leges ipſas Germanicas, altera quòd Germani pugnabant ad- uerſus Germanos pro Cęſare. conueniunt vndiq; legationes ad Cæſarem gratulatum pro victoria, ſed in primis à Philippo filio Hiſpaniarũ principe Ringomes Sylua vir Hiſpanus, qui Philippi no- mine pro victoria, glorioſisq; triumphis gratulatur,& preſertim de tã bellicoſa, tamq; potẽti pro- uincia. atq; Cęſar Syluę aduẽtu plurimum lætatur, cum Auguſtæ tunc propter bellicos labores ę- grotaret. Sed enim quia in animo habebat Philippum filiũ ad ſe accire, verebaturq; ne Hiſpani gra- uiter ferrent, aut etiã neq; paterentur omnino ſiquis eius nationis in Hiſpanię prefectura fuiſſet re- lictus, putauit rebus ſuis optimè conſultum fore ſiquem nobilitate ac dignitate præſtantem ibi prę feciſſet. Cum igitur eſſet apud illum Maximilianus Ferdinandi filius, princeps ſupra iuuenilem ęta- tem prudentia,& animi magnitudine inſignis, hunc ſtatuit illi regno preficere. vt verò Germanicę vires Hiſpanis arctius coniungerencur impetrata licentia ab autoritate Pontificia Mariam primo- genitã illi in matrimonium concedit. His actis Ringomes in Hiſpaniam remittitur, iuberurque ſi- gnificare Philippo eſſe in optatis Cæſaris, vt is in Germaniam Belgasq; accederet, quo ab omnibus populis inferioris Germaniæ princeps agnoſceretur, acciperetur q; cum iuramento.

Maria Auſtriaca nubit Maximiliano: Hiſpaniæ p̃fectus.

Cæterum Cæ ſar de omnibus illis quæ contigerant Genuæ in Italia edoctus per literas Auriæ, grauiſſimè viſus eſt ferre cædem Ioannettini, cuiuſce rei cũ autores, & conſultores fuiſſe Pontificem & Petrum Aloy- ſium Farneſium Pontificis filium didiciſſet, rem in opportunum tempus diſſimulat, cũ etiam Nea politanus tumultus inde manaſſe in mentem veniret. Sed Ferrandi Gonzagæ,& Auriæ communi conſilio ratio adinuenta eſt, qua,& acceptas iniurias Cæſar vlciſceretur, & hoſtium conſilia pror- ſus infringeret. Nam cum Petrus Aloyſius multis in rebus viſus eſſet Gallorũ partibus ſtudere ad uerſus Cæſarianas, habereturq; pro hoſte ab ipſis Cæſarianis, legationes mittit ad Auriam, quibus ſe excuſaret apud illum, purgaretq, aduerſus accuſationes inimicorum, ac demõſtraret cædem Ioã- nettini Auriæ ſibi moleſtam accidiſſe. Sed cum Auguſtinus Lãdus ciuis Placentinus vnus fuiſſet ex illis, qui legatione fungebantur, princeps cępit clam cum eo agere de inſiterficiendo Farneſio du- ce. ita vero actum eſt cum Lando viro prompto ad omne facinus, acriq; ingenio, vt antequam Ge-

Conſpiratio in Petrum Aloyſiũ Farneſium.

nua diſcederet, promiſerit Auriæ ſe ſua manu Farneſium interfecturum, Placentiamque Cæſaria- nis aperiturum. his ita concluſis præmium carnificis negotij promittit Auria Lando ſe Ioannetti- ni filiam nubilem daturum in matrimonium Landi filio. at mercedem proditionis Placenriæ mul- ta munera ſe impetraturum à Cæſare. vbi vero publicè Auria legationibus audientiam conceſſiſſet, ſimulat his auditis ſe optimè eſſe affectum erga Farneſium Ducem,& Pontificem, atq, alacri læto- que vultu illas & admittit & dimittit; quæ cum Farneſio eſſent ſignificata, fecerunt vt omni pror- ſus ſuſpicione coniurationis, aut inſidiarum vacaret. Sed quis ſatis callidè ſibi cauerit à domeſticis, & familiaribus proditoribus? Cæſar factus certior de Auriæ conſilio, iubet Ferrandum Gonzagam, qui erat in præfectura Mediolanenſi tantum virium colligere, quantum ſufficeret coniuratis ad il- lam vrbem tutandam vbi capta fuiſſet, atq; vt ipſe Ferrandus ſua præſentia rebus coniuratorum fa- ueret, quod ſingulari diligentia factum eſt. Landus perpendens quo pacto ſuſceptum conſilium perfici poſſit, clam in ſuam ſententiam quatuor è primarijs ciuibus Placentinis adducit, propoſi- tis ingentibus munerum honorumque præmijs; qui fuerunt Ioannes Anguſciola, Aloyſius Cõfa- lonerius, Hieronymus,& Alexander Palauicini fratres. his facile fuit tantum facinus perſuadere au- toritate potentiaq; præſtantibus in ea ciuitate, & quorum autoritatem ſenatus etiam ſequebatur per principis imprudentiam, qui neque præſtantiores quidem verebatur cum multas iniurias quo- tidie,& in eos,& in cęteros omnes ciues pro libidine inferret, neq; intelligeret oportere principes primarios ciues in primis aut euellere aut vereri tanquam iniquiore animo reliquis ciuibus iniu- rias ferentes, ac propè æmulos tyrannidis. Sed Farneſius dux incautus poſt acceptam ciuitatem à Pontifice antiquiſſimam eius vrbis Senatus autoritatem ſuſtulit. noua tributa impoſuit. multa ne- fanda per libidinem perpetrauit. Sed enim periculoſiſſimum eſt vitæ vel ipſius principis vrbium ac populorum priuilegia antiquare & delere nullo ab ijs ſcelere commiſſo, cum ſępe libertas,& orna

Priuilegia populis cur ſeruanda.

menta patrię ciues vel proprię vitę anteponant: quæ certè illęſa conſeruanda ſunt ab ipſis principi- bus, niſi perduellionis, aut defectionis, aut adulterinæ religionis ſint rei, atque idcirco condemnen- tur vniuerſi ciues. nam illis per iniuriam ereptis ſollicitantur ad defectionem. his etiam accedebat munitio quædam, quam vrbi imminentem extruendam curabat, cum maxima Placentinorum ci- uium indignatione, quodque patrię honores ac magiſtratus ciuibus ereptos Gallis hominibus tri- buebat. His tot iniurijs incitati, exacerbati,& incenſi ciues videbantur iamiã aliquem tumultum ex- citaturi: quę quoniam ad aures Farneſij peruenerant, mittit Bartholomęum Villęclarę ad conſcri bendas, colligendasque copias. Sed quoniam negligentia, & tarditas ſemper peſtifera eſt rebus bel- licis, coniurati de omnibus rebus certiorem faciunt Ferrandum, vt cum auxilijs adproperaret: at- que non multo poſt in arcem Placentinam profecti, vbi dux ille morabatur, cum opportunum tem pus viſum eſt, (parum enim accuratè arx cuſtodiebatur) cuſtodes inuadunt, à quibus admiſſi fue- rant propter eximiam autoritatem, cum eſſent è primarijs eius vrbis. His trucidatis ſubductilem pontem tollunt, thalamum Farneſij inuadunt, inuentum cum duobus inermibus trucidant. ob-

Petri Aloyſij Farneſij cædes.

ſeruarant enim horam prandij, quo tempore nemo eſſe conſueuerat in palatio, cum omnes Ducis miniſtri extra patatium victitarent. Sic trucidatum abſciſſis per ignominiam pudendis viribus alte- ro pede ſuſpendunt è feneſtra, vnde magis è foro vrbis poſſet proſpici. deiectus eſt poſt diuturnum ſpectaculum in foſſam oppiduli, atque à coniuratis libertas, & Imperium conclamatum. his enim vocibus ambigui facti ſunt ciues, & inter ſpem metumque verſabantur, cum Imperij nomen non

nihil

nihil terroris incuteret,& à ſumendis armis deterreret,libertatis nomen imperio opponeretur. Ferrandus,qui Cæſaris conſilio iuſſus fuerat his coniuratis prẹſtò eſſe maturè cum auxilijs, quo poſſet eſſe promptior,& in propinquiore loco eſſet, ſine tamen ſuſpicione,Cremonæ morabatur. is audita cęde Farneſij,incredibili celeritate Placentiam cum armatis conuolat,atq; vrbe potitur ſine controuerſia.ea cædes quàm iucunda Cæſari accidit in vltionem Auriæ,& ad frangenda conſilia Gallorum,tam moleſta,vel etiam multo magis fuit Pontifici,quare cum Henrico Gallorum rege fœderationē ſocietatemq; belli inire tentauit,ſed multæ difficultates vtrinq; coortæ ſuſcepta aduerſus Cæſarem conſilia infringunt.at Pontifex certè dolorem,quem è filij morte perceperat,ſapienter occultat,neq; vllum dat mœroris indicium; quin etiam addidit Petrum Aloyſium ſuæ ſtultitiæ meritas pœnas dediſſe,cum potentes inimicos ita faceret parui, quos iniurijs ipſe prouocauerat. Auguſtini Landi pro precio ſanguinis data eſt in matrimonium Auriæ neptis filio promiſſa,atq; cæteris ſicarijs ingentia præmia,quam tamen cædem nonnulli inconſulto Cæſare factam eſſe dicebant,ignari prorſus rerum regiarum,quare iſta carmina tunc ſunt circumlata.

*Cæſaris iniuſſu cecidit Farneſius heros.*
*At data ſunt iuſſu præmia ſicarijs.*

Nā profectò ridiculus fuiſſet Lādus,cæteriq; cōiurati,ſi nullius auctoritate ſufulti tantum facinus auſi eſſent,neq; tamē habuiſſent vires, quibus poſt factū protegerentur,ſalutemq; ſuam poſſent defendere,cū animi populorum non ſatis eſſent cogniti. neq; prudens Ferrandus vllo pacto videri poterat,ſi incōſulto Cæſare aduerſus pontificiā potentiā,& aduerſus clariſſimam , & florentiſſimam tunc in Italia familiam Farneſiā nullo propoſito præmio, nullisq; impulſus inimicitijs.ſuſcepiſſet defenſionē coniuratorū,cū nō deceat regum miniſtros principes homines impune infeſtare,ne in ſuos reges arma populorū temerè inuitent. nā neq; vrbe quidem propoſita licet aliquando arma mouere,cū quoties bellū geritur,toties in arbitrio fortunæ nō vna vrbs, ſed totū regnū collocetur. Ferrādus ita Placentia potitus conatur purpurati antiſtitis Farneſij animū placare, ſeq; purgare ab illa immanitate,ad quē etiā literas huiuſmodi exarauit. Grauiſſimus mihi ſanè,vt debuit,accidit caſus patris tui principis clariſſimi,cū propter meam in eum obſeruantiam,tum quia amplitudinem tuam video,vt par eſt,eum grauiter ferre. veruntamen illud nō minus fuit moleſtum,quòd res Cæſaris ita cogebat,vt vrbem illam occuparē,vt ſic omnibus ijs conſulerem,quæ apparebant pertinere ad Cæſaris vtilitatē.id etiā,quod mihi moleſtius viſum eſt,ita ſe habet, quòd Cæſarem non ita commouere poſſum vt cupio.idcirco ab amplitudine tua peto vt meā de hac re excuſationem accipias, ſi illud officiū non apparuit à me profectum, quod pro noſtra amicitia proficiſci debuit, quia meæ vires vltra certos terminos non extenduntur. Sed tamē ſiquid ab amplitudine tua cognitū fuerit, in quo mea opera alicui vſui tibi eſſe poſſit apud Cęſarem,gratiſſimum mihi erit,& in beneficij loco recēſebo,ſi illa familiariter vſus fueris. Interim Deum rogo,vt clariſſimus Dux meliori felicitate quàm fuit præſentis vitæ,perfruatur,tibiq; largiatur animi fortitudinē ad tantā euentuum acerbitatem patienter ferendā. Quædum tractabantur in Italia,magnum & memorabile prælium ob atrocitatem & militarem virtutem commiſſum eſt à Solimano aduerſus Tamnaſum Perſarum regē, & ab eodem Solimano inſignis clades accepta.cauſa eius belli fuit,quia Solimanus cū multos haberet filios virtute & bonitate ingenij præſtantes,tamen apparebat in Selimum propēſior,cui redditurus Imperium putabatur: vt qui palàm dictitaret ſe quod à Selimo accepiſſet, velle Selimo relinquere.vt illud aſſequeretur Selimus iuſſu patris curauit Baiazzetū fratrē per inſidias de medio tollere,ſed cum fortiter ſe defendiſſet Baiazzetus,pene profligatis paternis copijs tamen coactus eſt ad regē Perſarum confugere,quē cum à Tamnaſo non potuiſſet obtinere per legationes Solimanus, arma hoſtiliter ijs finibus importauit.& quoniam non iniucundū fore cenſemus cognoſcere imperatorū Turcarum pompam,qua exeunt ad bellum,hic quanta fieri poterit breuitate orationis eam explicabimus.hoc igitur ordine inſtructus exit Byzantio, quem plerunq; ſeruat. Pręcedit magnus eorum armatorum numerus,qui Spachoglani dicuntur,qui ſunt nobiliores equites lanceas,& acinaces habentes.atq; hi pręcedunt primario purpurato, vel quatuor præſtantiores autoritate antecellenti.hunc ſequuntur quindecim phalerati equi ad vſum ipſius purpurati quos ſingulos ſinguli Ianizzeri ex vtraq; parte comitantur. Sequitur hos præfectus Ianizzerorū,qui Agà vocatur,& mille Ianizzeri pedites ſclopettarij.deinde decem ſigniferi Sanzachi equites, atq; hos tympaniſtæ, & tubicines equites. Sequitur deinde nullo ordine magna multitudo variarum nationum in equis cum lanceis,quam ſequuntur muli & cameli & impedimenta caſtrenſia. hæc autem Spaches equites cum acinacibus arcubus,& ſagittis.quos carri tormentorum,qui ſinguli à triginta equis trahuntur habentibus fræna aurata.ſequuntur hos principes ac duces Ianizzerorum in equis cum aureis capitum integumentis acutis,acinaces habentes cum flauis vexillis.inde duodecim millia Ianizzerorum peditum cum ſclopettis & alabardis.hos Solimani aſteclę pedites, qui ſtapedarij dicuntur, cū arcubus & ſagittis.Solimanus ſolus inter hos equitat,qui Solachi ab illis dicuntur. Sequuntur Solimanum tres impuberes adoleſcentes magnifice induti,quorum vnus fert arcum,alius veſtes Imperatoris alius aquam. Sequuntur hos duo eunuchi in equis,& prætorium deinde vexillam viride, & ſex Sanzachi cum rubro, viridi,albo, flauo vexillis, & albo ac rubro,atq; rubro & viridi. deinde alij tympaniſtæ & tubicines in equis. ſequitur hos magnus numerus militum cum lanceis habentibus nubra vexilla,& acinacibus.à dextra procul à Solimano incedunt Spachoglani equites cum flauis vexillis lancearum à ſiniſtra Selitani vocati cum albis,& rubris. inde impedimenta cōplura,& Spaches equites cum lanceis: hos ſequitur purpuratus ſolus cum ſex aſſeclis peditibus,atq; hunc viginti & duo Sanzachi in equis cum vexillis & tympaniſtis & tubicinibus.poſtea ingens armatorum multitudo

Ferrandi Gōzagæ literæ ad Card. Farneſium.

Acierum, & pōpæ ordo imperatoris Turcarū exeūtis ad bellum.

titudo è varijs nationibus cum impedimentis. ſequuntur hos Iachingi nominati, qui ſpe prædæ caſtra ſequuntur. cum his copijs, quæ pluribus ducentis millibus hominum conſtabant, Solimanus in

Solimani copiæ aduersũ Tamnaſum.

Armeniam iter capit. vbi primùm in agrum hoſtilem accedit, incredibili immanitate obuia quæq; ferro atq; igni populatur. nulli neq; ſexui, neq; ætati parcitur, ac neq; brutis quidem cuiuſuis formæ. vrbes opulentiſſimas Babylonem & Zorigam & Carras & Birum Meſopotamiæ, quam pariter

Zoriga, Carras, Birũ vrbes.

regnum Diarbeccæ vocant, captas vi diripit, deuaſtat, concremat. iſtud fiebat ad vltionem iniuriæ vt Solimano videbatur acerbiſſime pro propinquorum odijs, quę certe acriora ſunt externis, quoniam Tamnaſus Baiazettum filium Solimani non ſolùm protegebat profugum aduerſus paternam voluntatem, verumetiam illi ſummũ imperium copiarum aduerſus patrem, armaq; ad vindictam conceſſerat. Tamnaſus tametſi habebat in armis centum millia hominum & ampliùs, tamen quia Solimanus cum tantis viribus è Syria in Meſopotamiam populabundus penetrauerat, veritus ſe non poſſe reſiſtere tantis copijs, legationes mittit ad Luſitanũ regẽ, qui maiori parti Indię imperat, vbi multæ ſunt munitiones cũ Hiſpanis pręſidiis. rogat ne ſe tantis bellorum motibus implica-

Oratio Tamnaſi legationis.

tũ negligat, ſed quàm citiſſimè opem ferat aduerſus communem hoſtem. præſtare opem ferre laborantibus nunc Perſarum rebus, quàm expectare; vt cum acceſſione virium Perſicarũ ipſe poſtea à Solimano inuadatur, cuius neq; amicitia quidẽ ob eximiã potentiã videri tuta iure poſſit, nedũ inimicitia. ſummos imperatores aliquando illud ſolum honorificum cenſere, quod ſibi cõferat, cũ fides & iuramẽtũ & omnis honeſtas tantũ habeat firmamenti, quãtũ vtilitas regnorũ; quę ſi aliena ab ijs apparuerit omnia impedimenta tãquam nebulas ſerenus Aquilo diſpeſcit ac diſſipat. multos fuiſſe principes, qui quidẽ quieuerũt vbi circa ſuos fines arma Ottomanica circũſtreperent contra finitimos, ſe ſatis aſſecutos rati quòd in ſe arma non ſint importata. ſed poſtea cũ ſerò reſipiſcerent, fruſtra penituiſſe breuis pacis magna parte ſuorum principatuũ emptę. Plurimorũ regum magnorum creſcere cũ amplitudine imperij cupiditatem dominandi, quam non montes, non pelagus, nõ deſertæ ſolitudines, non qui Aſiam Europamq; diuidunt termini definiũt, qui ſemper oblatis probabilibus cauſis pugnabũt dũ infixas re ipſa auaritię, & acquirendi res alienas radices in animo habebunt. putant enim ſibi etiam glorioſum eſſe quod cęteros reges per vim e ſuis principatibus diſturbẽt, quibus cũ imperatoribus pacis ac belli nomina ſunt, vti cõfert. non. n. ad iuſtitiã, ſed ad ſuam cõmoditatẽ his vtũtur; qui magis viri boni ſunt cũ apertè bellũ ſe inferre fatentur, quã cũ amicitiã vocant ceſſationẽ iniuriarũ. Nõ eſſe vnius menſis quietẽ emendã periculo ſempiternę ſeruitutis; cũ vna hęc res ad tantam potẽtiã Ottomanicam familiã extulerit, ac prouexerit. opus eſſe finitimos reges ſibi beneficijs deuincire, quibus adiutoribus vtantur poſtea ad cõmunẽ libertatẽ tuendam. his alijsq; compluribus rationibus cõmotus Luſitanus rex decẽ Hiſpanorũ millia cum viginti bellicis tormẽtis ſubſidio mittit Perſę; qui vbi ad caſtra Perſarũ perueniũt poſita in ripa fluminis Euphra-

Hiſpanorum virtus.

tis caſtrametãtur à fronte exercitus Turcarũ. cęptũ eſt ſtatim pugnare leuibus prelijs, in quibus tãta Hiſpanorũ virtus enituit, vt Perſę, qui prius apparebãt magnopere conſternati, & metu perculſi, non parũ animi reſumpſerint. Hiſpani caſtrametãtur ſuper quodã colle, atq; exploratis viribus hoſtiũ, quę longo interuallo ſuperare videbãtur, ſi deſcẽderetur in aciẽ, omnẽ animũ ad artẽ inſidiasq; conuertunt. Nam vbi Tamnaſus in planitie conſtiterat ad impediendum progreſſum Turcarum, ne totam regionem deuaſtarent, ibi propinqui Hiſpani peramplos aggeres, & profundas foſſas caſtrenſes, latasq; ducunt, ac ſe vndiq; vallant. varijs in locis cados pulueris tormentarij occultant in foſſis tanquã in cuniculis. loca faſciculis lignorũ, & terra & folijs arborũ atq; herbis ſuperius cõſternunt, itaq; inſtruuntur aduerſus impetus Turcarum. Solimanus cum intelligeret hinc Hiſpanos, inde Perſam cũ centũ millibus armatorum trãſitum occupauiſſe, dubio fit animo an ſibi progrediẽdum ſit. cum præſertim in alia parte filius conſtitiſſet cum quatuor millibus Ianizzerorum. Perſa ad tentandos animos Turcarum iubet omnia tormenta in Turcas diſplodi. at Solimanus cum obſideretur propè à tergo omnibus regionibus deuaſtatis, & incenſis, neq; tamen ſine pugna progredi poſſet, decernit neceſſariò collatis ſignis de ſumma belli eſſe dimicandum, vt ſibi viam ferro aperiret. Suos in aciẽ inſtruit. erat in caſtris Solimani Selimus purpuratus cũ triginta armatorũ millibus. Myſiæ præfectus cũ totidẽ millibus Illyriorum atq; abiuratorũ hominũ Carais præfectus Iudeæ cũ viginti millibus Hebræorum. Purpuratus præfectus Aſię minori cũ viginti & quinq; millibus pugnatorũ. Trapezũtii purpuratus cũ triginta millibus. Cilicie præfectus, & Pãphyliæ cũ viginti &

Perſa ſuos ad pugnã hortatur oratio.

ſex millibus. Męſiæ cũ viginti, & quinq;. Perſa cõtra vbi intelligit Solimanũ ſe accingere ad pugnã armatus cũ Baiazetto equũ cõſcẽdit. per omnia caſtra penetrat. ſuos in acie inſtructos confirmat, hortatur ad virtutẽ & ſtrenuitatẽ & gloriã. docet hoſtiũ numerũ nõ eſſe metuẽdũ; quia in ſupputationibus tm̃ numerorũ multi ſunt plures paucis, at in bello plures sũt decẽ viri fortes, triginta imperitis ac timidis. nõ nũc primũ arma Turcarũ à Perſis retusũ iri, ſed ĩ multis alijs p̃lijs Turcas fuiſſe ſuperatos. fortunã belli fortes plerũq; & audẽtes fouere cũ æquitate cauſæ p̃ſertim, & pro lariũ defenſione pugnãtes. his certiſſimã promittit victoriã, ſi priſtinæ virtutis tm̃ recordẽtur, quã in minutis p̃liis oſtẽderint, ac fortiter pugnẽt. his cohortationibus efficitur vt Perſæ alacres ſe oẽs ad pugnã accingerẽt. Primi Hiſpani, vti ſtatutũ fuerat, p̃liũ ineunt accepto ſigno pugnę. Signũ fuit immẽſus, & ꝓpè incredibilis tympanorũ, tubarũ, ac lituorũ, tormẽtorũq; ſtrepitus repẽte coortus, qui tãtus erat, vt neq; hominũ clamor, neq; hinnitus equorũ exaudiretur, quare cõtinuò plurima explicata sũt vexilla. Solimanus prima Hiſpanotũ caſtra expugnãda ducit, vt q̃ & debiliora eſsẽt ob paucitatẽ, & quę eſsẽt ã frõte, cũ ita ſe planitiẽ ſuis copijs aperturũ putaret. Hiſpani ad primũ impetũ fugã ſimulãt, ſeq; intra munitionẽ fuga recipiũt. Turcæ vbi vallũ eſſent prætergreſſi, ſubijcitur ignis cuniculis, pulueriſq; ſubterranei cadis. tũ repentè Turcæ complures vi flammarũ erũpentiũ ferũ-

tur

tur ſublimes ſemiuſtulati, inter quos præcipuę fuerunt copiæ purpurati Mœſiæ,qui & ipſe cecidit.
Illa clade tã repentina territi & propè attoniti nouitate rei Turcæ,ab illa pugna ſeſe recipiunt, atq;
hos recedentes Perſa ex altera parte tanta celeritate alacritateq; inuadit,nullum vt tempus datũ ſit
hoſtib.quo ſe inſtruere in aciem poſſent. Baiazettus rurſus in acies paternas impreſſionem facit in
latus tanto impetu, tantaq; virtute vt Turcæ terga vertere coacti ſint. Solimanus viſa ſuorum fuga
conatur eos ad pugnam reuocare nunc adhortationibus,nunc minis, nunc pollicitationibus; ſed ti
mor ſurdus natus eſt,nullasq; neq; adhortationes audit, neq; promiſſa. Nam Turcæ vbi ſemel fu Clades Turcarũ ingens
gati ſunt, non facile bellum inſtaurant; ſed neq; volentibus tempus à Perſa concedebatur. noctis
tamen aduentus cum iam inclinaret dies,multis fugientibus vitam ſeruauit. ceciderunt ex Ottoma-
nicis copijs in ea pugna centum & triginta ferè millia hominum. multi fuerunt vulnerati. Septem
purpurati cæſi ſunt, atq; vel Solimanus ipſe vulnus accepit. Sed neq; eam cladem tantum Solima
nus paſſus eſt,quã ab hoſtibus accepit, cum multi quoq; perierint in itinere redeũtes pp famem,&
oĩum rerum neceſſariarum penuriam,quia per ſolitudines & deuaſtatas à ſe regiones iter faciebãt.
coacti ſunt itaq; equos edere pro cibarijs, & bibere ſanguinem equinum. clades illa prædicta & di-
uinitus ſignificata fuerat Turcis antequam diſcederent Byzantio, quippe cum crinita ſtella dicatur Prodigia varia.
viſa fuiſſe,penes quam erant duo iacula ignea.Luna quoque ſanguinolẽta, & facie cruore obducta
per lõgum ſpatiũ apparuit, quæ oĩa prodigia inſignẽ calamitatẽ Ottomanicæ familiæ portẽdebãt.
Sic Solimanus omnib.propè copijs amiſſis redijt Byzantium. Sed iam Auguſtæ cœpta erant comi-
tia,quò pleriq; Germani Principes,liberarumq; ciuitatum legationes aduentarant; cũ ſubditi Ode
rici Intuergorum ducis moleſtiſſimas querelas aduerſus ſuum principem deferunt, quibus compul
ſus eſt Cæſar vt illi diem dici iuſſerit.Odericus cũ ad menſtruum tempus ſtatutum non apparuiſſet,
ſeq; recepiſſet in munitionem quandam propinquam Heluetiorum finibus,Cęſar iubet equitatum
agrum illius hoſtiliter inuadere.at Odericus veritus ne hoc fieret conſilio & adhortationibus Ferdi-
nandi, atq; idcirco acerrimè ageretur propter iura, quæ ſe habere aſſerebat in eum principatum, le-
gationes mittit ad Cæſarem,quæ ſe excuſarent, ꝙ ad ſtatutum tempus non apparuiſſet, quoniã va-
letudine fuiſſet impeditus, qua re efficitur vt Cæſar copias ab infeſtando eius principatu reuocaue-
rit. at verò Mauritius nouus Saxoniæ creatus Elector Halæ,vel de Federici ipſius conſenſu, quia nõ
fuiſſent ſeruata omnia ſolennia, quæ in ea dignitate conferenda ſolent ſeruari, impetrat à Cęſare vt
nuper confirmaretur præſentibus cæteris Elettoribus per illa ipſa ſolennia,quę in ijs ſeruari conſue
uerunt. celebrata autem ſunt tanto,tamq; incredibili apparatu,tanta cum magnificentia,quanta vix Solennia ob
ab vllo antea commemoretur. illa cum aſpexiſſet Federicus,viſus eſt tanta animi magnitudine con ius electio-
tempſiſſe,vt nullam prorſus dederit mæroris, aut animi grauiter ferentis ſignificationem. In Au- nis datę
guſtanis comitijs,quoniam illa inſtituta fuerant à Cęſare,vt collapſa religio in Germania inſtaurare Mauritio.
tur profligarenturq; hereſes,multa pertractata ſunt ad cultum diuinum pertinentia, atq; quoniam
nullo pacto inter ſe de ijs rebus conuenire poterant, quędam Cæſar perſcripſit quæ ſeruanda cenſe-
ret,quædam conceſſit,donec de illis fieret concilij decretum, atq; hanc formulam Interim appella-
runt. continebantur in ea quæ credenda obſeruandaq; viderentur hæc, conditio hominis ante & Formula in-
poſt primum peccatum. de redemptione. de iuſtificatione. de remiſſione peccatorum. de operib. terim cõceſ-
de autoritate eccleſiæ & miniſtrorum. de ſacramentis. de mortuis. de ceremonijs,de aduocãdis ſan ſa in comi-
ctorum hominum animabus in auxilium & patrocinium,de cõmunione. ſtatuitur itaq; in ijs vt ob tijs Auguſta
ſeruatio & ſolennitates pro commemoratione ſanctorum, & ieiunia atq; cętera pro ſanctæ Roma- nis.
nę catholicæ eccleſiæ conſuetudine ſeruentur. ea tamen conditione vt quicunque ex ordine ſacer-
dotum vxorem duxiſſent vſq; ad concilij decreta,ne cogerentur eam relinquere. Qui ſub vtraq; ſpe
cie hactenus Euchariſtiã ſumpſiſſet,ne cogeret̃ calice carere.Quę tametſi ꝑter imperatoriã autorita
tẽ facta fuiſſe viſa ſunt,cũ hæc Põtificij potius q̃ imperatorij ſint iuris,tamẽ eo cõſilio facta ſunt con
ſultis ẽt rerũ ſacrarũ profeſſorib. quia res paulatim cõmodius in melius mutantur, q̃ ſiquis oẽs cõ
fertim ritus ſacrorũ conetur immutare vno tpe.Nã qui vniuerſam religionẽ vno tpe alicuius populi
vel victi mutare conabitur, mirabor ſi ꝑ ſuas calamitates nõ experiatur q̃ periculoſa ſit repẽtina q̃q; Auguſtana
Dei cultus euerſio. at verò libellus is,q interim vocatus eſt,in quo decreta,cõceſſaq; Auguſtana cõ decreta.
tinebant̃,neq; incõſulto q̃dẽ Põtifice fuit ꝓpoſitus & cõceſſus, quẽ tametſi Põtifex non ſatis æquo
aĩo ferebat,tamẽ ita poſtulabat rõ tpis.ea dũ in comitijs tractabant̃,quoniã vt polliciti fuerãt Scotẽ-
ſes iuuenẽ Reginã in matrimoniũ Odoardo Britãnię regi nolebãt cõcedere, indignati Britãni,& in
ter hos ꝓſertim Thomas dux Somerſetẽſis Britãni regis auũculus,q vt magis regis affinitate cõiũctus
renũtiatus fuerat ĩ comitijs regius ꝓtector ac tutor,ingẽtes copias colligũt,militesq; ad ſigna vndiq;
cõuocãt. Somerſetẽſi ſe cõiũgit Varuicchius Comes cũ magna armatorũ manu, vt tã honeſti belli
eſſet ſocius.Scotẽſes his motib.Britãnorũ cognitis,& ꝙ arma vbiq; in ſe parabant̃, & ipſi aĩum con-
uertũt ad bellicos apparatus & ad vim ꝓpulſandã,ſiqua inferatur, quare ingẽtes copias collegerũt,
& breui in aperto duce Iacobo Hamiltono Arranæ Comite,regniq; Scotiæ gubernatore ſunt caſtra
metati.vbi ad fines Scotẽſiũ vẽtũ eſt a Britãnis copijs,q̃a Scotẽſes earũ aduẽtũ armatæ expectabãt in
opportuno loco,atrox ꝓliũ cõmiſſum eſt apud oppidum Maſſelburgum. pugnatur atrociſſimè diu Maſſelburgũ
ancipiti victoria,cũ vtriuſq; exercitus egregia virtus & ꝓpè par enituiſſet, ſi pares copię fuiſſent. Sed opp.
Scotẽſes numero inferiores cruẽtã,& calamitoſam victoriã Britannis relinquunt.Sed plures tamen Scotenſium
Scotenſes fugiendo, q̃ pugnando ceciderunt. multi etiam venerunt in poteſtatem hoſtium. Somer clades.
ſetenſis ea victoria potitus partem agri Scotenſis populabũdus percurrit. pagis & caſtellis & obuiis
quibuſq; direptis omnia cędibus & populationibus & rapinis replet. Sic multã prędã abigens in ea
parte regni Britannici fines dilatat. Sed quoniam rara felicitas humana ſolet eſſe diuturna, ita tulit

fortuna vel potius dementia Britannica, vt qui militari virtute, petitioniſq; equitate, & bellicis appa ratibus Scotenſes ſuperauerant, iidem mox armis in ſeipſos conuerſis, inteſtiniſq; ſeditionibus fluctuantes, non parum malorum patriæ ſuæ importarint. cauſa horum malorum fuit, quia vbi deſciuerunt à priſtina, auitaq; religione multa abſurda & propè monſtra horrifica nata ſunt in eo regno; cum oīa deliria ſint & ſuperſtitiones vanæ quæcunq; à vero & incontaminato & rationabili cultu Dei deſciſcunt, cæperunt grauiſſimæ contentiones domeſticæ vexare Britannos itaq; poſt eā victoriam, quia nouæ hæreſes aſſiduè pullulabant. neq; ita multo ſanè interiecto tempore pleriq; velut repentino aliquo furore perciti in vniuerſo Britanniæ Regno cū multis cōtumelijs oēs ſacras Chriſti, oīumq; ſanctorum hominū imagines proſternunt, conculcant, infringunt, picturaſq; abradūt, atque in ſtatuas ac picturas tanquam in Scotenſes ſæuiunt, ſic poſt Scotenſe prælium acerrimè & ſingulari inſania pugnatum eſt cum ſtatuis, quæ vbi in acie non conſtitiſſent profligatæ, fuſæ, cæſæq; ſunt, neq; vlla fuga tantæ dementiæ teſtis ſe ſeruauit. Permiſſa ſunt matrimonia ſacerdotib. contra catholicæ eccleſiæ inſtituta. atq; oīno latius ſerpſit oīs hæreſis quā inſtitutū eſt ab Henrico, qui neq; ſtatuas, neq; ceremonias aut ſacros ritus attingere auſus fuerat. acceſſerunt ad Auguſtana comitia Sarmatiæ Sidonięq; regis legationes, quæ cunctis ordinibus Imperij iura ſui regis in regionem Prutenorum patefaceret, abolitioneq; peteret proſcriptionis Neomageſis in Albertum magiſtrū Prutenorum: nā Albertus ad amicitiam tutelamq; eius regis confugerat, nomenq; magiſtri in ducem commutauerat. Moritur paulo poſt, calendis Aprilis. ſ. Sigiſmundus Rex Poloniæ, quare totum illud negotium euaneſcit, cū regnaſſet annos quadraginta & duos, cui filius eiuſdem nominis ſuccedit in Regnum. & quoniam Lantgrauij captiuitas non vxori ſolùm ipſi, ſed ēt multis principibus erat moleſta, accedit eius vxor ad Cæſarem, cum qua oēs ordines intercedunt, precanturq; Cæſarē ꝓ Philippi libertate; ſed tandem nihil actum eſt. Quæ dum aguntur Auguſtę, Muleaſſes Rex Tunetanus ab Amida filio pulſus e regno & luminibus priuatus venit in Germaniā, ſupplexq; à Cęſare opem implorat. atq; vt res tota facilius intelligatur, ſummatim repetam ſeriem huiuſce controuerſiæ. erat Muleaſſes vir acri promptoq; ingenio Tuneti Rex, ſed propter crudelitatē & iniurias, quibus multos primarios ſui regni affecerat multis inuiſus, qui moleſtiſſime eius ferebant tyrannidē, aucupantes ſi qua ſe offerret opportunitas vlciſcendarum iniuriarū. quo igitur tempore Barbaruſſa littora Italiæ prope attingens claſſe in Galliā opem regi laturus cum Polino nauigauit, Muleaſſes audito Cęſaris aduentu in Italiam, traiecit in Siciliam, atq; ibi tandiu impeditur repugnantibus ventis nauigationi, vt prius Cæſar ex vrbe Genua diſceſſerit, quā Muleaſſes eò appellere potuerit. auxiliorum petendorū cauſa erat, inſolentia Turcarum Barbaruſſæ Iuliæ Cæſarienſis Regis, qui elati ea victoria, quam conſecuti fuerāt in Mauritania nuper de Chriſtianis copijs, incredibili temeritate Tunetani Regis Cæſaris tributarij & fęderati fines inuaſerant, & iam Cirtham, Adrumentū, Africamq; vrbes ſiue Aphrodiſium occupauerant. Muleaſſes ad ſubſidia nauigaturus amicos & duces, quibus plurimū fidebat, pficit munitionibus. at filio Amidæ ſummum imperiū armatorum cōcedit, quo refrenaret Turcarum Arabumq; incurſiones, ſiquæ fierent in regni Tunetani fines. Cæſar audito Muleaſſis aduentu in Italiam, qui iā Romā peruenerat, nuntios ad eum mittit, fieri non poſſe vt in colloquium nūc veniretur, cum res maximę, quæ prætermitti nulloꝗ pacto poſſent, Cæſarem ipſum flagitarent adeſſe in Germania. Quæ dum Muleaſſes procurat ad patriæ ſuę defenſionē in Italia, nūtiatur ab ijs qui aufugerant e Numidia Amidam per adhortationes & conſilia nōnullorū ſibi regnū affectare, & iam theſaurum cepiſſe, paternos amicos trucidaſſe, in ſepta paterna vi irrupiſſe, omnibus pro libidine moderari. is nuntius ita turbauit Muleaſſis animum, vt decreuerit quàm citiſſime in Numidiam cum ijs copijs quas poſſet in Italia colligere eſſe redeundum. Nam verebatur Muleaſſes ne filius metu Cęſarianarum virium ad Turcarum auxilia inconſultò confugeret, quare certiſſima regni iactura ambobus immineret. petit igitur à Prorege Neapolitano vt liceat Italorū copias conſcribere, cum putaret fore vt regijs partibus fauentes ſibi quoque opem ferrent Numidæ. conceſſum eſt omni generi exulum Neapolitanorum, maleficorumq; hominū vt ad eam expeditionem Neapoli acciperent ſtipendia, collectaq; ſunt duo armatorum millia, quibus præfectus eſt cū ſummo imperio Ioannes Baptiſta Loffredius vir acri promptoq; ingenio. quæ dum parantur Neapoli, Amidæ familiares & amici rumorem diſdiderunt Muleaſſem regē Chriſtianam fidem cōplexū mortuū eſſe Neapoli, vt probabilior ratio haberetur inuadendi regni paterni. timebat enim Amida ne Mahometus frater primogenitus Chriſtianorū obſes, q populo gratiſſimus erat, regnū ſibi præriperet, vt ſimulabat. Sed quoniā impiū quibuſdam videbatur filiū præfectū à patre paterno regno per ſummam perfidiam & crudelitatem patrem e regno eijcere, de cuius morte nihil certi haberet, ad arma ventum eſt, & Amida e Tuneto vi eiectus. Sed tamen cum per aſtutiam nonnullorū à Tunetanis poſtea reuocatus fuiſſet, oīa vi occupat. inauditam crudelitatem in aduerſarios ac paternos amicos exercet. qui ex illa clade in Siciliam euaſerant, quò iam peruenerant conſcriptæ copię, monent vniuerſum prope regnum eſſe in poteſtate filij. non eſſe cū tā paruis virib. eò penetrandū. Muleaſſes his admonitionib. ſpretis copijs nauib. impoſitis ad vlteriorē ripam maris Mediterranei traijcit. cū copijs expoſitis Tunetū petit. at Amida audito eius aduentu in oliuetis vrbi vicinis inſidias ingentes collocat. iubet magnū globū equitū Tuneto egreſſos certamen cōmittere. Muleaſſes ab his magno impetu vt imperatū fuerat ex vrbe egreſſis inuaditur; ſed non minori virtute cū Italis copijs impetū propulſat, neq; ingentes clamores vel tantilli facit. Sed. n. dū vtrinq; magna alacritate pugnatur, exit ex oliuetis cū incredibili vociferatione innumerabilis prope Arabum multitudo, quorum tametſi quidam diſploſis repente Italorum tormentis laniati ſunt, tamen vndique Muleaſſem atq; Italos, Muleaſſiſq; copias vniuerſas circūueniunt. vulneratur Muleaſſes, quo ſpectaculo territi

Seditiones Britannicæ ob religionē

Hæreſes Britannæ. ſtatuęque deiectæ.

Pruſsiæ magiſter dux vocatus.

Sigiſmundi Poloni regis mors.

Muleaſsis caſus.

Cirtha Adrumentum, Aphrodiſiū vrbes.

Amida regnum eripit patri Muleaſsi.

Perfidia filiorum etiam in occupandis regnis.

Chriſtiani

Chriſtiani in fugam vertuntur. at Muleaſſes ex odoribus potius vſitatis quàm ex facie cognitus ob cruorem, captiuus ad Amidam adducitur. Amida iubet ignitis ſcalpris ferreis oculos patri erui, cuius crudelitatis reprehenſus inquit ſe ob inauditam crudelitatem, quam ille in multos exercuerat iſtud feciſſe. quaſi crudelitatis remedium ſit crudelitas. Amida deinde ſe velle Cæſaris eſſe tributarium ſignificat, neque velle omnino ab Imperatoria fœderatione recedere. Muleaſſes cęcus coniectus eſt in carcerē ita captus luminibus. Sed poſt multas eius regni mutationes & viciſſitudines vix impetrat Muleaſſes vt in ſolitudine ac priuata domo, quod reliquum eſt vitæ, ſibi degere concederet, vbi fuit donec Bernardinus Mēdocius ad Guletā peruenit, à quo Muleaſſes fuit accitus, vt vnà conſultaretur de illo regno recuperando, atque Muleaſſi ipſi reſtituendo, quæ conſilia cum Franciſco etiam Zouario eius regni negotiatore pro Cæſare cōmunicabantur. Sed Amida collecto magno equitum Arabum globo magnopere procurabat patrem interficere, quoniam venerat in ſuſpicionem paterna conſilia, quę dabantur Cæſarianis proceribus, fore aliquando ſibi calamitoſa. Muleaſſes filij vires metuens ex Aphrica in Siciliam, atque inde in Germaniam profectus multa de filij crudelitate conqueſtus eſt, & de Franciſci Touarij perfidia, quem ſibi multum auri ſeruandi pondus datum per ſuas calamitates ſurripuiſſe atq; denegaſſe inquit apud Cæſarem. Cæſar tam
mouetur regia grauitate verborum & commemoratione filij crudelitatis in patrem m
tamen cum non liceret à rebus præſentibus diſcedere, atq; res multo grauiores
pertineret ad regni Tunetani mutationem molitur. remouet To
ra propter regias accuſationes, & regi Muleaſſi in S
ſtituit. concili quod in
alijs aliò
præte
ſpec
In
n

*Amidæ iuſſu oculi patri eruuntur.*

*Franciſci To*

poſtero magna cum pompa in vrbem accipitur. veſperi celebrantur nuptię, confirmanturq; contractæ iam in oppido Aranſuezo non procul à Mantua Tarraconenſis ciuitate per Cardinalem Tridentinum peractis ſolennibus regia fiunt conuiuia multaq; ludicra ad oblectandos animos, quibus ſolennibus abſolutis Philippus his præfectis Hiſpanicis adminiſtrationibus ad iter à Cæſare imperatum faceſſendum animum adijcit, atque familiam primum mittit Barcinonem. quo tempore in Britannia epiſcopus Vuintonienſis vir bonus & catholicæ religionis obſeruator captus eſt, & in cuſtodias traditus cum non in ſtatuas ſolum iam, ſed in ſacerdotes etiam ſæuiretur. Cæſar vbi non procul abeſſet à Canoduro propter ſpem, quam conceperat eius vrbis potiundę in agro Alcimenienſi, vti diximus, habebat ſtationem. At Alphonſus Viues dux ſtrenuus patria Neapolitanus patre Hiſpano natus, non mediocris & exiſtimationis apud Cęſarem, & inter ſuos familiares ob ſingularem peritiam rei militaris, decernit per aliquam fraudem Canodurum occupare. inuitabant eum ad illam ſpem ciuium nonnullorum conſilia, quos Cęſarianis partibus fauere intelligebat, nam potentiorũ ciuium tyrannidis pertęſi, & eorum præcipuè qui pręerant rebus publicis inueterum iniuriarum vltionem, eius vrbis gubernacula vni principi rectius committi credebant. Quippe cum non minus ...is ſit æmulatio, & odium quod ex inuidia inter pares naſcitur, aut propè pares honorum cau-
... principis vel moleſtiſſimi metus. Alphonſus igitur cõ
... peditum & ducentis equitibus per noctẽ
... qui adiunctis ſibi ci-
... rebelles, &
... arma-

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS,

## *LIBER QVARTVS.*

QVONIAM verò florentiſſimam fortunam gloriofasque victorias, omnes honores & gratia mortalium conſequitur, omniaq; populorum ſtudia maximè propenſa ſunt in quam partem fortuna aſpirauerit, tantæ viſus eſt lætitiæ, tantæ expectationis, tanti, tam felicis, tam diuini ominis Philippi in Italiam aduentus, vt quaſi deus aliquis immenſam felicitatem Italiæ afferre videretur, aut oppreſſæ afflictęq; prouinciæ diuturnis calamitatib. priſtinorum laborum ſubleuationem. quippe cum nemo Regum aut inſignium Imperatorum iam multos annos ingreſſus ſit Italiam cum tanto, tam regio, tam magnifico, tam incredibili vrbium, gentium, populorum pompa & apparatu, aut cum tanto omnium gentium & Italorum principum concurſu & gratulatione. Non enim ex vniuerſa Italia ſolùm principes omnium ciuitatum & nuntij vltro citroq; conuolabant, ſed etiam regum ac populorum omnium legationes vndique conueniebant gratulatum pro felici fauſtoq; principis aduentu. tot principes Belgarum vrbium, tot Germani proceres, tot Hiſpani ac primarij Duces, tot liberarum ciuitatum legationes in Italiã confluebant ad principem ſua præſentia ornandum, & in Belgas comitandum, vt iam nõ amplius vnius principis magnificentiam illius comitatus referret, ſed aut inſignis exercitus formã, aut antiquiſſimorum Regum Perſarum ſplendorem, aut triumphantium conſulum Romanorum pro aliqua inſigni victoria. His tot inſignibus Ducibus comitantibus Philippus Mediolano diſcedit ad
ſeptimum idus Ianuarij anno ſalutis noſtræ nono poſt mille quingentos & quadraginta Mantuã 1549.
verſus: quo in itinere primùm Marinianium accedit, quod eſt Iacobi Medices oppidum, inde Laudum Pompeiam, inde Cremonam, inde Mantuam denique cum magnificentiſsimis apparatibus vbique exceptus. multa fuerunt Mantuæ ſpectatu digna, atque inter imagines, quæ res Cęſarianas referebant, Philippoq; felicitatem vaticinabantur, erat cuprea armati principis imago, quæ fortunam capillis apprehenderat, eamq; columnæ iamiam alligatura videbatur infractis alis à ſua verſatili rota detractam. aderat Dolor, quem fuſtibus armati propellebant. & Tranquillitas columnæ inhærens altera manu caput ſuffulciens, altera geſtans haſtam, tanquam ſuſtentaculum & fulcimẽtum. Erat & Ianus bifrons, cuius altera facies, quæ in vrbem proſpectabat, erat iam ſenioris, altera exterius proſpectans, iuuenis, ad vrbis tutelam. cum altera rerum militarium labores foris ſuſtinendos, altera domi prudentia vtendum eſſe, ſignificaret. prodijt obuiam Hercules Ferrarienſis Dux cum multa pompa, qui ſimul Mantuam acceſsit. Poſt multa conuiuia, magnificoſque apparatus Mantua diſcedit, & ad Villamfrancam profectus magna cum pompa ab obuijs præfecto Veronæ, & Federico Badoario excipitur, qui omne genus officij & hoſpitalitatis ſenatus nomine offerunt. multa munera magnifica largiuntur. palatia egregiè inſtruunt, quacunq; princeps erat tranſiturus. illo in itinere Octauius Farneſius & comes Sanctiflorius, alijque complures Romani proceres cum inſigni pompa principem ſalutatum veniunt, qui deniq; Tridentum accedit, atq; obuios habet Mauritium & Cardinalem Auguſtanum. ibi cum ſolenni pompa non minore cęterarum vrbium acceptus per quatriduum moratur, mox Inutrium peruenit, vbi regali apparatu ac pompa excipitur à filiabus Ferdinandi regis & ab Alberto Norici Duce eius genero. hinc Auguſtam, Alcimenium, Bruxellas peruenit poſt multas pompas variaque hoſpitia pridie Cal. Aprilis. vbi obuiam habuit Mariam Reginam Pannoniæ & Boemiæ eorum principatuum gubernatricem, quæ ſingulari charitate nepotem complexa eſt cum Galliæ regina, multiſq; Belgis proceribus. interea catho-

Mantuæ apparatus in aduentum Philippi.

lica

lica religio paulatim in Germania cõualeſcere, quòd inter Saxones & Sennones Mauritius & Ioa-
chimus nitebantur ſubditos populos ad veram, catholicamq; fidem perducere. & quoniam Britã-
nicæ victoriæ fama in Galliam peruaſerat, cladiſque inſignis à Scotenſibus acceptæ, & direptionũ
iacturæq; multarum vrbium, Henricus veritus ne ſi rurſus Britanni arma ſumpſiſſent, vniuerſam
Scotiam ita debilitatam ſuo regno adijcerent, ſtatuit poſtulantibus auxilia Scotenſibus non eſſe
deneganda. miſſus eſt igitur cum ingenti claſſe comparata Petrus Strozza, & Andelottus, & Rin-
grauius viri rerum bellicarum peritiſſimi cum ſummo Imperatore claſſis Deſſio regulo. Britanni
audito Gallorum apparatu ingentes copias & ipſi comparant, atque cum ijs viribus Gallis Scoten
ſes aucti fuiſſent oblatam pugnæ opportunitatem minime negligunt. pugnatum eſt ſumma virtu
Edintoniũ oppo. — te apud Edintonium oppidum, in quo prælio denique Scotenſes de profligatis Britannis inſignẽ
Britannorũ clades. — victoriam reportarunt, atque omnia loca quæ ſuperiore anno fuerant à Britannis occupata, Sco-
tiæq; adempta, illi regno adiunxerunt. His rebus feliciter geſtis in Scotia, reliqui proceres in Gal-
liam ſunt reuocati, ſed Thermeus regulus cum multis Gallicis copijs in Scotia relictus. cepit aſſi-
duis incurſionibus infeſtare Britannos, omniaq; rapinis & populationibus vexare. neque vero ſo-
lùm per opportunitatem auxiliorum Gallus cepit eſſe moleſtus Britannis, ſed captata opportuni-
tate diſcordiarum Britannicarum nulla habita ratione pacis inter Franciſcum regem patrem, ac re
gem Britannum compoſitæ, vbi ſpes affulſit aliena diripiendi, adiunctis ſibi Heluetijs, vt diximus,
noua fœderatione, ad recuperandam Boloniam contendit, quam per inſidias Britanni occupauerãt.
erant autem res Britannicæ in maxima perturbatione nõ ſolùm propter religionem, quam quiſq;
è tribus primatibus pro libidine diſtrahebat, ſed multo magis etiam propter regni adminiſtratio-
nem: quamuis Thomas auunculus Odoardi omnia pueri nomine gubernaret. accedebat ad tanta
rum rerum perturbationem templorum ſacri prouentus, qui à primarijs occupati fuerant, qui ve
rebantur ſi res ad priſtinam formam religionis rediret, ne magnis commodis & redditibus priuarẽ
tur. earum rerum reſtituendarum metu primates omnia acerbiſsima ſeditionum, diſcordiarumq;
genera diſſeminabant. fama eſt Mariam noui regis ſororem, vt quæ catholica dogmata diligẽter am
plecteretur, viſis hæreſibus, quibus vel peioribus, quàm Rex primùm complexus fuerat, omnia re-
pleta contaminataq; fuerant, conueniſſe regem ſeorſum & in priuatum thalamum, quem monuit
vt ſuſceptam hæreſim deponeret. futurũ. n. vt ira & indignatio diuina eum affligeret, qui ſpretis
diuinis legibus, & auitis ſanctorum patrum inſtitutis complexus ſit recens liberius viuendi genus
à legitima ratione ſeiunctum. maximè verò iram Dei timendam eſſe regibus, tanquam autoribus
omnis vel probitatis, vel ſceleris cæteris hominibus ſubditis, qui pro viribus regum & principum
inſtituta ſeruare nituntur. Turpe eſſe principi homini nobilitate, diuitijs, autoritate, potentia, ho-
noribus præſtare reliquis hominibus, at ingenio, moribus, prudentia nihil differre ab infima mul-
titudine. Quòd ſi Henricus pater odio Pontificis à Romana eccleſia deſciuerat, non eſſe in eodem
errore diutius inſiſtendũ, quoniam cum peccatum Henrici fuiſſet grauiſsimum, qui autor tantæ
improbitatis ſuis extitit, certè multò grauius futurum erat filij, ſi conſceleratorum hominum per-
Hæſeos deteſtatio. — ſuaſionibus ab recta religione, & à vera fide Chriſti, incontaminataque ſe abduci pateretur. Inde
populorum catholicorum odia futura in ipſum regem ante oculos proponit, & pericula eius capi
ti imminentia, & diuinam vltionem, quæ & ipſi, ſi in ea hæreſi perſeueraret, & eius impuris mini
ſtris tantæ impietatis, niſi citò ab ea impietate deſiſteret, immineret. Rex attentiſsimè ſororis verba,
at non ſine lacrymis tamen, ingentiq; trepidatione audiuit. ſibi perobſcurum eſſe reſpondit, quid
ageret in tanta rerũ magnitudine. futurũ eſſe vt magis opportunè illis conſuleret. at nunc ita opor-
Mariæ monitus de religione. — tere parere gubernatoribus. his dictis lacrymabũda mulier à lacrymabundo puero diſcedit. guberna
tores cũ puerũ ita meſtũ & propè afflictũ cõſpexiſsẽt, rati, id qđ erat, nõ paſsi ſunt amplius vt Maria
cũ puero rege loqueretur. Ceterũ Henricus Gallorum rex captata opportunitate Britãnorum in-
ter ſe diſsidentium de religione, cum poſt victoriam de Scotenſibus relatam omnis uis belli eſſet in
imagines, & res ſacras, ac prouentus conuerſa à Britãnis, iam copias miſerat ad obſidendum Ceſo-
niacum nauale, quare cũ in caſtra veniſſet, diſtans adhuc à Cæſoniaco nauali quindecim millia paſ-
ſuum omnes copias cenſuit, atque poſtridie Sipierus cum ſua turma equitum, cui coniuncta erat
omnis aulica nobilitas, proficiſcitur ad recognoſcendam hoſtium munitionem. Ille relicta à tergo
quadam turricula munitioni propinqua, in qua neminem ineſſe putabat, leuium tormentorum
globis petitus conuerſis copijs eò tormenta attrahi iubet. milites turris cuſtodes viſis tormentis cõ
tinuò ſe dedunt. commiſſo leui prælio ad munitionem pugnatur acriter. Galli vi tormentorũ deni
que coguntur recedere: accedunt Boloniam. egreſsi equites decertant. Galli in caſtra reuerſi diligẽ-
ter naturam munitionis Regi patefaciunt, qui decernit primum ad munitionem Monlambertũ ca
ſtrametari, quæ caſtra cum tam propinqua haberet per biduum nulla re memorabili edita mora-
tur. hinc apud Ambertolum oppidum litori vicinum cum paruo portu caſtra locat, vbi duas
Ambertolũ oppo. — munitiones Britanni erexerant, poſtquam alteram ſtruxerant circiter mille paſſus à Ceſoniaco na
uali diſtantem, in quam Galli tormenta erexerãt. munitionis præſidia cum paulo plures centum
peditib. ineſſent, poſt nonnullos globorũ ictus erant ꝑ deditionẽ ventura in poteſtatem Gallorũ,
ſed eam validiſsimo conatu Galli repente inuadentes capiunt. octoginta Britanni trucidati. reliqui
omnes capti & abducti. ex his cognitum eſt Ceſoniacum nauale à Britannorum rege nulla acce-
piſſe auxilia, quòd ingenti moleſtia in finibus Scotiæ afficeretur à Thermeanis copijs, vexareturq;
moleſtiſsimis intimis ſeditionibus ac bellis, quæ à ſuis ſubditis aduerſus miniſtros regios gereban-
tur. nam populi catholicam religionem cupientes reuocari in illud regnum, qui viuo Henrico ſua
deſideria metu ſuppliciorum occultauerant, cognitis ſtudijs miniſtrorum regiorumque guberna-

torum,

torum, atq; religionem in dies in peius ruere intuentes, cum ſemper nouæ hæreſes pullularent, quarum nulla tamen cauſa regi eſſet tribuenda, qui nihil adminiſtraret, rem armis vindicādam ſtatuunt. armati inſurgunt in miniſtros. poſtulant catholicos ritus reſtitui, & vſus ſacramentorū, quę penitus ſublata abolitaq; fuerant, atq; in eam patriam tanquam poſtliminio flagitant reuocari. erant hi populi ſumptis armis Regio nomine in aperto & ſub dio, conſtiterantque aduerſus copias miniſtrorum, inter quos dimicabatur aſſiduè leuibus certaminibus. At Philippo in Belgium profecto Cæſar procurat, vt ille à Belgarum principibus in Comitem acciperetur iuramento affirmantibus, quod à ſingulis vrbium principibus cum magna ſolennitate & pompa factum fuit: quē omnes ſe habituros legitimū principem hilari animo affirmarunt.

Philippus comes Belgij iuratus.

Galli munitionem Ambertoli p id tempus minorem crebris ictibus concuſſam poſtridie conatu maximo inuadētes vi capiunt. portu centum nauium capace potiuntur: in quo claſſis Gallica cōmodè eſſe poſſet ad obſidendā in Boloniam. infeſtabatur regio vniuerſa crebris incurſionibus, quæ Icium vſq; excurrebāt, quæ vrbs nō maiori ſpatio viginti milliaribus diſtat ab Icio. Galli his munitionibus expugnatis ad ſexaginta tormenta varij generis capiunt, & multum commeatum, & apparatus bellicos, vbi relictus eſt in pręſidijs Senopontius regulus cum duobus millibus peditum, quinquaginta cataphractis equitibus, & centum galeatis leuioris armaturæ. in tertia munitione, quæ per deditionem venit in poteſtatem Regis, iuſsi ſunt eſſe in præſidijs quingenti pedites, & equites leuiores quinquaginta. Tum rex ad expugnandum Monlambertum & Ordam oppida munitiſsima Ceſoniaco nauali finitima ſe cōtulit. ibi poſitis caſtris, præſidia, quæ tantum exercitum circa ſe vndique intuentur, præſente rege præcipuè, metu ac trepidatione replentur, cū maximè tumultus in Britannia ſuccreſcerent in dies, & iam catholici magnam impreſſionem in hoſtem feciſſent, decernunt itaque munitionem, & tormenta, & cætera grauia, atq; conuectioni difficilia relinquere, & fuga ſe ſeruare.

Monlambertum & orda opp.

effuſis in aquam foſſarum omnibus cadis tormentarij pulueris ac reliquo apparatu, qui fieri poſſet inutilis, ne poſſet in poteſtatem hoſtium venire, egreſſi per obſcuram noctem miro ſilentio clam ſeſe incolumes Ceſoniacum nauale recipiunt. Henricus relictis ibi præſidijs tredecim vexillorum Germanorum, & quorundam leuiorum equitum, Gallicam claſſem, quam ſatis ingentem comparauerat, accit in portum. reliqua erat turris Ordæ expugnanda, ſed rex ne tempus inutiliter in paruis negotijs abſumeretur, copiæq; tardarentur in ea expugnatione, iubet fauces portus Saxorum & nauium demerſarum mole claudi, efficique inutilem hoſtibus, ſi ſtationem ibi habere conarentur. Ceſoniacū nauale cingitur obſidione. atque Rex iuuenis Odoardus ęrario per furta ſuorum exhauſto, in quo maximum ſubſidium eſt rebus bellicis, deniq; poſt multas contentiones & ſumptus, cum tantæ bellorū moli non poſſet reſiſtere, pacem cū Gallo facit. pacis conditiones hę fuerunt, vt Odoardus Boloniā Gallo reſtitueret, & Gallus Odoardo 400000. nummū diſſolueret pro bellicis ſumptibus, atque is primogenitā Henrici duceret vxorem, vbi ad aptam legitimamque ætatē matrimonij vterque acceſsiſſet. in quod tempus dilatæ ſunt nuptiæ. fuit ſanè illa pax vtilis vtriſque, atque Odoardo quidem, quia ęrarium Britanniæ maximè erat exhauſtum, quod per quinquennium ita repletū iri videbatur, vt, ſi matrimonium non ſuccederet, tamen Gallicæ vires non eſſent magnopere formidandæ. Henrico verò, quòd præter eius vrbis commoditatem, videbatur Cæſarem hoſtem aliquo terrore afficere, atq; res Scotiæ reducere ad priſtinam tranquillitatē, & felicitatem. atqui mortuo Iacobo poſtremo Scotiæ rege, relictaq; filia parua ex vxore ſorore Ghiſij, cum per leges eius Regni Regina mater non poſſet legitimè res publicas cum libera poteſtate adminiſtrare, niſi cum filia ad ętatem legitimam duodecim annorum perueniſſet, iubent enim leges à magis coniuncto, magiſq; propinquo Regi è ſanguine regias res interim adminiſtrari, donec pupillus ad maturam ętatem legitimamq; peruenerit, quoniam puella vix ſextum annum attigerat, periculoſumq; fore videbatur per bellum aduerſus Britannos ne quod inſidiarum genus puellæ Reginæ ſubtexeretur à gubernatore Scotiæ, Henricus, vt tanto periculo maturè prudenterq; occurreret, iubet gubernatoris filium ad ſe acciri, & eſſe inter aulicos, quem tamen honorifice tractat. cum verò tres illi proceres Britanniæ gubernatores, qui catholicæ pietati repugnabant, propè repentino interitu deceſſiſſent, viſa eſt catholica religio quaſi poſtliminio in patriam breui reditura, quod Galli regis Soceri opera nonnihil eſſet adiutura. iſtud cū Pontifex ſperaret, omni genere officij atq; induſtriæ vtitur Gallo ad eam prouinciam ſuſcipiendam per literas adhortando. nec ita multo poſt, quia puella eſſet vxor deſignata filij primogeniti Henrici regis Gallorum, illa claſſe vehitur in Galliam, nequid impedimenti naſceretur, dum illa abeſſet.

Regina Scotiæ vectu in Galliam.

Philippus, vbi ciuitates omnes iurauiſſent ſe illum vnicum principem habituras, rogatur à Mauritio vt pro libertate Philippi Lantgrauii intercederet, quia miſerabilis iam eſſet tanti principis tam diuturnæ captiuitatis fortuna: qui ſatis ingentes pœnas dediſſe videri poterat ſuorum errorum. Neque verò Turcarum, Solimaniq; imperium rurſus erat quietum, quem non ſolùm externæ curæ, ſed etiam intimæ ſollicitudines vexabant. Nam Baiazettus eius primogenitus ęgre ferēs, quod Solimanus in liberos alterius mulieris videretur propenſior, quos etiā ad ſucceſsionem Imperij Muſtaphæ hortatu videbatur prælaturus, odio patris ad Tamnaſum Perſarum regem confugit, cuius copiis adiutus paternos fines hoſtiliter inuaſerat. pecora abegerat, homines trucidarat. villas ac vrbes cōcremerat. regionē per multa millia paſsuum deuaſtarat, omniaq; obuia ferro & igni demolitus fuerat. Solimanus, vt ſunt ingētia & propè inextincta odia, maximeq; atrocia inter coniunctiſsimos, tantas filii iniurias ægerrimè tulit, quare ſuperiorem expeditionem aduerſus Tamnaſum ſuſceperat. vbi verò domum rediiſſet, non ſolum calamitoſam, ſed etiam turpem ſuperiorem cladem ratus, conatur auro & largitionibus filiū de medio tollere, quem ferro & virtute non potuiſſet vel maximis copiis comparatis. nihil eſt enim tam ſan

ctum

Pax Solimani cũ perſa, per mortem Baiazetti.

ctum tamq; munitum, quod non expugnari, nulla tam firma amicitia apud barbaros præſertim, quæ non violari auro poſsit. Solimanus igitur pluribus magnificentiſsimiſque muneribus ad Perſarum regem miſsis non ſolùm pacem & amicitiam aſſequitur in certum tempus, ſed etiã obtinet vt Baiazetus filius de medio clam tolleretur. Pontifex poſt mortem Petri Aloyſij Octauiũ Parmæ Placentiæq; Ducem ſuum nepotem apud ſe retinebat Romæ, ad quem iure hæreditario, tanquam primogenitum pertinebat principatus earum ciuitatum. Octauius tametſi erat magno & intrepido animo, cupiebatq; eò proficiſci, tamen Pontifex, vt qui rem altius pro ſenili prudentia perpenderet, ne adoleſcens per inſidias ab hoſtibus paternis trucidaretur, illud fieri nullo pacto patiebatur. verebatur præterea Pontifex ne Cęſar occupata Placentia Parmam etiam illi extorquere conaretur curaretq; Octauium interficiẽdum, in quam ſuſpicionem nonnullis ſignis adductus fuerat per clãdeſtinas delationes. vt verò vrbs illa tutò cuſtodiri poſſet, mittit Camillum Vrſinum virũ inſignis autoritatis, prudentiæ, peritiæ rei militaris, qui cum firmiſsimis præſidijs eam diligẽtiſsimè cuſtodiret: quæ tanto ſtudio, tamq; diligentibus vigilijs, tanta diſciplina militari ſeruabatur, vt Pontifex minime de illa eſſet ſollicitus. ſed enim Pontifex veritus irritatam eſſe in ſe diuinam indignationẽ, quando neq; biennium quidem filius potuiſſet imperio illarum duarum vrbium incolumis perfrui, ſicuti ſibi prædictũ fuerat in ſacris comitijs, vbi propoſita fuit ſententia de illis vrbibus ab apoſtolica ſede alienandis, procurat vt Octauius illam ſucceſsionem refutet ac renuat, priſtinumque principatum Camerini reſumat, quem Pontificio ęrario dederat, vbi illarum vrbium iura ſunt conceſſa. ſed iuuenis cupidiſsimus principatus earundem vrbium per Cardinalem fratrem ſollicitabat auum ad illas obtinendas. Senex prudentiſsimus, qui caſus pro euentis ſecum in animo excogitabat, non facile ad illud conſilium capiendum adduci poterat. Octauius diſcruciari. vbiq; queri. ſe infelicem & miſellum appellare. cæteros homines vocare feliciſsimos, cũ ipſe nihil poſsideret. neque haberet Camerinenſem, neq; Caſtrenſem principatum, quorum alterum ærario Pontificio, alterum Horatio fratri, Pontificis hortatu conceſſerat. ita ſunt ardentia ad omnem animi motũ adoleſcentum deſideria, tantaq; cæteris præſtandi cupiditas. Octauius omnes purpuratos ſacratos antiſtites rogare, quos ſciret Farneſio nomini eſſe amicos. ſuppliciter petere vt intercederẽt apud Põtificem. ſed cum negotium differretur, moræ impatiens, Pontificiumq; conſilium vt ſubfrigidum ac timidum negligens, præter ipſius Pontificis voluntatem citatis equis Parmam conuolat. frater purpuratus antiſtes, vbi viſus eſset Octauius eſſe Parmæ propinquus, ſubputatis horis itineris, ne ira Pontificis in ſe etiam tanquam conſcium & conſultorem excandeſceret, ſi rem diutius occultaſſet, nuntiat Pontifici Octauium moræ impatientem citatis equis Parmam conuolaſſe. Pontifex cum præter periculum, quod imminere videbatur, contemptus etiam aui accederet, & aui Pontificis, facinus illud ęgerrime tulit, magnaq; indignatione ſuccenſus eſt. at Camillus Vrſinus vir ſingulari prudentia, vt cui optimè cognita forent Pontificia conſilia, ne præſens iuuenis tranquillum rerum præſentium ſtatum turbaret, & quaſi excitaret dormientes hoſtes finitimos, quia ſua ſponte iuuenis, nullo Pontificis iuſſu, aduentaſſet, illum non admittit intra vrbem: quare compellitur ad proximos fines recedere ſingulari odio, & ira, & indignatione inflammatus. Vrſini factum Pontifici nuntiatum mirificè laudatur, vt prudentiæ plenum, ad quem etiam Pontifex ſua manu literas exarauit, in quibus ſummis laudibus illud extollebat. dedit præterea literas ad Octauium iræ & indignationis plenas, quibus vbi elatioribus verbis eſſet reſponſum, vir in extrema ſenectute imbecillus, quippe qui tunc ſecundum annum poſt octageſimum ageret, in grauem morbum incidit propter iram turbulentiſſimam & potentiſſimam omnium animorum affectuum, maximeq; ſenibus periculoſam. neque prius illum febris aut indignatio, quàm vita ipſa reliquit, cum aſſiduè illud haberet in ore; peccatum meum contra me eſt ſemper. atqui eius ęgritudo non in maius ſpatium triduo protrahitur, quo breui tempore procurauit vt patrum cõſenſu Parmæ poſſeſſio Octauio nepoti concederetur. tres nouos epiſcopos creat. portorium farinæ Romanis ſuſtulit, atq; ad quartum idus Nouembris naturæ conceſſit. eximium eius prudentiſſimi, & optimi principis deſiderium ciues omnes Romani & lamentationibus & lacrymis ſignificarunt, cum pater communis vniuerſæ Italiæ, at non ſolius Romæ, mortuus eſſe videretur, quamuis tributis & vectigalibus magis omnibus ſuperioribus Pontificibus Romam Pontificiumque principatum grauauerat. Nã profectò viſus eſt omnibus vir iuſtus & benignus & prudentiſsimus, qui bella à ſuis finibus longe repulerit. Iuſtitiæ munia legitimè exerceri curauit, quare nihil eſt ad ſalutem ciuitatum ſalubrius, aut magis efficax ad conciliandam populorum beneuolentiam. nam profectò neq; è nepotibus quidem quiſquam auſus eſt quid vel reprehenſibile, vel parum honeſtum committere, nedum è miniſtris. Pontifex regnauit annos quindecim, & nonnullos menſes, vir & priuatim & publice per vniuerſam vitam virorum bonorum, & literatorum in primis, atq; doctorum hominum amãtiſsimus. fuit interregnum ad ſextum vſque idus Februarij anni ſequẽtis, qui fuit quinquageſimus ſupra mille & quingentos propter diſſenſiones patrum in creando nouo Pontifice. Quæ comitia dum pro trahuntur in Italia, Ceſoniacum nauale per pacem inter Britannum & Gallum reges compoſitam, numeratamque pecuniam contentam in conditionibus pacis, vt maior neceſsitudo & amicitiæ vinculum intercederet, Gallus Britannici, Britannus Gallici ordinis fit Eques. Budigalenſis ſenatus in Gallia priori autoritati reſtituitur. Cæſar ad componendas diſcordias quæ religionis cauſa denuo fuerant excitatæ Auguſtana comitia indicit, quare relicto Philippo Lantgrauio Mechliniæ, quod eſt munitiſsimum oppidum Ambiuaritarum, ipſe cum Philippo filio ad ea comitia accedit. creatur denique ſacratorum patrum ſuffragijs Ioannes Maria Montius Pontifex, vir bonus & munificus ac liberalis, quæ ſola propè regia eſt virtus, atque vocatur Iulius Tertius.

Ira ſenibus exitialis.

Pauli tertij Pont. mors.

Burdigalenſi ſenatui reſtituta autoritas.

Ioan. Maria Mõtius Põt. Iulius Tertius creatus.

Tertius. hic initio ſui principatus Octauium Farneſium Parmæ Placentiæq; ducem confirmauit, ſcripſitq; ad Camillum Vrſinum vt Parmam Octauio aſſignaret; ſic enim conuenerat. nam cum Farneſius Pontifex tandiu regnaſſet, multos ſibi proceres beneficijs obſtrinxerat, multosq; cardinales cooptauerat in collegium ſacrorum patrum; quare Farneſiorum vota non pauca ſuffragia ſequebantur. alijs principibus factionum promiſſa ſunt auri pondera pro numero ſuffragiorum, at Farneſijs Parmæ Placentiæq; confirmationem per negotiatores Montij clā, quaſi illo neſcio, ſi Mōtius Pontifex crearetur. Pro tantæ quaſi liberalitatis & humanitatis, ſic enim didita eſt fama, magnitudine gratias acturus nouo Pontifici Octauius ad eius pedes ſupplex procubuit: cui etiam ad maiorem munificentiam, addita ſunt duo nummum millia in ſingulos menſes ad Parmę defenſionem: quia dicebatur Ferrandns eſſe Placentiæ cum Italis Hiſpaniſq; copijs, ſummaq; diligentia, vbi res poſtulabat, arcem inſtaurare ac munire. Romam, quòd magnum erat Iubileum, quod vigeſimo quinto quoq; anno celebratur; magnus fit populorum ex vniuerſis Chriſtianis nationibus, & ex Italia pręcipue concurſus; quare non ſolùm ob anni penuriam, qui inſigniter propter inuſitatam cęli ſiccitatem fuerat ſterilis, ſed etiam propter infinitam propè confluentium vndiq; multitudinem populorū, fame miſerabiliter laboratur. per quod ferè tempus mortuus eſt Barbaruſſa claſſis Ottomanicæ præfectus, cuius virtus non ſemel in rebus naualibus enituit. poſt eius obitum delatū eſt ſummū imperiū claſſis Turcicæ Draguto nobili archipirate, & nulla virtute Barbaruſſa inferiori, quippe qui lōgo ſpatio cæteros oēs Turcas proceres ſuæ ætatis viſus eſt peritia rerū maritimarū, & diligētia, & cōſilio, & animi magnificētia ac liberalitate antecellere. Quod ſi tāti ingenij ſplēdorē inhumana vel potius ferina crudelitas nō cōtaminaſſet, ſuę tēpeſtatis nemini ſecūdus dux atq; imperator claſſicus iure haberi poterat. hic plurimū exiſtimatione poterat apud Arabes & nationes Lepti Adrumetoq; finitimas, cū ꝑ liberalitatē quādā eximiā ſibi cōparata, tū per autoritatē, quā Solimanus illi cōceſſerat cū ſuā claſſē illi credidiſſet. per huiuſmodi facultates vrbē celebrē & munitā Aphrodiſiū occupauerat, ſitā in ꝓminēte maris dorſo, ꝙ in mare mediterraneū è regione Cyrni ferè Sardiniæq; protēditur: opulētā ſanè & potētē propter frequētiā Hebręorū tūc ex Hiſpania Luſitaniaq; eiectorū, qui illuc tāquā ad aſylū, & cōem ſedē cōfugiebāt. illā vrbē cū certū feciſſet ſibi hoſpitiū, firmiſſimiſq; Turcarū & Maurorū pſidijs muniſſet, omnia maria finitima rapinis, & incurſionibus, & direptionibus infeſtabat. & qm̄ nō nauigātibus ſolū Aphrodiſii receptaculū minari videbatur ingētia pericula, ſed etiā Siciliē trāquillitati, finitimarūq; inſularū omniū, vt latrociniorū ampliſſima officina, Ceſar ad Siculorū preces eā vrbē expugnādā curat, cui expeditioni pficit cū ſūmo imperio Io. Veggiū Siciliē ꝓregē. mittit etiā Auriā cū claſſe roſtratarū triremiū, ac multis actuarijs nauib⁹, q Italos Hiſpanosq; pedites coueheret. his accedit Garzia Toletanus Petri ꝓregis Neapolitani filius cū triremibus eius regni: atq; hęc omnis claſſis cū duabus triremibus religionis Melitēſis Caneſtrio oppidulo ſe oſtētat, ꝙ eſt in mari ꝑ quoddā ſpatiū diſtās ab vrbe Aphrodiſio. Dragut⁹ ſtatuerat oppidū illud defendi oportere, ſed cū pſidia aſſiduis hoſtiū conatibus nō poſſēt reſiſtere, vincūtur ac trucidātur. itur deinde ad expugnationē Aphrodiſij, ꝙ cōtinuo terra mariq; obſidione cingitur, cū Cæſarianę copię nemine ꝓrſus reſiſtēte deſcēſionē feciſſēt è nauibus. Ibi cū nō adeſſet Dragut⁹, q ad colligēda magna Arabū ſubſidia cōtēdiſſet, primū fuit Cæſarianorū ſtudiū, caſtra foſſis & aggeribus cingere ad impetus hoſtiū ꝓpulſādos, ſi qui fieret; & tormenta corbibus terra opletis ꝓrecta in partes debiliores vrbis dirigere, quæq; cōmodius viſæ ſint concuti poſſe prius exploratū miſſis. Aphrodiſiū igitur incredibili impetu ac ſtrepitu terra mariq; quatitur, atq; magnū ſpatiū murorū in foſſas prolabitur. vbi ruinæ męniorū viſæ ſunt ſatis facilē aditū inuaſuris eſſe daturę, cognitū eſt per trāsfugā ſatis ꝓfundā foſſā apud ipſa męnia interius à frōte ab vrbanis pſidijs fuiſſe ductā, cuius in ima parte tabulata cū eminētibus acutiſſimis clauis terræ fuerāt affixa, quibus inuadētes vrbē delapſi trāsfigerētur. deinde quòd à dextro ſiniſtroq; latere deiectorū murorū tormenta occultè fuerāt erecta, quæ vniuerſā illā partē diuerberarēt. his auditis viſum eſt eo die vrbē non eſſe inuadēdā, ne tot ſtrenui viri in ea foſſa miſerabiliter trucidarētur, quot per ſuā virtutē apparebant perituri, captūq; eſt cōſiliū per ampliores ruinas murorū negotiū facilius & minus periculoſū efficere. primū in duas turres erecta ſunt tormenta, quæ ſtabant è regione verberationis, in quibus vrbani magnā ſpē ſuæ defenſionis collocauerāt. addita ſunt quatuor muralia tormēta duodecim, quibus vrbs antea cōcutiebatur, quibus turres quati incipiūt. Dū ita Aphrodiſiū terra mariq; oppugnatur, Dragutus cū ſuis copijs accedit propius, quo Cæſarianorū frequētibus, moleſtiſq; incurſionibus infeſtaret: qui cū turmis Arabū ad aggeres vſq; Cæſarianorū ſępius incurrebat. Sed tamē vi ſclopettariorū multis cadētibus procul ab aggeribus arcebatur. enimuero cū intra vrbē tātundē fieret reparationū ſūma celeritate ab vrbanis præſidijs per noctē, quātū diurna oppugnatione à Cæſarianis deuaſtabatur, cepit negotiū videri valde difficile. cōtrà verò Dragutus cū cenſeret ad illā victoriā opus eſſe maioribus viribus iubet Arabes in quodā colle caſtrametatos aggerē ducere ad ipſa caſtra munienda, ipſe interim ad colligenda noua auxilia proficiſcitur. ex altera parte prorex ad conuehendas nouas copias Italas nauigia expedita mittit, quæ iam collectæ fuerant, Ligurnumq; peruenerant. Quæ auxilia dum vtrinq; accientur in Mauritaniam hinc Numidarum, inde Italorū, Cæſar ipſe indicta comitia Auguſtana auſpicatur. Mauritius mittit eò legationes. oſtendit ſe non probaturū Tridentinū conciliū niſi theologi confeſſionis Auguſtanę liberā habeant poteſtatē definiendi, neque Pontifex locum præſidis obtineret in concilio. Sic res Germanica potius ad nouum bellum, quàm ad vllam ſpem quietis & concordiæ ſpectare videbatur. Protractum eſt bellum Numidicum in menſem vſque ſeptembrem multis comiſſis leuibus prelijs, muriſq; in tribus iam locis diſiectis: in ea parte nimirum, quæ mare proſpectat, cum propugnaculum fuiſſet erectū

Io. Maria Mōtius Pont. Iulius Tertius creatus.

Dragut⁹ Barbaruſſæ ſuffectus.

Aphrodiſiū Dragutus occupat.

Aphrodiſiū obſeſſum à Cęſarianis.

Mauritij legationes de concilio.

ſuper duabus coniunctis triremibus, magnæ factæ ſunt ruinę, magnaque verberatio, cum murus debilis fuiſſet inuentus. atqui cum nullum ſpatium, nullaque facultas data eſſet vrbanis præſidijs vt ſe interius munire poſſent nullo interiecto temporis interuallo poſt verberationem ab equitibus militiæ Melitenſis, & Italis, Hiſpaniſque copijs per eas ruinas inuaduntur. vrbs per ſummam virtutem inuadentium poſt atrox certamen capitur, non tamen ſine victorum aliqua iactura & clade. nā deſiderati ſunt equites Melitenſes decem & ſeptem præter alios milites Cæſarianos. è Turcis ceciderunt plures octingentis: reliqui capti ſunt, quorum omnis numerus omnium ætatum & conditionum accedebat ad decem millia hominum, qui omnes ferè ſunt in Siciliam & Neapolim traiecti. Chriſtiani captiui liberati ſunt complures. vrbs tota direpta eſt. Garziæ & Aſtoris Baleoni egre- Equitum Melitenſiū laus. gia opera præter alios inſignes duces in eius vrbis expugnatione enituit, & præcipuè equitum Melitenſium, qui ſemper in omnibus bellis fortitudine præſtare maximè viſi ſunt, vt qui certè niſi ſpectatæ virtutis & probitatis & nobilitatis homines ad eum dignitatis gradum non admittantur. poſtea inſtaurata, refectaque ſunt mœnia collapſa. portæ vbi debiles apparuerant munitæ. inuecti commeatus. impoſita Hiſpana præſidia. aptus tormentorum numerus relictus. reliquæ copię in Aphrodiſiū captū a Cæſarianis. Italiam reuectæ. Dragutus amiſſo Aphrodiſio cum ſex triremibus & quatuordecim biremibus ad inſulam Ægimum nauigat eas reliquias Turcarum ſecum auehens, quæ è tanta clade Aphrodiſienſi euaſerant. deinde Solimanum facit per literas certiorem de ijs omnibus quę contigerant. Solimanus literas dedit indignationis plenas ad Ferdinandum Romanorum regem. queritur Cæſarem violaſſe ius gentium & inducias in Pannonia factas, in quibus Carolus Hiſpaniarum rex comprehendebatur. Scripſit etiam literas ad ipſum Cæſarem, quibus eum hortabatur vt Aphrodiſium vrbem ſuo ſeruo Draguto extortam reſtitueret: quod niſi fieret, minabatur ſe illam iniuriam armis vindicaturum, quam ſibi ipſi contra leges pacis & amicitiæ factam eſſe iudicaret. Reſponſum eſt ab vtriſque Dragutum minime eſſe ſubditum ſuum, cum ipſe Solimanus nullum haberet imperium in Mauritania. licere id per conditiones pacis atque induciarum nec vetitum eſſe piratas & latrones & maleficos homines deturbare, paraticaſque inſidias vndique conuellere. illo reſponſo non mediocriter indignatus Solimanus, vt erat ad iram facilis, decernit eas iniurias armis vlciſci. Amida interea rex nouus Tunetanus, qui expulſo patre per perfidiam regnum paternum occupauerat, vexabatur perpetuis incurſionibus Aloyſij Pereſij ducis Cæſariani, qui erat in præſidijs Guletæ: atq; vel ipſum regem ſæpius inuadens, magno terrore affecerat. eò conſilij denique peruentum eſt vt his Tuneti regio tributaria facta Cæſaris. conditionibus pax in ſex annos fieret, vt rex Tunetanus duodecim millia nummum tributi nomine Cæſari diſſolueret. vt quindecim præſtantes equos adducēdos ad Cæſarem curaret quotannis. vt decem & octo falcones. vt ordinaria ſtipendia numeraret in præſidia Guletæ. vt omnes captiuos chriſtianos liberos dimitteret. vt neque hoſpitium, neque ligna, neque vlla ſubſidia Cæſaris hoſtibus, aut piratis & latronibus ſuppeditaret. Philippus Lantgrauius interea captiuitatis pertęſus accitis clam Teuceris è Cattorum regione ſeſe accingebat ad fugam, cum equi iam parati eſſent in itinere. Sed res præfecto Hiſpanorum in ipſo articulo temporis ac fugę patefacta, cauſa fuit vt alij capite plecterentur deprehenſi, ipſe Lantgrauius arctiore cuſtodia ſeruaretur. In Auguſtanis autem comitijs actum eſt à Cæſare cum Ferdinando fratre imperatore deſignato, vt ſunt reges Romanorum, de Philippo principe Hiſpaniarum in ſucceſſionem Imperij admittendo, ſed cum Ferdinandus aduerſus ſuorum filiorum dignitatem, neque è comitiorum conſenſu illud fieri poſſe iure intelligeret, minime aſſenſit. Initio anni ſequentis, qui fuit quinquageſimus primus poſt mille &

1551 quingentos à natiuitate Chriſti noſtri redemptoris, Octauius Farneſius quòd Parmæ cum magna ſuſpicione morabatur, verebaturq; Cæſarianorum Placentiæ morantium inſidias, quamuis vigilantiſſimos duces, & fideliſſimos haberet, ipſeque diligentiſſimo ſtudio omnia aucupabatur, tamen cenſuit ſibi opus eſſe maioribus copijs, quas ſuis ſumptibus cum alere non poſſet, ad pontificia auxilia ſe transfert: quia pōtifex iure defenſurus videretur iura pontificia in eum principatum, & principatum ipſum liberaliter à ſe conceſſum. rogat igitur Pontificem vt vrbem illam, quam ipſe liberam conceſſiſſet, neceſſariis auxiliis ſuſtentaret, quòd ea amiſſa & iura pōtificia periret, & quod pluris faciendum eſt, pontificia dignitas parui fieri quodam modo videretur. Pontifex quoniam rei pecuniariæ inopia laboraret propter magnitudinem ſumptuū, immenſamq; liberalitatem & munificentiam, qua vſus erat initio ſui imperij reſpondet ſe non poſſe maiora auxilia ſuppeditare. cū idē per domeſticos pontificis miniſtros paucos poſt dies tentaſset, idemq; reſponſum fuiſset redditum, rogant miniſtri pontificii ſaltem pateretur Octauium ad vitę ſuæ principatuſque defenſio- Initia belli Parmenſis. nem, ad alicuius potentis principis tutelam confugere. his reſponſum eſt, faceret quod iuberet. illo reſponſo accepto Octauius conſulente etiam fratre purpurato antiſtite literas dedit & mandata ad Horatium fratrem, qui gratia plurimum poterat in Gallia apud Henricum regē, quippe qui etiam ducturus eſset in matrimonium filiam ſpuriam eius regis, quibus continebatur optare Octauium aliquibus honorificis conditionibus Gallo regi militare. Sic deniq; actum ſtabilitumq; eſt, vt rex ſtipendia & præſidia Parmæ ſuppeditaret, atq; Octauius regi militaret. Cæſar clam ſenſerat Octauii generi cōſilia per exploratores. monet pontificem vt animaduertat. futurum breui vt Octauius Parmam Gallorum arbitrio concederet. quod ſi fiat, nihil aliud eſse, quàm ingentium bellorum incendium in Italia excitari. quare vel ipſe tantis rebus ſapienter occurreret, vel ſibi mature permitteret ſuſcipere illud negotium impediendum. Pontifex aut re ipſa oblitus cōceſsę libertatis Octauio, aut quia nullo pacto putarat id ſe inconſulto factū iri, nō prius credidit, quā certus nūtius allatus eſt, ꝙ Octauius iā ingētes Gallorū copias intra mœnia accepiſset. ille nūtius mirū ī modū pōtificis animū afflixit, neq; ſolū propter dāna, quæ videbātur inde euētura, verū etiā quia Cæſari per literas reſpō-

diſset

diſset nihil huiuſmodi eſse futurum, inſeratque illum eſse hilari quietoque animo. verebatur enim pontifex ne ipſe appareret clam adiuuiſse illud conſilium, atque ita per ambages Cæſarem deluſiſse, cuius arma timebat in ſe motum iri, cum eſset vir tardo ingenio, & natura timidus. idcirco poſt diplomata ad Henricum regem & Octauium miſsa, quòd alter ſe inconſulto admiſiſset præſidia, alter tutelam illam ſuſcepiſset aduerſus pontificiam dignitatem, mittit legationem ad Cæſarem in Germaniam, quæ Cæſarem certiorem faceret, edoceretque facinus illud inconſulto pontifice fuiſſe tranſactum. vt autem appareret, quantopere illud grauiter feret, poſtulat auxilia ad Octauium & Gallos ex vrbe Parma eijciendos. Id tanta verborum efficacia, tantaq; vi orationis fit à Dandino, vt accedentibus literis pontificiis facile perſuaſum ſit Cæſari incuria at non malitia pontificis illud accidiſſe. Cæſar idcirco accepta excuſatione, omniq; maleuolentia & odio in pontificem obliterato, cum ob deſiderium ſuſcipiendi negotii, tum ob indignationem propter factum Octauij, hortatur pontificem ad tantarum iniuriarum iuſtiſſimam vltionem. Pollicetur liberaliſſimè ad illud negotium non ſolùm Inſubriæ, principatusq; Mediolanenſis copias, ſed etiam vltro offert ducenta nummum milliam mutuo ſe daturum, quo res ſummis viribus, at non ſubfrigidè agere-tur. erat enim maximè ſollicitus Cęſar ne Galli fundamenta ſui imperij in Italia per eius vrbis opportunitatem iacerent: quippe quæ & ipſa & Iulia Taurica plurimum infeſtare poſſet Placentiam, & vniuerſam Inſubriam. his accedebat quod ſæpius Cæſar eſſet expertus non ita facile eſſe vrbes capere, quæ armis Gallicis defenderentur. Neque illud ſanè videtur ſilentio inuoluendum quod, accidit in Polonia per hoc fere tempus, quod fuit initium acerrimi odij inter Moſchos & Polonos, & ſemen eorum bellorum, quæ poſtea narrabuntur. nam cum Sigiſmundus Poloniæ Rex Barbaram mulierem Tranſyluanam, qua multos annos amica vſus fuerat contra omnium Polonorum voluntatem vxorem duxiſſet, procuraſſetq; coronari vt reginam, affuit & Moſchi orator cum mille & quingentis equitibus, qui cum literas regis diſceſſurus eſſet capturus noluit accipere, quod diceret ad ſuum principem non ſpectare, cum Magnus Dux tantum Moſchorum appellaretur, peteretque vt ſcriberetur Imperator Moſchorum, eius arrogantiā denique cum rex ferre non poſſet iuſſit ſub pęna capitis, vt intra triduum excederet è regno. Pontifex interea tribunos militum inſtruxerat ad Parmam obſidendam, & Ferrandus Gonzaga copias conſcribit ad ferenda auxilia, ſolumq; regis reſponſum expectabatur, à quo petitum fuerat, vt ab ea defenſione deſiſteret, atque poſcebatur ab Octauio vt Gallica præſidia eijceret. Henricus reſponſum humanitatis plenum dedit, ſe putaſſe illam defenſionem in beneficium pontificis redundaturam, quia ſi vrbs illa fuiſſet occupata, videbantur vno tempore & pontificis & Octauij iura perire. Se nihil contraxiſſe cum Octauio, vt illam vrbem caperet, ſed tantùm promiſiſſe pro mercede, cum Octauius cū poteſtate Proregia dux ſummus in Italia illi militaret, vel menſtruos ſumptus in ſtipendia, vel pecuniam, vel milites ſcilicet regijs ſumptibus conductos. cum vero Octauius milites maluiſſet, illis conceſſis ad defenſionem, ſe potius laude apud ipſum Pontificem, quam vlla reprehenſione dignum exiſtimare; cum præſertim ſignificatum fuiſset ab Octauio illud non inconſulto pontifice fuiſse factum, qui conceſſerat cuiuſuis mereri ſtipendia. Octauius reſpondet ſe curaſse illam vrbem ab inſidijs Cæſarianorum tueri, id minime moleſtum debere videri ipſi pontifici, quo etiam non incōſulto iſtud feciſset, cum ſuis miniſtris reſpondiſset pontifex vt cui vellet principi militaret, ac ſuis rebus quoquo modo poſset, cōſuleret. licere enim cuique militi ſi ſui principis ſtipendia non mereatur, aliena mereri, cum præſertim princeps ipſe conceſſerit. his reſponſis cum addita eſsent à legationibus verba efficaciæ plena, pontifex animo fit dubio diutius quid ſibi eſset agendū. denique reſpondet ſe nihil permiſiſse. atq; cum pollicitus eſset iam Cæſari rem ad bellum ſpectare, veritus eſt ſi ab eo nunc deſiſteret, cum nihil impetraſset, ne videretur prorſus fuiſse particeps conſilij. & quoniam Aſcanium Cornienſem Pontifex miſerat in Galliam ſuum nepotem, iubet Octauium ex itinere conuenire, monereq; vt impendentis belli moleſtias, vltro deuitaret, quod ſibi neceſsario erat ſuſcipiendum. iubet hortari, vt vrbem eccleſiæ reſtituat, Camerinenſemq; principatum ſecuriorem & ſiue controuerſia illi pręponat. ſupplementum reddituum adpromittit quindecim milliū nummū annuos peruētus. Sic enim factum iri dicebat vt regi fieret ſatis, & Cæſari omnis occaſio adimeretur belli in Italia excitandi. Octauius reſpondet iſtud fieri ſine regia autoritate non poſſe, cum tamen Aſcanius ſæpius obijceret probaturum eſſe regē in eo negotio, quidquid Octauius ipſe probaſſet. neq; prius paſſus eſt pontifex agrum Parmenſem hoſtiliter inuadi quàm regis & Octauij reſponſum intelligeretur. iubet tamen interim colligi ſex millia peditum, qui ſparſim Bononiam accedant, vbi copiæ colligebantur. vbi Aſcanius cū literis regijs & ſpe pacis, ſicuti apparebat ex Henrici reſponſo, rediſſet è Gallia ad Octauiū, cognouit omnino ex eius ſermone Octauiū nolle vrbē præclarā nobilē, opulētā deſerere. eſt.n. Parma vrbs nobilis Italię in loco amęniſſimo ſita, in ripa Palmulę fluminis, qui eā per mediū trāſiens alluit: cū præſertim oborta eſſet ſpes Placētiæ etiam per regia auxilia recuperādæ, quæ & ipſa eſt vrbs clariſſima in Aemylia regione Italiæ circiter mille paſſus diſtās à Pado flumine, & circiter tria milliaria à fluuio Trebia, qui ex Apennino mōte ortus in Padū influit, cuius vrbis ager fertiliſſimus eſt propter copiā placidarū aquarū, cū multos habeat fontes, & placidos fluuios, & riuulos paſcuorū irrigationibus maximè accōmodatos, ſemperq; propè virētia viridaria, & multas ferri fodinas. rex itē quamuis humanitate verborū vteretur, re ipſa cognitus eſt nolle ab illa defenſione deſiſtere, quæ tā præclara, tāq; optabilis opportunitas videretur oblata Cæſaris per id bellū in Italia vexādi. rex itaq; opportunitatē turbandæ Camerinenſis cōpoſitionis, quā fieri verebatur, arripuit, quia Ioānes Baptiſta Mōtius pōtificis nepos ſummus dux eius expeditionis cū Alexādro Vitellio Bononia Parmā verſus caſtra mouerat, quāuis nōdū attigiſſet agrū Parmēſem. Cępit.n. palàm Henri-

Initium Moſchouitę odij in Poloniæ regem.

Parmæ deſcriptio & Placentiæ.

cus; vt qui vel leuiſſimas quaſque cauſas controuerſiarum aucupantur, conqueri dum agitur de pace bellum iam à Pontificijs eſſe inceptum. ſibi per lenitatem verborum clam ſtrui inſidias. nullum expectatum eſſe finem negotij: atque ne repente inuaderetur, iubet Gallos equites Parmam ingredi ad defenſionem. Italorum peditum cohortes accit è Iulia Taurica, ita vt omnis ſpes pacis

Ferrādus Gōzaga dux ſūmus eccleſię.

de medio ſublata ſit, & ad arma denique ventum. Creatur, publiceque pronnntiatur dux ſummus Eccleſiæ Ferrandus Gonzaga, qui captis è præſidijs Hiſpanis Galliæ ſubalpinæ duobus millibus veteranorum peditum, quos per inducias ſuperuacaneos putabat, collectisque nonnullis Italis cohortibus, cum illo exercitu, quem breuitas temporis colligere per ſummam diligentiam paſſa eſt, agrum Parmenſem inuadit populabundus. primum occupat Briſellum oppidum, quod plurimi eſſe momenti cenſebat ad res bellicas. at Thermeus Regius dux vir ſummæ autoritatis, prudentiæ, peritiæ rei militaris, qui Parma egreſſus Iuliam Tauricam peruenerat, ſumma celeritate & ipſe ingentes copias conſcribit: quod vbi nuntiatum eſt Gonzagæ ſignificauit per literas Montio & Vitellio vt cum pontificijs copijs ad obſidendam Iuliam Tauricam properarent ad impedienda Thermei conſilia, quòd ipſe obſidendæ Parmæ negotium ſuſtineret. Quæ dum parantur ad futuri belli magnitudinem vtrinque in Italia, dux Lotharingiæ vidua in Auguſtanis comitijs in Germania procurat, cum nonnullis filijs vt res ſui principatus ſtabilirentur, quod negotium prius cum Cæſare & Ferdinando rege communicauerat. & quoniam per eadem comitia Philippus Hiſpaniarum princeps, Maria Regina, Eleonoraque Regina Galliæ conuenerant in vnum, multique alij principes magnæ autoritatis, ea res non parum animum Henrici perpungebat, quoniam ſuſpicabatur ſibi quid inſidiarum per clandeſtina colloquia parari. omnes enim motus irritatum animum exacerbant, veluti omnia obuia digitos laborantes reduuia attingunt & infeſtant. decernuntur multa ludicra interim ad animos principum oblectandos. neque vero in Italia tantum bellorum incendia paulatim conſurgebant, ſed etiam paulatim emergebant in finibus Belgarum & Sequanorum inter Cæſarem & Henricum, quamuis Parmenſe bellum ſine vlla offenſione induciarum fieri diceretur, cum neuter bellum gereret, aut alteri arma inferret hoſtiliter, ſed hic pontifici, ille Octauio Farneſio opem ferret. cum igitur paulatim regum ac populorum odia ad bellum ardere & in-

Initium belli inter reges

flammari inciperent, Maria regina inter Belgas nouos terra marique copiarum apparatus facit. mercatores Gallos capit. eos hoſtilem in modum tractat. rex illud aliquandiu æquo animo tulit, quod putaret mercatores aliquid commiſiſſe, quare legationem etiam mittit pro illorum libertate. Sed paulopoſt intercipiuntur omnes onerariæ naues Gallicæ cum ipſis mercibus. Capti ſunt, & nonnulli Galli, qui viſendi ſtudio, vt fit, Germania & Batauorum inſula peragrata iam domum redibant. atque hi conuecti ſunt vincti ſuper plaſtris ad morem maleficorum, impurorumque latronum, Bruxellaſque adducti. Henricus nondum matura odia in Cæſarem diſſimulans, vt illi omnem inimicitiæ ſuſpicionem adimeret, iubet munitionem Lincontis euerti, quoniam eius oppidi princeps Regnaccus multis detrimentis inde rem Cæſarianam afficeret. quem animum cum Henricus palam præ ſe feret, Galli proceres, qui erant apud regem, antiquas criminationes in memoriam reuocabant, ac palam proferebant. quòd Cæſar conatus eſſet nunc minis, nunc pollicitationibus Heluetiorum, Rhetorumque fęderationem à Gallis diſtrahere, quod per inſignem crudelitatem in eos Germanos, qui Gallica ſtipendia meruiſſent, conatus ſit Germanorum animos ab amicitia Gallorum deterrere. Cæſariani proceres contra etiam ipſi nitebantur Cæſaris animum varijs criminationibus in Gallos acuere. Quod Gallus Germanos principes in Cæſarem ſępius incitaſſet. quod rex apertè abrupiſſet inducias. quod per eam ſimulationem quod auxilia Farneſio ſuppeditaret, nonnulla oppida Cæſaris occupaſſet in Gallia ſubalpina. Galli audita ſuorum captiuitate in Belgis & ipſi Polino duce Belgica nauigia detinent in litore Celtarum ac Normaniæ. Sic paulatim horum principum animi nouis cauſis ſe quotidie addentibus ad bellum incitantur. atque Cæſar Mariliaccum oratorem regium ordinarium a ſe diſcedere iubet. minas etiam adiungit aduerſus regem, & bellicos apparatus facit ad Galliam inuadendam per agrum Veſſonum, qui populi ſunt apud Sequanam fluuium. Sed quoniam illud bellum tanquam ex aliqua eminente ſpecula multo ante proſpectum fuerat ab Henrico, oppida munitionesque eius regionis fuerunt præſidijs opportunis inſtructa, & Auguſtonometenſis dux ad fines recognoſcendos miſſus, qui armatos iam colonos regionis inuenit. erat per id tempus Leucorum gubernator dux Masfeltius, cum quo præfecti præſidiorum Danuillę & Eporſij vici, quem Iuoi uocant, collecto ingenti numero Menapiorum, & Sicambrorum ex hybernis curarunt vt ducem Auguſtonometenſem inuaderent. at vero tanta exorta eſt vis pluuiarum, vt illud conſilium vanū fuerit. Galli conduplicatis pręſidiis multa equitū vexilla, & octo cohortes veteranorum peditū colligūt. Quæ dum parantur in finibus Sequanorū, apud montē Cornettū fiunt obuij quadringenti Sequani equitibus reguli Sciatilionei, cōmiſſoq; leui prælio multi vtrinq; cadūt. at Sequani deniq; in eo prælio miſerabiliter profligantur, quod primū cōmiſſum eſt in ijs finibus. poſtea decertatum eſt frequenter alternis victorijs modo his, modo illis fortuna belli arridēte. nec multo interiecto tēpore Sequani cōplures ad leuia prēlia egreſſi aduerſus Gallicana præſidia ducē Gorgem ex inſidijs cum multis militibus trucidarunt. qua victoria elati auſi ſunt nemoris cuiuſdā ope protecti ſe Auguſtonometēſi opponere, qui eos erat inuaſurus cū ſuo equitatu. Illi cū anguſtiæ viarū & difficultas inutilē equitatū faceret, ſimulata fuga ſeſe in nemus recipiūt. effuſaq; in inuadētes glādiū ſclopettariorum procella equites & equos multos trāſfigūt. Poſtea Sequani mille equitibus & ſex millibus peditū in vnū cōtractis vlterius procedūt, ducē Sāctamādū copias regio nomine cōſcribentē, in finibus Lotharingiæ profligāt, oppidū Aſpramōtē finitimū obſidēt & deniq; capiūt. Rex ſuſpicatꝰ iſtud factū eſſe opera Ducis Lotharingiæ, cū p̄ſertim

poſt

poſt eius oppidi direptionem & incendium illi ſeſe intra ſuos fines recepiſſent, nihil tunc agēdum decernit, præſertim quia temporum pluuiarumq; moleſtia impediret nequid memorabile efficeretur, agebatur enim tunc quoque menſis Ianuarius, vniuerſam vltionem in opportunum tempus reſeruat. erat in caſtris in ea parte Belgarum, quam Vermanduos vocant Regio nomine vir inſignis auctoritatis, rerumq; bellicarum peritia & gloria preſtans Vandomius dux ad eas vrbes oppidaque tuenda miſſus cum octo millibus peditum & quadringētis cataphractis equitibus, qui incurſiones per agrum Belgium faciens iā iā apparebat Rigiacum occupaturus. Sed conſilium illud euanuit, quoniam res non ſucceſſit e ſententia.

Concilium Tridētū trāſfertur Bononia.

ea dum geruntur intra Belgicos fines, Pontifex poſtulante Cæſare ſynodum ſacratorum patrum indicit Tridentum ad euertendas hæreſes, quoniam apparebat Bononia non eſſe ciuitas omnibus libera, quò tranſlatum fuerat concilium, vti diximus, propter peſtilentiam. Sed hæretici neque Tridentum quidem conueniunt iam congregatis catholicis patribus. vbi epiſcopi Tridentum conueniſſent, Cæſar diem dici iubet principibus hæreticæ factionis, vt ad ſtatutum tempus adeſſent, qui reſponderunt neque ibi quidem ſe tutos futuros: quare Cæſar intelligit iam palam illud fieri, quòd diffiderent ſe poſſe ſophiſticis, humaniſque rationibus res diuinas & ſacra inſtituta per tot annorum ſeriem ſtabilita, per tot patrum antiquorum integritatem, & ſapientiam diligenter examinata & diſputata diluere aut labefactare.

Parma obſidetur & Iulia Taurica.

Parma vero & Iulia Taurica ab ijs duobus exercitibus obſidentur multos dies, per quas obſidiones multa vtrobique commiſſa ſunt certamina; ſed multo plura ad Iuliam Tauricam, vbi cum eſſet in præſidijs Thermeus dux ſtrenuus, ſæpius egreſſus decertauit leuibus prælijs non ſine aliqua vtrinque clade. nam cum vrbs illa eſſet munitiſſima egregieq; bellicis tormentis, & validiſſimis præſidiis, & omnibus bellicis apparatibus inſtructa, in qua erant Galli & Itali veterani pedites, vbi pontificiæ copiæ vrbi propinquarent per frequentes munitiones, milites Pontificij è caſtrorum reparationibus ad leuia certamina egreſſi facile vrbanis globis tormentorum proſternebantur. at Parmenſes nocturno tempore repente egreſſi pugnant acriter. multi inſignes viri vtrinque cadunt, inter quos fuit princeps Macedoniæ. Venerat in Italiam Briſaccis per illud tempus cum poteſtate proregia vir prudens & in omni militari diſciplina maxime exercitatus, qui acceſſit in Galliam ſubalpinam, vbi Sergianus Melphitanus princeps ſuum diem obijſſet. Hic vbi videt bellū Parmenſe & ad Iuliam Tauricam exarſiſſe, exiſtimat Cæſarianorum miniſtrorum obteſtationes eſſe vanitatis & fallaciarum plenas, qui dicerent ſe non aduerſus regem illud bellum ſuſcepiſſe, ſed aduerſus rebelles eccleſiæ pro Pontifice. nam profectò ridiculum illi videbatur aduerſus eundem hoſtem non hoſtem pugnare. non pugnare vno tempore, cum nomina differrent, perſonæ eſſent eædem. Quippe cum rex etiam profiteretur ſe cauſa defendendi Octauij aduerſus Pontificem & Cæſariana ſubſidia pugnare, at non aduerſus Cæſarē.

Briſacij aduentus in Italiam.

Briſacius itaque cum intelligeret eſſe debilitata præſidia munitionum Cæſarianarū in Gallia ſubalpina, vnde exempti fuerant Hiſpani ad bellum Parmenſe, decernit magno repentinoq; conatu loca ipſa adoriri, captata inde opportunitate, quod Cæſariani ſpe antiquarum induciarum protecti negligentius, quàm par erat, res agebant. Veruntamen ne illos ante opportunum tempus in ſuſpicionem induceret magnis copijs colligendis, iubet paulatim magnum militum numerum in Galliam ſubalpinam in varia caſtella conuenire, qui ita ſenſim creuerunt, nemo vt ſenſerit quid cogitaret.

Cherium captum. Briſacc' Galliam ſubalpinā inuadit.

vbi viſæ ſunt conueniſſe ſatis validæ copiæ, repente per noctem Auguſta Taurica egreſſus, iuſſis ad ſtatutam horam finitimorum locorum prӕſidijs in certum locum conuenire, Cherium repentino conatu inuadit & expugnat, poſt quod alijs caſtellis potitur nō parui momēti. mox procedit ad aliorum locorum expugnationem. quibus auditis Ferrandus quanta poteſt celeritate vſus diſcedit ab obſidione, relicto Mariniano ſummo imperatore exercitus ad Parmam obſidendam, atque multas cohortes ſecum adducit. Marinianus propter imbecillitatem relictarum virium recedit ab vrbe ad ſeptimum lapidem, ibique poſitis caſtris curat ne commeatus in vrbem comportaretur. Sed neque in Italia tantum terreſtribus prælijs certabatur inter Gallos & Cæſarianos, verum etiam maritimis ſtudijs inſidiæ ſtruebantur in mari Liguſtico. Nam leo Strozza Capuæ prior, ideſt dignitatis nomen, Gallicæ claſſis præfectus quòd audiret futurum vt Cæſaris iuſſu princeps Auria tranſiret in Hiſpaniam cum claſſe ad Maximilianum Boemiæ regem in Italiam traijciendum, ſtatuit ex itinere illum aggredi. Philippus enim princeps Hiſpaniarum ſub finem Maij clam Auguſta profectus citatis equis per Italiā Hiſpaniā repetiuerat. Strozza igitur eo cōſilio inſtructis viginti & tribus triremibus & biremi nauigat Maſſilia. fit obuius Auriæ non procul à Tauroentio, qui cum viginti & ſeptem triremibus occidentem verſus nauigabat, quæ triremes erant multo minus quàm Gallicæ accuratè inſtructæ, tanquam minime omnium ad pugnam nauigantes. Auria claſſem Gallicanam ad quinque millia paſſuum diſtantem proſpiciens, quia ſciret bellum in Italia iam eſſe inceptum, ratus adeſſe etiam maiorem numerum, non nauigat vlterius. Gallus illa trepidatione cognita nauigat eò, neque prius inſequi claſſem Aurianam deſtitit, quàm dies defecit: atque in portum Tauroentii denique peruenit. ibi moratus aliquantulum cum putaret futurum vt rex Boemorum cum paucis Hiſpanis triremibus omnino iter caperet, ſi claſſis non accederet opportunè, ſtatuit ire obuiam, quod putaret fieri poſſe in itinere vt daretur pugnandi facultas. nauigat igitur ad portum vſque Barcinonis nulla ibi neque Hiſpana, neque alia claſſe inuenta. capit in portu principis triremem & cataſcopium, ſeptemque onerarias, quæ omnia nauigia Maſſiliam remulco attracta ſunt cum magna Barcinonēſium trepidatione.

Naues onerariæ a Gallica claſſe captę.

Nec multo ſanè interiecto tempore leo Strozza relictis regijs ſtipendijs ob indignationem Petri fratris accuſati, quòd regiam pecuniam inutiliter profudiſſet, atque in deſperationem propè deiecti ob Gallorum procerum minas & contumelias cum duabus ſuis triremibus Melitenſis militiæ ſtipendia mereri cœpit, quod eſſet & ipſe eiuſdem

*Polin⁹ eques Melitenſis.*

ordinis eques. illi ſuffectus eſt Polinus, qui præfuerat etiam regiæ claſſi in oriente, & tunc preærea Gallice claſſi in occidente in mari Celtico. erat Polinus fortuna vel inferiore mediocri, ſed qui propter præſtantiam virtutis ad ſummos honorum gradus ab eo Rege fuerat prouectus. Pontifex vbi diu vires fruſtra abſumpſiſſet & inutiliter in Iuliæ Tauricæ obſidione, nullumque videret inſignē Cæſaris conatum ad occupandam Parmam, vt vir ocij & quietis amicus, qui ducenta nummum millia Cęſare mutuo accepta iam abſumpſiſſet, eamque ſumpſiſſet prouinciam magis vt Cęſari, quàm vt ſuę voluntati ſatisfaceret, aut vrbem Octauio extorqueret, intercedentibus purpuratis patribus Gallicis, qui initio eius belli propter odium pontificis in regem Roma diſceſſerant, paſſus eſt vt res cum Gallo componerentur. rebus itaq; Romæ compoſitis dum tabellarij Iuliani Tauricam in caſtra cum literis conuolant, Ioannes Baptiſta Montius infelices occiditur dum mœnia hoſtium cum Alexandro Vitellio, aliiſque proceribus multis exercitus explorat.

*Io. Baptiſta Montius cæſus bellū extinguit.*

nam tametſi monetur ne ita muris ꝓpinquaret, ſeque fruſtra manifeſto periculo exponeret, tamē, vt ſunt iuuenes plerique monitorum contemptores ſuæque ſententiæ tenaces, cum neq; multis quidem egreſſis vellet cedere, trucidatur. eius clade pax non eſt abrupta, ſed continuo Parmæ & Iuliæ Tauricæ obſidio ſoluta: quare Marinianus opportune contendit in Galliam ſubalpinam ad ferendas ſuppetias laboranti rei Cæſarianæ, cum illuc eſſet omnis vis belli tranſlata. Quædum in Italia gerantur, in inferiore Pannonia fortuna non paruis mutationibus res Pannonicas affictabat, cum proceres eius regni modo huc, modo illuc fluctuantes variatis ſtudiis nunc Iſabellæ reginæ partibus fauerent, nunc Georgii monachi libentius imperium complecterētur. ad quam rem explicandam videntur altius initia harum diſſenſionum, quanta tamen fieri poterit orationis breuitate, repetenda, è quibus ingentia poſtea, & acerrima bella pullularunt. Ferdinandus igitur electus rex Boemorum cum primùm ſe auctum viribus intelligit, ad regnum inferioris Pãnoniæ aſpirare cępit, quia illud ad ſe pertinebat hæreditario iure.

*Inferioris Pãnonię regnū ad Ferd. pertinens.*

nam præter Alberti principis ſuperioris Pãnonię iura, quam Auſtriam vocant, accedebat quòd Anna vxor Ferdinandi erat ſoror ipſius Ludouici regis Pannoniæ. multis itaq; proceribus Pannonibus vltro Ferdinandum inuitantibus, ac ſua ſtudia promittentibus, vocatur Ferdinandus ad illud regnum è manu Ioannis Sepuſij regis per fraudem coronati extorquēdū. Ioannes enim cum præeſſet Pãnoniæ cum poteſtate proregia à Ludouico rege præfectus, poſt profligatum Ludouicum curauit vt rex ipſe coronaretur, cum Ludouicus ſine filijs deceſſiſſet. Poſt hunc creatus eſt rex etiam Ferdinandus, quare armis neceſſariò erat decernendum de illo regno. magnis igitur copijs vtrinq; collectis ſigna conferuntur. pugnatur acriter diu vtrinq;. deniq; victoria fuit penes Ferdinandum multis hoſtibus profligatis, atq; is cum Anna vxore coronatur rex Pannoniæ.

*Ferd. profligat Io. Pãnoniæ Vaiuodam.*

Ioannes profligatus confugit ad Solimanū. rogat pro inſtitutis Ottomanicæ familiæ, quæ ſemper principes iniquè oppreſſos ſubleuare ab exterorum tyrannide crudelitateq; conſueuit, ne ſe legitimū & ſolemniter coronatum Pannoniæ regem per auaritiam vimq; Ferdinandi cōmunis vtriuſque hoſtis negligat. Præſtare rebus Ottomanicis ſe habere finitimum imbecillum principem, nullis niſi Ottomanicis auxilijs ſuffultum, & beneficijs obſtrictum, quàm Ferdinandum & per ſe potentem, & multo etiam potentiorem in dies futurum vbi Norico Pannoniæq; ſuperiori inferior Pannonia acceſſerit, & Caroli Quinti fratris bellicoſiſſimi vires in dies augerentur. adpromittit precibus tributum, quod honeſtum videretur, ſeq; cogniturum illud regnum accepiſſe ab Ottomanica clementia, & liberalitate, quæ ſemper erit de ipſo optime merita. Solimanus exercitum Taurumnum adducit, cuius in caſtra venit Ioannes. multa Caſtella capta, deuaſtata, incenſa. venit Iuliobonam, qua expugnatione fruſtra tentata amiſſis ferè quadraginta millibus hominum cogitur turpiter recedere.

*Io. confirmatur rex Pãnoniæ pax demū comparitur.*

confirmat Ioannem regem Pannoniæ. pax deniq; fit inter duos reges his cōditionibus: Vt vterque teneret quæ tum libera poſſidebat. Vt bona fiſco addicta illorū qui hoſtiles partes vtrinque complexi eſſent, libera dimitterentur; atq; reſtituerentur. Vt Ioannes nullo pacto regis titulo vteretur, ſed ſe Vaiuodam, quod nomen ſignificat gubernatorem, appellaret. vt poſt mortem Ioannis omnia ad Ferdinandum vel hæredes deducerentur. at ſi Ioannes legitimos filios haberet, qui tūc tamen neq; duxerat quidem vxorem, Ferdinandus illis honorificum patrimoniū aſſignaret, & Caſtella cum dignitate Vaiuodæ inferioris Pannoniæ. neq; ita multo poſt moritur Ioannes relicta Iſabella vxore, quam poſtea duxerat, filia Sigiſmundi regis Poloniæ, & filio infante vndecim dierum, qui cum Stephanus prius eſſet dictus, mox ad memoriam patris Ioannes fuit appellatus.

*Io. puer coronatur.*

filij adminiſtratio, & tutela matri data eſt, atque puer cum Ioannis mors occultata aliquandiu fuiſſet, coronatur, iuſsiq; ſunt nonnulli proceres iurare ſe fidem ſeruaturos. & quoniam muliebre ſtudium tantis rebus non poſſe ſufficere videbatur, additus eſt adiutor Georgius monachus.

*Georgij monachi fortuna.*

erat hic Georgius vir Illyri⁹ pauper, è nobili tñ familia inter familiares matris Ioãnis regis educatus. factus erat monachus in Cęnobio diui Pauli apud Curtam ciuitatē ordinis diui Benedicti. ſacris initiatus ſecutus eſt Ioannem regno eiectum in Sarmatiam, & ad multa negotia miſſus. cum vero magna fide & vigilantia res regias gubernaſſet, regno ab ipſo Ioanne deinde recuperato in conſilium regiū admiſſus fit quæſtor, & epiſcopus Varadinenſis, cum paulo ante is epiſcopus Aloyſij Gritti opera de medio fuiſſet ſublatus, vnde Aloyſio initium fuit exitij, atq; poſt mortem regis tutor & adiutor fit reginæ in regno adminiſtrando.

*Epiſcopus Varadinēſes.*

is tanta prudētia res agit, eoq; coarctat, nihil vt ſe inſcio fieret. mox Ferdinãdus petit regnum vt ad ſe ſpectans. promittit quod viuo patre ſe daturum eius filijs promiſerat, aſſentit regina. Georgius, qui ſibi videbatur propè regnum amittere, repugnat. Solimani auxilia implorat. Ferdinandus cognita fraude Georgij colligit ad quadraginta millia armatorum, cum quadraginta, & quinque muralibus tormentis, multisq; minoribus delato ſummo imperio Gulielmo Roccandulpho viro Germano, ad Curtam expugnandam copias mittit, quo ſe Georgius & regina rece-

perant. Roccandulphus acriter Curtam à duobus lateribus concutiens cum fruſtra expugnationem tentaſſet, Solimanus mittit Mahomettum cum multis millibus armatorum ad ſubleuandam reginam. Roccandulphus infeliciter pugnans amiſſis viginti & quinque millibus hominum, triginta & ſex muralibus tormentis, ad centum & quinquaginta minoribus, in inſulam Comariam ſeruatus paulopoſt diem ſuum obijt. Solimanus ad Curtam profectus, verbo vt quietem & priſtinam tranquillitatem reginæ reſtitueret, re ipſa vt vrbem Curtam occuparet, quę ſibi plurimum cōferre rebus bellicis aduerſus Ferdinandum ob fertilitatem videretur, muneribus ad regem puerum miſsis ſimulat deſiderium illius videndi. miſſum cum multis blanditijs excipit. proceres, qui regem deduxerant, ad lautum conuiuiū ſunt inuitati. iuſsi ſunt clam Turcę duces nonnulli ſimulato deſiderio videndę vrbis Curtam ingredi per portam vocatam Sabbatiam, atque eam ſine tumultu occupare. alij ingredi, alii exire, redireq; ſimulant. multi ingrediuntur, pauci ex ingreſsis exeunt. porta deinde occupata multitudo vrbem ingreditur. puero remiſſo Solimanus proceres retinet.

Curta p̄ dolũ à Solimano capta.

Solimanus deinde ingreſſus vrbem iubet reginam cum puero recedere in inferiorem Pannoniam. ipſe paulopoſt Curta firmis pręſidiis munita Byzantium repetit. at regina in Pānoniam profecta iubetur ab ipſius prouinciæ proceribus abſiſtere, ne ſecum Curtenſe infortunium eò transferat. Cogitur Liziſi morari, atq; ægrè obtinet Georgii opera vt in prouinciam admittatur. mox aucta in regem beneuolentia populorum atq; obſeruantia in reginam, illa procurat vt Georgius fiat quæſtor prouinciæ & gubernator, cui tantopere aucta eſt audacia, vt vrbes tanquam ſuas gubernaret, ſolo titulo ac nomine reginæ relicto, cum vniuerſam autoritatem ſibi aſſumeret. Regina apud Solimanum per literas queritur de monacho, monachus contra curat Ferdinando ſe adiungere. copias parat. Turcæ reginam tuentur. multis coortis hinc inde controuerſiis, atque ſæpius fruſtra pacatis, Georgius denique confugit ad auxilia Ferdinandi aduerſus reginam & Turcas. Ferdinādus vt variis Pannoniæ inferioris calamitatibus aliquis exitus inueniretur, decernit denique tam opportunam rei præclarè gerendæ occaſionem oblatam non eſſe prætermittendam. Sed quoniam illa expeditio virum quempiam rei militaris inſigniter peritum requirebat ſcribit ad Cæſarem vt ſibi idoneum aliquem ducem ad tantum negotium mitteret, qui poſſet illud bellum, quod neceſſariò ſuſcipiebatur, ſapienter adminiſtrare, cum multos præſtātes haberet Cæſar, qui ex ipſius diſciplina periti duces euaſerant. Cæſar cognita æquitate fraternæ petitionis & tantæ rei magnitudine, tamen dubio erat animo, quid eſſet agendum, cum duos principes Germanos teneret captiuos, verebatur nequi tumultus excitarentur. neque enim conducere exiſtimabat, ſi prudentioribus ducibus carere cogeretur, qui tunc maxime videbantur fore perneceſſarii, cum etiam occulti bellorum motus, qui clam ab Henrico rege parabantur in finitimis regionibus, non mediocriter commouerent. neque parum ſollicitabat etiam indignatio Mauritii, ad cuius preces, vt promiſſum fuerat, ſocerum non ſoluerat. Veruntamen in tanta rerum opportunitate ne fratri deeſſet aduerſus barbaras gentes pręſertim & immanitatem Turcarum, Ioannem Baptiſtam Caſtalium virum Italum rerum bellicarū in primis peritiſſimum marchionem Caſſiani, quod eſt oppidum in ripa Abduæ fluminis, ſummū ducem eius expeditionis pronuntiat, qui primum locum autoritatis poſt Maximilianum regem Boemorum in eius caſtris habebat.

Io. Baptiſtæ Caſtalij ĩ Pãnoniã aduẽtus.

Caſtalius magnis itineribus ad Ferdinandum contendens perhumaniter docetur quibus artibus ingenium monachi ſit captandum. atque dum res ad bellum neceſſariæ parantur, quas Caſtalius poſtulauit, accepto inſignis autoritatis diplomate, vt illi Pannoniæ, Illyrij, Dalmatiæ populi, ſubditique omnes parerent, Iuliobona Vinundriam verſus proficiſcitur ad illas copias, quæ aderant, in inferiorem Pannoniam traducendas. in illo itinere inſulam Comariam, & oppida eorum finium ad defenſionem recognoſcit, iubetque pro temporis anguſtia reſarciri. Vinundriam profectus Bernardum Aldanam magiſtrum caſtrorum cum ſeptē vexillis Hiſpanorum reperit. ibi nonnullos dies abſumit, donec copiæ & tormenta & bellici apparatus conueniunt. illa vrbs cum maximè omnium Pannonicarum ad rem bellicam conferret, ac muri eſſent debiles, nulla propè latera, nulla induſtria erectæ munitiones, diligenter munitur, quam prouinciam muniendæ vrbis Eraſmo Teuſtio committit, donec perficiatur. collectis igitur copijs cum tormenta maiora tardiora eſſent, quę non ſatis vtiliter diutius expectari cenſebat, ſine tormentis diſcedit. Ferdinandum facit certiorem. mittit qui curarent celeriter attrahenda. Sic igitur copiis inſtructis Vinundria diſcedit. ipſe procedit in primo agmine, quod conſtabat è mille & ducentis Hiſpanis, quingentis Pannonibus peditibus, quos Aiduchos vocant, mille Vſaronibus, qui ſunt equites leuiores Pannones ad morem Turcarum ſcutis lanceiſque vtentes, & acinace, galea, claua ferrea, quos quidam Bodurgij regulus adduxerat cum quatuor campeſtribus tormentis.

Aiduchi & Vſarones q̃ ſint.

inter ipſam phalangem, Io. Baptiſtam & Felicem comites Archuenſes locat cum tribus Germanorum millibus optime inſtructorum, quadringentis equitibus, quatuor campeſtribus tormentis, duabus ſemicolubrinis, trecentis equitibus haſtatis, centum Ferrarolis. in poſtremo agmine impedimenta cum trecentis leuibus equitibus & Pannonibus peditibus ſubſequebantur, ac tribus campeſtribus tormentis. erant omnes hæ copiæ equites mille & ſeptingenti, at peditum quinque millia & ſeptingenti.

Acierum inſtructio à Caſtalio.

cum his paruis copijs procedit Caſtalius ad inferiorem Pannoniam occupandam. eo ordine cum ad Tibiſcum fluuium ventum eſſet, qui fluuius amplus eſt, & profundus, à Carpathoque monte Iazigum populorum ortus ſinuoſis flexibus in viperæ morem ad meridiem decurrens Tibiſco vrbe à ſiniſtra relicta ad vocatum propè Iriconium defertur, & cum Danubio coniungitur inter Taurinum & Viminantium. tam placido vero curſu defertur, vix ut fluere appareat, quod accidit ob amplitudinem aluei, cum propter paludes ad octo millia paſſuum aliquando dilatetur. eò profectus primus fluuium traijcere voluit, vt cæteros ad traiiciendum inuitaret. poſteà

Tibiſcus flu.

ad vlterio-

ad vlteriorem ripam vectus cæteras copias traijciendas curat, quæ omnes vix poſt Octauum diem ſunt tranſuectæ propter fluminis amplitudinem. Sic igitur in acie procedens ad Debrecenum oppidum peruenit, vbi eum Batthor Andreas, Thomaſque Nadaſdus viri Pānoniæ nobilitate, opulētia, auctoritate facile principes expectabant. eum tranſitum interea cum quingentis equitibus tuebantur, donec Caſtalium in inferiorem Pannoniam comitarentur. his communibus caſtris coniūctis ad oppidum Zanolchum peruentum eſt, vbi ad cuſtodiam oppidi relicti ſunt quinquaginta Hiſpani. Regina comitia Egnethum, ea eſt vrbs celebris & ampla inferioris Pānonię, indixerat, in quibus proponendum erat quo pacto Georgius monachus poſſet eijci ex illa prouincia. Georgius de his omnibus certior factus Varadini relictis omnibus præſentibus negotijs citatis equis eò conuolat, Turdamq; profectus proceres per literas hortatur, qui erant cum regina, vt ſi ſaluam patriam eſſe vellent, minimeq; in barbarorum poteſtatem venire, ad ipſum quàm citiſſime properarent. vbi eò conueniſſent Varadino ſatis ingentes equitum ac peditum copiæ, ſimulatis cuſtodijs ſui corporis, & ipſe properat ad comitia, quæ omnino illo accedente paulatim euaneſcere neceſſe fit. regina idcirco Vlpianum petit collectis iis maioribus viribus, quas colligere potuit, quarum ſummum imperium habebat Petrus Vicchius. ſumma diligentia munit. ſed cùm vereretur ne ibi obſideretur à Georgio relictis præſidijs quæ videbantur neceſſaria, ad vrbis defenſionem, ipſa Saſſebeſſam ſe trāſfert, quæ vrbs & arte & natura magis erat munita, vt ibi ſpectaret quò tenderent Georgij conſilia; & fortunæ ſuæ temeritas. Georgius auditis ſubſidijs Ferdinandi, quæ mittebantur, & iam propinquabant, ſtatuit Vlpianum obſidere atq; magno ſtudio concutere. Sed cum locus præter expectationem fortiter defenderetur neque tam citò, quàm opus erat, copiæ accederent, cum ſe in magnam difficultatem intruſiſſet, decreuit res denuo cum regina componere. Quæ dum ita inter hos aguntur, Caſtalius attigit fines inferioris Pannoniæ, quam regionem Tranſyluaniam vocant. ea eſt autem altiſſimis montibus vndique ferè circumdata, ingreſſusq; habet difficillimos & aſperrimos, cum alibi fluuiorum amplitudine, alibi montium aſperitate protegatur. nam ab oriente ampliſſimo fluuio Danubio cingitur, & à Myſia Metanaſtorum regione diſterminatur. ad occidentem habet Narabonem fluuium & Bebios montes, qui ad meridiem quoque in ſinum diſtenduntur vltra Darum fluuium eamq; ſeparant à ſuperiore Pannonia. ad ſeptentrionem habet ſinuoſum flexumque ſinum Danubij, qui Sarmaticos montes verſus protenditur, qua ex parte Sidonia, Myſiaq; inferiore terminatur. habitant eam regionem Amantini, Hercuniates, Andiantes, Arabiſcique populi olim vocati bellicoſiſſimi ac robuſtiſſimi, facileque bellicorum laborum patientes. diuiſi ſunt inter ſe huiuſce prouinciæ populi, quod alij legibus & moribus ſuperioris Pannoniæ vtuntur, vocanturque ij Ceculi. alij Saxonum lingua & legibus & moribus Germanicis. atq; vt Ceculi feri ſunt & crudeles tanquam Turcæ, ita hi ſunt perhumani, maxime veritatis cultores, fidei obſeruantiſſimi, qui primùm è Saxonia pulſi huc ad habitandum conuenerunt. prouincia eſt frumenti, vini, omniſque generis animalium ferax. Syluis abundans, & venationibus. domicilia tamen non ſatis magnifica, cum fiant villæ vbique & domus è paleis, aut cannis fluuialibus, aut conſimili materia. abundat ea prouincia multis ferri, argenti, aurique fodinis: tantaque copia ſalis excauatur, vt vniuerſæ Pannoniæ, Sarmatiæ que ſufficiat. perluunt hanc prouinciam duo fluuij nauigabiles, qui apud Liziſum & Tibiſcum vrbes inferiores in Tibiſcum fluuium ingrediuntur: quorum alter, è montibus Myſiæ inferioris ſeptentrionem verſus ortus, Maroſſus appellatur. alter in extrema parte Carpathi montis ſcatens, vocatus eſt Altus, qui plurimum aurearum arenarum deuoluit. habitant in ea prouincia ad meridiem Rhatiani, qui modo chriſtianis principibus militant, modo Turcis. homines ſunt fidei parum ſeruantes, inopes, nihil propè poſſidentes, atque ob ſuam perfidiam omnibus inuiſi. hi ſunt inter Meſiam & Dardaniam ac Triballos à duobus lateribus, cum ad alterum latus habeant Daciæ montes. pręcipuę vrbes huius prouinciæ ſunt, Zibinium metropolis, Praſſouium, Caſſouiū, Vlpianum, Turda, Corona. Illuc vbi Caſtalius aduentaſſet, iubetur Battor Andreas, Thomas Nadaſdus trāſitus mōtis explorare cū nōnullis peditibus & equitibus. fit certior marchionē Balaſſū virum primarium potentia totius ſuperioris Pannoniæ aditus occupaſſe, qui ad reginam ope ſubleuandam confugerat Ferdinando regi iratus, quod nonnulla caſtella ſibi in Pannonia ſuperiore per vim extorſiſſet, vt ferebatur, quòd ab eo deſciuiſſet. hic enim cum magna manu peditum, & ſeptingentis equitibus aditus ab ea parte occupauerat, quare Caſtalius non ita facile tentandam fortunam ratus ad alias vias vel cum aliqua difficultate, temporiſque diſpendio aggreditur. atque ita facit vt Balaſſo illos aditus adhuc cuſtodiente ipſe ſine controuerſia copias deduxerit, & tormenta in inferiorem Pannoniam attraxerit. primo itaque die in acie inſtructæ copiæ iter faciunt. eſt oppidum quoddam non procul ab ipſis montibus in placidiſſimo colle ſitum, quod Dalmas vocatur, cui propinquum iter neceſſariò erat faciendum, quod ſtatim propinquantes copias tormentis infeſtare cępit. ea re indignatus Caſtalius illud ipſe explorat ad expugnationem, cum, vt poſcit ratio bellica, nihil hoſtile cenſeret à tergo eſſe relinquendum, quod poſſet caſtra infeſtare. Sed cum munitius oppidum videretur, quàm quod poſſet ſine maioribus tormentis expugnari, cogitur imperfecto negotio procedere. Iubet tamē Io. Baptiſtam & Felicem Archuenſes, qui ſequebantur in poſtremo agmine, illud cum Germanis copiis obſidere, quatuorque illis campeſtribus tormentis, & duabus ſemicolubrinis concutere, quod ſumma diligentia fit. Sed enim minus apta ſunt minora tormenta muris concutiendis, non ſolùm quia propter globorum paruitatem non ita acriter concutiunt, ſed etiam quia bombus plerumque non peruenit atque aeris impetus ad mœnia hoſtilia. ſunt enim colubrinę vocatę longiora tormenta, quę triginta librarum globos eiaculantur propter vim longitudinis ad penetrandum accommodatę. Sed minus concutiunt propter citiſſimam vim penetrandi. horum

Pannoniæ inferioris deſcriptio.

di.horum tormentorum mutua opera vtilis eſt cannonibus, cum videantur fraterna concordia in hoſtes, & quaſi fęderatione facta conſpirare. Sic igitur ſemicannones & ſemicolubrinæ,quæ dimidij ponderis globos eiaculantur vt ſagri,& cætera his conſimilia tormenta, putanda ſunt tanquam adoleſcentes adhuc imberbes aut tyrunculi nõdum ſatis apti rebus militaribus maiora vero ſunt tanquam viri fortes & veterani milites,quę caſtella & vrbes proſternunt.

Tormentorũ bellicorum vſus.

dum Archuenſes huic expugnationi ſunt intenti,Caſtalius ad vrbem Coloſuar caſtrametatur, vnde trecentos Hiſpanos ad eius oppidi expugnationem ſclopettarios mittit. regina omnes vires eò dirigit, omnique vtitur induſtria vt res cum Georgio componerentur, quia dicebantur aduentare decem Hiſpanorum millia cum multo equitatu & peditatu Germano,& iam oppidum Dalmas arctiſſimè obſideri.nuntiabatur reginæ præterea Vlpianum,vbi coronari reges conſueuerant,iam propè venturum eſſe in poteſtatem monachi,quod ille tantopere cuperet. Sed quia nullas ſe habere copias paratas intelligeret quibus poſſet reſiſtere,omnibus Georgij petitionibus facile aſſentit. idcirco vrbanis præſidijs nuntiatum mittit vt præter vitam & impedimenta cuncta Georgij arbitrio concederentur, qui neminē è militibus ſuis ingredi paſſus eſt antequam omnia,quæ forent reginæ exportarentur, ad quę conuehenda ſuos etiam carros conceſſit.

Vlpianũ captum à monacho.

Certiorem facit Caſtalium illa vrbe potitus, mittitque nuntium,qui illum ad ſe adduceret,ad vrbem Egnethum,vbi erat annonæ facultas, & omnium rerum copijs neceſſariarum copia. Georgius interim reginam conuenit. hortatur vt iuberet oppidum Dalmas pariter,vt dederetur.atq; illa cum videret in periculo poſitum, quia loco tormentorum res per cuniculos agebatur,libenter annuit ad ſalutem præſidiorum,miſitque qui regio nomine ad deditionem hortarentur.

Dalmas opp. Egnethũ vrbs.

Georgius ad Caſtalium properat ad vrbem Egnethum, quò illum aduocari iuſſerat,cui Caſtalius fit obuius honoris gratia,atque multis de propoſitis negotijs & de Caſtalij autoritate inter ſe communicatis, Georgius mirificè lætatur quòd intelligeret ſeſe à Caſtalio viro cũ proregia autoritate profecto tantopere obſeruari, vt apparebat. ad vrbem itaque Saſſebeſſam accedit.

Saſſebeſſa vrbs.

de ijs quæ cum Caſtalio tranſegerat, reginam certiorem facit: quæ iam virum nobiliſſimum Sarmatam ad Caſtalium miſerat, multaque promittebat,per quæ apparerent omnia pro votis Ferdinandi ſucceſſura. poſt modo quibuſdam diebus interpoſitis Georgius literas ad Caſtalium conſcribit. monet,vt ſtatuto die Vlpianum conueniret ad colloquium. eò profectus cum paucis Georgium non inuenit,qui ad reginam Saſſebeſſam acceſſerat.Caſtalius rem commodam futuram ratus ſi cum vtriſque vno tempore loqueretur,Saſſebeſſam accedit.tertio deinde die cum regina & Georgio multisque alijs primarijs eius regni Caſtalius in colloquium conuenit. explicat cauſam ſui aduentus,quæ erat,vt regina illam prouinciam pro conditionibus cum Ioanne rege compoſitis Ferdinando reſtitueret, qui omnia, quæ pollicitus fuerat ſeſe ſtatim executurum pollicebatur. illud & vtilius & commodius reginæ fore addidit,cum facile intelligeretur per quot quantasque moleſtias eas regiones eſſet poſſeſſura, quantaq; in ſuſpicione verſatura ne Turcarum imperator id regnum repente occuparet. quod ſi contingeret,non poterat fieri ſine maximo Pannoniæ, Auſtriæ,ac Germaniæ detrimento & incommodo.

Caſtalij adhortatio.

Maximè omnibus inquit optandum eſſe vt ea prouincia in poteſtatem chriſtiani principis deueniret,qui armis & autoritate illam protegeret, atque immanium Turcarum impetum, & rabiem barbararum nationum poſſet frænare, quod certè ipſa regina ſine exterorum auxilijs minime omnium erat factura. multo præſtabilius eſſe quod à Ferdinando offeratur quietum & tranquillum & ſine vlla controuerſia, quàm illud regnum in perpetuis periculis & difficultatibus & curis poſſidendo verſari: cum nullum tantum ſit imperium, nulla tanta, tam precioſa, tam admirabilis opulentia, quæ poſſit cum animi tranquillitate comparari. his additum eſt ad promiſſorum obſeruationem Ioannam minorem natu filiarum Ferdinandi nuptui datum iri Ioanni reginæ filio cum dote centum millium nummum, ſolutumque iri numerata pecunia quantum æris alieni regina contraxiſſet hactenus, & quantum ipſi reginæ præterea legitimè deberetur. hæ conditiones cum bonę & ſalubres omnibus viſæ eſſen t,datum eſt negotium Georgio, vt priuatim ageret pro regina, qui modo hanc, modo illam excitans difficultatem cum propriam vtilitatem ſpectaret, ſeque ſimularet illa vti diligentia, quòd tantopere cineribus Ioannis regis deberet, cuius beneficentia & liberalitate ad tantam dignitatem fuiſſet prouectus, ita rem trahit, nihil vt concludi poſſit. at cum aliquando data eſſet colloquij facultas reginæ inſcio monacho, primùm illa gratulatur Caſtalio pro conceſſa autoritate proregia, quòd vir eius ingenij ad illam dignitatem eſſet aſſumptus. poſtmodo oſtendit ſe ad vota Ferdinandi ſemper fuiſse paratiſſimam, omnesq; accuſationes & criminationes diluens in Georgium retorquet, à quo opprimebatur. Se difficultatibus compulſam aliquando vel ad Solimani auxilia confugiſſe fuiſſe ſollicitatam ſæpius, vt illud regnum tanta regione alibi accepta permutaret, ſed nunquam ſenſiſſe tantam iniuriam faciendam eſſe Ferdinando, vt tam propinquum tamque potentem hoſtem barbarum finitimum Ferdinando lubens admitteret: cum tamen multo tolerabiliorem Solimani, quàm monachi tyrannidem ſemper exiſtimaſset: cum multò maior ſit iniuria, multoque acerbior quæ ab ingratis, quàm quæ ab hoſtibus accipitur.Se libentiſſimè eam regionem Ferdinando conceſsuram,ad quam concedendam nulla vi armorum compelli potuerat. Se tamen vnum rogare Ferdinandi clementiam, ne obliuiſceretur Ioannem filium ſuum eſse regem, & puerum, & pupillum, quibus de cauſis ſibi videbatur iure ab humaniſſimo principe poſſe impetrare vt filij loco haberetur. id ſi fiat, ſe illam ſummam conſolationem in tantis malis,tantaque fortunæ mutatione eſse habituram. hiſce commotus Caſtalius tantam fęminæ conſtantiam & prudentiam admiratus reſpondet, ſe pluris optimam eius voluntatem in Ferdinandum æſtimare, quouis opulentiſſimo regno.omnia promiſsa ad vnguem obſeruatum iri quæ tractata ſint, futurum vt Ferdinandus in numero filiorum

ſuorum

ſuorum regem haberet. ſe proprio nomine omne defenſionis, officiq; genus liberaliſſimè polliceri. Monachus horum ignarus negotia in dies protrahere.difficultatem difficultatibus annectere.cõditiones, quas ipſe requirebat,in medium adducere. vt autem appareat vtilitatem reginæ & regis plurimum procurare, curat vt prouentus Regi & ſucceſſoribus viginti & quinq; millium nummũ prius aſſignetur, quàm concedatur regnum, qui prouentus liber eſſet & ſecurus & ab omni moleſtia immunis. illud Caſtalius promittit ſtatim aſſignatum iri in principatu Oppoliæ, quæ regio eſt Bodurgij Maruingorum fertiliſſima & ameniſſima, omniumq; rerum humano victui neceſſariarum abundans. his additur vt dos reginæ centum & quinquaginta millium nummum redderetur, quæ dum integrè ſoluantur, quædam vrbes darentur pro pignore, quò ſe reciperet cum filio, & dum redditus prædictus. inter illas fuit Rhauporium & Munſterburgium atq; Caſſouium, vrbs opulenta reginæ conceſſa eſt. his ita compoſitis monachus ad ſuas conditiones peruenit. petit vt dignitas Vaiuodæ ſibi concedatur cum ſolito ſtipẽdio à Ioanne conceſſo, quindecim millia nummũ ſcilicet in ſingulos annos. vt munus queſtorium quod exercuerat ne ſibi eriperetur cum ſtipendio ordinario, quòd erat quatuor millium nummum. vt tam pacis quàm belli tempore mille & quingenti equites Ferdinandi ſumptibus ad regionis corporiſque ſui cuſtodiam alerentur. Vt Turdæ ſalis fodinę, quæ maximi eſſent precii, quas tunc ipſe poſſidebat, concederentur: quę omnia ſibi præter expectationem conceſſa ſunt. Quæ tametſi obtinuerat omnia, quæ optauerat, tamen mutatur in horas, nunc diuerſa optabat, nunc pęnitebat optatorum: atque nihil turpitudinis in inconſtantia volubilitateq; ingenii collocabat. Nihil autem virorum grauitati, prudentiæq; minus conuenit, quam promiſſa fallere; aut quæ ſemel probaueris mox reiicere; niſi tamen dolus & inſidiæ ac fallacię ſeſe patefecerint, cum nemo fidem ſeruare iure optimo teneatur illi, qui ſubdolè inſidias pro ſinceritate, fraudem pro integritate, mendacium pro veritate obtulerit. Neq; tamen ignoratio rerum illarũ, quę ſciri poſſunt, nos ab iſta leuitate debet excuſare. Monachus igitur cum illa forent concluſa, quæ pertractata fuerãt, conatur perſuadere reginę ne prius exeat ex illo regno, quàm Ferdinandus omnia ſit executus promiſſa. quod ad ſe, omnes ſuas copias extra regionem ſe eſſe miſſurum, vt illa intelligeret ſe tanta moleſtia eſſe liberatam. omnes deos obteſtari ſe fidem illi in poſterum eſſe ſeruaturum. æquius ſibi videri, vt illud regnum, quod ipſe toties armis, aſſiduis laboribus, perpetuis vigilijs defendiſſet, ad Ioannem regem perueniret, quàm ad Ferdinandum, qui neq; auxilijs id vnquam protexiſſet, neq; affinitate eſſet coniunctus, neq; vllum ius probabile præter vim, in eam prouinciam haberet. Hæc dum aguntur clam cum regina, Ferdinandus literas exarat honorificentiſſimas de monacho ad Pontificem plenas laudum ipſius Georgij, in quibus præter multa cõtinebatur, quod illud regnum inferioris Pannoniæ per vnius eius induſtriam tot annos fuiſſet defenſum aduerſus immanitatem potentiamq; Turcarum. ſed neq; ſolum defenſum, verum etiam per eam defenſionem multæ clades hoſtibus illatæ. atq; quod omnium rerum maxime eſt laudabile, quòd per ſuas ſingulares virtutes & animi ornamenta ex infimo fortunę gradu ad ſummam dignitatem fuiſſet prouectus, quod certè mediocribus ingenijs non contingit. rogat Pontificem, vt eũ in patrum ſacrorum purpuratorum concilium, ſenatumq; cooptaret, & purpureo galero inſigniret, ſicut optare viſus fuerat. Quæ dum ab oratoribus Romæ aguntur, moritur Archiepiſcopus Strigoniæ, cuius prouentus accedebat ad quinquaginta millia nummum. eam dignitatem cum monachus expetiuiſſet, illico obtinuit. at cum reginam in eadem ſententia perſiſtere, obſeruaturamq; eſſe, quæ Ferdinando promiſiſset, intelligeret, mirum in modum laudat mulieris conſtantiam. regina rurſus in colloquium cum Caſtalio veniens ingenium monachi illi patefacit. commemorat nihil illis præſentibus negotijs æquè, atq; Georgium aduerſari. monet cauendam eſſe illius volubilitatem, quam multa experientia magnam eſse didiciſset. oſtendit quod is neceſsario factas cõditiones amplectitur, quia ad alia, quæ cupiebat, præcluſam eſse viam intelligeret; quæ erant vt regina intra ſextum diem exiret Caſsouium ex inferiore Pannonia. tum perſcriptum eſt de his omnibus ad Petrum Vicchium, petitumq; ab eo an vellet Liziſum Tibiſcumq; vrbes Ferdinãdo concedere. quod ſi fieret, futurum promittebatur vt digniorem principatum in ſuperiore Pannonia acciperet. vt autem res celerius & commodius tranſigi poſset, miſsum eſt ad eum diploma, in quo proponebatur, vt tutò poſset ad reginam accedere. ille veritus monachi inſidias, cum res tam breui tranſactas non poſset credere, duos oratores mittit, quibus omnia, quę tranſacta erant, patefiunt. vt autem tarditas, & mora omnis, & dilatio è medio tolleretur, miſsus eſt Battor Andreas, qui cum duobus millibus equitum proficiſcitur ad res, negotiaq; illa tranſigenda. nam fama erat Vicchium Turcica auxilia in dies expectare, quibus accedentibus turbaret ipſa negotia. comitia interim Coloſuar indicuntur, vt omnes principes eius regionis ac regni adeſsent, quo tempore regina erat regnũ Ferdinando cõceſsura, atq; illum regem iuratura; vbi dum omnes conueniant, expectat. Cæterũ Auria omni conatu, omniq; vigilantia & ſtudio vſus fuerat, vt poſt occupatam vrbem Aphrodiſium, Dragutus acerrimus & crudeliſſimus Archipirata opprimeretur, qui omnia maria infeſtabat. eius iter cum diu inueſtigaſset, deniq; reperit biremes curantem & inungentem intra lacunas Męnices inſulę. ibi cũ certatum eſset à Draguto, vt præſens opportunitas ferebat, diſploſa ſunt vtrinq; tormenta cõplura. Sed cum archipirata vir callidus & aſtutus ſeſe per illum diẽ defendiſset, tamen in eas anguſtias rei deniq; adducitur vt vel inopia rerum omnium moriendum ſit, vel in poteſtatem hoſtium cum claſse per deditionem veniendum. neutrũ horum vt fieret, mirificum ſuorum remigum ac militũ ſtudio ac labore per noctem facinus aggreditur. nam ceſo ligonibus quodã ſpatio terræ, quæ in aliũ ſinum maris deſinebat, per illud ſpatium aquas marinas admittit, nihilq; tale ſentiente vel cogitante Auria per nouam exciſam lacunam in aliud mare euadit. poſtridie eius diei cum illuxiſset, claſ-

ſiſque

Ferdi. literæ ad Pont. pro Georgio monacho.

Draguti ſtratagema.

ſisq; incluſa nullibi appareret, mittuntur qui explorarēt locum, cognitumq; eſt calidiſſimū archipiratam euaſiſſe nō ſine magna omniū admiratione. at Solimanus ſeptuaginta triremes & quadraginta nauigia varij generis cum multis apparatibus bellicis mittit ad vrbem Aphrodiſium recuperandam, cuius claſſis & expeditionis defert ſummum imperium Sinamo viro intrepido, & rerū bellicarum perito. Sinamus cum ea claſſe Rizonicum ſinum, Corcyræaq; litora præteruectus omnia litora maritima prædationibus rapiniſq; infeſtans ſe Melitenſibus equitibus oſtētat, qui cum quatuor haberent triremes piratas omnes & latrones ex eo mari turbabant, atq; expurgabant barbarorum latrocinijs. eædem cum Siculis triremibus coniunctæ magna damna plerunq; Mauris & Numidis & Turcis chriſtianorum quietem ac tranquillitatem infeſtantibus inferebant. claſſis multis tormētis vrbem diuerberat. at equites contra intrepidè tormentis in ipſam claſſem diſploſis Turcicam triremem diſrumpunt, & demergunt. alias quatuor ita vexant, vt remigibus prope nudarint. Sic ducētis & amplius è ſuis laniatis Turcica claſſis recedere cogitur. at Cæſar Auguſtæ vniuerſam operam ſtudiumq; abſumit radicibus hæreticæ prauitatis in ea vrbe conuellendis. eam cum ſerere exiſtimaret tanquam colonos nefarios concionatores, iubet pronunciari edictum vt ſub pęna capitis illi procul ab omni agro Auguſtano, Memingenſi, Sueuoq; abſiſterent, qua vna ratione poſſe cōſulere eius prouinciæ religioni ſatis commode ſibi videbatur. at inferioris Pannoniæ regina Saſſebeſſa profecta omnibus ferè eius regionis proceribus comitantibus, quam mediam deducebant monachus & Caſtalius, ad expedienda exequendaq; illa quæ ſtatuta fuerant, procedit. eo cum perueniſſet, de concedendis regijs inſignibus habetur ſermo, atque regina acceptā coronam, quæ aurea, in acuti galeri formam conſurgebat multis gemmis ac margaritis egregijs inſignita, cuius in ſupre ma parte crux aurea conſurgebat, Caſtalio in manus tradit, atque inquit iure regia inſignia ad eum pertinere, in cuius poteſtatem regnum veniret. ſe fortunæ & volubilitate, & inconſtantia cogi, vt regnum opulentum nobile relinqueret. tamen illud ſolatium habere in tantis malis, quòd in poteſtatem optimi & Chriſtiani principis veniret, & à quo omnia humanitatis officia & ipſa & filius expectarent. cum rex paruulus his videretur reſiſtere quodam modo, neque æquo animo aſſentiri, mater oſtendit ſapientis eſſe opportune repugnanti fortunæ cedere; neque per temeritatem & pertinaciam potius omnibus vno tempore ornamentis ſpoliari. ſuas vires non ſufficere illi regno defendendo, cui immanis Turcarum imperator potentiſſimus ſemper immineret, cuius amicitia quā tuta ſit, nedum inimicitia, monuit Curtenſis perfidia & iniuria hanc vnam eſſe rationem ſui ſeruādi, ſi fieret permutatio illa, & ſi Ferdinandi conſilium dum tutò liceret, vltro exequerentur. plus ſpei, & fidei, & liberalitatis in hoc principe reponendum eſſe, quàm in auaritia, perfidia, crudelitate, inſidijs Turcarum. contra quos niſi Ferdinandi tutelæ & defenſioni ſe dedidiſſet, omnino erat ad impiam eorum tutelam confugiendum, cum iam aſſiduis bellorum cladibus ita afflicti eſſent populi, vt neceſſariò ad aliena auxilia eſſet reſpiciendum. his dictis cum puer acquieuiſſet, & coronam, ſceptrumq; eburnum multo auro, multiſq; gemmis ornatum, & talarem veſtem multis pretioſis gemmis limbum circundantibus, Caſtaliò in manus tradit. his acceptis Caſtalius non tā pro acceptis muneribus, quàm pro alacritate gratias agit, hortaturq; ne regni conceſſionem ſuo infortunio aſcriberet, ſed conſeruationi, cum ſemper patris loco & defenſoris ipſum Ferdinandus rex ſit habiturus. ea corona tanti fieri apud eos populos, quanti regnum ipſum, conſueuit: quam cum & Turca, & Georgius magno ſtudio habere curauiſſent, tamen impetrare nunquam potuerunt. illa miſſa eſt continuo ad Ferdinandum regem per Ioannem Alphonſum nepotem Caſtalij. Regina deinde Coloſuar profecta conuocatos ad comitia proceres, qui nondum conuenerant, expectat, vt animos eorum confirmaret, hortareturq; ad iurandum Ferdinandum in regem, & ad capienda arma, quibus Turcas repellerent parantes denuo in illud regnū inuadere. proceres vbi aduentaſſent, partim optimo conſilio, partim timore omnia quæ geſta forent approbantes iurarunt alacri vultu ſe Ferdinandum regem accipere, & fidem ſeruaturos. primi omnium Saxones, poſtea Cæculi iurarunt, ea tamen conditione vt ſibi ſeruarentur, confirmarenturq; integra priuilegia, & quoniā Turcicum bellum inſtare videbatur, fit edictum vt omnes arma pararent ad opportunitatem, cum primū ſignificatum fuiſſet. Ferdinandus omnia quæ geſta promiſſaq; eſſent à Caſtalio rata firmaq; ſe habere nuntiatum mittit. hinc addita eſt facultas procuratori, vt poſſet nuptias Ioannæ filiæ cū Ioāne filio reginæ celebrare, quæ affinitas cū omnium ſumma lætitia contrahitur, quòd hæc cōcordia videretur omnibus quietē & tranquillitatem allatura. poſtea comitantibus quadringentis equitibus regina non ſine lacrymis multis cum filio Caſſouium verſus iter capit. ea vix profecta nūtiatur Vicchius cum Battore Andrea conueniſſe, cui iam Liziſum & Tibiſcum & alia nonnulla caſtella, quæ poſſidebat, conceſſerat. atq; is niſi per literas reginæ factus certior de omnibus rebus tranſactis, aſſentiri noluit, qui ad reginam ad vrbem Caſſouium comitandam adproperauit. Battor trecentos equites ad ipſorum caſtellorum præſidia diſtribuit & octingentos Aiduchos, qui ſunt pedites arcubus vtentes & acinace cū thorace, aut haſtatis telis. his rebus feliciter ſuccedentibus Ferdinando, Franciſcus Chendus & Balaſſus proceres ſummæ autoritatis in eius amicitiā ac fidem ſunt recepti, quod non parū referebat ad conſeruationē eius regni. Caſtalius poſtea trecentos Hiſpanos duce Aldana mittit Liziſum in præſidia, atq; poſtea ſtatutū eſt, vt ea vrbs muniretur, & in debilioribus partibus reparationes excitarentur, quòd ipſum fiebat in cæteris vrbibus, Saſſebeſſæ, Vlpiani, & Zibinij, quo Turcarum impetus retardaretur, ſi conarentur in illud regnum irrumpere, donec opportuna auxilia Ferdinandi accederent. Sed quoniam in recentibus comitijs Coloſuaris pecunia impetrari non potuit, quòd omnes aſſiduitate bellorum eſſent exhauſti, ſtatutū eſt ad harum vrbium munitiones reficiendas vt epiſcopatus inferioris Pannoniæ & Vinundriæ prouentus addiceretur. Georgius

Pannoniæ inſignia Ferd. miſſa.

gius lætari plurimum,quod omnia ſibi ſuccedere è ſententia viderentur,quod initijs fortuna arriſiſſet. Sed exiſtimat ſe grauiter offendiſse Turcarum imperatorem, quod illi Ferdinandum prætuliſſet.excogitat igitur quibus rationibus fieri poſſet vt illi faceret ſatis, & in gratiam redire poſſet,cũ vtroſq; principes vno tempore vellet amicos habere.eo conſilio diuertit Coloſuare ad ſuum oppidum,quod ipſe à fundamentis extruxerat,atq; Vuiuar appellauerat, vbi decreuerat adeſſe purpuratum Turcam ad exigendum tributum eius prouinciæ miſſum. is enim dum agebantur ea negotia illuc acceſſerat,curauit itaq; Georgius nequis eum alloqueretur, ne poſſet cognoſcere quæ forent tranſacta:quem tamen magnificè ac liberaliter tractari curat.mittit etiam accerſitum Caſtaliũ, qui vbi cõueniſſet,cõmuni amborũ conſenſu ſolutum eſt tributum,cum eſſent adhuc induciæ,neq; opportunum tempus videretur præſtandæ facultatis Turcæ,aut aptę occaſionis inferendi belli:cũ vtilitas eſſet non aſpernanda beneficio temporis conceſſa maturè inſtruẽdis munitionibus. Sed enim eodem die veſperi nuntiatur Acmethum purpuratum Turcam cum tribus millibus equitum Curta egreſſum eſse,vt reginam & filium & regiam coronam interciperet,quã ad Ferdinandum properantem acceperat reginam ſecum afferre.regina Caſsouium verſus,vt diximus,iter ceperat, atq; in horas multò grauius ferebat eã fortunę mutationem:quæ propter difficultatũ viarum cũ è mõtibus deſcenderet,qui ſuperiorem Pannoniam ab inferiore occidentem verſus diſterminant, in antiqua quadam arbore incidit: ſic fata volunt. ac paulo inferius ; Iſabella regina. deinde iter peragẽs Caſsouium incolumis peruenit,cum Turcarum Curteſium conatus irritus ac vanus fuiſset, nam regina,vt quæ prudentia valeret,& diſciplinarum cognitione eſset exculta, quæ facit homines plerunq; cautiores ad agenda negotia ob experientiam & recordationẽ rerum præteritarum, per inuſitatas vias iter faciens,fraudes & inſidias Turcarum, quas ſuſpectas habebat,deluſit. Solimanus cũ per exploratores omnia quæ geſta contrectataq; fuerant percepiſſet,è veſtigio copias colligit ad occupandam inferiorem Pannoniam.eius expeditionis ſummum imperium defert illi purpurato qui erat in præfectura Græciæ.iubet cũ duodecim millibus equitũ Taurũnũ conuenire.ibi caſtra coniũgere cũ reliquis copijs, quæ fuiſsent comparatæ à tribunis militum,quos Sanzachos vocant.imperat illam prouinciam ex altera parte aggredi cum auxilijs Myſię inferioris, ex altera inuadere iubet purpuratum Curtenſem.atq; hoc fieri mandat tanta celeritate, nullum vt tempus Ferdinando concederetur aut muniendorum locorũ,aut colligendarũ copiarũ. Caſtalius his delatis hortatur Georgium ad tantas calamitates,quantæ imminere videbantur alacriter propulſandas: qui cũ ſe non defuturũ vlla in re reſpõdiſset,conabatur tamẽ reconciliari & in amicitiã Solimani redire. nã literas conſcripſit,quibus & ſe purgabat,& animum Solimani placare mitigareq; nitebatur erga Ferdinãdum. Scribebatur.n.in illis,quod ſi Solimanus idcirco copias mitteret,quia poſseſsio inferioris Pãnonię data eſset Ferdinãdo Regi, ea non poterat videri legitima cauſa belli,quoniam illud negotiũ fuiſset à regina,at non à ſe tractatum per nuptias filij,qui Ferdinandi filiã in matrimoniũ duceret. illa de cauſa liberam prouinciã miniſtris Ferdinandi illa reliquerat, atq; ſeſe Caſſouium receperat. non eſſe mittẽdũ exercitũ inquit ad labefactandos populos rerum omnium ignaros, quòd ipſe eiecturus eſſet omnes Ferdinãdi copias,quæ in prouinciam fuiſſent ingreſſæ,ſoluturusq; tributũ ordinarium,vti promiſſum fuerat.additæ ſunt clã in hanc ſententiã & primatum eius regni ſupplices literæ ac preces ad placandnm animum Solimani, quæ eadem confirmarent. Sed tamen nulla ex parte retardatur celeritas & ſtudiũ & furor Turcarum Byzantio egreſſorũ:quia cum dux ſummus Taurumnum acceſſiſſet,extructo põte ſupra Danubium caſtra propinqua fluuio Tibiſco ponit. ibi quoq; ponte per ſummam diligentiam excitato ad oppidũ Becche contendit, quod eſt in ripa propè fluminis ſitum.deinde cũ omnibus copijs in ea planitie caſtrametatus monet præfectos finitimarum regionum vt copias ad ſe celeriter mitterent,quas belli tempore ſubmittere deberent. Caſtalius contrà,dum Turcæ copias colligunt Aldanam,magiſtrũ caſtrorum monere Georgiũ iubet Loſantium vt cũ ſexcentis equitibus Tibiſcum vrbem ingrederetur, atq; imperat ipſi Aldanæ vt cum ſuis Hiſpanis ibi præſtò eſſet. Georgio Loſantio defert ſummum imperium rerum bellicarũ,& adminiſtrationem eius regionis:qui etiã communi conſilio cum Aldana Tibiſcum munierat,& nonnulla caſtella finitima pro breuitate temporis,neq; vllum tempus intermittebatur faciendis reparationibus, & inſtaurandis ac reficiendis partibus vrbis opportunis. fiebat certior de his omnibus Battor Andreas Liziſi,qui ſtatim ad colligendũ quantũ copiarũ poteſt animũ adijcit. oẽs monet opẽ ferre oportere aduerſus communẽ chriſtiani nominis & libertatis ſingulorum hoſtẽ. Raſciorũ primarios,qui populi ſunt Pannoniæ inferioris ad meridiem habitantes,nunc Rhatiani vocati,quorũ inconſtantiam ac fidem ſuſpectam haberet,ad ſeſe accerſit.non tam vt eorum opera vteretur, quã vt Turcarum partibus ne fauerent.vt vero magis eorum fidem ſtabiliret quatuor millibus ferè illorum præbet ſtipendia,cum multi illorum principes etiam vltro ſe offerrent.collectis igitur ſumma atq; incredibili propè celeritate quindecim millibus armatorum, quorum maior pars erant equites, illas copias educit in apertum,atque ad Liziſum caſtra ponit,vt hoſtis adhuc inter duos fluuios caſtrametati conſilia exploraret. Caſtalius vrbes munit in Pannonia inferiore, quæ illa opera indigerent,qui cognoſcens purpuratum tribunum ſiue Belerbeium Tibiſcum petere,aliam cohortem Hiſpanorum mittit cum pecunia in ſtipendia Raſciorum. comitia indicit Zibinium.curat vt Georgius Vaiuoda regni copias colligat ad ſubſidia Tibiſci.iubet Battorem quantum poſſet copiarũ Loſantio mittere ad turbandũ traiectum Turcarum ne Tibiſcũ fluuiũ pertranſirent.at Georgius quia non putabat futurũ per ſuas literas vt Turcæ progrederentur,qui prius negotiũ ſubfrigidè curauerat,vbi audiuit eos pontes ſtruxiſſe, colligit ad tria millia equitum, quibus in apertum eductis ſcribit ad omnes vrbes quæ paratas copias haberent,vt ad ſecundum mandatum mitterent quantum deberent

Reginæ Pannoniæ mœror.

Georgij monachi literæ ad Solimanũ

Becche opp.

Rhatiani qui ſint.

Pannonicus mos conuocandi ad arma.

deberent copiarum. eſt autem conſuetudo militū conuocandorum ad vexilla, vbi res ita tulerit in inferiore Pannonia, vt ad cōmunem ſalutē libertatemq; tuendam inuitentur, atque lancea cruenta ta, & gladius ab equite per ſingulas vrbes obequitante publice feratur per uicos, quem alius pedes ſequitur propinquus omnes inuitās ad arma ſumenda contra cōmunem hoſtem. his auditis omnes qui apti ſunt tractandis armis per ætatē ad ſtatutum locum conueniunt, atq; ita breui magnus equitum peditumq; numerus colligitur.

Munia & ſtipendia data monacho.

Caſtalius qui ſuſpectā haberet Georgij monachi inconſtātiam, illi quæſtoriū munus cum ſtipendio quatuor millium nummum concedit, & Vaiuodæ cum quindecim millibus, adaugetq; equitatum & peditatum ad corporis cuſtodiam, tantaq; liberalitate delinit, vt Zibinium ad comitia conuenerit paulo ante indicta. in his pecunia ad regni defenſionem petita obtinetur, qđ in ſuperioribus obtineri non potuerat. Quæ dum parantur ad futurum bellum in inferiore Pannonia vtrinque, Philippo in Hiſpaniā profecto, vt diximus, Maximilianus Boemiæ Rex iam per Italiam cum Maria Caroli filia Iuliobonam redierat per magnam eius ciuitatis lætitiæ ſignificationē & ſolennitates: quo tempore Roma allatæ ſunt literæ ad Ferdinandum regem, quibus ſignificabatur breui futurum vt Georgius in numerum purpuratorum Cardinaliū cooptaretur. at Belerbeius interea omni conatu nitebatur ne regiæ copiæ coniungerētur, qua de cauſa Ferdinandus præter copias, quas mittebat in inferiorē Pannoniā, præſidia in finibus Pannoniæ ſuperioris adauxerat, ne ſi illi fines inuaderentur, nō poſſent reſiſtere. mittit Andream Brandaium cū tribꝰ millibus Germanorū, Carolū Scerettinū virum Maruingum cum quadringentis equitibus, quorū plerique erant cataphracti horum omnium ſummum imperium erat penes Sfortiam Pallauicinū. hæ copiæ Varadinū profectæ Caſtalij mandata expectant, qui per Georgij ſuſpicionē cū non poſſet ex illo regno exire, mittit nuntiatum Sfortiæ vt cum Germanis copijs ad ſe proficiſceretur. Sfortia relictis in præſidijs alia cohorte Germanorum, alia Saſſebeſſæ, duabus Zibinij, cū reliquis Germanis Hiſpaniſq; copijs ad caſtra cum Georgio coniungenda properat. nuntiatur interea Turca tribunus cum octoginta millibus armatorum, & quinquaginta muralibus ac mediocribus tormentis Tibiſcum fluuium traieciſſe, infeſtaq; ſigna conuulſiſſe Tibiſcum vrbem verſus, qui Loſantio ſignificatum mittit Solimani nomine niſi vrbem illam dedat, ſe illū & omnia preſidia iugulaturum, ſicuti iuſſus fuerat, neq; vllius miſericordia motū iri ob eas calamitates, quas ipſi ſibi ſponte aſciuiſſent. Loſantius vrbem illam eſſe regis Romanorū, at non ſuam reſpondet. ſe non poſſe ſine crimine proditionis dare aliena. creditā rem eſſe defenſori, at nō proditori. omnes viros bonos iure debere exiſtimare. ſplendorē gloriamq; militarem facile minas hoſtium contemnere ſolere, quo nomine indignus ſit, qui non pluris honorem, quàm vitam faciat. ſe nullū præter Ferdinandum regem agnoſcere. eſſe magis æquitatis Ottomanicæ pacem & quietem curare, quàm regnum illud, in quod nullum ius haberet, ita armis vexare.

Becche opp. captum.

his auditis Belerbeius ad oppidum Becchen profectus cum omnibus copijs decem muralibus tormentis concutit, qua verberatione magna parte murorū diſrupta, & proſtrata oppidani præter vitam cuncta arbitrio Belerbeij dedunt. ſed cum oppidana præſidia accepta fide ex oppido exiuiſſent, per perfidiā Turcarū ad vnū trucidantur à Ianizzeris præter ducem, qui vix ab ipſo tribuno ſeruari potuit.

Raſciorū ꝑfidia.

Bechereche, & Senanthū oppo.

acceptis deinde per deditionē Bechereche & Senatho oppidis, auctiſq; copijs Raſciorum aduentu, qui cognito Turcarū exercitu potentiore, cōtra iuſiurandū ac fidem datā Ferdinando, cuius etiam acceperant ſtipendia, in caſtra Turcarum transfugerant, ad Liziſum caſtra mouet, explorato, at minime tentato Tibiſco, quia nimis præſidijs & reparationib. munitum apparuiſſet, ac difficilius, q̄ quod tunc expugnari poſſet, decernit omnem finitimorū ſubſidiorum ſpem adimere, & loca oīa, quæ opem ferre poſſent Tibiſco circū expugnare, vt illa vrbs auxilijs poſtmodo priuata facilius ad deditionē compelleretur. primū igitur Liziſum, quò oportebat ſubſidia à Caſtalio miſſa cōuenire expugnandū cenſet, quo cōſilio iubet primā aciem cū ipſe abeſſet etiā iter vnius diei explorare copias Battoris. ſed acies cognita à vigilibus, qui miſſi fuerāt ad explorandū aduentū hoſtium procul ab vrbe ſub noctem, tāta perturbatione ac trepidatione caſtra repleuit, ut pene Battoris copiæ ſolutæ fuerint, cū quiſq; latebras ad fugā proſpiceret. per eū tumultū caſtra mouet ad profectionē relicto in oppidulo Petro viro Pannone præfecto rerū bellicarū apprime perito cū trecentis equitib. & nonnullis Aiduchis. monet hunc quāta poſſit virtute vrbem & oppidulū defendere.

Burgomagiſter quiſit.

vix inde profecto Battore cū ſuis copijs, Burgomagiſter, ſic.n. vocatur ſupremus magiſtratus vrbiū in ijs regionib. ſignificat p̄fecto præſidiorū ſe velle facere deditionē, neq; vitam, honorē, facultates, libertatē, filios, vxores, oīa bona vno tēpore certiſſimo periculo obijcere, ſi tētaſſet illā vrbē defendere, quā Battor ita turpiter reliquiſſet, q̄a iudicauiſſet facile poſſe expugnari. profitetur ſe velle claues offerre, ipſe qđquid vellet de oppidulo ſtatueret. Petrus cū intelligeret à Turcis vrbe occupata oppidulū ęgrè poſſe defendi, decernit p̄ſtare rebꝰ Ferdinādi vt eas copias ſeruaret icolumes, q̄ vt inutiliter immanitati hoſtiū obijceret, quare milites educit.

Liziſum deditum.

Belerbeius capto Liziſo ꝑ deditionē ibi cū vniuerſis copijs ꝑ decē dies morat̄. tū oppidū paruū Solimū, qđ diſtat circiter duo milliaria ab vrbe Liziſo ī edito colle ſitū expugnare adortꝰ eſt. p̄ſidia oppidi parui Tucicas vires faciētia, erāt.n. Pānonica, ſingulari virtute illud tutant: atq; frequētib. leuib p̄liis, q̄ta fieri p̄t moleſtia hoſtes affligūt. Belerbeiꝰ cū neq; minisneq; largitionibꝰ, neq; vlla virtute militari illos ad deditionē poſſet cōpellere aut ſubiugare, ſublatis vexillis ad ꝓfectionē inde caſtra mouet relicto Liziſi Olimano præfecto viro Perſa cū quinq; millibus equitū, & ducentis Iannizzeris, ipſe cū reliquis copijs ad obſidendum Tibiſcum proficiſcitur, quo occupato videbatur oīa Ferdinādi auxilia parui facturus.

Tibiſci vrbis deſcriptio.

eſt.n. Tibiſcū vrbs munitiſſima, vulgo Themiſuar a fluuio Themi vocata, qui eā circūdat, cuius altera pars eſt munita terra & lignis in aggeris morē cōgeſtis, vbi multæ ſunt lacunę, & profundiſſimæ paludes & foſſæ aqua plenæ, vnde neq; tormentis cōcuti, neq; vllo pacto infeſtari poteſt. altera pars

muro cingitur antiquo lateritia materia, atq; interius foſſa ducta eſt inſignis profunditatis & amplitudis, atq; ad turrim quæ mediam foſſam proſpectat, domus terra oppleta eſt collocatis tormẽtis, quæ vndique foſſam defenſat, eaq; cum ſuis lateribus ita eſt extructa, vt ſclopettariorũ vſui maximè ſit accõmodata. comportato igitur in vrbẽ omni cõmeatu, qui erat in ſuburbijs, oĩa ſuburbana ædificia ſuccẽduntur, ne fierent vtilia caſtrametationib. hoſtium. Tum præſidia ac ciues Tibiſci ſtatuũt vel honorificè vrbẽ defendere, vel per glorioſam mortẽ fortitudinis non vulgaris exemplum ad poſteros tranſmittere. pridie idus Octobris prima Turcarũ acies vrbẽ ad expugnationẽ explorat, quo tẽpore Loſantius egreſſus cũ quadringentis equitibus preter Aldanæ conſiliũ, & Viliandradus cũ quinquaginta ſclopettarijs leue præliũ cõmittit, in quo certamine Loſantius ipſe glorioſè decertauit, atq; egregia opera enituit Alphonſi Rerecij viri Hiſpani. nam tanta virtute & peritia Loſantij certatũ eſt, vt duo Turcarũ millia Loſantianorum fortitudine in caſtra ſint repulſa. Aldana, quia verebatur ne illa victoria ſuos nimis alacres in periculum alliceret, cum eſſent tot millia hoſtiũ, mittit qui ſuo nomine hortarentur Loſantiũ, vt iuberet cani receptui. atq; illud factũ eſt ſine vlla ſuorũ iactura quãuis Turcæ in redeuntes pſertim impetũ facerent, & ad ſuburbia vſq; ſint inſecuti. nam ibi ſubſidia ſclopettariorũ collocata fuerant hac ipſa de cauſa quæ vbi in irruentes Turcas glandiũ procellã effundũt, eos cogũt recedere. poſtridie eius diei Belerbeius vniuerſas copias vrbi oſtentat, quæ acceſſione Raſciorum ad nonaginta millia hominũ excreuerant. ibi tam amplæ, tamq; cõdenſatæ oſtẽtantur phalanges, vt vel illud ſolũ vrbem poſſe trepidatione replere crediderit. ſed vbi vellet vrbẽ explorare, rurſus egreſſorũ pſidiorũ virtute re fruſtra tentata repellitur. tertio abhinc die directa ſunt tormenta in eã partẽ vrbis, in qua forte Loſantius & Aldana munitionem inceperant, quo ſanè hoſtium conſilio per exploratores cognito foſſam latiorẽ faciunt illa nocte inceptã, ita vt poſtero die valde eſſent muniti. directæ ſunt duæ ſemicolubrinæ, & duo ſemicãnones, reliqua que minora tormẽta, hiſq; vrbs concuti cępta, quare pſidiorũ duces cęperunt eas Turcarum vires paruifacere, quippe cũ nulla ratione viderentur vrbe poſſe potiri, niſi illud per acerrimũ maiorum tormentorũ impetũ tentarent, atq; oẽs propè muri eſſent aperti ac proſtrati. Quæ dum ad vrbem Tibiſcum aguntur, Caſtalius collectis copiis, quas habebat iã in hybernis caſtra, cũ monacho coniũgit, qui circiter ſeptuaginta millia hominũ ſumma celeritate collegerat: quæ vires ẽt ĩ dies ſuccreſcebant, adiunctis cohortibus Pallauicini & decem millibus hominũ Battoris. creuerant. n. eò vires copiæq; Ferdinãdi, vt eſſent in eius caſtris nonaginta millia hominũ, quos ſequebãtur quinquaginta tormẽta. in his copiis, tametſi numeroſæ erant, tñ cũ eſſent pleriq; rerum bellicarum imperiti, & quales tumultuarij eſſe ſolent, male inſtructi, promptioreſq; ad fugã quàm ad pugnã, Caſtalius parum firmamenti ſe habere oportere cenſebat: cum omnẽ ſpem in mercenarijs militibus collocaſſet, qui partim pedites, partim equites variarũ nationũ accedebãt ad quindecim millia armatorum, & in quingentis Hiſpanis viris lectiſſimis, quos ſemper ſecũ habebat. nationes aũt illæ nullũ ordinẽ ſeruabãt, erantq; oĩa cõfuſione plena, cũ nulla natio vellet ad alia munia militaria obeunda cõmuni conſilio cõſpirare: ſed ſingulæ proprijs munijs ac ſeorſum fungi niterentur, neq; vllas vel preces vel blanditias ducũ audirent. Hæc vna ſanè peſtis omnẽ gloriã Germanici nominis deſtruxit, & in perpetuũ deſtruet, donec id conſilij captũ ab oĩbus fuerit, vt vni imperatori parentes vno conſilio, vna mente, vno animo vtantur ad cõmunem ſalutem & libertatẽ, & patriã aduerſus barbaras gentes nationeſq; defendendam. Caſtalius his diſcordijs cognitis curauit aĩos ad concordiã reducere, quare conuocatis inſigniorib. ducib. & primarijs cuiuſq; ordinis ac nationũ, eos ita ferè ad concordiã & ad ſeruandos ordines militares cohortatur. exiſtimo vobis manifeſtũ eſſe cõmilitones nullũ neq; imperiũ, neq; regnũ, neq; vrbẽ, neq; domũ ſaluã eſſe poſſe, vbi vel nullę leges ad felicitatem dirigẽtes fuerint, vel ſi exiſtãt, parũ diligẽter ſeruẽtur. quippe cũ lex populorũ regina, anima ciuitatum, firmiſſimũ omniũ ſocietatũ vinculũ vbiq; ſit neceſſaria. at quanto magis ſeruandæ leges militares ſunt in caſtris vbi propius ſumus periculo, & vbi multi ſunt homines malefici, qui ſpe prædæ & impunitate cędiũ conueniũt ad vrbiũ agrorũq; populationes: qui niſi legib. coerceantur & ingenti metu ſuppliciorũ, nulla differentia amicos ab hoſtib. tractarent. omniũ vero legum militariũ prima & regina, vt ita dixerim lex ea eſt, vt imperatori cõmuni omniũ ſaluti, & regnorũ conſeruationi cõſulenti pareatur. quod niſi fiat, irriti ſunt & inanes oẽs regũ conatus, fruſtraq; maximè copiæ cõparantur, vbi imperatore caruerint. carent autem exercitus imperatore, qui imperatoris voluntati non obediũt. imitari oportet ſapientiſſimos illos Romanos conſules, qui cũ exiſſent ad bellum pro patriæ ſalute priuatas ſimultates, & odia intra fines agri Romani depoſuerunt, reſumpturi vbi rediiſſent in patriã parta patriæ victoria. facile futurũ eſt ſi per has diſcordias inter vos diutius cõtenderitis, vt patriã, filios, facultates, libertatẽ in manus crudeliſſimorũ hoſtiũ tradatis. nihil. n. magis optabile eſt barbaris, quàm vt cõia arma harũ prouinciarũ inter ſe ad mutua vulnera cõuertant ꝙ ſi ſapietis omnẽ ambitionẽ omniaq; odia deponetis, atq; omne ſtudiũ cõuertetis ad ꝓfligãdos cõmunes hoſtes. ad ꝓpulſandũ iugũ ſeruitutis à veſtris ceruicib. ad reſtinguẽda tectorũ veſtrorũ incẽdia. ad repellẽdos acinaces à iugulis vxorũ, filiorũ, affiniũ, amicorũ veſtrorũ. non põt tãtus malorũ cumulus propulſari priuatis armis alicuius nationis, ſed cõmunib⁹ omniũ. neq; vtilia illa fore, niſi vni imperatori obtẽperetur. ſe aũt omniũ periculorũ & laborũ ſociũ ac ducẽ futurũ pollicetur, ꝗ ad eã expeditionẽ nõ aliqua ſua priuata cã cõpulſus, ſed ſtudio defendẽdæ eius regionis, acceſſerit: quã ꝓpriã cãm poſtea fecit amor & charitas ĩ oẽs illos populos, et ĩſignis ſpes triũphi de immanib. Turcis reportãdi. His rõnib. oẽs diſcordiæ, oĩſq; ambitio repreſſa eſt, animiq, coniũcti & cõſilia omniũ, vt vni⁹ Caſtalij viri alienigenę imperio ſubijceret, qđ nõ ita feciſſẽt, ſi imperator fuiſſet Germanicę, vel Pãnonicę alicuius pſentis nationis. hæc. n. peſtis ĩuaſit vniuerſũ ferè terrarũ orbẽ, aut ſaltẽ

Tibiſcũ obſeſſum.

Copiæ Fedinandi.

Caſtalij oratio prudens & ſalubris.

certe

certe vniuerſa Chriſtianorũ regna, vt ciues ſuos quiq; ſapientiſſimos ac pſtantiſſimos in vna quaq; re faciãt paruı, at mediocres externos admirẽtur, ac maximè colant, contra quàm deceat. ſic. n. fit vt viri boni è patria omnes exterminentur, qui maxime vtiles ſuis ciuibus eſſe poſſent, alijs naſcantur ciuitatib. quæ res multas vrbes euertit, & euertet in poſterũ. ſtaret. n. adhuc florentiſſima vrbs Troia, neq; Græcis flammis ac ferro cõcidiſſet, ſi paruiſſet Caſſandræ monitis. Caſtalius cẽſis copijs magnis itinerib⁹ coniunctis virib. cũ monacho cõtendit ferre ſuppetias Loſantio & Aldanæ, qui Tibiſci obſidebãtur. primo die monachus ꝓcedit in prima acie, qđ Caſtalius permittit. at vbi caſtris hoſtiũ propinquaret, ipſe eſſe voluit in prima acie cũ pſtantiore manu militũ. monachũ in confertiſsima phalange eſſe ſtatuit, cũ ipſemet ẽt caſtra oĩbus copijs eligeret in munitiore cõmodioreq; ſitu, q̃ ſeſe oſtentaſſet. at vbi difficultas anguſtiæq; viarum nonnihil copias retardarẽt, qđ per anguſtũ ſpatiũ inter fluuium & montẽ inter eſſet faciendũ. neq; fieri poterat vt tantus armatorũ numerus breui ꝑ illas anguſtias pertrãſiret. ad euitandas eas viarũ difficultates nõnulli exiſtimabãt fore commodius vt oẽs copiæ Liziſum diuerterent ad illã vrbẽ expugnãdã, q͞a ſic futurũ videretur, vt Belerbeius cogeretur ſoluta obſidione Tibiſci opẽ ferre Olimãno. Caſtalius vtrunq; vno tẽpore fieri poſſe exiſtimat cũ tãtas haberet vires. nã relictis tot copijs, quæ poſſent Liziſum obſidere, & moleſtias Olimanni diuertere ac fugã impedire, ipſe vniuerſum exercitum iubet Tibiſcũ verſus ſigna couertere. monachus in itinere monet ſibi nõ videri adeũdũ eſſe Tibiſcũ, cũ tumultuarijs copijs ſcilicet aduerſus veteranas & exercitatiſsimas Turcarũ acies, qui ſi collatis ſignis eſſet dimicandũ, certiſſimã victoriã de tyronib⁹ erant reportaturi. Caſtalius laudat mutationẽ ſententiæ monachi, ꝙ in tantis reb. vtile ſit conſiliũ in melius mutare. rogat tamẽ vt Liziſum accedat. docet in vnius vrbis expugnatione cõſiſtere vniuerſum imperiũ inferioris Pannoniæ. rogat ne Chriſtianũ nomẽ in tanta opportunitate rerũ paruifaceret. obteſtat̃ ne tantã gloriã, quãtã cõſecuturus videbatur illa ciuitate expugnata negligeret. ſe illi ſummũ eius rei inquit deferre imperiũ, ſeq; tanquã priuatũ ducẽ mandata executurũ. rogat vt iſtud celeriter fiat, q͞a finis tẽporis petitorũ auxiliorũ à Loſantio & Aldana laborantibus rebus erat propinquus, qui per viginti dies tantũ ſe poſſe Turcis reſiſtere profitebãtur, cũ diurnis laboribus pugnæ, nocturnis excitandarũ munitionũ ac reparationũ aſſiduè fatigarentur. monachus, ꝙ Liziſum inuitus accederet, tardius iter facit ea ſententia, vt daretur tẽpus Olimãno aufugiẽdi, quẽ in vrbe tam imbecilla tantũ exercitũ nõ putabat expectaturũ. nũtiatur interea Belerbeius audiitis copijs hoſtiũ propinquare, vbi ꝑ octo dies Tibiſcũ verberauiſſet, quãuis noua tormẽta attracta eſſent ad exercitũ, ab illa oppugnatione copias retraxiſſe. idcirco quo die Tibiſci pſidia Turcarũ conatũ mane expectabãt, foſſas & aggeres & caſtra deſerta ꝓſpiciũt. at tormẽta ipſa certe attracta sũt in ea caſtella, q̃ occupauerãt illa nocte, q̃ anteceſſit. vrbana præſidia ſtrepitũ motorũ caſtrorũ audiẽtia noua tormenta attrahi rata mittunt quoſdã Aiduchos ad exploranda caſtra, qui referunt tãta celeritate & confuſione rerũ omniũ Turcas ſe recipere, vt multos ẽt globos ferreos intra foſsas reliquerint. at die poſtero in caſtris Georgij vbi cognita fuit Tibiſci obſidio ſoluta, magna lętitia percepta eſt, atq; cõuocatis pſtantioribus ducibus ad militaria comitia decernitur vt Liziſum oppugnẽt, ne illa munitio à tergo relinqueretur, q̃ poſſet inſecutoros hoſtẽ infeſtare. vix quatuor milliaria copiæ diſtabãt à Liziſo cũ tabellarius accedit in caſtra, q̃ nuntiat Pontificẽ ad preces Ferdinandi regis Georgiũ in patrũ ſacratorũ purpuratorũ ſenatum cooptaſſe, atq; affert purpureũ galerũ, & multorum Cardinalium literas, q̃ iſtud ipſum ſignificabant, exponebãtq; cũ quanto totius ordinis patrũ gaudio & cõſenſu fuiſset exceptus. ſe gratulari pro accepta quidẽ dignitate, ſed multo magis ꝓ accepta gloria partaq; apud oẽs Chriſtianas nationes cũ tanta prudẽtia, tantis, tamq; diuturnis laboribus animi & corporis illud regnũ aduerſus immanẽ Turcarũ gentem, tyrãnideq; defenderit. Georgius his laudibus, & hac honorificentia dignitatis, nõ minus, quàm dignitate ipſa, lætatur: quippe cũ dignitatem videri vellet paruifacere, at nõnulla ſigna tamẽ lætitiæ domeſticis ediderit. Georgius tñ neq; his quidẽ adduci potuit vt ſincero animo Ferdinãdi partes cõplecteretur, neq; Ottomanicã in ſe indignationẽ nõ magnopere curaret, cũ multo pluris Solimani, quàm Ferdinandi amicitiã faceret. illo cõſilio impulſus eſt vt ſibi delatos honores & duces ipſos regios ꝑ nihilo haberet, quare in ſuſpicionẽ alicuius proditionis clã incidit. Caſtalius ea opinione de Georgio cõcepta nũquã oculos ab illo diuertit. oĩa eius dicta, facta, cõſilia, cogitationes pro viribus diligentiſsime obſeruat. de his oĩbus certior fiebat Ferdinandus. quæ dum obſeruantur à Caſtalio, Iulius Salazarius vir aulicus vnus e domeſticis Ferdinãdi venit in Caſtra Iuliobona citatis equis, literaſq; reddit Caſtalio, qb. continebatur, ſi copię nõ exiiſſent ex inferiore Pannonia, ne exirent, ne forte à Georgio excluderẽtur, curareturq; quãta fieri poſset celeritate, & cõmodo vt is è medio tolleretur: quoniã per Byzantinos exploratores, ꝑ literas regis Poloni, & ꝑ ſignificationes multorũ procerũ cognitũ eſset, Georgiũ nihil aliud curare, quàm vt in fidẽ amicitiãq; Solimani reciperetur, atq; eũ velle Caſtalium cũ oĩbus copijs trucidare, quib. actis promiſsum erat ipſum creatũ iri Solimani cõſenſu regem inferioris Pannoniæ. Caſtalius nihil horũ nõ expectãdũ cenſet, ac nihil noui ſignificari putat. veruntamen ne monachus incideret in aliquam ſuſpicionẽ, nuntiat, quæ Ferdinandus audierit de viribus hoſtiũ ſibi ſignificauiſse: multaq; addit figmẽta, q̃ videri poſsẽt probabilia, & quo pacto tãtarũ rerum magnitudo appareat agenda. Ferdinandum magnopere cupere videre exitum eius belli, cuius ſibi certam victoriam propoſuiſset. tamen in Georgij iudicio & peritia rerum bellicarum omnem eius expeditionis gloriam collocaſse. his ambagibus res ad maturam opportunitatem protracta eſt, itaq; aptũ tẽpus obſeruatũ, ne regnum vnã cũ ipſo Georgio amitteretur. quæ dum ſtruuntur ad opportunitatẽ, exercitus Liziſo propinquat. Georgius curat eſse in prima acie, qđ cõceditur, ſed quo iam anguſtus trãſitus ſequẽtis noctis erat propinquus, mittit nũtiatũ Caſtalio ſibi nõ videri tormẽ-

Tibiſci obſidio ſoluta.

Monachus Georgius Car. creatus.

Literę Ferd. ad Caſtaliũ de monacho

ta maiora illac trahi poſſe, quare ibi eſſe relinquēda cū tantis virib. equitatus ac peditatus præſidio
rum,quantæ poſſent ea defendere.hortatur Caſtalium vt ipſe cū cāpeſtribus tormentis ſequeretur.
Caſtalius qui ridiculum putaret copias ad expugnādas vrbes proficiſcentes neceſſaria inſtrumēta re
linquere,& illa quæ ſola viam pate faciunt exercitibus, cū etiam non tam hebetis ingenij Georgiū
eſſe arbitraretur, qui non videret tranſitum illum ſine magna moleſtia non poſſe parari, cogno-
uit ſuſceptam expeditionē non eſſe è monachi ſententia.iubet igitur operas acciri.locum ita para-
ri vt ſaxo paulatim exciſo è monte via dilataretur.fieretq; tormentorū capax & rotarum. prima ita
que nocte non parua pars tormentorū tranſit. ſed vbi hora eſſet tardior,ibi cū phalange ac poſtre-
ma acie caſtrametatur. iubet Hiſpanos duces,quos ſecum habebat,curare tormenta, vt per noctē
procederent,quia per diem daretur tempus quieti. ipſe nemine ſentiente cum ſuis cuſtodijs clam
ad caſtra Georgij peruenit,quæ diſtabant ad decem millia paſſuum à Liziſo. tentorium monachi
cum multis Hiſpanis,Italiſq;ducibus ingreditur, atq; ne caperetur admiratione, hortatur,quia tam
repente apparuiſſet,ꝙ magno deſiderio teneretur intelligendi conſilij,quo ipſe Georgius adductus
ſit vt nūtiatū miſerit tormenta maiora eſſe relinquēda tā propinquo hoſte præcipuè,vnde inſignis
gloria ſperaretur.his reſpondet monachus ſe illuc vſq; profectū eſſe,ꝙ ſperaſſet hoſtem copias om
nino retracturum,qui tamen nondū Tibiſcum fluuium traiecerat. iſtud ſibi non mediocrem curā
afferre. cum etiam Olimanus ſtatuiſſet Liziſi oēs conatus hoſtiū ſuſtinere. Quòd ſi Belerbeius ſup
petias ferre conaretur,non eſſe vlterius procedendū,cum nunquā tantis copiis, tam rerum bellica-
rum peritis obuiam proceſſerit. fieri non poſſe, vt cum tyronibus reſiſteret, nedum recuperaret, q̄
Turcæ occupauerant.ſe non iudicare & copias & regnum vno tempore fortunæ arbitrio eſſe com
mittendū,ſed potius procurandas inducias. Caſtalius habendam eſſe honoris rationē reſpondet.
non ignorari potentiſsimos vtrinq; exercitus eductos.ſi relicto Liziſo in poteſtate hoſtium, in qua
vna vrbe ſalus eius regni,& Pannoniæ ſuperioris, & omnis prope Chriſtiani nominis quies conſi-
ſteret, fierent induciæ,eas nō poſſe carere ſuſpicione proditionis apud exteras nationes.rogat vt ſu-
ſceptum negotiū exequatur,cū iā tormenta maiora acceſsiſſent,quod non ſine admiratione ille au

Maroſſus flu.

diuit. ſic igitur lubens Liziſum verſus caſtra mouet.Caſtalius cū tribus millibus equitū Pannonū,
& quadringentis cataphractis vrbem.ad expugnationem explorat,quę ex altera parte,quoniam Ma
roſſo flumine alluitur munitiſſima eſt,atq; ex altera parte habet collem editiorem, vrbiq; imminē-
tem,facile expugnari poſſe apparuit.nam cum ad excitandū leue prælium copias miſiſſet,ipſe pau-
cis comitantibus ducibus ad foſsas vſq; progreſsus omnia diligenter ſpeculatur. Turcæ non exeūt
in prouocantes, ſed multos ſclopettos ex vrbe diſplodunt,ne vrbs recognoſceretur. Caſtalius vrbe
diligenter explorata ſuos à leui certamine in caſtra reuocat.ipſe in caſtra redit. omnia quæ contige
rant ad Tibiſcum docetur.tum caſtra mouet.cum omnibus copijs explicatis vexillis ſe Liziſo oſtē
tat. vbi in acie aliquantulum conſtitiſset,collem occupat imminentem vrbi.monachus cum ſuis co
pijs e regione oppiduli caſtrametatur. datum eſt hoſpitium mercenarijs Ferdinandi copijs in parte

Liziſum obſeſſum.

editiore Liziſo imminente, atq; ipſe Caſtalius inter hos tentorium locat.Dum Caſtalius ita caſtra
metatur, Turcæ ſuburbium cōcremant,ꝙ multus ibi ineſset commeatus, & non mediocris copia
optimi vini.ad illud incendium reſtinguendū, ſeruandamq; annonam Caſtalius centū mittit ſclo-
pettarios Hiſpanos Duce Ioanne Villioa,quæ vel per ſummam diligentiā tamen ſeruari nō ita po-
tuit,quin Aiduchi quidam ebrij,ijq; plures quingentis auſi ſint Liziſum quaſi Bacchico furore im
pulſi ſine ſcalis aggredi, qui oēs propè à Turcis in pecudum morem trucidati fuerunt in foſſis ip
ſius vrbis.interea omnes copiæ caſtrametantur. accedit in caſtra Patochius vir Pannonicus cū qua
dringentis equitibus & peditibus ſexcentis,quos proprijs ſumptibus alebat,& cū quatuor tormen-
tis bellicis ad bellū Liziſenſe,quo in itinere caſtellum ēt quoddā Turcarum vi expugnat. milites p̄ſi
diarios & oppidanos ad vnū trucidat.oppidū diripit ac ſuccēdit.ducē oppidi captū in caſtra addu-
cit.ſed tamen interfectus eſt & ille à milite quodam qui eū ceperat ob deſperationē redemptionis,
cū Patochius eū ſibi arrogaret Caſtalio largiturus. dū Turca Tibiſco copias retrahit, egreſsi in ho-
ſtes ducenti equites, & centū ac viginti ſclopetrarij Hiſpani nulla re memorabili geſta coguntur re-

Oppidū Gala captū per mentitas veſtes. Stratagema.

cedere, quod fit apud Galā caſtellū Turcarū. illud ēt venit in poteſtatem Caſtalij per quādam frau-
dem: nā cū oppidanni maiora præſidia à Belerbeio popoſciſsent,cū multi milites Caſtalii induti eſ-
ſent veſtib. cæſorum ad Tibiſcū Turcarū crediderūt petita aduētare præſidia.quare ſtatim in oppi-
dū apertis portis ſine cōtrouerſia admittūtur.cū illud oppidū ita Tibiſci p̄ſidia ex itinere cepiſsent
abductis captiuis oppidū flammis abſumūt,atq; Tibiſcum redeunt.ſed quoniā nox aduentaret miſ
ſus eſt Villioa,Thomas varcochius,Antonius Azinetta ex altera parte ad explorandū Liziſum ad
expugnationē,ex altera Aloyſius Bariētus & Viliandrādus, tū rurſus ex alia alij duces vt diligentius
negotiū conficerēt.re itaq; diligentiſsime explorata parua q̄dā tormenta in colle ſtatuuntur in eas
vias,q̄ apertę paterēt,turbanturq; Turcæ ne vrbē interius munire cōmodè poſſet. poſtera nocte iu
bet Caſtalius in eā partē, q̄ omnib.imbecillior fuiſse viſa eſt,tormēta dirigi.atq; cū primū illuxiſset
ſex muralibꝰ tormētis vrbs cōcuti cępta,ꝙ eo die & ſequenti nocte nullo intermiſſo ſpatio tempo
ris factitatū eſt.nā tormenta propter vim frigoris facilius id ferre poterant,cum Nouember menſis

Liziſum concuſſum.

eſset,& id in locis frigidis p̄cipuè ageretur. cū ad tertiū vſq; diem ita vrbs acriter fuiſset cōcuſſa,ma
gnaq; murorū pars proſtrata apertaq; iaceret,ac ruinæ factæ eſsent ingētes, ne daretur tempus vr-
banis muniēdi interius,ſtatuit Caſtalius vrbē inuadere,ſed cū munitio iam apparere inciperet,quā
Turcæ interius erigebāt, rurſus iubentur magiſtri tormētorū reparationes cōcutere duob. additis
tormētis,quod magno impetu factū eſt. Turcæ īterea foſſā duxerāt interius eximiæ ꝓfunditatis &
amplitudinis,geminoſq; ordines vaſorum vinariorum plenorū terra erexerant,cum tranſuerſis de-
fenſionibus,

fenſionib.atq; ſuper illis duo campeſtria tormenta collocarant in inuaſuros vrbē.at nonnulli Hiſpa
ni,qui extra cęteras copias ad foſſarū cuſtodiā,& ad ſpectandā verberationē cōſtiterant, cupidi glo-
riæ,cū primi inuadēdæ vrbis ſignum expectarēt,quia vnus eorum incredibili deſiderio ēt cōpulſus
eſt vt verberationē,quamuis non ſatis diligenter exploraret,neq; viſis,quæ interius erāt parata , nū-
tiat apertum locum ad iuadendū eſſe idoneum.eo nuntio accepto ſtatim arrexerunt aures Hiſpani
vt primi acciperēt ſignū pugnę.decernitur vt vrbs inuadatur. inflāmātur animi militū à Caſtalio
ad expugnationem nūc pollicitationibus munerū pro ſingulorū virtute,nunc reuerētia religionis,
& diuini cultus:cū pro gloria,pro ſingulorū dignitate,pro Chriſtiani nominis defenſione, pro cul-
tu deorum immortaliū, pro patria, pro vxoribus,pro liberis vno certamine dimicetur. additę ſunt
ingentiū munerū pollicitationes illi , qui primus Liziſum eſſet ingreſſus tum Caſtalij , tum etiam
monachi nomine.ac ſi nobilis prior ingrederetur,annuus prouentus ducentorum nummū , & du-
cēta caſalia.ſin eſſet ignobilis, promiſſa eſt nobilitas , & dimidium eorum munerum. Hiſpani qui

Oratio Caſta lij ad inuaſu ros.

intra foſſas conſtiterant,cū vexilla dirigi atq; importari in vrbem proſpicerent,veriti ſibi illū hono
rem præripi īcredibili celeritate pręuenire nitūtur,certatimq; ab vtriſq; copijs ad pugnā accurritur
tanto deſiderio vt vanus omnino fuerit ducū clamor ad ſeruādos ordines reuocantiū. accedunt Hi-
ſpani,& cum prima acie Viliādrādus,& Antonius Enzinelius ad ruinas murorum,qui verberatio-
ne minime explorata cū triginta viris illuſtrib.ac ſtrenuis intra ruinas īgrediūt.at cognitis reparatio
nibus Turcarū,foſſæq; profunditate & aggerib.prævalidis cōſiſtūt,quia cognitū eſt Turcas tormē-
ta & omne telorum miſſiliū genus in eos Hiſpanos cōtorſiſſe,qui primi inuaſiſſent.decernunt doce
re Caſtaliū opus eſſe pluribus tormētis vrbem concutere,ac viā per amplius murorum ſpatiū ape-
rire.Aldana eò cū vexillis profectus pugnā conatumq; inſtaurat, neq; concedit tēpus horū cōſilio
perficiendo cum Pannonibus equitib. renouatur ibi atrox & cruentū certamē. pauci è Turcis ceci
derunt.ex inuadentibus complures.erāt n.tria Turcarū millia ad eam verberationem tuēdā deſti-
nata,qui tanta virtute fortitudineq; militari pugnabāt,vt exierint ēt è munitionibus , ac mixtim cū
inuadētib. decertarint.ceciderūt in ea pugna nōnulli inſignes duces, & Viliandrādus grauiter vul-
neratur.neq; illud ſanè ſilentio inuoluendū duxi,ꝙ Ferrādus Bottus acierū Petri Abulēſis inſtruē
darum magiſter abſente ſignifero illo die forte vexillū geſtauit,ac ſuper munitione Turcarū defixe
rat.eū cum Turca quidam glande transfixū deieciſſet conatur vexillū eripere.at non prius illud aſ-

Cruentum prælium ad Liziſi ruinas

ſequi potuit per ſummam vim ſigniferi,quàm opem ferentibus alijs Turcis caput vexillifero ſit ab-
ſciſſum,& vexillū eius ſanguine conſperſum. cæſi ſunt & alij quidā ſigniferi , vexillaq; quatuor è
manibus extorta.ſic inuadentes cū multa ſuorum clade coacti ſunt copias retrahere.quod incōmo
dum vna rōne facile deuitari poterat,ſi per ruinas miſsi fuiſſent duces, aut viri rerū bellicarū periti,
q verberationē ac reparationes hoſtiū dū acies eſſent inſtructæ paratęq; ad inuadēdū exploraſſent ,

Militaris mo nitus.

recurrentesq; Caſtalium docuiſſent.eſt.n.æquè reprehenſione dignū nimiū pugnandi deſideriū , &
quaſi furor quidā & impetus animi,atq; timiditas & inſcitia rerū militarium,& neſcio an non etiā
magis,quia neutrū horum vtitur conſultore tēpore optimo rerum omniū magiſtro & moderato-
re ſapientiſſimo.quæ dum fiūt ad Liziſum Ottomialis vir Pannonicus ſe Peſsium Caſtalio daturū
in manus pollicetur,vbi fuerat burgomagiſter. illud ꝓ Chriſtianos ſuas partes ſequentes ſe factu-
rū īquit,cū ita cū oppidanis cōueniſſet,quib.erat inuiſa Turcica tyrānis.hortatur,vt intrepidè opera
ferat,quia ſi ſubſidia tantū ſe oſtentaſſent,cōtinuo oppidū dederetur.Caſtalius qui ſciret oppidum
eſſe munitiſsimū oībus neceſſarijs rebus,ſe deluſum iri putabat,tamen ne deſperatione illū deter-
reret,hortatur vt differat negotiū ad expugnationē vſq; Liziſi.cæterum Turcæ capita inſigniorum
ducū amputāt,quos ex ornatu armorū dignoſcunt,atq; illa victoria elati vel per ipſas ruinas recedē
tes copias inſequūtur edita ſtrage nō parua. Caſtalius qui verebatur ſi Belerbeius cū ſuis copijs Oli
mano opē ferre properaret,cōclamatā prorſus eſse ſpem recuperandæ vrbis,ſuos ad gloriā , ad mi-
litarē virtutē,ad delēdā cōtractā ignominiā hortatur. nō eſſe formidādā præteritā calamitatē mo-
net,cū nullū bellum tā feliciter geratur nihil vt prorſus contingat aduerſum. cōcedendas eſse rerū
omniū felicium decumas fortunæ,cui ſatis ingēti clade præſenti ſatisfactū eſt. ſperandā eſſe in po
ſterū omnē felicitatē, cū æquitas cauſæ Deum habeat fautorē . vnā eſſe rationē inquit delēdæ infa
miæ,& cōtracti per eā pugnā dedecoris, ſi res in poſterū ſtrenuè fortiterq; geratur.præſtare vel glo-

Altera Caſta lij oratio ad hortans ad pugnam.

riose mori cū omniū populorū laude & admiratione,quàm per ſummū dedecus turpiter & in glo
riè uiuere:quippe cū natura certos clatros & terminū vitæ vnicuiq; conſtituerit ac circūſcripſerit,
vltra quos nemo poteſt erumpere. vnā eſse rationē proferendæ vitę per res cū virtute gloriosè ge
ſtas.hanc ſolā verè poſse vitā appellari,q̄ nō hoc breui vnius hominis de.curſu , ſed æternitate me-
moriæ cōtinetur,quam nemo ſapiēs huic breui lucis vſuræ nō antepoſuerit.nobilitatē, opulentiā,
inſignia virtutum magiſtratus & imperia in cæteros homines,ludicra eſse fortunæ,quæ tam igna-
uis quàm fortib tam demētibus,quàm prudentib. cōmunia ſunt,& ab illa cōceduntur incōſulto.
ſed virtutē & fortitudinē propriā eſse bonorū, diuinū quiddā potius,quàm humanū iu re cen ſeri
oportere,pro patria,ꝓ viris bonis, pro cōi omniū ſalute,ꝓ vero Dei cultu nullos neq; labores neq;
pericula,neq; vulnera,neq; mortē oīno timere,ſi res ita tulerit , cū tāta animi celſitudo nō poſsit
niſi in sūmis & illuſtrib. ingenijs inueniri.nō eſse expectādas copias hoſtiū docet,q̄ iā eſsēt in itine
re.nūc faciliorē eſse expugnationē, ſi modo ꝑſidia vrbana ſentiāt primo conatu ſe cū viris fortib.
& exercitatis ac peritis hoſtib.pugnare.docet ſpem ſalutis omnē in armis reponēdā eſse,at nō in fu
ga & celeritate pedū,quæ ſpes nō ſemel multos incautos fefellit , cū multo plures fugientes,quàm
repugnātes cadere conſueuerint in omnib.ferè prælijs.proximā quamq; victoriā facultatē & quaſi
gradū eſse nō ſolū ad hoſtes infringēdos,ſed ēt ad regna ſubiugāda, cum fortuna plerunq; prorū

pere ſoleat, in quam partem virtus aditum patefecerit. iuſſa eſt vrbs maiore impetu concuti, & militibus imperatum vt curarent corpora. vbi męnia diſrupta ſunt peramplius ſpatium, conclamatū eſt ad arma. ad illum clamorem ſcalæ męnibus vbiq; adhęrent. alij per ruinas, quæ ampliores factę fuerant, vrbem inuadunt. vrbs pluribus quadraginta millibus hominum circumuenta eſt, cū Turcę plures tribus millibus verberationē tantū protegerēt, multiq; Ianizzeri & alij ciues cū Olimanno, qui omnes erant plures quinque millibus armatorum. cępta eſt atrox pugna intus ac foris cum tanto Barbarorum clamore, tanto vtrinq; tormentorum ſtrepitu, & ſonitu tympanorum, tubarū, inſtrumentorum bellicorum, vt omnia circum contremiſcere viderentur. Caſtalius ad euitanda incommoda, quæ ſolent in huiuſmodi prælijs contingere propter confuſsionem perturbationemq; ordinū, iubet omnes cataphractos omnesq; leuiores equites, ac vniuerſum equitatum equitare vlterius, quem in turmas diuiſum in locis opportunis ſtatuit. cum verò propinquaſſet verberationi, cognoſcit Olimannū ſexcentos equites tranſuerſe collocaſſe, qui eius belli euentum obſeruarent, quos nō ſolùm ad defenſionem, ſed etiam ad fugam, ſi res ita poſceret, collocauerat, ſi ex vrbe excedere cogeretur. Caſtalius vt omnem ſpem fugæ ac ſalutis illi adimeret, omnemq; facultatem ſubſidiorum, mittit Turcum Ioannem cum quatuor millibus equitum, & Carolum Scerettinum cum quadringentis cataphractis equitibus ad occupandū tranſitum ex altera parte fluminis Maroſsi, quà ſubſidia poſſent accedere, & ipſi ſalutem ſibi comparare. ſic igitur Georgius optimi ſtrenuique ducis officio perfungens nunc huc, nunc illuc properabat omnib. maturè cōſulens, vt maximè opus eſſe videbatur, vtpote qui munia militaria e longo vſu optimè ſciret exequi. Olimannus contrà & ipſe ſuos ad pugnā accendebat ita, vt egregiam ac ſingularem virtutem præ ſe ferrent, cum diutius conatus eſſet ſuſtinendus, in quo vno poſſent hoſtiū vires facile retundi. nā qui antea magna virtute defenſorum tot inſigniores milites amiſiſſent, qui captiua vexilla tot reliquiſſent in ſuperiore pugna, quo pacto vel fortiores vel alacriores fore putandi ſunt in alijs conatibus? quippe cum primi moriantur in pugna promptiores & ferociores. at vero vbi ad præliū ventū eſt, vrbs inuaditur ſingulari alacritate. cōmittitur atrox, & cruentum ſanè prælium: cum Turcæ neq; tantillum quidem cederent, neq; inuadentes omnino oppugnationem intermitterent. conatus protrahitur in quintā horam. cum duces quidam tantam ſuorum cladem perſpicerent, mittūt nuntiatum Caſtalio optimum videri vt poſt tam diuturnam oppugnationem copiæ retraherentur, qui reſpondit nullò pacto id faciendum eſſe iam afflictis propè ac debilitatis hoſtibus. Liziſum illa nocte omnino capi oportere, quod niſi fieret, præter exiſtimationem, quod certe maximi eſt in re militari, periculoſum erat ne vita quoq; amitteretur: cum maius periculum ſit in retrahendis copijs, quàm in pugna. victoriam penes illos futuram, qui fuiſſent pertinaciores. Georgius viridi paludamento indutus, & Nadaſdus ad ruinas murorum adeunt, vbi erant Germani & Hiſpani miſtim pugnantes. eos ad certamen, ad vltionem amicorum cęſorum in eorum conſpectu, ad proſternendos communes hoſtes adhortantur. ex altera parte Caſtalius videt equites Olimani ſenſim retrocedere, cum non poſſent amplius reſiſtere, qui vel deditionem, vel fugam cito erāt molituri. iubet ducētos cataphractos ex equis deſcendere alios ſtrictis gladijs, ſcutiſq; arreptis, alios captis ſariſsis conari per verberationem irrumpere.

Caſtalij ſtratagema.

omnes imbelles præterea, qui caſtra ſequerentur, iubet haſtatos ad morem Pannonum ſupra collem vrbi imminentem cōſiſtere, quib. militum præfert primū ordinem, vt omnes iudicari poſſent ab vrbanis Turcis eſſe milites ibi collocati ad inuadenda męnia, quæ erant ex eorū regione. mittit ſignificatum præfecto illarum gentiū cū videret vrbem acrius inuadi, vt cum ijs deſcenderet, Liziſumq; verſus cum clamoribus & ſtrepitu procederet, quo Turcæ trepidatione ac metu tātarum virium conſternarentur. deinde redit ad illos, qui deſcēderant ex equis. iubet hos acriter inuadere. Turcæ quo tempore hoſtes ſe recipere ab illa oppugnatione crediderant, renouari conatum intuiti, viſa innumerabili propè multitudine deſcendētium è colle, ita animo concidunt, vt per verberationem, & per męnia, vbi ſcalæ hęſerant, in vrbem admittantur per ſingularem Pallauicini, & ſuorū militū virtutem, qui ſe præclarè geſſit in omni militari officio. cōſcendūt męnia Liziſi Ioannes Villioa, & Franciſcus Salſcedus eius ſignifer cum vexillo, ꝙ cætera vexilla Turcę antea extorſerant. ſic ingens Pannonū multitudo per aditum ruinarum patefactum ingreditur, vbi cōſtratorum cæſorumq; Turcarū permulta cadauera iacebant. omnes Turcæ, qui reliqui erant cum Olimanno magno terrore repleti in oppidulum refugiūt. qui remanſerant in vrbe nulla facta defenſione ad morem pecudū trucidātur. tantus erat ſtrepitus & gemitus vbiq; languentium & morientiū, vt miſerabile appareret ſpectaculū. vrbs diripitur. equites ad fugam parati veniūt in poteſtatem equitum Turci Ioannis & Scerettini. hi ad vnum trucidati ſunt, cum partim ſint ab ipſis equitib. iugulati, partim qui ſibi videbantur traiecto fluuio natādo poſſe euadere, à Germanis Pannonibusq; peditibus haſtatis telis trāfixi ſunt, antequam poſſent ad vlteriorem ripā euadere. Olimannus cū magna manu equitum ex vrbe egreſſus, vbi tantam ſuorū ſtragem videt, vt vitam ſeruaret, ſtatuit in oppidulum redire, quò profectus magnam ſuorum manū reperit, cuius in ingreſſu multi vi ſequentiū in foſſam ceciderunt ac perierunt. vbi nox aduentaſſet, cuſtodiæ ac vigiles ſunt impoſiti ne Olimannus euaderet per noctis obſcuritatem, cum certò ſciretur nullā propè annonam eſſe in oppidulo. Caſtalius iubet oppidulū in poſterū diē à trib. laterib. cōcuti, datumq; munus eſt erigendorum tormentorū Pallauicino. decretum eſt vt vnà verberatio fieret è regione portę oppiduli, alia fluuium verſus, vbi Pallauicinus cum mille peditib. & quingētis equitibus ipſe caſtrametat, alia apud foſſas occidentē verſus. in ſingulis hiſce locis ſex erant duplices cānones, & totidē mediocria tormēta ad decutiendas eripiēdaſq; defenſiones. his tormētis ꝑ nouē dies aſſiduis verberationibus cōcuſſum eſt oppidulum. Turcæ tanta, tamq; violenta verberatione, tā aſſidua territi, poſtulāt

facultatem

facultatem colloquij, vt poſſet agi de deditione. cognitum eſt poſtea è transfugis Turcis propter an
nonæ penuriā in oppidulo incredibili inopia victus laborare copias: quippe quæ vel ad eſum equo
rum, & potum ſanguinis eſſent redactæ; quia oppidulum eſſet paruum, neq; tantarum copiarum
capax. petitū eſt ab Olimano paulo poſt vt liceret ſaluis armis & equis & libertate exire, quod Ca-
ſtalius minime conceſſit. nam cum ſciret obſeſſos non poſſe diutius tempus protrahere, cuperetq;
capere Olimanū, nullā conditionē accipit, niſi cūcta arbitrio victoris concederentur. ad eam condi-
tionem tractandam mittit equitem Pannonem Turcici idiomatis peritum. at Georgius contra di-
citur Olimāno ſignificatum miſiſſe vt cautè & è dignitate negotiaretur, quòd omnia obtineret; quę
clam à Pānone percepta Caſtalio nuntiantur. captus fuit paulo poſt vir quidā Illyrius, qui ſe Geor Monachi cō ſilium liberā di Olimanni
gij nomine illud nuntiaſſe Olimanno profitebatur, vniuerſumq; conſilium Georgij aperuit, qui
cupiebat animum Solimani placare, at non magis etiam irritare. quinetiam niſi Olimannus cum ar
mis & ſocijs dimitteretur, ſe non poſſe eum non defendere dicebat. hinc etiam multa nata eſt illi
cum Caſtalio diſſenſio, id quoniam ita ſtatuerat, decernit optimum videri, antequam negotium trā
ſigeretur, conuocare ad concilium omnes primarios Ferdinandi Regis & inferioris Pannoniæ. dū
ceſſantibus Turcis agitur de deditione, ac verberatio acrior inſtituitur, nequis iure queri poſſet ſibi
inconſulto illum honorem & gloriam præripi, quę diuturnis laboribus ac multo ſanguine pro
pe parta fuiſſet. conueniunt ad tentorium Georgij Caſtalius, Nadaſdus, Battor, Balaſſus, Perennus,
alijq; Hiſpani, Germani, Boemi, Pannonesq; principes, quos præſentes Georgius propoſita barbaro
rum vſitata crudelitate terrere conatur. Proponit quòd Turcę non ſolum in omnis generis & æta-
tis homines ſæpius victores ſæuierint, ſed etiam in ipſa bruta & in plantas, vbi vel iuſtam vel iniuſtā
iram conceperint. non eſſe irritandam Solimani iram per crudelitatem in obſeſſos, quæ multò ma
gis poſſet eum inflammare, quàm iactura ipſius ciuitatis. eorum quos fortuna belli trucidauit, om
nem iacturam fortunæ ſolere aſcribi. at ſeruatos ab illa non poſſe ſine crudelitatis nota apud Impe-
ratorem cædi. facile futurum eſſe, ſi Olimannus liberalitatem obſidentium in ſe non vulgarem eſſe
ſenſerit, cui vitam & ſocios & libertatem largiantur, vt deprecatoris partes apud Solimanum ad res
placandas ſuſcipiat, impetretq; vt ſolutis ordinarijs tributis inferior Pannonia pace & quiete ſine ſu
ſpicione belli perfruatur. victoriam vero pręſentis expedionis non in vna animula Olimanni, aut in
cæde ſociorum obſeſſorum conſiſtere, cum his cęſis infinitus tamen numerus armatorum Solima-
no ſuperſit: ſed acriora tantum odia Turcarum concitari. omnium militarium virtutum maxime
laudabilem eſſe clementiam, quæ ibi poteſt exerceri, vbi cędes neceſſariò exercenda non ſit, quæ ad
omnes fortunę euentus mitiores hoſtes experiatur. Caſtalius reſpondet non ita Georgium pollici
tum eſſe Cęſari ac Ferdinando, ſe tam miti ratione belligeraturum, vt clauſos etiam & prope captos
hoſtes dimitteret, cū ſe perpetuo & inextincto odio Turcici nominis flagrare fuiſſet profeſſus, qua
etiam de cauſa tanta miſſa eſſent auxilia eius rogatu, vt non modo Turcicum nomen poſſent eijce-
re ex inferiore Pannonia, ſed etiam multas vrbes recuperare. Turpe vel potius ridiculum quip-
pe videri per pactiones potius parum honeſte, quā per liberalitatē honorifice hoſtes pene captos di
mittere, cum tunc vere ex liberalitate & clementia ſe libertatem ac vitam poſſent fateri accepiſſe,
cum illa prope amiſſa & conclamata viderentur poſita in victorum facultate. non.n. videri quēquā
illud largiri, quod nunquam in ſua poteſtate fuerit, ſed adhuc in arbitrio fortunæ ex aliqua parte.
non eſſe militaris dignitatis vbi negotium pene abſolutum fuerit, tāquam pueros aut imbelles im-
perfectum relinquere, ac prænitere quodammodo rerum hactenus fortiter & glorioſe geſtarum.
neq; enim hæc in obſcuro geri, quæ in omnium gentium, populorumq; Chriſtianorum vel conſpe
ctu vel ſermone verſentur. His rationibus aſſenſum eſt ab omnibus Caſtalij conſilio, ſtatutumq; ne
vlla libertas Olimanno daretur, aut euadendi facultas per conditiones. Georgius vbi neq; publice,
neque priuatim poſset fouere partes Olimanni conniuentibus cæteris ducibus, ſentiretq; ſe omnē
operam ludere, reſpōdet Caſtalio iratus ſe vel illo inuito ad communem inferioris Pannoniæ ſalu-
tem illum eſse liberum dimiſsurum. quibus nihil reſpondet Caſtalius, ne maius odium excitaretur,
tolleretur; opportuna facultas eius opprimendi. Georgius mittit ad Olimanuum qui duces pe-
tat ad tractandas conditiones. Sic deniq; res componitur, vt cum armis, equis, ſocijs, vexillis, im-
pedimentis Olimannus tutò excederet, cui Georgius plauſtra concedit ad conuehendos vulnera-
tos, & mille equites ad tutelam omnium. petitum eſt à Caſtalio etiā vt tutò excedere liceret, quod
nullo pacto apparebat poſſe obtineri, ſed tanta fuit in ea re Georgij cōſtantia, vt coactus ſit pro mer
cenarijs Ferdinandi militibus promittere. exierunt ex oppidulo mille Turcę, cum vulnerati plau-
ſtris veherentur vnà cum ſupellectile, Turcicisq; impedimentis, atq; prima nocte circiter duodecim
millia paſsuum procul à Liziſo caſtrametantur. Olimannus deinde clam ad Georgium accedit, mul
tisq; diutius communicatis, atq; auctus muneribus ad ſuos redit. poſtridie ſuis in aciem inſtructis
ad Belerbeium iter facit. Balaſſus dum Turcæ Liziſo excederent cum ducentis equitibus & ipſe di-
ſcedit ſuo conſilio cum nemine prorſus communicato. huic ſeſe addiderunt fere duo millia equi-
tum e caſtris egreſſorum ad Turcas trucidandos. exierant ad eam famam ducenti equites etiam Ti
biſo duce Alonſo Pereo, qui viribus Balaſſi ſeſe addiderunt, ſummaq; vſi celeritate Olimannum in
aperta planitie, liberòq; agro nanciſcuntur. Olimannus his viſis cum globo condenſato iter facit,
atq; in medio acierum armatarum plauſtra cum vulneratis procedebant cum nonnullis ſclopetta-
rijs, qui reliqui erant ex omni numero. Balaſſus vbi videt ſe propinquare Olimmanni copijs ſuos Olimanni li- berati & Ba- laſsi pugna.
equites in hoſtem hortatur ipſe in prima acie præcedens. at ſclopettarij niſi vicini ſclopettos non
diſplodunt, ne fruſtra primus impetus abſumeretur. vulneratur Balaſſus, qui equo cæſo humi cadit.
eius caſus vbi cognitus eſt à ſuis, aperta eſt confertiſſima phalanx ne illum equitatus conculcaret,

atque

atque ex illa duæ debiles factæ, quæ in Olimanni copias impetum facientes prius quam iungerentur, in primam ac poſtremam aciem ſcilicet Turcarum, integram Olimanni phalangem relinquũt. Turcæ ſtrenuè pugnantes condenſati iter accelerant, cum Olimannus etiam fortiter pugnaret: atq; ita per virtutem ferri efficiunt vt incolumes peruenernit in caſtra Belerbeij. Poſtridie dimiſſę ſunt copiæ Caſtalij, quibus fuerat imperatum vt venirent in caſtra, procurarique ceptum vt mercenarij milites Ferdinandi eſſent in hybernis in inſeriore Pannonia. Georgius neminem externum eò ingredi oportere contendebat, quia diceret nimis exhauſtos eſſe incolas ob diuturna bella, at procurat vt hyemarent in ſuis caſtellis ditionis Varadinenſis. Caſtalius quia ita res agi minus aperte videretur, atq; opus foret maiori calliditate, conueniens eſſe inquit vt tormenta ſaltem in regnum tranſferrentur eo, vnde deportata fuerant cum opportunis cuſtodijs, quod conceſſum eſt, ea tamen conditione ne plures centum Germanis illa comitarentur. iubentur tormenta procedere antequam Georgius id ſentiret cum quinque Germanorum vexillis, qui mox occupato Vlpiano, locisq; finitimis ibi eſſent in præſidiis. Caſtalius conatur multis rationibus perſuadere Georgio vtile fore ſi nõ nulli milites eſſent in eo regno, non ſolum ad defenſionem regionis neceſſariam, ſed etiam ꝙ illo humanitatis genere vti conueniret in eos qui multos labores in illo bello ſuſtinuiſſent in expugnatione Liziſi. At Georgius cum non adeſſe tantum numerum copiarum intelligeret, quantus poſſet ſua conſilia infringere aut retardare, deniq; aſsentit vt ibi eſsent in hybernis.

*LIBRI QVARTI FINIS.*

NATALIS

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS,

## *LIBER QVINTVS.*

LIZISO ita per virtutem Caſtalij non ſine multorum ſuorum clade recuperato, acceptoq; oppidulo per deditionem, Caſtalius præficit Aldanam vrbi & oppidulo muniendo, quod & firmis præſidijs & annona in multos menſes munit, & omni genere bellici apparatus. Gaſpari etiã Caſtelluuio cum Hiſpanorum cohorte Tibiſcum miſſo iniungit munus vrbis muniendę: reliquas copias in caſtella Varadinenſis ditionis in hyberna diſtribuit. Aldana vbi primùm Liziſum ingreditur, iubet cęſorum cadauera humari, quia multæ viæ Turcis cęſis conſtratæ vbiq; videbantur, & area oppiduli præcipuè, qui fortiter reſiſtentes fuerant trucidati. nõ enim imbelle quoddam hominum genus ſunt Turcę exiſtimandi, vt plerique inſulſi crediderunt, parum intelligentes Turcicam diſciplinam, & ſingulare ſtudium bellãdi. Nam certe quidem permulta ſunt quæ facere poſſunt eos formidabiles. obſeruantia primum militaris diſciplinæ, quæ apud illos eſt in ſummo honore. deinde exercitatio & ſtudium tractandorum armorum, quibus à teneris annis exercentur, cum nulla alia ſtudia magis curent, quàm ea quæ faciant ad regna defendenda & amplianda. Sic igitur optimi fiunt milites per ſtudium & exercitationem apud Turcas. at ex optimo milite non eſt difficillimum bonum fieri Imperatorem, quippe quòd apud eos militares honores non opulentiæ, vel nobilitati vel ſplendori familiarum ſine virtute, ſed ſtrenuitati & fortitudini ſint propoſiti. neq; enim inuidia vel maledicta cuiuſquam viris fortibus præmia eripiunt, aut retardant, cum ſępe idem dies res cum virtute geſtas, & remunerationem videat. nam pręfecturæ honorificentiſſimæ inſignibus virtute viris deferuntur, cum parua ſit nobilitatis ratio ſine virtute, at maxima virtutis ſine nobilitate. populi autem omnes & ſubditæ gentes libentiſſime parent, proruuntq; vel in aperta pericula non ſolùm propter ſpem præmiorum, neq; metu tyrannicę crudelitatis, ſed incredibili beneuolentia in principem compulſi propter principis bonitatem in ſubditos, quòd nullum iniquum iudicium eo conſcio fiat, ſed æquum ius ſine ſumptibus omnibus dicatur. non enim introductum eſt apud Turcas per multitudinem ſportularum, patronorum, tabulariorum, variorũ magiſtratuum, legum inter ſe diſſidentium plurimarum, extorquere facultates litigantium, eosq; ad extremam inopiam redigere. atq; princeps ipſe nullis impoſitis extraordinarijs tributis contentus eſt ordinarijs mediocribus vt pacis ita belli tempore. obediunt autem libentiſſimè populi illi, quia ſibi perſuaſum eſt omnem potentiam, omneq; imperium eſſe à Deo, cui qui reſiſtat, videtur deo reſiſtere, quod certè impium cenſetur. quia nemini prorſus liceat frumentum in priuatum horreum includere dum precia augeatur, cum nemo mercator & non tyrannus in ſuo mercaturæ genere eſſe poſſit, ac præcipue ſi cum magiſtratu mercatura coniungatur & imperio: ſed tolerabili precio omnibus fit annonæ copia. quia ſicui fiat iniuria, princeps ipſe acerrime in tyrannos magiſtratus animaduertit, cui acceſſus ad colloquium in itinere non eſt intercluſus, ac ſępe per fumum expetitur. cum præmia igitur fortibus, ius æquum omnibus populis, annonę copia eadem ſit omnibus apud Turcas, cum exercitatio aſſidua rei militaris in honore habeatur, quis non videat incredibilem beneuolentiam populorum excitari in principem? aut quis non intelligat nullum populum poſſe difficilius expugnari, quàm illum, qui rerum bellicarum peritiſſimus concordibus animis ad defendendum ſuum principem conſpirarit? ſed quoniam multi arma pro Turcis vel coacti Liziſi ſumpſerant aduerſus Ferdinandum, omnes facultates illis à Georgio ſunt ereptæ, & prædia diſtributa

Turcarũ militaris diſciplina.

mili-

militibus. fit edictum vt qui bellorum metu aufugiſſent, tutò redire poſſent, ne territorium deſertum à colonis relinqueretur. rebus per eum modum cõpoſitis, copijsq; in hyberna diſtributis Caſtalius cum Georgio diſcedit, iubetq; per alteram Maroſſi fluminis ripã Hiſpanorum cohortes iter facere, per alteram ipſe Georgius cum Caſtalio incedit cum triginta ſclopettarijs equitibus, cum ex altera parte quingenti ſclopettarij & duo millia equitum ſequerentur. atqui Ferdinandus alterum nuntium nuper Iulio bona miſerat, vt negotium acceleraretur, cum præſertim per literas Caſtalij cognouiſſet quæ de Olimanno contigerant. ne verò aliquam ſuſpicionem nouus nuntius afferret, nuntiat Caſtalius Ferdinandum gratulatum miſiſſe pro capto Liziſo, ſibiq; gratiſſima accidiſſe quæ feciſſet ſua cauſa. futurum vt intelligat ſe non in ingratum aut immemorem principem illa beneficia contuliſſe. Sic igitur per has ambages verborum deluſo Georgio ventum eſt ad oppidũ Binſiam, quod Georgius in eo loco propter amœnitatem regionis à fundamentis extruxerat, qui locus opportunus viſus eſt Caſtalio ad conficiendum negotium. nam ſi in itinere illum oppreſſiſſet, facile futurum erat vt vniuerſæ copiæ fortunæ arbitrio committerentur. nam cum Hiſpanus peditatus non conueniret, ſine quo non videbatur negotium aggrediẽdum, & Georgius breui eſſet diſceſſurus, ne tanta opportunitas elaberetur, mittit ſignificatum Pallauicino ac cæteris Hiſpanis ducib. vt quanta poſſent celeritate ad ſe cum ſuis cohortibus conuenirent, quæ dum ita geruntur in Pannonia, iam bellum exarſerat in Italia, cum multa oppida in Gallia ſubalpina ab Henrici Gallorum Regis copiis Duce Briſacio capta fuiſſent per eas opportunitates, quas ſuperius cõmemorauimus. neq; tamen intermiſſum eſt Tridentinum concilium, ad quod conuenerant tres archiepiſcopi electores Germani, Mocontiacus, Colonienſis, Treuiricus, alijq; complures Germani antiſtites. Henricus legatum excuſatum miſerat, quod propter bellum cum Pontifice non mitteret epiſcopos, (nam vel ante res compoſitas hæc, quæ ſpectant ad concilium acta fuerant.) Se tamen in catholica obſeruãtia perpetuò eſſe victurum. interim facit edictum grauiſſimum aduerſus hæreticos, proponitq; ingentia præmia hæreticorum nomina deferentibus. Mauritius vbi diuturna obſidione Madeburgenſes preſſiſſet, hiſce conditionibus deniq; vrbs venit in poteſtatem Cæſaris. vt pareant Imperio. vt nihil aduerſus Auſtriacam familiam moliantur. vt duodecim maiora tormẽta tradant Cæſari. vt quinquaginta nummum millia perſoluant. at verò quoniam Lantgrauij captiuitas non ipſi Philippo ſolum, ſed etiam cæteris Germanię principibus iam nimis diuturna ac moleſta eſſe videretur, & ipſi Mauritio præſertim, qui ſępius pro illo fruſtra interceſſerat, viſum eſt ad alia conſilia neceſſariò eſſe recurrendum, quare Mauritius cępit cum Henrico Rege Gallorum aduerſus ipſum Cæſarem conſpirare. Cæſar eorum, quæ aduerſus ſe agebantur ignarus, cum multi principes partim præſentes, partim abſentes per literas ſecum agerent de liberando Philippo, reſpondet ſe expectaturum Mauritium, atq; eorum preces plurimum apud ſe valituras. Gulielmus filius conqueritur plenum dubitationis eſſe reſponſum, cum eſſet apud Mauritium. patrem tabeſcere ſquallore & diuturnitate carceris. nullum apparere finem miſeriarum, niſi quem vel mors acerbiſſima ob tędium vitæ, vel amicorum & clementiſſimorum principum bonitas feciſſet, aut quã viam ſalutis vis & ferrum aperuiſſet. hortatur ac ſuppliciter petit à Mauritio vt infelici patri opem ferat in tantis miſerijs iacẽti. Mauritius, vt qui animum iam ad bellum à precibus conuertiſſet, opportunitatem rei maturè aggrediẽdæ expectabat, cum haberet adhuc coniunctas copias, quibus Madeburgum expugnauerat, atq; his præſidia vrbis adiunxiſſet, quę hyemauerant in Caſuaris. Cæterum Hiſpanæ copiæ, quas acciuerat Caſtalius, eo properant, quo iuſſæ fuerant, cum interea ipſe Caſtalius Georgium varijs ſermonibus detinuiſſet, qui properabat accedere ad quædam comitia, quæ Vaſrael indixerat. in ijs erat acturus, vti poſtea cognitum eſſe dicitur, quo pacto Ferdinandi copię mercenarię ex illa prouincia poſſent eijci, vt ipſe ſolus imperio eius regni potiretur. habebat hoſpitiũ Georgius in oppido ſicuti cõſueuerat & Caſtalius: at cuſtodijs Georgij data ſunt hoſpitia in ſuburbijs. Hiſpanis, q̃ illa nocte acceſſerãt, data ſunt hoſpitia Georgij iuſſu in ſuburbijs trans fluuium: quippe cum inter vtraq; oppidi ſuburbia fluuius limpidus defluat Sebeſſus nomine, qui deinde paruo interuallo interiecto decurrit in Maroſſum. Georgius nullo pacto adduci poteſt vt Germanas cohortes pateretur coniunctas hyemare, cum alias aliò trãſmitti vellet, vt ciues ſingularum vrbium & oppidorum eos facile opprimere poſſent ad ſignum datum. Caſtalius indignationem vultu occultans Pallauicinum ad ſe accerſit. docet Ferdinandi nomine quid agi oportet. monet pergratum eſſe Ferdinando ſi ipſe conficiendo negotio intereſſet. aperit non poſſe rem diutius protrahi. demonſtrat illud Ferdinando tanto gratius futurum, quanto maior difficultas & periculum rei proponitur. declarat non prætermittendã eſſe proximam noctem, cum non ita facile poſtea futurum ſit vt in oppidum aliquod ſolus includatur, quod quidem diu expectatum fuit. his reſpondet Pallauicinus ſe ad omnia regis vota ſemper eſſe paratiſſimum, atque mox ad tranſigendum negotium accingitur. Caſtalius ſimulato negotio de hoſpitijs ad Georgium accedit, ſed quia non poſſet vllo pacto conuenire, diſcedit: atque Lopeũ Andream ad ſe acccerſit. monet opus eſse illa nocte Georgium trucidare, idq; regio iuſsu. ſe eius fidei, integritati, virtuti plurimum confidere, quare ſe illum delegiſse ait, cum Manino, equite Campeggio, Scarammuccia, alijſq; nonnullis ducibus duce Sfortia Pallauicino, vt negotium conficeret. Illud niſi fiat, docet regnum inferioris Pannoniæ in maximo periculo eſse poſitum, & Ferdinandi exiſtimationem, & vitam omnium ducum ac præſentium copiarum. promittit ingentia munera. oſtenſtit qua ratione id commode fieri poſſit. iubet lectiſſimos ex omnibus Hiſpanis copijs viginti & quatuor ſclopettarios deligere, qui Georgio minime eſsent cogniti. dum caſtellum aperiretur, curaret eos qua poſset calliditate admitti, qui turres ſtatim occuparent quatuor, donec ſignificaretur quid eſset agendum. deinde iubet Petrum Abulenſem collectis vaſis ſine tympanorũ

Madeburgũ captũ à Mauritio.

Mauritius conſpirat aduerſus Cæſarem.

Proditio Georgij tentata.

Caſtalij conſpiratio in cędem monachi.

ſtrepitu Saſſebeſſam proficiſci, atq; prima luce ad oppidum Binſam præſtò eſſe. ibi erectis vexillis, copijsq; in aciem inſtructis mandata expectare. Illa nocte, obſcuriſſima quæ ſecuta eſt, tanta fuit vis aquarum & ventorum, vt cęlum tanti facinoris dare ſignum videretur. nam tanta erat violẽtia tempeſtatis, vt cuncta intremiſcere apparerent. cum Georgius eſſet illo die diſceſſurus, Aiduchi, qui caſtellum cuſtodiebant ante ſolitam horam portas patefaciunt, vt carri impedimenta vehentes exirent: quo tempore Lopeus ſclopettarios commode introducit nemine illud propter curam itineris animaduertente, quia clam ſingulatim introducebantur. hi Turcico habitu induti intro eunt arma & ſclopettos ſub tunicis occultantes, atq; in opportuna loca à Lopeo diſtribuuntur. tum itum eſt ad caſtalium, qui cum Pallauicino reliquos expectabat ſocios facinoris. Pallauicinum ſequebãtur Moninus, Scaramuccia, Campeggius, & quidam Placentinus, cum Lopeus etiam quatuor Hiſpanos lectiſſimos adduxiſſet. Pallauicinus princeps & architectus eius cędis patrandæ cum his ad thalamum monachi accedit, quibus præcedebat Antonius Ferrarius Alexandrinus à ſecretis Caſtalij cum literis poſt ſubſcriptionem Georgij conſignandis, in quibus fingebatur Sfortiam Iuliobonã eſſe iturum, petebaturq; nunquid eum ibi agere vellet. erat Ferrarius Georgio perſamiliaris. cui ẽt plura munera ſępius conceſſerat, ac plurimum fidebat, cui propter eximiam beneuolentiam & familiaritatem nunquam aditus erat occluſus, qua etiam de cauſa accitus eſt ad negotium vt thalamus facilius aperirẽtur. huc accedebat quòd Caſtalius eadem hora iam nonnullos dies conſulto ad tranſigenda negotia miſerat, nequid ſuſpicionis propter tempus poſſet ſub oriri. atq; cum aiduchi ad ignem propter frigus aſtarent inferius, hi thalamum adeunt. Ferrario continuo apertum eſt oſtium. poſt Ferrarium Pallauicinus vel inuito cuſtode thalami ingreditur. narrat Ferrarius Pallauicinum Iuliobonam aditurum ad ſe primum ſi quid vellet rogatum accedere. literas conſcriptas in manum tradit. eas cum ſubſcripturus calamum accepiſſet ab ipſo Ferrario pugione ſupra pectus nõ procul à iugulo vulneratur. at Georgius vbi ſe aliquantulum collegiſſet, exclamauit virgo Maria, atq; Ferrarium manibus à ſe propellit, cum robuſtus eſſet ac validus. Pallauicinus accurrens ſtricto. gladio caput grauiſſime vulnerat. alij ad ſtrepitum accurrentes ſclopettos in eum ferè mortuum diſplodunt, qui vbi dixiſſet tantum Ieſus Maria efflauit animam. illa mors fuerat illi prędicta diuinitus à quodam abbatæ cum euerſo templo ac cœnobio caſtellum illud extrueret. neq; defuerunt qui cędem illam ex inuidia potius, quam ex vllo errore contigiſſe crediderint, cum ſua in Olimannum & in cæteros Turcas clementia eo ſpectare viſa ſit, vt illa delinitus Solimanus inferiorem Pannoniã ne infeſtaret cum æmuli moliri inſidias ad Ferdinandum perſcriberent. veruntamen tantum flagitium, quod in ſacratum Cardinalem commiſſum fuit, vltorem poſtea habuit Deum. Cæſo Georgio Aiduchi audito vbiq; ſtrepitu, viſis Hiſpanis in acie, audita ſui principis morte ita conſternantur animo, vt eà profugerint, quà via ſibi promptior viſa eſt ad ſalutem, atque cuſtodias in ſuburbijs cõ moneſecerint. Caſtalius veritus nequis fieret tumultus egreſſus Franciſcum Chendum Ferenciũ ſummæ autoritatis virum, atq; vnum è primarijs proceribus inferioris Pannonię Georgieq; amiciſſimum inuenit ciſium aſcendentem. eum manu prenſat. ad Hiſpanas Germanaſq; acies deducit. vt ſpectaretur quò tẽderet negotium ac ſtrepitus, qui excitabatur ab amicis & cuſtodibus Georgij, qui omnes conſcenſis equis in vnum coibant in planitiem, quorum dux ſummus erat Paulus Blancus is, qui in Lizili expugnatione vicario munere pro Georgio fungebatur in caſtris. hi vbi in acie conſtitiſſent, conſulunt quid ſibi eſſet agendum: qui tamen rati magnas eſſe copias Caſtalij, quia ſuffultum paruis viribus minime auſum fuiſſe tantum facinus cenſebant, nihil noui moliũtur, ſed vindictam in opportunius tempus reſeruantes quiſq; domum ſuam recedunt. Georgij corpus inhumatum multos dies iacuit ſine vllo funeris honore. caput, brachia, pectus lacerum, ac ſanguine gelu concreto fędatum. ſepultum tamen deniq, fuit in templum Vlpiani ab amicis nõnullis compu tatum. Caſtalius cum nullum tumultum excitari intueretur Chendum manu apprehendens ante Hiſpanam phalangem Saſſebeſſam verſus pedes iter capit, cum nuntiatum eſſet oppidum Binſam à præſidijs diripi, multamq; pecuniam inuentam fuiſſe inter milites diſtributam. mittit qui à rapinis coerceret, ac poſtea procuratorem, qui Ferdinandi nomine omnia recuperaret. mittit & qui nuntiarent caſtellorum munitionumq; Georgij præfectis vt Ferdinando ſe dederent: quod niſi facerent minatur copias & bellica tormenta ſe eſſe miſſurum. inter cætera oppida erat caſtellum munitiſſimum Vuiuar, vbi erat theſaurus Georgij. atq; cum timeretur ne cæculi vt amiciores Georgio inſurgerent, aliquemq, tumultum excitarent, Caſtalius ſtatuit rebus omnibus per literas ſignificatis ſe Zibinium recipere, quæ vrbs eſſet munitiſſima & minus cæteris Georgio amica, vt ibi futurum rei euentum proſpectaret. Germanis itaq; præſidiis Vlpiani & Saſſebeſſæ relictis, Binſæ vero Hiſpanis ipſe ad Zibinium cum reliquis copiis caſtrametatur tam vrbi propinquus, vt cũ vellet, citiſſime poſſet in vrbem intromittere. perbenigne admittitur à ciuibus, qui pro parta victoria de monacho gratulantur, omneq; genus auxiliorum liberaliter ad promittunt, ac neceſſaria ſuppeditant. deinde cum ad comitia Cęculorum quæ conuocata fuerant à Georgio, Caſtalius eſſet aditurus, illud fieri ciues Zibinientes non paſſi ſunt, quòd ipſum nimis paruas habere cuſtodias dicerent, donec appareret quo animo Georgij cædem eſſent accepturi. non eſſe ad illa comitia tutò accedendum, niſi haberentur ſaltem quindecim millia armatorum. horum conſiliis confirmatus Caſtalius accerſit cataphractos equites Scerettini, & Germanas Hiſpanaſq; copias, cum quibus ad oppidum Segheſuar accedit ſecum Chendum adducens, cuius animum Ferdinando paulatim conciliauerat. miſſus eſt Chendus ad comitia, vbi conſilium fiebat principum Cęculorum, propoſitumq, fuerat quo pacto cędem Georgij vlciſcerentur. eò ingreſſus Chendus proponit Caſtalij nomine maiora ſtipendia quibuſq; ſi Ferdinandi partes fuiſſent amplexi, cuius non vulgarem liberalitatem, ſed multo maiorem

Georgij monachi cędes

Cęculi Ferd. conciliati.

rem eſſent experturi. Georgium non alia de cauſa trucidatum fuiſſe, niſi quia vellet Turcas in eam prouinciam introducere, atq; illorum opera creari rex inferioris Pannoniæ, tum multis alijs rationibus illos adducit vt iurarent Ferdinādū Regē, ſeq; adpromitrerent oē genus auxilij libenter præſtituros. nec multo poſt nonnulli proceres conueniunt ad ſalutandum Caſtalium, confirmandāq; amicitiam, quibus omnibus multa data ſunt munera; qua liberalitate non mediocriter populorum barbarorum animos feroces ſibi deuinxit & obligauit. nam certe quidem maximum acerrimumq; tormentum ad expugnandum animum hoſtium eſt munus, quod multo acutius penetrat quàm vllum genus telorum, atq; liberos & volentes animos trahit in ſeruitutem. nō defuerunt tamen qui odia clam in Ferdinandum excitarent. Caſtalius rebus per hunc modum compoſitis omnes ſuas copias in proxima loca in hyberna diſtribuit, quia propter aſſiduitatem bellorum, itinerum laborum defeſſæ iam viderentur: cum etiam vis frigoris tanta eſſet, vt non facile amplius eſſe ſub dio tolerare poſſent.

1552 Cauſæ quæ circunferebantur monachi trucidati.

inierat paulatim recens annus, cum fama inter Chriſtianas nationes ſuccreſcebat, quòd Ferdinandus Georgium trucidandum curauerat, non quidē quia eius fides fuiſſet ſuſpecta, neq; quia moliretur inſidias clam cum Turcis, vt ſimulatum fuerat, ſed quia cæſo tutore pupilli regis putaret Ferdinandus ſe poſſe facilius opprimere pupillum, neque aliam cauſam illum ad eam cędem impuliſſe, quàm auaritiam omnium tyrannorum reginam, quam quidem cędem Caſtalius tam diligenter perpetraſſet, vt ſolus copiarum imperator & prorex in illa prouincia relinqueretur. Quæcum Romæ nuntiata eſſent, atque in patrum purpuratorum antiſtitum ſenatu, rex peſſime audit, quem diris imprecationibus Pontifex inſectatur vnà cum ijs omnibus qui Georgiū trucidarant. Quinetiā cum Ferdinandi oratores regem purgare conarentur, id non admittit Pontifex, cum diceret nullam iuſtam poſſe afferri aut legitimam defenſionem.

Pont. indignatio ob cędē Card.

nam ſi talis erat Georgius qualis ab ijs fingebatur, ſe non rogandum fuiſſe neq; decipiendum vt tam nefarium hominem in ſenatum & ſacrum ordinem purpuratorum aſciſceret. ſin erat non talis, tam bonum, & fortem, & de Chriſtiano nomine tam benemeritū non fuiſſe ita crudeliter trucidādū. Cęſum eſſe verbo inſidiarū, at reipſa ſpoliorū & inuidiæ cauſa, quæ tamen ſpolia eo mortuo iure pontificio ad eccleſiam deuoluerentur. non eſſe ferendum tātum ſcelus, vt vel in purpuratorum ſanguine manus principum impune intingerentur nulla habita ſacri capitis ratione. nonnulli tam acriter inuecti ſunt in cauſam regiam, vt cum Ferdinandus antea bonus princeps & prudens & pius putaretur, tamen incenſis & inflammatis in eum animis patrum ſacrorum vehementer, vix deniq; per ſummam difficultatem fuerit abſolutus. Sed cum profiteretur ſe planè demonſtraturum per miniſtros, & iam partim oſtendiſſet quanto in periculo illa regna verſarentur ob Georgij inconſtantiam & perfidiam, niſi ita obuiam itum eſſet, veniā & abſolutionem à Pontifice conſequitur.

Interfectores in diuinā vlteriorem illupſi.

non obtinetur tamen vt illi etiam abſoluerentur, qui purpuratum trucidauerant, qui poſtea ſinguli in maximas calamitates inciderunt. Nam Pallauicinus paulo poſt fuſus & profligatus à Turcis vulneratur & in ſeruitutem abducitur, multaque alia grauia paſſus eſt. Ferrario caput Alexandriæ eſt abſciſſum. Campeggius ab apro laniatus eſt. alius à Gallis in Prouincia in ſtuſta diſſectus. Sic nullum ſcelus eſt, quod vbi arma mortalium effugerit, diuinam vindictam & iram numinis etiam deuitare poſſit. petitum eſt enim vt Iuliobonam ad cognoſcendam æquitatem cauſæ mitteretur, delectiq; ſunt tres Cardinales ad rem cognoſcendam. miſſi ſunt & legati Ioliobonam qui cauſam cognoſcerent, & Pōtificio nomine ſpolia Georgij poſtularent. Sed reſponſum eſt illa fuiſſe in ſtipendia militum, & in res neceſſarias flagranti bello aduerſus Turcas abſumpta, quę tamen multo minora fama fuiſſent. demonſtratum fuit per Georgij literas eum voluiſſe Turcas accire in inferiorem Pannoniam, atq; procuraſſe vt ipſe crearetur rex prouinciæ per Solimani potentiam, cuius ſe fore tributarium profitebatur.

Solimani ira ob cędem & apparatus

dū illi Iuliobonam ad inueſtigandam ęquitatem cauſæ proficiſcuntur, oēs præfecti oppidorum Georgij legationes mittunt ad Caſtalium re diligenter examinata quæ obedientiam & theſauros Georgij offerrent, Caſtalij in fidem amicitiamq; accepti ſunt, & in iiſdem prefecturis confirmati; qui poſtea mittit ad Ferdinandum poſtulatum procuratores ad theſauros monachi capiendos. Bizantij nūtiata cęde Georgii, Solimanus eam grauiſſime tulit; atq; delatum eſt Iuliobonam magnos apparatus bellicos ibi fieri, multaq; millia armatorum in inferiorem Pannoniam Solimanum eſſe miſſurū cum duos maximos exercitus compararet, vt è duabus partibus in illam prouinciam maximo impetu à ſuis irrumperetur vno tempore. his acceptis nuntijs Caſtalius literas ſumma celeritate conſcribit ad Ferdinandum, vt mature neceſſariæ copiæ ad reſiſtendum tantis viribus pararentur, cæteraq; neceſſaria illi bello ſuſtinendo, atq; in primis vt mitteretur quantum poſſet fieri Hiſpanarum viriū. miſſus eſt Pallauicinus ad regem inſtruendum, petitumq; vt Italas copias mitteret tanta celeritate, tamq; opportune vt eſſent in Pannonia inferiore cum ijs maximè opus eſſet. vt muralia tormenta maturè attraherentur, quo cū his apparatibus tā potentibus exercitibus poſſet reſiſtere. Ferdinādus his acceptis iubet Pallauicinū quatuor millia peditum in Italia colligere, omneſq; Hiſpanas copias, quas poſſet adducere. monet Caſtalium ſe nullis eius petitionibus defuturum. Caſtalius Tibiſcum quanta poteſt celeritate curat muniri, atq; cæteras ciuitates Pannoniæ. quæ dum pararentur ad futurum bellum accedunt Ferdinandi procuratores ad omnem ſupellectilem Georgij conſcribendā,

Precioſa multa ſupellex monachi Delta opp.

quæ fuerat ab impoſitis cuſtodijs diligenter aſſeruata, multaq; loca clauis affixis cuſtodita ſunt, neq; prius aperta, quam procuratores ipſi acceſſerint. inuentum eſt magnum auri argentiq; pondus, & aurea numiſmata complura cum non procul à Delta oppido aquis rapidè labētibus è colle quodam magnus numiſmatum aureorum numerus fuiſset detectus, quorum in altera parte erat Lyſimachus impreſsus, in altera victoria. vbi ex illis accolæ ad ſatietatem rapuiſsent, tamen aureus ſerpens tanquam cuſtos theſauri & multa numiſmata Georgio allata fuerant. aderant & annuli com

plures

plures, & vaſa aurea & argentea, pelleſque ſebellinorum, aliorumque animalium precioſæ, & veſtes inſignes, gemmæ, tapetes, aulea, quæ omnia ad precium trecentorum millium nummum accedebant. reginæ precibus omne aurum & argentum antiquum Ioannis Regis, quod fuerat à Georgio vſurpatum, Ferdinandi iuſſu reſtitutum eſt cum nonnullis equabus inſignis pulchritudinis. Donata ſunt Caſtalio ducenta pondo argenteorum vaſorum auratorum, cœlatorumque magnificè, & quadringenta aurea numiſmata, & quædam ſebellinorum pelles. Cæteris qui eius cædis participes, & adiutores fuiſſent ingentia munera conceſſa ſunt. Sed enim quia duodecim menſium ſtipendia militibus debebantur, omne aurum inuentum impreſſum eſt, & argentum non elaboratum, dataque maior pars debitorum ſtipendiorum militibus, quorum animi placati ſunt, qui iamiam videbantur propter ſtipendia tumultuaturi. Liziſo ita capto, vti diximus, Ottomialis ad Caſtalium accedit. Hortatur vt tentet Peſſium, atque tractatum negotium exequatur. Caſtalius cum animum eius propenſum ad obſeruantiam obedientiamque Ferdinandi cognouiſſet, iubet tantum copiarum capere, quantum illi ſufficere negotio videretur. Eum monet vt procuret nequid temporis amittatur oppugnando oppidulo niſi primo impetu capiatur, quia videbatur inexpugnabile, ſed captam direptamque vrbem concremaret. Ottomialis accepta illa facultate duo millia peditum colligit, qui capto Liziſo fuerant dimiſſi, & quingentos equites, cauſam tamen occultauit. Quod vbi ſignificauiſſet Caſtalio Aldana, monetur id totum fieri ad vtilitatem Ferdinandi. Aldana ad Ottomialem profectus cognita cauſa omne genus auxilij liberaliter promittit. Ottomialis paratis copijs cum Peſſij ciues negotio fauerent, eos clam commonefacit ſe paratum inſtructumque eſſe. Sibi ſignificarent quando negotium eſſet aggrediendum. Signo poſtea accepto ante diem ſtatutum per noctem iter facit: at per diem copiæ inter nemora occultantur atque tam occultè duabus noctibus eò peruentum eſt, vt nemo prorſus viderit aut ſenſerit, donec ſub auroram die ſtatuto in propinquioribus ſyluis maiorem copiarum partem collocauerit in inſidijs. ex altera parte pedites nonnullos mittit, qui ad arma conclamari cogerent. Turcæ ea re cognita exeunt ex oppidulo, qui viſa paucitate peditum inſidiarum ignari in eos impetum faciunt. Illi ſimulata fuga inſequentes Turcas in inſidias alliciunt, qui ita repente circumueniuntur, vt non poſſent reſiſtere. Cognitis itaque inſidijs in vrbem conantur refugere; at ciues conſcij facinoris iam ſumptis armis cum Ottomialis copijs conſpirantes portas occludunt, omneſque Turcæ egreſſi trucidantur in morem pecudum ad vnum. Turcæ præſidiarij, qui erant in oppidulo, accepta illa clade ſublato ponte ſubductili continuo ſeſe parant ad defenſionem. Ottomialis ita vrbe potitus captis multis Turcis mercatoribus opulentis, qui venerant Byzantio, illorumque opibus direptis oppidulum inuadit. Sed enim cum tormentis, omnibuſque bellicis apparatibus, & natura egregiè eſſet munitum ac fortiſſime defenderetur, omnis conatus Ottomialis fit irritus, omniſque opera luditur. Aldana re cognita cum quatuor tormentis & quibuſdam Hiſpanis peditibus. nullo expectato iuſſu Caſtalij eò contendit, quia ſe oppidulo potiturum ſperaret. Scribit etiam ad Caſtalium iam certiorem factum, ne vllum auxiliorum genus deſideraretur. Caſtalius iubet vrbem flammis abſumi, quia putaret fieri non poſſe vt ea aduerſus oppidulum teneretur, cum res maioribus copijs indigeret, atque vix quatuor millia peditum eſſent in caſtris. monet vt copiæ quam citiſſimè inde retrahantur, quia timebantur auxilia Turcarum, quæ interim comparari dicta ſunt, ne partam exiſtimationem ſimul & vitam cogeretur amittere. at vero cognita profectione Aldanæ cum auxilijs, tametſi intelligebat vanum eſſe mittere nouas copias, cum oppidulum omnino capi non poſſet, tamen quantum copiarum & tormentorum Aldana poſtulauerat miſſum eſt, ne quereretur per negligentiam Caſtalij oppidulum capi non potuiſſe. miſſa ſunt igitur quatuor muralia tormenta ſecundo Maroſſo flumine, & nonnulla campeſtria magna celeritate, iuſſiq; ſunt Oureſtolphus & Vachipetrus cum peditibus & cataphractis equitibus eò contendere. Sic igitur duo pe ditum millia, & ducenti cataphracti equites Peſſium adproperant. his viribus paratis Caſtalius docet Aldanam quantum erroris commiſſet, quòd reliquiſſet Liziſum, atq; inde & Tibiſco copias eduxiſſet, cum illud oppidulum tentaretur quod non poterat neq; quadruplicibus quidem copijs expugnari. his ita comparatis ipſe Vlpianum accedit vt Peſſio eſſet propinquior, poſſetq; in omnes rerum euentus prçſtò eſſe. neq; multo ſanè tempore interiecto nuntiantur omnes, qui Peſſij oppidulum obſidebant fuiſſe à purpurato Curteſi trucidatos: quod tametſi Caſtalio minime mirandum viſum eſt, tamen non potuit non ęgrè ferre. Sed ne Liziſi & Tibiſci vires infringerētur, quia illę vrbes eſſent debiles, cum educta fuiſſent præſidia & eſſent ſine ducibus, mittit nuntiatum Roderico Viliandrando vt Liziſum ingrederetur, quod eò copias mitteret. iubet item Diegum Veleium Mendocium cum ſua cohorte ac trecentis Germanis totidemq; Pannonibus ingredi Tibiſcum, atq; bonam partem copiarum mittere Liziſum. eò proficiſcenti multi fiunt obuij fugiētes impetum Turcarum, atq; illorum crudelitate territi, qua vſi fuerant in cęteros trucidatos. illi vbi armatos in pręſidia mitti vident hortantibus ducibus præſertim, vt animo eſſent forti & intrepido cęperunt aliquantulum recreari & confirmari ab immenſo metu, quem conceperant. intellectum eſt tamen poſtea Aldanā cum Hiſpanis & cataphractis Oureſtolphi ſe in tutum recepiſſe. nam pręter ducentos cataphractos Oureſtolphi fuerant ad obſidionem oppiduli ducenti & triginta Hiſpani, centum Germani ſclopettarij, duo Pannonum peditum ac tria equitum millia. Illud autem facinus præter opinionem purpurato acciderat, qui cum mille & quingentis equitibus ſubſidia Peſſio ferre conabatur, inter quos equites multi trahebantur currus. Purpuratus vbi intelligit ſe ab hoſtibus viſum

Peſſium captum.

Acierũ Turcarum inſtructio.

fuiſſe vniuerſos ſuos in duas turmas diſtribuit. omnibus Ianizzeris in curribus locatis munitionem ex illis conſtituit, apud quos phalangem maiorem firmat, qui currus erant pro reparationibus vtrobiq;. ita conſiſtit conſilia hoſtium expectans. at Ottomialis Aldanæq; copiæ Turcis in acie conſtitutis faciunt turmam ex omni equitatu leuiore Pannone, alteram rurſus ex cataphractis equitibus collocat à fronte turmæ purpurati Curtenſis. Conſtituta eſt phalanx rurſus ex vniuerſo Aldanæ Ottomialisq; peditatu, cui nullum datum eſt ſignum belli. hi cum ita conſtitiſſent diutius, videreturque Aldana ſubdubitare, Oureſtolphus maiorem turmam purpurati inuadit. catadhracti à fronte cum ad ſiniſtram magis flecterent, non aggrediuntur mediam turmam, vt tantum fuderint, quantum ceperint, quos ſtatim Pannones ſequuntur, nihil aliud profligantes, q̃ quod fecerant cataphracti. illo errore commiſſo ita inter ſe funduntur, vt alter alterum impellentes magnum damnum acceperint. multis Turcis cadentibus, ſolutiſque equis per planitiem errantibus, certam victoriam ſperantes, minime vident aliam turmam integram. Pannones minime curioſi videndi exitum eius certaminis ex equis deſcendunt Turcas ſpoliantes qui mortui aut vulnerati ceciderant. Purpuratus veritus victoriam eſſe penes hoſtem, iam cœperat reliquias copiarum & currus contrahere: ſed cum nemo inſequeretur, fuſimque palantes Pannones vagarentur per planitiem, ſuis ad pugnam reuocatis, atque in conglobatam condenſatamque phalangem inſtructis, diſſipatos Pannones inuadit, miſerabiliterqua trucidat. multo plures equi quàm homines aufugiunt. cataphracti cum Hiſpanis rurſus condenſati cognita clade ac dementia Pannonum non arbitrantur fortunam denuo eſſe tendandam, quare ſe ad loca tutiora recipiunt. purpuratus inſperata victoria potitus vniuerſam planitiem percurrit, omnes inuentos trucidat, quod ipſum fit etiam in vrbe Peſſio. Turcæ rurſus qui in oppidulum Peſſij fuerant incluſi cognita purpurati victoria egrediuntur ex oppidulo, atque omnes pręterea Peſſienſes, quos arma pro hoſtibus ſumpſiſſe aut conſpiraſſe ſciunt obtruncant nulli neque ætati neque ſexui neque dignitati parcentes. deinde facto prævalido globo armatorum inſectantur reliquias illorum peditum, quos Ottomialis ad eius vrbis expugnationem adduxerat: quos tanta virtute opprimunt, vt plures mille & quingentis humi conſtrati ſint. Cæſa ſunt à Turcis eo die ad quinque millia mortalium. vbi iam labore cędium ac ſtragis Turcæ feſſi conſtitiſſent, apparent procul trecenti Aiduchi, qui palantes ac prædabundi per Turcarum regionem percurrerant, ac multa pręda onuſti redibant in caſtra. Aiduchi neſcij tantæ mutationis, tamque repentinæ fortunæ peragunt iter inceptum. purpuratus eos intuitus cum procul abeſſent cognoſcit eſſe hoſtes & paucos, neque locum tutum habere, quare illos repente inuadit. Aiduchi minime conſternati tam repentino euentu ſingulari fortitudine ſe defendunt. Sed cum ad vnum denique trucidati fuiſſent non ſine magna clade Turcarum, purpuratus libero agro potitus eſt, atque ita victor in vrbem ingreſſus pecunia & rebus partis pro virtute ſingulorum diſtributis vrbem refecit, qua parte fuerat labefactata. Aldana ſumma celeritate vſus Turcarum impetum fugiens, quos ſemper inſequi timebat, plura ſexaginta milliaribus vno die conficit, atque ad oppidum Cornochium non procul à Liziſo peruenit, huius enim negligentia clades accepta eſt, quia non iuſſiſſet Aiduchos pugnare. Interea Battor Andreas inſignitur honore Vaiuodæ inferioris Pannoniæ, Stephanuſque Loſantius creatur comes Liziſi, qui tantum oneris ſuſcipere recuſauit, niſi Ferdinandus ſibi manum Hiſpanorum concederet, vt poſſet conatibus hoſtium reſiſtere, qui quam citiſſime miſſi ſunt, & locus cęptus muniri. Iam certiſſimi nuntij aduenerunt Mahometum purpuratum creatum eſſe ſummum ducem à Solimano ad Pannonicam expeditionem, qui erat iam Taurumni, maximaſque copias comparabat, quod ipſum faciebat præfectus vaiuoda Myſiæ inferioris. neque tamen ſegniter agebantur res ab ipſo rege, cuius caſtra nuper aucta fuerant quatuor millibus veteranorum Germanorum, & decem bellicis tormentis duce comite Elpheſtaino, atque Ferdinandus iubet Caſtalium grandi eſſe animo, quòd magnas copias eſſet miſſurus, & quantæ neceſſariæ eſſent ad reſiſtendum. Caſtalius interim & Vaiuodà iubent fieri edicta, vt omnes nobiliores regni proceres Turdam, conueniant, quo mature ſaluti rebuſque eius regni conſuleretur, cum Mahometus ſe accingeret, vt ipſum regnum pluribus è partibus vno tempore aggrederetur cum duobus exercitibus: ipſe per vrbes inferiores ſcilicet, præfectus Myſiæ inferioris per Braſſouium cum altero exercitu erat inuaſurus. vbi proceres eò conueniſſent poſt res ad communem regni defenſionem ſpectantes, decernitur vt Liziſum & Tibiſcum vrbes annona, præſidijs, reparationibus munirentur quanta fieri poſſet celeritate, quæ vrbes tanquam objces copiarum rapidiſſimos fluxus magna virtute poſſent retardare, donec regiæ copię in vnum conuenirent, atque colligerentur vires eius regni, ſicuti erat conſuetudo per huiuſmodi opportunitates. collecto itaque ſatis ingenti exercitu breui decernitur vt obuiam iretur Myſo, ne per illam partem Braſſouij in regnum ingrederetur, cum nulla ibi foret munitio, quæ poſſet eius curſum retardare, præter Segheſuar, quæ tamen vebs cum eſſet parua, tantis viribus non poſſet reſiſtere, ne vrbe opulentiſſima totius inferioris Pannoniæ potiretur, atque omnem Cęculorum regionem concremaret. Sed quoniam Turda eſt vrbs in loco fertili commodoque ſita, decernitur vt illic copiæ colligantur omnes. Vaiuoda eò contendat ad eas colligendas, cum nobiliores ſecum adducerent milites, quos publicæ defenſioni debebant. Caſtalius mittit Ioannem Baptiſtam Archueſem cum Germanorum cohorte Braſſouium ad eius vrbis defenſionem. miſſus eſt & Vicarius Scerettini cum ducentis cataphractis equitibus, aliaque cohorte Germanorum ſub imperio Archuenſis. Imperatum eſt eidem comiti Archueſi vt cũ alia cohorte Germanorum occuparet munitionẽ. quę ſuper colle Braſſouio imminente extruebatur, vbi maiora & mediocria quędam tormenta collocarentur cum ijs præſidijs,

Cruentum certamẽ Turcarum.

Turdæ comitia, de Tranſyluania munienda.

ſidijs, quæ neceſſaria videbantur, ne occuparetur à Myſo. nam ſi capta fuiſſet, ibique Myſus fuiſſet caſtrametatus, magna facta eſſet & vrbis & regionis populatio. Sin coactus eſſet diſcedere, oportebat eum non ſine magnis incommodis iter facere, ac fortaſſe exire è regione. Quæ dum parantur ad futurum bellum in Pannonia, Germania omnis ferè grauiter ferre Cæſaris ſeueritatem; cum amici & coniuncti principes Lantgrauio intolerabilem propè Cæſaris inclementiam vbique quererentur, & non ferendam crudelitatem aduerſus libertatem Germanicam. his etiam ad confirmandas querelas non leuem occaſionem præbebat Federici captiui grauis morbus, (nam mortuus eſt Federicus antequam dimitteretur è carcere) & contemptus omnium, quorum preces intercedentium vanæ fuiſſent. præter cætera mirificè inflammabant aſſiduæ filij eius lamentationes, quem dedecus & cumulus diuturnarum calamitatum paternarum impellebat ad incitandos animos cæterorū principum ad defenſionem Germanicę libertatis, & ad obſeruandum tempus opportunum vltionis. illi rurſus qui perſuaſores fuerant Lantgrauio vt ſeſe Cæſaris arbitrio committeret, cum viderent illum pręter omnem ſuam expectationem perpetuo carceri eſſe addictum, neq; ſibi promiſſa ſeruari, iam illud cęperunt ęgerrime ferre. Se proditores appellant Lantgrauij libertatis. omnia lamentationibus implent, quia Cæſar datam fidem feſeliſſet. quòd vniuerſæ nobilitatis Germanicæ preces nihil faceret, quod ita paulatim omnes principes eſſet è medio ſublaturus, cum virum bonum, & amantiſſimum patriæ defenſorem tam crudeliter tractaret. nam vniuerſa Germania Lantgrauium tanquam patrem patriæ miris laudibus efferebant, dicebantq; in eas calamitates eſſe coniectum quòd arma pro communi omnium libertate, & pro tuenda gloria Germanici nominis, ſumpſiſſet. hæc odia populorum omnium quamuis diutius occultata fuerant, tamen intra pectus iam non amplius capi poterant, cum nimium excreuiſſent per ſpatium longi temporis. his accedebat non leuior cauſa indignationis & irarum, quæ cum ſuperioribus conſentire apparebat, quia poſt oppreſſos Germanos principes, atque cōſternatos Germanorū animos, Cęſar ipſe ſit auſus patefacere, quò tenderent ſua conſilia, cum omnes propè iurare coegiſſet quòd ſolam familiam Auſtriacam amplecterentur, quia procurauerat in Neomagenſibus comitijs vt Philippus filius princeps Hiſpaniarum deſignaretur collega patris dum viueret, & poſt patrem ipſe Imperator. ad eius rei facilitatem petitum fuerat à Ferdinando fratre Cæſaris vt ſeſe ab electione abdicaret. cui petitioni tam auaræ non ſolum ab electoribus, ſed etiam ab ipſo Ferdinando reclamatum eſt. Illa ipſa de cauſa nata eſt opinio inter Germanos principes, quòd Cæſar duos potentiſſimos duces Lantgrauium Cattorum & Federicum Saxonum profligare atque funditus euertere conatus ſit, non quidem perduellionis ac lęſę maieſtatis reos, vti ſimulauerat, neque quòd ab inſtitutis antiquæ religionis defeciſſent, ſed ſimulata honeſtiore religionis & imperij cauſa, quòd eius optatis ac deſiderijs clam repugnaſſent, neque vllo pacto potuiſſent adduci vt parum honeſtis petitionibus aſſentirent. Querebantur imperium à Cęſare ambiri & procurari, vt illud tanquam ius hæreditarium ad filios tranſmitteret: quibus lamentationibus & populorum querelis & principum ita male audire cępit, vt non ſolùm nemo eſſet quin Cæſaris nomen inuitus audiret ſed etiam principes ciuitatum ac nationes decreuerint, eum tanquam communi ſaluti & libertati & gloriæ inſidiantem e Germania communi conſenſu eijcere. Sic omnes ferè Germaniæ populi in vnum conſpirantes arma ſumere aduerſus Cæſarem decernunt. Sed quoniam deſperabant ſe poſſe tantum negotium ad optatum finem perducere ſine regijs Gallorum auxilijs, quamuis Cæſar bellis Gallicis eſſet implicatus, & Pannonicis non nihil diſtraheretur, multisq; augeretur difficultatibus, clam Henrici Regis auxilia poſtulant. Henricus tantam, tamq; opportunam rei bene gerendæ occaſionem minime prætermittendam ratus magnas copias liberaliſſimè promittit, & ſe ipſum præterea venturum ad illam expeditionem: quam liberalitatem benignitatemq; regis ita Germani ſunt complexi, vt regem communem Germaniæ defenſorem, ac protectorem ſacri Imperij appellauerint. ad huiuſce rei confirmationem Henricus Gallorum Rex ſcriptum typis impreſſum edidit, cuius inſigne fuit pileus & duo pugiones, cum hic libertatis inſigne fuerit apud antiquos. ſcriptus erat regis titulus, Germanicæ libertatis vindex. hæc agebantur duce & principe Mauritio, qui etiam ad ordines imperij ſcribens facti ſui rationem reddidit, & Cæſaris crudelitatem aduerſus Lantgrauium vehementer inſectatus eſt. Sed tamen antequam tantum facinus aggrederetur Aredatam profectus Ferdinandum conuenit. rogat vt pro Lantgrauio intercedebat, quo ſibi ſocer in libertatem concederetur. Ille Inutrium accedens cum Cæſare collocutus verba humanitatis & ſpei plena tantum refert. Henricus veteranos milites ad ſigna conuocat. equitatum colligit. magnas copias conſcribit. ipſe Catalauni conſedit, quæ vrbs eſt Aquitanię apud Matronam fluuium, dum exercitus pararetur, qui iuſſus erat conuenire ad Vitras & loca finitima in Aquitaniam, quò tormenta etiam trahebantur, atque conuehebatur vndiq; commeatus & omne bellicorum apparatuum genus. accerſita fuerunt e Gallia ſubalpina viginti veteranorum Gallorum peditum vexilla, qui diu militauerant in Italia. euocantur è Scotia veteranæ cohortes, ita vt collecta ſint vndecim millia optimorum & exercitatiſſimorum peditum, his accedunt triginta & quinq; vexilla, quæ collecta ſunt tyronum inter Tectoſates, in Prouincia, in Sequanis; atque omnis hic peditatus accedebat ad decem & ſeptē armatorū millia Gallorū, quibus præerat cū ſummo Imperio Dux Sciatilioneus. addita ſunt Gallis viginti Germanorum vexilla, quæ collecta ſunt apud Veuiū & Sorciū, ij ſunt inſignes Remotū pagi in agro Leucorū. totidē rurſus vexilla conuocat ad ſtipendia Recrocus comes ad colligendas copias miſſus apud Baſigniū oppidum. miſſus eſt etiam Cartellus ad quatuor millia peditum colligenda, quare collecta ſunt totidē millia peditū Germanorū. erant inſtructi iā mille & quingēti cataphracti equites, & duo millia leuiorū, ac totidē equites ſclopettarij, qb. pęrat dux Vmalius. hic ita collectus exercitus Tullū

Querelę Germanorum in Cæſarem & conſpiratio.

Hērici inſcriptio publ. & expeditio.

Tulli Deditio.

verſus iter capit, quæ prima vrbs Lotaringiæ principatus neutrius partibus ſtudebat. eius vrbis ciues antequam exercitus accederet claues & imperium ciuitatis & omne auxiliorum genus quæ poſſent per legationes vltro Coneſtablio Memorãtio ſummo copiarum duci offerunt, cum Hẽricus Rex eſſet adhuc Genuillæ, vbi regina ægrotabat. acceſſit ad eam vrbem dux Lotaringiæ ad diluendas nonnullas criminationes, quibus accerrimè apud Regem fuerat oneratus, quibus criminibus dilutis dux ille ſeſe ſuaq; omnia regis arbitrio committit. receptus eſt vnà cum matre vidua, quæ ad erat, perbenignè in gratiam regis, atque Henricus poſt multos habitos familiariter ſermones hortatur matrem vt ducem adhuc puerum mitteret in Galliam, qui vnà cum primogenito regio educaretur. cum verò Regiæ ad hortationes mite quoddam ſit imperij genus, ita fit. Cæterum Mediomatrices quia intelligerent futurum eſſe vt tantus exercitus in ea vrbe, & in proximo agro hoſpitium haberet, legationes mittunt in caſtra. rogant Coneſtablium vt eadem benignitate atque clementia in ſe vteretur cum neutrius partes ſecuti fuiſſent, qua vſus fuerat Cęſar cum eã tranſiret in Galliam, neque illos atrocius tractaret, qui Cæſar ſuis copiis vęnalem commeatum tantum exponi imperauerat. aſſentiunt tamen vt rex ipſe cum primarijs proceribus exercitus in vrbem ingrederetur, quo commodius haberent hoſpitium. Memorantius his acceptis legationibus humanitatis plenum reſponſum dedit, ſe amicè ſcilicet eſſe illos tractaturum. Sed paulo poſt ad regem profectus vbi redijſſet in caſtra, copias ducit ad pontem Camoſonium vocatum, vnde tria millia Gallorum peditum cum nonnullis equitibus ac tribus tormentis mittit ad expugnandam abbatiam Georgianam, vbi præfectus Hiſpanorum præſidiorum ſe egregiè tuebatur. Sed propter vim tormentorum cum muri fuiſſent deiecti & proſtrati, antequam ſe dedere voluiſſet, Galli oppidulo potiti per virtutem armorum maiorem partem præſidiorum vnà cum ipſo præfecto trucidarunt. his ita ſuccedentibus rectà Mediomatricum Belgarum populorum vrbem Diuodurum accedit, quę ciuitas eſt opulenta & ampla, ad ripam Ombrici fluminis ſita: habetq; Tullum vrbem ad meridiem, Verdunum ad occidentem, ad Septentrionem Treuiros, quam fama eſt Moſelainam dictam fuiſſe primùm à Muſelano viro Troiano, qui primus eius vrbis iecit fundamenta, ſed poſtea nomen mutauit. habet illa vrbs agrum vini, frumenti, omniſque generis fructuum feracem,& paſcuis vtiliſſimum, quare omnibus rebus humano victui neceſſarijs maximè abundat, & multis præterea viris præclaris cum non minus optimorum ingeniorum, quàm frugum ſit altrix. exercitus Diuodurum profectus caſtrametatur in ſuburbijs, & in pagis finitimis. tum Memorantius regiam voluntatem ciuibus ſignificauit. hortatus etiam fuit vt ſe fidei & arbitrio regis concrederent. præſtare enim vt libenter regijs legibus tanquam amici indemnes parerent, quàm vt per vim ferri, & per multas moleſtias iſtud tamen facere cogerentur. fore tutius & commodius pacati regis amicitiam & fidem & clementiam experiri, quàm arma & indignationem & impetum armatorum militum, cum ſemper victoria triſtes exitus victis afferre conſueuerit. per illum nuntium grauiſſimus ſtimulus iniectus eſt animis principum eius ciuitatis, qui ex altera parte ſe tantis viribus non poſſe reſiſtere intelligebant, ex altera videbant quantum vtilitatis amitterent, quantumque autoritatis, quam exercebant in patriam & in cæteros ciues. quare hinc animus eos hortabatur vt reſiſterent regię petitioni, inde metus imminentium calamitatum ab armis ſuſcipiendis deterrebat. petunt igitur ſaltem vt iura & priuilegia ſibi ab imperatoribus & regibns conceſſa Gallis confirmarentur. at Memorantius indignatus rem differri per mutuas petitiones, minatur, niſi cito pareant, ſe tormenta muris admoturum. Ciues eo dicto territi Gallica præſidia in vrbem vltro admittunt, & quamuis duas tantum cohortes admittere poſtulati fuerant, tamen mille & quingenti lectiſſimi pedites ingrediuntur. illis ingreſſis neq; cæteris quidem poſſunt reſiſtere, quare vrbs inſignis Diuodurum ita compulſa eſt vt in poteſtatem Regis Gallorum veniret, quæ diu libera ſuis legibus vſa fuerat, atque imperium iampridem in ſuos ciues exercuerat. vel pauciſſimæ enim vel nullę vrbes liberæ vnquam inuentę ſunt, quę non potentiam denique in ſuos ſubditos exercuerint; qui multos dominos pro vno habere coguntur, cum vix fieri poſſit vt bonum ſit multorum imperium, vel quia rari ſunt boni, vel quòd vnum malum facilius populi tolerant, quã multos malos imperantes. atque in liberis ciuitatibus plures vbique paucis præualent ac dominantur.

Diuoduri deſcriptio.

Diuoduri deditio.

Mauritius ex altera parte cum eorum omnium, quos ſeueritas Cęſaris irritauerat, auxilijs Gulielmum filium Lantgrauij ſibi adiungit, factaq; fœderatione & ſocietate belli cum Gallo, Henricus quadraginta millia nummum in ſingulos menſes aſſignat in ſtipendia militum, quæ quidem erat portio ſumptuum ipſius regis pro fęderatione. decretum enim fuit vt regijs, aliorumque fœderatorum ſtipendijs aſſiduè exercitus in Germania haberetur viginti millium peditum, & octo millium equitum. his addidit Henricus ſe noua auxilia adiuncturum, quoties Cæſar armatus cum exercitu in apertum prodiret. atqui Senenſis reſp. interea, quæ Cæſarianorum auxilia poſtulauerat, vt paulo poſt explicabimus, cepit egrè ferre Cæſarianorum adminiſtrationem, quia Diegus Mendocius tyrannice libertati vrbis ſimulata defenſione ſui videbatur inſidiari, iactis fundamentis cuiuſdam oppiduli. non defuerunt qui ſollicitarent Senenſes ad imploranda regis auxilia, inter quos princeps erat Hieronymus Vegghianus Piſanus: qui multis rationibus fore docebat vt Henricus eorum defenſionem ſuſciperet, ſi ad eius fidem, patrocinium, miſericordiam confugeretur. Quæ dum tractantur Senæ, Mauritius ingentibus viribus mature collectis clam iter capit Cluſam verſus, & oppidum Ferdinandi Embergũ nocturno tẽpore adit per montanos aditus, aſperos, ignotos, inuſitatos: quod factum eſt tanto ſilentio, nemo vt prius ſenſerit, quàm Mauritio ipſi viſum ſit Cæſarianos à tergo tutò poſſe aggredi, ac viam occludere ne aufugere poſſent. Sic igitur Cluſam repente profectus portã occupat inter duos mõtes in valle quadã ſatis profunda, vnde pulſis cuſtodib.

Fœderatio in Cæſ. pro Lantgrauio.

Senenſium defectio à Cæſare.

Cluſa obſeſſa.

conatur

conatur oppido potiri. Sed cum reiectus fuiſſet virtute defenſorum relictis copiis nonnullis ad ob-
ſidionem, ſumma celeritate Inutrium verſus caſtra mouet, vbi Cęſar & Ferdinandus morabantur,
qui improuiſo Mauritij aduentu perterriti cum eſſent inermes ſtatuunt Carinthiã verſus iter facere
ſic Cæſar inualidus per noctem in lectica pluuioſo & obſcuro tẽpore ad lumen facũ & cęreorũ pro
fugit Inutrie cũ Ferdinando & omnib. quæ aderant, legationibus. nã tametſi tanto armorum Ger-
manorum ſtrepitu experrectus Cæſar miſerat tribunos in Italiã ad conſcribendas copias, paucoſq;
milites iuſſerat, qnos habebat, difficiles Cluſæ aditus tueri, tamẽ tantus impetus fuit Germanorum
tamq; repentinus; vt, cũ Cæſariana præſidia quaſi irruenti flumini non poſſent reſiſtere, facile Ger
mani quocunq; vellent, irrumperent. Cęſar ita noctu iter faciens per illam cęli turbulentiã & ob-
ſcuritatem relictis impedimẽtis multis magna celeritate peruenit Vacorium ſiue Iulium Carnicũ,
quod eſt oppidum in finibus agri fori Iulij in vltima ora Norici ſitum Villacum vocatum antiquiſſi
mum patrimonium Auſtriacæ familiæ, in ripa Draui fluminis. atqui tanta fuit feſtinatio & ſtudiũ
eius fugę, vt multi viri nõ ignobiles repentina penuria equorum coacti per vias lubricas & cęnoſas
pedites ęgrè Iulium Carnicum peruenerint. eadem nocte Mauritius Inutrium peruenit. Cæſarem
fugientem aliquandiu inſectatur. cum deſperaret ſe poſſe illum cõprehendere, Inutrium reuertit.
rebus vrbanis ſeruatis incolumibus omnia impedimenta Cæſariana diripiuntur. Cæſar ſtatim Va-
corium profectus multos honores à Venetis conſequitur, ac multa munera, à quibus omnia libera-
liſſime oblata ſunt, quæ temporis anguſtiæ & ſenatus liberalitati conueniebant. Sed Cæſar vbi pri-
mum Venetorum equitatum ad ſe uenientem vidiſſet, qui comitabatur munera, adeſſe hoſtes veri-
tus inde cito erat diſceſſurus; at Venetus orator, eius animum vix ſedauit, cum amicum eſſe equita-
tum docuiſſet, qui honoris gratia tutelęq; obuiam accederet, ſeq; vltro obſidem offerret niſi res ita
eſſet. tanti eſt timor in animis vel ſummorum imperatorum ſemel conceptus è rerum mutatione.
ibi ergo aliquandiu moratur, donec quò tenderent Mauritij conſilia proſpectaret. Ferdinandus inte
rim legationes mittit percunctatum quibus Cæſaris tantis iniurijs commotus tam repente arma ce
piſſet, aut cur ſua caſtella occupauiſſet, hoſtiliterq; agrum inuaſiſſet. his reſpondet Mauritius ſe nõ
aduerſus Cęſarem arma ſuſcepiſſe, neq; ad eius caſtella occupanda, ſed aduerſus Albanum ac cæte-
ros Cæſaris conſultores ſuos hoſtes, quos ibi eſſe percepiſſet. Se optimo eſſe animo in Cæſarem,
atque niſi eos intra certum temporis ſpatium inueniſſet, dimiſſo exercitu ſe ad comitia Borodu-
num eſſe venturum, quæ à Cæſare indicta fuerant cum cęteris principibus, vt poſſet de pace agi
cum ipſo Cæſare. Cæſar tamdiu Vacorij moratur, dum multæ Hiſpanorum copiæ fuerint illuc ab
Aujia ex Hiſpania claſſe aduectę, quas Cæſar initio Germanici huius tumultus ex Hiſpania acciue-
rat. interim Ferdinandus accedit in Germaniam, ad colloquium Aredatum cum Mauritio ventu
rus, quo illum Cęſari reconciliaret. Sed Veneti vbi primum nuntiatum eſt Venetias Mauritium ar
matum ſuis finibus propinquare, iubent conſcriptos milites colligi ac cenſeri, in apertumque edu
ci ad ſuos fines tuendos. eos Venetorum motus veritus Cæſar, ne forte cum hoſtibus conſpiraſſent
in eam trepidationem denuo incidit vt ad nouas latebras & ad fugam rurſus proſpiceret. at à lega-
tione Veneta confirmatus fuit, cum intellexiſſet eas copias eductas fuiſſe propter ſuſpicionem
Mauritij, qui ſeſe armatum Venetorum finibus oſtentaſſet. eſſe Venetæ conſuetudinis arma para-
re, vbi armatos habeant vicinos. ſe, fideiuſſorem profitetur, quod arma Veneta aduerſus Cæſaris
hoſtem potius parata eſſent, ſi dimicandum ſit, quàm aduerſus ipſum Cæſarem. Mauritius ac pro
teſtantes ea felicitate rerum elati, qui libellum interim vocatum noluerant admittere tumultuan-
tes regiones eorum Germanorum multis afficiunt damnis, atq; hoſtiliter inuadentes ferro atque
igni populantur, qui Cæſarianas partes vltro fueranr complexi, ac multas vrbes in eorum ſenten-
tiam confugere volentes, non audentes autem propter Cæſaris præſidia communi conſilio truci-
datis aut eiectis ipſis pręſidijs libertati ſunt reſtitutæ. Quę dum fiunt à Mauritio, & à cæteris hoſti-
bus Cæſarianæ factionis, Federicus Saxonum dux captiuus naturæ conceſſit. Lantgrauius Mechli-
nię, quod eſt oppidum munitiſſimum in finibus Belgarum, moleſtiſſimam captiuitatem perfere-
bat omni ſpe libertatis abiecta, neque videbat quò ſua tenderent negotia. Federici verò filiis & prin
cipatus poſt mortem patris, & omnia paterna ſunt reſtituta. at cuſtodiis Lantgrauij præfectus om
ni quo poterat humanitatis genere erga ipſum Philippum vtebatur, cum multos ad colludendum
& ad eum ſalutandum admitteret. nam Lantgrauius pro ſua innata liberalitate ac munificentia ita
ad ſe obſeruandum cuſtodes, & cęteros amicos flexerat, vt ad fugam oblata opportunitate ſibi poſ-
ſe aſpirare videretur. ventitabat ad eum ſpurius nepos iuuenis ſanè callidus & prudens & liberalis,
cum quo Lantgrauius conſilium fugæ communicabat, atque aliquando in vicinis locis occulti
equi pręſtantes ad hoc negotium aſtabant parati. adducuntur Turcæ equæ Mechliniam, quas iu
uenis per miram quandam dexteritatem ad palatium ſiſtit, neque vlla excitata ſuſpicione equas pa
ratas eſſe nuntiat. Lãtgrauius dimiſſis illis qui colludebant, clam exit è thalamo. cũ ad cocleatas ſca
las ventum eſſet, per quas aſcendebant cuſtodiæ in anguſto tranſitu, fit obuius forte præfectus cu
ſtodiarum. nepos Lantgrauij, quia putaret eo cęſo nihil ſe habiturum controuerſiæ, quòd permul
tos cuſtodes largitionibus corrupiſſet, atque alij vino ac ſomno tunc eſſent ſepulti, breuem ſclo-
pettum in ipſum diſplodit. cum vanus fuiſſet ictus, conclmatum eſt. fit concurſus vndiq;. Lantgra
uius reducitur in cuſtodias. nepos ſtrenuè pugnans trucidatur. ita vel cæſus ſuſpendio plectitur.
quę dum inter hos aguntur, atque inter Mauritium & Ferdinandum ad reconciliationẽ, Henricus
Rex Mauritij negotia prõptè adiuuat. Sed cum obnũtiatũ eſſet in regia caſtra Martinum Roſcainũ
cũ pręualidis copiis Vermanduos Gallię Belgicæ regionẽ, & in Cãpaniã ſiue Sueſſones ingreſſum
eſſe, multaſq; vrbes & caſtella cepiſſe, ac obuia quæq; ferro & igni populatũ, Lutetiã magis itinerib.

*Cęſaris fuga. Vacorium.*

*Senatus Veneti magnificentia in Cæſarem.*

*Federicus moritur captiuus.*

*Lantgrauius fugam tẽtat.*

contendere, ſtatuit optime rebus ſuis conſultum iri ſi relicta alienorum locorum oppugnatione ipſe ad proprios lares potius & ad ſua defendenda ſigna conuerteret. Sic efficitur vt Gallorum itinere cognito Martinus coactus ſit Galliam relinquere, ac proprię ſaluti conſulere. Mauritius Inutrio diſcedens minime compos voti ac deſiderij ſui educto exercitu è Rethiæ principatu, Cluſaq; libera relicta

**Boroduni comitia.**

Borodunum, vti diximus, peruenit, quò etiam Ferdinandus: atq; pręter cætera multa, quę tractata ſunt in ijs comitijs, ita pax inter Mauritium Cæſareq; componitur, vt Cæſar Mauritio liberū

**Mauritij pax cum Cęſ.**

Lantgrauium reſtituat. vt Mauritius ſuis ſumptibus Ferdinando opem ferat aduerſus immanitatem Turcarum per illam æſtatem cum duodecim peditum, tribus equitum millib. His ita compoſitis Mauritius partem copiarū dimittit, atq; Langrauii filij ſigna infeſta conuertunt aduerſus ducem quendam Henſtainum, qui Cæſaris nomine agrum Cattorum hoſtiliter inuaſerat. contra hunc Oldemburgius comes ſexdecim vexilla peditum Germanorum eduxerat, ſed commiſſo vtrinq; totis viribus prælio, Oldemburgenſes copiæ fuſæ profligatæq; fuerant. Mauritius reliquas copias mittit ad liberandum Madeburgum vrbem Saxoniæ, quam Veſſonum, Sennonumq; principes obſidebant. Hi viſis copijs Mauritij continuo obſidionem ſoluunt, nec ita multo poſt hi ſimul cum Maſſeltio comite Cęſari reconciliantur, ſe illi militaturos pollicentur aduerſus Henricum Galliarum Regem, quindecimq; Germanorum cohortes, & quingentos cataphractos equites, ac nonnullos leuioris armaturæ in caſtra Cæſaris adducunt. Sic tam repentina facta eſt Cæſarianarum rerum mutatio, & toties tam breui tempore. è quibus apparuit quàm facile ſit ex altiſſimo fortunę gradu vel potentiſſimis imperatoribus delabi, & quàm leuia fuerint principum Germanorum quorundam ingenia. Cæſar pro conditionibus pacis, & vt ſedarentur totius Germaniæ animi in ſe concitati propter diuturnam captiuitatem Lantgrauij, quam vnam præcipuam cauſam fuiſſe intelligebat, quę in ipſum Germanica, Gallicaq; arma excitauerat, ſcribit ad Mariam ſororem Reginam, vt iuberet Lātgrauium reſtitui libertati. Maria Cæſaris cōſilio ac mandato duci cuſtodiarum patefacto, minime aſſequitur vt liberaretur, quia dux diceret ſibi opus eſſe indicio Cæſarianæ voluntatis, quòd ita Cæſar ipſe imperaſſet, ne prius eum dimitteret, quàm indicium accepiſſet, vti inter ſe conuenerant Maria quia videret multos Germanos principes ad eum abducendum conueniſſe, grauiter fert vel iuſtiſſimam ducis excuſationem, quare vnum è ſuis familiaribus mittit citatis equis ad illud indicium accipiendum. Ipſa interim, vt principes intelligerent non vanam eſſe ſpem ſolutionis, curat vt Lant

**Lantgrauius liberatus.**

grauius Loſianiam ducatur. deinde breui allato indicio libertati reſtitutus eſt cum magna pompa edita communis lætitiæ ſignificatione, atq; ab illis principibus ad ſuum principatum deducitur. Lātgrauius, vt erat liberalis & magnificus princeps, dum liberatio ita protrahitur, multa eaq; honorifica munera congeſſerat, quibus omnes donauit, à quibus aliquid commodi fuiſſet aſſecutus. ea dum fiunt ita variatis viciſſitudinibus in Germania, Iſabella inferioris Pannoniæ Regina iam queri cęperat conditiones, propter quas Regnum conceſſerat, ſibi non ſeruari. idcirco Sarmatarum Regem & reginam Bonam matrem ſollicitat vt procurent ſibi pactiones ſeruari. principes inferioris Pānoniæ clā ſolicitantur vt filius in regnum paternum reſtitueretur; quippe quòd neq; in cæteris locis vel viginti millia nummum poſſent exigi, neq; prouentus nemorum, & aucupiorum & piſcationum vectigalia, quę aſſignarentur, certa ac ſtabilia eſſent, quia poſſent pro ratione temporum facile mutari. Quòd neq; ſoluerentur quę ſibi debebantur pro dote, pro quibus pignus acceperat Caſſouium. ad illa tractanda mittit Matthiam Loboſcum virum callidum & prudentem ad Ferdinandum. Loboſcus reſponſum tulit à Ferdināndo humanitatis plenum, reginam ſororis loco ſcilicet, ac puerum filij ſe habere, ſemperq; eſſe habiturum. Sibi nihil magis eſſe cordi quàm vt votis Reginæ fieret ſatis. quòd ſi Rhauporium & Munſterburgum illi non concedebatur, iſtud non fiebat ſua Ferdinandi culpa, ſed Ioannis Sennonū principis; qui Marchionē Albertū & electores Saxonū & Sēnonū & Prutenorum principes tutores haberet, ſine quorum conſilio & conſenſu nihil poſſet fieri, cum & illi procul abeſſent, & tanti tumultus eſſent excitati à Mauritio nuper in Germania, quanti audiebā

**Legationes Iſabellę Reginæ querulæ.**

tur. opus eſse aliquantulum perpeti, quòd alios principatus, & vrbes, & oppida pro votis eſset breui conſecutura. Se mirari ꝙ illa vectigalia refutaret, qui erant optimi & expeditiſsimi oīum prouentus. atqui tametſi regina curabat vt hæc ſibi ſoluerentur, tamen non minus inſtabat vt clam ſibi reſtitueretur Regnum. Turcæ nullum genus apparatuum interea prętermittere. copias colligere. tormenta in vnum conuehere. annonā ſubditis imperare. opportuna loca munire ad fines hoſtium. his cognitis Caſtalius literas dat ad Ferdinandum. hortatur vt maiores vires colligat. inſtet Pallauicino vt cum tormentis & copiis ad properet. Ferdinandus non poſſe tunc mitti ſuppetias reſpondet propter varios Germanorum motus; ſed tamen ſe curaturum vt Pallauicinus cum ſuis viribus in inferiorem Pannoniam properaret, atq; pro opportunitate temporis alia auxilia breui miſſurum. Mauritium cum duodecim millibus peditum, & tribus equitū iure conditionū pacis ad illud bellū eſſe venturū. Se plurimū eius virtuti & prudentiæ confidere. curaret exigendos in bellorū vſū prouentus eccleſiaſticos eius regni, qui adminiſtratorib. carerent: quod vt facilius cognoſceret, daret id muneris Georgio Vernerio & epō Riſpieſi, quæ oīa deſcripta ad ſe mitterentur. iubet ſua impedimenta oībſeruis monachi reſtitui. quadringentis Vſſaronib. qui monachū ſecuti fuerant ad corporis cuſtodiā dari ſtipendia, ne homines regionis periti cogerent hoſtilia ſtipendia mereri illis pfectus eſt Opperſtulphus vnus è primarijs ducib. equitatus Pānoniæ inferioris. Loſantius cū ſexcētis equitib. ac ferè mille peditib. pter ciues tractandis armis aptos menſtruū ſtipendiū in oēs milites à Caſtalio accipit, & ducentos præterea Germanos ſclopettarios, atq; iubetur quantum poſſet cōmeatuum in vrbē Tibiſcum comportandum curare: vt ſi repentina obſidio, vt aſſolet in bellis aliquando contingere, vrbem illam inuaſiſſet, poſſet eam diutius ſuſtentare. tantus præterea tormentorum numerus,

merus, tantusque apparatus tormentarius miſſus eſt, vt in multos conatus hoſtium poſſet ſufficere. ſcripſit etiam literas Caſtalius, quibus illum & Gaſparem confirmabat, hortabaturque vt munirent tuereturq; quanto maiori poſſent diligentia. nã quamuis tunc non ſatis magnas copias habebat, quas poſſet in apertum educere aduerſus Mahomettum, tamen breui futurum vt maturè collectis inſignibus viribus, & firmioribus copijs, vel contra omnem hoſtium conatum ſuppetias ferret. nunc ſibi eundum eſſe aduerſus Myſum ne in Pannoniam inferiorem per Braſſouium intraret. periculoſius eſſe hac via ne Myſus regnum occuparet, cum nullæ eſſent munitiones, quàm illa, qua Mahomettus erat inuaſurus per Tibiſcum, quòd eum munitiones poſſent retardare. faciliorẽ eſſe ſibi nemorũ & montiũ beneficio defenſionũ aditũ, quàm Liziſi aut Tibiſci, quia cum paucis peditibus ſperabat equitatum Myſi vexare aut etiam reijcere. non paruam fore eius ducis gloriam, qui fortiter aduerſus tanti exercitus conatus reſtiterit, quam nemo vir ſtrenuus non appetiuerit, qa ſummus honor, & vera gloria, & omnis militaris exiſtimatio in maximis arduisq; periculis ſuperãdis conſiſtit, nullam eſſe propè gloriam ſiquis cum ingentibus copijs debiles ac paruas fuderit, ſed contra magnã exiſtere, ſi cum paucorum virtute magnæ hoſtiũ multitudini reſiſtatur, acumenque maximorũ exercitum hebetatur. Aldana ſe ęgrè affectum Caſtalio ſignificat, neq; poſſe Liziſum defendere. ſcribit mittendum eſſe alium ducem, qui ſuſciperet defenſionem, quod ſanè non mediocriter Caſtalio moleſtum viſum eſt cum ob ipſum articulum temporis, tum quia videbatur hoſtis ita ſpem magis habiturus vrbis oppugnandæ, ciuesq; conſternatum iri, cũ vir huiuſmodi exiret ex illa munitione, cuius in locum alius ſufficeretur nõ æque autoritatis aut peritiæ. addidit his plurimũ intereſſe eius honoris illam vrbem defendere quam ipſe muniendã curauiſſet, & quã coluiſſet cum nulla eſſet bellorum ſuſpicio. veruntamen nuntiatum mittit ſi metu purpurati commotus vellet Liziſum relinquere, quamuis illud tardius ſignificauerat, tamen ſe miſſurum qui eam vrbẽ defenderet, quare ſuum conſilium ſtatim apperiret. Aldana perſpecto errore in quem inciderat, reſpondet, quando iam eſſet Liziſi ſe velle vrbem defendere, ne videretur purpuratum metuiſſe. hortatur Caſtalium vt hilari bonoq; animo ſit. Caſtalius rebus Liziſi ac Tibiſci per hunc modũ compoſitis Coloſuar contendit ad colligendas copias, quas mittebat Ferdinandus. monet Helfeſtainenſem comitem cum ſuo Regimẽto vt eò properet, qui adducebat quatuor millia peditum, & Zenã ſummũ cataphractorum equitum ducem vt in caſtra properaret. Mahomettus Taurumno à tergo relicto inter duos fluuios caſtrametatus fuerat, cuius in caſtris erant circiter centum millia armatorum & ſeptuaginta bellica tormenta. inter quæ triginta muralia eximiæ magnitudinis. iacti fuerant pontes ſupra Tibiſcum fluuium, cum eò accederet purpuratus præfectus Græciæ cũ viginti millibus equitum, & Caſſumbaſſa cum quindecim equitum, & duobus Sythatum millibus, qui populi ſunt inhumani, bellicoſi, & propè ferini pugnantes ex equis, quorum arma ſunt arcus, acinaces, clauæ ferreæ. iam omnes ferè copiæ inferioris Pannoniæ collectæ fuerant, cum Helfeſtainenſis comes in caſtra acceſſit, quæ hoſpitiũ habuerunt in ſuburbio, quod erat per amplum. die poſtero cum iuberet Caſtalius ſigna conuelli ad profectionem. Germani iter facere recuſant, quia cum quatuor menſiũ ſtipendia ſibi deberentur, duorum tantum in præſenti accepiſſent. tormenta occupant. vrbem ad dereptionem capere conantur. tormentis concutere incipiunt. illa cum videret fieri Caſtalius præter omnem bellici imperij reuerentiam mittit nuntiatum ciuibus vt ſe defendant, qui ſumptis armis ita ſclopettis ac tormentis Germanos impetunt vt multam cladem illis attulerint, qui nullo ſeruato ordine militari cum neſcirent inſtrui in aciem, decernunt Caſtalium capere. Caſtalius conſilio Germanorum percepto Turdam ſe confert, ijsq; nuntiatum mittit niſi temeritatem audaciamque deponant, ſe vniuerſas copias in eos educturum, ad vnum trucidaturum, & tam importunum hominum genus deleturum. ad vrbem profectus iubet omnem equitatũ egredi, ac ſimulare ſe iter capere aduerſus caſtra Germanorum, qui illa de re certiores facti cum ſe aduerſus tãtas copias nullo pacto poſſe ſeruari intelligerent, illamq; ſeditionem militarem ſibi maximè pernitioſam fore nemine conſulente ſponte ſua tormenta Turdam verſus trahunt in acie explicatis vexillis ad profectionem. comes circiter quinquaginta ex iis trucidandos curat, quare per multorum vulnera ac cędes ſatis dignas pęnas dederunt ſuæ temeritatis. dum Caſtralius vires parat aduerſus Myſiæ inferioris præfectum, qui cum quadraginta millibus hominum in agrum Braſſouienſem hoſtiliter inuaſerat, nuntiatur Mahomettus non ſine multa difficultate traiecto Tibiſco fluuio cum omnib. copiis ad vrbem Tibiſcum conſediſſe, vrbemq; cinxiſſe obſidione, ac cępiſſe concutere è tribus lateribus ſeptuaginta tormentis, cum tamen præſidia egregiam fortitudinem præ ſe ferrent. id nuntiatum eſt ab Hiſpano & Raſcio homine, qui non ſine maximo periculo induti Turcico habitu Turcico idiomate vſi per caſtra hoſtium ex vrbe penetrarunt. iam enim duodecim dies nullo intermiſſo ſpatio verberatio perdurauerat. addunt vrbi opus eſſe ſubſidiis, quia tormenta multos milites dilaniaſſent. Caſtalius è veſtigio Ottomialem hortatum mittit, qui erat Iulæ, vt cum quadringentis Aiduchis omni ſtudio niteretur vrbem ingredi, magna etiam præmia promittit, ſi illas ſuppetias in vrbem introduxiſſet. ipſe cum duodecim millibus armatorum Turdam verſus iter capit obuiã Myſo procedens, qui paulo plus quatuor millibus paſſuum aberat à Braſſouio, validiſq; præliis ab aditu quodam repellebatur virtute egregia Ioannis Baptiſtæ Archuenſis: nam tãta induſtria pugnabat, vt nemo ex hoſtibus incolumis exiret è caſtris. Myſus itaq; neque procedere, neque coniungere vires cum Mahometto poterat aut Tibiſcum contendere, qui quidem Archuenſis præſtanti virtute ac ſingulari rerum militarium peritia non parum per eas miſerias temporum rem Pannonicã propè labantem ſubleuauit. ita verò ſcitè ſuas copias diſtribuerat, vt quoties incurſiones ea facerẽt hoſtes, neminem pateretur in caſtra redire. tot cladibus hoſtem affecit & afflixit, vt non auderet exire e ca-

Militaris gloria & fortitudo.

Seditio militaris. Germanorum.

Tibiſcum obſeſſum & cõcuſſum.

Ioã. Baptiſta arcuẽſis virtute.

re è caſtris, atq; Myſum propè compulerit auertere ſigna, & de ſpe decidere eius expeditionis. Ca-
ſtalius ita Myſo propinquarat, vt, exiſtimans maiores copias adduci, quàm forma erat, nō auſus ſit
Caſtalium Myſus expectare, ſed profectionem fugæ ſimillimam capiens, ſeſe recepit in tutiores fi-
nes. neq; enim credere poterat Caſtalium ſummo ingenio ducem ſingulariq; prudentia auſum eſ-
ſe cum multo inferiore exercitu obuiam prodire. tanti eſt in re militari de ſummis ducibus optima
apud vel hoſtes opinio. at Archuēſis in refugientes hoſtes impetum faciens nouiſſimū agmen ſub-
ſecutus multos obtruncauit. futurū erat etiam vt facile extorquerentur tormenta ſi paulo maior
numerus copiarū Archuēſi ad fuiſſet, aut ſi Çeculi fortiter voluiſſent dimicare. Caſtalius vbi cogno
uit Myſum ſe cum integris copijs in tutum recepiſſe, nonnullos dies Segheſuare moratur ſpectans
quò tenderent eius conſilia, qua ſuſpicione retardabatur quominus Tibiſcum accederet, quia vere
batur ne Myſus ipſo abſente rurſus inferiorem Pannoniā inuaderet. nuntiatur interea in caſtra Ca
ſtalij Ottomialis Aiduchos, qui ſubſidio mittebantur Tibiſco, à Turcis fuiſſe trucidatos, quamobrē
Tibiſci vehementer laborari, vixq; poſſe tantis virib. tamque aſſiduis laboribus reſiſti. miſſus eſt Frā
ciſcus Enriquus Liziſum, vt facinus, quod ſucceſſiſſet, & quo in ſtatu res Tibiſci eſſent, intelligeret,
atq; diligenter ſpectaret formā & conditiones Liziſi, vt opportunis rebus ſuſtinendis viribus Ma-
hometti muniretur. ſed cum Gaſparis interitus nuntiatus fuiſſet Tibiſci, eius cohortis prefectura
cōceditur Roderico Viliandrando, qui iuſſus eſt ſumma ope niti vt Tibiſcum ingrederetur. cū ni-
hil magis periculoſum ſit in his opportunitatibus, quàm ſi deſint duces, & gubernandorum defen-
ſores periti. his additi ſunt ducenti ſclopettarij Germani, & cohors Andreæ Lopei cum ipſo duce.
his demonſtrat quantæ ſit difficultatis Tibiſcum ingredi, neq; id fieri poſſe niſi per ſingularem pru
dentiam & fortitudinem. ſibi horum ducum virtutem ſpectatam eſſe, plurimumq; illis confidere.
maximi referre, vt vrbem illam ingrediantur. addita ſunt precibus & adhortationibus ingentia ꝓ-
miſſa, & propoſita ante oculos gloriæ honoriſque magnitudo. ſed illud fruſtra fit, quia eodem die
Enriquus nuntiat Tibiſcum veniſſe in poteſtatem hoſtium. hic nuntius moleſtiſſimus accidit pro
pter iacturam egregiorum militum, ſed multò magis quia ob inſcitiam rei militaris adminiſtrandę
ita contingerat, at non munitionis vitio. nam Lonſantius animum adiecerat ad eam vrbem muniē
dam, quam antea ob difficultatem & controuerſiam ducum, qui conabantur dignitate præcellere,
munire non poterat. idcirco Aldana vniuerſos ſumptus in munitiones ad Liziſum muniendū re-
torſerat, illa vrbe fortunæ arbitrio derelicta. at vero cum poſtea vrbem ad muniendum mane explo
raret, accedit omnis equitatus Caſſumbaſſæ ad explorandum ſitum vrbis. erant erecta in męnibus
eius vrbis quinque propugnacula terra oppleta, quorum alia erant ad muralem coronam vſq; ex-
citata, alia adhuc humiliora, quorum duo iam erant defenſioni accommodata, reliqua imperfecta
ac non prorſus vtilia. acceſſerat cum Mahometto purpuratus Græcię præfectus, qui vbi Tibiſcum
accedunt, inquit purpuratus, en Tibiſcū, reliqua oſtendēt Hiſpani. dum vrbem luſtrarent Alonſus
Pereus cum quadringentis equitibus & centum Hiſpanis ſclopettarijs egreſſus leue prælium cum
Turcis committit, in quo egregia virtus defenſorum enituit. nec multo ſanè tempore interiecto u-
niuerſæ Turcię copiæ tanto cum tympanorum ſonitu, armorum ſtrepitu, tubarum clangore, hin-
nitu equorum, clámore hominum caſtra ad Tibiſcum ponunt, vt omnia viderentur circum pericu
la minitari. tum paulo poſt denſiſſimi globi hoſtium cum magno tormentorum numero ſe vrbi
oſtentant. illa omnia vt cognoſcerentur parui à defenſoribus fieri, cum ita caſtra hoſtium vrbē cir-
culo cinxiſſent, vt nemo ingredi vel egredi poſſet, leuibus prælijs certatum eſt per quoſdam dies, ne
occuparentur ſuburbia. ſed quoniam Mahomettus triginta muralia tormēta in ſuburbia direxerat,
ad omnes defenſiones proſternendas, vt poſſet à tribus lateribus concuti, vrbani è ſuburbijs excede-
re coacti ſunt. earum verberationum vna inſtituta eſt aduerſus oppidulum, alia apud portam vrbis,
tertia ad propugnaculum, quod Hiſpani tuebantur. ita per multos dies nullo intermiſſo tēpore vbs
concutitur. vbi męnia ſatis aperta ad ingreſſum viderentur, Turcæ vrbem inuadunt. ſed ſingulari
virtute defenſorum repelluntur. tum denuo renouatur conatus nullo propè interuallo temporis
interiecto, atque rurſus non minore virtute amiſſis pluribus duobus millibus hominum, multiſq;
vulneratis, reijciuntur. Loſantius tamen cum intelligeret magnam partem propugnaculorum cō
cidiſſe, quæ męnia ſuſtentarent, męniaq; ipſa eſse afflicta & propè conquaſsata, neque vrbem poſ-
ſe diutius defendi, præfectos cohortium ad ſe conuocat. docet quo in ſtatu res ſit. ait petitum fuiſse
tributum pro Tibiſci principatu antequam Mahomettus traiecto Danubio caſtra vrbi admoueret,
quod Vicchius ſoluere Solimano conſueuerat. quod ſi fieret, dicebat ſę tranquillum principatum
relicturum. inquit igitur id ſibi videri nunc tentandum: atque inducias quatuor dierum, dum res
tractari poſſit, petendas eſse. ſed quia variatæ ſunt ſententiæ, nihil actum eſt in hoc negotio. nec ita
multo poſt ad eas partes, quæ oppidum portamque attingerent, iubet Mahomettus vrbem acriter
inuadi. certatum eſt circiter quatuor hòras. deſiderati ſunt è defenſoribus ad cētum & quinquagin-
ta: è Turcis plures mille, & quingentis. multi vtrinque vulnerati. Loſantius ac cæteri duces Hiſpa-
ni ac Germani tanta virtute, tantaque animi fortitudine pugnarunt, vt hoſtes ſeſe ab illa oppugna-
tione recipere in caſtra coegerint. conuocatis denuo ducibus & prefectis cohortium Loſantius idē
conſilium proponit, quod tunc ab omnibus comprobatum eſt, & miſſus nuntius ad purpuratum
in caſtra, qui Loſantii ſententiam aperiret. huic reſpondet purpuratus illud fieri potuiſse vti procu
ratum fuerat vel ſe ipſo annuente antequam colligerentur copiæ, atque Danubium & Tibiſcum
traieciſset: nunc aliud conſilium eſse capiendum, quando exercitus iam eſset collectus & apud vr
bem caſtrametatus, quas copias non erat prius educturus ex agro, quàm vrbe & oppidulo potire-
tur. eo reſponſo nuntius redit ad Loſantium, qui nulla honeſta conditione reperta cum nollet tur

pem

pem deditionem facere, vti poſcebatur, ſtatuit ad extremum vſq; vitæ finem fortiter dimicare. Turcæ verberationem redintegrant atq; ampliant, repetitiſque conatibus vrbem inuadũt, vexant, affligunt. atq, cũ viderentur tormenta ſegnius agere, admota ſunt duo millia operarũ cum ligonibus demoliendo propugnaculo, quod ab Hiſpanis defendebatur. ita vero breui deuaſtatur, vt nõ valde difficilis eſſet aſcenſus per cumulos ruinarum. latera & defenſiones deiectæ ſunt & infractæ, atque propugnaculũ, vt vno verbo dicam, totum ferè euerſum. ad eius defenſionem ampla & profunda foſſa excauata eſt, in qua ita extructę ſunt defenſiones, vt in ſingulis octo ſclopettarij capi poſſent, aduerſus hoſtes protecti. illi, cum magis ſtudium excauandi inſtaret, atq; hoſtes eſſent puluerē tormentarium in cuniculum incluſuri, vt iniecto igne ſtatim corrueret, tantam glandium plumbearũ procellam in excauantes repente effundunt, totq; hoſtes transfigunt, vt imperfecto opere diffugerint, neq; amplius quiſquam poſtea reuerti auſus ſit. illa ratione cum ſpes prorſus excidiſſet potiũdæ vrbis, ad munerum largitionumq; promiſſa ventum eſt, maxime formidabilia tormenta: quippe cum ſæpius auro victi ſint duces & imperatores, qui per virtutem & ferrum inſuperabiles apparuerant. ſed cum neq; hac quidem ratione ſucceſſiſſet, parumq; virium res habuiſſet apud animum ad honeſtatem omnem informatum, duo colles eriguntur è lignis conciſis aduerſus oppidulum, qui ad decem vlnas extendebantur in latum, atq; ij ita compacti ſubducuntur ad propugnaculum Hiſpanorum. ſupra hos quædam tormẽta locant, à quibus omnino ſiquis appareret, exiretve ad defenſionem, impetebatur. neceſſe fuit idcirco his multas foſſas ducere, per quas protecti ad opportuna loca poſſent penetrare, atq; reparationes alias conficere, per quas vrbs defenderetur, quæ iã nõ mediocriter erat conquaſſata, & afflicta, cum præſidia ad paruum numerũ eſſent redacta. reliquiæ tamen præſidiorum fortiſſimè reſiſtebant minime cæterorum morte conſternatæ, quare minutis prælijs frequenter certabatur frequenter noui Turcarũ conatus recentibus militibus defeſſis propter multitudinem ſuccedentibus, qui tamen ſtrenuè reijciebantur. at multa erant, quæ vrbana prędidia debilitarēt, duæ illæ machinæ primùm, quæ mirificè ſi quis aperte apparuiſſet, infeſtabant. debilitas propugnaculorum, quæ aſſiduè tormẽtis deſtruebantur vnà cum mænibus ciuitatis. inopia annonæ iam, & omnis generis apparatuum, qui in horas abſumebantur, cum aſſiduè importarentur in caſtra, & ſuppeterent contra ſemper hoſtibus. hiſce difficultatibus cum vrbani premerẽtur, per obſcuritatem noctis duo Hiſpani aufugiunt ex vrbe, quorum alter erat iam Turca, atq; vxorẽ, & filios habebat Byzantij, alter erat Maurus è Betica regione oriundus. Hi docent Mahomettum quo in ſtatu res vrbana ſit, atq; cum propè pertæſum eſſet tam diuturnæ pugnæ & obſidionis hortantur ne oppugnationem inter mittat. vix enim fieri poſſe vt diutius ſe tuantur, cum vrbs ſit multis è partibus aperta, quamuis Solimanus audita tanta ſuorum clade non nihil ſuccenſuerat Mahometto, iuſſeratq, copias Taurumnum retrahere. Loſantius cũ Mahometus infeſtaret aſſiduis moleſtijs, diu noctuq; cum omnibus militibus, agit iam de deditione, quòd ſe non poſſe diutius reſiſtere tot, tantiſq; & tam aſſiduis laboribus ac periculis exiſtimaret, cũ præſertim validiſſimi conatus poſt Hiſpanorum fugam expectarentur. omnes itaq; milites in eam ſententiam cõſpirarunt vt fieret deditio præter vitam, impedimenta, & arma cæteris omnibus arbitrio hoſtium conceſſis. Hiſpanorum tamen alia fuit ſententia, quippe qui dicerent eſſe fortunæ arbitrio potius, quàm Turcicæ pfidiæ vitam committendam. tentandum eſſe per paludoſam partem noctu effugere. cum paludes eſſent oppidulo propinquæ, quas vbi præteriiſſent, dabatur refugium in ſyluas quaſdam, quarũ opera licebat ipſis Liziſum vſque incolumibus accedere. illud autem fore facillimum dicebant, quia Turcæ ad paludes non eſſent caſtrametati. ambiguam fidem Turcarum feciſſe recentem Olimanni caſum, quem Turcæ probe meminiſſent. Loſantius ita ſe tractaturum inquit, vt omnes incolumes euaderent. ſibi permitterent negotium, quòd ad optimum exitum illud perduxiſſet, tum ſignificat ſe velle facere deditionem. petit vt liceat legationes mittere ad Mahomettum ad negotium pertractandum, qui nuntius non mediocri lætitia illum perfudit, cum propè decidiſſet de ſpe potiundæ vrbis. Mahomettus non ſolùm promittit legationibus ſe ad vnguem ſeruaturum quæ promiſiſſet, ſed etiam muneribus & aureis paludamentis donatas per benigne dimittit. Loſantius has conditiones ſcriptas mittit ad Mahomettum, vt liceret tormenta Tibiſci omnia efferri, & quò liberet attrahere. vt præſidia armata cum omnibus impedimentis ſine vlla moleſtia explicatis vexillis ad profectionem libera excederent. vt eæ cuſtodiæ darentur, per quas omnia in tutum poſſent abduci. ne cui colono vrbis, aut ne cui diſcedenti à ſuis copiis iniuria inferatur, quæ omnia iuramẽto ab ipſo Mahometto confirmata ſunt ita obſeruatum iri. quinetiam miſſum eſt diploma ab ipſo Mahometto conſignatum & approbatum ſubſcriptione, ad obſeruationem fidemq; prædictorum omnium. ſic impedimenta ſummo mane cępta ſunt exportari, tormentaq; extrahi. Loſantius in acie iter capit in primo agmine cum equitibus, inter quos peditatus, qui reliquus erat iter faciebat armatus cum explicatis vexillis. vbi primùm exire incipiunt, duo confertiſſima agmina inſtructa vident, in quib. erant fere quinquaginta hominum millia, qui iter occupauerant, qua erat tranſeundum. Hiſpani qui in poſtrema acie erant collocati, viſa tanta multitudine, quæ tranſitum occupauerat, neſcio quid triſte in animo concipiunt nuntiant Loſantio ſe nolle exire, niſi agmina hoſtium inde dimouerentur: quod cum Mahometto nuntiatum fuiſſet, iurat per caput ſuum omnes tutò poſſe exire. addidit etiam probabilem rationem ſe agmina idcirco ibi collocaſſe, vt egregiæ virtutis ſpectaculum ederetur, cum tam pauci tanta virtute aduerſus tantam ſuorum multitudinem fortiter reſtitiſſent. Hiſpani hoc reſponſo confirmati, & reliqui omnes inter hoſtilia agmina iter faciunt, qui vix pertranſierant, cum datum eſt inuadendi ſignum diſploſo ſclopetto, vti à Mahometto fuerat inſtitutum. ea re audita alterum agmen tormenta cingit & primam aciem, alterum inuadit poſtre-

Tibiſci deditio.

mam,

Turcarum perfidia & immanitas.

mam, atq; hos vndique circunuetos trucidant, & eos præcipuè qui ſeſe tuerentur. at quidam viſa immanitate perfidiaq; Turcarum patiuntur ſe in ſeruitutem capi, inter quos fuit Loſantius, qui ad ductus eſt ad Mahomettum. Alonſus Pereus vir ſingularis fortitudinis cum expeditum haberet equum ſtricto gladio vel per confertiſſimum globum perrumpit, modo hunc, modo illum vulnerans, dum cęteros trucidarent, illæſus ob bonitatem armorum euadit, cum ſibi viam ferro aperuiſſet. ſic currens Liziſum verſus optimi equi opera periculum propè euaſerat, cũ Turcæ partim ira, partim turpitudine facti compulſi, cum vnus per tot armatorum millia impune viam ferro ſibi aperuiſſet, non pauciores quingentis curſu inſequuntur. neque tamen ita illum comprehendiſſent, niſi ignarus itinerum in paludem quandam, quę frequentes ſunt inijs regionibus, illapſus ſuffocatus fuiſſet, & ita à Turcis captus. abſciſſum caput propter eximiam hominis virtutem ad Mahomettum deferunt, quod interrogatus Loſantius cuius eſſet, reſpõdet fuiſſe viri Hiſpani. nec multo poſt Mahomettus iubet Loſantio etiam in ſuo conſpectu caput amputari. hic finis fuit ſpectatæ virtutis, glorioſorũque facinorũ Loſantij, qui toties egregiæ virtutis ſpecimen ediderat: atque is captus eſt perfidia, & iuramento, qui neque vi armorum, neque multis armatorum hominum millibus, neque impetu tormentorum, neque laboribus, vigiliis, peritia rei militaris vllo pacto ſuperari potuerat. Mahomettus vrbe ita per perfidiam potitus afflictas copias per quinque dies vrbem ingreſſus reficit. iubet eam muniri, ac reſarciri inſtaurariq; loca deuaſtata. interea Caraſambeſſa vrbs frequens & opulenta, quæ commeatum Turcicis copijs ſuppeditauerat, dum proſpiceret quò tenderet res Tibiſci, verita ne caſtra mouerentur ad ſe occupãdam, tributum vltro promittit purpurato; quæ hilari vultu ab eo accepta eſt in amicitiam propter fertilitatem eximiam regionis. hic rerũ ad Tibiſcum geſtarum ſucceſſus vbi nuntiatus fuiſſet Caſtalio ab Henriqueo non mediocriter eius animum afflixit, vti dicebam, ob tot virorum fortium iacturam. ſed tamen ſtatim ad cætera finitima loca protegenda conceſſit. Aldana verò dum obſideretur Tibiſcum parua vti diligentia muniẽda vrbe, neque per exploratores, quod illi erat facillimũ, per ducem Viaronum, qui poterat ad hoc aptos homines ſuppeditare, curare omnino ſcire, quid ageretur, ſed veritus Mahomettum cũ vniuerſis copijs ad Liziſum caſtrametaturum, cum neque vrbs, neq; oppidulũ ſatis munitum aduerſus tantas copias & victrices hoſtium vires appareret, excogitat facinus ſceleris & timoris plenum. id eſt huiuſmodi, vt oppidulum & apparatus bellicos & omnia quæ eſſe poſſent hoſtibus vtilia flãmis abſumeret. at enim cum nuntiaretur purpuratus ad eam expeditionem vt nimis difficilem nõ eſſe venturus, cuius rei eſſet argumentum quòd Turcoioannes & Bartholameus Illyricus ſtationem habentes cum mille equitibus leuioris armaturæ circiter quindecim millibus paſſuum procul à Tibiſco, nullam ſignificationem eius aduentus dederant, neq; moti erant, cum aſſidue hoſtẽ infeſtarent, tamen Aldana in ſententia, ac propè terrore Panico perſiſtit. ſic enim fit aliquando vt pleríque pro conſtantia pertinaciam, pro ſeueritate crudelitatem, pro fortitudine temeritatem cõplectantur. in rebus autem bellicis non facile dixerim plura ne incommoda è temeritate an è timiditate proueniant, cum altera oportuna tempora prodat rei præclarè gerendæ, altera neq; matura quidem expectet. Aldana ſua ſententia cum veteranis quibuſdam Hiſpanis communicata paulo ante profectionem, acriter reprehenditur. non eſſe è dignitate Hiſpani nominis, qui ſemper gloriam & honorem vel vitæ ipſi præpoſuerint, nunc committere vt neque uiſis quidem hoſtibus turpiſsime fugiſſe dicerentur. hortantur vt recordaretur quanta cum fiducia illa munitio defendenda ſibi credita ſit. quantum infamiæ nõ ipſe ſolum, ſed vniuerſa natio ſit reportatura, quæ ſemper glorioſè ſe in omnibus bellis ſuperioribus geſſiſſet. eum primum ex Hiſpanis futurum qui timiditatis & ignauiæ argui poſſet. Sed apud animum abiectum quid verba profecerint? eius cõſilij rumor cum ad aures Pauli cuiuſdam Iaderenſis ducis perueniſſet, rogat vt ipſe in oppidulũ admittatur cũ quibuſdam Hiſpanis magis gloriæ, quàm vitæ cupidis, vt maturè rebus omnibus prouideri poſſet, quòd ipſi eſſent oppidulum defenſuri. his reſpondet Aldana ſe opportunè illos admiſſurum. ſed Iaderenſis tñ milites ſe nõ paſsuros eſse, pfitebantur vt includerent ĩ oppidulũ, niſi apparatuũ & annonæ copiam recognouiſsent. vbi perſpectum eſt eſse ſatis magnam rerum omnium copiam, omnes iurarunt ſe non prius Liziſum relicturos, quàm Turcę diſceſserint. rurſus monet Aldanã Iaderenſis ſe non eſse diſceſsurum, neque ſuos velle tantum proditionis aduerſus Ferdinandum moliri, qui oppidulum aduerſus Mahomettum eſsent defenſuri. initur conſilium ab Hiſpanis, quibus magnus error videbatur committi ſi pro Aldanæ ſententia diſcederetur. alijs indignum apparebat repugnare magiſtri caſtrorum mandatis, quod eſset contra militarem diſciplinam. Acceſſerant Liziſum circiter decem carrorum millia illorum Pannorum, & Raſciorum, qui metu Turcarum aufugerant cum filijs & vxoribus ad Liziſi tutelam in inferiorem Pannoniam tranſituri, qui in morem caſtrorum in planitie ſub tentorijs apud Liziſum conſtiterant Tibiſci vrbis ſucceſsum expectantes. ſed neque preces horum, neque dicta Pannonum aut Germanorum obnuntiationes, hunc ab inſtituto poſsunt dimouere, qui ſe non ſecuturos profitebantur. neque qui exploratum miſſi fuerant an acies Turcarum iter ceperint Liziſum verſus, illud fore renuentes. iuſſi ſunt igitur omnes magiſtri tormentarij negotij ad ipſum accedere. imperat his vt vniuerſa tormenta puluere tormentario replerent, quantũ capere poſsent tormentarij pulueris ad oras vſque, vt diſrumperentur. reliquum puluerem ſulphureum intra turres cauas includerent, vt eas cum viſum eſset demoliretur & euerteret funditus. poſtridie mittit ad Iaderenſem ſub auroram vt portam vrbis aperiret, vt carri exirent ſua ſupellectili onuſti. atq; ita Hiſpani iter capiunt. tum iubet magiſtros ignem pulueri tormentorum & turrium ſubijcere, qui illud tanto timore faciunt, vt nonnulli concremati, occiſi, ſuffocatique ſint. collapſæ ſunt turres, quæ à fronte ingreſsus oppiduli erectæ fuerant, diſrupta

Caraſambeſſa tributaria Turcis.

Liziſum per ſcelus Aldanæ cõcrematum.

diſrupta tormenta, alia liqueſacta. oppidulum & vrbs pluribus è partibus incenſa. Liziſenſes ciues lacrymabundi tantum infortunium, quantum attulerat timor Aldanæ deuitantes impoſitis vxoribus & filijs & rebus precioſioribus ſupra carros iter capiunt quocunque fors deferret. Aldana inferiorem Pannoniam verſus proficiſcens magna diligentia contendit, cuius tamen multi milites ab agreſtibus trucidati ſunt è ſuperioribus locis propter damnum Liziſo illatum cum ad colles per ueniretur. Bartholameus dux Illyricus viſis flammis Liziſi cum diſtaret circiter octo millia paſſuum, cum equitatu illuc ad incendium accurrit, auditaq; ratione incendij & lacrymabili vrbis calamitate curat ad quindecim tormenta ex incendio ſeruata in oppidulum contrahi, cum cætera omnia euerſa eſſent & deſolata. tum quia vrbs eſſet deſerta, concremat partes intactas, ne hoſtibus eſſent vtiles, totumque negotium mittit ſignificatum Caſtalio. qui iam ante ex Hiſpanis præcipuè execrabilem illam deuaſtationem perceperat. nam Hiſpani maximè ad ſe pertinere Liziſi infamiam arbitrabantur, quam Hiſpanus homo excitaſſet, qui quamquam erant viri fortes, tamen ab vniuerſa prouincia pter merita male audiebant. Caſtalius quamuis eã munitionem viribus hoſtiũ poſſe reſiſtere arbitrabatur, per cuius iacturam veniebat in periculum totius regni & exiſtimationis amittendæ, tamen immotus perſtitit aduerſus tantarum rerum magnitudinem, neq; vllum timorem præſe tulit. Sic Aldana cum dux non inutilis ſuperioribus temporibus apparuerit, nunc in ipſo articulo temporis rem Liziſenſem per timorem prodidit. ſed difficile eſt cognoſcere hominũ ingenium. Idcirco leo ſummus omnium animalium imperator laudatur, quia cognoſceret, quam vtilitatem poſſet è ſingulis percipere. nam ſcitè reſpondit percunctanti vulpi ad quod munus vteretur aſino & lepore imbellibus prorſus animalibus, altero ob ſegnitiem ac propè ſtuporem, altero propter metum ad oĩa terriculamenta conſternabilibus, hũc tubicinem, illum tabellarium ſe habiturum. ceterum Caſtalius monet Ferdinandum regem non ſua, ſed alterius culpa patefactum eſſe aditum in illud regnum, quod iam non poſſet ſine validis copijs defendi. poſtulat ad dimidium ſaltem copiarum hoſtilium, vt ſuæ vires accederent. nuntiatum mittit Roderico & Andreæ ducibus, vt Tibiſcum ingrederentur poſt eam calamitatem, iubetque Andream Lopeum Deuam oppidum munitiſſimum eius regionis poſt Liziſum ingredi cum ſua cohorte, quod erat maximi momenti vt in ingreſſu eius regni. idem vt faciat imperat Aldanæ, vt cum copijs Liziſo abductis eſſet Deuæ, donec aliud eſſet ſtatutum. Caſtalius itaque vbi regni rebus conſuluiſſet vt potuit, cum Vaiuoda inferioris Pannoniæ Segheſuar verſus contendit, atque inde peruenit Saſſebeſſam, qui eſt vmbilicus propè regni, vbi munitionibus inſtaret iam inceptis, in quibus præſidia erant aduerſus caſtra Mahometti poſiturus, cum nondum poſſet in aperto eſſe propter virium debilitatem. literas rurſus dedit ad vrbes inferioris Pannoniæ vt nouæ copiæ colligerentur, atq; vix ſexdecim millia peditum collecta ſunt. accedunt in caſtra Caſtalij per illud tempus mille cataphracti equites, cum alii quingenti eſſent cum Pallauicino, qui tria millia Germanorum, ac totidem Italorum cum quibuſdam turmis equitum Pannonum adducebat, & quædam tormenta. in eo itinere, quod breuius eſt è Pannonia ſuperiore in inferiorem, oppidum eſt Turcarum, quod ab incolis Drigal vocatur, quod eſt impedimento ne copiæ, aut cætera copijs neceſſaria, in eas regiones importentur. Ferdinandus iubet Pallauicinum id oppidum ex itinere capere. at Caſtalius qui ſciret quantopere eſſet munitũ aduerſus tam paruas copias hortat̃ per literas Pallauicinũ ne illud negotium ſuſciperet, antequam ipſe conueniſſet, cum ambo coniunctis viribus id facere poſſent, quod nemo potuiſſet ſeorſum. addit præterea periculoſum eſſe ne ipſe Pallauicinus profligaretur ſi Curteſis purpuratus ſuppetias tuliſſet obſeſſis. hortatur ne omnino prælium committeret, quia non ita poſtulat rerũ bellicarum ac præſentium ſtatus, vt copiæ fortunæ arbitrio committantur. ſcribit etiam ad Ferdinandum vt Pallauicinum inde caſtra mouere pateretur atque vires coniungere, cum res maiores oppidi illius expugnatione inſtarent. ſed neque à Ferdinando, neque à Pallauicino conſilium Caſtalij admittitur. Mahomettus, qui Liziſum tentare non audebat, propter præſidia Hiſpanorum, Germanorum, ac Pannonum, quæ ibi eſſe audiuerat, vbi cognouit vrbem ab Aldana deſertam fuiſſe, omniaque concremata, eodem die quo Illyricus tormenta contraxerat, mittit qui illam explorarent. Turcæ quia vidiſſent incendium parum nocuiſſe illis partibus, quæ nuper fuerant munitæ incendium extinguere conantur. nuntiant in caſtra, propugnacula ſtare adhuc, quamuis oppidulum eſſet conquaſſatum, atque omnia facile poſse inſtaurari ac refici. eo nuntio accepto continuo mittit Caſſumbaſsam cum quinque millibus equitum, qui vrbem & oppidulum ingrederetur is. è veſtigio poſtea mittit exploratum Solimos paruum oppidum, ſed natura loci & arte ita munitum, vt inexpugnabile videri poſset, cum neque inuadendi, neque verberandi tormentis ulla ex parte facultatem oſtentaret: & tantum annonæ, apparatuumque bellicorum omnis generis haberetur intra oppidum, quantum in biennium poſset ſufficere. putabat enim Turca ſe plus laborum, quàm vellet, eo ſubiugando habiturum. ſed quoniam euentus rerum fortunam plerunque ſequuntur quocunque illa inclinauerit, erat in illo oppido manipuli præfectus Aldanæ miles cum viginti & quinque Hiſpanis & centum Pannonibus, hic cognito aduentu Caſumbaſsæ, qui Liziſum occupauerat, veritus ne ad oppidi expugnationem properaret, decernit oppidum fortunæ arbitrio committere, quare hortatur milites omnes vt exeant, qui & rebus preteritis perculſi, & imbecillitate animi ſui præfecti conſternati, parendum eſse ſtatuunt. quis enim ſaluum eſſe oppidum poſse cenſuerit, quod duces & ſuperiores magiſtratus non audeant defendere? acceſſerunt per illud tempus ducenti equites Turcæ ad petendum vt oppidani ſe dederent, qui inuento oppido patefacto primum aliquid inſidiarum ſubeſse ſuſpicantur, at cum diu nemo appareret, illo

Drigal. opp.

Liziſum à Turcis iſtauratum.

Solimos pp. captũ à Turcis, & præſidia cæſa.

ret, illo ſine puluere & ſanguine potiuntur. cum verò cenſerent fieri non poſſe vt præſidia procul abeſſent, magno ſtudio mox inſectantur. comprehenſos ad morem pecudum trucidant, præter præfectum, quem captum ad Caſſumbaſſam adducunt. ſic factum eſt vt ſatis condignas pœnas ſuæ perfidiæ, timoriſque perſoluerint; cum timidis omnia calamitoſa, omnes ærumnæ, omnia pericula, omniaq; crudelia immineant, at fortitudo non ſolùm à ſe auertit ſæpius hæc omnia, ſed etiã cõuertit in hoſtem. Caſtalius caſtra habebat adhuc Saſſebeſſæ, proſpectabatque quò aſpirarent Mahometti conſilia, qui adhuc morabatur Tibiſci cum non auderet inuadere Pannoniam inferiorem, quia intelligeret Caſtalium habere magnas copias, atque in dies acceſſiones virium expectare, neque facilem fore exitum, ſi ſemel ingreſſus eſſet. eius timoris cauſa fuit prudentia Caſtalii, *Stratagema Caſtalij.* qui vnà cum Battore & Nadaſdo illo aſtu vſus fuerat, vt exploratores deciperet, quòd quotidie tanquam nouæ copiæ, veteres cohortes cenſebantur. agmina & phalanges oblongę inſtruebantur vt maiores apparerent. magnæ fiebant ſalutationes militares tormentis diſploſis & ſclopettis, vt nouæ copiæ accedere viderentur. latè caſtrametatus fuerat, ne viderentur magnæ copiæ intra paruum ſpatium poſſe capi. rumor diſſipatus ac diditus fuerat, quod Mauritius cum viginti millibus hominum accederet, & aliquando quòd ipſe Ferdinandus cum innumerabili exercitu. Quæ cum deferrentur ad Mahomettum, eaque vera eſſe poſſe ſubdubitaret, erat animo dubio quid ſibi eſſet agendum. fit certior Caſtalius quòd decreuerat Mohomettus repente inuadere inferiorẽ Pannoniam, & iam primam aciem præmitteret, quæ conſtabat è viginti & quinque millibus equitum cum purpurato Gręciæ præfecto. ad eum nuntium ſtatim Caſtalius cum peditatu & cataphractis equitibus properat ad aditum impediendum. relicto Battore in iiſdem caſtris cum copijs omnibus eius regni, vt concitatam exiſtimationem per ſuam prudentiam conſeruaret. decernit cum hoſte confligere, ſi facultas daretur. quod tametſi periculoſum erat, tamen prudenter factum iri apparebat: quippe quod ſi viciſſet, Mahomettum omnino ab inferiore Pannonia repellebat, at ſi victus fuiſſet, non minorem exercitum, quàm ſit præſens Turcarum, à tergo erat habiturus. locum inter Deuam & Saſſebeſſam ad eligenda caſtra explorat, quem cognoſcit peraccommodatum ad muniendum & cum multis commodis, quia peditatus poſſet aptè in placidis collibus caſtrametatus equitatui Belerbeij imminere. Deuæ imponuntur copiæ Helfeſtaini, duæ Hiſpanorum cohortes, equitatuſque Battoris, qui omnes vno tempore poſtremum agmen hoſtium adorirentur, cum ipſe ita caſtrametatus eſſet vt in latus poſſet inuadere. quæ tametſi fuerant à Caſtalio cum cæteris ducibus communicata & ab ipſo inſtituta, tamen irrita fuerunt, quia Mahomettus in Pannoniam contendit, quoniam ſi potiretur illis munitionibus, ſibi videbatur inferiorem Pannoniam facilius occupaturus. non enim exitus ita facile fortunæ arbitrio committendus apparebat, quod erat facturus, ſi in eam prouinciam conaretur ingredi, quod tamen non erat difficillimum cum paruas omnino copias Caſtalius haberet, quam nullo propè negotio occupaſſet. ſed tanti eſt prudentia in rebus militaribus vt vnius imperatoris ingenium & calliditas ſit pro multis armatorum millibus aliquando. *Drigal obſeſſum.* Achmetus Curtenſis purpuratus quòd intelligeret Drigal oppidum actiſſime a Pallauicino & Eraſmi Taifelis copijs obſideri ac diuerberari multos iam dies, ſtatuit opem ferre obſeſſis? iuſſo itaque omni equitatu finitimo in vnum locum conuenire ad quindecim millia equitum colligit, atque iter faciens ſub auroram propinquus fit caſtris Pallauicini. miſſis quingentis equitibus in primo agmine cogit in caſtris conclamari ad arma. ipſe cum reliquis copijs ad alterum latus oppidi nemine ſentiente penetrat. vt ſi forte Sfortianæ copiæ exirent in ſuos equites è munitione, illas à tergo adoriretur. Turcicis equitibus ad Sfortianos profectis totis caſtris ad arma conclamatum eſt, ad quem ſtrepitum exeunt milites è foſſis, ſuaſque acies repente *Clades Turcarum per Sfortianos.* inſtruunt, atque in acie conſtituti tanta virtute decertant, vt Turcis maiori ex parte trucidatis pauci ſupeſtites coacti ſint refugere. Sfortiani rati victoriam penes ſe eſſe alij cæſos ſpoliant, alij fugientes relicto ordine inſequuntur, alij equos cæſorum corripiunt. Achmetus arrepta quam optauerat opportunitate tanto impetu Sfortianas copias inuadit, vt equitatus violentiæ, tanquã rapidiſſimo flumini cedere cogeretur, tum quòd eſſet ſparſus nullo ſeruato ordine, tum etiam quòd nullos haberet aggeres aut foſſas à quibus protegeretur. prima impreſſio fit in tria millia peditum Germanorum Eraſmi Taifelis, qui maiori ex parte trucidati ſunt. Pallauicinus quia ar- *Clades Germanorum.* matus conſtiterat ante Italorum agmen, quia videret vniuerſum equitatum & cataphractos in fugam verſos, Germanos fuſos & trucidatos eſſe, noluit reliquias copiarum fortunæ arbitrio concedere, ſed in tutum adducere, atque decernit propinquam ſyluam occupare. eius conſilium cũ optimum eſſet, tamen etiam optime perfici non potuit, quoniam Achmetus iter occulſit, & ad neceſſariam defenſionem compulit. inſtructis igitur ſuis in aciem, ut temporis anguſtia ferebat, illos ad bellum hortatus in magis periculoſa acierum parte ipſe prælium committit. ſed vix inceptum erat certamen cum Sfortianæ vires propter hoſtium multitudinem ita infringuntur, atq; aperiuntur, vt coniungi nulla neque cohortatione neque precibus neque minis ducum amplius poſſent. multi cohortium præfecti relictis ſuis cohortibus Turcarum arbitrio arreptis equis, quos cuique fortuna obtuliſſet ſummo ſtudio è caſtris & prelio diffugiunt, honoris, decoris militatis, ſalutis *Sfortia Pallauicinus captus.* ſuorum omni prorſus obliterata memoria. Sfortia ita a ſuis deſtitutus glorioſiorem honeſtã mortem turpi fugæ anteponens ſe fortiſſime conſtantiſſimeque tuetur, quòd exiſtimaret ſolam virtutem poſſe ſpem ſalutis afferre, quę vel viuos defendit, vel certe diuturnam vitam in animis poſterorum poſt hanc breuem lucis vſuram conſeruat. pluribus fortiter pugnans acceptis vulneribus nõ prius ſe circunſtantibus dedit, quam pluribus occiſis ac vulneratis dextra enſem amiſerit, aut cor-

pus

pus robur propter copiam defluentis ſanguinis. captus & ad Achmetum adductus, & ab eo vt vir ſpectatæ inſignis virtutis honorificè tractatus. virtus enim vel apud barbaras gentes & hoſtem ſuũ locum obtinet. ceciderunt in eo prælio viri inſignes complures, atque inter hos Epiſcopus Vacnæenſis, Hippolytus Pallauicinus, Bambinus Carpienſis, Marius Tiburtinus, Albertus caſtrenſis, & Vincentius Antonius vir Florentinus ſpectatæ virtutis capti in ſeruitutem. Eraſmo Roſtio abducto Byzantium caput amputatum. Achmetus illa victoria potitus omnem prædam & Pallauicinum Curtam adduci curat, ipſe cum ſuis victricibus copijs à Mahometto accerſitus in caſtra contendit. At Henricus rex Gallorum Diuoduro ita capto, vt diximus, accedit in caſtra. eſt autem vrbs Diuodurum quam vulgus mortalium Metz, ſiue Metas appellant, in ampla planitie ſita non valde procul ab ijs montibus, è quibus Ombricus fluuius ortus planitiem rigans delabitur, qui poſtmodo in duas partes diuiſus per aliquantulum ſpatij vrbem cingit cum maiori parte aquarum, ac poſtea duas paruas facit inſulas. alter ramus vbi in planitie paruam inſulam & ipſe fecit, propinquus vrbi defluit. atque aliam paruam inſulam facit inter Zilnum & Diſmorum vocatos pontes miræ pulchritudinis, qui ambo ſeptem habent teſtudines arcuatas. vrbs eſt plena multis magnificis ſumptuoſiſque ædificijs, & opulenta propter mercaturam, atque ob agri bonitatem rerum omnium feraciſſima, cui mirifica quædam accedit commoditas importandi vel è longinquo commeatus propter fluuiorum copiam & propinquitatem. reliquerat autem Genuillæ firmiſſima præſidia, atque ſecum adduxit quadringentos equites cataphractos, & nonnullas peditum cohortes. tertijs caſtris Tullum peruenit, quæ vrbs miſſis obuiam legationibus, atque oblatis in itinere clauibus regem cum magna pompa excepit, cum multis tubis, pręcedentibus regijs ſatellitibus atque apparitoribus, qui Araldi vocantur. rex ipſe armatus in morem cęterorum procerum comitante vniuerſo populo & magna turba vicinorum locorum ſub vmbella ad maius templum cum ſolennitate accedit, quem ſacerdotes ſacris indumentis precioſis induti ante fores templi expectabant. ibi cum iuraſſet magiſtratibus vrbanis præſentibus ſe priſtinam incontaminatamque libertatem illi vrbi ſeruaturum, omniaque antiqua iura ac priuilegia, templum ingreditur. poſt pias preces in palatium epiſcopi ad hoſpitium & lautiſſimum conuiuium excipitur. poſtridie eius diei cum Cartellus Germanus caſtra auxiſſet quibuſdam cohortibus & tormentis, relictis ibi in pręſidijs tribus cohortibus Gallorum peditum Nanſium verſus iter capit. Eſt autem Nanſium oppidum Belgarum in ampliſſima planitie ſitum, peramęnum, natura & arte valde munitum, quod diſtat à Tullo ferre viginti & quinque millibus paſſuum. aduenit eo dux Lotaringiæ puer; quem Valdemontius multis comitantibus proceribus deduxit, deinde vbi Valdemontium præfeciſſet Nanſio & vniuerſo illi principatui, puerum ducem ad ſuum primogenitum non ſine vlla matris moleſtia mittit. rex ipſe Diuodurum contendit, vbi a ſuis copijs expectabatur. eo profectus iubet copias cenſeri, quæ diuiſæ ſunt in duas phalanges. in vna ſexdecim millia erant veteranorum peditum Gallorum ac tyronum; atque ex his plures octo millibus armatorum thoracibus & ſariſſis cum breuibus ſclopettis, alij ſclopettarij. alia phalanx veteranos habebat & tyrones Aquitanos ex Aruernis collectos & Cantabris & Prouincialibus, quæ regio eſt Galliæ Narbonenſis, cæteriſque populis è regionibus Petricoriorum, in qua continebantur ſeptem millia armatorum thoracibus & ſariſſis, & tria egregiorum ſclopettariorum. tertia nouem habebat millia hominum eiuſdem rationis. erant a latere mille & quingenti cataphracti cum ſuis aſſeclis equitibus, breueſque ſclopettos habebant. leuioris armaturæ aderant equitum fermè duo millia, & mille & quingenti ſclopettarij equites. Belgæ equites præterea quadringenti. quæ copiæ omnes accedebant ad quadraginta & duo millia armatorum, inter quos numerabantur equitum ad ſeptem millia. at Cæſariani per id tempus ferè Teonuilla egreſſi cum expeditis equitibus pueros & impedimenta Germanorum capiunt. Henricus cum magnificentia quadam propè incredibili ſub vmbella Diuodurum ingreditur comitantibus omnibus magiſtratibus eius vrbis. vbi ad hoſpitium ventum eſt, ait ſe illa præſidia in vrbem introduxiſſe, non vt vrbem priſtina libertate priuaret, ſed vt eos aduerſus hoſtes protegeret, & quòd verebatur ne hoſtes illa potiti inde ſuum regnum commodè infeſtarent. iubet fieri edictum regium, nihil vt per vim extorqueretur ſub pœna capitis, ſed omnia coemerentur. exierant è caſtris nonnullæ ſclopettariorum cohortes & equites leuioris armaturæ ad ſuperiorem prædam recuperandam, cuius nonnullam partem recuperant; ſed cum tardius exiuiſſent ita Cæſarianos inſequuntur, vt ſeſe vrbi Teonuillæ oſtentarint, quare Hiſpani & Sequani egreſſi leue prælium committunt. Henricus ſitu Diuoduri diligenter ſpectato iubet illud muniri euerſis quibuſdam ædificijs, foſſamque duci peramplam ad eam partem, quæ montem proſpectat. hinc poſtea diſceſſurus præficit Franciſcum Ghiſium reguli Ghiſij fratrem cum duodecim vexillis Gallorum peditum, ducentis equitibus leuioris armaturæ, & duobus vexillis cataphractorum, ducentiſque ſclopettarijs equitibus, quibus pręſidijs vrbs non modo poſſe defendi, ſed etiam hoſtes poſſe infeſtare finitimos videri poſſet habuit Franciſcus Ghiſius ſecum multos illuſtres proceres; Condęum, Vandomium, Neomagenſem, Horatinm Farneſium, Memorantium. Coneſtablij filium, Petrum Strozzam, alioſque complures. nuntiantur Henrico res a Mauritio aduerſus Cęſarem geſtæ. vrbibus Auguſtæ, Alcimenio, ac cæteris quibuſdam libertatem reſtitutam magiſtratus inſtitutos a Cæſare a Mauritio abdicatos omnes fuiſſe ab eodem. Cęſariana præſidia ex ijs vrbibus eiecta. Cæſarem ipſum è Germania profugiſſe. exercitum fœderatorum

K apud

Diuoduri deſcriptio.

Tulli deditio.

Nãſiũ deſcriptum.

Hērici diuodurũ ingreditur.

Mauritij perfidia.

apud vrbem Areſpurgum nihil aliud, niſi ipſum regem expectare. at Henricus Memorantium iuniorem & Ringrauium, & Viliardum Comitem mittit ſpectatum quo in ſtatu res ſint: quia perlatum poſtea fuerat Romanorum regem placaſſe Mauritium, atque in ſuam ſententiam propè traxiſſe, ipſe cum exercitu Germaniam verſus iter capit. neque multùm ſanè progreſſo nuntiatur Mauritium copias dimittere, atque conueniſſe cum Ferdinando Rege in ſuperius dictas conditiones pacis. Henricus nihil illo nuntio retardatur priuſquam ad Rhenum fluuium, vrbemque Viſburgium perueniſſet. ibi nuntiatur Maria regina collectis multis Belgarum Germanorumque copijs Satanum occupaſſe oppidum in ripa Moſæ fluminis, ac cæteris finitimis populis plurimum moleſtiarum aſſidue inferre. Sed quoniam Henrico tardior videbatur ac frigidior Mauritij expeditio, quàm initia tanti belli, tantarumque rerum magnitudo poſtularet, miſit Lanſacium ad ipſum Mauritium ſollicitandum. reſponſum eſt Lanſacio à Mauritio ſe non poſſe perficere quod promiſerat, quoniam ſibi militandum eſſet Ferdinando in inferiore Pannonia aduerſus Turcas qui cum magnis copijs illam regionem infeſtarent. eius ducis perfidia cognita, quem tantis opibus vocatus iuuerat Henricus, copias retrahit vbi Lanſacius certiſſimum nuntium retulit in caſtra atque vt commeatus facilius exciperetur, copiæ ipſæ diuiſæ ſunt in tres partes, dum ſuppetiæ ferrentur maritimis locis, inferioribusque Belgis. erat enim commodius in plures partes copiarum, & pluribus è locis vno tempore, quam in vnum locum conuenire commeatum ferentes in caſtra. Interea Maria Martinum Roſſemium mareſciallum Menapiorum cum tribus Menapiorum millibus & Sicambrorum, quingentisque equitibus iubet in principatum Leucorum deſcendere. ibi enim iuſſus fuerat Masfeltius comes & alij inſignes proceres quotquot poſſent viribus collectis copias coniungere: atque hi omnes quindecim millia peditum, tria equitum collegerunt. at verò Henebaldus amiras, quem Henricus cum exiret è regno in caſtra, regiis rebus præfecerat cum poteſtate proregia cum eſſet Catalauni, quæ vrbs eſt apud Matronam fluuium in regione Sueſſonum collectis & ipſe viribus, quas potuit, finitima loca præſidiis munit. Roſſemius, Petrus Herneſtus, Masfeltius trans Moſam fluuium per pontem Sateni transgreſſi Francam oppidum conantur occupare. Sed cum egregiè eſſet munitum, Briolam oppidum petunt ſitum in ripa eiuſdem fluminis, quod captum incendio abſumunt. Capto etiam oppido Bolandra quaſdam cohortes peditum imponunt ad eos qui commeatum afferrent tutandos & protegendos. inde digreſſi multa Sueſſonum caſtella populantur. ſed vbi nuntiatum eſſet amirantem magnas copias collegiſſe, ac regium exercitum redeuntem in eam regionem propinquare Satenum redeuntes Bolandram etiam flammis abſumunt, ſeque in oppida munita recipiunt. Henricus vt hos repentino aduentu opprimeret, magnis itineribus contendit: ſed vbi nuntiatum eſt eos ſeſe in munitiones recepiſse, decernit principatum Leucorum adoriri, atque copias ducit ad arcem Marſum ſitam in ripa Ombrici fluminis inter Treuam & Teonuillam, vbi placidus ſurgit collis natura munitam quidem, non tamen quæ & tantis viribus poſſet reſiſtere. ad eam arcem multi nobiliores homines confugerant, quia putabant fore ut Henricus ad obſidendam vrbem Teonuillam recta contenderet, at non tam cito ad eius arcis expugnationem aſpiraret, qui tamen illuc primùm acceſſit, quòd ibi magna eſſe annonæ copia dicebatur. vbi Gallicæ acies ſeſe huic oppido oſtentaſsent, neque tamen oppidani vllum deditionis ſignum præ ſe ferrent, aut conſilium cedendi potentiori fortunæ, imperat Henricus arcem ab ea parte, quæ collem proſpectat, octo muralibus tormentis concuti, atque aperiri ingreſsum ad inuadendum. proſtratis, apertisque muris per ſatis amplum ſpatium Galli arcem in acie inuadunt. certatur acriter ab arcis defenſoribus, qui tamen Gallicis viribus denique cedere coacti ſunt, atque arx vi capta eſt. cum direptionibus & rapinis arx vexari cepiſset Langrauius tribunus militum Germanorum locum petit ſuppliciter a rege ſeruari incolumem, quòd haberet ibi mulieres affinitate coniunctas; atque illud propter honeſtatem petitionis facile impetrauit. ibi relicti ſunt ducenti Aquitani pedites & centum equites leuioris armaturæ ad vexandam Teonuillam: quoniam peraccommodatus locus videretur, atque imperata eſt inſtaurari pars arcis diſrupta & proſtata. itum eſt, poſtea ad montem Diui Ioannis, quod eſt oppidum paruum, quod & ipſum, & Soliura, & pagi complures diripiuntur. cum vero præſidia Teonuillæ parui facere vires Gallicas viderentur, quoniam frequenter exibant præſidia ad excitanda minuta prælia, itum eſt totis caſtris ad ipſam vrbem expugnandam iam verò profectus erat ad obſidionem vrbis Hanebaldus amiras cum tribus Heluetiorum millibus, & Sueſſonibus militibus, quibus copijs ſubſidia impedierat, quæ è locis finitimis mittebantur, ita vt non poſſent tutò accedere. preerat vrbi ipſi Marſi dux Cæſaris nomine, qui leuibus prælijs conabatur Gallos diuertere ab attrahendis tormentis Sed cum nihilominus muri deiecti proſtratique fuiſſent in duobus locis iam inuaſuris Gallis ciues deditionem faciunt ſuis viribus diffiſi. deditionis conditiones hæ fuerunt, vt priuati milites liberi, ſed inermes excederent. vt ciuibus parceretur, omniaque eorum eſſent incolumia. vt duces militum fierent captiui. Henricus ita vrbe per deditionem in fidem accepta ad obſidendū Eporſiū uicū caſtra mouet, quod eſt oppidum & ipſum Sueſſonum regionis campaniæ munitum & ſitum ſub monte. huic ex altera parte mons imminet, ex altera ſpatioſam habet planitiem, per quam Ceſſa fluuius ignobilis defluit, atque Danuillam vſque delabitur, quo in oppido erat comes Herneſtus Masfeltius cum tribus millibus peditum partim Menapiorum, partim Sicambrorum, partim Germanorum, ac Sequanorum. equites galeati aderant quingenti. cataphracti centum. atque hi frequenter excitabant leuia prælia. Iſti magno erant impedimento quo minus tormenta poſſent dirigi, quæ tamen opera & beneficio corbium in

Marſum arx vi capta.

Teōuillæ deditio.

duabus

duabus partibus directa ſunt, vbi muri apparuiſſent debiliores, lateraque imbecilliora. in ea parte collis, quę erant ſuperior, locantur ſex colubrinę, quę vias oppidi infeſtarent, & eos deturbarent, qui inferiorem verberationem conarentur impedire. deiectis itaque non ingentibus murorum ſpatijs præſidia videbantur conatum Gallorum minimè expectatura. at Masfeltius cum ſuos fruſtra rogaret hortareturque ad pugnam, grauiſſimè tulit quòd propter timiditatem ignauiamque ſuorum oppidum ipſum tam munitum veniret in poteſtatem hoſtium ſine pugna. ſtatuit igitur ſibi fore honorificentius ſi inuitus veniſſet in poteſtatem hoſtium, quàm ſi lubens tam timidę ac fœdę deditionis aſſenſiſſet. milites eo inuito ſe dedunt per illas conditiones, quibus accepta ſunt Danuillę pręſidia. egreſſis his inermibus omnis generis pręda conceſſa eſt coneſtablio, qui cataphractis equitibus eam largitur. Sed quoniam duorum nobilium oppidorum pręda & impedimenta ita fuerant conceſſa, Galli paulatim exire e caſtris eius militiæ pertęſi, quia communes labores pro virili ſubirent, at præmia non pro laboribus aut periculis, ſed ad gratiam & beneuolentiam & amicitiam concederentur: cum nihil aliud priuati milites è bellis victores reportent, aut præmium aliud habeant, quàm predam, & ſpolia cæſorum hoſtium, quę ſi prærepta ſint, reliqui erunt labores tantum, & pericula, & vulnera, quæ nemo ſanæ mentis ſine præmio expetiuerit. Masfeltius, qui venerat in poteſtatem regis Lutetiam adducitur, poſt cuius diſceſſum inde caſtra mouentur. Mommedium oppidum oſtenſis tantum tormentis in deditionem venit. præſidia per pactiones explicatis vexillis ad profectionem cum armis & impedimentis exeunt ex oppido. hæc omnia caſtella firma præſidia capiunt, quod eſſent magni momenti, muniunturque, & reficiuntur partes collapſæ. Sedanus regulus interea, ad quem principatus Bulionenſis amiſſus per antiqua bella à ſuis maioribus, pertinebat, petit auxilium à rege ad ſuum principatum recuperandum, nonnullisque tormentis acceptis & tribunis peditum & ſatis ingenti equitatu primùm oppidum Bulioneum munitiſſimum expugnat deinde breui vniuerſum principatum recuperat, iam trecentos & amplius annos à ſuis maioribus amiſſum, quæ dum fierent à Sedano, Lumes oppidum regis iuſſu ſolo æquatur, funditusque euertitur, quamuis eſſet munitiſſimum, & rebus bellicis non inutile, quia eſſet receptaculum exulum Gallorum, & latronum. poſt illud vi expugnat Trelonium, populatur, diripit, incendit, euertit. huic Gloium oppidum captum, Cimeum concuſſum eſt; præſidia quia viderent inſtare periculum in arcem ſe recipiunt. dum agitur de conditionibus deditionis repentino conatu capitur, diripitur, inceditur. vt verò Cæſar pluribus è partibus vexaretur, varijsque bellis & moleſtijs vno tempore diſtraheretur, Henricus pacem cum Solimano Turcarum imperatore componit per legationes, qua confirmata Solimanus adpromittit liberaliter Gallo omne auxiliorum genus aduerſus Cæſarem communem vtriusque hoſtem. at Henricus quia videret Cæſarem non mediocriter rebus Italicis ad omne genus bellorum adiuuari, vt Italæ vires in defenſione oræ Italicæ occuparentur, impetrat claſſem Ottomanicam ad litora magnæ Græciæ, ad mare Tyrrhenum, ad vniuerſam propè oram maritimam Italiæ infeſtandam: qua re efficiebatur vt incredibilibus ſumptibus alendarum copiarum in multis locis maritimis Cæſaris exinaniretur ærarium, & vires diſtraherentur in multas partes, quare fierent debiliores. trepidatum eſt magnopere Neapoli ex ea re, quòd illud regnum per id tempus non ſatis eſſet præſidijs inſtructum, & quod Salernitanus princeps, qui nuper ad regiam tutelam confugerat multos haberet coniunctos in eo regno, plurimumque poſſet autoritate & gratia & ęquitate expoſtulationis. Cęſar cognitis regijs conſilis iampridem veritus ne id quoque aliquid detrimenti ſuis rebus afferret, multas Germanorum cohortes ad vexilla conuocauerat, curaueratque illas Genuam, & adoram Liguſticam conuehendas ad eius regni præſidia & defenſionem. atqui præcipua cauſa fugę principis Salernitani fuit ſimultas & odium Petri Toletani poſt legationem Neapolitanam, qua functus fuerat apud Cęſarem in tumultibus ad religionem ſpectantibus, per quam opportunitatem Salernitanus grauiter inuectus fuerat in nimiam ſeueritatem & acerbitatem Toletani. eius principis criminationibus ad Toletanum delatis per literas amicorum & propinquorum, quibus plurimum poterat apud Cęſarem, inflammatus eſt Toletanus, atque principem grauibus accuſationibus apud Cæſarem onerauit, ſcripſitque periculoſum eſſe propter eximiam hominis autoritatem nequid noui moliretur in eo regno vbi redijſſet. Cęſar idcirco illum diu apud ſe in Germania detinet, & cum in Italiam redijſſet denique Neapolim ex occulto loco atque ex inſidijs ſclopettus in eum diſploditur. queſtus eſt apud Toletanum princeps. inſtat vt autor ſceleris inueniretur. propoſitis pręmiis indici iuuentus eſt pręter ſpem Toletani. Sed tamen magna negligentia vt in re leuiſsima vtitur, princeps venit in ſuſpicionem Toletani conſilij, atque cum dies dicta etiam fuiſſet ſibi apud Toletanum, cum ad pręſtitutum diem non apparuiſſet priuatur principatu: qua de cauſa cum ad Cæſarem eſset prouocaturus, quia ſuſpectum haberent iudicem Toletanum, diſsuadentibus amicis ob Toletani potentiam, & ob Cęſaris animum parum ſibi propenſum iam cognitum, primùm Venetias, deinde in Galliam confugit, vbi perbenignè à rege exceptus honorifica ſtipendia meruit. Turcica vero claſsis, quàm Solimanus Henrico promiſerat rebus omnibus inſtructa iā traiectis Caietę finibus ad litora Tarracinæ peruenerat, vbi Gallicam claſsem pręſtolabatur, neq; videbatur vlterius progreſsura propinquāte autumno, cum Dragutus nollet hyemare in occidentis partibus. Auria tametſi ſciebat ſe longe inferiorem eſſe viribus Turcica claſſe, tamen conatur Germanicas cohortes in oram Liguſticam

Danuillæ deditio.

Sedanus Bullionēſe principatum recipit.

Lumes opp. ſolo ęquatū.

Trelonium captum. Cimeum captum.

Pax Henrici cū Turcarū imperat.

Claſsis Turcica conducta ab Henrico.

Salernitano principi principatus ereptus.

cam exponere, & Neapolim accedere, cum iſtud ipſum fieri Cæſar ſumma induſtria iuſſiſſet, ne per ſuam negligentiam regnum illud amitteretur. idcirco decernit vel contra ſuorum ducum conſilium procedendum eſſe, atque primùm Centumcellas, deinde Hoſtiam applicuit. illuc profecto nuntiatur Turcica claſſis in duas partes eſſe diuiſa, cuius altera pars erat apud montem Circellum, altera apud inſulam Pontiam, quæ iacet è regione ferè Tarracinæ vrbis in mari mediterraneo. nam quamuis duces Auriæ conſulebant iter habendum eſſe in altum, tamen Auria malluit iter facere inter montem Circellum & Pontiam, fretus opportunitate claſſis ita diuiſæ. emiſſis igitur quibuſdam qui aquarentur, vbi turba nautica refecta auctaque fuiſſet ſecundum ventum obſeruans per noctem Centumcellis diſcedit. Dragutus certior factus Auriam nauigaturum, cum eſſet adhuc ad montem Circellum commonefacit duces ac trierarchos qui erant ad inſulam Pontiam quo in ſtatu res ſint. Auria ſic iter faciens intercipitur medius, atque prima acies ſe egregie defendit. ita vero oppugnatur vtrinque claſſis Hiſpana, vt multis trucidatis veritus Auria ne, ſi procederet, iacta eſſet alea de omnium ſalute, coactus ſit amiſſis ſeptem triremibus recedere, quæ captæ ſunt non ſine multa pugna & contentione. Germani capti omnes, & plerique è ceteris ad tranſtra ſunt cathenati, reliqui in miſerrimam ſeruitutem abducti. Henricus dum claſſis finibus Neapolitanis propinquaret, miſerat in Italiam Salernitanum principem, vt cum purpuratis antiſtitibus Ferrarienſi ac Turnonio, reliquiſque Gallicæ factionis ducibus de rebus bellicis conſultaret; qui cum veniſſet ad comitia bellica ad foſſam Clodiam, is pagus eſt Venetorum imperij non procul à Venetiis, qui primus ſe oſtentat ad dextram per ſinum Adriaticum in continente orientem verſus nauigantibus, mox ſolutis comitijs per fines Heluetiorum redit in Galliam. rex accepto nuntio quod claſſis Turcica nauigans in mari Tyrrheno vniuerſa litora Italiæ trepidatione & metu repleuiſſet continuò iubet Salernitanum principem Maſſiliam quàm citiſſime conuolare, & cum triremibus quæ ibi eſſent inſtructæ Turcicæ claſſi obuiam procedere. Sed poſtea pugna feliciter à Draguto geſta ad Pontiam nuntiata fit certior Dragutum poſt expectatam diu fruſtra Gallicam claſſem præda onuſtum cum multis captiuis orientem verſus nauigare, quia iam anni tempus inſtaret vt intra ſuos fines ſe reciperet. princeps ſumma diligentia vſus abnauigantem claſſem ſequitur, neque prius ſequi ceſſauit, quàm peruenerit Byzantium. ibi honorificè à Solimano exceptus fuit in hybernis, & claſſem in annum ſequentem impetrauit. Caſtalius ex alia parte cum infeliciter à ſuis ad Drigal oppidum fuiſſet pugnatum acceptum nuntium, vt par eſt, ægrè tulit. Sed tamen in tantis infortunijs nullum non modo metum, ſed neque mœrorem quidem præ ſe tulit, atque finxit perexiguam factam eſſe iacturam, ne ducis mœrore aut vultu animi ſuorum militum conſternarentur. Pallauicinus Curtam adductus vbi à vulneribus conualuiſſet quindecim millibus nummum aureorum redimitur. Achmetus acceſſit ad Mahomettum ſicuti iuſſus fuerat iam iam inuaſurum Pannoniam, ſed tamen id fiebat ſubfrigidè cum ſatis hoc anno feciſſe ſibi videretur, quia Tibiſcum & Liziſum vrbes, & multa caſtella præterea cepiſſet profligata etiam bona parte copiarum hoſtilium. Sed Achmeti adhortationibus & monitis impulſus vt oblatam rerum bene gerendarum opportuuitatem ne amitteret, incitatur vt Pannoniam inferiorem inuadat, aiebat enim vrbes reliqnas perterritas & conſternatas ſuperiorum clade & iactura vltro venturas ad deditionem vbi arma Turcica tantum ſe illis oſtendiſſent: ad quod etiam non mediocriter impellebant Ferdinandi variæ maximæque occupationes, & Germanici tumultus, quæ opportunitas opprimendi hoſtis viſa eſt Turcis non eſſe aſpernanda. his accedebat ſumma inopia rei pecuniariæ, qua Ferdinandus laborabat præter equitatum ac peditatum amiſſum, quare efficiebatur vt copiæ non poſſent ita facile comparari. hæc enim omnia poterant optatiſſimam Turcis opportunitatem offerre ad vrbes occupandas, & ad multam prædam diripiendam. Mahomettus quòd hæ rationes probabiles viderentur, iubet vexilla conuelli ad profectionem, quantaque poteſt celeritate Zanolchum oppidum petit cum omnibus copijs. Id oppidum propter ſitus commoditatem fuerat à Ferdinando extructum à fundamentis, & non mediocriter omnibus rebus neceſſarijs ad defenſionem munitum. eſt enim in ripa Tibiſci fluminis in opportuno loco ad reprimendas frequentes Turcarum incurſiones. Eundem ſitum Solimanus etiam elegerat ad iſtud ipſum negotium, niſi præueniſſet Ferdinandus ob amœnitatem loci. ſunt in eo oppido quinque altiſſima propugnacula, quæ ex altero latere Tibiſco fluuio alluuntur ex altero fluuio mediocri Zagiua, foſſamque habent præaltam plenam aqua fluuiali. oppidi tanta eſt amplitudo, vt commode poſſint quatuor hominum millia in acie conſiſtere ad defenſionem. Ferdinandus & præſidijs, & bellicis tormentis, & annona, & omnibus apparatibus bellicis denique in multos annos hoc oppidum tanquam inexpugnabile vlla vi armorum munitum habebat. vbi quinquaginta tenebat oblongos lintres non minus ad pugnam, quam ad voluptatem piſcationum accommodatos. Collocati fuerant in præſidijs eius oppidi quinquaginta Hiſpani, centum Boemi, ducenti Aiduchi, trecenti Germani, & ducenti equites Pannones, atque hęc erant ordinaria oppidi pręſidia. Caſtalius quamquam videbat in magno periculo res inferioris Pannoniæ conſtitutas, neque parum de Vinundria erat ſollicitus, quòd illa vrbs non ſatis munita videretur ad reſiſtendum; tamen quia futurum ſperabat vt hoſtis in Zanolchi oppugnatione retardaretur, non nihil ad munitionem eius vrbis aſpirat. quippe quòd eſſet oppidum eius naturæ, vt ſi non infringere, at certe retardare ſaltem ac retundere hoſtiles copias poſſet, quòd eſſet, vt diximus, mūnitiſſimum. Mahomettus ante quam Zanolchum accedit, pręmittit duo equitum millia ad agrum, regionemque totam recognoſcendam, commeatuſque

Nauale prælium cruentum.

Pallauicinus redemptus.

Zanolchi deſcriptio.

compa-

comparandos, cuius rei inopia laborabatur in caſtris, quia per loca deuaſtata Turcæ iter feciſſent, & incolæ regionis aufugiſſent, vnde naſcebatur neceſſario rei frumentariȩ penuria. Turcȩ nonnulli ex his ſe Zanolcho oſtentant. exeunt quidam prȩſidiarij. initur leue prȩlium. cognitum eſt ab oppidanis è captiuis Mahomettum cum omnibus copiis ad expugnationem oppidi eſſe venturum. cum primum Turcarum agmen eo accederet, forte ignis in quadam domo accenſus adiuuante & impellente flammas vi ventorum in proxima quæque tecta oppidi debacchatur, ãtque ob impetum ſuccreſcentium ventorum, atque incendium ſemper magis diſtrahentium ad extremum vniuerſum propè oppidum concrematur: quippe quod ex aſſeribus & tabulatis materia nimirum flammas alliciente eſſet plenum. Sed tamen tanta fuit oppidanorum diligentia vt flammas denique ſuperarit. oppidani ad hoſtium aduentum inſtructi Turcas tormentorum globis diſſipant, atque turmas ita diſrumpunt, nemo vt propinquare muris auderet. poſtea certatum eſt leui pugna non ſine magna Turcarum clade. at Mahomettus poſtridie cum reliquis copijs accedit. abſtitit tamen procul ne tormentorum globis offenderetur, atque ad eam partem oppidi, quæ foſſarum opera defendebatur, turmas mittit exploratum de more ad expugnationem. Sequenti poſtea die omnes copias oppidanis oſtentat, quæ tam conferta agmina viſa ſunt, vt horribilem aſpectum oppidanis præberent, quippe quod ſolum vbique tegeretur. poſitis deinde caſtris mittit ad oppidi præfectum qui nuntiaret ſolum oppidi eſse Solimani, quod Ferdinandus illud in alieno fundo extruxiſset, quare hortatur vt rem alienam reſtituat. addita ſunt precibus ingentia promiſsa, pollicitationesque certorum munerum. honeſtas conditiones recuſanti adhibentur minæ, & acerbiſſima tormenta intentantur, ſi pateretur tantum bellica tormenta dirigi. his minacibus petitionibus reſponſum eſt, oppidum non eſse præfecti, ſed Ferdinandi, qui illud ſuæ fidei commiſiſset, crediſsetque defendendum tanquam viro bono & fido. non poſse illud dedere ſine turpitudine proditionis. decreuiſse vitam potius, quàm fidem amittere. oportere illud armis, at non auro vel pollicitationibus extorquere. neque verbum quidem in poſterum eſse de hoc negotio audiendum. illo reſponſo accepto virtutis & fortitudinis pleno Mahomettus curat foſsas caſtrenſes ad oppidi foſsas vſque produci non ſine multa ac propè incredibili difficultate, quod terra corbibus è longinquo eſset aſportanda, cum locus eſset aridus arenoſus & ſaxoſus, & ad extruendas munitiones ineptus. directa ſunt denique tormenta, quæ cum magna vi oppidum concuterent, non etiam magnum damnum afferebant, quia ædificium è terra & faſciculis lignorum non ita facile corrueret, cum vis globorum intra terram ipſam deperiret. vbi per triduum oppidum fruſtra concuſsum eſset, Germani conſilium fugæ cum Hiſpanis communicant. ſed cum Hiſpani ſe tantum turpitudinis numquam admiſsuros profiterentur, glorioſamque mortem dicerent ſe velle infami ſaluti prȩferre, ad Pannones & ad Boemos peruentum eſt. omnes hi cum recuſarent ſe eſse turpiter fugituros, conſilium tam facinoroſum ac nefarium Germanorum peruenit ad aures præfecti. is multa comitate conatur animos militum ab illa improbitate retrahere, multiſque promiſſis ſollicitat ne oppidum illud, in quo totius Pannoniæ ſalus contineretur, præſertim iam rebus omnibus munitum neceſsarijs, ſuæ ipſorum militum fidei virtutique concreditum, proderent immanitati Turcarum; qui tamen breui ab illa oppugnatione, quam irritam & vanam comperiſsent, erant diſceſſuri. non conuenire Germanicȩ gloriæ, quæ ſemper maxima apud omnes nationes habita eſt in rebus bellicis, nulla probabili, cauſa, nedum neceſsaria oblata, turpiter ita & trepidè commiſsas ſuæ fidei munitiones deſerere. Sed quæ oratio, vel quȩ ratio imbellem animum & ſententiæ ſuȩ pertinacem regere poſſit? vbi turpitudo conſilij cognita eſt, ne fruſtra ſuſceptum conſilium videretur, addunt ſimulationem honeſtatis, quo minus turpis fuga appareret. poſtulant menſtrum ſtipendium, quod ſibi debebatur, atque illud mutuo accepta pecunia diſsolutum eſt. Interea Turcica tormenta oppidũ concutiunt. omnis conatus fit inanis. ea res cum poſset erigere atque extollere vel iacentes oppidanorum animos, tamen ij nihilominus ad fugam latebraſque proſpectant. ſtatuunt noctu per lintres fluuium traijcere: quod conſilium cognitum ab Hiſpanis ad prȩfectum oppidi defertur. curat vt lintres arena impleantur ne poſſint ad fugam occupari, cum nulla alſbi pateret via cuncta latè tenentibus hoſtibus. atqui cum per noctem Hiſpani vigiles viſerent, vident armatos Germanos ad iter vaſa collegiſſe, ac Pannones paratos in equis. præfectus eos rogat denuo ne tantum detrimenti rebus Ferdinandi regis inferrent, tantumque turpitudinis nationi Germanicæ offunderent. quæ omnia admonita & adhortationes irritæ ſunt. Turcæ audito ſtrepitu qui fiebat intra mœnia, cum vigiles collocati eſſent vel intra foſſas oppido propinqui, cum paulopoſt nihil audiretur, neque ſolitarum vigiliarum indicium appareret, ad aliam partem oppidi, & ad oppoſitam portam accurrunt, qua Germani exibant & Pnnones. ingreſſi oppidum neminem inueniunt, præter oppidi præfectum, qui ſolus relictus portam erat clauſurus, decreueratque vel ipſam vitam potius profundere, quàm fieri particeps tam turpis conſilij, atque tam fœdę proditionis. perductus eſt igitur ad purpuratum Curtenſem, qni percepto rerum ſucceſſu eum honorificè tractat. eſt enim virtus & fides & conſtantia apud omnes homines vbique laudabilis, cum nulla ſit gens tam barbara, quæ non virtutis reuerentia capiatur. Cæterum Germani cum purgandis lintribus, & in aquã deducendis, non parum diſtinerentur, atq; ita impedimẽtis impleuiſſent, vt non facile poſſent detrudi, ab hoſtibus circumueniuntur, opprimũtur, & ad vnũ trucidantur. Hiſpani ferè omnes alij lintribus minus auari, alij terreſtri fuga in tutum peruenerũt. Mahomettus ita oppido munitiſſimo potitur ſine certamine per Germanorum Pannonumque ſocordiam & metum nonnullos dies ibi cum omnibus copijs moratur, deinde relictis firmis præſidijs ad obſidendam Vinundriam infeſta ſigna conuertit. Caſtalij copiæ audita Zanolchi etiam iactura non

Zanolchum caſu concrematum.

Germanorũ turpe conſilium.

Virtutis vis.

Zanolchum captum.

ra non parum ceperunt admirationis cur id ita fieret, vt munitiones, quę nulla humana ope videbantur poſſe expugnari, ita turpiter & per ſummum dedecus hoſtibus relinquerentur. Caſtalius tametſi non mediocrem merorem ex ea re percepit, tamen ſimulat ſe parum res huiuſcemodi curare, cum diceret hæc eſſe ludicra fortunæ, quæ modo deprimere res bellicas, modo extollere depreſſas ſoleret. nullam iacturam vnicam eſſe conſueuiſse. tunc maximè ſperandum eſse cum plura aduerſa acciderint, fortunaq; in hanc partem ſe exercuerit, quòd mox in aliam partem conuertetur, quia ſola inconſtãtia rerumq; humanarum volubilitas illi grata eſt. Illud vnum ſe grauiſſime ferre inquit, quòd vnde plurimum fidei & conſtantię & auxilij ſperabatur, inde res magis proderentur per ſummum ipſorum militum dedecus, turpitudinem & innocentium nationum infamiã. quippe cum etiam illa prouincia rerum nouarum cupida iam videretur aſpirare ad reuocandum Ioannis regis filium in ſucceſſionem regni per clandeſtina colloquia; quoniam bellorum moleſtiæ eſset pertęſum, qua vna ratione tantas calamitates Turcarum ſibi videbatur deuitatura. hæc res etiam animum Caſtalij nõ parum vexabat, quòd paruas copias haberet ad tantas rerum mutationes, quibus etiam non erat ſoluendo; quare in tantis rerum difficultatibus quid conſilij caperet cum Vaiuoda, cæteriſq; ducibus conſultat, vt maturè pro viribus omnibus rebus conſuleretur. Iſabella interea grauiter de Ferdinãdo querebatur, quod per fraudem & vanas promiſſiones eius è regno fuiſſet eiecta. quod filio promiſsa vxor non daretur. quod nullæ ſeruarentur pactiones aut promiſsorum fides. quod ſibi dos non ſolueretur. his aliiſq; pluribus querelis Ferdinandum regem onerat apud fratrem ſuum Sarmatarum regem & Bonam reginam. Se non ſeruaturam conditiones promiſsorum palam profitetur, cum neq; ſibi ſeruarentur. agere cepit vt prouincia regnumq; per nonnulllos proceres reginæ filiiq; partibus ſtudentes recuperaretur: cui conſilio addebat ſtimulos Mirces Vaiuoda Trãſalpinus, qui copijs & pecunia & omni auxiliorum genere ſe illam adiuturum profitebatur, vt Ioannes Rex ſuum regnum recuperaret. Sed ante omnia clam Solimanum per literas rogat vt recordetur amicitiæ, quæ inter ipſum & Ioannem regem, ſuum maritum interceſserat. ne ſibi deeſset miſellæ viduæ per perfidiam & vanas pollicitationes oppreſsæ, & ab iis præcipuè, à quibus maxime ob credulitatem ſubleuari debebat. Se vnum Solimanum reſpicere. neminem alium principem potentem habere ad quem confugiat. Se omnem ſpem ſalutis & dignitatis ſuæ iamdiu in ſua clementia collocaſse. rogat ne ſe in tantis rerum moleſtiis dereret, in quas propter muliebrem ſimplicitatem & credulitatem collapſa fuiſset. quòd ſi ſua ipſius reginæ cauſa faciendum nõ videretur, quæ potius ad Ferdinandi, quàm ad Solimani fidem confugiſset, ſaltem moueretur miſericordia innocentis, & nihil tale volentis pueri, qui hinc per maternam ſimplicitatem, inde per regiam auaritiam è regno paterno fuiſset expulſus. Vnum eſse Solimanum iuſtitiæ, ęquitatis, clementiæq; perfugium, & tanquam aſylum ſpoliatorum eiectorumq; regum. vnam eſse regiarum virtutum ac imperatoriarum reginam, ſuſceptionem defenſionis infelicium pupillorum regum ac viduarum per fraudem oppreſsarum: quippe cum bonus ſit vir priuatus, qui nihil mali faciat; at boni imperatoris virtus latius extendatur, qui cęterorum regum malitiam refrænauerit, & libidines coercuerit. non parum intereſse rei Ottomanicæ finitimos potius habere reges imbecillos & beneficiis obſtrictos, quàm potentes, & ſempiternos hoſtes Ottomanici nominis, qualis eſt Ferdinãdus indomiti ingenij chriſtiani imperatoris frater, qui iam tota Germania, ac vniuerſa propè Italia domitis, Galliæ, & reliquis Belgicis finibus armatus immineat, & paulopoſt omnium earum prouinciarum vires in Pãnoniam Illyriumq; ſit conuerſurus. his, aliſq; rationibus, quæ ab Achmeto adiuuante negotium proponebantur, ita commotus eſt Solimanus, vt ad Stephanum Vaiuodam Myſiæ inferioris literas dederit, quibus imperabat, vt, cum à regina imploraretur, quantis poſſet viribus collectis illi opem ferret. iſtud ipſum imperatum eſt purpurato Curtenſi. quæ dum aguntur clã cum Solimano, nuntiatur Caſtalio Chendum Ferenzum & Petrum Vicchium in finibus Poloniæ copias colligere Pannoniam inferiorem inuaſuros, ad illud regnum reginę nomine occupandum, quia dicerent Ferdinandum non obſeruaſſe reginæ pactiones, neq; ſoluiſſe promiſſa. vtebatur Vicchius Chendi opera & potentia, qui poſt mortem Georgij plurimum autoritate & opibus valebat, cupiebatq; illam cædem vlciſci, & in eius facinoris autores animaduertere. coniunctæ ſunt itaq; horum amborum vires, quare cum auxilijs Myſi, qui nondum copias dimiſerat, donec appareret quẽ finem res eius regni eſſent habiturę, vti iuſſerat Mahomettus, videbantur ſimul vno tempore regnum inuaſuræ. nam ad Vicchium & ad Chendum multi è nobilioribus eius regni conuenerant, & iam conſpirarant cum Vaiuoda vt omnes vno tempore vbiq; Ferdinandi copias trucidarent. Sed vanum fuit omne horum conſilium per calliditatem caſtalij, qui quo pacto Vaiuoda de medio tolleretur multos iam dies rationem ſubtexebat. hunc nonnulli propter priuatas inimicitias ſe cæſuros eſſe profitebantur, quibus additę ſunt etiam à Caſtalio ingentes pollicitationes tanquam acerrimi ſtimuli & calcaria ad celeritatem cædis. irritati ſunt & animi quorundam aulicorum familiariumque Vaiuodę per literas Caſtalij ad eos miſſas, quæ viſæ ſunt eos vel innocentiſſimos vocare in ſuſpicionem proditionis, feceruntq; vt amiſſis honoribus & opibus acerrimo odio in Vaiuodam inflammarentur, & in deſiderium impellerentur vltionis. ad illud negotium adiuuabant coniuncti futuri Vaiuodæ, qui illo de medio ſublato plurimum dignitatis ſe conſecuturos ſperabant. tentoriũ igitur ingreſsi eum repente trucidant, atque cum paratis auxilijs in duo Turcarum & Scytharum millia, quos ille ad ſui corporis cuſtodiam alebat, impetum faciunt, trucidantq; omnes. poſtea illo Vaiuoda creato, ad quem illa dignitas iure pertinebat, matrem & filios & propinquos ceſi miſerabiliter trucidant, nemine prorſus relicto, vnde aliquid timeri poſſet. illa cędes diſſoluit vniuerſam coniurationem inferioris Pannoniæ, coniuratoſque patefecit, qui quamuis timebant ſupplicia, tamen

Iſabellæ querelę de Ferd.

Iſabellæ literæ ad Solimanum.

Literæ Solimani ad Vaiuodã Myſię.

Conſpiratio in Caſtaliũ.

men Caſtalius in præſenti ad eam rem conniuendum eſſe cenſuit, quod aliæ intimæ contentiones moleſtiæque inſtarent, nam Germani, quia non darentur ſibi ſtipendia, multa fęda, crudelia, nefanda aduerſus ſubditos Ferdinandi moliebantur. in amicos pagos incurſiones facientes omnia ferro ac igni populantur. bonaq; diripiunt. hęc ſatis probabilis cauſa viſa eſt proceribus hortandi Caſtalij vt ad expugnandū Tibiſcum copias duceret, quòd intelligerentur vires Caſſumbaſſæ eſſe debilitatæ, quia multos è ſuis ad expugnationem Vinundriæ miſiſſet. non eſſe prætermittendam pręſentem occaſionem, quæ poſtea fruſtra deſideraretur. profitentur ſe ad eam expeditionem promptiſſimè ituros, quibus rationibus putabant ſe Ferdinandi copias è Pannonia inferiore excludere. Caſtaſtalius cum intelligeret quò tenderent horum conſilia, rem diſſimulare. ſpem non prorſus euellere. poſtulata differre. in iiſdem caſtris morari, quę maximè ad auxilia opportuna ſingulis partibus regionis ferenda forent accōmodata. Cęſar interea Marinianium, aliosque tribunos militum ex Italia conuocat in Germaniam cum copijs, ipſe Inutrium, inde Abudiacum contendit. ibi cenſis copijs Italorum, multiſq; Hiſpanis cohortibus recentibus, magnum Germanorum numerum colligit, cum omnibus his copijs in Belgas & in Sequanos acceſſurus, vbi Henricus Canoduro ac Tullo & aliis munitionibus compluribus occupatis omnia pro arbitrio ſurſum deorſum vertebat.

*LIBRI QVINTI FINIS.*

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM

## SVI TEMPORIS,

## *LIBER SEXTVS.*

DVM Cęſar copias parat in finibus Vindelicię ad Henrici regis impetus propulſandos, Caſtalius intra fines inferioris Pannoniæ proſpectat quid conſilij capiat Mahomettus aduerſus Vinundriam; fortuna res Italas vexatura paulatim excitat belli Senenſis incendia, iacitq; ſemina euerſionis eius reipublicæ, quæ per multos annos incolumis floruerat. ad quod bellum explicandum videtur altius repetendum quæ cauſa compulerit vrbem totius ferè Thuſciæ nobiliſſimam, cum libera eſſe poſſet, vt primùm voluntariam, deinde neceſſariam & ab exteris regibus impoſitam ſeruitutem pertulerit. Fama eſt Brennum Gallorum ducem cum trecentis millibus hominum in Italiā profectum eius vrbis initiis opportunitatem dediſſe, cum ibi tuguria conſtruxiſſet ante Chriſtum natum annos fermè trecentos & octoginta ac duos, vt iumenta labore longi itineris atque ſenes defeſſos relinqueret, quem locum à ſenibus Senam nomiuauit. ſequentibus poſtea temporibus ob amœnitatem regionis iuſtam ciuitatis formam accipiens, plurimumq; aucta Romanorum coloniam & Lupam Romuli Remiq; nutricem accepit, fuitq; nō ſolum amicitia, ſed etiam affinitate quadam coniuncta cum vrbe Roma. Poſt obitum Romani imperij ipſa libera, ſuis vtens legibus, nullis exterorum regum imperijs obnoxia ad hanc vſq; diem ætatemq; noſtram perdurauit. eſt enim ſita in loco ameniſſimo Italiæ, collibus vndiq; cingentibus illam placidiſſimis, qui plurimis vitibus, & oliuetis, & fructiferis arboribus veſtiuntur. vtitur cęlo benigno & ſalubri, atque aere temperatiſſimo. abundat tum intra męnia tum etiam extra multarum limpidarum aquarum ſcaturiginibus, quę commodiſſimè ſuppetunt ad omnes vrbanos vſus. hæc ciuitas portas habet complures, quarum quæ ſpectat ad ſeptentrionem, agrumq; Florētinum, Chamolia vocatur. ad orientem conuerſa eſt Romana, cui opponitur propè occaſum ſolis verſus ea porta per quam adeuntur loca maritima, & planities Roſciæ. conuerſa eſt ad meridiem quæ vallem Arni fluminis proſpicit, atq; figuram habet ferè oualem. Senenſes igitur illi antiquiores capti amęnitate regionis villas iucundiſſimas & oppidula & turres nonnullas pluribus in locis agri Senenſis condiderunt, relicta prorſus popularibus omni rerum publicarum adminiſtratione quia nollent publicis curis, & conſeruandæ rei alienæ ſtudio reuocari à proprijs commodis & delitijs. at enim cum populus magis ad priuata commoda, quàm ad publicam vtilitatem rebus patrijs præeſſet, videreturq; potius tyrannorum autoritatem, quàm ius magiſtratuum exercere; nullum ſiquidem bonum eſt multorum imperium pro arbitrio priuatisq; commodis gubernantium, paulatim excitata ſunt mutua odia ciuium: cum iam non viri boni & iuſti & ſapientes; ſed gratioſi & opulenti & affinitatibus multis circumſepti & audaces ac imperiti rerum gerendarum reip. præficerentur. neq; illud ſanè curabatur rectè vt iudicationes fierent, ſed pro ſingulorum iudicum arbitrio illegitimis dominis ab legitimis bona addicebātur. Atqui manifeſtū eſt quòd omnis reſp. quæ diſciplinas & rerū præteritarum cognitionem negligit, iam ſenio delirat, multaque ridicula faciat neceſſe eſt, quæ modo mutari oporteat, modo reſarciri. Neque tamen ita diutius poteſt conſiſtere, quæ cum humanis opibus ſuperior ſibi eſſe videbitur, tum certè diuino conſilio euertitur, quoniam ſola religio & ſapientia omnia regna rectè gubernare poteſt. hinc facile apparuit, cum ſinguli ad propriam vtilitatem, at nō ad communem ſalutem reip. præeſſent, cum gratioſi & imperiti rectè gubernādi magiſtratus per ambitum ac prenſationes moderatis ac prudentibus præriperent, nihil aliud eſſe remp. quàm multorum conſpirationem quoquo modo diteſcere ſtudentium per ſubditorum facultates cum viciſſim conniueant

Initia ſenatū vrbis.

Senariū deſcriptio.

Reſp. omnes propè malę.

Reſp. mala quid ſit.

connìueant & obſurdeſcant magiſtratus ad iniurias, rapinas, libidines vel affinium vel parium, vt expletis magiſtratibus & ipſi parem licentiam mox conſequantur. hæc cauſa eſt cur denique euerſæ ſint omnes reſpublicæ, & euertentur in poſterum, cum noſtris temporibus rara ſit omnino reſp. & in poſterum fortaſſe rarior futura eſt. nobiliores hac nefanda gubernatione cognita vel populorum miſeratione commoti, vel ambitione impulſi, vel tanquam ad auream meſſem & ipſi accedere cupientes auaritia & ſpe prædę allecti, ad remp. accedere nixi ſunt. Sed contra repugnantibus popularibus ijs, qui magiſtratus ſibi vſurpabant, quibus non ſufficere ſolis tantus principatus ad auiditatem rapinæ videretur, nedum ſi nobiles in partem prędæ fuiſſent admiſſi, res Senenſes in magnum diſcrimen inducitur. neque tamē ſimplex fuit inter patricios & populares ſeditio, ſed magna contentio vel inter ipſos nobiliores, quòd alij Romanam nobilitatem & antiquitatem Brenni præ ſe ferrent. alij Cluſinam nobilitatem præſtantiorem ducerent. nam Cluſini ciues Cluſio vrbe deuaſtata, quæ fuit olim metropolis Thuſciæ, Senam commigrarunt. Sic igitur ad arma vſque ſępius ventum eſt, atque potentiores non ſemel eiectis aduuerſarijs modo huc, modo illuc fortuna belli alternante victoriam, ſummæ reipublicæ præfuerunt. Nam profectò indignum alteris videbatur ſi recentioribus & nouis hominibus par ius ciuitatis deferre cogerentur, cum munia reip. commodius & vtilius inter paucos adminiſtrarentur: cum æquum ducerent antiquiores vt ipſi in cæteros homines haberent imperium. Inde multæ iniuriæ aduerſus nouos homines & populares nouorū partes complexos committebantur, ad quas conniuebant antiquiorum magiſtratus. alteris nulla re ſe illis inferiores exiſtimantibus perindignum ac non ferendum videbatur ſe tum priuatim tum publicè etiam iniurijs affectos negligi; cum non res publica ſit, ſed manifeſtiſſima & crudeliſſima multorum tyrannorum dominatio ac tyrannis, vbi arbitria hominum nullis rationibus obnoxia pro legibus dominantur, quæ debent eſſe omnibus eædem, neque poſſunt iure maiorem veteribus quàm nouis, aut nobilioribus quàm humilioribus ciuibus impunitatem iniuriarum exhibere. nā ex iniquitate iudicum, imparibusq; iuribus multæ priuatorum controuerſiæ naſcantur neceſſe eſt, atq; inde ciuitatum deniq; euerſiones & ruinæ: cum Deus ſit demum iuſtiſsimus vindex debilium & iniquè oppreſſorum. at res eò deniq; perducta eſt vt è cunctis hiſce tribus ordinibus crearentur magiſtratus, qui communi conſilio & conſenſu artifices & ſubditos populos prædarentur. nam eò res Senenſis erat deducta, vt vbi ab artificibus operas aut mercimonia à mercatoribus extorſiſſent ij qui magiſtratibus fungi conſueuerant, vel poſt longum interuallum precium ſuarum mercium petentibus plagæ infligerentur ac vulnera pro precio, atq; magiſtratuum miniſtri, qui in ius vocarent ſchedulas nominum deglutire cogerentur. Siue igitur Dei conſilio propter multa peccata eius ciuitatis, ſiue fortunę arbitrio, quę ſolet plerūq; diuturnæ ciuitatum, regnorumq; felicitati inuidere, vbi dementia hominum ad mutationes pręcipue aditum patefecerit, cum nihil beatum aut tranquillum in rebus humanis diu eſſe patiatur, tantum mutui odij in illa ciuitate exarſit, vt non ſemel propius periculo fuerit ne tota ciuitas ſuis armis, popularibusque ſeditionibus ad internecionem tenderet, funditusque euerteretur. ad horum tantorum imminentium malorum remedia miſſæ ſunt legationes ad Cęſarem, cum vrbs illa facta eſſet antiquitus imperij, quę Cęſarem ipſum cauſam docerent, ſuppliciterque peterent ne in tantis periculis & calamitatibus vrbem illam negligeret, quæ ſemper imperatorio nomini fuiſſet addicta, ſed quàm citiſſimè labantibus rebus ſuccurreret, oppreſſosque ciues antiquos à recētioribus & à popularibus pro ſua innata clementia, & iuſtitia ſubleuaret. omnium bellorum miſerrimum eſſe & acerbiſſimum illud, quodſ inter ciues eiuſdē ciuitatis geratur, non ſolùm quod hoſtis iam ſit intra mœnia, ſed multo magis quia non opes, non gloria, non imperium tantum denique quæratur in bellis ac tumultibus ciuilibus, ſed vita & ſanguis, & iugulum ipſorum ciuium. facile vero poſſe illam vrbem à tantis moleſtijs ſubleuari, ſi publico ipſorum Senenſium ſumptu Cæſar Hiſpanorum peditum cohortem miſiſſet ad vrbis cuſtodiam, quorum præſentia tota ciuitas conquieſceret. atq; id quidem facillimè impetratum eſt. his præſidijs acceptis vtraq; factio continuo repreſſa eſt, & omnis ciuilis controuerſia ac ſeditio conſopita. Sed enim cum idem propè Senenſibus accidiſset, quod & fabuloſo equo Steſichori, qui ad vlciſcendam cerui iniuriam, quòd is ſibi pabulum conculcaſset, ſeruitutem ſubiuit hominem vt iuſtū vltorem dorſo & frænum paſsus, tum demum cognouerunt in quos errores fuiſsent illapſi. nam quaſi ad mutuam vindictam faciliorem frenum & ephippium paſſi imploratis externis auxilijs, nō minus in ſeipſos, in patriam, in libertatem, quàm in aduerſarios vltionem, totamque vim vindictæ conuertunt. nam præfectus Hiſpanis præſidijs, vrbiſq; gubernator dictus Cæſaris nomine Diegus Mendocius conciliatis ſibi animis nonnullorum primatum, obſtrictiſque amicitia & beneficijs tātum autoritatis in ea vrbe paulatim ſibi comparat, vt tanquam ſummus imperator in reliquos ciues implacidus & imperioſus eſset: qua acerbitate ſic animos Senenſium in ſe concitauit, vt facile cognoſcerent in quos errores incidiſſent, atque inflammati ſint ad excutiendum ſeruitutis iugū, quod ſuis ceruicibus parari videretur. impellebant ad hoc oppiduli cuiuſdam initia, quod Mendocius ſimulata neceſſitate defenſionis conſultò excitabat in ea parte vrbis, quæ Florentiam verſus proſpectat, non procul à Chamolia, vt facile ſubſidia Florētina poſset admittere cum opus eſset: quia Coſmus Medices dux Hetruriæ Cęſarianis partibus maximè faueret. atque cum ſe formidare arma popularia poſt iacta fundamenta oppiduli Mendocius ſimulaſſet, curauit vt ea vniuerſo populo & artificibus adimerentur, atque in oppidulum comportarentur, quod quidem facile conſecutus eſt per edicta magiſtratuum & amicitiam nobiliorum, cū breuiora præſertim arma nobilioribus reliquiſſet. Tum paulopoſt impulſu nonnullorum amicorum Mendocij coortæ ſunt querelæ, quòd populus inermis armatis nobilibus proderetur, cum vbiq; fierent iniurię, coactique ſunt nobiles etiā omnia

Seditio inter patricios & populares.

Familię veteres & nouę Senenſes.

Senēſium legationes ad Cæſarem.

Steſichori fabula.

Diegi Mēdocij acerba gubernatio.

nia arma deponere, & in arcem comportare. Senenſes ita omnes inermes armatis præſidijs expoſiti partim ſuperborum Hiſpanorum iniuriis irritati, partim quod ſuæ libertati parari inſidias ſentirent per eam ſimulationem defenſionis, tranquillitatiſque vrbanæ, depoſitis mutuis odijs & ſimultatibus & popularibus ſeditionibus, atque vrbanis controuerſijs omnes concordes ad repellendum ſeruitutis iugum conſpirant. cępta ſunt fieri concilia & conuentus ſępe in priuatis domibus ad defectionem & defenſionem conſentientium. miſſæ ſunt clam legationes, vt ſuperius admoniti fuerant ad Henricum Gallorum regem, quæ admiſſæ non minus occultè, quàm luculenter cauſam Senenſium agunt. amiſſæ propè libertatis caſum deplorant. Cæſarem multis maledictis onerant, tanquā tyrannidem totius Italiæ affectantem; cum partim vi armorum, partim fuco & fallacijs opprimere Italos nitatur: quod fit mira quadam lenitate verborum ac ſimulatione clementię, cum tamen inſatiabilis exiſtat, ſemperque magis ſitibundus imperandi. eius rei non leue eſſe argumentum, quod tantis, tamque crebris tributis ſubditas imperio ciuitates oneret atque opprimat, vt iam deformatę ac deſolatæ propè ſint, ciuibus auitos lares & domos & patriam & poſſeſſiones relinquentibus. Siciliç, Neapoliſque regna olim florentiſſima & eximiæ dignitatis atque opulentiæ ita eſſe afflicta & fortunis omnibus ſpoliata ob Cæſarianorum præfectorum auaritiam & crudelitatem, vt Turcarum imperia ad tantarum miſeriarum refugium exoptare videantur. futurum enim vt compedibus ſeruitutis vrbi totius Thuſciæ nobiliſſimæ ac potentiſſimæ iniectis, cæteris omnibus Italis vel iam deuictis, vel certè formidabilis, totius Italię vires mox ſuis adiungat, atque has ad Galliam deuaſtandam & ſubiugandam conuertat. maximè infenſum eſſe Cęſarem Gallico nomini apparere per ſuperiora bella, quę per multos annos cum regibus Gallorum pro Gallia ſubalpina, pro regno Aragonum, pro principatu Inſubrum, & nunc geratur pro Belgis, cum etiam tam facile fuerit illū impellere ad ferendam opem Pontifici, cum Octauius Farneſius fuiſſet ab ipſo rege in fidem receptus: quę omnia bella nullis propè temporum interuallis fuiſſent diſrupta. Docent peraccommodatum eſſe Senenſium principatum rebus Gallicis ad eorum fines turbandos, qui ſtuderent Cęſarianis partibus in Italia, cum Thuſcia ſit inter Inſubres Neapolitanumq; regnum finitima Duci Hetruriæ Cæſari deditiſsimo, portuſque habeat ad excipiendas claſſes peraccommodatos. non reipublicę ſolùm Senenſis, ſed plurimum etiam referre rei Gallicę, vt Senenſes, non deteſtandę alicuius religionis, non perduellionis ac lęſę maieſtatis reos, non nefarię alicuius proditionis, ſed nimię in Cęſarem obſeruantię, nimięque ſimplicitatis cauſa in eas difficultates adductos, in fidem acciperet. rogant ne obliuiſceretur ſe regem eſſe, in quo vno nomine omnia iuſtitię & humanitatis iura continentur. nihil enim tam regium eſſe ac propè diuinum, quàm afflictos ſubleuare; iniquè oppreſsis, & per libidinem dominandi, opem ferre; tyrannicè impoſitum liberis ciuitatibus ſeruitutis iugum excutere. Henricus hiſce rationibus commotus eam turbandi Cęſaris non prętermittendam occaſionem ratus iubet hos eſſe forti bonoque animo, atque omne auxiliorum genus liberaliter promittit. hæc tametſi clam delata ſunt ad Ducem Hetruriæ, isque certiorem fecit Mendocium, qui erat Romæ, tamen quia Mendocius exiſtimabat ſe frænum ita firmè tenere, nulla vt vi extorqueri è manibus poſſet, Ducis monita tanquam vana & nullius ponderis neglexit. quæ dum tractantur in Gallia, Senam nuntiantur. enimuero ad aggrediendum alacriter negotium, coniurati Senenſes clam in vrbe Roma, alijsque Italiæ ciuitatibus multos duces & tribunos militum ad vrbis præſidia liberaliter inuitant regijs ſtipendijs vt copias vndique conſcribant. Inter hos inſigniores fuerunt Nicolas Pitiliani comes, Hieronymus Piſanus magiſter Gallici peditatus, & Marius Sanctiflorius præcipua autoritate præſtantes. hi circiter ſex millia peditum conſcribunt, equitatumque multum ad ſigna vocant. Sed quoniam fortuna ita aditum aliquando ad pręclara facinora, vt ad humanas calamitates patefacit, ſecundaſque auras ſubminiſtrat ad incepta negotia: accidit per id tempus, quo hæc agebantur, vt Turcica claſſis in mari Tyrrheno nauigaret, ſtationemque haberet non longè ab ora maritima Senenſium, Gallicam claſſem expectans, vt diximus: quæ res non mediocrem opportunitatem attulit Senenſibus parandi exercitus, & negotij atque conſilij multa cum difficultate ſuſcepti ad optatum finem perducendi. Simulata igitur ingenti trepidatione propter Turcicam claſſem, ne Turcæ aliquem portum aut oppidum caperent in regione maritima, quo poſtea propugnaculo vterentur ad inuadendas vrbes Italiæ, conuentum publicè indicunt. admittunt Franciſcum Aluam ſexcentorum Hiſpanorum, tot enim paulatim excreuerant, & cum Franciſco arcis incæptę præfectum. docent quo in periculo ſit res Senenſis & omnis Italia denique conſtituta, niſi celerrimè ſuccurratur. ſignificant ſe certiores factos eſſe per exploratores Dragutum idem conſilij ſuſcepiſſe, quòd antea Barbaruſſa non potuit exequi, portum Herculis ſcilicet & Stephanium velle munire cum Gallorum auxilijs, atque munitionem eiuſmodi excitare, vt Turcica claſſis aſſiduum haberet receptaculum in Italia. Quę rationes cū non ſolum probabiles, verum etiam neceſſarię viderentur defenſionis, decernitur vt habeatur delectus militum, qui nomina dediſſent in ditione Senenſi, qui mitterentur ad portum Herculis & Stephanium, cum ibi iam breui expectarentur mercenarij milites. interea literæ clam ad Franciſcum Galliegam virum Hiſpanum cohortis præfectum cum dimidio oboli nummuli clam per noctem intra portam intruduntur à quodam Senenſi: quibus continebatur niſi ſibi cauerent Hiſpani ab inſidijs vrbanis, futurum ante Octauum diem vt omnes ab ingentibus copijs trucidarentur. quare maturè Hiſpani rebus ſuis conſulant, cognitum iri poſt deuitatas inſidias, atque tranſacto periculo qui amicè monuerit per alterius partis oboli coniunctionem. hiſce de rebus certior factus Mendocius literas dedit ad Hetrurię ducem, quibus continebatur formīdandum videri ne Senenſium animi ab Hiſpanorum adminiſtratione abhorrentes aliquid noui molirentur. Sibi videri adaugenda

Cōiuratio in Mendocium.

Legationum ad Henricū oratio.

Aſtutæ literę

Ottho Montacutus cum copijs à Florentino duce miſſus.

eſſe eius vrbis præſidia, quo ſaltem metu præſidiorum inermes in fide retinerentur. miſſus eſt Otho Montacutus cum octingentis peditibus, qui Senam ingreſſus omnes fori aditus armatis hominibus occupauit. Illud adeo indignum viſum eſt Senenſibus, adeoque animos omnium irritauit, vt ſummum ſtudium adhibitum ſit colligendis copijs. nam cum demonſtratum eſſet palam, non ad placanda odia ciuium, ſed ad opprimendam libertatem vrbis præſidia illa eſſe miſſa, quæ ſe diffidere Senenſium fidei oſtenderent, magna diligentia procuratum eſt, non ita multis interiectis diebus, vt Nicolas Pitilianeus comes cum quatuor millibus peditum ex compoſito clam in vrbē ſit ingreſſus Senenſibus cunctis pro patria libertate arma capeſſentibus. ijs ingreſſis vrbem copijs Cæſariana præſidia, non ſine magna vtrinq; clade ſunt eiecta. ſuperſtites Hiſpani partim ſeſe in oppidulum receperunt, partim in cęnobium Diui Dominici, quod munierant tanquam opportunā & tutam ſtationē dum oppidulum perficeretur. illo die Senenſes octo muralia tormenta Hiſpanis extorquent, quæ inſtrumenta fuerunt ad cætera ſuperanda. Poſtridie eius diei, vbi comes Sanctiflorius cum duobus millibus recentium peditum eſſet vrbem ingreſſus, fit magnus armatorum concurſus ad eijciendos Hiſpanos. cęnobium vndiq; magna vi expugnatur, ibiq; trucidatis Hiſpanis ad expu-

Certamen cruentum inter Senenſes & Hiſpanos.

gnandum oppidulum fit concurſus. erat illud imperfectum adhuc, quippe cum neque ſatis validæ munitiones eſſent erectę, neq; munitū amona, neq; reliquis rebus neceſſarijs, neq; bellicis apparatibus, qui requiruntur ad diuturniorem pugnam, vel obſidionem. idcirco hac in re ridiculus viſus eſt Mendocius, qui inuitiſſima vrbe præpotenti in alieno fundo ædificaret, neq; tamen haberet tanta præſidia, quāta repugnantibus ciuibus poſſent reſiſtere, & prius opus reliquerit cæteris hominibus perficiendum, quàm ipſe vidiſſet eò perductum, vt commodè poſſet defendi. illud oppidulum cum

Oppidulum euerſum.

Florentiæ Dux fouet Cæſarianas partes.

inuaſiſſent Senenſes, Cæſariani tanta inuadentium, irruentiumq; armatorū multitudine nullo pro pè negotio funduntur, ac fugantur. Senenſes captam munitionem euertunt funditus, atq; inceptas munitiones ſolo adæquant. Dux Hetruriæ his rebus nouis cognitis erat miſſurus delectum ſuorum laborantibus rebus Cæſarianis ſubſidio, ſed Senenſes ab eo conſilio ſtatim reuocarunt miſſo Aenea Picollomino; per cuius eloquentiam ægre quidem, at impetratum eſt tamen vt dux ille ab incępto deſiſteret. nam id feciſſe Senenſes docuit, non quia defeciſſent à Cæſare, cuius ſe perpetuos amicos & conſtantiſſime perſiſtere in fide profitebantur, ſed quia miniſtrorum Cæſaris inſolentiam, ac tyrannidem non poſſent perferre, atq; vt in priſtinam libertatem ſe vendicarent, quæ per fraudem & inſidias paulatim ſibi prope fuerat erepta. res ita conuenit deniq;, vt Ottho Montacutus cum ſuis copijs Florentiam rediret. vt Hiſpani inde digreſſi liberam ciuitatem Senenſibus relinquerent. Ne Senenſes Florentinos exules eſſe in ſua ditione paterentur. Hiſpani tamen ex vrbe egreſſi cū ſe ituros Florentiam ſimulaſsent, Vrbatellum oppidum pro domicilio occupant, quod oppidū eſt in loco paludoſo ſitum in inſula quadam, quæ iacet in lacu Prilino olim vocato, habetq; pontem peran-

Vrbatellū caphum ab Hiſpanis.

guſtum continenti coniunctū, cum ſit aduerſus omnē vim hoſtium & prædonum munitiſſimum. Mendocius hac nouitate tantarum rerum percepta grandi pecunia vndiq; collecta exiſtimans auro reſarciri poſſe, quod per impudentiam & tyrannidem erat labefactatum, Aſcanium Cornienſem virum ſtrenuum ad ſe vocat, multoſq; alios inſignes duces. iubet magna celeritate copias colligere. veteranos milites quotquot poſsent ad vexilla conuocare, cohorteſq; comparare: quod ipſum vt faciat Dux Hetruriæ per literas hortatur. ſed enim cognitis poſtea copijs, quæ Senam fuerant ingreſſæ, decidit prorſus de omni ſpe illius vrbis recuperandæ: quare animum conuertit ad Vrbatellum reparationibus & præſidijs, & annona egregiè muniēdum, & omnibus rebus ad rem militarem rectè inſtituendam neceſsarijs. quippe quòd arbitraretur illud oppidum valde fore opportunum ad res Senenſes infeſtandas & ad eam vrbem deniq; ſubiugandam. Senenſes contra Roletum iam occupauerant aduerſus omnes Cæſarianorum apparatus, videbanturque iam collectæ copiæ Vrbatellum inuaſuræ, vt inde quoque Hiſpanos eijcerent, ſed Cardinalis Mignanellus legatus miſsus clam ad Senenſes Pontificio nomine illorum conſilium, & iam ſuſceptum negotium retardauit. Nam

Mignanelli Card. oratione placati Senenſes.

Senenſium animi ab illo ſollicitabantur ad coniurationem cum multis principibus Italis, quæ proponebatur de eijciendis exteris nationibus ex imperio Italiæ, quo ſingulis principatibus per vim auaritiamque barbarorum regum occupatis ſui principes præficerentur, ac reſtituerentur. neque enim conferre videbatur finitimis principibus, vt Cæſar princeps potentiſſimus, qui apparebat cupidiſſimus dominandi, Senæ oppidulum, & vrbem denique occuparet, quæ coniuncta eſt multorum Italorum principum finibus, & in ipſo ombilico, vt ita dixerim, Italiæ ſita, cum vicinitas Hiſpanorum non videretur eſſe ſatis tuta. Senenſes nullis huiuſmodi adhortationibus confiſi, quia videbantur fouere Cæſarianam factionem qui ad hoc hortarentur, non modo non fiunt coniurationis participes, ſed neque eam Hiſpanorum vicinitatem, vt ſtatuerant, conuellunt. Acceſserant Iuliobonam interea commiſsarij Pontificij ad cauſas cędis Georgij Cardinalis inueſtigandas, erantque

Cōmiſſarij cędem monachi inquirunt.

interrogandi teſtes an ille proditionem aduerſus Ferdinandum cum Turcis moliretur, regnumq; Ferdinando eſſet erepturus. atqui dicta teſtium à Caſtalio, & à Maximiliano afferuntur rege, qui aut inferiore Pannonia, aut alibi interrogati fuiſsent, quos Emericus à ſecretis Georgij, & Adamus ſcriba interrogauerant. ij teſtes tametſi non nihil ſuſpicionis afferebant, tamen diſsentiebant inter ſe plurimum. Emericus ob occulta odia in Georgij memoriam reiectus eſt, vt parum fide dignus, quæ res non parum negotij attulit Caſtalio probandæ æquitatis ſui facinoris. poſt nonnullos menſes dicta teſtium conſignata Iuliobonam mittuntur ad commiſsarios, atque ab illis Romam ſumma celeritate. Ferdinandus accepta turpiſſima Aldanæ timiditate, iacturaque Lizifi, iubet Caſta-

Aldana captus ob incenſum Lizifum.

lium illum in vincula conijcere, atque præſente Vaiuoda probationes criminis conſcribi, vt meritum ſupplicium tantæ turpitudinis conſequeretur. ille interrogatus cur annonam concremaſſet,

& bel-

& bellicos apparatus,ac neq; viſo quidem hoſte vrbem reliquiſſet,ita ſe tuebatur;quòd milites cōplures aufugiſſent. quòd ob repentinum Mahometti aduentum duxit ſatius eſſe omnia flammis abſumere,quàm hoſtibus relinquere,quando tormenta & annonam & bellicos apparatus auehere non poſſet.quòd putarat futurum vt concrematam & incendijs euerſam vrbem Turcæ neq; reſpecturi quidem eſſent, nedum tanta diligentia non munituri. vt autem res maturius procederet delecti ſunt iudices qui cauſam cognoſcerent, & milites interrogarent,qui vnà fuiſſent Liziſi, quo cognita veritate res pro æquitate iudicaretur. Mahomettus quoniam res feliciter & ex voto ſibi ſuccedere viderentur, exiſtimat ſe tantò facilius Vinundria potiturum, quantò illa minus ſuperioribus

**Vinundria obſeſſa.**

locis eſſet munita, quare ad negotium ſe accingit. ſuperuacaneum igitur tantum militum numerum ratus vbi illuc aduentaſſet, nonnullam partem copiarum dimittit. præmiſerat purpuratum Curtenſem ad regionem explorandam cum magna turma equitum, vt cognoſceretur an tutum eſſet illos fines inuadere, quòd intelligeret Mauritium nuper cum decem millibus peditum & quinque equitum Ferdinando militantem Bregetij conſediſſe. Mauritius ponte ſupra Danubium iacto cum ſe vrbem Strigoniam obſeſſurum ſignificaret, nō paruam trepidationem Turcis iniecit: ſed vniuerſus ille metus dènique euanuit, cum nihil fieret memoratu dignum. purpuratus Curtenſis ſuas copias huic oppoſuit non ad pugnam quidem, ſed ad ſpectanda conſilia, quo proſpiceret ſicubi auxilijs opus eſſet, atque opportunè ſuccurreret, & nè Mauritius arbitraretur ſe poſſe pro arbitrio quocunque placeret ita libere palari. At Mahomettus cum haberet in caſtris circiter ſexaginta millia hominum vndique Vinundriam cingit obſidione, & quinquaginta bellicis tor-

**Vinundriæ deſcriptio.**

mentis diuerberat. eſt autem Vinundria ciuitas Pannonię inſignis in finibus Illyricis, quæ ſita eſt poſt Triballos parum diſtans à Tibiſco flumine, à quo Agria etiam vocato nomen accepit; habens ad occidentem & ad meridiem amœniſſimos agros. ad orientem montem habet & oppidulum cum nonnullis turribus, qui mons imminet ciuitati, at nulla propugnacula. diſtat mons ille ab vrbe quantus eſt lapidis iactus. atque iſti ciues reparationum debilitati auxilio fuerunt inuicti ac fortes defenſores. nam Stephanus Dobus vir fortiſſimus & ſingulari virtute cum duobus millibus hominum eam defendebat, quorum non pauciores quingentis viri erant nobiliſſimi, qui ex vniuerſa Pannonia vxores, filios, fortunas quas poterant eò comportarant tanquam ad tutum & ſolum totius Pannoniæ aſylum. ita verò cum Illyricis coniurarant. 1. nequis ſub pœna capitis de componendo fœdere verbum faceret. 2. ne cui ſe dederent. 3. ne vllum reſponſum daretur hoſtibus,niſi per bellica tormenta. 4. vt alter alterius carnibus cęſi veſceretur ſi diuturna obſidio

**Vinundrienſium vel fęminarum ſitus.**

ita ferret, neque illud aſcriberetur iniuriæ, cuicunque ſors obtigiſſet. 5. vt pijs precibus & votis quotidie peractis, imploratoque diuini numinis auxilio tam mares quam fœminę labores bellicos concordibus animis ſuſtinerent erigendis muris, comportanda terra, ſuggerendis armis, reficiendis pugnantibus & cibarijs & potu & rebus neceſſarijs. 6. vt vero ſuſpicio omnis proditionum, parumque conſtantis fidei prorſus tolleretur, e medio. ne plurium trium aut quatuor ad ſummum fieret conuentus, ſed omnes vnanimes ad pugnam animos conuerterent ſuos. 7. vt omnis tum priuata tum publica etiam annona æquo pōdere in capita diſtribueretur. 8. vt pulli cuiusq; generis ac cætera huiuſmodi cibaria delicatiora in vſum ægrotantium aut vulneratorum pro omnium ſalute reſeruarentur. 9. vt omnia ſpolia hoſtium, quæ caperentur, in vnum locum comportarentur, quæ poſtea diuiderentur in ſingulos pro virtute, & rebus bene pro patriæ defenſione geſtis, quę omnia in diarium referebantur. confirmatis itaque animis a quodam concionatore, qui non ſolum fortiter pugnauit, ſed etiam oratione corroborauit mentes obſeſſorum tredecim aſperimos & maximè cruētos repetitos conatus Vinūdrię pſidia ſingulari fortitudine & cōſtātia ſuſtinuerūt, hos ita conſpirantes Mahomettus per nuntium inuitat ad deditionem, ante quam aduerſus vrbem quidquam moliatur. addit minas hortationibus niſi paruerint grauiſſimorum ſuppliciorum. exaudientibus ac dedentibus vrbem ingentia præmia proponit, & libertatem ac liberum diſceſſum cum omnibus ſuis bonis. ciues Vinundrienſes nihil ad hæc reſpondentes feretrum inter duas lāceas ſuper mœnibus locant, demonſtrantq: quibus poſſunt indicijs ſe potius decreuiſſe vitam quam vrbem amittere, quam erant ad extremum vſq; vitæ ſuæ finem defenſuri. eſt autem mos eius nationis, vbi ad illas ceremonias peruenerint, ne vllus locus fęderibus aut pactionibus amplius relinquatur, cum mortui potius quam viui ſint in poteſtatem hoſtium venturi. Mahometus cognita horū ſententia mittit exploratum oppidulum & vrbem per noctem ad expugnationem. ſtatuit duobus in locis fieri verberationes: alteram a parte montis, alteram ad templum vrbis, atq; vtrobiq; viginti & quinq; bellica tormenta locari iubet. illa per quadraginta dies aſſiduos oppidum proſternunt, atque ita vt ſuperior pars omnis deiecta proſtrata corroſaq; ſit, neque quiſquam ibi poterat conſiſtere propter ingentem tempeſtatem tormentorum. ad illius rei remedium ciues Vinundrienſes profundiſſimam & latā foſſam excauant, aggeremque ducunt, vbi vigiles noctu ſumma diligentia excubarent: neque inde niſi nouis alijs vigilibus ſuperuenientibus diſcedere fas erat. at Mahomettus ter repetitis conatibus vno die ad octo millia Turcarum amiſit, qui per ruinas murorum iam propè peruenerant ad vrbem, inter quos fuerunt inſignes duces complures. illa ſuorum clade irritatus iubet nouis conatibus, nouisque verberationibus vrbem vexari: atque vna hora à quatuor lateribus acerrimè vrbs inuaditur. eò omnes tum mares tum etiam fœminæ Vinundrienſes magna diligentia accurrunt. armis, ſaxis, feruenti aqua, omni telorum genere hoſtes miſerabilem in modū cędunt. nam quędam fęminę vel captis ſcutis & gladijs in morem ſtrenuiſſimorum virorum ſiqui

**Fęminarum virtus.**

cecidiſſet vel frater vel maritus cędē fortiſſimè vindicarunt. pugnātes hortationibus cōfirmarūt. ad gloriam & virtutem cohortatę ſunt. nā tanta fuit fęminarum imbellis alioquin generis conſtantia,

tanta

tanta virorum fortitudo, tanta Vinundrienſium defenſorum, tamque egregia virtus, vt hoſtes turpiter reiecti ſint, & coacti præterea tormenta relinquere, quorum maior pars facta ſunt inutilia expugnationibus clauis magna vi adactis. tanta vero, tamque inaudita viſa eſt fęminarum virtus, vt nemo eſſet omnium virorum, qui illis præſentibus vllum periculi genus deuitaret; quæ cum armatæ cęſorū telis ſuper mænib. cōſiſterēt, tribus ex illis vno globo dilaniatis reliquæ propinquę fruſtis carnium & ſanguine faciem perfuſæ minime omnium territę ſunt, ſed illarum tabo cruentatæ magis irritatę ſunt deſiderio vltionis aduerſus inuadentes Turcas, in quos omnem vim indignationis conuerterunt. Enimuero cum tanta conſtantia, tanta vis, tanta fortitudo apparuiſſet defenſorum, vt neque audirentur quidem nuntij Mahometti proponentes conditiones, Curtenſis purpuratus & Mahomettus communi conſilio cenſere cœperunt iactam eſſe aleam omnino de illa ciuitate ſubiuganda, atque omnem operā ludi. cum autem tempus inſtaret, vt copiæ in hyberna reducerentur propter magnitudinem frigorum, ob quæ multi homines et equi moriebantur, Mahomettus decernit ab obſidione recedere, quod fit decimoquarto Cal. nouembris. receſſit itaque nocte ſequenti cum omnibus copijs. Achmetus Curtam, Mahomettus Taurumnum accedit. Vinundrienſes auditis hoſtibus colligentibus vaſa tam inſigni victoria elati poſtremum agmen ſingulari alacritate inuadunt. nam mille homines exierant multis cęſis ex hoſtibus, nonnullis tormentis captis, victores, lęti, glorioſi, multa præda onuſti in vrbem redeunt. Caſtalius cognita hoſtium profectione fugæ non abſimili literas ſcribit ad Ferdinandum, quibus eum hortatur vt iubeat Mauritium ex altera parte Mahomettum inuadere, quod ipſe ex altera parte eſſet inuaſurus, quia ſic facile profligari poſſe videbantur copiæ Turcarum male affectæ & afflictæ. illud conſilium ſi ita cognitum & ſuſceptum fuiſſet, quam erat vtile, poterant vires Turcarum in multos menſes refręnari. nam profectò cum nulli diligentiæ, periculis, laboribus ſumptibus parcendum ſit vt vires hoſtium infringantur, quis non fateatur non vulgaris eſſe ſapientiæ ſua ſponte propè iā afflictas impellere, vrgere, vexare? eſt enim multo periculoſius & laborioſius cum refectis hoſtium viribus nouam fortunam belli experiri, quàm languidam opprimere, iacentique inſultare atque conculcare; quoniam difficultates & pericula faciunt expertos cautiores. cęterum Cæſar, vti diximus, interea copias ad Belgicos fines tuendos comparabat, dum res ita in Italia & in Pannonia ſuccederent. Sed quia intelligeret Albertum marchionem cum Gallo fędere coniunctum ſatis ingentem exercitum comparaſſe, procurat vt ille in amicitiam redeat, quia tot in locis, tamque diuerſis non poſſet vno tempore reſiſtere: cum præſertim Albertus ægrè ferens pacem compoſitam cum Mauritio Francfordiam vrbem nobilem & opulentam Vſipetorum eius Galliæ orientis, quæ Franconia vocatur, in ora ferè ac in ripa Mongaui ſeu Meni fluminis ſitam magnis viribus oppugnaſſet, vbi Vſipeti ſunt populi in finibus Germaniæ & Sarmatiæ. Hæc in vrbe mos eſt haberi Imperatorum delectum, ſicuti coronari Battoduri conſueuerunt. ſic enim Carolus Quartus Imperator conſtituit, vt Cæſares à ſeptem prædictis eligerentur. Quòd ſi duo reges Romanorum creati fuiſſent, inualuit ea conſuetudo, vt alter in agro Vſipetorum per menſem & dimidium armatus alterum expectaret ad prælium; quare vel victorem eſse oportet, vel cui ceſsum eſset, ille rex Romanorum accipiebatur. atque hoc non ſemel accidit. Albertus illā vrbē diutius obſedit, multisq; calamitatib. affecit per hoc bellum. Volphangum Teutonici ordinis magiſtrum direptionibus & incendijs vexauit. pecuniam exegit. agrum Noreienſem immaniter deuaſtauit. circiter centum pagos & caſtella & villas ciuium populatus eſt. ſyluas concremauit. templa ac loca ſacra donariis ſpoliauit. epiſcopus Grauionarienſis pacem duris conditionibus redimere coactus eſt; quoniam primum ducenta nummum millia iuſsus eſt numerandos curare Vircemburgi, deinde omnia debita Alberti ſibi ſuſcipere, quæ fuerunt triginta & quinq; millia nummum. cum verò vrbes Sueuæ hortarentur Noreienſes ad pacem cum Alberto ineundam, iique ſemel datum fidem Cęſari conſtantiſſimè tuerentur, Albertus eos maiore impetu oppugnat. cum Alberto denique pacem ineunt hiſce conditionibus; vt Alberto ducenta millia nummum diſsoluerent. vt ſex bellica tormenta cum rebus neceſsariis ſuppeditarent. vt iuuarent apertè fęderatos principes & conſpirantes aduerſus Cęſarem pro Germanica libertate. procurat igitur Cæſar vt Albertus ſibi reconciliaretur, quo liber à Germanis negotiis Diuodurum è manibus Gallorum extorqueret. primum venit Oenipontem, ad vrbem Vindeliciæ deinde Auguſtam. ibi ſenatum remouet. primum reſtituit. nam Mauritius vbi illam vrbem obſediſset acceperat, dimiſſis liberis Cęſarianis præſidiis per deditionem, nihilque aliud expetiuerat, niſi amicitiam & fęderationem, aut ſocietatem belli ad communem Germaniæ libertatem defendendam. Cęſari Auguſtam profecto nuntiatur futurum vt rebus cum Alberto compoſitis Alberti exercitum obtineret, qui conſtabat è quatuordecim millibus 'peditum ac multo equitatu. his monitus iubet Cæſar res Gallicas per Lotharingiam inuadi, monetq; vt Albertus Diuodurum adoriatur, quòd ipſe ex alia parte eſſet inuaſurus. Henricus interea ijs vrbibus, munitionibuſq; occupatis cum intelligeret Cæſarē copias comparaſſe, neq; tamen poſſet eius conſilium explorare, aut cognoſcere, quæ loca primū eſſet inuaſurus, præficit cum ſummo imperio rerum bellicarū in Leucorum principatu ducē Auguſtonometenſem. iubet loca omnia ad muniēdum recognoſcere. vt res poſtularet, annona, præſidijs, tormentis, reparationibus, bellicis apparatibus omnibus inſtruere. monet vt ſuccenſis frugibus hoſtiū Teonuillæ curaret ſuorū locorū meſſes colligendas: quòd ipſe conſtituiſſet ducere exercitū in fines Belgarum, & Vermanduorum. dux ille acceptis quinq; peditum Gallorum millibus, & noui ducis Bulionei quinq; vexillis cataphractorū equitū, octo leuioris armaturæ, multiſq; ſclopettarijs equitibus auctus Eporſiū vicū Danuillāq; viſit, atq; his & cæteris locis iuſſis muniri, præfectiſq; muniēdis

*Virūdrię obſidio ſoluta.*

*Francfordiæ deſcriptio. Mos Cæſarū aut regum Rom. coronandorum.*

*Alberti populationes in Fraconia. Pax empta plurimi ab Epiſc. grauionarienſi.*

viris munitionum extruendarũ peritis architectis ipſe Diuodurum proficiſcens peruenit ad pontẽ Riccomontem,qui nõ plus duobus milliaribus diſtat à Teonuilla. procurat eo in arcem Marſi ſal, acetum, carnem ſalitam, puluerẽ tormentarium comportari,quæ cũ neceſſariò ob cõmoditatẽ viarum non procul à Teonuilla eſſent tranſitura, præfectus præſidiorũ eius vrbis inſidias locat in locis proximis itineri, extremum potius agmen & palantes aliquos, quàm vniuerſas rerũ comportatarũ cuſtodias aggreſſurus. at eo cõſilio & inſtitutis inſidijs Gallicis ducibus per exploratores patefactis Galli vbi ad locũ veniſſent in inſidias & latentes impetum faciunt, quos in vrbẽ includũt. è Gallis nõnulli tam vrbi propinquant, vt vel tormentorũ globis vel glandibus transfixi è mænibus ceciderint. reliqui coacti ſunt ad inſtitutũ iter longius ab vrbe recedere. illis rebus in arcem comportatis acceditur ad meſſes Teonuillenſium ciuium deuaſtandas: qua ratione videbatur futurũ vt facilius vrbs ad deditionẽ compelleretur, neq; Cæſarianus exercitus, ſi eo accederet, poſſet ita cõmode morari propter annonę penuriam. Dum Galli deuaſtandis ſuccẽdendiſq; frugibus eius vrbis ſunt intenti, Diuodurenſes ad colligendas ſuas meſſes proteguntur. at Henricus quia nuntiatũ eſſet Mariam reginã exercitum comparaſſe, eumq; in Belgas procedere, ac paulatim diſſipari, ſuas copias in illos fines adducit multa caſtella capit, ſuccendit, euertit. ad vrbem Cimettam contendit, illam etiam euerſurus, quoniam maxime omnium locorum Arduennæ finitimis populis Henrici damna inferrent. illam vrbem vbi obſidione vndiq; cinxiſſet, intelligit omnes primarios ciues aufugiſſe cum omni ſuppellectile. at reliqui, qui erant in vrbe tormenta expectant. veruntamen facta ingenti verberatione, proſtrataque murorum parte, antequam vrbs à Gallicis copijs inuaditur, nobiliores ciues ex ijs qui reliqui erant, & vrbana præſidia in arcem ſeſe recipiunt. Galli vrbe potiti omnia inuenta diripiunt. cum Sequani arcem tuerentur, ea quoque concuti cœpta eſt. tum ab inuadentibus Gallis capitur, qui ingreſſi obuios quoſque trucidant. reliquis defenſoribus in ſeruitutem captis, & abductis arcem diripiunt. Tum Gallis conuerſis ad inquirenda ſupellectilia, vt fieri ſolet per ſuſpicionem bellorum occultata, cunctaque cum accenſis luminibus rimantibus, fit irruptio in turrim bellicorum apparatuum, vbi multus puluis tormentarius fuſim diſiectus iacebat cum tormentis. fauilla quædam forte in illum collapſa repente tantum excitauit incendium, vt fornix corruens multos Gallos miſerabili ruina oppreſſerit, atque inde tota vrbs concremata & funditus propè euerſa ſit. Henricus quia magnæ pluuiæ fierent menſe ſextili in ijs regionibus, iubet exercitum defatigatum diuturnis laboribus iam propè præteritæ æſtatis, longiſque itineribus afflictum eſſe in ſtatiuis, vt proſpiceret quò vergerent conſilia Cæſaris, qui iam multas copias in Germania conſcripſerat. nam quamuis dicebatur ab exploratoribus iturus eſſe in Pannoniam, tamen Henricus verebatur illud, quod apparebat probabilius, ne Diuodurum repente iter cõuerteret. illam vrbem ne imparatam repentino aduentu adoriretur, mittit eò inſignes duces Ghiſiũ, & Strozzã, cum ſciret Ghiſium in ijs regionibus plurimũ amari, & inſignis eſſe auctoritatis. hi ſtatim illuc profecti inſtitutas munitiones diligentiſſimè perficiendas curant. nouos exploratores in Germaniam mittunt, qui referunt Mauritium reconciliatum fuiſſe. nuntiant Cæſarem non ſolùm vrbes in fidẽ recepiſſe, quæ denuo ab eo cum Mauritio deſciuerant, ſed etiã ingentem vim pecuniæ, & maximas copias collegiſſe ad vrbes recuperandas Diuodurũ, Tullum, ac Verdunum liberas ciuitates, quas Gallus rex ſubegerat: & ad liberandũ ducem Lotharingiæ, quem Henricus tributarium fecerat. atqui Germanorũ fides viſa eſt per id tẽpus non poſſe prorſus carere grauiſſima leuitatis, & inconſtantiæ nota: quando qui modo coniurarant, qui magnis & incredibilibus propè ſumptibus ingentes exercitus comparauerant, qui Cæſarem è Germania eiecerant, qui ſe in libertatem vendicarant, Gallum regem ad Germaniæ defenſionem cum magnis viribus è Gallia exciuerant, qui Protectorem Imperij, & propè Germaniæ parentem cum magno applauſu exceperant, continuo mutatis animis nulla iniuria à Gallo accepta, nullo affecti à Cęſare beneficio, huc illuc deliris volũtatibus lubrici feruntur. Cæſar iam ſatis ingentem Italorum, Germanorumque exercitum collegerat, quippe qui iam haberet in Caſtris ſex Italorum, octo Belgarum, ſexdecim Germanorum millia. aderant etiam quatuordecim cataphractorum leuiorumque equitum vexilla. cum his viribus magna annonæ copia comparata conuehebatur, donec Maria regina alium exercitum colligit in finibus Vermanduorum, quæ habebat ad ſeptem millia peditum Hiſpanorũ veteranæ militiæ, qui illuc è Neapolitano regno, & Gallia ſubalpina conuenerant. inter cæteros principes, qui arma cum Mauritio ſumpſerant aduerſus Cæſarem, & cum Mauritio coniurauerant, fuit, vti diximus, Albertus Sennonum marchio, qui cæteris permultis reconciliatis Cæſari nondum arma ipſe depoſuerat, ſed cum multis Germanis proceribus profitebatur ſe Gallo regi militare cum quatuordecim millibus armatorum, & tribus millibus equitum. Iſtud autem factum eſt per multos dies, antequam Cæſar caſtra moueret, & iam ad fines Gallicos cum ſuis copijs peruenerat. id alij factitatum fuiſſe cenſuerunt, vt ſiquam in vrbem admitteretur, illam Cæſaris nomine occuparet. alij maluerunt factum fuiſſe, vt ita honorificentiores cõditiones per has ambages extorqueret à Cęſare. nam Alberti copię in Lotharingiam profectæ eadem vexilla incedentes geſtabant, quæ etiam Galli, & cum Gallicis inſignibus explicarant, quæ ſuſcepta fuerant vbi primùm arma aduerſus Cæſarem hoſtilia ſunt mota. cum eo nomine procederet, vt militaret Gallo ad vrbem Cæſarianam Treuirim peruenit. illa per vim armorum potitus eſt, atq; multa grauiſſima, & maximè indecora commiſſa ſunt ab ipſius Alberti militibus. Henricus quia non accitus Albertus, ſed vltro & ſua ſponte aduentaret, non nihil concipit ſuſpicionis, quamobrem mittit Epiſcopum aquarum Auguſtarum ad eius animum diligenter explorandum. iubet ſi velit regi militare prius de ſtipendio conuenire, quando ita hoſtes Gallorum infeſtabat. Albertus ad ea reſpondit ſe neq; ſtipendiorum, neque auri, aut argenti,

Teonuilleſis ager vaſtatus.

Cimetta vrbs concremata.

Diuodurum munitum.

Germanorũ inconſtãtia.

Treuiris vrbs capta.

neque pecuniæ gratia militare, quia non ſit horum metallorum ſitibundus, ſed cauſa Germanici nominis, ac patriæ communis libertatis, pro qua omnis vir bonus vitam, & facultates etiam præſentes profundere iure debet, cuius militiæ ſatis grande præmium cenſeri poteſt, glorioſa omnium populorum beneuolentia. Et quoniam Henricus rex tanta liberalitate, atque humanitate vſus fuiſſet in Germanicam nationem, ſe nihil magis cupere, quàm parem gratiam regi referre, qui priſtinæ libertati Germanos reſtituendos adiuuerit. addit præterea hoc ipſo conſilio ſe reliquiſſe Mauritium, vt ingratum principem, & beneficiorum acceptorum immemorem, atque vltro ad iſtud bellum acceſſiſſe. Henricus, qui iam ſubodorauerat Albertum fuiſſe Cæſari reconciliatum, atque rumorem eius rei occultari ac differri, donec aliquid memorabile egiſset, vt in aliquo articulo temporis regias res, ubi extuliſset deſereret, repentinoque diſceſſu Gallorum animos conſternaret, non fidebat, vel probabilibus Alberti blanditiis, ſed omnia ſapienter circumſpiciebat, ut magni Franciſci patris alumnus. Albertus occultis conſiliis procedere. non procul à Teonuilla aduerſo Ombrico fluuio proficiſci. caſtra ad Rorangem ponere, qui locus eſt non plus quindecim millibus paſſuum diſtans à Diuoduro. illuc profectus continuo commeatum tanquam dux regius à Ghiſio poſtulat. Ghiſius de regia ſuſpicione factus certior, ne tamen per illam occaſionem Alberti arma palam in Gallos conuerteret, commeatum per nonnullos dies concedit. Sed cum frequẽtius repoſceretur, Petrus Strozza monet quanti referret ad omnem rem bellicam, omnemq; euentum rerum præſentium, præcipuè tam propinquo hoſte Cæſare, quàm eſſe dicebatur propinquus, ne vrbs illa rebus neceſſariis exinaniretur. cauendum eſſe, ne ſic per calliditatem, & ſtratagema vrbs facta inops rerum neceſſariarum in aduentũ hoſtiũ poſtea paruo negotio opprimatur, vt ſua ſponte afflicta. non eſſe commodum, neq; tutum belli tẽpore præſertim vrbem illa annona priuari, quæ in vſum obſidionis fuiſſet multa diligentia comparata; cum Albertus poſſet aliunde commeatum procurare. reſpondet igitur Ghiſius commeatum denuo miſſis peritum vrbem non poſſe tantam annonam ſuppeditare, quam reſeruaret in vſum, atq; opportunitatem obſidionis. quòd ſi ſeſe ad Salinas regionem fertilem, & opulentam finitimam contuliſſet futurũ non ſolùm vt ſuas copias commodè aleret, verũ etiã vt commoditatem cõmeatus præriperet hoſtibus eò breui venturis. illud Ghiſij reſponſum primum viſum eſt Alberto peraccommodatum, atq; ducem itineris ad illã regionẽ poſtulat. ſed poſtea incẽpti quidem itineris pertęſus cum ſuis copijs Diuoduro ad quinq; millia paſſus propinquat, caſtriſq; ad Eium oppidum poſitis maiorem etiam ſuſpicionem excitat. tum per finitima loca peruagatus Treuirim properat cohortes nõnullas, quas ibi reliquerat, ſibi adiuncturus. deinde pontem Camoſonẽ petit nulla re cum Epiſcopo aquarũ Auguſtarũ, aut cum Lanſacio regulo communicata, quem rex hac ipſa de cauſa illuc tranſmiſerat. per illam verborum ambiguitatẽ, vt apparebat, atq; per incrementum copiarum, multo etiam magis permotus Henricus ſuas copias ad oppidum Sancti Michaelis promouet, quod ſitum eſt in ripa Moſę fluminis diſtans à Diuoduro non plus decem millibus paſſuũ. Cæſar per illud tempus acceſſerat Dupontium, vniuerſaſq; copias per propinquam regionẽ, quam Valges appellant diſtribuit: qua re cognita coneſtablius tantũ tormentorum, & commeatus, & bellicorum omnium apparatuum admittit, quantum videretur neceſſarium in multos menſes. contracta ſunt & præſidia permulta, quibus auctæ ſunt vires vrbanæ duce Horatio Farneſio regis genero, qui, vt aggeres maiori ſtudio, ac celeritate erigerentur, multas operas introduxit. cæterum Albertus finitimus adhuc ſollicitũ tenebat animũ coneſtabilij, qui maximè dubius erat, ac neq; vellet irritare Albertũ ſi non eſſet hoſtis. neq; ſi eſſet, putabat ſe tutò illi poſſe credere, Cæſare præſertim tam vicino cum ſuis copijs. nec multo ſanè interiecto tẽpore nuntiatur Albertũ finitima quæq; deuaſtare, populari, euertere, quare ſtatuit Vmalium regulũ, & Rangrauium Germanorum tribunum ad eum in colloquium mittere, qui rogarent ne ita agrũ deuaſtaret, regionemq; euerteret, elicerentq; eius conſilium, & ſpectarent quo animo appareret eſſe erga regem. cum deniq; Albertus abſurdas parumq; rationi conſentientes petitiones proponeret, quas in ſtipendium poſtulabat, & iam de rege quereretur, cuius profitebatur ſe eſſe amicum, & fœdere coniunctum cum duce Lotharingiæ, poſtremùm paulatim aperit, quod eſſet ſuum conſiliũ. Cæſar ex altera parte ſuũ principatum liberum Alberto offert, cui honorificas alias præterea cõditiones adiungit. addit etiam promiſſa. nulli neq; induſtriæ, neq; pollicitationum generi parcit, vt eum in ſuã ſententiam, ſuaq; vota perducat. coneſtablius ex altera ipſi Alberto conditiones honorificentiſſimas proponit, quas Albertus à Gallicis partibus clam prorſus alienus refutat. Enimuero & illud occultum Alberti cõſilium, & Cæſariani exercitus propinquitas nonnihil animos Gallorũ habebat ſollicitos, cũ Mariæ etiã reginæ copiæ prædationibus, & rapinis illos fines infeſtarẽt, vniuerſæq, Galliæ magnam trepidationem inieciſſent. Henricus qui hæc omnia fore iam multo ante tanquam ex altiſſimã aliqua ſpecula præuiderat, per illã temporis opportunitatem, quam Cæſar conceſſerat labo rans ex pedibus multos dies in agro Valgenſi, ſic auctus eſt multis expeditis Germanorum, Gallorum, Heluetiorumque cohortibus, vt non parum ſtabilitus, confirmatuſque ſit viribus. nam cenſa ſunt per illud tempus in Gallicis caſtris triginta peditum, ſeptem equitum millia, quibus aderant tormenta cuiuſuis generis complura. ipſius Alberti conſilio paulatim inueſtigato, quòd erat ad amplectendas partes Cæſarianas magis propenſus, cenſebant quidam è Gallis proceribus conferre rebus regijs, vt caſtra Alberti inuaderentur, labefactarenturque, & profligarentur eius copiæ, antea quam coniungerentur cum Cæſarianis. alij ab hoc conſilio retrahebantur ſpe quadam inani, quam ille quamuis tenuem, tamen aliquam conſulto reliquerat; cum non prorſus putaretur cũ Cæſare conueniſſe. credebatur enim futurũ ſi maiora ſtipẽdia proponerentur, amplia renturq; promiſſa, vt in Gallicana caſtra alliceretur. iſtud agi cęptũ eſt per Germanos tribunos, qui

Alberti fraudes.

regi militabant,qui etiam decem vexilla peditum è caſtris Alberti ſimul in Gallica allexerunt. Albertus cognito per exploratores Gallorum conſilio, qui etiam Germanos duces mitterent ad illud negotium, vt per hos paulatim Germanas copias ad ſe allicerent, quia videbat ſua caſtra in dies debilitari, mittit rogatum coneſtablium vt ſibi liceret libere abire cum ſuis copijs, quando rex non appareret apta ſtipendia ſibi daturus. addidit præterea ad occultandum ſuum conſilium fore vt maiorem propè vtilitatem rebus regijs afferret vbicunq; futurus erat, quàm præſens, cum res Cæſarianas ita eſſet infeſtaturus, vt ex hoſtium ſpolijs multo maiora capturus eſſet ſtipendia, quàm ſint ordinaria ſtipendia caſtrorum. Illud vero palam profitebatur per nullas conditiones ſe cum Cæſare, aut cum hoſtibus regis conſpiraturum. hiſce pollicitationibus commotus coneſtablius liberum quidem tranſitum patefacit, ſed iubet Vmalium cum mille cataphractis, quingentiſq; leuioris armaturæ equitibus non procul ab eius caſtris abeſſe, vt vim ac rapinam eius principis frænaret. Albertus inde profectus in quodam prato peramplo non procul à Tullo in ripa Ombrici fluminis caſtrametatur. maximis damnis accolas affligit. multæ querelæ deferuntur ad Vmalium. is rogatum mittit Albertum, vt ſuos ab ijs iniurijs coerceat. ſed illæ preces irritæ fuerunt. accolæ regionis idcirco collectis viribus non aſpernandis inter nemora latentes quoſcunq; ex hoſtibus prædabundos, aut palantes conſpiciunt, trucidant, neque quenquam patiuntur in caſtra reuerti. Albertus queritur per præconem apud Vmalium, quòd iſtud fieret Vmalij ipſius conſilio præter promiſſa, cum liberum abſceſſum & tranſitum coneſtablius conceſſiſſet. Vmalius id fieri incolarum cauſa reſpondit, qui magnitudine acceptarum contra ius hoſpitij iniuriarum & calamitatum in tantum deſperationis fuiſſent impulſi, his tot cædibus, quæ quotidie fiebant ab incolis regionis, coactus eſt Albertus excedere ex illa regione. Vmalius cum magna vis eſſet imbrium, neque poſſet Albertum commode ſequi per loca paludoſa quà erat tranſeundum, quia tormenta trahi non poſſent, tot ducum præſentium hortatu incitatur, vt in Alberti copias impetum faceret, quem facile poſſet profligare, cum nullus eſſet vel tormentorum vſus, vel ſclopettorum propter frequentiam, & aſſiduitatem pluuiarum. ſed illud facere deuitat, ne datam ſemel fidem violaret. Cæſar verò cum menſis october maiori ex parte præterijſſet, dum laborat ex pedibus, tormentaq;, & bellicos apparatus expectat, qui per Rhenum fluuium Cõfluentiam aduehebantur, morabatur adhuc in agro Valgenſi. inſtabant Cæſari duces nonnulli, & inter hos præcipuæ autoritatis Albanus, & Marinianus, qui rem dicebant non eſſe protrahendam, quia omnis mora calamitoſa eſt iam ſtabilitis conſilijs. opus eſſe cum præſentibus copijs, & tormentis loca Diuoduro finitima tentare. ſummo eſſe auxilio celeritatem. impelli ad hoc propinquitate hyemis cum ager Diuodurẽſis aquoſus paludoſuſq; ſit propter copiã fluuiorũ, quibus maxime abundat atq; irrigatur. ſin negotiũ protrahatur in aduentum pluuiarũ hybernarũ, futurũ vt copiæ vel moriantur, vel ſoluãtur neceſsario, ꝙ ſi propinquę munitiones & caſtella mature fuiſſent occupata, illud commodi acceptum iri, vt copijs in hyberna diſtributis eſset futurum genus quoddam obſidionis, cum Cæſariani commodè hyemare poſsent, & cõmeatuũ facultas vndiq; Diuoduro intercluderetur. atq; ita contigiſset vt vrbana præſidia, quæ erant validiſſima annona per hyemem abſumpta in magnas difficultates per vernum tempus conijcerentur: cum facile fieri potuiſset vt copijs Cæſarianis vere in apertum eductis Diuodurum breui ſe dederet, neq; tentata quidem à Cæſarianis expugnatione, quos fames eſset ſubiugatura. eſt enim hoc bellandi genus non ineptum, & fortaſse omnium tutiſsimum, ſed ſumptibus plenum, quò Turcæ plerunq; vtuntur, vt populationibus, incendiis, ac rapinis agrum vexent, colonos abducant, ſegetes vrant, omnem ſpem commeatus pro viribus eripiant atq; interrumpant, ſi quam munitionem expugnare cupiunt, quòd his facultatibus ereptis facilius omnia loca compellantur ad deditionem. Cæſar, vt qui ſe præſtare equitatu arbitraretur, accedentibus præſertim Alberti copiis, reiectis ſuorum ducũ conſiliis omnino Diuodurũ inuadere decernit, vt ſi facultas conferendi ſigna cum Gallis ſibi concederetur, ſi vellent obſeſſis opem ferre. ſic enim ſibi dari opportunitatem arbitrabatur, vt ea vrbe potitus, ſicuti ſperabat, cum tanta annonæ apparatuumq; copia captis tot Gallis procerib. (nam multi inſignes duces erant Diuoduri præter Ghiſium, Memorantium, Strozzam, Farneſiũ, Vandomum, Neomagenſem, Monpenſerium, Anguienum, ) mox Galliã ipſam ingenti trepidatione perculſam, tot inſignibus ducibus priuatam ac propè ſpoliatam adoriretur. attractis itaq; tormẽtis ad Ombricum fluuium iter capit tanquam Teonuillam & principatum Leucorum primùm inuaſurus, perquam opportunitatem commiſſo leui prælio Galli arcis Marſi præſidia cum nonnullis tormentis ſeruant, eamq; egreſſi flãmis & incẽdio abſumũt ne vlli vſui eſset hoſtibus. coneſtablius veritus ne Cæſar ad occupandũ Verdunũ ſigna cõuerteret, cuius in præſidijs erat Mareſcialus Sancti Andreæ cũ ducentis leuioribus equitibus galeatis, ac totidẽ equitibus ſclopettarijs, centũ & quinquaginta cataphractis, octo uexillis peditum, iubet copias illuc accedere, dum omnis cõmeatus in vrbẽ importaretur è locis finitimis. poſtmodo curat vt noctu & interdiu nunquã intermiſſis operis partes opportunæ muniantur. tum curauit quàm celerrime ipſe coneſtablius vrbes reliquas recognoſcere an ſatis eſsent ad defenſionem munitæ: qui poſt viſam Danuillam, & Iuoum, & Mommedium, iudicat Sattenum vrbem nõ poſse defendi, quare inde præſidia abducit occupato per illud tẽpus oppido munito Virettone plurimũ vtili rei bellicæ. neq; multo interuallo tẽporis poſt captũ id oppidũ nuntiatur Cæſar acceptis Belgicis auxiliis Diuodurũ verſus iter facere, cũ ad illam partẽ regionis cõtendiſset, quę ad Remos Veſsoneſq; ſpectat, ad accipienda auxilia, ne in itinere profligarẽtur antequã accederent in caſtra, atq; ad Serebraciũ pagum caſtrametatur. inde Albanum, qui cũ ſummo imperio præfectus erat illi expeditioni, & Marinianiũ præfectũ Italicis copiis pręmittit cũ quatuordecim peditũ, quatuorq; equitũ millib. & ſex muralib. tormẽtis ad vrbẽ Diuodurũ, quã ita

Turcarũ ratio inexpugnandis munitionibus.

Verdunũ munitum.

Serebracium pagus.

Diuodurum obſeſſum.

prope accedunt, vt commoda loca occuparint ad obſidionem. erant enim præter hos præcipui etiã duces cum Cæſare Agamontius & Arembergenſis reguli, ac Brederodenſis, & Albertus Marchio Senonum. Ghiſius & Strozza prælium egreſſi cum primipilaribus inſigne atroxq; primi cõmittunt. certatur vtrinque acriter & magna virtute multis cadentibus ac pluribus vulneratis. Albanus expertus inſignem eſſe Diuodurenſium præſidiorum fortitudinem & militarem virtutem, circiter decem millia paſſuum copias ab vrbe retrahit. Albertus Cæſarianas partes hortatore Albano duce complexus denique ſe hoſtem eſſe Gallis pronuntiat, quod ab Vmalio nuntiatum eſt regi cum eſſet in Remis, qui illum per veſtigia inſecutus fuerat: atq; his additum eſt, quòd, ſi cataphractos equites adhuc haberet, qui fuerant in caſtra reuocati à coneſtablio, ſibi non difficile eſſet Alberti copias labefactare. ſed enim cum equites remiſſi fuiſſent, iam Muſſum Madonemq; oppida iter faciens Albertus præterierat, præconemq; Vmalij ſecum abduxit, ne ille ſua conſilia prius Vmalio patefaceret, quàm caſtra cum Cæſare coniunxiſſet. cum vero Vmalius ita ſeſe recipientem Albertum magno ſtudio inſequeretur, Albertus conuerſus inſtructis copijs in acie nihil tale ſuſpicantem repentino aduentu inuadit Gallicum equitatum diſſipat ac fundit. Vmaliũ ipſum ex equo delapſum breuiq; ſclopetto vulneratum, ſtrenue tamen pugnantem capit. quare patuit nullam eſſe tantam diligentiam, quam adhibere nõ oporteat hoſte propinquo quamuis debiliore, cum vel victi paulo negligentioribus victoribus victoriam è manibus eripiant. opus eſt enim ſapientem ducem & ante & poſt victoriam eſſe diligentiſsimum. ſunt graues iacturæ vrbium, populationes agrorum, captiuitates, ſeruitus incendia, deuaſtationes, minę, vulnera, cædes præmia negligentium ac deſidum in rebus bellicis. cecidit in ea pugna regulus Auluercorum captus, cuius cędis cauſa fuit controuerſia duorum inter ſe diſceptantium vtrius eſſet futurus. horum amicus ſuperueniens forte vt contentiones horum dirimeret ignotum principem ut priuatum hominum & paruæ autoritatis interemit; vel antea glande transfixum. deſiderati ſunt plures trecentis è Gallis, multi capti, multi fuga ſe ſeruarunt. Albertus ea victoria, illis rebusq; geſtis feliciter elatus ad pontem Camoſonem reuertit ad vlteriorem partem fluminis, atque Cæſar laudata eius virtute duo equitum millia mittit, qui cõiungerentur cum ſuo exercitu, qui iam acceſſerat Diuodurum ſub hyemis initium ad vndecimum cal. decembris nimirum. Albertus in Cæſariana caſtra profectus cum ſuis copijs apud Diui Martini abbatiam caſtrametatur. regiæ copiæ ad oppidum Claramontem interea peuenerant, quod eſt principatus Varoenſis, cui arx imminet in alto colle propter altitudinem à tribus lateribus inacceſſibilis natura & arte munitiſſima quam Galli per ſummam induſtriam occupauerant, & ad conſimilem opportunitatem muniuerant. Cæſarianæ copiæ duce Roſſeo regulo, è Belgio profectę quæ accedebant ad quindecim peditum, duo equitum millia, iam in apertum exiuerant, cum illud conſilij cepiſſent vt Feras oppidum Vermanduis finitimum caperent, quod negotium cum difficile poſtmodo viſum eſſet, quia ibi ineſſet Amiras Anibaus cum firmiſſimis præſidijs, vrbes finitimæ Noriones rapinis, populationibus, incendiis abſumuntur. Nellam, Ceulnum, Roiam, pagos ferè ſeptingentos deuaſtant, quorum maior pars erat Vandomij. poſt huiuſmodi incendia & deuaſtationes agrorum Roſſeus Edinũ obſidet, quæ vrbs cũ nullas munitiones haberet, quibus poſſet defendi facile capitur. at oppidulum, quòd eſſet eximiè munitum, ſtrenuè defenditur. attrahuntur tormenta. illa corbibus terra oppletis ad ſtaturam hominis de more bellorum protecta è loco Parco vocato acriter oppidulum diuerberant. inſignis turris proſtrata, quæ murum tuebatur, ita foſſam ruinis replet in eam collapſa, vt pontem propè Belgicis copijs effecerit. at Gallica prę ſidia perterita nullo expectato hoſtium conatu antequam à Cæſarianis inuaderentur præter libertatem cuncta victoris arbitrio dedunt, quæ res non parum mæroris regi, at certè finitimis populis plurimum trepidationis iniecit, quia præſidiotum præfectus per ſpem defenſionis omnium animos plurimum extulerat, cum dictitaſſet palam ſe defenſore locum illum nunquam vi ſuperatũ iri. acceſſit ad hoc incommodum non parua animi perturbatio regi, quòd amiras Anibaus vir prudentiſſimus ac rerum bellicarum peritiſſimus nuper deceſſerat. quibus rebus etſi Henricus nonnihil commotus eſt, tamen vbi ſeſe collegit cum Catalauno propinquaret proceres ſuos acciuit in caſtra, vt regulum Auguſtonometenſem, Mareſciallum Sancti Andreæ, Sciatilionem, ac reliquos nonnullos ad recuperandam vrbem Edinum, ad quod conſilium perficiendum opus erat copias è Vermanduorum regione contrahere. iubet Ghiſium certiorem fieri de illo conſilio, atque interrogari num plus commeatuum, præſidiorum, bellicorumve apparatuum poſceret ad defenſionem eius vrbis, & quamdiu ſe poſſe reſiſtere viribus Cæſarianorum arbitraretur. Ghiſius hiſce reſpondet vrbem omnibus rebus neceſſarijs egregiè eſſe munitam. ſe poſſe per tot clariſſimorum & præſtantiſſimorum ducum ac militum virtutem diutiſsimè reſiſtere, neque omnino eſſe de illa vrbe dubitandum, quod ipſum Strozza etiam affirmauit. Henricus dicto amirante Sciatilioneo iubet copias è Vermanduis adduci, proficiſcique in Belgarum fines ad Edinum expugnandum. Albanus interea ad Diuodurum caſtrametatur ineptis prorſus ad belligerandum ac difficilibus temporibus cum triginta Germanorum, viginti inferioris Germaniæ peditum vexillis, & tribus millibus equitum, Hiſpani à Sancto Arnoldo ad Diuum Clementem vſque caſtris occupant omnem regionem, vbi erat Italus etiam peditatus. reliquæ Germanorum copiæ fuerant ad pontem magnum caſtrametatæ. Aloyſius Abulenſis. cum Hiſpano equitatu ad Malandriam, quod eſt loci nomen. at Marcomanorum præfectus, quem illi ſiniſcalcum vocant cum Boemo equitatu ad Bletum & Olerum, ea ſunt nomina regionum agri Diuodurenſis caſtra poſuit. Germanus equitatus ſtationem elegit apud Grangiã & Sanctum Priecum. atq; caſtris ita diſtributis Albanus animum primùm conuertit ad ipſa caſtra foſsis & aggeribus munienda de more

Albertus hoſtē Gallis ſe profitetur.

Muſſum & Mado opp.

Vmalius ab Alberto profligatus & captus.

Edimum capitur.

Caſtra ad Diuodurũ muniuntur.

bellorum,ad texendos erigendosque corbes uimineos ad defenſionem tormentorum, eoſq; terra replēdos, & ad cæteras defenſiones neceſſarias inſtruendas quibus bona ex parte comparatis prima tormenta erigit è regione portæ vocatæ Tebaldi. vrbana præſidia contrà obſidentium conſilia ſæpius egredi. minuta præliacommittere. caſtra hoſtium inuadere, in quos exeunt milites ex omnibus nationibus lectiſſimi cum ſtrenui & fortes & intrepidi duces vtrinque pugnarent. Auguſtonometenſis aſſiduis prælijs cum ſuo equitatu commiſſis plurimum hoſtes infeſtare, cuius tamen nullum prælium Cæſariani cataphracti & leuiores equites deuitant. at verò ſuccreſcentibus in dies frigoribus & crebris niuibus propter anni partem moleſtiſſimam, acerbitatemq; regionis Cæſarianę copiæ plurimum affligebantur,& maximè omniū Itali,non ſolum quia ſtipendiorū inopia, & inde rerum omnium victui neceſſariarum penuria laborabant, verum etiam quòd tantæ frigorū magnitudini minime eſſent aſſueti, qui etiam in magnum diſcrimē incidiſſent, niſi allecti meruiſſent Gallica ſtipendia. his enim Auguſtonometenſis ſe perbenignum oſtendit, quare non magnā laudem ſolum ab Italis eſt conſecutus,ſed etiam Italorum ſtudia & beniuolentiam multorum in ſe conuertit. Albanus ductis latis profundisq; foſſis,atq; inde neceſſariò ſublimibus erectis aggeribus tormenta direxerat, cęptaque eſt vrbs ſub finem menſis nouembris verberari. concuſſum eſt præcipue magno ſtudio propugnaculum ingens ad portam Campaneſſam vocatam. cęptę ſunt concuti ad deijciendum proſternendumque defenſiones apud turrim nominatam Lanchen, & omnes præterea, quæ eſſent in illo ſpatio. ad quintum cal. decembris tanto impetu, tantoque ſtrepitu męnia concuti cęperunt quadraginta muralibus tormentis, vt viderentur velle vrbem in puluerē conuertere, aut per aera denique ferre, cum nunquam intermiſſis verberationibus ceſſaretur, aſſiduis diebus ac noctibus in concutiendo abſumptis. ſed quoniam nullum bellum eſt durius aut atrocius,quàm illud, quod aduerſus viros fortes & ſapientes geritur, qui non niſi per magnam difficultatem, ſummumque capitis periculum vincuntur, aut ipſi contrà hoſtem profligant fortiter, obſeſsi ſingulari diligentia vſi quantum murorum ſpatium per diem proſternabatur, tantumdem reparationibus per noctem cathenatis trabibus, & terra, & aliis huiuſmodi rebus reſarciebant: atque inter veteres muros & ipſas reparationes latera relinquebant, quibus protegerentur reparationes, tanquam à propugnaculis. vix enim vtilis eſt vlla defenſio ſine lateribus. Quæ dum fiunt ad Diuodurum, Gallicæ copiæ iam Vermanduorum finibus propinquant. Roſſeus ea re cognita cum ſuum exercitum haberet apud Edinum, neque ſe poſſe tantis viribus reſiſtere arbitraretur, copias retro deducit relicto filio in arce Edini cum firmis præſidiis, quam arcem ipſæ præualidis aggeribus exterius & interius muniendam curauerat. compulerat verò filium iurare propoſita grauiſsima pœna quòd niſi per ſummam neceſsitatem, atque tunc etiam non niſi per honorificas conditiones, nunquam ſe dederet.cæterum vbi acceſſiſſent Gallicæ copiæ,Vandomius tormentario negotio præfectus tormenta eò attrahi iubet. tanta vehementia, tantoque ſtudio arx concuti cępit, vt quatuor globorum millia præter ſexaginta antequam ceſſaretur in muros contorta ſint, nulla tamen parte muri humiliore patefacta, cum verberatio diſtaret ab imo pluribus viginti pedibus. veruntamen præſidia arcis atque ciues ita ſe dedunt vt præter libertatem & impedimenta cuncta victoris arbitrio permitterentur, atque vt exire liceret cum vexillis ad profectionem explicatis, & cum duobus mediocribus tormentis, iuuenis Roſſei filius quamuis ſatis diu obſidionem pertuliſſe ſibi viſus eſt, tamen quia nondum hoſtes arcem inuaſerant veritus paternam indignationem à patris præſentia diu abſtinuit. Galli ita recuperatum Edinum ſingulari diligentia muniunt, omnibuſque neceſſarijs inſtruunt. Albertus vt gratiam Cæſaris promereretur, petit vt ſuis concedatur primis Diuodurum inuadere. ſed cum tormenta Cæſariana turrim diſrupiſſent, muruſque vniuerſus eſſet proſtratus, qui inter ipſam turrim & portam Camonoſam intercedebat cum propugnaculo coniuncto, tamen contractior murus deijci non potuerat, neque qui collapſum murum ſuſtentabat agger, quem antemurale liceat appellare, cum murus collapſus ab altero inferiore ſuſtineretur, inter ipſum antemurale & fundamenta murorum, munus non modo foſſas non repleuerat profundas ruinis, verumetiam fiebat obſeſsis validior reparatio, viſus eſt Cæſari locus nondum eſſe inuadendus. rem itaque ad conſilium defert primarij ordinis ducum ac tribunorum militum, in quo conſilio decernitur locum tormentorum eſse mutandum, atque tormenta in locum paulo ſuperiorē eſſe transferenda, atque partem illam cuniculis eſſe tentandam, vt ita murus & eius anterides præcipites deuoluerentur in foſſas. Ghiſius ac Strozza de illo conſilio per exploratores certiores facti per captiuos huic oppoſitum cuniculum faciendum curant. alij impoſitum eſt & iniunctum munus nouæ verberationis, alij faciendi cuniculi, atque ita ducibus & proceribus ſingulis propria hinc inde iniuncta ſunt munia, & pro ingenio cuiuſque diſtributa. cuniculo igitur per cuniculum obuiam itum eſt, qua ratione conſilium & ſpes omnis Cæſarianorum defloruit ac decidit. Enimuero cum aſsiduè augeretur vis frigoris, & gelu, & inopia rerum multarum paulatim Cæſarianos opprimeret, quòd Auguſtonometenſis proxima quæque incurſionibus infeſtabat, ita mercatores & commeatum ferentes in caſtra repleti ſunt metu ſuppliciorum & trepidatione ab illo, vt nemo arbitraretur ſe poſſe tutò in caſtra Cæſariana penetrare. Germani & Itali afflicti vel ſibi fieri facultatem pugnandi poſtulabant, vel vt liceret diſcedere, tantamque temporum ac rerum difficultatem deuitare, cum magis ipſi obſiderentur, q̄ obſiderent Diuodutum. nam Auguſtonometenſis multos carros annona onuſtos diripuerat & ſuccēderat. vinum infractis vaſis effuderat. frumentum concremarat. trucidarat aurigas, iugales equos in ſua caſtra abegerat. ante oēs verò Alberti copiæ, vti diximus poſtulant, vt facta iam honeſta verberōne ſibi prima facultas daret inuadendæ vrbis, q̄a multò ducerent honorificētius & cōmodius hoſtium

Diuodurum concuſſum.

Edinū à gallis capitur.

ſtium

ſtium ferro per virtutem glorioſe cadere,quàm fame,ſiti,frigore, rerum omnium penuria affligi, & ita paulatim deſides ac tremebundos abſumi. Cęſar cum vbiq; in caſtris lamentationes audiret huiuſmodi,videretq; hominum & equorum numerum quotidie deficere, cum multi aſſiduè morerētur, hortatur vt ea incommoda ad finem vſque præſentis menſis præferrent. pollicetur palàm,niſi negotium intra illud tempus abſolutum ſit, ſeſe debita ſtipendia ſoluturum, & liberam diſcedendi facultatem omnibus facturum. Albanus cuniculos pluribus in locis excauat. Sed quia vis temporum erat grauis aduerſaria, fiebat omnis operarum labor irritus, nihilq; proficiebat laboris diligentia aduerſus vim temporis. Vrbana præſidia, vt quæ in locis commodis hyemarent, & intra tecta, nunc equitatum nunc peditatum emittebant ad Cæſarianos ſub dio iacentes & ſemiuiuos infeſtandos, qui afflicti & magnis incommodorum cumulis oppreſſi vix reſiſtebāt. Cæſar obſidione diutius per tot incommoda protracta, cum nulla ſpes capiendi Diuoduri ſe oſtentaret, hortantibus primarijs ducibus vt illud negotium relinqueret imperfectum, quia præſtaret honorificè tentata oppugnatione diſcedere, quàm prorſus exercitum per pertinaciam amittere, cum duriſſimum eſſet contra cœli inclementiam, tempusque anni moleſtiſſimum pugnare; cum exercitus etiam multorum fuga & interitu quotidie minueretur, decernit caſtra inde mouere ac Tullum inuadere, ne fruſtra prorſus illam expeditionem ſuſcepiſſe videretur, quæ vrbs propter exortam grauiſſimam peſtilentiam multis paſſim morientibus non potuerat muniri. Sed Germani tam lætiferæ victoriæ gloriam minime appetendam rati, quę poſſet vniuerſam Germaniam poſt Germanicū exercitum ferè contagione labefactare, ac miſerrimam gloriam in patriam tranſmittere, ab huiuſmodi negotio abſtinent, nulliuſq; tribuni impulſu poſſunt impelli. negotium rurſus ad militaria comitia refertur. decernitur omnium conſenſu vt copiæ retrahantur. Cæſar cum omni equitatu leuioris armaturæ præmittit Agamontium ad regionem explorandam, vt cognoſceretur quæ copię eſſent hoſtium in locis inferioribus Belgij. Agamontius Tullo tranſmiſſo ad oppidum Gondeuillam, quod eſt in ripa Ombrici fluuij contendit. Auguſtonometenſis veritus ne hoſtes redeuntes Tullum vrbem occuparent, aut obſiderent animum adiecit ad illam muniendam illuc cum magna manu peditatus & equitatus profectus. iubet annonam eò ex agris, frumentumq; comportari. Sed parum fuit repertum, quia ciues metu morbi & peſtilentiæ diffugientes, annonam ſecum abſtulerant per ſummam tamen diligentiam tantum commeatus inuentum & comportatum ex oppidis finitimis, quantum in multos menſes vrbem munire potuerit, in qua re omnis ferè conſumpta eſt opera, cui tamen vrbi Cæſar rediens neque propinquauit quidem. fuit tamen laudabilis Auguſtonometenſis diligentia & ſtudium, quia non tantum euentus ſpectandus eſt in rebus bellicis, ſed multo magis prudentia & diligentia imperatorum in rebus militaribus rectè coordinandis. Cæſaris copiæ paulatim deficiebant media, frigore, laboribus, morbo, incurſionibus hoſtium abſumptæ, cum cæterorum ducum conſilia refutaſſet; atque ita labefactatæ ſunt vt quadraginta & amplius hominum millia ſint deſiderata, cum infinitus propè ſit equorum & iumentorum numerus. tanti eſt vnius imperatoris error in rebus bellicis. cedendum eſt enim Neceſſitati magnæ Deæ. Cęſar cognito errore, in quem propter ſuam pertinaciam inciderat, iubet publicè pronuntiari in caſtris, cum ipſe abeſſet, obſidionem eſſe ſoluendam. Cæſariani itaque famis & frigoris vi oppreſſi ad finitimos pagos confugiunt; quorum formidabilis tam erat aſpectus vt mortuis, quàm viuis magis ſimiles apparerent. Galli miſericordia commoti nullo incommodo hos afficiunt, ſed plerique media & imbecillitate feſſi decumbentes in niuibus & in glacie miſerrimm mortis genus moriebantur, miſerandum vbique præbentes ſpectaculum. atqui tanto ſtudio Cæſariani copias retraxerunt, vt multa tentoria & impedimenta & tormenta ſepulta humique defoſſa reliquerint, cum mortua iumenta non potuiſſent illa retrahere. tantus inuentus eſt numerus vulneratorum & ægrotantium in caſtris, vt Galli vel ipſi exeuntes non ſolùm miſericordia, ſed etiam admiratione capti ſint, illiſque res neceſſarias liberali animo vltro ſubminiſtrarint. Sed quoniam Albertus ſe poſtremum Cæſarianorum agmen defenſurum profitebatur, vltimumq; ab obſidione diſceſſurum, Vidamus Caſtrenſis cum multis Gallis proceribus, & magna equitum turma exit in conuellentes ſigna ad profectionē. Ghiſius item ex altera parte egreſſus cum multis equitibus, multiſque accitis auxilijs è finitimis præſidijs Albertū poſtremā aciē protegentem infeſtat. Albertus cōtrà ſuos in acie continet dum procedit peditatus, quem equitatus à tergo & à latere protegit. Sic primo die proceſſum eſt, vt quicunque aciem deſereret à Gallis trucidaretur. Secundo ac tertio pręter prædictas difficultates labore etiam itineris defatigati vel iugulum vltro Gallis offerebant humi proſtrati. at Galli magnitudine quadam animi præditi exiſtimantes nimis crudele ferinumq; eſſe vel procidentem & proſtratum hoſtem iugulare, parumq; ingenuis conuenire ſęuire in ſupplices, niſi aliquod exitium inde timeatur, oblitteratis ex animo hoſtilibus odijs atque omni memoria tot illatorum regioni damnorum, totū odiū atque indignationem in miſericordiam conuertunt. ſolum Albertum calamitatum tantarū autorem exiſtimantes vniuerſam indignationem in eum conuertunt, atque his neceſſaria ſuppeditant reficiendis viribus naturæ propè collapſis. reuerſis Gallis ab inſequendo hoſte indictæ ſunt ſupplicationes, acteq; gratiæ Deo, quòd illius potius beneficio, quàm humana opera vrbs illa tam glorioſè fuiſſet ab hoſtibus conſeruata, quam plura octaginta millibus armatorum obſediſſent. Quæ dū fierent in Belgio, Mahometto Vinundriam obſidente in Pannonia nobiliores proceres eius regni, ciuitatumq; legationes non inconſulto Caſtalio petiuerant à Ferdinando rege vt per Alim purpuratum liceret de pace agere cum Solimano. Conuenerat enim Alis Mircem Tranſalpinorum Vaiuodam, vt res illorum populorum componeret, qui defecerant à Mirce, iiſdem conditionibus, quibus pax ſepius cum Ioanne rege fuerat ſtabilita. illa tamen ratione vt Zanolchum, Liziſum, Tibiſcum,

Diuoduri obſidio ſoluta neceſſario

mortuorum numerus.

Miſerrima eſt militibus obſtinatio imperatorū.

Gallorum clementia & liberalitas.

biſcum, Riſpia, Drigal, Buiachum oppidum reſtituerentur, ac cætera oppida, quæ nuper fuiſſent
à Turcis occupata, vt pax fieret honorifice cum Ferdinando rege. Illud cum annuiſſet Ferdinan-
dus, conceſſit Caſtalius vt ageretur de negotio, ſed neq; regis autoritas, neque Caſtalij interpone-
retur, ne videri poſſent ipſi pacem expoſcere, ſed tantum oblatam non refutare. illa cum fuiſſent
ad Alim delata, profitetur ſe breui cum Solimano de pace acturum. reſponſum Vaſrael expectari
iubet, atq; illuc indici comitia, imperat Caſſambaſſa ex omnibus finitimis caſtellis copias Lizitum
conuenire. quantum poteſt virium colligit. ad incurſiones in inferiorem Pannoniam faciendas ſe
accingit. decernit Deuam inter & Liziſum munitionem extruere, vnde ad prædam commodè poſ-
ſet exire. ad eam rem turbandam Caſtalius multa excogitat. tribus vexillis Germanorum præſidia
Deuę adaugenda curat, quibus cum trium menſium ſtipendia deberentur, omnes tumultuantur.
tormenta occupant. ad hoſpitia Hiſpanorum diripienda nonnulli contendunt. profitentur ſe eiſ-
ſe capturos, donec ſtipendia Germanicæ nationi integrè perſoluantur. at Caſtalius de illa ſeditione
certior factus egreditur ex vrbe Io. Baptiſtam Archuenſem virum autoritate, prudentia, grauitate
inſignem ad res componendas mittit, qui docet vbi, cum moleſtiſſimo hoſte vno tempore de liber-
tate, de vita, patria, religione, laribus gloria filijs, vxoribus, facultatibus ac bonis omnibus dimicetur;
ridiculum eſſe in ipſo articulo temporis de ſtipendijs cogitare; cum ſeruati omnia ſtipendia libera
liſſimè ſint accepturi. Sed ſi per has ſeditiones hoſtem acciuerint & allexerint, fortunæq; indigna-
tionem in ſe conuerterint, vno tempore libertatem & omnia ſtipendia, aut certè vitam eſſe amiſſu-
ros. Veruntamen non tantopere ſe milites reprehendere, quàm horum motuum & ſeditionum
autores, qui cum profiteantur ſe defenſuros cauſam Germanicam, non intelligunt in quantum di-
ſcrimen vniuerſam rem bellicam, & ſplendorem ac gloriam Germanici nominis reuocent. Vt tamē
intelligerent Caſtalij in ſe benignitatem, pollicetur certum numerum pecuniæ in præſenti, ſi qua in
re opus haberent: quæ cum rationibus addita eſſet, facile res componuntur. eò tamen nolunt pro
ficiſci, quare tria vexilla Elfeſtaini comitis Deuam mittuntur, qui milites erant diſciplinæ militaris
obſeruātiores, vtpote magis bellis aſſueti. mittuntur cum his quadringenti equites Ferraroli voca-
ti, qui multis armati ſunt breuibus ſclopettis & gladio. hi cum quingentis Turcoiannis & Banci
Pauli equitibus coniuncti, & quibuſdam peditibus Caſtalij Liziſum verſus iter capiunt Caſſumbaſ-
ſæ obuij ſi ita ferret fortuna. Perueniunt ad oppidum vſq; Periam munitiſſimum Turcarum, quod
diſtat ad quinque millia paſſuum. vniuerſum agrum regionemque incurſionibus populantur. ne
mo in tota regione armatus eſt inuentus, quia Caſſumbaſſa verebatur ne ſi in eam munitionem ſe
incluſiſſet omnis reditus ſpes ſibi intercluderetur per Caſtalij diligentiam. nam nihil eſt non timen
dum vbi cum callido ſapienteq; hoſte pugnatur. preclare igitur ac ſcitè finxerunt antiqui Palladis
bellatricis & ſapientis deæ ſcuto affixum fuiſſe caput Meduſæ, quia homines ita ſapientia hoſtis ali-
quando terrentur, vt attoniti & admiratione pleni fiant, & quaſi lapidei. multis damnis illatis agre
ſtibus Turcis & incolis eius regionis Caſtalij copiæ in caſtra redeunt. at præfectus cataphractorum
Pannonum inferiorum poſtulat à Caſtalio vt iam ſibi liceat diſcedere e bello. Caſtalius queritur
non conuenire ſeſe cum tam paruis copijs relinqui cum Mahomettus adhuc copias omnino nō re-
traxiſſet. rogat vt aliquantulum etiam commoretur, quia certo ſciret Mahometto neceſſariò ex il-
lis regionibus eſſe recedendum, cui militandum eſſet in Perſas. Sed tamen nulla ratio tanti fuit, quę
poſſet illum retardare, quare omnibus vel precibus vel mandatis neglectis iter capeſſit ſuis copijs il
lum ſequentibus. Caſtalius cum in aperto eſſe decreuiſſet donec Mahomettus fluuios traieciſſet
Tibiſcum & Danubium, quamuis ingentia frigora, multaq; incommoda propter altitudinem ni-
uium perferret, vbi per nuntium certum accepit illum exiuiſſe è Pannonia, vniuerſis copijs inferio
ris Pannoniæ dimiſſis ipſe cum Germanis Hiſpaniſque ad Zibinium caſtrametatur adauctis Deuæ
præſidijs. Commiſſum eſt imperium ac prefectura equitatus Turcoioanni, peditatus & vrbis Banco
Paulo. iubet eam muniri aggere interius ad muros accumulato & erecto commiſtis concathenatis
lignis ac lignorum faſciculis. cum verò animi populorum inferioris Pannonię aſſiduis ſumptibus
& frequentibus tributis ad ſubſidia belli extortis non nihil abalienati viderentur, vt concederetur
tempus muniendis vrbibus, Caſtalius imperat principibus eius regionis Vaſrael comitia indici ad
Comitia Vaſrael indicta.
audiendum reſponſum Solimani de ſuperioribus conditionibus, vt ſolitum tributum viginti milliū
nummum quotannis perſolueretur, fierentque induciæ. illæ quamuis nihil aliud commodi affere-
bant, tamen id certè ſecum afferebant, vt daretur occaſio rebus afflictis & dubijs Ferdinandi compa
randi vires, munitionumq; reparandarum ac reficiendarum. his accedebat quòd rebus Germani-
cis interim compoſitis poſtmodo inde pecuniam & auxilia poſſet colligere. cum eius regionis tu-
multus & ſeditiones timerentur, ne ſi diutius rebus bellicis vexaretur Germania, datam fidem Fer-
dinando non ſeruaret. Ferdinandus tametſi his curis ſollicitabatur, tamen nolebat ſuo nomine res
agitari, ne quibus difficultatibus vexaretur pateret, aut aliquam præberet ſuſpicionem, quod vel pe
iores vel difficiliores faceret conditiones pacis. at nolebat contra Solimanum id habere ſuſpicio-
nis, ne Ferdinandus captata opportunitate dum ipſe in Perſas militaret, in illam regionem inſignē
impreſſionem faceret, quare facilius ad pacem impelleretur. ea re ita conſtituta Caſtalius ſtationē
habet Vlpiani, vnde ſibi videbatur poſſe opportunè locis omnibus ſuccurrere, atque ad ſui corpo
ris cuſtodiam quinquaginta Hiſpanos ducit, & ducentos Aiduchos ad eius vrbis præſidia. hiſce re-
bus ita pacatis, quia Mirces Tranſalpinorum Vaiuoda, quæ regio Pannoniam inferiorem claudit ad
meridiem, vbi ſunt illyrici Raſcijq; populi, obſeruata occaſione Randulphum eiecerat, ſibiq; prin-
cipatum illum vſurparat, Rādulphus qui in priuata fortuna Caſtalio militauerat, petit ab illo ſubſi
dia ad ſuum principatum recuperandum, qui poſt patrem ad ipſum iure perueniebat. Randulphus

enim

enim Mircem de medio tollere ſtatuerat, vel fortiter cadere, quòd è regia in priuatam fortunam per illum deiectus tantam rerum mutationem æquo animo ferre non poterat. conatur itaque perſuadere Caſtalio ne ſe miſerrimum è patria per ſummam iniuriam, è regnoq; eiectum in tanta rerum inopia negligat. ſibi propoſitum eſſe, & in animo ſtabilitum, præſtare fortiter in patria armatum cadere, quàm mendicum, & inopem, atque egenum victum ab amicis quæritare. quòd ſi fortuna belli, quæ communis eſt omnibus, cum exitus incerti ſint bellorum, ſuis optatis arriſerit, futurum vt Ferdinandus eam quoque regionem ſuo imperio per amicitiam, & fęderationem, & merita in ipſum regem adiungat. audentes, & ſtrenuos fortunam plerunque adiuuare ſolere, quæ timidis, & imbellibus omnia grauia, dura, difficilia, calamitoſa obijcit. ad hanc tantam prouinciam ſuſcipiendam plurimum inuitare populorum animos docet, qui legitimos, & natiuos reges libentiſſimè crudelibus tyrannis ſint prælaturi. non difficile eſſe negotium declarat Georgij caſus, qui tot præſidijs, & cuſtodijs corporis ſeptus erat, & Stephani cędes, qui cum per vim factus eſſet Vaiuoda Myſiæ inferioris acerrimè trucidatus eſt, nullo propè negotio; & legitimus dominus in principatum receptus. Caſtalius hiſce rationibus commotus non ſolùm auxilia liberaliter promittit, ſed etiam hortatur, vt dum Solimanus in bello aduerſus Perſas eſſet occupatus, eam opportunitatem ne negligeret. futurum enim vt antequam Solimanus ſeſe ab eo bello explicaſſet, ita ſuas vires ſtabiliret, vt Solimanus ſuam amicitiam non reijceret. atque miſericordia potius, quàm vlla ſpe negotijs fęliciter tranſigendi commotus lectiſſimos aiduchos mille, & quingentos concedit, & ſexingentos equites, quæ copiæ egregiam operam in ſuperiore bello nauauerant cum frequenter Mahometti caſtra infeſtaſſet. his additi ſunt nonnulli reuocandi Randulphi in eum principatum ſtudio commoti, quos odium, & credulitas tyranni impellebat ad occultam conſpirationem. qui omnes ſibi vel cędem, vel victoriam certiſſimam proponunt. interea fama peruaſerat Mircem quòd Randulphus collectas copias duceret, infeſtaque ſigna inferret. fit certior quo conſilio motus ſit. omnes quas poteſt vires ſumma celeritate colligit. ad octoginta armatorum millia comparat. eductis triginta, & ſex bellicis tormentis exit in apertum. ad Zergoniſtum oppidum Caſtrametatur, quod eſt in ampla planitie, locoq; opportuno ad inſtruendas acies. at Randulphus nulla diligentia aſſequi potuit vt plures duodecim millibus hominum colligeret; quæ vires cum paruæ viderentur, non audebant Randulphi amici aperte declarare quo eſſent animo in tyrannum, ne ſuperiore fortuna victi mox grauiſſimas pœnas darent ſuæ temeritatis. Veruntamen Randulphus neq; illo quidem tanto hoſtium numero territus, cum ſciret omnem ferè principum potentiam collocari iure poſſe in ſubditorum populorum, animorumq; ciuium beneuolentia, obuiam intrepidus procedit, cum mirificè paucorũ virtuti confideret. Mirces in prima acie ſexcentos Turcas equites ductabat, quos præcipue firma prę ſidia aduerſus hoſtem fore cenſebat. Randulphus vbi è quibuſdam collibus à Mirce proſpectus fuiſſet, idq; cognouiſſet, ſuos omnes in pugnam inſtruit, quando bellum differri nulla ratione poſſe videbatur. neq; etiam ſi poſſet, apparebat deuitandum, cum breui Randulphus rerum omnium neceſſariarum & ſtipendiorum inopia eſſet laboraturus. in mora ſanè certum inerat periculum & iactura, in celeritate pugnæ ſpes aliqua victoriæ & ſalutis: quippe quòd non ſemel euenit vt parua manus ſtrenuorum militum ingentes copias fuderit ac profligarit. at contrà ex altera parte Mirces impellebatur ad pugnam ſuſpicione quadam ne noua auxilia Randulpho ſe adiungerent, ex altera deterrebatur aliquantulum, quia nuntiabantur Hiſpani & Germani Caſtalij viri fortiſſimi cum illo aduentare, qui tametſi numero pauci erant, tamen propter peritiam rei militaris & eximiam fortitudinem erant inſtar maximi exercitus. Randulphus vbi in planitiem venit ſuas copias in duas phalanges diuiſit, quarum maior pars erant ſcloprttarij. cum ad iactum ſagittæ propius ventum eſſet, agmina in conſpectu Mircis conſtiterunt, qui ratus eſſe maiorem numerum hoſtium, quàm dicebatur, quia ſingulæ phalanges frontem ampliaſſent, atque ita dilatatæ eſſent vt plura viginti millib. hominum habere apparerent, ſubdubitauit aliquas ſubeſſe inſidias. Suos igitur in vnum contrahit diligentius, quàm conſueuerat. tunc ſclopettarij Randulphi nullo expectato ſigno belli, vel vincere, vel fortiter cadere decernentes tanto impetu in agmen Mircis impreſſionem faciunt, vt primos ordines turbantes magnam Turcarum partem fuderint ac proſtrauerint, qui in prima acie collocati fuerant, & quibus plurimum Mirces fidebat. reliqui viſa primorum, qui fortiſſimi eſſe putabãtur clade, omnem ſpem ſalutis in celeritate pedum ſitam eſſe arbitrantur. Randulphus ex altera parte *Mirces profligatus.* cum ſuo equitatu, & peditatu aliud agmen inuadit non minore virtute, & animi fortitudine, quàm prius inuaſerant ſclopettarij. primis ordinibus ita fuſis, & profligatis, reliqui terga vertunt, qui vndique procella glandium plumbearum frequenti proſternuntur. Mirces vbi videt duo agmina ita fundi nullo prope negotio, vel antequam inuaderetur fuga ſalutem ſibi comparat, atque inter ſuos velocior cæteris fęlicior putabatur. neque mirum profectò videri debet octoginta millia hominũ à duodecim millibus, tam facile fuiſſe ſuperata, cum ſæpius acciderit, vt tumultuarij milites, & tyro- *Milites qui boni.* nes arma ſuſcipere iuſſi, genus hominum rebus bellicis planè ineptum, vel ſua ſponte nullis hoſtibus inuadentibus in fugam verſi ſint, vbi primum ad arma conclamatur. nam vel canis nocturnus, vel bos, vel equus, aut auis ſæpe magnam trepidationem tumultuario exercitui iniecit. vt enim in cęteris artibus vtiliores ſunt decem artifices conficiendis operibus centum imperitis, ita in vniuerſa re militari pauci veterani, & exercitati milites multis imperitis poſſunt reſiſtere, & facile de multis glorioſè triumphare. tanta igitur facilitate illam victoriam obtinuit, vt palam apparuerit, quàm labili in loco conſtituti ſint, qui ſuis ſubditis ſint odioſi, aut qui viros fortes, & bonos, & ſapientes faciunt parui. non enim vt in numeris arithmeticis tria plura ſunt duobus, ita conueniunt ſupputationes in hominibus, quia pluris eſt vnus ſæpe faciendus præſtans in aliqua facultate, quàm multi mediocres,

cres,ac magna imperitorũ manus.atque tota vis & ſumma rei bellicæ vnius imperatoris iudicio nititur,cum ſint aliquando vanæ ac propè inutiles cęterorum procerum conſultationes,niſi imperator ipſe ſit ſapientior, atque poſſit procerum ingenia diiudicare. Randulphi milites profligatis copiis Mircis reliquias perſequuntur, multosque opprimunt, & trucidant. Sed vbi inſequentes aliquandiu cędendoque ſunt defatigati,poſtmodo ſola ſpolia petuntur : atque omnes reliqui qui cladem euaſerant non multo poſt ad ſigna noui victoris accedunt, victricemque & ſurgentem fortunam propenſi ſequuntur.ſic Mircem collecto ingenti exercitu inſequitur, qui trans Danubium fugiens cum quingentis Turcis traiecerat. ceciderunt in eo prælio è Randulphi militibus non plures ſeptingentis,ex hoſtibus ferè decem millia.ſic Randulphus per illam victoriam vniuerſum ſuum regnum recuperat, ad quem vt uerum ac legitimũ regem excipiendum amici coniunctique conueniunt, atque Tergouiſtum oppidum cum magna ſolennitate ingreſſo omnes proceres ſe fidem illi ſeruaturos iuramento affirmarunt.

Randulphus ſuum principatum recuperat.

Romam interea acceſſerunt probationes, quæ haberi potuerunt & accuſationes Georgii trucidati, iiſque ad ſacros purpuratos patres delatis inſtantibus Ferdinandi legationibus habetur conuentus delectorum ad illam iudicationem. illæ criminationes in Georgium coniectę quamuis multa continebant inter ſe repugnantia,neq; potuerant planè probari,tamen quia factum nõ poterat non eſſe factum,& ne quid atrocius eueniret,ita fertur ac pronuntiatur ſententia patrum,quod Ferdinandus cum omnibus coniuratis,ſi vera eſſent quæ exponebãtur, ſicuti exponebantur, abſoluitur ab illa cæde tanquam legitime facta.

Sententia de morte monachi.

legationes cum grauiter ferrent huiuſmodi imperfectam ac dubio plenam abſolutionem procurant rogantq; Pontificẽ ſumma contentione vt omnes liberè abſoluantur,quod ęgrè quidẽ, at omnino impetratum eſt deniq; quare ſacrorum vſus, qui interdictus fuerat, Ferdinando ac reliquis eſt reſtitutus. Randulphus rebus inter ſuos compoſitis legationes mittit ad Caſtaliũ, quæ victoriã & regnũ partu ſignificarent. quæ gratias agerent pro conceſſis auxilijs. quæ pacem & amicitiam & omne officium pietatis offerẽt.at vero Solimani legatio Vaſrael interea acceſſit quę multis honoribus excepta eſt.tertio die in comitijs Solimani conſiliũ proponit,cum pleriq; è primarijs proceribus fuiſſent congregati. id fuit huiuſmodi quòd Solimanus vellet Ioannis regis filium & matrem reginam tanquam legitimos reges accipi. Caſtalium ex inferiore Pannonia eijci.omnes Ferdinando militantes in ea prouincia trucidari. tunc enim ſeſe tributum ſolitum & ipſos proceres in ſuam gratiam fidemq; eſſe accepturũ. illud niſi factum ſit,adhibet ingentes minas.eos nimirum iamiam experturos eſſe quanta fuiſſet ira tanti principis,& quàm potens ad vltionem ſuppliciaque ex hoſtibus ſumenda. his ita dictis literas latino ſermone conſcriptas Battori Vaiuodæ attulit,quæ ad eum,& ad reliquos proceres eius regni ſcribebantur aureis caracteribus de more Turcarum imperatorum in charta leui tanquam vitro nitida,quæ ita ſe habebant.

Literæ Solimani ad Trãſyluanos proceres.

Mandatum inuictiſſimi Imperatoris Turcarum ad dominum Battorem Andręam Capitaneum in Tranſyluania,& ad alios illius regni dominos.fidelis in fide Chriſti, & inter Chriſtianos in regno Tranſyluaniæ prudens, & generoſe domine Battor Andrea, & cæteri alij domini nobis dilectiſſimi &c. ex mandato celſitudinis noſtræ intelligetis, quod vobis multoties notificauimus,quòd poſtquam frater Georgius theſaurarius noſter crudeliter,ac per inſidias mortuus fuit,antequam Germanos,quos propter diſcordias veſtras in regno introduxeratis,expellere poſſet, vos & alij domini in Tranſyluania communi conſilio, & auxilio ipſos Germanos è patria veſtra ſecundum fidelitatem,quam excelſæ portæ noſtræ debetis, eijcere debetis. verum cum hoc hactenus factum non ſit,vos nunc ad exequendum illud adhortari placuit, quoniam vobis omne peccatum remittendo,& delictum hucuſque commiſſum,omnem libertatem, quam antea in regno Tranſyluaniæ habuiſtis,iterum cõcedere, & conſeruare pollicemur.& vos ſubditi,& domini apud nos ſemper in honore,& ſub noſtra protectione eritis. regnum autem Tranſyluaniæ quemadmodum antea ſub rege Ioanne,& filio ſuo ſubditis,& fidelibus noſtris in libertate,& quiete fuit, ſic & nunc eſſe diſponemus : & ipſum regis Ioannis filium inter uos regnare pro certo promittemus. cum enim ipſe rex Ioannes ſubditus, & ſeruitor noſter nobis ſincerè, & fideliter ſeruiret,non ſolùm à nullo moleſtari paſſi ſumus, ſed poſt eius mortem filio ſuo paruulo adhuc paternam patriam,& regnum ex gratis,& clementia noſtra conceſſimus, & Tranſyluania ſic temporibus illis pacificata fuit. ſed poſtmodum introductis Germanis maxima inter vos diſcordia orta eſt, ob quam ad introducendũ regis Ioannis filium,& matrem ipſius,ac ad liberãdam Tranſyluaniam ab inimicis ſuis naturalibus Dei gratia maximum,& potentiſſimum exercitum ordinari,& congregari mandauimus neceſſe eſt. ergo pro fidelitate veſtra diligentem vos curam habere, vt Germanos è regno veſtro gladio propulſetis, donec filius regis Io. introducatur in locum ſuum,& inter vos dignum, & honoratum hominem in generalem illius regni capitaneum eligatis, cique omnes obediatis, ne inimicum veſtrum naturalem apud vos eſſe permittatis : ſed illos,qui tantæ diſcordiæ in ipſo regno ſunt cauſa, communi conſilio expellite, & regnum filio regis domini veſtri diligenter gubernate. quòd ſi ſignum iſtud fidelitatis,& obedientiæ à vobis acceperimus, non ſolùm in regno Tranſyluaniæ libertatem veſtram antiquam, ſed maximam gratiam & honorem ab imperiali celſitudine noſtra obtinebitis. nos interim exercitum noſtrum innumerabilem pro regno,& filio regis conſeruabimus, & iã nunc pro liberatione ipſius à manibus inimicorum moueri ordinauimus: quia nullo modo aſſentire noluimus,vt inimici in ea prouincia regnent. & cum Ioannem regem ſubditum, & fidelem ſeruum noſtrum, ac filium etiam eſſe nouerimus, decreuimus omnino, vt in regnum reuertatur, ac in ipſum per nos reſtitutus regnet, & Deo concedente inimicum ſuum vincat ac debellet ſemper auxilio noſtro. idcirco nunc iam gratia omnipotentis Dei magnificum ac maximè potẽtem, & obedientem ſubditum,fidelemque ſeruitorem celſitudinis noſtræ intimum Achmetem Baſſam ſecundum

conſiliarium excelſæ maieſtatis noſtræ, cum multis noſtris tum proprijs aulicis, Ianizzeriſq; imperialis potentiſſimæ, ac inuictiſſimæ portæ celſitudinis noſtræ, & cum maximo exercitu de Græcia, & Buda ſimul cum Capitaneis generalibus, & cum omnibus Sangiacchis mouere facimus. adeo vt cũ dicto conſiliario noſtro, antequam contra hoſtem perſona noſtra moueatur, exercitum ducentorũ millium hominum bene inſtructorum habeamus. Præterea mandauimus Sereniſſimo principi de Tartaria, Vaiuodiſque, Vallachiæ, & Moldauiæ cum omnibus Sangiacchis, qui ſunt in illis partibus vltra, & citra Danubium, vt cum communi eorum peditatu, & equitatu ſe cum dicto Vezerio noſtro coniungant. & vos etiam neceſſe eſt ſecundum fidelitatem veſtram dicto Baſſæ ſeruiatis, & nuntios tam ad excelſam portam noſtram, quàm ad eum decernatis. quòd ſi mandato noſtro huic inobediẽtes, & cum inimicis noſtris concordes eritis, crudelitatem & ſtragem, quam Tranſyluaniæ regnum videbit, ex demeritis veſtris proceſſiſſe credatis. nam gratia creatoris omnipotentis Dei ſperamus Chriſtianis, & regno Tranſyluaniæ iram, & potentiam noſtram oſtendere. etſi ipſi Tranſyluani ad priſtinam obedientiam, & fidelitatem nobis adiuuantibus reuerti recuſabunt, nuſquã tuti erunt, & per totum mundum debitas luent pœnas. iurauimus enim omnipotenti Deo, quòd in Tranſyluania lapis ſupra lapidem non relinquetur. homines omnes in ore gladij dari. pueros, & fœminas in captiuitatem. omniaque loca ſolo æquari faciemus. propter quod vt inuictiſſimum, & potentiſſimum Imperatorem decet, ne tantarum animarum exitium ſuper animam noſtram fiat, vt omnes prius monendos eſſe cenſuimus. iam multoties vobis mandata talia miſimus, quæ neglexiſtis. ſed ſi mandato huic vltimo obedientes non eritis, acerbitatem, & ruinam, quam videbitis, non nobis, ſed vobis ipſis attribuite. omnia igitur cum tempore bene conſulite. nam cætera prudentiæ veſtræ examinanda relinquimus. datum Conſtantinopoli ſeptima lunæ octobris. his literis lectis, atque hoc mandato, tam minaci tanta trepidatio iniecta eſt animis illorum procerum, cum præſertim Battor non adeſſet, vt omnes apparerent palam ab amicitia Ferdinandi defecturi: quæ res vbi Caſtalio delata eſt, vel per ſummam acerbitatem hyemis, atque ingentia frigora conuolat ad ipſa comitia. quo in ſtatu res ſit intelligit. agi de filio regis in regnum reſtituendo. conueniſſe proceres eius regni, vt quo animo ſint ſinguli declarent: quod quia fieri oportebat, Caſtalius comitia ingreſſus eos hortatur proceres, vt ſemel datam fidem Ferdinando ne fallant per ſuas calamitates: cum omnis perfidia, omneque periurium Deum denique habeat vltorem, qui multo potentior eſt Solimano. turpe eſſe viris fortibus, quos arma hoſtium terrere non potuerunt, neque infinitus copiarum numerus, nunc committere, vt vnis literis minacibus lectis omnem priſtinã fortitudinem amiſiſſe appareant, & priſtinam gloriam potius fortuna, quàm vllo recto conſilio, aut virtute militari aſſecuti videantur. nulla re inferiores eſſe Pannones Turcicis apparatibus. cum & peritia rei militaris præſtent, & eiſdem propè armis vtantur, & eadem militari diſciplina, & illos ſæpius profligarint ſuam regionẽ hoſtiliter inuadentes. non eſſe viri boni, & ſapientis præſentium rerum tantum conditionem ſpectare; ſed longius proſpicere, poſteritatiſque libertati, & gloriæ conſulere. oportet idem ius patriæ ad poſteros in manus tradere, quod ipſi à maioribus acceperint. neque tanti emendam eſſe præſentem tranquillitatem, vt per illam ſempiternæ ſeruitutis iugum omnibus poſteris vltro imponatur. præſtare vno tempore vitam, & ſanguinem pro patria profundere, quàm propter metum imminentis belli religionem, patriam, libertatem vniuerſæ poſteritatis, & omnia uno tempore crudeliſſimæ perpetuæque tyrannidi prodere. neminem inter viros bonos eſſe connumerandum, qui non ſit, vbi res ita poſtulat pro communi ſalute, vitæ profuſus, cum breuiſſimum doloris, & pugnæ tempus ſit propoſitum, at diuturnum perfruendi uictoria. hæc idcirco à Solimano perſcripta fuiſſe, quia vellet experiri animos ipſorum procerum, quos putabat inter ſe diſſidere: quem non latet omnium vrbium, regnorum, prouinciarum, imperiorum deuaſtationis initium eſſe diſcordiam, cum omnia regna contra concordia, & mutuo conſenſu ad defenſionem conſeruentur diutiſſimè. atqui hæc omnia putanda ſunt non verbis ſolùm contineri, ſed multo magis experientia, & rerum præteritarum cognitione, ſiquis antiquorum regnorum, aut rerumpub. euerſionum principia cogitatione reſumpſerit. nihil inquit eſſe, tam hoſti formidabile, quàm hoſtium concordiam. non defutura maxima Ferdinandi, ac Cæſaris auxilia, qui omni humanitatis genere complectentur, & protegent. hortatur vt forti, hilarique ſint animo, omnemque metum, ſiquem ex illis minacibus literis conceperunt, deponant: cum multo facilius ſit hoſtibus abſentibus minari, quàm de præſentibus repugnantibus triumphare. his rationibus confirmati ſunt animi omnium ita, vt Solimano denique reſponderint, atque obnuntiarint Achmeto, & Myſiæ, & Gręcię præfectis ne conarentur ingredi Pannoniam inferiorem, qnia ſummis opibus armati omnes reſiſterent, quòd libertatem vitæ præferrent. veruntamen ſi vellet Solimanus tributũ, ſe libenter daturos: quod ſi legatio nollet accipere, quàm citiſſime diſcederet. legatio capto tributo Taurumnum proficiſcitur, atque inde Byzantium. Caſtalius confirmatis animis procerum in fide amicitiaque Ferdinandi Vlpianum reuertit. ibi cognoſcit Achmetum Curtenſis ditionis præfectum literas ad Patocchium familiaritatis plenas dediſſe, vt videbantur, quo illum Ferdinando, & Caſtalio ſuſpectum faceret, cuius tamen fallacię, nihil deniq; nocuerunt Patocchio, cum vir bonus cognitus ſit. at Ferdinandus literas dedit interea ad Caſtaliũ, quibus continebatur, vt Aldana cum criminationibus, & defenſionibus Iuliobonam mitteretur; quia ille iudices nonnullos ſuſpectę fidei pronuntiaret, petieratque à Ferdinando, vt alij deligerentur. illa re conceſſa multi teſtes interrogantur, omniaque legitimè procedunt, ac denique capitis condemnatur, cum multi teſtarentur Liziſum potuiſſe defendi, ſed ob imbecillitatem animi ac timorem relictum fuiſſe. oppidum & tormenta. & bellicos apparatus cum maximo rerum Ferdinandi detrimento nulla neceſſitate vrgente, arſiſſe. cum illa ſententia, & teſtimonijs miſſus eſt Iuliobonam,

Caſtalij oratio ad proceres in fide retinendos.

Aldana capitis condemnatur.

liobonam,quæ ſententia fuit à Ferdinando approbata. Iſabella regina per idem tempus procurabat vt in regnum reſtitueretur, Petri Vicchij,Chendij,& Ferencij,aliorumq; inſignium procerum opera vtens,qui clam eius partes amplexabantur: quæ cum ſignificauiſſet Ferdinandus per literas ſe ad vnguem ſeruaturum,ſicuti promiſiſſet,& Munſterbergi præterea principatum adiuncturum, nihil horum accipere voluit,quia diceret non fuiſſe opportunè ſeruata,quare ſe velle quod ſuum eſſet recipere.iam enim Cęculi occultè cum Turcis moliebātur, communicabantq; conſilia ad eam ſublenandam,clandeſtinaſque legationes miſerunt ad reginam,quæ Cęculorum operam Ioanni regi in regnum reuocando pollicerentur.

Tumultus excitati. Comitia Carni.

Hiſce tumultibus,ac ſeditionibus ſubodoratis ſunt comitia Carnum indicta.in his comitijs conqueſti ſunt inferioris Pannoniæ populi,quòd multæ iniuriæ a militibus Ferdinandi,qui erant in præſidijs munitionum, ſibi inferebantur. petitum eſt vt ſaluti, ac dignitati illorum populorum conſuleretur.quod ſi fieret,ſe conſtantiſſimè datam fidem Ferdinando ſeruaturos,& arma aduerſus Turcas capturos.his reſponſum eſt,Ferdinandum eſſe illos pro viribus ſubleuaturum. ſuum eſſe conſilium illos à communi hoſte protegere,at non per iniurias opprimere,contra quem omnino arma deberent ſuſcipere, ſicut ipſe copias mittebat: &, ſi res ita poſtularet,erat venturus,vel Boemiæ regem filium miſſurus.his pollicitationibus dimiſſa ſunt comitia.

Comitiorũ conſuetudo.

Eſt enim Germanorum, Pannonum, Sarmatarum, Perſarumque conſuetudo, vt res maximas, ad omniumque ſalutem, & tranquillitatem pertinentes tractent in comitijs,ad quæ conueniunt principes authoritate nobilitateque præſtantes ſingularum nationum, & legationes liberarum ciuitatum: in quibus agitur aliquando de ſacris ceremonijs, & cultu diuino. de ferendis ſeruandiſque legibus.de cauſis iudicationibuſque principum.de bello ſuſcipiendo.de ferēdis ſubſidijs.de imponendis tributis,quorum comitiorum principes ſunt reges,aut Imperatores, aut ij, quorum eſt authoritas comitia indicendi. ſiquidem nulli horum principum liberam exercent tyrannidem,aut per vim & iniuriam dominantur; ſed cum omnes ſubijciantur principi.princeps ipſe comitiorum autoritati,omnes legitimè laudabiliterque imperare nituntur. non ceſſauerant tamen Ferdinandi pollicitationibus animi populorum fluctuare, qui rerum nouarum deſiderio tanquam rapidiſſimo vento huc illuc impellebantur ad quamuis facultatem aucupandam. impellebat in eam ſententiam fama Germanorum,qui erant Iulæ in præſidijs duce Bartholamęo viro Illyrio, qui accolas prædationib. & cędibus miſerabiliter affligebant.erant enim duo Germanorum vexilla.eius ducis immanitas, vel negligentia in caſtigandis militibus impulit Caſtalium, vt pręficeret illius verbis præſidijs recentib. Bancum Paulum, iuſſeritq; Illyrium exire cum ſuis. ſic Franciſci Patocchij prudentia poſtea coloni afflicti aliqua ex parte ſunt ſubleuati.interea Giapera vocata inſula, quæ eſt in extremis Aſiæ finibus ad amplectendam Chriſti religionem à Luſitanis allicitur, quorum imperium prolatum eſt in remotiſſimas ab orbe noſtro partes.Eſt enim populus eius inſulæ ſub paralello Galliæ, Germaniæq; ſitus ad antipodes omnium diſciplinarum peritus. At Giaponenſes haud facilè videbantur illam religionem amplexuri,niſi iſtud prius feciſſent Sinarum populi,quorum tam uaſta,tamque ingens eſt ditio, vt ſua magnitudine ſuperet Chriſtianũ orbem.Sinarum Rex aſſiduum gerit bellum aduerſus Cathainos Tartaros, quorum eſt latum, atque ampliſſimum imperium; atque rex ipſe fertur habere aſſidue in armis ad centum millia hominum, murumque multorum milliariorum ædificaſſe,nequa fiat à Tartaris irruptio.at Caſtalius cępit non nihil curis, & moleſtia vexari, quia laboraret inopia rei pecuniariæ; tamen omnia ſtipendia perſoluenda curat copijs Mauritij, atque eas dimittit. Bregetij alia impoſita ſunt præſidia. nam quamuis perſoluta ſunt his ſtipendia, victuſque liberaliter imperatus,& conceſſus quacunque erat tranſeundum,tamen multa latrocinia rapinaſque in ſubditos Ferdinandi exercuerunt.atque coniurationes,& ſeditiones excitarunt. eæ iniuriæ non ſolùm priuatis rebus,ſed etiam publicis plurimum nocent, cum animos ſubditorum non mediocriter alienent à principibus,quare vt ab his calamitatibus abſoluerentur vniuerſi illi populi incitati ſunt ad Ioannem regem in regnum reuocandum. ſic enim fiebat, vt multi etiam principes reginæ partes fouerent,quod moleſtiſſimum Caſtalio accidebat. ex altera parte Deuæ præſidia, quò 1 per exploratores nuntiatum eſſet duas equitum Turcarum turmas Liziſo præfecti iuſſu exituras ad incurſiones faciendas in inferiorem Pannoniam,ſe locant in inſidijs ad tranſitus quoſdam anguſtos,& perdifficiles.accedunt in inſidiarum locum equites rapinis,& incendijs eam prouinciam populaturi,qui vndique ex inſidijs inuaduntur repente.certatur diu ancipiti victoria, quæ denique fuit penes Deuenſes milites,qui non prius inſequi Turcas ceſſarunt, quàm ad Liziſi conſpectum ventum eſt. illa victoria elati victores Deuenſes agrum Turcicum populantur, ſuccendunt ædificia. prædantur facultates. homines captiuos abducunt. villas deſtruunt,tantamque trepidationem Turcis inijciũt, vt per multos dies ad prædam non exierint.Cæſar, vti dictum eſt Diuoduri expugnatione fruſtra tentata cum multorum ſuorum militum iactura turpiter ab obſidione receſſit: quia contra ſuorum ducum ſententiam per moleſtiſſima hyemis tempora belligeratus eſſet, atque in Germaniam ſe recipit.qui quoniam ſciret magnopere formidabile eſſe victricibus copijs aduerſam fortunam experiri, quæ omnem priſtinam felicitatem aliquando in lachrymas conuertit, non parum infeſtabatur rerum Italarum,ac Senenſium præſertim ſeditionibus.nam cum Belgicis, Gallicíſque bellis grauiſſimis adhuc diſtraheretur,excitantur motus Senenſium,qui videbantur aliquo pacto contra imperatoriam dignitatem,atque reuerentiam excitari.

Obſtinatio principũ nolentiũ videri errauiſſe in peligendis præfectis.

iſtud autem contigerat,quia Cæſar miſſas expoſtulatum legationes Senenſium de importunitate,crudelitateque Mendocij,rogantéſque,vt maturè tãtis eorum incommodis ſuccurreret, neque audientia quidem dignas putarat: cum bono ſapientiq; principi facillimum ſit tranquillitatem amicis ciuitatibus conſeruare, eaſque pacatas reddere. ſed Cæſar contrà per literas ſignificat Petro Toletano in Neapolitana præfectura proregi, vt magnas

copias

copias peditum & equitum colligeret, atque cum omni eius regni equitatu agrum Senenſem hoſtiliter inuaderet. quæ agi cæpta ſunt menſe Ianuario anno ſalutis noſtræ tertio ſupra mille quingentos & quinquaginta. Toletanus collectis ferè duodecim millibus peditum partim Italis, partim Hiſpanis, partim Germanis cum omni equitatu leuioris armaturæ, & grauioris præfecto Garzia filio, qui accedebant ad mille & quingentos iubet copias vniuerſas infeſta ſigna conuertere ad agrum Senenſem deuaſtandum. Nam Cæſar Toletanum iam ſenem huic negotio præfecit, vel quòd haberet ſuſpectam eius autoritatem tamdiu in illo regno inueteratam, cum etiam ad illud poſset impellere affinitas ducis Hetruriæ, qui Toletani filiam in matrimonio habebat, & multæ nonnullorum principum eius regni coniunctiones, quos ſibi Toletanus adiunxerat per filiarum nuptias: quare omnino eum diuellendum putat ab illo regno per aliquam opportunam occaſionem, vbi primum ſeſe offerret: huc accedebat, quòd Cæſar ita vellet ſatis nonnullorum animis procerum facere, quos ille habebat infenſos. vt enim ſummis regibus ac liberis ciuitatibus nihil eſt tam formidabile, quàm priuatorum eximia potentia & autoritas, ſic nihil eſt rurſus tam ipſis præſtantioribus metuendum, quàm vel leuis alicuius principis ſuſpicio, quæ quamuis pertenuis ſit, tamen apud ſummos reges obtinet vim magni criminis. ſilent autem omnis amicitiæ, affinitatis, humanitatis iura, vbi accedit maieſtas imperij, & ratio agitur cõſeruãdi, cũ omnis regnantiũ amor & beneuolentia habeat quaſi anterides vtilitatẽ, & cõſeruationẽ regnorũ. Toletanus cum propter grauiorem ætatem terreſtris itineris laborem ferre non poſſet, cum Vincentia vxore triremem conſcendens Florentiam verſus ſoluit. interea Gallicana præſidia, quibus præerat Ferrarienſis Cardinalis & Thermeus regulus vir Gallus magnæ & autoritatis, & peritię rei militaris Senam ingrediuntur, & circiter duo millia peditũ primum, atq; omnia oppida Senenſis ditionis muniuntur rebus omnibus neceſſarijs ad ſuſtinendũ futurum bellũ. Garzias igitur per agrũ Tyburtinum copias ducat Senam verſus, quo tempore quamuis longis itineribus procul ab vrbe Roma copiæ tranſirent, tamen ad Borbonij memoriam non nihil trepidatum eſt. Iulius Tertius Pontifex maximus de his certior factus cum rogaretur à primarijs proceribus Romanis, vt vrbem muniret præſidijs, neceſſarijsq; apparatibus bellicis aduerſus horum conatus, ſiqui fierent, id negotium Romanis iniunxit: quare cum ſummo imperio pręficitur à Romanis bellicis rebus Camillus Vrſinus vir ſingulari cognitione rerum militarium clarus, plurimęq; autoritatis. hic curat ad ſex millia peditum colligi, & nonnulla equitum vexilla impoſitis nouis vectigalibus rei frumentarię ad bellicos vſus ac ſumptus. vrbs itaque breui munitur omnibus reparationibus, & rebus ad defenſionem neceſsarijs, tanta prudentia tantaque celeritate, vt copiæ quæ prius formidabiles apparebant, nunc omnino viderentur contemnendæ. Senenſes nullum tempus amittendum rati ſeſe aduerſus iam inſtructas paratasque copias Cæſarianorum inſtruunt, atque magnum numerum peditum vndique conſcribunt. cum prædictis copijs Senam ingreditur Thermeus vir ſumma prudentia, & omnis rei bellicæ peritiſſimus, cum quo inſignes proceres regulus Sommeus; Marius Sanctiflorius, Flaminius, Maherbalis, Franciſcus Vrſini, Altus comes, Vincentius Montius, alijque complures. poſtea omnia oppida Senenſis ditionis firmiſſimis præſidijs & munitionibus in opportunis locis in hunc modum inſtruuntur. Roſetum ingrediuntur vrbem mille, & quingenti pedites ad cuſtodiam duce Cornelio Bentiuolio. Montem Alcinoi Ioannes Taurinenſis cum trecentis peditibus. cum totidem Claramonti committitur defendendnm Malianum. Turritam oppidum adit defendendam Galeaccius Sanſeuerinus cum mille, & trecentis peditibus. Cluſium Paulus & Iordanus Vrſini cum duobus millibus peditum, & cohortium ſingularum pręfectis. Aſinam longam & Monticellam Sipierus, & Guido Bentiuolius, & Comes Pitilianeus cum quingentis equitibus leuioris armaturæ. Capalbium cum centum, & triginta peditibus ingreditur Capoauntius. Cetonam Hierardus cum centum & quinquaginta. Lucianum Alexander Triulcius, Ioannes Vitellius, Adrianus Baleonus, alijque quidam duces cum duobus millibus & ſeptingentis peditibus. Caſali cum quadringentis præerant Acciarus & Theofius. Telamone nuntius Iuliæ Tauricæ cum centum peditibus. Sateani Ioacchinus Vaſco cum ducentis. Monti Alcinoi poſtea additi ſunt quadringenti duce Carolo Carafa. Sauinæ prior Longobardiæ cum trecentis. tuebatur portum Herculis Ioannes Zettus, & Pompeius Crucius cum ducentis, & ſexaginta. erant in principatu Caſtrenſi quidam alij duces cum mille, & centum ac quinquaginta peditibus. Rodicoſani Morettus Calaber cum ducentis. atque hæc ſunt oppida, & vrbes præſtantiores ditionis Senenſis, hæque copię, quę aduerſus Cęſaris apparatus regio nomine Gallicas partes tuebantur, quæ accedebant ad duodecim millia peditum, pręter vniuerſam ciuium Senenſium oppidanorumque multitudinem. equites erant ſolum quingenti. ciues item Senenſes ad vexilla conuenerunt, quorum nonnullæ cohortes cenſæ ſunt, atque omnes ſingulari concordia gloriæ cupidi opportunitatem pugnæ auidè expectantes dum Cæſarianæ copiæ aduentarent ſaxa, glebas, faſciculos lignorum ad munitiones reparationesque vrbis tam fœminæ, quàm mares ſtudioſè comportant. Vrbs Sena in tres partes diſtributa conceditur munienda, atque ſingulis partibus viri inſignis autoritatis, & cognitionis rei militaris præficiuntur. Certatim ciues, & milites res neceſſarias congerunt, ita, vt circiter duo hominum vrbanorum millia aſſidue eſſent in operibus erigendis. nam tanta fuit Senenſium alacritas munitionibus ipſis conſtruendis virorum omnis ætates, & conditionis atque ordinis vt vel fœmine imbelle alioquin, & prorſus ineptum rebus bellicis, trepidumq; genus, & expers conſilij, ſingulare fortitudinis exemplum ediderint ad perferendos bellicos labores, nam feruntur tres è primarijs matronis Fauſta Piccolomina, Liuia Fauſta, Tarſia Forteguerra cothurnatę ſuccin-

M ctis bre-

1553

Camillus Vrſinus Romã munit.

Thermeus Senam ingreſſus,

Caſtellarũ Senenſium pręſidia.

Senenſiũ fœminarum ſingulare exemplum.

ctis breuibus veſtibus expeditis ac propè militaribus militaria vexilla ſumpſiſſe, ac reliquas mulieres comitantibus qui tympana pulſarent ad munia militaria inuitaſſe. harum inſignium matronarum impulſu non fœminæ ſolum, ſed etiam viri cuiuſuis ætatis ac dignitatis incredibiliter ad opus ſunt incitati. nam præter viros ad tria fœminarum millia ſub prædictarum vexillis multos dies ad inſtruendas conficiendasq; munitiones ad portam Chamoliam accedebant. quæ dum fierent Senę, Aſcanius Cornienſis vniuerſis Italis copijs præfectus cum tribus millibus peditum ſtationem habet in finibus agri Peruſini, tum vt facultatem commeatus ex ea parte præcluderet Seneſibus, tum etiā vt caſtra commodè coniungeret cum Toletano, qui longis itineribus Romam iam peruenerat, & cum ſummo pontifice in colloquium profectus Roſulum verſus caſtra mouerat, ac deinde per Sutrium, Volſiniumque agrum incedens cępit tardius proficiſci, quia aduentum quatuor millium peditum è Gallia ſubalpina expectabat, quos Ferrandus Gonzaga erat miſſurus. Tum paulopoſt cum duo Hiſpanorum millia Ligurnum applicuiſſent, feciſſentque deſcenſionem, ac totidem rurſus exiguo interuallo temporis his acceſſiſſent, coniunctis viribus cum Cornienſi agrum Seneſem hoſtiliter inuadit. incurſionibus cuncta populatur. multa caſtella diripit, quæ tamen omnia nullius erant momenti ad res bellicas aut ad victoriam; quòd ea quæ facillimè vincuntur, facillimè etiā amittuntur. erant iam in caſtris Cæſarianis circiter viginti millia peditum, qui vndique conuenerant; equites mille & octingenti collecti e varijs nationibus. præerat vniuerſo equitatui leuioris armaturæ Sfortia Sanctiflorius, cataphractis equitibus regulus Biſiniani. Garzias imperabat Hiſpano peditatui, Italo Aſcanius Cornienſis, Germano Nicolaus Madruccius. magiſter caſtrorū erat Alexander Vitellius. prima igitur caſtra locant ad montem Felicianum, quo in oppido erat in præſidijs Sertorius Attinenſis, atque illo primo conatu per vim potiti populationibus, igni, ferro, direptionibus omnia deuaſtant ac demoliuntur. Cornienſis cum munitionem quandam Senenſium non procul a Montella per noctem parum feliciter tentaſſet è caſtris egreſſus cum quadringētis delectis, expeditiſſimisq; peditibus & cum inſigniorum nonnullorum iactura, illuc ſuccedit, atque Cæſariani ad illam ipſam munitionem expugnandam infeſta ſigna conuertunt, apud quam caſtrametantur. defendebat eam Adrianus Baleonus, qui nuper illuc Luciano miſſus fuerat cum ſexcentis peditibus, cum poſtea diligentius omnes regiæ copiæ fuiſſent in opportuna loca magis diſtributæ, eam munitionem cum bis repetito conatu Cæſariani fruſtra inuaſiſſent, non ſine multorum iactura ob eximiā fortitudinem defenſorum repelluntur. Toletanus illam capere omnino decernit. rurſus adoritur. pugnatur acriter. multi vtrinq; cadunt. ad extremum cum Toletanus noua ſubſidia Italos ſuis defeſſis miſiſſet hora ſecunda noctis victoria potitur. multi trucidantur intra ipſam munitionem. nonnulli capti, inter quos fuit ipſe Adrianus. Bagalia dux ex altera parte Aſinam longam oppidum cum ſeptingentis peditibus regionis Senenſis à Cæſarianis iam occupatum fortiter inuadit. præſidia Cæſarianorum ad vnum trucidat. omnes bellicos apparatus in caſtra conuehit. ciues in monte Feliciano captos, & in arce aſſeruatos liberat. hiſce rebus ita geſtis inde diſcedit. illa re percepta Toletanus cum quingentis galeatis equitibus mittit Sanctiflorium & cum duobus tribunis militum, qui nemine reperto mox redeunt in caſtra. Petrus Toletanus Ligurnum interea applicuit, atque inde Florentiam profectus non multo poſt naturæ conceſſit. Cæſariani his rebus feliciter geſtis ad oppidum Montis Alcinoi caſtra ponunt. obſidione cingunt. frequentibus prælijs minutis certatur. oppidum tentatur cuniculis. tormentis diuerberatur. omni oppugnationum genere vexatur. ſed omnes Cæſarianorum vires fruſtra abſumuntur propter eximiam virtutem & fortitudinem defenſorum. quæ dum fiunt ad Montem Alcinoi, quidam Senenſes ciues facinus ſceleris & turpitudinis plenum aduerſus patriæ ſalutem moliuntur, vel quòd gubernationem & licentiam eius ciuitatis odio haberēt propter ea quæ crudeliter & auarè in libera republica cōmittebantur, vel quòd auaritia ipſa, & ſpes largitionum ad hoc tam nefarium conſilium impuliſſet, quia vbi ſceleratus auri amor dominatur in alicuius animo, omnem religionem, æquitatem, charitatemq; proſternit, & humanitatis memoriam prorſus obliterat. hi igitur vt ad conſtitutam diem & horam noctis ſecurius portam ciuitatis clam Hiſpanis aperirent Iulio Saluio principe coniuratorum, decernunt ignem ac malleolos in celeberrimum & opulentum Xenodochium inijcere, atq; coniuratos in ſingulas regionis vrbis diſtribuere, qui omnes ad extinguendum ignem cæteros ciues diuerterent. Sic enim apparebat futurum vt ciuitate vniuerſa in reſtinguendis flammis Xenodochij, aut in miſerabili ſpectaculo occupata, nullum foret impedimentum quominus coniurationis negotium ad optatum finem perduceretur, portaque occuparetur ad introducendos Hiſpanos. at enim Iulius Bellantius vnus ex illis nouem qui tunc præerat reipublicæ adminiſtrationi proditionem & coniuratorum conſilium ſubodoratus ſub mediam noctem ferè ad Thermeum regulum defert proditionem, quod fit illa nocte, quæ anteceſſit nocti ſtatutę ad negotium. illum è ſomno vt de maximis rebus acturus excitari iubet. coniuratorum conſilia ad vnguem & nomen ſingulorum aperit. petit vt apud Thermeum aſſeruetur ne re patefacta coniuratorum potentia opprimatur ac trucidatur. Thermeus vt erat à ſomno excitatus, ſumpta talari veſte ad purpuratum antiſtitē Ferrarienſem paucis comitantibus cum Bellantio accedit. aperit illi tanquam vrbis præfecto ſeriē coniurationis. iuſſus eſt Bellātius in cuſtodias tradi donec res patefacta ſit & cognita. Capiuntur illa nocte cōiurati. res aperitur. afficiūtur publicè extremis ſupplicijs. cuſtodię portarū adaugentur. cadit ſpes omnis Hiſpanorū, quę pullulauerat vrbis per proditionē potiūdę. neq; tū prius dimiſſus eſt Bellātius ab ipſo purpurato, quā iratus Thermeus cōqueſtus ſit iniquum eſſe & ab altera proditione non alienum pro præmio patefactæ cōiurationis perpetuū carcerē & vincula dari Bellantio, quibus etiam minę ſunt additæ, quod ſi purpuratus intra certū tēpus nō liberauiſſet, futurū vt per ſum

mam

Cæſariani exercitus præfecti.

Petri Toletani mors. Mons Alcinoi obſeſſus & cōcuſſus.

Seneſiū quorundam ſcelus ac perditio.

nam ignominiam purpurati ipſe vel vi armorum Bellantium libertati reſtitueret. at Cornelius
Bentiuolius dum hæc Senæ aguntur, qui erat in ora maritima cum trecentis peditibus & centum
expeditiſſimis equitibus leuioris armaturæ, audito propinquo itinere ſeptingentorum Germano-
rum, qui erant in caſtra Cæſariana acceſſuri, decernit illos in quibuſdam anguſtijs viarum inuade-
re, quos collocatis inſidijs opperitur. vbi in inſidias ventum eſt, repēte hinc inde inuaduntur. mul-
ti trucidantur. multi capti ſunt. pauci fuga ſe ſeruarunt. Sed enim vt eſt fortuna bellorum, quæ
modo arridet incæptis, modo varijs detrimentis res elatas affligit, alio non minore ſucceſſu re-
rum felicium Cæſarianam hanc calamitatem reſarciuit. nam cum nepos Thermei cum centum ex
peditiſſimis peditibus & quibuſdam equitibus Sena egreſſus ad quinq; milia nummum, reſque ne
ceſſarias obſeſſis ad oppidum montem Alcinoi conueheret, Toletanus ipſe re per exploratores co
gnita cum nonnullis turmis equitum fit obuius. hos trucidat. pecuniam capit. apparatus bellicos
diripit. atque omnia capta in caſtra comportata deinde diuiſa ſunt victoribus. Dum obſidetur
mons Alcinoi, multis in locis Senenſis ditionis pugnatur. Vrbatelli præſidia cum præſidijs Roſe-
ti quotidie leuia prælia committere. Cluſiana commeatuum facultatem Cæſarianis præcludere.
Captos commeatus in oppida diſtribuere. palantes per agros ad prædamque diſperſos hoſtes truci-
dare. nullum diem ſiue prælijs prætermittere. Iulius Tertius Pont. Max. veritus Cæſaris poten- Pont. nititur rem Senensē componere.
tiam, cum minimè tutum ſit cuiquam habere vicinum præpotentem, quia ſciret ſuccreſcere vnà
cum amplitudine imperij libidinem imperandi, nullique principi tam amplos eſſe fines, quibus
contentus ſit, aut quos dilatare cum tutò poſſit, non velit vel per finitimorum iniurias, ſtatuit
per literas & nuntios Senenſem diſcordiam componere cum etiam per id bellum pontificiæ vrbes
hominibus priuarentur, ſuccreſcereturque in dies annonæ penuria ob propinquitatem regionis. his
igitur de cauſis legationes ad Cæſarem & ad Hēricum mittit. iſtud facile à Cęſare impetratur tum
quia Montis Alcinoi oppidum appareret nulla vi bellica poſſe expugnari, Senaque firmiſſimis
præſidijs eſſet munita, & oppida Senenſium omnis generis apparatibus eximiè inſtructa, tum etiā
quia laboraretur inopia rei pecuniarię, cum Hiſpani & Germani iam grauiter ferrent ſtipendia ſi-
bi à Cęſare tamdiu differri. quę dum per nuntios hinc inde tractantur de componendis rebus
Thuſciæ, magnæ ſeditiones excitantur in inferiore Pannonia, quoniam populi illi iam Hiſpano-
rum & Germanorum admiſſorum in regnum pertęſi clam legationes mittunt ad Iſabellam, quę Nouæ ſeditiones in trā ſyluania.
agerent cum illa quibus fieri rationibus commodè poſſet vt reduceretur in prouinciam: ad quod
negotium Chendus & alij quidam proceres non frigidè aut negligenter adiuuabant. Ferdinandus,
ad cuius aures hæc conſilia Pannonum illorum iam peruenerant, legationes mittit ad ipſam regi-
nam, & ad eius matrem & ad Sarmatarum Prutenorumque regem eius partes protegentes, quę
liberè offerrent quęcunque reginę promiſerat: quibus additę ſunt prius recuſatę ac deletę non-
nullę conditiones. miſſę ſunt & ad Chendum & ad Thomam Varcecchium literę, vt cauſam re-
giam agerent cum dignitate & vtilitate pupilli regis. Regina ſimulata verborum humanitate hęc
videbatur pro ſententia Ferdinandi actura, ſed clam agebat cum Solimano, qui ad Vaiuodam My-
ſiæ literas dederat, vt collectis quam maximis copijs, & quantis poſſet viribus ſe ad inuadendam
Pannoniam inferiorem accingeret. iuſſus eſt & pręfectus inferioris Myſię collectis copijs maturè
reginę opem ferre, itaque curare vt Ioannes filius in regnum reſtitueretur; quod ſi fieri non poſ-
ſet, ſuam pręfecturam ſaltem ampliaret. illa calamitatum diſcordiarumque & ſeditionum ſemina
ne latius ſerperent, ſed naſcentia ac pullulantia quam citiſſimè opprimerentur, indicta ſunt comi-
tia Coloſuar omnibus principibus eius regni ad accipienda Ferdinandi mandata. Battor Andreas Comitia indicta Coloſuar.
interea, qui iam erat ſanitati reſtitutus, cum diutius ægrotaſſet, & in ſua præfectura confirmatus,
à qua ſe abdicare procurauerat, collecta magna armatorum manu, ac tumultuariorum militum
è finitimis oppidis, vbi Turcæ palantes ac prædabundi paſſim vagari nuntiati eſſent, omniaque
flammis ac ferro deuaſtare non procul ab vrbe Vinundria cum ijs obuius prælium commit-
tit. victoria fuit penes Turcas. multi ceciderunt. plures ſunt in ſeruitutem abducti, atque non
multo poſt factæ ſunt quædam captiuorum permutationes. Sed enim propter huiuſmodi latro-
cinia Turcarum Vaiuoda poſtulat ad reprimendas illorum prædationes, vt mille equites leuioris
armaturæ concedantur ex ijs, qui militarent in inferiore Pannonia, cum mille peditibus. illud
cum neceſſarium ad ſalutem conſeruationemque regionis videretur, qua deuaſtata facilius affli-
ctantur munitiones, conceſſum eſt omnino. compoſitæ ſunt & res Camanorum, qui poſt occu- Camanorũ cõtrouerſia de diæceſi.
patum à Turcis Zanolchum oppidum nolebant eſſe ſub dięceſi Vinundriæ, ſed ſub Varadinen-
ſi, qui tamen intercedentibus Caſtalio & Vaiuoda permanſerunt æquo animo ſub Vinundrien-
ſi adminiſtratione. Solimanus per illud tempus potentiſſimo Perſarum exercitu preme-
batur, quare fuerat coactus ad defenſionem Armeniæ regionis ſe recipere, quā ita ab Armeno Rho Bellum inter Perſas ac Turcas de religione.
dio vocarunt antiqui. eſt enim perpetuum ferè bellum inter Perſas & Turcas, quòd alteri alteros
hæreticos appellent, pugnentque inter ſe religionis cauſa, cum vtræque nationes Mahometti legi-
bus pareant, at quædam propriæ ſunt vtriſque differentiæ. Eſt autem Perſarum regio fertiliſſima,
atque aer temperatiſſimus & ſaluberrimus totius Aſiæ, per quam Araxes fluuius decurrens tanta Perſicę regionis deſcriptio.
vbertate, felicitateque aquarum labitur, vt vbicunque rigauerit mirificam florum copiam & amę-
nitatem in lucem euocet. regio plana eſt ferè tota, multiſque referta eſt colonis, at vndique altiſſi-
mis cingitur proceris arboribus & denſis ſyluis virentibus. continet Perſia Meſopotamiā & Aſſy-
riam, & Carmariam, Mediam, Hyrcaniam, Parthiam, Suſianam, quæ omnes prouinciæ Perſa-
rum regum parent imperio. ita vero habitantur, tantoque rerum militarium ſtudio tenentur hæ re
giones, vt vel ducenta millia equitum intra breuiſſimum ſpatium temporis colligi poſſint. Perſa

idcirco tanto impetu Turcarum præſidia inuaſerat, quæ erant in finibus eius regionis, vt coacta ſint ad ſuam defenſionem ſeſe in Cappadociam ſiue in Amaſiam recipere, in quam etiam prouinciam Perſæ magnam fecerunt impreſſionem. cęptum eſt agi rurſus de inducijs cum Ferdinando per Alim purpuratum Turcam; conceſſaq́ue hinc inde facultas legationibus penetrandi ad res componendas. Sed cognitum eſt denique illa eſſe Turcarum ſtratagemata ac fallacias, qui per has ambages verborum procurabant, vt res bellica differretur in inferiore Pannonia, donec rebus Turcicis feliciorjac fortunatior aura aſpiraret. nuntiatum eſt enim purpuratum qui multos ſanzachos apud ſe habebat, cum ijs copijs, quæ conueniebant aſſiduè, Deuam mox eſſe inuaſurum, qui reginæ partibus faueret, vt acceptas à ſuis calamitates vlciſceretur, & vt illum locum occuparet, qui ſibi moleſtus videbatur, cum ſæpius reſtitiſſet Turcicis furoribus. his auditis Caſtalius inſtat comitijs, omnibusq́ue proceribus, quos adeſſe oportebat, vt captis armis ad eius munitionis defenſionẽ iretur, ſuppetiæ ferrentur. ea loca præcipue protegerētur, quæ eſſent in finibus Sarmatiæ & eius Pānoniæ. ibi dicebantur eſſe duodecim armatorum Sarmatarum Prutenorumq; millia, qui cum neſciretur quid conſilij eſſent capturi, videbantur fauere Iſabellæ reginæ partibus. Caſtalius omnes cō ueniſſe ad comitia ſtatuto tempore comperit præter Vaiuodam, is enim valetudine impediebatur, quominus opportune veniret. in ijs comitijs Ferdinandus auxilia palam petit ad illas ſeditiones opprimendas, quarum rumor paſſim circumferebatur, & ad Deuæ defenſionem præterea. petit & pecuniam & commeatum ad mediocrem ſaltem exercitum alendum, vt pluribus è partibus reſiſteretur hoſtibus. petit deinde, vt ipſi inducias cū Solimano procurarent, atq; operas poſtulat ad inſtruẽdas munitiones Zibinij, Vlpiani, ac Saſſebeſſæ. his tot petitionibus, quoniam res eius regni afflictæ & defatigatæ eſsent diuturnitate bellorum, omnesq; ad extremam pene miſeriam ciues redacti, reſponſum eſt, non poſse concedi pecuniam neq; commeatum, quem milites proximè delapſa hyeme abſumpſiſsēt, at copias quantas poſsent ſe eſse conſcripturos. erat autē neceſse mitti ſubſidia è Pannonia vel Germania, vt Turcis reſiſteretur, cum illa prouincia nō poſset vno tempore tot in locis tam diuerſis reſiſtere: ex Liziſi parte ſcilicet & Pānoniæ & Braſsouij, quibus in ſingulis partibus potentibus exercitibus & magna commeatuū copia opus erat, quæ non poterāt ſuggeri ab illa prouincia. adiungunt ſe propter populationem agrorum & incendia & cædes multis colonis eſse priuatos: quare nihil magis cupere, quam vt rebus cum Turcis compoſitis liceat aliquando a tantis ærumnis, totq; laboribus quieſcere. Se legationes libentiſſimè miſsuros ad Vaiuodam Tranſalpinorum, qui ſuam operam ad huiuſmodi negotia ſponte obtuliſset. curaturos vt ab vrbium præfectis operæ ad munitiones mitterentur, neq; verò ſola defatigatio ac moleſtiæ quæ inferebantur ab hoſtibus vexabant Pannoniam & Ferdinandum regem, ſed etiam intimæ ac pene domeſticæ ſuarū copiarum ſeditiones. nam Hiſpani quia ſibi debebantur duorum menſium ſtipendia cum maxima indignatione raptis vexillis ad profectionem è manibus ſigniſerorum Iuliobonam verſus iter faciunt, multa damna Pannonibus inferentes, atque tanta fuit horum pertinacia & impudentia, vt nullis neque precibus neque promiſſis adduci potuerint, vt per paucos dies ad finem eius belli cū Caſtalio morarentur, donec loca omnia præſidijs muniret, neque diſcedens regionem relinqueret rebus omnibus ad defenſionem neceſsariis ſpoliatam. hi per ſummas prouinciæ iniurias Coloſuari vicinum iter faciunt, vbi non nihil vel præſente Caſtalio trepidatum eſt. Ferdinandus tantam temeritatem & audaciam ac penè furorem Hiſpanorum grauiter ferens mittit Pallauicinum cùm omnibus ſuis copijs ad hos opprimendos. Sed poſtea quorundam virorum inſignium precibus placatus iubet Hiſpanos ad accipienda ſibi debita ſtipendia ad oppidum Pappam proficiſci. Aldana cum Iuliobonam acceſſiſset, noluit Ferdinandus ſententiam exequi ante Caſtalij aduētum quem Iuliobonam breui venturum ſciebat, vbi iam veniendi facultatem feciſſet. acceſſit igitur ſub finem Maij, perbenigneq; acceptus multis honorificentiſſimis muneribus donatur. nuntiatur interea Clemens quidam Athanaſius collecta magna coniuratorum manu oppidum Poccherium natura & opera munitiſſimum tentaſſe ſcalis, atq; Vinundriam inuaſiſſe. cuius tamen conatus irriti facti ſunt virtute & diligentia incolarum, qui conatus Iſabellæ reginæ & Ioannis filij iuſſu fieri dicerentur. Petrus deinde Vicchius dictus eſt poſt Caſtalij profectionem cum Turcis conueniſſe, collectaq; magna ſuorum aſſeclarum manu Liziſum verſus iter habere, vt reginæ nomine Iulam & Penam occuparet, eamq; omnibus neruis niteretur in regnum reducere. Ferdinandus ad harum, reliquarumq; vrbium præfectos literas dedit, quibus monebat, vt ſibi ab inſidijs reginę cauerent. at ex altera parte Saxones potentiſſimi maximeq; bellicoſi populorum omnium inferioris Pannoniæ, vt aliquam opportunitatem honeſtam habuiſse videri poſsent deficiendi à Ferdinando, ab eo petūt Aluincium oppidum, quod ſuum eſse dicerent, rogantq, confirmari, quod per humanitatem Ferdinandi facile conſequuntur. Aldanæ condemnatio repeti iuſsa eſt, atq; ſi res ita ſe haberet, poſtulatur, vt ſententia ſuum finem ſortiatur; quæ confirmata eſt, & decretum vt illi caput amputaretur. ſtatuto itaq; die cathenatus cum carnifice fuit ad ſupplicium adductus ſupra tabulatum ad illud munus extructum. at Maria Boemiæ regina Cæſaris filia ita maritum ſollicitat ad illius Hiſpani ſalutẽ procurandam, vt dono conceſsus deniq; ſit à Ferdināndo, ita tamen vt perpetuo carceri addiceretur. ſed enim per eoſdem interceſsores paulopoſt illi libertas data eſt. Cæſaris literæ per illud ferè tēpus Caſtalio redditæ ſunt, quibus iubebatur in Belgium accedere, vbi Cæſar ab Henrici copiis vexabatur quo eius opera in illo bello vteretur: quo etiam tempore Senenſis res à Pontifice hiſce conditionibus compoſita eſt inter Ceſarem & Henricum regem; Vt Sena libera eſſet ſub Pontificia tutela. vt Pontifex legationem haberet Senę & tribunum militum à Senenſibus electum cum mille peditibus. vt vterq; exercitus deſereret quidquid occupaſſet Senenſis ditionis. vt Vrbatellum oppidum ſo-

lum

Stratagema Turcarum.

Hiſpanorū ſeditio ob ſtipendia.

Aldana liberatur.

Pax Caroli V. cum Senēſibus.

lum relinqueretur in poteſtate Hiſpanorum. vt Pontifex curaret hæc omnia ad vnguem ſeruari. vt tam Hiſpanorum quàm Gallorum exercitus intra menſtruum ſpatium excederet ex omni agro Senenſi. Quæ vbi fuiſſent ab ipſis principibus vtriuſq; exercitus ſubſcriptionibus confirmata, Toletanus ſoluta Montis Alcinoi obſidione Neapolim reuertit, quò iam peruenerat cum poteſtate proregia Paccechus Cardinalis, quamuis Albanus & Inſubriæ & eius regni gubernator, & Cæſaris dux ſummus in Italia tunc dictus fuiſſet. at verò neuter exercitus vanum & irritum iter fecit, ſiquidem Neapolitanus equitatus cum Marcus Antonius Columna occultis de cauſis & non explicandis à patre diſſentiret. Marianum contendit contentientibus & conſpirantibus ſubditis paternis. breui igitur vniuerſis oppidis paternæ ditionis occupatis patrem ipſum è principatu eiecit. Aſcanius Columna pater fruſtra apud Pontificem & Cæſarem conqueſtus eſt de tantis filii iniuriis, qui vbi cognouit nihil prodeſſe lamentationes, ad defenſionem animum conuertit. collecta igitur non aſpernanda militum manu ſeſe in oppida Carſioli, Taliacotii, Pereti, ac Suculæ contulit, ne illis etiã Marcus Antonius per vim potiretur. Sed vix eò peruenerat cum Paccechi iuſſu à præfecto Præcutinorum captus Neapolim adducitur atq; cuſtodiis traditus eſt. ibi tamdiu aſſeruatus fuit, quamdiu vixit. at Thermeus regulus vir præclarus rebus Senenſibus compoſitis regio iuſſu in Galliam rediturus deſcendit ad claſſem Gallicam, quæ ſtationem habebat in portu Herculis, & cum Turcicis claſſibus erat coniuncta, in qua etiam vehebatur Salernitanus princeps. hæ claſſes in Cyrnum inſulam Genuenſium delatæ, quia Genua Cęſaris partes complecteretur, & claſſe pro viribus iuuaret, Caſalum ſinum capiunt. eſt autem Cyrnus inſula non ignobilis in mari mediterraneo, quæ inter Italiam & Sardiniam iacet è regione ferè Ligurni. illo potiti mox crebris tormentis diuerberant Galli portũ Syracuſanum, qui eſt in altera parte inſulæ ab illo diſtans ferè per diametrum longitudinis. Genuẽſes audita eius inſulæ oppugnatione, quæ repentina & præter omnem expectationem accidiſſet, ſtatim nauiculam exploratoriam expediunt. dant literas ad præfectum Syracuſani portus, quibus hortantur vt ſeſe alacriter defendat, quòd cito auxilia eſſent miſſuri. illud cataſcopium cum in poteſtatem Gallorum forte veniſſet, reſignatæ ſunt literæ, magna pecunię copia promiſſa illi ipſi qui ferebat literas, ſi ſimulatas & adulterinas pro legitimis afferret. illud negotium cum ille ſibi alacriter recepiſſet iuſſæ ſunt literæ conſcribi à Thermeo, in quibus continebatur vt præfectus portus Syracuſani ſe dederet quibus melioribus poſſet conditionibus, quia ciuitas vexata ſeditionibus, & in maximis perturbationibus nondum placatis animis poſt cædes multas Auriarum & Phliſcorum non poſſet ſubſidia pro tanti belli magnitudine mittere. literæ verò eodem ſigillo, quod ſcitè fuerat legitimis detractum, conſignantur, in quo imago diui Georgij fuerat expreſſa. ſic portu etiam Syracuſano per fraudem occupato vniuerſa propè inſula Gallus potitur, præter Mantinos & Ropicum. deinde Iordano Vrſino viro ſtrenuo & rerum bellicarum egregiè perito præfecto muniendo Caſalo ſinui, & occupatę iam inſulę adminiſtrationi cum poteſtate proregia, qui montem Alcinoi aduerſus vires Cęſarianorum ſingulari virtute defenderat, Thermeus ad occupanda cætera proficiſcitur. Biphus Muſtapha interea nobilis archipirata vniuerſa Dalmatiæ & Ionij Tyrrheniq; maris litora infeſtat. omnia oppida Italiæ mari finitima diripit, multisq; calamitatibus affligit. omnis generis nauigia prædatur, cathenatis ad tranſtra captiuis aut venalibus abductis. at Chriſtophorus Canalis venetæ claſſis dux ſummus vir ſingulari fortitudine, bellorumq; naualium peritus cum quibuſdam triremibus, quæ ſibi ad expurgandum ſinum Adriaticum & Iapygiæ litora datæ fuerant, archipiratam tanta celeritate inuadit, tantaq; procella & vi tormentorum, vt primo impetu tres roſtratas biremes demerſerit, duas ceperit, quamuis à maritimis latronibus ſtrenuè pugnaretur. reliquis in fugam verſis diuturnam quietem & ſecuritatem maritimis vrbibus & litoribus compararit. archipirata quamuis incolumis ex illa pugna euaſit, tamen ob ſingularem inſequentis Canalis diligẽtiam paulo poſt captus vltimo ſupplicio afficitur. Frãciſcus Donatus Venetorum princeps vir pro ſua integritate magnificentiaq; animi dignus illa amplitudine honoris, qui ſummus eſt apud Venetos, interea deceſſit, cuius in locum ſubrogatur patrum conſenſu Marcus Antonius Triuiſanus diui Marci procurator, qui gradus eſt honoris ſummus prope inter patricios, ac medium quendam locum obtinet inter principatum & patriciam dignitatem.

M. Ant. Colũna patri principatum eripit.

Aſcanius Columna capt᷑ Neapolim adducitur.

Cyrni deſcriptio.

Cyrnus capta à Thermeo cũ Turcica claſſe.

Stratagema.

Biphus pirata à Canali Veneto profligatus.

Franciſci Donati mors.

M. Antonius Triuiſanus Dux Venetiarum.

*LIBRI SEXTI FINIS.*

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS,

## LIBER SEPTIMVS.

Britāniæ deſcriptio.

AT FORTVNA, quæ incredibiliter rerum varietate lætatur, non contenta tantis Pannoniæ, Italiæ, Germaniæ, Belgij mutationibus & cladibus, cępit Britanniam quoq, vexare, populorumq; animos ad rerum nouarum cupiditatem erigere. per mortem Odoardi regis adoleſcentis, ante quam multa prodigia viſa ſunt. eſt autem Britannia inſula in ſeptentrionali Germanicove oceano, omnium inſularum quę adiacent Europæ maxima & opulentiſſima: ſiquidem auri & argenti, pluribusq; aliorum metallorum fodinis abundat, miramq; copiam & bonitatem lanarum & omni generis fugum producit, cum amplis quibuſdam fluminibus irrigetur. Sita eſt hæc inſula è regione Galliæ & Germaniæ & Hiſpaniæ, quamuis imparibus interuallis, quæ fuit ab antiquis Albione vocata, quòd albentes montes ac ſaxoſi è Gallia illuc adnauigantibus primùm apparerent, quam poſtea Saxones populi nobiliſſimi ac potentiſſimi Germanorum pulſis Britonibus ita à Britone rege vocatis incoluerunt, atque inſulam quoq; Britanniam nominarunt. Proſpicit ad orientem ſolem oceanum Germanicum. ad occaſum Hibernicum. ad ſeptentrionem Caledonium. ad meridiem ſalſarum aquarum non valde magno ſpatio à Belgio diuiditur. continet in longitudinem circiter octingenta millia paſſuum. latitudo eſt trecentorum. ambitus habet mille & ſeptingenta millia. diuiditur autem in duas partes, atque illa quæ magis vergit ad ſeptentrionem Scotia à nonnullis vocata eſt. habet ad occaſum Hiberniam inſulam & ipſam ſatis amplam. ad orientem propè, ſed magis tamen ſeptentrionales Orcades inſulas paruas, quæ inter Britanniam iacent & Thulen. eſt autem maximè belli & rerum militarium ſtudioſa, & ſplendoris ac nobilitatis, vtiturque legibus ciuilibus imperatorijs, quamuis incolæ plurimùm lingua & idiomate inter ſe differunt.

Maria regina declarata.

nam Mariæ Odoardi ſexti Britanniæ regis ſorori multæ inſidiæ, multaque certamina parari cæpta ſunt a duce Nortumbrienſi Britannici conſilij præſide, viro ſummæ autoritatis & potentiæ in illo regno. Sed his omnibus difficultatibus denique ſuperatis, Maria regina declarata & conclamata eſt. illa cum vix biduum poſt coronationem interceſſiſſet, curauit, vt paternæ auitæque leges antiquarentur ſpectantes ad religionem, omniaque hæreticorum dogmata è ſuo

Religio catholica reſtituta.

regno ſuſtulit. reſtituit prouentus ſacerdotibus templorum. vetuit clericorum nuptias. epiſcopos per iniuriā eiectos ad ſuum munus reuocauit. Catholicæ fidei ſtudioſos expulſos poſtliminio redire iuſſit. ſupremi capitis eccleſiæ nomen ab ſe pontifici addixit. iuſſit ſacra catholico ritu celebrari, concionesque fieri, & omnia munia Romanæ eccleſiæ exerceri. Sed quoniam ante illam coronationem multa memorabilia, & quaſi argumenta tragœdiarum contigerunt, videtur altius ſeries rerum ipſarum repetenda, vt appareat quibus fortunæ caſibus non priuatorum modo vita, & facultates, ſed etiam ipſorum regum ſublimitas ſit ſubiecta; cum tanta contigerit huic reginæ mutationum rerum varietas.

Henricus 8. hæreſim introduxit.

Henricus itaque octauus è Catherina filia Ferrandi Aragonij regis legitimam filiam Mariam ſuſcepit, quam poſtea Catherinam repudiauit. ſuſcepit & duos ſpurios, Heliſabettam fœminam ſcilicet ex Anna Bolemia poſt vxorem repudiatam, & Odoardum ſextum è Ioanna Semeria, ad quem tanquam vnicum marem regnum iure peruenit. hic etſi hæretica prauitate non nihil erat contaminatus, tamen ſatis prudenter ſe geſſit in ea adminiſtratione, præclaramq; ſui expectationem excitauit, tanquam optimi & ſapientis principis futuri; ad cuius cuſtodiam dux Nortumbrienſis vir & dignitatis gradu, & opulentia, & autoritate vno rege

excepto

excepto facile princeps eius inſulæ fuit electus, penes quem erat omnium propè rerum eius prouinciæ imperium, & arbitrium. atque cum Odoardus catarrho per menſem februarium quodam correptus eſſet, qui ſuccreſcebat in dies, morbus denique regem eò perduxit, vt de eius ſalute alea prorſus iacta eſſet. illud vbi è medicis Nortumbrienſis intelligit, ita agit cum rege, vt reiectis Heliſabetta, & Maria ſororibus inſtitueret hæredem teſtamento, & reginam eius regni Ioannam ducis ipſius Nortumbrienſis nurum. atque illud facinus fuit à compluribus è primarijs proceribus triginta, & quatuor nimirum comprobatum. eius mortis indicium cœlitus datum eſt, & futurarum ſeditionum in illa inſula. ſiquidem cometæ apparuerunt, & vis eximia ventorum, ac tempeſtatum, & frequentia fulmina in vrbem Londinum ceciderunt. Conceſſit igitur naturæ Odoardus pridie nonas Quintilis, ſepultusq; fuit cum regia exequiarum magnificentia, in templo Diui Petri Vaſmeſtri. at nonnulli proceres conſiliarij, qui ad illud teſtamentum confirmandum non fuerant acciti cum ſe fieri parui ab illo duce cenſerent, Mariam per literas certiorem faciunt, quæ aberat à Londino circiter centum millia paſſuum de omnibus ijs clandeſtinis negotijs, quæ per Ducem tractabantur, vt Ioannam reginam crearet. Maria hiſce rebus cognitis ſeſe in regionem Norfolciam mari finitimam confert, ne in poteſtatem Ducis veniret, vbi curabat vti regina appellaretur. ſcripſit etiam literas ad multos proceres, per quas querebatur quòd cum ipſa eſſet vera legitima, & naturalis regina, ad ipſam excipiendam tanquam reginam non conueniſſent. Ita verò cœptum eſt à nonnullis fauere reginæ partibus, vt copiæ colligerentur ad illam aduerſus ducem protegendam, ſi dux arma ſumpſiſſet. at ille occultata per aliquot dies Odoardi morte, atque in vulgus poſtea fama de illa dedita, multa confinxit ad æquitatem cauſæ ipſius Ioannæ. cum verò oppidum ſit Londini, quæ Turris vocatur munitiſſimum, legitimum eſt omnibus ſuccedentibus in regnum Britanniæ ibi per decem dies ſaltem commorari: quia niſi illo oppido quis potitus fuerit, minime poteſt legitimè, & de more regum Britannorum coronari: ſicuti in Vſiperis eliguntur Cæſares, ac Bataduri coronantur. neque qui oppido illo caruerit, poteſt concilio imperare, quod conſtat è triginta primarijs eius regni, per quod concilium omnia magna negotia illius inſulæ adminiſtrantur. at Ioanna in regnum ſuccedere renuebat, quæ tamen concilij ſuaſionibus compulſa multis proceribus regni comitantibus è palatio egreſſa in Turrim Oppidum introducta eſt. ſtabat in limine, & ingreſſu oppidi dux Nortumbrienſis, qui ingredienti claues oppidi multis inſpectantibus obtulit, eamq; reginam ſalutauit. vix Ioanna ſub vmbellam conceſſerat, cum literæ Mariæ afferuntur ad concilium, in quibus eius querelæ cõtinebantur, quoniam paterentur ſuccedere in regnum minime legitimos reges, legitimis per fraudem, & fallacias eiectis. illam tamen nuntiatum eſt in Norfolcia alijsq; regionibus finitimis paſſim cum magno applauſus, concordibusq; animis ciuium fuiſſe reginam conclamatam, atque omnes illi parere. res illa non mediocriter animos multorum primariorum Londini perturbauit, ac pupugit, ſed tamen dux ipſe per multas vrbis regiones iubet præcones regios à regiis cuſtodiis ordinariis protectos reginam Ioannam conclamare, quæ vox non ſatis iucunda Londinenſibus ciuibus viſa eſt. at enim Mariæ vires in dies ſuccreſcere. Ioannæ ac ducis minui. multi è conſiliariis, vel natiuæ reginæ deſiderio, vel odio inſititiæ, vel metu nouarum rerum ad Mariam transfugere, & ab inclinante ad ſurgentem fortunam ſe referre. dux eam nouitatem rerum veritus nonnullos è proceribus amicos mittit, qui impedirent ne Mariæ vires augerentur, ipſiq, quantum poſſent copiarum colligerent. inter hos amicos fuit Nutetonii comitis frater, qui non ſolùm cum quatuor millibus peditum ad reginam transfugit, verumetiam fratrem, aliosq; inſignes duces per literas hortatus eſt, vt veræ legitimæq; reginæ opem ferrent. at verò dux ille e tam repentinis fortunæ animorumq; hominum mutationibus tanto terrore iam erat perculſus, vt nullis ſumptibus parceret, cum vel octo nummos aureos in ſingulorum militum menſtrua ſtipendia diſſolueret, quo ſtipendiorum etiam magnitudine milites è caſtris Mariæ ad ſuam defenſionẽ euocaret. iuſſæ ſunt armari etiam naues actuariæ complures, quibus auerterentur auxilia, ſiqua Cæſar Mariæ mitteret è Belgio. illæ cum vicinæ Mariæ litoribus adnauigarent ad eam à duce ipſo deficiunt. Maria nonnullis tormentis inde extractis, & neceſſario apparatu bellico ſeſe accingit ad propulſandos conatus ducis, qui, vt cognitum erat per transfugas & exploratores, illam repente erat inuaſurus & oppreſſurus. ſed enim dux quia verebatur ne ſi Londino ipſe exiret, vrbs illa tumultuaretur, præfecit cum ſummo imperio rebus militaribus ad illam expeditionẽ patrem ipſius Ioannæ ducem Suffolcium, quod munus ille omnino renuit, cum contenderet oportere ſe eſſe in Turri cum concilio illorum procerum. Tum ipſe cum copiis egreditur rebus neceſſariis Londini comparatis cum quatuor filiis, atque vnum horum mittit cum quingentis equitibus aduerſus Mariam, reliquos ſecum habet in caſtris cum multis proceribus, quorum præcipuæ erant autoritatis Nutetonius, & Norantius comites cum octo millibus peditum, duobus equitum, magnaq; bellicorum apparatuum & tormentorum copia. cum his copiis ad oppidum Cambregium profectus, quod diſtat circiter octoginta millia paſſuum à Londino, animum adiecit ad recenſendas copias, ibiq; biduum commoratur. ſed huius collectę vires magno ſtudio ita facile diſſipantur, atque euaneſcunt multis illum prę metu deſerentibus, vt intra biduum vix ſexta pars copiarum reliqua eſſet in caſtris. illa re commotus dux ſcribit ad Londinenſe concilium, vt ſibi auxilia ſubmitterentur, ac ſupplementa, quod concilium erat adhuc in Turri cum Ioanna, neque à Suffolcio abſceſſerat. his literis acceptis ceperunt proceres inclinatam, & propè iacentem fortunam Ioannæ formidare, atque conſilium inire de ſua ſalute conſeruanda; ad quod faciendum optima opportunitas offerri primum viſa eſt probabilis venia exeundi è Turri & è poteſtate Snffolcij. nam Suffolcius non intelligens quanti referret tot habere obſides eius regni, patitur hos exire è Turri per ſimulatã occaſionem parandorum auxiliorum.

Prodigia. Odoardi Britanni mors.

Mos regum Britãnorum creãdorum.

Ioanna Britanniæ regina conclamata.

rum. at illi continuò egreſſi volubilitatem & inconſtantiam tam recentis fortunæ perpendentes, quæ nimirum iam tum videbatur benignior Marię aſpirare, cui rei accedebat ęquitas expoſtulationis, quia iniuria prima Henrici filia regno apparebat priuari, ad quam iure hæreditario regnum pertinebat, Banas conueniunt; illud eſt oppidi nomen ditionis comitis Pembrucchii, vbi erant & alii cōplures conſiliarii. Vbi eò ventum eſt, comes Arondelius vir autoritate & eloquentia præſtans turpe & iniquum eſſe inquit, ſi cæteris omnibus teſtamentorum æquitas ſeruetur, & legitima ſucceſſio concedatur, at ea filiis regum denegetur. neque fas eſſe quenquam filium paterna hæreditate prorſus priuari, niſi nefariis & atrociſſimis de cauſis, quæ certè in ingeniū imbecillarum muliercularū non ſolent contingere. parum laudabile eſſe ſi legitimis ſucceſſoribus adempta ſucceſſiuo ad eos transferatur, qui nullum habent ius in hæreditatē, niſi quod ſibi per dolos & inſidias ac fallacias, nō per aliqua inſignia merita, pararint. quod quidem turpius etiam fieret iis proceribus ac ſenatoribus viris integerrimis approbantibus, qui cognitionem iuris & æquitatis ſe tenere profitentur, ac volūt æquitatem in omnibus dominari. non eſſe negligenda incommoda & deuaſtationes ac bella, quæ ex illa iniquitate ſunt oritura, cum nulla ſit vel publica vel priuata iniuria demum impune ſuſcepta, quę ſi per humana arma non vindicatur. at certe diuinam iuſtitiam habet vltricem. quæ dicta cum non nihil aucta & ampliata à quibuſdam ſenatoribus fuiſſent, quibus inuiſa erat ducis Nortūbrienſis potentia, qui propè illis par ſuperius fuiſſet, Maria regina eſſe decernitur omnium conſenſu nemine prorſus repugnante. Sed antequam ita appellaretur, procuratum eſt vt venia concederetur duci, cæterisque omnibus in illis bellis implicatis, quod tamen obtineri nulla ratione potuit. omnium igitur ſubſcriptionibus decernitur vt ea regina liberè appelletur, Londiniq; conclametur. miſſi ſunt armati in Turrim, qui Suffolcium iuberent excedere. ille ad filiam profectus rem totam aperit, iubet vmbellam adimi. ſubſcribit edicto tanquam vnus e conſiliarijs. at Ioanna non ſine lacrymis quod regina conclamata fuiſſet cum quibuſdam matronis in priuatum thalamum recedit. Maria igitur regina Londini conclamatur, cui & ſoliti regum honores tributi ſunt, & tituli Britanniæ Galliæ, Hiberniæq; regnorum. appellata eſt fidei cuſtos, & caput Eccleſiæ Britannicę, quibus auditis immenſa exorta eſt lętitia. at Pembrucchius vbi legiſſet, quæ ad conclamandam reginam pertinebant, capitis integumentum multis precioſis gemmis ornatum in turbam ad lætitiæ ſignum proiecit, qui mos eſt earum nationum inter principes per magnas ſolennitates, tum æris campani tinnitu, & turbarum clangore, & bombo tormentorum cępta eſt ſignificari lætitiæ magnitudo. paratę ſunt menſæ in omnibus vijs. publica conuiuia inter amicos & coniunctos celebrata ſunt. in auguſtiore templo Londini gratiæ Deo actæ cum muſicis inſtrumentis. his actis Suffolcius in Turrim accedit Ioannam cum omnibus ſuis domum miſſurus. Sed quia commiſſum fuerat negotium Milorto Vandeno Turris præfecto aſſeruandæ Ioannę, is cæteris matronis dimiſſis Ioānam captiuam retinet. concilium ſignificat per literas Nortumbrienſi duci Mariam creatam eſſe reginam, iubet vt iſtud ipſum curaret conclamari ac publicè pronuntiari in caſtris. imperat arma deponere. hortatur veniā precari à legitima regina, ſuisque rebus maturè ſapienterq; conſulere. ille occultato męrore, atque ſimulata neceſſaria lętitia Mariam reginam pronuntiat, capitisque integumentum nō minus ſuperiore precioſum in vulgus proijcit. his auditis è veſtigio multi ad eam reginam proceres confugiunt, qui per amicorum preces veniam conſecuti ſunt. at Dux cum vix duo armatorū millia reliqua eſſent, in deſperationem rerum ſuarum collapſus, neſcius quid conſilij ſibi eſſet capiendum in tantis rerum mutationibus & difficultatibus, decernit ſibi clam in Galliam eſſe fugiendum. Sed cum tardius quàm oportebat illud conſilium cepiſſet, a cuſtodiis Odoardi per ſimulationem eius opportunitatis capitur, quia dicerent ſe velle vti ipſo deprecatore ad impetrandam veniam. dux multis excuſationibus & tergiuerſationibus vſus eſt, ſed omnes vanæ & irritæ fuerunt. conabatur enim oſtendere ſe tanquam Mareſciallum Britanniæ ab ipſis militibus iure non poſſe teneri; quia milites tamen nollent videri eius partibus fauiſſe aduerſus reginam, & vt ſeruarentur cum Ioanne Gatte duce, illum omnino capiunt vnà cum filiis, & fratre, & comite Nutetonio, Thoma Palmerio, aliiſque proceribus. dux ita captus Mariæ iuſſu aſſignatur cuſtodiendus comiti Arondelio, Londinumque adducitur. Londinenſes audita Ducis deſperatione in armis conſtiterant, omniaque neceſſaria ad defenſionem ſumma diligentia iam parauerant, quia nuntiatum fuerat illum ducem cum ſuis copiis ad vrbem concremandam, funditusque euertendam caſtra mouiſſe. eo rumore ciues excitati armati conſtiterant ad cædes, incendia, rapinas fortiter propulſandas: ſed cum adduci captiuum conſpexiſſent vnà cum aliis proceribus, arma deponunt, quos ad Turrim vſque cum contumeliis & conuiciis inſectantur. datus eſt dux cuſtodiendus Milorto Vandeno, & Suffolcius præterea & marchio Nurantius. Heliſabetta ſoror ſpuria Mariæ, vbi non procul à Londino eſſet ruri, audiuiſſetque ſororem reginam fuiſſe conclamatam, cum quingentis equitibus ad eam ſalutandam concedit gratulatura pro obtenta dignitate, cui Maria ſeruire aliquando ab Henrico iuſſa fuerat. Maria vbi non procul abeſſet à Londino cum exercitu copias dimitti curat, quæ illam deſerere nolebant, niſi prius in Turrim adduxiſſent. Sed tamen ita volente regina omnes in patriā ſuā reuertunt. Ipſa obuiā habuit vniuerſam nobilitatē Lōdinēſem vtriuſque ſexus, & omnis generis atque conditionis complures honoris gratia, quæ cum inſigni pompa & regali magnificentia in vrbem ingreſſa ſeſe recipit in Turrim. Ibi præſtò fuit dux Norfolchius & epiſcopus Camalodunenſis, & alii quidam, qui ab Henrico in cuſtodias traditi fuerant, alii religionis, alii alterius alicuius criminationis cauſa, pro quibus omnibus intercedente Camalodunenſi, non ſolùm libertatem, ſed multas etiam laudes ab ipſa regina ſunt aſſecuti. Camalodunenſis epiſcopus certè ſupremus ſcriba eius regni dictus eſt à regina, & aliis inſignibus honorum gradibus

Banę opp.
Oratio comitis Arondelij.

Maria Britanniæ regina conclamata.

Solennia inter ſigna lætitiæ.

Nortumbrienſis dux captus.

dibus ornatus. vbi Maria ad decem dies in Turri morata eſſet, ſeſe ad ſuum palatium Ricciamōtem vocatum recipit, quod diſtat ab vrbe Londino circiter ſex milliaria. cœptæ ſunt haberi conciones catholico more in templo Diui Pauli. ſed cum reijcerentur concionatores, prohiberenturq; ſacra celebrari, fit edictum regio nomine, proponunturq; grauiſſima ſupplicia ſiquis in poſterum illud facere auſus ſit. acerbè etiam in autores earum rerum, atque repugnantes eſt animaduerſum. permiſſum vt captiuorum crimina inquirerentur. nec ita multo poſt Nortumbrienſis dux, & filius primogenitus, & Norantius marchio è Turri educti ſunt in amplam aulam ad concilium. ibi cū multa pro ſe dux orauiſſet, atque illud ſe fruſtra facere intelligeret, rogat vt ſaltem filijs paternæ voluntatis minime participibus, niſi quantum paterna reuerentia, & obſeruantia impuliſſet, parceretur: cum nullum ſcelus iure ſupplicijs vltimis dignum ſit quod fallacijs, vel metu, vel ſuperiorum impulſus omnino ſuſcipiatur, ſed quod conſultò, ſcienti, volentiq; animo, liberoq; committitur. ſed nihil omnino valent apud hos rationes quominus extremis ſupplicijs, & ipſe, & filius, & Norantius puniatur, quare condemnantur capitis. poſtridie eius diei rurſus adducti ſunt eodem Andreas Nortumbrienſis filius, & Ioannes, atque Aris Gattes, Thomas Palmerius, & alij nonnulli, qui & ipſi capitis condemnantur.

Nortūbrienſis, & filius capitis condemnati. & alij multi.

vbi præſtitutus dies mortis aduentaſſet, dux prior tabulatum in foro ad cędem paratum conſcendens intrepida voce, grauiq; oratione demonſtrat omnium calamitatum humanarum fundamentum eſſe peccata, quæ vbi inſita penitus & magna fuerint, non niſi per ſummas difficultates, & maximam vim numinis elui poſſunt. omnium verò errorum, qui ab hominibus committi poſſunt, maximum illum eſſe, ac primum locum tenere, qui ſpectat ad labefactandum, & euellendum ex animis mortalium immortalis, & omnipotentis clementiſſimiq; Dei cultum. addit his ſe tamen immortales gratias habere Deo opt. max. quia per ſexdecim annos in hæreticorum tenebris verſatus, nunc demum in extrema parte, & in margine vitæ ſuæ ad ſanctam Romanam Eccleſiam, catholicamq; obedientiam redierit, cum omnem ritum deinde ſeruarit pium, & Euchariſtiā ſumpſerit. hortatur omnes qui aderant ad ſeruandas Romanas inſtitutiones. vt Deum legitimè colerent. vt reginam veram, & legitimam dominam obſeruarent.

Oratio Nortumbrienſis.

ita verò eius oratione vniuerſus populus commotus eſſe videbatur, vt cuſtodiæ, & carnifex timore vulgi concitati propè in fugam ſint conuerſi. atque illud facile accidiſſet ſi dux voluiſſet illud procurare. nam populus mirificè erat eius principis grauitate orationis, & miſericordia commotus, quem ſapientia, potentia, autoritate, honorum gradibus inſignitum ſemper ſuſpexerat, & admiratus fuerat. Sed contrà dux cognito metu carnificis vitæ prodigus, vel illum inuitum detinuit, ac vehementer etiam rogauit, vt ſuum munus exequeretur. cęſo duce vniuerſa ciuitas quodammodo perculſa eſt, & tantam conſtantiam hominis admirata non modo in contemptu vitæ, ſed etiam in complectendis catholicis ritibus ſponte, cum ipſe maxime omnium catholicos inſequeretur. nonnullis præterea aliis capita ſunt amputata. aliis parcitur. at regina in Turrim reuerſa tamdiu ibi fuit, donec exequiæ Odoardi hæretico ritu celebrarentur. atque cum fuiſſet ſtatutum, vt calendis octobribus coronaretur multis comitantibus equitibus ad ſuum palatium Vaſmeſtrenſe proficiſcitur cum magna pompa.

Britannæ reginę coronationis Mariæ pompa.

præcedebant nobiles complures, quos ſequebantur multi duces & comites, & legationes. poſt hos ſuccedunt duo habitu ducum induti, quia Sequanorum, & Normaniæ principatus antiquitus fuerunt ſub regibus Britannis. ſubſequebatur hos cum auratis operimentis lectica ſub aurata vmbella, atque muli multo auro erant ornati. vehebatur in ea regina veſte talari multo argenſo intexto induta, atque ornata caput multis gemmis, cuius à ſiniſtra incedebat Odoardus Aſtinghus magnus armiger dictus, vir autoritate plurimum pollens. ſequebatur currus à quadrigis tractus multo argento conſpicuus, in quo Heliſabetta, Menapiaq; princeps matronę vehebantur indutę Gallico more cum multa magnificentia. has ſequebantur duo currus cooperti auratis operimentis, in quibus octo principes matronæ à quadrigis vehebantur, quas circiter octoginta matronæ aliæ multo auro, multo argento, multis gemmis, propè mira veſtimentorum opulentia ornatæ in equis ſubſequebantur. vicina lecticæ proximè ſequebantur Norfolcia, & Eſeſtria, & Camalodunenſis, & Arondela inſignes matronæ, ac præcipuæ autoritatis. his ſuccedebant duodecim pueri, & nobiles aulici, & ingens multitudo militum: atque in pluribus vrbis locis triumphales teſtudines erant erectæ cum honorificis inſcriptionibus. quę dum fiunt in Britannia, tanta excitata eſt aduerſus Ferdinandum ſeditio ab Iſabella regina inferioris Pannoniæ Petro Chendo, & aliis quos memorauimus adiuuantibus eius partes, vt eius copiæ breui eiectæ ſint, quæ reliquæ fuerant in ea prouincia, regnumque ab illa Turcicis copiis vndique adiuuantibus ſit recuperatum.

Ferdinandi copiæ eiectę è Tráſyluania.

illo per vim potita vniuerſum ſtudium adhibet, vt animi procerum confirmarentur in fide ſeruanda, quos allexerat ad Ioannem filium in regem accipiendum. indicit comitia vniuerſarum nationum Zibinium, in quibus nititur demonſtrare conditiones ſibi non fuiſſe ſeruatas à Ferdinando. æquitatem ſuæ cauſæ cur ab eo defecerit. explicat quantum calamitatum cumulum erant deuitaturi, ſi filium ſuum legitimum regem complecterentur. & quantum beneficiorum reportaturi. ita verò oratione, muneribus, amicitia eius prouinciæ proceres ſibi deuinxit, vt neglecta ſpretaque Ferdinandi amicitia Ioannem tanquam legitimum principem admiſerint. neque prius ceſſatum eſt, quàm ex vniuerſa regione Ferdinandi reliquias prorſus eiecerint: cum Sarmatarum Turcarumque auxilia acceſſiſſent viribus prouinciæ ad illud negotium perficiendum.

Ioannes admiſſus rex Tráſyluaniæ.

nullum verò diligentiæ ſtudiive genus ab illa regina prætermiſſum eſt. Sed quoniam nihil magis quam liberalitas & munificentia homines in officio retinet, exterosque conciliat, mulier prudentiſſima multa vtitur beneficentia in omnes illos à quibus excepta protectaque fuiſſet. vltionem in opportuna tempora

pora

pora diſtulit aduerſus illos, qui ab ipſa ſæpius defeciſſent. poſtea fœdere cum Vaiuodis coniuncta ſuperiotis inferiorisque Myſiæ, contractaque amicitia Solimani iuſſu cum purpurato Gurtenſis præfecturæ, & cum ſanzacchis Taurumni, & Illyrij, cępit rationes totius regni recognoſcere. æs alienum diſſoluere. illis ſtipendia tribuere, per quos in regnum fuiſſet reſtituta. at verò Carolus Dux Allobrogum multos iam annos è ſuo principatu Gallicis armis expulſus ſuum diem obiit, inſtituto hærede Philiberto filio, cui Cæſar Aſtæ ditionem tributariam conceſſit, ne ſecum militans in Belgicis finibus paterna carens hæreditate rebus neceſſarijs pro dignitate omnino careret. Sepultus eſt Carolus Vercellis à ſuis ciuibus cum inſigni exequiarum pompa & magnifico apparatu. Briſaccis cum ſummo rei militaris imperio in Galliam ſubalpinam miſſus ab Henrico rege repentinis incurſionibus Hipporegiam, & Vercellas capit. Sed cum arcem Vercellarum etiam capere ſubitario aduentu non potuiſſet, non nullis ædificiis ſtudentium partibus Cæſarianis direptis & ſuccenſis, magnaque theſauri parte capta, qui in ſacrario auguſtioris templi diui Euſebij ab ipſo Carolo occultatus fuerat, ingentem trepidationem in vniuerſa Inſubrum regione concitat. trepidatum eſt Mediolani præcipuè, quæ vrbs eſt metropolis Inſubrum, ne reliqua omnia venirent in poteſtatem hoſtium Gallorum, cum per præfectorum incuriam illis fuiſſent potiti vrbibus. nullibi enim comparata erant præſidia, quæ repentinas & validas hoſtium incurſiones & conatus poſſent reprimere. nam profectò niſi ſummi magiſtratus & vrbium præfecti quaſi ex altiſſima ſpecula longe proſpiciant rerum futurarum euentus, & imminentes vrbibus calamitates, paulopoſt per ſua deliramenta ſubditos populos in multas magnasque calamitates trahi ſpectant, atque fruſtra ſæpius præterita damna reſarcire conantur, cum non tam facile ſit quidpiam euerſum inſtaurare, quàm facile fuerat antequam euerteretur, fulcire ac ſuſtentare. Veruntamen Ferrandus Gonzaga vir nauus tanta celeritate cohortes conſcribit, equites ad vexilla reuocat, cum Cæſaris ſummus eſſet imperator inter Inſubres, vt Galli relicto agro Vercellenſi & nonnullis caſtellis ſeſe Hipporegiam recepeperint, & in ſua finitima oppida. nam Hipporegiam vrbem à Cæſarianis multa diligentia munitam in ripa Durię fluminis Galli cenſebant perfore accommodatam rebus bellicis, per quam liber ingreſſus pateret in Italiam. Genuenſes cum & fallacias Thermei reguli, quibus portum Syracuſanum occupauerat, & inſulam ferè totam eſſe in poteſtate hoſtium intelligerent, animum adijciunt ad bellicos apparatus faciendos. tribunos mittunt ad colligendas copias. claſſem inſtruunt ad eas exponendas in inſulam, omnia neceſſaria parant ad vires hoſtium propulſandas, & ad amiſſa inſulæ loca recuperanda. quæ dum fiunt magna diligentia, principem Auriam ſummum imperatorem creant eius expeditionis cum omnium rerum terreſtrium & maritimarum imperio. huic datum eſt prætorium vexillum per huiuſmodi ſolennitates. vbi aduentaſſet ſtatutus dies his ceremonijs, exeunt è palatio publico ciuitatis, in quo reſident magiſtratus duodecim procuratores primùm eius reip. quos viginti, & quatuor ordinarij vrbis ductores militum ſequuntur, atque hos ſexaginta ciues in equis magnificè induti cum centum alabardiferis. ſequuntur ſupremi magiſtratus & Dux reip. cum ſexdecim ordinarijs item ducibus millitum, & ciuibus ſexaginta, qui omnes ſenſim ad templum diui Laurentij incedunt. vbi ventum eſt, aduentum Auriæ principis præſtolantur. nec ſane multo poſt accedit & Auria comitantibus illum inſignibus multis proceribus, inter quos fuit Hiſpanus orator præcipuæ dignitatis, & Hieronymus Auria, Sancius Leua, & Baptiſta Spinola cum magna frequentia tribunorum ac ciuium varii generis. vbi princeps perhumaniter a Duce exceptus fuiſſet per vſitatas ſolennitates, omnes in locis ſibi pro dignitate accommodatis conſederunt. Cardinalis Auria nimirum, reip. Dux, princeps Auria, Hiſpanus orator, gubernatores, procuratoresq; Genuenſes, magiſtratus diui Georgii & Cyrnenſes. Tum ſacra ſolennia celebrata ſunt quibus abſolutis Anſaldus Iuſtinianus vir dotrina, grauitate, eloquentia clarus luculenta ſane oratione ciues ad concordiam, principem ad fortitudinem patriæque defenſionem hortatus eſt, cuius ſalutem tanquam amantiſſimæ parentis & altricis commendauit. poſt illam orationem conſecratum eſt vexillum prætorium à ſacerdote, qui vicario munere fungebatur. conſecratum datur Duci reip. at Dux illud principi Auriæ porrigens ſubiunxit ſe concedere eius fidei, integritati, virtuti ſub huius vexilli nomine libentiſſimo animo arbitrium & imperium rerum omnium terreſtrium & maritimarū, & honorem præterea & ſalutem atque conſeruationem patriæ ſuæ. vteretur rebus omnibus pro ſua vſitata prudentia, ſicuti ratio temporum poſtulare videretur. ſe tam prudente imperatore omnia fauſta feliciaque ſperare. Princeps certè reſpondet omnem vim felicitatemque & exitum bellorum in manu omnipotentis Dei oportere collocari; at quod ad ſe pertineret ita facturum pro virili, vt omnes intelligant neque fidem neque diligentiam neq; obſeruantiam in remp. defuiſſe, atque ſe ſcire eſſe viri boni patriæ ſalutem & conſeruationem vel ipſi vitæ, nedum cæteris rebus omnibus anteferre. peractis his ſolennibus Dux & ſummi magiſtratus reip. principem ad portam vſq; templi comitantur. Princeps Andreæ Auriæ nepoti Ioannetini filio vexillum prætorium aſſignat, tanquam prætorio vexillifero. Sed quoniam Gallicæ vires erant in inſula ſatis ingentes, quæ ſolis armis Genuenſibus non poſſent retundi, legationes mittuntur ad Cæſarem, quæ implorarent auxilia. Cæſar perhumaniter exceptis legationibus primùm ſibi moleſtas ait contingere illius reip. perturbationes, quam tranquillam & felicem ſemper fore exoptauerat, ſed tamen non prorſus eſſe iniucundum quòd per illam tam opportunam facultatem eſſet demonſtraturus quanti eius ciuitatis in ſe beneuolentiam ac fidem fecerit, in quam ſemper optimè fuiſſet affectus. Scribit igitur ad

Caroli Sabaudiæ Ducis mors. Vercellę captæ & Hipporegia.

Varcellæ receptæ.

Andreas sūmus Imperator à Genuēſibus creatus & pompa.

Ducis Genuenſis oratio ad auriā ſummū ducem.

Cæſaris ſtudium in rēpl. Genuenſem ad Cyrnum recuperandam.

Coſmum

Coſmum Florentiæ Ducem, quem rogat vt omni genere auxilij, quo poſſet pro viribus Genuenſem rempub. ſubleuaret, cum eſſet propinquus aduerſus Gallum communem hoſtem. iubet Neapolitani regni ac Siciliæ proreges triremes inſtructas & omne auxiliorum genus concedere Genuenſibus, atque ad præfectum Sardiniæ literæ mittuntur vt rem Genuenſem commeatu & equitatu pro viribus iuuaret. Infeſtabat autem magna vi Thermeus Ropico & Mantinis ſiue Rogellæ, & Baſtiæ proxima quæque, qui cum multis tribunis & quatuor millibus peditum in inſulam adnauigarat, quos Dragutus ſummus imperator Turcicæ claſſis cum octoginta triremibus, viginti ac duabus biremibus comitatus fuit, & cum eſſent quadraginta Gallica nauigia multi pedites in inſulam expoſiti ſunt. præerat Gallicæ claſſi Polinus ſummus imperator, quæ claſſes cum Thermeo Franciſcum, & Iordanum, & Maherbalem Vrſinos, Ioannem Vitellium, Ioannem Taurinenſem, Sampetrum Cyrnenſem, Claramontem, Morettum Calabrum, Baſottum Fantuccium Carolum Carafam conuexerunt, qui ſinguli trecentis peditibus partim Aquitanis, partim Italis erant præfecti. cum his erant & centum ac quinquaginta ferè equites, qui omnia incurſionibus infeſtabant. cæterum Syracuſani portus præſidia poſt multa leuia prælia per fictitias literas in poteſtatem Gallorum venientia vbi exiuiſſent maiori ex parte pręter datam fidem a Thermeo vitę conſeruandæ immaniter à Turcis fuerunt trucidata; quoniam multi Turcę in oppugnationibus eius munitionis ceciderant. Thermeus deinde relictis validis pręſidijs atque inſtituta ratione muniendi Syracuſani portus cum reliquis copijs Italis & mille atque quingentis Aquitanis tribunatus Valleronis ad quinque millia paſſuum propinqua Caſalio ſinui caſtra locauerat vltra ſinum, vbi moratus eſt per obſidionis tempus. ex altero latere in colle Alletta vocato munitionem excitari iubet, vbi vicarium Maherbalis Vrſini cum magna manu militum in pręſidijs eſſe ſtatuit, atque ita denique Caſalium ſinum in ſuam poteſtatem redegit. Genuenſes interea vires ſatis ingentes comparauerant, atque Siculis & Genuenſibus triremibus inſtructis ad ſeptem millia peditum, equiteſque nonnullos in inſulam exponunt, cum non leuia ſubſidia Florentinus etiam dux attuliſſet. erant Genuenſium copiæ partim Italę, partim Hiſpanę, partim Germanę, quę vbi primum in inſulam ſunt expoſitę Caſalium ſinum obſidione cingunt. & quoniam vires eſſent non aſpernandę Gallorum adhuc in inſula, vel iam profecta Turcica claſſe, non audent per conatus vrbem tentare ne vno tempore à fronte cum munitionis præſidijs, à tergo cum magna manu hoſtium pugnare cogerentur. vbi diutius obſidio ita perduraſset, veritus Thermeus breui fore vt intra mænia inopia annonæ laboraretur, cum præcipuè molendinorum opera ob interuallum vti non poſſent, conatur commeatum & quaſdam molendinorum ſtructuras in Caſalium ſinum introducere. eo conſilio plures mille peditibus deligit, atque Ioannes Taurinenſis ducentos ſclopettarios ſecum adducens cum Thermeo atque his copijs ad mare deſcendit. Collocantur inſidię inter duos aggeres arenæ. miſſæ ſunt duę exploratoriæ nauiculæ quæ obuiam procederent quatuor Aurianis cataſcopijs: quæ ſimulata fuga vbi proximè ad inſidias inſequentia attraxerunt, repente ſclopettarij accepto ſigno vno tempore magnam effundunt in Aurianos glandium plumbearum procellam. Auriana cataſcopia multis è ſuis amiſſis ſtatim coguntur magna vi remorum & fuga ſalutem ſibi comparare. at certè Ioannes Taurinenſis dum ſecundum litus obequitat ſclopettarios incitans inconſulto diſploſo forte ſclopetto à quodam ſuorum glande transfixus ſtatim propè moritur. obſeſſi quia nimia multitudine defenſorũ grauarētur, timerentq; ne omnis annona prorſus abſumeretur breuiſſimo ſpatio, ducentos pedites emittunt partim Italos, partim Aquitanos, qui iuſſu Auriæ capti cathenati ſunt ad tranſtra, pauci ſe fuga in caſtra Thermei ſeruarunt. Cæterum cataſcopia euadentia periculum quatuor Aurianarum ad Caſalium ſinum perueniunt, atque caro ſalita & oleum & molendinorum quatuor ſtructuræ in munitionem importantur. & quoniam iam fortuna Genuenſium accitis ſæpius auxilijs videbatur propè mortua reſpirare, omniaque capta fuerant per Aurię virtutem, quæ intra Vrcinium Mantinos & Caſalium ſinũ interiacebant, nonnulli Cyrnenſes ſurgentem fortunam veriti Genuenſium ab inclinata Gallica deficiunt, ſuppliciterque veniam petunt quòd arma aduerſus eam remp ſumpſiſſent, qui facile in amicitiam ſunt recepti. nam Thermeus præter illud quòd aſſiduè copię minuebantur morte multorum, tum id incõmodi iam cæpit ſentire, quod in caſtris eius inopia rei pecuniariæ laborabatur, cum ſeptem menſium ſtipendia deberentur militibus. ſed Iordanus Vrſinus, qui prærat Caſalio ſinui, munitionem dedere denique Aurię poſt diuturnam obſidionem cogitur. deditionis conditiones fuerunt vt Iordanus cum quibuſdam militibus & impedimētis inermis excederet, vtq; reliqua omnia arbitrio victoris concederentur. Captus eſt Ioannes Antonius Claramontis nepos acierum Gallicarũ inſtruendarum ſummus magiſter, vir Calaber, & Mattheus Stēdardus præcipuæ autoritatis, & alij nonnulli exules è Neapolitano regno & aliis locis Cęſaris, qui paulopoſt extremis ſuppliciis ſunt affecti. Sed Mattheus Stendardus ob patrui purpurati ſummę expectationis reuerentiam Florentiam adductus. certatum eſt poſt captum Caſalum ſinum leuibus pręlijs frequenter in inſula modo his modo illis fortuna concedente victoriam. at denique Thermeus copias iubet montes ſuperare atq; in vlteriorem partem inſulę tranſire, Vrciniũ ſe recipit, quæ vrbs eſt in ea parte inſulæ ſita, quæ Sardiniam reſpicit. inde Franciſcũ Vrſinum & Ioannem Vitelliũ in Galliã mittit, qui pecuniã in ſtipendia procurarent. at milites nõnulli ægrè ferētes tandiu ſibi deberi ſtipēdia hoſtiliter inuadũt agrũ parentē Gallicis imperiis, quod præcipuè faciũt duæ cohortes, altera Gilij Taurinēſis nepotis, altera Caroli Carafæ. neq; vlla fuit tãta cuiuſquã tribuni autoritas, q̃ poſſet horũ impetũ & aĩos placare, niſi cũ Thermeus capta pecunia à mercatoribus iis ſtipēdia diſſoluit. cũ vero defuiſſet

pecunia

Caſalus ſinus obſeſſus.

Io. Taurinenſis mors.

Caſalus ſinus deditus.

Mattheus Stēdardus captus.

Seditio militaris.

Pecunia ærea pro teſſeris. pecunia in tot ſtipendia datę ſunt æreæ teſſeræ tanquam numiſmata, & intra certum tempus pecu-
nia legitima illa offerentibus permiſſa. capti ſunt tanquam autores ſeditionis Gilius, & Io. Iorda-
nus Carafæ vicarius, atque extremis ſuppliciis affecti. ſed iam dies octobris primus aduentarat, qui
Coronatio Mariæ Britannæ. conſtitutus & deſignatus fuerat coronandę Marię Britannię reginę. Illa cum magna pompa ad
templum auguſtum Vaſmeſtrenſe accedit multis ducibus, comitibus, & marchionibus comitan-
tibus, quorum alii ſceptrum regium, alii coronam, alii reginę ſceptrum, alii mundum, tres enſes,
calcaria, ceteraque regalia inſignia portabant. poſt hos ſequebatur regina purpurea veſte ſerica vil-
loſa induta, cuius partem poſtremam, quę trahebatur, ſuſtentabat Norfolcia Dux. Bracchia ſu-
ſtentabant Durantius & Seraſbarenſis Epiſcopi, quam Heliſabetta, & Menapia Dux, & alię inſi-
gnes matronę complures comitabantur. ſic igitur cum regia magnificentia ad templum accedit.
Incedit cum illa Epiſcopus Camalodunenſis, qui cum duodecim Epiſcopis erat coronationis cere-
monias peracturus. regina adducta eſt ſupra ingens tabulatum eminens, vbi erat ſublimis thro-
nus, atque à quatuor lateribus populo oſtenſa in reginam accepta fuit. ibi tandiu conſedit, quam-
diu epiſcopus concionatus eſt, quo perorante regina pro ritu regum poſtmodo iurauit. decanta-
tæ ſunt ſupplicationes. regina ſpoliata, & ſacrata vnctione de more peruncta. mutatis veſtibus
ad thronum reducta, illi omnia regalia inſignia oblata. denique è tribus coronis extrema impo-
ſita capiti relicta eſt. tum ea ita conſurgit, quam alterum ſceptrum à ſiniſtra, alterum à dextra por
tatum comitabatur ad altare, atque iterum ad thronum reducitur. promiſſa eſt illi obedientia à
principibus ſingulorum ordinum cæterorum hominum nomine, quibus ſolennibus abſolutis ſa-
cris initiatur; atque illis peractis regina primis veſtibus reſumptis deducentibus eam cum ſceptris
vtrinque Duranio & Seroſbarenſi epiſcopis, quam oratores omnium principum, & proceres in-
ſigniores omnes eius inſulæ ſequebantur, domum reuertit. cum ad palatium ventum eſſet, men-
ſæ regali magnificentia paratæ fuerant, qua in aula Norfolcius coneſtablius, & Arondelus Mare-
ſciallus armati in equis conſtiterunt tanquam ad aulę cuſtodiam. at enim Demorus vocatus eques
è nobiliſſima familia, cui tantum muneris conceſſum eſt, ſicuti mos eſt in hiſce coronationibus,
magnificè ornatus, pulcherrimoque equo inuentus armatus aulam ingreditur. pronuntiari iubet
Mos poſt coronationem Britannorũ regum. per Araldum, ſiue publicum præconem regium, quòd, ſiquis audeat negare Mariam eſſe veram
legitimamq; reginam, profitetur ſe velle armis illam defendere. poſt dicta præconis proiecta chi-
rotheca ad belli ſignum aulam circuit, ac luſtrat. cum nemo videtur repugnare, ad reginam acce-
dit, quæ ſalutata aureum poculum vino plenum capiens equitem ad bibendum prouocat. atq; il-
lud honoris gratia poſtea largitur. Maria poſt conuiuia, coronationiſq; celebritatem, ac lætitiam
comitia religionis cauſa indici iubet proceribus eius regni. procurat vti diximus, ac poſtulat, vt pa-
ternæ leges, & Odoardi ſpectantes ad religionem antiquarentur. vetat ſacerdotum nuptias. pro-
uentus templis reſtituit. Epiſcopos iniquè eiectos reuocat. ſupremi capitis religionis nomen Pon
tifici relinquit. iubet omnes ritus ad morem Romanæ eccleſiæ inſtaurari. omnes denique anti-
ſtites in priſtinam dignitatem reſtituit, qui fuerant ab Henrico eiecti, quia noluiſſent amplecti hę-
reticam prauitatem. Quę dum fierent in Britannia, Cęſar ęgrè ferens felices Gallorum ſucceſſus
in Belgio, quamuis per calamitatem Diuodurenſem multis ducibus inſignibus priuatus fuerat an-
no ſuperiore, tamen nullum pretermittit genus bellicorum apparatuum. colligit ad quinque mil-
lia peditum, viginti & quatuor vexilla ſcilicet Hiſpanorum, & vnum Italorum, qui reliqui ſuper-
fuerant ex obſidione Diuodurenſi, atque Samarobrigę, & in finitimis locis hyemauerant cum ſex
vexillis equitum cataphractorum. nam tametſi concitata fuerat ſeditio ſtipendiorum cauſa ab Hi-
ſpanis, qui tribunos, cohortiumq; pręfectos mutauerant, & mox placati fuerant à Ferrando Cer-
da, tamen Cęſar ſubiratus poſt data ſtipendia omnem iracundiam ſuppreſſit per opportunitatem
Teruanę deſcriptio, & obſidio. imminentis belli, atque cum Sequanis, Belgiciſq; copiis eos ad Teruannam Morinorum vrbem
expugnandam adducit. eſt autem Teruanna vrbs non valde ampla, ſed propter res geſtas, & multa
prælia quę illi vrbi acciderunt, facta hoc tempore celeberrima ac memorabilis. ſita eſt non procul
ab Oceano ſeptentrionali, ſiue Germanico in ripa Licci fluminis in ampla planitie, quę paludibus
cingitur, & nemoribus, habetq; collem non procul diſtantem, à regibus Gallorum renouata a fun
damentis & munita, & mox a Belgis deſtructa, tum ab iis denuo amiſſa, rurſuſq; a Gallis recupera-
ta. atque cum primùm eò Cęſarinę copię accederent obuios habent ducentos equites Gallos, qui
primo impetu a cataphractis equitibus, & peditibus Cęſarianis fugantur, funduntur, diripiuntur,
capiuntur maiori ex parte, è quibus etiam nonnulli trucidati fuerunt. Galli contrà vbi primùm
Sequani propinquarunt, Teruanna egreſſi in eorum turmam magnam impreſſionem faciunt. tor-
mentum bellicum capiunt. multos trucidant. Cæſar cum ſimularet ſe velle in aperto bellum ge-
rere, vt repente vrbem aggrederetur, quam minus difficilem fore cenſebat, copias eò adducit cum
triginta ferè armatorum millia haberet in caſtris, præter illos, qui ſpe prædæ caſtra ſequebantur ſi-
ne ſtipendiis. vbi copiæ illuc aduentaſſent, vrbem obſidione cingunt, quò propter Roſſei reguli obi
tum filius coneſtablij, & Offonius cum multis viris illuſtribus fuerant ingreſſi ad defenſionem cum
Gallicis copijs. primùm itaque in morem bellorum Cæſariani caſtra foſſis, & aggeribus vallant, &
circundant. ſed cum arctius quotidie vrbs obſideretur, Vandanus regulus & coneſtablius non pa-
rum illi vrbi timentes, cohortantur Memorantium per literas, vt ad certum tempus ſe tueretur,
confirmaretq; præſidia ad conſtantiam & ſtrenuitatem, quòd breui ſuppetias eſſent miſſuri. ſed
cũ literæ intra ſoleas calceorum cuiuſdam Æthiopis fuiſſent conſutæ, ille cuſtodias Cæſarianorum
omnino fallere non potuit, vel per ſummam diligentiam voti fieri compos, quamuis vel ad vltimas
foſſas,

ſoſſas, & aggeres, ac vallos caſtrorum vrbem verſus penetraſſet. captus eſt igitur, & ad Benincortum regulum adductus. cognitum ex interceptis literis Gallorum conſilium. ſæpius habita comitia militaria. decretum, vt tormenta occidentem verſus collocarentur. eſt enim vrbs. vti diximus, in ampla planitie ſita maiori longitudine, quam latitudine, atque forma propè trigona, quę prædicti fluminis maiori ex parte aqua foſſarum, non tamen valde profundarum alluitur. poſt multos igitur conatus, & minuta pręlia, quæ per illam obſidionem ſæpius excitata ſunt, Agamontius, quo tempore putabantur ventura obſeſſis ſubſidia, conſtitit in acie ſeptentrionem verſus, donec erecti ſunt in vrbem maiores cannones complures, & nonnullæ colubrinæ aduerſus propugnaculum quoddam, quod erat in uno angulorum plus æquo elatum, & aduerſus muri ſpatium, quod deſinebat in alterum propugnaculum occaſum verſus. cœptum eſt propugnaculum, & murus accerrimè concuti vnà cum ſacrata turri auguſtionis templi, quę ad medium, vſque cęſa, deiectaque eſt. atqui Galli quamuis intelligebant quantum detrimenti propugnaculo, & mœnibus afferrent hoſtilia tormenta, cum globi tormentorum propter eximiam violentiam valde penetrarent, tamen intrepido fortique animo perſiſtere. ſumma vigilantia noctu, & interdiu reparationes excitare, audacter exire ad leuiora certamina. vel intra vallos Cæſarianorum aliquando irrumpere. multa, cædes intra aggeres committere. nam ſanè dum ita leuibus pręlijs frequenter certatur, tanta vis erat tormentorum, vt non modo ſacræ turres, verum etiam omnia ſubliimiora ædificia, vel proſtrata, vel deuaſtata, vel certe infeſtata ſint. Cęſariani denique exercitum in quatuor partes diſtribuunt. ad meridiem Hiſpanæ, Italæque copiæ caſtrametatæ ſunt. ad ſeptentrionem equitatus, & Belgæ. ad occidentem Britanni, & Sequani. ad orientem Germani. ſublatę ſunt, & proſtratæ defenſiones vrbanæ per impetum, ac vim tormentorum. at Britanni, qui libenter confluxerant ad vlciſcendas iniurias, quas ſuperioribus temporibus ſe accepiſſe à Gallis arbitrabantur, ad ſeptentrionem cuniculum ſumma diligentia excauant ad propugnaculum, quod ſtabat è regione, proſternendum. illud ſentientes Galli cuniculum & ipſi oppoſitum moliuntur. in eo pulueris tormentarij cadum collocant. obſeruanr certum tempus, ac ſignum ad ignem ſubmittendum, dum hoſtes excauantes repentino operis collapſu obrui poſſent. ſed cum per nimiam celeritatem nulla expectata opportunitate ignis ſubiectus ſit à præfectis illi muneri, multa terræ ruina oppreſſi ſunt inutiliter, & inſulſe multi artifices, & nonnulli milites, qui fuerant propinqui. cum verò ignis per foramen diſruptum in cuniculum Britannorum ob ingentem vim irrupiſſet, circiter triginta Britannos viuos concremauit. dimiſſum eſt ita ſtudium cuniculorum, & ad leuia certaminà denuo peruentum. Galli cum tormenta quædam in colle vrbis eminente Iuſtitiæ vocato collocaſſent, exeunt frequentes ad minutum prælium. ad foſſas vſque tranſcurrunt, qua in pugna multi Itali, & tormentorum magiſtri globis laniati ſunt, & aggeres Hiſpanorum infeſtati, quamobrem Cæſariani quatuor bellica tormenta adiungunt verberationi. Sequani, & Germani vſque conſiſtunt in acie: cum vrbem inuadere vndique ab illa parte ſtatutum eſſet. vt verò Galli magis fatigarentur, coguntur ſingulis ferè noctibus ad arma conclamare, atque ſonitu tympanorum, & tormentorum bombo à ſomno excitantur. indicta ſunt poſtea comitia militaria per noctem. in his decretum, vt foſſam occuparent, defenſioneſque adimerent, vtque domorum plenarum terra beneficio protecti magnam operarũ manum ſubmitterent ad propugnacula ligonibus dilaceranda, & euertenda, & ad viam parandam conatibus, atque aperiendam. Galli aſſidue vires, & in dies debilitari intelligentes ſuas, ſedulo vaſis vinarijs, & corbibus vimineis terra oppletis, & trabibus, & lignorum faſciculis ac ſarmentis aduerſus immenſam vim tormentorum ſe protegebant, (nam ſexaginta muralia aſſiduè verberabant,) tamen animo paulatim apparebant deficere, primuſque vigor, & alacritas retundi, cum non ita intrepidè exirent ad leuia prælia; ſed omni diligentia ciues conabantur ſatisfacere defenſorum inopiæ, ſeque quãto poſſent ſtudio ſeruare. illa re percepta Cęſariani ne procraſtinatio res opportunè paratas labefactaret, aut eriperet è manibus, decernunt vno tempore quibuſdam è partibus ſub auroram vrbem adoriri. per illum conatum poſtea foſſa potiuntur, atque per ruinas murorum ad oram propè perueniunt, quò etiam quidam ſigniferi Hiſpani acceſſerant, qui ſaxis, & feruentibus aquis, & trabibus deuolutis, & miſſilibus ignibus cum magna clade ſuorum reiecti, depulſique ſunt. at verò ne plus calamitatum recedentes, quàm inuadentes copiæ acciperent, Benincortus, qui ſummi imperatoris vice in eo bello fungebatur, iubet illas in acie conſiſtere retrocedentes, quæ ſeſe receperunt illo ordine, vt paucis è ſuis deſideratis ſe in tutum contulerint. deſiderati ſunt haud pauciores quingentis è Cæſarianis per illum conatum: è defenſoribus vrbanis ad centum, & quinquaginta. cæterum Cæſariani foſſa potiti confeſtim operas eò demittunt, qui cornutis, ac roſtratis ſarculis, batillis, ligonibus pluribus è partibus propugnacula diſrumpunt, atque detrahunt, occupatis domibus terra repletis, quibus Galli ad defenſionem propugnaculorum vtebantur. illa dum Cæſariani nituntur ſarculis roſtratis demoliri, pluribuſque è locis cuniculos excauant ad ea euertenda, Coneſtablius veritus ne obſeſſi propter paucitatem, aſſiduitatemque laborum tantam obſidionis moleſtiam non poſſent ſuſtinere, Grillum cohortis præfectum cum ducentis expeditiſſimis ſclopettarijs mittit, virum intrepidum, & in rebus bellicis exercitatiſſimum, qui quauis ratione ingredi niteretur, obſeſſoſque ſpe citiſſimi maioris ſubſidii confirmaret. ille cum per obſcuritatem noctis non plus duobus milliaribus ab vrbe diſtaret, in planitie conſiſtit. exploratores ad recognoſcenda caſtra hoſtium, & qua parte minus difficilis aditus pateret, præmittit. relatum eſt per Sequanos iſtud fieri commodius poſſe, quòd illi magis oppreſſi ſomno eſſe viderẽtur. Grillus equites nonnullos Gallos præmittit, quos cuſtodiæ cauſa adduxerat, ad caſtra Germanorum, & Hiſpanorũ infeſtãda: ipſe quãta fieri poteſt celeritate ac ſilẽtio, cũ ſuorũ globo, atq; cõfertiſſimo cuneo per du-

N as

ac Sequanorum cohortes tacitè vrbem ingreditur. cum rumor increbuiſſet magnas Gallicas copias eſſe propinquas, & iam totis caſtris ad arma conclamaretur, capti ſunt quidam è Gallis, ex quib. cognitum eſt ducentos ſclopettarios in vrbem eſſe ingreſſos. hic nuntius primum Cæſarianorum animos non mediocriter turbauit, ſed poſtea vbi, in quo ſtatu res vrbana eſſet, cognouiſſent, cuniculos peragunt. noua tormenta locant in colle vrbi propinquo. aſſiduis ictibus per decem dies nullo intermiſſo ſpatio vrbem diuerberant. Galli quamuis nullum diligentiæ genus prætermittunt faciendis reparationibus aduerſus tantum impetum tormentorum, tamen tantũdem per dies deſtruitur, quantum per noctes inſtauratur, ac reficitur, neq; Cæſarianorum viribus vllo ſtudio poſſunt reſiſtere. Cæſariani cum aſſiduis verberationibus iam mœnia eò adduxiſſent, vt facilius, & inuadi, & aſcendi poſſent, quàm antea, ſtatuunt dum fiant cuniculi, rurſus vrbem inuadendo tentare, quare concuſſis domibus ad foſſam terra plenis Teruannam tribus è lateribus inuadunt, a latere Germanorũ, & Belgarum, & verberationis ſcilicet. atq; ita efficiebatur, vt alibi ſcalæ muris admouerentur ad tubarũ tympanorumq; ſtrepitum, alibi per ruinas murorũ ab aſcendentibus acerrimè pugnaretur. vrbani ſumma virtute ſe defendunt, primoſq; inuadentes per parua tormenta bellica, quæ in reliquijs laterum collocata erant, ad vnũ trucidant. reliquos trabibus, ſaxis, baliſtis, ardenti pice præcipites per ruinas deturbant. quæ pugna cũ vtrinq; cruenta perduraſſet, Cæſariani coguntur cum multa ſuorũ iactura in caſtra redire, ducum ſcilicet, & ſigniferorum, & magis ſtrenuorũ militum. ex vrbanis cecidit regulus Oſſonius Gallorum dux ſummus, aliiq; inſigniores duces. Henricus quia exiſtimarat Teruannam munitiſſimam eſſe, & propè inexpugnabilem, cum propter naturam loci, tum propter virtutem defenſorum, copias educere minimè curarat, quæ tantæ opportunitati erant neceſſariæ, neque hoc anno magnum exercitum collegerat, quare audita morte Oſſonij, aliorumque ducum, quos eximios bellorum cæterorum euentus, & virtus fuiſse demonſtrauerat, valde triſtatur. voluit trecentos ſclopettarios ſubmittere, ſed illud nulla ratione conſequi potuit. atque parum ſapiens eſt, qui munitionem vllam inexpugnabilem eſse arbitratur, cum non minus euertendi, & expugnandi ratio ingenioſa, & multiplex inuenta ſit, quam muniendi, quia vbi circunſiſtunt hoſtes, vel vi tormentorum, vel cuniculorum, vel admotis ſcalis per nocturnas inſidias, vel defatigatis obſeſſis per aſſiduos, & diuturnos labores, vel proditione, vel cæteris militaribus artibus, denique capitur, niſi maturè ſuccurratur: cum vel annona deficere, vel bellicos apparatus neceſse ſit per diuturnam obſidionem: vel præſidia ſemper minui, quæ diutius tenentur incluſa modo vulneribus per frequentes defenſionum pugnas, modo morbis, qui varii defatigatos diu, & incluſos inuadunt. Cæſariani diuerberationem non intermittentes propè perfectis cuniculis, detractiſque ligonibus propugnaculis, quæ propter condenſatum exterius ſclopettariorum globum defendi non poterant ab vrbanis armis, cum anteridibus omnia ſuſtentarentur, neque aliud deeſset, quàm ignem cuniculis ſubmittere, pulueri que tormentario, qui ſub propugnaculis erat collocatus, ſtatuunt exitum rei experiri. repletis igitur foſſis lignorum faſciculis, aliatiſque ſcalis ad muros conſcendendos, quæ coopertæ erant ad euitandam vim ſaxorum igni cuniculis iniecto cum miſerabili omnium nationum, quæ in armis circunſteterant, ſpectaculo magna fit ſtrages, cum Galli ſublimes ferrentur cum terra, & mox cum magno fragore præcipites caderent, multique ciues ruinis ędificiorum fuiſsent oppreſſi. ita vero repletæ ſunt foſsæ partim coniectis faſciculis lignorum, partim ruinis factis per tormenta, vt via ſtrata videretur ad inuadendum. Galli quod intelligerent ſe non poſse diutius Cæſarianorum viribus reſiſtere, quia iam omnes aggeres eſsent ſucciſi, deuaſtata propugnacula, muri deiecti, omniſque ſpes ſalutis vana appareret, decernunt agere de deditione. at, illa dum tractantur, Sequani, & Germani prioris gloriæ cupidi, quòd primi omnium quique vrbem inuadere niterentur, cum Hiſpana vexilla ex altera parte conuulſa eſſe intelligerent hac ipſa de cauſa, audacter per ruinas incedunt: ſed à ſtrenuis defenſoribus coguntur recedere, ſeque denuo recipere in caſtra. Galli, qui cæteras vrbis partes tuebantur, his ſuccurrunt, quorum diſceſſu nudata ſunt aliæ vrbis plateæ defenſoribus. Hiſpani illam opportunitatem non negligendam rati in vrbem nullo prope negotio admotis ſcalis ingrediuntur, atque obuios quoſque trucidant, Galli cum Memorantio regulo de ſalute conſultantes, denique Hiſpanis ſe dedunt, à quibus magna humanitate, & clementia ſeruantur. ſolis captis principibus defenſorum reliquos milites inermes, & in morem mitioris belli liberos, priuatos tamen impedimentis, in patriam dimittunt. at Germani, & Britanni ac Sequani nulli vel ætati, vel ſexui, vel dignitati parcentes, tanquam immaniſſimæ tigres inaudita feritate obuios, & inuentos quoſque iugulant, & trucidant. templa, & loca publica, & priuata nulla habita, vel Dei ipſius reuerentia, nedum hominum diripiunt, & ſuccendunt, omniaque ſacra contaminant, violant, profanant. Teruanna igitur poſt tredecim dierum aſſiduam verberationem cum viginti, & quatuor millia globorum, & amplius contorta fuiſſent ita capta eſt, & Cæſari iuſſu poſt triduum ſolo adęquata, ne Galli poſſent inde in poſterum fines Cæſarianos infeſtare. Memorantius cum nonnullis viris illuſtribus in poteſtatem Benincorti venit, cęteri duces relicti ſunt arbitrio, tanquam pręda Hiſpanorum, à quibus honorificè tractati redempti ſunt honeſtis conditionibus. ſed quoniam acerba, moleſtaque gloria Benincorti videbatur illis, qui tanti facinoris autores voluiſſent haberi, cum nihil magis animos nobiliorum ducum perpungat, & ſollicitos habeat, quam vt pręclarum pręconium ſui nominis ad poſteros tranſmittant, quia videbantur ſatis honeſtę diſſenſiones de captiuis, multis è principibus querelas ad Cæſarem illa de re detulerunt: qui ad has controuerſias diluendas ducē Allobrogũ cũ ſummo rei militaris imperio omnibus copijs pręficit. concedit autoritatē illas contentiones diiudicandi, perficiendique belli donec tempus anni copias eſſe ſub dio pateretur. nam tametſi frigora nonnihil

Munitionũ vſus.

Clemētia Hiſpanorũ memorabilis.

Teruanna capta, incenſa, ſolo æquata.

nonnihil infeſtabant propter anni intemperiem, naturamque regionis, quæ difficilis eſt, & paludoſa, tamen cum Dux ille veniſſet in caſtra omnibus diſſenſionibus,atque controuerſijs ſedatis, & compoſitis poſt diuturnas conſultationes habitas cum principibus exercitus,decernit antequā Henricus auxilia ſubmitteret, tentare Edini expugnationem. At verò in Britannia quia videretur Maria non ſatis æquo animo cælibem vitam perferre, habita ſunt comitia ab eius regni proceribus de illius nuptijs,in quibus decretū eſt factū, vt liceret reginæ pro arbitrio nubere vel Britanno viro, vel externo principi, quemcunque illa in maritum cooptaſſet. Henricus audita Teruannæ iactura magnopere turbatus eſt,quòd tot præclaros duces vno tempore cum vrbe amiſiſſet, cum vix fieri poſſe putauiſſet,vt vrbs tam munita & inexpugnabilis habita inter illas nationes tam breui per vim bellorum in poteſtatem hoſtium veniſſet. veritus igitur Edinum ne iiſdem artibus caperetur, cuius Bullioneus Dux præerat pręſidiis, mittit etiam Horatium Farneſium, cui dederat in matrimoniū Dianam filiam ſpuriam cum multis Italis,Galliſq; proceribus,inter quos erat Dux Chij vicecomes, Heliæ maritimæ coloniæ marchio, equites triginta & quatuor, nobiles quingenti, qui ſponte ſeſe ad huiuſce loci defenſionē obiecerant.eſt autem Edinum oppidum inſigne Attrebatum, non procul à flumine Guinca vocato in finibus Vermanduorum in planitie,vndiq; procul à montibus.quod pluribus aquis irrigatum mirificè pabulorum copiæ fęcundum redditur,abundatq; omnibus rebus neceſſarijs humanæ vitæ. Tum Henricus iubet exercitum varijs in locis diſperſum in agrū Ambianorum conuenire.iubet multas nouas cohortes colligi,quas cū veteranis copiis commiſceret. imperat tribunos Heluetiorum cum copijs acciri, vt potentem, numeroſumq; exercitū Cęſari opponeret; quem,ſi daretur commoda pugnandi facultas,adoriretur.dum Coneſtablius regium conſilium exequitur profectus in agrum Ambianum, Dux Allobrogum omnem ſpem, ſummamq; belli in ſola celeritate repoſitam eſſe arbitratus,quòd hos rumores,& apparatus iam percepiſſet, incredibili ſtudio copias Edinum adducit,atque intra biduum, cum non adeſſent ſatis valida præſidia, eo loco potitur,cum omnes ad oppiduli defenſionem ſe recepiſſent. illud cum arctiſſima obſidione à tribus lateribus cingeretur, concutereturque pluribus ſeptuaginta bellicis tormentis, fierentque cuniculi, vbiq; ad euertenda męnia, nullum quietis ſpatium obſeſſis,neque interdiu, neque noctu relinquebatur. tanta verò erat vis tormentorum aſſiduè verberantium, vt maior pars breui ceciderit eius ſpatij, quod inter vtraque propugnacula defenſores protegebat. Dux Allobrogum ſtatuit vt vrbis repetitis conatibus oppidulum inuaderetur, in qua pugna tanta enituit virtus, & fortitudo Gallorum non ſine aliqua ſtrage, vt Cæſariani cum multa ſuorum iactura coacti ſint in caſtra recedere. renouata eſt rurſus verberatio, atque per has pugnas, quæ ſępius repetebantur, paulatim oppiduli præſidia ac defenſores minuebantur. ad Dux Bullioneus vbi intelligit ſe non poſſe diutius reſiſtere,concilium conuocat ſociorum & ducum, quo in ſtatu res ſint docet. demonſtrat aduerſus tantum hoſtium numerum, tam paruis viribus non poſſe reſiſti. militare decus conſiſtere in illis locis defendendis, quæ defendi poſſunt, at vel per ſummam inopiam auxiliorum, ac defenſorum ſtultum eſſe manifeſtis periculis ſe obijcere. nullam turpitudinem iure poſſe cenſeri committi ab ijs militibus, quos neceſſitas, at non voluntas ac timor ad deditionem compulerit. non modo non iudicari prudentes,qui per debilitatem locorum,aut pręſidiorum,aut per inopiam apparatuum, & annonæ munitiones tueantur,neque velint ſe dedere,ſed etiam ab hoſtibus denique victos nullum veniæ locum iure inuenire. atque ingentes pœnas ſubire ſuę pertinacię, ac temeritatis. qui enim non intelligat quę defendi poſſint, & quæ relinquenda ſint, eum omnino militem non poſſe appellari, quæ cum fuiſſent ab omnibus approbata, qui intelligebant quo in ſtatu res eſſent, decernitur vt certis conditionibus fieret deditio, præconeſque mitterentur ad Ducem Allobrogum. Dux cum appareret illis pactionibus aſſentiri, neque quidquam deeſſet pręter obſides, & ſubſcriptiones, Cęſariani qui rem ęgrè ferebant, quia vel gloriam, vel prędam per hanc compoſitionem ſibi exiſtimabant è manibus præripi, atque certiſſimam victoriam extorqueri, leuia certamina cum Gallis committunt. Galli repentinum conatum Cæſarianorum veriti cuniculum excauarant non procul ab ea verberatione, quò cum hoſtes irretiuiſſent moræ impatientes ignem ſubiiciunt, quare multi Germani, & Hiſpani concremantur. ea vis ignis cum multum damni Sequanis etiam intuliſſet irrepens in loca quædam affabre facta,tanta indignatione illos afficit, vt omni ſermone de fœdere neglecto conatus renouatus ſit, qui tamen noctis aduentu diremptus fuit Cæſarianis in caſtra redeuntibus multis è ſuis deſideratis. dum obſeſſi reparationes ſingulari diligentia reficiunt, eriguntque aggeres à tormentis diſiectos, Dux Allobrogum cum conſenſu militaris concilij, quod illi Cæſar adiunxerat, ad expugnationem Edini mirum quoddam ſtratagema excogitat. iubet verberationem accerrimè renouari, quæ cum per biduum facta fuiſſet omnes defenſiones ſunt proſtratæ, atque cuniculus ſub eadem mœnia excauatus, quà locus erat inuadendus. ſtatutum eſt vt milites ad conatum delecti cum primùm phalanx ad murum accederet, aperiretur, alterumque dimidium ad dexteram, alterum ad ſiniſtram diſtribueretur, ac diuideretur,atque ita vacuum ſpatium in medio relinquerent. illud cum ad vnguem obſeruatum factumque eſſet, ſtatim iubentur tormenta diſplodi in obſeſſos, qui frequentes ad defenſionem accurrerent. ſic enim futurum erat,vt multis laniatis ignatis eorum quæ parabantur, magnopere debilitarentur præſidia, tum diploſis tormentis iubentur magno impetu vrbem inuadere. nam ſine hoc artificio oppidulum capi non poterat propter multas reparationes, quæ interius fuerant erectæ per Farneſij, & Bullionei diligentiam. vbi dies ad pugnam deſtinatus aduentaſſet Allobrogum dux cataphractis in acie conſtitutis addit agmen confertum peditum ad eos ſuſtentandos, qui erant oppidum adorituri. ex altera parte conſtituit equitatum leuio-

Comitia Britanna de nuptijs Mariæ.

Edini deſcriptio.

Ducis Bullionei oratio.

Stratagema.

ris armaturæ cum tanta manu peditum, quanta poſſet ab illis lateribus vires hoſtium ſuſtentare, ſi conatum forte vellent retardare. milites iuſſos pridie corpora iurare in aciem inſtruit, vexilliſque in oppidum erectis iubet ad inuadendum accurrere. illi ſimulantes ſe velle adoriri, vti iuſſum fuerat, bifariam diuiduntur, cum alij ad dexteram, alij ad ſiniſtram ſecederent. tormenta continuò per medios Cæſarianos diſploduntur in obſeſſos obiectos, atque egreſſos ad defenſionem: atque ignis ſubiectus eſt cuniculis ſub verberatione latentibus, quà erat irrumpendum.

Horatii Farneſij cędes.

Illuc Horatius Farneſius cum omni nobilitate, multiſque equitibus diui Michaelis confluxerat, quorum maior pars cęſa eſt, aut vulnerata, atque Horatius ipſe globo laniatus interijt. illo inexpectato euentu muris collabentibus, & propugnaculis, & aggeribus plana propè via facta eſt Cęſarianis. quo ſpectaculo territi reliqui defenſores, quamuis ſtrenue pugnabant, diuque poſtmodo ſuſtinuerunt impetum, & vires Cęſarianorum, tamen Cęſariani demum oppido per vim armorum potiuntur. omnia ferro, cędibus, incendijs, populationibus, rapinis deſtruunt: ſed

Edini cędes, & deuaſtatio.

præcipuè hoc faciunt Sequani, ac Belgæ ac Germani omni prorſus humanitatis, miſericordiæ, clementiæ memoria ex animis obliterata, & deleta. Dux Bullioneus, ac reliqui proceres Galli, qui ſuperſtites fuerant è ſuperiore clade Duci Allobrogum ſe dedunt, & eius vicem gerenti Benincorto in illa expeditione. ceciderunt inſigniores è Gallis Horatius Farneſius, vicecomes maritimæ coloniæ, Monuillæ, Ambuoſæ, Carnutenſis, Megenſis reguli. multi præterea tribuni, Centuriones cohortium præfecti, ac ſigniferi, tam equitatus, quàm peditatus. è Cæſarianis deſiderati ſunt nonnulli duces, & ſigniferi, & honorificentiſſimi milites anteſignani, qui ſemper in prima acie pugnabant, ſemperque inuadendis vrbibus primas tenebant, vt ſuam fortitudinem omnibus conſpicuam facerent. miſſus fuerat Caſtalius ad Cæſarem reuerſus è Pannonia ad illud oppidum recognoſcendum, quod intellectum fuit tanta diligentia Horatij ingenio muniri, vt viuo Horatio capi omnino non poſſet. tanta erat vnius prudentis principis in re bellica præſtantia. Cæſar poſtea ipſe in oppidum ingreſſus decernit illud oportere funditus euerti. at Dux

Auxiú opp.

Allobrogum dum Edinum deſtruatur, ac deuaſtetur iubet copias non procul ab Auxio oppido caſtrametari, vt ita vires quæ finitimæ erant Gallorum refrenarentur quominus conſilia Cæſarianorum impedirent, atque ne aduerſus nouum Edinum hyemarent, quod erant Cæſariani ædificaturi. Dux ipſe certe Allobrogum cum magna manu militum, atque equitum turma obuia, quæque ſuccendens vniuerſum agrum ad mare, vſque & Aureliam populatur incurſionibus, & rapinis. Cæſar poſtea iubet nouum oppidum ædificari non procul ab eo, quod euerſum fuit inter nonnullas paludes, quarum opera munitum tutumque reddebatur, atque cęptum eſt

Nouū Edinū extructum.

menſe ſextili mira celeritate ædificari in coronæ morem, vocatumque fuit nouum Edinum, vt è ruinis antiqui oppidi Edini extructum. poſt illud facinus Cæſar Bruxellas ſe contulit, at Dux Allobrogum impoſitis firmiſſimis præſidijs, ſimulat ſe velle vlterius progredi ad expugnandas alias munitiones: quæ cum egregiè eſſent munitæ, & Henricus iam ſatis validum exercitum collegiſſet, viſum eſt iam anni tempus poſtulare, vt copiæ deducerentur in hyberna, atque magis conueniens rebus bellicis initium anni ſequentis expectaretur. illa victoria Iuliobonam nuntiata ingentis lætitiæ ſigna edita ſunt. per illud tempus, quo fortuna Henricum Gallorum regem his calamitatibus affligit in finibus Belgarum, neque Ottomanica quidem familia ſuis caruit ęrumnis, quę acerbiſſimarum, & miſerabilium tragędiarum prębuit argumenta. Nam cum Perſę, vbi dictum fuit in Cappadociam ingreſſi multas vrbes incendijs, rapinis, cędibus fuiſſent populati abductis colonis in ſeruitutem, quod ipſum factum fuit in Syria quoque, Solimanus rumorem excitat, quod ipſe ad illud bellum eſſet in Cappadociam exiturus, ac miſſurus in Syriam cum exercitu Roſtanem purpuratum virum pręcipuæ autoritatis inter Turcas. ſed hoc fiebat ſubdolè, quia curabat capere

Inſidiæ in Muſtaphā Solimani filiū.

Muſtapham filium, quo cęſo putabat, & vitam, & Imperium tutius ſe conſeruaturum. perſuaſum enim fuerat Solimano futurum, vt ab eo filio ex imperio eijceretur, qui ſumma prudentia, & autoritate apud omnes nationes plurimum poterat, mirificamque ſibi per animi ſapientiam exiſtimationem, & per liberalitatem, ſplendorem, manſuetudinem omnium populorum beneuolentiam concitauerat. ad hanc autem rem explicandam videtur initium neceſſariò altius repetendum, vt ſingulare genus fraudis muliebris, inaudita propè patris crudelitas in filium, horrenda Ottomanicę familię clades, intelligatur. Solimanus è ſerua muliere è Circaſſia oriunda filium nomine Muſtapham primogenitum ſuſceperat, quem cappadocię prouincię in Conia pręfecerat, vt, ibi honorificè cum matre, & non prorſus priuatus viueret. ille vbi corporis vires creuiſſent, & animi dotes, atque ornamenta eam ſui expectationem concitauit, vt ſummus dux, & optimus princeps fore putaretur. qui vbi Byzantio cum matre ad pręfecturam exiiſſet, Solimanus alterius ſeruę, quę Roſſa nominabatur, amore captus eſt. Imperatores enim Turcarum multas ſolent habere captiuas mulieres intra quoddam ſeptum, ex ijs, quę pulchritudine præſtantes, in expugnationibus vrbium capiuntur. atque cum viſum ſit, nullis matrimonijs, nullis tædis, nullis nuptiarum ſolennibus, harum aliquam pro arbitrio rapit ad libidinem. quę verò ſemel eum

Roſſæ filii è Solimano.

Imperatore concubuerit, neminem prorſus virum amplius pati fas eſſe arbitratur, niſi Imperator ipſe cuiquam dederit in matrimonium. Solimanus tanto amore eius Roſſæ capitur, vt quatuor ex illa filios ſuſceperit: Mehemettum, quem præfecit Ciliciæ, & Pamphyliæ, cui poſtea mortuo ſucceſſit in prefecturam Selimus. Baiazettum, cui conceſſa fuit Mechoreſia, & Zeangir gibboſus, qui vtrinque gibbum habebat. fœminam præterea Chameriam nominatam, quæ locata eſt in matrimonio Roſtani purpurato. Roſtanes vbi in Abraimi demortui locum fuiſſet ſubrogatus ad honeſtam conditionem Ianizzerorum, & ſanzacchorum, & uniuerſi exercitus

ſtipendia

ſtipendia perduxit, quæ prius videbantur magna, & intollerabilia. vectigalia quoque adauxit, quare principis prouentus ampliauit. illis artibus omnium populorum in ſe odium mirificum excitauit, at incredibili Solimani per illa facinora ſibi conciliata beneuolentia parum curabat animos vulgi. nam profectò gratiſſimus eſt tyranno cuique, qui pro tyranni vtilitate omnem perfidiam, improbitatem, crudelitatem exerceat; ac non modo nullam infamiam, aut hominum minas non timeat, ſed neque ipſius Dei quidem vltionem, aut iram vereatur. Vnius Muſtaphæ animum Roſtanes verebatur, quem ſibi ſciebat eſſe infenſum, quòd eum militum, populorumque omnium ſtudia ſequerentur. is timor Roſtanem etiam impulit, vt vnà cum Roſſa muliere in caput, & pernitiem Muſtaphæ conſpiraret. ſic autem inauditum fraudis genus paulatim intexitur.

Roſſa inauditum fraudũ genus excogitat.

Roſſa ſimulat ſe velle religionis, & pietatis cauſa ad honorem altiſſimi Dei, ac prophetæ Mahometti Xenodochium excitare, atque extruere ad excipiendos peregrinos. percunctatur Mupletem vocatum, qui ſummus eſt, & princeps Ottomanicorum ſacerdotum, & tanquam ſummus Pontifex, an illud factum futurum eſſet gratum Deo, & conferret ſaluti animæ ſuæ. reſponſum tulit id acceptum quidem Deo futurum, ſed nihil ad eius animam pertinere, quia facultatibus domini, at non ſuis ædificat, qui eſt in alterius poteſtate, neque vitæ propriæ poſſit eſſe arbiter. illud enim ad Solimani, non ad ipſius ſalutem animæ neceſſariò ſpectare, vt qui facultates omnium ſubditorum poſſideat. illo reſponſo ſimulat ſe non mediocriter triſtari, quòd non modo corporis, quod libenter domini arbitrio ſubijceret, ſed neque animæ quidem libertatem haberet, de cuius ſalute actum eſſe videbatur. has querulas voces ſæpius cum multis domeſticis iactauit. ea res vbi ad aures Solimani perueniſſet ignari muliebrium inſidiarum, partim amore, partim etiam miſericordia commotus per nuntios illam iubet eſſe læto animo, quòd cito eius votis fieret ſatis. nec multo poſt diploma mittit, per quod illam libertate donabat. ea gratias immortales agens inſtitutum ædificium peragit. abſtinet ab omni libidine interim per opportunitatem eius pietatis, quare magis etiam Solimani deſiderium ſui inflammat: cum gratiora ſint quæ apparent cum aliqua difficultate obtineri, quàm quæ volentibus vltro ſe offerunt, aut ſunt in promptu. mittit Solimanus qui nuntiaret, vt ſe ſequenti nocte expectaret: at ea remittit ſignificatum, vt proſpiceret ne ſuę legi aduerſaretur, quando liberam ſponte feciſſet. diligenter caueret ne peccaret, cum non poſſet legitimè rem habere cum libera muliere, quod etiam poſset è Muplete cognoſcere. addit tamen vnum Solimanum & facultatum & corporis, & vitę eſſe dominum. Illud reſponſum propter cupiditatem acerbiſſimum viſum eſt Solimano, qui quo magis prohibebatur ad illam accedere, eo magis illius flagrabat deſiderio, quia non videbat quo res denique tenderet. hiſce ſtimulis agitatus Mupletem acceſſit. conſulit an poſſit per religionem rem habere cum liberta. ille vt erat precibus, & muneribus impulſus, atque inſtructus, reſpondet iſtud non licere, niſi vxorem duceret. grauiſſimum fore peccatum ſi aliter fieret, quòd ita à lege eſset ſtatutum. atque hoc reſponſum magis etiam animum Solimani cupiditate incitauit. extulerat autem ipſius Roſsæ animum non mediocriter Hieronymi Laſchi oratio viri ingenio, & eloquentia clari perpetui oratoris Byzantij pro Polonię regno. vt enim ſunt mentes mortalium propenſę non ſolum ad audiendas proprias laudes, ſed etiam ad credendum quidquid de ſe honorificè dicitur, vel de gentis ſplendore, uel de maiorum nobilitate, facile Laſchus perſuaſit illi mulieri ad res maximas aſpiranti, quòd eſſet è ſanguine regum Polonorum, quare magnam ſibi conciliauit eius mulieris beneuolentiam. at certè ea res diuulgata videbatur Roſſæ multo faciliores nuptias factura cum Imperator Solimanus vxorem è regia ſtirpe. at non priuatam eſſet ducturus. Solimanus demum grauiſſimis ſtimulis exagitatus eam vxorem ducit. aſſignat quinq; Sultaninorum millia, quod nomen eſt aureæ pecuniæ Turcicæ annuum prouentum, quem haberet dotis nomine, quod quidem factũ eſt præter Ottomanicæ familiæ conſuetudinem, cum Ottomanici imperatores nullam certam vxorem habere conſueuerint, ne appareant habere ſociam Imperii. nam modo hac, modo illa ad libidinem vtuntur pro arbitrio, atque quæ harum conceperit, & pepererit, Sultana honoris gratia à cæteris nominatur, & poſtea, vt libuerit Imperatori, præſtantioribus proceribus locatur in matrimonio, quod facinus proceres ſummum honorem ſibi eſſe arbitrantur.

Roſſę perſuaſum eſt, qui eſſet è regia familia Polonorum.

Solimanus ducit vxorẽ.

his artibus Roſſa è ſeruili conditione ad tantam imperij amplitudinem prouecta, cœpit excogitare quibus artibus rurſus effici poſſet, vt vnus è ſuis filijs poſt mortuum Solimanum ad tanti imperij amplitudinem aſcenderet, quod Muſtaphæ vti primogenito debebatur. huic deſiderio vnum erat impedimentum egregia Muſtaphæ virtus etiam & autoritas. ad illum expugnandum viſum eſt Roſtanis generi opera, & conſilio vti oportere, qui etiam iure videretur Muſtapham cognato, poſthabiturus, quem maxime faciebat inuiſum contraria animi virtus, & egregia magnificentia. atque cum nonnullam partem prouentuum Muſtaphæ etiam in illa prouincia ſubtrahere voluiſſet, facile apparebat non modo dignitatem Roſtanis, ſed etiam vitam in magno periculo verſari, ſi Muſtapha vnquam imperium ſuſcepiſſet. hunc Roſſa ita blanditijs in ſuam ſententiam allicit, ita promiſſis adducit, atque attrahit, vt communi conſilio denique ad euertendum, & labefactandum Muſtapham conſpirarit. probabilibus igitur rationibus perſuadet Solimano mulier vitam, & imperium poſitum eſſe in magno diſcrimine propter nimiam Muſtaphæ autoritatem, & beneuolentiam earum in ipſum nationum, cum multa exempla Ottomanica familia habeat crudelitatis in parentes filiorum domeſtica, & in recenti adhuc hominum memoria. ex altera parte Roſtanes, vt probabiliores faceret mulieris rationes imponit illud oneris omnibus magiſtratibus, qui in Ioniã, reliquaſq; propinquas prouincias Cappadociæ mittebantur in præfecturas, vt quanto maiore ſtudio poſſent omnia præclara de Muſtapha conſcriberent. monet vt paterno

Exquiſitum fraudum genus.

deſiderio laudum filii ſatisfacerent,& quàm maximis laudibus Muſtaphæ acta extollerent. præfecti inſidiarum,fallaciarumque ignari, quæ in caput Muſtaphæ parabantur, hoc honorifico ſcriptionis genere,& frequenter,& libentiſsimè funguntur,qui etiam ita ſe inire gratiam patris arbitrarentur. ita verò res deducta eſt,vt apertè viderentur Solimano patere maxima militum deſideria, vt ille imperium obtineret,cum appareret omnium populorum in illum ſingularis beneuolentia, & ſtudia. Noluit tamen primus Roſtanes hæc tam ſcelerati conſilij ſemina ſpargere, ſed redditas literas permittebat nefariæ mulieri ad opportunitates reſeruare. Illa primum mirum in modum ſimulat ſe lętari his laudibus,ſibique gratam eſſe magnificentiam Muſtaphæ oſtendit. ſed poſtmodo paulatim animum Solimani conatur facere ſuſpenſum, tanquam ipſa non parum eſſet de vita illius ſollicita, cum his ipſis artibus Selimus patri ſuo vitam,& imperium eripuiſſet. hortatur vt Muſtaphæ conſilia diligentius exploraret,atque inueſtigaret quorſum tenderet illa filij liberalitas, & magnificentia, quæ inſidiarum plena eſſe poſſet. non ignorabat enim mulier calidiſſima omnia,vel leuiſſima male affectam corporis,aut animi partem vexare ſolere. ſed hæ criminationes primùm ſubfrigidæ Solimano viſæ ſunt,vt quæ parum ingenio prudentis iuuenis conuenirent: cum minime conueniat aut principi homini auaro eſſe, aut eum principem ac regem, in quo aliqua virtutis, & magnificentiæ apparuerint veſtigia,in ſuſpitionem proditionis ac ſcelerum reuocare. Idcirco ſceleſta planèque nefaria mulier aliud inſidiarum genus excogitat, vbi hoc non ſucceſſiſſet. ad vim veneni recurrit,atque patris nomine edulia affabrè facta iuueni mittit munus. Muſtapha re per prægustatorem,qui ſtatim ijs guſtatis interijt, patefacta, venenata nouercæ munera humanda curat. Illud etiam conſilium fœminæ vbi irritum de necando priuigno fuiſſet, minime animo cõcidit;ſe ad aliud genus inſidiarum accingit. rogat Solimanum, vt reditus filijs viciſſim concederetur ad viſendum patrem, quod videbatur fieri duplici ratione,tum vt præſentia filiorum patrem in amorem alliceret, tum etiam vt ita commodior facultas ſibi daretur opprimendi priuigni, ſi aduentaret. Sin autem,vt odium in eum concitaret,vt qui paternis mandatis reniteretur. hoc autem videbatur committi contra conſuetudinem imperatorum viuente patre,cum nũquam primogeniti Turcarum Imperatorum Byzantium redire conſueuerint vbi ſemel in prouincias miſſi fuiſſent, niſi cum armati accederent ad ſuſcipiendum Imperium. ſed enim ita efficiebatur vt vnus, aut duo filij ſemper eſſent cum Solimano, & Zeangir præcipuè, cuius conſuetudinis deſiderio pater non parum tenebatur, ac delectabatur moribus,quòd eſſet iuuenis callidus, & acri ingenio. fortuna,quæ felicitatem crudeliſſimæ fęminæ prorſus abſolutam omnibus numeris eſſe volebat,curauit vt literæ etiam afferrentur eodem tempore à purpurato,qui erat cum Muſtapha, (nam ſingulis filijs purpuratos Solimanus miſerat, qui vicario munere in illis præfecturis ob imperitiam filiorum fungerentur audiendis cauſis populorum ac iure dicũdo in prouincijs,& in rebus bellicis conſilio iuuarent,ac præceptores qui in cognitione diſciplinarum erudirent,) in quibus continebatur,quòd agebatur de nuptijs,atque tractabatur vt Muſtapha filiam regis Perſarum in matrimonium duceret. purpuratus ea ſcribi oportere cenſebat, ne forte tanquam conſcius mox ſubiret ſupplicium,ſi res contra Solimani ſententiam ageretur. Illæ literę cum ad Roſtanem perueniſſent, appareretque maxime opportuna oblata occaſio Muſtaphæ opprimendi, omnia conſilia cum Roſſa communicat, atque communi etiam conſilio mox ambo accedunt ad Solimanum. tantæ efficaciæ plena verba addunt his literis, tam augent rationibus, & exemplis patris ſuſpicionem, quòd filius affectaret tyrannidem per domeſtica, & extera auxilia, vt rem iam non amplius dubiam,ſed certiſſimam eſſe arbitrarentur. addunt calcar currenti ad ſuſpicionẽ, iuueni conciliatam beneuolentiam omnium populorum. proponunt ante oculos patris ſenectutem à iuuene filio contemptam. demonſtrant illam liberalitatem eſſe excogitatam ad milites omnes ad ſua vota alliciendos. oſtendunt Muſtaphæ ambitionem, magnitudinemque animi, qui nihil humile ac non celſum cogitabat, ſed incredibili quadam imperandi cupiditate tenebatur. ad hoc faciendum inquiunt eum amicitias nationũ Perſarum Ottomanico nomini infeſtiſſimarũ ſibi clam conciliare,atque coniungere ſtudere,vt ijs viribus auctus facilius patrem opprimeret,Imperiumque occuparet; à qua nouitate rerum apparebant Ianizzeri illius amiciſſimi etiam non valde abhorrere,qui ſingulari eius liberalitate fuiſſent corrupti. illa tanti ponderis viſa ſunt Solimano, vt non amplius falſa eſſe poſſe cenſeret,ſed tam prono animo in eam ſuſpicionem inciderit,vt decreuerit filiũ omnino de medio tolli oportere. nam profectò vbi agitur de imperio, vbi vel pertenuis ſuſpicio ſuborta ſit, nulla ſatis firma eſt, aut ſancta naturæ neque amicitiæ coniunctio, cum maieſtas regni, & libido dominandi omnia humana diuinaque iura conculcet. Solimanus igitur paratis ingentibus copijs Roſtanem mittit reipſa ad filium capiendum,verbo autem ad vlciſcendas iniurias Perſarum, quas frequentes finibus imperij intuliſſent. vbi Roſtanes perueniſſet ad fines Syriæ,Muſtapha audito eius aduentu cum ſeptem millibus lectiſſimorum peditum obuiam procedit. Roſtanes cum intelligeret ſe non poſſe perficere conſilium Solimani ſine magno periculo, diſſipat rumorem quòd omnia tranquilla, & pacata inueniſſet, atque Byzantium verſus caſtra mouet minimè expectato Muſtaphæ aduentu. narrat Solimano quo in ſtatu res inuenerit. impulſus Roſſæ precibus auget etiam eius ſuſpicionem. declarat,quàm propenſum in illum haberet exercitum,quem duxerat in Syriam, qui nihil aliud magis optare apparebat,quàm vt Muſtapham Imperatorem videret. ſe ideo veritum eſſe prælium committere, ne rem arbitrio fortunæ crederet propter immenſam populorum in illum beneuolentiam, & præcipuè Ianizzerorum,quam præ ſe ferrent. ſe rem integram ſuæ maieſtatis iudicio reſeruaſſe. hæc tantum metum, tantamque indignationem in animo Solimani aduerſus filium excitarunt, vt ſatis opportunam viam, facilemque aperuerint inſidiatoribus ad innocentis filij,& horum ignari pernitiem. iubet itaque copias colligi in annum ſequentem omnes,

Munus nouercæ timẽdum.

quæ

quæ collectæ ſunt magno ſtudio. Iuſſus eſt Achmetus purpuratus Curtenſis, qui in Pannonica expeditione præclarum virtutis ſuæ indicium non ſemel ediderat, cum omnibus Pannonicis copijs in Cappadociã contẽdere, quòd Solimanus terrores diſſipauiſſet, quia Perſæ rurſus in fines Syriæ prędabundi, ac populabundi incurſiones feciſſent, atque ipſe cum vniuerſo exercitu equitauit ad eos fines. imperat è veſtigio literas dari ad Muſtapham, quibus iubebatur venire ad vrbem Berthoeam, ſiue Alepiam; atque cum vellet odium occultare, quod in filium per alienam fraudem conceperat, non tamen tam celare potuit, quin Achmetus vir prudentiſſimus illud ſentiret. grauiter tulit ſanè magnificentiam filij paternum odium concitauiſſe, quare veritus ne illud accideret, quod poſtea euenit, certiorem facit Muſtapham ſibi periculum imminere, ne facile confideret. ſalutis ac vitæ ſuæ rationem haberet. Muſtapha mirari cœpit vnde illa proferrentur, cum etiam patrem nulla oblata occaſione cum tanto exercitu illuc acceſſiſſe cerneret. nam cum Perſarum res eſſent quietæ, in non paruam incidit ſuſpicionem, quamuis conſcientia integritatis, & innocentiæ confirmaretur. vexabat animum, & aliquantulum etiam terrebat ſomnium, quod per noctem Muſtaphæ viſum fuerat. nam dormienti apparuit in ſomnijs ſub auroram vir ſplendentibus veſtibus indutus, radijs propè ſolaribus, qui manu apprehenſum in locum amœniſſimum adducebat, vbi magnificentiſſimum palatium viſebatur multis fructiferis arboribus, & terra multiplicibus floribus tecta circundatum. ibi locum aſſignari aiebat viris bonis, & innocentibus, qui per virtutes mortalem hanc moleſtiarum plenam vitam tranſegiſſent, atque iniquitati, & ſceleribus cęterorum pro viribus obſtitiſſent. tum in aliam partem conuerſus duo ingentia flumina monſtrabat, quorum alterius aqua quaſi picea decurrebat bulliens, in qua magna inerat turba; cum alij modo immergerentur, modo extollerentur, alij cum magnis eiulatibus fortunam ſuam deteſtarentur. atque hic vir ille ſplendidus excruciari inquit qui per iniquitatem, & crudelitatem, cæteraque vitia impura contaminati è vita mortalium exceſſiſſent. illud ſomnium vbi doctori ſuo aperuiſſet, monetur vt ſaluti ſuæ conſuleret, cum præſertim Turcæ ſuperſtitioſi ſint illi, qui ſe leges obſeruare profitentur, maximeque ſomnijs credant. tamen neque his quidem terroribus commouetur Muſtapha, quo minus conueniat ad paternam obedientiam, quia glorioſius ſibi duceret mori per innocentiam, quàm eſſe rebellem, & paternis mandatis repugnantem turpiter viuere. ſumma igitur celeritate in caſtra paterna properat, quæ diſtabant ab Alepia circiter quadraginta millia paſſuum. illa tanta celeritas, quoq; adauget paternam ſuſpicionem, cum vel minima ſuſpicio facile quibuſuis euentibus augeatur, omniaque vel bona, vel mala putentur ad conceptum finem tendere. eam quoque ſuſpicionis augendæ occaſionem Roſtanes non prætermittit. ſignificat vt illi nictu oculorum Ianizzeri & primates exercitu obuiam procedant. nam Turcæ ita ſunt inſtructi, vt ad ſola ſigna oculorum, aut manuum regantur, exequanturque munia militaria cum ſummo ſilentio vbi opus fuerit. illi rati ſe gratificari Solimano magna celeritate occurrunt, quare tota caſtra ad eum ſalutandum confluunt. Roſtanes ſe grauiter ferre ſimulat, quòd ſe inconſulto Ianizzeri & primarij exercitus ad eum excipiendum cum clamoribus, & magna lætitiæ ſignificatione exiuiſſent, neque aliud reliquum eſſe videbatur, niſi vt imperium occuparet. idcirco hortatur Solimanum, vt ſibi caueret, vitamque diligenter tueretur. atque Solimanus è tentorio pallens præ timore eam exercitus lætitiæ ſignificationem coram intuetur. cum primùm Muſtapha paternis caſtris cum ſuis copijs propinquauit, ſua tentoria iubet erigi, candidoque habitu indutus ad exoſculandam paternam manum contendit. atque cum ſe imprudẽter accedere cum pugione cognouiſſet, illum recedens ſtatim depoſuit, vt omnem patri ſuſpicionem fraudis abrumperet. in primum tentorii thalamum profectus alacri vultu ab eunuchis excipitur, atque nullum videns ibi apparatum præter ſedem, in magnam venit dubitationem. cum aliquandiu ibi conſtitiſſet, rogat vbi eſſet imperator, à quibus reſponſum eſt breui affore. tum ſeptem mutos exire videt ex alio thalamo, qui aſſiduè Solimano aſſiſtebant, ſoliſque ſignificationibus imperatoris voluntatem atque clandeſtina conſilia exequuntur. illi cum aduerſus Muſtapham accederet, magno terrore afficitur, & iam mortis metu fugiturus, quam ab his timebat, extra tentorium aufugerat, ſed ab eunuchis qui erant extra tentorium, & à mutis detentus rurſus intra tentorium adducitur. ibi muti neruum Turcici arcus collo Muſtaphæ inijciunt ad illum ſuffocandum, quos is, cum eſſet pręualidus, magna vi à ſe reijciebat, rogabatq; minime audientes vt ſaltem vltimis verbis patrem alloqui liceret. dum ita de vita Muſtaphæ certatur, inhumanus pater, qui finem & exitum tam atrocis certaminis proſpectabat exerto capite extra thalamũ iratus inquit carnificibus, nondũ vitã huic ſceleſto eripuiſtis? ad eam reprehenſionem eunuchi & muti facto impetu Muſtapham proſternunt. neruum collo inijciunt, ac ſuffocant. ſic iuuenis præclarus & omnibus regiis virtutibus ornatus per fraudes & inſidias illorum qui aſpirabant ad imperiũ, patris decepti ac nimis creduli iuſſu extinctus eſt. poſt illud crudeliſſimũ facinus Solimani iuſſu cæſus eſt purpuratus Cappadociæ præfectus, & Nicolaus Michaelius Venetus patricius, qui captus puer per bellũ naualead Nicopolim in ſinu Ambracio donatus fuerat Muſtahpæ, ac fraterna propè charitate cum illo educatus fuerat propter inſignem fortitudinem & ingenij dexteritatem, à quo etiam vexillum prætorium obtinuerat. his tanquam omnium conſiliorum participes fuerint, caput amputatur publicè. deinde Zeangirum tantę crudelitatis ignarum Solimanus ad ſe acciri iubet. hortatur vt fratem viſeret, qui nuper venerat & erat intra tentorium. Zeangir alacer properat tanquam ad eius cõplexum. ingreſſus ſuffocatum videns attonitus & lachrymabundus conſiſtit. huic Solimanus nuntiatum mittit, ſe theſauros, ſpolia, prouinciam Muſtaphæ illi largiri, quæ omnia capere liceret. Zeangir conuerſus ſceleſtum planè, & impium atque in humanum patrem vocat. iubet ipſum gaudere his ſpolijs innocentis hominis, in cuius animum tantum feritatis incidiſſet, vt filium tam magnificum, tam egregium atque illuſtrem, & omnibus

Somniũ Muſtaphę viſũ.

Muſtapha ſuffocatur.

Zeangir ſibi manum intulit ob mortẽ Muſtaphæ.

nibus virtutibus ornatum, qui ſplendor erat futurus Ottomanicæ familiæ nullo certo indicio cognito, ſola vana ſuperſtitione, ſolis verbis maleuolorum impulſus, tam crudeliter necaſſet. his multiſque alijs verbis conqueſtus pugione, quem forte habebat, mortem ſibi ipſi intulit, atque non procul à proſtrati fratris cadauere cecidit. Solimanus ne tantæ tragædiæ vulgarentur, famam edi iubet quòd Zeangir repentino morbo fuiſſet abſumptus. imperat omnia bona Muſtaphæ in imperatorium ærarium conferri, ad quæ dum minſtri Solimani accedunt, milites Muſtaphę ignari quid accidiſſet vbi tantam vident multitudinem aduenientem capiunt arma ad propulſandas iniurias, priosque reijciunt cum multorum cæde. illa re cognita multi è caſtris Solimani accurrunt ad ſuos ſubleuandos, committitur primum leue prælium, ſed multis vtrinque accedentibus exoritur horrendum certamen, in quo plures duobus millibus ceciderunt. eò vſque ſuccreſcebat prælium, vt niſi Achmetus vir magnæ autoritatis inter Turcas propter conciliatam ſibi militum beneuolentiam acceſſiſſet, atrociſſimum prelium fuiſſet commiſſum multaque millia mortalium trucidata. ſed ille modo Ianizzeris, modo Muſtaphæ militibus humaniter appellatis ita egit denique, vt arma ſint depoſita, omniaque bona, vti iuſſerat Solimanus, ablata. poſtea vbi Muſtaphæ cedes nuntiata fuiſſet in caſtris, & falſa ſuſpicio eius cauſa, rurſus ad arma concurritur maximo impetu ac furore. admiſtæ ſunt iræ lachrymæ. fit concurſus armatorum ad tentorium Solimani. petitur vt vltio, & vindicta iuſta fiat eius tam indignæ mortis. ad illum tumultum Solimanus trepidus fuga ſaluti conſulit ſuæ. veruntamen detinetur à quibuſdam è ſuis non ſine vitæ periculo. compulſus itaque neceſsitate rerum præſentium ad ingreſſum tentorij accedens ad Ianizzeros inquit, qui tumultus ſunt hi? qui ſtrepitus? quæ arma? qui concurſus? quis hic furor? an me ignoratis? neſcitis eſſe Imperatorem? neſcitis adeſſe? reſponſum eſt non ignorari quidē delectum eſſe Imperatorem ad æquitatem, prudentiam, innocentiam; at ad opprimendos viros bonos, & innocentes neſciri. quippe cum is, qui per fraudem circumueniat quos tueri debet, quique regijs virtutibus, vel ipſorum filiorū inuideat, nullo recto iure poſsit Imperator nominari. arma, quæ ſuſcepta fuiſſent, iuſtiſsima eſſe arma ad ſui principis innocentiſſimi hominis vltionem; neque prius ceſſatura, quam calumniatores, & accuſatores æquitatem cauſæ in iudicio probaſſent. illa cauſa probata profitentur ſe cuiuis, vel acerbiſsimo mortis generi libentiſsimè ſubituros. ſed illam probari oportere in illa planitie, in qua conſtiterant: iſtud autem tanto animorum ſtudio fiebat, vt Solimanus, qui propter hos tumultus mirificè erat attonitus, promiſerit ſe honeſtiſſimæ illorum petitioni ſatisfacturum. ſic Ianizzerorū ira ſedata eſt, qui quidem arma non depoſuerunt, ſed diligentiſsimè cuſtodiunt ne elaberetur è caſtris. at nihil tamen iudicatur. Solimanus vti videretur ſeruare promiſſa, Roſtani ſigillum ademit, dignitatemque illi ereptam Achmeto purpurato defert, ad quem Roſtanes per eos tumultus trepidus confugerat. illum conſulit quid in tanta difficultate rerum ſit agendum, qui reſpondet conſulendum eſſe imperatorem. vbi illum per nuntium conſuluiſſet, reſponſum tulit vti continuò è ſuo conſpectu diffugeret. remittit nuntiatum opus eſſe pecunia, & tentorijs; cui denuo reſpondetur præſentis temporis ſtatum nihil horum expectare. his acceptis ſumma celeritate effugit è caſtris. ſic Roſtanes ex impetu militum ſe ſubducens priuatus & in glorius Byzantium conuolauit. Solimanus vbi conaretur omni prudentia atque dexteritate placare Ianizzerorum ingenia, omnem operā ludebat; quare ſuis rebus deſperans ac veritus ne in eorum poteſtatem demum veniret, rurſus cum paucis domeſticis fugam tentat. ſed vanus fit & hic conatus, cum illi maximè inſtarent vt imperator in planitiem procederet, atque ſententiam de cauſa pronuntiaret, neque tentaret in vrbes ſe includere, quod nullo pacto toleraretur. non enim ferendum eſſe vt innocentes ita per libidinem necarentur, accuſarenturque proditionis impune viri boni. neque ſe prius ex eo loco ceſſuros, quàm iuſtum ſanguinem vlciſcerentur, atque viderent eam ſententiam ferri pro æquitate, quam tantis animorum contentionibus poſtulaſſent. cum intelligeret Solimanus ſe nullis artibus, nulloq; ſtudio tantis periculis poſſe ſubtrahi, ad extremum remedium tantarum difficultatum accurrit, vt largitionibus tentarentur animi Ianizzerorum ſui corporis cuſtodiæ, quorum ſunt quatuor millia, per Achmetum virum callidum. Ille promiſſis maioribus ſtipendijs ſingulis ex ijs quatuor millibus eò rem denique adducit, vt Berrhoeā vſque illum comitarentur, vbi promittebat futurum, vt calumniator puniretur, vlciſcerenturque ſanguinem innocentis Muſtaphæ. iuſſerat Solimanus, vt cadauera filiorum in vrbem Burſiam honorificè efferrentur, deponerenturque in antiquis Ottomanorum ſepulchris. atque literæ inuentæ ſunt apud Muſtapham, & ad Solimanum perlatæ, quas non, niſi pacatis tumultibus perlegit, in quibus perſcribebantur inſidiæ, quas Roſtanes, & Roſsa illi, & quo pacto tetendiſsent. ita verò turbatus eſt eius animus, & attonitus per multos dies, ac propè deſpiēs factus, vt mutus iacuerit, neque vllam conſolationem tanti doloris inueniret. inde effectum eſt, vt incredibili odio in Roſtanem vxoremque exarſerit, ſed ratione temporum refrenabatur quominus in eos animaduerteret. ſed quia reuocari non poterant, quæ fuerant in virum clariſsimum commiſsa, Solimanus putauit tantum crudelitatis aliquo pacto ſaltem leniri poſse, ſi non deleri, ſi Mehemetum Muſtaphæ filium, quem ex Illyrica ſerua ille ſuſceperat, complecteretur. qui tunc annum agebat tertiumdecimum. aufugerat is metu auiti edicti, ne trucidaretur: at iuſsu Solimani reuocatus ad Solimanum ipſum adducitur, atque Burſiæ præfecturæ præficitur. poſtea Solimanus iter capit Hieroſolymam verſus, cui nuntius affertur Perſas auditis his motibus Turcarum, atque crudelibus caſibus filiorum hoſtiliter irrupiſse in Cappadociam, omniaq; obuia incendijs, rapinis, cædibus implere. illo nuntio accepto neceſse fuit reuerti Berroheā vt rebus Syrijs, tantiſque difficultatibus occurreretur. Roſsæ matrimonium ſoluit, quæ propter exquiſitas fraudes, & inauditam crudelitatem maximè omnium facta eſt inuiſa. cæterum Selimo, qui preerat Ciliciæ, nuntiatur à quodā

Atrox prælīū inter Muſtaphę, & Solimani copias.

Nobile reſponſum.

Roſtanes aufugit.

Turcarū auaritia.

Inſidię Roſſę, & Roſtanis patefactæ.

Roſſę matrimonium ſolutum.

Turca

Turca mors fratrum, qui putabat ſe aliquod inſigne prẹmium nuntij accepturum : quando omne impedimentum ſublatum eſſe videbatur Selimo, vt poſt patrem poſſet ad Imperium peruenire. nam omnes fratres ex alijs mulieribus ſuſcepti iam interciderant. ſed is nuntius tam funeſti caſus, tam moleſtus accidit Selimo, vt magnam copiam lacrymarum in funere chariſſimorum fratrum profuderit. at certè infelicis nuntij miniſtro pro præmio longisſimi itineris, ſummæque celeritatis, caput amputari iubet. id glorioſum ſanè fuit exemplum, per quod moniti ſunt plerique infelices nuntios nemini principi lẹto animo eſſe ferendos. neque putandam vllam tantam magnitudinem imperij, quæ poſſit repente naturæ coniunctionem ex animo omnium prorſus obliterare. quod facile deuitari poterat ab eo, ſi accurate illud ex Antigone legiſſet quòd. Eſt nemini gratus malorũ nũtius. Solimanus tamen nulla re memorabili edita cum ad famam eius aduentus impetus Perſarum vniuerſus repreſsus fuiſſet, paulo poſt Byzantium reuertit. Cæſari interea multis bellorum difficultatibus implicato, inopiaque rei pecuniariæ laboranti, claſſis, quæ ad nouas Indias applicuerat, nuntiatur vicies, & quinquies centena nummùm millia aduehere. inferioris Germaniẹ principatus quindecies centena millia in Maium menſem proximum pollicẽtur, proceresq; Germaniæ ſuperioris nonnulli liberaliter offerunt auxilia pro viribus. Cæſar itaque his auxilijs adiutus hilarem animum conuertit ad bellicos apparatus in annum ſequentem faciendos. Henricus cõtra neque ipſe ſegnius animum adiicit ad vires Cæſarianorum in annum ſequentem propulſandas, & ad eius regionem inuadendam. atque primum omnium magna tributa vniuerſis ſubditis imponit ad magnum pecuniæ numerum colligendum. concedit Britannis, & Germanis pro arbitrio vt viuant in regno Galliẹ collatis in neceſsitatem belli pecuniis, quo facilius auxilia ſic poſſet ex illis prouinciis accire. at ſubditis imperio Gallorum regum populis acerbisſimam quẹſitionem imponit, ſi quis eſſet hẹretica prauitate contaminatus. nobilioribus Gallis iniungitur prẹter ordinaria extraque ordinaria tributa, vt ſex menſes quotannis Regi militent propriis ſumptibus. iubet nummùm genus imprimi pertenuis ac vilioris metalli, qui vix ad tertiam ordinariorum precij partem accederent. pollicetur ſe intra biennium bonam pecuniam illa recepta ab habentibus numerari curaturum. copias & ipſe in annum proximum conſcribit, tribunoſque mittit ad colligendas nouas copias. quæ dum parantur alacriter vtrinque ad futurum bellum, vndique conueniunt gratulatum legationes ad Mariam Britanniæ Reginam, quoniam tam feliciter, & ſine pugna regnum recuperauiſſet, cum res in maximo periculo fuiſſet conſtituta: ſed præcipuè purpuratus ſacer antiſtes Polus literas mirum in modum gratulationis, & pietatis plenas miſit, quarum exemplum hic aſcribendum duxi propter argumenti præſtantiam. Benedicta manus omnipotentis Dei, quẹ non ſolũ maieſt. tuam in alto throno, & in poſſesſione regni collocauit, quod multos annos ad eam ſpectabat, & ab omnibus bonis optabatur, atque inter ſacras preces petebatur à diuina clementia; ſed etiã eò res deduxit, vt non modo res ipſa, verum etiam ratio ipſius rei conficiendæ omnes amicos incredibili lætitia perfundat, & præcipuè pium animum tuum, quia ſine ſanguine res peracta eſt, propè cum magna clades eſſet timenda propter fraudes aduerſariorum, quæ non paruis viribus erant ſuffultæ ad eam iuſtiſſima ſucceſſione priuandam. atque cum propter longum ſpacium ſibi diuinitus conceſſum ad ſuas inſidias, ſubtexendas, putarant ſe ad finem optatum cum ſcelere ſuſcepti conſilii perueniſſe, ſine nouis auxilijs, ſed ſolis viribus, quas ſpiritus Dei excitauit in animis mortalium effectum eſt diuina prouidentia, vt breui momento temporis irriti, ac deluſi ſint omnes mortalium apparatus. ita conuerſi ſunt, qui humanæ malitiæ militabant ad protegendum honorem Dei Maieſt. tuæ incolumitatem, ac totius regni ſalutem. ſi quis itaque miratur cur tua Maieſtas nullis externis viribus, paucis etiam ſubditis audentibus eius partes amplecti, potuerit regnum ita vſurpatum aduerſus tantam hominum malitiam, & potentiam recuperare; aut ſiquis rogaret, quomodo factum eſt iſtud? res ipſa reſpondere poterit, Spiritus ſanctus ſuperuenit in corda hominum, qui ea ratione mihi regnum reſtituere voluit. atque hoc vno exemplo non ſolùm veſtris populis, ſed vniuerſis Chriſtianis, & barbaris nationibus manifeſtum ſit, quia nullum fit conſilium, nec prudentia, nec fortitudo contra dominum Deum; & quòd excelſus dominetur in regno hominum, & cui voluerit, & quando voluerit dabit illud. eius diuinæ prouidentiæ in rebus humanis credulitas præcipuũ noſtræ religionis fundamentum, ſi vnquam in iſtud regnum introduci, & confirmari debuit per vllam manifeſtam experientiam, hoc maximè tempore introduci neceſſe eſt, quo propter impiorum tam diuturnam autoritatem ita erat in animis hominum debilitata, & in eorum animis præſertim, qui prudentiores, ſapientioreſque putabantur, vt penitus videretur extincta. cum diuinæ itaque bonitati placuerit ita euidentibus ſignis ſuam potentiam in tua Maieſtate extollenda, tunc, cũ à ſuis inimicis, & à multis alijs prorſus oppreſſa putabatur, declarare, hoc eſt cur maximè omnes boni, & pij glorientur, & quod tibi magis gratum eſſe certò ſcio, quàm regiam dignitatem. atqui ſi vlla fœmina debuit Deum laudare ijs verbis ſuæ ſanctiſſimæ Matris, cuius nomen refers, quibus ea vſa eſt ad exprimendam lætitiam propter diuinam prouidentiam ad ſui, humanique generis ſalutẽ, cum ſpiritu ſancto repleta inquit; Magnificat anima mea dominum, cum ijs quæ ſequuntur, tua Maieſtas iuſtiſſima de cauſa eum pſalmum canere poteſt, cum in ſe ipſa ſentiat, quod omnes videt, & vt diuina bonitas reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. fecit potentiam in brachio ſuo, ſtatim depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles: hoc dictum de diuina prouidentia erga Maieſtatem tuã ſemper manifeſtius in adminiſtratione cognoſcetur tua cum incrementu illo lætitiæ, quod deſideratur ad honorem, & laudem diuinæ Maieſtatis, enimuero mea erga Deum, & ſuam eccleſiam pietas, & Maieſtatem tuam me cogit, vt vnum tibi in memoriam reuocem initio regnandi: quod eſt cũ ita ſingulare beneficium à Deo acceperis, diligenter conſideres è quibus radicibus perturbationes

pullularint

Præclarũ Selimi exẽplũ.

Aurũ è nouis Indiis.

Facultas viuẽdi pro arbitrio in Gallia.

Pecunia vilis in Gallia impreſſa.

Card. Poli literæ ad reginã Britaniæ.

pullularint rerum ad iuſtitiam pertinentium,& ad veræ religionis cultum.quippe cum illæ in dies cũ tãta ruina ſuccreuerint in iſto regno priuata & publica,quãta nõ ignoratur.atqui ſi hoc ita feceris, percipies profectò principium & cauſam omnium malorum tunc pullulaſſe, cum perpetuus humani generis aduerſarius patri tuo perſuaſit impurum conſilium, vt diuortium fieret matris tuæ optimę reginę.atque illi magnę in Deum,in ipſam,in te,in ſeipſum iniurię maius additum eſt ſcelus,quòd à matre ſpiritus diuortium fecit omnium chriſtianorum,à ſancta catholica obedientia,& ab apoſtolica reuerentia.ex hoc iniquo & impio ſemine tot peſtiferi fructus nati ſunt,vt ita regnum vbique corruperint,vt nullum neque iuſtitiæ,neque religionis veſtigium apparuerit: tanquam relegatæ ſint ambæ quando reuerentia & obedientia eccleſiæ eiecta fuit, neque prius ſunt rediturę, quàm diuina obedientia in animũ recepta ſit eorum, qui rebus pręfuerint. hoc facile tua Maieſtas illi ſeruo ſuo poteſt credere,qui omniũ viuentium plura & iſta & Maieſtatis veſtrę cauſa paſſus eſt. neque vllam defendendę cauſę tuę rationem prętermiſi, vbi aliquod extaret remedium,quo te tuis moleſtiis ſubleuarem. Quod niſi mei labores eum finem conſecuti ſunt, quem ſemper deſideraui, ſæpius, vel vitam ipſam periculis exponens, tamen nunc multo magis lætor, quàm ſi ipſe adiutor fuiſſem,cum apertiſſimè cognouerim diuinæ prouidentiæ in Maieſtatem tuam propenſam voluntatem. nam profectò noluit Deus vlla humana manu te adiuuari, neque Pontificis, neque Cæſaris, neque vllius principis,quamuis nunquam ceſſauit Pontifex Cæſarem ad opem ferendam adhortari. neque mea defuit diligentia,vtriſque ad hoc pium opus ſollicitandis, ſed diuinitus res protracta eſt,donec ſtatutum tempus à Deo aduentarit,quo diuina manu ſubleuareris. Interim vſus eſt Deus eadem ratione,qua erga cariſſimos,& dilectiſſimos vti conſueuit,quos nutrit, & educat in omni calamitatum ęrumnarumque genere,vt gratiæ ſuæ ſemen altiores radices in corde ſuo poſſet extendere,meliuſque floreat,ac nobiliores fructus producat cum viſum fuerit in priſtinam felicitatem reuocare. Iſtud nunc omnes boni expectant,atque ego in primis,cui maior occaſio conceſſa eſt dotes animi tui,quæ diuinitus tibi conceſſæ ſunt à teneris cognoſcendi.ea res me multo etiam magis impellit,vt Maieſtati tuæ id ſignificem de re tanta, quanta eſt eccleſiæ obedientia, me magis etiam ſollicitum eſſe,quàm antea,qua mente ſis erga religionem,& quo pacto affecta. nam cum circiter trecenta millia paſſuum diſtem ab vrbe Roma, nuper ad me de rebus Britannicis eſt delatum. per literas ſummi Pontificis certior factus ſum te ad ſummum imperium eſſe prouectam, & delectus legatus à ſancta ſede Apoſtolica ad Maieſtatem tuam,& ad Cæſarem,atque ad Galliarum regem,vt tibi gratularer pro victoria Dei,in hac cauſa ipſius Dei. ſed quia quanti res ſit intelligo, cenſui non inutile fore ſi Maieſtatis tuę mentem quo pacto Deus mouerit,prius percunctatus fuero, cuius cauſa pręſentem nuntium cum meis literis mitto.neque iſtud quidem, quia de optima voluntate tua ſubdubitem,quoniam te ſemper gratam erga Deum fuiſſe cognoui,& acceptorum non immemorem,legumque diuinarum obſeruantiſſimam, inter quas obedientia Apoſtolicæ Sedis continetur, cui maxime omnium fauere debes. nam certè quidem Maieſtatis tuę pater nulla alia de cauſa Apoſtolicã obedientiam reliquit,niſi quia nollet Pontifex Romanus cauſę ſuę fauens turpi,& iniquo eius deſiderio aſſentiri. Sed quoniam tot annos tanta facta eſt mutatio, tantaque malitia conata eſt euellere ex animis hominum,penituſque reſtinguere hanc ipſam obedientiam, & obſeruantiam, mihi viſum eſt,non abſurdum fore ſi ex te ipſa percunctarer,quod tempus, aut quæ ratio aptior, commodiorque videretur futura ad ipſius Vicarij Chriſti legatione perfungendum, idque ad iſtius regni beneficium,& conſolationem,cuius felicitas, & quies ſemper magis oppreſſa fuit, ex quo ſancta obedientia expugnari cœpta eſt,coactaque ſolũ vertere.decreui igitur prius reſponſum expectare,quod vt expectationi meæ optimæ reſpondeat ab omnipotente Deo ſuppliciter peto, omniumque piorum ſpei,quam habent de Maieſtate tua conceptam,idque ad confirmationem,& incrementum felicitatis tuæ,& iſtius regni. Quòd ſi mihi benignam audientiam conceſſeris, ſpero futurũ Dei Opt. Max.beneficio,vt intelligas in hac ipſa obedientia eccleſiæ conſiſtere, & collocatum eſſe fundamentum,& ſtabilimentum omnium bonorum ipſius regni.ſic igitur rogans omnipotentem Deum, vt pro ſua infinita miſericordia Maieſtatem tuam fortunet in ipſo Imperio,in quo collocauit, finem faciam dicendi. è Cęnobio Megazeni Benaci Idibus ſextilis 1553. At verò quoniam marchio Albertus iamdiu videbatur optaſſe Henrico Gallorum regi reconciliari cum eſſet Schinfordij cum ſuis copijs,veritus Cæſar ſub hoc ipſum tempus, ne caſtra cum Gallo coniungeret, quoniam vel antea bellum Albertus cum Mauritio gerebat, Mauritium in Albertum incitauit. atque cum eſſet Albertus in agro ditionis Noreiæ,& Bumburgæ multam pecuniam à finitimis vrbibus extorſit,obſideſq; poſtulauit. mox in Saxoniam ſumma celeritate proficiſcitur, vt ſegetes Mauritij, & Veſſonum ducis deuaſtaret. illud cum exercitus Ducis Veſſonum pręſenſiſſet, qui Schinfordium duce Philippo, filio in Frãconia fruſtra tentauerat,quoniam eſſet ab Alberto egregiè munitum, nullũ tempus amittendum ratus cum ſubiret periculum,in quo patria erat conſtituta,ſtatim ſigna conuertit ad profectionem,& ad patriam ſubleuandam. Iſtud ipſum Maritij copię faciunt, quarum ſummum imperium poſt Mauritium Eddecus habebat in caſtris,atque illæ cum Mauritio paulo poſt ſunt coniunctæ.

*Mauritius Cæſ. & Ferd. impulſ bellum indicit Alberto.*

ſic igitur Mauritius, & Henricus Planius cancellarius Regis Boemiæ Ferdinandi nomine bellum indicunt Alberto. indicendi cauſas ſcriptas mittunt. Albertus his cum ſuis fęderatis communicatis illos rogat ne ſe deſererent in ipſo articulo temporis,ſed omnem fortunam belli, vt hactenus fecerant,ſecum experiantur. eorum fide iuramento confirmata reſpondet ei, qui bellum indixerat, vt obnuntiaret ſuo principi non nunc primum, ſed iam tertiò fidem eſſe violatam antea, at nunc quartam accedere perfidiam. Deum perfidorum eſſe vltorem. properaret ſi vellet diuinam vindictam,& vires ipſius Alberti experiri.nuntium donatum à ſe dimittit. nuntiatur interea Noreiæ po-

pulos

pulos arma in ipſum ſuſcepiſſe, populabundoſque omnem eius regionem incurſionibus deuaſtare. his nuntijs grauiter commotus acerbiſſimā minitatur vltionem, quia quereretur fœdus ſibi eſſe abruptū per iniurias, deinde cœpit quantū poſſet copiarū colligere. ſed cū Mauritius, aliiq; proceres armati inſtarent, coactus eſt cum paucis vexillis equitum ac peditum Schinfordium ſe recipere. inde, cum oppidum tantam multitudinem ferre non poſſet, exire denique neceſſe fuit. ac paulo poſt collectis multis equitum vexillis, & cohortibus Germanici peditatus, cœpit hoſtem contemnere. cum ſignificatum fuiſſet Mauritio, quòd Albertus per noctem egreſſus eſſet, continuo Schinfordio potitur vt ab Alberto deſtituto, quod diripit, & ſuccendit. deinde Albertum per veſtigia cum ſex agminibus confertis equitum, & peditatu coniuncto tamdiu inſectatur, vt demum ſuperueniens eum conſpexerit in edito loco & natura munito conſiſtere, cum Mauritio ac cęteris ducibus caſtra munire neceſſe fuerit, diligenterque obſeruare quid conſilij caperet Albertus. at ille noctu repente profectus, indeque elapſus, quòd nondum omnes copiæ Mauritii acceſſiſſent, Volchaos oppidum prætergreſſus ad Chitzinghenum, id quoque eſt oppidi nomen, caſtrametatur in acie in colle quodam peraccommodato. iſtud ipſum facit Mauritius, ibiq; opperitur reliquum peditatum, qui Schinfordium diripuerat; atque is paulo poſt acceſſit. Albertus vbi vniuerſas copias Landuerum traduxiſſet, mox erat ad oppidum Payngum tracturus nemore iam prætermiſſo. atqui cum anguſtiæ quædam viarum eſſent illi in eo itinere tranſeundæ, qui ager erat nonnullorum ſtagnorum peranguſtus, Mauritius factus certior ſumma diligentia nititur illas anguſtias præoccupare, ac prior capit. ſic igitur iter habetur, & Albertus vna oppoſitus ad latus nemoris cum non amplius duobus millibus paſſuum diſtaret, procedit. cæterum Albertus vbi intelligit anguſtias fuiſſe ab hoſtibus prę occupatas locum capit commodum apud nemus. ſuos in aciem inſtruit. equitatum, & peditatum comparat ad pugnam. tormenta opportunè locat. quod ipſum facit, & Mauritius ſuos in agmina diſtribuens. ſed quia peditatus paulo tardior accederet propter impedimentum tormentorum, miſſi ſunt qui inſtarent quo totis viribus coniunctis dimicaretur. vbi vtræque acies paratæ eſſent ad pugnam, ventuſq; ſecundus afflaret Alberto, cuius etiam vis non parum in pugna terreſtri fauet proſpera multis de cauſis: & Albertus collem, qui forte aderat in planitie occupauiſset, cępta ſunt vtrinq; tormenta diſplodi, at ſine magno tamen damno vtriuſq; exercitus. atqui Alberti equitatus tametſi inferior equitatu Mauritij videbatur, tamen erat omni genere apparatus inſtructus cum circiter decē, & octo egregia haberet vexilla. ſed peditatu certè multò erat ſuperior. acies paulatim propinquant, atque repente atrociſſimum initur prælium. certatur vtrinque magna, & virtute, & alacritate. inter pugnandum iubet Albertus præſtantiores è ſuo equitatu quatuor vexilla cataphractorum Mauritij inuadere, quod ita factum eſt, vtriſque propinquantibus, vt multas lanceas infringere inuicem equites propter anguſtias, & inopiam ſpatij non poſſent. certatur ſclopettis magno animo, ſingulari virtute, incredibili alacritate. Albertus poſtea cum pluribus è partibus inuaderetur magna ſuorum clade debilitatus, deniq; cogitur fuga ſibi ſalutem quærere, atque cum octo equitibus tantùm aufugiens profligatus relinquit ſuas copias, tormenta, apparatus, impedimenta arbitrio hoſtium, quod prælium mane initum ad noctem, vſque propè perdurauit. commiſſum eſt autem in planitie, quæ inter principatum Veſſonum, & Caucos populos interiacet, in quo capta ſunt quinquaginta, & quatuor vexilla peditum, & quindecim equitum. ceciderunt equitum ad quatuor millia, pedites multo plures. capti ex Alberti proceribus Nicolaus Berneus, & regulus Varembergenſis præter alios complures. è Mauritij inſignis autoritatis, & opulentiæ proceribus deſiderati ſunt præter alios, duo Veſſonum Duces fratres, Carolus cognomento Victorius, & Philippus Magnus. ex Alberti copijs propter nemorum vicinitatem, & frequentiam, & noctis aduentum nonnulla vexilla ſunt ſeruata. at Mauritio funeſta omnino, & acerba accidit illa victoria, quoniam in pugna illa plumbea glande transfixus die poſtero naturæ conceſſit. nec defuerunt, qui crediderint illum non hoſtili quidem vulnere concidiſſe, ſed transfixum fuiſſe à quodam ſuorum familiarium, qui illam vindictam in opportunum tempus reſeruauerat, quoniam per eius tyrannidem, & iniuriam eius familiaris honor ſuperioribus temporibus fuiſſet ab illo contaminatus. at Maria Britanniæ regina literas interea Cardinalis Poli vbi perlegiſſet, gratiſſimum nuntium accepit, antiſtitem tantæ prudentiæ, & integritatis ad ſe mitti, cuius ingenio mirificè delectaretur, quare literas huiuſmodi ad illum reſcribit. optime Sobrine Pole, in Chriſto obſeruandiſſime, accepi literas tuas, quas tuus familiaris mihi reddidit; ex quibus intellexi perpetuam tuam optimam voluntatem erga hoc regnum patriam tuam nimirum, & erga legitimos hæredes, cum ſumma lætitiæ ſignificatione ob ea, quæ placuerunt diuinæ clementiæ omnipotentis Dei in oſtendenda ſua erga me vera, iuſtiſſima, infinitaque miſericordia, propter quam me tibi etiam non parum debere ſentio, cum monitus amantiſſimos præterea in literis addideris. quòd ſi nullum naturę vinculum inter nos intercederet, quod certè maximum intercedit, tamen vel hac vna de cauſa maximas tibi deberem gratias, quòd me tam amanter monueris. atque ego dabo operam pro viribus, vt monitis tuis ſatisfaciam; quippe cum neque vnquam fuerim, nec ſim, neque vt diuinæ miſericordię confido, vnquam futura ſim catholicæ adhortationis in tuis literis contentæ aduerſaria. Quod attinet ad meam obedientiam, & debitam obſeruantiam erga ſponſam Chriſti, & matrem diuinam ſuam Catholicam, & Apoſtolicam eccleſiam, harum literarum lator poterit te commodè docere. is enim poterit explanare quanta ſit animi mei moleſtia, propterea quòd non poſſim animi mei ſententiam in hac re prorſus patefacere. ſed cum primùm data erit facultas ſinceritatis animi mei erga diuinum cultum explicandæ, obedientiæque quid ſentiam exequendę, faciam te per literas certiorem. quod ſpectat ad coronationem, idem nuntius omnia planè explicare poterit, multaque alia, quibus

Schinfordiū captum.

Albertus profligatus.

Mauritij cœdes.

Mauritius Tyrannicus.

Mariæ Britānæ literę ad Polū Card.

quibus illū ad… volui, cum mirificè omnipotentis Dei miſericordię confidam futurum vt hæc comitia omnia ſtatuta abroget, vnde omnium calamitatum huiuſce regni ſemina pullularunt. ſpero autem futurum vt delictorū veniam à ſummi Pontificis clemētia obtineā, cui te rogo vt meo nomine humillime gratias agas pro ſua multiplici in me bonitate, vt in eadem perſiſtat clementia, omnemque præteritorum commiſſorum obliuionem concedat. hunc igitur remitto ſpe poſtulationis non irritæ futuræ opera tua, quando tantum beneuolentiæ & fraternæ charitatis mihi pignus obtuliſti. me itaque plurimum ſancto patri ac tibi commendans finem facio ſcribendi. Vueſtmonaſterio ſexto idus octobris anno 1553. at Henrico Galliarum Regi quoniam parum feliciter hoc anno res in Gallia, Belgioque ſucceſſerant, viſum eſt non peſſimè conſultum iri ſuis rebus, ſi vires Cæſarianæ vno tempore ad Italicum & ad Belgicum bellum diſtraherentur. ſtatuit igitur in annum ſequentem pluribus in locis Cæſarem vexare, quod quidem ad militaria conſilia, & ad omnē rationem bellicam erat peraccommodatum. nam cum ſumptibus multò maioribus oppugnentur vrbes, quàm defendantnr, videbatur futurum, vt Cęſar in Belgarum, ſubalpinæ Galliæ, Thuſcięque finibus bellum gerere, & magnas copias vbique parare coactus, cum pręſidia etiam vbique eſſent relinquenda, vix poſſet vno tempore tot ſumptibus, tot curis, tot ſollicitudinibus ſufficere. cū præſertim loca maritima eſſent illo animo firmiſſimis præſidiis firmanda, quoniam in ver proximum claſſis maxima Byzantii inſtruebatur. ad illud conſilium videbantur inuitare Senenſium animi aduerſus Coſmum Hetruriæ Ducem inflammati, quòd is apparuerat contra Senenſium libertatem fauiſſe Cæſarianis partibus in ſuperioribus bellis. Henricus eo conſilio Petrum Strozzam ſummum ducem mittit in Italiam cum proregia poteſtate, qui præeſſet cum ſummo imperio omnibus regijs copijs, atque magnum equitatus, & peditatus numerum vndique ex Italis vrbibus acciret ad ſtipendia. magnas etiam copias promittit ſeſe è Gallia in proximā ęſtatē in Italiam miſſurum. iubet Leonem fratrem Petri Strozzæ reconciliari, ad quem etiam rex ipſe literas propria manu exarauit: qua regia humanitate permotus Leo, quamuis plurimum eſſet abalienato animo, tamen placatur, & Gallo regi ſeruire militareque decreuit. Petrus rebus cum fratre compoſitis ad vrbem Iuliam Tauricam conuolat ad res bellicas in ver proximum clam comparandas. mox circiter nonas nouembris, Senam peruenit. multa de rebus, apparatuque bellico cum Cardinale Ferrarienſi communicat, cui tota ratio de colligendis copijs, conſcribendiſque cohortibus minime probatur, ne ducem Hetruriæ adducerent in ſuſpicionem inferendi belli, quem maximè ſuſpicaturum exiſtimabat, ſi arma moueri ſenſiſſet ſtatim, neque tamen pateret aduerſus quem mouerentur, cum ſempiternus hoſtis, & atrociſſimus inimicus Mediceæ familiæ veniſſet in Italiam cum poteſtate propè regia. demonſtrat illud plurimum obeſſe poſſe rebus regijs propter ingentes eius principis vires, & opulentiam. erat ſanè Petrus Strozza vir elato, ardentique animo, & optimè literis exculto, quæ cognitio ſi cum naturali iudicio coniuncta ſit, vtiliſſima eſt ſummis imperatoribus. erat ad omnia pericula intrepidus. vigiliarum, laborum, inediæ patientiſſimus. erga milites benignus, munificus, humanus. corpore robuſto, grandi ſtatura, & venuſta facie. Sed erat aliquando effrēnis, & ſupra modum contemptor periculorum, multoque minus, quàm ſummo Imperatori conueniat, fortunatus, quod tamen nulla humana induſtria ſibi poteſt quiſpiam comparare. hunc accuſarunt nonnulli, quia temeritatis, & iuuenilis audaciæ potius facinora, quàm maturæ prudentię aliquando ſit aggreſſus. & profectò cum in omnibus errare miſerum, & turpe ſit, certè in rebus militaribus iſtud minime conuenit, quia non ſolùm turpe eſt erranti, ſed etiam multis alijs calamitoſum, quoniam diſciplina ratioque militaris omnem prorſus reſpuit errorem, neque vel minimum æquo animo patitur, cum ſemper agatur de vita, aut de dignitate imperatoris, vel ipſa vita precioſiore. ſed neque ſolùm errare idcirco turpe ſit, verum etiam aliquid fruſtra cum periculo conari, quia ſemper agitur de amplianda, aut minuenda exiſtimatione imperatoris, in qua magna pars rei bellicæ conſtituta eſt. ſed quis poſſet tam ad unguem omnia pro ratione dirigere, vt ſuccedant è ſententia? cum præſertim quæ feliciter eueniant, ſi audacter ſuſcepta ſint, vulgus, & imperiti mirificis laudibus extollant, vt diuini ingenii, & callidi, & futura longe proſpicientis: ſin autem, temerarium, & inconſideratum, & euentura pericula parum animaduertentem vocant. Strozza igitur impatiens ocij, rerumque nouarum in ijs præcipuè regionibus cupidus, & patriæ, vt prædicabat, in priſtinam libertatem vendicandæ, regiorum mandatorum conſcius tribunos, duces veteranos cohortium, centuriones, ſigniferos, & quos huic negotio accommodatos eſſe exiſtimat dimittit Romam, in agrum Picenum, in Caſtrenſem, in Galliam togatam, in Vmbriam, & in omnia Præcutinorum oppida, qui copias colligerent. huius expeditionis rumor non parum perpulit Hetruriæ Ducem, vt rebus ſuis putaret maturè conſulendum. idcirco cum præſtare putaret in hoſtium regione, quàm in ſua belligerari, propter ea multa damna, quæ ab hoſtilibus copijs inferuntur, literas dedit ad Iulium Tertium Pontificem, & ad Cæſarem, quibus ſignificabat Galliarum regem communibus auxilijs ex Hetruria eſſe eijciendum; neque eſſe ferendum tam potentem, tamque bellicoſum regem tam vicinum in vmbilico Italię, inde, ſi diutius inueterarit, manifeſtum periculum imminere captiuitatis Thuſciæ, & poſtea breui imperio totius Italiæ. vt autem alacriori animo ſibi mitterentur ſubſidia, cauſas, & commoda annectit. Pontifici promittit poſt Senam expugnatam, & victam, ſe filiam Fabiano Montio nepoti in matrimonium daturum cum ſatis ampla dote, præter annuum pro Sena tributum, pollicetur Cæſari ſe certum pecuniæ numerum quotannis numeraturum pro ſumptibus, qui in eo bello facti fuerint, donec omnes perſoluantur. proponit Cæſari Galli hoſtis propinquitatem iam ſatis per

ſe

Henrici conſiliū diſtrahēdarum viriū Cæſaris.

Petrus Strozza in Italiam miſſus cū poteſtate proregia.

Petri Strozzę ingeniū.

Literę Florētię Ducis ad Pont. & Cæſarem.

ſe inflammato aduerſus Senenſes. in hos tãquam cões hoſtes Cæſarẽ concitat. proponit opportunitatẽ locorum ad totius Italiæ tranquillitatẽ infeſtandã accommodatorũ, cũ maritimas vrbes & portus habeant Senenſes in medio propè Cæſariani imperij in Italia, oppidaq; natura & arte munitiſſima, quę donec ab acerrimis hoſtibus imperij poſſidebuntur, plurimũ poterunt res Italas, Brutias ſcilicet, & Siculas, & Salentinas perturbare, totamque Hetruriã perpetuis vexare incurſionibus. His rationibus commoti principes ita res tranſigendas inter ſe ſanctiunt, atque ſtabiliunt. deinde a Cęſare Iacobus Mediceus marchio Mariniani, illud eſt oppidi nomen in Inſubribus, huic negotio cũ ſummo imperio rerũ militariũ pręficitur. erat Iacobus vir acri promptoque ingenio & in oĩ re militari per multos annos exercitatus. in negotiis conſideratus & prudens: &, quod caput eſt, maximeque prodeſt in oĩbus rebus bellicis, fortunatiſſimus, quippe quẽ non amplitudo diuitiarũ, non ſplendor ſanguinis, non auita autoritas ad ſummam dignitatem exiſtimationemque prouexerat, ſed ſępius ſpectata virtus inter duces, & mira in omnibus negotiis aſtutia & calliditas. hunc niſi eximia auaritia omnium clariſſimorũ ingeniorũ, & pręfectorũ rebus militaribus præſertim grauiſſima aduerſaria ſæpe obſtrinxiſſet, facile oĩum imperatorum, qui noſtris temporibus floruerunt in terreſtribus præliis principem dixerim, quod quidem affirmare poſſem ex intui, cum multos menſes cum illo domi, & militiæ familiariter verſatus ſim. Marinianius itaque Cęſaris iuſſu Florentiã profectus nihil habuit antiquius, vbi ſua conſilia Coſmo duce communicauiſſet, quã vt per exploratores diligẽtiſſimè inueſtigaret, & aucuparetur oĩa Senenſium Strozzæque & conſilia & apparatus, exiſtimabatque nulli ſumptui eſſe parcendum, qui quidem ad explorandi diligentiã, celeritatemque pertineret. nam cæteris omnibus dormientibus ipſe Marinianius vigil cum puero ſępius per obſcuriſſimam noctẽ exploratores per poſticum quoddam intra domum admittabat, dimiſſoque prius vel ipſo puero nemine prorſus ſentiente diligẽter oĩa ſuſcitabatur, atq; ita rebus, quę Senę agebantur, cognitis illos clam emittebat; neq; patiebatur omnino per lucem intra mœnia Florentina exploratorem vllum conſpici, cuius opera eſſet vſurus, hæc ego ipſe vidi, cum ſæpe cũ ipſo Florentiæ ad harũ vſq; exploratarũ rerũ ad tẽpus pernoctarẽ ſermonibus tempus protrahendo, cum ẽt rebus bellicis pleriſque poſtea interfuerim. Sic fiebat vt quotidie nouis accedentibus exploratoribus, quæ munitiones ſtrueretur Senæ, qui duces cohortium aut tribuni eſſent cũ Strozza intelligeretur ad vnguẽ, aut quid omnino Senæ ageretur. ipſe Marinianius interim centuriones aduocare. tribunos, qui clã milites ad ſigna conuocarent, mittere. Hiſpanos è præſidiis finitimorum Florentiam accire. delectorum agreſtium copias conſcriptas cenſere: quod fieri conſueuerat ſingulis menſibus. iubet inermes delectus arma parare, atque negligentioribus in parandis armis pęnę ſunt impoſitæ. imperatũ eſt non habentibus arma vt è publico coemerent, atque à miniſtris publicis diuendita ſunt, & precium in ęrarium relatum. Enimuero multa fuerunt, quę Marinianio victoriam pollicebantur; ſed pręter cætera inſignis Senenſium negligentia, cunctatio, & tarditas. cum illi contra quid fieret Florentię, qui duces, quæ arma, qui apparatus minimè ſcire curarent. neq; exploratores haberent, qui iſtud ipſum Senam nuntiarent, erat præter cętera illud etiam, quod Marinianium perpulerat ad ꝓpè certam ſpem victorię & Senę vrbis capiendę, quod mœnia incępta inſtaurari à Thremeo in debilioribus partibus vrbis, nondũ fuerant abſoluta; & munitio ad portam Chamoliam nondum erat erecta in ea parte, quæ vrbem interius proſpectabat. nam viſi ſunt Senenſes rebus ſemel compoſitis exiſtimaſſe impetus vel Florentinorum, vel aliorũ hoſtiũ repentinos non eſſe metuendos. Sed pręclarè poteſt transferri illud Platonis dictum non ſolũ ad hominũ mores, ſed etiam vtiliſſimè ad res bellicas accomodari, qui iubebat Deum tunc maximè per pietatem & ſacrificia coli, cũ res maximè feliciter ſuccederent, aut trãquillę eſſent, quo illum placatiorem atq; benigniorẽ haberent, cum res aduerſę contingerent, ſic etiam vrbes & oppida commodius diligentiusq; muniri poſſunt per pacẽ & ociũ, quibus firmioribus poſtea propugnaculis principes vtantur ſi bellũ inferatur. cũ ẽt multo validiores, firmioreſque ſint antiquę ſint antiquę, & quę aliquantulum inueterarint, quam recentes munitiones. eſt autem maximum neſcio rei ne militaris inſcitię, an negligẽtię argumentũ appellem, ineptã munitionẽ relinquere, & vel iam propè abſolutam deſerere ita nudatã pręſidijs, vt facile poſſit ab hoſtibus occupari & perfici; quæ poſtmodo perfecta in pernitiẽ & deuaſtationẽ ipſius vrbis inſurgat. erat illa munitio adeo ſublimis extructa aduerſus veniẽtes ex agro Florentino, vt vix vllę ſcalę ſummã oram aggerum poſſent attingere, cum foſſa profundè ducta eſſet perpetua ad radicẽ munitionis ſatis lata. habebat ea munitio longitudinẽ trecentorum ferè pedum, latitudinẽ ferè octoginta. reparationes continuas in labris ſuperioribus ita latas & altas vt ſtantiũ in acie copiarũ neq; ſummę quidẽ criſtę galearum exterius cõſpici poſſent: cũ platea interior eſſet depreſſa, at ita tamen parata, vt aquę pluuiales facile defluerent. in hanc munitionem ibatur portam vrbis exeuntibus, inter quã & vrbem foſſa vrbis tantũ interiacebat & ſicca & non valde profunda. atque munitio alteram portam habebat, quę in vrbem, alteram quę emitteret in agrum Florentinum illius è regione. Cęterum Senenſes immemores mandati Thermei, qui ſub aduentum Strozzæ exceſſerat ex Italia ad Henrico acceſſitus, qui iuſſerat, vt omnimo munitionem abſoluerent, & pręſidiis firmarent, non modo imperfectam, ſed etiam incuſtoditam relinquebant. Marinianius de his omnibus factus certior per exploratores, nequis rurſus quæ fierent Florentinæ contra nuntiaret Senam ſub tempus exeundi, & ne res noua, quam excogitarat, videretur cuipiam, tale quoddam facinus commentus eſt, cum accideret Florentiæ, vt quis telum ſtrinxiſſet, aut vulneraſſet aliquem quod quidem fiebat aliquando dedita opera Mariniani iuſſu, tormentum bellicum diſplodebatur, quo bombo audito ſtatim omnes portę Florentię claudebantur, neque aperiebantur prius, quam facinoris autor diceretur eſſe inuentus. fiebat aliquando vt vel per integrum diem portæ eſ-

Iacobus Marinianius expreſſum eius ingenium.

Mariniani prudentia.

Senẽſium negligentia.

Munitio Chamoliæ deſcripta.

Stratagema Mariniani.

O ſent

ſent clauſæ, quare huic rei iam ita aſſueuerāt animi ciuium, & incolarum, vt non amplius res noua, ſed vſitata, & patria videretur. Illa dum parantur vtrinque in Italia ad futurum bellum, Cæſar cognita coronatione Mariæ reginæ Britanniæ continuò concepit in animo optimè conſultum fore ſuis rebus, ſi illam in matrimonio collocaret Philippo filio Hiſpaniarum principi: quare certiorem facit Cardinalem Polum ſibi gratiſſimum fore, ſi quanta poſſet celeritate Bruxellas aduolaret, ad quem regina, vt diximus, iam literas dederat. Polus legatus à Pontifice delectus ad res ſpectantes ad religionem in Britannia componendas longiſsimis vſus itineribus illuc primum ad Cęſarem proficiſcitur, cum quo agit quo pacto de nuptijs illis pertractaretur. atque dum Polus Bruxellis commoratur, cognita per nuntios Mariæ reginæ religione ac pietate primum literas ad eam perſcribit, quibus illam hortatur ad extirpandam impietatem, adulterinamq; religionem, quæ paucorum vitio in animis multorum inſederat, vt ad obedientiam ſedis apoſtolicæ, auitumque cultum redirent coloni eius regni. ita delectata eſt literis regina, vt non modo rem ad optimum finem perducere cogitarit, verumetiam Cardinalem ipſum ad patrios lares, ad antiquos redditus & cēſus ac prouentus vltro inuitauerit, & ad omnes priſtinos honores. legationes præterea deſtinauit Romam de obedientia prȩſtanda, & de optimo populorum animo erga Romanam catholicam eccleſiam, cum omnes ferè ad priſtinum cultum libentiſſimè redire cuperent. Illo in negotio plurimum vſa eſt Regina non ſolum opera, ſed etiam conſilio Iacobi Ragazzoni ciuis Veneti, qui tunc plurimum apud illam poterat gratia, & exiſtimatione in Britannia ſicuti propter egregia animi ornamenta gratus fuerat etiam ſuperioribus regib. accedebat ad negotij cōmoditatē, ꝙ Iacobus haberet Victorem fratrem Romæ cubiculariū Pontificis, qui ſignificauit Pontifici de literis Iacobi fratris nihil magis eſſe reginæ in optatis, quam illud regnū ad obedientiā ſacræ Romanȩ catholicæ eccleſiȩ, & ad priſtinum cultū ſacrorum reuocare: ea de re tanquā de amiſſa & nuper inuenta pecude permulta lætitiæ ſigna edita ſunt Romæ ſacri paſtoris, iuſſu, atqui Maria tūc agebat ætatis ſuȩ annū iam quadrageſimum, quo tpe de illius nuptijs tractabatur. Sed multæ difficultates in eo negotio oriebantur; quia principes eius inſulæ apparebant ægre laturi ſiquis inde oriūdus ac par cæteris hactenus dignitate, deinde rex eſſet futurus. alijs videbatur fore perindignum ſiquis externus fuiſſet ad imperium eius inſulæ admiſſus, qui apparebat non pro patria charitate rebus inſulanis præfuturus, ſed potius vſurus ſeueritate quadam in oēs ignotos atq; crudelitate tyrannidis non abſimili: quippe cuius illud regnum non eſſet patrimoniū. alij contra Hiſpaniarum principem optabant, non ſolùm propter bonitatem eius, quæ eſſe dicebatur, ſed multò magis, quia coniunctis Hiſpaniæ viribus apparebat futurū, vt bellum aduerſus Gallos facilius ſuſtineretur, Scotiæque regnum ab Henrico Gallo occupatū, & Normania quondam Britannicæ ditionis Britanniæ imperio rurſus adiungeretur. his accedebat vicinitas locorum, quæ forent accommodata negotiationibus, & populis vtriuſq; regni pluribus igitur rationibus effectum eſt, vt regina à Polo Card. & a Cæſare ſollicitaretur, & præſertim, quia hac vna ratione videbatur futurum, vt pax eius regni maximè per externum principem conſeruaretur, cuius autoritas, & potentia non mediocris requirebatur ad conuellendas hæreſeos radices, quæ multos iam annos in potentiorum animis inſederat. Quæ dū tractantur in Britānia, mira quædam portenta imminentes diuinitus calamitates propter conſceleratorum hominū malitiā ſignificarunt: quę inſulſi non quidem diuinitus mitti ad corrigēdas mortalium mentes arbitrantur, ſed à fortuna fieri cenſent ludente, in rebus humanis; cum horum nihil fiat caſu, ſed optimo, & ſapientiſſimo Dei cōſilio. ſic eueniunt bella. Sic annonæ penuria per grauē cęli ſiccitatem. Sic inundationes, & morbi, & peſtilentia, & deſolationes vrbium, quæ oīa craſſantur per mortale genus ob improbitatē. nā alibi pluiſſe ſanguine traditū eſt, alibi viſæ acies armatorū in aere dimicātes dicuntur. at certè Rhenus ampliſſimus fluuius defluens Rheticarum alpium iugis in Oceanum Batauorū tā violentus decurrit magna niuium & imbrium copia adiutus, vt non prata ſolùm agroſque alueo proximos inundarit, ſed etiam multas vrbes atque oppida procul à ripa nullo vicinitatis fœdere diluerit, ſed præcipuè Rauracos & Rubiacum. atque dum fiunt apparatus ad bellum in Italia & in Gallia ac Germania vtrinque, agiturque in Britannia de nuptiis Marię Britannię reginę decedente iam præſenti anno
1554 interat quartus à natiuitate Chriſti redemptoris noſtri ſupra millequingentos, & quinquaginta, cum per multam Card. Poli diligentiam concluſum, & ſtabilitum eſt matrimoniū inter Philippum Hiſpaniarum principem, & Mariam reginam Britanniæ hiſce conditionibus. 1. Primùm, vt contrahatur matrimonium inter ipſos principes legitimè. 2. Deinde vt ipſe princeps omnibus titulis regnorum illi reginæ ſubditorum quoad vixerit regina perfruatur, ſeruatis priuilegiis, iuribus, ac moribus illorum regnorum. 3. Vt regina omnia munia poſſit deferre natiuis hominibus eius regni. 4. Vt Maria iure matrimonij admittatur in ſocietatem ab ipſo principe omnium præſentium regnorum, & futurorum. 5. Vt reginæ, ſi ſuperuixerit, ſexaginta millia nummum in annuos ſumptus quotannis aſſignentur: quadraginta millia ſcillcet ſuper regno Hiſpanię, & Aragonum, at, quod reliquum fuerit, ſuper Ambiuaritorum, Batauorum, Belgarumque regionibus, atque aliis vrbibus patrimonii Cæſaris: qui numerus prius aſſignatus fuerat Margaritæ Britannæ vbi Dux Sequanorum eam viduam reliquiſſet. 6. vt ſiqui filij naſcerentur, ad eos iure hereditario regnum perueniat, vti decernitur inſtitutis, legibus, moribus Britanniæ, & omnia quæ ſunt materni iuris. 7. vt Carolo infanti Hiſpaniarum, eiusq; tā fęminis, quàm maribus ſucceſſoribus detur poſſeſſio omniū regnorum & rationum, quæ ad eos pertinebunt tam auię, quàm Cęſaris patris, Hiſpaniarum ſcilicet, Siciliæ, Neapolitani & Siculi regni, & principatus Inſubriæ, aliarumq; ditionum & iuriū, quæ habet in Italia. ea tamen cōditione, vt ſi Carolus deceſſerit ſine filiis, qui natus eſſet primogenitus ex hoc matrimonio, in eius locum ſubrogetur. 8. vt idem primogenitus in omnes principatus pa-

ternos

Iacobi Ragazzoni diligentia.

Portenta mira per dei cōſiliū oſtenſa.

Conditiones matrimonij inter Philippum & Mariam Britannię reginam.

ternos ſuccedat tam Sequanorum iure, quàm inferioris Germaniæ. 9. vt ſi quis filius ex hoc matrimonio ſuperfuerit poſt Carolum & ſucceſſores, eo caſu Carolus & illi excluſi intelligantur ab omni Sequanorum & inferioris Germaniæ imperio, quod ad harum nuptiarum primogenitum ſpectet, cæteris iuſta portione, ac fœminis conueniente dote aſſignata in Sequanorum inferiorisque Germaniæ & Britanniæ regionibus aſſignanda. 10 his additum eſt ne primogenitus ad regna Hiſpaniarum præterea aſpiraret aut ad alia prædicta, niſi ab auo aut à patre ſibi vltro relicta fuerint. 11. Quòd ſi fœminæ tantum naſcantur, primogenita ſuccedat in omnia iura inferioris Germaniæ, ſi Brittanno aut Germano principi nupſerit aſſentiente Carolo fratre. 12. quod ſi recuſauerit, Sequanorum ac reliquarum regionum de iure cadat, quod liberum ad Carolum, & ad eius ſucceſſores deuoluatur. ita tamen vt illi ac cæteris ſororibus, ſi quæ naſcentur pro ipſarum regionum conſuetudine conueniens dos aſſignetur. 13. ſin Carolus ſine filijs deceſſerit, illi ſuccedat primogenita non ſolùm in principatus Sequanorum & inferioris Germaniæ, ſed etiam in Britanniæ Hiſpaniæque regna. 14. vt quicunque ſucceſſerit, omnibus reginis vrbes; imperia, leges, mores, inſtituta ſeruet; quorum adminiſtrationi & gubernationi indigenas ciues pręficiat: quoniam hæc omnia ſpectarent ad concordiam & ad regnorum ipſorum conſeruationem. 15. vt princeps vel ante matrimonium ad rerum domeſticarum gubernationem aptum Britannorum numerum admittat, ne vlla inſulanis hominibus ab externis fiat iniuria. 16. vt nemini extero munia Britanniæ concedantur. 17. ne regina cogatur inuita exire è Britannia. 18. ne filij, ſiqui naſcentur cogantur exire, niſi ſumma & manifeſta neceſſitate vrgente, quod tamen fiat aſſentientibus Britannis. 19. ſi regina ſine filiis deceſſerit, ne princeps vllum ius habeat in Brittanniam, ſed pro legibus ſuccedatur. 20. ne princeps quidpiam innouet in eo regno; & ne auferat theſaurum vel gemmas, neque auferri ab vllo patiatur. 21. ne auferantur bellica tormenta, vel reliqua ſpectantia ad vſum bellorum; ſed pro virili nitatur munitiones tueri ac regnum defendere. 22. ne illud regnum illis bellis implicaretur, quæ geruntur à Cęſare aduerſus Henricum Gallorum regem. 23. vt princeps curaret pacem inter Henricum & ipſam reginam compoſitam conſeruari, at cæteris regnis paternis pro arbitrio vteretur ad paternam defenſionem: quibus rebus ita ſtabilitis reliquum erat, vt princeps in Britanniam ad nouam ſponſam nauigaret, quod facere ſumma celeritate iuſſus eſt a Cæſare. Hęc vbi nuntiata ſunt in Britannos proceres multi grauiter tulerunt, atque inuicem conqueſti ſunt ſibi externos principes præferri, cum bellorum ſumptus, & moleſtiæ ſibi ſubeundæ ſint ad regni defenſionem; at vbi aliquis inſignis dignitatis gradus oblatus ſit à fortuna, neminem poſſe admitti ex ijs qui incommoda ſuſtinuerunt. aut euertendam eſſe prorſus eam patriam, aut penitus deſerendam, quæ ſuos ciues odio habeat, & in qua natis eſſe ſuis ciuibus ſit pernitioſum, cũ prorſus digna ſit odio ſuorum ciuium, & ob iniquitatem vindicta numinis. vel reſeruandam & retinendam eſſe exiſtimationem Britannicam; vel, ſi fortuna ita tulerit, fortiter cadendum; neque ferendũ vt cogantur dari exteris regibus in ſeruitutẽ pro illorum libidine. præſtare Ioannæ regnũ deferri, per quam libertatem, exiſtimationemque retinerent, quam ita miſere per ſimulationem religionis opprimi. his, alijsque compluribus rationibus ad coniurationem clam conſpirant, & ad eas nuptias impediendas multi Britanni. coniurationis principes fuerant regulus Suffolchius, Thomas Huuietus, Petrus Carrus præcipuæ autoritatis ac potentię, qui ſepius conuocatis multis è proceribus in domum reguli ad clandeſtina conſilia in eam ſententiam denique deuenerunt, vt fierent occulti apparatus, ſed res ipſa in aduentum vſque principis Hiſpani occultaretur. Carrus, vt ad omnem opportunitatem eſset paratior ad vrbem Cornubiorum ſe contulit, qui cum eſset minus prudens, quam oportebat; ob nimium rerum nouarum deſiderium immaturè & ante expectandam opportunitatem tumultuari cępit, qua de re accerſitus a regina è veſtigio aufugit in Galliam. Huuietus veritus ſua conſilia aperiri, decernit antequam ad cędem protraheretur, vel contra ipſius reguli conſilium arma capere, ſtatuitque quam maximas copias in Chemptonica regione colligere, omneſque quotquot poſset ad defectionem ſollicitare. deinde magnis viribus collectis, auxiliiſque amicorum adiutus, repente Londinum verſus iter capit, vt coniunctis etiam reguli copiis illam vrbem ad defectionem atque deditionem compelleret, ne regina nuberet extero principi, ſed alicui indigenæ & Britannico marito. Maria, quòd ſciret eas copias Londinum verſus iter cepiſse, verita nequid detrimenti vrbs caperet, cum ſibi perſuaderet neminem imperatorem poſse his tumultibus opponi aptiorem Suffolchio, illum ad ſe acciri iubet, quem præficeret cum ſummo imperio rebus militaribus, quo is ſua prudentia & virtute tantum incendium bellorum, quantum exardere apparebat, extingueret. Sed enim magna eſt vis conſcientiæ, grauis ſtimulus, acer aculeus, quæ ſemper ſecum habet & rectorum & improborum facinorum veridicum & familiare teſtimonium; atque illud quidem omnibus hominum dictis vrgentius. regulus ille idcirco ſua clandeſtina conſilia retecta eſse metuens cum ducentis equitibus Londino egreſsus in regionem Varoichiam ſe recipit, ibique pluribus auctus viribus ſtudet aliqua munitione potiri. Sed illud fruſtra tentatum eſt, quia Maria ſtatim initio eius fugæ omnium vrbium munitionumque præfectos monuit per literas, ne illum intra vrbes admitterent. at regulus, cum ita ſpes illum fefeliſset, nemoque arma pro illo capeſseret, iam latebras ad incolumitatem ſalutemque querens in Galliam ad Petrum Carrum aufugere decernit. Sed & huic conſilio fortuna repugnauit, quippe quòd regina Nutetonium Comitem cum ſatis valida manu peditum & equitum miſerit ad illum inſequendum. is factus certior de reginæ conſilio, cum videret nullibi ſibi patere fugam aut latebras, quippe cui vel aliis de cauſis Comes eſset infenſus, pecunia quam multam habebat, ſuis diſtributa iubet quemque ſuorum proprię conſulere ſaluti, ſeque ad meliorem opportunita-

Coniuratio Britãnorum ad impedien das nuptias.

Suffolcius Dux à ſuo colono perditus & captus.

portunitatem reſeruare. ipſe ad quendam è ſuis colonis accedit. rogat ſuppliciter vt ipſum protegeret atque occultaret. addit precibus munera, & pręter munera ingentia opulentiæ promiſsa. Colonus hunc in deſertum locum adducit. intra ventroſam quercum occultat. Sed poſtea colonus ille auditis regiis edictis promulgatis, cum cognouiſset quæ ſupplicia occultantibus, & quę pręmia ac largitiones indicantibus eum viuum proponebantur, omni reuerentia domini ex animo obliterata, maluit tuta pręmia deuitato periculo ſuppliciorum vel cum aliqua perfidia capere, quàm cum periculo capitis incertas ſequi pollicitationes, ac datam fidem ſeruare. rem totam itaque defert ad comitem. cum Suffolchius biduum inediam paſsus eſset, a colono deſtitutus fames eum compulit exire ex arbore, cum præterea frigoris aſperitatem & magnitudinem perferre non poſset. atque vix cibo, igneque refectus captiuus Londinum adducitur. poſtmodo regina cum iuſtis copijs & non contemnenda tormentorum apparatuumque cęterorum copia Norfolcium mittit aduerſus Huuietum, qui non procul à Corinio caſtrametatur in conſpectu hoſtium. Huuietti copię vbi in acie ad pugnam inſtructę conſtitiſsent, exercitus Norfolcij in caſtra hoſtium turpiter transfugit, quare tormenta & omnes apparatus venerunt in poteſtatem Huuietti. Captus eſt & Norfolcius, cum nulla via patuiſset ad fugam. hic vbi rogaretur vt amplecteretur partes Huuietti aduerſus exteros principes pro libertate dignitateque Britannica, quòd illa arma non aduerſus reginam, ſed aduerſus exteros, qui patriam, qui reginam, qui regnum, qui ciues eſsent oppreſsuri, forent parata, omnes huiuſmodi preces, adhortationesque renuit. quinetiam paulo poſt libertatem conſecutus totum hoſtium conſilium, & rerum præteritarum ſucceſſum reginę aperuit. Huuietus his felicibus rerum ſucceſſibus Londinum verſus iter capit cum quinque millibus peditum & quadringentis equitibus. putabat enim fore vt cum primum armatus ſeſe vrbi oſtendiſset, ciues amici pro ipſo arma caperent, cum multos ſe amicos habere arbitraretur, atque ita tumultibus vbique ſurgentibus Hiſpani principis nuptiæ impedirentur. regina tunc inermis circiter quingentos tumultuarios pedites exteros, totidemque equites colligit ad vrbis cuſtodiam. deinde conuocato populo ciuitatis cauſas aperit, quibus adducta ſit ad nuptias Philippi principis. oſtendit in hiſce nuptijs propter eius principis exiſtimationem & potentiam conſtitutam eſſe tranquillitatem & defenſionem eius regni. docet maximè neceſſariam fuiſſe eius tutelam ad retinendam, vel etiam reuocandam religionem, quæ primariorum vitio multos iam annos coacta fuerat ſolum vertere. quippe cum populus & magna pars nobilium eſſent catholici, neque vnquam ſceleſta dogmata hæreticorum fuiſſent complexi. rogat, vt arma aduerſus rebelles ciues ad tuendam vrbem ſalutemque propriam capeſſerent. hiſce reginæ adhortationibus commotus populus Londinenſis conſiſtit in acie. portas vrbis occludit. omnia neceſſaria ad bellum parat. quæ cum intelligeret Huuiettus, neque poſſet vrbem ingredi, niſi Tameſimfluuium traieciſſet, qui omnium fluuiorum Britannicorum maximus & ampliſſimus per vrbem Londinum defluit ortos è propinquioribus montibus, atque non procul à Cantio promontorio in mare oceanum occiduum irrumpit. vbi Londino propinquaſſet, primùm omnium per preces tentat ingreſſum. Sed cum preces irritæ fuiſſent, addidit illis largitiones & ingentes pollicitationes munerum. quæ etiam cum vanę fuiſſent, recedit circiter duodecim millia paſſuum, vt aliam partem vrbis tentaret. ibi quoque fruſtra porta Vaſmeſtrenſi tentata, cum ſe non ad opprimendos, ſed ad defendendos ciues ab exterorum imperio & tyrannide acceſſiſſe diceret, ne venirent in perpetuam ſeruitutem, coactus eſt abſcedere à præſidiarijs militibus re infecta. poſt modo cum in prato non procul ab vrbe copias reliquiſſet, ipſeque cum ciuibus verbis contenderet, comes Pembruchius temporis opportunitatem non omittēdam ratus cum expedita manu peditum & valido equitatu ab alia vrbis parte egreſſus in copias Huuietti repente impetum facit. illæ repentino hoſtium aduentu deterritæ facile cedunt, cum carerent etiam imperatore, atque in fugam verſæ cum nemo ad ſigna, militaremque aciem reuocaret, fuſim cęduntur. multi ceciderunt. alii vulnerati, alij capti. Cortinus equitatui regio præfectus audita clade hoſtium, qui prius veritus numerum equitum Huuietti à pugna abſtinuerat, in eum equitatum repente magnam facit impreſſionem, paucisque è ſuis deſideratis Huuietum, & multos primarios capit. Huuietus ſtatim adductus eſt in arcem, quò cum multi prius hortarentur reginam ſe recipere, renuit omnino, quia diceret ſe non nunc primùm expertam eſſe firmiſſimam & tutiſſimam arcem principum eſſe ſubditorum populorum beneuolentiā, qui vel captiuos hoſtes ſibi vinctos tradidiſſent. cęſis ac diſſipatis copiis rebellium, ventum eſt ad cauſam reguli Suffolcii primùm & Huuietti & cæterorum cum iis coniuratorum. poſt multas tergiuerſationes, & mendaces accuſationes, cum illi multos innocentes in diſcrimen coniicere conarentur vel inimicitię cauſa, vel quo ita ſupplicium differrent, inter quos ab his accuſatos falsò fuit Cortinus & Heliſabeta pronuntiati tanquam coniurationis & perduellionis rei, regulus, & Huuiettus capitis condemnantur. Sed quoniam multi tanquam rebelles necabantur vbique Londini ſuſpendio, eſſetque propius periculo ne tota vrbs colonis priuaretur, regina humanitate placare illorum animos populorum nititur, quos grauitate ſuppliciorum deterrere non poterat. vetat vllam haberi quæſtionem. nullas accuſationes admittit. Captiuos liberat. à ſuppliciis abſtinet. Sæuitum eſt tamen in nonnullos, inter quos fuit Ioanna; quę tametſi neque a patre, neque à ciuibus nuper ſe conclamari reginam curauerat, tamen innocens cum innocente marito in vincula tradita cum eo capitis condemnatur. atque illa:, vt quæ græcarum latinarumq; literarum ciſſet egregiè perita vniuerſæ cauſæ ſuæ ſeriem apologiamque conſcripſit, in qua patefecit ſe per aliorum cupiditatem dominandi, omnium prorſus quæ gerebantur aut inſciam aut aduerſariam ac minime aſſentientem, in eas ærumnas coniectam fuiſſe, cum tamen neque diuina quidem

Reginę oratio ad Britannos.

Huuietus captus.

Scelerati ſocios quærūt calamitatū.

Ioanna capitis condemnatur innocens cū marito.

iura

iura iubeant filiam ferre ſupplicium pro iniquitate patris, repugnantem iniquitati. his addidit nihil tamen formidabile ſibi contigiſſe cum ſtatutum ſit omnibus ſemel mori. in corpus tantum poſſe regum indignationem ſæuire, at animam ab omni mortalium tyrannide & crudelitate atque imperio eſſe immunem, cuius vera & legitima cauſæ cognitio ſoli Deo reſeruata ſit: qui poteſt vnus præmia pro virtutibus, & pro ſceleribus condigna iuſtiſſimaque ſupplicia exhibere. illam cum maritus viſendam curaret, noluit ſub tempus cędis, quia id minime conferret ad animarum ſalutem, præſentemque calamitatem adaugeret. ſcripſit etiam graues ſententias, ita latine; ſi vis humana ius habet in meum corpus, anima certè ius inueniet in Dei miſericordia. ita græcè, mors pœnam errorum dat corpori, at anima in conſpectu dei ſuam innocētiam probabit. ita Britannicè; errorem iure cenſeri dignum morte, ſed modum inſcitiæ apud homines & leges miſericordiam, excuſationemque mereri. poſt huiuſmodi ſcripta ad locum ſuppliciorum adducta intrepidè caput carnifici cędendum obiecit, quod curauit, vt compoſitis capillis abſcinderetur. ſic innocentis puellæ cędes non mediocrem crudelitatis notam apud omnes Britannos inuſſit Mariæ, & iudicantibus ad gratiam principum Britannicis magiſtratibus. Ioannæ conſtantia.

*LIBRI SEPTIMI FINIS.*

# NATALIS COMITIS
# HISTORIARVM
## SVI TEMPORIS,
## *LIBER OCTAVVS.*

DVM fortunæ inconſtantia,rerumq; humanarum volubilitas modo hos tollit ad ſummum in Britannia inſula, modo illos ex alto dignitatis gradu ad ima prçcipitat,neq; Italię quidem tranquillitatem poſt ſemel pacatas res Senenſes patitur eſse diuturnam. Nam Iacobus Mediceus marchio Marinianius,quem ſub ſinem anni preteriti res ad bellum procuraſse docebamus, ne ab hoſtibus præueniretur ad tertium idus Ianuarii vbi tempus exeundi ad eam expeditionem opportunum viſum eſt,clam inſtructis quibuſdam Hiſpanorum cohortibus cum portę vrbis Florentię per triduum fuiſsent clauſę,nihil noui finitimis populis aut Senenſibus ſuſpicantibus propter

Marinianius diligentia.

iam inueteratam,vt dixi,conſuetudinem,dormientibus,minimeq; ſentientibus quidquam vel ipſis Florentinis ciuibus magno ſilentio antequam illuceſceret exit cum ipſis copiis. Sed antequam ipſe egrediatur ſeptus pręfectis ſingulorum cohortium cum ducibus & centurionibus in limine portæ ciuitatis ſingulatim inſpicit obſeruatq; milites, nequis explorator miſtus pro milite exiret.neminem præter Hiſpanos ac ſuos familiares exire patitut.iubet per totum ſequentem diem portas vrbis clauſas eſſe. imperat delectum agreſtium Senam verſus iter capere.

Stratagema:

Rodulphus Baleonus, qui ſummum habebat equitatus imperium in illa expeditione, præcedens egreſſis Hiſpanis cum expeditiſſima turma equitum omnes in itinere inuētos capit, & in cuſtodias tradit,nequis præcedens has copias accedere, aut conatus Cæſarianorum propinquare ſignificaret Senenſibus. Dum hi Senam lubricis ac difficillimis itineribus propter recentes pluuias,locaq; cænoſa ægrè properant,aliæ conſcriptorum Germanorū Italorumq; cohortes vnà iter e diuerſis præſidijs capiunt,quæ omnes vno nuntio ad ſtatutum tempus ad Senam cum Marinianio adeſſe iuſſæ fuerant. circiter idus itaque prima fere vigilia Cęſariani ex ea parte,quę imperfecta erat aduerſus vrbem per foſſas ipſius vrbis munitionem ingrediuntur à paucis & ſatis negligenter cuſtoditam:quãobrem commiſſo leui prelio,facileq; repulſis qui aderant,Cęſariani illa potiuntur. ingreſſus etiam

Chamolia munitio capta.

in vrbem Senam patuiſſet eadem nocte,atque vna hora totum propè bellum fuiſſet abſolutum, Marinianiusq; cardinalē nihil tale ſuſpicantem repente oppreſſiſſet,niſi ſpectata virtus & ſingularis vigilantia Laurentij Caſtilionei,qui pernoctabat in ſtatione, portam vrbis occluſiſſet, quamuis difficultate itineris defeſſi eſſent & propè ſemianimes Cęſariani. vbi auditum eſt leue certamen, cū non plures triginta militibus munitionem Chamoliæ cuſtodirent,Hiſpaniq; ducenti, aut certè nō multò plures ad illam occupandam pręcurrerent,magna orta eſt Senę trepidatio, & ad arma repente vbique conclamatur.atqui niſi cardinalis aliquam ſubeſſe coniurationem aut proditionem ratus,vel alia aliqua de cauſa impetus & animos Senenſium repreſſiſſet,vel, vt veriùs dicam, ſi fortuna vrbis Senenſis ita tuliſſet, vt illa libertate diutius abuteretur,facillimè Senenſes eadem nocte armati paruas copias hoſtium diuturnoque labore difficilis itineris defatigatas intra ipſam munitionem cum ipſo Marinianio trucidaſſent ac deleuiſſent,atq; vana feciſſent omnia Cęſaris & ducis Hetrurię conſilia. Cæſariani partim Senenſium negligentia freti, partim ſuis copiis ſemper ſuccreſcētibus confirmati,cum ſcirent omnem militarem pręſtantiam in celeritate perficiendi poſitam eſſe iure videri,quod conſultatum rectè fuerit,nihilq; cunctandum eſſe exiſtimantes,vbi primum munitione potiti ſunt animum adiiciunt ad partem munitionis imperfectã erigendam atque extollendam, quę vrbem proſpectaret. erectis itaq; primùm vimineis corbibus, qui ab Hiſpanis militibus intexebantur, & ad ſtaturam hominis gleba repletis, inter illos quędam tormenta campeſtria

prius

ptius in inuaſuros collocant, vt ad pluteorum morem operarij protegerentur,diſtributaq; ſunt breui Italis, & Hiſpanis portiones, regionesq; munitionis defendendæ & extruendæ. tanta verò diligentia, tantoq; ſtudio Marinianij iuſſu rei agi cœpta eſt,vt milites cum operis admiſti nullum tempus amitterent, cum multi per diem ac noctem viciſſim hoc eſt ſemper aliquæ cohortes faſciculos lignorum, & ſarmenta comportarent, & corbulos gleba plenos. quæ dum aguntur apud vrbem Senam,Cepinius Vitellius cum ſuo equitatu ad oppidum ditionis Senenſis Bonconuentum peruenerat, Rodulphus Baleonus cum equitatu & peditatu in oram maritimam,qui prædabundus ac palans omnia ferro, & igni populabatur. Tum nouæ cohortes quotidie veniebant in caſtra Cæſariana peditum, & nouæ equitum turmæ, quæ apud ipſam vrbem, vel extra munitionem perpetuis foſſis & vallis, & aggeribus concludi cœperant. Sic amiſſa prima opportunitate recuperandæ propè amiſſæ libertatis adaucto Cæſarianorum numero Senenſes non poterant niſi æquo marte, aut etiam cum pluribus numero dimicare. Sic enim plerunque fit, vt quæ malorum remedia facillima fuerant, & vtiliſſima, ſi maturè adhibita ſint, mox vbi morbus inualuerit, radicesq; altius egerit, non poſſint niſi cum ſummo labore, ægrotantiſq; periculo adhiberi. atq; ne interim copiæocioſæ ſint, quæ caſtra poſuerant extra munitionem, cum multæ turres eſſent in agro Senenſi priuatorum ciuium, quæ ſine bellicis tormentis vix poſſent expugnari, Marinianius conſtituit has paulatim omnino eſſe occupandas,ne opportuna loca darentur hoſtibus ad impediendas cohortes,quæ venirent in caſtra, & ad intercipiendos commeatus. multas igitur harum turrium per præcones, aut tympaniſtas in deditionem accipit. quæ autem noluiſſent parere præconum obteſtationibus, tormentaq; muralia expectaſſent, quibus attractis indicebatur atrox prœlium, niſi ſe arbitrio victoris dedidiſſent, denique tractis tormentis captæ ſunt per deditionem ad arbitrium Marinianij. captiui multi ſunt in caſtra adducti: & multi per noctem à carnifice caſtrenſi iuſſu Marinianij funiculis circa collum iniectis & contortis reuinctis manibus poſt terga miſerabiliter extra caſtra ſuffocati. quæ tametſi apparent crudeliora, quàm ratio viri boni poſtulat, tamen cum caſtra ſint omnis crudelitatis & impietatis ampliſſima officina, iure belli facta eſſe excuſari poſſunt, ne Cæſariani ab imperitis rei bellicę, & obſtinatiſſimis agreſtibus cogerentur ad omnia, vel nullius momenti loca tormenta attrahere.ſunt enim illi in fidem vel poſt multas certaminum difficultates accipiendi,qui loca munita, & quę probabiliter poſſunt viribus exercituum reſiſtere, defendant. non eſt enim iniquum ſi quis honorem exiſtimationemq; ſuam tueatur, ac munitionem ſuę fidei commiſſam à ſuo principe defendat: cum turpiſſimum ſit contrà illi,qui ſe militem eſſe profiteatur ad omnes difficultates & pericula timere: neque conuenit ſanè niſi probabilibus rationibus compulſum ſe dedere. huc accedit quod oppugnantes etiam ita multorum incolumitati ſuorum conſulunt & pluribus ſumptibus parcunt, vbi parcitur viris pręſtantibus virtute ac fortitudine. neq; enim ſunt viri fortes vnquam impellendi ad deſperationem, aut cogendi ad extremum vſque dimicare; quod qui fecerit. eorum extremam fortitudinem non ſine graui periculo, & iactura deniq; experietur. & quoniam duæ erant turres intra mœnia Senenſium caſtra Cæſarianorum deſpectantia,ſuper his collocantur tormenta campeſtria à Senenſibus non ſine magno Cæſarianorum caſtrorum incommodo,& moleſtia, idcirco illæ turres primùm omnium muralibus tormentis Cęſarianorum deniq; ſunt deiectæ & proſtratæ,atque ita paulatim ereptæ defenſiones. altera illarum turrium facile proſternitur, at altera portæ propinquior tanta fuit duritie, vt non multo pauciores ſeptingentis globis ferreis expectauerit, quæ tandem cum magno fragore & applauſu Cæſarianorum intra ipſa mœnia conquaſſata deciſaq; concidit. nam Senenſes vbi illa cœpta fuit globis verberari, ac reſcindi, continuo ferè armauerunt ſaccis lana humenti plenis aduerſus violentos tormentorum ictus. erecta eſt interea munitio chamolia ſumma diligentia, & ad tantam altitudinem aduerſus vrbem extructa, vt præſidia Cæſariana inde eijci nullo pacto poſſent. binis in locis confectæ ſunt plateæ ſuperiores cum ſuis lateribus ad capienda moralia tormenta, ſubſtrataq; tabulata ad facilitatem recedendi,& impellendi. atq; hæc fiebant arbitrio & iuſſu Gabrielis Serbelloni viri impigri, & in rebus militaribus exercitati præfecti tormentario negotio. aliæ rurſus plateæ in regione Hiſpanorum factæ ſunt,quæ fuit à ſiniſtra ingredientibus munitionem, in quibus omnibus locis tormenta interea Florentia attracta & è finitimis vrbibus Florentinis collocata ſunt ad proſternendas deijciendasq; vrbanas defenſiones. deciſæ ſunt omnes tum ſteriles, tum etiam fructiferæ arbores caſtris propinquę partim ad vſum conficiendæ munitionis, partim ad ignes nocturnos, qui habentur in ſtationibus caſtrorum, partim etiam ad erigenda tuguria intra munitionem, quæ tegulis ereptis ſuburbanis ædificijs propinquis tecta ſunt ad arcendas pluuias & æſtus, & frigora, & omnes aeris iniurias. atqui ne milites in caſtris ocio & deſidia marceſcerent per longam obſidionem, mos eſt tribunorum militum, vt nonnullis è ſuis concedant, vt prædabundi per agrum hoſtilem incurrant retenta tamen neceſſaria cuſtodia vallorum, quibus reducibus cum præda, eadem facultas viciſſim alijs conceditur. & quoniam quidam tum Itali, tum etiam Hiſpani nefarij homines mutatis crucibus & inſignibus militaribus pro oblato commodo tam in amicos, quam in hoſtes ſpe prædæ craſſabantur, obuios quoſq; trucidantes ac ſpoliantes ex inſidijs, factum eſt edictum in caſtris Cæſarianis per præcones ac tympaniſtas, & in omnes ordines ſub pœna capitis promulgatum, vt ab omnibus rubræ cruces militaribus ſagis aſſuerentur,ac veſtibus omnibus exterioribus, quod non mediocriter profuit ad omne genus latrociniorum reprimendum. abſoluta ac propè perfecta munitione chamoliæ, quia peruetus agger præcelſus ad multum ſpatium extendebatur multis herbis obtectus coniunctus cum ipſa munitione, atque ita ab ipſa vetuſtate condenſatus, vt nulla vi tormentorum videretur penetrabilis, vbi illa ceſſabat è regione arcis à Mendocio inceptæ, Cæſariani aliam munitionem multo minorem

Caſtra ſunt officinæ crudelitatis.

Chamolia munitur.

Gabrielis Serbellonis diligentia.

Conſuetudo caſtrorũ ad ſanitatem & annonũ parandam.

norem prima, at ſublimiorem erigunt. domunculam, quæ ibi forte aderat ad medium exciſam gle
ba replent. in ſuperiore platea duo muralia tormenta locant. his magnificentiora ædificia atq; edi-
tiora proſternunt ad deterrendos Senenſes. Quæ dum ita fiunt à Cæſarianis, flagitauit rerum Se-
nenſium opportunitas, & hoſtium apparatus in dies ſuccreſcentes, vt Strozza qui, quo tempore Cę
ſariani munitionem occupauerant, aberat modo Romæ, modo in Gallia ſubalpina faciendis belli-
cis apparatibus, quos facere ſtatuerat, citatis equis Senã conuolaret. is vrbem ingreſſus omnibus ne
ceſſarijs reparationibus illam inſtruit. nam eius pręſentia primùm auctus eſt militum & vniuerſi
populi Senenſis animus ac diligentia. poſtea optimis firmiſſimisque præſidijs munitur Cluſium,
Roſetum, Mons Alcinoi, ac reliqua oppida Senenſis ditionis & omnis generis commeatu, & rebus
omnibus aliis diuturnæ obſidioni neceſſariis. at Strozzeani milites ſæpius ex vrbe ad leuia certami
na egreſſi, ſubitariaque prælia tanquam ad ludum quendam militarem in Cęſarianos prouocan-
tes, ſatis aptum tempus nacti ſunt ad extruendam validam præcelſamque munitionem extra mę-
nia è regione munitionis portæ Chamoliæ, atque ad aggerem interius excitandum, ita, vt vrbs tuta
redderetur ab impetu bellicorum tormentorum. Sed quoniam hoſtes in dies augeri Strozza fie-
bat certior per captiuos & exploratores, curauit quanta fieri poſſet celeritate vt multę cohortes,

Strozzam Senam ingreditur.

quę paſſim in Italia collectę erant ad vrbem Senam magnis itineribus adproperarent; ne vllo co-
natu Cęſariani vrbe poſſent potiri. Aſcanius Cornienſis interea cum nonnullis cohortibus pedi-
tum agrum Cluſinum deuaſtare. aſſiduis incurſionibus cuncta ferro & igni populari. omni cona-
tu moliri vt Cluſio potiretur. illud cum per virtutem fieri non poſſe intelligeret, animum ad fal-
lacias & fraudes conuertit. videbantur ad illud conſilium capiendum inuitare antiqua in Sanctaciũ
quendam exulem Florentinum collata beneficia, cum opera Aſcanij fuiſſet mortis periculo Romę
ſubtractus, qui vicario munere fungebatur in vna è cohortibus Flamminij Stabię Cluſij. hic ampliſ

Aſcani⁹ Cornienſis & Baleonns Rodulphus ad Cluſiũ profligati per fraudes.

ſimis liberaliſſimisque pollicitationibus ab Aſcanio inuitatus ſtatuta nocte promittit ſe Cluſinam
quandam portam aperiturum, cum tamen contra omnia Aſcanii dicta ad Flamminium virum cal
lidum & ſtrenuum deferret. Strozza illa de re certior factus per literas, ad ſtatutam noctem cum
ſexcentis delectis peditibus affuturus egreſſus per noctem contento paſſu Cluſium accedit. iubet
ibi præſto eſſe expeditos manipulos peditum è finitimorum locorum pręſidiis & alas equitum,
quam noctem Sanctacius elegerat ad ſimulatam proditionem. ad ſtatutam horam pręſtò eſt Aſca
nius cum duobus millibus & quingentis peditibus Florentini delectus, & quibuſdam turmis equi
tum, quibus pręerat Rodulphus Baleonus. Rodulphus vbi rem ſentit ſubfrigidè gubernari ac
procedere, nimiſque differri, venit in ſuſpicionem ac dubitationem de proditione Sanctacii.
ſuum conſilium cum Aſcanio communicat. tamen ne timidus videri poſſet non deſiſtit à volunta-
te Aſcanii, qui ad illud credendum magnitudine deſiderii impellebatur. eſt enim ſpes pro ſtimulo
quæ maximè impellit ad ea credenda, quæ vehementer optamus, facitq; magnitudo deſiderii, vt
multa falſa videantur probabilia. inde fit vt Aſcanius perſiſtat in ſententia donec videret quò tende
rent Sanctacii promiſſa. quippe cum vrbanis illis præſidiis Cluſinis ſe multò ſuperiores habere vi-
res intelligeret. ea dũ ſpectaret, fit certior per exploratorem portam vrbis patere. ſuum aduentum
expectari. non eſſe cunctandũ ne res innoteſceret. vti oportere præſenti opportunitate, quę ſi nũc
prætermiſſa ſit, fruſtra poſt modo poterit expectari & deſiderari. præmittuntur duę cohortes, quæ
ſine controuerſia Cluſium ingrediuntur, reliquæ copię extra vrbem in acie conſiſtunt. ingreſſos tã
frequentes ſclopettariorũ procellę vtrinq; impetunt vt multi Florentini fuſim ceciderint, reliqui
ad exitũ refugientes partim ſuffocati ſunt impetu recurrentis multitudinis ad anguſtias portę, par
tim ab inſequentibus hoſtibus trucidati. nã Cluſini ita occultas reparationes in priuatis domibus
extruxerant, vt hoſtẽ offendere, at ipſi neq; videri quidem, nedum offendi nullo modo poſſent, niſi
cũ ex illis prodirent ad pugnã. Aſcanius tardius quàm oportebat ſimulatam & inſidiarum plenã
proditionem ſentiens, non potuit opportunè ſe in tutum recipere; quare ſalutẽ armorũ vi ſibi cõ-
parare, aut tentare cogitur. ſuos itaq; pro anguſtia tẽporis ad ſuſtinendos impetus hoſtiũ breuiter
cohortatur. Sed cũ à tergo circumuentum à fronte quoq; Cluſini egreſſi adorti fuiſſent, magnum
& atrox cõmittitur prælium. nam cũ res Aſcanij eò deducta eſſet, vt vel fortiter cadendum eſſet in
pugna, vel turpiter veniendum in poteſtatem hoſtium, vel ſtrenuè dimicandum, viamq; ferro per
medios hoſtes aperienda, pugnatur acerrimè vtrinq;, diuq; fit anceps belli fortuna. Sed Cæſariani
ob imparitatem numeri, imperitiam militum, iniquitatem loci, tandem terga vertere coguntur, &
fuga ſalutem ſibi quęrere, cum ita profligatos & fuſos nullæ neq; adhortationes, neq, minę præfe
ctorum, neq; liberaliſſimæ pollicitationes ad inſtaurandum prælium poſsent reuocare. nam cum
tumultuarij eſſent milites & delectus agreſtium rei bellicæ prorſus imperitorum, neq; mirum eſt
ſi ad ſigna reuocari nõ poterant, cum vix ſit munus militum veteranorum, & in rebus militaribus
exercitatorum ad ſigna facile reuocari, vbi ſemel fuſi fuerint, quorum vel paruus numerus magno

Heluetiorũ laus.

imperitorum eſt anteferendus. idcirco omnium propè militum maximè gloria, obſeruantia, virtu-
te rei militaris præſtare putandi ſunt Heluetii, quorum ordo tam facile reſarcitur, quàm facile reli-
qui milites profligati diſſipantur, ac toties aciem inſtaurant, quoties labefactata virtute hoſtiũ fue-

Baleonus cæſus.

rit. cecidit in eo certamine Rodulphus Baleonus pręter cohortium pręfectos, multoſq; milites. Co
mes Balneenſis vbi rem in tanto diſcrimine poſitam eſſe vidit, vix in locum tutum ſuam alam equi
tum perduxit. Aſcanius poſt diuturnum pugnę laborem altero oculo amiſſo denique venit

Cornieſis captus oculo amiſſo.

in poteſtatem hoſtium, qui Senam adductus omnia maledictorum, conuiciorumq; genera in ſe à
Senenſibus audiuit. deinde in cuſtodias traditus nonnullos è cuſtodibus largitionibus corrumpẽs
facile profugiſset, niſi fortuna eius conſiliis fuiſset aduerſata. finxerat enim ſeruus ſe ex altero ocu-

lo ęgro-

lo ægrotare atq; ita ſtatutū erat vt eius veſtibus indutus Aſcanius elaberetur. ea res deprehenſa ſuſpendii cauſa fuit cuſtodibus, at Aſcanio arctioris cuſtodiæ. Strozza Senam reuerſus accipit per nūtios Forqueum, ille vicario munere fungebatur, primumq; locū in caſtris Strozzeanis tenebat poſt ipſum Strozzam, cum quatuor millibus Italorum peditum, & magno numero equitū cum præfecto comite Iuliæ Tauricæ per valles Lucenſes iter facere; quare cū pręter neceſſaria Senenſibus oppidis præſidia poſſet educere ex agro Senenſi circiter ſex millia peditū, & frequens agmen equitum, ſtatuit Sena egredi, vt vniuerſum bellorum incendium in hoſtile territorium transferret, & cum ad uenientibus auxiliis caſtra facilius coniungeret: donec accedente claſſe cum Aquitanis & Heluetiis, qui erant vehendi auctis magnopere viribus totam vim belli ex agro Senenſi abduceret. Sed enim Gallica claſſis cum in Cyrnum inſulam applicuiſſet Caſalum ſinum, portumq; Syracuſanū, & Vrcinium commeatu, & rebus omnibus neceſſariis communiuit, quæ loca fuerant paulo ante occupata, vt diximus, cum Thermeus regulus Sena exceſſiſſet, & ab eodem diutius in inſula morato ante quam rediret in Galliam, munitionibus & reparationibus confirmata. nam cū ille nonnullos menſes in inſula moratus eſſet, tota ferè inſula præter pauca caſtella, venit in poteſtatem Gallorum. cum verò ex illa facultate totum mare Liguſticum a Gallica claſse plurimum infeſtaretur, ob ingentia damna accepta compulſi ſunt Genuenſes arma inferre Gallis in inſulam Cyrnum, atq; tam validis præſidiis ſua caſtella, quę reliqua erant, munire vt non repellendis modo, ſed etiam infeſtandis hoſtibus eſsent idonea. vbi commeatus resq; neceſsarię inſulanis præſidijs fuiſsent expoſitæ, claſſis ad portum Herculis duce Leone Strozza Petri fratre applicuit, ad quem miſsus eſt Aſcanius captiuus, qui cum rurſus elabi conaretur, in arcem cuſtodiendus traditus eſt donec ad Henricum regem miſſus ad gratiam pontificis liberatus eſt & dimiſsus. Cæſar, quia meliore conditione ſibi eſse videretur in finibus Belgarum, cenſeretq; Henricum partim ſuperioris anni acceptis detrimentis deterritum, partim aſſiduis ſumptibus Cyrnenſis, Senenſis, Belgici, Galliæ ſubalpinæ bellorum ſumptib. exinanitū nihil in finibus Belgarum innouaturū, cū ipſe quoq; plurimos ſumptus feciſſet, putabat ſatius eſſe Gallum in Belgio tenere in ſuſpicione, quā arma hoſtilia multa vi mouere, cū totus animus illius eſſet in principis Hiſpaniarum filij matrimonio occupatus. quippe quòd Britanni nullū externum regem accepturi niſi coacti viderentur, cuius etiam rei cauſa ſuperius, vt dictum eſt, arma ſumpſerant. at contrà, Henricus cognitis omnibus Cęſaris conſiliis vt turbaret Britannica negotia, quæ ſibi videbantur, plurimum incommodorum allatura, cū fortuna eſſet ad omnia Philippi vota propenſa, intuitus Cæſarem ferè ocioſum eſſe, qui omnem bellicarum rerum curam Mariæ ſorori Pannoniæ reginæ rebus Belgicis præfectæ commiſerat, quia tempus meſſis iam inſtaret collectum iuſtum exercitum in apertum educit; quarum copiarum dux ſummus Cameracū verſus continuò infeſta ſigna conuertit, quam vrbem per proditionem erat capturus. nam cum ſuperiore anno Hēricus triginta millia peditum & aucto lectiſſimorum equitum collegiſſet ad impediendos felices Cæſaris progreſſus ſub finē anni præteriti, omnes illas copias in hyberna diſtribuerat, quas nūc eduxit. Cæſar vbi Gallos caſtra mouiſſe Cameracū verſus intelligit, re inſperata propè circūuentus quaſi tumultuariò bellicos apparatus aggredi cogitur, atq; denuo ſummum copiarū imperium defert Allobrogum Duci, quem iubet cū Io. Baptiſta Caſtalio & Antonio Auria ſupremis conſiliarijs eius belli ſe regiis conſiliis opponere. Sed Cæſari ita fauit inopinato belli fortuna, vt ſtatim profectis Gallorum ducibus proditio ſit patefacta, quare regiæ copiæ ſeſe ad oppidū Mariæburgum imperfecto negotio recipiunt. illud oppidum fuerat paulo ante à Maria regina extructum in loco paludoſo naturaq; munitiſſimo, atq; præſidiis, annona, & rebus omnibus muniēdis oppidis neceſſariis communitum. veruntamen Galli cū ſibi præfectum & gubernatores oppidi conciliaſſent, illo demum potiuntur per deditionem. illuc ingreſſi multis nouis reparationibus oppidum muniūt, & aliquot dies morantur, quia hortos amęniſſimos, ſuauiſſimos fontes ad recreandos animos, & ad voluptarios ſeceſſus locos haberet, quæ omnia magnis ſumptibus ac ſingulari diligentia ipſius Mariæ fuerant affabrè facta. erant res Belgicæ in magna perturbatione, & Bruxellis præcipuè magnopere trepidatum eſt, vbi erat Cæſar, quia videbatur timendum, ne Henrici exercitus eò contenderet, cuius in caſtris iam eſſe dicebantur quadraginta peditum, decem equitum millia. dux Allobrogum coactis quibus potuit eductisq; copijs, quæ fuerant in hybernis, cum adeſsent quinque millia Germanorum, quingenti Hiſpani, duo millia & quingenti cataphracti equites collecti è varijs nationibus cum paucis leuioris armaturæ, ac nonnullis Hiſpanis equitibus ſclopettariis, ſe Valentianam recipit, atque inde ad loca magis finitima, vnde Cęſari poſsent ferri ſuppetiæ. Cæſar cum ſimularet ſe Bruxellis in caſtra exiturum in locum tutiorem accedendum eſse ratus, quod vrbs illa ſine maioribus pręſidiis tanto hoſtium exercitui non videretur poſse reſiſtere, ex vrbe proficiſcitur. Galli non prius è Marię burgo, locisq; finitimis diſcedunt, quàm Henricus ipſe veniſset in caſtra. Quem dum Galli pręſtolantur in Belgio, e claſse quę ad portum Herculis applicueaat in Thuſciam ad tertium idus Iunij quinque Aquitanorum Heluetiorumq; millia tanto ſilentio Senam ingrediuntur, nemo vt prorſus Cæſarianorum illum aduentum cognouerit aut ſenſerit. eodem die Strozza cum ſex millibus peditum & quingentis expeditiſſimis equitibus comitantibus multis ciuibus per portam Brandā vocatam egreſſus fuerat, cuius exitus ignotus etiam planè fuit hoſtibus. Sic igitur cum his copijs Caſoli territorium & Volateras & pontem Eræ & Caſcinam prætergreſſus ad pontem Morianæ peruenit, quod oppidum eſt ditionis Lucenſis, vt ibi aduenientes cohortes è Gallia ſubalpina expectaret. eſt autem Luca vrbs Italię ad montes Lunæ vocatos nobilis, quæ probitate & ingeniorum præſtantia floret, gubernaturque ad morem reip. quamuis parū amplos habeat fines. præcipuè verò bellicoſa eſt, & præſtat virtute rei militaris. Strozza interim non habet

Claſsis Gallica ad portū Herculis.

Marięburgū captū à Gallis.

Florētinum agrum percurrit Strozza.

Lucæ vrbis deſcriptio.

ocioſum

otioſum exercitum, ſed populabundus crebris incurſionibus agrum Florentinum infeſtat, ferro igniq; deuaſtat. oppida montis Catini, & montis Caroli per vim capit. capta firmis præſidijs & reparationibus munit. quæ cum ad ducem Hetruriæ fuiſſent delata veritus nedum aliena ſectaretur ipſe in ſuorum periculum eſſet illapſus, multoq; plura amitteret, quàm caperet, Marinianium cũ exercitu ab obſidione Senæ reuocat; cum præſertim iam Galliæ ſubalpinæ copiæ ſeſe Strozzeanis adiunxiſſent, quibus abſente exercitu nemo poſſet reſiſtere. his accedebat periculum ne ſegetes iã flauentes igni ab hoſtibus abſumerentur, quare neceſſariò contigiſſet vt breui maximè laboraretur vbique inopia rei frumentariæ. Marinianius munitionibus probè inſtructis rebus omnibus neceſſarijs cum ſeptem millibus peditum contento paſſu, & quàm poteſt longiſſimis itineribus Piſciam contendit, atque ita auctum eſſe intelligens numerum hoſtium, vt ipſe par viribus eſſe non poſſet, ſatius eſſe ducit ſeſe intra mœnia continere dum noua auxilia accederent, quę à Camillo Columna è regno Neapolitano, & à Ioanne Luna ducebantur ex Inſubria, quàm ſeſe in aperto fortunæ inconſtantiæ committere. Strozza decernit Piſciam vrbem repentino conatu tentare, ſed res non potuit tam occultè decerni, ne Marinianius fieret certior per exploratores, qui vix credens vllis, vel nuntijs, vel amicorũ adhortationibus, cum aduentus hoſtium propinquaret, mittit expeditas alas equitum, ad hoſtem ad leuia prelia prouocandum. dum ita leui pugna certatur Marinianius capit conſilium ſalubre, vt ſeſe in tutiorem locum reciperet, quem cum perſequi Strozza decreuiſſet, deinde mutauit conſilium, partim quòd copiæ iam eſſent defeſſæ, partim etiam quòd acceſſuris Piſtorium, quò Marinianius ſe recipiebat, ad oppidum Serauallem anguſtiæ quædam eſſent neceſſariò tranſeundæ. Cæſarianæ acies recipiebant ſe tam conglobatæ, tam confuſæ, tanto terrore plenæ, nemo vt propè eſſet è Cæſarianis quin potius ad fugam apertam, quam ad pugnã ſpectaret. quamobrem ſi fortuna vel fuiſſet Strozzæ paulo manſuetior, vel ſi aliquantulum ad Cæſarianorum felicitatem obdormiuiſſet, non amplius quidem res Senenſis, ſed iam Florentina poſita erat in maximo diſcrimine. idcirco ſtultiſſimus & rerum humanarum imperitiſſimus merito ille cenſeri debet, qui bellum facile ſuſcipit, & niſi grauiſſimis, maximeq; neceſſarijs cauſis compulſus, aut ſuæ defenſionis gratia: quia tam incerti ſunt exitus bellorum, vt toties de ſuo principatu, atq; imperio quiſq; periculum faciat, quoties exit ad pugnam. vt enim omnes propè grauiſſimæ diuturnæq; ægritudines paulatim incipiunt, mox ſuccreſcentes inualeſcunt per moram, atque toties de vita contenditur, quoties de recuperanda ſanitate; ita res principum ſe habent, quæ cum proſperè, vel contrà alicui ſuccedere cęperint, tanquam rapidiſſimus fluuius omnia ſecum trahunt, atq; reliqua ſpes eſt in ſola fortunæ volubilitate collocanda, & in diuina voluntate. Sed ita fortunæ Senenſi viſum eſt, vt dũ Strozzeanæ acies corpora parumper curarent Cæſariani ſe in tutum receperint. Piſtorienſes conglobatos Cæſarianos ad properare intuiti eos in fugam verſos miſtim cum hoſtibus vrbem ingreſſuros eſſe veriti vix erant quenquam in vrbem admiſſuri. Sed vbi poſtmodo nuntiatum eſſet Piſciam à Strozza relictam eſſe, illumq; intra fines Lucenſes ſe recepiſſe, omnes copię ſunt admiſſæ, donec Inſubrum Neapolitanorumq; auxilijs accedentibus Cæſariani pares facti, vel etiam ſuperiores ſunt viribus Gallicis. dum ita Cæſariani ſuppetias Piſtorij expectant, Marcus Antonius Triuiſanus princeps Venetiarum diem ſuum obijt, qui anno ſuperiore Dux creatus fuerat, cuius in locum patrum conſenſu ſuffectus eſt Franciſcus Venerius, vir probitate ac eloquentia clarus. ſed quoniam Strozza in agro Lucenſi fruſtra claſſica auxilia expectauiſſet, grauiterq; ferrent Lucenſes ſibi augeri inopiã annonæ ob multitudinem externorum hominum, cum præſertim ob agri anguſtiam alioquin non valde abundent re frumentaria, Strozza comitia ſuis ducibus indicit. in his decernitur optimè conſultum ſuis rebus videri, ſi ſeſe in agrum Senenſem recepiſſent, quia iam auctæ eſſent nimium Cæſarianorum vires, ibiq; auxilia expectarentur. nam rex magnas copias promiſerat ſe miſſurum eſſe è Gallia in Italiam, vt diximus. Strozzeani Senam ad properantes Arnum fluuium non ignobilem Hetruriæ nullis lintribus, nullisve pontonibus, ſed pedeſtri itinere vadantur; qui fluuius è montibus Lunæ ortus Florentiam vrbem interluit, & per amplum agrorum ſpatium deuolutus, amplamq; planitiem meridiem verſus mare Tyrrhenum ingreditur non procul ab vrbe Piſis. ſolet hic fluuius eſſe rapidus, & propter aquas turbulentiſſimas non ſatis fidus eſſe tranſeuntibus, quia vada nõ poſſint ab altioribus profunditatibus dignoſci. Strozzeani vel mentum attingentibus aquis omnino fluuium traijciunt, quod iter difficillimum tamen incredibili celeritate conficitur. nam verebantur Strazzeani ne à Cæſarianis circumuenirentur, atque interclauderetur commeatus, quare cogerẽtur aut laborare inopia rerum neceſſariarũ, aut inducerentur in neceſſitatem collatis ſignis dimicandi; quoniam Inſubres, Neapolitanæq; copiæ ſeſe cum Mariniano coniunxerant. Strozza Senam ita profectus ne exercitus vrbis annonam abſumeret ſuas copias mittit in æſtiua in orã maritimam, atque duo millia peditum, & trecentos equites cum comite Iuliæ Tauricæ in vrbem inducit. Leo Strozza ægrè ferens reliquæ claſſis Gallicæ tarditatem, quæ duce Polino reliquas copias erat aduectura, vt aliquod virtutis ſpecimen, & ipſe ederet, neque ita deſes expectaret, loca hoſtium maritima cum ſuis triremibus infeſtare decernit. quare naues nonnullas onerarias frumento onuſtas, & commeatu, & alijs mercimonijs Genuenſium captiuas ad portum Herculis adducit. vt verò aliquod etiam oppidum Florentini agri ac ditionis occuparet, ad Scarlinum forte facit deſcenſionem è triremibus. illud ad expugnationem explorans glande transfixus è mœnibus ab oppidanis præſidijs vitam concluſit. Petro Strozzæ ſtatim Senam ingreſſo nuntiatur Leo frater cecidiſſe ex vulnere apud Scarlinum ignobile oppidum Thuſciæ, atq; Populonicæ ditioniſquem nuntium ille æquo animo accepiſſe, & tuliſſe viſus eſt, quamuis poſtea non mediocris mœroris ſigna edidit. cæterùm claſſis Leone duce priuata tumultuari cœpit, & diſcordia, crebriſq; contentionibus vexari, vt eſt genus illud

Marinianius Piſciam accedit.

Frãciſcus Venerius Dux Venetiarum.

Arni flu. deſcriptio.

Leo Strozza cœſus ad Scarlinum.

illud hominum ad faciendas potius, quàm ad ferendas vllas iniurias propenſum; donec Strozza cũ magna peditum manu ad res componendas profectus eſt, atq; ibi tandiu moratur, donec Gallica claſſis, quam tanto cum deſiderio expectauerat, Maſſiliæ applicuerit; qua Germani & Aquitani vehebantur. his exeuntibus è nauibus ſex delectorum peditum Italorum millia, quos habebat in æſtiuis Forqueus, ad ſe acceſſit, quibus caſtris coniunctis ad iuſtum exercitus numerum accedebatur. erant enim in caſtris Gallicis duo millia & quingenti Heluetii, totidemq; Aquitani. duo millia, & quingēti Germani. ſex millia Italorũ peditum. equites galeati mille ferè. his copiis inſtructus Strozza non amplius intra mœnia cunctandum eſſe cenſuit, ſed exiſtimauit in apertum eſſe exeundum, &, ſi res ita inuitaret, de ſumma belli cum Cæſarianis copijs ſigna conferre, quamuis in caſtris Cæſarianis eſſent quatuordecim millia peditũ ex Itala, Germana, Hiſpanaq; nationibus collecta equites mille & quingenti partim cataphracti, partim leuioris armaturę.

Copiæ Gallicæ

Copiæ Marinianij.

Marinianius cum his copiis ſeſe ad munitionem quandam imperfectam & nōdum ſatis munitam recipit, quæ diſtabat ab vrbe Sena circiter ſex ſtadios, quam apud ſanctum Lazarum extruxerat. ibi tandiu moratur, vt videret hoſtis quid conſilii caperet. erat etiam Gallos ad pugnam allecturus apud ipſam munitionē, ſed cum prima acies Strozzeana accederet ſub meridiem, Marinianius relicta munitione confuſa propè acie vel certè parum inſtructa ad collem quendam ſe recipit, qui non procul aberat ab ea munitione, quæ ſtabat è regione cænobii diui Antonii. illa re perſpecta cum ſe ex inferiore loco pugnaturum eſſe Strozza animaduertiſſet, ſubſtitit cum omnibus copiis, mittitq; delectam manum militum expugnatum cænobium ſanctæ Bondę à Cæſarianis occupatum. illud poſt diuturnum certamen denique non ſine vtriuſq; exercitus clade à Gallis capitur. rurſus poſtero die cum Cæſariani conarentur illud recuperare inſtauratum eſt minutum certamen; ſed tam acriter tantaq; contentione vtrinque certatur, vt pugna ab aurora cępta ad noctem vſque protracta ſit, in qua plures octingentis ceciderunt. cum reliquæ copiæ ſub noctem Strozzæ acceſſiſſent Senam pertranſiens ad portam, Ouilem caſtrametatur collem quendam, qui Chamolię munitioni imminebat, occupaturus. at Marinianius factus certior per exploratores de illius conſilio primus eum collem capit. Strozza ea re viſa ne vicinus vrbi vrbanam annonam fruſtra abſumeret, die tertio iter conuertit ad tentandam Ciuitellam. illud oppidum eſt, ſanè accomodatum ad occupandam vallem Arni, & ad infeſtanda multa alia oppida Florentini imperii. hoc igitur conſilio iter capturus Senæ relinquit Moluchium regulum cum imperio rerum militarium, quem Henricus cum claſſe & copiis auxiliaribus in Italiam miſerat. at Strozza ipſe cum vniuerſo exercitu in vallem Glanicam iter facit. Martianum oppidum vi expugnat. præſidia in oppido inuenta trucidat. locum vt ad comportandum cōmeatum opportunum præſidiis firmis munit. nec ita multo ſanè interiecto tempore Oliuettum per deditionem capit. ad Ciuitellam bonam partem exercitus mittit cum duobus muralibus tormentis; reliqua enim pars copiarum ad pontem Glanicum fuerat caſtrametata. his acceptis detrimentis Marinianius commotus relictis munitionibus rebus omnibus neceſſariis inſtructis iter capit, & ipſe Ciuitellam verſus, quoniam id etiam oppidum erat in magno periculo ne veniret in poteſtatem Gallorum, quia minime erat munitum, vt oportebat, quamuis natura loci ſit maximè accommodata ad muniendum.

Marinianius fert ſuppetias ciuitellę

prima igitur caſtra poſuit ad pontem Bonzonium, ſecunda ad Sanctum Coſmeum, tertia erat ad Leſſam facturus, ſed cum Ciuitellam valde premi, & vrgeri intelligeret contentiore gradu properat difficili vſus etiam itinere, ne illa in poteſtatem hoſtium veniret. non procul igitur ab hoſtibus in loco aſpero ſanè, & difficili caſtrametatur.

Ciuitellæ deſcriptio.

eſt autem Ciuitella non procul à Glane fluuio ſita in loco edito, oppidum honeſtum, frequens, & ferax optimorum vinorum, cuius ager planus frumento, & omni genere fructiferarum arborum abundat. eſt illa tanquam porta ad multa alia caſtella, & ad totum ferè imperium Florentinum quod ad eam partem ſpectat, infeſtandum. at verò non tam occultè accedunt Cæſariani, quin prima acies cognita ſit ab hoſtibus; quare ſatis aptum tempus illis conceſſum eſt ad bellica tormenta, & ad omnes copias in tutum retrahendas. ceciderunt non pauciores trecentis è Gallis, qui palantes per agrum fuſim prędatum iuerant à Cæſarianis inuenti. mox minutum prælium à Gallico Cæſarianoque equitatu committitur, in quo plures deſiderati ſunt è Cęſarianis, quam è Gallis. capti ſunt in ea pugna prior Longobardiæ, Marius Sanctiflorius, alijque quidam inſignes, quare Cæſariani poſtea apud Ciuitellam, vti dictum eſt, in loco difficili caſtrametari ita coacti ſunt, vt partes caſtrorum ad mutuam defenſionem, mutuaque ſubſidia prorſus eſſent inutiles. cum poſtridie illuxiſſet, Cæſariani è caſtris egreſſi vt locum explorarent, ſentiunt hoſtem copias ductare ſecundum ripas Glanis fluminis, atque ibi caſtrametari, quare ſtatuunt poſtero die Strozzam circumuenire, vt, ſi hoſtis vti vellet pugnandi facultate ſibi oblata omnibus copiis dimicaretur. hæc ſententia dum à Cæſarianis agitatur, nuntiatum eſt hoſtem Folianum verſus iter facere, quem Cæſariani è veſtigio ſequuntur, atq; ex itinere Oliuettum recuperant. pręerat Foliani Carlottus Vrſinus vir nauus & rei bellicę peritus ac ſtrenuus, qui certiorem facit per nuntios Marinianium ſe omnes hoſtium conatus per quatuor aut etiam ſex dies ſuſtentaturum, cum prę ſertim, duo tantum muralia tormenta traherentur. huic reſponſum eſt præclarè actum iri ſi per biduum conatus ſuſtinuiſſet.

Folianum captum.

Veruntamen quo die primùm Folianum obſidione cingitur paucis ictibus muro diſrupto, cæſoque Carlotto ipſo, & multis alijs præſidiariis militibus vrbs capta eſt, in qua tota ſæuitum eſt vicatim ferro, direptionibus, incendiis. milites trucidati ſunt intra mœnia, qui vbi primùm cęſum fuiſſe ducem ſenſerunt, ita conciderunt animis, conſternatiq; ſunt, vt omnem ſpem ſalutis ac defenſionis ſimul abiecerint.

Martianũ captum.

Marinianius illa re inflammatus ſuas acies ad Martianum conuertit, vbi Strozza duodecim vexilla peditum Italorum reliquerat inter vrbem, & exiguam quandam mu-

nitionem.

nitionem. pugnatur minuto prelio. ſed Strozzeana acies munitione à Cæſarianis capta turpiter funditur,atque ad mortem pecudum nulla facta defenſione trucidatur. pauci ſe fuga Lucianum ſer uarunt. atqui Marinianius, cum nulla eſſent in caſtris tormenta, mittit Aretium qui duo muralia tormenta attraherent,quæ cũ haberi nequiuiſſent ,¦ attractus eſt ſemicanon ſub noctem, nã quam uis mœnia continuo concuti non cęperunt, tamen totum negotium maiori diligentia in diem craſtinum comparatur, vtiliterq; differtur, quia illa petita aliunde expectabantur, quibus deſignabantur,parabanturq; loca, vbi poſſent commodius in diem ſequentem collocati per noctem attracta.

Caſtra Henrici in gētia.

Quę dum geruntur in finibus Thuſciæ Henricus in caſtra ſuorum, ſicuti expectabatur, profectus ad Valencianã propè caſtra coniungit,quę iam continebant ſexaginta millia armatorum, cum Dinanum oppidum natura & arte munitum adoriri decreuiſſet, nullo vt hoſte à tergo relicto expeditus, & tutus Nemetocernam vrbem expugnaret,qua vrbe ſe facile potiturum arbitrabatur, vt quę foret debilis & montibus circundata,cum parua ibi eſſet manus Cęſarianorum,& imbecilla ad reſiſtendum tanto exercitui. illa occupata poſtea Cęſarem inuadere motis inde caſtris Bruxellis morantem decreuerat. at Cęſari omnia regis conſilia per exploratores explicantur,quę etiã per coniecturam ſuorum ducum nimirum percipiebat, quos rerum militarium peritos habebat in caſtris. dux Allobrogum idcirco caſtra mouens ad Sermoninum oppidum profectus non procul ab hoſtibus caſtrametatur. Sed quoniam valde viribus eſſet inferior, ſingulari prudentia vſus eſt occupandis locis aptioribus, atque ita rem protraxit, ne vel formidare vires hoſtium videretur, vel deficere Cęſareę dignitati. cum eadem regis conſilia,quę nuntiarant exploratores, conſentirent cum dictis captiuorum,Cęſar primarios exercitus conuocat Bruxellas, vt de toto negotio conſultaretur. tum auditis ſingulorum ſentẽtiis, cum aliis inuadenda loca Regis,eumq; reuocandum ab illa expeditione videretur,aliis appareret vtilius ſi oppoſitione caſtrorum & pręſentium virium reſiſteretur, atque ita refrænarentur impetus hoſtium,deniq; cęteris aliis ſententiis reiectis in eam communi conſenſu itum eſt, vt Cæſaris exercitus,qui iam ad decem & octo armatorum millia excreuerat, ad vrbem Nemetocernam ſiue Namurium caſtrametaretur, eamq; vrbem tãquam aditum in Ambiuaritos & Tongros & finitimas Belgarum regiones tueretur. quia ſi Henricus illam vrbem occupauiſſet,potiebatur etiam flumine ampliſſimo eius regionis Moſa,facilemq; acceſſum habuiſſet Bruxellas vſque ſine vllo impedimento,& Maſtrichium. Cæſarianoſq; facillime impediret,ne caſtra cũ Duce Allobrogum cõiungeretur,quæ vires expectabanrur è regionibus Menapiorum. cum Cęſar igitur ad vrbem Nemetocernam Caſtalium & Benincortum caſtrorum magiſtrũ tũc præmiſiſſet, vt locum tutum & commodum ad caſtra deligerent deſignarent, Dux Allobrogum, & Antonius Auria cum exercitu procedunt non ſine aliqua ſuſpicione ne Gallicæ acies venirent obuiam, quæ non plus aberant duodecim milliaribus a Nemetocerna. Cum biduum iter Cęſariani confeciſſent expeditiſſimi,& ad caſtra parata veniſſent,ibi auditur tormentorum bombus Gallicorũ; nã

Sābra & Moſa flu.

Bouinæ vi captæ a Gallis.

Gallus octo muralibus tormentis Bouinas oppidum ab ea parte quæ fluuium Moſam ſpectat,concutiebat; cum haberet exercitum bipartitum. altera pars caſtrametata fuerat ad fluuium Sembram vocatum,altera ad Moſam,qui fluuii in vnum cõfluunt communem alueũ apud Nemetocernam. vbi ſatis amplum ſpatium mœniorum tormenta Gallica proſtrauiſſent, primo militum conatu Bouinæ vi capiuntur,vbi Henricus nonnullos è militibus ſuſpendio necari iubet. alii partim trucidati,partim capti. illud ſupplicii genus indecorum apparet militibus,neque niſi grauiſſimis de cauſis ita ſunt puniendi; cum turpe crudeleq; ſit in eos, qui ſui principis iura tuentur,tam acerbè ſeuire,quàm in illos,qui vel conſilia,vel munitiones hoſtibus prodiderunt. ſed tamen excuſari poteſt illud factum fuiſſe iure belli, quamuis ſatis frigda ſit excuſatio,quia obſtinatè & contra militarem diſciplinam conarentur locum debilem tueri aduerſus regias copias,quem nullo pacto poſſent defendere.atque eodem die Cæſari in caſtra profecto nuntiantur mille equites Galli nocturno tempore Moſam fluuium eſſe traiecturi,vicinoſq; pagos Cæſarianorum incurſionibus & incendiis populaturos. iſtud ne fieret Cæſar prima vigilia Aloyſium Abulenſem virum impigrum vniuerſis leuioribus equitibus præfectum obuiam mittit cum equitatu Belgico,& equitibus ſclopetariis, quæ copiæ accedebant ad tria armatorum millia. Galli mutato poſtea conſilio manſerunt iiſdem caſtris. erant autem caſtrametati in altera parte Moſæ fluminis Coneſtablius, & Dux Auguſtonometenſis,quò Henricus tumultuarijs pontibus excitatis cum exercitu tranſiuit. caſtra coniunxit. Dinantum verſus ſigna cõuertit. ea eſt vrbs in ripa Moſæ fluminis extructa, hac facile potitur cũ tormentis aliquandiu verberaſſet, quia non eſſet ſatis munita. ſed cum oppidulum aliquantulum reſtitiſſet,poſtridie eius diei magno ſtudio,magnoq; impetu vt præmunitum,& in pręcelſo loco ędificatũ diuerberari incœpit. erant in eo oppidulo quingenti pedites inferioris Germaniæ, quò etiam Iulianus quidã cohortis præfectus cũ trecentis peditibus conuenerat, ducentis Hiſpanis ſcilicet, & centũ Germanis,quos Maria regina iſtud ipſum verita paulo ante præmiſerat. atqui cũ ex altera parte Henricus, ex altera Auguſtonometenſis magnã murorũ partẽ ad ingreſſum aperuiſſent tormentis,Galliq; per ruinas murorũ ingredi conarentur,repulſi ſunt non ſine clade & ictura multorũ. poſtride tamen cũ oblata fuiſſet oppidanis præſidijs exeundi facultas cũ enſibus,& quantũ ſupellectiliũ altera manu poſſent auferre,Iulianus præfectus Hiſpanus non recuſat omnino conditionẽ; ſed addidit ſe nullo pacto, niſi vexillis ad profectionem explicatis exiturum,atq; ſeruatis armis,equis,& omnibus ſuorum militũ impedimentis,qui conditiones negotiantur deditionis deniq; perſuadent Iuliano oẽs illas cõditiones facile poſſe obtineri,ſi Iulianus ipſe ad paciſcẽdũ cũ hoſtibus exiret,atq; a Coneſtablio mox ẽt phumaniter ad cõuiuiũ inuitatur. ille inter cõuiuii oblectationẽ ab Andrea Maggio rogatur,& liberius monetur vt oblatis conditionibus acquieſceret,ac nõ repugnans oppidulum

dulum iam dederet, tam benignis, tamque liberalibus hoſtibus, apud quos non minus humanitatis, quàm apud ſuos, experiretur. neque ſe implicaret tot difficultatibus, quot mox è diuturna validaq; oppugnatione conſequerentur. ille ad ſuos reuerſus omnes difficultates explicat. monet fieri non poſſe vt diutius tanti exercitus viribus reſiſtatur. difficilia eſſe auxilia, & ſubſidia Cæſarianorum, quæ ſine magno periculo accedere non poſſent. quanta ſit fortitudo Gallorũ cognoſci potuiſſe vel è primo conatu, cui vix potuiſſent reſiſtere. magnum periculum vitæ ſingulorum parari, ſi hoſtes oppidulo per vim potirentur. vnum eſſe remedium tot malorum, quod niſi opportunè adhibeatur, fruſtra fortaſſe poſt modo requiretur. nam vt tot difficultates deuitarent vno tempore, id ſolùm fieri poſſe per maturam deditionem. ſe procuraturum vt ſaluis impedimentis, quæ ipſi ferre poſſent, & enſibus, tutò liceret excedere. hiſce conditionibus, quæ in tantis propoſitarum rerum difficultatibus honeſtiſſimæ videbantur, præſidiarij milites aſſentiunt, quare iubet vt omnes ſubſcriptionibus affirmarent. deinde conditiones ita ſubſcriptas affert ad coneſtablium confirmandas; quæ vbi ſunt ſtabilitæ, Cæſariani ex oppido excedunt. cum vero Iulianus eſſet diſceſſurus, coneſtablius quia nihil de ipſo præfecto dictum, aut actum eſſet, capi iubet. illud quidam à Gallo ſimulatum fuiſſe cenſuerunt, quia Iulianus fuiſſet largitionibus corruptus ad ipſius gratiam; vel quia illum puderet redire ad Cæſarianos cum oppidum, tam egregiè munitum non defendiſſet. Cæſar horum ignarus vt ſuppetias laborantibus mitteret oppidanis, iubet eodem die quo ſe dederunt, Caſtalium cum duobus millibus equitum, ac totidem peditum, duobus regimentis Germanorum, & quingentis ſclopettariis Hiſpanis præfecto Aurantio principe, & Ferrando Lanoio caſtra propinqua hoſtibus collocare, ne Cęſariani non viderentur non audere exire è reparationibus, aut pugam prorſus detrectare: quamuis numero eſſent impares, & vt animus oppidanis augeretur quo alacrius ſe defenderent. nam ea nocte, quæ anteceſſerat, iuſſit Cæſar circiter ſecundam vigiliam octo muralia tormenta diſplodi, quibus bombis ſignificaretur ſe auxilia eſſe miſſurum, nec procul abeſſe amicas copias. miſit cum prædictis copiis etiam Benincortum, pro cuius conſilio caſtra in loco tuto deligerentur, & quàm fieri poſſet hoſtibus maximè propinquo; cum maximi ſit ponderis, & non vulgaris conſilij electio ingenioſa caſtrorum. ſic enim futurum apparebat, vt ſi Galli diutius oppidum obſiderent, difficilius putarent conatibus experiri, aut tentare, ne à Cæſarianis eodem tempore inuaderentur, atque infeſtarentur, oppidanique maiori audacia reſiſterent. hi duces ſub auroram iter capiunt, atque octo millia paſſuum a caſtris diſtantes Germanos pedites & quingentos Hiſpanos equites ſclopettarios collocant in inſidijs in finitimis ſyluis. deinde cum omni grauioris leuiorisque armaturę equitatu caſtris hoſtium circiter duo millia paſſuum propinquant. Benincorto tutiorem commoditatem à tergo relinquunt eligendi caſtra. enimuero cum Gallicanis caſtris propinquarent, vbique ad arma conclamatum eſt, quod eo conſilio eſt factum a Cæſarianis vt Gallos, ſi exirent ad pugnam, in inſidias protraherent recedendo. ſed cum Cæſariani intelligerent Gallos conſiſtere in acie intra aggeres, & reparationes, quod cognitum eſt per exploratores, exiſtimauit Caſtalius ſe feciſſe ſine controuerſia quantum ſpectaret ad Cæſaream exiſtimationem: quare cenſuit præſtare vt ſuos ad caſtra deſignata adduceret, quàm aduerſus multo ſuperiores, potentioreſque copias fortunæ volubilitatem, & inconſtantiam experiri. nam fortuna non nihil moleſtiarum minari Cæſarianis rebus apparebat, quando ũel à ſuis copijs caſtra infeſtabantur, quæ domeſtico tumultu repleta ſunt. cauſa tumultus fuerunt Hiſpani, qui liberius per agrum amicum craſſabantur, ac non minus amicorum, quàm hoſtium facultates diripiebant. at Viluordius antiſtes regionis præfectus ſeptem ex illis prædonibus ſuſpendio necari iubet, quo cęteros à tantis latrocinijs deterreret, coerceretque ab omni iniuriarum genere, quæ multæ in incolas regionis paſſim ab impuris latronibus inferebantur. reliqui Hiſpani adiunctis ſibi quibuſdam Germanis in ſocietatem inſanæ temeritatis magnopere tumultuantur, omniaque caſtra ira, & indignatione replent. inde trecenti ſclopettarii Hiſpani relictis caſtris Nemetocernam verſus iter capiunt, vbi Cæſar non ſatis rectè valebat. hi quaſi quodam furore perciti ui irrumpentes per Germanorum cuſtodias Cæſarem adeunt. queruntur ſe non minus totius Hiſpaniæ, quàm ob propriam calamitatem dolere. inquiunt cum tot hominum millia quotannis ex Hiſpania educantur ad omnia Cæſaris uota maximè propenſorum, tamen paucos omnino ad domeſticos poſt bella lares, quaſi poſtliminio redire, cum omnes ferè vel in bellis fortiter pugnantes cadant, vel morbo abſumantur, vel duriſſimis ac diuturnis laboribus bellorum intereant. neque tamen hoc ſibi moleſtum videri, ſed potius glorioſum, pro ſuo principe, & pro dilatãda gloria nominis Hiſpani, pro finibus imperij proferendis iſta ſæpius perpeti. Sed omnium calamitatum, omniumque malorum illud moleſtiſſimum accidere, quòd non ſolùm armis hoſtium, & arbitrio fortunæ, ſed etiam immenſæ Cæſarianorum miniſtrorum auaritiæ, & crudelitati ita ſint expoſiti, vt leuiſſimis de cauſis necentur; atque illud genus mortis præcipuè ſubeant, quòd plenum eſt ignominia; & non militibus, ſed impuris latronibus debeatur. Iſtud aliquandiu ſe pertuliſſe ęquo animo, ſed cum non ceſſet ipſorum miniſtrorum crudelitas, & ſitis Hiſpani ſanguinis, non videri in ſempiternum ferendum, cum nuper ſeptem ſint ſuſpendio leuiſſima de cauſa necati, tanquam impuri latrones, aut perduellionis rei. ſe petere ſuppliciter inquiunt à ſua Cæſarea Maieſtate vt aliquo ſolatio à tanta ignominia, tantaque crudelitate ſubleuentur. Cæſar iubet illos ex vrbe primùm excedere. deinde reſpondet ſe grauiter ferre illorum impudentiam, ac temeritatem, qui contra diſciplinam militarem, omnemque reuerentiam Imperatori debitam auſi ſunt totum exercitum tumultu replere, & violare corporis cuſtodias. quaſi eſſent eius Imperatoris iuſtitiã vi expreſ-

Iuliani oratio ad deditionem.

Dinantum deditum.

Iulianus captus cũ de ſe non pepigiſſet.

Caſtalius fert ſuppetias poſt captum oppidulum.

Seditio Hiſpanorum.

ſuri, cuius æquitas, & fides nemini vnquam defuiſſet; cum multò magis decuiſſet pro illis, quæ petebantur, atque optabantur impetrandis mittere præfectos cohortium, quorum oratio ſemper perhumaniter in huiuſmodi opportunitatibus fuit audita. atqui cum contra ius rationemque bellicam fecerint, totaque caſtra ſeditionibus repleuerint, quamuis digniores ſunt quouis graui ſupplicio, quàm vlla humanitate, tamen pollicetur ſe cauſam cogniturum, ac neque illis, neque cuiquam iuſtitiam defuturam, quæ quidem ad imperatoriam dignitatem ſpectet. iubet eos redire in caſtra. hi partim intelligentes quantum errorum commiſiſſent, quòd arma, tam temerè ſumpſiſſent; partim lætati ab cedunt propter promiſſa Cęſaris. Henricus capto Dinanto vires ſuorum parumper reficit, qui annonę penuria iam laborare cœperant. oppidum firmiſſimis præſidiis munit. omnia impedimenta in fines Gallicos tranſmittit. poſtea coniunctis duobus caſtris in vnum ad eam partem, quà labitur Moſa fluuius Nemetocernam verſus Cęſarianis caſtris magis propinquat. Cæſar tametſi per exploratores intelligit Gallum illud facere propter annonę penuriam, vt eſſet in loco commodiore ad excipiendum commeatum, tamen rebatur hoſtem eo conſilio eſſe expeditum, & ſine impedimentis, vt repente aliquam vrbem adoriretur: ac velle ita mutandis caſtris Cæſarianos è ſuis elicere, quo celeriter Nemetocerna potiretur. idcirco Cæſar non ſolùm aggeribus altioribus, ac firmioribus, maioribuſque foſſis caſtra curat munienda, ſed etiam incœptam ſuper colle munitionem perficiendam, quæ arci Nemetocernæ immineret. mittit circiter quinque peditum millia Grandeo, & Arembergenſi regulis prefectis ad omnia finitima oppida pręſidijs munienda, diligenterque cuſtodienda. illud ad ſuam exiſtimationem ſpectare Cęſar putabat, atque honorificum fore videbatur, vt vbicunque locorum hoſtes propinquarent, pręſidia poſſent nonnullos emittere ad leuia prelia. Cæſari enim ſatis erat rem protrahere, donec Germanæ, & Buſaterorum, & aliorum populorum vires conuenirent, quæ variis è locis expectabantur. cum etiam Philippus princeps non paruam Hiſpanorum manum ad hoc bellum claſse adueheret mox in Britanniam adnauigaturus. Sic igitur Cæſariani quid Henricus capturus eſſet conſilij proſpectabant, rebus omnibus neceſſarijs ad defenſionem comparatis. Gallus Dinanto caſtra mouet, atque eodem die caſtrametatur circiter duodecim millia paſſuum diſtans à caſtris Cæſarianis. poſtridie eius diei caſtra ponit diſtantia quatuor milliaribus, ita vt videretur omnino Gallus hoſtis ad Cæſarianos aduentare. Cæſar exit Nemetocerna, totumque exercitum iubet in acie conſiſtere, cum ipſe per alas equitum, & peditum agmina penetraret, omneſque porrecta dextera perhumaniter ad militarem virtutem, fortitudinem, & ſtrenuitatem hortaretur. exorta eſt non mediocris lætitia, & alacritas ex eius præſentia, quòd eum nemo è militibus iam multos menſes viderat: quare facta eſt ingens ſalutatio militaris à ſclopettarijs, qui foſſas tuebantur, & qui conſtiterant in acie. at verò paulo poſt nuntiatur Gallus caſtra mouiſſe Binſium verſus, vbi erant in præſidijs tria vexilla peditum inferioris Germaniæ, quod oppidum die poſtero vt illuxit, duodecim muralibus tormentis magna diligentia, magnoque ſtrepitu concuti cœpit. illud quamquam erat ſatis munitum ad ſuſtinendos hoſtium conatus, cum haberet regium palatium cum amœniſſimis hortis à Maria regina extructum Marimontium vocatum, tamen oppidani non diuturna, neque difficili oppugnatione expectata, ſeſe Henrico dediderunt ſeruatis hominibus, & omni ſuppellectile. fuit autem tardum conſilium Cæſaris, & irritum, qui hoſtem ſequebatur eo conſilio, vt oppidanis ſuppetias mitteret, ſicuti per bombum tormentorum his etiam ſignificauerat. ſed ea iactura idcirco euenit, quoniam cuſtodia oppidorum, & munitorum locorum imperitis hominibus rei bellicæ, atque tyronibus fuerat commiſſa, cum vix periti rei bellicæ loca pro virtute aduerſus magnas copias tueri poſſint, nedum imperiti, qui omni fortunæ arbitrio ſunt expoſiti. nam perridiculi principes illi mihi videri ſolent, qui nobilitati potius, & ſplendori familiarum, aut opulentiæ imperium rerum bellicarum periculoſè committunt, quàm ſapienter virtuti & ingenio, & prudentiæ imperatorum, cum illa tanquam mundus muliebris ſit hominibus in pace, at virtus tanquam arma, & thoraces in bello. quamquam plerique principes propter auaritiam deligunt ad munia militaria, qui poſſint ſumptus facere, & eos ſubleuare pro acceptis imperatorum titulis, at non qui ſcitè præeſſe poſſint. ſed ars arte ſæpe retunditur. Henricus illo oppido potitus regium palatium, totumque agrum Folembrium flammis, miſerabile planè ſpectaculum, abſumit, fructiferaſque arbores ſuccidit, memor eius loci; quem conſimilis pulchritudinis Cæſariani in regione Morinorum ſibi deuaſtauerant igni. deinde Binſio diſcedit longis itineribus propter rerum victui neceſſariarum inopiam, cum parum annonæ ibi repertum fuiſſet, vtpote in oppido exiguo. peruenit ad oppidum rebus omnibus ad defenſionem neceſſarijs munitum, quod eſt in finibus Galliæ, cuius oppidi præſidia non magnopere Gallicos conatus formidarunt. Cæſar Gallum Baueſium vſque inſequitur, quod oppidum diſtat à Canoo circiter duodecim millia paſſuum, quod ab incolis relictum Galli flammis abſumunt. Henricus ad octauum cal. ſextilis circiter tertiam vigiliam cum prima parte exercitus, atque agmine ad tentandum traiectum contendit diſtantem à Canoo circiter quatuor millia paſſuum, atque poſterius agmen ſub auroram ſequi iubet. iſtud conſilium Cæſari die iam illuceſcente nuntiatur; & additur his, quòd poſtremum agmen inordinatum multis impedimentis, & tentorijs in uia relictis procederet. Cæſar his cognitis ducem Allobrogum, Caſtalium, Antonium Auriam, Benincortum cum omni equitatu, & quingentis ſclopettarijs equitibus Hiſpanis extremum agmen hoſtium inſequi iubet. ipſe ad octauam horam noctis cum omnibus copijs incedens caſtra relinquit, Canoumque ſub meridiem peruenit, quò multi ex equitibus expeditioribus nuntiatum recurrunt, qui hoſtem minutis prælijs retardauerant,

Marimontiũ palatium.

Binſiũ captũ & cõcrematum.

Baueſiũ concrematum.

poſtremum

poſtremum agmen hoſtium ſubſtitiſse non procul ab eo difficili traiectu, & cum plurimum abeſſet prima pars copiarum, atque inſtructa acies, quę propter loci difficultatem ſuppetias ferre non poſſet, peraccommodatum fore ſi pars hæc exercitus funderetur. ſed enim rerum militarium peritiores, atque prudentiores non ita commodum, neque tutum fore cenſebant, ob iniquitatem loci hoſtem inuadere, cum multi tumultuarij pontes fuiſſent excitati, quo illi periculo, quod imminebat, ſe ſubducerent. quare etiam conſtiterant in acie pugnam udinituri, ſi res ita poſtularet, qui tamen in tutum, cum vellent, ſe poſſent recipere. his accedebat, quòd ob multitudinem, ſitumque loci, quem occupauerant, Cæſariani non poterant eos conuenire, niſi per apertam planitiem, quod erat omnino periculoſum. In tanta conſiliorum varietate anceps Dux Allobrogum vlterius procedit, atque non procul à Canoo duces ad concilium conuocat, quod quidem conſilium tardũ fuit. non enim ſemel euenit, vt poſt euentum conſultetur; ac ſępe dum conſultatur ſubterfugit rectè agendi opportunitas. quin etiam in multa ingeniorum varietate, magna plerunque eſt differentia ſententiarum, cum omnes conentur ne videantur nihil ſciuiſſe. inde fit vt pręſtabilius ſit vnius periti, quàm multorum imperitorum iudicium; cum rarò bonum ſit multorum. nam profectò multa ſunt ab ipſo imperatore copiarum neceſſario decernenda, vel ſi cum nemine conſultarit, qui non minus prudentia, & acumine ac celeritate ingenij cæteros duces debet antecellere, quam imperio, & autoritate in ijs præcipuè rebus, quæ ſpectant ad populorum, regnorumque conſeruationem. tunc enim res male aguntur, cum opus eſt imperatori multis conſultoribus, qui certè ſi adſint, ſunt tanquam teſtes optimorum conſiliorum aliquando, aut tanquam adiutores, at non tanquam arbitri eorundem adhibendi. Homerus idcirco non ſolùm poetarum præſtantiſſimus, ſed etiam optimus omnium imperatorum, cum hoc vellet ſignificare Iouem facit ſolum vigilare Dijs omnibus reliquis dormientibus, ſolumque ſecum perpendentem bellorum euentus, & quo pacto res ſint tractandæ. accidit enim aliquando rei bene gerendæ velox opportunitas, cui opus eſt celeritate conficiendi, quæ niſi repente arrepta ſit, inter conſultandum tanquam nebula euaneſcit. ſic Ducis Allobrogum animus diſtrahebatur, cum iuniores, vt imperiti rei bellicæ, & pugnæ auidi putarent ſe facile hoſtem ſuperaturos. peritiores cognita rei difficultate cenſerent à pugna eſſe abſtinendum, ne totus equitatus fortunæ arbitrio committeretur, in qua tota uis Cæſaris conſiſtebat. nam ſiquid aduerſi contigiſſet, eodem prælio de tot regnis ac prouincijs dimicabatur, quæ omnia fuiſſent à Gallis victoribus breui occupata. cum ita ſententiæ nariarent, omnes tamen omnino dimicandum eſſe decernunt, ſed rem prudentius eſſe protrahendam cenſent, donec hoſtium copiæ diligentius eſſent exploratæ. atque cum in planitie ſitum ſit Canoum, quę porrigitur in duo millia paſſuum occaſum verſus. in extrema parte eius planitiei locus eſt paulo eminentior in collis formam, ſuper quo viſæ ſunt a Cæſarianis quinque equitum turmæ Gallorum, cum duæ etiam parum ab illis diſtantes in humiliore parte viſæ fuiſſent conſtitiſse. omnes autem hæ ad ſeptem millia equitum continebant, vti cognitum eſt è captiuis, cum quibus erant quatuor millia peditum. Galli propinquantibus Cæſarianis in eo loco conſiſtunt, atque omnes in vnum conglobati ſeſe in edita parte oſtentant. non procul ab eo colle alius erat collis eminentior, cuius pars decliuis ad difficilem fluminis traiectum attingebat, ſed ad collis radices deſcenſus erat equis aſper, & perdifficilis per quoddam ſpatium, quam difficultatem fluuius ſtatim excipiebat, cuius amplitudo non erat maior decem paſſibus, profunditas vnius cum dimidio. erant fluminis ripæ ex vtraque parte tam ſublimes, quam erat ipſa latitudo, vt natura foſſam militarem munitiſſimam feciſſe in eo loco videretur. vbi verò traiectus fuiſſet fluuius vallis paluſtris excipiebat poſt ſtadii ſpatium, in qua collis editus erat, ſuper quo tanquam nubes Gallicæ acies procul aſpicientibus apparebant, à quibus plurimum diſtans primum agmen vix concerni poterat. præfectus itaque poſtremo Gallorum agmini cum vidiſset Cęſarianos adaugeri, turmaſque equitum, quæ accedebant Canoum, ita ſe in tutum recipit. reliquit alam extremorum equitum conglobatam tantæ latitudinis, quanta erat frons omnium turmarum, vt idem aſpectus Cæſarianis ſeruaretur. atque ita fit, vt propinquum alterum collem aſcendentes conduplicatæ copiæ apparerent. alarij, qui in conſpectu Cęſarianorum conſtiterant, dum pugnaretur leuibus prælijs rariores fiebant, atque copiæ ita omnes ſenſim ſe prius ad eum collem recipiunt, quàm Cæſariani ſentirent. inde alas Cæſarianorum equitum deſpicientes, quæ non longe aberant, eodem ordine ad fluuium deſcendunt alas relinquentes, quæ turmas equitum protegerent. ſic igitur à tergo alariorum deſcendentes multos ſclopettarios collocant ad decliuem collis locum difficilem, vt, ſi res ita poſtularet, ſuis opem ferrent, dum ſe in tutum reciperent. nam interea ſuper pontibus, qui ſubitarij excitati fuerant anguſti, copiæ paulatim traijciebant. Dux Allobrogum vbi alaribus copiis propinquaſſet, quæ adhuc ſuper colle conſtiterat, ducit non amplius eſse cunctandum, ſed tentandum quo conſilio, & quo ordine Galli vterentur. iubet equites, & ſclopettarios equites in hos impetum facere, imperatumque eſt, vt reliquæ copiæ è veſtigio ſubſequerentur. cum vero ſoli reliqui eſsent alarij, qui & ipſi cœperant tranſire ac deſcendere, ducenti equites Cæſariani in hos impetum faciunt, quos Galli ſtrenuè pugnantes ſuſtinent, ſeque inſtructi ad ſubſidia ſclopettariorum recipiunt; qui, dum Cęſariani ardentius Gallos inſectantur ex inſidiis repente erumpentes, frequenti glandium plumbearum procella Cęſarianos diuerberantes tamdiu illos retardarunt, vt alarii, & ipſi deſcenderint, atque traiecto flumine alium in collem ſeſe ſenſim receperint. ſed iam Gallicorum equitum turmę in apertam planitiem profectę non amplius vexari, niſi magno cum Cęſarianorum periculo poterant, cum frequentes ſclopettarii in proximis collibus conſtituti eſsent, qui facile inuadentes Cęſarianos Gallicum

Imperatoris prudentia neceſſaria. Multorũ cõſilia ſępe mala.

Canoi deſcriptio.

equitatum,& glandium procella,& omni tormentorum bellicorum genere poſſent impetere. Philibertus Allobrogum dux, vbi illas inuadendi hoſtis difficultates videt, ſuos reducit in caſtra. nam profectò magna vis eſt copiarum in alio, atque alio loco conſiſtentium, quod niſi à caſtrametantibus, & ab inuaſuris ſpectetur, ductores copiarum in maximas difficultates, & pericula trahuntur: cum pauci propter opportunitatem loci multos ſępe profligarint: quod ipſum ſpectandum eſt inuadendis, aut extruendis vibibus, quia locus eſt pro multis manibus ſtrenuorum militum. cum nuntiatum eſset Cęſari Gallos eſse denuo Cameracum tentaturos, caſtra ipſe poſuit ad Canoum, deinde ad Buſchiam pagum; qui veritus ne ad ipſum Galli iter conuerterent, imperat foſsa caſtrenſi profunda caſtra pręcingi, quę alioquin erant in loco natura munitiſſimo delecta. vbi per triduum moratus eſſet, nuntiatum eſt rurſus Gallum ſeſe ad oppidum ſuorum finium Chiateliũ vocatum recipiſse. Quę dum gerebantur in finibus Belgarum, nullum tempus, ac nullus propè dies ſine pręlijs trãſigebatur in Thuſcia. nam vbi Cęſariana tormenta in opportunis locis collocata fuiſſent, quę varijs ex oppidis finitimis fuerant attracta, Strozzeanus exercitus fit propior. initur utrinque minutum pręlium ab equitatu, & peditatu ſanè atrox & cruentum, quod fermè iuſte pugnę formam pręſe ferebat. certatum eſt per ſpatium decem horarum. ceciderunt è Gallis plures mille & ducentis. è Cęſarianis paulo plures quadringentis deſiderati. cum vero iam dies inclinaret, Strozza iubet cani receptui, ſuoſque reuocat in caſtra. atque cum vterque exercitus propinqua inuicem caſtra poſuiſset laborabatur aquarum inopia, pro quibus erat aſſiduè dimicandum, vbi vel homines, vel iumenta opus haberent. ſic ob plurimas victus difficultates, & propter quotidianos certaminum labores ob propinquitatem caſtrorum, milites fatigati eius militię pertęſi, cum etiam Gallica tormenta in edito loco ſita Cæſarianos plurimum infeſtarent, paulatim è caſtris elabi, ac numerus minui cępit, amboque exercitus debilitari. hiſce difficultatibus, atque periculis commoti ſummi duces liberalioribus ſtipendijs transfugas inuitant. certatum eſt rurſus leui certamine, in quo tum equitatus, tum etiam peditatus Cęſarianus ſuperior non parum terroris Gallo iniecit.

Cruentũ prę lium inter Strozzeanos & Marinianium.

Stratagema.

Marinianius, vt liberius Gallicę copię minuerentur proponi iubet edictum, vt omnibus è Gallicis caſtris exeuntibus liber exitus, & tranſitus daretur per agrum Florentinum. &, ſi vellent Cęſariana mereri ſtipendia, proponebantur Gallicis liberaliora, quod ipſum pollicitationum genus etiam ampliauit Strozza. enimuero cum nuntiatum eſset Marinianio per exploratores Gallos noctu acceſsuros ad pontem Valiani montem Politianum verſus, iubet copias in acie conſiſtere, vt hoſtem inſequerentur. ſed cum Strozza mutauiſſet conſilium, conceditur Cęſarianis, vt ad tentoria recederent, & corpora curarent. neque multum temporis interuallum intercedit cum è vicinis collibus apparent Gallica tormenta, & impedimenta, quę copię per debita interualla in ſingulis collibus conſiſtentes ſequuntur. Nam Strozza multis Italis transfugientibus cum ſe hoſte inferiorem videret, ſenſim aciem in tutum deducere conatur; ita tamen ne fugere, ſed etiam pugnandi facultatem hoſtibus vltro offerre videretur, quam putabat propter noctis propinquitatem deuitatum iri. at eius conſilia à Cæſarianis cognita infringuntur, qui inſtructi nullo propè interuallo temporis conceſſo ſubſequuntur. præmittuntur expediti ſclopettarij, qui terga, poſtremumque agmen Gallorum infeſtarent, ne iter liberum facerent, atque retardarentur donec equitatus Cæſarianus inſtruitur, qui ad Glanim fluuium aquatum ierat. Strozza, vt inſequentes Cæſarianos retardaret Italorum cohortem Martiani relinquit: vt dum hoſtes expugnando Martiano morantur, liberum expeditumque iter haberet. Strozza Folianum contendens præmiſſis tormentis ſemper editiores colles tenebat: præmittebat autem tormenta quo ſeruarentur, ſi cogeretur pugnare. ſed abſurdum eſt profectò ſine bellicis tormentis iter facere imperatori, pręſertim cum hoſtis à tergo ſequatur, cum illa plurimum poſsint non ſolùm irruentem hoſtem refrenare; ſed etiam, ſi audacior fuerit, ita proſternere & laniare, vt liberius iter relinquatur. nam fugatis profligatiſque copiis, neque tormenta quidem ſeruantur, cum omnia victi facile veniant in poteſtatem victoris. tormenta enim Gallica longo interuallo locorum pręcedentia hoſtes à tergo inſequentes infeſtare minime poterant; cum Cæſariani contrà duobus ſagris, quod eſt inter campeſtria maius tormenti genus, à frontibus collocatis plurimos è Gallis laniarent. deinde magnus globus ſclopettariorum miſſus eſt ad vexanda terga Gallorum, contra quem tametſi Cornelij Bentiuolij extremo agmini pręfecti, militariſque diſciplinę non ignari opera ſe Galli egregiè tuebantur, tamen plurimum moleſtię & damni capiunt. Marinianius cum ita premiſsis ſclopettariis animos ſuorum confirmaſſet, qui nullo ordine hoſtem infeſtabant alium ex alio collem occupans tormentorum opera tantum audacię ſuis adauxit, vt facile Gallos contemnerent, nihilque magis cuperent, quàm collatis ſignis de ſumma belli dimicare. ſic enim plerunque fit in rebus bellicis, vt in cęteris fortunę ludicris, vt cum quid parui ponderis etiam ad res felices, vel aduerſas acceſſerit, facile immutet totum rei pręſentis ſtatum; quare nihil eſt tam formidabile vel ampliſsimis regnis, quàm principia infortuniorum, cum illa ſecum trahant poſtmodo rerum maximarum ruinam. ita verò Marinianius Gallum inſequens ſuas copias inſtruxit. primos Germanos quadrata ferè figura collocat. in ſiniſtro cornu præerat Hiſpanis Ioannes Luna. in dextero erant Itali. at Sanctiſlorius cum vniuerſo equitatu in ſiniſtro latere conſtiterat è regione Gallici equitatus ad radices collis, qui vocatur Muliebris. at ita contrà inſtructæ erant acies Gallicę. denſum agmen Italorum conſtiterat ſuper colle Muliebri e regione Hiſpanorum. aliud Aquitatorum & Gallorum. aliud Heluetiorum. equitatus in dextra parte Cęſariano opponebatur, qui ſeptingentorum ſclopettariorum pręſidio erat munitus. habebat Strozza à fronte Martianum, à tergo Lucianum, à ſiniſtra Folianum, à dextra alia

Acierũ Marinianij inſtructio.

Inita infortuniorũ timenda.

Acierũ Strozzæ iſtructio.

alia oppida nonnulla. cum itaque vterque exercitus in acie conſtitiſſet, eſſetque animo dubio Marinianius an fortunam belli per illum diem experiretur, multis rationibus ab Hiſpanis præcipuè ducibus impellitur in eam ſententiam, vt decerneret pugnandum eſſe, quare dato ſigno pugnæ Marinianius ipſe in extremum agmen ſe recipit. ſic enim cum inuitus propè fortunam belli experiretur, apparebat commodum fore, ſiquid aduerſi contingeret, vt ſuæ ſaluti conſuleret, & paratior eſſet ad fugam. ſin autem res feliciter ſuccederet, ſuos ad vtendum victoria hortaretur, fortiterque inſequendum.

Pugna atrox inter vtroſq;

Sanctiflorius accepto ſigno pugnæ equitatum in Strozzeanos mouet, quibus præerat comes Iuliæ Tauricæ, foſſam quandam productam per illam planitiem tranſiturus. pugnatur acriter primo congreſſu. Sed Galli numero inferiores, tum propter vim cataphractorum, quamuis ſclopettariorum præſidijs muniebantur, funduntur, profligantur, diſſipanturque, quod accidit quia Bighettus vexillifer cum prætorio vexillo ſtatim inuadentibus hoſtibus terga vertit. illud cum celerius, quàm credi poſſet, & quàm conueniebat, accidiſſet, veritus Sanctiflorius aliquas ſubeſſe inſidias non patitur primùm, vt ſui inſequerentur fugientes, ſicuti victoriæ ratio poſtulabat, ſed cum veram deinde, at non ſimulatam eſſe fugam comprehendiſſet, ſuis concedit equitibus hoſtem inſequi. ea re cognita Strozza abiecta prorſus omni ſpe equitatus, & pugnæ inſtaurandæ, cum Cæſariani inſequentes nullum firmandi curſus, aut conſiſtendi locum concederent; cum intelligeret futurum vt vndique circumueniretur ſi in planitiem deſcenderet: ſin conſiſteret, magnopere infeſtaretur tormentis hoſtium, atque obſideretur, decernit collatis ſignis cum omni reliquo exercitu fortunam belli neceſſariò prorſus experiri. atque cum ita loci anguſtia poſtularet, tres ſuorum acies in vna caſtra reducit, cum nullus eſſet vtrinque ſclopettariorum vſus, qui in frequentibus minutis præliis vniuerſum ſulphureum puluerem abſumpſerant, vaſculaque exinaniuerant. Cæſarianæ acies conſiſtunt impetum, & aduentum Gallorum expectantes præſertim, cum Galli, & Heluetij pedites intrepide, & cum magna animi alacritate mouerentur. vſi ſunt foſſæ beneficio Cæſariani, quæ per ipſam planitiem ſatis profunda forte ducta fuerat, apud quam primum ordinem firmant. nam iudicatum fuerat à peritis rerum bellicarum eos in magnas difficultates ituros, qui primi foſſam pertranſire præſentibus hoſtibus conarentur, facilemque victoriam illis conceſſuros propter deſcenſum, & aſcenſum.

Pręclarũ monitum.

atqui cum maximę res propoſitæ ſint prudentibus ducibus exercituum, gloriæ nimirum, imperium, ſalus ſubditorum, omniſque humana felicitas, ij iure debent omnia, quæ ſpectant ad honorem ſuum, ſalutemque populorum diligentiſſimè circumſpicere; & quæ ſibi vtilia ſint, niſi poſſint aſſequi, illa certè neque hoſti quidem relinquere; quippe cum omnia hoſtium commoda in ſuas calamitates redundent. ad hoc cognoſcenda ſunt neceſſariò cuique ſuorum, & hoſtium ingenia. exploranda conſilia. cognoſcenda arma. ſpectanda ars inſtruendi exercitus. intelligenda natura locorum. ſiquid horum parum notum, aut neglectum fuerit, rem totam in maximum diſcrimen poteſt inducere. nihil eſt enim tam fragile, quàm inſtructus aduerſus hoſtem exercitus, quem tanquam ſubtiliſſimum vitrum res aliqua pertenuis, & leuiſſima poteſt infringere, & inanis etiam rumor repente exortus. ſic Galli, vt ſunt pugnacia, & prompta ad omnia bellica pericula ingenia pro gloria, minime retardati foſſę difficultate eò deſcendunt promptè in Cæſarianos impetum facturi. primum agmen atque primus ordo præcipue, qui conſtabat è lectiſſima manu totius exercitus, in fugam vertitur, quæ res victoriam Cæſarianis concedit. Sic poſtulante ratione rei bellicæ delecti, & firmiores milites in fronte, aut in poſtremo agmine collocantur, aut vbi maius periculum extiterit pro opportunitate adoriturarum copiarum, vel inſidiarum, ſi quà timeantur. eius igitur foſſæ difficultas victoriam propè è manibus Gallorum ereptam Cæſarianis incruentam concedit, quamuis illi in Cæſarianos Italos impetum facientes primùm ſiniſtrum cornu fuderunt. tum veritus Marinianius ne eandem fortunam ſubirent vniuerſæ acies conſcendens equum in collem quendam eminentem à tergo totius exercitus ſe recipit, vt inde proſpiceret quo in loco res eſſet conſtituta. mox intuitus aciem illam, quæ ſiniſtrum cornu profligauerat hinc ab Hiſpanis, inde à Germanis inde à Florentino delectu circumuentam vrgeri, Hiſpanorumque virtute præcipuè impelli, qui illo die in primis egregiam operam nauarunt in eo bello, ad ſuos redit ad pugnam incitandos.

Strozzeanus exercitus ꝓfligatus.

Sic florentiſſimus Strozzæ exercitus paulo ante vniuerſæ Hetruriæ formidabilis, qui mœnibus Florentinis propè captiuitatem minabatur, qui oppidis ſtragem, ædificijs incendia, agris deuaſtationem, populationem regioni vniuerſæ, tam breui fugientibus Italis, fuſoque equitatu vnius foſſæ cauſa afflictus, profligatus, & fuſus fuit: vt facile pateat, quàm labili in loco ſitæ ſint res humanæ, quæ arbitrio fortunæ ſunt ſubiectæ, ſi hominum prudentia non ſuſtententur. cæſa ſunt in ea pugna ad quatuor millia hominum. multi calore intolerabili abſumpti. multi ſiti necati, ijque maiori ex parte Galli, & Heluetij. nam ad quartum nonas ſextilis pugna commiſſa eſt. capta ſunt circiter centum equitum peditumque vexilla, & quædam campeſtria tormenta. ad duo millia hoſtium in poteſtatem victorum Cæſarianorum venerunt. ceciderunt inſigniores Valeronus regulus Heluetiorum cum omnibus centurionibus, & ſigniferis Heluetijs. Roueroceus præfectus Germanorum, qui erant cum Heluetiis. Ioannes Bentiuolius duces Galli, Tablaſus, Combaſus, Ioannes Villeus. multi ex Italis. omnes duces ac ſigniferi Germani. captus eſt Forqueus, Galeazzius Bentiuolius comes Galatinius, Paulus Vrſinus. duces capti, Turchettus Brixianus, Agabitus Tudernitanus, Bartholamæus Murena, & alij nonnulli. poſt illam cladem acceptam Strozza, & Aurelius Fregoſius vir authoritate, nobilitateque generis illuſtris glandibus ambo vulnerati ægre ſe ad montem Alcinoi recipiunt. at Cæſariani reliquias hoſtium inſequentes ſex muralia tor-

menta & nonnulla compeſtria ex itinere capiunt. Cæſariani illa victoria potiti confeſtim ad expugnandum Lucianum contendunt, oppidum munitiſſimum & difficile, quod poterat multos dies conatus hoſtium ſuſtinere. ſed oppidani ad famam recentis victoriæ territi fortunam belli minimè tentandam rati vltro ſe dedunt: quorum exemplum ſecuta ſunt alia oppida complura. atque hæc cauſa fuit cur Sena arctius obſeſſa facilius ad deditionem compelleretur. nam Sena vrbs hiſce difficultatibus poſtea circumuenta eſt; quod commeatus difficilius importabatur. quòd copioſius hoſti ſuppeteret. quòd Cęſariani tutiores obſiderent, qui nullum hoſtem reliquiſſent à tergo. His oppidis captis datum eſt tempus Cæſarianis ad curanda corpora, ad humandos mortuos, ad curandos vulneratos, vt expeditiores ad Senam obſidendam cōtenderent. Marinianus omnes captiuos, quos habebat in caſtris, iurare imperat, ne intra annum arma Cęſarianis hoſtilia importarent: deinde liberali, & humanitatis pleno conſilio liberos omnes dimiſit, quod etiam fecit vt caſtra exoneraret. dedit etiam præfectos, qui ſingulas nationes ex agro Florentino inuiolatas & incolumes ad primos patriæ fines deducerent, atq; per edictū procurat vt victus tranſeuntibus concederetur. vix Strozza & Fregoſus ad montē Alcinoi peruenerāt, cum Altus Comes præſidijs Luciani præfectus ibi preſto eſt poſt factam turpem deditionem afferens ſubfrigidas & inſulſas ſui facinoris excuſationes cur oppidum natura & arte munitum, rebuſque omnibus inſtructum turpiter deſeruiſſet, quod potuiſſet per multos dies defendere, atque impetus hoſtium, & honorificè, & vtiliſſimè ſuſtinere. nec multo poſt unà cum Bighetto ſignifero prætorio equitatus cuſtodiæ traditus capitis condemnatur. nam Bighettus venit in ſuſpicionem occultæ proditionis, quoniam antea quam ſuos cedere aut ſuperari vidiſſet, fugam arripuerit cum prætorio vexillo. illud autem iure factum videtur, quia vel ſi carere potuiſſet omni culpa proditionis, illa nota turpitudinis certè carere non potuit, quòd ob timiditatem vniuerſum equitatum in fugam traxit: quæ timiditas non ſolum turpis eſt, ſed etiam in præfectis, & ſigniferis, & militaribus magiſtratibus calamitoſa exercitui, quorum munus eſt vel cæteros à turpitudine fugæ retrahere, & reuocare. vbi enim de ſumma rerum agitur, de ſalute populorum, de conſeruando imperio, non ſatis honeſta eſt timiditatis, aut inſcitiæ excuſatio neque valida; quòd illa ęquè ac proditio multos in pernitiem trahat. ita fit, vt, qui bellicis rebus imperitos præficiunt, cū ſuarum rerum detrimento intelligant gubernandi munus ſolis ſapientibus conuenire. at Alti Comitis calamitatis, & ipſius inſcitia cauſa fuit, quòd ille quędam impedimenta ad montem Alcinoi comportanda curauit, quoniam illa re cognita viſus eſt militibus iudicaſſe oppidum non poſſe defendi. hoc vno errore, vel per auaritiam, vel per imbecillitatem ingenii commiſſo ita conſternati ſunt animi multorum, vt è męnibus ſe demittentes ad fugam oppidum pręſidijs nudatum, & propè neceſſariam deditionem imperito Comiti reliquerint. ea dum aguntur inter Cęſarianos, & Strozzeanos, Ottomanica claſſis ſempiternus maris mediterranei ſtimulus, ac moleſtia ex anguſtiis Byzantij egreſſa per Boſporum Thracium ad Chiſtianorum pernitiem felici nauigatione in Apuliam ac Salentinos, deinde ad ſinum Florę vocatum applicuit, qui non multum diſtat ab vrbe Neapoli. nam primùm ſub auroram ad oppida Veſtum, & Beſtizzen agri Neapolitani egreſſi Turcæ, illa inuadunt inopinato, cunctaque diripiunt. nihil neque ſacrum, neque profanum relinquunt. oppidanos ad vnum claſſe auehunt. mox ad Calabrię, ſiue magnæ Græciæ, Salentinorumque litora adnauigantes, aliaque loca mari adiacentia multos rurſus capiunt, atque ante hyemem multa præda onuſta claſſis, multiſque captiuis Chriſtianis ſine ſanguine aut puluere Byzantium redit. illud eſt vtile Turcis duplici de cauſa, altera quòd ita multi fiunt per exercitationem periti nauigationum, ad quod etiam alliciuntur ſpe prædæ; altera quòd hoſtes perpetua trepidatione, ac ſumptibus vexant, vt intelligant arma Turcica magnopere ſemper eſſe metuenda. at Diuoduri Franciſcani monachi, quòd illa vrbs in poteſtatem Gallorum veniſſet, vt diximus, in priſtinam libertatem uendicare cupientes freti opportunitate comitiorum prouinciæ huiuſmodi commentum excogitant. conueniunt cum Cæſarianis, vt ad ſtatutum diem manus delectorum militum veſtibus monachorum induatur. paulatim ingrediatur vrbem ijs armis tecta, quæ ſub ipſis tunicis poſſent occultari. huius opportunitatis cauſa multa vaſa vinaria ſunt in vrbem introducta, quorum nonnulla erant armis plena. ad ſtatutum igitur diem Cæſariani, qui erant Teonuillæ in loco parum diſtante nimirū, venturi erant ad ferendum auxilium facinus aggreſſis. nam vbi ad arma conclamatum fuiſſet Diuoduri, cenſebant fore vt Galli ad certamen minutum exirent, quo tempore monachi, qui erant intra męnia cum illis, qui Cæſarianas partes amplexabantur facile poſſent eos excludere. tum cęſis cuſtodib. vnius portæ Hiſpani in inſidijs collocati erant in vrbem admittendi. ſed res ſub ipſum tempus ſtatutum patefacta non parum moleſtiæ monachis attulit, cum multis cauſa poſtea fuerit ſuſpendij. & quoniam fortuna in quam partem inclinauerit ſecum trahit multarum rerum, vel bonarum, vel malarum cumulum omniumque gentium ſtudia, & fauor conſequitur ſigna victricia; inde effectū eſt, vt rebus Gallicis inclinantibus ad infortunia Genuenſes quoque audita clade Senenſi maiore alacritate, maioribuſque apparatibus Gallos profligare aggreſſi ſint, qui Cyrnum inſulam Gallicis armis occupauerant. atque inprimis miſſis in inſulam tribus Italorum ac duobus Germanorum millibus præter eas copias, quas habebant in æſtiuis ad oppidum diui Columbari caſtrametantur, quod obſidione cingunt. oppidani decidentes de omni ſpe ſubſidiorum oppidum dedunt Genuenſium copiis. deinde itum eſt Vrcinium verſus, cuius expugnatio cum nimis difficilis videretur conuerſum eſt ſtudium ad omnia debiliora loca primùm expugnanda. omnis propè inſula in eorum poteſtatem venit, pręter illam partem, quæ inferior eſt citra montes; reliquaque ſunt facta Gallico Imperio Vrcinium tantum, & portus Syracuſanus, quorum locorum tamen multa caſtella etiam Genuenſes occuparunt. Hetruriæ verò Duci quoniam res feliciter ſuccederent, patefactæ ſunt inſidię

Lucianū captum.

Bighettus, & altus Comes capitis condemnati.

Claſsis Turcicæ exercitatio.

Diuoduri inſidiæ per Frāciſcanos ſtructæ.

Cyrni bellū inſtauratum.

diæ nonnullorum,qui aduerſus ipſum pro patriæ libertate, vt profitebantur, hoc eſt pro propria tyrannide cum hoſtibus conſpirauerant,qui cum circiter triginta fuiſſent, præcipuæ tamen autoritatis fuerunt; Bindus Altuitus,& filij; Annibal Ruccelaius,Paulus Antonius Foderinus & filij, Alexander Saluiatus Petri filius,præter cæteros. vbi nouum ędinum Cæſaris iuſſu excitatum eſſet è veteris & ſolo adęquati ruinis,illud & præſidijs,& annona,& omni genere bellici apparatus fuit munitum,non ſolùm aduerſus finitimorum populorum incurſiones, & conatus, ſed etiam aduerſus ingentes impetus hoſtium, ſiquis illud armatus aggrederetur.

Florētinis rebellibus dies per prçconē dicta.

Philippus Hiſpaniarum princeps, quem diximus ſuperius in matrimonium fuiſſe ducturum Cæſaris iuſſu Mariam Britanniæ reginā per ſtabilitas conditiones,comparata claſſe octoginta onerariarum nauium,& quadraginta nauigiorum præterea varij generis in Britanniam nauigat,quibus decem,& octo regiæ, totidemque onerariæ Belgicæ accedebant,quæ proxima maria percurrentes omnia litora tuta reddiderant. at verò in Ouictiam inſulam,quæ ſita eſt è regione portus Vuintoniæ, iam principes nonnulli conuenerant eius ordinis,quæ Grattiera vocatur,qui ordo eſt in Britannia primatum nobiliſſimus, vt is qui Cæſarianorum Toſonius dictus eſt.

Grattiera ordo equitum Britannorū.

ibi erant principem Hiſpaniarum excepturi, inter quos fuit Milordus Pagetius comes Rotolantius, & Milorius Pouſquater regij ęrarij magiſter, Milorduſque Prinſellus Randeſius. hi non ſolùm precioſis veſtibus vſi ſunt,ſed etiam magnificentiſſimo nauigij ornatu,quippe quod precioſis tapetibus & aureis textilibus decorum erat cum throno regio.illud à multis remigibus viridi, candidoque colore indutis impellebatur, quæ coloris varietas propria eſt reginę. ſubſequebantur alia decem nauigia aulæis textilibus cooperta, quæ inſignium thalamorum, egregieque inſtructorum formam interius pręſe ferebant.

Philippi nauigatio in Britanniam.

vbi Philippus illuc applicuiſſet, in nauigium cum throno paratum ab illis principibus magna hilaritate accipitur,Vuintoniamq; nauigat; quò vbi ventum eſt,ingens ſit ſalutatio diſploſis pluribus tormentis. egreſſo principi cum Albano regulo,Antonio Toletano, Petro Padilia Ruigomeoque proceribus, alijſque multis inſignibus, fit obuia magna Britannicorum procerum manus ſalutantium gratulantiumque pro felici aduentu, quos paulo poſt ſubſequebatur Brunus regij ſtabuli magiſter gradarium equum adducens gemmis auroque multo ornatum niuei coloris cum regio operimento. illum conſcendens Philippus templum Vuintonienſe adit gratias Deo acturus,quia incolumis ad ea litora perueniſſet. mox ad palatium precioſis aulęis ſericis multo auro intertexto ornatum deducitur, in quo plurimi erant thalami magnificè parati. ſed pręcipuè aſſignatur Philippo regali decorum magnificenria. dum Philippus ibi moratur, Hiſpani proceres exeunt è nauibus,inter quos primarij fuerunt opibus,& dignitate inſignes Dux Medioli,comes Sardinię,Agamontius,Amiras Caſtellę ac Baſtitanorum,marchioneſque Valię,& Aghillaræ,ad lętitię ſignificationem multi ignes vbique accenduntur ſub noctem, diſploduntur que tormenta complura. poſtridie eius diei cum ad ſacras ceremonias accederetur, à multiſque Britannis proceribus ſalutaretur Philippus, ęgerrimè ferri cęptum eſt, quòd ad nullius hominis ſalutationem capitis integumentum honoris gratia detraxiſſet pro more regum Hiſpanorum.inde nata eſt apud eos populos inſignis ſuperbię Philippi opinio,& contemptus Britannorum procerum: quod maxime vitandum eſt. Camalodunenſis epiſcopus cum miſſus à regina de rebus omnibus cum Philippo communicaſſet,deinde miſſa ſunt munera ad reginam gemmę quędam inſignes infiniti propè precij. ea dum aguntur Vuintonię,multi alii proceres Britanni conueniunt ad principem ſalutandum,dum regina illum Camaloduni,quæ vrbs diſtat à Vuintonia circiter decem millia paſſuum,pręſtolatur. miſſi ſunt obuiam duodecim gradarii equi magnę pulchritudinis, multoque auro ornati, & argento,inter quos vnus fuit candidi coloris cum purpureis ornamentis, auroque picturatis,intertextis multis gemmis,qui principi aſſignaretur. acceſſit ad principem,& regulus Pembrucchus cum trecentis equitibus, nobilibuſque ciuibus eius inſulę. neque vllus dies vacuus à nouis ſalutationibus pręteribat, cum ſemper noua multitudo ad principem conflueret. vbi cæptum eſt iter fieri Camalodunum verſus, præcedunt centum arciferi equites, totidemque pedites cum arcubus, & pharetris purpureo colore induti, argento in fibularum morem intexto. hiſce ſuccedebant alabardiferi flauis induti purpureis limbis funiculis candidis aſſutis, qui erant principis colores.

Philippi regis pōpa ad Mariam accedentis.

Philippus gradarium equum aſcendit inſigniorem, reliqui ſunt primarijs proceribus conceſſi: ſic iter incipitur,atque cum ad mille paſſus diſtaret adhuc à Camaloduno obuios habuit quingentos ferè Britannos,portamq; vrbis ingreſſus,omnes regios magiſtratus talaribus purpureis indutos,qui ſe fidem illi ſeruaturos iurarunt, atque in palatium non procul diſtans à regio acceditur. hinc ad templum vrbis auguſtius accedenti fiunt obuij ſacerdotes cum infulis, atque ſub umbella magnificè picturata ad altare maius deducitur. nec multo poſt venit in colloquium cum regina, quod non ſemel poſtmodo fit. iubet quatuor Hiſpanorum millia, quos ſecum in inſulam adduxerat,in Belgicam regionem exponi ad Cæſarem,quod etiam pergratum fuit Britannis, cum tot exteros homines eſſe in ſuis vrbibus non ſatis æquo animo ferrent. Interea tabulatum ſublime ex aſſeribus conſtruitur in auguſtiore templo,multiſque & aulæis,& precioſis tapetibus contegitur, ac veſtitur è regione maioris altaris, vbi duæ ſedes parantur cum regia magnificentia. vbi dies conſtitutus ſponſalibus illuxit,prior acceſſit princeps cum Hiſpanis proceribus multis margaritis gemmiſque conſpicuus,& paulopoſt regina cum regia pompa,& ipſa incedit ad templum veſtibus vndique micantibus ob multos precioſos lapillos,quam longo ordine ſtipantes Britanni epiſcopi, & proceres ſequebantur. præcedebant viginti tubicines. poſt hos regia inſignia præferentes. poſt breues preces ambo ad paratas ſedes adeunt,à quibus diſtabant per breue interuallum Cæſaris, Romanorum regis, Venetorum,& Ducis Hetruriæ,aliorumque nonnullorum principum legationes. Camalodunenſis paulo poſt ſacris veſtibus indutus, comitantibus quinque epiſcopis tabulatum aſcendit, qui

priuſquam

priuſquam ad propria negotia regum veniretur, contractas nuptias, quarum cauſa rex venerat in Brita nniam, pronuntiauit. Quamobrem ſi quod impedimentum legitimum quiſquam eſſe intelligeret, rogatur vt illud palam pronuntiet. vndique conclamatum eſt nullum videri: quod vbi auditum eſſet, Figaroa priuilegium Cæſaris obtulit Hiſpaniarum principi, in quo rex Neapolis declarabatur cum multis alijs regnorum titulis & honoribus, quibus filius à patre donabatur. id autem factum eſt ne regina illi principi nupſiſſe videretur, qui honore, dignitate, titulis multo eſſet inferior. illa cum epiſcopus publicè recitauiſſet, mox ſubiunxit nuptias inter reges abſentes contractas verbis, iamiam ab vtriſque re ipſa confirmandas eſſe præſentibus, quod illi fore affirmarunt. Tunc ad regem conuerſus eum rogat an Mariam ſponſam habere, eam gubernare, in omnes fortunæ euentus protegere, ea ſola muliere, quæ ſeſe ac ſuum regnum ſuæ fidei ac poteſtati committeret, eſſet vſurus? qui reſpondit ſe ita facturum. rurſus rogatur regina an eadem confirmaret? quæ ſe ita aſſentiri reſpondit. poſtea conſecratis duobus annulis manum reginæ vno è primariis Britannis tenente annularis digitus à rege precioſis induitur. poſtea rex a ſiniſtra, regina à dextra in ſuis ſedibus reſederunt dum ſacra ab epiſcopo celebrantur. cum ad exoſculationem imaginis paruæ ventum eſt, quam Pacem vocant, rex ad reginæ ſedem accedit, illi benedixit, & exoſculatur. peractis deniq; ſacris, vinum & panis bis coctus affertur reginæ, quæ cum guſtauiſſet pro more Britannico deinde ad regem miſit, qui & ipſe guſtauit. his ita actis quatuor Araldi, ſic enim vocant publicos præcones, ad altare accedunt, quorum vnus è ſublimiore gradu ita pronuntiauit: Philippus & Maria Dei gratia Britanniæ, Galliæ, Neapolis, Solymorum, Hyberniæ rex & regina, fidei defenſores, Hiſpaniarum & Siciliç principes, archiduces Auſtriæ, duces Mediolani, Burgundiæ, Brabantiæ, comites Hiſpurgiæ, Flandriæ, & Tyrolis, &c. teſtibus nobis apud Deum annis regnorum noſtrorum primo, & ſecundo. his peractis receditur, quo ordine ventum erat. atque rex ad palatium peruenit, dum menſæ parantur. ſtructa eſt autem regalis in ampliſſimo loco cæteris editior in loco ſublimiore cum aureis ſedibus. iuſſus eſt honoris gratia, & beneuolentiæ aſſidere regiæ menſæ epiſcopus etiã Camalodunenſis. quæ verò erant in interiore loco tres paratæ ſunt menſæ magnificentiſſimæ, quarum vni aſſidebant legationes, alij proceres Hiſpani, alij multi duces, & matronę Britannæ. Philippus rex ſub finem prandii Britannos proceres honoris gratia poculo prouocauit, regina Hiſpanos: deinde remotis menſis delectati ſunt choreis, & tripudijs omnes proceres, donec inter conuiuia, & oblectamenta dies elapſus nocti locum ceſſit. hæc, quæ agebantur in Britannia, parum animum Cæſaris demulcent cognita grauibus bellorum curis implicatum, qui Cameracum ſe recipit dum Henricus per Arteſiam regionem ad vrbes maritimas iter habet, ita vt non maiore ſpatio ſexdecim millibus paſſuum à Cæſare diſtaret. dum Henricus ad tentandam expugnationem Rentini ſe accingit, Cæſar Lilar adit, quod oppidum diſtat inde ad viginti & quatuor millia paſſuum. poſtea iter faciens octo milliariorum non procul ab Era caſtrametatur, vnde ruinę Teruannę proſpici poterant. cum illo die Cæſariani in acie conſtitiſſent, Cæſar mittit exploratum ſitum cuiuſdam collis vltra paruum, & ignobilem fluuium, qui neque latus, neque profundus Rentinum præterlabitur. deinde ſequenti die cum premiſſi equites collem aſcendiſſent, atque occupaſsent ex ea parte & Rentinum, & quædam proſpectabantur Gallorum tentoria; qui cum primùm illuxiſſet, arcem viginti & ſex bellicis tormentis ingentibus cannonibus ſcilicet diuerberant incredibili ſtrepitu, & fragore. Cæſar ſuper illo colle caſtra poſuit, quem exploratum miſerat. atqui cum Rentinum ſit in quadam valle ſitum tribus collibus cingitur, quorum duos Gallicæ acies occupauerant, cum Henricus, & coneſtablius ſuper colle ad occidentem ſpectante eſſent caſtrametati vltra fluuium cum maiore parte equitatus, & peditatus: fuit enim ſignificatum Henrico Cæſarem miſiſſe exploratum locum vltra flumen, neque enim paſſurus videbatur Rentinum ſine prælio occupari, quare vel totum diem in ea parte copię conſtiterunt in acie. ſuper altero cum Germanico Heluetioque peditatu caſtrametatus fuerat Vandomus regulus. flectitur is collis in lunæ ſemiplenæ formam, ſiniſtroque cornu oppidum complectitur ad meridiem, vbi tentoria erecta fuerant Heluetiorum, & Germanorum, & quędam bellica tormenta. dexterum cornu, cuius extrema pars eſt frequentibus ac proceris nemorum arboribus occupata, oppidum claudit inter meridiem, & orientem, quod latus à quingentis ſclopettarijs Gallis cuſtodiebatur. Cæſar ſuper colle inter orientem, & ſeptentrionale latus caſtra poſuerat, qui collis à tertio latere oppidum claudit, diſtatque circiter duo millia paſſuũ, cum cęteri non plus inuicem diſtent quadringentis, vel etiam minus. erat hic collis valde incommodus ad ferendas ſuppetias, quia vallis eſſet anguſta, per quam erat tranſeundum, arboribuſque multis conſita, vbi conſtiterat Gallicus equitatus, & ſclopettarij equeſtres. colles præterea quamuis nõ erant ab vtraque parte toti occupati a Gallis, tamen vbique cuſtodiebantur diligenter, vbi multę collocatæ erant excubiæ. Cæſar cum intelligeret nemus neceſſariò ſibi eſſe occupandum, quod erat à ſiniſtra, alioquin nihil vtile poſſe confici, frequentem globum peditum mittit ad illud occupandum. ſed Gallus propter loci opportunitatem Cæſarianos facile repellit, qui imperfecto negotio recedere cogũtur. certatum eſt eo die minuto prælio ad eum collem, & in ipſa valle, & vltra fluuiũ: in quibus certaminibus Gallus maiorem cladem accepit. at Gallus quamuis Ceſarianos omnes in aciem inſtructos intuebatur, frequentiaque certamina, quibus ſępius commiſſis pugnabatur, tamen nihil de animi conſtantia remittit, ſed multò etiam acrius, quàm antea, maiorique impetu Rentinum concutit. cum inclinatus iam eſſet dies, tormentaque nimis incaluiſſent propter diligens verberandi ſtudium, (deuitandum eſt enim per æſtatem precipuè, ne diſrumpantur propter aſſiduitatem verberationis,) intermiſſa eſt verberatio, quamobrem ſuſpicatus eſt Cæſar Gallos oppidum inuaſuros. deinde cum iuſſiſſet exercitum hoſtium explorari, nullus vel armorum, vel ſclopettariorum

*Philippo tituli cõceſſi. Sponſalia.*

*Rẽtinũ à Gallis cõcuſſũ.*

pettariorum ſtrepitus exaudiebatur. Interea miſſæ ſunt literæ clam ab oppidi ipſius præfecto ad Cę
ſarem, quibus ſignificabatur ita propter ruinas murorum apertum eſſe oppidum vi tormentorum,
nemo vt tutò poſſet ad eas ruinas denfenſionis gratia accedere, cui difficultati aderat etiam annonę
penuria. vna tamen re adiungunt ſe adiuuari, quòd foſſa ita eſſet lata & profunda vt neque faſcicu-
lis lignorum repleri, neque aqua diuerti aliò poſſet: cum ſemper eſſet abundans, atque altiſſima re-
linqueretur. his accedebat quòd laterum defenſiones ita eſſent protectæ, vt neque diſrumpi poſ-
ſent, neque impediri. ſe defenſurum eſſe donec aliquid ſupereſſet annonę. eſt autem Rentinum fi- Rẽtinifigura
gura quadrata, cuius in angulis erectæ ſunt quatuor turres, vel potius arces munitiſſimæ, quarum
duæ lateritio muro veſtiuntur; duæ & interius & exterius muniuntur terra plenis. turres autem
caſas habent terra repletas, quæ tam artificioſè proteguntur vt concuti non poſſint, foſſa cum altiſ-
ſimis aquis ampliſſima eſt, quippe quæ ad triginta & amplius paſſus dilatetur, plateamque interio-
rem habet peramplam ad ſtruendas reparationes, ſi opus ſit, aptam. Cæſar per obſcuritatem
noctis imperat mille Hiſpanos, ac totidem Germanos cum expeditiſſimis equitibus auxilia-
rijs ſupra arma indui interulis, & ad occupandum nemus proficiſci, qui cum ad orti eſſent nego-
tium, denuo repelluntur non paucis vulneratis. poſtridie eius diei cum primùm illuxiſſet, rurſus
cęptum eſt oppidum ingenti vi tormentorum concuti & proſterni. Cæſar nemus, vnde toties re-
pulſus fuerat, omnino occupandum ratus primùm tormenta dirigit. deinde inſtruit exercitum, at-
que pręmittit omnem Hiſpanum peditatum ad proſpectum hoſtium ſub meridiem. præmittit &
Regimentum Germanorum, quibus præerat comes Megenſis, ad illud expugnandum. tantus verò Præliũ cruẽtum, ac diuturnum.
ardor, tanta cupido, tantum fuit Hiſpanorum deſiderium delendæ acceptę notæ infamię, quam ſibi
contraxiſſe videbantur ex illis ſuperioribus repulſis, tanta Germanorum contentio, ne celeritate,
ſtudio, & virtute pugnandi apparerent Hiſpanis inferiores, vt certatim in nemus irrumperent. atq;
quamuis Galli acerrimè diu reſtitiſſent, tamen denique cedere coacti ſint, cum fuiſſent cæſi ex illis
plures quingentis, è Cæſarianis paulo plures trecentis ſunt deſiderati. Henricus vbi ſuos ſe recipe-
re ſenſit, ſtatuit vt omnis ferè exercitus in caſtra Vandomi pertrãſiret, atque dum pugnaretur adhuc
in extrema parte nemoris ad tentoria Heluetiorum ab ijs equitibus, qui ſe paulatim ab ipſa valle, in
qua fuerant caſtrametati, recipiebant, Galli conſiſtunt in acie in primo agmine paulatim nemorį
propinquantes. nuntiatur Cæſari nemus à ſuis fuiſſe occupatum, quòd Galli ad fugam proſpecta-
rent. quòd eo die regem captiuum haberent in caſtris. tanta vis eſt adulationis. nam quę libenter au
diri à principibus quiſque exiſtimat, ea ſæpius tanquam ſomnians vel nulla ratione ſuffultus effu
tire ſolet ad gratiam. Caſtalius, vt pote cui nota eſſet uis Gallica, & qui bellorum euentus ſæpius
expertus eſſet, tum verè poſſe dici occupatum eſſe nemus reſpondet, cum Cęſariani illo defenden-
do perſeueraſſent: quòd exitus fugę Gallorum ſolus verus eſſet teſtis. Ferrandus Gonzaga, qui &
ipſe erat in caſtris, perſuadet Cæſari vt ſex campeſtria tormenta ſmerilios ſcilicet, hęc ſunt tormen-
torum nomina, & duos falconettos mitteret ad infeſtandos manipulos Gallorum, qui iam ne-
mori adpropinquarent. his addidit, quòd niſi ſubſidia Hiſpanis ac Germanis nemus defendenti-
bus ſubmitterentur, futurum breui vt funderentur. Cæſar iubet aduehi tormenta. mittit duode-
cim vexilla Germanorum Nanſienſis comitis, & trecentos Germanos eius ordinis, quos vulgo
Ferrarolos vocant. hi quamuis primis conatibus formidabiles videntur propter multitudinem bre-
uium ſclopettorum, tamen ſi cum acie militum ordinaria congrediantur, breui & nullo propè
negocio demonſtrantur eſſe inutiles; cum incurſionibus potius & prædationibus & latrocinijs,
quàm vlli gloriæ militari ſint apti. Galli, cum illi accederent, qui mittebantur à Cæſare artificio-
sè ac ſubdolè cedentes permittebant vt turma & frons equitatus pluribus adiunctis condenſaretur:
quare cum trecenti illi Ferraroli Germani ad Gallorum conſpectum acceſſiſſent, in Cæſaria nos
fit impetus & irruptio. hos cum Ferraroli ſuſtinere ob breuitatem ſclopettorum non poſſent, vti Ferrarolorũ
cæteri milites, ſeſe ad radices nemoris recipiunt. Galli veriti ne plenum eſset nemus Hiſpanis ſclo- vſus i bello.
pettarijs, vbi propinquaſsent nemori, conſiſtunt. Germanicus equitatus ante omnem aciem conſi-
ſtens pręſtolatur quò tenderēt Gallorum conſilia, cum parum diſtantes & ipſi conſtitiſsent. at ve-
rò trecenti illi denique citatis equis cum breuibus ſclopettis in Gallos impetum faciunt, in quo cer
tamine propter iniquitatem loci quinque è nobiliſſimis Gallis, cum equis præcipites ceciderunt;
quos vt capere Cæſariani niterentur Galli cum denſiſſimo manipulo, ac turma equitum irrumpūt
in Cęſarianos ipſos. Ferraroli diſploſis breuibus ſclopettis nullo alio telorum genere ſe defenden-
tes, cum nihil illi reliquum eſset præter gladios, inutiles prorſus aduerſus armatos equites, ita vertū
tur in fugam, vt neque Gonzaga, neque Dux Allobrogum eos reuocare potuerit ad inſtaurandum
prælium, cum omnes miſti cum Gallis inſequentibus, & cædentibus pro viribus equorum recur-
rerent. alia eorum pars ad nemus compulſa eſt. alia quæ iter tenuit inter nemus, & vallem inferius
ad extremum, vſque nemoris fugatur, vbi duodecim cohortes Nanſienſis conſtiterant. illi vbi non
non ſolùm milites in fugam verſos, ſed etiam pręfectos vident, & Gonzagam præſertim, qui ipſos
adduxerat, in fugam & ipſi vertuntur: quod vbi cognitum eſt à Gallis, in hos impreſſionem faciunt.
ad trecentos trucidant. vexilla diripiunt. quatuor tormenta abſtrahunt. nam res humanæ ita ſeſe ha-
bent vt dicebamus ſuperius, quia velut ſenio ac uetuſtate fatiſcentium, atque dehiſcentium ędificio-
rum totum pondus in partem inclinatam debilioremque recumbit, atque impellit ad ruinam. ſic
in rebus bellicis contingit, vt in vtram partem inclinare cęperint ob aliquem imperatorum errorē
facile trahant ſecum vniuerſam molem ac reliquos fortunę exitus. quamobrem vt in phyſicis ita
in negotijs verè dictum eſt à ſapientibus; ſemina magnitudine parua, virtute maxima. ſic Cęſar cū Cæſaris er-
defeſsos iam diuturna pugna Hiſpanos, & Germanos trecentoſque equites aſſiduè nemus tueri nō ror.

poſse

poſſe non proſpiceret,cum Galli non illis ſolum,ſed nonnullis equitum millibus poſſent reſiſtere' niſi valida auxilia equitatus,& peditatus mitterentur,in eam & iacturam,& dedecus incidit. illa pugna commiſſa vterque exercitus ſe victorem appellat.Cæſariani quia nemus occupaſſent, quia prætorium vexillum cepiſſent,quia nobiliſſimi quidam Galli cecidiſſent. Galli quia cepiſſent quatuor bellica tormenta,quia reportaſſent nouem vexilla peditum, quia multos è Cæſarianis fudiſsent,ac trucidaſsent.Cæſar poſtmodo,vel illorum ipſorum conſilio, qui captiuum fore Henricum eo ipſo die putauerant,caſtra foſſis,& aggeribus vallari iubet. ita biduum vacuum à præliis, & ocioſum ab vtroque exercitu tranſigitur.tertio die Henricus ipſe nemus,& omnia loca caſtris Cæſarianis proxima explorat,& recognoſcit,vnde nata eſt opinio,& ſuſpicio ne Galli à tergo tranſirent,quare ſeſe ad extruendas omnes neceſsarias reparationes Cæſariani accingunt.tum Galli in vniuerſam vallem, & ſecundum ripam fluminis,& ad latera nemoris magnum ſclopettariorum numerum collocant; in vallis vmbilico magnam equitum turmam ac peditum aciem. hinc acies oſtentare, ad pugnam ciere Cæſarianos,ſegnitiem exprobrare.quidam propius ad munitiones accedere. ad leuia certamina prouocare.Sed cum Cæſar decreuiſset nequis è munitionibus exiret,nihil eo die actum eſt. poſtridie fumus multus in caſtris Gallorum excitatur,nam rex per noctem iter ceperat, quem ſub aurorã reliqua pars exercitus eſt ſubſecuta:nam cum maxima fuiſset denſitas nebularum,nullus Gallorum motus poterat à Cæſarianis dignoſci. Cæſar vbi hoſtem abſcedere ſenſit neminem mittit ad inſequendum,quamuis non deerant qui iſtud faciendum curabant,& conſulebant.ſed cum duabus alis cataphractorum equitum,& Hiſpano peditatu Rentinum viſit. Henricus quamuis vniuerſum murum inter duas turres ad occaſum proſtrauerat,& deiecerat,tamen cum difficiles aſcenſu eſſent ruinæ,in turrimque præaltam tormenta direxiſſet, quæ breui conſterni poterat, & delapſa oppidi plateam ac bonam partem propinquarum domorum oppreſſiſſet, de ſpe negotij cecidit. neque illud etiam confirmauit,quòd ex alio latere Vandomus murum maioris turris proſtrauerat, & eum murum qui inter vtramque turrim intercurrebat,quia latus terra oppletum munitionis tam erat ſublime, vt ſine ſcalis omnino conſcendi non poſſet. huius oppidi præſidiarii erant milites ducenti Hiſpani,& octingenti Belgæ. paulo poſt Cæſar Bruxellas; at Henricus, quia exercitus iam eſſet defatigatus diuturnitate bellorum,intra ſuos fines,ſe recipiunt in Italia verò res non frigidè agebantur: quippe quia Marinianius cum ſatis ocij ad curanda corpora, & ad reficiendas vires ſuis copijs dediſſet, mox ad deuaſtandas ſegetes Senenſium animum adiecerat, quos breui ad extremam annonæ penuriam induxit,Florentiniſque conceſſit tempus opportunum colligendi frumenti. enimuero ſi conſilium Strozzæ tam rectè fuiſſet perfectum, quàm ſapienter ille decreuerat, in ſummo diſcrimine res & Florentina & Cæſariana fuiſſet collocata in Italia. is enim viderat acutiſſimè quid vtilitatis poſſet illa expeditio Henrico regi afferre. norat futuram victoriam eius belli omnem penes illum,qui meſſes colligeret,alioſque impediret, ac viribus præſtaret præſertim meſſis tempore, quare ab Henrico rege copias illas poſtulauerat, quæ poſſent hoſtem per Iunium menſem, & quintilem ſuperare, quia ſi impreſſionem feciſſet in agrum Florentinum, futurum erat vt is ager duos exercitus vno tempore alere cogeretur, cum neceſſarium foret Marinianio ſoluere Senæ obſidionem. copias retrahere. liberas meſſes Senenſibus relinquere. cum verò per reliquos menſes Cæſariani offendendi gratia bellum eſſent geſturi neceſsarium fore videbatur, vt diuturnis ſumptibus grauati populi,annonæque penuria laborantes, ac ægrè ferentes, tam diuturnas calamitates tranquillitatis, & quietis deſiderio ad defectionem denique aſpirarent; cum eſsent nonnulli alioquin Coſmo Duci Hetruriæ ob memoriam veteris libertatis infenſi. nam poſt abſumptas meſſes, & ſubiugatos pagos,aut oppida in apto ſitu,facile fore apparebat paruis ſumptibus ſeſe ad defenſionẽ recipere; quę omnia rerum prædictarum exemplis cognoſci potuerunt. at enim claſſis Gallica quo tempore in Hetruria eſse oportebat, in Prouincia morata vniuerſa Strozzæ conſilia ſubuertit. nam cum ad cal. Iunij ad portum Herculis adeſſe oporteret, videbatur par eſſe, cum tantæ res agerentur, vt ante cal. appelleret, quoniam celeritas in rebus bellicis maximæ eſt vtilitatis, niſi cum rem diutius protrahendo certiſsima victoria in mora conſtituta eſt. ſi claſſis opportunè acceſſiſſet, Piſtorium facile capi poterat, atque res Florentina erat in maximo periculo fugato, & profligato Marinianio. ſed cum auctæ fuiſsent Cæſarianorum vires nemine impediente,non ſolùm Florentini meſses collegerunt, ſed etiam impediuerunt Senenſes ne meterent. coactus itaque Strozza ſe in agrum Senenſem recipere, paſsus eſt ipſe neceſsariò eadem incommoda, quæ fuerat hoſtibus illaturus. nam cum duo exercitus in agrum Senenſem ſe recepiſsent deuaſtatæ, ſunt nouæ ſegetes, & quæ reſeruatę fuerant in vſum belli, neceſsario abſumptæ. hiſce de cauſis eò redacta res eſt Strozzeana vt exercitus ſolueretur propter rerum omnium inopiam, vel cogeretur fortunam belli experiri & ſigna conferre. nihil enim erat aliud exercitum diutius ſuſtentare, quàm reliquias annonæ prorſus abſumere. rurſus copias ſponte dimittere,ſe ad defenſionem retrahere,liberumque agrum conſultò hoſti dimittere, manifeſtum erat detrimentum amiſſis iam meſſibus, cum tamen exiguam propter copiarum differentiam neque prælium iure appareret deuitandum. Vix enim fieri poteſt,vt par exercitus inueniatur omnibus prorſus adæquatis partibus, cum parua differentia nihil ſit omnino facienda.quòd ſi exercitus pugnando profligaretur,nihil magis capiebatur detrimenti,quàm quòd Senenſes erant intra mœnia includendi,quod ipſum fiebat copijs ſponte diſſolutis, cum omnia oppida firmiſſimis præſidiis eſsent munita.atqui ſi tunc loci ratio habita eſset, vbi commiſſum eſt prælium, ſi debitum officium Strozzeani præſtitiſsent, patuiſset profectò quàm rectè rem conſuluerat. his ita geſtis Cæſarianus exercitus Senas vrbem validiore, arctioreque obſidione cingit. Senenſes,vti mos eſt plerumque obſeſsarum ciuitatum,quæ tanquam male affecta corpora

Segetes Senẽſiũ deuaſtatæ.

Strozzæ cõſiliũ de expeditione Senenſi.

Henrici error.

Senæ obſeſſæ miſerię.

per vomitum inutiles humores emittunt, inutiles rebus bellicis pueros, & ſenes ac fœminas ex vr-
be expellunt, ne annona inutiliter ab his abſumpta facilius compelleretur ad deditionem. ſed hos
Cæſariani conantur in vrbem retrudere. verum cum porta vrbis iam eſſet occluſa plerique inedia
miſerabiliter in foſſa moriebantur. crudeliſſimum erat ſpectaculum ob famem, & ſitim, rerumque
omnium inopiam lugentes pueros, eiulantes mulieres, humi proſtratos moribundos ſenes miſe-
ricordiam modo à ſuis, modo ab hoſtibus implorantes, atque inter ipſum ſermonem naturæ
concedentes videre. deinde Marinianius, vt anguſtius etiam rem Senenſem ſtringeret, curat aliam
munitionem excitandam ad portam Romanam incluſo intra aggeres ac foſſas caſtrenſes Cęnobio
monachorum Carthuſianorum. at eam debilem tamen excitat, cum neque faſciculi lignorum, &
ſarmenta è longinquis regionibus commodè importari poſſent; neque terra ita eſſet tenax, vt operi
conueniret, quia ſabuli & arenæ more deflueret. vbi illa munitio quantulacunque eſſet, fuiſſet exci
tata, quæ ſaltem irruentium ciuium impetum in caſtra retardaret, præberetque quandam munitio-
nis formam, & ſuſpicionem, Marinianius contendit ad expugnandum montem Aionem oppidum
munitiſſimum cum magna parte exercitus, & quatuor muralibus tormentis, relictis in caſtris Ger-
manis, & quibuſdam Hiſpanis, & paucis Italis. Senenſes interea audito bombo tormentorum Mon
tem Aionem verberantium rati id quod erat, eſſe debilia caſtrorum Cæſarianorum præſidia, armati
ferè mille & quingenti exeunt ex vrbe, commiſſoque leui pręlio ſubitario pertranſeunt foſſas caſtrē
ſes nullo propè negotio, atque ſuperatis reparationibus in caſtra Cęſariana vi irrumpunt. non enim
plures quingentis militibus relicti erant in caſtris præter Germanos, atque maior pars illorum iam Error Marinianij.
fuga arripuerat, vt ipſe vidi. à Germanis conclamatum eſt ad arma, qui conſtiterunt in acie, quod gę
nus hominum aptius eſt ſtatarijs, quam expeditis, & leuibus certaminibus. Senenſes facilitate victo-
rię territi, vel quòd inſidias ab alia parte vrbis ſubeſſe ſuſpicarentur, vel quòd ita ferebat eorum fortu
nā, victoriam è manibus elabi paſſi ſunt: quia ſi paruis illis copiis profligatis, quod erat facillimum,
Cæſarianas vires imminuiſſent, non erat ita tutum poſtea Marinianio ad obſidendam vrbem redi-
re. vix enim cum tubæ diutius inflatę eſsent pauci equites ſexdecim nimirum inuenti ſunt cum pau
cis ſclopettariis, qui hoſtem repellerent. neque illud facinus vnquam laudabile duxerim conantem
imperatorem potentiſſimam ciuitatem obſidere, ita diſtrahere exercitum, vt inferior, aut etiam par
efficiatur vrbanis viribus. Marinianius audito periculo, in quo tota res bellica erat conſtituta, conti-
nuo quaſdam cohortes in caſtra remittit. ipſe non prius deſtituit expugnationem, quàm oppidum Mons Aioneus captus.
per deditionem acceperit; quod tamen nonnulli deditum ex compoſito à Ioannettino Zeto cen-
ſuerunt ſimulata expugnatione, cum multa tormenta ſine globis diſploderentur. Marinianius in
caſtra reuerſus alias ſubitarias munitiones excitat in aliis locis, ita nihil vt commeatus niſi per ſum-
mam difficultatem, ſummumque importantium periculum ingredi poſſet. qui dum ſtruendis mu
nitionibus, claudendiſque aditibus commeatui ſtudet in Thuſcia aduerſus vrbem Senam, Briſacius
cum proregia poteſtate, ſummoque imperio rei militaris in Gallia ſubalpina præter Hipporegiam,
quam ceperat anno ſuperiore collecta magna manu peditum, qui erant in pręſidiis, adiunctis etiā
ſubitariis copiis quas è Gallia ſecum adduxerat, repente Bugiellam vrbem frequentem, & amplam
capit, & oppidum Sancti Iacobi, & alia multa caſtella non parui momenti, quę mox firmis præſidiis Bugiellā capta à Briſacio.
munita ſunt, vt facultatem & aditum ad cęteras res Italicas patefacerent. nam quædam ſunt caſtel-
la, quæ ipſa nullius ſunt rationis cenſenda, at cariſſima ſunt plurimique fiunt, quòd aditus patefa-
ciunt in hoſtium regionem. Ferrandus Gonzaga tantum autoritatis nactus apud Cęſarem, tantum-
que beneuolentiæ interea, quantum nulla ratione videbatur poſſe labefactari, partim quòd eius fe-
licitari inuideretur, partim quòd priuatæ ſuæ vtilitati nimis accurate viſus eſſet ſtudere, in maximas
quorundam virorum illuſtrium incurrit offenſiones, & graues accuſationes apud Cæſarem, qui
maximis itineribus cum veniſſet in Italiam ad ipſas criminationes diluendas Bruxellas ſe contulit.
nam cum in demortui marchionis Iſtonienſis locum Mediolani gubernator miſſus fuiſſet cū ſum- Ferrādus Gōzaga ad diluendas criminationes.
mo imperio poſt Cæſarem in Italiam, Ioannem Figarolam præfectum Inſubrum reliquit. erant viri
illuſtres, in quorum offenſiones Ferrandus incurrerat, Franciſcus Tauerna vir Cæſarei ſigilli magi-
ſter inter Inſubres, ſiue magnus cancellarius. Franciſcus Craſſus vir primarius, & Magiſtratus vocati
Mediolani præſes. Ioannes Luna arcis Mediolanenſis præfectus. ex aulicis ipſius Cæſaris Dux Al-
lobrogum propter nonnullas iniurias, quas ille impune à ſuis militibus in Allobroges inferri paſ-
ſus fuerat. alijs de cauſis infenſum habebat Caſtalium & Rigiacum regulum & alios nonnullos,
qui omnes aduerſus Ferrandum conſpirantes ita egerunt, vt ad ſuam defenſionem aduocaretur. dū
Briſacius in ſubalpina Gallia nemine reſiſtente proxima quæque incurſionibus, & prædationibus
vexat, Reginaldo Polo purpurato antiſtiti per literas Philippi Regis, & Mariæ reginæ ſignificatur Card. Polus in Britanniā adit.
ſibi pergratum fore ſi ipſe ſeſe in Britanniam conferret, vt eam prouinciam, quę per tot annos à
Romana eccleſia diſſenſerat ad ſanctam religionem & obedientiam reuocaret. Polus his literis ac-
ceptis Bruxellis diſcedit comitantibus Milordo Pagetto, & Edoardo Aſtingeſio, qui miſſi fuerant
ab illis regibus, & à comitiis Britanniæ ad illum ex aula Cęſarea adducēdum ille comitantibus cen-
tum ferè, & quinquaginta equitibus Bruxellis Gandauum & Bruges & Nouum portum pręter-
greſſus Grauellinguam accedit. atque cum ad eum fluuium perueniſſet, qui è montibus proximis
ortus Fonchbergę, per ſinuoſa ſpatia delatus per Sancti Odomari oppidū prętergreſſus agrum Cale
ſium, qui eſt Morinorum, à Belgico diſterminat, obuium habuit Caleſiorum Mareſciallum cum
multo equitatu & pompa totius Ceſoniaci naualis, qui illum ad Icium, id eſt munitiſſimum Britan
norum propugnaculum, deduxit: in cuius vrbis ingreſſu ab omnibus vrbanis magiſtratibus perhu-
maniter excipitur cum ingenti lętitiæ ſignificatione. multis diſploſis tormentis, ęris Campani tin-
nitu,

nitu, accenſis nocturnis ignibus; paratis magnificis & lautiſſimis conuiuijs. cum poſtea nauigationis tempus apparuiſſet, (eſt enim in citeriore litore Cæſoniacum nauale quod maris oceani primis fluctibus alluitur, quare ab Icio promontorio Morinorum, Cæſoniacoùe nauali non difficilis eſt traiectus in Britanniam, niſi repentina aliqua iniuria temporis repugnet,) nauim conſcendens, facilique nauigatione vſus ad oppidum Doueram in litore Britanniæ ſitum applicuit, vbi obuium habuit epiſcopum Helienſem, qui cum centum equitibus obuiam proceſſit gratulatum regio nomine pro felici fauſtoque aduentu. hunc epiſcopum comitabantur, & alij proceres Britanni partim veteri conſuetudine, partim affinitate Cardinali coniuncti. ibi cum aliquantulum conquieuiſſet Cantuariam peruenit multis ſtipantibus equitibus, atque perbenignè fuit exceptus. poſtridie eius diei cum primum illuxiſſet nuntium mittit gratias acturum regibus pro acceptis honoribus. hinc ſecedit Septimburgum, hinc Roceſtram, hinc Grauеſindam peruenit, quod oppidū eſt ſitum in ripa Tameſis fluminis, qui è duobus montibus non procul à Glouceſtria ortus vtrinque poſt aliquod ſpatium coniunctis aquis Londinum præterfluens in mare Germanicum ad Cantium promontorium deuoluitur. Ibi preſtò fuit epiſcopus Dunelmenſis Comes Sceroſberus, vir inter Britannicos proceres, & opibus, & nobilitate præſtans cum maximo comitatu, qui primùm legationem regio nomine ſalutauit; deinde literas maiori ſigillo regni conſignatas obtulit. In illis delebatur & antiquabatur Henrici regis octaui Britanniæ exilium, unà cum confirmatione Odoardi, per quod exilium omnibus bonis & reditu in Britanniam in perpetuum priuabatur, cui ſententiæ promulgandæ honoris gratia præter conſuetudinem eius regni, vel in rebus maximis reges ipſi affuerunt. Polus pro illa tanta regum in ſe liberalitate, & munificentia gratias agens, nauiculas ſibi paratas conſcendens cum multis proceribus Londinum verſus nauigat, crucemque inſigne pontificiæ legationis in prora nauiculæ erigit. vbi applicuit Londinum, obuiam habuit regem ad portam palatii, at regina apud ſuperiorem portam aulæ pro conſuetudine inſulę exoſculatur. ſic igitur rex dexterum, regina ſiniſtrum habentes in palatium comitantur. poſtmodo menſæ aſſidens, nam tunc reges prandere cœperant, Pontificias literas legationis obtulit, quibus lectis paulopoſt prandium deductus eſt in palatium archiepiſcopi Cantuariæ comitante Albano, & epiſcopo Camalodunenſi, & alijs multis proceribus. inter illam lætitiam multa ludicra celebrantur, vt fieri ſolet inter regias nuptias. at verò rex, vbi poſt tertium diem Cardinalem conueniſſet honoris gratia, oblatum eſt vtriſque regibus diploma Pontificium, in quo continebatur, quòd Pontifex vniuerſis Britannis eius regni omnium delictorum veniam concederet, eoſque obliterata omni priſtini erroris memoria in fidem & miſericordiam & amplexum ſanctæ matris eccleſiæ recipiebat. his cognitis rex vbi a purpurato antiſtite receſſiſſet, iubet comitia in palatium indici. conueniunt ad ea comitia viri primarij eius inſulæ, opulentia nobilitateque præſtantes; qui ſunt laici principes, & ſacrati antiſtites, & populares duo è ſingulis regionibus regni, qui ab ipſis populis publico nomine deliguntur ad ipſa comitia. omnia primùm a nobilibus conſultantur, & decernuntur ſeparatim à popularibus, quod ipſum populares faciunt ſeorſum à nobilibus. neque tamen validum, aut ratum habetur quidquam, niſi quod ab vtriſque ordinibus ſtatutum confirmatumque fuerit, quod ipſum neceſſe eſt, vt rex ratum faciat. cum ab vtriſque his ordinibus in comitijs eſſet decretum, vt ad obedientiam Pontificiam rediretur, & è quadringentis, & quadraginta ſuffragijs vix duo fuiſſent repugnantia, actum eſt inter Cardin. & Epiſcopum Camalodunenſem quo pacto id exequi oporteret, quod eſſet ſtatutum in comitiis, & qua ratione Pontificio nomine obedientia Polo Cardinali concederetur. viſum eſt denique per ſupplicem petitionem, pœnitentiamque erroris, & ſciſmatis, veniam eſſe petendam cum adpromitteretur antiquandas eſſe, delendas, & obliterandas omnes leges aduerſus autoritatem Pontificiam latas. leguntur itaque literæ primùm in comitijs ab epiſcopo Camalodunenſi publicè regij ſcrinij magiſtro, qui ſublimi voce pronuntiat Cardinalem miſſum eſſe legatum à Pontifice ad reges, atque recitat legationis iura, & autoritatem; profitetur Cardinalis ſe eadem velle fungi legatione apud grauiſſimum ſapientiſſimorum hominum concilium. his agit gratias, quòd ſit per eorum munificas, liberaleſque functiones in patriam reuocatus; quibus addidit ſe veniſſe illis patriam cœlorum non minus aperiturum per Dei clementiam, quàm illi ſibi exuli aditum in patriam patefeciſſent. ſed ante quàm cœlum aperiretur, opus eſſe impijs, ac nefandis legibus abrogari priſtinorum errorum. cognoſci miſerias, in quas inciderant à reliquo cœtu Chriſtianorum alienati. incredibile Dei in ſe beneficium, quod accepturi eſſent; & quantum Britanni prçcipuè debent Apoſtolicæ ſedi eſſe deuincti. hortatur illos ad prçteritorum errorum penitentiā, ad imbibendam gratiam, quam Deus ſibi offerebat per ſuam legationem à ſuo vicario. hortatur denique ad omnem prçteritæ hæreſeos abolitionem, memoriamque obliterandam. at Camalodunēſis ſcrinij regij magiſter regum totiuſque concilii nomine gratias agit legationi. quæ dicta eſſent à legatione ſummatim repetit. hortatur ad accipiendum beneficium, quod omnibus offerretur. iubet poſtero die frequentes conuenire ad decernenda, quæ per legationem proponebantur. conueniunt frequentes. decernitur omnium conſenſu, vt ad Pontificiam obedientiam rediretur. pridie cal. decembris Philippus rex iubet ſacra Toſonij ordinis celebrari in templo diui Petri Vaſmeſtrenſi, quò conuenerunt omnes nobiles ordinis Grattieræ cum omnibus propè Britanniæ præſtantioribus proceribus. vbi poſt prandium frequentia comitia conueniſſent, imperat Philippus, & Arondelus ordinis Grattieræ magiſter cum nonnullis equitibus legatum ad palatium deducere, qui habitu Pontificio acceſſit, & cum Pontificijs inſignibus. huic obuiam rex, & paulopoſt regina procedit, quam mediam rex a ſiniſtra, Card. à dextera claudentes tabulatum regali apparatu inſtructum aſcendunt, ſub vmbelliſque ſedent. ſic comitiorum proceribus locus datus eſt, & aſſignatus cuique pro dignitate.

Tameſis fl.

Cardin. Polo bona oīa reſtituta.

Comitia de religione lōdini.

Decreta facta.

dignitate. vbi aſſediſſent omnes, paratiq; eſſent ad audiendum, Camalodunenſis vti ſcrinij regij magiſter regibus & legato aſſurgens, recitat idiomate Britānico, quę fuerant ſtatuta heſterna die in comitiis de obedientia pontifici præſtanda. percunctatur proceres comitiorum an nunc eadem cōfirmarent an vellent vt venia commiſſorum omnium nomine peteretur? an cuperent in fidem atq; amplexū ſanctæ Romanæ eccleſiæ admitti? cum ab omnibus fuiſſet acclamatum atq; applauſum, porrecta eſt regibus ſupplicationis formula, vt iis intercedentibus veniam conſequerentur. erat **Formula pęnitentię indi**
enim in illa perſcriptum quòd eos peniteret ſciſmatis, & quòd obedientiam ſanctæ Romanæ ſedi **cta Britānis.**
denegaſſent. quod veniam ſuppliciter peterēt à Deo ſibi per Romanum pontificem ſuum vicariū. quod promitterent & iam concederent vt omnes leges, ſtatuta, decreta contra primariam autoritatem eius ſedis antiquarentur, reſcinderentur, abrogarentur, & omnino tollerentur. qua formula publicè lecta Reges cōſurgentes veniam pro vniuerſis hominibus eius regni impetrātes ad ſedes ſuas redeunt. legatus formula conceſſę ſibi autoritatis publicè recitata mox perbenignè præſentes om **Legati oratio & formulæ executio.**
nes breuiter conſolatur, & in eadem ſententia confirmat. quòd plurima ſunt diuinæ clementiæ beneficia in Britannos, quibus non ſolùm conceſſum eſt vt primi omnium gentilium chriſtianam & catholicam fidem complexi ſint, & idolorum impurorum cultum, vanaſq; ceremonias reliquerint Deumque verum & viuum & omnipotentem coluerint; verum etiam vt poſt adulterinas religiones vbiq; ſcatentes primi omnium mortalium, qui his temporibus in eas incidiſſent, errores recognouerint, neq; diutius in illis perſtiterint. nam profectò vix eſſe humanæ facultatis non elabi aliquando vel in maximos errores, cum Petrus ille fidiſſimus Chriſti comes & vicarius, vt cęteros diuinos homines prætermittamus, neque præſente quidē Deo, cuius rebus admirabilibus & ſermonibus eruditus fuerat, incontaminatā innocentiam ſeruare potuerit. at eum virum bonum poſſe iudicari, qui vbi collapſus ſit, errores ſentit paulopoſt. hos tanquam acerrimos hoſtes ſalutis animę deuitat. certam legem in animo ſibi proponit pro viribus continentię & religionis incontaminatæ & vere iuſtitię ſeruādę. iudicandū eū dei eſſe amicū, qui eius miſericordia & clementia è tantis tenebris errorum, quantis Britanni tenebantur & opprimebantur, ſit reuocatus; cum eas tantas caligines diſpeſcere non ſit humanarū viriū ſine ope diuina. quod ſi tanta lætitia ſit in cęlis pro vna anima recuperata, quantum gaudium eſt exiſtimandum pro recuperatis tot millibus animarum Britannarum? his rationibus præſentium animi non mediocri repleti ſunt lætitia. quibus ita dictis Reges in genua procidunt, quod fit ab omnibus reliquis, tum legatus pro autoritate ſibi à ſummo Pont. Chriſti vicario conceſſa vniuerſos pręſentes & abſentes eius regni incolas abſoluit, liberat, redemit ab omni ſententia, cenſura, pęna in quam inciderant, eccleſiæque reſtituit, quod facit in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. his actis diſceditur ad Regis palatium cū multis muſicis inſtrumentis, atque hymnus decantatus eſt incipiens Te deum laudamus, omnibus abſolutis Philippus facit certiorem per literas Pont. de omni rerum ipſarum ſucceſſu, ad quem etiam card. literas huiuſ **Poli card. literæ ad Pōt.**
modi ſcribit. quæ ſuperioribus diebus ad S.V. ſcripſi de illa ſpe, quam ceperam fore breui vt hoc regnum ad eccleſiæ vnitatem & ſedis apoſtolicæ obedientiam rediret, etſi non ſine magna cauſa ſcripſi, non poteram tamen non in aliquo timore verſari. non ſolū ob eam difficultatem, quam afferebat noſtrorū hominum ab apoſtolica ſede abalienata voluntas, & inueteratum iam per tot annos eius nomine odiū, ſed multo magis quod verebar ne ingreſſus ipſe in cauſam aliqua minus honeſta pactione interpoſita turbaretur, quod quidem ne accideret vehementer egi cum Sereniſs. regibus. Sed nihil ſanè id neceſſe erat. vicit eorum pietas, ac rei perficiendæ ſtudium omnē expectationem meam vel maximā. hodie veſperi, quo die ſancti Andreæ memoria recolebatur, qui primus Petrum fratrē ad Chriſtum perduxit, diuina prouidentia factum eſt, vt hoc regnum ad præſtandam debitam Petri ſedi & S.V. obedientiā reuocaretur; quo per illā Chriſto capiti, & eius corpori, quæ eſt eccleſia, coniungeretur. acta verò & confecta res eſt in comitiis præſentibus regibus tanto ſtudio, tātoq; cū omniū applauſu, vt cum ego peroraſſem poſt benedictionem, ſtatim ab omnibus cum mirifica lætitię ſignificatione acclamatum ſæpius ſit, amen. ex quo planè perſpectum eſt in his ſanctū illud ſemen, etſi iamdiu oppreſſum, tamen non extinctum fuiſſe, quod vel maximè nobilitas declarat. hæc reuerſus domum ad S.V. ſcripſeram, vt ei de tanta re tanquam feliciter diuino conſilio geſta ſubitò gratularer, cogitans has literas regio tabellario dare, qui paulopoſt diſceſſurus dicebatur. poſtea verò mutata ſententia cum ſtatuiſſem certum hominem ex meis mittere, hoc tantum his literis addere volui ad gratulationis annulum, eiusq; lætitię gratulationem, quam cum maximam cepi ex ipſius rei euentu, omnium maximè tam ſanctæ, tam vtilis vniuerſę eccleſię, tā ſalubris huic patriæ, quæ me genuit, tā honorificę ei, quæ me excepit; tum verò non minorē ex ipſis regibus, & quorum virtute pietateq; id profectū eſt, atq; confectum. quàm multa & quanta poteſt eccleſia ſponſa Chriſti, & mater noſtra de his ſuis filiis polliceri ſibi. nā verè, vt dixit propheta, iſti ſunt ſemē, cui benedixit dominus. hæc plantatio domini ad gloriandum, quàm S.V. ſanctè omni ſtudio & autoritate huic matrimonio fauit, quod ſanè videtur præ ſe ferre magnam ſummi illius regis ſimilitudinē, qui mundi hęres a regalibus ſedibus à patre dimiſſus eſt, vt eſſet virginis ſponſus & filius, & hac ratione vniuerſum genus humanum conſolaretur. Sic n. rex ipſe maximus omniū qui in terris ſunt hęres, patris relictis regnis & illis quidem maximis, in hoc paruum regnum ſe contulit, huius virginis ſponſus & filius factus eſt. (nam ſe maritum & filium gerit.) vt quod iam planè perfecit ſequeſtrem ſe atq; adiutorem ad reconciliandum Chriſto & eius corpori, quod eſt eccleſia, hunc populū præberet. quæ cum ita ſint, quid tandem non ipſi eccleſię matri ab eo expectandum eſt, qui id fecit, vt cōuertat corda patrū in filios, & incredulos ad prudētiā iuſtorū? atq; hæc virtus ſanè elucet. hæc verò regina q̄ cū S.V. me ad eā legauit, tanquā virgula illa fumi ex arboribus myrrhę & thuris è de-

ſerto aſcendebat, ipſa paulo ante ab omnibus derelicta, quam nunc ſplendet? qualem iam myrrhæ & thuris odorem ſuis effundit? quæ, vt de Chriſti matre ait propheta, antequam parturiret peperit; antequam veniret partus eius, peperit maſculum. quis vnquam audiuit tale? quis vidit huic ſimile? nunquid parturiet terra die vna, aut parietur gens ſimul? hæc verò gentem totam nunc peperit antequam eum partum ediderit, cuius in ſpe maxima ſumus. quanta nobis gratulandi cauſa datur. quanta gratias agendi diuinę miſericordię. S. V. & Cęſ. M. qui autores tam felicis, tamq; pij coniugij fuiſtis, per quod nos Deo patri & Chriſto eccleſiæ reconciliati coniungimur. hoc vnum reliquum eſt, vt S. V. gaudium & ſimul vniuerſę eccleſiæ cumulari precemur, quę Deum pro ſuis filijs orare non deſinit. Deus opt. max. S. V. diu eccleſię ſuę conſeruet. Londini pridie cal. decēbris 1554. V. S. humillimus ſeruus Reginaldus Cardinalis Polus. his literis Romam allatis ad Pōtificem omnes incredibili lætitia capiūtur. edita ſunt vbique ingentis lætitiæ ſigna: ſiquidem inaudita ignium multitudo accenſa eſt. diſploſa tormenta complura. decretę ſupplicationes pro actione gratiarum. pontifex ipſe die proximo ſacra celebrauit ad altare diui Petri, & cum rediretur in palatium, multa proiecta eſt pecunia, nemoq; erat quin ſummopere gauderet tot animas, quæ perierant, ad veram ſalutem diuina miſericordia fuiſſe reuocatas. ſub idem tempus Sigiſmundus rex Sarmatarum ac Polonorum cum Ferdinandi Romanorum regis filiam in matrimonium accipere recuſaſſet, cuiuſdam matronę nobilis ſubditę amore captus contra Bonæ matris non modo conſiliū, ſed etiam voluntatem, illam ducit vxorem ac nuptias celebrat; quare mater diuturnam indignationem aduerſus illum ſeruauit, quod etiam proceres eius regni indigniſsimè tulerunt. ſed cum grauiſsimus morbus non ſine aliqua veneni ſuſpicione nouam reginam repente inuaſiſſet, ex quo ſuū diem obiit, omnes eius regni diſcordię & contentiones atque odia deferbuerunt.

Sigiſmūdus rex Polonus priuatā ducit vxorem.

*LIBRI OCTAVI FINIS.*

NATALIS

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS,

## *LIBER NONVS.*

INimvero præclarum dictum eſt illud antiquorum ſapientum, qui hiſtoriam quaſi viuam quandam picturam eſſe tradiderunt; quod ambæ res geſtas ad imitandum ante oculos poſterorum proponere nitantur. eſt enim hiſtoria fulcimentum lapſuræ alioquin memoriæ inſignium virtutum, nũtia fortitudinis, præconium temperantiæ, atque iuſtitiæ illorum, qui pro religione, pro patria, pro virorum bonorum ſalute, pro omnium incolumitate ſe periculis deuouerunt. hoſtium armis intrepidè ſe pro æquitate obtulerunt. pro amicis, pro viris bonis, pro patria, pro laribus, pro coniunctis omnia pericula fortiter contempſerunt. nam hac adempta quaſi lumen ex humana vita ereptum iure videri poſſet. Quid enim eſſet in vita hominum magnopere expetendum, ſi laus & gloria, quód eſt vnicum præmium virtutis, ſtatim poſt hominum preſentium memoriam de medio tollatur? tamen hoc habet difficultatis hiſtoria, quòd ea res geſtas diſperſas ſeruans temporum & rerum ſeriem paulatim explicat, at pictura omnia vno tempore ſub oculos aſpectumque ſubiicit, mirificeque non ſolùm rerum ipſarum conſpectu geſtarum delectat, verum etiam varietate colorum & fluuiorum, montiumq; mirabilitate ac ſitu, in quo res geſtæ eſſe dicantur. has igitur ambas facultates meritò quis dixerit tanquam ſorores vno eodemque fonte gigni, cum idem etiam ambarum ſit finis propoſitis rebus geſtis clarorum virorum poſteros ad imitationem adhortari, propoſitis gloriȩ & virtutum laudatiſſimis exemplis. quã obrem qui neque hiſtoriæ, neque picturæ ſtudio & admiratione capitur, vtraque enim propè æquè delectat, hunc planè ruſticum & virtutum inimicum rectè iudicare licet, & animam propè ſepultam in corpore alicuius bruti, vel errans ſepulcrum ad hominis ſimulacrum fabrefactum.

Inierat iam annus à partu Virginis quintus ſupra mille quingentos, & quinquaginta, cum Ioannes Figarola præfectus Inſubrum, ſicuti diximus, in vrbe Caſali conuiuijs, & comeſſationibus ac tripudiis indulgens, ea eſt vrbs Inſubrum non procul ab vrbe Placentia, vt aſſolet vulgus ſub finem carnispriuii ita ocioſus erat ac ſi priuatus eſſet, neque tantis rebus ſibi eſſet inuigilandum. nam qui propinquos habeat hoſtes, qúo pacto ſomniculoſus ſine ſuſpicione ignauiæ eſſe poſſit? præſertim ſi omnium negotiorum cura eius humeris vnius incumbat. nam ita propẽſum eſſe magis ad libidinem, luxum, comeſſationes, proprium eſt ebrioſorum, ſcurrarum, & in popinis verſantium, qui his, quam illis temporibus, magis licitum eſſe ſibi arbitrantur ad omnem intemperãtiam deferri, cum vir ſapiens aut ſemper ſit, aut nunquam ſapiat verè. nam quanta ſit virtus egregiorum ducum & militum ſolertia Figarola non intelligens vix fieri poſſe arbitrabatur vt Briſacius vir ſingulari fortitudine, induſtria, multaque peritia rei militaris tam difficile negotium aggrederetur, vt repentino conatu vrbem illam Caſale munitiſſimam, & amplam adoriretur: quamobrem neque ipſe, neque comes Valentianus vrbis præfectus præſente ipſo Figarola eas cuſtodias, eamque vigilantiam adhibebat, quæ tantæ vrbi, tam opportuno loco, tam propinquis, tamq; potentibus hoſtibus erant neceſſariæ. Briſacius vel ab ipſis Caſalenſibus certior factus de illis omnibus, quæ in vrbe agebantur, & de negligentia præfectorũ, propterea quòd cuperent grauitate tributorũ liberari, quæ in aſſiduos vſus ſumptusq; bellorũ tot annos iam in tam diuerſa Cæſaris bella erogare cogebãtur; quorũ malorũ nullus etiã futurus, niſi deſolatis & ſpoliatis prorſus omnibus bonis apparebat finis, cum ſexaginta lectiſſimis ex omni numero peditibus Biragos & Vimercatos eò mittit

Historia q̃d ſit.

1555

Caſale maius vrbs capta à Briſacio.

illi circiter horam noctis quintam Caſale Maius profecti, ſentiunt non minus vigilias, quàm ipſos duces & cæteros milites vino ac ſomno ſepultos iacere, opportunitatemque hoſtibus, quæ cuperent faciendi, inſignem reliquiſſe. Galli illorum auxilio & opera, qui ſtudebant Gallicis partibus clam per foſſas vrbis profecti ſcalarum tumultuariò factarum beneficio nemine prorſus ſentiente mœnia conſcendunt, atque vigiliis deſtinatos primum omnium trucidant. ſed quoniam non ea nocte tantum, ſed multos iam dies cognita hoſtibus eſſe cœperat præfectorum Cæſarianorum negligentia, Galli rem iampridem ita intexuerant, vt nonnulli milites, qui erant non pauciores ſexcentis, agreſti habitu induti clam per diem vrbem ingreſſi paulatim intra domos quaſdam ſe reciperent illa de cauſa à nonnullis ciuibus conductas, vt ibi clam laterent expectantes aduentum cæterarum copiarum, & opportunitatem rei aggrediendæ. Illi, qui nuper ingreſſi fuerant, per noctem domos latentium militum adeunt. paratos ad inuadendam vrbem euocant. illis adiunctis per vniuerſam vrbem diſcurrunt. Cæſarianis tantam trepidationem iniiciunt, vt cum ijs non auderent vrbani ſeſe coniungere, cum interea obuij quique armati trucidarentur. vbi primum acceptum eſt ſignum aduentus Gallorum, porta illa vrbis, quæ aptior viſa eſt ad intromittenda ſubſidia, occupatur. tum à diſcurrentibus Gallis per vrbem Gallico nomine conclamato cuncta repleta ſunt trepidatione & metu. Figarolæ & vrbis præfecto vix ſatis temporis fuit vt poſſent in arcem ſe recipere, quia Briſacius cum multo equitatu ac peditatu accedens omnem ſpem defenſionis Cæſarianis ademit. Germani, qui erant in præſidijs, ad ingentem ſtrepitum, trepidationemq́; ciuitatis experrecti ſeſe in forum recipiunt. ibi plateam tueri conantur. ſtrenuè ſe defendunt. nã profectò Ioãnes Baptiſta Lodronius illorum Germanorum præfectus, quia intelligeret per quantam incuriam, ſocordiam, negligentiam, quanta cum infamia vrbs illa amitteretur, quæ munitiſſimum eſſet propugnaculum Mediolanenſis principatus, decreuerat ſatius ſibi eſſe fortiter cadere, quàm tantæ negligentiæ poſſe argui, ſi Gallos eijcere non poſſet, aut cum tanta infamia inter milites in poſterum verſari. ibi cum impetum Gallorum diutius ſuſtinuiſſet grauiter vulneratur, atque ipſo mortuo omnibus Germanis ſpes ſalutis prorſus excidit, quod eo magis efficiebatur, quia ſemper ſuccreſceret hoſtium numerus, ac ſuorum minueretur. idcirco coacti ſunt in arcem ſe recipere, atque vrbem Gallis victoribus relinquere. Galli nullum tempus amittendum rati captis vrbanis tormentis & adiunctis ſuis, quæ fuerant noctu attracta hoc ipſo conſilio, arcem acerrimè decem & ſeptem muralibus concutiunt, atq; ita vt diſrupta ſint mœnia, murusque tanto hiatu apertus ad ingreſſum vt Figarola & præfectus vrbis Valentianus nulla ſubſidia ſperantes, ac de propria ſalute dubij, ex ea parte quæ Padum proſpectat ſeſe per noctis obſcuritatem è mœnibus demiſerint. in Aſtam vrbem, atque inde Alexandriam Paleariam ſeruarint. Galli cum nemo Cæſarianorum opem ferre poſſet, obſeſſis tam repente Germanis, intra octo dierum ſpatium arce etiam potiuntur. illam iacturam tam turpem fertur grauiſſimè tuliſſe Cæſar, quare decernit vt Albanus cum ſummo imperio rerum Cæſarianarum veniret in Italiam vel hac vna de cauſa, vt Caſale tam negligenter amiſſum, & cætera caſtella atque vrbes, quæ in poteſtatem Gallorum veniſſent in ſubalpina Gallia, ſingulari diligentia & virtute recuperaret, omnemque priſtinam turpitudinis notam per ſummam vigilantiam ablueret. tanta verò, tamque ampla poteſtas, & autoritas conceſſa eſt Albano Duci, quanta nulli vnquam ante id tempus ſummo Cæſaris duci concedi conſueuerat. at Albanus vbi primum deſignatus eſt Cæſaris imperator in Italiam, mittit literas ad multos tribunos militum. iubet nouos haberi vbique delectus. imperat colligi nouum equitatum ac peditatum, monet inſtrui tormenta bellica ſiquid vetuſtate & ſenio labefactatum ſit; quæ paſſim in vijs Mediolani videbantur ſuper rotis nuper inſtructa. quotidie cenſebantur nouæ cohortes. conueniebant equitum vexilla. tanta erat tormentorum copia, tanti, tam frequentes, tam diligentes, tam incredibiles vbique bellici apparatus, vt Galli his auditis mirum in modum trepidare viderentur, locumque præ ingenti metu proſpectare ad fugam, & ad latebras. nam profectò tantus erat, tam celebris, tam formidabilis horum apparatum rumor, vt omnia Briſacij præſidia non mediocri trepidatione repleta ſint, & perterrita, atque Briſacius ipſe non nihil aduentum Albani pertimeſcens, quaſi pœnitentia captus capti Caſalis ſeſe in oppida munitiſſima receperit, omneſque ſuos eò contraxerit, & quaſi ad ſacram anchoram confugiens extrema oppida munierit in ſuis finibus, vt ibi ſe aduerſus tantas vires inſurgentes protegeret. inter oppida, quæ munitiſſima, & defenſioni opportuniſſima viſa ſunt, fuit oppidum Sancti Iacobi vocatum non procul ab vrbe Caſali & Vercellis, in quo oppido duo millia peditum lectiſſimorum collocat in præſidiis præfecto Bernardino Vimercato, & Ludouico Birago ſtrenuis ſanè & intrepidis ducibus, egregieque rerum bellicarum peritis. quæ dum vtrinque parantur ad pugnam, & ad defenſionem in Gallia ſubalpina in Albani aduentum, Sena multiplicatis munitionibus magis, magiſque quotidie ſic obſidione premebatur, vt mira eſſet omnium rerum victui neceſſariarum penuria. Sollicitabantur autem Senenſes, monebanturque per literas Ducis Hetruriæ, vt ſe Cæſari dederent. ne expectarent acerbitatem victoriæ, quæ vel moderatiſſima valde ſolet eſſe inſolens. præſtare ſe arbitrio legum, & temperantiſſimi, clementiſſimique principis committere, quàm in poteſtatem immanium militum victorum per vim deuenire. tantus erat tamen conſeruandæ priſtinæ libertatis ardor, vt, quamuis vel ipſe Senenſium legationes ad hoc ipſum eos adhortarentur, quæ miſſæ fuerant in Britanniam, & quæ apud Pontificem erant, cum nihil placidum aut pacatum ſentirent Senenſibus vbique, pontifice præſertim per ea conſilia, quæ diximus, Cæſarianis partibus fauente, nihil omnino proficerent. cum mallent omnem prorſus calamitatem, omniaque vel grauiſſima perferre, quam libertatem ſponte per deditionem amittere, quam tantis,

tam

**Stratagema.**

Albani apparatus magni ſummi ducis Mediolanũ aduenientis.

Briſacius copias in loca munita contrahit.

tam aſperis, tam diuturnis laboribus & ſumptibus defenderant. Marinianius cum tam obſtinatos eſſe defenſores intelligeret, noua tormenta imperat attrahi Flotentia, atq; ad eam partē murorum dirigit, quam Pius ſecundus Pontifex reficiendā curauerat, quod illam putaret debiliorē. ſed cū tanta eſſet Senenſium diligentia inſtaurandis reparationibus aduerſus ruinas, quantum eſſet ſtudiū adhibitum muris deijciendis, omnem ſe operam ludere breui ſentit. quamobrem neceſſe ſit ab incępto deſiſtere. videbat enim futurum ſi ex ea parte vrbem expugnare tentaſſet, vt cū parua clade Senenſiū, & cum maxima ſuorum iactura a ciuibus, præſidijsq; Senenſibus repelleretur. eſt enim difficillima vrbs expugnatu, quæ diutius bello ſit aſſueta, quod ciues fortitudini aſſueſcunt, & ordinibus militaribus, neq; ita facile implentur trepidatione, vt faciunt tyrones, & qui nulla bella ſenſerunt. nam nihil eſt quod magis excitet virtutem, quàm ærumnæ & incommoda ac difficultates. cū eſſet perſpectum Senam iam propè victam nulla vi armorum vinci poſſe, Marinianius omnia ſua conſilia ad aliam pugnandi rationem, eamque multo ſibi tutiorem conuertit. quod enim virtute rei militaris & armis inſuperabiles eſſe cognouerat, vt diuturna obſidione necaret, aut in deditionē compelleret, pluribus ac tam crebris munitionibus obſtringere cogitat, vt nulla prorſus annonæ, aut eduliorum copia vrbem ingredi poſſet. Strozza cum animaduerteret Marinianij conſilia quò ſpectarent, vrbemq; cognoſceret non multis præſidijs egere, quippe quam popularia arma & poſſent & conſueuiſſent protegere, inbet Moluchium regulum & Cornelium Bentiuolium ſeptingētos Germanos, & multos è Senenſibus rebus bellicis inutiles ad mōtem Alcinoi ad ſe mittere, quo vrbs etiam multò magis leuaretur, neq; abſumeretur tanta annonæ copia. Hi quamuis magno ſilentio per obſcuriſſimā noctem iter capiunt, tamen Cæſarianas vigilias latere non potuerunt, quæ hos in acie procedentes inuadunt. Germani ac Senenſes ne omnia in periculo vno tempore poſita eſſent, duxerunt præſtare vt impedimenta relinquerent, quo expeditiores pugnarent, quare ad auroram vſq; ex itinere ſemper certantes permultos trucidarunt è Cæſarianis, at ex ipſis pauci ſunt deſiderati. ad montē Alcinoi deniq; profecti liberaliter a Strozza excipiuntur, atq; alii ibi manſerunt è Senenſibus, alii Cluſium, alij Roſetum miſſi ſunt. Sena quamuis videbatur aliquantulū reſpiraſſe horum diſceſſu, atq; poſſe diutius obſidionem perferre, tamen cum annonæ penuria paulo poſt in dies ſuccreſceret, efficiebatur vt maximum eſſet precium rerum ſingularum, quare agreſtes homines partim obſeſſorum miſericordia commoti, partim ſpe lucri allecti, (vix enim vllus eſt ſtimulus acutior auro ad pericula,) vel per omnes difficultates, capitisq; diſcrimen ad commeatum in vrbē importandum penetrant. Marinianius, vt erat feroci ingenio ſingulariq; & propè inaudita crudelitate vniuerſam belli rabiem indignationemq; ſuam in agreſtes conuertit. atq; vt probabilem haberet cauſam in eos ſęuiendi, crudele proponit edictum per præconē ſub pęna ſuſpendii, nequis commeatum aut aliquod eduliorū genus Senenſibus in vrbem importaret. hiſce tot difficultatibus Sena circumuenta obſidionem deniq; diutius ferre non poteſt, quippe cum Marinianius plures quinque millibus hominum agreſtium cuiuſuis ætatis ac ſexus pro ſua innata feritate de proximis arboribus ſuſpendi iuſſiſſet, ita vt nulla eſſet propè arbor homicidii neſcia, cum multos quoque ipſe ſua manu trucidaſſet, aut malleo ferreo acuto, quem ad claudicationis fulcimentum geſtabat, confodiſſet. Iſtud quamuis ratio bellica pati quodammodo apparebat, tamen vir planè barbara inſmanitate, & plus quàm ferat nobilitas Itala animorum, aliqua ratione moderationem recipere potuit. Illa feritas cum in nemine laudabilis ſit, tum multò magis eſt execranda in excellentibus ingeniis, niſi ita non modo ferat ſed cogat etiam ius bellorum. nam tametſi ita poſtulat ratio rei militaris aliquando vt ad cæteros deterrendos ſæuiatur in eos, qui commeatus ferunt hoſtibus, & obſeſſis, tamen nulla ratio cogit ſummum ipſum imperatorem vt ipſe ſuis manibus homines trucidet, humanoque ſanguine ſuas manus polluat, niſi cum in pugna illud contigerit, aut cum in itinere ordo ab aliquo deſeritur, in quem nullæ apud Italas gentes leges latæ ſunt, ad reliquos metu ſuppliciciorum deterrendos ne ex acie diſcedant. dum ita ſæuitur in agreſtes in Thuſcia, Senaque arctius obſidetur, comitia indicta fuerant Auguſtam Cæſaris iuſſu, quibus cum propter valetudinem ipſe adeſſe non poſſet. vbi conueniſſent proceres Germani, rogat Ferdinandum fratrem accedere. eò profectus Ferdinandus quia conſilium deſideriumque Cæſaris cognouerat, proponit quantum vtilitatis in omnem non modo Germaniam, ſed etiam chriſtianum nomen, quantunque lætitiæ eſſet redundaturum, ſi Germania eccleſiæ Romanæ reconciliaretur. demonſtrat ſibi nihil gratius contingere poſſe. nihil magis ſpectare ad pacem & tranquillitatem, quam ſi omnes de religione controuerſiæ vniuerſarum gentium chriſtiani nominis ad ſynodum deferantur, quæ indicta fuerat Tridentum à Paulo Tertio Pontifice Maximo, & à Iulio Tertio confirmata, quæ propter iniquitatem temporum, variarumque moleſtiarum perturbationes, haberi non potuerat. Vnam autem, eamque maximam fuiſſe cauſam rei turbandæ, quod ipſi noluiſſent conuenire, atque hoc iure ab ipſis deſiderati debere, vt tot, tam variæ, tam inter ſe contrariæ, & repugnantes ſententiæ tollerentur. decretum eſt in illis comitiis præſente ſacro antiſtite purpurato Morono, quem Iulius Tertius Pontifex adeſse noluit legatum, nequis religionis cauſa aduerſus quempiam bellum ſuſciperet. Ne catholici aut Auguſtanę confeſſionis obſeruatores vllam vim ſibi inuicem inferrent, ſed omnibus ſua relinqueretur opinio, donec in vniuerſorum Chriſtianorum ſynodo de his decretum fuerit. ne Cæſar aut Ferdinandus quempiam infeſtarent huius confeſſionis cauſa. Vt omnes hæreſes, quę cum neutra religione conſentirent, exterminentur, penituſque euellantur. Vt ſi quis antiſtites ſuam religionem deſerens in alienam diuerſamq; tranſeat priſtinam dignitatem priſtinæ eccleſiæ relinquat cum omnibus vtilitatibus & prouentibus, cuius in locum vir bonus ab ipſis ſacer-

Sena concutitur.

Marinianij ingeniū crudele.

Auguſtana comitia de religione.

Auguſtana decreta.

dotibus eligatur. nequis in alteram religionem quempiam cogat, aut ſubditum alterius poteſtati protegat,ſed ſua libera omnibus relinquantur. hiſce rebus ita inſtitutis nuntiatur Iulius Tertius Pont. Max.ad nonum cal. aprilis fatis cõceſſiſſe,quare illa comitia poſt facta decreta diſſoluta ſunt. Romæ contra poſt celebratas de more exequias inſtabat comitiorum creandi noui pontificis cura, atque per multas patrum purpuratorum, diuerſasque ſententias,quinquaginta & ſeptem dies fuit interregnum, cum alij alium pro ſuis commodis mallent. at Strozza, quia pontifex propter ſpem, quam conceperat de ſuorum commodis affinium, quia vnus ex iis fuiſſet, qui Senenſium libertatem opprimere ſumma ope nitebantur, hoſtileſque copias & annona & viribus militum & omni auxiliorum genere iuuiſſet, Cæſarianaſque partes & Mediceas plurimum fouiſſet, poſt eius pont. mortem venit in magnam ſpem Senæ liberandæ. dedit etiam literas ad Henricum regem ſpei & fiduciæ plenas, quibus continebatur non paruum fundamentum conſiliorum hoſtilium concidiſſe, cum is deceſſiſſet,qui propter propinquitatem regionis facile poterat cuicunque collibuiſſet victoriam concedere. futurum enim vt hoſtilis exercitus, niſi pontificia annona ſubleuetur, breui laboret rerum omnium inopia,ac cito diſſoluatur. pollicetur ſe vrbem Senam eſſe liberaturum, ſi ſibi data ſit facultas colligendi ſaltem ſeptem millia peditum, ac mille equites. hoc ſi permittatur, ſe duo vno tempore ait conſecuturum, vt & copiæ hoſtiles ab vrbe reuocentur, & purpurati antiſtites excitentur ad eligendum nouum Pont. quem maximè velle Henricum ipſum arbitrarentur. Henricus cum magna inopia rei pecuniariæ laboraret ob diuturnos bellorum ſumptus in agro Senenſi, in Gallia ſubalpina, in finibus Belgarum,eſſetque regium ærarium plurimũ exinanitum ac propè exhauſtum, cum hoſtes etiam haberet prępotentes & abundantes omnibus rebus neceſſariis; cum Dux Hetruriæ non ſolùm multum haberet equitatum ac peditatum, ſed etiam tantundem poſſet augere copias, quantum ipſe auxiſſet,Strozzę conſilium vt vanum & illi negotio inutile reiicit, erat enim Henricus vir creditus ſapiens,nulliuſque magni negotii ignarus,vt ſub rege pręſtantiſſimo Franciſco educatus, atque in rebus agendis perſpicax & impiger. tamen vt aliquo pacto animos hoſtium ſuſpenſos teneret, quia deceſſiſſet Pontifex Duci Hetrurię coniunctus, iubet duo millia peditum conſcribi, vt negotium ad nouum pontificem vſque protraheretur. denique poſt multas controuerſias ad decimum tertium Cal. Iunii Marcellus Ceruinę familię Card. tituli Sanctæ Crucis ciuis montis Politiani præter omnium expectationem pontifex creatur, vocaturq; Marcellus ſecundus,vir ſanctitate vitæ, integritate, prudentia, diſciplinarum cognitione præſtans cum incredibili omnium eorum,qui probitatem hominis cognouerant,lætitia. non enim per affinitates aut pollicitationes aut ambitum vt pleriq; ad tantum dignitatis faſtigium fuerat prouectus; ſed cum humili loco natus eſſet,per ſingularem virtutem & innocentiam,& ſpem reformandi ordinis eccleſiaſtici,cum deprauata tempora nihil aliud,quàm moderatum & ſapientem morum cenſorẽ atq; moderatorẽ requirerẽt eo peruenerat. hic,vbi coronaretur, noluit põpas vllas fieri in arce diui Angeli, ſed vniuerſos ſumptus inopibus vtilius diſtribuẽdos cenſuit. Cæſariani interea nihil de obſtinatione remittentes quotidie magis vrgebant. at Senenſiũ præſidia in dies fieri debiliora non ſolũ milites,ſed etiam ciues victus inopia defatigati & afflicti fuga ſibi ſalutem quærere. miſſæ ſunt ad nouum pontificem legationes Senenſium,quæ tantarum calamitatum aliquem exitum procurarent. Sed potius miſericordiæ quàm auxilij plenum reſponſum reportarunt, cum pontifex nouus eſſet adhuc,& nondum ſatis ſtabilitus. miſſæ ſunt idcirco legationes ad ducem Hetruriæ cum res protraheretur,neque Senenſes poſſent diuturniorem obſidionem,inediamq; perferre, ac multi ob famem profugerent,vt hiſce conditionibus vrbs Cæſari dederetur; vt illis libertas ſeruaretur inuiolata. vt eodem die commeatus in vrbem immitteretur. vt ciuium facultates eſſent tutæ; neq; vrbs pateret militum direptionibus ac rapinis. Enimuero cum honorificentiſſimas cõditiones paulo ante contempſiſſent,nunc deniq; in liberam facultatem, arbitriumque hoſtium veniunt. Coſmus enim paulo ante Hieronymo Bandinello, Scipioni Ghiſo,Hieronymo Maleuolto, Alexãdro Gulielmo legationibus Senenſibus conditiones huiuſmodi obtulerat, quod Cæſar protegendam vrbem atque remp. Senenſem acciperet in tutelam ſacri Romani imperij, ac denuo eidem vrbi ac reip. libertatem antiquam confirmaret. quod Cæſar veniam omnibus concederet,qui arma pro defenſione ſumpſiſſent,exceptis rebellibus Neapolitanis aut regnorum,& principatuum Cæſaris, regni Britanniæ,& ducis Hetruriæ. quod Senenſibus vel perduellionis crimen condonaretur,quibus intelligerentur ſeruatæ dignitates, honores, facultates, & bona mobilia atque ſtabilia,& omnia iura ac rationes,præter illa,quæ direpta hactenus fuiſſent à militibus. Vt liceret ciuibus, & colonis cum familiis pro arbitrio diſcedere ac redire,à quibus nulli bellorum ſumptus exigi aut peti poſſent. Captiuis verò maximè redemptionis precium minueretur. Vt reſp. præſidia acciperet quanta & cuius nationis Cæſari placuiſſet,opportunumque viſum fuerit ad vrbis conſeruationem. oppidulum ne fiat ſine Senenſium conſenſu & reip. ſed potius munitiones abſoluto bello,vel etiam ante finem deuaſtentur,funditusq; euertantur. Vt Cæſar ad quietem tranquillitatemq; reip. ſeruata tamen autoritate ac libertate ciuitatis, poſſit illam ad eam formam adminiſtrationis perducere, quæ ſibi aptior viſa fuerit: ita tamen vt magiſtratus Senenſes ſtabiles atq; immutabiles participes ſint illorum magiſtratuum,ordinumq; nouorum. Vt in ea reformatione & populi princeps,& Baliæ ſeu dominorum vocatus magiſtratus perſiſtat,habeaturq; ratio priuilegiorum, prouentuum caſtellorumq; ipſius reip. vti cõferre videbitur,ſaluis ſemper rationibus ſacri imperij Romani. Vt omnes duces,magiſtratus,milites cuiuſuis ordinis ac nationis Henrici regis excedere liberè poſſint, præter rebelles prędictorum regnorum,vexillis ad profectionem explicatis cum armis, pecunia, impedimentis: quibus liber tranſitus ac tutus vbiq; cõcedatur. Vt confirmatis conditionibus fœderatio cõponatur

Iulij Tertij Pont. mors.

Strozzæ ſpes de Sena libe randa.

Marcellus Coruinus ſecundus Põt. creatus, & fortuna.

Senę deditionis conditiones.

Cõditiones oblatæ à Florentię duce deditionis Senenſis, at nõ acceptæ.

ponatur

ponatur inter eã remp. & Hetruriæ Ducem pro ratione temporum, ſicuti vtriſq; viſum fuerit, atque hæ conditiones, ſi intra octo dierum ſpatium ſtabilirentur ab ipſa rep. ratæ firmæ ac ſtabiles eſſe intelligerentur. Sed ipſo ſpatio temporis fruſtra delapſo, neq; factæ neque oblatæ intelligantur, quæ datæ ſunt quarto non. Aprilis. hæ, cum tantum eſſet conſeruandæ integrę priſtinæ libertatis deſideriũ minimè ſunt acceptæ. at paulo poſt ad eas, quas diximus, deteriores deuenire neceſſe fuit. nam illis ſeſe in poteſtatem Cæſaris denique dediderunt, cum tot labores pro libertate pertuliſſent quam primum neq; tantilli quidem faciendam cognouerant. Sic enim plerunque fit, vt, quæ nobis adſunt, faciamus parui, at cum erepta ſunt, miro teneamur illorum deſiderio. Senenſes poſtmodo cum intellexiſſent id, quod minime noluiſſent, vrbem in poteſtatẽ Ducis Hetruriæ venire de Cæſaris conſenſu, ita ſunt animo cõſternati & perculſi, vt omnis ætatis homines relicta patria & paternis domibus, auitiſq; laribus vna cum Gallicis præſidiis exiuerint. quippe cum natiua quædã æmulatio & maleuolentia eſſet iam multos annos inter Senenſes & Florentinos. Cæterum exeuntibus iis, Senam ingrediuntur duo Hiſpanorum millia atque multus commeatus inuectus eſt, vrbsq; validis præſidiis munita. atqui miſerrimum eſt vbi quis patriæ honores guſtauerit in eam fortunam incidere, vt honores magiſtratusq; omnes in perpetuum amittat, cum præſertim dulciſſimum libertatis fructum à maioribus in manus traditæ guſtauerit; tamen multò miſerius eſt carere ſapientia, quæ ſola eſt vera libertas, & inexpugnabile propugnaculum aduerſus omnes fortunæ iniurias, cum illa faciat vt omnia proſpera, & omnes fortunę mutationes æquo animo ferantur. præclarè igitur dictum eſt ab antiquis ſapientibus rerum omnium præſentium ſtatum eſſe aleæ perſimilem iactum taxillorum nimirum eſſe in arbitrio fortunæ, at eſſe prudentiæ mortalium quicunque contigerit iactus quam ſapientiſſimè vtiliſſimeque vti. nam profecto multa fuerunt quæ potuerunt Senenſes cohortari vt eam calamitatem leniter perferrent, ſed illa in primis, quòd illud malum non redundaret in filios, qui vbi non guſtauerint honores patrios, multò facilius ferent exterorum imperium. quòd apud quoſque principes manet quædam reip. forma neceſſario, quia non antiquioribus aut recentioribus familiis, ſed præſtantioribus virtute ciuibus magiſtratus deferuntur, cum principes ipſi non minus quam reſp. viris bonis & peritis indigeant, qui præſint ciuitatum adminiſtrationibus ac rebus militaribus. nam pręclarè agitur cum ſapientiores imperant, imperitiq; coguntur melioribus parere. quare ſi Senenſes ſapientioribus viris, & bonis, & ſpectatæ virtutis magiſtratus detuliſſent, nulla vel certè parua habita ratione familiarum aut affinitatum, pluſq; apud illos æquitatis iura, quam res priuata valuiſſet, & patriam, & honores, & libertatem, & facultates vno tempore ſeruaſſent, quando nemo fit inimicus viro bono ac ſapienti. Sed cum multæ iniuriæ impune cõmitterentur, multæq; inde ſuccreſcerent inimicitiæ, ad eas conſultò conniuentes Senenſium magiſtratus, iudicanteſq; legum & iudicationum imperiti, & dei vindictam & arma mortalium denique in ſeipſos conuerterunt. Illud non mediocre ſolatium prudentibus in tantis moleſtiis occurrebat, quod erant futuri ſub eius principis tutela, cuius neq; prudentiam neq; iuſtitiam in publicis priuatiſq; rebus neq; hoſtes quidem auderent reprehendere. hanc præcipuè ſententiam conceperunt populares a nobiliorum tyrannide liberati, ad quorum calamitates quidam per iocum alludentes, hęc carmina compoſuerunt. Calamitatũ Senenſiũ cauſæ.

*Leno Diegus erat Senæ, ſed Cæſar amator.*
*Hanc ad amatorem dum violentus agit,*
*Fugit ad Henrici virgo indignata petentis*
*Blanditias, Galli deinde fouetur ope.*
*Hanc cupit, hanc perit, impatiens fit Cæſar amorum.*
*Mittit ad hanc Medices protinus inde ducem.*
*Nititur is ferro morbum depellere & igni.*
*At Medica multò plus valet arte malum.*
*Additur huic tenuis victus, tenuiſq; diæta.*
*Exanguis, pallens, & macilenta fit hæc.*
*Deformem ſenſit Cæſar, pertæſus amorum*
*Hanc donat Coſmo, reddidit ille decus.*

Illud tamen non facile dixerim an Cæſar ipſe ab omni prorſus accuſatione liber eſſe poſſit, qui cũ initio tantarum contentionum facillima remedia poſſet adhibere auditis Senenſium legationibus & querelis, maluerit eo rem deduci, vt cum totius Hetrurię periculo omnibus Italis & variarũ nationum armis confligeretur, multęq; vrbes Italę ferro flammiſq; vaſtarentur, oppida florentiſſima funditus euerterentur; quàm tot malorum ſuccreſcentia ſemina ſupprimere. Nobiliores igitur Senenſes cum pręfecto populari imperio Mario Bandino ad montem Alcinoi profecti perbenignè a Strozza excipiuntur, quorum alii rurſus Cluſium, alii Roſetũ miſſi ſunt. pręſtantiores tamen manſerunt in oppido montis Alcinoi, vbi noua reſp. cum omnibus prioribus magiſtratibus, & miniſtris & inſignibus ipſorum magiſtratuum creata eſt, & cum inſtitutis, priuilegiis, autoritate, & gradibus honorum, quibus Sena vtebatur. Tum veterem Baliam, quaſi vetus imperium nominarunt eã mõtis Alcinoi, cum Senenſem vocarent nouam, cui titulos & autoritatem omnem pro viribus ademerunt & antiquarunt. Pontifex nouus interea, quem cum tanta omnium populorum lętitia & expectatione ad ſummum dignitatis gradum diuina potius, quam humana opera prouectũ fuiſſe oſtendimus, cępit grauiſſima valetudine laborare. atq; cum principes nonnulli gratulatum, & ad exoſculandum pedem acceſſiſſent, veritus ne illos parui facere videretur, ſi non admiſiſſet, inter quos fuerunt Ferrarienſis & Vrbinas duces, & gratulantes hilari vultu excepit, & breui ac graui oratione reſpondit.

Florentino duci data à Cæſare.

Nobiliores Senas relin-

ſpondit. Sed tamen paulopoſt ſyncope correptus delabente acerbiſſimo catarrho viſus eſt primū dormire vel ipſis medicis. at cum nimis diuturna quies videretur, excitantibus immobilis & propè ſine ſenſu inuētus eſt. deinde paulopoſt cum ſummo omnium mœrore & lacrymis naturæ conceſſit cal. Maij. erat autem non vana de illo principe expectatio, quòd vir eximiæ integritatis & innocentiæ vel à teneris extitiſſet, & in multiplici rerum cognitione diutius verſatus, quod ipſemet etiā cognoui. fuit erga iniquè oppreſſos miſericors. in ſupplices clemens & liberalis. neq; vlla erat regia virtus, aut vllum viri boni officium, quod in eo cumulatiſſimè non inueniretur. in tantum ſanè ſpei auxerat animos Romanis huius pontificis bonitas, vt quaſi in tranquilliſſimum portum & ad auream verè ætatem ſe per eius bonitatem venturos ſperarent. putabant enim ſe liberatum iri grauiſſimis tributis, quibus crebrò in opulentiā affinium ſuperiorum pontificum auarè ſuiſſent oppreſſi, cū ſemper noua tributa fuiſſent a ſuperioribus nouis nominibus excogitata. habetur patrum purpuratorum antiſtitum concilium. decernitur duci Vrbinati protectio comitiorum de deligendo nouo pontifice, tanquam habenti ſummum imperium rerum militarium eccleſiæ. tum cæteri iuſtitię magiſtratus Romanis ciuibus confirmantur. accedunt denuo purpurati antiſtites ad eligendū nouum pontificem. quidam ex itinere reuocantur. plures nondum erant ad iter parati, cum vix viginti & duo dies interceſſiſſent. conueniunt frequentes ad comitia dum celebrantur exequiæ. includuntur breui in Cōclaue vocatum. is amplus eſt locus, cuius ianua etiam muro nouo clauditur. neq; licet exire cuiquam, niſi creato pontifice, quibus victus per feneſtram exiguam immittitur. quæ dum Romę aguntur, Marius Sanctiflorius cum magna manu militum Sateano ſigna tulit infeſta oppidū crebris conatibus & verberationibus inuadit atq; oppugnat. deniq; poſt multas oppugnationes compellit ad deditionem. Marinianius cum reliquis copijs ad expugnandum portum Herculis cōtedit quod eſſet accipiendis claſſibus accōmodatus, qui dum eſſet in poteſtate hoſtium, poſſet Hetruriam plurimum infeſtare. nam illuſtris eſt Homeri ſententia, maximeq; rebus bellicis etiam accommodata, qua iubentur inſigni aliqua vrbe potiti imperatores nullo pacto oppida eius vrbis libera relinquere, vnde poſſit vindicta vllo tempore expectari, cum inquiat.

*Marcelli ſecundi Pont. mors.*

*Sateanū captum.*

*Demens qui natos occiſo patre relinquit.*

Habebat Herculis portus tres munitiones egregiè factas è gleba Strozzæ induſtria extra ipſum oppidū, ſicuti a Thermeo primum fuerat inſtitutum, antequam ex Italia abnauigaret. vni harum Alexander quidam Terinenſis cohortis præfectus vir ſtrenuus & vigil præerat, quam Marinianius tormentis diuerberare & repetitis conatibus expugnare magna vi adortus propter virtutē ſingularem defenſorum cum magna ſuorum clade repellitur. in illis conatibus plures quingentis Hiſpani, & Germani ceciderunt. Veruntamen cum aquæ inopia intra munitionem vehementer laboraretur, neceſſe fuit illam in poteſtatem Cæſarianorum deniq; per deditionem venire. illa facta iactura omnis ſpes excidit ex animo Strozzę defendendi portus Herculis, niſi nouum ſupplementum, nouaq; auxilia in Italia conſcriberentur. eo conſilio cum Carolo Carafa Pyrgos triremi applicuit, Romam inde ad colligendas nouas cohortes, aduolaturus. Sed prementibus hoſtibus, arctiusq; quotidie obſtringentibus & obſidentibus deniq; & portus Herculis nullis acceptis ſubſidijs cū omnibus locis finitimis venit in poteſtatē Cæſarianorū. Romæ poſt multas diſceptationes habitas in comitijs de creando maturè nouo pontifice, cū temporum, corruptorumq; morum iniquitas ſapientiſſimi pōtificis iudicio ac cenſura indigere videretur, deligitur patrū purpuratorum conſenſu Petrus Garafa Neapolitanns Card. ad 9. Cal. Iunij, vocaturq; Paulus Quartus: quem Alexander Farneſius in ſublimē thronum adduxit, & adorandum curauit cum aſſeclis. Sed vbi ad numerū nō accederent Farneſij ſuffragia, allatus eſt Panormitanus ſenex, ac Nobilis adoleſcēs cardinales; qui cū ad numerū proximè accederent, veriti card. alterius factionis eius indignationem ſi fieret pōtifex, ſtatim accurrunt ad eum adorādum. Illud cum grauiter tuliſſent Marcus Antonius Colūna, & Iulianus Cæſarinus cū Hiſpanę factionis quibuſdam proceribus comitia clādeſtina habent in palatio card. Sanctiflorij. conueniunt ad ea conuenticula qui Gallicæ factioni aduerſabantur. literas conſcribūt ad Cæſarem. narrant eum pontificem inuitis omnibus Cæſarianis purpuratis eſſe creatū; quem non vltrò, ſed inuiti adorauiſſent timore coacti. eū legitimum pontificē iure cenſeri, qui liberis & volētibus animis a legitimis & iuſto numero electorū fuerit electus, at non qui per metū vel inſidias aut dolos alicuius, vel etiā ignaris fuerit expetitus. Cæſar his literis acceptis reſpondet quando omnes cū adorauiſſent, nihil ſibi videri eſſe in Italia innouandum. cæterum nouus pontifex ad quintū Cal. omnia pōtificia inſignia accepit, & cum eſſet ex nobiliſſima familia, mira expectatione animos Romanorū ad honorificentiſſima quæque extulit, cum nihil humile ab eo expectaretur. nā viſus erat in omnibus negotijs vir elato ingenio, non vulgari prudentia, at certè æquitatis maximè ſtudioſus. dum Roma exultat lætitia per occaſionem noui pontificis obliterato mœrore, quem è morte Marcelli ceperat, Marinianius multis honorificentiſſimisq; muneribus acceptis ab Hetruriæ duce Mediolanum rediit in patriā. Sic ea ciuitas, quæ opibus, antiquitate, nobilitate præſtabat cæteris Thuſciæ ciuitatibus, cū per tot annorū ſeriem libera vixiſſet, florentiſſimaq; fuiſſet aliquandiu, & potentiſſima diſciplinarū armorumq; ſtudiis, mox relictis ſtudiis ſapientiæ ob inteſtina odia, impunitateq; iniuriarū & gubernandi res publicas inſcitiā conquaſſata, deformata & deſolata in poteſtatē hoſtiū venit: vbi prius ſua caſtella ferro igniq; abſumpta vidiſſet, villas & pagos ſolo æquatos. arbores ſuccifas. regionē euerſam, ciues & amicos hoſtiū manu ante oculos iugulatos & trucidatos. atq; cum imperiorū omnium maximè fragilis & caduca ſit reſp quæ vel viuens propè diſtracta eſt in multorum ſibi inuidentium viciſſim dominationem. patet nihil eſſe tam formidabile liberis ciuitatibus, quàm inteſtina odia ciuium ex iniuriis, ex iniuſtitia, & ex impunitate ſcelerū inueterata, quæ niſi per optima-

*Portus Herculis captus.*

*Paulus iiij. Carafa Pōt. creatus.*

*Conſpiratio in Pont.*

*Senę deuaſtatio.*

rum le-

rum legum obſeruantiam noua & naſcentia reſtinguantur, tanquã occultus ignis latendo vires aſ-
ſumunt;atq; cum erumpendi facultas conceditur,rapidiſſimum exurgit incendium,quod cum ma
gno fragore fumo flammisq; inuolutam patriam in profundos cineres deniq; conuertit. Sena ita
compulſa ad deditionem,cum res compoſitæ fuiſſent Cæſaris in Thuſcia, non tamen reliquæ Ita- Italiæ deſcri
liæ partes pacatæ fuerunt,quoniam hæc prouincia mater & altrix multorum bellorũ propter amę- ptio.
nitatem opulentiamq; regionis penè incredibilem,ſemper inuidioſa extitit finitimis regibus, quæ
vbi ipſa non contendit de orbis imperio,coacta eſt pugnare pro propria libertate ab exteris nationi-
bus.nã quamuis eam aduerſus exterorum irruptiones natura variis obiicibus muniuit,cum ab alte
ra parte Adriatico ſiue ſupero Helleſpontoq, mari circũdederit tanquã ampliſſimis ac profundiſſi
mis foſſis ad meridiem:ad orientẽ Ionio mari ſeparauerit per eam lineam,quæ ab Hydrunte ad Ze-
phyriũ vſq; promontorium extenditur;ad ſeptentrionale latus atq; ad occaſum vergens pars altiſſi-
mas perpetuas habeat alpes,montesq; aſperrimos ac difficiles,quibus tanquam altiſſimis męnibus
ac propugnaculis propè inſuperabilibus protegeretur,qui incipiunt ab iis locis,quæ Cyrnum Sardi
niæque ſinũ proſpiciunt,& in ſiniſtri cubiti morem occaſum ſeptentrionemq; verſus extenduntur
à Sutriis propè incipientes per Seguſianos,mox per coctiã regionem flexi orientẽ verſus proceden
ti à ſiniſtra relinquuntur ad ſeptentrionem,tamen ab auaritia mortaliũ non ſatis muniuit, aperuit
enim natura exitũ Italis in vniuerſas Europæ gentes ad cõmercia & cõmoda ſiqua vellent importã-
da,ſed eadẽ ianua patuit ſæpius exterorũ auaritię & irruptionibus. id antẽ factũ eſt ad fines paludũ
Venetarũ orientẽ verſus in finibus Carnorũ,vbi Nariſa vocatus fluuius deſcendit è montibus: nã
ibi tutiorẽ ianuã Italię natura aperuit,in quo ſitu aduerſus arma barbarorũ tãquã anguſtiore mor-
tales quaſi fores etiã obiecerunt olim ampliſſimã & potentẽ vrbẽ Iuliã Aquileiam: nã montes ibi
parum a mari diſtantes hinc vndis,inde crepidinibus altiſſimis Italiã claudunt.hanc naturæ diligen-
tiam in munienda Italia partim mari, partim montium duplici ordine in amphitheatri forma pri-
mũ ſemicircularibus aggeribus alpiũ,poſtea Appennino monte vis temporis edaciſſimi & præcipi
tatarũ aquarũ curſus aliquantulũ minuit,quia alię nonnullæ vię ſunt patefactæ quamuis difficiles.
quamuis.n.via prouincię Varo & Macra fluminibus impeditur, & obiectu altiſſimarum mari im-
minentiũ rupium,tamen cuncta domuit vis mortaliũ, aperuitq; induſtria,quæ per aſperrima que-
que irrumpit.in Coctiis rurſus, Taurinisq; ac via montis Sancti Dionyſii,quę aſcẽdit è regione Pa
di fluminis,quam fluuius paruam & difficilem reliquit,coegit homines auaritia per vel ipſa montis
penetrare ac ſcalpris incidere,quod factũ eſt in Adula ad alpes Rhetias ac ſummas in via Belli, Tri-
dentiq; vbi certe nulla eſt ineundæ Italiæ commoditas, niſi quam Duria,& Atheſis, & Anaxus, &
Tiliamentum flumina concedunt.non.n.potuerunt armati exercitus eà irrũpere niſi per ſummas
difficultates nemine reſiſtente,aut etiã porrigentibus dexteras Italis nationibus. inde fit vt pauci il-
lac tranſiuerint populi ad euerſionem Italiæ,at per ipſam oſtenſam a natura ianuam,niſi cuſtodita
ſit,ad paludes Carnorũ ſcilicet Oenotri, Cimbri, Hunni, Sarmatæ, Gotti, Germani, Veromandi,alii
que complures.nulla.n.tanta naturæ diligentiã muniendæ,ſeparandæq; Italiæ a reliquis orbis par-
tibus ſatis valida viſa eſt,quoniam ob fertilitatem,ſicuti diximus,opulentiamq; regionis, cum mul
tis præclaris ducibus abũdet, multoq; equitatu egregio ſanè & lectiſſimo, omni genere bellicorũ
apparatuũ,& ingenijs hominum penè diuinis eam ſui opinionem excitauit, quòd is facile futurus
ſit totius orbis terræ dominus, qui totam Italiã ſubiugaſſet. idcirco ſimulatione quidem aliarũ re-
rum,at reipſa de imperio Italiæ iam multos annos certabatur à duobus potentiſſimis principibus;
quorũ animus ſublimis & magnificentiſsimus ad maiora ſemper aſpirabat. cũ Gallis igitur res feli-
citer ſuccederent in Gallia ſubalpina, Cæſar abdicato Ferrando Gonzaga ab Inſubrũ præfectura ſta-
tuit, vti diximus, vt Albanus Dux adpropetaret ad illa pericula,quæ imminere videbantur,diuerten
da;ad recuperanda occupata iã à Gallis caſtella,ad liberandam Inſubriã tanto Gallorũ metu cũ ma-
ximo rerum omniũ bellicarum apparatu,ad ferẽdas ſuppetias Vulpiano oppido,quod extrema an
nonæ penuria laboraret,vbi erat in pręſidis Cæſar Neapolitanus,qui ſe ſumma diligentia & vigilã-
tia & fortitudine tuebatur. Albanus quanta poteſt celeritate Bruxellis Caſsianum deniq, conuolat,
id oppidum eſt ſitũ in ripa Abduæ fluminis in ea parte,quæ in vlteriorẽ ripam Carracã proſpectat,
diſtatq; ab vrbe Mediolano circiter viginti millia paſſuũ.ibi obuios habet multos è primarijs vrbis
proceribus,qui honoris gratia obuiã illi proceſſerunt.quippe quòd vrbs illa eximia humanitate ex
teros propè omnes complectatur,& præfectos præſertim magna charitare & obſeruantia. neq; il-
lud dico,quòd noſtri eo migrarint Roma antiquitus, vnde propter bella poſtea Venetias cum eſsẽ
paruulus profugerunt,ſed quia res docet ita eſſe,cuius teſtes ſunt omnes,qui vrbis magnificentiam
viderunt. Albanus itaq; in vrbem ingreſſus cũ magna totius ciuitatis lætitia paucos dies ibi mora- Albanus Mediolanum accedit.
tur,atq; tantam rerum perturbationem inuenit,quanta vix explicari poſſet.nam Hiſpani,qui erant
in præſidijs ſubalpinæ Galliæ territi & conſternati aſsiduis cladibus,quas acceperant, cũ Galli mul-
torum caſtellorum præſidia trucidaſſent,multosq; in minutis pręliis interemiſſent,confugiebãt Ge
nuam e præſidiis mox in Hiſpaniam traiecturi. neceſſarium fuit idcirco Albano cuſtodias mittere,
quæ atrociſsimè in profugientes animaduerterent,eosq; afficerent extremis ſuppliciis,quod vnum
remedium viſum eſt opportunum ab ipſos Hiſpanos ad vetera ſigna reuocandos. curauit vt qua-
tuor Germanorum millia,& mille atq; quingenti Ferraroli mitterẽtur in Italiam,multas Italas co-
hortes conſcribit. militaria omnia diligenter comparat. cum iuſto exercitu prodit in apertum. Sed
quoniam, antequam exiret,nonnullos dies commoratus eſt Mediolani cum vxore, quam Caſta-
lius & Marinianius Mediolanum adduxerunt,non aſpernandam prorſus opportunitatem conceſ- Saba archipirata profligatus.
ſit Gallis inſtruendis munitionibus,reparationibusq; excitandis. Saba rais interea nobilis archipira
ta cum

ta cum nonnullis roſtratis nauigiis biremibus ſcilicet & myoparonibus vniuerſa litora maris mediterranei deuaſtat, Adriaticumq; & Siculum mare infeſtat. proxima quæque litoribus prædationibus & latrociniis atq; incendiis replet. multa caſtella Chriſtianorum acerrime populatur cathenatis ad tranſtra colonis; quibus rapinis non mediocris terror Italicis litoribus eſt iniectus. at Veneti iis prædationibus excitati Pandulphum Contarenum præfectum Venetæ claſsi, quæ erat deſtinata cuſtodiis ſinus Adriatici, mittunt ad audaciam & incurſiones piratarum reprimendas, reſtinguendaque tantarum calamitatum incendia.

Pãdulphi cõtareni virtus

Pandulphus ſingulari virtute ac fortitudine vſus profligatis ac demerſis nonnullis nauigiis piraticis, ita fecit vt reliqui piratæ fuga ſeſe in ſinum Adrumeti ſeruauerint, omneſque Adriatici litoris oras tutas colonis reliquerint. at vero quoniam non leuis eſt ſemper inter præſtantes eiuſdem artis opifices ſimultas quædam & inuidia atque æmulatio, cũ quiſque inferiorem ingenio, autoritate ſibi parem fieri, aut etiam ſuperiorem æquo animo ferre non poſsit, inde effectum eſt vt Caſtalius & Marinianius viri laude bellicæ artis clari, & apprimè exercitati ab omni rei militaris conſideratione, & ab Albani conſuetudine ſe retraherent.

Garzia Toletani Albani Vicarius.

id autem effectum eſt, quoniam Garzia Toletanus vir Hiſpanus Italicæ gloriæ æmulus ſecundum locum obtinebat in caſtris Albani, cuius vicario munere fungebatur, atque omnibus pro ſuo conſilio & arbitrio moderabatur ſine vllius alterius iudicio, cum videretur cæterorum ducum contemnere ingenia. at tarditas omnis & mora & cõperendinatio, quia, vt diximus, acerrimum eſt venenum omnis rei bellicæ, niſi ſiquid tardè fieri res ipſa conſulto poſtulet, non habuit tantam vim Cæſarianorum apparatus, quantam vniuerſa Gallia ſubalpina, vel potius vniuerſa Italia habiturum crediderat, quæ tota in magnam admirationem fuerat elata. Sed multa ſunt auditu viſuque horrenda, & formidabilia, quæ facit experientia placida & contemnenda: & præcipuè apparatus imprudentis, & imperiti imperatoris. nam Garzia tandiu protraxit reliquarum copiarum diſceſſum conuectionemque tormentorum & omnium bellicorum apparatuum profectionem, dum terror ille Gallorum in animis conceptus refrigeſceret, concitatique ex metu Gallicis lumbrici eiecti ſint. id autem factũ eſt dũ plauſtra parantur, iumenta ad trahenda tormenta imperantur, cõponuntur impedimẽta ad iter. Albanus bonã partẽ exercitus ad caſtellum Merulinum promouerat iam, atq; ipſe his comitantibus ducibus Mediolano diſceſſerat, Peſcolienſi marchione, Veſpaſiano Gonzaga pręfecto Italis cohortibus, Cæſare Neapolitano caſtrorum magiſtro, Raymundo Cardona præfecto tormẽtario negotio, Nicolao Zido quæſtore, aliiſque nonnullis.

Copię Albani.

erant in caſtris Albani iam duodecim Germanorum, octo Italorum, ſex Hiſpanorum millia. equites cataphracti octingenti. leuioris armaturæ equites mille ferè, tormenta muralia quadraginta, atque inter hæc quędam inſignis magnitudinis, quę ex arce Mediolani, Ticino, Cremona, ex aliiſque vrbibus principatus Mediolanenſis in caſtra fuerant attracta. Albanus Liuernam profectus fit certior per exploratores duobus in locis Gallos eſſe conatus & impetum Cęſarianorum excepturos; ad ripam Duriæ fluminis ſcilicet, vbi fluuius ipſe poſſet vadari. Briſacius tamẽ cognito numero copiarũ hoſtiliũ cum ipſe haberet in caſtris vix ſeptem millia peditum, equites circirer ſeptingentos, & pauca bellica tormenta, conſilium mutauit, animumque conuertit ad quędam caſtella in ſuis finibus ſummo ſtudio ac diligentia munienda. Albanus ad uada Durię fluminis profectus quę Galli aduerſus traiecturos muniuerant, munitiones nactus ſine pręſidiis ac deſertas iubet tumultuarios pontes eo aduectos plauſtris de more caſtrorum ſuper fluuium iaci, per quos plauſtra commeatum Vulpiano conuehentia tranſirent cum cuſtodiis mille ſclopettariorum, & quadringentorum equitum. Galli horum aduentu deſerunt munitiones, quas obſidionis cauſa excitauerant, ſeque ad Auguſtam Taurinorum recipiunt, in quos exeunt pręſidia Vulpiani, poſtremaque terga hoſtium leui certamine infeſtant.

Vlpiano ſuppetiæ latæ.

Sic igitur Vulpianum à Gallis obſeſſum, & ad extremum propè redactum diſcedentibus iis, qui arctè diuque obſederant, ſine controuerſia ſubſidia capit, ac tandem liberius aliquantulum reſpirauit. Vulpiano ita commeatu & ſubſidiis & rebus omnibus neceſſariis munito Albanus laudata fide, conſtantia, virtute pręſidiorum ac militum qui ſe egregiè tutati fuerant, diuturnamq; obſidionẽ ſuſtinuiſſent, militaria comitia indicit, vt communi conſilio decernatur quid primum in tantis rebus eſſet agendum. non enim videbatur tempus anni vtile fruſtra amittendum, neque conſumendum in expugnandis locis parui momenti, quamobrem cum ad comitia Aluarus Sandæus, Veſpaſianus Gonzaga, Erancifcus Ybarra, Garzia Toletanus, Raymondus Cardona, Ioannes Gueuara, Cæſar Neapolitanus, Marchio Peſcolienſis, Nicolaus Zidus, aliiq; multi Itali, & Hiſpani proceres conueniſſent, viſum eſt nonnullis Auguſtam Tauricam eſſe inuadendam. alii cenſebant Caſalis, alii Hipporegiæ, alii aliorum munitorum locorum expugnationem eſſe tentandam. neque enim conuenire magnis apparatibus, qui raró fiunt, & non ſine magno populorum incommodo loca vel nullius, vel parui momenti inuadere, cum illud etiam hoſtium fuerit conſilium, atque luſtrum propè venatoribus oſtenderint, qui Hipporegiam, & Caſale, & Verruuam oppidum, & fanum Iacobi, quod Sanctia vulgus vocat, muniuerint egregiè, & alia loca nonnulla, quibus timebantur Albani vires, vt his munitionibus illæ debilitarentur, aut certè retardari poſſent. nam vt acutiſſima acies cultrorum, ſi hebes fiat primùm rebus inutilibus incidẽdis, fit inhabilis poſtmodo cędendis vtilibus, ſic potentiſſimi exercitus, maximorumque apparatuum, ſi primus impetus ſuſtineatur ac retardetur, ſtatim cadit omnis vigor & animi magnitudo. non eſſe contemnendam inquiunt totius Italiæ expectationem, neque rem in obſcuro agi, ſed quaſi in totius Italiæ, vel potius totius orbis terræ theatro; quoniam fama illorum, quæ geruntur in caſtris. non continetur intra foſſas, valloſque caſtrenſes, ſed late per vniuerſos populos Italiæ, vniuerſaſque nationes exteras peruolat. ridiculos fore illos duces, qui nihil pro tantis copiis, tantis

ſumpti-

ſumptibus, tantis apparatibus, tantis Inſubrum populorum incommodis, memorabile fecerint. quippe cum agriculturam, arteſque omnes propè vrbibus neceſſarias populi Inſubres reliquiſſet, vt bellicos apparatus iuuarent. iumenta in caſtra ad vſum tormentorum & annonæ conuehendæ, homines ad excauandas foſſas, erigendaſque munitiones, & ad cæteros vſus militares, imperabantur. alii contra non eſſe iſtud è diſciplina militari, neque laudabile dicebant in regionem hoſtium ita prorumpere, cum minime conueniat loca munitiſſima, & in quibus præſertim inſint validiſſima præſidia, à tergo relinquere, a quibus non minus ipſi obſideri, quàm alios obſidere poſſent. cum nemini tutum iter in caſtra relinqueretur, ac ſemper maximus numerus militum eſſet diſtrahendus ad accedentium in caſtra & exeuntium è caſtris cuſtodias. Sic enim fiebat vt florentiſſimum oppidum fanum Iacobi a tergo relinqueretur, in quo erant tria lectiſſimorum peditum millia cum præfectis ducibus Birago & Vimercato, viris in rebus bellicis exercitatiſſimis ac ſtrenuis, qui poſſent extrema terga infeſtare, commeatus intercipere, omnia Cæſarianorum conſilia debilitare ac ſubuertere. cenſebatur igitur primum omnium oppidum fanum Iacobi expugnari oportere, quod ſe breui facturos exiſtimabant; poſtmodo cum fama eius victoriæ, nouaque acceſſione virium aliquam prædictarum ciuitatum vtiliter poſſe inuadi. Sic enim debilitatis viribus Gallorum ipſi potentiores ac formidabiliores hoſtibus effici videbantur, cum magnam habeant vim ad reliquas res bellicas primi vel proſperi vel aduerſi rerum ſucceſſus. Hoc conſilio comprobato, quod magis è peritia rei militaris procedere videbatur, præmittuntur qui oppidum explorarent ad expugnationem. eriguntur triginta canones & quatuor colubrinæ ingentes poſtero die inter corbes terra oppletos. oppidum ingenti ſtrepitu atque impetu concutitur. Sed quoniam oppidani ita muros interius aggeribus & terra communierant, locumque ad quadratam formam cum quatuor firmiſſimis propugnaculis produxerant, intra quorum ſpatia erant plateæ nonnullæ ſuperiores, & totidem è gleba munitiones, nihil vt prorſus ab hoſtibus eſſet timendum, vanus fit & inutilis omnis tormentorum impetus, ac labor Cæſarianorum. ad huius oppidi expugnationem Albanus, & ex oppido Vulpiano, & è finitimis quibuſdam locis tormenta quædam & bellicos apparatus euexerat. poſt diuturnam diuerberationem cum omnis Cæſarianorum conatus eſſet irritus adorietium oppidum, non magno negotio ab intrepidis Gallis repelluntur. Dum Albanus modo oppido obſtinatiſſimè concutiendo eſt intentus, modo renouandis conatibus, ſecurus omnino virium Gallicarum, octingenti ſclopettarij, & trecenti equites ſub meridiem in oppidum nihil ſentientibus Cęſarianis ingrediuntur: quare fit poſtmodo vt frequentius exirent obſeſſi ad leuia ſubitariaque certamina. cos parum proſperos rerum Cæſarianarum ſucceſſus, neque vel tantillum tantę hominũ expectationi reſpondentes, rati æquo animo non eſſe ſibi ferendos Marinianius & Caſtalius, quia non res Tolctena, ſed Cæſariana videretur in magno diſcrimine eſſe poſita, veniunt in caſtra. Albanus hos conſulit. docent in quo periculo res conſtituta ſit. Suſceptum eſſe nimis difficile negotium. oppidum illud ſola obſidione diuturna, at non armis præſentibus, vinci poſſe. fruſtra ibi tempus abſumi cum ob loci eximie muniti præſtantiam & robur, tum ob illud etiam, quòd Cæſarianæ copiæ poſſent ab hoſtibus circumueniri, & cogi vt tormenta relinquerent, cum Briſacij copiæ ſuccreſcerent in dies nouis ſubſidijs è Gallia tranſalpina clam accedentibus. Albanus cum ita percepiſſet ſe munitionum & copiarum & apparatuum & exiſtimationis, quæ præcipuè ſeruanda eſt integra, iacturam poſſe facere vno tempore, ſatius eſſe iudicauit vt copiis in tutiorem locum contractis omnia conſeruaret, quam vt ita fortunæ arbitrio committeret, quare ad pontem Aſturæ fluminis ſe contulit: locum ibi munit, vnde poſſet Caſale & Auguſtam Tauricam, & cætera Gallorũ oppida infeſtare. nam intercluſa Padi nauigatione Galli non poterant commeatum ad ſua præſidia demittere. his ita ſtatutis dum opus differtur, nuntiatur Briſacius cum validis copiis aduentare. eo nuntio Cæſariani ne interciperentur, tam citi ab obſidione recedunt, vt multa tentoria & impedimenta reliquerint, quæ ſtatim ab exeuntibus direpta ſunt & in vrbem comportata; cum neq; mercatores quidem moniti fuiſſent de more caſtrorum vt vaſa colligerent ad profectionem, ſuaſq; ſarcinulas ad iter pararent. eſt enim calamitoſum non ſolum ipſis mercatoribus, ſed etiam turpe imperatori & delirij atq; imprudentię argumentum, ſiquid in manus hoſtium venire patiatur, quod negligentiam vel timorem arguere poſſit. idcirco plerunq; comburendi ſunt commeatus, & munitiones atq; ędificia, quę futura ſunt hoſtibus vtilia, euertenda, omniaq; inutilia facienda vbi imminet aduentus hoſtium, ſi prius auehi non poſſint. ita cędendę ſunt arbores & flammis abſumendę. fundenda vina, corrumpendę aquę, tormenta infringenda, aut infigenda clauis, omniq; ratione nitendum vt omnia commoda pro viribus hoſti eripiantur ac perdantur. Albanus oppidi obſidione relicta ad pontem Aſturæ profectus ibi caſtra tandiu habuit, vt locus ad munitionis formam inſtrueretur. poſtea conuulſis inde vexillis ad oppidum ſancti Lazari caſtrametatur. Caſtalius omnibus copijs præfectus Alexandriam Paleariam properat, vt inde Aſtam, & in cætera loca quæ indigerent, opportunè ſubſidia mitteret; &, ſi opus eſſet, viribus hoſtium reſiſteret. Albanus ita prius formidabilis omnibus, nulla re memorabili edita, Mediolanum reuertit. è copijs Cæſarianis aliæ dimiſſæ Itali ſcilicet, aliæ relictæ Alexandriæ apud Caſtalium, vbi Peſcolienſis manſit cum omnibus leuioribus equitibus. atqui dum Albanus muniendo ponte Aſturæ commoratur, Galli illum & Italas cohortes dimiſiſſe, & occupatum eſſe in illo opere intuentes, & Vulpianum debilitatum atq; exinanitum ob tormenta belliceſque apparatus exportatos, accedente etiam regulo Vmalio Ghiſij fratre cum magna peditum manu, & ingenti ala equitum è Gallia Narbonenſi, qui ſuperatis Coctiis alpibus caſtris cum Briſacio coniunctis plurimum vires Gallicas auxerat, poſt diſceſſum ac propè fugam Cæſarianorum ad Vulpianum caſtrametantur. erant enim in caſtris Gallorum quindecim ferè

Fanum Iacobi oppidum concuſſum.

Error Albano cognitus

Marinianij & Caſtalij cõſilium prudens.

Albanus Mediolanum reuertit.

cim ferè millia armatorum. explorato oppido ad verberationem quatuor in locis muralia tormenta magno ſtudio, ſingularique diligentia à quatuot lateribus diuerberant. tam acriter locus concutitur, tantaque inſignium globorum procella ac tanto ſtrepitu, vt nulli oppidani poſſent ad defenſiones exire, aut propter crebritatem ictuum ad męnia aſcendere. nam ſiquis iſtud facere conaretur, trucidabatur. oppidani defenſionum beneficio deſtituti ac reparationum, quas nulla diligentia pręſeruare aut extruere potuerunt, Gallis ob multitudinem ac diligentiam tormentorum cuncta proſternẽtibus, & pręſertim propugnaculum, quod plurimum faciebat ad oppidi defenſionẽ, tamen acriter ac ſtrenuè ſe tutantur, tantaq; fortitudine reſiſtunt, vt Gallos ſæpius ab oppugnatione reiecerint, quamuis miſſę fuiſſent operę. quæ muros in inferiore parte ligonibus effodiebant, & in foſſas deuoluebant. veruntamen poſt repetitos ac renouatos ſæpius conatus, cum & oppidum aſſiduis verberationibus, & pręſidia crebris pręlijs iam eſſent debilitata. Vulpianum venit in poteſtatem Gallorum magna accepta vtrinque clade, ſed ab oppidanis præcipuæ per conatus & crebritatem globorum ferreorum. nam Henricus literas indignationis & minarum plenas ſcripſerat ad Briſacium, quia viſus eſſet oblatam facultatem dimicandi ab Albano in traiectu fluminum deuitauiſſe, non nihilque detraxiſſe regiæ dignitati, niſi illud aliqua memorabili re geſta reſarciret. at obſeſſi nulla ſpe reliqua ſubſidiorum ſuſtentati, quòd Albanus parum curans Gallos iam copias maiori ex parte dimiſiſſet, ne tot ſumptus facere cogeretur, omnibusque propè rebus neceſſariis defenſioni deſtituti his conditionibus ſe dedunt; vt omnibus liber pateret diſceſſus. vt arma, impedimentaque omnia tutò exportare liceret. vt concederetur oppidanis præſidiis exire in acie erectis vexillis ad profectionem.

Vulpianum captum.

Sic Galli Vulpiano oppido potiuntur, quod per viginti annos fuerat armis Cæſarianis cuſtoditum, cuius ſtatim muros deiiciunt. munitiones funditus euertunt, & ſolo adęquant, ne illam moleſtiam haberent in poſterum aduerſus Auguſtam Tauricam, quòd illud propugnaculũ tot annos egregia Cęſaris Neapolitani opera protectum aſſeruatumque fuiſſet, per multas Gallorum difficultates. Galli per illam victoriam non ſolùm multiplicibus ſumptibus ſunt liberati, cum facile iam minui poſſent Auguſtæ Taurinorum pręſidia, quæ ſemper valida eſſe oportebat propter illud Cæſarianorum propugnaculum, verum etiam inſigni moleſtia & multorum malorum metu, quę inde Auguſtę Tauricæ videbantur imminere. Sic Albani exercitus vniuerſis Gallis formidabilis, ob imperitiam ducis ridiculum finem ſortitus eſt, cum montes parturirent murem, nihil enim tanta expectatione dignum aut memorabile factum eſt. Galli contrà, qui latebras ad fugam iam proſpectare videbantur, vbi vires ſatis idoneas ad res gerendas ſumpſerunt, ob præſtantiam ducis nihil fruſtra aggrediuntur. & res potius, quam rumores excitant. Sic enim plerunque fit, vt primi bellorum conatus ſi fruſtra ſuſcipiantur, infringant vires inconſideratorum, audaciamque præbeant hoſtibus formidabilem, qui contra ignauos & imprudentes fieri conſueuerunt alacriores. quæ dum geruntur in Gallia ſubalpina,

Ferrãdus Gõzaga abſolutus & remuneratus.

Ferrandus Gonzaga illis accuſationibus, quas ſuperius memorauimus, oneratus multis eius miniſtris captis Mediolani, & in vincula coniectis, abſoluitur, partim quòd obiectas criminationes diluiſſet, partim quòd nollet Cæſar diutius in eum inquiri propter viri dignitatem, multaque præclara erga maieſtatem imperatoriam merita. Voluit omnes accuſationes deleri, obliterari, aboleri, & in perpetuum ex omni hominum memoria tolli, quas in accuſatores acerrimè conuertit. multa eaque honorifica præmia, & inſignes remunerationes illi propter exantlatos labores, ſingularemque in rebus Cæſarianis induſtriam decernuntur; quos labores domi foriſque pro Cæſare pertulerat. pro magnitudine pecuniæ, quæ ſibi debebatur à Cæſare oppidum ſancti Seuerini, & nonnulla caſtella in Italia, & in regno Neapolitano conceduntur, quibus acceptis in Italiam contendit.

Mõs caluus captus.

Galli oppido Vulpiano per inſcitiam Cæſarianorum ita capto & euerſo, mox eadem ratione montem Caluum ad deditionem compellunt. eius oppidi pręſidia minimè armis decertandum eſſe rata, aut ſalutem ſuam fortunæ arbitrio committendam, cum Vulpiani præſidia propè omnia fuiſſent trucidata per obſtinatam fortitudinem, Gallis per haſce conditiones ſe dedunt; vt integra eſſet libertas, atque præter vitam & arma cuncta victorum Gallorum arbitrio concederentur. Galli his felicibus rerum ſucceſſibus elati nullum tempus amittunt; ſed modo pollicitationibus ac largitionibus, modo minis & inſidiis, modo virtute militari noua oppida in ſubalpina Gallia capere nituntur, qui etiam Ayquam & Anciſam caſtella tẽtarunt per proditionem dum Caſtalius Alexandriæ Paleariæ moratur. Sunt autem illa ſita in finibus Galliæ ſubalpinæ meridiem verſus in ea parte, quę reſpectat ad mare Liguſticum. ea proditione conſulto ad Caſtalium delata iubetur Piſcarius cum quibuſdam peditum cohortibus & turmis equitum ad eam rem tractandam tranſigendamq; accedere. tum curat vt anceps proditor per eam facultatem ſimulatæ proditionis Gallos in inſidias ad ſtatutum locum adduceret. ſic autem res compoſita eſt, vt optarat Peſcolienſis. collocatæ ſunt nocturnæ inſidię. Briſacius vbi illuc miſiſſet per noctem magnam manum peditum, & alas equitum ignarus pręparatarum inſidiarum, exiſtimabat ſe Anciſam planè capturum. Galli ad locum inſidiarum profecti ſub gallicinium ab inuadentibus Cæſarianis repentino adortu funduntur fuganturque, & trucidantur. circitèr ſeptuaginta equites capti ſunt. cohortes Aquitanorum nonnullæ labefactatæ, alii fuga ſalutem ſibi quæſiuerunt. hæc Gallorum cædes, quia nihil aduerſum illis iamdiu euenerat, non nihil eorum animos, audaciamque repreſſit, ac hebetauit, fecitque vt aliquantulum de illa incredibili animorum alacritate remiſerint. in Attrebatum quoque finibus non multò feliciore fortuna ſanè à Gallis pugnatum eſt, quoniam fortuna raró ſimplici mortalium calamitate eſt contenta. nam cum Gallicæ nonnullæ peditum cohortes, & non aſpernandus equitatus cum tormentis ad noui Edini expugna-

tionem

tionem contenderent, nec multò plus diſtarent iam ab oppido duobus millibus paſſum, Ioannes Nauaccius præſidiorum Edini præfectus vir ſingulari virtute iam procurauerat ad famam eius expeditionis, vt ſubſidia oppidum ingrederentur. delegerat itaque eo conſilio quingentos Hiſpanos è finitimis quibuſdam locis. cum his fit obuius forte primæ Gallorum aciei præcedenti per quoddam interuallum cum equitatu. initur atrox prælium. atque multi Galli primo impetu proſternuntur. nam Hiſpani pro aggeribus vtebantur primorum cadaueribus ad uerſus denuo irruentes. dum acriter vtrinque pugnatur, accedunt reliquæ copiæ Gallicæ. at Nauaccius ſuccreſcenti hoſtium multitudini cum minime reſiſtere poſſet cum parua ſuorum iactura ſe in oppidum proximum recipit. ceciderunt inſignes Galli in ea pugna Sipierius, & Mommedius reguli. ſed multo etiam grauior fuit Gallorum clades accepta non procul ab oppiduo Douao. nam cum incurſionibus, populationibuſque potius, quàm iuſtis certaminibus res ageretur; noningenti cataphracti equites cum ſexdecim vexillis ac nonnullis peditibus caſtella quædam & villas Benincorti grauiſſimi hoſtis incendijs, & prædationibus populantur. multam prædam abigunt. at Douai præfectus, & Attrebatum quædam præſidia, & Vapami, & Cameraci, vbi erat Comes Ebroſtaimus cũ Germanorum regimento audita incurſione, prædaque Gallorum longius, quàm par erat incurrentium, collectis quibuſdam cohortibus peditum, nonnullis turmis equitum galeatorum, & ſclopettariorum equitum Hiſpanorum Gallos abigentes prædam iam reuertentes in ſuos fines pluribus è partibus inuadunt. committitur atrox ſanè & cruentum prælium. ad extremum Galli maiori numero cedere coacti acceptà inſigni clade, amiſſiſque vndecim vexillis victoriam Cæſarianis copiis cruentam relinquunt, atque in fugam vertuntur. multi trucidati ſunt, multi capti, pauci fuga ſe ſeruarunt. ex illis vexillis nouem ab Hiſpanis capta ſunt, & in oppidum Douaum portata, reliqua duo venerunt in poteſtatem Sequanorum, atque Vapamum ſunt ablata. At Carafa Pontifex creatus tanta, tam preclara, tam inaudita initia ſui imperii, atque Pontificatus edidit, vt omnes homines non ſolùm ad mirificam ſpem pacis, & tranquillitatis, ſed etiam inſignis felicitatis erexerit: quamobrem incredibilem in ſe omnium populorum, ac gentium beneuolentiam, & Romanorum præſertim excitauit. ille dum audiendis legationibus regum ac populorum & omnium gentium, quæ gratulatum vndique confluebant, eſſet intentus, poſt multas controuerſias, & mutationes conditionum inter Cæſaris, & Henrici Gallorum regis negotiatores componuntur induciæ in quinquenniũ, quæ ab ipſis principibus confirmatæ poſtea in omnibus Italiæ, Galliæ, Belgarumque finibus indicuntur, & per præcones publicè pronuntiantur. Pontifex decernit legationes ad Cæſarem, & in Galliam Mottolam, & Carafam antiſtites purpuratos, quæ gratulatum pro rebus compoſitis mitterentur. veniunt gratulatum Romam ſub idem tempus Guidobaldus Dux Vrbinas, & Ferrarienſis, Parmenſiſque duces, cum magna ciuium nobilium pompa ac magnificentia, Pontifex Vrbinati duci Romæ præfecturam concedit, ſummumque imperium poſt ipſum Pontificem in vniuerſum eccleſiæ principatum. tria inſtituta præterea pronuntiat, quæ vulgo bullæ vocantur, quorum in uno decernitur, vt ampliſſimum Iubileum concedatur, vt pro omnium Chriſtianorum pace, & tranquillitate ab omnibus Chriſtianis piè, ac ſuppliciter Deus rogaretur. in alio decernebat, vt reformarentur Romæ res Hebræorum: in alio continebatur, vt erepti abalienatique redditus omnes eccleſiaſtici illegitime reſciſſis abalienationibus recuperarentur. Iubet præterea omnes copias cenſeri quæ Romæ eſſent exercendis armis idoneæ, quas ipſe videre uoluit: quo tempore cenſa ſunt decem millia hominum egregiè armatorum loricis, & cæteris armis. hos aſpectus ſanè & apparatus atque armorum ſplendor bellicoſiſſimos fore promittebat, ſed abnuebat imperitia, & imbecillitas animorum, & varietas nationum minime inter ſe conuenientium, quæ repugnabant omnia picturatis armis, & toruis vultibus. ſed tanta fuit Pontificis oblectatio, & voluptas his copijs tantis, ac tam bene inſtructis, vt apparebant videndis, vt omnes voluerit poſtmodum inſtructos in acie in plateam diui Petri accedere. centum & viginti nobiles viros Romanos equeſtri dignitate inſigniuit, quos Fidei equites vocari voluit; quibus permiſſa eſt, & data perpetua Pontificis ipſius corporis cuſtodia. oportebat duodecim equites ſingulis noctibus eſſe in palatio Pontificio militari munere perfungentes, cum diuiſis vigiliarum horis ſingulatim ad thalamum Pontificis excubarent: atque ita alijs quotidie ſuccedentibus mutabantur tanquam in gyrum. reſtituit Romanis Tybur vrbem, quæ multos iam annos ab illis defecerat, confirmauitque omnia illorum iura, & priuilegia, quibus vſi fuerant ad illam vſque diem. hiſce rebus effectum eſt, cum tantum liberalitatis, & magnificentiæ præ ſe tuliſſet, vt mirificis laudibus tolleretur in cœlum ab omnibus Romanis, coleretur que non ſicuti cæteri Pontifices conſueuerunt, ſed tanquam Pontifex pater patriæ, aut tanquam Deus aliquis beneficus, & propitius vrbi Romæ. Romani contra ne tot tantorumque beneficiorum immemores, aut ingrati videri poſſent, illi è pulcherrimo lapide magnificentiſſimam ſtatuam in Capitolio erexerunt, tanquam inuſitatæ bonitatis, & liberalitatis Pontificiæ perpetuum monimentum ad omnem poſterorum memoriam tranſmiſſuri. ſed tantis, tamq; præclaris initiis cætera non reſponderunt, vt ſuo loco narrabimus, quoniam idem Pontifex ob ſeueritatem ingenii fuit autor atrociſſimorum bellorum, atq; inſignium calamitatum Romanis, & vniuerſe Italię. idcirco illa ſtatua poſtea facto impetu vniuerſi populi Romani deuaſtata eſt, & non minore odio infracta, tracta, comminuta, quàm lætitia fuerat erecta. Illa dum Romæ geruntur, Cæſar vel honorum iam pertæſus cum rerum omniũ deniq; ſit ſatietas, vel cupiens poſt infinitos bellorũ labores exautorari ac donari rude, vel quod eſſet valetudinarius cũ Bruxellis grauiter laboraret è pedibus, ſtatuit ad tranquilliorem vitæ rationem conferre, omniumque regnorum & principatuum amplitudinem ac magnificentiam parui facere. quippe quòd ea, quæ vulgo & imperitæ multitudini

Induciæ ĩter Cæſ. & Henricũ in quinquennium.

Dux Vrbini ſummus dux Eccleſiæ.

Pōtificis pręclara geſta in vrbe.

Tybur Romanis reſtitutũ.

Statua Pont. erecta.

Cæſar imperiũ deponere cupit.

dini grandia, magnifica, ad mirabilia, ac propè diuina apparere ſolent, reipſa nihil contineant egregium, aut ad animi ſedandam turbulentiam minime ſpectent, quorum tota præſtantia & amplitudo conſtituta eſt in admiratione vulgi, pauci enim principatum ſapientes expeterent aut expetiuerunt ad felicitatem, cum nihil ille felix in ſe contineat. iſtud aucupandæ quietis conſilium, atque deſiderium cum Maria Pannoniæ, & Eleonora Galliæ reginis ſororibus communicatum, cum

Ioannę Cęſaris matris mors.

mortua eſſet paulo ante mater Ioanna Aragona in Hiſpania, non ſolùm probatur, ſed etiam ambæ communi conſilio fratrem hortantur vt quod reliquum vitæ diuina clementia ſibi concederetur, quanto fieri poſſet tranquilius atque pacatius tranſigeret, putaretque ſolam felicitatem in rebus humanis merito poſſe iudicari animi quietem: quoniam honores & magiſtratus & imperia corticem, non animum exornant aut adiuuant, cum ſint tanquã picturę parietum, quę neq; ad firmitatẽ conferunt, neq; ad diuturnitatẽ, quod vnum virtus præſtat & prudentia, & præcipuè paucis cõtentum eſſe. his ita conſtitutis Cæſar Philippum filium ad ſe acciri iubet. ante omnia reducẽ è Britãnia creat illum Principem equitũ ordinis Toſonij. habuit originẽ ille ordo à Philippo duce Sequanorũ ſiue Burgundiæ Bono cognomento, atq; fuit inſtitutus in vrbe Bruggia ad honorẽ Dei, virginis Deiparæ, & diui Andreæ apoſtoli aſciti ad protegendam Sequanam familiam, anno vigeſimo nono poſt mille & quadringentos à partu virginis. ita tamen vt in hunc ordinem, qui religioſus ſit, non plures trigint & vno nobiliores admitterentur, quibus nulla turpitudinis ineſſet macula, atq; benemeritis tantum pateret aditus. ille autem princeps intelligeretur, ad quem principatus Sequanorum & Belgarum perueniſſet. additi ſunt quatuor miniſtri, ſcriba ſcilicet, quæſtor, à ſecretis, araldus ſiue Toſonius Aureus vocatus. Carolus autem Quintus anno decimo ſeptimo poſt mille & quingentos numerũ horum equitum adauxit additis viginti, vt ea dignitate quoſdam inſigniret, quos amabat. atqui vniuerſos titulos Sequanorum & Belgarum, omneſque principatus, regna, iura Cæſar Philippo ceſſit Bruxellis in hunc modum. indicta ſunt comitia omnibus equitibus & ſtatibus Belgij, qui cum ad ſtatutum diem Bruxellas conueniſſent, atque in ampliſſimam aulam palatij frequentes acceſſiſſent, eò poſt prandium ingrediuntur Cæſar cum Philippo rege, Maria regina, Dux Allobrogum, atque alij multi proceres. Vbi conſediſſet Cæſar in ſublimi throno iubet Philippum & Mariam & alios inſigniores duces ac principes ſedere in ſedibus ibi paratis. illis ſedentibus vnus è Cæſaris conſiliarijs Bruxelles nomine pro Cæſare orationẽ habet. inquit Cæſarem iam inualidum eſſe, & propter ætatem non poſſe amplius hæc munia regnorum, ſicuti antea conſueuerat, ſuſtinere. qui cum eſſet in Hiſpaniam iturus tanquam in ſeceſſum, vbi aptiorem magiſque propitiam ſibi aeris temperiem experiebatur, ſtatuerat has regiones Belgij regi filio ſuo renuntiare, qui iam ſciret omnia pro æquitate gubernare, & poſſet tanta pondera ſuſtinere. huius ſermonem ſubſecutus eſt Cæſar ipſe, qui eum monimentum teneret manu excuſans ſuam imbecillitatem memoriæ propter ætatem, ſummatim recenſuit præſtantiora facinora, glorioſaſque victorias, quas obtinuerat. Tum ſubiunxit ſe non amplius his imperijs eſſe habilem, quòd ſiqua in re propter inſcitiam defeciſſet, rogat Philippum vt faceret ſatis. his dictis veniam ab omnibus petit. petitioni ſeniles non defuerunt lacrymæ. tum Philippus procidens in genua ſe tantis muneribus non dignum eſſe pro meritis inquit; ſed à clementia benignitateque Cæſaris id munus accipere. ſe procuraturum vt pro æquitate illis populis ſatisfieret. deinde ad populum conuerſus pauca. locutus eſt Gallico idiomate, atque cum parum calleret illam linguam, iubet epiſcopum Rigiacenſem optimum ſuum animum exprimere. Huic Iacobus Manſius iuriſcons. regius conſiliarius pro principatibus reſpondit; ꝙ egrè ferunt perſpecta fide & obſeruantia omnium populorum erga Cæſarem ſe nunc ab ipſo Cæſare deſeri. ſed tamen quòd eum mærorem ſolabatur ac lenibat regis filij ſucceſſoris virtus, præſtantia, & bonitas, cui vel per facultates & ſanguinem, ſi opus eſſet, pollicentur ſummam obſeruantiam. Maria regina, quæ hiſce regionibus cum ſummo imperio poteſtateque proregia præfuerat, poſt huiuſmodi dicta inquit ſe pro animi integritate, & quantulacunque eſſet rerum peritia, res Belgicas adminiſtraſſe. veruntamen ſi non conſecuta eſſet quod oportebat, ſuppliciter veniam petit à Cæſare, qui ſignificauit ſibi ſatis ab ea fuiſſe factum. eandem orationem poſtea conuertit ad principes Belgarum, quare Manſius non ſolùm reginæ ſingularem diligentiam & integritatem omnium nomine laudauit, verum etiam gratias egit immortales. per publicam igitur ſtipulationem Siciliæ, Sequanorum, Inſubrum, Belgarumque principatus aſſignat, atque ad poſſeſſionem ipſorum regnorum miſſi ſunt procuratores Philippi nomine Aloyſius Cordubenſis in regnum quidem Siciliæ, & principatus Mediolani. Peſcolienſis in regnum Neapolitanum. atque Albanus iuſſus eſt eſſe Mediolani Philippi nomine in ea præfectura poſt res Inſubrum compoſitas. his peractis diplomatis Philippus rex dicit Belgarum gubernatorem cum ſummo imperio Emanuelem Ducem Allobrogum. nec verò omnia vno die renuntiauit, quoniam his Belgarum iuribus conceſſis abitum eſt. nec multo ſanè tempore interiecto idem Cæſar Bruxellis præſentibus, præfectis, miniſtris, gubernatoribus prouinciarum ac regnorum, qui acciti fuerant, concedit & renuntiat Philippo ea regna, quæ diximus, quæ ipſe poſſidebat, Hiſpaniarum ſcilicet, Siciliæ, Sardiniæ, Balearium, Ameriæ, noui orbis, omneſque alios principatus, regna, imperia, prouincias, inſulas, iura, titulos ad ſe aliqua ratione pertinentes, præter imperium tamen, quod cedit Ferdinando fratri cum inſignibus. atque vt pateat quo pacto Belgij principatus & reliqua regna in poteſtatem Auſtriacorum principum peruenerint, videtur ſeries rerum paulo altius repetenda. Anno igitur Salutis noſtræ. 1273. mortuo. Federico ſecundò Imperatore propter Electorum diſcordias fuit annos decem & ſeptem interregnum, cum alij Alphonſum

Felicitas humana quæſita.

Cæſar Philippo regna aſſignat.

T[illegible] ordi[illegible]ges & origo.

Renuntiatio facta à Cęſarę, & reſponſum.

Procuratores Philippi ad accipiendam poſſeſſionem regnorum.

Auſtriace familię origo.

Hiſpania

Hiſpaniarum regem elegiſſent, qui noluit ſuſcipere imperium, alii Ricardum fratrem regis Britanni, quem Imperij vrbes noluerunt varijs de cauſis admittere. Electus fuit idcirco Rodulphus primus eius nominis imperator Comes Aſciburgienſis, qui per hanc ſupremam dignitatem cœpit familiam Auſtriacam illuſtrare. eius fortuna non contenta fuit ſolos honores illi conceſſiſſe, ſed alia indicia dedit optimæ ſuę in illum voluntatis: nam cum deceſſiſſet per id tempus ſine hæredibus Dux Auſtriæ, rexque Boemiæ Ottogarus illam prouinciam occupaſſet, imperator per vires imperii cum proprias non haberet, eam recuperauit: quam, quamuis reciderat ſub Imperium, anno 1278. Alberto filio largitus eſt, qui primus fuit Dux Auſtriæ, quique primus nomen dedit illi familiæ. ſucceſſit Alberto Albertus Sapiens cognomento, qui principatum Croatia, Carniola, Carinthia vocatis regionibus Illyrij adiunctis ampliauit, quoniam mortuo Henrico Comite illarum regionum ſine hæredibus Albertus eas impetrauit à Ludouico Imperatore, atque vti cum Auſtria coniungerentur, quod accidit anno 1331. deinde cum bellum exarſiſſet inter Heluetios, & Leopoldum Auſtriæ Ducem anno 1360. propter quædam loca comitatus Eſpurghi, quæ Heluetij in fœderationem exceperant, quæ loca nunc Cantones vulgus appellat, cęperuntque vel eo tempore ſic appellari, ventumque eſſet ad arma, profligatus fuit Leopoldus, principatumque auitum amiſit, in qua etiam clade trucidatus fuit. Illum principatum propter ſtrenuitatem Heluetiorum nunquam illa familią recuperare potuit, cum ab ea natione adhuc poſſideatur à Comite Bernæ. Sed quantum bonorum ademit vis armorum Auſtriacæ familiæ, illud totum cum magno corrolario fortuna rependit, quoniam cum Rodulphus prędicti Alberti duxiſſet Comitem Tiroli viduam mortuo Ludouico Duce Norici principatu potitus eſt, vbi Mainardus Ducis eius filiusnaturæ conceſſiſſet, qui propter ſimultatem quam exercebat cum ducibus Noricis patruis, & propter maternas perſuaſiones reliquit hæredem ipſum Rodulphum victricum, atque ita eodem anno 1360. hunc comitatum cum Auſtria coniunxit, quas regiones Auſtriaci Duces ſine controuerſia multos annos poſſederunt, excepto tamen titulo Archiducis, quem Federicus Imperator conceſſit. Mortuo deinde Carolo Duce Sequanorum, qui populi Iura monte tantum ſeparantur ab Heluetijs, relicta Maria vnica filia hærede, Maximilianus Federici Imperatoris filius, qui & ipſe fuit Imperator, eam duxit vxorem, accepitque in dotem Sequanorum regionem, & Olandam, & Zelandam, Flandriam, Brabantiam, Gheldriam, atque omnes denique inferiores illas regiones, quod maximum fuit incrementum. ſed multo maius fuit, quod factum eſt per matrimonium Philippi Archiducis Auſtriæ filij, Maximiliani Imperatoris, & Ioannę Ferdinandi Aragonij Hiſpaniarum Regis, quia mortuo vnico filio mare, quem rex habebat, ipſe cum vxore relictus eſt hęres regnorum Hiſpanię, Sicilię, Neapolis, Sardinię, maximarumque prouinciarum noui orbis, quibus regnis, & prouincijs ſucceſſerunt duo fratres Carolus Imperator, & Ferdinandus rex Romanorum. his fortuna etiam fauit plurimum quoniam Carolo detulit Imperium pręter ſuperiores principatus, qui tanquam primogenitum ad eum ſpectabant, at Ferdinando obuenit Auſtria, Pannonia poſt mortem Ludouici leuiri, & regnum Boemiæ vxoris cauſa, cui regno adiuncta eſt Sleſia, Morauia, dueque Luſatię vocatę, qui principatus tam ampli ſunt, tamque potentem Auſtriam faciunt, vt niſi potentiſſimum Turcarum Imperatorem haberet finitimum, qui poteſt vel maximas vires obtundere, potuiſſet videri fratre nulla re inferior. at verò Genuenſes, dum Galli varijs calamitatibus affligantur, atque occupātur, & inuoluti ſunt in multis bellorum fluctibus, Cyrnum inſulam, vt dicebamus, recuperare nituntur. Auria collecta magna manu militum Caſalium ſinum obſidet, acriterque diuerberat, quæ pręſidia cum omni ſubſidiorum ſpe eſſent deſtituta ea conditione denique ſe dedunt, vt liceret liberis cum armis, & impedimentis quò vellent excedere. illa munitione ita Auria per deditionem potitus, deinde portum Syracuſanum inuadit. ſed cum propter egregiam virtutem defenſorum ſe omnem operam ludere intelligeret ab illa oppugnatione recedit. neque tamen his tot cladibus vbique acceptis hinc inde propter vim bellorum vlla ſpes quietis ſe oſtentabat, ſed multa minacia prodigia grauiora ſignificabant imminere. nam inſignis cometa in Italia apparuit, nuntius nouarum calamitatum, qui interius turbidus pallenſque videbatur, cum tamen radij eſſent clariſſimi, atque auro perſimiles. ille ad ſeptentrionem à meridie paulatim excurrens cum ipſo cœlo tanquam vera ſtella conuoluebatur, variatoque curſu, & apparendi tempore per menſis ſpatium propè perdurauit, mox paulatim euanuit. ſecuti ſunt paulopoſt inſignes calores, ac deinde ingentes pluuiæ. in finibus verò Noricis, & in regionibus Sueuorum ac Boemorum tanta, tamque formidabilis exorta eſt tempeſtas, & tanti turbines ventorum, vt multa ædificia proſtrata ſint, & ſolo adæquata, arboreſque conuulſę radicitus peruetuſtæ, atque aſſiduus propè fulgurum ſplendor, tanquam nictus oculorum interpoſito interuallo. ignes crebri in aere viſi ſunt per quoddam ſpatium perdurare. Pontifex qui tam benignus extiterat erga Romanos ciues iam ad ſuos etiam coniunctos cœpit animum conuertere, & eorum rebus conſulere, vt & opulentia, & honoribus inſignirentur. atque cum animus eius neſcio quid bellicum diuinare videretur, Ioannem Carafam fratrem rebus militaribus cum ſummo imperio pręficit, qui magna cum pompa & inuſitata propè ſolennitate ad eam dignitatem fuit aſſumptus. nam aurea veſte indutus, habenſque capitis integumentum multis gemmis, & margaritis ornatum adductus eſt cum magno procerum comitatu in capitolium. fuit ibi ſolemne, magnificumque conuiuium paratum a Romanis cum regio propè ſplendore, vbi nobiliores ciues Romani erant complures ac matronę Romanę, ad quod conuiuium omnes Pontificis coniuncti, & affines fuerant inuitati. multa aderant acroamatum genera, & comœdiæ nonnullæ ſunt recitatæ, ita vt nulla conuiuij ſuauitas deſideraretur, cum acroamata ipſa ad auroram vſque perdurauerint. nullum præter-

*Caſalius ſinus captus.*

*Prodigium.*

*Romanorū magnificentia erga Pontificios.*

miſſum eſt humanitatis,magnificentiæque genus à Romanis,quo non cumulatiſſimè ac liberaliſſimè in affines Pontificis vſi ſint,cum omnes arbitrarentur ſe ad ſummam tranquillitatem per illum Pontificem perueniſſe, & ad feliciſſimum vitæ genus, atque adeo ad illud verè aureum ſæculum, quod ab antiquis tantopere fuit laudibus celebratum. omnes Romani lætari, geſtire, exultare, alas concutere, Pontificem miris laudibus tam publicè, tam priuatim extollere, nihilque tantopere precari à Deo, quàm vt illi quam maxime diuturnus, & felix vitæ decurſus concederetur. Philippus rex interea abdicato cardinale Pacceco ſuffecit in Neapolitanam adminiſtrationem Bernardinum Mendocium, qui fuit in ea præfectura, vſque ad Albani aduentum. Sed antequam induciarum fama in Belgas, aut in Britanniam penetraſſet, vel potius etiam antequam res componerentur, bellum quoddam nauale commiſſum eſt inter mercatoria, militariaque nauigia quædam propter atrocitatem memorabile.nam cum prætoria nauis Hiſpana in mari Oceano cum viginti,& duobus nauigijs Batauorum mercimonijs onuſtis nauigaret ex Hiſpania, Galli per exploratores facti certiores decem & nouem naues onerarias,& ſex minora nauigia bellicis apparatibus, & præſidijs egregiè inſtruunt,atque in opportuno loco præſtolantur non procul à Douera, qui eſt Britanniæ portus,ferè per lineam rectam Icium è regione aſpiciens. ad eam prætoriam nauim inuadendā cum apparuiſſet,Galli ſpe prædæ incredibili impetu,alacritateque feruntur.Batavi propter belli ſuſpicionem quamuis varia mercimonia conuehebant,tamen minimè erant ad defenſionem imparati. non ſunt territi igitur repentino Gallorum adorientium conatu, ſed ſtrenuè ſe accingunt ad defenſionem.Galli quoniam militum bonitate pręſtarent, quanta fieri poteſt celeritate tormētorum impetum deuitantes,quærunt cominus pugnare.iacta ſunt ferrea inſtrumenta,quibus naues inter ſe colligarentur,fierentq; ad mutuam pugnam ſtabiles,atque poſt multum tormentorum fragorē Galli,denique circiter quindecim nauigia Batauorum vncis ferreis cathenant ad expugnationem. Bataui ac Belgæ reſiſtentes,tuenteſque ipſa nauigia tam atrox, tamq; cruentum prælium committunt,multi vt vtrinque caderent,& non minus victi,quam victores Galli apparerent. Iſtud autem fiebat non ſolùm Batauorum virtute,qui Gallis minimè cedebant,ſed etiam nauigiorum bonitate, quæ multo erant Gallicis editiora,Galliſque imminebant,ac multis & tormentis, & varijs armorū generibus erant inſtructa.cum verò diu certatum eſſet, Galli iam defeſſi diuturno labore, ac vi tormentorum conquaſſati è bello erant exceſſuri,ſed cum id facere non liceret, decernunt Batauis nauibus ignem inijcere,vt hoſtes territi cogerentur accurrere ad reſtinguendum incendium, ſibique tempus concederent ad fugam.ſed res longe aliter euenit.nam cum repentina vis ventorum inſurrexiſſet,neque naues poſsent ita repente ſolui,tantus ardor ſublatus eſt,tantuſque impetus,& fluctus flammarum,vt non minus in amicas, quàm in hoſtiles naues ignis debaccharetur. illo excitato incendio omnes neceſſariò dimiſſa pugna ad extinguendum ignem ſunt conuerſi. nulla tamen tam velox mortalium fuit diligentia, vt multa nauigia illo incendio non exuſta ſint; atque milites ignis acerbitatem aufugientes natatu ſalutem ſibi quærentes ad proxima quæq; nauigia confugiebant. ceciderunt è Gallis mille ferè, è Batauis non multo plures quadringentis; quæ pugna cum diutius perduraſſet,concrematæque fuiſſent ſex naues Gallicæ ac totidem Batauæ,deniq; Galli victoria potiuntur,captiuaque abducunt quinque nauigia Batauorum,& multos inſignes homines. Cæterum Bona Poloniæ regina mater Iſabellæ reginæ inferioris Pannoniæ cum vix a Cæſare, ac Ferdinando impetraſſet per hoc tempus,& à Ioanne filio Sarmatarum rege,vt in Italiam migrare liceret, atque quod reliquum eſſet vitæ,ibi tranſigere,primùm traiecit Venetias. ibi magnificentiſſimè a Venetis in Thalamagum excepta multis comitantibus Venetis matronis ad palatium Ducis Ferrarienſis regiè ornatum, apparatumque magnificentiſſimè adducitur. in hanc omni officiorum, magnificentiæ, liberalitatis genere vſi ſunt Veneti. poſtmodo datæ ſunt illi triremes, quæ tutam ab omni piratarum moleſtia, aut iniuria tunc litora maritima infeſtantium exponerent, quo vellet. Bona felici nauigatione facilique vſa, & eximia benignitate ventorum Barrium appellit, quod eſt Apuliæ oppidum, atque ibi parum vixit. hæredem moriens teſtamento reliquit eorum omnium, quæ precioſa ſecum aduexerat, ſeruum quendam; propter quem etiam male audiebat, quòd poſthabita filiorum regum maieſtate, & amplitudine ſeruo ad concubitum turpiter abuteretur. quo etiam tempore in finibus Belgarum cohortes nonnullæ Germanorum inſignem tumultum Atuacuti excitarunt ſtipendiorum cauſa, portiſque & turribus quibuſdam occupatis pulſis, & eiectis cuſtodibus apparebant vrbem breui direpturi, niſi Maria regina nouis accitis auxilijs illorum audaciam refrenaſset, authoreſque ſeditionis capitali ſupplicio mulctaſset. at Henricus Cantabrorum rex eiectus è regno a Ferdinando rege Aragonæ anno duodecimo poſt mille,& quingentos naturæ conceſſit, cui ſucceſſit Vandomus regulus. nam Vandomus vnicam filiam eius regni hæredem in matrimonio habebat. Pontifex interea ad reformandos nonnullos eccleſiaſticos magiſtratus animum conuertit, quos Datariatum, Pœnitentiariam, & Auditoratum vulgus appellat,ad eximendoſque & euellendos abuſus, qui in hos magiſtratus ſenſim irrepſerant: & ad reformandos ſacerdotes, omnemque conditionem eccleſiaſticam tam in ijs quæ pertinerent ad veſtitum, quam quæ ad mores,& ad omnem vitæ rationem rectè inſtituendam. decreuit ſeruari in poſterum ne rerum ſacrarum munia committerentur ignaris earum rerum, quæ neceſſariè erant, vt ſcirentur: neve prouentus & commoda debita viris bonis, & ſapientibus concederentur inconſiderate ignaris, & imperitis ſacerdotibus; quoniam qui non laborant in ijs, quæ diligentiam requirunt, hoc eſt ignaui, & negligentes homines non debent reportare paria pręmia cum viris bonis,& nauis, & ſapientibus. vbi enim nulla ſit virtutum differentia, imperitiæ ſcilicet & peritię, ibi neceſse eſt eſse certiſſimum Ignauię domicilium, atque hoſpitium denique omnium calamitatum. Pontifex

Bellū nauale atrox in Oceano.

Bonę reginę aduentus Venetias.

Bonę mors, & teſtamentum.

Seditio Germanorum.

Henrici Cantabri regis mors.

Pont. reformationes.

ſex igitur conceſſit eccleſiaſticos prouentus illis tantùm, qui à viris bonis, & doctis & prudentibus antiſtibus idonei fuiſſent comprobati. cooptauit primùm in ſacrorum antiſtitum purpuratorum concilium Carolum Carafam, cui ſuum galerum purpureum conceſſit: quo tempore Cæſar unà cum ſororibus reginis commodam nactus nauigationem in Hiſpaniam accedit vento vſus felici. Delegit ſibi monaſterium in loco ſaluberrimo, & amœniſſimo Iuſto vocato, Hieronymitarum, vbi rebus omnibus humanis neglectis diuinis tantum cogitationibus ſe addixit: magnaque vſus eſt continentia, & abſtinentia ciborum ac potus. ſic demonſtrauit, quam parui imperia, & amplitudo regnorum facienda ſit illis, qui res diuinas ſuſpiciunt, aut etiam qui tranquillitatem humanæ vitæ tanquam ſolam felicitatem in rebus humanis ſectantur. quæ dum fiunt Romæ, moritur Mediolani Marinianius nuper è Gallia ſubalpina reuerſus, non ſine aliqua ſuſpicione veneni. ſic

*Marinianij mors, & fortuna.*

repentino prope morbo correptus vno temporis momento, tanquam bulla vniuerſam rerum geſtarum gloriam concluſit: qui propter ſingularem felicitatem benignitatemque fortunæ non nihil tamen ſuo ingenio adiutus ex infimo, & pene ſordido fortunæ gradu ad ſummos ampliſſimoſque honores peruenerat, omneque ætatis ſuæ tempus in caſtris Cæſaris cum multis inſignibus prę fecturis militaribus abſumpſerat. ſepultus eſt Mediolani quàm honorificentiſſimè, quem Albanus Dux, & vniuerſa nobilitas Mediolanenſis ad ſepulturam cum magno totius ciuitatis mętrore, ac lachrymis proſecuta eſt. eius corpus poſitum fuit in ampliſſimo, magnificentiſſimoque templo maiore; in marmoreo ſepulchro multis cupreis ſtatuis, & columnis variegatis ornato, quod vnum aſſecutum eſt a prima conditione differens per multos bellicos labores. fuerant illæ columnæ è Cęlio monte Roma Mediolanum comportatæ magnis ſumptibus. Pontifex qui tantum animos omnium mortalium ad ſummam ſpem felicitatis erexerat, omnibus ſapienter inſtituendis, iam cępit ad priuatos etiam animum deflectere, atque per incredibilem humanitatem inſigni liberalitate vtitur erga omnes, à quibus aliquo vnquam beneficio fuiſſet affectus, tanquam fertiliſſimus ager, atque inaudita̅m acceptorum beneficiorum memoriam tenere cognitus eſt. ſed tamen tam admirabilis, tam felix, tam inuſitata Romanæ vrbis, & vniuerſæ Italiæ expectatio, quaſi futuræ ſegetis, vel in ipſo primo floreſcendi tempore corrupta eſt, non tantum ipſius Pontificis natura, quantũ conſultorum

*Initia bellorũ in Italia.*

perfidia & ſcelere, & auaritia, & vana cupiditate rerum nouarum. nam cum eum ſollicitaſſent affines & conſultores, vt arma inferret Philippo Hiſpaniarum regi, non Latij tantum, ſed totius Italię, & Gallię, atque Hiſpaniæ tranquillitatem in maximas calamitates, ærumnas, & perturbationes coniecit. ita verò rem Pontificiam afflixit, vt per multos annos felices, multoſque ſapientes Pontifices ad priorem ſtatum vix poſſit perduci. Albanus, qui erat adhuc Mediolani Neapolim decedere ſtatuerat, vt occultis Pontificis conſiliis, & apparatibus occurreret, ſubodorabat enim quòd

*Albanus adit Neapolim.*

paulatim, vt dicetur poſtmodo, inſtrueretur aduerſus Philippum regem. at quia Mediolanenſis præfectura inſigni aliquo viro ad eius vrbis adminiſtrationem indigere videbatur, deligitur ad illud munus Chriſtophorus Madruccius Cardina. Tridentinus, qui magna cum lętitię ſignificatione à Mediolanenſibus fuit acceptus. Pontifex poſt Carolum Carafam cooptauit in pur-

*Car. Madruccius Mediolani pręfectus.*

puratorum patrum numerum Antonium Capizzuccam Romanum, Ioannem Graperum Germanum, Ioannem Reumanum Gallum, Scipionem Rehibbam Siculum, Ioannem Saliceum Hiſpanum, Diomedem Carafam, Bernardinum Scotum Sabinum. ea dum fierent Romæ, regulus Villagagnius vir Gallus eques Rhodię militiæ deſiderio nouarum terrarum, ac rerum nouarum impulſus ad Ameriam nauigare inſtituit, quam nauigationem cenſuimus non eſſe prætermittendam propter cognitionem variarum rerum, quæ ex ipſa cognoſcuntur. nam cum in portu Habbæ, quæ ciuitas eſt Celtarum, naues quaſdam onerarias præſidijs, bellicis apparatibus, omnibuſque rebus neceſſarijs diuturnæ nauigationi inſtruxiſſet, vela in uentos explicauit.

*Villagagnij nauigatio in Ameriam.*

*Ameriæ deſcriptio, ſiue fortunatarũ inſ.*

per fretum igitur Herculeum & Calpen Alybenq; montes, & columnas Herculis præteruectus in oceanum occiduum ad ſiniſtram æquinoctialem verſus nauigauit, & ad inſulas fortunatas, ſiue Cannarias peruenit. diſtant illæ inſulæ circiter viginti gradus ab æquatore contra extremam Mauritaniæ partem, ad quam partem etiam terminus occiduus Hiſpaniæ concurrit. dictę ſunt Cannariæ, quoniam vna illarum Cannaria fuit antiquitus appellata, alia Niuaria, duæ Innoniæ, vna Capraria, vna Ombrios; quas tamen quidam cenſuerunt vocatas fuiſſe Cannarias ob cannarum copiam quæ ſaccarum producunt. has omnium orbis terræ regionum feliciſſimas eſſe fabulati ſunt antiqui, cum propter fertilitatem pecudum, tum propter aeris temperiem, cum omnino fieri non poſſit, vt tanta ſit temperies in locis curſui ſolis, & æquatori tam propinquis, quibus polus non eleuatur ſupra orizontem plus viginti gradibus, cum ſit illis dies longisſimus tredecim horarum initio fere paralleli per Syenen. Inde ſoluens Villagagnius oram Aethiopicam & oſtia Nigritæ Nięque fluuiorum præteruectus, regnumque vocatum Senegæ, quod diſtat ab æquatore ad altitudinem poli circiter quindecim gradus, ad inſulas Heſperidum applicuit, quæ diſtant a fortunatis octoginta millia paſſuum tropicum antarcticum verſus. illarum duæ habitantur a Luſitanis, qui primi omnium recentiorum illas inuenerunt, quarum altera Sancti Nicolai inſula, altera Sancti Iacobi vocata eſt. reliquę ſylueſtribus capreis. variiſque feris animalibus tantùm, & à paucis hominibus habitantur. hinc longa nauigãtione vſus ad inſulam Ignis nominatam peruenit propter multitudinem flammarum ibi ſcatentium Ichthyophagos, & Aethiopiam interiorem præteruectus. deinde æquatorem felici itinere pertranſiens, & ſinum Bonæ ſpei vocatum Americis inſulis propinquat. tum altiſſimos Chriſtmouræ montes proſpiciens, qui non procul diſtant ab Americis tandiu nauigauit, vt ad montes ipſos peruenerit. ab incolis benignè excipitur, vnde ad Friæ promontorium vectus ab aquarum penuriam cum

ſalſum fluuium inueniſſet coactus eſt abnauigare per longum tractum, donec ad Ganabram fluuiū peruentum eſt, tum aduerſo curſu fluminis, ſed non violento tamen propter amplitudinem profunditatemque aquarum ad inſulam perueniens illam Galliam antarcticam nominauit. & terræ pars vocata eſt à Gallis Ameria, quoniam primus Ameticus Veſpuccius eam deprehēdit. vocata eſt poſtmodo Gallia antarctica, quia poſſeſſa ſit à Gallis. eſt autē ſita inter duos tropicos ſub æquatore pars quædam Americæ regionis, eaque non parua vltra tropicum Capricorni porrigitur: quæ ab oriente, & ſeptentrionem verſus, aut tropicum Cancri mari oceano terminatur. ad meridiem, ſiue antarcticum polum fretum habet Magellanicum. ad occidentem Cuzcum & Ophir, & mare nominatū Pacificum naſcitur in Ameria quædam palmarum copia, vbi etiam mira eſt piſcium abundātia qui frequentes ſunt in proximo mari, quibus incolæ veſcuntur. eorum tamen hominum cibus eſt fructus multarum arborum præter dactylos, quos terra ſua ſponte ſine vllo mortalium cultu, aut induſtria producit. veſcuntur etiam radicibus nonnulli, quas indigenæ Hetichas vocant, quæ ſimillimæ ſunt raphanis, & humana carne illorum, qui pugnando ceciderunt, cum hoſtes etiam ceſos comedant. ſolebant hi populi ſolem, & lunam, & ſidera adorare tanquam Dei miniſtros, cum tamen omnes in eam ſententiam conuenirent, quòd vnus ſit Deus, qui pluuias & tonitrua, & fulmina exci tet, quem illi Tompanum, quaſi tonantem vocant. homines eius regionis ſunt rubicundi, vel potius fului. fluuij crocodillis, & ſardis prægrandibus ac longi, abundare dicuntur. huius telluris Villagagnius magnam partem, atque regionem hanc patefecit, quæ iacet ſub tropico Capricorni. habitabatur illa ab hominibus impijs, perfidis, inhumanis, exlegibus, eximiè omni turpitudinis genere contaminatis, qui nudi etiam incedebant, ſicuti producti fuerant ab ipſa natura. ſed politiorem vitæ rationem poſtea complexi ſunt. exercent tamen, vt exercebant, liberalitatem in omnes am cos, qui cum venatibus aſſueti ſint, atque viuant plerunque è præda, nam multi cerui, & capreoli, & apri naſcuntur in illa regione: amicis, & Chriſtianis præcipuè, vel prædam impertiunt, vel ad conuiuia inuitant. coloribus verò vtuntur nonnullis, quibus magnopere delectantur. Sicut enim Aethiopes libenter oleo perunguntur, vt nitentes appareant, Turcæ cæruleos vngues faciunt, & pingunt crura, ſic hi fructus cuiuſdam arboris perſico perſimilis ſucco vtuntur, quod Genipatum ab illis nuncupatur, qui cæruleum propè colorem refert, atque illo tinguntur. Ahouanum rurſus fructus eſt iuglandi perſimilis, cuius venenum eſt acutiſſimum, repenteque interimit. glans tamen interior, vbi aruerit, tam ſonora eſt, vt tinnitum propè tintinnabulorum emittat, qua plurimū vtuntur Americi illum brachijs, & cruribus alligantes. hoc genus hominum bellicoſiſſimum eſt, ſummæque laudis exiſtimatur, qui plures inimicos obtruncarit: quorum arma ſunt ſagittæ, & baculi, & lignei enſes, ſed præduri & acuti. vtuntur lintribus è corticibus arborum, qui ſi hoſtem quempiam ceperint in bello, eum domum adducunt, opipareque nutrientes ad illud vſque tempus, quod viſum fuerit, aſſeruant. poſtea mactantes omnes amicos conuocant ad conuiuium, atque ita humanis carnibus veſcuntur, cum mulieres captiuæ ſeruire cogantur. matrimonia fiunt promiſcua nulla habita ſanguinis, aut affinitatis reuerentia, atque virgines nubiles, antequam nubant, cuiuis proſtituuntur, quæ tamen nuptæ fidem ſeruant maritis incontaminatam, atque in adulterio deprehenſę, ſi forte id accidat, vel necantur, vel per ſummam infamiam repudiantur. at verò conſuetudinem illam proſtituendi, & inter coniunctos nubendi Villagagnius perpetua lege ſuſtulit. multa ridicula faciunt in funere defunctorum, quippe cum tympana pulſent in eorum honorem, multiſque plumis, & varijs pellibus induantur. naſcuntur in Americorum prouincia multæ cedri, & mali Medicę, quæ multos, & miræ ſuauitatis fructus producunt, cum regio ipſa ventis vtatur perbenignis, & aere ſalubri. eſt enim regio ampliſſima multis ameniſſimis montibus, & ſyluis abundans, amplaque planitie, in qua domicilia multa conſpiciuntur è paleis, algaque confecta, & frondibus arborum, quæ tota nunc Gallorum paret imperio, atque hæc breuiter de moribus, & regione Americorum populorum, qui nunc primùm cogniti fuerunt à Gallis, dixiſſe ſufficiat. inierat iam annus alter, qui fuit a partu Vir-
1556 ginis quinquageſimus ſextus ſupra mille & quingentos, cum Albanus per ea quæ ad Marcum Antonium Columnam ſpectabant, quem protegebat clam Philippus rex, & ad regnum inde Neapolitanum, intelligens Pontificia conſilia Neapolim citatis equis conuolat Tridentino Card. vt dictum eſt in Mediolanenſem præfecturam ſubſtituto. excipitur multa cum lætitiæ ſignificatione, & pompa, & magnificentia a ciuibus Neapolitanis, atque Aſcanius Columna M. Antonij pater præcipuè mira cum lætitia eius aduentum expectabat: quia fore crediderat, vt per illam occaſionem, aduentuſque recentis proregis opportunitatem ſe poſſet ab illis criminationibus expurgare, quibus ab aduerſariis oneratus fuerat. quòd hæreſeos prauitate fuiſſet contaminatus, quòd cum Gallis conſpiraſſet aduerſus Cæſarem, quodque turpiter viueret vteretur, quarum accuſationum authores fuerunt familiares. ſed tamen nihil inde reportauit aliud, quàm commodam audientiam, & mirificam quandam lenitatem verborum. nam cum eſſet Aſcanius vir ampliſſimæ autoritatis, videreturque maximum odium in M. Antoniū quacunq; poſſet ratione exaturaturus, à quo & accuſatus fuerat filio, & priuatus Imperio ac principatu omnium caſtellorum quæ habebat in Latio, & maxima etiam parte illorum, quę habebat in regno Neapolitano, verebatur Albanus ne ſi abſolutus fuiſſet aliquid noui moliretur in eo regno infeſto præſertim Pontifice. ad conſeruandam igitur quietē populorum partim lenitate verborum animum Aſcanii mitigabat, partim rem differebat ob præſentia negotia vrgentia. ſunt enim cognatorum, & coniunctorum acerrima odia, maximeque omnium moleſta & grauia; ſed tamen multo etiam atrociora quæ ſunt inter coniunctiſſimos, cum omnes vel leuiſſimæ iniurię ab illis profectæ grauiſſimę moleſtiſſimæque appareant. nam acerbior eſt inimicitia inter ciues eiuſdem ciuitatis, quam alienigenas, & inter finitimos rurſus, quàm lōginquos.

Albanus Neapoli, vt exceptus.

Aſcanij Colũnæ mors, & teſtamẽtũ.

quos. Aſcanius igitur tamdiu ibi aſſeruatus eſt, quàmdiu vixit. hæredem teſtamento reliquit Victoriam filiam, quam dederat vxorem Garziæ Toletano omnium illorum, quæ haberet in regno Neapolitano. at quæ eſſent ſub imperio Pontificio reliquit Pontifici, ſiue ſedi Apoſtolicæ. At filio verò vt atrociſſimo patri inimico nihil reliquit, quippe qui propter auaritiam, & cupiditatem occupandi ante mortem patris patrimonij patrem in magnum periculum capitis iniecerit. cęterum Albanus Neapolim profectus ſtatim ad omnia eius regni munia iuſtitię, & ad magiſtratus reformandos, aut etiam mutandos animum adiecit. alios igitur abdicat, alios ſubrogat, alios in melius reformat: quod ſanè vtiliter fit, quoniam omnes diuturni magiſtratus in tyrannidem denique prolabuntur, conuertunturque ad ſubditos compilandos, niſi aliquam vel mutationem timeant, vel rationem rerum geſtarum aliquando ſuperioribus magiſtratibus eſſe reddendam. hęc dum ab Albano Neapoli componuntur, paulatim in animo Pontificis non optimè erga Philippum Hiſpaniarum regem affecto per nepotum verba ſemina iræ & bellorum quotidie ſuccreſcere. quę leuiſſima poſſent videri cęteris, ipſe maximi ponderis ducere cœpit. quæ nullam poſſent habere ſuſpicionem maleuolentiæ, ipſe grauiſſima putabat, cum omnia dicta, facta, viſa, audita illi moleſta, & inſidiarum plena viderentur, cuius animus paulatim fiebat ad bellum propenſius. nam vt partes corporis ſanas multi, vel graues ictus aliquando non offendunt, aut id leuiter faciunt, at male affectas quiuis vel leuiſſimus tactus plurimum infeſtat; ſic male affectum animũ omnia poſſunt ad ſuſpicionem impellere, quæ alioquin carent omnino ſuſpicione. accidit per illud tempus non leuis occaſio, per quam Pontificis ſe patefecit qualis eſſet reipſa. nam duę trireme cum in portum Pyrgorum appuliſſent, quæ erãt Prioris Longobardiæ fratris cardinalis Sanctiflorii Gallica ſtipendia merentis, qui his regio iuſſu Nicolaum Alemannum pręfecerat ac ſibi ſubſtituerat, huic rei facultatem præbuerunt. ille vbi Martiani captus liberatus fuit profectus eſt in Galliam. at rex eius conſtantiæ diffidens quòd exploratũ haberet eum cardinalis opera à Gallica factione defecturum, ſiue aliis occultis de cauſis, iubetur regio mandato comprehendi. ſed fuga ſalutem ſibi quæſiuit, cuius triremes in portu Maſſiliæ ſunt captæ. vt igitur hære cuperarentur tum prioris opera, tum etiam Cardin. Sanctiflorij, inueſtigabatur quo pacto commodè conuenitet ad Hiſpana ſtipendia per aliquam opportunam occaſionem. accidit igitur vt illæ triremes Farneſios conuehentes ad vrbem Centumcellas appulerint. de harum aduentu purpuratus antiſtes, & Alexander Sanctiflorius fiunt certiores, qui putant fieri poſſe, vt ſine Pontificis vlla indignatione has triremes recuperarent. colligunt circiter ducentos pedites, qui Centumcellas ab Alexandro mittuntur. hi repente nemine pręſcio triremes ingreſſi illas occupant. dũ Alemannus pro illata ſibi iniuria incaſſum quereretur, tenduntur etiam cathenę nequis exiret è portu. de his omnibus fit certior Pontifex. cum Sanctiflorius impetraſſet, vt triremes Neapolim appelierent, Pontifex multa grauia comminatur cardinali, niſi illę ſtatim Romam reducerentur, quæ poſt modo Gallis ducibus reſtitutę ſunt. omnes verò harum rerum accuſationes in Lottinum quẽdam a ſecretis ipſius Cardinalis coniectæ ſunt ad Card. ipſum excuſandum, & purgandum, qui Lottinus fuga ſibi ſalutem comparauit. nam vbi captæ fuiſſent triremes grauiter conqueſti ſunt Galli negotiatores regij, non ſolum ad dignitatem Henrici Regis ſpectare ne tantas iniurias æquo animo ferret, verum etiam ad dignitatem pontificiam, cum minimè ferendum ſit, vt intra fines ſui imperij tantum iniuriarum aduerſus amicos reges committeretur. his reſtitutis mitigati ſunt Galli, at magna Pontificis indignatio exarſit in Sanctiflorium. atque ira ſeniorum non facile euaneſcit. ea dum Romæ geruntur pręter memotiam literarum ſcriptarum de abdicando Pontifice nuntiantur inter ſigna lętitiæ ob factas regum indncias multi nobiles Romani Hiſpanę factionis in ędes M. Antonii Columnæ, & Cardinalis Sanctiflorii frequenter conuenire. haberi conuenticula ab his occulta. multa hos inter ſe communicare de rebus Hiſpanis, quæ poſſent non parum offendere rem Pontificiã. nulla alia de cauſa Lottinum ad Philippum confugiſſe, niſi vt contumelias & maledicta in ipſum Pontificem effutiret, animum Philippi exacerbaret, monſtraretque Pontificem Gallicas partes ſtudioſè amplecti. quare monebant vt ſibi caueret ab Hiſpana factione. hęc tametſi videbantur eſſe viro ſapienti non negligenda, tamen non debebant eſſe tanti, vt incognita cauſa ſtatim ad maximorũ regum inimicitiam ſuſcipiendam poſſent impellere, & ad priuatos ciues affligendos, non ſolùm quia priuati ciues ſunt tanquam columnæ principum ſublimitatem ſuis humeris ſuſtinentes, ſed etiam quia vix eſt atrocis tyrannidis quauis minima ſuſpicione, quę nulla probabili cauſa fulciatur, ita commoueri, vt ad exitium internecionemque ciuium, & honeſtarum familiarum infamiam procedatur. hæc autem contingebant, quia Pontifici falsò perſuaſum fuerat, quòd Philippus rex & ipſum, & Carafam purpuratum per nonnullos Neapolitanos Garzię opera interfici curaret. atque Nannio Abbati viro Apulo caput amputatum eſt, quòd venenum dictus eſt parauiſſe, cum eſſet cubicularius ſecretus. nam Matthæus Stendardus Pontificis nepos nuntiauerat ſe venenum in inferiore culina Pontificis reperiſſe. enimuero cum multi viri ſapientes Pontificem ipſum ab ea falsò ſuſcepta opinione deducere conarentur, vellentque demonſtrare hanc eſſe apertiſſimam nonnullorum malitiam, & calumniam, quia Philippus optimè eſſet affectus erga dignitatem Pontificiam, neque eſſet quidpiam, vel clam, vel palam nulla pręſertim accepta iniuria moliturus, nunquam ab illa opinione dimoueri potuit. eſt enim id ſiue naturæ vitio inſitum pleriſque ſenibus, ſiue conſuetudine quibuſdam confirmatum, ſiue ex imperia rerum, vt, vbi exacerbati fuerint, vel aliquam opinionem, ſeu bonam, ſeu malam imbiberint, nullis omnino rarionibus dimoueantur. illud verò contingit plerunque imperitis rerum humanarum, qui pertinaciam ac temeritatem pro conſtantia complectuntur. his accedebat, quòd Pontifex natura eſſet iracundus, ac penè implacabilis. hiſce ſuſpicionibus commotus iubet nonnullas peditum cohortes conſcribi ad ſui corporis cuſtodiam.

Triremes à Sanctiflorio captæ Centumcellis.

Põti. venenũ paratũ fuiſſe dictum.

Card.

Proceres in arcem miſſi Romæ.

Card. Sanctiflorium vt conſcium & principem illorum omnium,quæ tractabantur, & Camillum Columnam præterea, Iulianum Cæſarinum, abbatem Breſegnum,quem nuper Bononia adducendum curauerat, in arcem diui Angeli captos mittit in cuſtodias. Marco Antonio Columnæ dies dicta eſt,& grauiſſima ſupplicia propoſita, niſi ad ſtatutum diem affuiſſet ad dilu endas accuſationes. Ioannæ Aragonę M. Antonij matri domus eſt pro carcere aſſignata,& ſub grauiſſimis pęnis exitus interdictus. reſignantur omnes literę tabellariorum. iubetur Carafa cardinalis ſimulata legatione pro lætitia induciarum in quinquennium, petere auxilia,Henricumque regem ſollicitare vt bellum denuo inſtauret ac renouet in Belgio. imperat Mottulam in Belgium iter facere, qui tamen cum Mediolanum aduentaſſet, perbenigneque à Madruccio fuiſſet exceptus,atque inde diſcedens in Galliam properauiſſet,res tota patefacta eſt,& conſilium Pontificis denudatum. nam Carafa poſt multas preces duo Aquitanorum millia obtinuit.ea res non nihil ſuſpicionis Philippo regi attulit,quare ſcribit ad Albanum vt res omnes ad futurum bellum compararet. Aſcanius Cornienſis, qui erat tunc Romæ, quòd viſus eſſet Philippicis rebus fauere, atque Hiſpanas partes amplecti, cogitur ad vadimonium ſiſtendi, vbi apparere iuſſus fuerit, & promiſſum eſt ne Roma exiret. vbique in morē arctiſſimæ tyrannidis inſtituuntur exploratores aduerſus inſigniores homines vrbis, qui obſeruarent quid quiſque ageret,aut loqueretur. fit publicum edictum Pontificium, vt omnes Romani arma comportent in capitolium. illi qui externi eſſent Romæ, iuſſi ſunt arma comportare in arcem diui Angeli. ſic arma Romanis omnibus ſunt adempta. Illud tamen edictum mitigatum fuit per quorundam purpuratorum preces,vt nimis violentum,quia demonſtraret ſe prope hoſtes cenſere ciues Romanos. paſſus eſt Pontifex pręterea purpuratum Sanctiflorium exire è cuſtodiis dato tamen vade apparendi,quandocunque iuberetur. Philippus Hiſpaniarum rex ęgre ferens nulla ſua culpa tantum iniuriarum fieri palam illis,qui Hiſpanas partes complecterentur plenas humanitatis literas ad Pontificem ſcribit. imperat Garzilaſio Vegio regio oratori ſuo, vt ſuppliciter roget Philippi regis nomine,vt priſtinæ libertati Iulianum Cæſarianum, Camillum Columnam,& Abbatem Breſegnum reſtituat,eoſque liberet è cuſtodiis. at iſtud nullis vel precibus, vel rationibus obtineri potuit.iſtud negotium multo difficilius faciebat cum ambitione nonnullorum coniuncta auaritia, quæ peſtes omnem æquitatem,& humanitatem ſolent ex animis mortalium obliterare. dicebatur Iulianus Cæſarianus præter alias criminationes in arcem diui Angeli traditus in cuſtodias Carafe, & fratri Pontificis, vt compelleretur illorum votis aſſentiri, quorum deſiderijs maximè repugnabat. cupiebant enim vt neptis Cæſarini, filia Iuliæ Cæſarinæ honeſtiſſimæ, & opulentiſſimæ fœminæ daretur in matrimonium Mattheo Stendardo viro quidem bono, ſed neque generis ſplendore, neque opibus pari,ſed multo etiam inferiori,& citra mediocritatem. Huic impari matrimonio nolebat Cæſarinus aſſentiri, quamuis eſſet Stendardus affinitate Carafis coniunctus, nam aſpirabant virginis affines ad multo honeſtiores nuptias.atqui tametſi nuptię debent fieri legitimè nulla adhibita externa violentia, quæ habent conciliatorem Deum, tamen cum aliquando cędendum ſit neceſſitati temporum,Cęſarini ſoror prius obſtinatiſſima victa Pontificis voluntate, & diuturna fratris calamitate,denique impulſa eſt, vt Pontificio deſiderio aſſentiretur. Garzilaſcus fruſtratus illis quę ſuperius poſtulauerat,rurſus Philippi nomine petit à Pontifice, atque ſupplex precatur ne M. Antonium Columnam vexaret,ſed contentus eſſet, vt ſuis caſtellis pro maiorum ſuorum conſuetudine potiretur: cum preſertim nihil aduerſus ſedem Pontificiam exilio dignum, & fortunarum omnium iactura commiſiſſet. obnuntiat niſi iſtud fiat,munus eſſe regium iniquè oppreſſos, & pręter æquitatem afflictos, propterque odium in Hiſpanam factionem tantùm quibuſcunque poſſit opibus ſubleuare. rogat vt rem diligenter conſideret, neque iuſtiſſimis honeſtiſſimiſque petitionibus aduerſetur.his verbis Pōtifex,tam minacibus magnopere inflammatus reſpondet ſe iure poſſe pro commiſſis ſceleribus in ſuos ſubditos animaduertere.iubet Garzilaſcum reſcribere ad Philippum regem ne ſeſe his negotijs implicaret,nihil ad ſe pertinentibus,ſicuti Pontifex ipſe liberam poteſtatem,liberumque imperium in ſuos ſubditos exercere ſinebat.atque tanto magis in dies in Philippum excandeſcebat, quanto magis Philippus inuiſos, & grauiſſimis criminibus obnoxios protegebat.idcirco cum ad ſtatutum diem M. Antonius non affuiſſet,omnia eius caſtella,quæ forent in Latio, aut alibi ſub imperio Pontificio intra Romanę ditionis fines addicta ſunt fiſco. additę ſunt cauſæ non leues,& probabiles facti Pontificii,quia Pontifici aduocanti non paruiſſet, & quod impiè,atque auarè pręter ius & ęquitatem cum armata manu militum patrem ſuis facultatibus priuaſſet,autorque fuiſſet per inſidias ſimulatis grauibus accuſationibus, vt pater indicta cauſa, nulloque commiſſo ſcelere in carcere teneretur, cum re ipſa curauerit per illa figmenta patrem conijci in periculum capitis,dum ipſe per ſcelus paternum principatum occuparet. his publicè per preconem pronuntiatis omnia quę forēt M. Antonij Columnę iuſſa ſunt occupari. Ioannę interea cum filiabus ſe domi continere iuſsę,& cum nuru grauida impoſitę ſunt cuſtodię. fit edictum, ne cuiquā filias daret in matrimonium,atque proponitur capitale ſupplicium, ſi iſtud fiat ſine Pontificio conſilio & iuſſu.quòd ſi non venerint in poteſtatem Pontificis contrahentes, ſub pęna interdicti ignis, & aquæ,& iacturæ pręterea omnium bonorum vtriuſque partis.his minis territa Ioanna,& quia ſibi conſcia erat quid cum filio commiſiſset contra maritum, quotque illi tetendiſſet inſidias communi coſilio,& quia multo grauiora ſibi mala imminere fingebat conſtituit fortunę potius arbitrio,quàm irę ſenis ac ſeueri hominis ſe credere, quare ad fugam, & ad latebras proſpectare cœpit. Quo igitur tempore Ioannes Carafa Dux Paliani erat pronuntiandus, communicato fugę conſilio cum quodam fidiſſimo è ſuis familiaribus, & cum muliere Campana Arthemiſia vocata, curauit vt omnia ad iter neceſſaria clam pararentur ad amicis Columnę familię. ſub auroram mutatis veſtibus

Arma Romanis adēpta.

Caſtella M. Antonij Columnæ proſcripta.

Ioanna Aragonia profugit è poma.

ſtibus ipſa cum filiabus & nuru ac neptibus ad thermas Diocletiani, quæ ſunt extra partes Romæ vrbis habitatas pedeſtri contendit itinere. ibi erat parata lectica & equi nonnulli ab amicis. cum ad portam Sancti Laurentij peruentum eſt, iubetur ianitor & cuſtodes portam aperire, quòd adeſſet Porcia Zambeccara quæ ad oppidum ſuum Arzolium contenderet. ea ſimulatione credita. porta patefacta eſt à cuſtodibus ac liber exitus conceſſus. & quoniam proximum noui anni initum ſuccedebat, addita ſunt munuſcula pro antiqua conſuetudine fores recluſuris, quo alacrius patefacerent. poſtridie cum illuxiſſet omnia parantur mane tanquam Ioanna adeſſet. menſæ ſcilicet, coquina, & cętera omnia quæ præſenti parari mos erat ne re tam celeriter patefacta tempus fugæ præriperetur. reſponſum eſt etiam viſentibus quòd Ioanna non ſatis valeret, ne vlla excitaretur fugæ ſuſpicio. ſed cum tardior iam hora videretur, neque Ioanna vſquam aut filiæ apparerent, nuntiatur Pontifici mulieres omnes profugiſſe, quas inſequi equites leuis armaturæ iuſſi ſunt. illud verò cum ſerius, quàm oportebat, factum fuiſſet, quòd illæ ſe iamdiu in tutum recepiſſent, re imperfecta equites redeunt, præfectus vero cuſtodum portæ ante ipſam portam diui Laurentij ſuſpendio necatur, quoniam dictus eſt corruptus largitionibus fauiſſe fugientibus mulierculis. ea fuga inflammatus Pontifex, quoniam deluſus ſibi eſſe videretur quodammodo, atrociorem quæſitionem pro impietate in patrē, aduerſus filium inſtituit, atq; illum omnibus bonis priuat, quę fratri pontificio addicit, atque creat Ducem Paliani. frater eo titulo inſignitus cum magna pompa & ornatu ducis incedit per vrbem comitantibus viris nobilibus Romanis. Pontifex rurſus nepotem Cauorum marchionem appellat, Antonius Carafa dictus eſt comes Balnei. fuerat ereptus is principatus legitimo comiti, quia accuſatus fuerat quòd literas & pecuniam intercepiſſet, quæ omnia Romam è Gallia comportabantur. adiunxit etiam illi titulum marchionis Montebelli. Garzilaſcus cum nimius eſſet deprecando & inſtando pro alienis difficultatibus regio nomine, quæ obijciebantur Columnis & iam liberius loqueretur, & ipſe in carcerem detruditur quamuis regius eſſet orator, & Taſſus tabellariorum magiſter tanquam ſuſpecti eſſent inſidiarum. nam cum literæ occultis notis fuiſſent interceptæ inter Tarracinam & Sermitum, quæ ab ipſo Taſſo per tabellarios ad Albanum mittebantur, veritus eſt Pontifex ne illæ contra Pontificiam dignitatem aut vtilitatem & conſeruationem conſcriberentur; quare iubet paulopoſt etiam Caccialupum earum ſecretarum notarum inuentorem comprehendi, & in carcerem detrudi. Ioannes Luna arcis Mediolanenſis pręfectus quoniā ad Henricum regē Gallorum cōfugiſſet, atq; acceptis ab eo rege honorificis ſtipendijs nullis Cæſarianorum promiſſis reuocari potuit, Philippus rex illi ſuffecit Alonſum Peſcionem, cuius fidei arcem Mediolani credidit, quam ille ſingulari diligentia cuſtodiuit donec Figarola poſtmodo pręfectus eſt. cauſa, quę Lunam ad illam mutationem tantam compulerit, ignoratur. ea dum Romæ ita agebantur, res inter Philippum regem & Octauium Farneſium compoſita eſt de Placentia reſtituenda Caſtalij & Hieronymi Corregij reguli opera, cui negotio tranſigendo præficitur Madruccius Card. Tridentinus. commiſſa eſt cura Paulo Vitellio & cuidam Ardinghello Mediolanenſi earum ceremoniarum, quibus vti in reſtituenda Placentia conueniret. atque cardinalis ipſe cum vniuerſa propè nobilitate Mediolanenſi comitante marchione Peſcolienſi Placentiam venit. ibi tumultuario ponte excitato ſupra foſſam ac męnia ciuitatis Parmenſem ducem expectat. Octauius paulopoſt cum multis proceribus & duobus millibus lectiſſimorum peditum & quingentis equitibus accedit. vrbem per tumultuarium pontem cum magna vniuerſi populi Placentini circunfuſi atque inſpectantis lætitia ingreditur, cum multos etiam præſtantiores ciues habuiſſet obuios, qui vndique conueniebant gratulatum. data eſt Octauio poſſeſſio ciuitatis, cum tamen arcem Philippus ſibi reſeruaſſet. hæc vrbis reſtitutio cum moleſtiſſima & periculoſa contigiſſet illis. qui in Petrum Aloyſium coſpirarant, eumq́ue trucidauerant, quoniam cæſi principis filius vrbis imperio recepto eorum, vitæ & facultatibus videbatur imminere, atque periculum intentare; tamen non minus moleſta fuit Pontifici, qui putabat futurum vt ex ea parte maximè rem Philippi regis Ferrarienſibus & Parmenſibus ſibi adiunctis auxilijs infeſtaret, & vexaret. at verò tam acriter, tamque indigne tulit eam concordiam, vt in tanta rerum omnium perturbatione fiſcum iuſſerit pronuntiare Neapolitanum regnum ad eccleſiaſticum imperium deuolui, atque recidere, quoniam multos iam annos debita tributa non fuiſſent perſoluta; nam octo nummûm millia quotānis ſoluuntur Pontifici pro illo regno, atque ea de re habita queſitione fit edictum vt regnum illud ad eccleſiaſticum imperium perueniat. veruntamen multis diſſuadentibus, quibus non placebat hanc tantam nouitatem rerum tentari, quæ nimis videbatur odioſa & rixarum contentionumque plena, res ſilentio inuoluta eſt. in illa tanta rerum omnium perturbatione Romanis rebus conſtitutis Carafa Card. & Petrus trozza & Dux Paliani communi conſilio decernunt Palianum eſſe muniendum, quo vterentur propugnaculo aduerſus impetus hoſtium & copias Neapolitanas, quod etiam tuerentur aduerſus proceres Columnas. ſic enim Gallicis auxilijs confirmati Carafæ cupiebant & putabant fore vt non minus propter ſuſpicionem, quàm propter obſeruantiam plurimi fierent ab ijs pontificibus qui ſuccederent, atque ita ſuam familiam in alto dignitatis gradu per multos annos ſtabilirent; cum omnes reliquæ familiæ quæ Pontifices habuiſſent nihilominus obſcurę breui & inglorię ſicut ante Pōtifices propè iacerēt. nā neq; bonitas neq; malitia mediocris videtur eſſe vtilis. eadē ratione fieri poſſe putabāt vt Paliani dux facilem aditum haberet cum vellet in gratiam Philippi regis redeundi. quod ſi opus foret ſua caſtella Columnæ reddere, ſe ſatis honorificam permutationem habiturum arbitrabatur, cum pauperibus omnino nulla iactura propoſita ſit, ac lucrum non fiat niſi extorquendis alienis, paruaque peccata paruam afferant vtilitatem. eſt enim hoc prope innatum illis, qui ex humili loco nati ad aliquam ſummam dignitatem fortunę be-

neficio

Carafæ titulis inſigniti.

orator Hiſpanus captus.

Io. Luna confugit ad Henricum.

Placētia data Octauio Farneſio.

pont. regnū Neapolitanū Deuolutum pronuntiat.

Palianū munitur.

neficio perueniunt, vt putent omnes, vel ſummos principes, nedum priuatos eam dignitatem ſuſpicere, & admirari, cum omnino dux Paliani nullius futurus eſſet momenti apud Pontifices, vel reges: omnes illi eò profecti cum architectis oppidum munire aggrediuntur, atque mille Aquitani, qui nuper venerant è Gallia, locantur in præſidijs. at verò ob res huiuſmodi multò etiam magis irritati ſunt animi miniſtrorum Philippi regis, quia Petrus Strozza illuc acceſſiſſet, qui perpetuus & fuiſſet & eſſet hoſtis Gæſarianorum. Albanus conſilia Pontificia clam inueſtigare. quæ Romæ fierent ſenſim aucupari. quæ agerentur vbique obſeruare. ſeſe paulatim ad futurum bellum accingere. Comes Populeus Pontificis nepos, vel ampliſſimis conditionibus inuitatus cum nollet his bellorum motibus implicari, impetrata exeundi facultate Neapolim contendit. certiorem facit Albanum bellum parari. omnes bellicos apparatus Pontificios explicat.

Albanus conatur placare Pont.

Albanus Philippum regem per literas hæc omnia monet. non ceſſat tamen Albanus quibuſcunque poteſt rationibus eniti placare Pontificem. omnes aditus occupat ad eum mitigandum. hortatur ad conſeruandam pacem. proponit bellorum incommoda, quæ non ſunt niſi neceſſariò ſubeunda. populorum querelas. agrorum deuaſtationes. incertos pugnæ exitus. rogat ne Paliani munitionem perſequatur, quod cognitum eſt nulla alia ratione, niſi vi armorum deuitari poſſe. oblata ſunt etiam pro annuo redditu viginti nummum millia Pontifici pro Paliano, & totidem Card. Carafæ pro illo bello deuitando, quoniam minime omnium vellet Philippus aduerſus Pontificem belligerari, cui ſumma reuerentia pro religione, vt Chriſti vicario habenda eſt. illa cum propter timorem, at non pro regia liberalitate, obſeruantia, magnificentiaque offerri nonnulli perſuaderent Pontifici, magnopere iratus eſt; quia pro auaritia, at non pro æquitate cauſæ Pontificem Philippus indignatum videretur arguere. quæ dum hinc inde animos excitant ad bellum, Buyza colonia Turcicis armis tentatur ad expugnationem.

Buyzæ coloniç deſcriptio.

eſt autē Buyza vrbs Mauritaniæ Cæſarienſis ſita in litore maris mediterranei populoſa, & ampla, è regione fere Barcinonem proſpiciens quamuis longo tramite in citeriore ripa maris mediterranei, non procul ab anguſtiis, ac faucibus, per quas ad Calpen exitur in mare Oceanum occiduum.

Turcç Buyzam coloniā oppugnāt.

Turcç primū de more peritorum militum illam ad expugnationem recognoſcunt, cum neque munitiones inuadere, neque per verberationes ac ruinas factas irrumpere conueniat, neque vllum munus militare exequi, niſi re prius diligenter explorata. inueſtigatur igitur à Turcis, & ſitus aptus ponendis caſtris, & tormentis dirigendis. nec multo poſt multa armatorum millia vrbem vndique ſępiunt, tormenta in arcem dirigunt, ex qua tantum moleſtiarum caſtris Turcicis inferebatur, vt qui caſtrametati fuerunt tanquam per ludum paruis foſſis, & aggeribus caſtra cingentes, mox coacti ſint nouos vallos, profundiores foſſas, altiores aggeres excitare, quibus protegerentur aduerſus oppidulum. duobus itaque in locis tormenta diriguntur, in arcem ſcilicet, & in eam partem muri, quæ portæ Tremiſoni vocatæ coniuncta eſt. at præſidia eius vrbis ſępius egreſſa minutis pręlijs quotidie commiſſis multos Turcas ſingulari fortitudine obtruncant. neque tamen diurnis tantum pręliis Turcę vexabantur à præſidiis, ſed etiam ſępius per noctem, cum ad arma conclamare totis caſtris cogerentur ita nulla vt daretur illis libera quietis facultas, quamuis eſſent in vrbe paulo plures duobus millibus armatorum. erant autem in Turcicis caſtris duodecim millia arciferorum, & innumerabilis propè multitudo equitum, & ſclopettariorum. vrbana pręſidia partim erant in vrbem diſtributa, partim in oppidulum, partim in turrim. cœptum eſt igitur ſumma diligentia à duabus partibus oppidum diuerberari. at vrbana tormenta in obſidentium Turcarum tormenta diriguntur, pauciſque ictibus à peritiſſimis tormentorum magiſtris tormenta Turcica in os concuſſa facta ſunt inutilia. ijſdem ictibus multi duces, ac miniſtri tormentorum laniati ſunt, qui circa tormenta verſabantur, tantaque clades edita eſt inſignium Turcarum, vt ſummus imperator ipſe ad verberationem neceſſariò acceſſerit, cum nemo auderet tormenta tractare. veruntamen vbi nox aduentaſſet, cognitumque eſſet tormenta parum proficere, vniuerſa illa ſunt ab oppido in vrbem conuerſa. deinde cum ibi quoque parum proficere apparerent, decernitur caſtra inde eſſe mouenda; quamobrem cum parum peritè vrbs fuiſſet recognita, aut explorata, parum honorificè negotium ſuſceptum relinquitur.

Error Turcarum.

vbi peruentum eſt ad claſſem, vbi ſtationem habebant triremes, copię conſcendentes Iuliam Cęſaream erant properaturę. at vrbana pręſidia egreſſa in mouentes caſtra vix paucos extremos comprehendere potuerunt, quia iam biduum copię moueri cœperant, & mira fuit Turcarum tunc celeritas omnibus contrahendis. Arabes cognita fuga Turcarum, vt eſt genus hominum ad omnem fortunę nutum mutabile, conueniunt. legationes ad vrbis pręfectum mittunt. veniam petunt, quia coacti ſint potentiori fortunæ cedere. ſe amicos in poſterum fideliſſimos fore profitentur, omneq; genus auxiliorum liberaliter promittunt. Albanus etſi omnia Pontificis conſilia, quę ſuſcipiebat aduerſus regem intelligebat, tamen vix fieri poſſe putabat, vt recentes inducię cum Gallorum rege factę tam repente nulla neceſſaria cauſa abrumperentur, pręcipuè guſtato ſuauiſſimo pacis fructu, quare dubio animo fuit quid ſibi eſſet agendum.

Bellici appa ratus clā fiūt vtrinque.

at cum omnem ſpem prorſus abieciſſet Pontificis ad pacem reuocandi, qui iam ſe hoſtem eſſe palam profitebatur, miſeratque Antonium Carafam in Galliam togatam ad copias conſcribendas, cum quibus ex ijs finibus agrum Neapolitanum hoſtiliter inuaderet, & Antonium Tiraldum vt Peruſiæ cohortes conſcriberet, alioſque tribunos militum in alias Italię regiones, animum conuertit ad ſuſcipiendum negotium. his itaque cognitis Albanus ſtatuit prior arma hoſtibus inferre, atque Pontificia conſilia pręuenire. Pontifex Camillū Vrſinum virum acri ingenio, ſingularique prudentia cum ſummo imperio præficit rebus militaribus, Romanæque præfecturæ. Paulum Vrſinum eius filium Peruſiam mittit cum mille peditibus ad eos fines tuendos. Albanus contrà multos tribunos, ac duces mittit ad colligendas conſcribendaſque copias, qui ad duodecim millia peditum, & mille atque quingentos equites adducunt. erāt

enim

enim tria Hiſpanorum millia & quingenti, quorum dux erat ſummus Garzia Toletanus. magiſter caſtrorum Sancius Mardones. præfectus eſt octo millibus Italorum, & quingentis Veſpaſius Gonzaga. præerat ſeptem vexillis cataphractorum equitum M. Antonius Columna. Dux ſummus equitum leuioris armaturæ erat comes Populeus, qui præerat mille & ducentis equitibus. erant in caſtris Albani preterea multi nobiles Itali, qui proprijs ſumptibus, vel potius propria leuitate Alba no aduerſus Pontificem militabant, ſic Itali de Italis nulla accepta iniuria triumphare alterius iniquitatem protegentes conabantur. quæ dum parantur vtrinque ad bellum, Frãciſcus Venerius Venetorum princeps naturæ conceſſit. habita ſunt de more patrum creandi noui ducis comitia, ac denique vir inſigni prudentia, doctrina, animi magnificentia, eloquentia clarus Laurentius Priolus ſufficitur; cuius tanta virtus in illo principatu enituit, vt in multos annos talem principem Veneti ſint deſideraturi. ſed iam inſtructus Albani exercitus Neapoli egreditur, & ad oppidum diui Germani profectus omnes copias cenſuit, quæ poſtridie eius diei ad oppidum Pontem Coruum vocatum Pontificiæ ditionis inſtructæ conueniunt. eſt autem illud ſitum ad ripas Liris fluminis, vbi nemo tractatus eſt hoſtilem in modum, quia oppidani cum intelligerent ſe non poſſe aduerſus tantas vires defendere vltro ſe dediderunt. Inde Fruſinum caſtra mouet, quò miſſa fuerant quatuor peditum vexilla ad locum muniendum. primus accedit Garzia cum Hiſpano peditatu, & nonnullis equitibus leuioris armaturæ. horum aduentu cognito Itali, qui erant in præſidiis relicti à Iulio Vrſino, quoniam munitio nondum eſſet perfecta, neque illam poſſe defendi arbitrarentur ſequenti nocte ſine vllo tympanorum ſtrepitu, nulla data ſignificatione profectionis, oppidum ſponte Hiſpanis copiis relinquunt. ibi pauliſper Albanus commoratus omnia præſidia hoſtium ex oppidis M. Antonii Columnæ eiicit. Laurentius Priolus Dux Venetiarum. Albanus cũ exercitu ad Põtẽ Coruũ.

Pontifex vbi ſenſit Albanum priorem infeſta arma ſuis finibus importaſſe, archiepiſcopum Columnam in cuſtodias tradit. iubet Paliani Ducem cum ſummo imperio militiæ Pontificiæ conſulere, ac prouidere Latinis finibus, atque videre nequid detrimenti res Romana caperet. Iulio Vrſino datur imperium Pontificiorum peditum. Paliani Dux interea duas cohortes Babucum, totidem Verulum mittit, tres ad vicum Valerium, ea ſunt oppidorum nomina. Aſcanium Cornienſem iubet eſſe Velitri, cui primum locum militaris imperii poſt ſe in caſtris concedit, cum quibuſdam peditum cohortibus ac equitum turmis, vt vrbem illam muniendam curaret, quæ ad formam munitiſſimi oppidi planè perducta eſt. atque ad commoda & ſecuritatem proſpectumque ipſius munitionis arbores, & vineas, & proxima quæq; ædificia omnia ſolo adæquauit, nequid inſidiarum in ſuburbijs aduerſus munitionem occultari poſſet. non tamen diuturna fuit illa Aſcanii diligentia, cum hinc honorificentiſſimis conditionibus ab Hiſpano rege inuitaretur, inde veniſſet in ſuſpicionem Pontifici ne cum hoſtibus conſpiraſſet, quoniam Garzilaſcus iam ad eum ipſum de hac re ſecretioribus notis conſcripſiſſet. Palianus dux ſummus copiarũ Pontificiarũ imperator.

Pontifex Papyrium Capizuccam cohortis præfectum Velitrum mittit cum diplomate, in quo iubet Aſcanium captiuum Romam adducere. intercipit magnum numerum pecuniarum Aſcanij, quas habebat Romæ. mittit Cluſium, quod eſt oppidum agri Peruſini, ad omne frumentum Aſcanii occupandum. iubet eius fratrem in vincula conijci. Papyrius Velitrum profectus Aſcanium in caſtra hoſtium transfugiſſe inuenit, qui iam de omnibus Pontificijs conſiliis certior factus aufugerat, & ab Albano dictus fuerat caſtrorum magiſter. Pontifex ægerrimè tulit eius fugam. mox ad parandas res ad bellum neceſſarias animum conuertit. conuenerant iam in caſtra Pontificia decem peditum Italorum millia, ac duo veteranorum Aquitanorũ. equites leuis armaturę ſeptingenti è variis locis, nationibuſque collecti, quæ copiæ poterant iam à regiis non contemni, niſi tot præfectorum ac ducum par imperium, & propter ambitionem diſſidium cuncta feciſſet prorſus inutilia, quippe cum vnum eſſe ſummum imperatorem conueniat, cuius arbitrio, & autoritate omnes reliqui obediant, cui maxima ab omnibus debetur obſeruantia, & obedientia, quæ ſola eſt ſtabile fundamentum omnis diſciplinæ militaris. cum diſſenſiones contrà multorum imperatorum, & diſtracta conſilia ac par poteſtas, vniuerſas vires, vel potentiſſimorum exercituum infringant, quia ſæpe alterius imprudentia peritiſſimi alterius ducis conſilium prodit ante tempus, vel retardat, vel diſtrahit. Aſcanius Corniẽſis in caſtra Hiſpana trãsfugit. Obedientia qualis in caſtris.

nam Carafa è Gallia reuerſus rerum militarium adminiſtrationem Paliani Duci extorquens copias cenſet minime educendas aduerſus Albanum, cum Dux Paliani contrà intelligens ſe, neque militum numero inferiorem Albano, neque virtute armatorũ, Albanum vel intra ſuos fines inuadendum putaret. ſemper enim ferè præſtat agrum hoſtilem, ſi fieri poſſit, infeſtare, quàm expectare, vt hoſtis ipſe prior inuadat, infeſtet, populetur. Pontifex iubet Pyrrhum Lofredum virum Neapolitanum tradi in cuſtodias, qui miſſus fuerat Romam ab Albano ad pacem componendam, antequam arma hoſtiliter mouerentur, qui Romæ Pontificiũ reſponſum expectabat. hic non prius exiuit è carcere, quàm res ſint compoſitæ, quamuis Iuliano Cęſarino, Camillo Columnæ, archiepiſcopo datis pecunioſis, opulentiſque vadibus ſiſtendi, libertas breui poſtmodo conceſsa eſt. at verò Paccecus, & Sanctiflorius purpurati antiſtites, & Camillus Vrſinus, & Garzilaſcus non ita inſulsè ac palam, ſed per ſimulationem quandam cenſendarum copiarum, & per quendam aſtum capti fuerunt. Simularunt nonnulli duces ſe velle cenſere copias Romanas, ſicuti moniti clam fuerant. deinde vbi cohortes cenſæ fuiſsent, diuiduntur in vicos ac regiones iuſſas, quæ ad ædes prædictorum profectę illas, vndique circunſiſtunt, captoſque proceres in cuſtodias abducunt. Sanctiflorius à Carafa accerſitus poſt breue colloquium iubetur vnà in currum aſcendere, atque comitantibus multis ſclopettariis in arcem diui Angeli aduectus eſt. Camillus Vrſinus accerſitus à Pontifice his ipſis obuius iubetur à Carafa ſecum in arcem conuenire. vbi nuntiatum eſſet Albano Pyrrhum in vincula fuiſse traditum, erectis vexillis ad profectionem ad Anagniam vrbem occupandam contendit, ad quod negotium illum præcipuè inuitabant multarum apparatuum Stratagema quo capti multi Romæ proceres.

tuum bellicorum,qui ibi eſſe dicebantur,copia,& negligentia cuſtodum. Præmittit Toletanum ad occupandum Verulum,quod quamquam acriter,ac ſtrenuè Laurentij viri Peruſini, & Baricelli Fabrianenſis opera aliquandiu defenſum eſt.tamen poſtea in poteſtatem hoſtium venit, vbi omnia direpta ſunt,& duces ipſi capti. Veſpaſius Gonzaga cum Italis copiis Babucum expugnat profligatis cohortibus Thomæ Camerinenſis, & Ioannis Vaſconis Florentini. harum ciuitatum expugnationes fecerunt vt Alatrium,Terracina, Acutiuui,Fumo,aliaque nonnulla oppida ſe dediderint, cum nollent fortunam bellorum experiri; quòd ſatius eſſe ducerent integris, quam labefactatis rebus ex aliqua parte conſulere. cum Anagniam peruentum eſſet, vbi Caraſa Torquatum Comitem virũ non ſolùm nobilitate & autoritate clarum, ſed etiam gloria rei bellicæ laudis inſignem cũ octingentis equitibus collocarat,Torquatus vnà cum vrbanis hominibus vrbem munire incipit tanta diligentia, vt breui videretur parui conatus hoſtium facturus, ſed repentinus hoſtium aduentus vniuerſa Torquati conſilia repreſſit. vrbs à duobus lateribus hinc equitatu, inde peditatu obſidetur, quam ex edito loco ab ea parte,quæ planitiem proſpectat iubet Albanus quatuor cannonibus, & duabus colubrinis verberari, proſtratis primùm ac deiectis omnibus, quæ poſſent proſpectum impedire.illa prouincia data eſt Toletano,& Hiſpanis vt vrbs diligenter concuteretur,qui caſtra poſuerant è regione templi ſancti Petri. ab altera Veſpaſii parte e regione templi diui Franciſci per triduum aſſiduè vrbs item concuſſa eſt tribus cannonibus. poſtmodo Itali compulſi gloriæ deſiderio proſtrata iam ad ingreſſum magna parte muri ad templum diui Franciſci vrbem magno conatu adoriuntur. ſed cum difficultas negotij,& profunditas foſſarum retardaret, murorumque & vrbis ſublimitas,coguntur re imperfecta in caſtra redire. Torquatus cognita ruina murorum, cum fieri non poſſe intelligeret, vt vrbem defenderet, quam munire non poterat, proſtratis pręcipuè mœnibus vi tormentorum,cum eſſet in aperto periculo conſtitutus,cum pulueris ſulphurei inopia laboraret,decernit ſe & milites,ac ciues ſeruare. Primùm vniuerſus commeatus Anagniæ Torquati iuſſu comburitur,ne hoſtes illo potirentur.deinde per obſcuritatem noctis cum omnibus copiis magno ſilentio ex vrbe egreditur.Illud verò prеſtitit ſatis aptam opportunitatem huic rei, quòd Albanus coactus fuerat propter eximias pluuias, atque crebertimas equitatum, ad oppida Valmontonium,& Montemfortem contrahere in ſtatiua. ſic Torquatus exeundi occaſionem nactus Acutiũ cõtendit,atque inde Pallianum, vbi erat Iulius Vrſinus. Torquati milites Tybur alij; alij Romam miſſi ſunt. poſtridie cum illuxiſſet,miſſi ſunt qui Anagniæ verberationem recognoſcerent, qui neminem adeſſe ſentientes,cum à nemine impedirentur in vrbem incurrunt: atque ita ciuitas Albani copijs relicta multam prædam ſine puluere,aut ſanguine conceſſit.Camillus Vrſinus,dum Albanus in oppugnatione Anagniæ occupatur, Romam diligenter munire cœpit. arbores fructiferas,& ſteriles & vineas & omnia in ſuburbijs proſternit nulla habita differentia. muros & ędificia vrbi propinqua funditus euertit. multos amœniſſimos hortos deuaſtat,quod damnum creditum eſt accedere ad decies centena millia nummum. Romani harum calamitatum nouitate commoti modo ad Camillum Vrſinum, modo ad Palianium Ducem recurrere. auxilium laborantibus ac labantibus priuatis rebus implorare. ſuppliciter rogare vt ſuis rebus quanta fieri poſſet facilitate conſuleretur. ſed irritæ fiunt,& vanæ omnium preces, quòd omni priuatæ calamitati publica defenſio videretur anteferenda,ad quod conſilium ſuſcipiendum vrgebat etiam hoſtium propinquitas:nam ita requirit ius belli,vt vrbium partes inutiles ad defenſionem,vel illam impedientes proſternantur ad tutelam ciuitatis,non minus quàm partes inutiles, aut vitiatæ humani corporis abſcinduntur, ne ſanis ſint exitio, ac proximas quaſque ſecum trahant ad putredinem.cincta eſt arx diui Angeli in coronę morem aggeribus è gleba compoſitis,& propugnacula quinque erecta, vbi duo millia armatorum in acie eſſe poſſent. Camillus Vrſinus Romanis comitia indicit Palianii hortatu in capitoliũ, vt de munienda vrbe Roma conſultaretur. Genuenſes interea omni diligentia vſi ſunt, vt Cyrnum inſulam è manibus Gallorum extorquerent,quare Auriam cum inſtructa claſſe multarum triremium miſerant. Auria cum Mantinos,& Ropicum aduerſus Gallicas vires protexiſſet,nouiſque ſubſidiis iuuiſſet obſeſſos,cum Galli propter noua auxilia hoſtium introducta ab obſidione ſe recepiſſent, vbi rebus neceſſariis Vrcinium etiam muniuiſſet, quia tempus anni iam videretur tardius, cum claſſe Genuam reuertit. vbi frequentes Romani conueniſſent in Capitolium, eos non minus ornata, quàm graui oratione Camillus Vrſinus in hunc ferè modum ad vrbem muniendam cohortatur. Si cui propoſitum eſset ciues,vt vtrum mallet nulla neceſſitate, nullis iniuriis,nullis inimicitiis coactus,vel bellum,vel pacem eligeret, nonne ridiculus & inſulſus ac delirus iure eſset exiſtimandus, qui ſuauiſſimę paci, & iucundiſſimæ tranquillitati grauiſſima,& acerbiſſima bellorum incommoda libenter anteponeret? at nunc eadem propè uobis optio data eſt. decernendum eſt enim nobis hodierna die,num potius hoſtium arbitrio cum filiis,facultatibus, vxoribus veſtris expoſiti eſſe velitis,an à veſtris præſidiis defendi. eſt enim vobis ſtatuendum non modo, vt præſentes calamitates auertatis,quæ ab hoſtibus imminent, verum etiam vt in poſterum omnem ſpem hoſtibus adimatis huius vrbis per vim potiundæ. Iſtud facile conſequemini,ſi veluti poſtulat ratio militaris, in opportunis locis munieritis, quod ſi maiores feciſsent, multas clades, & calamitates huius vrbis deuitaſſent.nam quis neſciat potentiſſimos exercitus aliquando munitarum vrbium virtute fuiſse infractos,& ita retuſos, vt rei difficultate territi caſtra ſoluere, & copias dimittere coacti ſint? at apertæ ciuitates contrà ſemper hoſtium arbitrio,& libidini,& rapinis,& incendiis patuerunt. vereor enim, ſed nolo quidquam infauſtum commemorare. vos autem facile munire hanc vrbem aduerſus omnes impetus hoſtium poteſtis,cum natura vrbis omnia munitionibus neceſsaria ſuppeditet, quod certè non magnis ſumptibus efficietis.nunc non agitur tantùm de gloria populi Romani, quæ ta-



Anagnia obſeſſa.

Anagnię cõmeatus vſtus & vrbs relicta.

Roma munitur.

Camilli Vrſini oratio de Roma munienda.

men res vel per ſe ipſa grauiſſima eſſe deberet, ſed de ſalute ſingulorum, de facultatibus, de vxoribus inuiolatis conſeruandis, de liberorum vita, de patrijs focis, de iugulo aut libertate noſtrum omnium. nunc decernatis oportet num hæc omnia conſeruare, an crudelibus hoſtibus obiicere præſtiterit. quæ cum grauiſſime & prudentiſſimè dicta fuiſſe à Camillo Vrſino quibuſdam viderentur, alii longe aliter ſentiebant, exiſtimabantque præclarum eſſe à tanti viri ſententia diſſentire, ne minus ſcire non apparerent, atq; pluribus verbis diſputarunt non ſolùm laborioſum & arduum opus fore vrbẽ munire, ſed etiã periculoſum. quidã idcirco è præſentibus aduerſus prędictas rationes grauiter diſſerit, multis rationibus, multiſque exemplis cognitum eſſe calamitoſum fuiſſe ciuitatibus eſſe munitis. quoniam agitur in hoc negotio de præſentium poſterorumque omnium ſalute, de euenturis vrbi calamitatibus, de patrię, larium, templorum, facultatum, liberorum, vxorum conſeruatione, non eſſe tacendum quid vtiliter de hoc negotio quiſque ſentiat. nulla alia de cauſa munitiones eſſe inuentas, niſi vt curſus hoſtium, tanquam rapidorum fluuiorum, obiicibus quibuſdam retardaretur: at non vt loca munita inuicta ſint & inexpugnabilia putanda. oppida, quæ ſunt in finibus imperiorũ diligentiſſimè munienda eſſe, & quę ſint primis hoſtiũ incurſionibus expoſita atq; obuia, quia dum illis oppugnandis hoſtes retardantur, fieri poſſunt commodius bellici apparatus, copięque conſcribi, & auxilia aliunde acciri. male res tunc ſe habere, quando vel ipſa metropolis munitur, ac timorem prę ſe ferat, tanquam reliqua omnia ſint iam deperdita. quod ſi Romam munire nitantur multis ac certiſſimis de cauſis vanos futuros labores & ſumptus, qui maximi certe faciendi ſunt. nam ſi cito vrbs muniatur, erunt intolerabiles; ſi tarde, futuri ſunt diuturni. ſolere vrbes magis afflictas venire in poteſtatem hoſtium quę diutius reſtiterint, cum prius regionem vniuerſam deuaſtatam, ædificia ruſticana ſuccenſa, populationes multas agrorum viderint, cum victi primo obſidionis die nihil tale patiantur. non ſemel illud accidiſſe vt ciues munitionibus freti per vim expugnati omnes extremas miſerias experti ſint, aut ad vnũ trucidati, qui niſi confiſi eſſent munitionibus, & vitam, & facultates vno tempore ſeruaſsent. Principes ſolere ad munita loca præcipuè aſpirare, quæ allicere exercitus potius, quàm deterrere videantur. ſumptus intolerabiles ſemper neceſsarios eſse in ſtipendia cuſtodiarũ. apparatus bellicos, curas & animi ſollicitudines comites eſse munitionum, cum ſemper proditiones & inſidiæ ſint formidandæ. difficillimum eſse munitum locum ſi ſemel amittatur recuperare. Romam ob ampliſſimum ambitum non poſse commode muniri: quę ſi infinitis laboribus ac ſumptibus tamen muniatur, vix poterit cuſtodiri, cum plures triginta millibus hominũ ambitus requirat. quòd ſi tot ad ſint armatorum millia, pręſtare apertè eductis copiis in hoſtes caſtrametari, quam ſe intra męnia includere agro hoſtibus relicto. infinitam annonę copiam neceſsariam futuram tot millibus defenſorum incluſorum, qui vel ipſo numero breui vrbẽ obſidebũt. vrbis Romę multitudinẽ, tot tamq; diuerſis, & tam diſſidẽtibus inter ſe nationibus cõſiſtere, vt ipſi ciuitati minimum ſpei ac fidei defenſionis ſit habendum, tanquam imperitæ rei bellicæ, & plerunque diuerſarum factionum, & cum hoſtibus conſpiranti. cum neq; vxores neque filios tanquam obſides habeant, neq; facultates aut lares, pro quibus ſe periculis exponant ac bellorum atrociſſimę fortunæ. nemo enim libenter & intrepide pro alienis facultatibus dimicat, cuius futura ſint vulnera, at opulentorum victoria. timendum eſſe ne in ſe ipſos, in fortunas, in liberos, in libertatem vrbem ſint munituri, quare reparationes nonnullas, at non munitionem totius vrbis, videri neceſſarias ad retardandos hoſtes, ſi opus ſit. poſt multas vtrinque habitas diſputationes decernitur demum, vt collapſi muri propter vetuſtatem reſarciantur. fit edictum, vt omnis generis commeatus & frumentum & legumina ex agro Romano in vrbem conuehantur, cum vt horum facultas hoſti eripiatur, tum quia illa eſſent vrbi neceſſaria. pontes muniuntur, vbi habentur ſtationes militum. æquatur ſolo cænobium Populi vocatum. multa parantur commoda defenſioni. cæterum vbi nuntiatum eſt Romæ captum fuiſſe Verulum & Anagniam & reliqua prædicta oppida, vehementer trepitatum eſt, ne ſecunda calamitas Borbonia experiunda ſit. eo rumore territi ac propè conſternati cardinales quidam, Pontificem rogant vt tot populorum ruinis, vrbium direptionibus, populationibus agrorum, vaſtitati imperij eccleſiaſtici pacem & tranquillitatem anteponeret. animum placaret ſuum, indignationemque remitteret, quæ tota in ſuorum fideliſſimorum, ſubditorumque cladem redundaret. ſe inuenturos qua ratione honorificè id fieri poſſit, cum Albanus ipſe vltro veniam & pacẽ eſset poſtulaturus. Pontifex partim metu belli, partim his rationibus permotus aſsentit. mittit Thomam Manriqueum ad eam rem componendam. ille Anagniam profectus eſt vbi Albanus propter aſſiduos imbres detinebatur, quia per loca quę fiebant paludoſa creſcentibus ac mollientibus aquis tormenta trahi non poterant. res ibi trãsacta eſt. miſsus eſt Romam vnà Franciſcus Pacecus. decernitur vt cardinalis Carafa ad diem ſtatutum in colloquium conueniret ad Cryptam Ferratam, qui locus eſt inter Marinum & Tuſculum. dum dies ad colloquium aduentaret, Albanus Valmontonium caſtra mouet, quod oppidum cum non poſse defendi Ioannes Baptiſta Comes intelligeret, venit in deditionem. ibi initum eſt conſilium Velitrum ne an Tybur prius inuadere oporteret. dubium relinquitur, donec videretur quid cum Carafa decretum fuerit. mortuus eſt per illud tempus Federicus Elector Imperatorum anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo tertio Henrico fratre hærede inſtituto. deceſſit etiam archiepiſcopus Treuirorum, cuius in locum ſuffectus eſt vir literarum cognitione clarus & excellenti ingenio Ioannes Laienus. Cæſar poſt inſignia Imperii per legationes aſſignata è Gordunis in Hiſpaniam traiecturus peruenit in Zelandiam, cuius in locum Ferdinandus frater imperatoria dignitate inſignitur cum eſset iam rex Romanorum in vrbe Batoduro, vbi coronari omnes Imperatores conſueuerunt. Cæſar vbi Phi-

Oratio incerto autore de non munienda.

Ampliſſimæ vrbes an ſint muniendę.

Federici electoris mors.

S lippum

lippum filium ad cultum diuinum, Deumque piè colendum adhortatus eſſet, pro paternaque beneuolentia monuiſſet, vt in omni vita veritatem amaret, ne voluptatibus ſeruiret, vt liber & rex non verbo tenus viueret, ſed reipſa ſibi ipſi primum omnium imperans, vni ſeruiens æquitati & recto. vt intrepidus aduerſus omnes mutationes fortunæ perſiſteret, neque ſeruus omnino fieret affectũ animi, maximeque omnium auaritiam deuitaret, quæ omni regiæ magnificentiæ, & iuſtitiæ, & clementiæ eſt grauiſſima aduerſaria, datis extremis complexibus & oſculis, dimiſſiſque legationibus, & principibus ac ſeruis aulicis, qui illum ſequebantur, nauim paratam cum Eleonora, & Maria reginis ſororibus comitantibus ferè ſexaginta triremibus Cantabriam verſus nauigat, felicique vſus itinere in portum Laredi applicuit, quod eſt oppidum eius regionis. ibi vbi primùm deſcenſionem fecit, procidens in genua gratias Deo egit, quia ſub finem vitæ diuina clementia ſibi conceſſum eſſet in prouinciam non minus victoriarum, quàm corporis ſui altricem peruenire, cui in tot beneficiorum remunerationem oſsa ſua ſe largiturum pollicetur. poſtmodo proceres prouinciæ, qui ad eum excipiendum vndique confluxerant, perhumaniter complexus eſt, atque lecticam deinde ingreſsus in vrbem Pintiam Hiſpaniæ nobiliſſimam peruenit, vbi erat Carolus nepos. Carolum hortatus ad imitationem paternarum virtutum multis verbis poſt nonnullos dies in regionem Extremadurã vocatam ſe recipit in deſertum locum, atque in cœnobium monachorum diui Hieronymi eremitarum, vnde remiſſis ſororibus in vrbem Pintiam paucis familiaribus ſecum acceptis quod reliquum fuit vitę omnibus humanis curis ex animo obliteratis inter diuinarum rerum contemplationem in piis, diviniſque rebus tranſegit.

Cæſar in cęnobium Frãciſcanorũ ſe recipit.

*LIBRI NONI FINIS.*

NATALIS

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS,

## *LIBER DECIMVS.*

ENIMVERO ſi nulla eſſet alia ratio, nullaque quotidiana experientia, quæ nobis demonſtraret nihil eſſe in humanis rebus felix ac diuturnum, omniumque rerum eſſe viciſſitudines, illud facile colligi poſſet, vel ex ijs incendijs vrbium, cladibus populorum, ruinis prouinciarum, deuaſtationibus regnorum, ac rerumpub. & imperiorum euerſionibus, quæ ab antiquis ſcriptoribus commemorantur. quòd verò vel ſi diutius conſiſtat ſumma opulentiæ, & honorum magnitudo non modo nihil egregium afferat, ſed etim ſatietatem, & quaſi nauſeam quandam ac plenitudinem, quæ nihil differre doceat Reges à priuatis, cum aliorum antiquorum regum exempla confirmant, tum Cæſaris recens factum, cum multi variis temporibus priuatam quietem Imperatoriæ ſublimitati, regiæque magnificentiæ, vt ſuperuacaneorum pertæſi, prætulerint. nam profectò ſi tanta eſſet felicitas in amplitudine imperij, & in opum magnificentia, facultateque dominandi, quanta vulgo, & inſipientibus pleriſque videri ſolet, Cæſar vir callidiſſimus, ſummus Imperator, omnium mortalium iudicio ſapientiſſimus, nunquam dignitatem imperatoriam contempſiſſet, priuatamque vitam publicæ ſublimitati antepoſuiſſet, quo tempore omnia quieta, & pacata exantlatis tot laboribus, tot periculis, tot bellis, poſſidere licebat. ſiquidem qui tot nationibus ſubiugatis propter diuinum cultum, tot ampliſſimis, & opulentiſſimis regnis acquiſitis, tantis, tam præclaris, tam glorioſis rebus geſtis omnem humanam ambitionem reiecerit, acutiſſimum ſtimulum parum ratione munitæ mentis mortalium, hunc non mediocris ingenii eſſe neceſſe eſt, ſed altius humanis rebus elati. nam diuino eſſe iudicio illum fateri neceſſe eſt, qui non Gallos, non Belgas, non Italos, non Germanos bellicoſiſſimas nationes ferro ſubiugarit, ſed qui Cæſarem ipſum horum omnium victorem non armis multorum auxiliariorum, ſed & ratione, & verò humanæ felicitatis delectu, & propria ſapientia vicerit. quæ felicitas in vita priuata potius, quàm publica; & in tranquilla magis, quàm opulentiſſima, atque in pauca appetente conſiſtit. hæc vna cauſa fuit cur Diocletianus, aliique inſignes imperatores priuatam vitam publicæ, cum vtrunque experti eſſent, antepoſuerint.

*Felicitas humana, quæ vera ſit.*

cæterum vbi dies colloquio Albani ducis, & Carafæ dicatus aduentaſſet, Albanus cum quadringentis equitibus, magnoque ſclopettariorum globo ob ſuſpectam ſyluam parum diſtantem à Monteforti, ad locum colloquii venit. ibi cum fruſtra diu expectauiſſet grauiter ferens ſe deluſum ad occupandum Præneſte, & Segniam reuertit, quæ oppida ſe ſponte dediderunt. dictus eſt Carafa conſulto per fraudem ita ſuſpenſa conſilia Albani tenuiſſe, donec nonnullæ Germanorum cohortes, & equitum turmæ Romam ingrederentur, quæ expectabantur in dies, & dum muniretur Velitrum. at reipſa res differebatur à Carafa, quia Pontifex vellet Albanum intra ſuos fines contractis copiis pacem petere; quia non apparebat fieri poſſe è dignitate Pontificia, vt iſtud fieret quandiu armatus exercitus eſſet in agro Pontificio, ne potius per metum armorum, quàm per liberam voluntatem pax facta eſſe videretur. ea res vbi nuntiata eſset Albano, veritus ne ſi intra ſuos fines ſe recepiſset, domi potius, quàm in agro hoſtili bellum gerere cogeretur, his rationibus minimè aſſentit. nam cum ſemper ferè ſuſpecta eſse debeat hoſtis fides, & promiſsa ante confirmationem, tum ad illam ſuſpicionem non leuiter impellebant literæ quædam, quibus conqueſtus fuerat, quòd Pontifex præter opportunitatem, atque dignitatem multo-

*Stratagema. Pręneſte, & Segnia capta.*

rum amicos, & ſubditos Philippi regis hoſtilem in modum tractaſſet. quòd exulum Neapolitanorum opera vteretur in contemptum regis. quòd curauiſſet, vt induciæ tot laboribus, ſtudijsq; factæ cum Gallorum rege abrumperentur. Illud autem facinus eſſe aiebat parum cordati hominis, nedum Pontificis, & boni paſtoris, & amantis eccleſiam Dei; cum verum rectumque ſit Pontificis munus pacem, & concordiam inter Chriſtianos principes procurare, tanquam parentis eſt inter filios; at non contrà pro pace ſemina bellorum, & diſcordiarum, & inimicitiarum iacere. ad hæc Albani dicta Pontificis nomine reſponſum datum eſt à Paliano, quòd non prior Pontifex agrum Neapolitanum hoſtiliter inuaſerat, quòd exules tanquam ad communem omnium patriam fuerant admiſſi pro vetere, & auita Romanę vrbis libertate, ſicuti cęterarum omnium nationum homines admittuntur. quòd neminem, vt regis Philippi amicum in cuſtodias, & in carcerem deducendum curauerat, ſed omnes vt conſceleratos homines, diſcordiamq; & inimicitias inter ciues ferentes. quòd Pontifex propter eam dignitatem, quam obtinet inter mortales, non debet ita contemni, ſed ab omnibus obſeruari, & coli. at contrà M. Antonium Columnam, & Aſcanium Pontificiæ dignitatis hoſtes fuiſſe ab Albano honorificè tractatos docet, atque vt vno verbo concludam, conqueritur Dux Paliani omnes propè cauſas accuſationum in ipſum Albanum redundare. Sed quoniam exacerbatis animis medelæ plerunque non admittitur, Albanus Tybur caſtra mouet, quo tempore Pontifex Baltheſarem Rangonem, Iulium Vitellium, Brunorum Zampeſcum, aliosque duces mittit ad conſcribendum peditatum, & equitatum. Erat Tybure in præſidiis Franciſcus Vrſinus cum quadringentis peditibus. acceſſit Tybur & regulus Moluchius cum ſeptingentis Aquitanis ad explorandam vrbem cum Vrſino an poſset defendi. quæ cum muros debiliores habere viſa ſit, & nimiam ambitus amplitudinem, alter Romam reuertit vnà cum Aquitanis, alter cum Italis peditibus ad Vicum Valerium accedit. Tyburtinis ciuibus permiſſum eſt, vt pro arbitrio ſaluti rebuſque ſuis conſulerent. Illi delectos ciues Albano obuiam mittunt vrbem offerentes, à quo perhumaniter ſunt tractati, neque vlli paſſus eſt fieri iniuriam, aut milites ibi hoſpitium habere, cum illa vrbs eſſet populi Romani, at non Pontificis: ſed omnes copiæ ad pontem Lucanum ſunt caſtrametatæ. Tybure ita per deditionem capto plurimum conſternati ſunt animi Romanorum, quoniam ob commeatus copiam ſtatuerunt ſiquid aduerſi accidiſſet, ſe in eam vrbem cum opibus conferre. ibi nonnullos dies moratus eſt Albanus ob annonæ copiam, cum plurima in caſtra aſſiduè, vt ad lucrum, conflueret. nam vrbs ampliſſimum, opulentiſſimumque emporium videbatur, cum omnis propè commeatus, qui Romam comportari conſueuerat eò conflueret. datum eſt etiam negotium Hiſpanis vti commeatum Romanis intercluderent. poſt rerum huiuſmodi ſucceſſum Albanus Veſpaſium cum magna parte copiarum mittit ad occupandum Vicum Valerium, quò profectus nactus eſt oppidanos cum Franciſco Vrſino conſtantiſſimos defenſores. Gonzaga vbi non poſſet per vim oppido potiri, accedit illuc Albanus cum reliquis copijs. at Vici Valerij ciues iam armati quanquam promiſerant Vrſino ſe oppidum defenſuros, militaribuſque officijs nullo pacto defuturos, tamen prædiorum & vinearum deuaſtationem, euerſionemq; ędificiorum potius quam vim hoſtium timentes, profitentur palam ſe velle calamitates, quæ ſibi omnibus imminerent, deuitare. monent Vrſinum vt ſibi, ſuisq; militibus conſulat, atq; aliquo pacto ſalutis viam quærat. hi tametſi rogati ſunt vt fidem ſeruarent, Pontificiam dignitatē ne in ipſo articulo temporis deſererent, oppidani tuerentur, quod facile poſſent defendere, tamen ab inſtituto conſilio minime retrahuntur. Vrſinus cognita populi pertinacia obtinuit per Aſcanium ab Albano vt ipſe cum omnibus militibus ſub vexillis ad ſonitum tympanorum exiret ſeruata libertate & armis atq; impedimentis. Vici Valerij ciues ita in poteſtatem Albani venientes pacti ſunt ne plures ſexaginta peditibus eſſent ibi in præſidijs, quod promiſſum quidem, ſed non etiam ſeruatum fuit. ſic enim ius & ratio bellica poſtulat, vt non ſolùm pro ambitu oppidorum & vrbium numerus etiam defenſorum idoneus inſtituatur; ſed etiam pro numero ciuium, qui facile difficultatibus bellorum defatigati, niſi militum pręſidiorumq; armis impediantur ac refrę̄netur, ad deditionem conſpirant. Eſt autē Vicus Valerius oppidum vel potius vrbs opulenta, poſita in ripa Anienis fluminis, quæ ob munitionem tum artis opera tum etiam naturę, vel potentiſſimi exercitus vim atq; conatus poterat ſuſtinere, ſi oppidani ſe defendere, quam dedere maluiſſent. reliqua erat arx, quæ & ipſa Aſcanij opera in poteſtatem Albani venit, vbi ſexaginta Hiſpani relicti ſunt in præſidijs. fuit vtiliſſima illa deditio regijs copiis, quòd liber aditus eſſet patefactus in principatum Taliacotii, vnde commeatus tutò aduehi poſſet. Inde profectus eſt Albanus, atq; altera pars copiarum Tybure, altera in Monte rotundo, Valmontonio, Palumbaria, Paleſano oppidis caſtrametatur, vt aliquantiſper corpora milites curarent, difficilibus laboribus propter cęnoſas vias, aſſiduaſq; pluuias defeſſa, donec placidioris cęli facultas clementiaque concederetur, ceſſaretq; vis imbrium. qui vbi ceſſauiſſent, diditur rumor Velitrum eſſe capiendum, cui prœerat Sommeus regulus. appropinquantibus Albani copiis ſucceſſit in eius locum Adrianus Baleonus cum duobus millibus & quingentis peditibus. huic ciues pollicentur ſe vnà vel vrbem fortiter defenſuros, vel caſuros in acie, cum vrbs poſset optimè defendi, vt quæ omni genere apparatuum & munitionum egregiè eſset inſtructa. hiſce rebus per exploratores cognitis repreſsus eſt Albani animus, & ab ea oppugnatione reuocatus, cum ne in periculum veniret acquiſitæ in eo bello hactenus exiſtimationis amittendæ, tum quòd negotium difficile & periculoſum videbatur. Pontifex quamuis magna inopia rei nummariæ iam laborabat, cum non poſset ſtipendia militibus ſuppeditare, tamen minime audebat infeſtare Romanos in munienda vrbe occupatos; quippe quod illi etiam vt poſsent vrbanis præſidiis ſoluere ſtipendia, grauiſſima vectigalia molendæ annonę

Tyburis deditio.

Vici Valerij deditio.

Vici Valerij deſcriptio.

annonæ inſtituere coacti eſſent. Romani in militares ordines diſtributi ſummum imperium deferunt Alexandro Columnæ, quem præficiunt omnibus tribubus, quas vicatim vulgus Riones vocat, vnde circiter ſeptem millia peditum collecta, & cenſa fuerunt. ſtatuit Alexander vt ad omnes bellicos tumultus vnus è tribunis cum ſuis copijs preſtò eſſet in Capitolio, vt cum Conſeruatoribus, is eſt ſummus magiſtratus Romanorum, poſſet eſſe ſubſidio partibus vrbis indigentibus. reliquas duodecim tribus in tres partes diuidit, quarum vnam iubet cum ad arma conclamaretur, continuo in plateam Thermarum conuenire, aliam ad Sanctam Sabbam, tertiam ad ſanctum Ioannem Lateranenſem, vnde poſſent ad omnia opportuna loca ſubſidia acciri. Inſignioribus etiam Italis, & Gallis ſua pars tutanda traditur. nam primùm Lanſaccio regulo porta Flaminia vocata Populea, & Pinciana cum mille Aquitanis aſſignatur. Palianio Salaria conceſſa fuit, ſiue Collina cum octingentis Germanis. Iordano Vrſino porta Tyburtina, ſiue Sancti Laurentii cum ſex cohortibus Italorum peditum. Carafæ cardinali porta Latina, & Sancti Sebaſtiani cum ſexcentis Italis. Molucchio porta diui Pauli, ſeu Trigentina, & montis Teſtacei cuſtodia cum reliquis Aquitanis. Aurelio Fregoſo vniuerſa regio trās Tyberim cū mille & quingētis peditibus. Camillo Vrſino vicus ſancti Petri, & vniuerſa regio, quæ eſt apud arcem cum duobus millibus peditum. Albanus his apparatibus cognitis, qui non ita facile opprimi poſſe videbātur, erat adhuc in hybernis, neque ad inuadendam vrbem audebat aſpirare. Velitri interea, Palianique præſidia commeatum caſtris Albani intercipere. impedimenta quædam diripere. Palantes Hiſpanos trucidare. multis incommodis hoſtem afficere. ad huiuſmodi incommoda deuitanda coactus eſt Albanus caſtra mouere cum omnis via infeſtaretur, quæcunque duceret ab inſula inter aquas Fibreni poſita in Liri flumine ad ipſa caſtra. hiſce dum detinetur Albanus, Iulius Vrſinus cum quinque cohortibus Paliano egreſſus leue ſubitariumque prælium cum hoſtibus committit. multos occidit. oppidum Serronem apertum Columnæ concremat. Pillium inuadit, vnde cum nonnullorum iactura propter virtutem defenſorum cogitur recedere. reliquæ copiæ cum iter facerent ab agreſtibus regionis, vel ſaxis ex altioribus locis occiſæ ſunt, vel ita vulneratæ, vt inualidæ factæ ad iter, captæ fuerint. mittitur idcirco Antonius Carafa in Galliam togatam ad colligendas copias, iuſſuſque eſt regionem Piceno, & Aſculo finitimam regni Neapolitani infeſtare. Ille partem conſcriptarum copiarum Aſculi ad ripas Truenti fluminis, quod Neapolitanum agrum à Pontificio diſterminat, collocat. moratur ibi nonnullos dies. ſollicitat finitimos ad deditionem. Albanus aduerſus hunc cum tumultuariis manipulis armatorum mittit marchionem Triuici præfectum Præcutinorum. hi dum ita intra ſuos fines conſiſtunt nihil innouatur, per quos res nouas ſe moliri poſſe Carafa ſperabat. at Carolus Lofredus cum expedita ala equitum galeatorum ad Aquamuiuam incurrit. multa armenta abigit. omnis generis prædam reportat. ea re excitus Carafa in agrum regni Neapolitani populabundus prædabunduſque incurrit, atque omnia implet prædationibus, direptionibus, incendiis, cędibus. mox declinans ad maritima Contraguerram oppidum capit. cohortem in præſidijs relinquit. Carapolim, vſque procurrens fruſtra tentatis animis oppidanorum qui non poterant ſine muralibus tormentis cogi ad deditionem, agrum prædatus inde recedit. cæterum marchio attractis Amiterno tormentis cum acceſſione copiarum, quas Albanus Tybure miſerat, mille & quingentis peditibus ſcilicet, & nonnullis turmis leuiorum equitum Carafam verſus caſtra mouet, qui cognito aduentu hoſtium Aſculum ſe recipit. marchio Ancharano infeſta ſigna infert, quod oppidum concutere incœpturo nuntiatur duo millia peditum mitti ſubſidio oppidanis, quare inde caſtra mouet, quamquā ducenti tantum poſtea, at non duo millia, miſſi ſunt; qui facti obuii marchionis copiis Malignanium ſe conferunt. ad hos expugnandos marchio trahit tormenta, ac breui per deditionem occupat ea conditione, vt præter vitam, cuncta arbitrio hoſtium concederentur. ijs igitur egreſſis omnia tum oppidana, tum etiam militaria bona direptionibus, & rapinis patuerunt. Albanus dum hæc geruntur in agro Piceno Tybure moratus fit anceps an Oſtiam, vel Rietum prius inuadat, vt copiam commeatus Romanis interciperet, decernit Oſtiam prius eſſe inuadendam, quare eò caſtra mouet. Quæ dum aguntur in Latio, Pontifex Venetos ſollicitat ad arma contra Hiſpanum regem capienda. obteſtatur Italos principes, & Henricum Galliarum regem præcipuè ne Philippus Hiſpaniarum rex Pontificium imperium occuparet. Veneti omni humanitatis officio fungi. ægre ferre moleſtias Pontificis. rem ſumma diligentia procurare, vt inter Pontificem, & Albanum componeret. Phebum Capellam virum bonum, & tractandis publicis negotijs exercitatum a ſecretis ſenatus mittere. ſed tanta inuenta eſt hinc animi elatio, inde indignatio & ira, nihil vt actum ſit, omniſque ſpes pacis prorſus abiecta. interea duces Pontificii certiores facti caſtra Albani ita eſſe diuiſa, cum multi etiam profugiſſent, ea inuadere ſtatuunt. at Albanus eorum conſilio per exploratores cognito copias omnes in vna caſtra conuocat. duo millia peditum è Præcutinis accerſit, ſeque ad ſuſtinendos omnes hoſtium conatus accingit. Pontificii his cognitis ſententiam mutant, atque animū adiiciunt ad copias adaugendas. Paulus Iordanus Vrſinus ad conſcribendas cohortes mittitur. Matthæus Stendardus ad ſclopettarios equites colligendos, atque cum equi haberi non poſſent, cæteris omnib. antiſtitibus Romæ adempti ſunt, exceptis cardinalibus, & nobilibus Romanis. etſi preciū offerebat cuiq;, tamen multi grauiter ferebant, quoniā illud facinus publicā quandam vim præ ſe ferebat. impellebant etiam ad indignationē multæ Aquitanorum iniurię, quæ ob inopiam ſtipēdiorum, vbiq; Romæ fiebant. Hi cum victus, & nummorum penuria compulſi multa latrocinia in vrbe committerent, tantum ſibi licentiæ arrogauerant, vt vel diurno quoque tempore nulla re deterriti priuatas domos Romanorum tanquam hoſtiles prædarentur. deferuntur huiuſmodi latrocinia ad Pontificem, cui nuntiatur vrbem minus ab vrbanis præſidiis, quàm ab hoſtibus eſſe tutam.

Roma defendenda diſtributa.

Serro oppi. cō crematū.

Malignaniū deditum.

Venetorum prudens cōſilium.

tutam. procuratur vt dentur his ſtipendia. quidam ſuſpendio puniuntur ad cæterorum metum, ne reliqui arbitrarentur ſe impunè prædari. illud autem vnum eſt aptum remedium ad refrenandos ſceleſtorum animos. Albanus coniunctis ſuorum caſtris Tuſculum, Marinum, Cryptā ferratam, & Gangulphum viſit, quibus in locis aliquantulum moratus curat vt commeatus Tybure afferatur. at Balthelar Rangonus cum centum & quinquaginta equitibus ad eum intercipiendum contendit, ibiq; in inſidijs poſitus vbi Albanus comitē Populeum cum quadringentis equitibus eſſe in inſidijs iuſſerat, quia rem huiuſmodi euenturam ſibi vereretur, circumuentus eſt, atq; propter inferiorem ſuorum numerū in fugam vertitur. equites Pontificij partim capti ſunt, partim diſſipati. eo nuntio Carafa Cardinalis commotus cū omni equitatu Roma egreditur, aduerſus quē Albanus quoq; ſuū mouet. tamen vterque monitus per exploratores re intentata recedit ab incepto. Albanus, vbi exercitus aliquātulū recreatus eſſet, exiſtimans nihil eſſe cunctandū ſubleuato exercitu pueris, impedimentis, & omnibus oneribus inutilibus ad pugnam, aut etiam retardantibus ab oppido Cryptaferrata profectus Oſtiam verſus ſigna conuertit præmiſſo Aſcanio ad occupandam Ardeam & Porcilianum, quibus oppidis ille potitus eſt, non tamen ſine aliqua ſuorum iactura. illa re à ducibus Pontificijs percepta, exit Sommeus ad illa recuperanda, ſed reiectus fortitudine defenſorum cogitur re imperfecta recedere. Columna pontem conuehendum curauit, quem è propinquis ſyluis fabri exciderant ſupra Tybrim fluuium iaciendum è multis lintribus, qui conuehebantur, atque ex aſſeribus, qui poſſent clauorum opera coniungi & compingi; qui pons eſſet peraccommodatus ſi opus eſſet ad traiectum & ad reditum. Antij ſiue Neptunij incolę deficiunt à Pontificijs ad Columnam, quò ſtatim mittitur cum cohorte peditum Moretus Calaber. ille cum tardius aduētaſſet per noctem coactus eſt pernoctare in ſuburbijs propter nōnullas oppidanorum difficultates, quo tempore Velitri cohortes eum inuadunt, quæ acceſſerant eò vt imponerentur præſidia. at Moretus Antienſibus armis adiutus coegit Velitrenſes ſe in tutum recipere. eius vrbis facultas plurimum commodorum attulit Albani copijs, quia citra impedimentum quantum vellet commeatus Caieta in caſtra conuehi poterat. Pontificij è veſtigio Gallicas triremes ad illam recuperandam mittunt, quæ vbi diutius tormentis concuſſiſſent, eſſentque Antium inuaſuræ tempeſtate coorta impediuntur, coguntúrque ſe recipere Centumcellas. atqui vbi cum cataphractis equitibus ſuppetias ferebat Columna & Populeus huic vrbi, coegit Romam ſe recipere nonnullos equites leuiores, qui populabundi agrum Marini prædabantur. Veſpaſius cum magna Italorum manu ad expugnandā Palumbariam miſſus, quia oppidani noluiſſent parere caſtrorum regiorum præfectis, qui illuc acceſſerant ad loca caſtris deſignanda, eam breui capit, & militibus diripiendam concedit. dum ita vbique pugnatur in Latio, copiæque varijs moleſtijs vtrinque affliguntur, Pontifex tantum bellorū ratus ſe ſolum non poſſe ſuſtinere, legationem clam mittit ad Henricum Gallorum regem, quæ & orando & obteſtando Pontificis nomine ab ipſo rege auxilium imploret, horteturque Romanis rebus iam propè labefactatis per Hiſpani regis pertinaciam & odium in Pontificem ſuccurrere. illa citatis equis quàm celerrimè in Galliam conuolans ad regem perhumaniter admiſſa in hāc ſentētiam locuta eſt.

Orõ legationis pont. hortans Gallum regem ad bellum.

Si pro obſcuro homine apud nouum regem eſſem dicturus Sereniſſime Rex, mihi vtendum eſſet longa oratione ad illud, quod poſtulo impetrandum. Sed quoniam dico pro defenſione Principis Chriſtiani nominis, hoc eſt pro Chriſti vicario, apud eum regem qui ſapientia & rerum geſtarum gloria pro eccleſia maxime excellat inter Chriſtianos principes, & qui ob ipſam Pontificis defenſionem titulum Chriſtianiſſimi à maioribus acceperit, exiſtimo opus eſſe tantum vt paucis demonſtrem honeſtatem meæ petitionis, quæ eſt huiuſmodi. cum Philippus Hiſpaniarum rex nulla iniuria, nullis inimicitijs, nulla contumelia aut maledicto commotus arma Pontifici intulerit, ſed ſola dominandi cupiditate, atque deſiderio oppidorum Pontificiæ ditionis Neapolitano regno adiungēdi, an poteſt cuiquam Pontificis querela non iuſta videri? nam profectò ſi inique bella inferuntur principibus aut liberis ciuitatibus ab exteris tyrannis, qui illarum imperiū per vim extorquere conantur, illarum defenſio neceſſariò iuſtiſſima exiſtimari debet, cum alterum horum crudelitate & auaritia, alterū natura duce ac lege fieri ſoleat. petit igitur à maieſtate tua Pontifex non vt ſuos fines dilates, non vt cæteris principibus ereptas per vim ciuitates ſibi concedas, nō vt potentius Pontificium imperiū efficias, ſed vt ſe circumuētū per Hiſpanorum auaritiam & crudelitatem ne negligas. rogat vt quod antiqui Reges liberaliſſimè largiti ſunt eccleſię, ne per libidinem dominandi ab Hiſpano hoſte eripi patiare: cum ſemper illud fuerit optimorum Gallorum regum inſtitutum vt pro tuenda Romana eccleſia à quouis hoſte nullis neq; ſumptibus, neq; laboribus, neq; proprię quidem vitę vnquam pepercerint. Quòd ſiquis inducias mihi obiecerit, ego longe bellum eſſe anteferendum huiuſmodi inſidioſis inducijs contenderim, quæ multò magis quàm apertum bellum ſunt periculoſę. quis enim neſciat quot fallaciarum, inſidiatum, proditionumque genera per iſtud ipſum induciarum tempus ab ipſis hoſtibus aduerſus Maieſtatem tuam fuerint excogitata? an non Roſetum & montem Alcinoi in Italia induciarum tempore Hiſpani per proditionem tentarunt? an non neque tranſacto quidem primo induciarum menſe tentati ſunt à miniſtris Philippi regis Aquitani nonnulli vt accepta pecunia Bruxellis Burdigalam vrbem munitiſſimam ad mare occiduum Galliæ poſitam ad os Igmani fluminis proderent? an non Allobrogum Ducis opera miſſi ſunt qui oppidum Veromandum hoc ipſo induciarum tempore explorarent ad expugnationem, & Peronam, & Dorlantium, & Mezzieras, & alia munitiſſima oppida in finibus Galliæ, quorum exploratores cum ipſis formis, deſcriptionibuſque capti ſunt, flumina tunc etiam ad vadum explorantes? an non Auguſtæ Romanduorum gubernator per hoc ipſum induciarum tempus veneno infici curauit puteos Mariæ burgi, quo ęgrotantia præſidia ſub induciarum finem inua

lida

lida fierent ad defenſionem? an non Diuodurum vrbs opulentiſſima ab eodem gubernatore tentata eſt per proditionem hoc ipſo induciarum tempore, monitis militibus vt cauponaretur conducta caupona apud portam, atque clam docti ſunt, vt milites domi occultarent corruptis etiam non nullis vrbis cuſtodibus? quid horum inficiari, aut honeſtum eſſe dici poteſt? opportunum ait adeſſe tempus vt hoſtem tam infidum, tamque fraudulentum palam inuadat probabili defenſionis eccleſiæ occaſione oblata. Securius eſſe bellum cum huiuſmodi hominibus, quàm ſimulatas inducias ad componendas fraudes. pollicetur Pontificem habiturum in caſtris viginti millia peditum, equites mille & quingentos, quibus futurum eſſet vt audacia Hiſpani Regis & ſuperbia retunderetur, atque infringeretur. Henricus his rationibus ac pollicitationibus permotus, cum etiam ſæpe per oratores fruſtra conqueſtus eſſet & per literas apud Philippum regem pontificem ita bello vexari, decernit apertum bellum magis eſſe eligendum, quàm inducias fallaciarum plenas. bellum itaq; indici iubet Philippo tāquā regi Neapolitano ꝓ vrbe Neapoli in ius priſtinū ciuitatis reſtituēda. mox animum adijcit ad conſcribendas copias, vt Romam ab Hiſpanis moleſtijs liberaret. atque cum Romæ mirifice pecuniarum inopia laboraretur, neque tamen Pontifex Romanos nouis tributis vellet onerare, rem huiuſmodi commentus eſt. Bartholameus quidam commeatui præfectus iubetur omne priuatorum frumentum conſcribere, & quantum videretur opportunum capere, pro cuius precio aſſignatus eſt quorundam vectigalium prouentus. omnis è frumento diuendito pecunia collecta eſt in ſtipendia militum, & in cæteras res neceſſarias. quo etiam conſilio mirificè conſultum eſt inopiæ populi Romani, qui propter auaritiam atque crudelitatem opulentiorum pluirmum fame laborabat. habet enim vnaquæq; ciuitas ſuos priuatos etiam tyrannos, qui vel per caritatem annonæ, vel certarum mercium, immineant facultatibus cęterorum ciuium, nitanturque multam vim pecuniæ è manibus debiliorum extorquere, niſi potentior & iuſtior princeps ſit illis impedimento, ac tantum ad eorum libidinem obdormiat. Albanus Oſtiam profectus nullo neque bellico apparatu, neque commeatu munitam vrbem inuenit, neque bellicis tormentis, niſi paucis ad reprimendas ſubitarias Turcarum aut piratarum incurſiones. Camillus Vrſinus Albani conſilium præſentiens Carafam Cardinalem certiorem facit. præmiſſus eſt Horatius Sbirrus cum centum & viginti letiſſimis peditibus, qui arcem tueretur, & quoquo modo poſſet communiret. ille continuò euertit omnia ædificia arci propinqua. foſſis, aggeribus, ac rebus multis tū ad victum, tum etiam ad defenſionem neceſſarijs inſtruit. ſic forti intrepidoque animo hoſtem expectans multa terra portam ciuitatis, & quaſdam domos opplet, quibus rebus ſi nō ſe defendere prorſus, at certè hoſtem defatigare, plurimumque infeſtare poſſet. eſt autem Oſtia vrbs, in oſtijs ac faucibus Tyberinis ſita, in ipſo maris fluminiſque confinio, ita vt ex altera parte mare, ex altera cōtinentem attingat. ea quamuis noſtra hac tempeſtate vrbs eſt exigua ob multas bellorum calamitates, ac ſepius deſolata, tamen antiquitus fuit ſummæ dignitatis tum ob amęnitatem regionis, tum etiam quòd illuc omnis orbis opulentia, quæ Romam comportabatur, primùm vehebatur. hanc Gotti prius Italiam inuadentes deuaſtarunt, poſtea ad exiguum oppidulum Pontificum incuria redacta eſt, cuius in medio turris quædam inſignis conſpcitur, quaſi propugnaculum quoddam erectum aduerſus piratarum latrocinia ne piratę ad męnia vſque Romana per Tyberim nauigantes terreſtribus incurſionibus etiam omnia per Latium vagati direptionibus popularentur. Albanus cum ſuis copijs vrbem inuadit. defenſores ſtrenuè pugnantes multos è primarijs hoſtium vulnerant. concurritur ad concremandam portam, ſed ita offirmata aggeribus reperitur, vt tormentis attractis neceſſariò patefacta ſit, atque defenſores coacti ſe in oppidulum recipere. illo oppido potitus Albanus Veſpaſium locat in pręſidijs, ſeque ad muniendum accingit: quo munito iubet pontem aduectū iaci ſupra fluuium non valde procul ab illa inſula, quæ inter duos Tyberis ramos intercipitur. nam illa inſula habet longitudinem decem & octo ferè ſtadiorum, amplitudo paulo plus octo ſtadijs extenditur. ibi magna pars tormentorum relinquitur, quæ à copijs Gonzagę cuſtodiebantur. Albanus inſula potitus ibi cum Hiſpano peditatu & maiore parte equitatus conſiſtit. munitionem ad oſtiū fluminis deſignat, vbi tormenta locat quædam, cum intelligeret arcem Oſtiæ ſubitaria repentinaq; oppugnatione omnino capi non poſſe. dirigit ſex cannones in murum, qui fluuium proſpectat, vbi duæ ſunt duriſſimæ turres pro propugnaculis, multęq; aliæ defenſiones. alia pars ad ſeptentrionem conuerſa præter alias duas turres habet foſſam aqua marina plenam, quamuis non valde profundam, quam partem Albanus reliquit inconcuſſam. Romani illam oppugnationē ægrè ferebāt, quòd eò omnia ſua animalia contraxerant, quia verebantur ne incurſionibus equitum diriperentur, omniaque ruſticana deuaſtarentur, quare Petrus Strozza cum omni peditatu Aquitano, multiſque Italis cohortibus mittitur vt in ripa flluuij caſtrametaretur, Hiſpanorumque traiectum impediret. ille caſtrametatur ad eum locum, in quo portus olim fuit magnificentiſſimus à Nerone extructus, ac poſtmodo ſequentibus temporibus ab Adriano magnis ſumptibus inſtauratus, & Portumni Dei templo honorificentiſſimo exornatus. ibi pro inſulæ longitudine reparationes excitat, & aggeres aduerſus inſulam, maioreſque ſclopettos locat. tum quantum copiarum ſufficeret illi loco defendendo relinquit. ipſe excitato tumultuario ponte in inſulam penetrat. excitat in hac munitionem, ne hoſtis Hiſpanus fluuio potiatur, vnde arcem Oſtię diligens egregiè concutiebat. leuia certamina ſepius committit. Hiſpani contrà ad męnia vſque Romana incurſionibus procurrere. vtrinque committi multa ſubitaria prelia. Henricus rex Pontificis defenſionem rebus omnibus præferendam ratus vel multis ad pacem potius ſeruandam cohortantibus, iubet Ghiſium regulum cum magnis copijs vel per ſumma, acerbiſſimaque hyemis frigora alpes ſuperare, & in Italiam cum exercitu euadere. habebat in caſtris Ghiſius ſex Aquitanorum & Gallorum aliorum, octo Heluetiorum

Bellum indictum Philippo regi ab Henrico.

Stratagema ad pecunias cōparandas.

Officium boni principis.

Oſtię deſcriptio.

Arx Oſtię cōcutitur.

rum millia. equites grauioris armaturę ſiue cataphractos octingentos. galeatos leuiores mille & ducentos. eo rumore ad Albanum perlato fit dubio animo, ancipitique conſilio quid potiſſimum in tanta difficultate rerum ſibi eſſet faciendum. in regnum ne Neapolitanũ ſe recipere præſtaret; res neceſſarias defenſioni ſuis oppidis compararet, finitimis locis Romanis finibus conſuleret; an Oſtię expugnationem fortiter acriterque tentaret, donec exploraret quæ forent hoſtium conſilia. acrius igitur his permotus duobus in locis vno tempore Oſtiam imperat concuti, altero vt diximus è flumine, altero è continente. cum per ſeptem dies aſſiduè arx concuſſa fuiſſet, tantaque eſſet defenſorum conſtantia, vt locum ſtrenuè tuerentur, neque vellent ſe dedere, Albanus decernit omni conatu expugnationem tentare, ad quam rem impellebat etiam pulueris tormentarij penuria & ferreorũ globorum. iacta eſt igitur alea vtri nationi primùm inuadendi munus obueniret, atque contigit forte iis Italis, qui cum Gonzaga militabant. Albanus alam equitum in inſulam tranſmittit, ne conatus à Pontificijs impediretur; atq; aliam turmam iubet duce Columna Romam vſque procurrere, vt Romani cogerẽtur ad arma tota vrbe conclamare. diuiditur Hiſpanus peditatus, atque alteri parti cuſtodia tormentorum, alteri pons tuendus datus eſt. his copijs ita confirmatis, iubet Italos Oſtiam adoriri. primus omnium Dominicus Maximus vir Romanus è nobiliſſima familia, & Franciſcus Tolfa duces ſtrenui, per ruinas murorum ingreſſi, multis alijs ad turrim irruentibus quę proſpectabat ad meridiẽ, accepto ſigno certamen ineunt ſanè periculoſum & cruentum. nam difficiles ruinas nacti, cum eſſe non poſſent vt oportebat expediti, prius ab oppidanis cædebantur, quàm ſe explicare poſſent ad pugnam. Tolfa in eo certamine vulnus in crus accepit. tum accedente Gonzaga certamen multò atrocius inſtauratur, in quo vulneratur & ipſe Gonzaga glande plumbea in ore ac naribus. ita enim acriter ſe defendebant oppidani, vt inuadentibus multę inferrentur cędes, cum ex arce ſaxis, ſclopettis, ignibusq; miſſilibus certaretur & è turribus. Hiſpani ita his infeſtabantur vt bis relicto negotio recederent, cum neq; vllis minis, neq; precibus neq; conuitijs aut increpationibus duces eorum animos poſſent confirmare ad bellum inſtaurandum. ad extremum denſus manipulus ad foſſam occupandam inter ruinas murorum & ipſos ductam deſcendit, vt conarentur muros aſcendere. ſed & his, quod etiam ſuperioribus accidit. Albanus ſuos reiectos, multos inſignes duces cęſos aut vulneratos intuitus, multos milites trucidatos, Aluarum ducem Accoſtenſem, qui primus verberationem explorauerat, dixeratque facile eſſe arce potiti, mittit cum trecentis Hiſpanis, multorumque Italorum auxilijs; atque propoſitum his erat omnino vel honorem occupandæ arcis conſequi, vel fortiter cadere. continuò verò occupant quidquid erat ſpatij inter ipſos & arcem ruinas ſuperantes, & ad locum illi propinquum accedunt apertum, quem aſſeribus, vaſis vinarijs & ſaxis conſtiparant. Illuc omnem conatum cum Itali tum Hiſpani conuertunt, inter foſſamq; ac murum detecti acerrimè à defenſoribus offenduntur. quod etiam multo magis Hiſpanis tormentis fiebat, cum tormentorum magiſtri dilatare ingreſſum cupientes multos tum Italos tum etiam Hiſpanos in eo laniarent. ceciderunt complures duces & ſigniferi in illo certamine & conatu atq; viri inſignes, inter quos & ipſe Aluarus paucos poſt dies è vulnere naturę cõceſſit. illa iactura ſuorũ cognita Albanus, quę ex his conatibus capiebatur, duxit ſatius eſſe vt copias ab illa oppugnatione retraheret, quàm vt pateretur ſuos ita crudeliter laniari. iubet itaq; cani receptui. milites non inuiti recedunt. Sbirrus cum puluis tormentarius defeciſſet, factiq, iam eſſent ſclopetti & tormenta ſua inutilia, multiq; oppidani defenſores vulnerati, atq; res eò deducta, vt, ſi repeterentur conatus, nõ poſſent reſiſtere; neque tamen auxilia à Pontificijs ducibus eſſent expectanda, arbitratus eſt præſtare honorificè ſe dedere, quam turpiter cum rerum omnium iactura inutiliter ac obſtinatè vinci aut trucidari. atq; quo tempore omni conatu, ſummiſq; viribus denuo pugnã repetere iuſſerat Albanus, quia cognouerat vires defenſorum plus ſatis eſſe afflictas, atque arce ſi potirentur ſui, defenſores ad vnum trucidare, acceſſitur Aſcanius ab oppidanis. agitur cum eo de deditione. atque die decimo poſt incęptam verberationem arx venit in poteſtatem hoſtium, vbi ſexaginta Hiſpani relicti ſunt in præſidijs. Romani huiuſce iactura oppidi mirum in modum ſunt conſternati. fiunt induciæ in dies decem cum Albano per Sanctiflorium & ſancti Iacobi cardinales, quo tempore Albanus munitionem inceptam in inſula abſoluit, atque ad colloquium in inſula inter vtrumque exercitum cum Carafa Card. conuenit. ibi poſt multa comiter dicta, ſecretaque inter illos ſolos colloquia prorogantur induciæ in dies quadraginta hiſce conditionibus; vt mercatoribus & omnibus cæteris licitum eſſet liberè inter ſe negotiari. vt pecora, reſque alias liceret quas vellent adducere. atque hoc effectum fuiſſe dicitur, vt liberius & commodius cum Pontifice & Philippo rege liceret agi de pace. proponunt etiam inter ſe pacis conditiones, ſed vterque ſimultatè & captioſè. neque enim vllę ferè ſunt induciæ fieri ſolitæ, niſi ad fallacias cum modo fiant ad proditiones commodius inſtruendas, modo ad reſumẽdas vires, vt promptiores paratioreſq; poſſint inſurgere. quare non inutiliter illud memorię proditum eſt ab antiquis Lyſandri facinus, qui cum pactus fuiſſet inducias cum hoſtibus in triginta dies, noctu caſtra hoſtium inuaſit, ac reprehenſus quòd præter induciarum leges atq; iuſiurandum hoſtem inuaſiſſet, reſpondit ſe dierum, at non etiam noctiũ inducias pactũ fuiſſe. Dicitur fuiſſe auarũ planè Carafę conſilium, vt bellum & ſuſciperetur & gereretur Pontifice varijs rationibus decepto, quoad res perducerentur quò cupiebat Carafa. atq; fama fuit poſtea ſubdole & ſimulatè bellum geri poſt hoc Albani & Carafę colloquiũ, quoniã Albanus Barrij principatum ante aduentum exercitus Gallici in Italiam Carafę ſe conceſſurum promiſerat, ſi rem Hiſpanam quàm minimum reipſa infeſtaret. conducere enim Carafis eum regem non infenſum habere, qui potentia & amplitudine imperij omnibus Chriſtianis principibus præſtaret, & toti ferè Italiæ dominaretur; cum res pontificię fluxę, labileſque ſint omnibus pontificum con-

Oſtię arx deditur.

Induciæ inter Albanũ & Carafam in.40.dies.

iunctis,

iunctis, qui tantum id habent facultatis per pontificatus occaſionem vt Principes amicos ſibi facere poſſent.non.n.ſperandũ eſſe ſenes pontifices diutius poſſe viuere. his rationibus pollicitationibusq; commotus Carafa cępit frigidius rem agere contra Albanum. Sed quoniam ſine infamia non poterat ab incæpto redire,aut ſine magna totius orbis admiratione,ſi ignota cauſa repente deſiſteretur,res ita conuenit,vt in aliquam opportunitatem pax differretur. cæteri tamen homines ignari harum fallaciarum cenſebant Carafam pactum fuiſſe has inducias; vt tantum ſpatij ſibi concederetur impunè ad expectandas copias è Gallia,quantum ſufficeret illis deducendis in Italiam, vt per illas repeteret,quæ hoſtis Hiſpanus occupauerat. Albanus dictus eſt inducias conceſſiſſe vt ex iis difficultatibus ſeſe in tutum honorificè reciperet, reficeret exercitum,afflictumq; equitatum recrearet,cum fame,& omnium rerum neceſſariarum penuria vehementer laboraretur in caſtris.bello ita dilato Carafa Romam, Albanus relicta quadam parte exercitus in munitione iam abſoluta Hiſpanis ſcilicet quadringentis,& octo bellicis tormentis,alia parte dimiſſa,ad vrbem Hernicorum Anagniam reuertit. ibi relicto Franciſco comite Populeo cum omnibus copijs in loca finitima in hyberna diſtributis iubet Neptunium & Fruſinum muniri atq; Anagniam,tanquam loca in ea regione ad vſus bellicos maximè opportuna. ipſe cataphractos equites ad fines regni Neapolitani multoſq; Hiſpanos deducens magnis itineribus Neapolim contendit. inducijs ita per illud ſpatiũ temporis confirmatis pontifex vno tempore ad bellum & ad pacem principes ſollicitabat,ignarus earum quæ factæ fuerant pactionum arcanarum. Illud autem faciebat vt ſi potentes fœderationes obtineret,bellum acrius inſtauraretur: ſin autem,quas vellet pacis conditiones aſſequeretur,pacem eligeret. Paccecum idcirco mittit ad Philippum regem in Hiſpaniam cum illis pacis conditionibus, quas cupiebat. Carafam mittit ad ſollicitandos Venetos vt communi conſilio cum Henrico rege, duceque Ferrarienſi excitarentur ad inferenda arma pro pontifice Philippo Hiſpaniarum regi. Sed enim cum omnes principes pro imperij vtilitate omnes amicitias & fęderationes metiantur, cum nulla neque ſancta neque firma ſint inter principes amicitiæ iura,niſi quæ regnorum vtilitatem ſecuritatemq; reſpiciant,nihil impetratum eſt. nam Veneti re prudẽter conſiderata non ita facile pro libito pontificis ſibi inimicitias,cum rege multis in locis finitimo imperio Veneto,a quo præcipuè nulla vnquam affecti fuiſſent iniuria,potentiſſimo in primis ob multas equitatus & peditatus copias,magnorumq; principum coniunctiones,minime ſuſcipiendas rati,humaniſſimis potius reſpõſis,quam vlla certa ſpe fęderationis pontificiæ legationi ſatisfacere conantur. Carafam igitur honorificentiſſimè acceptum perhumaniter dimittunt excuſatione vtentes, quòd non poſſent arma capere eo tempore aduerſus Philipppum regem, cum ad cætera pontificis vota ſe paratiſſimos eſſe profiterentur. Carafa ſpe potius & humanitate reſponſorum onuſtus, quàm vllis Venetorum promiſſis Romam reuerſus facit de his certiorem pontificem, qui deſperatis Venetorum auxilijs animum cõuertit ad Ferrariæ Ducem.erant enim permultæ cauſæ,quæ poſſent illum ducem ad illud bellum impellere,ſed & hæ duæ non parum. primum quod eſſet põtificis tributarius,deinde quod eſſet in Philippum regem non ſatis æquo animo,quippe cuius miniſtri Aloyſio eius filio perſuadere conati eſſent vt in Hiſpaniam accederet, quod eſſet impetratum à Philippo vt ſibi legitimũ Mutinæ & Regij Lepidi imperium,& alii honores concederentur. illud autem agebatur per Sigiſmundum Ateſtinum & Carolum Sabaudiẽſem,qui legatione apud Philippum regem fungebatur quẽ omni honore priuauit,iuſſitq; haberi proditorem in omni ditione Ferrarienſi. mittit Alphõſum primogenitum cum peditatu & equitatu ad occupandum oppidum Sancti Martini,& alia oppida Sigiſmundi,quæ tormentis concuſſa breui compulſa ſunt ad deditionem. poſtea veritus ne Corregii reguli,vt qui fouerent Hiſpanam factionem,ſtipendiaq; Hiſpana merebantur, aliquid detrimenti Ferrarienſibus rebus afferrent, iubet filium ad illud oppidum caſtrametari, quod vbi per aliquot dies obſidionem pertuliſſet,ita res componitur, vt reguli vel obſides darent vel vadimonia ſeptuaginta magnorum ſeſtertiorum,per quos adpromitteretur rem Ferrarienſem minime ab ipſis infeſtatum iri,quibus pollicitationibus poſtea ſoluta eſt obſidio. quod autem res ita componerētur duo obſides miſſi ſunt Ferrariam frater alter,alter nepos cardinalis Corregii, qui iuramento affirmant ſe nunquam Ferraria inuito duce exituros, quamobrem libertas etiam illis conceſſa eſt vt liberi in illa vrbe eſſe poſſent. inde Guardiſtallam caſtra mouentur. oppidum illud eſt Ferrandi Gonzagæ,quod obſidione cinctum tam acriter concuſſum eſt,vt breui eſſet per deditionem occupandum,niſi occultis de cauſis caſtra mota repente fuiſſent,& copiæ ad Regium Lepidi abductæ. pontifex his rationibus cauſiſque animi Ferrarienſis ducis ab Hiſpano rege abalienati cognitis, tanto ſtudio,tamq; acribus ſtimulis Ducem ſollicitat nunc precibus,nunc hortationibus,nunc minis,nunc pollicitationibus vt deniq; neceſſario ad fæderationem ineundam fuerit compulſus. Supremum illi defertur fęderationis imperium,vt principi rerum bellicarum peritiſſimo, quem Carafa põtificio nomine Defenſorẽ ſanctæ eccleſiæ nominat.ſumma fuit hæc cõditionũ;vt Põtifex haberet in caſtris viginti millia peditum,equites mille & quingentos, omnemq; neceſſarium commeatum ſuppeditaret. Henricus Gallorum rex vt totidem pedites ac duo millia equitum haberet. dux vt Ferrarienſis ſex millia peditum,equites cataphractos ducentos, quadringentos galeatos, viginti muralia tormenta. his ſtabilitis conditionibus vbique cohortes conſcribi: equitatus colligi, arma parari,tormenta inſtrui,quæ dum parantur in Italia conſilio pontificis, Carafa mittitur in Galliam vt promiſſæ copiæ celeriter mitterentur, iuſsaque eſt legatio ad Heluetios miſsa tria millia peditum conſcribere. Ghiſius menſe Ianuario anni ſeptimi poſt mille,quingentos & quinquaginta a partu Virginis peruenit Iuliam Tauricam. omneſque copias ibi expectat, vt coniungerentur, quæ vel per acerbiſſimam hyemem magnis difficultatibus alpes fuerant prętergreſſæ,quæ

vbi in

Iura amicitiæ inter reges.

Carafa Venetos ad arma ſollicitat.

Sigiſmundus Ateſtinus ꝓditor pronũtiatus, & oppida capta. Corregij obſeſſi compoſitio.

Guardiſtalla obſeſſa.

Fœderatio Ferrarienſis Ducis cum Pont.

1557

vbi in vnum conueniſſent, Inſubria omnis ad earum virium rumorem magnopere turbata eſt, & trepidatione repleta. nam verebantur omnes qui erant ſupremæ autoritatis in Inſubribus, cardinalis Tridentinus ſcilicet & Peſcolienſis marchio & Caſtalius ne ſimulatione pontificiæ defenſionis in Latio, conuerterentur ad occupandam Inſubriam, quare aggeres, foſſæ, munitiones in ea parte Mediolani excitari incipiunt, quæ nondum muro erat præcincta. Curatum eſt vti copiæ in vrbem contraherentur, portarumque cuſtodia ſingularum præſtantioribus ciuibus committeretur, quibus id curæ datum eſt, vt eas munirent, & nocte dieque cuſtodirent, vtq; milites viciſſim ad vigilias & cuſtodias admiſſi ſua munia diligenter exequerentur. cenſa ſunt præterea decem peditum millia & quingenti partim ſclopettarij, partim loricati cum ſariſſis. impoſita ſunt firmiſſima præſidia pariter Cremonæ, Ticini, Laudi Pompeij, Aſtæ, Guardiſtalij. miſſa ſunt & duo Rhetorum millia Valentium, quæ omnem Gallorum impetum eò prorumpentium ſuſtinerent. neque Dux Hetruriæ quidem omni prorſus metu erat vacuus, cum Gallorum quoque regina putaret ſe ius habere in quandam partem principatus illius, atque ipſe ſemper fautor fuiſſet partium Hiſpanarum. Dux ille igitur & ipſe multas copias conſcripſit, accerſitis etiam quatuor millibus Germanorum Florentiã, Piſas, & alia oppida in finibus ſuis munienda curauit, quæ Bononiam verſus, Ferrarienſemq; agrum proſpicerent, vnde ſibi non parum metuebat. Sic tota Italia erat in armis, vt magna vbiq; trepidatio, & in omnibus Italiæ partibus suboriretur. auxit anni præteriti etiam mortalium hunc timorem recordatio, cuius ſub finem viſa auditaque ſunt multa horrenda prodigia, quę tantos bellorum motus, & quaſi imminentem numinis iram in annum ſequentem portendebant. nam in montanis partibus Auguſtę Vindelicię dicitur cælum apertum apparuiſſe, plurimamque vim flammarum oſtendiſſe, atque ita vt præ metu plerique propè ſint exanimati. maximus motus terræ factus eſt Byzantij, per quem multa ædificia corruerunt in ea parte vrbis, qua itur Adrianopolim. poſt triduum ſtella ibidem viſa eſt prope lunam eximij ſplendoris, & inuſitatę magnitudinis, quę ob ſui luminis acumen vix conſpici poterat. in agro Bettzis, quod oppidum eſt Germaniæ, poſt grandines & fulmina ingentia, viſę ſunt in cælo acies armatorum concurrentes, auditique tubarum clangores, & tympanorum ſonitus ad pugnam incitantium. Albanus qui parum fidebat occultis Carafæ promiſſis, & qui nolebat videri cum illo clam conueniſſe vel ipſi Põtifici, omnem Gallicum apparatum in ſe fieri, ſeque vnum reſpicere ratus, decreuerat vrbem Neapolim contra tantos tumultus eſſe defendendam, quare firmata Capua optimis firmiſſimisque pręſidijs copias omnes ac duces eò contrahit, atque cætera loca relinquenda eſſe decernit. at quoniam res animo planè ſatisfacere non videbatur, accerſitis Ferrando Gonzaga, alijsq; inſignibus proceribus, req; maturius conſiderata, viſum eſt Albano de tota re bellica non ita temerè iudicandum eſſe, ſed diſquirendam cęterorum quoq; ſummorum ducum ſententiam in tanta rerum magnitudine, atq; de omnibus reparationibus & apparatibus faciendis conſultandum. hic alij cenſebant, ſi Gallorum conatus fieret in agrum Samnitum, eam prouinciam illis eſſe relinquendam, eoſque excipiendos eſſe in Apuliam, quod plurimum ad rem propoſitam facere videbatur. alij cenſebant vt oppida locaq; munita egregiè inſtruerentur, vniuerſaſque reliquas copias conducere Neapolim contrahere: quoniam hoſtis expugnandis illis diutius occupatus vires abſumpſiſſet, quæ vel ipſa diturnitate temporis retunderetur, cum breui futurum eſſet vt tantis copijs multa deficerent. alij, inter quos fuit Ferrandus Gonzaga, nullo pacto tantum erroris committi oportere contendebant, vt Albanus timere hoſtium vires vel tantillum videretur, cum primi bellorum ſucceſſus maximè animos extollant ſpe illorum, quibus prior belli fortuna felix aſpirauerit; at contrà illorum non mediocriter infringant, quibus aduerſa apparuerit. nam victricia arma victorum principum quique ſalutis & incolumitatis cupidi facillimè ſequuntur. ita enim futurum erat, vt ſi Albanus timere viſus eſſet, mox illi ſubiecta oppida & vrbes commeatum, & pecuniam, & omnes bellicos apparatus hoſtibus ſuppeditarent. hortabatur Gonzaga Samnitum fines egregiè munire & præſidijs validiſſimis & bellicis tormentis, atque ita inſtruere copias vt vbicunque hoſtis caſtrametaretur ſe non tutò poſſe conſiſtere omnino putaret. ſemper verò conducere hoſtem leuibus prælijs vexare, & in aptioribus locis oportere caſtrametari, neque vllam opportunitatem hoſtis ipſius infeſtandi eſſe prætermittendam. Iſtud autem fieri poterat breui, quia Albanus, vt primum Gallorum aduentus nuntiatus fuit, pluribus Italis cohortibus conſcriptis ſuas copias auxerat, miſerat qui ſex Germanorum millia per agrum Tergeſtinum adduceret, Adriaticoque mari traiecto per fluuium Matrinum in regnum Neapolitanum ingrederentur. mittit in Latiũ ad Comitẽ Populeũ Gaſparem Feltzium vt cũ duobus alijs millibus veteranorum accederet. curauit vt quatuor veteranorum Germanorum millia à purpurato Tridentino mitterentur duce Alberico Lodronio. ſollicicauit vt Barcinone tria Hiſpanorum millia mitterentur, qui magnum auri, pecuniarumque pondus ſecum adueherent in ſtipendia, cum etiam magnum equitatus ac tormentorum numerum contraxiſſet, atque omnia Samnitum Latijque præſidia plurimum auxiſſet. Albanus ita inſtructus, ne vlla ſuſpicio trepidationis naſci poſſet relinquendis oppidis, aut agro, qui plurimum poterat prodeſſe, ne liber tranſitus pateret hoſtibus, ſi iter facerent per Samnites, id muneris iniungit vt curaret diligenter Garzia vt Arianum, Sancta Agatha, & Venuſia munirentur. Sanctiflorius Capuæ, Veſpaſius Nolæ muniendæ præficitur. marchioni Triuici illa cura commiſſa eſt vt muniẽdã curaret Ciuitellam, Aternum, Peſcolium, Theatã, qm̃ Turcicę claſſis metus imminebat, quæ Gallico nomine in eas oras Calabriæ vẽtura dicebatur, Amiternum verſus munita eſt Ciuitas ducalis, omnibuſque rebus neceſſarijs egregiè inſtructa. dum hæc parantur in Italia ad futurum bellum induciarum tempore, viſum eſt Philippo regi perfore accommodatum rebus, rationibusq; bellicis, ſi is vno tempore Gallorum Regi bellum intuliſſet in ea parte Belgicæ regionis, quæ ad

Morinos

Mediolanũ munitur.

Prodigia.

Morinos Ambianosve ſpectat, neq; curaret Gallorum rationem, qui ſe in Italiam ad eccleſiæ Romanæ ſolùm defenſionem deſcendere profitebantur, at non vt inducias abrumperent. ita enim vexari, turbariq; res in Gallia poſſe apparebat, vt rex ille copias in Galliã reuocare cogeretur, quas miſiſſet in Italiam, tollereturq; omnis commoditas coniungendorum caſtrorum cum pontificio Ferrarienſiq; exercitu, atq; ſic omni metu & trepidatione liberarentur Inſubres. Tranſactis verò induciis inter pontificios Albanũq; inſtitutis, Antonius Tiraldus colligit cohortes in agro Piceno apud Aſculum. Romę item milites conſcribebantur, ita vt videretur bellum è multis partibus vno tempore in agrum Neapolitanum irrupturum: neq; poterat quiſquam pontificiorum conſilia percipere Albani, qui contrà per exploratores omnia quæ fierent vbiq; ad vnguem intelligeret. his apparatibus perceptis Populeus Comes petit firmiora præſidia ad occupata oppida in Latio aduerſus irruentes hoſtes tuenda; cui miſſa ſunt ſeptem vexilla Germanorum, qui propter difficultates terreſtrium, maritimorumq; itinerum iam penè erant afflicti, & non ſatis inſtructi. elapſis igitur induciis Bonifacius Sermitẽſis Setiam, Arcem Siccam, Priuernum, Somninumq, recuperat. Ghiſius copijs cum Briſacio coniunctis Valentium contendit, vbi ſimulantes ambo ſe propoſito precio commeatum ac tranſitum liberum poſtulare tentarunt animos illorum ciuium, quippe quos ſciebant pontificia ſtipendia, at non regia mereri, cum nihil horum obtinuiſſent, ad vim vertuntur. erant Valentij fere duo millia peditum, quorum alii erant Itali, alii Hiſpani, tribunus militum præerat Spoluerinus vir planè auarus, & qui nihil aliud quam opulentiam quauis arte ſibi comparare curabat, honoris gloriæque militaris contemptor, quod vitium late peruagatur in animis mortalium, ſed potentiorum pręcipuè noſtræ tempeſtatis. ille multum frumenti per occaſionem expectandæ obſidionis extorſerat a ſubditis finitimiſq; populis, & in arcem Valentii congeſſerat. eſt enim Valentium vrbs frumenti feraciſſima propter vbertatem agri, cum planitiem habeat maximè fertilem, in loco edito ſita ad ripam Padi fluminis, non valde munita, quia ſitus loci non magnam viſus eſt admittere muniendi induſtriam: ſed quæ tamen per aliquod tempus poſſet hoſtium impetum retardare. vbi illud Gallicæ copiæ aduentaſſent ſumma celeritate cum procul adhuc abeſſent tormenta, ſimulat Briſacius ſe per vallem propinquam Ticinum vrbem petere. tum paulopoſt, Ghiſius vbi caſtra poſuiſſet, iubet accendi ignes nocturnos in caſtris ad lætitiæ ſignificationem, rumoremque diſſipat, quòd Gallicis armis captum fuiſſet Ticinum. Illa fama ad Peſcolienſem marchionem delata non mediocriter eius animum turbauit, cum eſſet Valentio auxilia miſſurus, quamobrem Ticinum cum omni equitatu celeriter aduolat. miſſus eſt interea tympaniſta, qui Valentii præfectis ſignificaret adeſſe tormenta. Captum eſſe Ticinum. omnia grauiſſima à Gallis eſſe expectanda, ſi vel primum ictum tormentorum expectauiſſent. omnem ſpem ſalutis in clementia hoſtis, & in celeritate deditionis oportere collocari. Spoluerinus præſidiorum præfectus partim ſimplicitate, partim etiam timore, ne diutius congeſtas per tyrannidem per belli fortunam amitteret, milites hortatur ad deditionem ſi vitam & facultates incolumes Galli reliquiſſent, atque conceſſiſſent. non enim conuenire dicebat pro militaribus vexillis pugnare, cum iam ſeptima omnibus ſtipendia debeantur, ſed vitam ſeruare incolumem, quando nulla laborum merces eſſet propoſita. his cum milites nonnulli, & Hiſpani præcipuè non aſſentirentur, quia viderentur fieri contra decus gloriamque militarem, penè fuit a ſuo ſignifero ſariſſa confoſſus. Sed tamen inſtantibus quibuſdam facta eſt denique deditio. atque ita Gallorum arbitrio Valentium, & arx conceſſa eſt ſeruata ſalute, & facultatibus præſidiorum, & ciuium, quam pontificio nomine munire aggrediuntur. poſt huiuſmodi facinus Spoluerinus, aliique complutes milites Ticinum ad Peſcolienſem accedunt. traduntur in vincula. rei aguntur proditionis, quia munitiſſimam arcem nullo non modo ictu, ſed neque tormentorum quidem præſentia expectata, nulla facta ruina murorum, nullo conatu tentato, Gallis hoſtibus ſine puluere turpiter prodidiſſent. Signifer, qui Spoluerinum ſariſſa petiuerat accerſitus ad Peſcolienſem accepto tamen libertatis diplomate, & cauſæ liberè dicendę, multis verbis prius increpatur à Peſcolienſi, quoniam contra ius militare in ſuperiorem magiſtratum inſurrexerit. rogatur num ſe tribunum ita petere auſum iure poſſit affirmare. Signifer audacter reſpondit, & denuo ſe petiturum eſſe ſi eandem turpitudinem proponeret. viſus eſt igitur per eam fortitudinem, animique conſtantiam non gregarius miles, quare Peſcolienſis illi tribunatum militum pro Spoluerino concedit. at quoniam non conſtabat qui annuiſſent deditioni, & qui repugnaſſẽt, omnes pręſentes milites in decades diſtributi ſunt, ſinguliſque decadibus dati taxilli. cui pauciora puncta fortuna obtuliſſet è ſingulis decadibus, extremo ſupplicio ſunt affecti. Sic decumati milites ſuſpendio ſunt necati in foro Ticini, at præſtantioribus capita ſnnt abſciſſa. ad hunc finem induxit Spoluerini timiditas, & auaritia eius militaris dedecoris ſocios & participes. Card. Tridentinus quamuis eam vrbem, vt induciarum tempore contra fœdus expugnatam à Ghiſio repoſceret, nihil tamen obtinuit, quod diceret per eam abruptas fuiſſe inducias, quæ prior ſclopettis, & bellicis tormentis acies pontificias eà tranſeuntes innocuas impetiuiſſet. cum ita tranſitum ſibi per arma parauiſſet Ghiſius, mittit ſciſcitatum an eſſent inſtructi pontificij, Ferrarienſeſque apparatus ad conſtitutum negotium, qui ſe facile occupaturos Inſubriam & Hetruriam ſperabant. Interea exeunt Roma per noctem Alexandri Columnæ & Vincentij Capizuccæ cohortes, vt Hiſpanos & equites nonnullos in hybernis inuaderent, qui profecti illuceſcente die illos adoriuntur, potiuntur loco, omnes aut trucidant, aut capiunt: quæ victoria non fuit diuturnæ lætitiæ, quia reuertentes Zagariolum, & ipſi in fugam vertuntur ab alijs inuadentibus, multique capti Tybur ſunt adducti. at Palianius Dux, & Strozza cum quinque millibus Aquitanorum, Italorumq; peditum & ſexcentis equitibus contendunt ad expugnandam Oſtiam,

quia

Spoluerini vituperatio.

Stratagema Briſacij.

Valentiũ deditum.

Milites Valẽtij decumati

quia commeatus inde intercluderetur Romanis, quam breui capiunt. illa potiti mox ad munitionem in inſula diuerberandam ſe conferunt, atque premendam obſidione. ibi quotidie pugnatum eſt leuibus prçlijs, atque cum Aquitani ad reparationes vſque tranſcurrerent, multi illorum globis tormentorum laniati ſunt. Strozza cognita defenſorum virtute ac pertinacia vetat committi leuia certamina, animumque adijcit ad ſolam obſidionem. accidit iis diebus vt Tyberis propter aſſiduos imbres ita excreuerit, vt alueus aquarum defluentium copiam minime caperet, quare omnes foſſæ munitionis aqua ſunt repletę, plateaq; ita ob ducta, vt nemo ibi poſſet conſiſtere. in ea tanta rerum difficultate Franciſcus Vrtadus, Ortizus Veranus, Ioannes Vaſqueus Abulenſis rem ad conſultationem adducentes multis de cauſis cenſent locum defendi non poſſe, quare milites eſſe ad deditionem cohortandos; quibus paulopoſt Vrtadus in hanc ſententiam eſt locutus. ſi pro virtute fortitudineq; militum, & pro Hiſpani nominis gloria decertare liceret commilitones, nemini dubium eſſet vllos veſtrum, nunquam neq; Gallorum, neq; Italorum armis ſuperatum iri. ſed quoniam cęli inclementia & loci ipſius, in quo ſumus, natura aduerſatur, neque patitur reparationes vel nouas excitari vel inſtaurari veteres; cum aggeres huiuſce munitionis, vt videre licet, ex arena conſtructi paulatim per ſe, ac ſua ſponte, nulla vel virtute vel induſtria hoſtium collabantur, obſcurum eſt quid faciendum ſit? an vno tempore cum cęlo, cum fluminibus, cum natura terrę, cum iam iam futura penuria commeatus, cum magno hoſtium numero in loco aperto iam collapſis propè aggeribus pauci pugnare poterimus? exiſtimandum profectò eſt nō minoris eſſe prudentię cedere tempori opportune cum ita res cogit, quàm victoriæ occaſionem & gloriæ adipiſcendę opportunitatem cognoſcere, cum in illa re de gloria, de dignitate, de imperio agatur, at in hac de omnibus, & de facultatibus, & de vita ipſorum militum præterea. eum iure & militem & imperatorem & ſapientem poſſe appellari, qui non ſolùm vincendi, ſed etiam cedendi rationem cognouerit. his ſubiungit illis obſeſſis & circumuentis non dubio exitio ab hoſtibus ſalubre conſilium capiendum eſſe, neq; expectandum vt vi ſuperentur. nam cum ſit munitio propè labefactata corrodētibus & detrahentibus aquis; cum gleba arenoſa & madefacta ſit inutilis reficiendis reparationibus; cum ex inferiore loco pugnarēt, vbi facile tormentis hoſtium poſſint dilaniari, qui corbes terra oppletos ad ipſos propè aggeres erexerunt; cum nulla reliqua ſit ſpes ſubſidiorum, decernendum eſſe inquit vt cedatur tempori, fortunæque potentiori, hoſtium. nunc æquiſſimas conceſſum iri abeundi conditiones, quas in tantis rerum difficultatibus nemo ſanæ mentis repudiauerit. eas ſi quis amiciſſimè oblatas repudiet, futurum eſſe vt ipſam munitionem ſuo ſanguine cum ſanguine hoſtium perfundat ac demum illis relinquat ob iniquitatem loci, cum futurum ſit ob numerum copiarum vt exercitus hoſtium tota munitione dominetur. neq; hoc quidem ſe dicere inquit, quo minus paratus ſit quamcunque fortunam belli reliqui ſubire voluerint, ſed quia multo honorificentiorem exiſtimet iudicari diſciplinam militarem omni temeritate, cuius diſciplinæ eſt in rebus omnibus non minus quàm cæterarum facultatum cognoſcere tempora & opportunitates. nunc eſſe omnium conſilij quod ſapiens, quod vtile, quod honorificum ſit iudicium facere. tunc acclamauerunt milites his auditis vt Vrtadus pro ſuo iudicio res componeret. ſic igitur conueniunt præſidiorum duces cum Pontificijs, vt præter vitam & arma & tormenta cuncta pontificiorum arbitrio relinquerentur: atque Hiſpani inde egreſſi his conditionibus ad vrbem Antium Fortunæ templo olim celeberrimam contendunt. Dux Paliani Hyeronymum Freapanem & Franciſcum Villium cum magna Italorum peditum manu mittit ad recuperanda caſtella infinibus Velitrenſibus; Tuſculum ſcilicet, & Marinum, & Cryptam ferratam, & Caſtrum, & Gangulphum, vbi erat in præſidijs Ioannes Epiphanius cum ſeptuaginta peditibus ſine vllo vel annonæ vel rerum neceſſariarum apparatu. Epiphanius præter illa incommoda cum manipuli præfectus quidam cum ipſo manipulo militum per obſcuram noctem è męnibus aufugiſſet, poſt nonnullos tormentorum ictus atque conatus militum compulſus eſt ad deditionem. eo tempore Franciſcus Columna & Vincentius Capizucca mittuntur ad recuperandum Paleſanum, quo facile potiti ſunt. deinde Capizucca ad oppidum Sancti Angeli in edito monte ſitum recuperandum ſigna conuertit, quem locum tuebatur cum valida Italorum cohorte Baricellus Fabrianenſis, quo etiam poſt multa leuia certamina, repetitoſque conatus denique potitus eſt. at Comes Populeus per illud tempus recuperando oppido Sancti Pauli erat occupatus, in quo ad ſeptuaginta Hiſpanos trucidatos fuiſſe memorant ab agreſtibus accolis regionis, cui ſuccreſcebat in dies ſuſpicio ne proderetur à ciuibus oppidi acceptis ab hoſte conditionibus. Palianius Dux de his certior factus cum Strozza copias illuc conuertit ad vrbem expugnandam. Comes cognito hoſtium conſilio & propter vrbis amplitudinem, & quia diffideret animis ciuium ad res Pontificias potius aſpirantium quàm ad Hiſpanas, ſtatuit illam vrbem, quam ſe non poſſe defendere exiſtimabat, relinquere, atque ad Vicum Valerium ſe referre, quò Feltius tribunus cum Germanis copijs conceſſerat. eò profectus locum munit. duas Hiſpanorum cohortes locat. Amencam deinde & Arzolium proficiſcitur, hoſtium conſilia ibi commode obſeruaturus & ſuppetias laturus Vico Valerio, ſi opus eſſet. Pontificiæ copiæ ad Vici Valerij vſque męnia interea caſtrametatæ vrbem ad deditionem ſollicitant. recuſantem ſe dedere obſident. at Cantalupum & Rouinium & alia quædam caſtella, multique Vicoualeriani ab Hiſpanis deficiunt ad pontificios, vt quos iam pertæſum eſſet Hiſpanæ importunitatis. Populeus Comes ob hoſtium potentiam intelligens ſe in loco non ſatis tuto caſtrameratum eſſe ad Subiacum ſe recipit, vnde Anagniæ & Fruſino poſſet opem ferre. non enim audebat ſine bellicis tormentis cum multo maiore hoſtium numero præcipue inſtructa acie decertare, aut æquo marte confligere,

Vrtadi oratio ad deditionem.

Oſtia recuperata.

Oppida multa recepta à Pontificijs.

Tuſculū, marinū, crypta ferata.

fligare, quam ibi ſtationem habere ſtatuit vt in loco maximè oppottuno. Strozza qui decreuerat omnino Vicum Valerium eſſe recuperandum, per quinque dies è quibuſdam collibus iubet illum murali bus tormentis concuti, qui colles vrbi imminebant. atque cum parietes domorum priuatarum tenues eſſent pro mœnibus, multæ domus conquaſſatæ euerſæq; ſunt; quamobrem difficilis via ſalutis Hiſpanis, vt in loco aperto & retecto, paucisq; aduerſus multos pugnaturis oſtendebatur. aperto igitur ſatis amplo murorum ſpatio primus conatus fuit Aquitanorum, qui nullo ordine per ruinas inuadentes virtute ac ſtrenuitate defenſorum cęduntur. his poſt modo ſuccurrentibus Italis acriter vtrinque ac diu pugnatur. ſed tamen ad extremum incredibili ſingularique fortitudine Hiſpanorum cum magna vtrinque clade hi reiiciuntur. Strozza percepto Comitis aduentu è quadam captiuo iubet cani receptui. inſtaurari verberationem. copias in aciem inſtrui ad ſecundum conatum. tanto igitur tormentorum impetu domos concutit, vt multi Hiſpani variis in locis collabentium domorum ruinis fuerint oppreſſi: quare Hiſpani cognita defenſionis difficultate mittunt qui agant de deditione. at pontificiæ copiæ moræ impatientes, prædæque cupidæ ſcalis repente admotis vrbem vndique inuadunt, & in ea parte præcipuè, in qua ſtationem habebant Hiſpani, qui ſtatim in arcem ſe recipiunt. Pontificij milites partim portas infringunt ciuitatis, partim per ruinas murorum ingreſſi obuios Hiſpanos trucidant, ac breui arce quoque potiuntur. nam cum vrbem cædibus atque direptionibus repleuiſſent, Hiſpani qui in arcem ſe receperant, omni prorſus ſpe defenſionis abiecta præter vitam cuncta arbitrio victorum concedentes ſe dediderunt.

Vicus valerius receptus diripitur.

Veneti tantos bellicos apparatus vbique conſurgentes in Italia intuiti rebus ſuis maturè conſulendum eſſe rati Thomam Contarenum mittunt ad recognoſcendas, muniendaſque vrbes, quas habent in regione Cęnomanorum. miſſi ſunt duces qui mille & quingentos pedites conſcriberent ad augenda præſidia. conſcripti ſunt equites centum & quinquaginta cataphracti ad ſupplementum ſexcentorum, quos Veneti alere ſolent. tot enim iam iniuria nonnullorum præfectorum ordinario numero paulatim defecerant. datum eſt Sfortiæ Pallauicino honorificum ſtipendiū, qui fuit vniuerſis peditibus præfectus. ſed quoniam ſemper habere ſolent ordinarias triremes triginta & ſex in ſinu Adriatico ad Illyrica Ioniaque litora tutanda, quia dicebatur ingens claſſis inſtrui Byzantij, fit ſenatuſconſultum vt quinquaginta aliæ triremes inſtruerentur, adderenturque ordinarijs ad propulſandas iniurias barbararum gentium, quæ facile conuolant ad ſpem prædæ, niſi paratos eſſe opportunè defenſores viderint, nulla ſæpe habita amicorum vel hoſtium differentia.

Veneti ſuas munitiones inſtruunt & copias colligunt.

Sfortia Pallauicinus cum Venetis.

Ghiſius cum Valentij plures iam dies moratus eſſet de omnibus rebus Romanis certior factus, apparatuque Ferrarienſi, ante quam caſtra moueret concilium ſuis proceribus indicit: inter quos præſtantiſſimi viri fuerunt Briſacius, Vmalius regulus, Ludouicus Biragus, Vimercatus. proponitur in eo militari concilio in conſultatione quid agendum videretur in Gallia ſubalpina. in quo variatæ fuerunt ſententiæ cum aliud alij ſentirent. fore nimirum ſi bellum ibi coniunctis viribus gereretur, vt diuerterentur Hiſpanę vires à Pontificijs finibus vexandis, cū ex illis huc copiæ neceſſariò eſſent reuocādæ: potetius fore bellū quod cōiūctis copijs, q̄ quod diſtractis in varia loca gereretur: atq; Gallos & annonę copiā habituros faciliorē, & auxilia ſicūde eſſent accerſenda; quod maximè potuiſſet, ſi aliquā inſignē impreſſionē in Inſubriā feciſſent, cū omnia proſperā fortunā fauſta feliciaq; ſequātur & adiuuēt. decernitur tamen poſt multas in vtraq; partē adductas rationes cōmuni cōſenſu, ne debilitarētur præſidia Galliæ ſubalpinæ, vt Briſacius Iuliam Tauricā reuertatur, infeſtetq; Inſubres pro opportunitate, quę ſibi offerretur: quod ipsū fieret à Birago & cæteris ducibus. Ghiſius ipſe dimiſſo concilio ad ſummum ducem fœderationis Ferrarienſem ducem contendit, vt cum eo decerneretur quid conſilij de præſentibus rebus eſſet capiendum. ſic igitur ſuis copijs in agrum Placentinum vexillis explicatis iter facit. at quia exercitus eſſet propè Ticinum tranſiturus, Peſcolienſis rebus bellicis cum ſummo imperio pręfectus in Inſubria Guardiſtallum egregiè munit, ne Galli tranſeuntes oppidum illud occuparent. deinde firmiſſimis præſidijs Caſali maiori, id eſt oppidi nomen, impoſitis ipſe Ticini moratur. ſed tamen paulopoſt cum omni equitatu ac peditatu in aperto caſtrametatur, vt commodius quid molirentur hoſtes obſeruaret. cardinalis Tridentinus vt magis etiam ſuſpenſos hoſtium animos teneret, gregarias atque collectitias copias è quibusuis ordinibus Mediolani conſcribit. ſed huiuſmodi milites ſubitarii tantæ ſunt conſtantiæ vt vix Binaſcum profecti cœperint multi aciem deſerere, qui grauiter ferentes vel prima militiæ rudimenta, primoſque labores domum refugerent. ipſe tamen cardinalis cum illis, qui permanſerunt in caſtris, inſtitutum iter facit. Peſcolienſis vir rei bellicæ peritus ac dux vafer tranſeuntem Ghiſium per veſtigia ſubſequitur, vt ſicubi commodè poſſet, hoſtem à tergo adorirętur, afficeretque inſigni aliqua clade. ſed Ghiſius ita ſtipata condenſataque acie procedebat, vt minimè offendi poſſet. Ghiſij copiis in agrum Placentinum profectis ad Fidentiā Octauii reguli mandato fit magna commeatus copia, vbi Ghiſij iuſſu omnium rerum ſolutum eſt precium, atque diligenter edictum ne cui fieret iniuria. eſt vna profectò rerum diſciplinæ militari maximè neceſſariarum obedientia, quæ ſola non modo ſi defuerit in caſtris, verum etiam ſi obdormiuerit, inutiles efficit omnes bellicos apparatus, omnemque rerum bene gerendarum opportunitatem ſæpius ſubuertit. ſed in iis quoque, quæ ſpectant ad faciendam copiam facilitatemque commeatuum non mediocris adhibenda eſt diligentia: quia vel ſi rumor exeat è caſtris aliquid impune direptum fuiſſe à militibus, facile qui per ſummum capitis diſcrimen atque periculum omnium edulia portant in caſtra deterrentur, multaque penuria poſtmodo laborare in caſtris neceſſe eſt. neque illud ſanè negligendum, quòd vel leuiſſima de cauſa acerrimè puniendi ſunt milites in rebus huiuſmodi, cum per omnē impunitatem fiant inſolētes

Obedientia neceſſaria in caſtris.

& intolerabiles; vt qui non ad aliquam honeſtam diſciplinam aut rectam viuendi rationem, ſed ad omnem omnis libidinis & audaciæ & temeritatis licentiam in caſtra ex imperio & obſeruantia legum ſibi confugiſſe videantur. Nam certe quidem fex & colluuies & ſordes ciuitatum, intemperantes ſcilicet perpetuoque exilio damnati, tanquam maligni humores ex vrbibus per vomitum eiecti, ad ſpem prædandi & latrocinandi impunitatem reipſa, at nomine ad bella concurrunt. Ghiſius poſtero die ad Burgum ſancti Donini caſtra mouet, vbi etiam per benignè acceptus ab Octauio commeatus omnes neceſſarios inuenit. hinc ad Regium Lepidi iter capit, pontemque Lenciæ prætergreſſus, qui fluuius Inſubriam ab Aemylia prouincia diſterminat, formidabilis magis ob rapacitatem, quàm ob aſſiduam copiam aquarum, apud ipſum fluuium caſtrametatur. eſt enim ea eligendorum caſtrorum conſuetudo, vt pluribus è lateribus vel flumina vel lacus vel altiſſimas foſſas, aut lacunas habeant, ſi fieri poſſit; ſinautem ſaltem ex aliqua parte. nam non ſola aquationis & lignationis commoda ſpectanda ſunt, ſed etiam vt peditatus foſſis ſit cinctus per noctem, ſi immineat hoſtium periculum, ne poſſit hoſtilis equitatus in plano & aperto loco repente immunita caſtra adoriri. quòd ſi locus valde ab ipſa natura talis paratus fuerit locandis caſtris, multò erit commodius quàm parare per multos operarum caſtra ſequentium labores. Ferrarienſis Dux aduentu Gallorum percepto cum octingentis equitibus & ſex millibus peditum ex vrbe Regio Lepidi obuiam procedit ad pontem Lenciæ, cui & ipſe Ghiſius cum nobilioribus è ſuis fit obuius. vbi propius ventum eſt, Ghiſius ex equo deſiliens honoris cauſa pedes obuiam accedit & ſoccero & eidem ſummo imperatori fœderationis. huic regio nomine inſignia offert ſummi imperij eius expeditionis, quo tempore ingens facta eſt militaris ſalutatio multis tormentis diſploſis, & omnibus ſclopettis præſentium copiarum. inde motis caſtris vniuerſæ copiæ Regium Lepidi accedunt, vbi erat Carafa cardinalis nuper Bononia profectus. poſt mutuas ſalutationes & amplexus indicuntur in diem poſterum militaria comitia omnibus ducibus inſignioribus, in quibus decerneretur de ſumma expeditionis ſuſceptæ, & quo pacto tota res eſſet tranſigenda. vbi conueniſſent, variæ propoſitæ ſunt ſententiæ in ijs comitijs, ſiquidem alij cenſebant præſtare vt coniunctis omnibus præſentibus copijs Inſubria primum inuaderetur, & Cremona repentino aduentu tentaretur. ea victoria parta Ticinum expugnaretur. ad quod videbatur plurimum iuuare Briſaci j virtus & induſtria, qui agrum Nouarienſem hoſtiliter inuaſuerat, & præſidia præterea Valentij, quæ proxima quæque hoſtilia prædationibus & populationibus vexabant. nam his tot tantiſque perturbationibus implicatus Peſcolienſis videbatur non poſſe tot in locis tantam belli magnitudinem ſuſtinere, quare breui futurum erat vt omnes vrbes Inſubrum venirent in poteſtatem Gallorum. alij difficilem & duram nimirum hanc prouinciam & periculorum plenam arbitrabantur, quia poſſet Albanus magnum equitatum & peditatum ex agro Neapolitano, ex Apulia, Calabria, Sicilia, cæteriſque ſubditis locis collectum, atque è tota Hetruria adducere, dum Galli in harum munitarum vrbium expugnationibus tardarentur, quibus copijs poſſet vel in aperto poſtmodo facillime reſiſtere, ſi non eſſe ſuperior. Idcirco alij putabant vtilius eſſe ſi inuaderetur ager Florentinus, atque tentaretur Senam priſtinæ libertati reſtituere, quo pacto & ſubditorum fauore non mediocriter vterentur, & Neapolitanas vires ab Inſubribus diſiungerent. eius ſententiæ præcipuè Strozza fuiſſe autor ferebatur ſempiternus hoſtis Florentini Ducis, & inter Gallos non paruę autoritatis propter peritiam rerum bellicarum. Carafa dictus eſt clam per negotiatorem à Florentino Duce extorſiſſe vt promitterentur multa millia nummum, niſi mallet Strozzeana conſilia inter duces præualere intra certum tempus diſſolutum iri, atque ita factum eſt vt Strozzeanæ ſententiæ repugnaret Carafa in illis comitijs, neque pateretur tantas vires ad Hetruriæ deuaſtationem conuerti, quod quidem factum eſt, vt dolus arte retunderetur. Carafa id circo inuadendum eſſe agrum Neapolitanum cõtendit, vt inde bellum diuerteret, eundumq; per agrum Picenum, cum ipſe ex alia parte Latij tantum regionis eſſet occupaturus in agro Latino, quantum collibuiſſet. omnem bellicam fæderationẽ Pontificię defenſionis gratia fuiſſe inſtitutã, quę defenſio certè nulla videretur, ſi in Hetruria, aut Inſubria occupanda vires retardarẽtur, aut debilitarẽtur. Ferrarienſis dux quoniam hæc probabilia viderentur, reliqua omnia cenſet eſſe reliquenda, hortaturq; Ghiſium ad Pontificis defenſionem. ipſe cum ſuis copijs ſibi manendum iudicat, quia non ſatis amicum Parmenſem ducẽ putabat ob res nuper cum Philippo rege compoſitas, cũ etiam aduerſus Hetrurię vires eſſet inſtructus. ſic enim cõfirmauit Carafæ & Ghiſij animos, qui plurimũ eius principatui ex ea parte timebant: quamquã Carafa cẽſebat vt Dux ipſe vnà cõtenderet in Latiũ, quod Ghiſius nulla ratione aſſentiebatur, cum ſępe euenerit vt qui cõtenderẽt ad aliena ſubiugãda, ipſi abſentes è ſuis vrbibus ac focis in perpetuũ exlcuſi fuerint. poſt tot tamq; varias de rebus propoſitis diſputationes pro iudicio Ghiſij ne res altercationibus diſtraheretur, quæ celeritate indigebat, ne vires interim hoſtes ad augerent, ſed quàm citiſſimè diſiungerentur, decretum eſt vt Ferrarienſes copię ſua tueantur. dum Briſacius Inſubres infeſtaret, Ghiſius & Carafa erectis ad profectionem vexillis Bononiam contenderent. atqui Ferrarienſis dux relicta copiarum cura Alphonſo filio Venetias ſe contulit. queritur Philippi Regis orator apud Venetos Regio nomine Ducem Ferrariæ nulla ab ipſo Rege accepta iniuria præter æquitatem Hiſpano bellum inferre. hortatur Venetos ad arma pro Philippo rege, & pro æquitatis, iuſtitiæque defenſione ſuſcipienda. inuehitur vehementer in Pontificem & Henricum regem, vt quorum alter abruptis inducijs ſimulatione Pontificiæ defenſionis auarè Italiam inuaſiſſet; alter vt qui ereptis per iniuriam ad opulentiam coniunctorum facultatibus Romanis proceribus, conaretur ſuos per multorum ruinas efficere ditio-

Milites noſtri tẽporis quales.

Caſtrametandi ratio.

Honores à Ghiſio præſtiti Ferrarię ſi duci.

Carafę, Ghiſij, ducis Ferrarię colloquia de rebus agendis.

Doloſum factum Carafę aduerſũ Ducem Florentię.

Philippi regis legationis oratio in ſenatu Veneto.

ditiores: quippe qui legitimos dominos ſuis oppidis ac principatibus iniquè priuaret, atque immeritis ciuibus vitam eriperet. munus eſſe inqnit Veneti ſenatus, qui ſe iuſtiſſimum eſſe ſemper profeſſus eſſet vel ab ipſis vrbis fundamentis, non quidem nemini inferre iniuriam, quod faciunt etiam nefarij homines metu pęnarum & legum; ſed prohibere pro viribus quoad fieri poſſit, ne cui fiat iniuria, quod vnum eſt regum tantum & potentiorum bonorum principum munus. Ferrarienſis dux Venetias profectus illas tam acres accuſationes, quibus dicebatur eſſe ſummus Imperator tam abſurdæ fęderationis, diligentiſſimè diluit, tamque honeſtas fęderationis cauſas attulit, vt Veneti pro neutra factione arma ſuſcipienda, ſed inter duos ſummos principes de pace agendum putarint. dum Ferrariæ dux Venetijs moratur, obſides Corregij contra omnes pactiones ac iuramentum cardinalis Corregij monitu Ferraria diffugiunt. Hiſpana pręſidia in vrbem Corregij admittuntur à Peſcolienſi immiſſa: quæ res poſtea cauſa fuit vt bellum intra fines eius Ducis gereretur. hic nuntius magnopere animum Ducis perturbauit, qui de cęteris oppidis quoque vehementer ſollicitus ſub mediam noctem Venetijs diſcedit, quantaque fieri poteſt celeritate Ferrariam reuerſus auxit Mutinæ, Carpi, cæterorumque oppidorum præſidia. curat munitionem quandam faciendam apud Baſtiam ad claſſes reprimendas, ſi quæ per ipſum Padum mitterentur. Cæterum Ghiſius Bononiam profectus cum nullos bellicos apparatus à Pontificijs factos videret, conqueritur non ita promiſſum eſſe regi in Gallia Lutetiæ. ſed cum dicerentur eſſe decem millia hominum in agro Piceno & Aſculano præſertim, omniaque parata eſſe, ſicuti Regi promiſſum fuerat, placatur, omniſque eius animus conuertitur ad bellica conſilia. proponitur ibi conſultandum vnde maximè regnum Neapolitanum inuadere oporteat, num ex agro Carſiolano, an ſancti Germanij, an Ciuitellæ; atque denique decernitur vt traiecto Truento flumine per Ciuitellam procedatur, quòd ea via videretur ad commeatuum facultatem magis eſſe accommodata. huc accedebat, quòd in ea parte oppida quoque non valde eſſent munita, quæ facile poterant capta & ipſa annonæ copiam ſuppeditare. Ghiſius inde cum quingentis operis, duodecimque muralibus tormentis caſtra mouet, Imolamque poſt Rauennam & Fauentiam & Forulos & Cæſenam prætergreſſus Ariminum peruenit, vbi ſuas copias cenſuit. habebat in caſtris quinque Heluetiorum millia, quibus omnibus præerat cum imperio marchio Buſſeus frater ipſius Ghiſij. quatuor Rhætorum, ſeptem Gallorum & Aquitanorum millia, non nulloſque Prouinciales. equites cataphractos quadringentos & quinquaginta, galeatos mille & quingentos & quinquaginta, multaſq; præterea italorum ducum copias, qui numerus ad viginti & duo millia armatorum accedebat. erat præfectus Gallici omnis peditatus regulus Nemetocernenſis. caſtrorum magiſter Sipierius, Motteus & Tauaneſus mareſcialli totius exercitus, quod nomen apud Gallos copiarum præfectum ſignificat. Ghiſius ſuas copias ita cenſas Arimini iubet Eſum contendere, ipſe ad Vrbinatem Ducem Piſaurum, inde Romam ac ceſſurus proficiſcitur. excipitur ab illo Duce perhumaniter, multaque hilaritate. mox Romam profectus communicatis rebus omnibus cum ſummo Pontifice ad ſuas copias, quæ Firmium acceſſerant, reuertit. Briſacius interea magno exercitu collecto ſigna infeſta conuertit ad oppidum munitiſſimum inter Villam nouam & Aſtam atque Carmaniolam, quod Vallem Feneram vocant, in quo erant Hiſpana præſidia. illud diutius obſeſſum ac per diem atque noctem aſſiduè tormentis concuſſum tandem ob annonæ penuriam compellitur ad deditionem, atque ſolo æquatur. illa victoria elatus Gallus caſtra mouet ad occupandum Claraſcum oppidum in loco edito ſitum, annonæque abundans omnis generis, quo etiam potitus per deditionem diligentius munit, impoſitiſque firmioribus præſidijs ſibi ad vſus bellicos reſeruauit. erat Albanus per illud tempus muniendis oppidis in Samnitum Præcutinorumque finibus occupatus, atque eius rei cauſa Aſcanium etiam ad ipſos fines miſerat, cum ipſe Neapoli profectus Sulmonem perueniſſet. deinde Aternum & Theatam oppida curat munienda, Sanctiflorius Ciuitellam. mittitur præterea ab albano Franciſcus Columna cum ſeptem Italorum vexillis, duobuſque equitum ad recuperanda quædam oppida Paliano finitima, Cauum ſcilicet Carpenium & Valmontonium, & quę ſtatim relinquuntur a præſidijs ad Montem fortem & Anagniam profugientibus. Ghiſius in caſtra profectus ibi aliquot dies moratur. at Antonius Tiraldus cum mille & quingentis peditibus Italis, quingentis lectiſſimis Gallis, centum & quinquaginta expeditis equitibus Campilium accedens oppidum obſidione cingit, oppidanoſque ſollicitat ad obſidionem. illi cum ſex dierum ſpatium ad reſpondendum poposciſsent, ſcalæ ad muros clam eriguntur, milites ex ea parte, quæ Caſtrum nouum proſpectat domum quandam vicinam ingrediuntur. id cum animaduertiſſent oppidani tormenta quædam in eam domum diſplodunt, quamobrem fit magna cædes inuadentium. ea ſuorum clade commotæ reliquæ copiæ vndique per vim cum ſcalis inuadentes in oppidum irrumpunt. obuios ad vnum trucidant. omnia diripiunt, præter tertiam oppidi partem, quæ ſe acrius dfendit, cum totum id oppidum in partes tres eſſet diuiſum. illa pars quia acceptis conditionibus ſe dedidit, minus malorum certè paſsa eſt. magna præda in hoc oppido, vel potius vrbe facta fuiſse dicitur, cum præterea optimorum vinorum & annonæ copia tanta reperta ſit, vt totus Gallorum exercitus per aliquot dies ſit recreatus. Tiraldus ita Campilio potitus, Interamniam verſus caſtra mouet. illam facile capit per deditionem, vnde incurſiones faciens per vallem Siculam vocatam omnia loca ad Iuliam vſque nouam infeſtat. cum Ciuitellæ præſidijs frequenter leuia ſuditariaque prælia committuntur. eò Ghiſius cum omnibus copijs profectus Ciuitellam acerbiſſima obſidione cingit. ſollicitatis fruſtra ſępius animis ciuium ad deditionem, nulla re memorabili fac

Ferrarienſis accuſationes diluit.

Corregij obſides Ferraria fugientes Hiſpanos admittunt.

Copię Ghiſij cenſæ.

Briſacius. Vallem fenerã expugnat.

Claraſcũ captum.

Campiliũ captum.

ta moratur, dum tormenta muralia Ferraria & Ancone attraherentur, reliquique portarentur apparatus ad verberationem neceſſarij, qui vbi aduentaſſent, locus a quatuor lateribus acertimè concuti cœpit.

Ciuitellæ deſcriptio & obſedio.

Sita eſt Ciuitella ſuper colle quodam, cuius ædificia formam quandam ſemitheatri exterius præ ſe ferunt. habet alteram partem ad mare Adriaticum Orientemque conuerſam, alteram ad ſuperiores montes, quæ conuerſa eſt ferè ad meridiem. cingunt eam vndique aſpetrimæ rupes & prærupta crepidines, cuius fundamenta ſunt ſupra duriſſimum ſaxum extructa. muros habet debiles, ſed turrim quandam prævalidam ad eam partem, quæ proſpectat ad ſeptentrionem. ſunt vndique deſcendentibus profundiſſimæ valles, per quas amœniſſimo curſu defluit Viperata fluuius, ad cuius ripas ſemper ferè virentia prata floribus veſtiuntur, atque habent aſſiduam quandam veris ſpeciem. habet perdifficiles vndique aſcenſus, ſed à montibus præcipuè. diſtat non procul ab ea cœnobium, vbi Ghiſius habuit hoſpitium, atque inde ad Ciuitellam productis foſſis aggeribus tectus aduerſus tormenta oppidanorum conatur mœnibus propinquare. iubet per eas foſſas oppidum explorari ad verberationem, quod compertum eſt ex ea parte offirmatum, egregiè munitum, tamque multis reparationibus inſtructum, vt Ghiſius ſententiam mutare coactus ſit. collocat igitur in colle quodam quinque muralia tormenta, atque in alio colle paulò inferius quatuor, quibus ſatis amplum muri ſpatium & propugnaculum, quod minus firmum viſum eſt, cœpit concuti. ex alia parte in turriculam quandam ſex tormenta erigit. at enim cum plurima facta eſſet vis imbrium terra ita mollita eſt, vt vix homines in locis lubricis poſſent conſiſtere. corruit itaque ſua ſponte quoddam ſpatium murorum, quod concuſſum fuerat cum parte propugnaculi. ibi quamuis magnus factus eſſet hiatus mira celeritate oppidanorum induſtria aggeres excitantur, locuſque munitur prævalidis reparationibus, cum ad opus omnes cuiuſuis ætatis homines acceſſiſſent. vbi tamen non ceſſaret verberatio, à duobuſque lateribus ſatis ampla murorum ſpatia aperta Ghiſius eſſet intuitus, mittit exploratum verberationes, quæ viſæ ſunt valde difficiles, cum non poſſent inuadi propter magnum limum atque aquas cœleſtes, niſi per ſummam difficultatem. Ghiſius cum ſibi turpe eſſe arbitraretur re imperfecta à ſuſcepto negotio recedere, iubet teſtudines fieri è validiſſimis aſſeribus ad militum defenſionem, rotaſque ſaccis lana plenis aduerſus tormenta muniri, vt ad mœnia ſubduci poſſent. comitabantur has duo ſclopettariorum millia, quæ teſtudines impulſæ ſunt vbi apertiores erant ruinæ. Interea quo facilior acceſſus teſtudinibus concederetur, atque in aliam partem oppidi vires defenſorum diſtraheret, ne totæ eodem confluentes difficiliorem oppugnationem efficerent, cogit in alia parte oppidi ad arma conclamari, & in eandem partem tormenta diſplodi, quamobrem magna pars oppidanorum coacta eſt illuc accurrere. erant ad huiuſce partis oppidi cuſtodiam deſtinata tria vexilla Italorum, qui propter frequentiſſimam glandium procellam, ſaxorumque copiam, quæ in hoſtes magna vi deuoluebantur, tantam inuadentium ſtragem hoſtium ediderunt, tam acriter, tantaque virtute reſtiterunt, vt Galli neceſſariò ab ea oppugnatione, apertoque periculo ſint reuocati. contractis igitur ſuis copijs Ghiſius cum ſuos tantum milites omne bellorum periculum, omneſque labores ſuſtinere intelligeret, cum res præcipuè ob difficultatem loci non ſuccederet e ſententia, maximopere queritur, cum Antonio Carafa, quòd non poſſent fieri, quæ ſtatuiſſet, quia non adeſſent promiſſi bellici apparatus, vbi Antonius paulò ſuperbius, elatioreque animo, quàm par erat in huiuſmodi opportunitatibus, ac difficultatibus rerum reſpondiſſet, Ghiſius iræ indignationiſque plenus citatis equis conuolat ad Pontificem.

Cunij deſcriptio & obſidio.

Briſacius poſt captum Claraſcum ad Cunium caſtra poſuerat. ea eſt vrbs ducis Allobrogum, quæ poſita eſt inter Geauam in Eridanum influentem & Sturam fluuios, qui Stura influit in Tanarum. poſſunt tamen ob inopiam aquarum hi torrentes potius, quàm fluuij perennes appellari. ex altera parte finitima eſt Salaſſiæ ditioni, ex altera montem habet Argentarium proſpectantem, atque locata eſt in loco edito & natura munito. Briſacius in hanc vrbem obſidione cinctam multa muralia tormenta dirigit, quibus neque per diem, neque per noctem vrbem infeſtare ceſſabat. defendebatur vrbs egregiè ducis Meniconis opera & induſtria, cuius præſidijs inuadentes ſæpius ſtrenuè reiecti ſunt non ſine ingenti clade, cum tantundem reparationum ab vrbanis fieret interius, quantum labefactaſſet per diem vis & impetus tormentorum, quare ſemper recentiores ciues apparebant. nam obſtinatiſſimos & intrepidos atque indefeſſos nactus eſt defenſores, quia ſibi propoſuerant omnia potius vel quàm difficillima ſibi eſſe perferenda, quam veniendum in poteſtatem Gallorum hoſtium, quare miſti cum Meniconis militibus omnis ætatis & ſexus ciues vrbani tanta induſtria vtebantur in defenſione atque beneficio communi, vt in propria cuiuſque ſalute, quo vana facta ſunt Briſacii conſilia. Ille obſidione, cuniculis, tormentis proſternendis mœnibus ac propugnaculis ad vrbis defenſionem erectis decernit Cunium omnino expugnare. multas operas accerſit. cuniculos excauat. quidquid poteſt abſcindit è propugnaculis. omnia intima montis penetrat. ſed nulla in re parum diligentes erant defenſores, cum ſemper parata forent aduerſus oppugnantes remedia. erant in ea re tam prompti, tamque ſtrenui, vt Briſacius poſt diuturnam verberationem, ſæpiuſque repetitos conatus plurimis atque præſtantioribus è ſui s deſideratis deciderit de ſpe Cunij per vim potiundi. nouis igitur foſſis ductis animum ad obſidionem conuertit, vt quos ferro, quos laboribus, quos virtute ſuperari non poſſe intelligeret, eos fame, & annonæ, & rerum victui neceſſariarum penuria necaret.

Cunienſium fęminarũ virtus.

erat enim tanta vel ipſarum fœminarum virtus atque induſtria, vt armatæ tanquam ſtrenui viri, ad propulſandos hoſtes inuadentes accurrerent; aut pugnantibus ſuis ſaxa, tela, ignes ſubminiſtrarent. aggeres excitantibus

tibus

tibus opem ferrent. victum ad inſtaurandos, reficiendosque defeſſos ad ipſa mœnia comportarent. maritos ac fratres & ciues mœnia defendentes ad fortiudinem confirmarent, ad defenſionemque hortarentur. quare effectum eſt, vt non minus virtute muliebri quàm virili Cunium à Gallicis armis protectum conſeruatumque ſit. dum Briſaccius Cunium obſidet, Peſcolienſis & Tridentinus Cardinalis ſtatuunt obſeſſis laborantibus opem ferre; ſed cum inferiores, quàm opus erat, ſe numero eſſe intelligerent, omnino tamen enitendum eſſe cenſebant, ne ita ſuos afflictos desererent. ad hanc rem illud maximè inuitare videbatur, quod Briſacius lectiſſimos quoſque è ſuis amiſiſſet, quare eius exercitus non mediocriter apparebat eſſe debilitatus. eſt enim non tam in magno numero quàm in ſingulorum virtute vel claſſium, vel equitatus, vel peditatus virtus & firmitudo collocanda, &, quod omnium maximum eſt, imperatoris ingenio, qui tamen vix poteſt ſuum munus diligenter exequi, niſi intelligentes quæ præcipiantur habeat & duces & milites. hoc niſi fiat, caput eſt ſanum languentium & afflictorum membrorum bonus imperator. illi igitur ſeptem millibus peditum omnique equitatu Aſtam contracto Cunium verſus iter capiunt per agrum Carmaniolæ inferiorem propter loci cuiuſdam difficultatem, quam pertranſire deuitant. omnia apparatuum genera vel inuito Briſacio Cunium ingrediuntur, qui propter ſuarum copiarum debilitatem non modo illud prohibere non potuit, ſed etiam ſuis rebus optimè conſultum iri cenſuit, ſi ſeſe ab obſidione in locum tutiorem recepiſſet. moratur aliquot dies Cunij Peſcolienſis, curatque reficienda, quæ armis Gallorum fuiſſent labefactata; quippe quòd exterius intuentibus Cunium multis in locis videretur ſolo adæquatum. quæ dum fierent in ſubalpina Gallia, Ghiſijque copiæ Ciuitellam obſident, Albanus omnes apparatus bellicos diligenter curat. cum Antonio Auria Theetam accedit. tria Hiſpanorum millia eò contrahit cum magiſtro caſtrorum Sancio Mardoneſio viro Hiſpano. contrahit mille & octingentos Germanos præterea Feltzij tribuni, quatuor millia peditum Alberici Lodronij. circiter ſex millia Calabrorum, & Apulorum, finitimarumque gentium. erant in caſtris Albani ſane circiter quindecim millia peditum, equites mille & quingenti partim cataphracti, partim leuiores galeati, cum quibus copijs omnes Peſcoliæ fluminis aditus ſtatuit diſrumpere illo conſilio, vt, ſi Galli irrumpere voluiſſent, illis tranſitus eſſet intercluſus. Sed cum fuiſſent caſtrametati ad Ciuitellam relictis firmis præſidijs Theetæ, Aterni, & in aliis oppidis opportunis vlterius procedit. Ghiſius à Pontifice placatus in caſtra reuerſus de his omnibus certior factus, quod Albanus Vmano fluuio, ſcilicet eſſet propinquus, & quòd iter faceret Iuliam nouam verſus, arctius Ciuitellam obſidione & omni genere moleſtiarum ſecurus perſtringit, crebrioribusque ictibus tormentorum & frequentioribus conatibus infeſtat. quadringentos galeatos equites, & centum ac quinquaginta cataphractos mittit ad explorandas Hiſpanas copias. hoc Gallorum conſilium non latuit Albanum, quare multas turmas equitum & aliquot vexilla Hiſpanorum mittit Toletano & Populeo ducibus, qui propter varietatem itinerum minimè facti ſunt obuii, cum Toletanus iter inferius ad maritima, Populeus Comes ad fluuium Tornidum tenuiſſet. illi non procul a Iulia noua ſe collocant in inſidiis in illa parte, quæ Turturetum ſpectat, quò cum Toletanus prior ad ſecundas ferè vigilias perueniſſet, a Gallis in eum irruentibus magna fit impreſſio. committitur atrox prælium. funduntur Toletani turmæ. Petrus Henriques magiſter caſtrorum Hiſpani equitatus viuus venit in poteſtatem hoſtium. Georgius Lanoius cecidit in foſſam ab equo deiectus, propiusque periculo fuit, ne omnes Hiſpani trucidarentur, aut venirent in poteſtatem Gallorum niſi Populeus opem ferens ſuperueniens coegiſſet hoſtem pedem referre. enimuero corruerat iam ingens Ciuitellæ murorum ſpatium, vt diximus, turriſque ipſius arcis ingenti vi concutiebatur, quamuis multi globi irriti ac vani deciderent in ipſa Gallorum caſtra, qui in vallibus fuerant a tergo ipſius vrbis caſtrametati. illo muro collapſo cenſebat Ghiſius vrbem omni conatu inuadi oportere, cum iuberet ciues per dies atque noctes infeſtari a ſclopettariis ad illorum animos defatigandos. at contra, Sanctiflorius vir acri ſeduloque ingenio reparationes inſtaurare. vbi opus eſſet ſubuenire. trabes, ſaxa, variaque pondera ad ruinarum locum comportari iubere, quæ in acies inuadentium deuoluerentur, ſi tamen vrbem inuadere auſi eſſent, quare repreſſus eſt omnis Gallicus conatus ob difficultatem inuadendi propter altitudinem, rectitudinem, aſperitatemque aſcenſus, atq; animus conuerſus eſt ad leuiora certamina, quæ ſæpius committebantur. Hiſpani Iuliam nouam a Gallis deſertam ingrediuntur, omnia diripiũt vel ipſis ducibus inuitis. ibi hoſpitium habet Albanus, ne rurſus Ghiſius ea potiretur. è Latio verò pulſi deiectique Hiſpani, ne qua iuſta querela Pontifici prorogandi belli protraheretur, cum ſimulate ab ipſis ducibus bellum gereretur, ex omnibus locis vt diximus, ita montem Fortem munierant firmis preſidijs, vt iam pontificias copias paruifacere viderentur. at ciues montis Fortis ſignificatum mittunt Velitri præfectis ſe velle ad pontificios deficere, cũ Albani crudelitatem & iniurias perferre non poſſent. hortantur vt ad ſe mitterent præſidia, quæ ſtatim intra mœnia erant admiſſuri. Vrſinus Velitri præfectus vicinus ſuam cohortem Italam mittit, qui milites intrepidè iter facientes in inſidias incidunt a montis Fortis ciuibus paratas, repentinoque impetu inuadentium partim trucidantur, partim capiuntur. pauci ſe fuga ſeruarunt. illam fraudem grauiſſimè ferens Palianius vt in huiuſmodi crudeles, perfidos, inſidioſos, atque nefarios homines acerbiſſimè animaduerteret multas cohortes peditum & magnum equitum numerum mittit ad eos obſidendos, qui cum ſe ſtrenuè tuerentur neceſſe fuit tormenta Roma attrahere. cum ſollicitarentur ad deditionem niſi mallent omnes, quàm crudeliſſimè trucidari, vrbemque flammis abſumi, ad petitiones huiuſmodi ac minas oppedebant ludibrio habentes omnes vires, omneſq; pontificiorum conatus. attractis illuc tormentis munus cep

Pugna inter Toletanos, & Ghiſianos milites.

Montis Fortis ciues ad põtificios redeunt.

Mõtis fortis deſcriptio, & incendiũ.

tus eſt acerrimè concuti ac proſterni, ita vt Hiſpani territi ſeſe ex altera parte per muros demittentes effugerint. Eſt enim mons Fortis oppidum in loco edito ſitum,ita vt per omnes vias aſcendatur donec ad arcem peruẽtum ſit ſatis aptè munitam,quæ in ſumma parte eius collis extructa eſt. cum poſtridie illuxiſſet,oppidani rati ſe animos pontificiorum ita placare poſse, portas vrbis aperiũt nullis acceptis deditionis conditionibus,aut agitatis.atque tam dementes fuerunt ſe turpiter dedendo, quam maligni fuerant fraudes importunè moliendo, cum egregiæ malitiæ adiuncta eſset inſignis dementia.Sed pontificij acceptarum iniuriarum memores, & præteritæ perfidiæ,omnia diripiunt. homines obuios quoſque trucidant, & tanquam in rebelles,at non tantum iure belli ſæuiunt. neq; verò diſcordia prędationis cauſa inter milites orìretur,datę ſunt ſchedulę ſingulis cohortibus, in quibus diripiendorum vicorum nomina continebantur. Vrbs ita ob ſuos errores direpta & afflicta non ſatis pęnarum dediſse fortunæ viſa eſt,niſi ipſa etiam ſuas partes ſibi in vrbis ſupplicio vẽdicaſſet.nam cum ventus grauiſſimus per illud tempus ſpiraret,ignis caſu accẽſus eſt in quadam domo, qui tantam vim propter ingentes flatus aſſumpſit nullis vt humanis viribus prius extingui potuerit, quàm plus dimidio ipſius vrbis funeſto exitialique incendio in cineres ſit conuerſum. Arx pontificia præterea vocata ob ſummam annonæ inopiam in deditionem venit,cum Valmõtorij Regulus Baptiſta Comes ad pontificiam obedientiam redijſſet. Signia vbi Baptiſta Comes inde diſceſſit & ipſa è veſtigio ab Albano ad pontificios defecit, qui his oppidis ita potiti ſigna conuertũt ad

Neptunium deſcriptũ & recuperatũ.

Neptunium recuperandum,quòd oppidum ſummopere ad rem bellicam conferre exiſtimabant, non ſolùm vt inde Hiſpani agrum infeſtantes diuellerentur, ſed etiam vt Gallicis claſſibus commoditas in agrum Latinum præcluderetur. eſt enim Neptunium vrbs maritima Volſcorum ex Antii ruinis extructa parum ab Ardea Rutulorum vrbe diſtans, quæ & ad cõmeatus importandos & ad milites claſſe aduehendos eſt peraccommodata. vbi tormẽta eò attrahi cępiſſent,Hiſpani ob rerum neceſſariarum difficultatem locum deſtituunt,ad vrbes Caietam & Terracinam profugientes.Palianius ac Strozza his moleſtiis è medio ſublatis decernunt in agrum Picenum cum maiore copiarum parte ſibi adeundum eſſe. caſtra cum Ghiſio eſſe coniungenda.Communibus viribus in agrum Neapolitanum faciendam eſſe impreſſionem.longis itaq; itineribus Picenum verſus contendunt. Ghiſius decidens de ſpe potiundæ Ciuitellæ dubio erat animo quid ſibi eſſet faciẽdum,ſed poſtea his accedentibus coniunctis caſtris,auctisq; viribus cum nouis ſubſidiis pergit obſidere. quædam geruntur in agro Piceno, Tridentinus cardinalis vt vir rei militaris, probabiliumq; rationum ignarus ac nimis ſimplex, nimisq; facilis ad oblata quæq; credenda,adducitur inſulſis quibuſdam ambagibus

Inſidiæ paratæ Ferrariæ fruſtra.

vt ſperaret ſe Ferrariam per proditionem capturum.illud autem fit Fauſti cuiuſdam Longiani per ſuaſionibus,viri non modo omnis rei bellicæ ignari,quam nunquam vel leuiter attigerat,ſed etiam in grammaticæ cognitione, quam ſemper pueros docere profeſſus fuerat,minimè excellẽtis. huius hortatu cardinalis lintres, bellica tormenta,multosque alios apparatus inſtruit Ticini, quòd is diceret ſe velle per Tialtum oppidulum Ferrariam occupare. Sed eius ridicula temeritas nonnullos etiam parũ cordatos duces in vitæ ipſius diſcrimen & iacturã nimis ſimpliciter induxit,qui capti publicè Ferrariæ cæſi ſunt,cum oẽm errorem militarem vitæ, facultatũ,libertatis,honoris, aut rerũ huiuſmodi iactura conſequatur,in qua diſciplina neq; ſemel quidem errare licitũ eſt. at enim cum nõ oĩbus credendum ſit in ſua arte,ſed peritis tantum, inſulſus eſt qui vel imperitis & in aliena facultate crediderit.eius proditionis genus quia potius puerile & ridiculum fuit, quàm quod vllum militare conſilium aut callidum appareat,ſilentio inuoluendum cenſui.Hiſpani auctis Guardeſtalij præſidiis,miſſisque Germanis nonnullis Corregium infeſtant Ducem Ferrarienſem,vtpote pontificis & Gallorum amicum & fęderatum.Aluarus Sandæus cum duobus millibus Hiſpanorum ac trecentis equitibus in oppida in finibus ditionis Inſubrum ingreſſus Mutinam, Regium Lepidi,Carpi caſtella, & omnes fines Corregio propinquos poſtulationibus incendiis, cædibus, rapinis maximopere vexat.Herculi Duci in tantis rerum ſuarum perturbationibus parum quietis cõcedebatur;cum præſertim Parmenſis Dux ſummus Imperator Philippi regis in Inſubria cum omnibus copiis acceſſiſſet,aduerſus quem per multos dies bellum geritur,donec res denique componeretur.auctæ ſunt Albani copiæ Iuliæ nouæ multis cohortibus accedentibus, at Ghiſii viribus nihil accedebat nouarum copiarum, quare ille per literas regi ſignificat ſe minus potentem ad tantum negotium habere exercitum.ſibi non eſſe ſeruatum,quod in Gallia à pontificiis promiſſum fuerat. Turcicam claſſem centum triremium, quam Codognachius orator regius Byzantii impetrauerat,nõ eſſe venturam, quo vires hoſtium ad tuenda maritima diſtraherentur.fuit eius Turcici conſilii mutationis cauſa regu-

Solimani elatũ reſpõſum Gallicæ legationi claſſem petenti.

lus Vigneus,qui ſuccedens Codognachio non vſus eſt illa comitate verborum & humanitate, quæ apud eius generis homines eſt neceſſaria,aliena auxilia præſertim implorantibus. nam cum vſus fuiſſet verbis paulò elatioribus,quia claſſis non miſsa fuiſset mature & opportunè, extorſit reſpõſum a Solimano nõ modo non optatum,ſed etiam Turcicæ ſuperbiæ barbaricæque arrogãtiæ plenum. tantos fuiſse ſcilicet claſſicos ſumptus aſſiduos ſuperioribus annis,vt ſuis populis apparerent intolerabiles.nuntiaret ſuo regi Turcas ad ſua ipſorum commoda claſsem inſtruxiſse. quare vel res quoquo modo poſset cum Philippo componeret, vel ſi grauiter ferret, communi etiam cõſilio in Turcas conſpiraret,quos vel ambos neque tantilli quidem faciebat.Si tamen mallet perſiſtere in Turcica amicitia,eam ſeruaturum. Sed vtrunque parui eſse ponderis; cum certo ſciret ſe poſse, ſi vellet,

Comitia põtificiorũ & cõſilia de rebus agendis.

vtroſque profligare. Ghiſius interea & Strozza & Palianius cum alijs inſignioribus ducibus diu de rebus propoſitis conſultant.alijs viſum eſt Ciuitellam obſtinatiſſimè eſſe obſidendam, ne turpiter tantus exercitus tandiu fruſtra obſediſſe,tempusque fruſtra abſumpſiſſe videretur vel vno oppidulo oppugnando.alij non eſſe terendas vires in vno caſtello occupando,ſed caſtra mouenda, & per faci-

liores

liores aditus in regnum irrumpendum,vt eò vites Albani è Latio diuerterentur. alij rem altius con
ſiderantes cum tot copijs in vno loco tandiu moraturis breui futurum ſperabant,vt commeatus de
ficeret,cum præſertim ita auctæ eſſent,augerenturque in dies Albani copię,vt iam viderentur formi
dabiles,quare proponunt eam obſidionem ſoluendam . turpius eſſe inquiunt obſtinatè exercitum
ab inexpugnabili loco non remouere,quàm difficile negotium & vanum ſuſcepiſſe. decernitur de-
nique ne periculum fieret de ſumma rerum,dareturque Albano facultas denuò pontificias vrbes in
uadendi; vt deſeratur Ciuitella.vt copiæ contraherentur ad caſtella quæ ſunt in finibus.vt omues in
curſiones Hiſpanorum reprimerentur,quæ fiebant in territorium pontificium; neque permitterē
tur Hiſpani Latium impunè adoriri.præmiſſis igitur tormentis cum firmiſſimis præſidijs ad oppi-
dum Contraguerram vbi claſſe illa imponerentur Anconam deuecta ſunt,& ſua Ferrarienſi duci re-
ſtituta.atq; Gallica acies obſidionem ſoluit.Ghiſius vt ſuos tutos redderet aduerſus inuaſuros à ter
go,ſiqui forent,cum magna equitum turma conſiſtit in inſidijs poſt cęnobium.atq; dum caſtra mo
uerentur multi agreſtes exeunt ex oppido poſtremam aciem inuaſuri , qui omnes ab equitatu pro-
fligantur.nec multò ſanè poſt Sanctiflorius cum quibuſdam equitibus egreſſus leue certamen cum
extrema acie committit, qui & ipſe ad triginta è ſuis amiſſis fuit in fugam verſus. dum ita res in fini-
bus Samnitum geruntur,Ferandus à Philippo rege in Belgas accerſitur,cuius opera in bello aduer-
ſus Gallum regem ſuſcepto vteretur. Ille longis itineribus in Belgas profectus Regis mandatum ex
pectat. acceſſerāt Neapolim iam ducis Hanſualteri ſex millia peditum Germanorum, quorū aliam
partem Albanus apud ſe tenuit,aliam miſit ad Columnam in agrum Latinum vt vires ſuorum refi
ceret,quæ penè fuerant collapſæ.Columna his copijs auctus ad oppidum Practicam Federici Comi
tis caſtra poſuit non longè diſtans à Fruſino, quod non expectatis bellicis tormentis vulneratis ta-
men quibuſdam Columnijs militibus venit ad deditionem.Columna illo oppido præſidijs munito
tormenta Anagniam per fluuium demittit ad illam vrbem defluentem,vnde cæteris omnibus vrbi-
bus atque oppidis magna coorta eſt trepidatio. Iulius Vrſinus Pilium inuadit,ſed ab oppidanis reie
ctus decernit omnino illud oppidum expugnare, tum vt acceptum detrimentum vlciſceretur, tum Piliū oppugnatur.
etiam vt locum plurimum ad res bellicas accommodatum occuparet inter Alatrium, Verulum, &
Babucum in anguſta valle ſitum,quæ hinc altiſſimo monte terminatur;inde collis eſt quidam ad ip
ſum oppidum concutiendum plurimum conferens.præerat Pilij præſidijs Carolus Cuccarus cum
Italorum cohorte & nonnullis Columnijs ſubditis ad eius oppidi defenſionem iuſſis, qui ſeſe egre
giè communiuerant . eò profectus Vrſinus, ſituque diligenter explorato cum exiſtimaret non poſ-
ſe defendi ab oppidanis nullum habentibus equitatum,atque nec peditatum quidem ipſum ſatis ap
tum,cum eſſent montani homines plerique rei militaris prorſus ignari, iubet oppidum inuadi, ſed
ſtrenuè ſe defendentibus oppidanis multos è ſuis in illo primo conatu amiſit . cognitis ita militari-
bus præſidiis , quæ ineſſent,iubet tormenta ex illo colle in Pilium dirigi . in editioribus locis per no-
ctem multos collocat ſclopettarios,vt adimeret defenſiones oppidanis,quorum animos diu fruſtra
ad deditionem ſollecitauerat.oppidum igitur acerrimè ſex muralibus tormētis concutitur.Colum-
na tantæ rei magnitudinem minimè negligendam ratus,quia cognoſceret ꝙ huiuſce loci iactura eſ-
ſet quoddam obſedionis genus ſuis copiis, cum opportunitatem non aſpernandam præberet finiti-
mis omnibus vt in poteſtatem hoſtium venirent, continuò ſuis copiis in aciem inſtructis iter indi-
cit,properatq; ad turbanda Vrſini conſilia.Vrſinus auditis ſubſidiis,quæ aduentarent, & quòd Mar
cus Antonius vnà adeſſet,intermittit oppidi verberationem, atque cum ſitum exploratum Colum
na præmiſiſſet de more peritorum ducum,ad Acutum caſtra locat.oſtentarūt ſe die poſtera in ſum
ma parte montium armati Columnarum ſubditi,quo periculo cognito Vrſinus ne ſuorum animi
conſternarentur,& ne vllum timoris indicium præberet,quamuis à tribus lateribus claudebatur,ta
men verberationem non deſerit , quamuis intermiſerat . Sed illa poſtmodo relicta iubet tormenta
attrahi per collem,quæ tutò Palianum & Paleſanum perducuntur. poſtea acie mille peditum ſtipa
tus miro quodam ordine trecentorum ſclopettariorum tergum conſtituens, quibus præerat Vin-
centius Capizzucca omnem hoſtium impetum facillimè ſuſtinuit,nemineq; è ſuis deſiderato ſeſe
in tutum recepit.eſt autem ſummi ducis id exiſtimandum,vt firmo quodam ordine poſſit ſe referre
indemnis ab inſequētibus hoſtibus,cum iſtud maximè ſit periculoſum, & præcipue ſi à pluribus la
teribus hoſtes aciem poſſint infeſtare.maximus eſt autem in his rebus ſclopettariorū vſus,qui ſem
per promptiores & expeditiores in extrema acie à tergo ſunt collocandi vbi hoſtes à tergo inſectan Exercitus incedentis ordo.
tur. &, ſi equitatus ſit qui inſequitur, expeditores ſunt galeati equites; auxiliaque ſclopettariorum
præcedentes copias tutantia ſubſequi debent, ac aliquando pauliſper in locis tutioribus conſiſtere,
dum vel flumina vado traijciantur à primis, vel prætereantur anguſtiæ locorum , vel difficultates
omnino à primis copijs ſuperentur. Peſcolienſis in ſubalpina Gallia Cunio ita munito vt diximus,
vt Briſacij vires facile contemneret, erat Foſſanum & Aſtam verſus iter facturus , ſed obuius factus Atrox præliū inter Briſacii & Peſcolienſis copias.
Briſacij copijs coactus eſt leue certamen tam diuturnum committere,vt ferè iuſtæ pugnæ collatorū
ſignorum nomen poſſet obtinere.certatum eſt acriter vtrinque.atq; quamuis Peſcolienſis haberet
quinque millia peditum ſolùm, equites tantum quingentos, tamen clam ſuſtinuit callidè impetū
Gallorum, cum Briſacio adeſſent ad quindecim millia peditum, equites mille & quingenti. id verò
fecit tanta virture vt ſe Foſſanum paucis amiſſis receperit; atq; inde per loca montoſa finitima iter
faciens inſidias Gallorum ſibi in itinere paratas deuitarit, nemineq; è ſuis amiſſo Aſtam peruene-
rit.ibi moratus nuntiatum mittit regulo Neomagenſi & Anuillenſi ſummo Gallici equitatus ma-
giſtro Peſcolienſem oblatum certamen non recuſare.nam ſuperioribus diebus ab illis inuitatus fue
rat,cum fortè ægrotaret,ad quatuor lanceas infringendas pugnādo.cum poſtea veniſſet dies ad illud
certa-

Peſcolienſis ſingulare certamen.

certamen deſtinatus Peſcolienſis cum ornatiſſimo veſtium & armorum apparatu comitantibus viris illuſtribus Georgio Manrique, Cæſareque Milorto in loco non procul ab Aſta ad pugnam deſignato præſtò fuit. affuit & regulus Neomagenſis & Anuillius & Vaſſeuius & equis & armorum ornatu conſpicui, ac decore inſtructi. cum quater Peſcolienſis & Neomagenſis curſum repetiuiſſent, Neomagenſi brachium ita vulneratur, vt omnino cedere coactus ſit. Georgius Vaſſeuium in latus percutiens lãceam per coſtas ita tranſegit vt mortuum deiecerit. Milortus bis repetito curſu Anuillium in femore vulnerat, ita vt victoria penes Peſcolienſem iudicata fuerit; quamuis illius equus fuerit vulneratus. Sequentibus etiam diebus alij equites cum illuſtribus Gallis ſingulari certamine ſępius dimicarunt atq; victoria modo huc, modo illuc variata vice declinauit. Peſcolienſis illa victoria inſignis Mediolanum reuertit, vbi agi cæptum eſt de bello Ferrarienſi duci inferẽdo, qui filium miſerat cum omnibus & copijs & tormentis bellicis ad expugnãdum Corregium, vt ſe illa moleſtia liberaret, cum Germani & Itali qui erãt in præſidijs Philippi regis nomine, quotidie incurſiones facerent, Regiumque Lepidi & Carpi oppidum maximè vexarent, cogerentque ſæpe conclamare ad arma vel ipſorum locorum caſtellorumq; psæſidia. Alphonſus cum non poſſet tam cito, quàm cu-

Obſidio Corregij ſoluta.

piebat, poſt multos ſæpe repetitos conatus Corregio potiri; intercedente cardinale Mantuano præcipuè, qui cupiebat res eas componere inter Corregij regulos, & Ducem Ferrariæ obſidionem ſoluit, omneſq; copias in ſua oppida contrahit. hortabatur etiam ad hoc faciẽdum præſentium rerum opportunitas, vt ſe ad futurum bellum accingeret. quod ſibi parari Mediolani à miniſtris Philippi regis præſenſerat, cuius belli ſummum imperium Parmẽſi Duci delatum fuerat, qui cum Hiſpanis copijs Ferrarienſem agrum inuaſerat, multaq: caſtella occnpauerat. miſit idcirco Alphõſus ad Ghiſium, qui ſeptem Aquitanorum vexilla impetrarent, quibus viribus ſuſtineret impetus hoſtium: ipſe collegit multos alios milites, atque ita vrbes & caſtella finitima fermiſſimis præſidijs muniuit, vt non magnopere videretur timere. Philippus rex accepta inſigni iniuria, vt ſibi videbatur a Pontifice

Edicta Pont. & Philippi de ſuis euocandis.

& ab Henrico rege, iubet edictum promulgari in omnibus ſuis vrbibus & tam Hiſpanis quàm Italis principatibus, vt omnes ſubditi Hiſpano imperio Roma excederent, intra ſpatium trium menſiũ, quod edictum negligentibus bonorum omnium proſcriptionem & perpetuum exilium comminatur. cum multi Roma quotidie exirent, Pontifex aptum remedium ſolitudini vrbis futuræ excogitauit. iubet contra edictum promulgari propoſitis ijſdem pęnis vt omnes cardinales, omnesque nobiliores antiſtites intra duos menſes Romæ præſtò eſſent ad onera communia eccleſiæ ſuſtinẽda & adiuuanda. at Columna auctis viribus in Latio per acceſſionem ſeptem vexillorum Germanorum, duorumque Italorum, equitum centum & quinquaginta, cum ſex bellicis tormẽtis muralibus exit in apertum, Gauinianumq; capit, & Turrim oppida Paliano finitima. Matthæus Stendardus ex altera parte Roma egreditur cum equitatu maioreque parte peditatus, ac Paleſanum contendit. præmittit Leonardum Ruerium cum centum equitibus, peditibus centum & quinquaginta ad impediendum Columnam ad pontem Saccium ne caſtra poneret, quem tranſitum ipſe occupare decreuerat. illa re percepta Columna mittit Pompeium Columnam cum ala equitum, magnaque peditum manu, a quibus obuijs atrox prælium committitur. pugna diu fit anceps, in qua Leonardus grauiter vulneratur, cuius vicarius venit in poteſtatem hoſtium. Pontificii duce ac vicario ita priuati nonnullis deſideratis in eo prælio denique fugantur, atque Paleſanum accurrunt. cecidit è Columniis Antonius Capuanus, & alii quidam milites, alii cõplures vulnerati. poſt huiuſmodi ſucceſſum Stendardus ad Valmontonium caſtrametatur, quo ſua ſigna Columna conuerterat, vbi relictis Angelo Spoletino, Papyrio Capizzuca præfectis cohortium, & duce ſummo Franciſco Columna ipſe Paleſanum reuertit. Marcus Antonius Columna tametſi iam tardius eò aduentarat tranſacta iam

Valmontonium crematum.

maiore parte diei, tamen tormenta in Valmontonium dirigit, quæ tanto fragore obuia quæque proſternunt, vt oppidani de ſpe defenſionis decidentes. deque propria ſalute non mediocriter ſolliciti, cęperint cogitare de deditione. ita verò demum ſe dedunt vt milites cum gladiis & ſarcinulis exirent oppidum flammis abſumitur ab oppidanis montis Fortis in vltionem acceptarum iniuriarum, totumque ferè in cineres conuertitur. Columna inde motis caſtris ad Paleſanum caſtrametatur, vbi Stendardum præſidia è Valmontonio egreſſa in arce reliquerat. Illa vel viſis è longin-

Paleſanũ captum. Palianũ obſeſſum.

quo hoſtilibus vexillis omnia continuò relinquunt. at Germani Paleſanum ingreſſi omnia prædationibus & rapinis implent. hinc itum eſt ad obſidendum Palianum, ne eius oppidi ciues vel frumentum meterent, vel in oppidum importarent, qua ratione ſe poſſe Paliano facile potiri Columna arbitrabatur. ad illud etiam ſperandum impellebant militum animi, qui ob inopiam ſtipendiorum ſeditionum vndis nonnihil fluctuabant. iubentur ferre ſuppetias Paliano tria Heluetiorum millia, qui nuper Romam cum magna pompa fuerant ingreſſi duce epiſcopo Terracinenſi, in quos multis humanitatis officiis Pontifex vſus fuerat. audito horum aduentu Columna pe-

tit auxilia ab Albano, ad quem miſſa ſunt octo Germanorom vexilla, duo cataphractorum equitum, ac mille Hiſpani; quæ copiæ dum accederent pauliſper ab obſidione Paliani recedit. Se in tutiorem locum recipit, vnde tamen hoſtes infeſtare poſſet. Iulius Vrſinus veritus ne Palianum ob annonæ inopiam in poteſtatem hoſtium veniret, omni ſtudio opem ferre obſeſſis adproperat, quam ob rem cum Heluetijs & plauſtris commeatu onuſtis, & cum multo equitatu Palianum contendit. at cognitis per exploratores ſubſidijs, quæ nuper Columnæ acceſſerant, ſubſiſtit in loco edito qui ſitus eſt inter Segniam & Palianum, veritus non poſſe commeatum tutò importari. maiorem itaque partem commeatus cum impedimentis Romam remittit. tormenta Segniam attrahi iubet. Sic igitur expeditus quo pacto opem ferat ſecum conſiderat. Columna Feltzium ducem cum ſuis Germanis ac tormentis præmittit, quæ vbi per difficilia aſperaque loca tra-

cta

cta fuiſſent, ſuper colle quodam vallibus vndique præcincto ſiſtuntur, vbi valles erant loco militarium ac ſolitarum fieri reparationum. in altero colle non longe ab illo conſtiterant quadringenti ſclopettarij Hiſpani, qui iuſſi fuerant Heluetios ad leuia certamina prouocare. dum accederet Columna, Iulianus Vrſinus locum recognoſcit vbi conſtitiſſent hoſtes, quingentos ſclopettarios Italos mittit ad valles quaſdam occupandas. ipſe aduerſus Feltzium conſiſtit cum non magno numero equitum interiecta valle quadam perexigua. Itali frequenter Hiſpanos impetebant ſclopettorum glandibus, qui cum ita defatigari pontificios vellent fruſtra impetentes, vel quia non videretur apta pugnandi opportunitas, immoti conſiſtunt. Felzius valles illas occupatas ab hoſtibus plurimum detrimenti afferre Hiſpanis ratus mittit ſclopettarios ſeptingentos ad illas recuperandas, quare commiſſo prælio cum Italis atrociſſimè pugnatur. poſt magnam vtrinque cladem illis potitur, atque accedentibus multis ducibus & equitibus ſubitarium prælium committitur cum Heluitijs, à quibus multis ſariſſis in foſſam hoſtes retruduntur. Columna illuc profectus cognita natura locorum, in quibus hæc certamina committebantur, intelligit omnem ſuorum difficultatem è foſſa quadam per planitiem tranſuerſè ducta prouenire, quæ maximè vtilis erat copijs pontificijs; quamobrem ſtatuit aciem ac formam eſſe mutandam, & nouitate ordinis, locorumque mutatione hoſtem ſuperare. copias in tres acies diuidit, duæ validiſſimam frontem faciunt. Hiſpani aduerſus Italos pontificios, Germani aduerſus Heluetios in acie inſtruuntur. tertia acies Germanorum relinquitur ad tormentorum cuſtodiam. equitatus Columnæ aduerſus pontificium inſtruitur, in quem directa ſunt tormenta. Sic Vrſinus Heluetios Germanis opponit. Italos Hiſpanis. tertiam partem copiarum ad ſubſidia laborantium hoc eſt tertiam aciem deſtinat. tum paulòpoſt milites vtrinque accepto ſigno pugnæ hoſtem inuadunt. primo impetu Itali faciunt impreſſionem in Hiſpanos, qui niſi adiuti fuiſſent atque ab equitatu protecti ſtatim fuiſſent profligati. Confirmati ita Hiſpani prælium inſtaurant, cum equitatum pontificium præcipuè fundi atque fugari viderent, qui tormentis à fronte & tranſuerſè laniabatur. Itali ſeſe paulatim ſubducunt, quibus puluis ſulphureus deficiebat, coactique ſunt denique fuga ſe ſeruare. Heluetij colli propinqui cœperant collatis ſignis dimicare cum Germanis ſclopettarijs valles cuſtodientibus, atque acerrimè pugnabatur, quo in prælio omnes milites Feltzij cecidiſſent, niſi alij Germani opem tuliſſent, ac victoria fuiſſet penes pontificios. At verò cum propter anguſtias locorum equitatus eſſet inutilis, vel quia non videretur illo tempore in apertam iacturam immittendus, Vrſinus illum Segniam mittit, quo diſceſſu non parua iniecta eſt pontificijs copijs trepidatio. inde Columniæ copiæ globatim in eos impetum facientes in fugam vertunt. magna fit cædes. multi trucidantur. viui capti ſunt quadringenti. Vrſinus & precibus & minis & omni induſtria militum animos ad pugnam reuocare fruſtra conatus, cum intelligeret ſe non poſſe tantis fortunæ mutationibus reſiſtere, Segniam ſe recepturus glande vulneratus viuus venit in poteſtatem Columnæ. pontificijs fugatis Columnij potiuntur vexillis, quæ extorta ereptaque ſunt Heluetijs præcipuè. accidit illa clades ducum vitio facillima, quia ſine tormentis in apertum exierant, quamuis eſſent eum ſitum adepti, vt non minus hoſtes offendere potuiſſent, atque ipſi & equitatus offendebantur, cum tormenta Segniam fuiſſent attracta. dum pugnaretur, egreſſi Paliani ciues quaſdam Germanorum cohortes inuadunt, qui ad victoriæ nomen prædabundi palabantur, hiſque omnis generis prædam & armenta eripiunt. Columna ea victoria elatus Palianum denuò obſidet. meſſes deuaſtat. Feltzium cum tribus tormentis mittit ad expugnandum oppidulum Maximi natura loci munitum, atque poſitum in vertice cuiuſdam montis, in quo erat Ioannes Vrſinus oppiduli regulus, qui ad deditionem ſollicitatur. Ioannes cognita natura loci, qui neque tormentis vlla ex parte concuti poterat, neque cuniculis euerti aut apetiri, quoniam oppidum eſſet ſuper ſaxo ampliſſimo firmiſſimoque extructum, ait ſe velle pro viribus oppidum defendere. Feltzius ratus nulla virtute militari, nulloque conatu oppidum poſſe expugnari ad fraudes animum conuertit, cum viros natura callidos rerum præſentium opportunitas doceat quid conſilij ſit capiendum, mirificèque faciat ingenioſos. fingit ſe tormentorum rotas ad verticem præalti montis attraxiſſe, qui non procul diſtabat, vnde oppidulum commodè concuti poſſet. trabes excauatas ſuper rotis nigras in morem tormentorum locat, quæ trabes concinnè in tormentorum formam perductæ verè tormenta eſſe procul aſpicientibus apparebant. tum corbibus vtrinque inter tormenta gleba repletis alijs ſimulatis reparationibus, addito etiam clamore, vt magna cum difficultate tormenta attrahentium, fecit vt res ſimulata pro vera credita ſit. nam oppidani viſis globis ferreis & cadis pulueris tormentarij, qui plauſtris cum magnis clamoribus atque difficultatibus comportari videbantur nullo vel ictu tormentorum expectato territi perſuadent regulo rerum bellicarum prorſus imperito vt ſe dedat, ne in tanta pericula & ipſe & omnes oppidani vno tempore incurreret. cœptum eſt agi de deditione, quam Feltzius ſimulat ſe nolle fieri niſi cuncta dedantur arbitrio victoris. multis inſidiis regulum imperitum & oppidanos perterritos circumuenit. cum ſperaret Ioannes Vrſinus ſe meliores conditiones deditionis à Columna impetraturum, id tantum extorſit vt ad Feltzium remitteretur. coactus eſt demum ita ſe dedere, vt omnia concederet arbitrio victoris, qui oppido ita potitus totum direptionibus, rapiniſque, repleri permittit. deinde coniunctis caſtris Feltzius & Columna ad obſidendam Segniam contendunt. ea dum ita geruntur in Latio, Ghiſius in Nereti Caropoliſque planitie caſtrametatus fuerat. Albanus ad Turturetum oppidum vt eſſet Gallo propinquus. Ghiſius veritus ne ab Hiſpanis fraudi-

Acierum inſtructio.

Palianum denuò obſeſſū.

Stratagema Feltzij.

Maximū oppi. deditum.

fraudibus circumueniretur Albano poteſtatem facit, ſi velit, collatis ſignis dimicandi. at Albanus, quia ſe non poſſe arbitrabatur ſine moleſtia, maximoque periculo illa victoria potiri Truentum traijcit, ſeque ad montem Brandonium & ad oppidum Sancti Benedicti recepit, quæ oppida ſunt Aſculi & Firmij. nam profectò nihil eſt tam formidabile imperatori, tamque omni diligentia deuitandum, quàm vno tempore, vnoque momento res imperiumque totum fortunæ arbitrio committere nulla præſertim oblata vtilitate, quod accidebat Albano. Iccirco ſummi imperatores non debent totis aciebus dimicare, niſi cum certiſſimam iacturam in mora poſitam eſſe intelligunt, quod accidebat Ghiſio; quoniam nunc anni tempus, nunc annonæ penuria, nunc diuturni labores, nunc inopia pecuniæ poſſunt hoſtem profligare, atque aliquando expectata auxilia opem ferre. vbi nihil horum expectatur, quod nobis afferat auxilium, ſi in aliena regione præſertim fuerimus cum mercenarijs atque alienigenis copijs eſt omni conatu, ſi fieri poſſit, dimicandum, idque maximè ſi anni tempus ad hyemem declinet. quare nihil erat propè amiſſurus Ghiſius ſi clades ſibi accepta fuiſſet, at multa contra acquiſiturus, quæ longe diuerſa ratione contingebant Albano. illuc profectus Albanus poteſtatem facit domum redeundi multis proceribus, qui diuturnis ſumptibus grauabantur, qui proprijs militarent: quod ipſum conceſſum eſt Neapolitanis Ducibus & Siculis & Calabris & duobus millibus Salentinorum. Poſitis igitur Ciuitellæ optimis, atque firmiſſimis præſidijs Italorum peditum multas immunitates ciuibus ob egregiè nauatam operam in eo bello conceſſit. iſtud autem factum eſt quoniam capta Ciuitella in magno periculo poſita erant multa finitima caſtella, cum ſit ea vrbs Samnitum non procul à Truento flumine ſuper cliuo præalto ſita, vt diximus, quæ meridiem ex altera parte orientem proſpectat, & non procul Adriaticum ſinum, cui ſunt finitima caſtella Iulia noua, Aufidena, Vallis regia, & Peſum, ad cuius radices fluit Albula fluuius natus ex Apenninis montibus. Albanus retinet ſecum in caſtris tria millia Hiſpanorum, qui prius è Sicilia fuerant acciti, & mille alios Sancij Londognij caſtrorum magiſtri, donec expectaret quod eſſet conſilium Ghiſij, qui cognita imbecillitate ſui exercitus, quoniam pontificiæ copiæ non adeſſent, ſicuti promiſſum fuerat, decreuit in Galliam redire. ad illud conſilium impellebat ſuſpicio quædam non temerè ſuſcepta, cum frigidè res agi ſentiret, ac coniectura facile aſſequi poterat, quod Pontifex non poſſet diutius bellum ſuſtinere. verebatur itaque ne res vel ipſo Gallorum rege excluſo clam componeretur. nam neſcio quid inſuſurratum de fraudibus Pontificiorum fuerat in aurem Ghiſii. Pontifex percepto conſilio Ghiſii illum monet ſe nihil tale omnino eſſe facturum, atque vt eſſet in iis finibus, dum negotium opportunius tranſigatur. promittit ſe filium ducis Paliani obſidem in Galliam eſſe miſſurum, quem dux vnicum haberet. eadem de re perſcribit ad Regem, qui facit certiorem per literas Ghiſium non eſſe nunc ab eo negotio diſcedendum. Ghiſius caſtra locat in oppido Macerata, atque illi finitimis locis, at Albanus ſigna conuertit ad expugnandum Ancharanum, quod cum noluiſſet ſe dedere, poſt multos tormentorum ictus captum diripitur atque concrematur. oppidanorum plerique, quod viſi ſunt Albanum contempſiſſe ad tranſtra in triremes condemnati ſunt. euerſo atque ſuccenſo Ancharano ſigna infeſta infert Mallinnio oppidulo Aſculi; at Ioannes Antonius Tiraldus, qui erat Aſculi in præſidijs cum duodecim vexillis Italorum, veritus ne poſt captum illud oppidum, Aſculum veniretur, paulatim hoſtem debilitare. eius impedimenta quotidie diripere, leuia certamina cum Hiſpanis committere. conatur honorem redintegrare, cum notam ſibi videretur infamiæ contraxiſſe ducentis è ſuis in fugam verſis. nam collocatis in foſſis viarum multis manipulis ſclopettariorum mittit equitatum ad excitandum hoſtem ad leue prælium, quo inito iubet ſuos callidè ſimulata fuga hoſtem in inſidias allicere. Sed obuii facti Albani copiis, quæ erant propè duo millia ſclopettariorum, ductabanturque ab ipſo Albano cum magno numero equitatus ad explorandum Aſculum, leue prælium committunt ad fluuium Marinum, atque illi ad conſtitutum locum ſeſe recipiunt. pugnatur acriter vtrinque ita vt victoria diu fuerit anceps. Sed pontificii numero inferiores denique coguntur ad pontem vſque Aſculi ſe referre, atque in ingreſſu vrbis conſiſtunt: vbi diſploſis tormentis ex arce in Hiſpanos Albanus coactus fuit inde recedere non ſine graui ſuorum clade. Ille per alium pontem Truentum pertranſiens recedit ad quatuor ſtadiorum ſpatium ad vrbem explorandam, deinde in caſtra rediit. Aſculani cenſebant futurum ex eo certamine vt Albanus ad obſidendam vrbem rediret, quare emiſſis pueris & fœminis per portam Romanam ſeſe ad obſidionem & ad conatus hoſtium repellendos accingebant. ſed quia Ghiſius propinqua caſtra poſuiſſet, Albanus fortunam belli minimè tentandam ratus contentus illis ſucceſſibus, per quos poſſet Pontificem compellere ad honeſtas pacis conditiones, ita rem protrahendam ducit. at Ghiſius contrà vt Albanus aſſiduis ſumptibus affligeretur, atque liberam facultatem concederet Briſacio Galliæ ſubalpinæ Inſubriæque infeſtandæ, rem ita conſultò & ipſe protrahebat. Pontifex cum liberum eſſe agrum Columnæ Segniam ſtrictè obſidenti intelligeret, atque Paliano commeatum ita eſſe interclusum nihil vt omnino inferretur, cum profligati fuiſſent pontificii Heluetii Ghiſium ad ſe accerſit, qui contractis copiis longis itineribus per agrum Spoletinum Tybur peruenit, atque diſtributo equitatu, peditatuque in finitima quæque loca, Romam contendit. Albanus relicto Marchione Triuici in Samnitibus iam liberis à Gallico metu capit iter cum Italis copiis opem laturus Columnæ, quo bellum in Latio renouaretur, ne Ghiſius Segniæ expugnationem impediret. facit igitur iter per agrum Celanum ad lacum

Immanitates Ciuitellæ conceſſæ ob conſtantiã. Ciuitellæ deſcriptio.

Ancharanũ captum & direptum.

Certamen atrox ad Aſculum.

Fuci-

Fucinum per valles Orjueti, atque inde Soram ibi certior fit Segniam vehenter laborare, quare Anagniam equitatu Verulum peditatu omni contracto Sora diſcedit. cum Albani aduentus nunciaretur, cœpta eſt vrbs acerrimè per totum fere diem concuti tormentis. Sed cum puluis tormentarius defeciſſet, verberatio intermiſſa eſt neceſſariò dum Anagnia comportaretur. ciues interim reparationes excitare. ignes elaboratos parare in futuros conatus. omnia neceſſaria ad defenſionem diligenter inſtruere. vbi muri fuiſſent proſtrati, tria tormenta interius locant. quadringentos armatos loricis & ſaricis ſtatuunt, qui hoſtes conantes ingredi repellerent. Hiſpani ac Germani veriti ne vrbs per deditionem caperetur nullo ſigno pugnæ expectato, atque nullo ducum iuſſu prædæ auidi vrbem audaciſſimè inuadunt, ac per ruinas profecti ad coronam muralem propius accedunt. deinde cognito periculo, in quod auiditas prædæ ipſos impulerat, omnes conſiſtunt. mox ingenti clamore ſublato in vrbana præſidia impetum facientes cum ingenti clade repelluntur. deinde rurſus repetito conatu denuò Hiſpani ac Germani virtute Segninorum præcipites per minas murorum deijciuntur. Ita morati aliquantulum Hiſpani commodum tempus relinquunt vrbanis ad elaboratos ignes parandos. mox edito ingẽti clamore ab Hiſpanis ciues rati hoſtes eſſe inuaſuros, qui iam iam deſcenſuri videbantur, ignem addunt cuniculis, elaboratiſque vaſculis, & tormenta diſplodunt quæ omnia vana prorſus & irrita extiterunt. Hiſpani illa re cognita nullam moram interponẽdam rati confeſtim ad ruinas deſcendunt. in præſidia impetum faciunt. multo inferiores numero facile opprimunt, atque trucidant. mox pugnatum eſt vicatim in vrbe cum magna vtrinque clade. ſed Hiſpani ac Germani denique victores cædibus, prædationibus, rapinis, omnique crudelitatis genere vtuntur, nullis neque ſacris neque profanis rebus parcentes. virgines conſtrupantes & viduas. in omnes omnis ætatis ac ſexus atrociſſimè ſæuiunt propter indignationem, quam è ſuorum clade ceperant. at profectò nihil horum ſcelerum ſi fieri poſſit à prudentibus debet permitti, quoniam in tanta militum licentia multa fiant contra belli iura, quod certè neque aduerſus Deum & res ſacras, neque aduerſus inermes virgines & imbelle mulierum genus ſuſcipitur aut imbecillos pueros, ſed aduerſus armatos, nimis audaces, nimiſque obſtinatos hoſtes, & nimis moleſtos. hucaccedit quòd hæc ipſa crudelitas facit vt exercitus obſtinatiſſimos vbique defenſores inueniant, cum homines malint omnes potius fortunæ euentus experiri, quàm infeliciſſimarum muliercularum tam neceſſariam defenſionem deſerere. quare vel ſummæ difficultates atque inſuperabiles propè exercitibus proponuntur per hanc nimiam licentiam, vel ita paucis locis occupatis affligantur atque debilitantur vt ab inſtituto recedere neceſſe ſit. nam certè quidem hæc ipſa ſcelera turpiſſimam ac enormem victoriam efficiunt victoribus, atque omnem gloriæ & militaris virtutis ſplendorem extinguunt, aut certè obſcurant, cuius in locum nationum, populorumque odia & maledicta indignatioque in ipſos victores exurgunt. Vt enim moderatum victorem omnes laudamus atque prudentem; ita nimis elatum, nimiſque inſolentem ipſa victoria indignum cenſemus. atque vt vno verbo concludam, nihil tam laudabile in re militari quàm victoriam quoquo modo adipiſci, illam adeptis nihil tam glorioſum, quàm cum moderatione animi atque prudentia vti: ne tigridum potius immanium, aut verrium libidinoſorum exercitus, quàm hominum victoria appareat. poſt illam victoriam non in homines ſolùm ſæuitum eſt, ſed in ipſa quoque vrbis ædificia, cum vrbs tota ferè miſerrimo incendio atque ferro fuerit ſolo adæquata. Ioannes Baptiſta Comes vulneratus in arcem Caietæ miſſus eſt. tormenta Segniam attracta. omnis miſerrimæ vrbis ſupellex ablata, aut quæ auferri non poſſet, igni concremata. illam tam immanem populationem vrbis, atque barbaricam crudelitatem incendiumque non ſolum Pontifex, ſed Albanus etiam grauiter tulit. at Columna vrbe euerſa caſtra mouit ſignaque infeſta infert Paliano. fit certior de omnibus ſucceſſibus Albanus, qui Babucum peruenerat, vnde copiæ iuſſæ ſunt omnes caſtra cum Columna coniungere. deinde itum eſt Valmontonium. in finibus vero Belgarum nuntiatum eſt copias, quæ aduerſus Henricum ab Allobrogum duce parabantur maiori ex parte ad oppidum Sancti Odomari vocatum, quod eſt Oromanſacorum inter Grauelingam & Teruamam ſitum, vbi colligebantur, ingentes conueniſſe. Henricus iam pridem ſatis ingentem exercitum in fines Belgarum induxerat, qui vt acrius Philippum infeſtaret, bellum in illam partem intulerat, Lanciumque obſidebat, vbi firma erant Hiſpanorum atque Germanorum præſidia. Cum per aliquot dies vrbem Galli verberaſſent, atque obſediſſeur, potiuntur denique, ac incredibilem opulentiam diripiunt. poſtmodo munitam vrbem nonnullis in partibus reficiunt ſumma diligentia, ſtudioſiusque muniunt, quippe quòd plurimi referre ad res bellicas eius loci opportunitas videretur. illa iactura iratus Philippus cum Maria Britanniæ Regina ita egit vt Britanni communem belli ſocietatem aduerſus Gallos ſuſciperent. vbique in eo regno bellum aduerſus Henricum Galliarum Regem publicè per præcones obnuntiatur. ſignificatur Allobrogum duci ſummum habenti imperium rerum bellicarum, vt quanto maioribus poſſet viribus collectis Galliam hoſtiliter inuaderet, atque multis Germanis principibus ſignificatum eſt vt arma ad illud bellum compararent. iubet rumorem diſſipari quòd vrbem in finibus Galliæ Magetobriam eſſet inuaſurus Rhegodolienſis regionis in ripa Moſæ fluminis ſitam. quæ res vbi credita fuiſſet à Gallis & vrbs illa & aliæ quædam munitiones in iis finibus accuratè inſtruuntur in regione Sueſſonum. at in finibus Veromanduorum non negligenter res agitur, fiebat autem bellum aſſiduè acerbius, cum amiras Gallicis copijs præfectus in illa parte Belgij, quam Piccardiam vocant, profligarit, atque in fugam verterit quadringentos equites cataphractos Sequanos & Belgas, dum conaretur impedire Belgas quominus ſuccurrerent Philippicis rebus, quos obuios habuit. cum his commiſſo prælio Gallus fit ſuperior, multos trucidat. alios capit. ac paulopoſt trecentos leuiores

Segnia capta & deuaſtata ab Hiſpanis.

Lancium captum.

In Britania bellũ in Gallos cõclamatum.

rurſus

rurſus fundit. hiſce ſucceſſibus mirificè inflammati ſunt animi Hiſpanorum ad eam notam infamiamque delendam, reſarciendumque honorem, quamobrem magnus numerus copiarum colligitur. illæ copiæ vbi ad oppidum Sancti Odomari conueniſſent dux Allobrogum egreſſus Bruxellis quinta caſtra propinqua exercitui poſuit in iiſdem finibus. tum coniunctis viribus magna celeritate ita auctæ ſunt copiæ, vt circiter tredecim millia equitum, ad quadraginta & quinque pedirum eſſent in caſtris, cum octo millibus operarum. cum hiſce viribus quanta fieri poteſt celeritate in agrum hoſtilem irrumpit. nunc huc, nunc illuc incurrens multis oppidis imminere videbatur ita vt Gallus eſſet ambiguus, neque ſciret quid conſilij Allobrox dux eſſet capturus. Sed denique prima vigilia motis caſtris ſimulat ſe Ghiſam oppidum munitum, omnibusque apparatibus inſtructum eſſe obſeſſurum. At Galli qui timerent ne oppidum non ſatis firma haberet præſidia aduerſus tam potentem exercitum ſumma celeritate multos pedites, atque apparatus è finitimis locis exceptos intromittunt. quod facile fit, quoniam Allobrox conſultò iſtud fieri patiebatur, vt proxima oppida exinanirentur, fierentque debilia, & præſertim Veromandum oppidum, quod inuadere atque obſidere & omni conatu expugnare ſibi propoſuerat, quod maximi eſſet momenti ad rem bellicam eo loco potiri, qui tranſitus eſſet peraccommodatus ad irrumpendum in Vermanduos & in Galliam; qua daretur acceſſus ad inuadendam Lutetiam, cum nulla eſſet munitio tam valida, quæ poſſet tantum exercitum retardare, atque Veromandum non ſatis eſſe munitum intelligeretur. cum itaque illud ad vota ducis priuatum ſolitis præſidiis relictum eſſet, ſub Gallicinium quanta poteſt celeritate ac taciturnitate per inuſitatas vias, & loca deuia Veromandum verſus caſtra mouet. ibi ſub diluculum caſtrametatur, itaque oppidum cingit omni ex parte nulla vt ſubſidia omnino obſeſſis eſſent expectanda. Gallis obſidione patefacta cum nollent oppidi tanti momenti ad res Gallicas iacturam facere, decernunt per omnes artes atque fraudes obſeſſis opem ferre; aut ſi illud non ſuccederet, per virtutem & ferrum rem experiri. primum igitur tutiorem facilioremque viam inſidiarum tentant. ſtatutum eſt vt Amiras cum lectiſſimis atque expeditiſſimis peditibus iſtud efficeret: qui noctu miro ſilentio è caſtris egreſſus ſub auroram apud quoſdam colles parum diligenter cuſtoditos in oppidum Veromandum penetrat. Sed quoniam neque hæc quidem præſidia ſatis valida viderentur, vt poſſent reſiſtere tantis viribus hoſtium, Galli decernunt alios pedites frequentiores eadem ratione immittere, quos ſine moleſtia ingreſſuros ſibi perſuaſerant. aut, ſi opus eſſet, putarant eos per vim vel per illam caſtrorum partem irrupturos. Sed regulus Andelottus vir acri ingenio, atque magna prudentia, cui munus hoc iniunctum fuerat, vt aliquam gloriam ex illa re, atque celebritatem nominis reportaret, conceptamque notam in pugna Parmenſi deleret, cum deletæ eius copiæ fuiſſent, atque ipſe captiuus diu aſſeruatus in arce Mediolani, noctu iter faciens ſub auroram ad eam partem caſtrorum accedit, vbi ſtationem habebat Nauarettus caſtrorum Hiſpanorum magiſter, cum mille & quingentis peditibus Hiſpanis atque trecentis equitibus. Andelottus cum quindecim vexillis peditum & nonnullis equitum propinquus vbi intelligit iter nullo pacto, niſi ferro patere, magna alacritate illos Hiſpanos inuadit, qui tanta fortitudine, tantaque virtute atque conſtantia reſiſtunt, vt Andelottus coactus ſit pedem referre, & imperfectum negotium relinquere. ſex vexillis amiſſis ſuorum ipſe vulneratus vix cum paucis ſeſe in oppidum Veromandum ſeruauit. dux ratus id, quod erat futurum, vt Galli omni diligentia niterentur obſeſſis opem ferre, decernit ſummo ſtudio pro viribus oppidum eſſe ad deditionem compellendum aut expugnandum. erecta ſunt tormenta complura in ſuburbium egregiè munitum atque in loco edito ſitum, quod tametſi poterat à Gallis adhuc honorificè defendi, tamen vbi ſecundò verberari cœpit, deſeritur. Galli enim iniectis malleolis, atque omnibus rebus vtilibus in oppidum contractis, ſuburbium hoſtibus relinquunt. at Hiſpani incredibili celeritate vſi flammas extinguunt. domos hoſpitiis vtiles ac defenſionibus ſeruant, optimiſque præſidiis & rebus neceſſariis muniunt: quod magnum commodum fuit Hiſpanis propugnaculum aduerſus oppidum. Henricus circiter quadraginta millia paſſuum diſtantia à Veromando caſtra poſuerat Compendio propinqua, in quibus erant viginti millia peditum, & quatuordecim equitum, atque ſtudebat quantaſcunque poſſet copias colligere, & rebus neceſſariis inſtruere, cum quo erat Coneſtablius atque vniuerſa Gallica nobilitas. nam Gallica nobilitas ſibi turpe admodum eſſe arbitratur, vbi Rex belligeratur, niſi ſaltem ſex menſes quotannis ſuis ſumptibus militent Regi atque opem ferant. Henricus quia timebat Veromando, excogitabat quo pacto mittenda eſſent ſubſidia, atque cum cætera omnia conſilia difficilia viderentur ſtatuit ipſe opem ferre. eius conſilium cum neque à conſultoribus militaribus, neque Coneſtablio probaretur, prætermiſſum eſt. non debet enim Rex caput & anima exercitus cum omnium copiarum periculo ſeipſum atque regnum fortunæ arbitrio committere, aut res difficiles adoriri, cum in vnius ſalute cuncta nitantur. pluribus igitur rationibus denique Henricus ab illo conſilio retrahitur. poſt varia conſilia iniuncta eſt illa prouincia Coneſtablio vt viro prudentiſſimo, atque peritiſſimo rerum militarium, vt illud munus exequeretur. Ille ſuſcepta prouincia cum copiis ſexdecim millibus peditum, quatuor equitum ſcilicet, atque viginti tormentis bellicis Veromandum verſus caſtra mouet, cum Rex cum ſuis aulicis tantum conſtitiſſet. vbi ad quindecim millia paſſuum diſtaret ab hoſtibus, præmittit duo equitum millia, qui vbi in colle quodam perplacido conſtitiſſent, ſenſimque elato, ſeſeque hoſtibus ad meridiem oſtentaſſent, iubent nonnullos vadum tentare, quod adeo erat anguſtum vt neque ſex equos uno tempore facilè capere poſſet. at in cæteris locis propter Hiſpanorum cuſtodias fluuius uadari non poterat. dux ubi uadum exploratum, atque repertum ab hoſte Gallo intelligit, multos ſclopettarios mittit ad illud occupandum. quæ dum

Copiæ ducis Allobrogũ.

Veromandũ obſeſſum.

Copiæ Henrici Galli.

Gallorũ ſtudia belli.

geruntur in finibus Belgarum,quidam proceres, primarioſque principes Hiſpaniarum ipſi nouã religionem complexi nitebantur fallaciis & maximarum rarum ſpe ac perſuaſionibus ad eandem credulitatem retorquere, quotidieque magis ſerpebant ea ſemina in anims mortalium,vniuerſam Hiſpaniam breui labefactatura niſi opportuna remedia paulopoſt adhibita fuiſſent, qui munus illud ſibi ſuſceperant principes ad nonam religionem detorquendi, clamque imbuendi nouis dogmatibus hæreticis, & abducendi ab auita religione & vſitato Dei cultu, primum Latinos libros hæreticos transferunt in linguam Celtibericam. poſtea quoſdam hæreticos miniſtros occultè introducunt in principum amicitiam, qui nouas interpretationes ſenſim explicarent. nam ita omnium populorum nouæ religionis ſtudia,atque principum beneuolentiam & autoritatẽ videbantur plurimam aſſecuturi, ſi primarios Hiſpanos reliquis principibus nouæ religionis adiunxiſſent. atqui imperitis,ſimplicibusque adoleſcentibus facillimum fuit omnia hæc perſuadere, & illa præſertim quæ ad voluptates, liberioremque viuendi licentiam concederent facultatem, vltroque inuitarent. poſt vadum ab Allobrogum duce occupatum tertio ab inde die rurſus idem equitatus Gallicus ſe oſtentat Hiſpanis,ſed frequentior tamen cum multo peditatu, quæ copiæ propter iniquitatem loci non poterant conſpici ab Hiſpanis,neque numerus intelligi, qnæ decernunt fluuium traiicere cum pontes etiam & lintres adueherent. Cæpta ſunt in Hiſpanos tormenta Gallica non ſine magna Hiſpanorum clade diſplodi,& fluuius lintres ſentire ad traiiciẽdum.infeſtantur ab oppoſitis Hiſpanis ſclopettariis traiecturi,cum quadringenti etiam denuo fuiſſent miſſi. ſtatuit dux & ipſe fluuium traiicere & collatis ſignis dimicare cum per fidiſſimos exploratores cognitum eſſet, quantus eſſet hoſtium numerus.re itaque cum Agamontio comire communicata,qui vnus erat è primariis Belgarum principibus,opibus,nobilitate,autoritate præſtans, & rerum bellicarum non ignarus, & cum aliis proceribus. decernitur non eſſe præſentem occaſionem prætermittendam, quando hoſtem haberent numero & virtute inferiorem. iuſſum Agamontium cum mille equitibus Sequanis & Hiſpanis vadari decernitur vt Herneſtus & Henricus duces Veſſonum cum duobus millibus equitum & quingentis ſequantur. poſt Masfeltius cum octingentis Ferrarolis. deinde comes Horneus cum mille cataphractis equitibus Menapijs,cum quibus alij variorum ducum,qui erant mille cataphracti traiecerunt,& nonnulli leuioris armaturæ, ita vt ad ſeptem millia equitum accederent. vbi præteritus eſt fluuius,continuo Agamontius copias inſtruit aduerſus coneſtablium, qui eo ad diuertendos Hiſpanos conuenerat,infeſtandosq; leuibus prælijs, donec ex altera parte ſubſidia in oppidum intromitterentur.nam illud fuerat coneſtablij conſilium,quod cum executus eſſet, decreuerat ſe collium beneficio inſtructa acie paulatim in tutum recipere. Galli infeſtandis Hiſpanis minutis prælis opportunitatem aperiunt trecentis peditibus vt in oppidum admitterentur,qui cum Agamontij equitatum & poſtmodo vniuerſas copias fluuium traieciſſe conſpiciunt,ad tutelã collium paulatim ſe recipiunt commiſſo leui prælio cum leuiore equitatu, qui nitebatur Gallorũ fugam retardare,donec accederet equitatus Hiſpanus,pediteſq; omnes traieciſſent. vbi Galli aliquã diu proceſſiſſent coacti ſunt conſiſtere & propter imminens periculum agmina inſtruere. at Agamontius,qui certam victoriam ſibi propoſitam eſſe intueretur,cum ſuis copiis in aciem inſtructis vbi aliquantulum conſtitiſſet occaſionem præſentem non omittendam ratus maius agmen equitũ hoſtilium inuadit,incredibilique impetu in hoſtem impreſſionem facit,cum duces Veſſonum cum mille Ferrarolis à tergo haberet.monet Herneſtum vt in aliud agmẽ duorum millium Gallorum cataphractorum impetũ faceret, quem Horneus Comes & Masfeltius & Hocſtratus ſequerentur. Herneſtus ſumma alacritate in eum equitatum cum magno equitatu irrumpit. Sed agmen Gallicum pari fortitudine, animique conſtantia procedit obuiam, tantaq; virtute vires Hiſpanas primo impetu ſuſtinet exceptas, vt propè in fugam verterit. cum acriter vtrinque certaretur, multique caderent, Galli denique numero equitum ſemper ſuccreſcentium victi coguntur ſeſe ad peditatum paulatim recipere. Sed cum Agamontius, cæterique proceres inſequerentur, peruentum eſt ad Gallicum peditatum, qui cum denſus, & frequens in acie conſtitiſſet, impetum Hiſpanorum fortiter ſuſtinet. cum atrox diu fuiſſet prælium ancipiti victoria Dux Allobrogum nouam turmam equitum ſubmittit, monetque Agamontium vt peditatum inuadat, neque tanto fortunæ beneficio abuteretur aut negligeret, quæ facilem ac certam victoriam obtuliſſet. nam ſiqua mora interponeretur videbatur illa victoria extorqueri atque elabi è manibus, cum hoſtis vires colligere, & propè fuſum equitatum confirmare ita conceſſo ſpatio poſſet. vbi diu pugnatum eſset, atque hinc Agamontius audacter inuaderet, inde Galli fortiter reſiſterent, Galli demum terga dare coguntur, omnemq; ſpem ſalutis in pedum celeritate reponere. Agamontius ſummo ſtudio cum cęteris proceribus, victoria vtitur. multos comprehenſos inſequendo trucidat. omnes cohortes profligat, quas intelligit velle coſiſtere ad renouandum prælium ac reſiſtendum. Galli poſtremo virtute Agamontij Ducis, & Allobrogis conſilio ceduntur, profligantur, labefactantur. at peditatus acceſſit tunc cum hoſtis eſſet fuſus, & certa acquiſita victoria. ceciderunt inſignes duces Ioannes Dux Beterenſis, Vicecomes Turainenſis, Guaronius, Plenotius, Celaiſenſis reguli, & alij complures. Capti ſunt per ipſam cladem Gallorum coneſtablius pugnans, Dux Lingonum, Mompenſierus, Mareſciallius Sancti Andreæ, princeps Cenomanorum, Ringrauius dux ſummus Germanorum, Royſperger tribunus, Angiemus regulus, Cortonius, Foganius, Lanſaccius, Mombronius, Thameſus, Villarius, Sienius, Vaiſſeus,aliq; multi nobilium circiter duo millia. varij generis militum ad quatuor millia capta. vexilla peditum quinquaginta & duo. equitũ cataphractorũ decem & octo. viginti vexilla leuiorũ. decem muralia tormenta ac totidẽ cãpeſtria. carri trecenti apparatuũ bellicorum cũ magno equorũ

Agamontius Belga.

Agamõtii virtus & victoria aduerſus Gallos inſignis.

V numero

numero. ceciderunt è Gallis ad ſex millia hominum. ex Hiſpano exercitu paulo plures mille, in-
ter quos illuſtres fuerunt Benincortus caſtrorum magiſter, duo principes Germani, & alij nonnul
*Ducis Sabaudiæ clementia.*
li. Comes Masfeltius vulnus accepit in femur, Mombreus regulus in genu. Ducis Allobrogum pru
dentia & humanitas & clementia minus inuidioſam vel apud ipſos hoſtes fecit eam victoriam, &
magis glorioſam. quippe cum nemo ſit quin viro bono conuenire cenſeat vt reliquis dominetur,
cum ſolius crudelis & imprudentis hominis imperium omnibus moleſtum ſit. nam coneſtablius
magnos honores apud Allobrogem conſecutus eſt, multaque humanitatis officia, cum intra
ipſius ducis tentorium & hoſpitium haberet, & curam vulnerum conſequeretur, atque omnis
Gallica nobilitas honorificè fuit tractata. euaſerunt tamen eam calamitatem multi pedites, & ma-
ior pars equitatus cum multis viris illuſtribus, vt Memorātius, Auguſtonometenſis, Condęus, Bur
*Noſtradam⁹ cladem prædixit, ꝑ vim aſtronomicam.*
dillioneus, & alij. clades illa Gallorum multo ante viſa & prędicta fuerat à Michaele Noſtradamo
rerum aſtronomicarum peritiſſimo, cum multis inde ſecutis calamitatibus in quodam prognoſti-
co. neque enim tam fallax exiſtimari debet, vt aſſolet, prædictio quę a peritiſſimis fit aſtrorum, cũ
Deus optimus rerum omnium moderator non ita occultas eſſe aliquando imminentes calamita-
tes mortalibus voluerit, vt eas deuitare non poſſimus, ſi expergiſcamur. Sed propter inſcitiam fe-
rimur plerunque tanquam prono alueo fluminis, neque ſtudemus per ſapientiam viribus aſtro-
rum reſiſtere. nam profectò facilius eſt ſapienti pręuiſum, quàm ignoratum periculum deuita-
re: cum imprudentia contra & inſcitia periculi deuitandi ipſa propè ſit neceſſitas. dux poſt eam vi-
*Veromandi deſeriptio.*
ctoriam ad obſidendum Veromandum contendit, quod oppidum antiquitus Auguſtam Verman
duorum quidam appellatum fuiſſe volunt, cum ſit in comitatu Vermanduorum. eſt enim oppi-
do maius, at non tamen quod ad iuſtæ vrbis amplitudinem accedat. ſitum eſt non procul a flumi-
ne Somma vocato, habetque ad orientem Lincones ſiue Langreſium, ad meridiem Nouiodunũ.
ad occaſum curſum ipſius fluminis defluentis in mare Britannicum. ad ſeptentrionem Ghiſam
oppidum, quod cœptum eſt multis tormentis diuerberari. Amiras omne genus defenſionis dili-
genter procurat, Gallisque noua auxilia intromittere, qui ſperantes Hiſpanum exercitum lętitia
recentis victorię paulo negligentius caſtra cuſtodituros mittunt trecentos Aquitanos ad tentandũ
negotium. Sed tanta fuit Hiſpanorum diligentia vt ſtatim trucidati fuerint. conduplicatæ ſunt
cuſtodiæ. obſidio paratur magno ſtudio, omniaque neceſſaria inſtituuntur ad expugnationem.
nam & cuniculi fiunt complures, & multa tormenta eriguntur ad concutiendum, & conatus in
ſtatutos dies ſunt decreti. oppidum ſexaginta cannonibus a tribus lateribus concutitur magno im
petu globorum: ſed tamen cognitum eſt interius foſſam tranſuerſam inſignis profunditatis & am
plitudinis intra verberationem fuiſſe perductam in hoſtes inuaſuros, ac non contemnendum agge
rem. Idcirco Nauarettus caſtrorum magiſter & comes Omegenſis in ſequentem diem conatum
differunt, nequam cladem ab hoſtibus acciperent. at Gargioneus regulus tormentarij negotij ma-
giſter cum ad eam partem tormenta attrahi curaret vel glande vulneratus, nonnullisque proceri-
bus cęſis tamen negotium non intermittit, ſed ea ipſa nocte muri partem aduerſam tormentis di-
uerberat, itaque ſolo ęquat aggerem vt exorto die oppidum poſſet latius inuadi. diſtributę ſunt po-
ſtea verberationes in varios proceres, atque primæ præfectus eſt Gazera caſtrorum magiſter cum
mille & quingentis Germanis, cui tribunatui præerat Lazarus Sendeis. erat ibi Dux ipſe, quoniam
ibi maiore impetu quam alibi concuſſum eſt, cuniculique ſex additi, per quos in foſſas valde profun
*Vallones qui ſint.*
das deſcenderetur. alia verberatio data eſt Nauaretto atque Omegẽſi Comiti, qui veteranos milites
& vallones habebat in caſtris, vocati ſunt autem vallones in finibus Belgarum agreſtes homines, qui
nomina in militiam dederunt. Tertia verberatio conceſſa eſt duobus millibus Britannorum, quos
Maria regina ſubſidio miſerat è Britannia, & tribus Hiſpanorum cohortibus tribunatus Nauaretti
tribusque Sequanorum. his omnibus imperatum eſt vt vno tempore oppidum inuaderent, atque
ad aggerem pariter accurrerent, neque omnes id facerent coniuncti, ſed in tria agmina diuiſi, ita vt
alter alteri pro opportunitate ſuccurreret. atq; hoc ita factum eſt, vt diſtractæ plures in partes defen
ſorum vires debilitarentur. at vero Philippus rex cum reliqua parte copiarum, quæ cum Ferrando
Gonzaga erant Samarobrigæ, per illud tempus acceſſit in caſtra, atq; vbi tempus opportunum vi-
ſum eſt oppidum cępit inuadi. defenſores impetum fortiter ſuſtinent aliquandiu. ſed cũ paruus eſ-
ſet eorũ numerus, inopia defenſorũ potius, quàm vitio munitionis, aut penuria apparatuũ res Gal
lis infeliciter ſuccedit, qui deniq; virtuti militũ Hiſpanorũ cedere coacti ab ea parte vbi dux conſtite-
rat paulatim locũ relinquunt. at Hiſpanus rex, qui armatus exitum pugnę proſpectabat in foſſam
deſcendit, atq; inde per ruinas murorum vrbem ingreſſus eſt, cum inter primos eſſet dux Allobro-
*Philippus armatus Veromandum ingreditur per ruinas. Philippi edictũ nobile.*
gum, qui ingrederentur. percurritur ad templũ auguſtius vſque. poſtea dux reuertitur ad ruinas, vt
infortuniis conſuleret, quę poterant inter prędationes exoriri. oppidũ igitur cũ victoria vbiq; cõcla-
maretur è tribus lateribus vno tẽpore occupatur. at vero cũ intelligeretur magna vbiq; fieri cædes
vt fieri ſolet plerunq; vbi per vim in vrbes irrũpitur, Philippus miſericordia innocentis populi cõ-
pulſus magna celeritate in oppidum irruit. proponit capitis ſupplicium in eos, qui in pueros aut ſe-
nes aut mulierculas ſęuirẽt, aut qui res ſacras vel perſonas ſacras turbaſsẽt. amiras è męnibus cũ nõ-
nullis proceribus ſeſe ad fugã demiſſurus capitur, & Memorãtius coneſtablij filius, Muliẽſius regu
lus, & Cuziẽſis, Humẽſius, ſãcti Remi Iarnacius, Andelottus cũ ad tẽtoriũ Nauaretti ſe ſeruaſſet ad
ductus eſt ad ducẽ. trucidati ſunt plures quadringentis è defenſoribus, at cataphracti equites capti
trecenti. Philippus ipſe in ingreſſu oppidi cõſtitit, qui cũ illud diripiẽdũ militibus cõceſſiſset, cura-
uit ne qui participes periculorũ nõ fuiſsent, neq; ad prædã quidẽ admitterentur. capta ſunt viginti
& ſeptẽ tormẽta bellica varij generis, multiq; bellici apparatus. ignis in quibuſdã domibus accẽſus

extingui-

extinguitur. multa prȩda capta eſt in eo oppido,quod ſȩpius Britannicis ſpoliis fuerat locupletatũ,
magniſq; ſumptibus Franciſci Regis munitum in ſitu peraccommodato. inſtauratæ poſtea ſunt
collapſæ partes,præſidiaq; firma impoſita. at Henricus Gallorum Rex ea clade accepta cum magnã
partem Gallicæ nobilitatis amiſiſſet, tam inſigni calamitate perculſus, veritusq; ne victrices copię
Lutetiam contenderent,quantum poteſt numerum armatorum conſcribit. Heluetios omni cele
ritate acciet. reliquias fuſarum copiarum colligit. Ghiſium cum ſuis copijs in Galliam reuocat ex

Copię ex Italia reuocatę.

Italia. dum ipſe Pheras munit,dux Allobrogum comitem Arembergȩ ad oppidum Chiatellettum
mittit inter Veromandum & Samarobrigam ſitum,quod poſt diuturnam verberationẽ per quaſ-

Chiatelletũ captum.

dam conditiones deditionis venit in poteſtatem Hiſpanorum. tum Hannum oppidum poſt verbe
rationem deditum eſt arbitrio regis Hiſpanorum,quod ſumma diligentia munitur. poſt illud Phi-

Hannum captum.

lippus aduerſus Henricum cum exercitu procedens multa caſtella Nouiodunũ vſque occupat,cun
ctaq; igni & ferro populatur. Sed cum nuntiaretur Lutetiæ tranſitum & iter à Gallo eſſe commu-
nitum,quia iam hyems propinquaret,copias in hyberna conuertit,omneſq; captiuos in Belgas di-
ſtribuit.neq; ceſſabatur interea in finibus Britanniæ,quoniam circiter viginti Britannorum peditũ
millia,equites mille & quingenti in fines Scotiæ irruperunt, omnia populationibus & cȩdibus re-

Scotiæ bella.

plentes. in hos caſtra mouerunt duo ſpurij Iacobi regis defuncti filii,& prorex eius prouinciæ cum
magno armatorum numero ad vetandum aditum & deuaſtationem regni. eſt autem Scotia inſu

Scotię deſcriptio.

la in mari Britannico ad occidentem vergens,pars Albionis,quæ diuiditur a Britannia Tabuda flu-
mine,habetq; ad ſeptentrionem Thulen & Orcades inſulas,ad occaſum Hebrides, ad meridiẽ Bri-
tanniam,ad orientem Viruedrum promontorium,multiſq; fluminibus irrigatur atq; abũdat mõ-
tibus,& ampla planitie. Britanni commiſſo prælio cum Scotenſibus victoria potiuntur,atq; in eo
prælio ambo filii ceciderunt præter multos alios inſignes proceres. milites multi præterea vtrinq;
deſiderati ſunt. Britanni illa victoria elati multis captis oppidis Scotenſium ad montem denique
perveniunt,vbi in acceſſum hoſtium Scotenſes locum muniuerant. qui cum vlterius penetrare nõ
poſſent præda onuſti in patriam reuertunt. at vero quoniam non ſimplex accidit plerunque infor-
tunium, ſed ea multiplicantur quæ aduerſa accidunt,non minus infeliciter pugnatum eſt a Gallis
in mari oceano. Nam Britannica claſſis cum Hiſpana coniuncta per Gallicana litora oberrans ob-
uias habuit nonnullas onerarias naues è noua Gallia antarctica Indicis mercimoniis & aromatibus
onuſtas,quæ vbi cruentum prælium commiſiſſent, poſt multa nauigia a Gallis ſuccenſa Hiſpani de

Cruentũ prȩlium nauale.

nique victores euadunt, multis opulentis nauibus potiuntur, multaque nauigia demerguntur.
interea clades ad Veromandum a Gallis accepta,oppidumque Veromandum vi captum ab Hiſpa-
nis in finibus Belgarum nuntiatur,quamobrem pontifex deſperatis nouis ſubſidiis è Gallia,diutur-
nis ſumptibus bellorum defatigatus & exhauſtus, frequentibus ſuorum cȩdibus, incendiis, præda-
tionibus non mediocriter afflictus,cohortantibus ad pacem multis purpuratis patribus cæpit de-
mum ad eam aſpirare,de qua denuo ab Alexandro Placito agi cæptum eſt. Philippus Rex cum ad
pacem ſemper magis quam ad bellum fuiſſet propenſus, vt qui propè inuitus aduerſus communẽ
omnium chriſtianorũ patrem ſuſcepiſſet,eam videbatur libenter admiſſurus,de qua dum inter hos
agitur,Galli Foſſanum in ſubalpina Gallia obſident, oppidum natura loci & àrte munitiſſimum,

Foſſanũ obſeſſum.

quod ab Hiſpanis præſidiis egregiè defendebatur.at Albanus Romam mittit exploratum ad expu-
gnationem ex ea parte,in qua eſt erectum templum ſanctȩ crucis Hieruſalemi. Palatius & Moſche
ra per noctem omnibus diligenter exploratis reuerſi nuntiant Albano facile futurum eſſe, ſi vrbs
repente cum quibuſdam tormentis inuadatur,illam capere. alii tamen duces iſtud difficillimum eſ
ſe arbitrabantur,cum tanta ineſſent præſidia,& quædam etiam difficultas propter ſitum, atque po-
pulus non mediocriter infenſus Hiſpano nomini ob acceptas calamitates. veruntamẽ Albanus ma

Albanus Romã inuadendam pronũtiat vt facilius ad pacẽ pont. cõpelleretur.

gis vt ad pacem pontifex cogeretur,quàm quod ſperaret vrbem ſe poſſe capere, omnes copias ad
Columnam contrahit. iubet curare corpora. nuntiat Romam eſſe inuadendam. monet die poſte-
ro,vt ibi relinquant impedimenta. hortatur milites ſi Romam ingrediantur libertatem conclama
re,quo nomine ab hoſtibus dignoſcerentur. proponit capitis ſupplicium ſiquis vi in mulieres vte-
retur,aut in ſacras perſonas. tum præmiſſis trecentis peditibus cum ſcalis & quibuſdam equitibus
iubet ad ſeptimam horam noctis præſtò eſſe ad portam Maiorem vocatam, enitique illam capere,
quia ſtatim alię copiæ ferrent ſuppetias. Sed paulo poſt tanta fuit vis imbrium, vt pedites propter
vim aquarum minime fecerint vſitatum iter, atque coacti ſint per longiores tramites incedere,
quare ad ſtatutam horam adeſſe non potuerunt. Albanus prima vigilia caſtra mouit ſenſim in-
cedens. cum tormentis. Alexander Placitus Romam reuerſus hos bellorum motus viſos cum
diſcederet ab Albano Carafæ obnuntiat; qui veritus ne Tybur aut Romam accederet eadem no-
cte Ghiſium certiorem facit, vt ſuas copias contraheret, ſeque pararet ad defenſionem. ipſe poſt-
modo Romanorum animis parum confidẽs ob ea multa damna,quæ cauſa horum bellorum per-
peſſi fuerant,rem ſilentio inuoluit. neminem ad arma vocat,ipſe cum ſuis militibus ad vrbis cuſto-
diam ac mœnia profectus cuſtodias vbiq; locat,& in ea parte præſertim, in quam irrupturos hoſtes
ſuſpicabatur. Aſcanius tertia hora ante lucem ad portã profectus ex equite captiuo, qui prædabun
dus cum alijs exierat,Romanos eſſe armatos intelligit. cuſtodias vrbis eſſe frequentes, & in omnia
loca opportuna diſtributas. fit anceps quid eſſet agẽdũ, venitq; in ſuſpicionẽ ſua cõſilia ne hoſtibus
paterent. ſub aurorã poſtea illi trecenti cũ ſcalis præmiſſi accedunt. horũ aduentus Romã ab agre
ſtibus nũtiatur.mox accedit Albanus cũ tormentis,qui ſentiẽs ſuos conatus põtifici innotuiſſe, vel
ꝙ iã pęnituiſſet ſuſcepti conſilij vt nimis inhumani, vel ꝙ verebatur ne ſi in vrbẽ irrupiſſet,ſuę co-
pię rapinis intentæ à Strozzeanis trucidarẽtur, mutauit cõſiliũ.nã Strozza hac ipſa de cauſa vt in-

rapinis occupatos hoſtes vrbanis repente reuerſus oppr imeret, exierat ex vrbe cū decē vexillis Aquitanorum, & quadringetis galeatis equitibus. cum nemo ſuper męnibus aſpectus fuiſſet, verebatur ita rem ex compoſito fuiſſe inſtructam, quare noluit fortunæ in conſtantis voluntatem experiri, vniuerſamq; exiſtimationem multis laboribus ac vigilijs plurimis collectam vna hora, atq; adeo vno tēporis momento profundere. rurſus ad Columnam ſe recipit. Carafa cognita trecentorū ſcaliferorū fuga, qui relictis ſcalis & quibuſdam armis profugerant, mittit equites ad inſequendum. quidā capti ſunt, alij trucidati. Ghiſius in agro Tyburtino vniuerſas ſuas copias in vnum contraxerat, vt Romæ caſtra cum Pontificijs cōiungeret, Albanumq; à tergo adoriretur. tum certior fit à Rege de accepta clade, iubeturq; quàm citiſſimè in Galliam cū ſuis copijs redire. ſcripſit etiam ad Pontificem rex Hēricus, vt qua ſalubriore via, fieri poſſet, ſuis rebus cōſuleret, donec ipſe ab accepta calamitate aliquātulū conualeſceret. Illo nuntio accepto Venetis & Hetruriæ Duce intercedentibus efficitur vt maturè Pōtifex pacis cūditionibus aſſentiretur quæ eſsēt honeſtæ, quod factū eſt nulla habita ducis Ferrariēſis mētione. ad eas cōditiones tractādas Sāctiflorius & Vitellocius cardinales Albanū cōueniūt, inter quos res ita concluditur; vt Carafa in colloquiū cum Albano Cauas conueniret, vbi totum negotiū de pace eſſet tranſigendū. Carafa Paleſanum contendit, atq; mox Albano ad Cauas fit obuius. ibi inter Albanum Philippi regis nomine & tres purpuratos antiſtites nomine Pontificio, ita de pace conuenit. vt vterq; princips legitimum procuratorem mitteret, ad ea quę communi conſilio cōcluſa fuiſſent confirmanda: ſic Ponticis nomine Carafa procurator inſtituitur.

Pacis conditiones inter Pont. & Philippum nulla habita mēſione Ferrarienſis.

Carafa procurator.

Paulus Papa IIII. dilecte fili noſter ſalutē & apoſtolicā benedictionē, Cupientes ſtudio pacis & quietis, quam præ cæteris rebus omnibus ſummopere diligimus, vt ſedatis tumultibus bellicis diuinis obſequijs prout noſtro paſtorali incumbit officio, toto animi affectu ac libera mente vacare poſſimus, aliquam concordiam præſenti temporum conditioni accommodatam cum nobili viro duce Albano bellum nobiſcum in præſenti gerente inire, tibi etiam ſecundum carnem noſtro nepoti, qui mentem & intentionē noſtram optimè noſti, & cuius fidem, prudentiam, diligētiam, & probitatem in pluribus arduis huius ſanctæ ſedis negotijs iam diu planè cognouimus vna cum his, de quibus tibi videbitur de ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus cum eodem duce in aliquo congruo & ſecuro loco conuenienti, & cum eo nomine ſui regis, à quo ſuper hoc ſufficiens mandatū habere putatur, pacē & cōcordiam nomine noſtro tractandi, & quancunq; capitulationem & pactionem ineundi, aliave in præfatis neceſſaria & opportuna & quæ nos ipſi, ſi præſentes adeſſemus facere poſſumus, faciendi & exequendi plenā & liberā apoſtolica autoritate per præſentes concedimus facultatē & poteſtatem. datū Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo piſcatoris die octauo Septembris. 1557. pontificatus noſtri anno tertio. à tergo, dilecto filio noſtro Carolo ſanctorū Viti & Modeſti in macello martyrū diacono cardinali Carafæ nuncupato. Albanus tametſi ad omnia Philippi Regis negotia exequenda pleniſſimam facultatem habebat, neq; indigebat denuo vt procurator inſtitueretur, tamen Philippus nequa dubitatio poſſet Pontificem à pace deterrere, ita etiam ſuū procuratorem cum præcipua ad hoc munus autoritate rurſus Albanum legitimè creat. Philippus Dei gratia Hiſpaniarum, Anglię, Francię, Neapolis, vtriuſq; Siciliæ, Hieruſalemi, Hibernię &c. rex. Archidux Auſtriæ, dux Burgundiæ, Mediolani, Brabantiæ. comes Habſpurgij, Flandriæ, Tyrolis &c. recognoſcimus & notum facimus tenore præſentium vniuerſis quòd quamuis pro incredibili ſtudio & amore ad componendam illam diſſenſſionē quę inter ſummū. D. Paulū diuina prouidentia. S. R. & vniuerſalis eccleſiæ Pont. Max. & nos diebus elapſis nō ſine magno animi noſtri dolore coorta ſuit die. 17. mēſis decēbris anno domini. 1556. Illuſt. fideli, nobis dilecto D. Fernando Aluarecio Toletano duci Albæ cōſiliario noſtro ſtatus prætorij pfecto, proregi regni noſtri Neapolitani, gubernatori Mediolani & exercitus noſtri in Italia sūmo duci plenam facultatem dederimus cum eius. S. aut quibuſcunq; perſonis ab ea poteſtatē habētibus omnia tractandi, paciſcendi, exequendi, quæ ad hanc compoſitionē & concordiā ſpectare videantur, quo tamen huic negotio neceſſario mora nulla aut dubitatio inijciatur, quin ad exitum optatū perducatur, & noſtro huic deſiderio plenius ſatisfiat, eādem illam facultatem cū eiſdem clauſulis prout iacent ad verbum eiſdem modis & formis gratificare, ſtabilire, & confirmare decreuimus, prout tenore præſentiū gratificamus, ſtabilimus, cōfirmamus, ratumq; habemus & approbamus, quidquid præfati mandati noſtri virtute huc vſq; geſtū, actum, & tranſactū eſt ab ipſo duce Albæ cum. S. D. N. Paulo Quarto, aut ab eo poteſtatē habentibus, ac ſi à nobis id actum & concluſum foret. & ad vberiorem cautelam, quatenus opus eſt, eidē duci Albano confiſi & eius integritati & prudentiæ multarum rerum eandem prouinciam per præſentes demandamus, dantes denuo plenā, quatenus opus ſit, facultatem, autoritatē, & poteſtatem vt noſtro nomine ac pro nobis poſſit & valeat cū præfato. S. D. N. Paulo Quarto Pont. Max. ſeu cum ad modum reuerendo Card. Carafa, vel alio ſeu alijs quibuſuis à ſua Beat. poteſtatem habētibus conuentiones, pacta, & capitula quæuis inire, tractare, concludere, firmare, vel inita iam cōtinuare & ad finem perducere. nec nō alias donationes, cōceſſiones, cautiones, ſecuritates, & promiſſiones cuiuſcunq; qualitatis, aut exiſtentiæ fuerint, prout ipſi bene viſum ſit, promittere, acceptare, & noſtro nomine aſſicurare, etiam ſi mādatum exigant præcipuum, quàm præſentibus eſt expreſſum, omniaque alia ſingula facere, firmare, diſponere, ordinare, & pertractare, quæ nos ipſi diſponere, facere, & pertractare poſſemus, ſi ore preſentes eſſemus, & illa ſi opus fuerit iuramento confirmare, vnumque aut plures ad præmiſſa loco eius ſubſtituere cum ſimili ſeu limitata poteſtate. promittentes ſub noſtra fide & verbo regijs nos gratum & ratum habituros, & omni dolo ac fraude ſemotis obſeruaturos quidquid per eundem ducem Albanum mandatarium noſtrum aut ſubſtituendum, aut ſubſtituendos, actum, geſtum, ordinatum, conuentum, concordatum, promiſsum, & concluſum fuerit circa præmiſsa, vel

Albanus procurator Philippi regis.

quod-

quod libet premiſſorũ, & nullo vnquam tempore reuocaturos, neq; vlla ex parte contrauenturos, ſub bonorum noſtrorum omnium præſentium & futurorum obligatione. harum teſtimonio literarum manu noſtra ſubſcriptarum. & ſigilli noſtri ſecreti impreſſione munitarum. datum Bruxellis ducatus noſtri Brabantiæ die. 26. menſis Iulij anno domini. 1557. preſentibus teſtibus viris illuſtribus D. Ferrãdo Gonzaga, D. Antonio Toletano, D. Bernardino Mendocio, D. Ioanne Maurico rerũ noſtri ſtatus conſiliarijs. ita legitimis procuratoribus inſtitutis ab vtroq, principe pacis conditiones huiuſmodi ſubſcriptionibus vtrinq; confirmantur, à Carafa Pontificis, ab Albano regis Hiſpaniarũ nomine. Vt Albanus regis nomine tanquam filij ſancte Eccleſie, apoſtolice obedientie cauſa ſuppliciter, & qua conuenit reuerentia, veniã petat à S. D. Pont. quod ipſum rex faciat per oratorẽ poſtmodo hac ipſa de cauſa Romã miſſum. Vt Pontifex ipſe tanquam pater clementiſſimus in ſuam gratiam regẽ ipſum recipiat, admittatq; ad omnia beneficia, quæ cæteris Chriſtianis principibus cõceduntur. Vt Pontifex federationẽ renuntiaret Gallorum regi, eſſetq; in poſterum communis tanquam vtriuſq; parẽs. Vt regio nomine omnes vrbes, oppida, munitiones, & cetera loca cuius vis prouincie ſiue regionis menibus nudata reſtituerentur, que ſubiecta fuiſſent imperio pontificio ab initio belli capta ad preſentem vſq; diem. Vt omnia bellica tormenta vtrinque capta quouis modo ab vtriſq; reſtituerẽtur. Vt ex vtraq; parte ſupplicia, peneq; indicte obliterarentur, perpetuæq; obliuioni mandarentur, quæ cuiuſuis ætatis, conditionis, dignitatis, ſexus, hominibus fuiſſent ob nuntiate horũ bellorum cauſa; omnibusq; nõ ſolùm venia & impunitas concederetur, verũ etiam honores, dignitates, iura, officia, vrbes, munitiones, caſtella reſtituerentur, omniaq; tam mobilia bona, quàm immobilia, que cuiuis erepta, interdicta, impedita fuiſſent per horum opportunitatem, at nõ alijs de cauſis. atq; ne per hanc conditionẽ aliquid commodi Marco Antonio Columnæ, aut Aſcanio Cornienſi afferatur, illi intelligantur eſſe contumaces, vti ſunt in præſenti, quorum negotium totum liberæ Pontificis voluntati relinquatur. Vt Palianum quale nunc eſt Io. Bernardino Carboni ſequeſtro vtriuſq; partis conſenſu concedatur, qui iuret ſe fidem vtriſq; principibus ſeruaturum, obſeruaturumq; pactiones inter Carafam & Albanum compoſitas, qui præfuturus eſt Paliano cum octingentis peditibus communibus vtriuſq; principis ſtipendijs. has autem pactiones Carafa ponticio, Albanus regio nomine pro facultate, autoritateq; ſibi conceſſa cõfirmarunt, iurarũtq; in animas ſuorum principum quòd ſine vlla fraude, aut cauillatione, aut exceptione ſeruabũtur; ad quarum rerum fidem præmiſſarum ambo ſubſcriptionibus prædicta confirmarunt præſentibus cardinalibus Sanctiflorio & Vitellio, ſolitiſq; ſigillis conſignarunt, quibus tanquam teſtes etiam predicti cardinales ſubſcripſere. ſed quoniam nihil certum adhuc de Paliano vtrius tandem futurum eſſet confirmatum fuerat, conueniunt inter ſe Carafa & Albanus ſecreta propriaq; cõditione vt ad arbitrium Regis id referatur an velit Palianum menibus nudatum reſtitui, ita vt nõ poſſit amplius muniri, donec ſatis apta permutatio fiat, rexq; rependerit locum æquæ vtilitatis. quòd ſi controuerſia de permutatione oriatur, ea cõcedatur ſenatui Veneto dijudicanda, cuius ſententiæ vtriq; principes acquieſcãt. illa facta permutatione concedatur Palianum cui rex voluerit, modo ne ſit Romanæ eccleſie hoſtis atrociſſimus, atq; ſequeſter ex eat Paliano mænibus nudato. hiſce conditionibus ita vtrinq; confirmatis Palianum cum prædictis præſidijs datur Carboni cuſtodiendum. Cardinales Romam pacem Pontifici compoſitam fuiſſe nuntiant, propter quam multa lætitiæ ſigna parabantur. ſed ita creuit ſequẽti nocte vis aquarum ob inauditam imbrium crebritatem & magnitudinem, vt Tybris ſpretis ſui aluei carceribus, ſolitoq; hoſpitio minime contentus, non amplius intra ripas ſe contineret; ſed tanta cum copia aquarum & violentia inſolitarum per agrum Latinum vagaretur, vt vniuerſam Romam nauigabilem fecerit, multaq; ædificia partim ob vetuſtatem debilia, partim ob inconſtantiam fundamentorum propter humoris copiam corruerint. multi egregia opera facti horti, multæ pulcherrimæ picture, multa amena viridaria ſunt deuaſtata. magnus fuit hominum etiam atq; animalium brutorum numerus que in aquis perierunt immenſa ac propè incredibilia fuerũt damna que vniuerſo Latio illata ſunt per illam inundationem. nam ſanè propè auſim dicere, tam atrocem fuiſſe, tamq; calamitoſam Romanis hanc inundationem, vt non minus malorum vna nox vniuerſo Latio attulerit, quàm crudelitas armatorum hoſtium & rabies atq; acerbitas bellorum omnium ſuperiorũ multorũ mẽſiũ. neq; Bononia ſanè, aut Florẽtia nobiliſſimæ vrbes multò moderatius tractae fuerunt à ſuis fluminibus; quippe cum ita ob immenſam pluuiarum copiam excreuerint, vt cum maxima ruina & detrimẽto illarum vrbium cognitum ſit non ſatis bonam eſſe vicinitatem magnorum ac dementium fluuiorum. Pontifex quòd hæc non ſine numine conſilioq; diuino fieri exiſtimabat, ad placandam iram numinis, ad implorandam à diuina clementia veniã delictorum, ad impetrandum aliquod refugium tantarum calamitatum, ſupplicationes & ſolẽne vocatum Iubileum indicit, atq; cum diui Bartholomæi corpus inter ruinas ſui templi ob inundationem collapſi repertum fuiſſet, illud magna & ſolenni cum pompa ac ſupplicationibus in templum diui Petri comportandum curauit. deinde poſtero die Albanus ſub noctem Romam ingreditur cum magna totius populi lætitiæ ſignificatione, ad petendam veniam. ad Pontificem profectus perhumaniter accipitur. omnibus captiuis donatur. deinde die tertio Neapolim acceſſurus Roma diſcedit.

Pacis conditiones.

Tybridis inũdatio memorabilis.

*LIBRI DECIMI FINIS.*

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS,

## LIBER VNDECIMVS.

REBVS pontificiis per hunc modum compoſitis, decreſcente paulatim moleſtiſſima Tybridis inundatione, iam Latium poſt multas ærumnas, infinitos labores, plurimas cædes, latrocinia, rapinas, prædationes, incendia ſuauiſſimam pacem guſtare cępit; & quaſi è diuturna grauiſſimaque valetudine aliquantulum conualeſcere. Sunt enim bella quaſi ſaluberrimum remedium quoddam diuinitus immiſſum ciuitatibus, quibus vbi multis conſceleratis hominibus, tanquam malignis noxiiſq; humoribus repleræ fuerint, tunc diuinitus vel bellum, vel peſtilentia, vel fames expectanda eſt, qua ratione tanquam per tenuem victum, vel phlebotomiam, vel euacuationē vi pharmacorum, quam ex aere imbibimus, vrbes purgantur. atqui morbi huiuſce imminentis indicium eſt, tanquam inæqualis durique pulſus, iniuſtitia, perfidia, crudelitas mutua, potētiorumq; tyrannis ciuium in imbecilliores, quibus nulla adſit charitas, aut vera religio, virtutesq; omnes & diſciplinæ negliguntur, pro quibus torpor, & luxus, & ſegnities dominantur. hæc vbi apparuerint, non procul abeſſe putanda eſt vltio diuina. nam id certè fit, vt res omnes inexplicabili quodam inter ſe nexu variata ſemper ferè viciſſitudine regantur, cum neq; pax, neq; bellū, neque res huiuſmodi maximę vel minimę ſine diuina voluntate mentes hominum ſenſim ad illud mouente fieri conſueuerint. ita pax è bello, & è pace bellum ad hominum ſalutem, ſi ſapiant, diuinitus exoritur. at verò quoniam multa oppida a Philippo poſſidebantur in Hetruria, ita denique compoſita eſt res Senēſis, vt Coſmus Dux Florentiæ omnia Senenſis ditionis poſſideret præter Vrbatellum, & portum Herculis ac Telamonium. etenim quia Populonium vrbs nobilis, & antiqua Hetruriæ in litore maris Tyrrheni poſita videbatur in magno periculo verſari, ne à Gallicis vel Turcicis claſſibus occuparetur, munireturque tanquam præualidum propugnaculum, vnde omnes Hetruriæ vrbes perpetuis incurſionibus & hoſtilibus moleſtiis infeſtarētur, quia princeps ipſe Populonij non poſſet tantarum copiarum viribus reſiſtere, quamuis eximia ſit fide, ſtrenuitate, ac peritia rei bellicæ, Philippus rex, & ante Carolus Quintus Cæſar prudenti ſalubrique conſilio illam vrbem Coſmo Hetruriæ Duci commendarunt, vt cuius potentiam cognouiſſent, & prudentiam in omni genere publicæ adminiſtrationis. promiſſum eſt etiam redditum iri quantum pecuniæ in illa munitione & in cuſtodiis fuiſſet abſumptum. atque cum multa millia nummum abſumpta fuiſſent, illa poſtmodo ſunt in rationibus Senenſibus ſupputata nec ita multo poſt Turcæ ad Populonium deſcenſiones facientes accepta non aſpernanda clade ab Hetruſcis copiis, turpiter ſunt a ſuſcepto conſilio reiecti. quæ dum ita aguntur, Ioannes rex Luſitaniæ Vliſponæ naturæ conceſſit, relicto Sebaſtiano impubere puero trium annorum Ioannis vnici filij filio, qui paulo ante mortem ipſius Regis deceſſerat. cæterum pontifex, qui autor & perſuaſor fuerat, vt induciæ inter duos potētiſſimos chriſtianorum Reges abrumperentur, & propè confirmata fędera ſoluerentur, cōfeſtim animum adiecit ad illos placandos, omniq; ſtudio, induſtria, diligentia conatur ad priſtinam cōcordiā reuocare. legationes itaque ad Henricum mittit in Galliam tranſalpinam Antonium Triultium purpuratum antiſtitem. ad Philippum regem Bruxellas Carafam cardinalem; qui illorum regum animos placare, & ad priſtinam concordiam reuocare, atque pro viribus res inter illos componere, niterentur. Albanus interea Neapolim profectus partem copiarum dimittit, partem tranſmittit in Galliam ſubalpinam aduerſus Ducem Ferrarienſem. ipſe poſtea vt rebus omnibus intereſſet Neapoli Caietam accedit. ibi conſcendens triremem cum claſſe nauigaturus aſperrima tempeſtate impeditur

Bella diuinitus vt immittuntur.

Bellorum futurorum indicia.

Io. Luſitani Regis mors.

peditur quo minus poſſet opportunè per auni tempus agrum Ferrarienſem hoſtiliter inuadere, cũ & acriter hyemaret, & vis frigorum milites eſſe ſub dio non pateretur. in Inſubriam itaque Mediolanum ſe recipit, ibiq; hyemat, & tempus accommodatum educendis copijs expectat. at Philippus rex quòd ſibi non planè ſatisfieret ab antiſtite purpurato Tridentino in ea adminiſtratione, Ioannem Figarolam virum bonum ac ſtrenuum arcis Mediolanenſis, præfectum in Mediolanẽſem pręfecturam ſuffecit. Sed quoniam Cyrnus inſula nonnulla ex parte erat adhuc in poteſtate Gallorũ, ſicuti explicatum eſt ſuperius, Genuenſes illius inſulæ iacturam grauiter ferentes ſentiunt quanti res illa referret non ſolùm ad publica, ſed etiam ad priuata commoda. non enim ſolùm reſpublica Genuenſis erat magnopere illa iactura diminuta, ſed etiam in multos priuatos illa calamitas redundabat; prẹter illud, quòd ſolet iactura cuiuſq; rei videri moleſtior interiecto tempore, atq; cognito priſtino vſu. nam proximum mare vniuerſum Gallicis claſſibus infeſtabatur, cum naues mercimonijs onuſtæ diripentur, neque vlla ſatis tuta daretur conuehendi commeatus in vrbẽ facultas. illud autem tanto moleſtius accedebat, quanto ſteriliorem, magisq; infecũdum vrbs habet agrum, cuius vniuerſa propè ſalus & conſeruatio in iis conſiſtit rebus, quæ importabantur. decretum eſt idcirco à Genuenſibus enitendum eſſe totis viribus, vt tantarum miſeriarum, moleſtiarumq; cumulos, quanti in dies imminere videbantur auerterent, ſeq; perpetuis calamitatibus, magnis ſumptibus, ſummo omnium facultatum periculo ſubleuarent. illud negotium facilius factura apparebat paulo ante accepta Gallorum ad Veromandum clades, & copiarum quæ in Italiam ſubſidio pontifici venerant, reuocatio, & res Hiſpanis vno tempore pluribus in locis feliciter ſuccedentes. Hieronymum igitur Lodronium cum duobus millibus & quingentis peditibus Germanis, Italis quingẽtis in vrbem accerſunt, quibus cenſis exhibent ſtipendia. copias in inſulam Cyrnum exponunt. iubent præfectos, procuratoresq; publicæ vtilitatis Caſalium ſinum obſidere, atque conari omni ſtudio illo potiri, dum Andreas & Antonius Auriæ maritimas partes munitorum locorum Gallicæ ditionis infeſtant, atq; ad litus arenoſum, & Tilocem, & Aureum montem ad nauigantes omnia replent trepidatione, & poſtea portum Syracuſanum. dum ſinus Caſalius obſidetur, quotidie pugnatur minutis prẹliis. multi vtrinq; exeunt ad leuia certamina. at Paulus Iordanus Vrſinus, qui præerat rebus inſulanis cum proregia poteſtate, vt dictum fuit, cum Gallicis præſidijs, vir autoritate & cognitione rerum militarium clarus, quamuis cumulatè optimi ducis officio ac omnibus numeris ſatisfeciſſet, tamen propter Belgica Henrici Regis infortunia recentia, cum neque ſubſidia neceſſariaq; auxilia pro præſenti difficultate, neq; neceſſarios commeatus poſſet extorquere, coactus eſt vniuerſas ſuas vires in tria loca opportuniora totius inſulæ contrahere, atque ita qua poſſet ratione ſibi illatum bellum ſuſtinere. nam profectò ita requirit bellica ratio, vt paruas vires duces in prẹſtãtiora loca ad defenſionem contrahant, quoniam multò potentiores ſunt coniunctarum vires, quã ſeparatarum copiarum. quę enim defendi non poſſunt munitiones, caſtella, vrbes veleuerti conuenit, vel flammis abſumi, ſi aliquam hoſtibus vtilitatem contra nos afferre poſſint, vel ſi anguſtia tẽporis iſtud fieri non patiatur, neceſſitasq; vrgeat, deferenda ſunt ipſa loca, ne vno temporis momento & munitiones & copiæ & exiſtimatio perdatur per gloriam hoſtium. Iordanus demũ poſt multas Caſalii ſinus oppugnationes oppidum illud cogitur relinquere, ſeq; in portum Syracuſanum, & in montana quædam loca cum præſidijs recipere. ibi tamdiu ſingulari virtute & admirabili propè ſtrenuitate conatus hoſtium ſuſtinuit per ſummam rerum omnium neceſſariarum inopiam, ac penuriam, maritimis terreſtribuſque præliis reſiſtens, vt magnam tamen partem inſulæ Gallorũ imperio reſeruauerit. vbi annus inter hæc varia certamina præteriiſſet, Genuenſes propter aeris illius inſulæ intẽperiẽ Vrcinio, Ceſiæ litore, & vrbe Mantinorũ Baſtia egregiè munitis, firmiſſimiſq; præſidijs obfirmatis iam propè magnitudine ſumptuum defeſſi vniuerſum negotium in annum ſequentem reiiciunt. in finibus verò Inſubrum Figarola audita clade Gallica in finibus Belgarum, cũ Henrico res non feliciter ſuccederent aduerſus Philippum regem Hiſpaniarum, & ipſe collectis, conſcriptiſq; veteribus copijs & nonnullis recentibus magna celeritate repentino aduentu recuperat nonnulla caſtella in agro Dertonenſi, quæ capta fuerant à Gallis, & quorum præſidia proxima quæque ferro, prædationibus, incendijs populabantur. caſtris itaque poſitis ad Põzonem, quod eſt oppidi nomen, illo breui potitur, quare fit vt Dertonenſis Alexandrinuſq; ager, & proxima omnia tuta reddita ſint ab omnibus rapinis ac moleſtiis Gallorum hoſtium. At Ferrandus Gonzaga vir inſigni laude rerum bellicarum illuſtris, multis rebus præclarè geſtis, multis honorum gradibus, multis honorificentiſſimis pręfecturis clarus; poſt multas fortunæ & inuidorum difficultates ſuperatus, Bruxellis naturæ conceſſit, non ſine magno Philippi Regis & omnium bonorum mẹrore ac lacrymis, in cuius funere multa præclara, & hæc in primis carmina ſcripta ſunt.

*Militiæ deceſſit honos & gloria magna*
*Italici decoris Gonzaga lumine caſſo.*

Ghiſius propter Belgicum infortunium, ſicuti dicebamus, ab Henrico rege in Galliam reuocatus, vbi decreuiſſet inundatio ac diluuium Romæ magnis itineribus, & quanta fieri poteſt celeritate in Galliam properat, iuſſis copijs ſumma diligentia per Galliam togatam Ferrarienſemque agrum in Galliam & ipſis proficiſci. reliquit etiam quędam vexilla æquitatus ac peditatus, quæ apud Ducem Ferrarienſem eſſent in hybernis, cum iam bellum aduerſus illũ, vti patebat, parari cẹpiſſet: qui hac ipſa de cauſa omnia caſtella munienda, rebuſque omnibus neceſſarijs inſtruenda curauerat. munita eſt Herberia oppidum præcipuè, ante quod propugnaculum quoddam è gleba ita ſublime erexit, vt poſſet idem oppidum protegere ab omni verberatione, omnibuſq; propinquis caſtellis hoſtilis ditionis imminere, & ſiqua forent moleſta, exitium minari. Philippus rex poſt pacem cum pontifice com-

Cyrni bellũ inſtauratum.

Pauli Iordani Vrſini virtus.

Figarolę virtus.

Ferrandi Gõzagæ mors.

Herberia munita.

ce compoſitam, recuperataq; caſtella, quę diximus, in Inſubria, quoniam viſus eſſet vir tractandis negotiis accommodatus Ioannes Figarola ſubrogato in Mediolanenſem præfecturam Conſaluo Ferrando regulo Sueſſano, comiſſaq; arcis Mediolanenſis cuſtodia Alphonſo Pimentello, decernit Figarolam aſſiduum oratorem apud pontificem, qui regio nomine negotiaretur. Pimentellus citatis equis in Inſubriam Bruxellis properat ad ipſam præfecturam, vbi cum magna lætitiæ ſignificatione fuit exceptus. Figarolæ propius ad vrbem Romam profecto ſignificatur ab iis, qui Hiſpanis partibus ſtudebant, eius aduentum moleſtiſſimum accidere pontifici, quamobrem ad dedecus regium, & incommoda ipſius deuitanda cauẽdam eſſe ſenis iracundi indignationem, qui eſſet implacabilis vbi ſemel odium concepiſſet: quare ita hortantibus atq; perſuadentibus amicis mutat conſilium, Caietamq; contendit donec indignatio pontificia deferueſceret. indignationis cauſa fuit quod Figarola in præfectura Mediolanenſi paſſus fuerat æquo animo, vel potius iuſſerat, ſupellectilem quã dam opulentam ſanè Reidetti Ludouici viri pontifici gratiſſimi diripi, qui Mediolanum ad ducendam vxorem cum quibuſdam Gallis pontificis familiaribus acceſſerat. eam ſupellectilem repetenti Reidetto reſponſum eſt iure belli inter duos Reges videri fuiſſe ablatam, cum eſſet viri Galli. Pontifex eam rapinam ægerrimè tulit, quoniam periniquum videretur hominem innocẽtem, inermẽ, nullis bellorum motibus vnquam implicatum, nullius ſceleris conſcium, neutram in partem magis propenſum, qui multos annos Romam habuiſſet pro patria, qui nihil non modo non fecerat, ſed neque cogitauerat quidem pro Gallis aduerſus Hiſpanum regem, ita impune nomine quidem bellorum, ſed reipſa per libidinem & auaritiam, cupiditatemq, habendi ſpoliari ab Hiſpanis. quibus accedebat etiam, quod acceptis quibuſdam iniuriis nullum æquum ius obtinere potuiſſet. Figarola illa tanta rerum nouitate atque indignatione pontificis ita conſternatur, cum omnes gradus honoris ita amiſiſſet, vt in grauiſſimum morbum ob animi moleſtiam inciderit. verumtamen multorum purpuratorum patrum precibus impetratur poſtremum vt Figarola in legationem ſit admiſſus, veniamq; conſecutus, ſi eam ſupplex precaretur. Sed poſtmodo admiſſus nõ prius ab illo morbo conualuit, quàm extremum vitæ ſuæ diem concluſerit. ſuffectus eſt illi in eam legationem Frãciſcus Vargas Hiſpanus, qui legatione apud Venetos tunc fungebatur, vir, vt ex eius colloquijs, & conſuetudine ſæpius cognoui, doctrina, ingenio, prudentia clarus. per quod tempus primum nata eſt controuerſia de ſuperiore loco inter Hiſpanum, Gallumq; Reges, & Polonum ac Luſitanum, ſiue eorum regum legationes, & Florentiæ, Ferrariæque Duces; & Vrbini ac Mantuæ. Quæ dum fortuna ſurſum deorſum verſat in Italia, paulatim atrociſſimi & immaniſſimi belli, quod natum eſt, in Gallia tranſalpina, ſemina concipiuntur, quod ita peruagatum eſt per eam prouinciam, vt vniuerſam multis, miſerabilibusque cladibus afflixerit, & propè funditus euerterit. nam eius fragor, incendia, ruinæ exauditæ ſunt ac peruenerunt ferè in vniuerſas gentes. plurimum finitimas prouincias infeſtarunt, ac penetrarunt, exitioq, fuerunt multis mortalibus vel citra montẽ Apenninũ. Ad huiuſce tanti belli originem explicandam, videtur repetẽdum altius, quæ cauſæ nobiliſſimas & potentiſſimas familias Galliæ comatæ compulerint in mutua vulnera ad arma ſuſcipienda, quę denique in catholicam religionem, & in ipſum potentiſſimum Galliarum Regem conuerſa ſunt, cum alioquin illa natio ſoleat eſſe ſui Regis præcipuè obſeruantiſſima. Eſt morbus quidam propè natiuus & certè communis omnium ferè illorum, qui principum, Regum, aut Imperatorum greges, gratiamq; ſectantur, neminem vt æquo animo ferant ſibi eſſe parem, nedum ſuperiorem gratia, & conſuetudine apud principem: quę peſtis per liberas etiam ciuitates, & reſp. & multorum adminiſtrationes latè peruagatur, cum ſemper æmulatio & inuidia & odium occultum ſit inter pares, & illud præſertim ſi ad primarios honores, honorificentioresque magiſtratus aſpirent. His enim cęterorum parium contumeliæ, & dedecora, & turpitudines, & infortunia propria felicitas exiſtimatur. neque tamen vlla eſt vrbs tam parua, nullum oppidum, nullus pagus, in quo nemo ſit qui ſibi principatum expectat, primumque locum non aucupetur. nam ſemper præclarum fuit habitũ, vel ſine virtute inſigniri ornamentis virtutis, quæ ſunt imperia in cæteros homines, potentia, magiſtratus, autoritas, exiſtimatio. Accidit igitur vt Vandomia, Sciatiloneaque familiæ totius ferè Galliæ comatæ nobiliſſimæ ac potentiſſimæ propter multas opes & clientellas & affinitates clandeſtina odia & occultas ſimultates aduerſus Ghiſiam familiam & ipſam nobiliſſimam, regijsq; opibus ſuffultam & multis egregiis bellicis condecoratam exerceret. cauſę ſimultatum fuerunt complures, ſed præcipua, quòd Vandomia iam opulentiſſimo Cantabrorum regno inſignita, ac propter propriam potentiam clara, regięq; ſtirpi ita propinqua, vt niſi Valeſijs regibus per Valeſios legitimè ſucceſſum eſſet, ampliſſimum & magnificentiſſimum totius Gallię regnum, atque imperiũ totius Gallicę prouincię ad ſe iure hęreditario deuolui exiſtimans, non ſatis trãquillo animo ferebat Ghiſios plurimum gratia apud Regem Henricum Gallorum valere atque poſt regem ipſum omnia ferè in Gallia moderari. Huic rei paulo poſt illud etiam acceſſit, quod Franciſcus Henrici filius vxorem duxit Scotenſem Reginam, quę Ghiſiæ familiæ erat coniũcta, & antiquiores cauſæ ob quas Rex non ſatis fidens Vandomijs hærere Ghiſijs cogebatur, quare inter vndas propè bellorum res paulatim fluctuare cæperunt. Has clandeſtinas ſimultates non aſpernandam turbandæ Galliæ comatæ occaſionem nacta fortuna paulatim alia ſemina iacit contentionum & rixarum, vnde poſtmodo illis ſuccreſcentibus Gallia vniuerſa denique maximis cladibus & incendiis cum multa populorum Gallicorum, omniſq; ætatis & amicorum hominum internecione afflictata eſt. Nam Gaſpar Sciatilioneus Galliæ amiras præfectus tormẽtario negotio, quæ dignitas maxima eſt apud Gallos, eques ordinis diui Michaelis coneſtablij nepos, cum ſimultates & ipſe, inimicitiasq; exerceret aduerſus Ghiſios proceres, quibus ſe imparem viribus autoritateq; intelligebat, ſeſe ad Vandomias

partes

Io. Figarolæ mors.

Contẽtiones de præcedẽtia inter legationes.

Cõtentiones aulicorum.

Cauſæ bellorum Gallicorum.

partes contulit & ipſos inſenſos Ghiſijs multis de cauſis,vt ſciebat. Nata eſt controuerſia quædam recens inter Ducem Namurienſem,coneſtablium,& Henricum Regem de virgine quadam Vandomia,quæ controuerſia fuit Ghiſijs pergrata;quia ſic non modo ipſi gratia facillime præſtare poſsēt apud Regem,ſed etiam Regis odium atque indignationem conuertere ad Vandomios opprimendos;quippe cum rex neque videretur propter illam controuerſiam ſatis confidere Vandomijs, & Ghiſii Namurienſem Ducem palam tuebantur. Amiras,qui diligenter,magnoq; ſtudio vltionis opportunitatem aucupabatur,ratus præſentem occaſionem minime eſſe negligendam,dum animi vtrinque recentibus creditis iniuriis eſſent inflammati ad vltionem,comitia clam Lutetiam Pariſiorum indicit. Ad ea comitia conuocat affines & propinquos virginis,ad quæ conueniunt inſigniores duces Sciatilionei,quibus aut inuiſa,aut etiam moleſta iam eſſet Ghiſia potentia, & gratia apud Regem:quippe cum mos ſit inueteratus & propè auitus aulæ Gallicæ,nihil vt ab ea feratur mediocre. Nam qui gratia valet apud Regem,ille ſolus eſt apud omnes populos Galliæ admirabilis, & glorioſus:qui nulla gratia valet,cæteris Gallis omnibus eſt deſpectui,nullamque obtinet autoritatē inter Gallos,quamuis opibus,nobilitate,principatu,gloria rerum geſtarum alioquin ſit illuſtris. In illis comitiis multæ magnæ atque graues agitatæ ſuut querelæ de Ghiſia importunitate; ſed omnium ſententiarum grauiſſima fuit illa,& quæ atrociſſimè animos præſentium impelleret, quod ad explicandam odij atrocitatem quamuis occaſionem auidiſſime arriperent Ghiſij, vt nunc etiã fecerūt, cum præter veteres iniurias perfidiam Namurienſis Ducis aduerſus Vandomios tuerētur.

Comitia Vã domiorum.

Non eſſe diutins ferendam ignominiam illatam Vandomio ſplendori ante illum diem incontaminato, neque tyrannidem iam Ghiſiorum crudeliſſimam, at non amplius gratioſam potentiam, cum perpetui ſint hoſtes vel gloriæ vel potentiæ Vandomiæ, omneq; Vandomiorum decus ægerrimè ferant. futurum enim ſi res tacitè feratur, vt multo apertiores, atrocioresq; iniuriæ expectentur,cum nihil aliud ſit impunitas veterum cōtumeliarum, quam liberalis quædam ad recentiores iniurias inuitatio. omnem autoritatem,exiſtimarionem,gloriam Vandomii nominis ridiculam fore inter Gallos,atque inter exteras nationes ludibrio,ſi diutius æquo animo feratur ſe ita contemni a Ghiſiis & conculcari. Inueſtigandam eſſe aliquam rationem,qua tantus malorū cumulus auertatur. Quæ cum ab omnibus communi conſenſu & concordibus conſilijs fuiſſent vnanimiter confirmata, poſtea multæ propoſitæ ſunt ſententiæ, multæq; rationes agitatæ opprimendorū aduerſariorum. In iis tam variis cogitationibus, conſiliisq; propoſitis nullum viſum eſt vel potentius vel opportunius ad vlciſcendas veteres,nouasq; iniurias,quam ſi per ſimulationem nouæ religionis iſtud efficeretur. Quippe quòd non ſolùm multi ex vniuerſa Gallia comata eſſent venturi ad ampliorem licentiam,liberioremq; vitæ rationem pro appetentia,ſed etiam è finitimis & longinquis regionibus. Huc accedit quod hac ipſa ratione ſibi videbantur probè aduocare poſſe Germanica auxilia, vbi opus foret ad opem aduerſus regiam potentiam,catholicæq; religionis defenſores, ferendam;& arma Britannica in Galliam ad communem religionem inuitaturi apparebant protegendam,& multarum aliarum nationum vires non aſpernandas, quibus facile Ghiſiæ potentiæ, & regiis auxiliis Ghiſiis conceſſis non modo reſiſteretur,ſed etiam aduerſariorum copiæ retunderentur. Nam nunquam fere ſola religio fuit cauſa bellorum,ſed vel liberior & amplior viuendi licentia expetita per ſimulationem religionis, vel immoderata libido dominandi, vel aliqua res huiuſmodi mortales incitauit ad arma hoſtiliter ſuſcipienda aduerſus reſiſtentes, cum turpitudo deſiderii,& illegitima apperentia rerum parum honeſtarum,aut ſimulatione defendendæ religionis, aut alicuius cauſæ honeſtioris contegatur,quo multi & fautores iuueniantur, & confluant adiutores, quia manifeſtam turpitudinem pauci ad modum complectuntur.

Sola religio rarò cauſa bellorum.

Inuitabat ad hoc facinus tam nefarium familiare & domeſticum apud Gallos exemplum eorum,qui humiles ac pauperes Lūgdunenſes vocabantur,aut qui dicebantur Albii principe ac fautore Raimondo Toloſatum comite (non enim recens eſt hic Gallorum error) qui per ampliorem viueudi licētiam introductam apud Gallos,ſuperſtitionis & impietatis autæres extitiſſent,immanemque crudelitatem quam in aduerſarios exercuiſſent, vulgi ſtudia, & populorum Gallicorum ſibi animos per fraudes conciliarunt. Neque profuerunt ſanę pontificium decreta aduerſus illos populos,neque principum indignatio, vel clades non ſemel illatæ cum eius antiquæ hæreſeos peſtifera & cōtagioſa ſemina in manus tradita ad poſteros tanquam noxia & calamitoſa bonis frugibus gramina in multos ceſpites pullularint,neque vlla tanta eſſe potuit ſuccedentium regum induſtria,quæ illam plantam radicitus ex animis hominum conuellere potuerit;quamuis vel vniuerſæ vrbes aliquando fuerint euerſæ & ſinus ſe ac ſolo æquatæ. Dicti ſunt Vgonotti communi nomine omnes, qui in ſentinam hæreſium poſtea ſe coniecerunt variis erroribus contaminati,cum in Turonibus locus quidam Vgonis porta diceretur,in quem frequentiores conueniebant Albiorum & pauperum Lugdunēſium aſſeclæ, quo in loco fiebant conuenticula,& conciones ad nouam religionem deficientium. inde omnes heretica prauitate notati vocati ſunt Vgonotti in illis regionibus.

Vgonottorũ origo & nomen.

Illo conſilio ita inito ac ſtabilito,diſceditur è comitiis. Horum procerum iuſſu priuati homines accepta pecunia palatia perampla conducunt. Inuitantur clam magnis largitionibus Vgonotti concionatores. frequētes conciones fiūt in ipſis palatiis. Inuitantur ad liberius vita genus clam permulti Galli cuiuſuis ætatis & conditionis. Paulatim ſuccreſcit hęreticorum numerus multis quotidie ſe addentibus. Horum vbi palatia iam capacia non eſſent ob multitudinem,exitur in pratū agri Lutetię non procul ab vrbe,quod clerum vocatur. Interfuiſſe dicitur per uoctem occulto his omnibus quę agebātur Amiras & Andelottus,& Cantabrorum Rex, vt horum procerum autoritate ſuffultum ſe vulgus putaret,nō cōtemnendęque autoritatis habere defenſores. nam ignobilis multitudo partim quod hoſce principes ha-

pes haberet nobiliſſimos ac potentiſſimos fautores, partim quod numerus hæreticorum & nouæ religionis ſtudioſorum non contemnendus confluxiſſe videretur, extollitur paulatim ad ſpem nouarum, maximarumque rerum. templa itaque, ſacerdotes, ritus, auitas ſacrorum ceremonias contemnit, omnes catholicos ritus ludibrio habet. Pontificem, purpuratos patres, ſacros antiſtites omnes maledictis laceſſit. Plurimum lætatur quod nobiliſſimas præfecturas Gallicæ militiæ habentes eſſent nouæ religionis patroni, tormentario negotio nimirum, & vniuerſo Gallico peditatui præfecti, præter alios inſignes duces, qui his rebus intereſſent. Vbi res eò excreuiſſet, vt propter multitudinem non videretur magnopere eſſe formidandum, iubentur palam, ac non non iam amplius occultò ac timidè conſidere in Clero non procul à Sequana flumine, quibus populis in herba conſidentibus ſtantes concionatores verba faciebant. Conuenerunt breui circiter quadraginta hominum millia ad nouam religionem, à quibus Andelottus ſummus eius conuentus imperator fuit ſalutatus, & cum magna lætitiæ ſignificatione exceptus. Sed enim cum hæretici iam præſenti ſtatu contenti non eſſent, viderenturq; ad res nouas iam aſpirare, quod non poterat fieri ſine magna Galliæ ruina, paulatim increbruit vulgi ſermo templa catholicorum videri concremanda, ſacerdotes è Gallia prouincia exterminandos, omnes qui auſi eſſent, aduerſari tam potēti factioni, aut ex vniuerſis vrbibus Gallicis eſſe eiiciendos, aut crudeliter necandes. Hi tam perículoſi Gallicæ tranquillitati & libertati rumores iam latius diſſipati minime occultari potuerunt, ſed omnia repleuerunt ingenti trepidatione, quæ cum ad Henricum Regem delata fuiſſent ſerius, quàm oportebat, eius animū non mediocriter turbarunt metu imminentium Gallico regno periculorum. iubet promulgari edictū regio nomine nequis in Clerum accedat. accedētibus proponit capitale ſupplicium, & bonorum preterea fiſco addictionem. eius edictum habetur ludibrio ab iis, qui factionis potentiam ſibi propoſuerant. vt locus non minus frequentaretur, habitus eſt delectus horum armatorum. collocantur armati in inſidiis aduerſus vel magiſtratus, vel quicunque concionatoribus aut cætui vim inferre para uiſſent; neque prætermiſſum eſt quidquam, quod ſpectaret ad mutuam defenſionem. Hēricus tantum rerum nouarum in ſuo regno excitari aduerſus ſuam ſententiam minime ferendum ratus, quæ in regni ipſius pernitiem, deuaſtationemq; inſurgerent, iubet Andelottum vnum è principibus eius factionis ad ſe acciri. Accitum reprehendit vt tantarum rerum, tamq; illi regno pernitioſarum autorem, niſi ab incæptis deſiſtat. Sed cum videretur Andelottus non modo non acquieſcere mandatis regijs, verum etiam grauiter ferre regios monitus, inde digreſſus iubetur in carcerē conii-ci. Amiras & Rex Cantabrorum, ne incurrerent in aliquod infortunium, rem pro viribus diſſimulantes rebus ad defenſionem neceſſarijs clam inſtruuntur; cum homines eius factionis tractandis armis apti ſeſe ad tutandos defendendosq; miniſtros accingerent. Henricus intelligens quanti eſſet negotium, ne tantum tumultum, quantus neceſſario inſurgere apparebat, Lutetiæ excitaret, ſi tot potentium clariſſimarumque familiarum vno tempore animos offendiſſet; cum periculoſum etiā appareret ne arma palam ad defenſionem ſuſciperent, animum adiecit ad principes eius factionis diſtrahendos. Cum ſit itaque conſuetudo Gallorum vt diſcedentem regem vniuerſa nobilitas conſectetur, aut certè ad ſuos principatus accedant, Rex Henricus diſcedit Lutetia. principes egreſſum Regē neceſſario ſequuntur, quo tēpore Rex Cantabrorū animū Henrici mitigare conatus iam plurimū aduerſus nouas hæreſes inflāmatū vix obtinuit ne Andelottus extremo ſupplicio afficeretur. Paulopoſt Amiras in eam partem Belgarum, quam Morinos ſiue Picardiam vocant, Cantabrorum Rex in ſuum principatum Aquitaniæ ſiue Guiennæ diſcedit. Vulgus tamen ad omnem petulantiā ac temeritatem propenſum hæreticas conciones non intermittere. inſtitutas & ſuſceptas hæreſes clam fouere. regia edicta contemnere. acceptis nominibus per noctem, quando per diem tuto nō auderent, ſe mutuo ad conciones inuitare. ſunt enim nomina notæ quędam, & indicia, & tanquam teſſerę, quæ dantur in caſtris vigilibus ad dignoſcendos amicos ab hoſtibus, quibus carentes tanquā hoſtes impune poſſunt interfici à cuſtodibus. Ceterum Henricus hanc peſtem è ſuo regno antequam latius ſerperet euellendam atque extinguendam ratus, callidum conſilium & prudentiæ plenum excogitat. Simulat ſuſpicionem belli. iubet Italos Galloſque equites Lutetiam conuenire. Imperat ſtationem in vrbe habere ad tempus vſque exeundi ad bellum. Iubet clam doceri equites quod ſit regium conſilium. Conquiruntur nomina & cognomina principum factionis, & eorum qui profiterentur armis & autoritate nouam religionem defendere. his per varias artes extra vrbē ad ſupplicia diſtractis & allectis, mox omne ſtudium conuerſum eſt ad minuendum numerum ſeditioſorum: quorum cum pleriq; eſſent artifices, iuſſi Galli equites magni lucri ſpe oblata ad varios vſus ſuarum ædium vel extruendarum, vel reficiendarum, vel pingendarum eos inuitant. Multi ad oppidum Melonem conuocantur, quod ſitum eſt ſecundum ripas fluminis, atque omnes hi extremis ſuppliciis ſunt affecti. eſt autem Melo nunc vocatum Melodunum oppidum in inſula Sequanę fluminis poſitum Sennonum regionis, quod non procul diſtat a Pariſiis. Ita per varias artes ſubtractis principibus factionis Vgonotticæ, diminutoq; numero fęderatorum, palam animaduerſum eſt ad cęteros acerbitate ſuppliciorum deterrendos, in reliquos, qui inuenti ſunt in vrbe. Multi nudi tabulatisq; ratium affixi ſuper longis lintribus ſecundo flumine Sequana conuehebantur eodem ad ſupplicia, quare pleriq; diffugere. acerbitatem ſuppliciorum expaueſcere. Concionatores ſolum vertere. omnia hereticorum inſtituta conticeſcere. Iſtud autem ſcitè factitatum eſt ab Henrico in rebus tantis, ac tam turbulentis, tamque periculoſis. nam niſi ſeditiones motuum ciuilium, principeſque factionis aliquo artificio potius, quam armis de medio ſuſtuliſſet, paulatimque ſemina ſurgentium tumultuum reſtinxiſſet, ac omnia vno tempore labefactare conatus eſſet, non minus in ſeipſum atque in ſubditos populos regiæ maieſtati, quam in aduerſarios vniuerſam vim

Andelottus captus.

Callidum cõſilium Henrici Regis.

Melodunum opp.

Vgonotti repreſsi ab Hẽrico Rege.

bellorum

bellorum,periculorumque magnitudinem conuertiſſet. Quis enim neſciat quòd vbi iocinoris vitio atque inflammatione puſtulę in vniuerſum corpus,aut in aliquam eius partem intumuerint, inutilia futura ſunt medicamenta quæ ipſis puſtulis adhibeatur;niſi iecur ipſum per pharmaca ad aptum temperamentum prius perducatur? Sic in ciuilibus ſeditionibus principes vel placandi, vel de medio tollendi ſunt,ſi ſint temerarij ac pertinaces ſeditionum,cum poſt proſtratam illorum autoritatem omnia turbulenta facile ſedentur. Andelottus,vt diximus, per Amirantis preces atque conſilium his conditionibus ab Henrico libertati reſtituitur. ne cętum vllum colligeret, aut faceret conuenticula. ne concionibus vllis hæreticis intereſſet,ne foueret illam factionem ſua præſentia, ne hæretica dogmata contra Romanam fidem,aut dogmata diuerſa à Pontifice Romano protegeret. Ipſi tamen conceſſa eſt facultas vt quam mallet vitæ rationem ſequeretur. At Cantabrorũ Rex pro inſtituto ſuſceptoque munere permittit in ſuo principatu hæreſiarchas cõcionari, ad quas conciones conueniebant multi ſubditi & nobiles viri & opibus ac nobilitate primarij ciues totius Galliæ comatæ,partim nouitate rerum allecti,partim odio Ghiſiorum,quibus paterent Vãdomiorum conſilia. Ghiſij ita paulatim Vandomiorum potentiam in ſe ali ſentientes per ſimulationem nouę religionis Regem cohortantur ad caſtigationem tanti ſceleris,quod contra Regiam maieſtatem,contra quietem ac tranquillitatem totius Galliæ,contra catholicam fidem,contra verum,legitimum,pium,auitum cultum Gallicarum gentium,committeretur. adhortantur ad delendam,aut certè minuendam Vandomiorum potentiam,ne in caput ipſius Regis,& in Gallicorum populorũ ruinas aleretur. Docent non eſſe ferendam tantam ſubditorum principum regiæ poteſtati autoritatem,quæ poſſit propè ipſis regibus adæquari,cum nulla maieſtas imperii ſocios æquo animo patiatur. Futurum,niſi conſulatur maturè Gallicæ tranquillitati,vt breui cum ipſis Vandomiis de ipſo vniuerſæ Galliæ regno dimicetur,qui non ſolum Gallicis auxilijs,ſed etiam exterarum gentium copiis & pecunia adiuti ad regnum ipſum palam audebunt aſpirare. Conſueuiſſe plerunque cum potentia,& opum magnitudine ſuccreſcere ambitionem & appetentiam alienarum rerum & libidinem dominandi. Facilius eſſe creſcentem in ipſis propè incunabulis quamlibet potentiam opprimere,quàm vbi corroborata ſtabilitaque ſit beneficio temporis euertere:quippe cũ omnium malorum mitiora,minuſque periculoſa ſint initia,quàm progreſſus, qui poſtea tanquam validiſſimi fluuij non validis obiicibus refrænantur. Henricus tametſi hæc recto conſilio dici intelligebat, itaque facere decreuerat,tamen conſilio & precibus coneſtablii aliquantulum frænabatur, cuius tres nepotes,purpuratus antiſtes Sciatilioneus, & Amiras & Andelottus his erroribus eſſent implicati. Nam coneſtablius ipſe profitebatur ſe his omnibus maturè conſulturum. non eſſe Chriſtianæ charitatis aiebat,vt ſtatim,atque quis errauiſſet,in eum atrociter animaduerteretur, cũ præſertim agatur non de re leui,ſed de facultatibus in hoc negotio,de gloria,de vita ampliſſimarum & nobiliſſimarum familiarum totius Galliæ. tentandos eſſe paulatim animos eorum principum, vt placidè ac ſenſim ad verum diuinum cultum,& ad regiam obſeruantiam reuocentur.callidè docet non eſſe chriſtianæ integritatis collapſos fratres atque aberrantes a via diuini cultus trucidare, ſed potius fraternè & amicè corrigere,admonere,docere, ſolos pertinaces & obſtinatos affici oportere extremis ſuppliciis. Præſtare vt fratres ſanitati,reſtituantur, quàm vt pereant. imitandam eſſe Chriſti clementiam,cuius nos ęmulos profitemur,hic enim non continuò plectit ſontes, ſed patitur vt corrigantur & viuant. Poſſe eſſe omnibus chriſtianis optimum exemplum diuum Paulum,qui cũ atrociſſimè perſequeretur chriſtianos homines,tamen ab iniquitate reuocatus in amicitiam Dei cum maxima poſteritatis vtilitate fuit acceptus. Hiſce rationibus refrenata eſt aliquantulum Hẽrici Regis indignatio,atque Amiras & coneſtablius & reliqui proceres humaniora verba a Rege reportarunt. Coneſtablius inde digreſſus ne videretur Regi verba dediſſe,atque vt appareret nouam religionem pro viribus extirpare,non ita multo poſt in homines quoſdam humilioris fortunæ animaduertit,quos ſuſpendio necari iubet. Sed enim quia potentiæ atq; honorum ſitis omnem Dei cultum negligit,omnemque legum & æquitatis reuerentiam conculcat,coneſtablius clam fouet principes huiuſce factionis ad frænandam Ghiſiorum potentiam,neque tamen placatum prorſus eſſe regem cupit ad ſuam autoritatem obtinendam. Ne videretur igitur harum aut illarum partiũ principes fouere,ac ne hos aut illos euerteret,proponit Regi ſalubre & non aſpernãdum conſilium,hortaturq; vt tria oppidula in Cantabrorum principatu excitanda curet,ad refrænandam illorum populorum temeritatem. Henricus,cui conabantur Ghiſij perſuadere cõeſtablium his factionibus eſſe implicatum, tam probabili ſalubrique conſilio audito omnem prorſus abiicit ſuſpicionem. Decernit igitur ita facere. Peritos architectos requirit. Ghiſii Meliorinum, coneſtablius Iulium Caſtriottum proponit. Henricus rex ne his quàm illis magis propenſus videretur, ambos reiicit. ipſe Vincentium Locadellum Cremonenſem virum & cognitione rei bellicæ clarum, & munitionum egregiè peritum acciri iubet,qui tunc etiam præerat excitandis,inſtaurandisq; munitionibus in finibus Vermanduorum. is ad regem accerſitus iubetur Burdigalam,aquas Auguſtas,portumq; Santonũ explorare ad munitiones excitandas. Conſcriptæ ſunt etiam regiæ literæ ad omnes vrbium pręfectos,qui iubentur omne auxiliorum genus liberaliter impartiri. His locis diligenter exploratis facit certiorem regem,atque cum aptis apparatibus ad opus remittitur. Primum oppidulum excitari cœptum eſt in portu Santonico,quoniam ille populus magis turbulentus appareret, ac minus regiis mandatis obtemperans. iubetur vrbis præfectus omni auxiliorum genere Locadellum protegere dum demoliretur ædificia,quæ poſſent arcem in opportuno loco impedire,cum multa ad vrbis ſecuritatem eſſent deſtruenda,vt area capax oppiduli efficeretur. Ille confeſtim templa, priuataſque domos aream impedientes demolitur,ac funditus euertit,primum ad plateam oppiduli parandam.

Conditiones iniunctæ Andelotto ob ſalutem.

Ghiſiorũ cõſiliũ prudẽs.

Coneſtablij aſtutia& oratio callida.

VincẽtiusLocadellus architectus egregius.

randam. Sollicitabatur Locadellus partim precibus, partim minis, partim etiam inuitabatur largitionibus ad rem prorogandam, vt dicebatur, dum conueheretur reliqua neceſſaria materia murorum, at reipſa, dum literæ ac nuntij remitterentur ad opus impediendum, cum lamentationes, & querelæ frequentes ad regem Cantabrorum deferrentur. Cantaber Locadellum per literas accerſit. cunctanti minatur ſi ſibi principi illius regionis regia mandata prius non deferantur. inſtitutū opus neceſſariò intermittitur dum redeat Locadellus, qui non ignarus comitiorum habitorū Lutetiæ, cum neque in hoc, neque in illud periculum vellet incurrere ob Gallicas ſeditiones, occultaque odia factis certioribus per literas Henrico & coneſtablio citatis equis ad Cantabrum regē conuolat. Nunc vi, nunc omni humanitatis genere diſtinetur, quia videbatur omnis ſpes deſerendi oppiduli in mora & diſtrahendo negotio eſſe repoſita. Veruntamen poſt multas altercationes cum maxima indignatione ciuium iaciuntur profunda oppiduli fundamenta per multam ſcatentium aquarum difficultatem. Hęc agebantur per id tempus, quo erant in quinquennium factæ induciæ cum Philippo Hiſpaniarum Rege, atque fractæ poſtmodo fuerant hæ ipſę induciæ. Idcirco effectum eſt vt Henricus vereretur ne præda relictus eſſet Vandomiæ factioni, ſi illam atrocius irritaſſet, grauiſſimè ferentem excitati illam munitionem, cum magna pars Gallicæ nobilitatis eſſet implicata bellis Italicis, ad quæ acceſſerant præcipuè duces complures cum Ghiſio ſummo duce eius expeditionis. iubet igitur oppidulum portus Santonum imperfectum relinqui. Sed quoniam inclinatam ac propè cadentem fortunam omnia aduerſa vrgent & impellunt, niſi prudentia ſuccurratur, quę vna plurimum vel impedit vel tardat aduerſæ & infeſtæ fortunæ curſum, acceſſit ad cæteras Gallorum calamitates, quas per infelicem pugnam paſſi erant, vt Nicolaus Polleuillius regulus iuſſu ducis Sabaudienſis factis permultis incurſionibus in agrum Biturigum cum decem millibus peditum ac mille equitibus cuncta ferro ignique populabundus abſumeret. idem auſus eſt Auaricum metropolim eius regionis obſidere, acriter infeſtare, ſollicitare ad deditionem. eſt autem Auaricum vrbs in finibus Biturigum opulēta & ampla, non procul à Ligeri fluuio poſita, qui in finibus Boiorum è proximis montibus ortus per Turonum fines & Pictonum decurrit in ſinum Aquitanicum. regio Biturigum, in qua ſitum eſt Auaricum, fertiliſſima eſt omnium propè rerum neceſſariarum, atque vrbs ipſa multis nobilibus ædificijs inſignis. Hanc vrbem infeſtanti Polleuillio nuntius affertur Gallum collectis magnis copijs huc properè aduentare. Ille fortunam belli minime experiendam eſſe ratus cum tam paruis copiis, eas in tutum recipit. Nam auctæ fuerant Gallicæ octo Heluetiorum millibus, totidem Germanorum, quatuor veteranorum Gallorum peditum, multiſque Italis cohortibus, & tribus millibus equitum cum triginta muralibus tormentis. Ghiſio ex Italia illuc profecto defertur ſummum imperium rei bellicæ, & primus locus in caſtris poſt ipſum Hēricum. Quæ copiæ cum non aſperuandæ viderentur Henrico, decernitur in militari concilio vt Hiſpanus hoſtis per vim armorum eijciatur ex ijs locis, quæ anno ſuperiore fuerant occupata. Illud facile cōtigiſſet, niſi adhuc vires Gallorum aliquantulum fuiſſent diſtractæ Polleuillio ex agro Biturigum expellendo. nam ea res accommodatum & idoneum tempus conceſſit Hiſpano hoſti ad oppida Veromandum, Hannum, Chiatelletum munienda ad protegendoſq; fines Belgarum; etenim tempus fecit eam expeditionem difficiliorem multo ac incertiorem. His acceſſit moleſta aeris inclementia, cum acerrimè hyemaret, & annonæ penuria, reiq; frumentariæ, cum vniuerſa regio finitima populationibus & incendijs fuiſſet deuaſtata. His tot incommodis coactus eſt Henricus conſtitutum & ſtabilitum negotium differre in tempus magis idoneum. Veruntamen ne collectę iam copiæ interim otio & deſidia, grauiſſimis peſtibus omnis humanæ vitæ, labefactarentur, quibus nihil magis eneruat rem militarem, decernitur omnino aliquid tantis viribus dignum eſſe aggrediēdum. Quoniam igitur iam inſignes copiæ vndique accitæ confluxerant ex Italia, Heluetiis, vniuerſa Gallia comata in Vermanduorum regionem, & reliquiæ præterea exercitus ſuperioris anni, Hēricus ſecum in animo cogitabat qua ratione acceptam notam ſuperioris calamitatis honorificè deleret, obliteraret, reſarciretq; damna accepta. Petrus Strozza proponit Iccij portus, ea eſt vrbs Britannorum Cales vocata, expugnationem, quæ etiam in regio conſilio militari clam fuit inſtituta. atque quamuis eodem conſilio Strozza & Locadellus induciarum tempore formulam vrbis & Risbani ſiue Icię arcis calamo expreſſiſſent, quę explorauerant ad expugnationem, tamen denuo accedunt clam explorantes an tormenta bellica propter arenoſam loci naturam commodè attrahi poſſent, quod factum eſt ſub finem anni. Vbi viſa eſſent tormenta poſſe attrahi, iuſſæ ſunt copiæ illuc iter facere comitantibus Ghiſium ſummum copiarum ducem Thermeo, Vmalio, Andelotto, Memorantio, Neomagenſi, Annuillio, arcis Surioniæ proceribus, atque aliis inſignioribus permultis. Iſtud autem fiebat initio menſis Ianuari, qui annus fuit octauus ſupra mille quingentos & quinquaginta ſalutis noſtræ. Hi proceres ſtimulo glorię impulſi, quæ omni ſtimulo acrius vrget in omnes difficultates ac magnitudinem periculorum, ſuperatis & neglectis duriſſimis & acerrimis anni atque hyemis frigoribus ad Ceſoniacum nauale metantur caſtra, ſiue vbi fuit Icium. eſt autē portus in maris oceani litore ſitus Icium ab antiquis vocatum, vbi mare Arctoum Germanicū nominari incipit, ſicut Britannicum quod vergit ad meridiem. Vrbs verò ipſa Iccius portus ambitum habet non valde amplum, quippe, qui non excedat duo millia paſſuum. figura vrbis eſt quatuor laterum, cuius duo latera circiter ſeptingentos habent paſſus, at reliqua trecentos. poſita eſt in loco traiectionibus in Britanniam faciendis peraccommodato, ac ferè è regione Douræ oppidi Britannici. Diſtat parum à Grauelinga tria millia paſſuum nimirum, cui finitimi ſunt populi Caletes ſiue Caleſij & Morini & Neruij vocati. Vrbs certè ipſa diœceſeos Normaniæ portum habet ſatis amplū ad excipienda nauigia, cui arx iminet Risbanum vocatum firmiſſimis aggeribus & foſſis aqua marina

Nicolai Polleuillij virtus

Iccius portus ſiue Cales

1558

Iciū portus & oppo.

Iccij portus deſcriptio.

Risbanū arx.

rina plenis munita. latera parum habet firma, quæ poſſint uerberationibus reſiſtere, que urbs plurimi referre ad rem bellicam uiſa eſt, quia nullus facilior, breuior, aut expeditior eſt traiectus in Britanniam, quam urbem Odoardus Tertius eius nominis Britanniæ Rex anno ſalutis noſtræ ſeptimo poſt mille trecentos & quadraginta profligato ingenti prælio Philippo ſexto Gallorum rege Britanniæ imperio adiecit. Procedentibus itaque Gallicis copijs. præſidia cuiuſdam munitionis, quam Britanni in pago quodam excitauerant, quà ibatur Neunambrigam, uiſo confertiſſimo globo Gallicorum ſclopettariorum accedendente turpiter munitionem deſerunt, ſibique fuga ſalutem comparare nituntur. Galli contra tanta alacritate fugientes Britannos inſequuntur, ut uel ad pontem Neunambrigæ fugarint, quamuis Britanni multorum equitum, paludumque uicinarum beneficio undique poſſent protegi: Sed enim ad portas uſque pontis Neunambrigę Galli cum Britannis miſtim profecti uirtute preſentium præſidiorum repelluntur. eſt autem Neunambriga nobiliſſima munitio à Britannis erecta & credita, quod per ocultas quaſdam aquarum uias ſubterraneas aqua marina tranſmittatur ad Caletum populorū uel Caleſiorum ad Ceſoniacū naualealluendū per maris ipſius incrementum, cum per clandeſtinos aquæductus exudante mari in ſubiectam planitiem inſtar lacus cuiuſdam aqua in foſſas camposque urbis circunfundatur undequaque. ex altera parte Ghiſius, ex altera Thermeus hanc munitionem ad expugnationem in diem craſtinum explorant non ſine multo tormentorum bellicorum ſtrepitu, quæ multa in utrumque diſploduntur. Rurſus autem per noctis obſcuritatem Ghiſius & Strozza & Vmalius & Thermeus, aliique non nulli inſigniores duces portum & aggeres & arcem Icii explorant, quę arx defendit eam partem urbis, quam proſpicit illa exploratio tam commoda accidit, tamque facile urbi propinquant, nulla ut oblata difficultate omnia pro ſententia inueſtigarint. Cæterum Ghiſius obſeruata decreſcentis aquæ marinæ oportunitate hortatur Rindanium Allegriumque proceres ut fauces portus, per quas ille adiri poterat, obturent, quare per ſummam celeritatem perfecta decernitur ut portus & Neunambrigę munitiones uno tempore inuadantur. Directa ſunt utrobique per noctem bellica tormenta inter corbes gleba repletos & aggeres excitatos protecta. ubi primum illuxit, cum incredibili fragore & ſtrepitu omnia concutiuntur. at Neunambrigę pręſidia quamuis multos globorum ferreorū ictus expectaſſent, tamē crebritate & ui tormētorū diligentiaq; hoſtis derrita deſerta munitione ſeſe fuga in urbē Iccium portū recipiunt. Nec ita multo poſt Risbani quoq; præſidia ſeruantia idem inſtitutum conſternatis & attonitis propè animis ob incredibilem impetum, inexpectatamque diligētiam Gallorū hoſtium, cum præſertim multa Gallica nauigia acceſſiſſent è Normania, cum inuaderetur per noctem oppidulum ſenſim in ſe urbem omnia recipiūt. Nam ſanè quantum animi & audaciæ ac uirium ſuccreſcit uictoribus ob felices rerum ſucceſſus, & res proſperè, glorioſeque geſtas, tantum audaciæ uel etiam magis plerumque uictis adimitur; cum fortunæ proſperi euentus primi ſint, at reliqui tribuantur imperatorum ſapientiæ & uirtuti ac iudicio, ſiquis opportunitate à fortuna conceſſa recte uti ſciuerit. Ghiſius capto Risbano oppidulo multis bellicis tormentis, multiſque bellicis apparatibus potitus ſuas uires auxit, hoſtium depreſſit. ut autem omnis ſpes ſubſidiorum urbanis præſidiis adimeretur, adiuncto ſibi Vmalio regulo caſtra deligit ad Giſnenſem fluuium, quò iubet uiginti & ſex cohortes Gallici peditatus, et Germanos Ringrauii, & multos alios manipulos cum Surrioneo ac Tauaneſio tribunis caſtra transferre. Ex altera parte urbis, quę in medio relinquebatur, Ghiſius ipſe cum ſuis copiis ad aggeres portus caſtrametatur. In illam partem urbis, quę portam & aquam proſpicit, ſex cannones dirigit, & tres colubrinas. Quindecim cannones præterea inſtruit ad diſrumpendam portam cum reparationibus, aliiſque quibuſdam turribus, quę milites longius arcebant. Vbi ita per primum & alterum diem cum maximo impetu magna pars muri eſſet proſtrata, mareque ueſperi decreuiſſet, iubet Andelottum præfectum Gallico peditatui cum mille & ducentis ſclopetariis, multiſque loricatis, & cōferto nobilium manipulo ripas propinquę foſſę occupare, foſſam ad portum uſque ducere, reparationes erigere, ut ad foſſas uſque portus demoliendas accederetur. Illis enim diſruptis atque deciſis aquam abduci poſſe ſperabat, atque ibi caſtra poni. his tamen uiſis non ſufficere ad oppidi expugnationem, apparuit fore utilius ſi propius accederetur. iubet itaque tormenta propius trahi, quæ magis propinquare opidulo poterant, quàm urbi. atque, per eam noctem, quæ poſtea ſecuta eſt imperat ſex muralia tormenta in illud dirigi, deinde alia triginta his adiungit captiua, quæ ad diuerberandos ſuos dominos conuertuntur. Id uerò fit tanto ſtrepitu, tantaque diligentia ut magna parte muri deiecta & inſtrata decretum ſit poſtridie eius diei, ubi primum illuxiſset, urbem uideri inuadendam aquis decreſcentibus. ne tamen tempus interim inutiliter tranſigerētur, quia ſpatium quoddam muri apparebat non nihil poſse conatum & acceſsum militum retardare, tormenta eò directa conuerſaque ſunt. Iubetur Agramontius regulus centum expeditos ſclopottarios paratos habere ad exploranda Britannorum conſilia ubi aquæ decreſcerent. Ghiſius ipſe, quoniam Strozza deduxerat centum ſclopettarios ac totidem operas per noctem ad occupandas quaſdam domos apud portum, unde agger duci poſset ad aggerem usque Andelotti, eò deſcendit. Per illum aggerem tantum commodi Strozza conſequebatur, ut ibi conſiſtens non ſolum locum illū occuparet, ſedetiam eius beneficio potiretur uniuerſo portu, prohiberetque ex urbe offenſuros, aut ingreſsuros in urbem. Illud quanti referret ad uniuerſam rem bellicam intuiti Britanni omni conatu hoſtem repellere nituntur, quare crebris ſclopettorum, & minorum tormentorum ictibus circiter triginta è Strozzeanis dilaniatis aut transfixis cogunt ex eo loco recedere. At Ghiſius preſentem opportunitatem non amittendam ratus duces non nullos mittit ad explorandam uer-

Neunambriga munitio.

Neunambriga turpiter relicta.

Risbanum turpiter relicta.

berationem. Iuſſi ſunt centum ſclopettarii ac totidem loricati Agramontii procedere cum ducē-tis peditibus Piennij reguli,quas cohortes Ghiſius ipſe poſtmodo vadantes per aquam pube tenus conſecutus eſt cum ſuis copiis inſtructis ad ruinas vſque murorum. miſſus eſt Vmalius,& Memorantius,& alii inſignes proceres,qui conarentur cum ſuis copijs per vim irrumpere,atque armis victoriam comparare. Illi gloriæ ſtimulo compulſi tanta fortitudine & alacritate iſtud faciunt, vt obuios quoſque Britannos trucidarint,repulerint,fugarint,ruinis potiti ſint, reliquis in vrbem incluſis. Hi cum oppidum per inertiam defenſorum ac præter ſpem occupaſſent,iubentur in oppido caſtrametari,neq; ſolū vt illud firmiſſimis præſidijs teneretur,quod propè ſe cepiſſe videbantur ſomniare,ſed etiam vt defenderetur pons,per quem erat aditus in vrbem. Vt autem præſidia ibi eſſent æquiore animo,Ghiſius duos ſuos fratres & magnam partem nobilitatis Gallicæ ibidem ſtationē habere imperat,atq; ſuccreſcentibus aquis marinis ipſe in caſtra ſe recipit. Cæterum Britāni de more ſtultorum,cognito errore poſt factum,quòd oppidulum tam turpiter & damnoſe reliquiſſent, per quod omnis facultas ſubſidiorum prorſus adempta eſſet, decernunt omnia pericula, omneſq; difficultates eſſe ſubeundas dum illud recuperetur. Conferto igitur agmine armatorum magno facto impetu in apertam portam oppiduli prorumpunt. Sed Gallos mirificè paratos inueniunt ad eos impetus ſuſtinendos. tam atrox,tam diuturnum tam pertinaxque prælium vtrinque committitur,vt cum diu pugnatum ſit,multi ceciderint. Victoria tamen,quamuis cruenta,fuit apud Gallos qui ſingulari virtute eos ad portam vſque repellentes inſecuti ſunt. Sed enim cum auidius proceſſiſſent inſequentes Galli,multiq; vrbanis tormentis laniati fuiſſent, quæ ad portam directa eo conſilio fuerant,inſtauratum eſt prælium. Britanni cum acriter pugnarent, tamen circiter ducentis ſuorum amiſſis denuo Gallica virtute fundūtur;quamobrem abiecta prorſus omni ſpe recuperandi oppiduli rurſus in vrbem includuntur. Galli ne ſæpius cogerentur de ipſo oppidulo dimicare, portas claudunt. tormenta in inuaſuros dirigunt. omnem ſpem recuperandi adimunt. Britāni deiecti de ſpe recuperandi oppiduli,atq; omnibus auxilijs eodem tempore,quæ aliunde accedere non poterant,cæperunt petere colloquium,in quo ageretur cum Ghiſio de deditione. Poſt multas vtrinque propoſitas difficultates fit deditio certis cōditionibus,quarum ſumma fuit;nemini cuiuſuis ætatis, ordinis,dignitatis,vt fiat iniuria. Vt liber diſceſſus,liberaq; abeundi facultas omnibus pateret, ſiue vellent in Britanniam ſiue in Belgium proficiſci. Vt captis à Ghiſio quinquaginta militibus, quos mallet,ceteris libera omnia relinquantur. Vt omnia bellica tormenta,omneſque bellici apparatus, atque omnia denique prorſus ſpectantia ad rem bellicam vna cum commeatu relinquantur Ghiſij arbitrio,neque quidpiam deſtruatur aut occultetur. Vt omnia vrbana relinquantur in eodem, quo ſunt, ſtatu; nulla re prorſus tranſlata aut mutata. vt omnis vrbana pecunia, & merces, & res precioſæ committantur Ghiſij arbitrio, Sic hiſce conditionibus aſſentiente Milordo Vuentfurnio vrbis præfecto Ghiſius cum omnibus copiis Ceſoniacum nauale ingreditur,atque magnam partem populi Caleſienſis eiicit,cum reliquos omnes poſtridie excedere iuſſiſſet. Inuenta ſunt multa bellica tormenta, quæ in his expugnationibus trecenta fermè fuerunt, & multi bellici apparatus. reliqua ſunt arbitrio militum commiſſa. Henricus interea quia variis diuturniſque ſumptibus bellorum affligaretur exinanito iam ærario, cum circiter triginta peditum, ſeptem equitum millia haberet in caſtris, comitia quatuor conditionum hominum incidit. vbi conueniſſent frequentes, ipſe ad ſextum idus Ianuarij in palatium accedit, quem comitantur primogenitus card. Dux Lotaringiæ, Vandomius, Auguſtonometenſis, aliique inſignes duces & antiſtites, & proceres. Vbi in amplam aulam ventum eſt, rex in ſublimi throno cum regio apparatu conſedit, cæteris in inferioribus ſubſellijs ſedentibus in theatri formam,aſtabat primogenitus ad regium ſolium. tum regius ſcriba Henrici, & Andienſis fratris adſtantis nomine, explicat difficultates & incommoda, & ſumptus, quos Rex tamdiu paſſus eſt per bella a Cæſare patre, & Philippo Hiſpaniarum Rege filio varijs, & continuatis temporibus Galliæ illata. Quippe cum Franciſcus Gallorum Rex per vniuerſum ferè ætatis ſuæ decurſum coactus ſe defendere non modo vacuum & exhauſtum ærarium reliquerit, ſed etiam non parum æris alieni perſoluendi,inde Henricus poſtea ſi regno accepto tot controuerſiarum pleno coactus ſit multa millia hominum alere, modo in Belgio, modo in Hetruria, modo in ſubalpina Gallia ad ſuam defenſionem, modo aduerſus Cæſarem, modo aduerſus Pontificem, modo aduerſus Philippum Regem, modo aduerſus Britannos aut Germanos, quid mirum eſt ſi nouis ſubſidijs indigeat? Nam nulla ratione fieri poteſt vt principes homines & Reges facultates, prædia, lares, templa, iura, liberos, vxores, vitam ſubditorum populorum propria pecunia, quę certè nulla eſt, defendant, niſi ſumptus in res bellicas a ſubditis populis ſuppeditentur. Henricum quidem ęgrè ferre quod moleſtus eſſe cogatur ſuis ſubditis, ſed tamen præſtare aliquam partem facultatum ad cęterarum defenſionem alacriter conferre, quam expectare, vt omnia per inopiam ſtipendiorum in poteſtatem atrociſſimorum hoſtium deueniant. Seſe omnes regios ac ſacros prouentus oppignorauiſſe, antequam ad hanc moleſtiam deueniret: ſed neceſſitatem omnium regum & imperatorum eſſe potentiſſimum Tyrannum,quam nemo poſſit negligere. Sibi pergratum fore ſi non auxilij, ſaltem mutui nomine, quanto maior poſſet pecuniarum numerus concederetur;cum ſeſe omnem conceſſam pecuniam adpromitteret ſoluturū & ſatis grandem prouentum interim daturum è regia pecunia. Sin autem ipſe naturæ ceſſiſſet, iurauit primogenitus, ad quem regnum pertinebat, paterna promiſſa ad vnguem ſeruaturum. His dictis purpuratus card. Lotharingię tanquam princeps ſacrati ordinis, Auguſtonometēſis Dux tāquam princeps nobilitatis,regulus diui Andreæ tanquam princeps ordinis iudicum & conſiliariorum, Mortierius tanquam princeps mercatorum inferiorisque conditionis hominum omnes

Stultorū eſt factum errorem cognoſcere, ſapiētum ante cognitum deuitare.

Iccij portus deditio.

Oratio pro rege Gallorum.

facultates & uitam ipſam pręterea pro patriæ defenſione liberaliſſime promittunt . omnes
iſtud faciunt detractis capitum integumentis ante regem aſtantes. Tum Senſius purpuratus regio
nomine præſentibus omnibus agit gratias, rogatque ne Pariſijs diſcedant, niſi acceptis regijs condi-
tionibus auxiliorum. cum decies centena millia nummum bis eſſent collecta, Henricus potentiſſi-
mum exercitum inſtruere nititur. Colligit quindecim millia Piſtolottorum, ij ſunt equites ſclopet Piſtolotti q
tarij ad morem Germanorum inſtructi, addidit quinque Regimenta Heluetiorum præter duo or- ſint.
dinaria, quæ perpetua ſtipendia merebantur, quo ubi primum ferret anni tempus in Morinorum
fines accederent. Nec ita multo poſt nuntius accedit Riſbani & Neunambrigæ captæ, qui docet ma
gnam eſſe ſpem Ceſoniaci naualis quoque capiendi. Quæ dum aguntur Pariſiis, & Ghiſius inten-
tus eſſet Ceſoniaco nauali expugnando cum pedeſtribus copijs, Gallicus equitatus uniuerſam re-
gionem Oiæ uocatam, munitioneſque in ea regione inuentas ſubigit in Gallorum poteſtatem, præ
ter Giſnam munitiſſimam urbem Morinorum & Hames, quæ per eas uires adijci Gallico imperio
non potuerunt; atque magna copia annonæ ubique eſt inuenta. Ghiſius relictis Icij atque in Ceſo-
niaco nauali firmis præſidijs, omnibusque rebus neceſſarijs ad defenſionem communiens ſigna cō
uellit ad Giſnam oppugnandam. Paulopoſt cum captorum Icii & Ceſoniaci naualis quoq; nuntius
Lutetiam acceſſiſſet, ingens facta eſt ſignificatio lætitiæ cum maxima Ghiſij & Strozzæ collauda-
tione atque gloria, ſed non tamen ſine magna cęterorum procerum Gallicorum inuidia. Neq; ta-
men illa tantum, quæ ſpectabant ad Icium Gallis eo tempore feliciter eueniunt, uerum in Norma-
nia etiam & in mari Celtico, ubi Gallica claſſis maria ipſa percurreret, & ad auertēda ſubſidia, ſi qua
mitterentur Britannis, multa Britannica nauigia cępit cum opulentiſſimis mercimoniis. Ghiſius ad
urbem Giſnam magna celeritate profectus idibus Ianuarii ad foſſas murorum caſtra ponit, iubetq;
eodem die foſſas duci, aggeres excitari, uallosq; erigi ad hoſtem arcendum. eſt autem Giſna urbs na Giſnæ de
tura & arte munitiſſima, quippe quę ſita ſit intra profundas & altiſſimas paludes ad inſulæ formā, ſcriptio.
habeatq; propugnacula præualida, quibus ubique latera protegantur. erecta ſunt nocte poſtera cir-
citer quinquaginta tormenta muralia in propugnaculum, quo porta protegitur, atq; id acerrime
concuti cęptum eſt. deinde quod alteram partem portę, murumq; defendit & ipſum concutitur.
Nulla pars neq; nocturni neq; diurni temporis ad induſtriam uerberandi intermittitur, ſed per tri
duum aſſidue continuatis ictibus tormentorum murus aperitur atq; proſternitur ad ingreſſum, de
fenſionesq; euertūtur. Aperitur frons propugnaculi, non tamen illud totum proſternitur; atq; cū
illud murum ex lapide lateritio haberet craſſum, foſſas non parum repleuit. nam inutile fit aliquan
do ciuitatibus muros habere ualde craſſos, cum nullus tantus eſſe poſſit, qui non ui aſſiduorum tor
mentorum diſrumpatur. enimuero ad quatuor millia globorum tam breui ſpatio ſunt contorta,
cum tormenta ipſa propter ingentem uim hyemis non magnopere incaleſcerent. ruinę illę muro-
rum ſępius exploratæ ſunt ad inuadendum, ſed nimis difficilis aditus apparebat. ueruntamen poſt
crebriores etiam ictus uiſa eſt urbs denique poſſe utiliter inuadi, cum propter ſatis patentes rui-
nas, tum propter ſegnitiem defenſorū iam conceptum de uirtute Gallica timorem quēdam. Sed an
tequam urbs inuaditur, Ghiſius expeditiſſimam lectiſſimamq; cohortem mittit Gallorum ad locū
ruinarum aggeremq; occupandū, unde inuadentes alioquin poterant magnopere infeſtari. ſic enim
acceſsus tutior & paratior apparebat fieri, & facilior occupatio ruinarum. cohors iuſsa non ſine ma
gna difficultate mandatum exequitur. Ghiſius iubet Germanorum phalāgem cum admiſtis Aqui-
tanis procedere ad hos protegendos, ubi explorata fuerat profunditas aquæ foſsarū Andelotti iuſ-
ſu. Nam foſsę urbis amplitudo erat ſeptuaginta pedum, cum circiter ſex pedum eſset profunditas
aquarum. Vbi ſclopettarii ad ulteriorem tamen ripam perueniſsent, iactus eſt pons, ſuper quē acies
inſtructæ urbem magna uirtute inuadunt. tanta ui, tantaq; pertinacia pugnatur, ut Britanni, quam
uis omne genus telorum iecerint, uſiq; ſint miſſilibus ignibus & feruentibus aquis, denique uirtu-
te inuadentium ſint infracti. irrumpunt itaq; Galli quamuis magna accepta clade. mira uirtute pla
tea ſuperior propugnaculi capitur, in qua omnes propè inuenti Britanni trucidātur. pauci intra ur-
bem ſe recipiunt. conſulit Strozza ſuper euerſi propugnaculi ruinis duas plateas lignorum ac ſarcu
lorum ui excitari, alteram pauloinferius diſtantem ab eminentiore parte circiter duos paſsus, alterā
ſuperiorem, quò ſeſe armanti reciperent, ſi repellerentur. Illud uerò commodum fuit Germanis &
Heluetiis copiis, aptioribus ſtationariis pręliis, quare fiebant iis commodiores conatus. Quæ dum
fiunt à Ghiſio, Amiras iam caſtris ad Lentium poſitis oppidum capit, omnia diripit, agrum inter
Naſum ac Lillam oppida populatur. Douanam urbem tentat per proditionem, quamuis irritum
fit conſilium. Heluetii interea tribuni Roccorochii duas alias capiunt munitiones, plateamque in-
feriorem oppidulo propinquam, qua re ita conſternati ſunt, itaque animo demiſſo facti defenſores,
cum nulla ſpes reliqua eſset in ſubſidiis, ut uel nolentem Milortum Greum urbis pręfectum mit-
tere compulerint, qui ageret de deditiōne. nam quis concepto ab uniuerſo populo, in animiſq; mul
torum penitus inſidenti, ſuapte natura infręni timori modum iniecerit? non enim reuocari ad uir-
tutem fortitudinemque potuerunt, quòd reliquum eſset ualidius integrū propugnaculum, quòd
uetus oppidulum undique altiſſima & lata aqua eſset cinctum & ampliſſima foſsa, quòd non ſo-
lùm propterea opus eſset noua diuerberatione, ſed tanta difficultas proponebatur inuadentibus,
ut fortuna belli uideretur fore communis, atq; Gallis incertus bellorum exitus, cū multis neceſsa-
rio eſset pereundū in ipſis conatibus. Sed inclinatam fortunā omnia impellunt, facileq; fit ignauo-
rū & timidorū & deſidū militū oppida expugnare qui ad oſtentationē tantū arma induuntur. actū
eſt & ſtabilitū ut urbs dederetur his conditionibns. Vt Milortus Greus ac cæteri duces fierēt captiui
in more mitioris belli. Vt cæteris omnibus liceret quò uellent liberis exire, relictis uexillis, tormen

 tis

Giſma capta

tis bellicis, & ac reliquis militaribus apparatibus. Exeunt igitur circiter mille pedites partim Britanni, partim Sequani, & nonnullis Hiſpani; quanuis Hiſpani ſentiebant cum popularibus vrbis urbem eſſe defendendam ſi conſtantes defenſores nacti fuiſſent. Enimuero difficillimum eſt munitionum prefectis urbes ſeruare inuitis populis ac militibus iam magna trepidatione conſternatis, per quam occaſionem neceſſariæ deditionis nulli dedecus poteſt iure in Ducem redundare, ſicut turpe eſt & ſtultæ cuiuſdam bellicę temeritatis loca debilia uel rebus neceſſarijs exinanita diutius defendere: cum ſatis ſit prefectis munitionum arces quodamtenus defendere. agendum eſt enim prudenter in omnibus, ut egit Iulius Vitellius epiſcopus à Iulio Secundo Pont. maxi. tuendæ arci Rauennati prefectus, quamuis à Franciſco Guicciardino grauiſſimo alioquin hiſtoriarum ſcriptore parum uere reprenhenditur, ut qui turpiter arcem Gallis dediderit. ille enim capta direptaque urbe Rauenna armis Gallicis poſt M. Antonij Columnæ profectionem cum ſuis copijs, arcem ipſam quantum rei bellicę ratio lauſque ferebat, conſtanter defendit. nam ubi Galli primarios ciues Rauennates captiuos coegiſſent attrahere tormenta ad arcem diuerberandam, illaque acriter & aſſiduè cœpta eſſet concuti, primum uiſus eſt epiſcopus parum uel uictricia arma curare. tormenta quædam hoſtium etiam infringit. Gallos per crebros tormentorum ictus non ſatis tutò proxime conſediſſe permittit. Sed tamen poſt diuturnam uerberationem, diſiecto atque proſtrato ualidiore arcis propugnaculo, alio propinquo iam concuti cępto, ut licet etiam nunc uolentibus ex arcis ipſius ruinis intueri, atque ego ipſe poſt teſtimonia uirorum bonorum legitime & cum iuramento examinatorum cognita uidi, omni proſus deſperato ſubſidiorum genere, deficiente annona, quam Columnæ copiæ abſumpſerant, Vitellius ſtatuit prudentioris eſſe ducis ſuperioribus uiribus cedere, dum honeſtè liceret, quam ſtultam pertinaciam & imperitiam rei bellicæ pro fortitudine uirtuteque amplecti: atque ita in apertum periculum rerum omnium uno tempore uenire. deditionem itaque ſicuti neceſſariam, ita ſatis honorificam facit opportune poſt diuturnam uerberationem. cæterùm Hames tantum urbs reliqua erat Britannis, & ea quidem non ſatis munita, ſed propter paludes illam undique cingentes acceſſu perdifficilis, cum una tantum uia, eaque perangusta manu facta reliqua eſſet, qua accedebatur. eius præſidia audita captiuitate Giſnę deterrita, tanta trepidatione repleta ſunt, ut arrepta fuga uel nemine inſectāte non prius currere deſtiterint, quàm uel ad oppidum Oromanſacorum Sancti Odomari peruenerint in Britanniam traiecturi. Sic omnia, quæ poſſidebant Britanni citra mare Britannicum breuiſſimo ſpatio temporis in poteſtatem Gallorum peruenerunt, ut appareat quàm inſtabilis ſit regnorum & urbium, nedum priuatorum opulentia, cum fortunæ, uel potius numini ſubuertere placuerit. Ghiſius his omnibus locis tam glorioſè potitus relicto in Celoniaco nauali Thermeo cum præſidijs, ut diximus, euerſis funditus Giſnæ mœnibus, ne in tot prẹſidia copias diſtrahere cogeretur glorioſus & inſignis cū Strozza Lutetiā accedit, ubi cum ſingulari lętitię ſignificatione ambo fuerūt excepti. Atqui cum acriter lyemaret, copiæ ſunt partim in captas munitiones, partim in loca finitima in hyberna diſtributæ. Britanni contra non mediocriter affligebantur, quod tam turpiter ſua loca fuiſſent amiſſa, quòd nullis illatis iniurijs id paſſi eſſent à Gallis, ſed plurimum omnium animos infeſtabat, quòd ita ſublata eſſe uidebatur omnis commerciorum facultas cum ciſmarinis nationibus, quia nullum haberent locum ad ipſa mercimonia conuehenda tutum, niſi ad loca Philippi Regis accederetur in Belgium. Pontifex interea iubet legationes iter capeſſere, quas inſtitutas ſuperius fuiſſe diximus ad res inter duos Reges & ad pacem componendam. Carafę Bruxellas profecto Philippus fit obuius honoris gratia ad portam uſque ciuitatis, atque ſub umbella ad palatium uentum eſt multis comitantibus proceribus, & Albano præcipue duce. Vbi nonnullos dies Bruxellis fuiſſet, cæptū eſt agi de pacis cōditionibus, de qua Coneſtablius iam agere & ipſe cœperat. pertractatum eſt & de Paliani permutatione, pro quo principatus Roſſani cum omnibus redditibus ac prouentibus eſt oblatus, & decem præterea Philippicorum millia in regno Neapolitano, quę ex portorio ſerici colligerentur quotannis. Carafæ promiſſa ſunt duodecim millia Philippicorum ex Archiepiſcopatu Toletano, & octo millia in Hiſpania. ſed has omnes conditiones

Franciſci Guicciar. error.

conditiones Philippi regis à Carafis reiectę.

Carafa reiecit, quia ſe nullam habere autoritatem diceret harum rerum conficiendarum. At Philippus obteſtari iubet & ipſum habere eam facultatem, & ſe conditiones ab Albano admiſſas pro uiribus ſeruare uoluiſſe. Carafa Bruxellis exit. Rogatur ab epiſcopo Attrebatum & Ringome Sylua, qui eum conuenerunt ut regię uoluntati acquieſceret, cum Reges humanitate potius, quam ulla ſignificatione indignationis placentur. omnia poſſe precando ab ipſo Rege placide extorqueri, quæ honeſta ſint, at nihil per iram, & animi magnitudinem. eædem conditiones permutationum propoſitę ſunt etiam Romę Comiti Montorienſi cum ijſdem obteſtationibus. Hic paulo humanius reſpōdet, ſe gratias agere regię maieſtati pro clementi benignoque animo. ſed de negotio ubi cū Pontifice communicarit illud conſilium capturum, quod uiſum fuerit ſalubrius. Sed quoniam Carolus Quintus imperatoria inſignia Imperatorijs comitijs aſſignauerat, quæ indicta fuerant in menſem Martium, Ferdinandus contendit ad ea comitia in Vſipetos, quò iā conuenerant electores, illis acceptis uel potius creatus Imperator cū ipſis electoribus, alijſque proceribus comitantibus itum eſt Batodurū, ubi de more cęterorum imperatorum Romanorum coronatur primùm imperator. Pontifex ubi requireretur confirmatio coronationis, noluit approbare, quia diceret non eſſe legitimum imperatorem ab hæreticis electoribus electum. His addebat tributum pro regno Pannoniæ triginta millium nummum, quod præter Imperatoriam dignitatem perſoluebatur Turcarum Imperatori, quod nullus antea fecerat Chriſtianus imperator. Neque legationem rurſus Ferdinandi admittit tanquam imperatoriam, ſed tanquam Romanorum Regis, in qua ſenten-

Ferdinandus imperator creatus & coronatio.

pontifex nō admittit ut imperatoris legationes.

tia

tia fuit pertinax quo ad vixit. At Ferdinandus ipſe tanquam Imperator Iuliobonam Comitia indicit in menſem Nouembrem; quo tempore Eleonora Cæſaris ſoror, vxor primum Emmanuelis Luſitani regis, poſtmodo Franciſci Regis Gallorum naturæ conceſſit. Liuonia per id tempus quoque ipſa varijs bellorum tumultibus affligebatur a Moſchouitis : quippe cum ad deuitandos eorum impetus intra munitiones neceſſariò Liuones ſe receperint. nam Moſchouitæ finitimi ſunt Liuoniæ. Sed quoniam non omnibus nationibus Liuonia prouincia nota eſt, fortaſſe non videbor abſurdum quidpiam facere, ſi quanta fieri poteſt breuitate eius prouinciæ terminos atque naturam deſcripſero. Eſt autem Liuonia regio ad ſeptentrionem poſita in ſinu quodam maris Liuonici è regione Schloles & Oſiliæ vocatarum inſularum, quas reſpicit ad Occidentem & mare Gotticum. habet ad meridiem Prutenos atque Poloniam, quæ Sarmatia Europea vocatur. quamquam Liuonia etiam & Lithuania & Pruteni ſiue Pruſſia & Maſſouia inter Sarmatas antiquitus numerabantur, cum duplex ſit Sarmatia; hæc quæ eſt in Europa, & alia quæ in Aſia vltra Tanaim & Rham vocatum fluuium extenditur, in qua ſunt Hamaxobij. ad Septentrionem habet Sueuorum regionem. ad Orientem ipſos Moſchouitas, quæ regio multas continet nationes. Hos populos antiqui inhumanos & rudes & crudeles fuiſſe dixerunt, ſed tamen hiſce temporibus ad mitiorem vitæ cultum ſunt perducti, & Federico Imperatore primo ad Chriſtianam religionem peruenerunt. multæ ſunt opulentæ ciuitates in ea prouincia, quarum principem locum tenent Riga & Riualia. Diſtat à mari Riualia circiter decem ſtadios cum multo magis ſit Septentrionalis, at Riga poſita eſt in litore ipſius maris Liuonici è regione prædictarum inſularum, atque ita ſita, vt mari ipſo alluatur. Vniuerſa ipſa Liuonia in duas partes diuiſa eſt, quarum altera Borealis, Auſtralis altera nuncupatur. Magna pars huiuſce prouinciæ Lutheri inſtituta & dogmata complexa eſt, quamuis ſunt etiam nonnullæ ciuitates quæ catholicum ritum ſacrorum retinuerint. Habet hæc regio quoſdam equites Enſiferos vocatos ordinis Diui Ioannis, quorum princeps eſt Commendator, qui maiori parti Liuoniæ imperat. Aliæ vrbes Rigæ, aliæ Torpati vrbis Epiſcopo obediunt. Multa eſt huiuſce prouinciæ fertilitas arborum, in qua varia ſunt genera animalium & ferorum & domeſticorum ob pabulorum copiam, quæ plurima ſuppetit, vt boum, pecudum, leporum, vrſorum, thoum, vulpium, ſebellinorum, martorum, cæterorumque huiuſmodi. nam magnæ atque denſæ ſunt ſyluæ in quibus tuta latibula ac luſtra ferarum frequentia inueniuntur. Vina non naſcuntur in ea regione propter frigoris magnitudinem, pro quibus in frequenti vſu eſt ceruiſia. Frumentum aliunde plurimum importatur è Sueuis, Prutenis, locisque finitimis. Cæterum Dux Moſchouiarum, qui cupiebat hanc prouinciam adijcere ſuo imperio, cum ampliores ſint auaritiæ, quàm orbis terræ fines, quia cum illa terminet, multa colligit armatorum millia. Belli cauſa fuit lapſus temporis, quia iam pacis tempus pertranſierat, quæ fuerat compoſita atque iurata in annos quinquaginta. Nam Gualterus Plettemburgenſis magiſter equitum eius ordinis, vir bonus & pius ægrè ferens quòd dux Moſchouitarum tributum caperet è diœceſi Torpati præter ius, ſibique res alienas per vim arrogaret, dicitur poſt indictas per triduum ſupplicationes & ieiunia, vbi nulla honeſta ratione rem componere potuiſſet, ad diuinam opem implorandam primùm ſe conuertiſſe; vt qui cenſeret Deum optimum iudicem, & omnis improbitatis vltorem. Deinde collectis duodecim millibus peditum & ſeptem equitum cataphractorum, quinque Curonum, ſic enim vocantur Liuones de more leuiorum equitum armati, cum duodecim bellicis tormentis ſe ad defenſionem accinxit. Cum illo exercitu proficiſcitur in planitiem Pleſcouiæ finitimam, quod accidit anno quingenteſimo poſt mille à partu Virginis. ibi metato caſtra, atque vallis munito offert ſe Dux Moſchouiticus cum centum & triginta millibus equitum in duas turmas diuiſis. in tertia erant triginta Sarmatorum millia. Illa tanta armatorum multitudine minime territus Gualterus, vt qui omnem ſpem victorię in clementia Dei & æquitate defenſionis collocaret potius, fortunam belli maluit per virtutem experiri, quàm committere, vt per turpem fugam patria & vrbes & omnia ciuium bona in poteſtatem crudelis hoſtis deuenirent. Deinde propoſita controuerſię honeſtate milites confirmat, hortaturque ad fortitudinem, cum Deus ſit omnis iuſtitię defenſor, & depreſſor omnis arrogantię, auaritię, temeritatis. hortatur vt recordentur ſtrenuitatis atque antiquę glorię maiorum ſuorum, qui toties deuictis hoſtibus multo inferiores numero cum maxima laude omnium populorum triumpharunt. Docet maxima & omnium precioſiſſima pręmia propoſita eſſe huic pręlio, libertatis ſcilicet, patrię, facultatum, filiorum, vxorum, religionis, vitę ipſorum denique omnium conſeruationem. Maximè glorioſam eſſe hanc ipſam victoriam, in qua pręter prędicta pręmia, propoſita ſit etiam memorabilis gloria & laus & memoria apud omnem poſteritatem. oſtendit multitudinem hoſtium non eſſe formidabilem, quia non nunc primùm accidit, vt paucorum virorum fortium virtute ingentes hoſtium copię ſuperentur, cum multi alij ante hęc tempora iſtud ipſum fecerint. atque cum infinita propè numero exempla tam egregię atque magnę virtutis, tum antiqua tum etiam recentia adduci poſſint, ſatis erit vnum vel duo ad ſummum commemoraſſe. Nam Epaminondas Thebanus cum parua copiarum ſuarum manu quis neſcit quot millia hominum in Leuctris ſuperauerit? Militiades certè Athenienſis cum decem millibus ſuorum ciuium & mille auxiliarijs Platęenſibus ſexcenta barbarorum millia profligaſſe dictus eſt. Sic vbi Gualterus ſuas copias ad prelium cohortatus eſſet, in aciem inſtruit alacres ac promptas, atque tormenta in hoſtem direxit. Iſtud ipſum facit etiam Moſchouita. vbi primum

Liuonię deſcriptio.

Equites Liuones Diui Ioãnis.

Curones eques Liuones.

Gualteri oratio hortantis ad pugnam.

initum eſt prælium, ſignaque pugnæ data ſunt vtrinque. Liuonica tormenta magnam impreſſionem faciunt in hoſtem, qui breuibus ſecuribus, & ſagittis, & clauis ferreis ac lanceis pugnabant aduerſus Liuones, quæ certè genera telorum non valde pernitioſa ſunt armatis hominibus. vbi tormenta bellica Liuonum ſæpius fuiſſent diſploſa, Liuonesque ad ſtrepitum tympanorum ac lituorum acerrimè fortiſſimeque pugnarent; Moſchouitæ propè fuſi ac profligati ſimulata fuga conantur Liuones in quaſdam anguſtias locorum inducere, quæ non procul aberrant a Pleſcouia. Sed Liuones cognitam calliditatem deuitantes fortiſſimè pugnant. multos trucidant. ceciderunt plures quinquaginta millibus Moſchouitis, circiter viginti millia vulnerata. reliqui profugerunt. Miſſæ ſunt deinde legationes de pace, atque ita res compoſitę ſunt, vt in hanc vſque diē perdurarint. vbi pax ad annum quinquageſimum perueniſſet, Torpati epiſcopus vix pacem denique impetrat in quinquennium à Moſchouita, qui iam copias ad futurum bellum collegerat.

*Victoria inſignis Liuonum.*

Pacis conditiones hę fuerunt, vt templa Rigæ & Riualiæ Moſchouitarum ſumptibus earum vrbiū reficerentur, quæ fuerant euerſa. vt diſſolueretur antiquum tributum à prouincia Torpati debitum. vt, id ſi fieret, intelligerentur præterea factæ induciæ in quindecim annos. Iſtud autem ſi factum nō fuiſſet, iam tum poſt exactum pacis quinquennium bellum graue obnuntiabatur. Id verò cum factum non fuiſſet, & iam octauus annus poſt compoſitam pacem ageretur, nullis vel epiſcoporum Liuonum precibus vel largitionibus allici potuit ad inducias denuo faciendas, neque diuerti potuit vlla ratione, ne bellum obnuntiaret: quia pacis vltimæ conditiones non eſſent ſeruatæ. His accedebat, quòd cum nouas leges, nouaque ſciſmata, & nouam religionem introduxiſſent, non poſſent non leuiſſimi homines cenſeri, atque Moſchouitarum ducis amicitia indigni. Sic igitur legationes per has ambages retinens atque deludēs colligit circiter ducenta quinquaginta armatorum millia, quibus cenſis imperat legationes in patriam redire, ac bellum obnuntiare. Neque tamen legationibus multo tardior exercitus agrum Torpatenſem hoſtiliter inuadit. Proxima quæque vrbi ferro flāmisque populatur, homines trucidat. villas ſuccendit, ſyluas & arbores decidit. mulieres, pueros, animalia omnia obtruncat. Siquis ferri vim euaſiſſet, in perpetuam ſeruitutem Scythis diuenditur. illa inaudita propè crudelitas, & inhumana barbaries cum per quadraginta dies territorium & prouinciam Torpati deuaſtaſſet, tantus terror iniectus eſt illis populis, vt omnes propter metum in vrbem confugerent, in qua tanta inerat multitudo, nulla vt loca vel priuata vel publica iam illam caperent. Nam eò confugerat vndique ex agris tanta multitudo, tantaque copia hominum omnis ætatis & ſexus, vt non vrbs ſolùm, ſed etiam foſſæ vrbis & ſuburbia atque pomeria miſerrima turba replerentur, qui per acerbiſſima frigora ſub dio pernoctabant rerum omnium egeni, quorum plerique quotidie propter inopiam moriebantur. exaudiebantur multi eiulatus & luctus puerorum ac ſenum, qui quærebantur cum lachrymis ſe fame exanimari. alij ſe frigore, alij ſiti, alij aliarum rerum inopia crudeliter ſe innocentes necari exclamabant, ſed tamen nullus patebat miſericordiæ locus. nam ciues diuturnam obſidionem timentes ducebant parcendum eſſe annonæ, ne omnibus vno tempore non ſufficeret; quamobrem nullius lugentis lachrymas reſpiciebant. Moſchouitæ cum ſæpius vrbem tentaſſent non ſine frequenti clade propter vim tormentorum, defenſorumque virtutem, expugnatione vrbis deſperata incurſiones faciunt ſoluta obſidione in agrum Neruiæ & Laidenæ vrbium, eandem vbique immanitatem, feritatemque exercentes. Multis captis ſpoliis, multis trucidatis hominibus, multis armentis & gregibus pecudum abactis, multis abductis etiam in ſeruitutem mortalibus, exercitus in patriam reuertit.

*Cauſa belli Liuonici.*

*Magnus exercitus Moſcouitarum.*

*Miſerabilis Liuonū fortuna.*

Indicta ſunt poſtea comitia Liuonum ad vrbem Vuendenam de inſtaurando agro tum miſerabiliter deuaſtato, ad quæ vbi conueniſſent principes & primarii homines è Liuonia, viſum eſt nonnullis nulla ratione melius conſuli poſſe huic negotio, quàm ſi & ipſi collectis, quanto maioribus poſſent copijs, pari ratione agrum hoſtilem popularentur, captiuoſque homines, & animalia converterent ad cultum agrorum, aut fierent permutationes cum captiuis. alijs hoc periculoſum fore videbatur, qui cenſebant tantas vires propè pacatas cum non leue vltionis genus exercuiſſent, non eſſe denuo irritandas, ſed potius agendum de pace; quare legationes cenſebant mittendas eſſe cum ſexaginta millibus talarorum, quod eſt argenteæ monetæ magnæ genus apud eas nationes, quæ per largitionem & preces pacem niterentur impetrare; atque interim inducias poſtularent in quatuor menſes. ea ſententia cum omnibus proceribus placuiſſet, comprobata eſt, atque oratores ad eam legationem deliguntur Volfangus Zager, & Philippus Olmenus, quo mortuo in itinere, alius orator ſubrogatur. acceſſerunt cum his legationibus magiſtri equitum, vt res ſapientius tranſigeretur communi conſilio. Impellebant Liuones ad eam pacem magno ſtudio expetendam non ſolum memoria acceptarum calamitatum, & timor futurarum, ſed multo magis ira numinis, quod videbatur multa grauia Liuoniæ vniuerſæ minitari. nam viſa eſt crinita ſtella eximij ſplendoris, quæ multos dies ſupra Torpatum vrbem perdurauit, qua portendi vrbis ipſius deuaſtationem exiſtimarunt, quare omnia repleta ſunt ingenti trepidatione. Fecerunt difficiliorem viam ad pacem vrbes quædam in finibus Liuoniæ, & Moſchouitarum, quæ per mutuam temeritatem, ac propè inſaniam, vt ſunt vrbes finitimæ plerunque parum inter ſe amicæ, parumque conſentientes, magnam diſſenſionem inter ſe excitarunt. Ea res vbi ad Moſchouitarum Ducem fuiſſet delata, ita indignatione incenſus eſt, vt neque munera Liuonum acceperit, neque legationes Liuonum admiſerit, ſed quàm citiſſimè excedere iuſſerit, ac domum bellum obnuntiare. nam violatum eſſe fœdus induciarum aſſerebat per ſcelus Neruienſium iam conceſſarum, qui nullam haberent rationem iuramenti, neq; Dei aut hominum ducerentur reuerentia. legationes grallatorijs paſſibus, & quam maximis itineribus

*Legationes Liuonum de pace miſſæ.*

*Portentum.*

neribus diſcedentes rem breui ad Epiſcopum Torpati, & cæteros principes in patriam deferunt. at Moſchouita continuò collectis octoginta millibus armatorum, & triginta Scytharum cum multis muralibus tormentis Neruiam opulentam & amplam Liuoniæ vrbem inuadit, ſummum copiarum imperium obtinente Petro Siſegaleidero. Neruia ingenti cincta vbique obſidione mox quinquaginta muralibus tormentis acriter concutitur. cum nullum tempus daretur quieti, tormentaque ſemper circumſonarent, tanta vi murus vrbis abſcinditur & proſternitur, nullis vt turribus, nullis aggeribus, nullis mœnibus ciues protegerentur. ad extremum proſtratis omnibus defenſionibus vrbs ab vniuerſis copiis vno tempore inuaditur. pugnatur fortiſſimè vbique. magna fit ſtrages inuadẽtium ac defenſorum: hinc propter multitudinem, inde propter virtutem. Sed ob numerum inuadentium vrbs denique capitur, vritur, euertitur.

Neruia vrbs Liuonum capta.

vrbis præfectus cum paucis militibus in arcem ſe recepit, at reliqui omnes ciues tam impuberes quam puberes omnis ætatis, ſexus, conditionis fœdiſſimis vulneribus trucidantur ad vnum. vrbis præfectus cum in arcem profectus rei frumentariæ, omnis generis annonæ inopia laboraret obſidionem diutius ferre non potuit, quare ad deditionem venit hac conditione, vt liberis militibus & ipſi liceat quò velit excedere. Poſt captam & incenſam illam vrbem Petrus Siſegaleiderus agro deuaſtato ad vrbem Nienhuinum Torpatenſis ditionis obſidendam caſtra mouet, quam multis & præliis & verberationibus aſſiduè infeſtat. Epiſcopus audito acerbiſſimo Neruiæ caſu, & Nienhuini obſidione, & tam atrocibus populationibus agrorum mittit ad magiſtrum equitum ipſius ordinis qui peterent auxilia.

Nienhuini deditio.

progreſſus ad ſex millia paſſuum illum habet obuium cum duobus millibus & trecentis equitibus Germanis cataphractis. cõiunctis caſtris ad oppidum Charieppam, quod eſt ditionis Torpatenſis conſidentes, parum de obſeſſis ſolliciti genio indulgent. obſeſſi fortunæ arbitrio relicti partim annonæ penuria acerbiſſima omnium tormentorum, partim aſſiduis hoſtium moleſtiis compulſi ita ſe dedunt, vt liceret cum filiis & vxoribus liberis excedere, & quocunque vellent tutò ſe recipere. his ex altera porta excedentibus, per alteram ingrediuntur Moſchouitæ. id verò miſerabiliter accidit egreſſis, vt quas res precioſiores occultaſſent, auferrentque quaſi viaticum dum fortuna placaretur, eæ direptæ ſint à turma quadam equitum, cum procul abeſſent ab oppido ignara deditionis & pactionum. Magiſter certè ordinis ea captiuitate percepta, quæ per ſuam ignauiam atque negligentiam contigerat, mirificè ſuccenſet. miſerabile, ridiculum, & planè expers vltionis genus excogitat; nam charieppam oppidum innocens & ignarum deditionis, in vltionem illorum, qui ſe dediderant, totum concremat atque funditus euertit.

Dementia Principis ridicula & miſerabilis.

Moſchouitæ oppidum captum rebus omnibus & firmiſſimis præſidijs egregiè muniũt, quibus actis ſigna cõuellunt ad profectionem illo conſilio, vt ſi daretur facultas, cum magiſtro equitum collatis ſignis confligeretur. at magiſter certior factus de hoc conſilio per multa milliaria ſublatis tentorijs vaſculiſque collectis intra Liuoniæ fines, effugit epiſcopo relicto, qui & ipſe breui in tutum ſe recepit. Vbi eò vſque percurriſſent circiter triginta millia equitum, vbi Liuonum caſtra poſita fuerant, nemine inuento qui reſiſteret villas omnes populantur. obuios quoſque Germanos trucidant. reliquis coactis iurare quòd obedient Moſchouitarum Duci in caſtra reuertunt, quo tempore omnes copiæ adductæ fuerant ad inuadendam vrbem Torpatum. Torpatenſes iam vxores, filios, res precioſiores ad vrbes Rigam & Riualiam præmiſerant, atque ſimulato conſilio profitentur ſe velle ad leuia certamina excitanda cum hoſte exire, aut repentino conatu illum adoriri.

Torpagenſiũ ciuium fuga.

Epiſcopus ita fore exiſtimans concedit exeundi facultatem. at ciues plerique per hanc ſimulationem egreſſi diffugiunt. relicti ſunt per eam fugam pauci defenſores in vrbe, in qua paulo ante immanis quædam ſæuierat peſtilentia, quæ vrbem multis colonis orbauerat. cæterum epiſcopus percepta ſuorum fuga iubet omnes ſacerdotes armari ad propulſandum commune ciuitatis periculum, & omnes reliquos, qui tractandis armis eſſent idonei.

Sacerdotes armati.

acceſſit in vrbem cum quinquaginta militibus atque dux oppidi Groningæ. ſacerdotes eum ducem ſibi deligentes armati in forum accedunt. Hortantur vniuerſum populum ad arma capienda, quibus fortiter defenderent lares, templa, facultates, filios, mulieres, religionem, patriam, iura, libertatem: quæ omnia vno tempore vel turpiter erant hoſti concedenda per ſocordiam, vel glorioſè per virtutem atque fortitudinem protegenda. Sed quoniam plurimum diſſidebant inter ſe ciues religionis cauſa, cum alij Lutheri, alij Catholicas partes ſectarentur, reſponſum eſt ab vrbis præfecto, quem illi Conſolum vocant, omnes libentiſſimè arma eſſe capturos, ſi Pontificiæ ſuperſtitiones reiicerentur, atque admitterent nouam religionem. Sacerdotes ſe tantum ſceleris nunquam admiſſuros reſpondent, præſertim cum conſtaret omnibus ex quo noua religio irrupiſſet in Liuoniam, res Liuonicas ſemper in peius fuiſſe prolapſas.

Vera religio excutitur infeliciter.

his addiderunt non opus eſſe nunc in ipſo articulo temporis, & in ſummo ciuitatis periculo de religione contendere, de qua commodius agi poſſet, ſed eſſe in præſenti de communi omnium ſalute armis, at non verbis contendendum. Sed quoniam ſacerdotum oratio præſentibus rebus vtilis eſſe videretur, id conſilium vt optimum atque ſalubre neceſſariumque ab omnibus comprobatur. iuſſi ſunt omnes igitur conſpirare ad communem ſalutem & vtilitatem, atque iurare ad mutuam defenſionem: quare omnes armati tormenta in opportuna loca trahunt, atque præſidia diſtribuunt. Hoſtes cum aſſiduè infeſtare vrbem cœpiſſent, decernunt Torpatenſes repentè caſtra inuadere, interim per opportunitatem nebulæ, quæ forte euenit, tormenta in caſtra dirigunt, quibus diſploſis magna fit in hoſtem impreſſio, multique laniantur. Nec ita multo poſt delecti ſunt pedites ducenti ſclopettarii ac baleſtritæ, atque centum equites Torpatenſes, qui ſuperatis vallis & aggeribus caſtrorum multam ſtragem edunt in caſtris. multis cœſis, pluribus vulneratis cum frequens globus hoſtium ad hos ſuſtinendos ſe accingeret, duobus tantum è ſuis amiſſis in vrbem victores redeunt. Illa clade ſuorum inſigni accenſi Moſchouitæ, quia tormentã parum

vrbem offendere apparerent propter celeritatem reparationum, ita collocant tormenta vt globi ferrei in ſublime lati mox in vrbem deciderent, quibus infringebantur domus, & multi occidebantur. Tantus certè terror ob eam inuentionem fœminis, atque pluribus Torpatenſibus eſt iniectus, vt ſenatus obnuntiarit epiſcopo ſe velle cum hoſte paciſci. Epiſcopus propoſita facti turpitudine, atque barbarica hoſtis inſolentia atque tyrannide, varietateque religionis dehortatur à tanto flagitio; cum præſtet glorioſè mori, quàm in perpetuum tam fero, tamque immiti imperio ſubijci, à quo nihil bonum omnino eſſet ſperandum. videri oportet præclarius agi ſi vitam nudam liberam eſſent conſecuti, quæ certè amiſſis omnibus facultatibus, atque ornamentis non eſt magnopere expetenda, quàm ſi cum horum omnium iactura tamen in poteſtatem hoſtis deuenirent. Nihil tamen valuerunt hæ adhortationes, quia Timor ſurdus eſt ab incunabulis. Nam ſenatus contra omnium voluntatem nulla re catholicis obnunciata mittit ad ſummum imperatorem Moſchouitarum, qui rogarent vt ipſam vrbem in ſuam fidem amicitiamque acciperet, cui iurarent omnes ciues ſe fidem ſeruaturos. Quod vbi conceſſum fuiſſet, atque in vrbem nuntiatum, ingens tumultus fit nemine aſſentiente. Periniquum enim omnibus videbatur vt ea vrbs tam turpiter dederetur, quæ & annona in multos menſes, atque multis tormentis eſſet communita, & omni genere bellici apparatus, & inexpugnabilibus propè reparationibus ac mœnibus, atque ſatis validis præſidijs; cum præſertim deficiſcentes ab religione catholica in Moſchouitarum ritus eſſent delapſuri, qui multo eſſent deteriores. huc accedebat quòd propter varietatem religionis futuri eſſent dupliciter hoſtibus inuiſi. At ſummus hoſtium imperator his cognitis ſeditionibus obnuntiatum mittit ſe nolle his conditionibus vrbem dedi, quam tamen per vim armorum eſſet capturus. hæretici qui multò plures erant catholicis perſiſtunt in eadem ſententia, decernuntque exequi quod iam decreuiſſent, quare omnes catholici in templum maius conueniunt. Profitentur palam ſe malle perpetuum exilium pati, quàm tantum committere turpitudinis, aut his parere nationibus. Sic apertis portis, vbi iuraſſent hæretici ſe fidem Moſchouitis ſeruaturos, in vrbem hoſtis admittitur. at catholici ex altera parte cum vxoribus & filijs atque ſupellectile excedunt pro pactionibus prius factis, tranſeuntque illæſi per Moſchouitas. Scythæ erant hos direpturi, ſed Petrus occurrens id fieri vetuit, qui niſi adiumento his fuiſſet, ad vnum fuiſſent trucidati. Sic capto Torpato à Moſchouitis incolumes ad vrbem Riualiam perueniunt. ea dum ita fiunt in Liuonia, Ghiſius è Gallia in caſtra reuerſus nullum tempus amittens Auguſtam Romanduorum eiuſque principatum inuadendum putat in finibus Sueſſionum ac Leucorum, quòd neque ſatis firmis præſidijs munita erat, neque ſatis diligenti ſtudio cuſtodiebatur. Contractis itaque copijs vndique ex hybernis conſilio cum nemine communicato Eporſium vicum accedit Catalauno. ibi quid agendum ſit in militari conſilio ponitur. & quoniam Herbemontium oppidum peraccommodatum fore videbatur omnibus commodis militaribus, ſi expugnaretur, & præſertim colligendis copijs, ſi bellum inſtaret in ijs finibus, decernitur vt illud repentino conatu inuaderetur. multus itaque peditatus & equitatus eò mittitur. bellica tormenta propter profunditatem niuium ægrè trahuntur trans Semoentum fluuium ignobilem eius regionis. oppidum vbi traieciſſent Galli inuadunt. Defenſores ſingulari virtute reſiſtentes primo prælio multos Gallos vulnerant; quæ pugna vbi diutius fuiſſet protracta, Belgæ intra ſuas munitiones, Galli in caſtra ſe recipiunt prælium nocte dirimente. at verò quoniam vtilis eſt omnibus in rebus militaribus diligentia, Galli nullum tempus deſidiæ concedentes tormenta noctu in oppidum dirigunt, tantoque ſtudio concutiunt pluribus è partibus, vt oppidi præfectus cœperit cogitare de deditione, atque conditiones quaſdam poſtulauerit. eæ conditiones reiectæ ſunt à Ghiſio, cum vellet ita oppidum dedi, vt omnia victoris arbitrio committerentur. Præfectus igitur tutius eſſe ratus ita ſe dedere, quàm fortunæ victricis inſolentiam experiri, cum magnum ſpatium muri euerſum atque deiectum fuiſſet vi tormentorum, ſe ipſum & omnia Ghiſij arbitrio dedit. Ghiſius magnifico liberalique animo nullo neque crudelitatis neque auaritiæ edito indicio omnibus victis libertatem, impedimenta, liberum diſceſſum concedit. nam profectò periculoſius eſt prælium quod aduerſus aurum, quàm quod aduerſus ferrum ſuſcipitur; cum vix vllus ſit vel priuatus miles vel imperator, qui pro gloria militet potius, quàm pro pecunia. Sed tamen ab auaritia plurimum abhorrere tum cognitus eſt Ghiſius. Deinde loca munita principatus Leucorum Chignium, Ruginolum, Villamontium, Giamoniam, aliaque caſtella capit partim per deditionem, partem à præſidijs derelicta. Sed quoniam vis imbrium fuit impedimento ad feliciores progreſſus, viæque lutulentæ, & lacunæ vbique aquarum plenæ, vniuerſum Ghiſij conſilium conuertitur ad oppida & præſertim Herbemontium muniendum. Id oppidum cum in loco edito ſitum ſit ſuper duriſſimo ſaxo, effici poterat expugnatu difficillimum, maximeque hoſtem poterat infeſtare, cum frænaturum eſſet Hiſpanos, quo minus incurrerent in eam regionem. Henricus his fœlicibus ſucceſſibus elatus ad ſpem maioris felicitatis, clam mittit tribunos ad multas cohortes Germanorum colligendas, atque conſcribendas copias Aquitanorum. iubet has ſenſim in vnum locum conuenire, ne poſſet cognoſci ab Hiſpano hoſte quid conſilij caperetur; ipſe ad recognoſcendas ſui regni munitiones properat. accedit ad Ceſoniacum nauale. Thermeum vrbi præficit, quam iubet diligenter muniri. Sed Hiſpani cognitis per exploratores Gallicis apparatibus munitiones quaſdam Ceſoniaco nauali finitimas omnibus rebus ad defenſionem neceſſarijs inſtruunt. Ea dum parantur vtrinque ad bellum in finibus Morinorum, Henricus rebus ſuis optimè conſultum iri putabat, ſi non ſolùm ad vexandum Philippum regem arma moueret ad fines Belgij, ſed etiam ad ampliandum Gallicum imperium Scotiæ arma ſibi adiungeret; cum præſertim Scotenſes natura propè inimici ſint Britannis, cum finitimæ nationes plerunque parum

Timor ſurd' eſt ab incunabulis.

Torpatũ captum à Moſchouitis.

Herbemontiũ captum.

Ghiſij liberalitas & magnificentia.

Caſtella Leucorũ capta.

amicæ

amicæ ſint inter ſeſe, inter quas præcipuè. mutua odia ex bellis orta ſint de finibus, aut de præſtantia, aut iuriſditione ſuſceptis. Nam Scotia diuiditur à Britannia, quam Angliam vocant, paruo ſpatio Tabuda flumine ſcilicet, quod tanquam terminus inter duo regna decurrit, atque illorum fines per longum ſpatium diſterminat. Henricus curat vt Franciſcus filius maior natu vxorem ducat Mariam Stuandam Scotiæ reginam Iacobi quinti Regis eius regni filiam, quæ nuptiæ etiam celebratæ ſunt Pariſijs cum ſumma magnificentia, atque regio apparatu. Dum vires colliguntur clam ad bellicos apparatus ab vtroq; Rege, Dux Lotaringię, & Cardinalis, & alij nonnulli principes inter ſe ratiocinantur quibus conditionibus pax componeretur, quæ propter difficultates nullum exitum felicem habuerunt. at Britanni inſtructa ſeptingentarum nauium claſſe varij generis decernunt aliquẽ portum in Normaniæ litore occupare vel ad commoditatem mercimoniorum, quæ neceſſe erat comportari in Belgas, vel ad permutationem Ceſoniaci naualis: atq; ita ſe ad bellum accingunt. Horum apparatus cum Henrico innotuiſſent, multæ cohortes peditum, atque equitum vexilla miſſa ſunt ad eos fines tutandos. Britanni itaque cognita re ac deſperata, ſimulato timore Gallicæ claſſis ad patriæ defenſionem ſe recipiunt. At Henricus quia Teonuillam occupare decreuerat, atq; opus erat exteris copijs non nihil in finibus Belgij commorari, cum omnes copiæ non poſſent vno tempore conuenire, ne Britanni eſſent impedimento, monetur vt vires Gallicas eo tranſmittat, qui mittit Ghiſium cum multis cataphractis, & leuioribus equitibus, & magna peditum manu. enimuero ne vires hæ ocio abſumerentur ibidem expectantes, decernunt aliquid memorabile aggredi, quod hoſtem inſigni moleſtia afficeret. nuntius accedit ſignificans partem copiarum cōueniſſe, vbi erant cenſendę. iubetur eodem Burdilloneus Sueſſionum præfectus cum Gallicis copiis vbi cōueniſſent, & Villeuillius Diuoduri præfectus cum ſuis Gallis, qui omnes ſunt iuſſi exire in apertū, atq; Teonuillam ſe recipere. iubetur illuc & Bordillioneus cum duobus regimentis Heluetiorum, & ijs Piſtolottis, qui acceſſerant. Hæ omnes Gallorum vires iuſſæ ſunt in vnum conuenire, & ad Teonuillam caſtrametari partim citra, partim vltra fluuium. Ghiſius Auguſtometenſem Verdunum conuenerat, atq; ambo coniunctis ſtudiis Diuodurum contendunt, vbi tormenta expectantes, reliquasq; copias Gallicas, mox augent caſtra regia. Teonuilla primùm diligēter exploratur ad expugnationem, quæ cum viſa eſſet & ſitu & reparationibus & omnibus rebus ad defenſionem ſpectātibus non mediocriter munita, primum ea prouincia perdifficilis viſa eſt. re tamen ad militare concilium delata & ad tribunos ac primarios duces diligenter conſiderata, decernitur vt tentetur expugnatio, quamuis eſſent in præſidiis circiter tria millia armatorum. Nam præſtare videbatur vel ſi vrbs capi nō poſſet, cum hoſtis vexaretur, exercitusq; exerceretur, negotium fruſtra tentare vel cum aliquo periculo paucorum, quàm pati vt præſentes copiæ in ocio totę marceſcerent, dum exteras expectarent. atq; ita vexatus hoſtis magnum incommodum erat capturus deuaſtata regione. Conuenerunt Henrico circiter quindecim millia peditum Gallorum, Germanorū quatuor millia præter Heluetios, equitum quatuor millia & quingenti, quorum ſummum habebat imperium filius ducis Leucorum. ſic tanquam multis fluminibus vndiq; quaſi in vnum lacum aquarum multarum confluentibus vrbs obſidione cingitur. Eſt autem Teonuilla ſita in ripa Ombrici fluminis, pontemque habet perpulchrum & non aſpernandæ longitudinis, quę diſtat ferè viginti millia paſſuum ab Auguſta Romanduorum, & à Diuoduro. eſt autem ſitu & arte munitiſſima, cum latera ſint prǽualida & eminentia, habeatq; firmiſſima propugnacula & aggeres interius è gleba multa propter vetuſtatem valde cōdenſatos. vrbs itaq; validis aggeribus, foſſiſque caſtrenſibus ductis ad euitandos globos vrbanorum tormentorum citra fluuium, obſidioneq; cingitur. poſtmodo nocte ſequenti erecta ſunt tormenta in propugnaculum, aggeremque maioris propugnaculi, quod vrbi imminebat. concuſſum eſt & ſpatium muri illud, quod terra erat munitum, & duobus præualidis propugnaculis protectum, & prę ualida turri, & platea in medio ferè eius ſpatii ſita ad defenſionem. Sed Hiſpani tantam inferebant moleſtiam nemo vt vrbi impunè propinquaret, cum in ędita ac firmiſſima turri tormēta collocaſſent. ea re ſequenti nocte neceſſariò profundiores foſſę ducuntur, aliiq; aggeres editiores excitātur, propiusq; acceditur flumini. ſuper his hinc ſex maiora ordinarijs tormenta, inde totidem alia inter ſublimes corbes terra oppletos collocantur ab Eſtrea tormentario negotio præfecto, ad latus eius propugnaculi defenſionesq; proſternendas & deiiciendas. Sic modo aggeres ad ſubeundum, modo tormenta ad concutiendum addebantur. triginta & quinq; bellicis tormentis vrbs cum magno ſtrepitu & fragore concuti cœpit. iubetur pars exercitus fluuium traiicere, vt protegerentur, qui aggeres excitarent ab ea porta, qua itur Auguſtam Romanduorum ad ipſam vſq; turrim, vt occuparentur radices reparationum, atq; veniretur ad ſarcula, quia verberatio iam videretur parum proficere. Ducta eſt alia foſſa citra fluuium, quo ſclopettarii propius accedentes commodius aggeres atq; defenſiones explorarent. at verò cum menſe Iunio res ageretur, propter breuitatem noctium, cum eſſet negotium in apertiſſima planitie, non dabatur maius ſpatium cōficiendis operibus, aut foſſis ducendis, quàm duarum aut trium horarum. ſed quoniam Ghiſius verebatur ne ſubſidia mitterentur obſeſſis, iubet omnes acceſſus explorari ac muniri. pontes duo iacti ſunt ſupra fluuium. Cadereb-bes Tunger Teonuillæ præfectus cum ſæpius certaretur leuibus præliis, multiq; in illis cecidiſſent, conatur ſingulari diligentia ſuppetias admittere, cum nonnullæ cohortes Hiſpanorum eſſent in finitimis præſidiis Id cum ab Horneo duce noctis beneficio tentatum eſſet, qui inuaſit Gallorum vigilias, multosq; trucidauit, tamen fruſtra fit, quia non leui clade accepta repellitur. Vix biduum interceſſerat cum id ipſum tentauit. quatuor cohortibus expeditorum militum ex alia parte irrumpere in hoſtes conantibus. Sed denuo reiicitur. nam Horneus excitata leui pugna per noctem exierat ad petenda auxilia, quibus opus eſſe per nocturnos ignes fuerat ſignificatum. cum foſſæ perfectæ fuiſſent

Tabuda fl. Frācifci Galli & Mariæ Scotenſis nuptiæ.

Ratio bellica obſeruanda.

Teonuillę deſcriptio.

ſent vltra fluuiū, multi corbes cōficiuntur ad rotas tormentorum protegendas. eriguntur quatuor &
decem tormenta ad domum terra repletam proſternendam, ſupra quam multa erecta erant tormē-
ta in obſidētes. Proſtratum eſt magnum murorum ſpatium, magnaque pars propugnaculi; quæ rui
næ quia aſcenſu difficiles ob profunditatem fluminis viderentur, & quia reliqui eſſent præalti agge
res, Galli nullum tempus intermittunt concutiendi. collapſo muro magna ex parte qui turris agge
rem ſuſtinebat, Ghiſius imperat quingentos lectiſſimos ſclopettarios verberationem explorare ſi
mulatis conatibus è pluribus partibus. his propius ad verberationem profectis armaque & ſcalas
vbique conclamantibus atque aſcendentibus per ruinas, tanta trepidatio, tantusque terror iniectus
eſt obſeſſis, vt defenſionem propè reliquerint cum arbitrarentur vrbem vndique inuadi. Galli ea
conſternatione animorum cognita acriter inuadunt, atq; ter repetito conatu, cum ad radices turris
iam acceſſiſſent, platea turris potiuntur. nā Strozza, qui nuper in caſtra acceſſerat, cū Galli foſſis fuiſ-
ſent potiti, iubet operas ligonibus & cornutis ſarculis muros dermoliri, & in foſſas deuoluere, quo
planior via efficeretur ad conatus. omnibus opportunè ſe habere viſis, ad inuadendum acies Galli-
cæ inſtruūtur ad conatum. certatur tanto impetu, ſtudio, virtute, fortitudine vtrinq; miſſilibus igni-
bus, globis ferreis, omniq, telorum genere, vt conſtantia vtrorunq; omnem fidem ſuperauerit. nam
incredibilis Hiſpanorum & Sequanorum præſertim virtus enituit. ceciderunt multi inſignes proce
res Galli, & nonnulli è defenſoribus. excauati ſunt multi cuniculi ad reliquias propugnaculorum at

Petri ſtrozzæ mors.

que murorum euertendas: atq; dum conſultatur inter duces Gallos de vrbe denuo inuadenda, Pe-
trus Strozza multis prefecturis militaribus ac rebus geſtis clarus cū Ghiſio colloquens glande maio
ris ſclopetti ex vrbe transfixus cum ſumma Henrici, omniumq; procerum moleſtia ac lacrymis diē
ſuum concluſit. Enimuero cum cuniculis iam iam ignis eſſet ſubijciendus, omniaque ad inuaden-
dum neceſſaria comparata, obſeſſi partim ſuperioribus prælijs debilitati, partim metu imminentiū
periculorum territi, comitia de deditione ſummo mane indicunt. in quibus concluditur poſt multas
controuerſias vt certis conditionibus vrbs dederetur. conditionum ſumma fuit ab hoſte conceſſarū;

Teonuillę deditio.

vt Caderebbes vrbis præfectus, aliique duces, centuriones, ac tribuni obedietes regiæ maieſtati Teo-
nuillam cum omnibus ſuis munitionibus indemnibus cōcedant. Vt tormenta, bellicosq; appara-
tus nulla fraude commiſſa relinquerent. Vt pro his Ghiſius Caderebbem cæteroſque duces,
& equitatum cum ſuis armis, milites cum enſibus, pugionibus, pecunia, veſtibus illęſos dimit-
teret. Vt ſacerdotes, nobiles, ciues omnes cum omnibus quæ geſtare poſſent, auro, argento,
gemmis, pecunia, aut quas mallent rebus impune exirent. Vt fide cuſtodiæ exeuntes deducerent
ac protegerent. Vt illęſa pudicitia virginum, aliarumque mulierum honor, & intacta ſuppellex

Ghiſia liberalitas.

ſeruaretur. Vt plauſtra vel lintres ad inualidos quò vellent extra fines conuehendos concederen-
tur. Vt ad omnium horū obſeruationem quatuor obſides è primariis vtrinq; darētur. Cū verò mul
ti Hiſpani relicti fuiſſent in vrbe, Ghiſius regio benignoque animo iubet his omnia neceſſaria ſup-
peditari atq; certos ſumptus, & certos homines ad id munus inſtituit. Ea victoria ſummæ fuit læti-
tiæ Henrico, & vniuerſæ Galliæ, neq; ſolum quia fines illi tutiores reddebantur, ſed etiā quia exerci-
tus poſſent acciri in Galliam ſine vlla itineris difficultate. Ghiſius ita Teonuilla potitus nouem lectiſ
ſimorum peditum vexilla relinquit in præſidiis duce Villeuillio iubet vrbem inſtaurari ac diligēter
muniri. Mittit tria millia equitum ap explorandam Auguſtam Romanduorum, cuius in admini-
ſtratione pręerat Masfeltius, imperatq; omnia finitima populari. nam tametſi vrbs erat munita, om
nibuſq; neceſſariis ad defenſionē inſtructa, tamen cū vrbes amplæ plenę ſint multis rei bellicę inuti
libus, illam per obſidionem capi poſſe ſperabat. ipſe interim Orolauno oppido amplo & opulēto ſi
gna infeſta infert, cuius in præſidiis erant quædā Hiſpanorū cohortes: qui cum ſollicitarentur ad de
ditionē tam difficiles cōditiones proponunt, vt Ghiſius ibi poſitis caſtris decreuerit ad vnum truci

Oro launum opp. concrematum.

dare. at Hiſpani rati ſe non poſſe reſiſtere tantis viribus hoſtium igne ædificiis iniecto flammis abſu
mūt, & per occultā portā exeunt, ac fuga ſe ſeruarunt. Galli quamuis conantur multa diligentia re
ſtinguere incendiū, nihil proficiunt. ſiquid flammæ ſuperfuit id totū direptū eſt. Vbi equites Augu
ſtę pręſidiis ſe oſtentant Masfeltius quaſdam cohortes peditum & vexilla equitū emittit, initur atrox
certamen. Galli multis è ſuis amiſſis re infecta recedere coguntur. cæterū Altus Cortius eggreſſus
ex oppido Orolauno ſiue Arlonio cū quibuſdā cohortibus, equitumque vexillis Ghigniū, Roſciniū,
aliaq; oppida capit. Chigniū munit ad impediēdas incurſiones in agrū Vici Eporſij & Herbemontii,
reliqua ſuccēdit & euertit. Dux Sabaudiēſis ſiue Allobrogū auditis his felicibus ſucceſſib. Gallorū ve
ritus ne ad expugnāda loca Icio finitima ſigna Gallica promouerētur, ad oppida Bergā & Grauelingā

Grauelingæ deſcriptio.

cōuolat, quæ omnia magna diligentia munit aduerſus hoſtē. Eſt autem Grauelinga in finibus Belga-
rum in Morinis ſita in ripa fluminis gnobilis, quod Ha vulgo vocatur, diſtatq; circiter quindecim
millia paſſuum ab Icio, & Dunherche vrbibus. Interea copiæ Icii colliguntur à Thermeo, aliæ
ad Pheras ab Vmalio, nullumque ſtudium ceſſat vtriuſque Regis quàm maximis copiis vndique
comparādis. Thermeus ſatis ingentibus viribus collectis ita Ha fluuio traiecto cum ſex millibus Ger
manorum, quatuor vexillis Scotenſium peditum, quingentis equitibus cataphractis, viginti vexil-
lis Gallorum & mercenariorum confertum globum hoſtium profligat, qui acceſſum prohibere &
iter occludere conabantur. His in fugam verſis, Grauelinga & Bourburgo à tergo relictis Don-
cherchen properat vrbem ſitam in litore maris oceani, quæ portum habet accipiendis nauigiis per-
accommodatum. eam capere cogitat, vt quæ non ſatis diceretur eſſe munita. ſic enim fiebat vt Bri-
tanni plurimum affligerentur, & vt omnis ſpes commerciorum cum Belgis ita eſſet ſublata, cum il-
luc mercimonia poſt captum Icium conueherent, & vt Gallis facultas daretur, cum liberet, commo
dè in Britanniam nauigandi. at nequis id conſilij captum fuiſſe ſuſpicaretur, Grauellino infeſta ſi-

gna

gna importat,quod oppidum plurimi referre videbatur ad omnem rem bellicam, cum etiam ex itinere Berga capta,direpta & euerſa fuiſſet. Hinc Doncherchen magna celeritate accedit,ſumma diligentia obſeſſam diuerberat. ager frequentibus incurſionib. vbique diripitur. dum agitur de deditione, repentino Gallorum vndique inuadentium conatu quinto die ab obſidione capitur, diripitur, ſuccenditur,euertitur.

Doncherche capta.

Thermeus inter hæc conſilia cępit laborare ex pedibus,quamobrem curā copiarū,& cōſilij ad exitū perducendi iniungit Villabono & Sernapontio ducibus:qui ductātes copias ſecundum litus oceani non procul à Grauellino conſidunt.multa ſubitaria minutaq; prælia committuntur modo his modo illis parta victoria.His tot bellorum tumultibus excitatus Philippus rex Hiſpaniarū,cū gemini exercitus Gallici in varios fines Belgij apparerent irrupturi,(nam Thermeus circiter nouē millia peditum collegerat, equites mille & quingentos, & iam proficiſcebatur in Belgas;Ghiſius Ha fluuio traiecto,qui defluit per Oromanſacos oppidum interluens,profligatis incolis regionis,Doncherhe & Berga oppidis captis,direptis, & incenſis fines Belgicos populabundus ferro & igni deuaſtabat.) mittit qui copijs in Germania collectis magna diligentia inſtarent,quę iam erāt in itinere.vniuerſum peditatū & equitatū,quē poteſt,in ea regione,ad ſigna reuocat.nā propter ſuperioris anni clades Gallicas Hiſpanæ copiæ fuerant dimiſſæ,neq; putabatur Henricus tantum viriū tam citò collecturus. Philippus miſerat idcirco duce Sabaudienſem cū poteſtate proregia Nemeto ternā & Mabugā vt opportunè ſe opponeret pro viribus Ghiſij rationibus.ſed cū viſus eſſet Ghiſius magis procraſtinare,quàm poſtularet ratio bellica,propter diſſenſionē de pręda inter Germanos & Gallos,cū ad arma propè vniuerſarū nationū ventū eſſet,quia non ſatis confideret armis Germanicis;neq; auderet Belgiū inuadere ad Cameracum,decernit Philippus ſiquo pacto fieri poſſet collectis ſuis viribus.debiliorē partē Gallorū profligare.accerſit eo conſilio comitē Agamontiū,cuius peritiā rei militaris,& ſummā autoritatē inter Belgas propter beneuolentiā acquiſitā cognouerat.

Agamontij autoritas inter Belgas.

eius laudes in publico concilio Regio recenſet.In memoriā reuocat beneficia,quæ varijs temporibus in Auſtriacā familiā contulerat. Promittit ſe opportunè remuneraturū tantā beneuolentiā.rogat vt in tāta rerū magnitudine atq; opportunitate ſuccurrat laboranti rei Belgicę aduerſus irruptiones Thermei.Nunc opus eſſe ſua diligētia inquit,cū ſolus tot malis, Belgiciſq; populationibus poſſit reſiſtere.eius expeditionis ſummū ducem illū creat. Agamontius primū gratias agit regiæ bonitati pro cōmemoratione officiorū,& pro fiducia ac ſpe,quā in ipſo collocauit;deinde ſe breui ita facturū pollicetur,vt intelligatur quanta vſus fuerit diligentia.Inde digreſſus ad it Grauelingā.intra biduū colligit circiter octo peditū,duo equitū millia.quæ vires quoniam ſatis validæ fore apparebant ac potentes ad hoſtē reprimendū,cū his quę in alijs locis erant collectę.multos volētes ſequi dimittit. cōiungit ſuas vires cū Benincorto,conuocat è finitimis locis præſidia è Bettuna,ſcilicet Oromanſacis,Hera,Grauelinga,Bourburgo.accipit quas miſit Sabaudienſis.Iubet per literas Tertiū Hiſpanorum magiſtro caſtrorū pręfecto Aloyſio Caruagiale cōuenire.Hę vires vbi cōueniſſent ad Bourburgū,imperat reliquos Hiſpanos accedere Caruagialis,cum quadringenti tantū acceſſiſſent,quos oportebat accedere ad tria millia.

Aloyſij Caruagialis error.

Id cū grauiter tuliſſet Agamōtius,quia nō paruā ſpei partē i tribus milib. Hiſpanorū ſclopettariorū repoſuiſſet,accerſiri iubet multos nobiles Belgas, quorū auxilia reiecerat,ne illis eſſet moleſtus. Hi vbi cōueniſſent (nā cōfluebat magna armatorū & inermiū multitudo ad vltionē acceptarū calamitatū.) collecta ſunt ad duodecim millia peditū,& tria ferè equitū. Thermeus quòd laboraret ex pedibus, vti diximus,in oppido Doncherche morabatur;ſed auditis Agamontij apparatibus,copias contrahit non procul à Grauelinga;vt facilius ſiquis caſus poſtularet ſeſe ad vrbē munitiſſimam Cęſoniacum nauale reciperet. ſed cum tam repente tantus numerus Belgarum in vnū conueniſſe nuntiaretur duce Agamontio viro notæ virtutis,continuò in caſtra ſe recipit relicto Locadello oppido muniendo. Ibi ſtatim Agamontij copiæ ſe Gallis oſtentant.cū Galli vellent ad Cæſoniacum nauale ſe recipere, magna Agamontij celeritate impediuntur, cum litoris iter eſſet interclusum, quà itur ab oppido Oromanſacorum Grauellinum. cœptum eſt leue certamen ſanè atrox. Sed cum Galli in hoſtilem regionem penetraſſent Grauelinga & Bourburgo hoſtilibus oppidis à tergo relictis contra rationem militarem, cū eſſent etiam peditatu & equitatu inferiores nocte pugnam dirimente, decernunt ſeſe poſtridie ad Icium ſecundum litus per opportunitatem decreſcentiū aquarū recipere.ſtatuto tempore iter capiunt.Ha fluuio vbi in oceanū influit humili inuento ac vadabili pro votis traijciunt. Agamontius cognito Thermei conſilio ſumma vſus celeritate intra Grauellinum eundem fluuium cum Sequanis vadatur, cęptum iter Gallis intercludit. ſic igitur occupata & impedita Gallorum fuga circiter tria millia equitum in duas turmas diuiſorum fiunt obuia. Thermeus cum de ſua ſalute conclamatum eſſe intelligeret, niſi quæ reliqua erat ſpes in armis collocaretur, ſuas copias quacunque poteſt ope vſus præſentis regionis ad pręlium, ad defenſionemque inſtruit. nam vna via ad ſalutem patebat, quam ſibi ferro aperuiſſet.

Copiarū inſtructio Thermei reguli.

cum enim negotium eſſet agendum in planitie mari finitima arboribus & omnibus impedimentis ſublatis, & glabra, ita caſtrametatus acies inſtruit. à dextra ſeptentrionem verſus, mare vice aggeris fungebatur. à ſiniſtra meridiem verſus omnes carros in vallorum morem locat. à tergo pro aggere erat Ha fluuius. in prima fronte copiarum, quæ ſola pars inuadi poterat ſex ingentes colubrinas & tria minora campeſtria tormenta locat. equitatum inter phalanges amplis ſpatijs conſtituit, quo tormenta in hoſtilia dirigebantur,cuius à dextra & ſiniſtra ſclopettarios Aquitanos. à tergo Gallorum & Germanorum copiæ, quæ ſubſidia ferrent laborantibus partibus,ſtatuuntur.

Agamētij inſtructio Copiarum.

Agamontius dum equitatus præmiſſus minutis prælijs Thermeum retardat, accedentibus Sequanis ſine tormentis ob celeritatem, quæ ſenſim trahebantur, ſic & ipſe ſuas copias inſtruit. equitatum vniuerſum in quinque turmas diſtribuit. è tribus leuioribus vni ipſe

præeſt,

præeſt, alij præficit Henricum Enriquem, alij comitem Ponteualſium. in quarta collocantur
ferraroli,in quinta equites cataphracti. Hæ turmæ ductabantur à tergo à ſuis præfectis.Peditatus &
ipſe in tres phalanges diſtribuitur. vna Germanorum ductabatur à ſuis tribunis : alia Belgarū à Be-
nincorto,alia Hiſpanorum ab Aloyſio Caruagiale. Agamontius ſuis copijs ita diſtributis,quia vere
batur ne Gallis accederent auxilia, quòd cognouiſſet quendam Gallorum timorem, quòd eſſent
prǫda onuſti, nam opulentia plerunq; timidos facit in periculis, decernit ita conſulentibus prima-
rijs ducibus omnino hoſtem inuadi oportere.ſuos igitur primùm breuiter ad pugnā hortatur.Do-

Agamontij. oratio militaris.

cet in hac pugna atq; huius horæ dimicatione vniuerſam gloriam & ſecuritatem prǫſentium natio
num conſiſtere,cum toties fiat periculum cuiuſq; virtutis,quoties ad prælium acceditur:cū futurū
ſit vt hoſtes ſemel virtute Belgarū profligati nō tam facile poſtea Belgicos fines inuadāt.Veruntamē
nō de gloria ſolum demonſtrat nūc decerni,quæ vna poſſet eſſe ampliſſimū præmiū virorum bono
rū & fortium,ſed de totius Belgij imperio,deq; ampliſſimǫ regionis conſeruatione ac tranquillita-
te,in qua ſalus omnium propè præſentium nationū continetur,cum Belgæ ſint quaſi propugnacu
lū quoddam aduerſus Galliā Germanis,quibus ſubiugatis facilis daretur acceſſus ad reliquarū vr-
bium imperium. Neq; Hiſpaniā certè diutius fore tutam.vbi hoc impedimentū Gallis ſublatū fue-
rit, vnde minime poſſint ab Hiſpanicis expeditionibus reuocari ad propriorum lariū defenſionē.
Quare cum tot propoſita ſint præmia victoribus,cum Philippus rex ſuā conſeruationē in armis &
virtute præſentiū virorū fortiū collocarit,orat ne tanti Regis tam præclaram ſpem,& de ipſis conce
ptam opinionē fallant,præſertim cū de vita & ſpolijs & ſanguine cuiuſq; agatur,quǫ ſunt cuiq; pro

Thermei ad hortatio ad pugnam.

ampliſſimo regno.Thermeus omniū regum potentiſſimā reginam Neceſſitatē proponit.demon-
ſtrat neq; turpi quidem fugǫ locum eſſe,quæ tamen ſemper eſt periculoſa;cū pauci fugientes,multi
fortiter pugnantes ſeruari poſſint.Nihil eſſe hoſti formidabilius,quàm prudentem & grauem & cō
ſtantem aduerſarium habere; cum alioquin imbecillus & imbellis timidum & fugientē poſſit ob-
truncare. ſtrenuè pugnantem raro vel fortiſſimus ſuperat:fortuna enim belli communis eſt mater
viris fortibus & ſtrenuis,at timidis ſemper fuit nouerca. addit non nouas eſſe aut inauditas quaſdā
nationes, quæ aduerſus ipſos in acie conſtiterint, ſed quæ ſǫpius Gallica virtute fuerint profligatǫ.
multo eſſe honorificentiorem iacturam,quā ab hoſtibus non ſine ſua clade, patiamur,ſi ita ferat ex
aliqua parte fortuna belli,quàm ſi committatur vt in morem fǫminarum proiectis armis fugiamus
eiulantes,aut procidamus in genua vitam ac ſalutem noſtram in arbitrio crudelis victoris collocan-
tes. Nulla enim via clauſa eſt aut inuia ferro & virtuti. Quòd ſi priſtinæ & auitæ virtutis veſtræ me-
mineritis,certam victoriā vobis vaticinor. Accepto ſigno prǫlij, fortiter vtrinq; initur pugna. Ther-
meus fortiter ſuſtinet impetum hoſtium. primùm diſploduntur tormenta cum tanto fragore atq;
impetu vt magna facta impreſſione in equitatū ille propè in fugam ſit conuerſus,atq; vel Agamon-
tij equus fuit laniatus. Sequani tamen nihil illa clade ſuorum territi magno animo fortique proce-
dunt.res agitur cominus ſtrictis gladiis. Turma in turmam, phalanx in phalangem impetum facit;
vir cum viro,quaſi multis ſingularibus certaminibus pugnat, hos tympana,illos litui frequēti & aſ-
ſiduo ſono excitant ad pugnam. tantus ardor pugnantium, tam exiguus periculi metus, tanta erat
vbiq; ſpes victoriæ,vt diutiſſimè ancipiti prælio pugnaretur. Nam vbi deficerent aliquando Galli
vel Germani,tantus erat ardor virtuſq; Aquitanorum vt hoſtem repellerent, & ſpatium ſoli relicti
occuparēt.at Gallicus equitatus omnium propè equitatuum fortiſſimus propter eximiam nobilita
tem, quam in ſola ferè virtute armorum & peritia rei bellicæ Galli collocarunt, aliquanto timidius
certauit eo die.Illud prǫlium ita tamen dubium exitum erat habiturum,niſi fortuna Philippi Regis
felicitati fauens hǫſitantem Gallici exercitus euentum in deteriorem partem impuliſſet, vt neſcire-
tur facile vtrius futura eſſet victoria.Nam cum duodecim nauigia Britannica forte quo tempore pu
gnabatur per oceanum nauigarent, audito tormentorum & bellicorum inſtrumentorum ad pu-
gnam inuitantium ſtrepitu, proras in litora conuertunt.conſpectis Gallicis inſignibus Gallos è ma
ri tormentis impetunt. at Galli tanta rerum nouitate perculſi, veriti maiorem eſſe numerum naui-
giorum ita conſternātur, vt Sequanis acrius inuadentibus primum equitatus, poſtea peditatus pro-

Thermei error.

fligatus ſit terga vertens cum magna Agamontij gloria. Thermeus ob metum iacturǫ eius prædæ,
quam è Belgio diripuerat,accuſari poteſt,quòd priore nocte in tutum non ſe receperit, cū ratio bel
lica poſtulet vt potius impedimēta relinquantur ſuperuenientibus maioribus hoſtiū viribus,quàm
vt expectetur donec milites impediti vnà cum impedimentis in ſeruitutem trahantur, aut trucidē
tur.ſola excuſatio afferri poteſt,quòd res fuit ignota.at hic grauior eſt error ductātis exercitū, nullos
habere exploratores. Cæſi ſunt Galli circiter mille & quingenti.multi trucidati ab agreſtibus,qui om
nes aditus occupauerāt ob prædam. multi in fluuio, multi in mari ſunt ſuffocati,multi capti à Bri-
tannis,& ad ſignū victoriæ in Britanniam auecti. capti ſunt inſignes complures,inter quos ipſe Ther
meus ſummus imperator copiarū grauiter vulneratus,& Villebonius, Anibaultius, Sernarpontius,

Agamontij victoria.

Moruillierus & alii. Bellica tormēta,apparatus,inſignia militaria capta, prædaq; ex vniuerſo Belgio
abacta. Agamontius captiuos Gallos honorificè tractat,è cuius copiis pauciores quingētis deſidera-
ti.at pauci inſignes.illa clade nūtiata tres cohortes peditū,quas Thermeus iuſſerat caſtra ſequi,cōcre
mato oppido Doncherche ad vrbē Iciū properāt.ſed in itinere à copiis Philippicis ad vnū deprehēſi
trucidātur hǫc Thermei clades ita Galli Regis animū afflixit vt multa euerſa ſint conſilia,quippe cū
Regia tarditas augēdarū copiarū prǫterquam promiſſū fuerat,in eā calamitatē deniq; rē Gallicā ad-
duxerit,ac propè ſpē omnē pacis euerterit,quæ per ducem Lotaringiæ & coneſtabliū Gallicum tra
ctabatur.at contrà illa victoria non ſolum ſecuritatem præbuit finibus Belgarum, ſed etiam pluri-
mum exiſtimationis, quoniam vnà cum felicitate extollitur aut deprimitur animus mortalium.

deinde

deinde cum ratio rerum geſtarum à Philippo Rege inueſtigaretur, paucaq; de Hiſpanorũ virtute audiret, quia pauci conueniſſent, Caruagialis dicitur fuiſſe extremo ſupplicio affectus, ob ſtipendia iuania. Ea dum aguntur in Belgio modo his, modo illis partibus arridente fortuna, concluſa eſt pax per id tempus inter Philippum Regem & duces Parmenſem atq; Ferrarienſem per Venetorũ legationes & Ducis Hetruriæ, quo etiam tempore celebrantur nuptiæ tertiæ filiæ Coſmi Florentiæ Ducis, quam duxit Alphonſus princeps Ateſtinus.

Pax Ducis Ferrariẽſiscũ Philippo rege.

Nuptiæ principis Ferrariæ & filiæ Coſmi Florẽtini Ducis.

Ghiſius percepta clade copiarum Thermei deiectus de omni ſpæ potiundæ Auguſtæ, aut rei præclarè gerendæ relicta regione Romanduorum in Vermanduos ſe recipit, neq; multo poſt ad oppidum Pierrepontium conſedit, quòd Agamontius Marollas & Namburgum peteret. nam Ghiſius inde poterat & ſuis opẽ ferre finibus, & hoſtiũ impetus refrænare. Philippus vt victoriæ opportunitate vteretur adhuc recẽti ſuas copias vndiq; in regionẽ Arteſiam contrahit, multis viribus exercitum adauget. Britanni per illã infelicitatẽ Gallorum mirificè elati viſi ſunt ad res magnas aſpirare, quare ingentem claſſem tãtis, tam frequentibus, tam formidabilibus apparatibus inſtruunt ad Gallicos fines inuadendos, vt omnis Gallia contremiſcere videretur tot hoſtibus vbique excitatis. nam ducenta nauigia habentia carcheſia & amplius inſtructa ſunt cum tanto clamore, tanto tubarum claſſicorũq; ſtrepitu, tanto ſonitu tympanorũ, vt omnia vbiq; litora reboarent, mareq; ipſum propter multitudinem ac magnitudinem nonnullorũ nauigiorũ non ſolum tegeretur, ſed etiam plurimum fluctuaret. Poterãt ex hac claſſe exponi plura duodecim milibus hominum. præter multitudinem defendẽdis nauibus ordinariã, cui præerat claſſi cum ſummo imperio Milortus Clintonius Britanniæ Amiras. Sequebantur hãc claſſem viginti onerariæ Belgicę egregiè armatæ, quibus præerat Vachenus proamiras, id eſt præfecturæ nomen, Philippi Regis. Hæc claſſis ad litora Normaniæ appellens ad oppidum Conqueſtum, quod eſt in finibus eius regionis, expoſita parte copiarum obuia quæq; ferro atq; igni populatur.

Claſsis ingẽs Britanna, fruſtra parata.

at Cherſimontius vir Gallus magnæ & autoritatis & peritiæ rei bellicæ collectis octo millibus peditum ac mille equitibus eius loci per ſummam celeritatem, accerſitisq; veteranis cohortibus ex æſtiuis non ſolũ obſtitit illis incurſionibus, verum etiam fecit vt Britanni ad naues ſeſe propè curſim reciperent. Hæ copiæ dum colligebantur, confluxerat Cõqueſtam ad defenſionem magna accolarum multitudo, ſed Britanni tormentis in oppidum directis è nauibus tanta globorum procella diuerberant, vt oppidani territi patriam & facultates deſerentes aufugerint. oppidum itaque deſeritur præda Belgis & Britannis. Illi tanta feritate obuia quæq; deuaſtant ac diripiunt, vt nulli rei neq; ſacræ, neque profanæ parcitum ſit. Cherſimontius copiis in hos eductis pręlium committit. Belgæ à Britannis relicti ſtrenuè pugnantes trucidantur. Sic Britanna claſſis magnis ſumptibus inſtructa, cum mirificis bellicis apparatibus, quæ ferrum, flammas, cõpedes vniuerſæ Galliæ adiuuantibus præſertim Hiſpanis minitari apparebat, nulla re memorabili edita, multis mortalibus cæſis aut morbo abſũptis afflicta breui in patriam inanis reuertit. ita fit vt qui nihil in bello lucretur, multum neceſſario amittat, cum nihil medium in eo relinquatur. At enim quæ in Morinis, Ambiuaritis, Veromanduis, Caleſijs finibus ad hoc vſque tempus geſta fuerunt, quaſi ludicra quædam & præludia bellorum putari poterant, ſi conferantur cum regiis vtrinque apparatibus, & indignationibus, & ſpe hoſtis ſubiugandi. Nam Henricus tanto ſtudio, tantisque ſumptibus copias vndique colligebat, vt breui circiter viginti millia peditum Germanorum habuerit in caſtris, ad quem venerunt in caſtra cum lectiſſimis copiis Gulielmus ſecundus filius Ducis Saxonum, & Ioãnes Auguſtanus ſiue Auſpurgenſis, viresque cum Ghiſio coniunxerunt, præter Gallos & Heluetios & variarum nationum aliarum cohortes, & multum equitatum. Duces illi ad regem profecti vnà cum ipſo Rege ad oppidum Pierrepontium conueniunt multis acceptis honoribus, qui eo acceſſit ad viſendas collectas copias.

Henricus rex accedit in caſtra.

iuſſæ ſunt copiæ præſente Rege inſtrui in aciem. erant in caſtris Gallicis cum ipſo Rege Cantabrorum Rex, Ghiſius ſummus copiarum imperator; Lotaringiæ, Neomagenſis, Auguſtonometenſis, Mõpenſerius, Vmalius, Memorantius, Bullionius Duces, præter nobiles equites Gallos complures. Saxonum præterea dux & Caucorum, filius Lantgrauij Cattorum. princeps Ferrarienſis, Salernitanus, Sommeus, Marchiones autem, & Comites, & alij inſignes complures. Philippus Rex ex altera parte, qui copias ſummo ſtudio collegerat, & ipſe multis comitantibus principibus venit in caſtra, quæ non procul à Dorulenſio vrbe Gallica poſita fuerant, cum Philippus ſimularet ſe velle illam capere.

Philipp⁹ rex accedit in caſtra.

Erant in caſtris Philippicis circiter triginta millia peditum, quatuordecim equitum millia, non ſolum armis, ſed etiam propter recentes victorias animis egregiè ad pugnam inſtructorum. Nam ex Hiſpania, Germania, Britannia multum peditatum & equitatum acciuerat, & cum Belgicis copiis coniunxerat. erant inſigniores, Dux Sabaudienſis cum ſummo imperio copiarum ac poteſtate proregia in caſtris Philippi. Parmæ Placentiæque Dux, Sulmonenſis. Aterni Buxentique principes, Aſcanius Cornienſis. Albanus dux Hiſpanus, Arcuenſis, Francauillenſis, Villermoſæque præter marchiones, & Comites multos, è Germanis Veſſonenſis, & Herneſtus Duces, Maſſeltius, Renemburgius, Suuartzemburgius comites. Aurantius, & Agamontius Belgę. dux Areſcotenſis, alijque multi. Henricus quòd propenſam fortunam, fauentemque Hiſpano Regi non nihil formidaret, procraſtinare, non facere periculum ſuarum vitium, in ſuis finibus morari cæpit, ſiqua occupandę hoſtilis munitionis occaſio daretur, obſeruare cum igitur in finibus Ambianorum Philippus conſediſſet, Ghiſius ne Hiſpanus illam vrbem inuaderet pręmittit quatuor peditum cohortes & octo vexilla equitum. hortatur Humierem præſidiorum præfectum, vt omnia defenſioni neceſſaria compararet, ne repente ac improuiſus inuaderetur. Copiæ fluuiũ Sommã vocatũ traijcientes in altera ripa ſeptentrionem verſus extenduntur è regione Sequanorum, qui ad ripam ignobilis fluuij Anthiæ ad meridiem non procul à Gallis conſederant. Ibi tanquam alter

alterū eſſet obſidione defatigaturus caſtra vallis & foſsis & aggeribus & omni reparationū genere inſtruunt.dux Sabaudienſis eductis copiis ſecundum ripā Sōmæ fluminis Dorulenſiū verſus ſigna conuellit,quare Galli coacti ſunt metu eius loci amittēdi mutare caſtra,& ad Antiā cōſidere, atque caſtra nouis aggeribus,nouiſq; foſſis munire. dū hi duo exercitus tā ampli,tamq; potētes cū ſuis re gibus in aperto diutius cōſiſterent,quotidie minutis prælijs ſanè cruētis pugnabatur,ſępiuſq; agita tū eſt vtrinq; an belli fortuna eſset experiēda. Sed cū nemini tutū alterū intra aggeres aggredi vide retur,magnopereq; rex vterq; incertū belli euentū formidaret,quòd is,qui victus fuiſset, vno tēpo re de vniuerſo regno dimicaſſe apparebat,cū ambo totas propè ſuas vires eò cōtraxiſset, atq; variarū nationū copias haberēt,quę nō pro ſuis,ſed pro alienis laribus dimicarēt, viſa eſt certa pax & cōſeruatio regnorū,dubiæ victorię eſse pręferenda. deterrebant etiā reuocabantq; à pugna multę nō leues rationes,ſed illa imprimis Gallū quod eſset nō nihil ſuperioribus cladibus cōſternatus, quia fortuna belli nō parū timetur ab iis qui ſemel experti fuerint. at Hiſpano occurrebat rerū humanarū incōſtantia cū maxime formidandū ſit in rebus ſecūdis ne pro acceptis felicibus grauiſſima dāna ſequerentur.nā vt inſignes calores aut inſignia frigora magna vis grādinū,aut maxime mutationes rerū plerunq; conſequuntur, ſic in rebus imperiorum magnæ accidūt plerūq; viciſſitudines.ruſus igitur pacis negotiū renouatur Cercāpi,quod Lillæ fuerat incœptū. conuenerunt ad illud vtrinque viri prudentia & autoritate inſignes & regū nomine,& Britannorū,& ducis Sabaudiæ, qui omnes difficultates ad reges ipſos deferebant Sueſſanusdux Mediolani rebus tā vrbanis quā bellicis pręfectus, vbi intelligit facile eſse pręclarū aliquid facere in Gallia ſubalpina propter recentē cladē,atque imbecillitatem Gallici exercitus, animū eò conuertit vnde ſe plurimū incremēti rebus regiis allaturū ſperabat,decernit igitur prius arma importare illis partibus,quæ magis eſsent infeſtæ,queq; magis Cuniū & Foſsanū vexarēt. Sic.n,futurū erat vt finitima caſtella perpetuis hoſtiū moleſtijs liberarentur,neq; timerēt in horas vt repentinis Briſacij artibus & incurſionibus opprimerētur. illo cōſilio cū nemine cōmunicato Aſtā contēdit,ſoluto ex arcis cuſtodiis cū magna totius populi Mediolanēſis lætitia Frācisco Tauerna,qui in cuſtodias traditus erat ob acerrimas accuſationes, quòd auarè & tyrannicè magni cācellarii munus exercuiſset,accuſaſsetq; Ferrādū Gonzagā virū innocentiſſimū,recuperatis omnibus priſtinę dignitatis gradibus & honoribus. Aſtā profectus omnes copias eo contractas inuenit,vt iuſserat,cū quibus etiā Peſcolienſem marchionē, penes quē erat ſummū imperiū totius equitatus. copiæ primùm cenſę ſunt de more, vt ſciretur quibus viribus geratur bellū. Inuēta ſunt in caſtris tredecim millia peditū;triginta & tria vexilla Hiſpanorū ſcilicet, decem & octo Germanorū,ac totidē Italorū. Vndecim aderant vexilla equitū cataphractorū,& totidē galeati leuioris armaturę : nā erant duo equitū millia,quæ copiæ erant lectiſſimæ. Sed.n.cum Maria Britāniæ regina vxor Philippi Regis ſterilis eſſe diu appatuiſſet, quæ longū tēpus cū viro verſata concipere non potuiſſet,cępit ſuboriri ſuſpicio in animis catholicorū, ne ſi Maria deceſſiſſet, ſuccederetque Heliſabetta in regnū, vniuerſa vis rectorū cōſiliorū de religione,& quaſi poſtliminio dogmata catholicorū in patriā reuocata exterminarentur per nouā reginā,quæ iā tū cognoſcebatur nō ſolum Odoardi retinere opinionē,ſed etiā maxime ritibus catholicæ religionis Romanæ aduerſari,fuit nō nullorū conſiliū eſſe è publica vtilitate ad regni ipſius conſeruationē & quietē, & vt catholica religio in eo regno retineretur, vt Maria ſororē de medio tollendā curaret.eius rei nō contēnenda quibuſdā opportunitas apparebat,quod in animis ipſarū ſororū nō nihil inſidebat ſimultatis. Illud cōſiliū nō ſolū fuit ſtabilitū,ſed etiā accuratè ſuſceptū. Sed cū optatū finē non fuiſſet aſſecutū, res vniuerſa pateſacta eſt Heliſabettæ, cuius facinoris quidā è primariis conſiliarijs regiis dicti ſunt fuiſſe participes. Cauſa fuit ea cur Heliſabetta cæperit odio habere proceres catholicos eius regni, qui cū Hiſpanis conſiliariis dicti ſunt conſpiraſſe. fama fuit pręcipuæ autoritatis fuiſſe inter illos comitem Arondelū & Ducē Norfolciū & multos proceres Scotenſes, quia in regno moliri conarentur. non defuerunt qui ad incitandos animos & Heliſabettæ,& reliquorū principū nouę religionis aduerſus catholicos, rumorē diſſipauerint, habita fuiſſe Romę comitia eadem de cauſa & in Hiſpania, quod ipſum conſiliū & de Alenconio principe fuerit ſuſceptū, qui datus fuerat in cuſtodias à fratre rege, quoniā à maleuolis dictus fuerat & ipſe in regē ac matrē conſpiraſſe,& Condæus & rex Cantabrorū & ad triginta proceres, qui omnes capti sūt, ac poſtea dimiſſi. dicta eſt illa cōmunitas periculorū ac nouę religionis per Caſmirū amicitiā inter eos principes conciliaſſe, & grauiſſimū odiū excitaſſe in catholicos,& præſertim in Hiſpanos. Cæterū copijs omnibus ita cenſis ad Aſtam, vt diximus. Sueſſanus ad tertias vigilias egreditur ex Aſta cum denſo equitum ac peditum globo. oppidum diui Damiani explorat ad expugnationem, Galli egreſsi leue prelium committunt cum Italis & Hiſpanis. Hiſpani Gallos fuſos inſectantes ad portam vſq; oppidi procurrūt. Sueſſanus laudata vtriuſque nationis virtute,adiūctis etiam muneribus pro fortitudine,intelligit ex ea ſubitaria pugna oppidum natura & arte munitiſsimum validis pręſidijs eſſe firmatum. eadem ratione Citernam oppidum explorat non procul inde diſtās. copias mouet poſtridie. iubet ad pontem Rapolanium iter capere,ac inde ad villā Frācā,ea ſunt oppidorum nomina,caſtrametatur. ibi quaſdam Italas,Hiſpanas,Germanaſq; cohortes expectat, vt omnibus viribus in vnum coniunctis exercitus fieret ſatis validus. nullum tempus interim rebus tranſigendis vtile tranſmittit.cum mille & quingentis delectis peditibus ex omnibus nationibus multum agrum hoſtilem incurrit.omnia inueſtigat, explorat, rimatur, nullo intermiſſo tempore ab aurora ad ſecundas vigilias iter facit. Villam nouam relinquit à ſiniſtra.preteritis oppidis diui Michaelis & Pauli,& aliis cōpluribus apertis, iter conuertit ad ripā Cherii,ſūmā ripā, Amaremas, Foſſanū.caſtra deinde ponit ad Cētaliū Gallorū vrbē ad radices alpiū ſitā,vbi diligēter per viā Foſſani reuerſus exploraſſet,quę via foret accōmodatior trahēdis muralib⁹ tormentis

Franciſcus Tauerna abſolutus.

Sueſſani Ducis induſtria militaris. Centalij deſcriptio.

tormentis. eſt autem Centaliũ vrbs fertilis & abundans multarũ rerũ, forma ferè rotunda, habetq; quatuor propugnacula validiſſima, & arcẽ meridiẽ verſus vicinam portę ipſius vrbis, quæ cingitur foſſis ſatis ꝓfundis & multa aqua plenis. tormẽta nõnulla eadẽ nocte in vrbẽ dirigũtur, cõueniũt in quędã cohortes duce regulo Trinitatis. vrbs obſideri cępta duo de viginti tormẽtis cõcutitur. murus diuerberatur meridiẽ & auſtrũ verſus inter portã & oppidulũ intercurrẽs. Galli tametſi caſtella multa cõmeatu & præſidiis egregiè muniuerãt, vt diuũ Damianũ, Villãfrãcã, Cheriũ, Carmaniolã, tamẽ cõſiliorũ Sueſſani ignarus Briſacius venit in ſuſpicionẽ nequid inſidiarũ in aliquo horũ oppidorũ clã ſtrueretur. quo die Sueſſanus ad Cẽtaliũ caſtrametatur, Briſacius cognitis diligẽter Sueſſani viribus vrbẽ ingreditur. cũ alio Sueſſani cõſilia ſpectare prius viderẽtur, nõ curarat vt augerentur præſidia. ſic aliquãdo imperatori nõ vtile eſt rogare multorũ ſentẽtias, cũ multa feliciorẽ facilioremq; exitũ ſortiãtur, ſi prius a prudente imperatore ſint incępta quã cæteris audita. Nã qui imperitos homines militaribus rebus ꝓficiũt, ea ſpe deluſi, quòd imperiti cõſultoribus peritis vti poſſunt, perridiculi plane mihi vidẽtur: nõ ſolũ ea de cauſa ꝙ opportunitas præclarè agẽdi ſæpius elabitur dũ cõſultatur, ſed etiã quòd res, quæ ad multorũ aures perueniũt, difficilius occultãtur. atq; ab hoſtiũ exploratoribus cognitæ certiſſimã victoriã è manibus extorquẽt. Briſacius cognito poſtmodo Sueſſani cõſilio capiẽdi Cẽtalij cõtinuo Sauilianũ properat, quo experiretur an aliquo artificio & calliditate poſſet illũ inde abducere, ciuitatẽq; ſubleuare. Sed Italæ, Hiſpanæq; cohortes ductis foſſis propius ad vrbis reparationes penetrant. nitũtur lignorũ ac ſarculorũ opera aquas foſſarum per vias ſubterraneas deducere, cũ tamẽ nõ ceſſaretur magna Hiſpanorũ diligẽtia ac ſtudio mœnia concutere. Peſcolienſis ex altera parte vrbis oriẽtem verſus oẽs acceſſus occludẽs cũ equitatu, cum intelligeret quaſdã turmas equitatus Gallici vias infẽſtare, vexareq; accedentes in caſtra, in eas impetũ facit, quas partim trucidat, partim capit, pauci fugerũt. Dũ murus Cẽtalij quatitur, foſſęq; excauãtur ad aquas deducẽdas, vrbana præſidia acriter ſe defendũt, multas operas cũ cuſtodibus trucidant. multis detrimẽtis obſidẽtes affligũt. Sueſſanus his cladibus indignatus iubet acrius cõcuti murum ligneũ põtẽ iubet parari, qui ad murũ vſq; extẽderetur, vt copiæ planiorẽ haberẽt viã ad inuadẽdũ. Imperatur militibus vt ſumma diligẽtia curẽt ſequẽti nocte vt foſſæ ſiccarẽtur, quæ ob multas ꝓfunditates, multaſq; aquarũ ſcaturigines planè exiccari nõ poterãt. cæptũ eſt acumẽ propugnaculi ſarculis diuelli, quo delapſo Galli ingens incõmodũ erãt capturi. Sed.n. cũ intelligerẽt vrbẽ his ꝑſidiis diutius defendi nõ poſſe, ſibiq; viderẽtur omni auxiliorũ ſpe deſtituti, decernũt omniũ copiarũ conatũ minimè eſſe expectãdũ, ſed quãto honorificẽtioribus id fieri poſſet cõditionibus ſe dedere. Dũ operæ murũ ligonibus demoliũtur, copiæq; ad inuadẽdũ ſe accingũt, obſeſſi colloquiũ petũt. triũ horarũ ſpatiũ ad deditionẽ poſtulãt. niſi intra id accedãt ſubſidia, vrbẽ liberã Sueſſano pollicẽtur. addũt cõditionib⁹ vt armati ſub vexillis ad tympanorũ ſonitũ cũ equis, tormẽtis, impedimẽtis incolumes exirẽt quò liberet, reſpõſum eſt has eſſe victriciũ potius quã victarũ copiarũ cõditiones tã præclaras, tamq; honorificas.

*Centalij deditio.*

cõuenit deniq; vt armati duces incolumes, inermeſq; milites ex vrbe excederẽt. vbi duo vexilla pro munere peterẽtur, facile à Sueſſano cõceſſa ſunt.

*Sueſſani ducis magnificentia.*

Sueſſanus ita ꝑ deditionẽ vrbe potitur ſine multorũ iactura liberali magnificoq; animo præter cõditiones, & arma & impedimẽta Gallis largitur, cũ ſe nõ pro vili præda aut ſpoliis, ſed pro gloria, & militari decore, imperioq; ſui Regis amplitudine, militare diceret. erãt in eius vrbis ꝑſidiis pedites ſexcẽti, præter arma vrbana: qui in vrbe nõ valde ampla, & in defenſione loci munitiſſimi muliebrẽ potius timorẽ, quã vllã vel prudẽtiã vel militarẽ virtutẽ præ ſe tulerũt. Nã tametſi tormẽta muros aperiũt, tamẽ poſſunt interius foſſæ excauari, aggeres, valli, cuniculi cũ cadis pulueris tormẽtarij parari in inuaſuros, tormẽta multa dirigi in fronte & lateribus, vbi domus fuerint terra repletæ. multæ ſunt deniq; reparationes, quæ nõ minus munitas vrbes, quã męnia efficiunt. has neceſſitas acutiſſima rerũ omniũ magiſtra, & experiẽtia rerũ bellicarũ regina vtiliter mortales docuit. cũ nihil ſit tãtopere excitãs ingeniũ, quã difficultates & imminẽtia pericula.

*Pericula docent & ingenioſos faciũt homines.*

vbi magna ſit anguſtia loci & terræ penuria, neque aggeres pro deiectis mœnibus excitari noctu poſſint, aut vbi tãta ſit paucitas militũ, vt, propter aſſiduã paucorũ defatigationẽ reparationes nõ poſſint excitari, omnis excuſabilis eſt deditio, cũ nulla præſertim ſit ſpes ſubſidiorũ. at cõtra, nõ poſsũt nõ accuſari duces, qui præſidia belli fortunæ ita exponũt, vt vires & loca vno tẽpore amittãt, cũ ratio loci, præſidiorũ, apparatuũ, annonæ, ſubſidiorũ ad defenſionẽ aut deditionẽ ſit diligẽter cognoſcẽda, quã ignorãs militis nomine nõ eſt dignus.

*Militares monitus.*

Neque parũ cõtulit hæc vrbs ad Cunij trãquillitatẽ, cũ antea Cuniẽſes mirificè vexarẽtur à Cẽtalij præſidiis. Briſacius tulit grauiter eã deditionẽ, cũ ſciret vrbẽ eſſe propè inexpugnabilẽ, & quã rebus omnibus egregiè munitã reliquiſſet. id exiſtimãs ob imperitiã & metũ defenſorũ timiditatẽq; accidiſſe, prefectũ capitis cõdẽnat, reliquos duces aut cõſultores tã fedę deditionis omni ſtipẽdio priuat, omniq; dignitate militari. Poſtea ne Sueſſanus aliquod oppidũ caperet, quod plurimi intereſſet rei bellicæ, omnibus ꝓ pręſenti opportunitate cõſulit, ipſe cũ magno globo militũ proſpectat quo tenderẽt cõſilia hoſtis, iis incõmodis occurrẽs, quę ab equitatu Peſcoliẽſis cũcta incurſionib⁹ ac ꝑdationibus deuaſtãte inferebãtur. Peſcoliẽſis Roccauionẽ oppidũ capit à Gallis munitũ, quibus felicibus rerũ Hiſpanarũ ſucceſſibus Gallici animi ita cõſternãtur, vt nõ auderẽt exire ĩ apertũ.

*Roccauio opp. captũ. Initia bellorum qualia.*

Sic ſit plerũq; vt primi vel proſperi vel aduerſi fortunę ſucceſſus tãta ſpe aut trepidatione impleãt animos mortaliũ, vt ea quaſi plana aut occluſa ſit via ad res cęteras cõſequẽdas. Nã acquiſita exiſtimatio proxima quęq; facit paratiora ad bellicã laudẽ, & ad cæteras victorias. Sueſſanus deinde Cuniũ & Foſſanum annona Centalij inuẽta munit, atq, quoniã cõclusũ fuerat in militari cõcilio vti Cuniũ tãta moleſtia liberaretur, iuſſum eſt Cẽtaliũ męnibus nudari. reparationes eueri. foſſas munitionũ ruinis repleri. oppidulum & omnia propinqua ędificia flammis abſumi, ita vt omnis ſpes hoſti adimeretur

Centaliũ mę nibus nudatum.

eius vrbis in poſterum muniendæ. neque enim vtile eſt munita loca eſſe frequẽtia & valde vicina, cum ob ſumptuum magnitudinem, tum ob agri anguſtiam, & inopiam commeatus. Centalio ita mœnibus nudato Foſſanum, & Cunium magna trepidatione, perpetuaque moleſtia finitimorum hoſtium liberantur. Sueſſanus his actis celeriter caſtra mouet. Montem Caluum oppidũ breui expugnat. poſitis ibi præſidiis & neceſſariò commeatu Caſale verſus ſigna mouet. ibi cũ proditio ſtrueretur ab ijs, qui fouebãt clam Hiſpanas partes, ſtatuit fortunę conſilium experiri, quæ hactenus perbenigna viſa fuiſſet. tum ad tertium lapidem ab vrbe poſitis caſtris apud vicum Diui Martini, ipſe propius accedit. ſitum vrbis è colle quadam nemoroſo ſpeculatur. duces ad comitia militaria conuocat. explicato vrbis ſitu diſquirit ſententias, an vrbs per obſidionem ſit ad deditionem cogenda, vel expugnanda vi tormentorum & virtute oppugnantium. diligenter intuentibus rem, viſum eſt negotium labore plenum: & vt alterum laborioſum, ita periculoſum alterum. nã ſi per obſidionem res tentaretur, obſidio videbatur fore diuturna, quamobrem magni ſumptus erant faciẽdi, & vicinis hoſtibus penuria rei frumentariæ laborandum in caſtris, cum ſuccreſcentibus Gallicis copiis non minus eſſent obſidendi, quàm obſeſſuri. deinde non eſſe tutum dicebatur obſidere vrbes potentiſſimorum principum, qui poſſent ingentes copias colligere, ſi tẽpus daretur; quo pacto vna hora ſuſcepti labores diuturni fierent vani, aut etiam de propria ſalute eſſet dimicandum. id fieri poſſe aduerſus imbecilliores, qui nullo pacto poſſent in aperto conſiſtere. Alij ſentiebant locum nulla vi armorum eſſe tentandum, vt natura & arte munitiſſimum, qui apparebat nullis viribus poſſe expugnari. non eſſe committendum vt præſentes copiæ multa induſtria collectæ debilitentur aut infringantur fruſtra ſuſceptis duriſſimis laboribus, atq; vniuerſa exiſtimatio per ſuperiores victorias collecta temerè effunderetur per hanc vrbem fruſtra tentatam cum magna hoſtium lætitia. nihil tantopere deuitandum eſſe imperatori, quàm ne videatur potius fortuna, quàm prudentia & iudicio viciſſe; quia ſola virtus facit imperatorem verè laudabilem. Sueſſanus his commotus, & quòd ſciret agi de pace inter reges, noluit inuadenda vrbe fortunam belli experiri, ſed tantum videri aliquid agere. decernit igitur vrbem nullo pacto eſſe tentandam, vel cogendam ad deditionem per obſidionem diuturnam. Vicum Diui Martini munit vt in optimo ſitu poſitum, vnde Caſalenſes poſſent infeſtari, quod mira celeritate efficitur. locat in præſidiis duo millia peditum, equites quingentos, qui tametſi leuibus præliis ſæpe certarunt cum Caſalenſibus, tamen nihil memoria dignum fecerunt vſq; ad pacem. cęterum copiæ duorum regum ita propinquæ Morinorum finibus & ipſæ propè ſegnes morabantur, cum Vidamus Icii præfectus conatus eſt oppidum Oromanſacorũ per proditionem capere per captiuos Gallos: at res patefacta per Hiſpanum exulem, Gallis extremorũ ſuppliciorum cauſa fuit, Hiſpano reuocationis in patriam. Gallicę cohortes ad proditionem profectæ, neſciæ proditionis patefactæ partim trucidantur, partim fuga ſe ſeruant. Dum ita conſiſterent exercitus nouis ſemper viribus accedentibus ex Italia, Germania, alijſq; nationibus, qui de pace agebant veriti aliquam inſignem calamitatem euenturam, cum cęptum eſſet annonæ penuria laborare in vtriſq; caſtris, negotium diligentius procurant. cum eius magna & propè certa ſpes eſſe videretur regibus, cum in multis conuenirent, copiæ ſoluuntur paulatim hyeme præſertim accedente. ad euitandas etiam controuerſias procul vtriq; inuicem exercitus recedunt. conuenerant inter pacem tractantes in abbatia Cercampi oppidi, quod eſt in finibus Belgarum, Veromanduorum & Arreſiæ, vt coneſtablius nuper redemptus centum & quinquaginta millibus nummum, & Mareſciallus Sãcti Andreæ, epiſcopus Aurelianus, & Albaſpina à ſecretis Henrici nomine accederent. at nomine Philippi Albanus Dux, princeps Murãtius, epiſcopus Rigiaci, Ringomes Sylua, Villius Zuccherus præſes priuati concilii regii. Britanniæ, & ducis Sabaudienſis pręterea nomine quædam legationes. Sed iam omnia ferè fuerant compoſita, ſolaq; difficultas reliqua erat de Ceſoniaco nauali, pro qua purpuratus card. Lotaringiæ ad Philippum, coneſtablius ad Henricum acceſſerant. ſed reſponſum non prius ad reginam Britanniæ peruenit, quàm nũtius ad reges de reginæ ipſius interitu, quæ res animos de pace agentium non mediocriter afflixit. Nam Maria Britannię regina cũ in hydropiſim incidiſſet, tumeſceretq; venter, grauida eſſe putabatur, atque vt ſunt mentes mortalium ad credẽda quę cupiunt maximè propenſa, non modo illud facile creditum eſt, ſed etiam diuerſam plane diætę rationem tenuit atque ratio morbi requirebat, cum minime per illam credulitatẽ curaretur. mortua eſt & Maria Caroli Quinti, quę cum multa laude res Belgicas multos annos adminiſtrauit. Nã res per multos dies eſt intermiſſa. Carolus interea Philippi Regis pater, dum armis certatur in finibus Belgarum ac Celtarum, poſt multas febres diuturna valetudine afflictus, naturę conceſſit. ea res valde animum Philippi vexauit, & ab omni cõſideratione de pace vel bello ad lacrymas domeſticas traduxit. fuit ſepultus Carolus in Betica, vbi reges Hiſpani ſepeliri ſolent, Philippi iuſſu cum magna exequiarum magnificentia. Mortuæ Mariæ Britannæ ſucceſſit in regnum non ſine aliquo Britannorum tumultu Heliſabeta Henrici & Annę Bolemiæ filia ſpuria, ętatis vigintiquinq; annorum, inter hæretica dogmata educata, quare renouata eſt omnis hæreſis in ea inſula, quantumque ſanctitatis per multos labores a Polo card. & Maria regina fuerat collectum, id totum vna hora euerſum & profuſum eſt. Philippus Bruxellis funus paternum cum regia exequiarum magnificentia celebrat, inter quas exequias nauis erat multis tecta luminibus, atq; in ea multæ Caroli olim Imperatoris res geſtæ præſtantiores depictæ. dum Bruxellis exequiæ, in Gallia magnificentiſſimæ nuptiæ celebrabantur, omniaq; erant lacrymarum & lætitiæ & conuiuiorum plena, quia Carolus dux Lotaringiæ Claudiam filiã ſecũdam Henrici Regis ducebat, rurſus pacis negotium reſumitur, ne res in annum ſequentem ad tempus exeundi protracta plures calamitates importaret.

Obſeſſuris rationes ſpectãdæ.

Caroli Quinti mors.

Mariæ Britãnę reginæ mors.

Heliſabeta regina creata.

*LIBRI VNDECIMI FINIS.*

NATALIS

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS,

## LIBER DVODECIMVS.

QVONIAM verò nihil eſt non modo ſempiternum in rebus humanis,ſed ne
que diuturnum quidem,cum omnia vim contrariorum, naturamq; corru
ptionis intra ſe contineant,inde fit vti neq; diuturna lętitia gaudere,neque
diuturna moleſtia triſtari magnopere poſſimus. Vt enim naturalia corpo-
ra cōpoſita è contrarijs non modo difficulter creſcūt, & cum multis mole-
ſtijs ad ſenectam perueniunt,ſic negotia,quæ multorū opera indigent , nō
facile ad exitum perducūtur, vbi pręſertim locū habet auaritia & cupiditas
opulentię.inde fit vt faciliora ſint bellorum initia, quā pacis,quia per bella
res aliorū ſemper ferè expetuntur. Nam ſi bellorū naturā rectè conſidere-
mus,tanquam ratione prædití & viri boni, vel nomen ipſum demonſtrabit
id proprium eſſe belluarum quod bellum dicitur, cum bellorum cauſę plerunq; careant vera ratio-
ne,aut ita vanę ſint,vt nullū bellū ſit dignū homine diuina mente prædicto.eius rei veritatē quiuis
facile intelliget,ſi iura belli,quæ videntur Reges ſibi legitima facere propter potentiam ad vſum pri
uatorū detorqueat. Nā quę per vim armorū capta ſunt reges tam ſua eſſe contendūt,quā quæ coē-
pta ſunt & iure acquiſita;qm̄ ius inqurunt eſſe in armis. Illud ſi priuatis cōcedatur, pulcherrima & Bella æquitati ſunt aduerſaria.
precioſiora quęq; a debilioribus extorquebuntur. Imbecilliores cōcedent potētioribus filias,vxo-
res,lares,prædia,ſupellectilē. filij debiliorū captiui in ſeruitutem abducentur: quod ipſum rurſus ac
cidet inter hos potentiores,niſi omnes ſint pares & inuulnerabiles. Ita fiet vt vniuerſæ vrbes futuræ
ſint officinę latrociniorū,prædationū,plagarū,quæ infligātur viris bonis nō vltro cedētibus. Quod
ſi iniquū eſt inter priuatos,cuiuſce rei cauſa latę ſunt imperatorię leges,quo pacto ęquū erit inter
reges?nā ſi ęquitas expeteretur potius,quā res alienę per bella,poſt ſumpta ſupplicia de conſcelera-
tis,eſſet ab alieno imperio occupādo abſtinēdū;quo pacto facile pax cōponeretur. Sed iā inierat an- 1559
nus ſalutis noſtrę nonus poſt mille quingenros & quinquaginta, cū Ferdinādus nouus Imperator
inſtabat Germanis principibus vt adeſſent comitiis, quę Auguſtā ſuperiore anno indicta fuerant. Comitia Auguſtam indicta.
Henricus vt Gallicis legationibus intereſſe liceret hiſce comitiis miſit Araldū, id eſt nomē regiorū
miniſtrorū,qui iſtud ipſum a Cęſare impetraret. Nā Hēricus per eā opportunitatē ſtudebat nō ſo-
lū habere ſuſpenſum animū Philippi Regis,niſi pax cōponeretur, ꝓpter amicitias Germanorum
cū ipſo Rege, verū etiā vt clā ageretut cū nōnullis ducibus de colligēdis educendiſq; quindecim pe-
ditū,tribuſq; equitū millibus. Iſtud facile fore cēſebatur, quia nullus apparatus Turcicus aduerſus
Pānoniā in pręſentē annū exaudiebatur. Vbi aduētarēt Gallicę legationes,oēs ferè ſtatim electores
ac principes ad comitia cōuocati accedūt. Cęſar Imperatorio habitu indutus cū inſignibus ſedēs in
ſublimiore throno ſub vmbella in ampla aula Auguſtani palatii, a dextra habebat archiepiſcopum
Mocōtiacū, Colonię Agrippinēſis legationē,archiducē Carolū, epiſcopū Iuuaniēſem Prutenorū Ferd.Imperatoris & comitiorū maieſtas.
magiſtrū,cū multis aliis proceribus.a ſiniſtra erat epiſcopus Treuirorū,legatio ducis Saxonū, comi
tis Intuergorū Rheni,marchioniſq; Sēnonū,dux Boiorū,Comes palatinus.nō elector,dux Pharodi
nēſis,dux Intuergorū,aliiq; proceres permulti.è regione horū ſedebāt Bordilioneus regulus,& epi
ſcopus Iuliobonenſis,legationes Gallicę,quibus Cęſar audiētiā cōceſſit. illę oēs Gallicas vires,om-
neq; humanitatis genus Regio nomine ad cōſeruationē Imperii promittunt.diuturnā , verāq; ami-
citiā offerunt;pro quibus poſtulant perpetuū fędus a Cæſare & ab electoribus.Reſpōſum eſt amici
tiam & perpetuum fędus poſſe facile inueniri,ſi verba nō diſſentiant ab ipſis rebus. Quod ſi Hen-
ricus Diuodurum,aliaq; oppida capta Imperio reſtituat,tunc facile conſecuturum perpetuam ami
citiam, futurumque vt ſatis eius votis fieret. Gallici oratores, ſe non habere horum facultátem

Diuodurum repetitum à Cæſare.

reſpondent, ſed delaturos ad regem quæcunq; audiuiſſent. Tum Cæſar è throno conſurgens oratores ad conuiuium adducit, alioſq; inſignes proceres, quos multo proſequitur honore. Deliguntur oratores ad res Diuoduri componendas ſacer purpuratus Auguſtanus, & Dux Intuergorum. per idem tempus non mediocriter animos mortalium in illis regionibus infeſtauit is nuntius, qui ſignificauit purpuratum Curtenſem, Myſiæque inferioris præfectum præter omnium expectationem ingentes copias colligere. cauſa horum bellorum erat, quia Ioanni Pannonię inferioris Regi

Ioannis Regis Tranſyluanię bellū.

Ioanna Ferdinandi filia promiſſa fuerat in matrimoniū, at non data. ad eius iniuriæ vltionem, & ad ſuum regnum recuperādum aſpirans animum adiecerat, multaque iam cœperat caſtella. eius ſtudium plurimum à Pannonibus proceribus adiuuabatur, qui putabant ſibi quoque fieri iniuriam. Ioannes collectis multis Turcarum auxilijs vniuerſam Pannoniam erat capturus, niſi magnis viribus reſiſteretur. Sed Ferdinandus collecto ſatis valido exercitu Tranſyluani incurſiones, quæ fiebant in fines Pannoniæ, refrēnat. Sarmatarum rex, alijque principes nonnulli veriti ne arma Turcica ſic in Pannoniam allicerentur, cum communi omnium finitimorum periculo, quæ iam nimis excreuiſſent per Chriſtianorum principum diſcordias, eſſentque intolerabilia, rem componere pro viribus nituntur. Cęſaremq; hortantur vt copias retraheret ab ijs finibus, quod ipſum fit à Tranſyluano. cęptum eſt igitur legationes mittere de pace agētes, & filiam Cæſaris in matrimonium poſtulantes. Vbi peruentum eſt Iuliobonam, publicè audientia legationibus conceditur, quæ cum dicerent initio ſuæ orationis ſe miſſas fuiſſe à Ioanne rege Pannoniæ inferioris & Tranſyluaniæ, minimè, ſunt auditæ.

Ferd. non audit legationes vt regis, ſed vt Vaiuodæ.

Nam Cæſar ſe nulla ratione laturum eſſe dicebat vt Ioannes ſe regem Pannoniæ, ſed vt Vaiuodam, appellaret; cum illud regnum ad Ferdinandum perueniſſet iure hæreditario, at nō vſurpatum ſit, vti fuerat ab eius patre. Quod ſi vellent audiri, ſignificabatur ne nominarent Ioannē Regem Pannoniæ inferioris aut Tranſyluaniæ, ſed tantum Vaiuodam eius prouinciæ. Illud cū oratores facere noluiſſent, miſſus eſt nuntius ad Poloniæ regem, qui ſtatuit ne rex Pannoniæ tunc, ſed

Tituli quanti faciendi.

tantum eorum, quæ poſſidebat, nominaretur; cum promiſſa non eſſent ſeruata. Deniq; poſt quaſdā de Tranſyluaniæ nomine controuerſias legationes admiſſæ, auditęq; fuerunt. petebant hę legationes vt Cæſar excederet è rebus Tranſyluanis, atq; factis perpetuis inducijs filiam in matrimonium Regi Tranſyluaniæ concederet cum dote centum millium nummorum. atq; omnia vltra Tibiſcū fluuium eſſent Tranſyluani, quæ citra fluuium eſsent, ea cuncta Cæſaris intelligerentur. Ne teneretur Ioannes ijs bellis ſe implicare, quæ aduerſus Turcas gererentur; quia nollet ab amicitia eius Imperatoris recedere. Profitebatur tamen ſe non eſse ſuſcepturum Turcicas partes aut ſecuturum, ſi bellum in Pannoniam inferretur aduerſus Ferdinandum. Petebant vt omnia ſoluerentur, quæ debebantur Iſabellæ reginæ matri: quæ debebantur poſt mortem inquam Ioannis Regis mariti. His petitionibus partim Cæſar aſsentiebat, partim ęgrè ferebat, renuebatq; quę maioris eſsent momenti. Nolebat affinitatem contrahere, ne cederet ſua iura in Tranſyluaniam: quare Poloni Regis, ac cęterorum principum ſtudia irrita fiunt & inania. ſic igitur nulla re ſtabilita legationes vacuis manibus, vt aiunt, remittuntur in Ttranſyluaniam. Inde factum eſt vt ingentes apparatus poſtmodo

Prodigium.

fierent à Tranſyluano cum auxiliis Turcarum, multæque calamitates in Chriſtianos ſubditos redundarint, quas & crinita ſtella viſa in Italia, & duo ſoles ibidem conſpecti initio præſentis anni portendebant. hos paulopoſt inſignis imber ſecutus eſt, atque ita euanuerunt. Cæſar his rebus nouis commotus, primùm à ſuis ſubditis, deinde à principibus Imperii ſubſidia poſtulat Boemia, Iapidia, Iſpurgii, Carinthia, certam pecuniam offerunt pro precio ſuarum facultatum. Princi-

Bellici apparatus Cæſari in Tranſiluaniam.

pes imperii peditatum, equitatum, pecuniam, ſi res ita poſtulaſset. Atqui dum ſpectatur quò tendant conſilia Turcarum, ſexcenta millia Talarorum conceſsa ſunt Cæſari, quæ ſoluerentur intra tres menſes, vbi mallet Cæſar. Deinde ventum eſt ad ea tractanda, quæ pertinebant ad religionem, & ad componendas diſcordias inter Germanos principes, ad redintegrandum imperium, ad rationem recuperandorum, quæ forent imperii, ab exteris principibus occupata. actum eſt vt obſeruarentur omnia ad religionem ſpectantia, quæ decreta fuiſsent in comitiis Artobrigenſibus Vindeliciæ, & in Auguſtanis imperatore Carolo Quinto. nam religionis cum ceteris Chriſtianis coniunctio & communitas plurimum facere proponebatur non ſolum ad diuinas, ſed etiam ad humanas vires coniungendas. quia breui fore videbatur vt omnia hæreſeos ſemina nullo propè labore conuellerentur, ſi Germania ad verum priſtinum cultum diuinum rediiſſet. Quòd ſi vellent Germani aliquas dubitationes ſolui, id commodè fieri poſse in ſacra ſynodo, quam breui fieri procuraſset. ſed vana fuerunt omnia propoſita, quòd ad pacem concordiamque conſeruandam neceſse fuit inſiſtere Auguſtanis decretis, cum præſertim maximè inſtaret bellum Turcarum, quod propter potentiam & fortunā & vicinitatem eius principis, erat maximè periculoſum. Quæ dum aguntur in Germanicis comitiis à Cęſare; ita res ad pacem inter duos reges componuntur, nulla vt reliqua eſset differentia, pręter quam de Ceſoniaco nauali, quod Philippus rex ſibi omnino reddi oportere decreuerat, tanquam ad ſe pertinens. At Heliſabetta noua Britannię regina,

Pax Henrici cum regina Britannię.

quia verebatur multis de cauſis, ne inter pacis conditiones & ipſa non includeretur; ſed imprimis quia nouam religionem complexa fuiſset, clam ſuo regnique ſui nomine pacem cum Gallo Rege compoſuerat. ita relicto Icio ac Ceſoniaco nauali Gallis vt intra ſpatium octo annorum vel illam ditionem Britannis reſtitueret, vel quingenta nummûm millia diſsolueret, ad ha-

Res pacem regum quæ impedierāt.

rum rerum obſeruationem quatuor obſides promiſſi ſunt pro delectū ipſius reginæ. illa ſola differentia cum reliqua eſset, ita compoſita pax optatiſſima denique inter duos Reges in oppidulo Samarobrigę concluditur. Illę difficultates, quę tandiu pacem ipſam diſtulerunt, & in tertium non. aprilis prorogarunt, fuerant hæ. Quòd vbi primum actum eſt de pace Lillæ, ac poſtea Cercā-

pi

pi mentio facta eſt de iuribus, quæ habet Gallus in regnum Neapolitanum, principatum Mediolani, in Belgium, in Arteſiam, Lillam, Baganum, & alias quaſdam vrbes. rurſus facta eſt mentio de iuribus, quæ habet Hiſpanus in principatum Sequanorum & Prouinciæ, in vrbes in ripa Sommæ fluminis poſitas, in principatum Icij, ſiue Boloniæ Belgicæ. Sed quoniam videbatur non paruum fore negotium ſi recentiores controuerſiæ componerentur, nedum repeterentur antiquiores illæ & auitæ, decernitur vt antiquis ſilentio prætermiſſis contentionibus, pax his conditionibus concludatur. 1. Vt omnes compoſitiones & fœdera ac pactiones inter Cæſarem & Henricum Regem præſentem ſecundum ictæ anno primo poſt mille quingentos & quinquaginta à partu Virginis, nuperque confirmatæ à Philippo Rege, firmæ rataeq; ſint, niſi aliquid proprium in huiuſce pacis conditionibns fuerit decretum. 2. Vt inter duos Reges, & legitimos eorum ſucceſſores perpetua pax, & ſempiterna amicitia foret, omniaq; beneuolenriæ officia mutuo tribuerentur, quæ pręſtari poſsēt ad conſeruationem regnorum, atque omnes amicitiæ, federationes, & conſuetudines deſererentur, quæ poſſent alteri obeſſe quauis ratione. 3. Vt ambo pro viribus procurarent chriſtianorum ſalutē, & vt Synodus haberetur vniuerſorum chriſtianorum ad extirpādas hæreſes. 4. Vt amborum regum ſubditi, vel ſi aduerſariæ parti interfuiſſent, omnium ſuorum bonorum vel fiſco addictorum, aut diuenditorum integram poſſeſſionem aſſequantur & veniam ob præſens bellum in omnibus regnis, principatibus, regionibus, prouinciis, vrbibus amborum regum; præter exules Neapolitanos, Siculos, Inſubres. 5. Vt ſubditi poſſint tutò inuicem negotiari, mercimoniaq; importare & efferre pro legibus ciuitatum. 6. Vt ab hoc ipſo die nullam prædam aut captiuū liceat abducere ab exercitibus, ſed ablata per vim, reſtituantur in integrum. 7. Vt priuilegia, iura, conceſſiones ſubditis Belgis, & in Arteſia, & in Gallia reſtituātur, & Gallis in regionibus Philippi Regis. 8. Vt Mariæ Luſitanæ puellæ, filiæ reginæ Gallicæ defunctæ liceat dote materna frui, atque vſumfructum capere pro libito. 9. Vt ad ipſius pacis confirmationem vterque rex reſtituat quidquid captū alterius tenet ab anno primo poſt mille quingentos & quinquaginta ad hanc vſque diem, quæ nomine exprimantur. 10. Vt Gallus redderet Hiſpano regi Teonuillam, Mariæburgum, Epoſium vicum, Danuillam, Mommedium. In Italia, Valentium, & omnia munita oppida integra, nulla re infracta aut euerſa, præter mœnia Iuoi pro euerſa Teruanna, quarum vrbiū neutra muniatur amplius. Hiſpanus contra Gallo reſtituat Veromandum, Chiatellettum, Hannum cum omnibus ad ipſa pertinentibus. 11. Vt primogenitus Henrici principatum Crauacorij cum omnibus ſuis iuribus poſſideret, & principis Gieueninghę. 12. Vt ad ſtabiliorem pacis confirmationem, perpetuamq; obliuionem iniuriarū vtrinque acceptarum, Philippus ipſe, quamuis Carolo filio promiſſa fuerat, duceret in matrimoniū Iſabellam maiorem natu Henrici filiam, cui in dotem diſſoluerentur quadringenta nummum millia. 13. Vt Rex Henricus duci Sabaudienſi vniuerſum ſuum principatum reſtituat vltra citraque alpes: pręter Auguſtam Tauricorum, Cherium, Pinarolum, nouam villam Aſtæ, & Cliuaſcum oppida, quę per triennium tenerentur, donec controuerſia illa pro iure iudicaretur, atque Philippus interim Aſtam poſſideret, donec Gallus prędicta reſtitueret. 14. Vt Sabaudienſis neutri parti magis faueret, aut adhæreret, vxoremq, duceret Margheritam Henrici ſororem, cui darentur in dotem, trecenta millia nummum, & principatus Berrij vſusfructus donec viueret Henricus. 15. Vt Henricus excederet ex omnibus locis, quæ occupauerat in Hetruria in Senenſi ditione, omneſq; milites reuocaret. 16. Vt montis Alcinoi ciuibus venia concedatur, qui ſeſe ſubiicerent magiſtratibus Senenſibus. 17. Vt omnia quæ ceperat in Cyrno inſula, vltro reſtitueret Genuenſibus, præter tormenta, apparatus bellicos, & annonam, quæ ſint Henrici, omneſque veniam conſequantur, qui Gallicas partes fuiſſent complexi. 18. Vt epiſcopo Eburonum reſtituatur Bullionum, & omnia, quæ capta fuiſſent eiuſdem ditionis. Vt vterque Rex duci Mātuano reſtituat quidquid poſſidet in principatu Mōtisferrati, quorum arbitrio conceſſum ſit demoliri munitiones, ſiquas extruxerint: atque tormenta & omnes reliquos bellicos apparatus, vt liceret exportare, neque tamen moleſtiæ quid inferatur, ſiqui aduerſarias partes ſecuti fuerint. 19. Vt Ediuum telinquatur Hiſpano regi tanquam patrimonium, cui Henricus omnia ſua iura ſiqua habet, renuntiat. 20. Vt Philippus principatum Carloenſem liberum haberet. 21. Vt controuerſia de finibus Arteſiæ ab inſtituendis aſſignandiſque iudicibus diiudicetur, neque liceat interim regum ſubditis auxilia petere ad fines determinādos ſub grauiſſimis pęnis. 22. Vt philippus reſtituat ſine præiudicio vtriuſque Regis Matronæ principi Tutteuillenſi ditionem Sancti Pauli integram vt erat ante incœptum bellum. 23. Vt prædictæ reſtitutiones fiunt ab Henrico primum intra ſpatium trium menſiū. 24. Vt Philippus poſtea primo menſe omnia exequatur. 25. Vt darentur quatuor obſides Hērico, qui ab eo nominati poſtulatiq; ſint, vt Albanus dux, Agamontius, Aurantius, Arcuenſis. 26. Vt in ea pace cōprehenderentur ſummus Pontifex, Cæſar cum omnibus filiis, regnis, iuribus, ſubditis, & qui præcipue nominati eſſent, pręter rebelles. ita electores, principes, principatus, vrbeſq; imperij catholicæ Germanæ. Dux Menapiorum, epiſcopus Cameracenſis, vrbes maritimæ Buſaterorum finitimę, Comites Buſaterorū ad oriētem. Rex Luſitaniæ, Sarmatię, Danię, Suetię, Scotię, Britannię, Veneti, Heluetij, Rheti, Duces Florentię ac Senę, Lotaringię, Ferrarię, Vrbini, Mantuę, Parmę ac Placentię, Reſp. Genuenſis ac Lucēſis. Ad has conditiones additum eſt ab vtriſque regibus pręterea vltro affirmantibus, quòd nihil rerum nouarum molientur inter Chriſtianos, quod poſſit eſſe detrimento vel ſacro Imperio, vel Germanicę nationi, vel eius ordinibus aut magiſtratibus; ſed ſemper omnium chriſtianorum vtilitatē procuraturos, quęque ad ſalutem, concordiam, conſeruationemque pertinerent. Hę conditiones ſubſcriptione & iuramento vtriuſque Regis comprobatę fuerunt, & pręterea Caroli Hiſpaniæ principis, & primogeniri Henrici. Hæc pax ſtatim Samarobrigæ publice pronūtiata per præconem vni-

Pax Henrici Regis cum Philippo & conditiones.

uerſæ

uerſæ Galliæ, Hiſpaniæ, Italiæ iucundiſſima euenit; quare editæ ſunt vbique magnæ lætitiæ ſignificationes, & nocturni ignes accenſi, & ingens æris campani tinnitus ad medias vſque noctes excitatus, & parata mutua ciuium conuiuia, & ſupplicationes inſtitutæ, cum omnia pace illa exultare viderentur. Nam ita erant oppreſſæ afflictæque prouinciæ diuturnitate bellorum, ita vexatæ ciuitates tributorum magnitudine, ita regiones conquaſſatæ ac propè euerſę, vt multi ad fugam relictis bonis & auitis laribus iam iam proſpectarent. Sed tamen res ita compoſitæ non diuturnam quietem prouincijs attulerunt: nam vix erant extincti ignes lętitiam ſignificantes, vix cineres teporem deferueſcentes amiſerant, vix aures mortalium deſtiterant audire tinnitum campani ęris recentem, aut bombum tormentorum, cũ ſignificatur opus eſſe nouis tributis ad ęs alienũ diſſoluendũ, quod per aſſidua bella reges contraxerant, multaque debebantur militibus ſtipendia, quæ ſtatim diſſolui oportebat. His moleſtis nuntijs ita ſunt repente conſternati animi populorum, nullum vt finem tantis ærumnis futurum arbitrarentur. ita omnia querelis, lamentationibusque implebantur, vt mirum videretur; cum in ea re, quæ ſola apparebat refugium præſentium, præteritarumq; miſeriarum, tantum ineſſet malorum, ac ferè plus detrimenti è pace, quàm è bello caperent. nam non ſolùm exigebantur tributa, ſed etiam aucta ſunt vectigalia, mercedes ac ſtipendia publica principum, ſummorum ducum, tribunorum, priuatorumque omnium ſunt diminuta aut etiam ſublata. nam Henricus rex circiter duceta & viginti millia librarum auri in bellicos ſumptus abſumpſerat. Neque tamen hiſce variarum prouinciarum calamitatibus contenta fuit præſens fortuna, ſed etiam ſuas calamitates litora, vicinaque mari Adriatico loca ſenſerunt.

Tributa grauiora poſt pacem impoſita.

Maximi ſumptus Hérici.

Nam per idem tempus ceptum eſt Adriaticum mare moleſtiſſimis piratarum incurſionibus infeſtari, cum litora omnia Dalmatiæ & Illyrij & Iſtriæ prædationibus, rapinis, populationibus vexarentur, nauigia mercimonijs diuerſi generis onuſta caperentur, captiui homines cathenati ad tranſtra in perpetuam ſeruitutem abducerentur. His tot inſulanorum miſerijs perceptis Mattheus Bembus vir acri ingenio, rerumque bellicarum peritus Venetæ claſſi præfectus in ſinu Corcyræo cum decem triremibus predones toto mari ſumma celeritate inſequitur, fugat, exagitat. Non procul à Dyrrachio, quę vrbs eſt Macedoniæ in ea parte ſita, quæ mari Adriatico alluitur, Epidamnus antea vocata à conditore vrbis, at at poſtea à nepote ipſius conditoris, qui vrbi portum adiecit, Dyrracho nominata Dyrrachium, ſeptem roſtratas biremes ac prędatorias nauiculas inuenit. Hæ cum Veneto viribus eſſent impares, neque poſſent reſiſtere, ſeſe in portum Dyrrachij fuga recipiunt, tanquam in tutiſſimum latronum & prædonum commune aſylum. Bembus ſua ſpe capiendorum latronum fruſtratus cum tanta, tamque ac moleſtia mare expurgare cuperet, erat vel in ipſum portum impetum facturus in piratas ſed vniuerſis Dyrrachienſibus arma capeſſentibus pro latronibus, qui ſibi fieri iniuriam cenſerent, aduerſus vrbis portuſque ſecuritatem, iubet non ſolum in latrones, ſed etiam in multitudinem frequentem, quę tam immanes latrones protegeret, tormenta diſplodi, ac mænia vrbis concuti. His globis multi latronum defenſores laniati ſunt, & domus nonnullę ſolo ęquatę. ſed cum fuiſſent autores Byrrachienſes vt elaberentur piratę, ad reficienda damna, quę illi multis intulerant iubet Bembus multa inferri damna etiam Dyrrachienſium litoribus. Solimanus ægerrimè tulit eam Dyrrachij propè expugnationem & deuaſtationem, quia contra leges pacis & fędus eſſent commiſſę; ſed cum grauioribus negotijs implicatus eſſet, & princeps ęquitatis ac iuſtitię amator, partim quòd cauſam indignationis non iniquiſſimam eſſe cognouiſſet, partim quòd oſtendiſſent Veneti ſe illam rem grauiter ferre, quia in exilium Bembum propuliſſent, quem capere non potuerunt, omnis ita indignatioque, quam in Venetos conceperat, deferbuit.

Dirachium vrbs.

Dyrrachium concuſſum.

Matthęi Bẽbi exilium.

Sed vt ad res Britannicas redeamus, vbi Heliſabetta Regina Britanniæ coronata fuit, cępta ſunt fieri ſtatim Trinouãtum & Segontiacorum, & Bibrocorum Icenorum, Simenorum, aliorũque populorum Britannorum Londini comitia per multos dies. nam cum ſermo pręſertim haberetur de religione, magnę ſunt in eo regno natę controuerſię ac graues. cum enim nobiliores ferè omnes nihil omnino innouandum cenſerent, regina contrà, cuius aures ſemper nouę religionis concionatoribus à pueritia patuerant, cum vniuerſam etiam multitudinem variarum nationum, & Londinum prędipuè faũes ſuę ſententię haberet, magis autoritate Regia, quam Regio conſilio vſa pro arbitrio decretum fieri iubet; Vt à Romana eccleſia deſciſceretur. Vt ad Odoardi vltimi inſtituta paucis mutatis rediretur. Vt concionatores, qui exularent tuto redirent poſtliminio. interdictum eſt ne ſanctorum hominum imagines deijcerentur atque infringerentur: quæ tamen paulopoſt impiè fuerunt deiectę & conculcatę, quaſi atrox bellum aduerſus imagines fuiſſet ſuſceptum. ſolum ſimulacrum relictum fuit in reginę ſacello Chriſti cruci affixi. Regina reſumpſit nomen ſupremi capitis Britãnicę eccleſię, quod nomen quantopere fęminę conueniat, ipſa viderit. cępit eccleſiaſticos prouentus ſibi vſurpare, ipſa creare epiſcopos, & cęteros eccleſiaſticos magiſtratus. redditus ſatis frugi ſacerdotibus diſtribuere. maiorem partem ſibi vendicare; quare factum eſt vt Regius prouentus auctus ſit pluribus trecentis millibus nummũm quotannis, & vt cognitum ſit maiorem controuerſiam ob auaritiam, quàm quod ita ſentiendum ſit, oriri. nam ſi de medio tollatur ſpes prouẽtuum, omnes propè vno die fierent catholici. ſed nemo diu impune reſiſtit Deo iuſtitię ac Deo exercituum.

Britanni ab eccleſia deſciſcunt ac multa innouant.

Neque verò Scotia ſuis difficultatibus caruit, cum huius hæreſeos ſtolones in illud regnũ immiſſi in tantã diſcordiarum, ſeditionumque multitudinẽ pullularint, vt magnas difficultates reginę & cuſtodibus Regijs offuderint, cum tamen nonnulli in Gallos eas cauſas ſeditionum reiecerint, quod nimis fuiſſent imperioſi atque inſolentes. Atqui hę radices ipſę hereticę prauitatis non ſolum hoc anno per Scotiam & Britanniam ſe tetenderunt, verum etiam citra mare Britannicum ſerpentes in Hiſpaniam pullularunt, & in oppido Pintia pręſertim, quod eſt Gallogręcorum in tractu lucenſi Terraconenſis Hiſpanię. Neq; tamen ijs finibus

Scotiæ ſeditio de religione.

Hiſpaniã & Galliam hæreſis inuadit.

contenta

contenta ſunt pernitioſa ſemina, verum etiam in Calliam comatam cum maxima eius regni conſecuta poſtea ruina inuaſit. Adiuuit hæc conſcelerata ſemina odium inter ſe mutuum præſtantiorũ familiarum, vt diximus, & omnium malorum parens ocium atq; egeſtas. nam ferociſſima, & maximè omnium propè nationum bellicoſa Gallorum ingenia, ſemperq; cupida rerum nouarum in primis recentibus bellis aſſueta, ferre non poterant eam pacem tranquillo animo, cum præcipuè militaria ſtipendia omnibus ordinibus eſſent erepta. Nam lex eſt Gallorum quæ ſanctiſſimè ſeruatur, ne facultates familiarum diſtrahantur in plures partes per diuiſionem filiorũ, vt vniuerſum Gallorum patrimonium ad primogenitos tantum perueniat. reliqui filij, qui Cadetti vocantur, id tantũ conſequuntur vel ex ampliſſimis patrimonijs, quod victui & veſtitui ſatis ſit, omni prorſus pecuniæ facultate obliterata. mortuo primogenito pro ætate ſuccedunt. Qui expetat pecuniam, is aliqua induſtria ſibi illam comparare nitatur neceſſe eſt. Sed cum nullum genus induſtriæ honeſtius militia illis appareat, quod auitum eſt eius gentis, & ab antiquis vſq; temporibus inſtitutum (nam qui nouiſſimus ad bellum veniſſet, vbi armati conuenire ad bellum iuſſi eſſent, is in conſpectu multitudinis omnibus cruciatibus affectus necabatur) omnes rerum bellicarum ſtudio in primis, & exercendorum equorum dexteritate delectantur. His igitur populis partim tributorum magnitudine preſſis, partim ocij & egeſtatis impatientibus, facile fuit perſuadere ſuapte natura rerum nouarum ſtudioſis, vt nouam religionem propoſitis ordinarijs ſtipendijs complecterentur; quamobrem res Gallica per clandeſtina odia, & ſeditiones vniuerſa induas partes diuiſa eſt.

Lex hęreditaria Gallorũ.

Cadetti qui ſint.

Lex ſeuera Gallię militaris.

Ea dum aguntur in Gallia, Venetijs nauigium omnium, quę noſtra ętate viſa ſunt pulcherrimum & præſtantiſſimum repentina vis tempeſtatis inuadit, atq; horrenda procella demergit cum magna totius Veneti Senatus moleſtia. erat illud nauigium tantæ, tamq; admirabilis magnitudinis & artificij, tanta diligentia & iudicio, tamq; affabrè factum, vt oppidum quoddam præcelſum innate ſuper vndis videretur. Ad eius nauigij tam præclari defenſionem poterant commodè capi quingenti epibatæ ſiue propugnatores, in quo erant circiter trecenta bellica tormenta varij generis, & magna copia cadorum pulueris tormentarij, ferreorum globorum, & cæterarum rerum eius vſui neceſſariarum. Præerat huic nauigio Alexander Bonus, ex ordine patricio, qui illud ad duo caſtella vocata remulco attrahi iuſſit, & ad primas fauces maris Adriatici, cum neq; neceſſariæ quidem ineſſent cuſtodiæ, parum diligenter ſanè aſſeruabatur, cum rebus nauticis præfecti ſumptus in cuſtodias non ſuppeditarent. ſed vix vllam excuſationem capit in rebus maximis imperitia aut & negligentia; cum auaritia publica ſemper fuerit pernicioſa. Atrociſſima igitur tempeſtate nauigium inuadente, cum non adeſſent, qui portas laterum mari occluderent, aqua per portulas infeliciter ingreſſa facile nauigiũ demergit. adiuuit ad hoc non parum pondus tormentorũ. & bellicorũ apparatuũ, qui interius continebantur; atq; vis vẽtorum flectens nauigium in latus, omneq; pondus in vnum concurrens, quibus omnibus in damnũ conſpirantibus Venetum facilis iactura facta eſt. Recuperata tamen ſunt nonnulla grandiora tormenta, ſed tanta difficultate, vt maiori ex parte prius oſtrea inſignia circa illa fuerint innata. Excogitatæ ſunt machinæ męchanicæ à quibuſdã architectis magno ſumptu ad extrahendũ nauigiũ ex vndis, ſed omnis labor fit vanus, clam etiã ne inuenirentur vetitę merces, deterrentibus architectos ac repugnantibus nonnullis. Sed enim quod ſimplici ſumptu poteſt conſeruari, illud ſæpius neq; centuplo quidem reparari poteſt: tantum valet induſtria in rebus.

Nauigium pulcherrimũ Venetijs demerſum.

Tormẽta bellica innatis oſtreis recuperata.

Pontifex, qui ſuauiſſima pace ac tranquillitate & animi ſui & ſuorum populorum rebus ita compoſitis perfruebatur, ſeque quaſi ex immani turbulentiſſimaque tempeſtate in tutiſſimum portum receperat, animum iam quietum à cæteris perturbationibus ad res vrbanas componendas applicuit. curat vt ius inter ciues legitimè dicatur, ne miniq; impune fiat iniuria, quòd intelligeret multa ſcelera, multaq; flagitia & à cæteris miniſtris, & à ſuis propinquis committi, vt admonitus fuerat clam ab Hieremia quodam monacho, & à viro clariſſimo Camillo Vrſino. Nam profectò omnis libido & auaritia & iniquitas ſunt comites potentiæ ac magiſtratuũ, & quaſi adulatores aut blandimenta, qui inſuetis & nouis hominibus, cõceduntur, niſi ſapiant. Decernit itaque Pontifex certos dies ſingularum hebdomadum, deſtinatque ad publicam audientiam tam Romanis hominibus, quàm exteris, vt quid æqui aut iniqui Romæ fieret in dies ex omnibus intelligeret; atq; cognoſceret quamdiu lites & ciuiles controuerſiæ protraherentur. Decreuit vt omnibus diebus publicæ audientiæ deſtinatis ibi præſtò eſſent omnes Romani magiſtratus, vt citius ſubueniretur per iniuriam oppreſſis, atque in impios, inhumanos, auaros magiſtratus animaduerteretur; quod genus inſtituti ſeruauit poſtea quoad vixit. Sed quoniam multa eſt multorum inſolentia, quidam tantam principis bonitatem ad propria commoda retorquere conabantur, abutebanturq; illa clementia; neque vti decebat, cum magna reuerentia excipiębant. nam per multas accuſationes, pluresq; lamentationes multorum & querelas eò deuentum eſt, vt quidã moleſti eſſent & importuni. ex illa audiẽtia itaq; multa cõmoda, & rurſus multa mala priuatim naſcebãtur. Vt aũt deuitarẽtur imminẽtes difficultates, iuſtitięq; munia cõmodius exercerẽtur, quoſdã purpuratos antiſtites iuris ciuilis peritos delegit, & cũ his nobiles ciues Romanos, quos his rebus audiẽdis præfecit: qui rebus poſtmodo cũ Pontifice cõmunicatis deciderẽt, vbi magna eſſent negotia. Ita præcluſa eſt via paulatim cõquerẽdi de Pontificiis miniſtris, cũ nemo quidquã iniquitatis aut ſcelerũ cõmittere auderet.

Potentię comites.

Pontificis audientia.

Ea dum fiunt Romę per ſummã Pontificis ęquitatem ac diligẽtiam, vir nefarius, & extremę nequitię Leonardus Cardona conſilium capit ſceleris & crudelitatis plenum in Marcellum Campeggium ob occultum odium & in vxorem Ducis Palianii. erat Leonardus œconomus Palianii, ſiue rebus familiaribus gubernandis præfectus, qui informat Diomedem puerum paruulum Ducis filium vt deferret ad patrem, quòd Campeggium exoſculantem matrem vidiſſet. Dux, vt plerique ſunt homines, furore potius in rebus huiuſmodi aut amentia perciti, quàm vlla certa ra-

Leonardi cardonę ſcelus.

tione

tione freti,nimis leuiter credens perſuaſionibus impulſi pueri, iubet vxorem Galleſij deduci in carcerem.ancillam ſecretorum participem diligenter percunctatur; vbi nihil extorquet,trucidat.Marcellus Marini capitur, datur in tormenta.nihil confitens pugione per iram interficitur. Tum itum eſt Galleſium.ſpatium datum vxori ad confitendum. nihil confitenti pugio & linteolum miſſum iubetur vtrum malit mortis genus eligere.

Vxor Palianij Ducis ſuffocata.

Illa intrepido animo veniam inſcitiæ ac furori mariti piè à Deo precata,cum ſuauiſſima ſit mors, quæ per innocentiam & ſinceritatem animi infertur, nullum mortis genus ſe deuitare inquit, quando marito ac domino ſuo eidem ita placitum ſit. Hortatur Antoniam filiam vt bono ſit animo quando ipſa conſcia innocentiæ ſuę fortunam illam æquo animo ferat.Alliſę Comes igitur,id oppidum eſt Samnitũ,frater & Cardona prius oculos velant,deinde linteolo circa collum iniecto ſtrictiſſimè ſuffocant, ſed qui rem non intimè cognorant, dicebant quod Palianius vxorem cum adultero deprehenſam vno è ſuis familiaribus trucidauit,quos ambos primùm monuiſſet,vbi veniſſet in ſuſpicionem.è quorundam ſermone dictus eſt etiam Palianius antequam ad has cędes deueniretur, cum Carafa purpurato communicaſſe conſilium, atq, tandiu procraſtinatum dum res deprehenderetur.fama fuit præterea quòd nemini parcitum eſt vel conſultori vel adiutori, vel conſcio eius ſceleris. ſed non modo fęmine innocentes tam crudeliter non ſunt necandæ,ac neq; ille quidem,quæ ipſo adulterij ſcelere ſunt contaminatę, quia nemo rerum ſuarum bonus & æquus,niſi rariſſimè,fit iudex,& domeſticus pudor non eſt in conſpectu omnium retegendus.id ſi fieri debeat, retegendus eſt apud veros amicos,cum multæ ſint honeſtæ & ſecretæ viæ animaduerſionis in conſceleratos.

Prudens monitus.

Vt enim quæ in pudendis corporis partibus eueniunt inflammationes & tumores & puſtulæ aut hernię non ſunt omnibus oſtentandæ,ſed medicis tãtum.aut ijs, quorum cura opus ſit;ita parum honeſta conſilia non ſunt cum omnibus cõmunicanda,ſed cum illis tantum clam, à quibus ſalubre conſilium expetitur. illud cum accidiſſet, curabatur à propinquis Pontificis ne quid huiuſmodi ipſis ignaris ad aures Pontificis perueniret,atq, hęc ipſa ratio fecit vt multis nefarijs negotiis explicãdis via demũ aperta ſit ad Pont.quę tam in Romanas matronas,quàm in viros fuerant commiſſa,cum nemo proferre ſuas calamitates,aut queri pro acceptis iniuriis palam auderet.Neq; verò poterat Roma capere tantam Carafarum nequitiam,nam eorum ſcelera complura colligi poſſunt vel ex hoc memorabili & inaudito ante hanc ætatem auaritie exẽplo, ꝙ Bononię editũ eſt per Carafarũ vel cõſilium vel patiẽtiã.

Inauditum genus auaritiæ.

Canis opulentæ familiæ accuſatur quẽdam momordiſſe.ductus in carcerem torquetur. non negat facinus. exilium indicitur. exit. domum recurrit.capitis condemnatus publicè necatur.domeſticis facultates ereptę,vt qui exulem contra leges in domum excepiſſent,nihil profuerunt querelæ aut lacrymę. Pontifex vbi factus fuiſſet certior de vxore Palianii necata tam crudeliter innocentiſſima fęmina,mirum in modum indignatus eſt, quòd ſui affines, qui cognita eius optima mente cęteris exempla prudentiæ & bonitatis & iuſtitiæ eſſe deberent, tam improbi in omni genere flagitiorum inuenirentur;

Palianius captus & cardona.

iubet Palianium & Cardonam capi & Alliſæ comitem,atque in vincula tradi.eius iuſſu effoſſa eſt mulier & inuenta in vtero habere. nec ita multo poſt omnibus iis caput in turri Hannonia amputatur, quorum cadauera ad pontem Diui Angeli omnibus horrendum & execrandum ſpectaculum ſunt expoſita.

Audiẽtia põtificis omnibus occluſa ne ſcelera Carafarum rete gerentur.

Nam poſt caſum tam crudelem mulieris introducta fuerat conſuetudo, & diu ſeruata, vt neque priuatus quiſpiam,neq; publica legatio admitteretur ad Pont.niſi purpurati Carafæ conſenſu ad audientiam,nemoq; poſſet penetrare ad Pontificem. Eam inuſitatam,& ante illam ætatem inauditam tyrannidẽ grauiter ferens Florentina legatio,quia fruſtra diu de rebus maximis audientiam periuiſſet,neq; potuiſſet obtinere vt ad mitteretur ad colloquium Pontificis,verita aliquas ſubeſſe fraudes,indignataque pontificias aures per nonnullorum inſidias vel principum legationibus eſſe occluſas,obſeruata opportunitate in thalamum Pontificis irrumpit. Primùm queritur audientiam eſſe intercluſam. monet Pontificem nemini aditum patere ad ipſum propter quorundam fraudes,ac neque publicis quidem principum legationibus.

Florẽtinæ legationis querelę.

Hiſce lamentationibus & querelis acriter commotus Pontifex legationem primum perhumaniter audit. Conceſſis omnibus quæ petebantur occiudi iubet purpurato Carafæ, & omnibus ſuis affinibus ad ſeſe acceſſum.Ex hiſce tam repentinis,tamque varijs mutationibus,facile poteſt colligi optimam fuiſſe per ſe ipſam ſenis voluntatem,armaq; Philippo Regi illata fuiſſe nõ tam Pontificis,quàm propinquorũ & cõſultorũ doloſorũ cõſilio,qui ita ad alienas facultates vel per quasuis aliorum iniurias aſpirabant.nam niſi Pontifex tam pronus ad iram fuiſſet, quod turpe eſt in ſene præſertim, aut ſi paulo minus tenax ſuſceptæ ſemel opinionis, quod tamen vitium eſt eius ætatis, eum planè virum bonum, & ſingularis integritatis appellare liceret.

Pontifices vix poſſe eſſe peritos ſtatim imperandi rectè.

Verum tamen non eſt mirum Pontificem inijs rebus, quę ad imperiorum adminiſtrationem ſpectant, labi aliquando & hallucinari,quoniam vix fieri poteſt vt quis à theologicis, diuinarũque rerum ſpeculatione auocatus ad cognoſcẽdas fraudes mortalium,& ad ſummum dignitatis gradum repente prouectus illa ſtatim intelliget, quæ Reges & imperatores per multarum rerum experientiam nondũ ſatis ſunt conſecuti: quamuis his auita lex & conſuetudo dominandi eſt à maioribus quaſi in manus tradita. Nam Reges & pręfectos oportet multò eſſe ſapientiores ijs, qui gubernantur. in tanta rerum perturbatione ac mutatione, quę accidit repente Carafæ familiæ, multa flagitia aperiuntur Pontifici, propter quę ita indignatione exarſit, vt omnibus titulis & honoribus eos priuarit,quibus fuerant inſigniti ſui propinqui, & purpuratum antiſtitem, atque cæteros omnes conſcios eorundem ſcelerum coegerit ſolum vertere,atque ex agro Romano excedere.

Carafis tituli & honores erepti.

Nec multo poſt in patrum purpuratorum ſenatu omnem autoritatem illorum antiquauit & obliterauit.tam acriter,tam acerbè,tam vehementer,tanto cum animi ardore in illorum cauſam inuectus eſt,vt facile appareret eos nunquam in gratiam redituros. Vt autem ſpes omnis veniæ, gratiæq; Pontificiæ recuperandæ illis

præ-

præcluderetur atq; adimeretur, præficit cum ſumma autoritate rebus militaribus Camillum Vrſinum, quem etiam in conſilium vnà cum quibuſdam purpuratis patribus admittit. Poſtmodo exautorauit ac dimiſit omnes duces, tribunos, milites ex omnibus eccleſiaſticis præſidijs, qui poſſent exiſtimari fauere partibus fratris ipſius Pontificis, aut fouere factionem nepotum. Camillus rebus militaribus eccleſiæ cum ſummo imperio præfectus omnia oppida omni genere apparatuum munit. mutat præſidia. omnia eò demum adducuntur vt tranquilla & quieta eſſe omnibus cognoſcerentur. coniecti ſunt in vincula multi adminiſtri, ſcribæ, conſcij, adiutores ſcelerum Caraſæ, qui pro rebus commiſſis affecti ſunt dignis ſupplicijs.

Iuſtitia omnium in ſeſe beneuolẽtiã conuertit.

Hæc tanta rerum omnium mutatio, quæ Romę viſa eſt, ita populorum omnium beneuolentiam atque ſtudia in Pontificem conuertit, vt nemo prorſus eſſet, quin virum bonum, & omni prorſus laude dignum Pontificem prędicaret; tanta exorta eſt eius integritatis & innocentiæ opinio ſeu potius admiratio.

Audiẽtia publ. Pont.

Pontifex poſtea inſtituit vt ſingulis hebdomadibus publica audientia concederetur, ne quid huiuſmodi ipſo neſcio in poſterum admitteretur: quod vnum remedium viſum eſt fore opportunum aduerſus omnia flagitia; quæ poſſent committi. Sed cũ quiſq; cõtenderet vti primus audiretur, fieretque aliqua perturbatio, mutauit ſentẽtiam.

Arcula expoſita accuſationum.

Veruntamen vt ſuum ius quiſq; obtineret, liceretque liberius ſine vllo metu ſcelera & flagitia potentiorum deferre nullis adhibitis teſtibus, iubet arculam in foro Diui Petri publicè exponi, in quam poſſet quiſq; clam ſcriptas accuſationes detrudere. Sed cum multa pericula multis innocentibus per inuidorum, maleuolorumque calumnias imminerent ac ſtruerentur, uniuerſusq; populus Romanus grauiſſimè ferret eam occultam accuſandi licentiam, ex qua multa damna redundabant, arcula ſublata eſt. Nam profectò non eſt concedenda tanta licentia ignobili & leuiſſimo vulgo, ſordidæque multitudini, vt inſidias, & futiles, mendaciorumque plenas accuſationes pro libidine in quoſuis honeſtos homines effutiant, vbi delatores calumniarum pro ſceleribus argui & caſtigari nõ poſſunt.

Calumniatores à bonis iudicib. ſunt arcendi.

Præclarè ſanè ſe habet illud maiorum inſtitutum, quod eſt in legibus ciuilibus, vt qui virum bonum falſo detuliſſet, ijsdem addiceretur ſuppliciis, quibus ille ſi conſcius fuiſſet, erat puniendus. Sed improbi quidam, conſceleratique iudices multi noſtræ ętatis propter auaritiam calumniatores vel vltro alunt, tanquam odoriſequos canes, per quos ad lucrum deducantur, cum tam ab innocentibus per fraudem, quàm à nocentibus per leges pecuniam extorqueant.

Eremitæ inquiſiti.

Ne tamen religio & res vrbanę non rectè gubernarentur, Pontifex à mutuis accuſationibus ciuium Romanorum, ad vitam & mores & conſilia & rationes eremitarum monachorum diſquirendas animum adijcit. Iubet Quæſitores rimari ac perſcrutari diligenter quid agerent, quid exercerent, vnde eò adducti fuiſſent, quid cogitarent, quę cauſa ad illud vitæ genus impuliſſet: quæ quidem fieri iuſſa ſunt, vt cum multi à turpitudinibus & homicidijs & latrocinijs dicerentur ad religionem metu pęnarum confugiſſe, multis ſceleratis, ſordidisque hominibus eccleſia Dei purgaretur, fieretque virorum bonorum receptaculum, at non flagitioſorum ſacerdotum per ſimulatum Dei cultum conuentus.

Religio eſſe debet bonorum receptaculum.

Neq; enim conuenit eſſe helluones, aut lenones, aut ſicarios, adulteros, homicidas, ebrioſos, qui ad res ſacras accedunt, ceteriſque imperitis hominibus ſe duces ad rectè viuendum profitentur, cum nemo ebrioſus, ad ſobrietatem, adulter ad continentiam, homicida ad humanitatem ſine riſu cæteros hortetur. Nam omnes imperiti quod fit à viris ſacris, diuiniſque rebus ſtudentibus, id iure fieri arbitrantur, facileque imitantur; cum verba ab exemplis & rebus ipſis plurimum diſſidentia non ita facile imbibantur.

Apoſtatę exagitati.

Sed quoniam ſcelerum inquiſitio multis moleſta erat, rogantibus & intercedentibus multis purpuratis patribus, ab illa quoq, ceſſatum eſt. Sæuitur deinde in apoſtatas. coguntur inuiti vel in cęnobia reuerti, vel fuga ſolum vertere. poſtea magna ſeueritate ventum eſt ad radices hęreticæ prauitatis conuellendas, & inquirendas.

Auaritia cauſa viſa ſeuerioris quæſitionis.

Ea res non vrbem Romam ſolùm non mdiocriter afflixit, cum nõ tantum ad ſupplicia impiorum per miniſtrorum auaritiam, & pęnas reis condignas ſpectaretur, quantum ad priuatorum facultates diripiendas, & bona fiſco addicenda, quę erant leuis populi querelæ, & pene furioſæ lamentationes. cum multi in ea re tam eſſent diligẽtes, vt ſummum honorem cenſerent ſi per hanc vtiles dicerentur ærario pontificio. inde effectum eſt vt quibuſdam miniſtrorum auaritia & ambitio præcipua cauſa fuiſſe viſa ſit eius quæſitionis. Sed enim cum nonnulli diutiſſimè in carcere detinerentur, & vel ad triennium aut quadriennium nulla cauſa captiuitatis requiſita accederẽt, neq; daretur cuiquã locus defenſioni; cũ carceres quotidie replerẽtur; cũ ſuccreſceret in dies captiuorum numerus; ſuccreſcebat, vt par eſt, populi indignatio & lamentationes frequentes aduerſus Pontificios miniſtros. quod fiebat etiam per auaritiam carceris præfectorũ ob diuturnius lucrum è captiuis, iudicibus etiam ipſis clam conſpirantibus ad partẽ lucri. Illud cum nemo auderet deferre ad Pontificem, vt qui facile iraſceretur, neq; putaretur æquo animo de hęreſi preſertim auditurus, nullus tantarum calamitatum exitus apparebat, aut tantorum malorum remedium Romanæ vrbi datum iri.

Principũ bonorum munus egregiũ.

Nam profectò non poſſunt Reges ſine magnis populorum calamitatibus dormitare in rebus ad æquitatem ſpectantibus, neque vllum tantum eſt ſcelus, cuius innocentes non ſint audiendi, cum bonum & ſapientem & moderatum principem eſse oporteat aduerſus nocentes etiam, nedũ aduerſus innocentes. Grauitas enim nimia & crudelitas ſuppliciorũ irritat ſubditorum animos vel in ipſos Reges vbi datur inſurgendi facultas, at leuitas nimia, & impunitati propinqua, fit quaſi licentia quædam ad ſuſcipienda flagitia; quare media quædam via & prudẽtiæ ratio in omnibus eſt tenenda.

Bybliopolarum calamitas.

Vt autem bybliopolæ, priuatæq; & publicæ bybliothecæ ſordibus omnibus expurgarentur mendacium & malignorum ſcriptorum, cum mali ſermones bonos mores plerunque corrumpant, libros quoque inuaſit ſibi debita calamitas. Nam exijt edictum vt libri omnes impreſſi, vel compoſiti, vel explanationibus ab hęreticis ſcriptoribus contaminati, at non illuſtrati, ſanctiſſimis magiſtratibus quæſitionum vbique afferentur, propoſitis etiam grauiſſimis ſupplicijs

ſiquis

ſiquis illos occultaſſet,ſuppreſſiſſet, ac non obtuliſſet. Tanta concremata eſt omnis generis librorũ vbique copia & multitudo, vt Troianum propè incẽdium,ſi in vnum collati fuiſſent,apparere poſſet. Nulla enim fuit Bybliotheca vel priuata vel publica,quæ fuerit immunis ab ea clade,ac non propè exinanita. tanta vis malignorum librorum fuerat impreſſa. Iſtud ipſum remediũ debebatur etiã infinitis iuriſconſultorum explicationibus,& conſultationibus in vtranque partem, quorum iam eo vſque creuit impudentia, vt quidam ſe fallaciarum & inſidiarum magiſtros palam profiteantur; ſed tamen id Pontifici,aut Imperatori reſeruatum eſt. combuſti ſunt libri in multis Italiæ ciuitatibus,ſed non ſine multis populorum lamentationibus ob amiſſos ſumptus. Enimuero quoniam inter pacis conditiones inter duos Reges compoſitę cõtinebatur vt Philippus Hiſpaniarum rex Iſabellam primogenitam Henrici,dux Sabaudienſis Margheritam ſororem eiuſdem Henrici duceret in matrimonium Philippus Albanum ducem mittit in Galliam cum multis illuſtribus proceribus vt regio nomine ſolennia matrimonii ſiue ſponſalia cum Iſabella celebraret,qui in Galliam profectus magno cum apparatu & regali magnificentia ab Henrico Rege excipitur. Admittitur ad viſendas reginas Scotenſem,Iſabellam Hiſpaniæ,& Margheritam Henrici ſororem,cum quibus erat dux Lotaringiæ. Albanus ſumma reuerentia vſus erga Hiſpaniarum reginam,inter ſolennia, pompaſque commoratur; donec Sabaudienſis accederet,qui expectabatur. Illo quoque in Galliam profecto multa cum magnificentia,regaliq; luxu,ac magno totius Galliç cõcurſu ſponſalia Iſabellæ vxoris Philippi Regis celebrantur, confluentibus eo vndique principibus Gallis ob admirabilem incredibilemq; magnificentiam apparatuum;quàm Regis nomine Albanus vxorem capit. Vbi ſtatutus acceſſit ſponſaliorum dies,Iſabella cum magna pompa ad maius,auguſtiusq; templum Lutetiæ Pariſiorum accedit,cui præcedebat Albanus,comitantibus Galliarnm regina & Margherita. Ferebat partem illam veſtis,quæ trahi ſolet,Scotenſis regina, & ſorores Iſabellæ; quam ſubſequebatur rex Scotiæ,& alii fratres,cum magno nobilium Gallorum globo. Epiſcopus Lutetiæ, qui ſacra celebrauit,inter ipſa ſacrificia celebrat etiam ſponſalia,atque Albanus pro autoritate procuratoria cæteras ceremonias exequitur. Sabaudienſis item dux per ſolennia ſponſalia Margheritam capit vxorem. Inter cætera ludicra,quæ multa eo tempore per eas feſtiuitates facta fuerunt,nauis erat quædam eximiæ pulchritudinis,eaq; ſubiectis rotis tracta eſt in plateam,in qua viginti equites vehebantur, inter quos erat primogenitus Henrici,ad carceres,initia quos erat ab armatis equitibus in mutua vulnera cum lanceis concurrendum. Per multarum itaque tubarum, bellicorumq; inſtrumentorum ſonitum inuitantur ac prouocãtur quicunq; velint inire ludicra certamina,quod factum eſt per triduum. Fnerunt cum Henrico Rege propugnatores duces inſignes hi,Ferrarienſis,Neomagẽſis, Lotaringiæ,Ghiſius,qui pugnam & controuerſiam defendebant,atque inter illa certamina Henricus magna cum laude primo & ſecũdo die decertauit. Multæ lanceę aduerſariorum obiectu à concurrentibus fortiter ac minutim diſrumpuntur. atqui cum iam tantum certatum eſſet vltimo die, vt quiuis facile poſſet acquieſcere, fortuna,quæ ignaros rerum futurarum in ſuas calamitates inducit mortales,fecit vt Henricus videri cuperet feciſſe aliquid etiam Sabaudiẽſis Ducis cauſa,cum præſertim omnes reginæ & matronę eſſent in ſpeculis,& pulcherrimum equũ ab eo Duce dono accepiſſet. Neque profuit ad eum auertendum ab his prælijs,quòd cum egregiè ſe geſſiſſet, dux gratulatũ miſit,& rogatum ſuo & reginarum nomine vt ab ijs certaminibus ceſſaret, & omnium eorũ, quos amicos putabat.Nam. hoc ipſum & ab vxore,& à multis proceribus precantibus expetitum eſt propter nimios æſtus, pugnabatur enim decimo quinto Cal. Quintilis. ſed vrgente ita fortuna nihil impetratur. Fruſtra hoc ipſum & Ferrariæ dux & coneſtablius contendit,cum omnes quaſi futura diuinantes,& tanquam proſpicientes eius ſaluti conſulerent. Pugnat adhuc magna cum virture & conſtantia per multum ſpatium temporis. cum eſſet denique ceſſaturus,neſcio quo impulſu ceſſantibus cæteris omnibus miſit inuitatum Mommedium Comitem virum Scotenſem cuſtodiæ ſuæ præfectum,iuuenem præualidum ac robuſtum,vt extremam lanceam mutuo cõcurſu infringeret. Ille excuſatione vſus modo quod iam eſſet defeſſus,modo quòd non haberet equum idoneũ,quaſi futura diuinaret ſumma induſtria pugnam deuitat. At Henricus,qui impellebatur incredibili deſiderio propè iratus vel inuitum iubet id facere. Demiſſo denique ferreo vultus integumento currentibus equis,acceptoque ſigno curſus fiunt obuii. rex in pectus validiſſimum ictum capit. fragmentum lanceæ non apte alligato vultus integumento in vultum inſilit. Oculus & ſinciput tam grauiter, tantoque impetu concutitur, vt caput Regis ad carceres declinauerit,neq; omnino conſiſtere potuerit,quin laberetur. Vbi detracta ſunt arma, vulnus inuentum eſt letiferum, vndique citatis equis conuolant acciti præſtantiſſimi medici,inter quos fuit Veſſalius. Sed quis collapſas & infractas naturæ vires reuiuiſcere fecerit,aut inſtaurarit? Mommedius humi proſtratus ſe nullo ſupplicio indignum exclamat. at Henricus qui inuitum pugnare coegerat,omni venia dignum iubet conſurgere. Res dilata eſt præſtantiſſimorum medicorum opera in ſeptimum idus viq; Quintilis; ſed tamen naturæ denique conceſsit cum ſummo totius Galliæ,multorumqne principum mœrore.cõſecuta eſt mors acerbiſſima & doloris plena,quoniam manus & pedes formidabilem contractionẽ ſunt paſſi. Sed ſanè vbi nulla propoſita ſint virtutis præmia Rege digna, pericula vero non parua; quanta ſit prudentia periculis ſe obijcere, quiuis facile iudicare poterit, cum præſertim non tantũ corporis firmitudo in rege requiratur,quantum animi ſapientia. Propter eius Regis mortem tanta excitata ſunt ſeditionum incendia in eo regno,tot tantæque controuerſię,tantæ ruinæ, vt omnino futuræ ſint omni poſteritati memorabiles. cum quatuor filios reliquiſſet Henricus ac tres feminas,Franciſcus maior natu pro legibus ſucceſſit in regnum, poſtquam celebratis de more Gallorũ regum exequiis cum multa pompa & magnificentia eius patris cadauer in templum Diui Dionyſij fuit

Iuriſconſultorũ quorundam impudẽtia.

Iſabellę, & Margheritæ nuptiæ cum Philippo rege & Sabaudiæ duce.

Nuptiæ per procuratorẽ

Hẽricus rex Gallorũ in ludicro certamine cæſus. Hẽrici mors.

ſii fuit cumportatum. Cæterum Franciſcus & mater regina de conſenſu regii concilii regni ipſius adminiſtrationem ſuſcipiunt, cum eſſet Franciſcus adhuc adoleſcens, rebuſque tantis gubernandis parum accommodatus propter teneram ætatem cum vix decimum quintum ætatis annum ageret ſuæ. Nam tametſi illa ætas tam tenera eſt, tamque tractandis rebus maximis inepta, omnibuſque pro arbitrio moderandis, cum magis indigeat vt regatur adhuc, atque informetur ad virtutem, quā vt ſubditis populis imperet, tamen quia leges Gallicæ ita ſtatuunt, vt cum quis ad etatem quatuordecim annorum acceſſerit, poſſit ſua omnia liberè ac legitimè adminiſtrare, illud a concilio neceſſario comprobatur. Poſtmodo fit edictum nequis iniuſſu ſuperiorum magiſtratuum concionaretur, pœnæque grauiſſimæ propoſitæ ſunt illis, qui concionatores in templum nouæ religionis admiſiſſent: quod fit vt factio hæretica paulatim opprimeretur atque aboliretur, quæ iam denuo Lutetiæ reſurgebat, ac palam vbique repullulabat. Nam profecto nulla tanta erat vel procerū vel magiſtratuum Gallicorum diligentia vel induſtria, quæ poſſet aſſiduè reſurgentia, & quaſi repullulantia ſemina hæreſeos opprimere, ac conculcare, ne dum funditus euellere. Philippus perceptis nuptiis, quæ ab Albano procuratorio nomine celebratæ fuerant, Iſabellæ munus præſtantiſſimū mittit adamantem nimirum eximiæ pulchritudinis. cuius precium octoginta nummum millia excedere credebatur. iubet per eundem nuntium ſignificari vt ſeſe ad iter accingeret, quod breui eſſet miſſurus, qui illam deducerent in Hiſpaniam. Et quoniam Nicolas Pitiliani regulus, quo tempore bellum gerebatur aduerſus Seneſes, Suanam oppidum, quod erat ſui antiqui iuris, & ad Senenſes defecerat, vt ſuum recuperauerat, Coſmus Hetruriæ dux ad quatuor millia peditum colligit, equites quingentos ad illud oppidum capiendum, tanquam partem Senenſis ditionis. Nicolas cum bellum ſibi palam inferri Suanę cauſa intelligeret, neque haberet auxilia, quibus tanti principis viribus poſſet reſiſtere, veritus ne vniuerſum principatum in magnum diſcrimen coniiceret, ſi eam partem fruſtra tueretur, cedit tempori. oppidum ſine controuerſia concedit. Interea Laurentius Priolus Venetorum princeps, vir integritate, doctrina, prudentia præſtans naturę conceſſit, cuius in locum ſuffectus eſt patrum ſuffragiis Hieronymus Priolus frater, vir quidem bonus, ſed non tantis totque animi dotibus ornatus. Philippus Hiſpaniarum rex poſt mortem Henrici ſoceri Gandauum ſe recipit, Margheritamque Auſtriacam accerſit, atque eam præficit cum ſummo imperio Belgicæ adminiſtrationi. deinde habitis comitiis Toſoniis ad pacis corroborationem creat equitem eius ordinis Franciſcum Regem Gallorum. Neque ita multo poſt cum ingenti claſſe è Batauis in Hiſpaniam nauigat, felicique vento vſus Laredum applicuit, qui portus eſt Cantabriæ. illuc vbi applicuiſſet vix die vno interpoſito tanta exorta eſt tempeſtas vt multos dies perdurauerit, quæ ſi claſſem illam retardaſſet, magno in diſcrimine poſita erat ſalus vniuerſæ propè nobilitatis Hiſpanæ. eius regis præſentia valde neceſſaria fuit Hiſpaniæ multis de cauſis, ſed in primis quia Britannicæ & Germanicæ ſemina hæreſeos paulatim in Hiſpaniam quoque penetrauerant; ac radices agere cœperant in animis multorum præſtantiorum procerum Hiſpanorum, cū paulatim ab auito cultu, ritibus catholicæ Romanæ eccleſiæ multi defeciſſent ad nouam religionem, niſi opportuna remedia fuiſſent adhibita. Rex itaque ad conuellenda ſurgentia, pullulantiaque ſemina morbi antequam peſtis latius ſerperet, animaduertit in hæreticos Siuiliæ grauiter in platea ampliore, tā in fœminas, quam in mares. Nonnulli cum errores, in quos inciderant, cognouiſſent, extremorum ſuppliciorum periculum deuitarunt. Vbi vero ventum eſt Pintiam, quod oppidum eſt in primis nobile Gallogræcorum Lucenſium in tractu Tarraconenſis Hiſpaniæ, animaduerſum eſt in alios multos. nam ſpectante vel ipſo Philippo multiſq; proceribus viginti, & octo nobiliſſimi ferè totius regionis concremantur. His viuis in platea publicè appēſi ſunt pectoribus ſaculi pleni puluere ſulphureo, atque ſæpientibus ſtruibus lignorum aridorum mox iniectus eſt ignis. ita cum magnis horrendiſq; vociferationibus palis alligati ſunt concremati. multis aliis grauia ſupplicia variis ditebus ſunt iniuncta. Illis data eſt venia, qui ſuos errores cognouerunt, ac pedem ab iis retraxerunt, quorum paruus omnino fuit numerus. Sic eius ſectæ ſemina extincta ſunt per omnium hæreticorum vel cladem vel fugam ob acerbitatem ſuppliciorum. Franciſcus Gallorum rex pro cæterorum regum conſuetudine Reinſij coronatur, at non cum ſolita pompæ magnitudine, vt parceretur tam afflictis præcipuè ſubditis, atq; exhauſto ærario propter diuturnos ſumptus ſuperiorum bellorum. Poſtea & ipſe fit eques ſancti Michaelis, & in eum ordinem Philippum regem ad ſignificationem maioris beneuolentiæ cooptauit. Turcæ in extremis Pannoniæ partibus interea latrocinia exercere, incurſiones facere, multam prædam abigere cæperūt, omniaq; prædationibus ac populationibus mirum in modū vexare. nam genus illud hominum, qui ſunt in iis finibus, viuere ex rapto plerūq, honorificum ducunt, neq; vllū eſt improbitatis, crudelitatis, nequitiæ genus, a quo abhorreat. quippe cum is qui ſibi lucrum quoduis pro felicitate propoſuit, ſanè nullo pacto vir bonus aut temperans aut laudabilis eſſe poſſit. ille. n. qui opulentiā pro felicitate ſectatur, certiſſimā lenā ad voluptates, ille inſipientiæ, vmbram pro corpore amplectitur: cū ſola dux ad verā felicitatē ſit ſapientia, quę paucis contenta poſſit facere feliciſſimos. nā felicius beatiuſq; eſt pauca expetere, quā multa habere, cū opes non extinguāt, ſed magis inflāment excitentq, deſiderium poſſidendi. At Boemi nōnulli Turcas inuadētes repēte profligāt. in regionē Turcarū irrūpunt. multos Turcas captos abducūt. Turcæ illa calamitate affecti queruntur apud Maximilianum Boemorum regē, qui iubet captiuos dimitti, vt inſcius induciarum ab illis diſruptarū videretur, quamuis notę eſſent iam antea latronū iniurię: imperat eorum damna reſarciri ad euitandos tumultus, quibus munera quoque addidit. Miſit etiam legationes ad purpuratum Curtenſem, quæ ipſum excuſarent, atque rogarent, vt ſuos iuberet abſtinere ab huiuſmodi iniuriis in poſterum, quæ fierent contra inducias factas

Frācīſcus rex Gallorū creatus.

Florentiæ ducis copię ad Suanam recuperandam. Suana capta.

Hieronymus Priolus Dux Venetiarum. Margherita Auſtriaca pfecta Belgio.

Siuilię hæretici repreſsi & Pintiæ.

Franciſci regis coronatio.

Prudentia principū cō niuētiū pro opportunitate.

Turcarum ꝑfidia.

ab imperatore Turcarum. Curtenſis ſimulans ſe admittere æquo animo excuſationem, inſidias tamen & ipſe ſecum in animo excogitat. nam dum per humanitatē verborū Maximilianum reuocat ab omni ſuſpicione, & à faciēdis neceſſarijs apparatibus ad reſiſtendū, qui nollet autor videri nō obſeruatarum induciarum, tamen ſubdolo fallacique animo ſuas copias ad occupanda quędam caſtella regis in Illyrio educit, cum ſciret per has artes ſe gratiam Solimani poſſe aucupari. nam qui regibus acquirere vel per malas artes nituntur, illi grati ſunt pleriſque regibus, qui ſibi non putant turpe poſſidere res per ſuorum miniſtrorum iniquitatem & inſidias partas, cum ipſi nō quidem inuentores, ſed tantum approbatores ſcelerum fuerint. Regia pręſidia nihil minus, quàm repentinas Turcarum incurſiones atque perfidiam hoc tempore verita, tam improuiſis conatibus territa, & magnitudine copiarum ſuperata, magnam iacturam faciunt. nam quædam capta ſunt, quædam inſignibus damnis affecta. compulſi ſunt incolæ magnitudine calamitatum mittere legationes, quę ſignificarent ſe tantas iniurias non poſſe pati, decreuiſſe par pari referre, ſi ita Regi videatur, quando non ſeruarentur à Turcis leges atque conditiones induciarum. nouis prælijs igitur in poſterum decertari vtrinque cœptum eſt. Sed has leuiores controuerſias conſopiuit maior ſollicitudo, quæ Solimanum longius proſpicientem repente inuaſit. Nam cum illi nuntiatum fuiſſet,

Hęreſis Daciā inuadit.

ſemina nouæ hęreſis paulatim per Daciam craſſari, omne ſuum conſilium illuc conuertit, quia nihil magis ſuis finibus periculoſum videbatur, quàm ſi hæreſis, & de noua religione contentio ſibi ſubditas vrbes inuaſiſſet. Scribit igitur ad eius regionis reginam, vt continuo inferioris Pannonię ſemina hęreſeos adhuc recentia dum tenella ſunt conuellenda curaret, antequam vniuerſum regnum in periculum coniiceretur, quod ſummo ſtudio factum eſt. Quę ad nouam religionem euellendam ſpectantia dum curantur in Tranſyluania, dux Olſtanius diſſentiebat, exercebatque quandam controuerſiam cum Danię Rege. illa ita compoſita fuit, vt viginti talarorum millia quotannis duci rex numeranda curaret. Deſciuit ab eo Duce per illam bellorum occaſionem

Ditmarus deſciſcit à duce Olſtanio.

Ditmarus inſula, quę ſita eſt inter regnum Daniæ, & principatum Olſtanij, cum ſit ius Duci in illam inſulam. nam ſibi viſi ſunt Ditmarenſes per opportunitatem illorum bellorum poſſe iugum ſeruitutis excutere, & magiſtratum Olſtanij ducis eijcere, cum plerique cum fortuna ſubditi conſpirent quamcunque in partem inclinauerit, Dux ad iura ſua obtinenda, colligit circiter triginta peditum, & quatuor equitum millia, quibus viribus niteretur inſulam ad primam obedientiam compellere. Ditmarenſes contra ſexdecim millia peditum mercenariorum, & decem & octo ſuorum delectorum cum duobus millibus equitum conſcribunt ad defenſionem. Olſtanius his copiis Ditmarenſium auditis mittit legationes ad Auguſtum Saxonum ducem, quæ ſubſidia flagitarent, qui quadraginta Germanorum cohortes, & tria equitum millia mittit. Olſtanius his ſubſidijs, aliiſque nonnullis à Daniæ rege acceptis cum etiam rex ipſe in caſtra veniſſet, caſtra ponit in ſuperiore parte Olſtani vrbis, quæ vicina eſt fluuio Ditmaro vocato. Ibi cenſis copiis de more quadraginta, & duobus millibus peditum ſcilicet, ſex millibus equitum, duobus millibus operarum, cum quadraginta bellicis tormentis, ad opus accingitur. Erant in caſtris Olſtaniis principes inſignes præcipuę dignitatis Rex Daniæ, Ioannes, & Adolfus Olſtanii duces, & Phatodinenſis, & Dux Veſſonum, Comeſque Oldemburgius. hi communi conſenſu Araldum ſiue tubicinem mittunt ad Ditmarenſes, qui ſollicitaret, hortareturque ad obedientiam priſtinam Duci præſtandam. Sic enim eorum ſaluti ac dignitati omnium rectè conſultum iri. Id niſi æquis animis complecterentur, iuſſus eſt Araldus bellum Ditmarenſibus magiſtratibus obnuntiare. Ditmarenſes audita petitione Ducis, reſpondent ſe liberos eſſe, & eſſe velle, atque malle vitam & facultates, quam libertatem amittere, quam ſunt ad extremum vſque vitæ defenſuri. Quòd ſi dux vellet quid eſſet iuris cognoſcere poſitis armis, ſe vniuerſam illam controuerſiam Cæſaris arbitrio conceſſuros. ſin his rationibus nollet acquieſcere, ſe armis libenter rem diiudicaturos. Dux hoc reſponſo minarum pleno percepto iubet edictum fieri in caſtris per tympaniſtam inter pedites, inter equites per tubicinem, nemo vt Ditmarenſium viuus caperetur, ſed homines quicunque arma

Ditmarenſiū reſpōſum ſuperbum.

ferre poſſent ad vnum trucidarentur. Illud edictum, vt inſolentia & temeritate plenum derident Ditmarenſes, quod faciunt tanta inſolentia, vt vel publicè cantilenæ in vrbem cantarentur in eius Ducis contumeliam. excitarat atque aluerat hanc inſulanorum inſolentiam opinio quædam, & fiducia, quoniam iuſulſe arbitrabantur fieri poſſe vt per quoſdam aggeres vniuerſam inſulam inundarent. Eſt enim imperitæ multitudinis, quæ præeſt plerunque in rebus publicis, ea pericula facere parui, quę nondum experti ſunt, bellumque hilari animo, & ſine vlla trepidatione ſuſcipere, cuius difficultatum ſunt ignari. at vbi difficultates propter vel hoſtis potentiam, vel diuturnitatem bellorum, vel ſapientiam, maiores, quàm cenſebantur, inuadunt, tunc ſuſcepti tam

Errorum remediū in bello.

facile belli pœnitere. Sed in rebus bellicis vnicum eſt errorum remedium prouidentia ante peccatum; poſt, inutilis. Conceperant eam opinionem Ditmarenſes, quod inſula Ditmarus alluitur Albi flumine à duobus lateribus, ab oriente & meridie. ad occidentem habet Oceanum. ad

Ditmarj deſcriptio.

ſeptentrionem alio fluuio profundo, & amplo alluitur. Hęc inſula nullum habet acceſſum niſi Daniam verſus & Olſtanum, vbi prelongi ſunt pontes lignei. Alterum pontem, qui inundari poteſt, Ditmarenſes liberum relinquunt, vt eo ingreſſi hoſtes ſuffocarentur. Dux illa re minime cognita antequam ingreditur, quingentos pedites præmitrit ad inſulam recognoſcendam. Illis in anguſtiis locorum trucidatis cum vellet opem ferre iuſſus tribunus cum duodecim cohortibus coactus eſt aquarum multarum ſuccreſcentium magnitudine ſuos retrahere, nonnullis etiam deſideratis. Cum eius inſulæ naturam Rex, & Dux diligenter inueſtigaſſent, cognoſcitur vnde fiat id malum, atque vim aquarum alio diuertunt. miſſa eſt bona

pars

pars copiarum ad impediendum, reliqua per pontes tumultuarios excitatos in inſulam ingreſſa omnia ferro, & igni miſerabiliter populatur. Ditmarenſes inundatione, & aquarum beneficio priuati, quibus maximè omnium confidebant, conſtituunt copiis in apertum eductis eſſe armis pugnandum, atque fortunæ arbitrio ſummam belli eſſe committendam. colligunt igitur copias, & eas in quatuor acies diſtribuunt, ac inuitatum ducem mittunt, vt vno prælio de ſumma belli decernatur. Dux ſuis in tres phalanges diſtributis iubet cani ſignum belli. eo accepto initur atrox prælium. pugnatur diu ancipiti victoria. Ditmarenſes denique victi, Olſtaniarum copiarum virtute terga vertunt. Conculcantur ab equitatu ducis circiter quatuor millia peditum. equites ceciderunt plures quingentis. è copijs Olſtanijs ſexcenti pedites, equites centum, & quinquaginta ceciderunt. multi vtrinque vulnerati. Dux ipſe tametſi vulneratus fuerat, tamen non ceſſat vti victoria. Inſequitur hoſtes, qui ſeſe in vrbem recipiunt, & in alia loca munitiſſima, vbi offendi non poſſent. reliquię vbi in vnum conueniſſent veriti diuturnam obſidionem, cum viderent etiam Daniæ regem, cæteroſque principes ſibi eſſe infenſos, ne incenſis villis, euerſis ædificiis, cęſis aut abductis colonis omnibus in poteſtatem hoſtium denique venirent, qui principes antea tantopere contempſerant, ac ſubſannauerant, nunc non indignum putant, vt agatur de deditione. nam certè quidem non male habet ſententia, quę iubet tam odiſſe inimicum, vt amicum aliquando fieri poſſe ſperemus, aut contra; quæ ſignificat neminem magis vereri, quam nos ipſos, nequid turpe facientibus amicos timere neceſſe ſit. aut ne nimis ira efferamur, cum omnes hi temerarij animorum motus ſint pernitioſi. Illud propè experti ſunt Ditmarenſes, quod paſſi ſunt Siculi Agathoclis Regis hoſtes: nam cum vrbem Siculam obſideret, eumque quidam è muris deriderent exclamantes, o figule vnde ſtipendia perſolues militibus? fuit enim figuli filius Agathocles, ille blande ac ſubridens reſpondit, è ſpolijs huius vrbis, atque veſtri precio, nam & cum vrbem poſtmodo cepiſſet captiuis diuenditis conuitiorum memor dicebat, ſi me poſthac conuicio affeceritis, ſermo mihi erit cum veſtris dominis. nam certe quidem in Reges ac principes conuicia, & dicteria, & maledicta iacere, aut de nondum de uictis triumphare regibus, iniuriis, & maledictis hoſtem laceſſere, quæ nihil illis obſint, nihil proſint nobis, id ſemper leuiſſimi ingenij, parumque futura proſpicientis, ne dicam extremæ dementiæ, fuit iudicatum: quo genere iniuriarum plerunque delectantur liberæ ciuitates licentia, & garrulitate pro vniuerſa libertate dicendi abutentes, in quibus liberum eſt vulgo quidquid in buccam venerit profari. Serpit tamen in nobiliores etiam malum aliquando, quia eo temeritatis proueniun, vt vniuerſam orbis terræ magnificentiam intra ſua mœnia includi putent, cum reliquos homines ignobiles, ſtupidos, & propè bruta arbitrentur, vti faciebant Ditmarenſes ante acceptam cladem. at nunc re prudentius conſultata, duos è primarij ſuis patricijs deligunt, qui conſilio, & eloquentia cæteris præſtare viſi ſunt, quos mittunt ad Ducem ad res componendas. Admiſſæ ſunt legationes ad ducem. publico nomine veniam petunt eorum, quæ petulanter, & per inſcitiam a popularibus, & nobilibus quibuſdam aduerſus Ducem dicta fuerant, quoniam neque Ditmarenſis ſenatus, neque ſapientum iudicio, ea res fuit probata. non enim conuenire vt vulgus, & ſordidi homines, & fœx atque colluuies ciuitatum iudicent principum, & illuſtrium virorum vitam, aut res geſtas, qui plerunque ſumma ſapientia, & virtute vtuntur in illis rebus, quæ ob ignotas cauſas vulgo ſtultæ, & reprehenſione dignæ appareant. Sed quis modum plebi inſolentiſſimæ, aut furioſis rationem adhibuerit, quæ tantum corpus eſt ſine capite? Non eſſe mirum inquiunt ſi patres pro vniuerſa libertate contenderint, quæ ſemper omnium rerum dulciſſima viſa eſt omnibus nationibus ac populis; quam dulcedinem, & ſuauitatem poteſt vnuſquiſque in ſe ipſo experiri, ſi ſibi proponat ante oculos quanto ſtudio, quantaque dimicatione contenderet, ſi ſua libertas in diſcrime poſita ſit, ac popularem ſeruitutem formidaret. Sed tamen quando Deo cauſam Ducis probanti, & fortunæ belli ita placuit, non eſſe grauiſſimum paciſci cum eo principe, qui non minus humanitate, ſapientia, clementia præſtet, quam potentia, virtute armorum, & multorum principum amicitijs atque affinitatibus. Se patrum, ſe nobiliorum, ſe vniuerſæ ciuitatis nomine vnum munus à clementia bonitateque Ducis expetere, vt rerum Ditmarenſium gubernatio Ditmarenſibus ipſis relinquatur, cum cæteris in rebus ſeruata patrię libertate, quodcunque ipſi Duci æquum iuſtumque viſum fuerit, ſanctiſſimè ſint ſeruaturi. Illa oratione dux aliquantulum placaturi; ſed tamen graue videbatur cum tot copias magnis ſumptibus collegiſſet, totque principes, quaſi teſtes virtutis, & conſtantiæ in caſtris haberet, nunc committere, vt liberam eam ciuitatem eſſe pateretur, pro qua ſubiuganda bellum ſumpſiſſet, & iam copias eius profligaſſet. nam ex altera parte vacuis manibus redire turpe videbatur, ex altera graue ſupplices, & veniam petentes populos aſpernari. Cæterum legationibus clam impellentibus alios principes, vt pro Ditmarenſium ſalute, libertateque precarentur, ita res denique concluditur. Vt ad ſarciendos bellicos ſumptus Ditmarenſes intra triennium numerarent decies centena millia talarorum. Vt tributi nomine quotannis triginta millia perſoluerent, ad ſignificandam perpetuam obedientiam. Vt Dux contra illis libertatem integram relinqueret, nec ſeſe inſulanis negotijs implicaret. nam Dux potius ad preces cæterorum principum, quam quod his conditionibus aſſenti et nondum ſatis vltus iniurias, ſubſcriptione conditiones affirmat. His ita ſtabilitis caſtra mouet, copiaſque ad expugnandam Treuam vrbem conuertit. eſt autem Treua vrbs in litore maris Oceani frequentiſſima, & omnibus rebus ad defenſionem egregiè munita, quæ finitimum habet agrum fertiliſſimum. Hanc vrbem Federicus Imperator ducibus Olſtanijs dono dedit, quam tamen nunquam poſſederunt. Dux cũ non aſpernandas & victrices copias haberet

Dicteria, & conuicia ſũt arma inſulſorum.

Ditmarenſiũ legationum oratio.

Ditmarenſiũ legationes.

Pax Olſtaniis Ducis cum Ditmarenſibus.

Treuæ deſcriptio.

ratus ita ſe poſſe eam ſubiugare, fuit à propinquis vrbibus impeditus. nam verebantur & illæ vrbes Ducem Treua capta non fore contentum illis finibus, cum ſemper ferè cum amplitudine imperij ſuccreſcat etiam deſiderium proferendorum finium. veriti igitur finitimi ſibi quoque per Treuę opportunitatem ac ſimulationem compedes, & vniuerſam ſeruitutem parari, colligũt circiter quinquaginta millia peditum, & multum equitatum, atque cum variis auxiliis exeunt in apertum. eos bellorum motus ægrè ferentes Germani principes, atque timentes ne paulatim accedentibus hinc inde nouis auxiliis tota Germania denique bellorum incendiis inuolueretur, ita rem cum Duce componunt, vt res integra reſeruaretur ad proxima comitia, atque ita rem hiſce rationibus componentibus Germanis arma ſunt depoſita, & portus quem Olſtanius occupauerat Treuenſium relictus. Moſchouitarum Dux tot victorijs, ac rebus feliciter geſtis, quot ſuperius memorauimus elatus, copias denuo colligit. Conuocatis ad vexilla centum, & quinquaginta millibus equitum rurſus hoſtiliter irrumpit in eam partem Liuoniæ, quæ vergit ad ſeptentrionem, obuia quæque ferro ac igni populatur, neque vlli parcitur, aut certè paucis. Sæuitur in hæreticos preſertim. Multis captis vrbibus partim ferro, partim per deditionem, multis expugnatis caſtellis ex itinere Oricum ſiue Rigam denique vrbem in ripa Duinæ fluminis poſitam opulentam, & amplam obſidione cingit. regionem vniuerſam incurſionibus deuaſtat ac populatur. Vrbem ipſam multis conatibus ac frequentibus præliis inuadit, cuius præſidia ſingulari virtute ſe defendunt cum magna hoſtium clade. Moſchus quia cognoſceret per vim armorum vrbem illam non poſſe his viribus expugnari vniuerſum ſtudium conuertit ad obſidionem, quam foſſis & aggeribus, & omni impedimentorum genere cingit, nequis edulia afferens in vrbem ingredi poſſet. in ſuperiore inferioreque parte fluminis cuſtodias cum tormentis bellicis locat, nequis in vrbem vel aduerſo, vel ſecundo flumine nauigaret, at Liuoniæ Dux quem magnum magiſtrum appellant, collectis quotcunque copiis potuit pro anguſtia temporis, cum epiſcoporum, reliquorumque procerum auxiliis, decem millibus armatorum nimirum partim peditibus partim equitibus, ſuas vires ad oppidum Cechenuſenum contrahit cum palam in aperto eſſe non auderet, atque Moſchouitæ, omnia popularentur. Mittit legationes ad Poloniæ Regem, quę auxilium peterent, Liuoniamque ipſam arbitrio Regis dederent, modo ab immanitate, impetu, inſolentia barbarorum crudeliſſimorum hoſtium liberarentur. At dux Moſchouitarum pro inſolentia victorię iam nimis elatus facinus aggreditur ſceleris, & impietatis plenum; Liuonienſem Epiſcopum captiuum ſolennibus veſtibus indutum dono mittit ad Scytharum principem, quo tempore legationes in Poloniam proficiſcebantur. Mittit cum epiſcopo nuntium minarum, & temeritatis plenum; fore enim ſi infeſtetur donec occupatus eſt in expugnatione Liuoniæ, vt in eum copias educat, & ipſum pariter captiuum alij dono mittat ludibrio ac deridendum. Ducis Pharodinenſis frater, quòd intelligeret in tantis rerum nouarum motibus non eſſe dormitandum, & in primis cum ardet paries propinquus, colligit magnum equitum, & peditum numerum Germanorum ad Oricum ſubleuandum. Cum non procul a caſtris Moſchouitarum iam diſtaret, cum his copiis obuia fiunt quinquaginta equitum Moſchouitarum millia. committitur atrociſſimum & maximè cruentum certamen. ad extremum multitudine hoſtium profligatus, & in fugam verſus, vix ſeſe in vrbem Oricum ſeruauit. Illa tam inſigni clade accepta miſſæ ſunt legationes ad Cæſarem, & Auguſtam ad comitia Germanorum quæ peterent auxilia. at illæ prioresiam in Sarmatiam miſſæ Canodurum proficiſcuntur, quæ vrbs metropolis eſt Sarmatiæ, & vrbs regia, in qua Reges ſolent habere domicilium. ad regem ipſum admiſſæ docent eum regem in quo periculo conſtituta ſit vniuerſa Liuonia. orant ſuppliciter vt afflictis Liuonum populorum rebus pro ſua regia clementia ſuccurrat. vt recordetur quam perfidus ſit vicinus, & quàm formidabilis dux ille Moſchus, qui ſi, ſubiugata Liuonia, tantis viribus augeatur, ac finibus eius regni fiat propinquior, breui erit intolerabilis, cum tanta ſit ſecuritas finium cuiuſque regni, quantę ſunt vires ad eos tutandos. nihil ſanè minus fidum eſſe, quam finitimum principem habere nuper per victoriarum felicitatem elatum, cum ſemper eandem fortunam ſuis rebus aſpirare arbitretur. opus eſſe celeritate. Pręſtare integris adhuc rebus Liuoniæ ſuccurrere, quàm per tarditatem afflictis, & labefactatis. Nunc non agi de Liuonia tantùm, ſed de ipſius regno, & poſt illud de imperio totius Germaniæ, quæ niſi, & ipſa opem ferat, breui futurum eſt vt de propriis laribus dimicare cogatur, ac det pęnas ſuæ tarditatis. Rex hiſce rationibus commotus magnam diligentiam adhibet parandis auxilijs, atque colligit circiter quadraginta equitum millia, & multum peditatum. quæ auxilia dum parantur in Polonia, legationes in Germaniam profectæ primum de crudelitate iniquitateque hoſtis admiſſæ conqueruntur. docent leuiſſima de cauſa compoſitam propè pacem diſrupiſſe per improbitatem quarundam ciuitatum in finibus vtriuſq; principatus. adeo ira indignationeque leuiſſimè excitatum fuiſſe, vt facile ſit cuiuis diiudicare non vltionis, ſed auaritiæ gratia, & proferendorum finium, illud bellum aduerſus debiliores Liuonas ſuſcepiſſe. oſtendunt tantam fuiſſe crudelitatem, tantam arrogantiam, tantam temeritatem eius ducis, vt nulli, vel ætati vel conditioni mortalium pepercerit, neque vllis ſacris vel profanis locis. ita vt vrſorum aut immanium tigridum, non autem hominum exercitus inuaſiſſe Liuoniam appareat. eum qui tam crudelis, & impius in eam prouinciam fuerit, non multò mitiorem cæteris mortalibus eſſe expectandum, cum felicitas tantum oſtendat, at non mutet ingenia. Poſt Liuoniam Lituaniamque ſubiugatam vniuerſæ Poloniæ arma Moſchouitarum imminere, niſi maturè ſuccurratur; atque inde periculum toti Germaniæ. præſtare rebus integris populorum Germanorum ſuſtentare arma Liuonia, cum illa prouincia ſit, quaſi obex prævalidus aduerſus potentiam

Copiæ ad Treuę defenſionem collectę.

Moſchouitę Ducis copiæ aduerſus Liuones.

Duina flu. Oricum obſeſſum.

Liuonienſis epiſcop⁹ dono miſſus.

Atrox ꝓlium

Canodurum vrbs. Oratio Liuonum ad Sarmatarum regem.

Copiæ regis Sarmatarum. Legationum oratio apud Germanos.

exterorum

exterorum principum in eam partem, ne in fines Germanicos irrumpant, quàm committere, vt Liuonia à tam barbaris, & feris nationibus ſubiugata de proprijs laribus, & facultatibus, & libertate dimicare cogantur. Germani legationes bono animo eſſe iubent, atque omne genus auxilij liberaliter promittunt. dum Regis auxilia, copiæque collectæ ſigna explicant ad profectionem Oricum verſus, magnus etiam liberarum ciuitatum exercitus cum multa equitum ac peditum armatorum millia eſſent collecta. His tam ingentibus apparatibus, qui fiebant vbique auditis dux conſtituit ſoluere obſidionem, cum multos mortales in minutis pręliis amiſiſſet, & nonnulla bellica tormenta preterea quæ pugnantes Oricenſes magna virtute in vrbem traxerunt. non eſt enim viſum Moſcho eſſe è ſua re militari, vt fortunæ inconſtantiam cum his copiis experiretur, qui iam tot victoriis eſſet inſignitus, ne vna hora totam ſuperiorem gloriam rei bellicæ contaminaret. regionem igitur quantam poteſt populatus, multis captiuis abductis, multa pręda onuſtus in patriam rediit, cuius vniuerſa indignatio in Regem Polonorum conuerſa eſt. res tamen tunc tranquilla fuit.

*Rigęobſidio ſoluta.*

& quoniā exiſtimauimus nō procul ab hiſtoria abhorrere, ſiquid ſcitè vtiliterq; inuentū eſt ac memoria dignum ad ſalutem poſterorum in manus tradere: illud non ſilebo, quod a Cechino Martinello ciue Rauennate accepi eſſe vires ignotas ante hoc tempus quarundam herbarum, quę plurimum proſint quibuſdam morbis depellendis, quod egomet vidi, cū ſit ille virtutum herbarum valde peritus. atque hæ herbæ ſanè ita ſunt in promptu cuiuis, vt neq; multis ſumptibus, neque longa nauigatione opus ſit, & periculoſa vt habeantur. Nam ruta capraria herba eſt, quam quidam largam vocant, quæ mirificè vtilis eſt aduerſus omnium venenatorum animalium ictus, cuius ſuccus ſi exprimatur, & ad ciathi communis menſuram bibatur, vim oſtendit efficaciſſimam expellendis venenis. remiſſiorem vim habet eius puluis, vti deprehenſum eſt, quæ plurimum tamen valet ad necandos lumbricos. Præterea radix hærbę ſerpentariæ, quā Aron quidam vocant, ſi cum adipe ſuillo liquefacto in puluerem conuerſa miſceatur ad emplaſtri formam, atque ſtrumis ſiue ſcrofulis vocatis adhibeatur, quod eſt morbi genus in tonſillis & in aliis glanduloſis corporis partibus naſcentis, per aſſiduitatem emplaſtri ſtrumæ denique euelluntur & decidunt.

*Cechini Martinelli inuētū aduerſus ſtrumas, & venenū viperarum.*

Ceterum dum principatus Sabaudię pro pacis conditionibus Duci a Gallis reſtituitur, Monſferractus Mantuano, caſtella Senenſis ditionis Hetrurię Duci, Paulus Quartus Pont. Max. cum magna populi Romani lętitia diem ſuum obiit: qui paulo ante mortem cohortatus eſt purpurpuratos patres ad defenſionem religionis. Rogauit vt eum pontificem deligerent, quem vere ſanctitate vitę, integritate, innocentia maximè pręſtare cęteris arbitrarentur, quique eſſet honorem Dei magis, quàm cętera omnia procuraturus. qui magis publicam, quàm priuatam vtilitatem amaret. qui catholicam fidē non ſolum verbis, ſed in omni vitę ratione diligenter ſeruaret, & quem propter bonitatem Deo gratiſſimum fore cenſerent. Tunc enim pręclare res eſſe ſe habituras, cum non pro precibus vel ambitu vel priuatis commodis dignitates tribuerentur; ſed pro virtute, ſapientia, moderatione animi, integritate cuiuſque. Illud cum in omnibus ciuitatibus, & magiſtratibus ſeruandum ſit inter homines, quantò magis in rebus ſacris ſpectari conuenit, cū ad horum magiſtratuum ſacrorum exempla tota cæterorum mortalium vita ſit informanda? 

*Pauli Quarti mors.*

Vbi deceſſiſſet pontifex, Romani arma è veſtigio capientes, accurrenteſque ad magiſtratum quæſitionis grauiter vulnerant monachum illi magiſtratui præfectum, cæteri monachi diffugiunt quacunque fortuna viam ad ſalutem patefeciſſet. Carceris clauſtra facto ingenti impetu effringuntur. Sõtibus æquè ac innocentibus libertas conceditur. quibus leuiſſima debebantur ſupplicia, quibus nulla, & quibus maxima libertati reſtituuntur pari ratione. atque cum illi datus eſſet magiſtratui locus in amęno magnificoque palatio apud Ripettam vicum, illud iniectis malleolis incenſum concrematumque eſt cum miſerrimo & horrendo omnium ſpectaculo, præclaraque ædificia in ignes conſederunt. annona in vſum eorum, qui detinebantur in carcere parata, incredibili celeritate diripitur per auaritiam popularem. Neque tamen tanta rerum nouitate contentus popularis furor eſt, ſed concurritur ad concremandum cœnobium Mineruæ vocatum, quia rumor ditus eſſet, quod eorum monachorum cauſa fuiſſet exorta tanta ſeueritas iudiciorum. atqui niſi Marcus Antonius Columna & Iulianus Cæſarinus proceres ſumma prudentia, ſummaque autoritate apud Romanos nunc precibus, nunc blanditijs animos efferatos multitudinis placauiſſent, monachi illi fuiſſent extremis ſuppliciis per popularem furorem affecti. Erant nepotum pontificis ædificia quoque flammis per incendiū abſumpturi, & Carafam purpuratum trucidaturi, in omnemq; pontificiam ſtirpem ſæuituri, niſi illuſtrium virorum oratio indignationem atque furorem irruētis iam multitudinis mitigaſſet. arma vbique & clamor huc illuc accurrentium, & minæ furioſæ multitudinis viſebantur, quod certè cuiuis videri poterat formidabile.

*Populi Romani furor i morte Pōt.*

Deiecta ſunt cum multis conuitiis & comminuta illa ſtatuta, quam Romani in Capitolio erexerant è pulcherrimo marmore, tanquam monimentum eius pontificiæ inuſitatæ, & ante illud tempus inauditæ beneficentiæ. Illi cum caput defregiſſent, ſtatuam cum multis contumelijs & obiurgationibus & maledictis per vniuerſam vrbem funibus tractam defractis cruribus & manibus ac brachijs in Tiberim denique deiecerunt.

*Statuta pont comminuta.*

Promulgatur edictum Senatus populiique Romani nomine ſub pęna grauiſſimorū ſuppliciorū, vt omnia Carafæ familiæ inſignia ac tituli deraderentur & obliterarētur infringerentur marmora. delerentur picturæ. omnia monumēta tanquā infauſti ac funeſti imperij illi vrbi tollerentur. Iſtud tanta diligentia, tantaque celeritate factitatum eſt, vt intra duarū vel triū horarū ſpatiū nullū Carafarū veſtigiū aut indiciū reliquū fuerit in vrbe. Initū eſt etiā cōſiliū de Pallianio ex oppido Galleſio eiiciēdo, ſed furor ille popularis ſeniorū prudētiorū cōſilio paulatim refrigçnat. Hi tanti populorum, Romanæq; multitudinis motus non mediocriter patrum purpuratorum animos

*Carafica inſignia deleta.*

mos vexarunt, qui grauiter ferebant eam vulgi temeritatem. Sed quid in tam tumultuaria, tamquè frequenti exacerbata multitudine fieri poſſit? ego ſanè nulla ratione conuenire cenſeo, vt vulgus & ignobilis multitudo in principes inſurgat, ſed tamen aliquando non inutile ſit, nam vt in humanis corporibus ſordidæ partes aliquando vtiliter ægrotant, quia in ſe contrahũt quod putridum, fœculentumque eſt nobiliorum partium; ita accidit in ciuitatibus, vt per inſolentiam vulgi plerique principes ad rectam animi moderationem reuocentur, qui alioquin tanquam pecudibus imperarent, nullo vel turpitudinis vel furoris popularis metu a rebus omnibus tyrannicè præeſſent. Illud cum ęgerrimè ferrent patres, reſponſum eſt nihil factum eſſe ab aliquo inſignis autoritatis viro; neque timendum eſſe populum Romanum hæretica prauitate contaminatum eſſe, cum nemo vnquam inuentus ſit ciuis Romanus, qui male de fide catholica ſentiret. Illud accidiſſe, quia plurimũ crudelitatis aduerſus eos, qui detinebantur diutiſſimè in carcere, exerceretur. Reſponſum eſt, vt aiunt, à præfectis quæſitioni illud non ſua, ſed Pontificis cauſa contigiſſe, qui cum eſſet tardus expediendis negotijs, & negotiorum multitudine, ac magnitudine ferre oppreſſus, ſui conſilij tenaciſſimus, à nemine poterat ſollicitari, niſi ſiquid ipſe proponeret. nam, vt ait Hippocrates in corporis affectibus ſenum, ſenes quidem minus quàm iuuenes ægrotant, ſed vbi diuturni morbi inuadunt, non prius ceſſant plerunque quam vita. ita ſententię, quæ in animo reſederint, non prius immutātur in ſenibus, quam ab iis aut ita peragantur vt ſenſerint, aut vita ceſſauerit. Peractis pontificijs exequiis circiter nonas Septembris purpurati patres quadraginta & duo ineũt comitia de creando nouo Pontifice. datur comitiorum cuſtodia Antonio Vrſino, quæ protracta ſunt in cæterorum patrum abſentium aduentum. Sed tamen cęptum eſt agi de nouo pontifice creando, de quo tot tāque diuerſæ natæ ſunt contentiones & controuerſiæ, vt res per illas protracta ſit ad finem vſque præſentis anni. Poſt longas, multiplicesque contentiones natas & exagitatas in illis comitijs, aliis alio vota intendentibus ac diſtrahentibus, partim precibus, partim pollicitationibus variorum patrum ac principum effectum eſt vt ad ſextum cal. Ianuarij declaratus ſit pontifex Ioannes Angelus Mediceus Marinianij frater cum magna populi Romani lætitia, qui vocatus eſt Pius Quartus eius nominis. ad ſignificandam magnitudinem lætitiæ, & ad inuidiam præteriti pontificijs, conduplicantur nocturni ignes. fiunt frequentes bellicorum tormentorum ſalutationes. parantur mutua conuiuia. omnia exultare, lætari, alas concutere videntur. Adiuuit non parum electionem pōtificis purpurati Carafæ aſſenſus, quem duodecim patrum ſuffragia ſubſequebantur Hiſpanis partibus precipuè ſtudentium. Sed antequam Carafa, vt vulgò forſan ineptè circumferebatur, purpuratus huic electioni aſſentiret, iſta propoſuit vt præter cætera promiſſa omnium delictorum ad illum vſque diem commiſſorum veniam obtineret, neque imputaretur quòd bellum geſſiſſet pro pontifice, aut quòd quenquam occidiſſet, aut curaſſet ſupplicijs afficiendum. Denique ſiquid in ſuperiorum temporum adminiſtrationibus parum laudabile commiſiſſet, illud totum perpetuo ſilentio inuolueretur. Hæc omnia promiſſa fuiſſe liberaliſſimè à Mediceo, & chirographo ſtabilita, & delictorum venia iuramento affirmata, a factioſis hominibus diuulgabatur. Interea rebus inter duos potentiſſimos chriſtianorum principes compoſitis, vti diximus, vniuerſa ferè Europa ſibi viſa eſt tranquillitate frui, & Italia præcipuè, quæ non ſolum intimis bellis diu fuerat defatigata, ſed etiam crebris tributis, & copiis miſſis in ſubſidia aliarum prouinciarum propè exhauſta aliquantulum reſpirare liberius. Sed quoniam Turcica claſſis perpetua moleſtia chriſtiani nominis non ſemel Italiæ litora vexaſſet, multiſque captis & in ſeruitutem auectis colonis abnauigaſſet ad vrbem Tripolim, ibique latrociniorum haberet officinam atque receptaculum, viſum eſt omnino illud negotium eſſe ſuſcipiendum Philippo Regi, rogante & impellente ſummo Melitenſis militię magiſtro & Duce Medioli prorege Siciliæ, vt Valettano tantum malorum, perpetuaque moleſtia maris Siculi de medio tolleretur. Iſtud facile fore apparebat, ſi prius Menyngem inſulam receptaculum piratarum perpetuum occupaſſent. nam ſæpe multis piratis ſe adiungentibus magna dāna quotidie inferebantur Italiæ, & illis partibus præſertim, quæ per longum tractum Adriatico mari alluuntur, cum vicinitas eius gentis parum fida ſit amicis plerunque ob innatam perfidiam, nedum multũ infeſta illis, quos hoſtes arbitrantur. Ad hoc bellum explicandum videtur altius repetendum quæ cauſa hos principes impulerit ad illam expeditionem ſuſcipiendam; quippe cum tātis viribus & oppugnata & defenſa appareat Menynx, vt vix vllũ bellũ atrocius reperiri poſſit apud vel antiquos vel recentes ſcriptores. Eſt autem Menynx inſula in mari Punico in auguſtum ſinum cõtracta, è regione ferè Pachyni Siculi promõtorij nõ procul à parua Syrte & oſtiis Tritonis fluuii, quā alij Lotophagiten vocarũt. Huius lõgitudo eſt triginta & quinq; milliũ paſſuũ, latitudo habet viginti & quinq;, è regione vocatę Eitaliæ. Fontibus quidē dulciũ aquarũ caret & fluminibus, atq; loca habet circũ arenoſa & ſicca. portus eius inſulæ tutiſſimus eſt omnibus nauigiis, neq; vlla vi vētorũ infeſtatur, cũ ſemper ibi tutiſſima ſtatio nautis eſſe poſſit. mare ipſum certe bis per æſtatē, at ſemel per hyemē creſcit aquis fluentibus, ac defluētibus decreſcit, maioresq; ſunt ſiccitates per æſtatē. piſces perrari inueniuntur boni. nulla ſunt oppida vel vrbes in ea inſula, ſed tria tātũ aut quatuor ſimul tuguria, reliqua ſparſim nonnulla inueniuntur in inſula. Syluæ ſunt frequentes palmarum dactyliferarnm & oliuarum, in qua feliciter prouenit magna vuæ paſſæ, ficuum, pirorũ, prunorũq; egregiorũ, cedrorum, & Medicorum malorũ copia. naſcitur ibi hordeũ, miliũ, lentes, fabæ, ciceres. animalia inſulę domeſtica ſunt cameli multi & aſini, cũ reliqua iumēta & greges plerũq; eo è cõtinēte importentur, at non ibi naſcantur. Homines ſunt perfidi in primis, ſubdoli, ingenioſi, auari, animoq; demiſſo, ſed ad omnes inſidias parato, ac ſuperſtitioſi. Cũ Turcica claſſis igitur per mare Tyrrhenũ ac Siculũ nauigaſſet diſſentientibus inter ſe armis chriſtianorũ, quæ vna res Ottomanicā

familiam

Seditionum vtilitas quæ ſit capienda.

PiusQuartus Pōt. creatus.

PactionesPō tificatus.

Menyngis oppugnatio nis cauſæ.

Menyngisde ſcriptio.

familiam ad tantum imperium prouexit, allecta ſpe per illam opportunitatem alicuius memorabilis facinoris edendi, neque tamen quiquam feciſſet, omnia maritima incendijs, populationibus, rapinis, prædationibus, deuaſtat, multisque Chriſtianis in miſerrimam ſeruitutem abductis Draguti conſilio, penes quem etſi ſummum erat imperium eius claſsis, tamẽ primum locum certè ob conſilium & rerum experientiam obtinebat inter Turcas. Conſulit igitur Dragutus ut in Mauritaniam Tingitanam, quam uulgus Barbariam uocat, curſus uerteretur, quoniam operęprecium eſſent facturi ſi Tripolim claram urbem Numidarum recuperarent, quam equites Melitenſis militiæ quondam poſſederant. uiſa eſt non fore difficilis illa expugnatio, quòd urbs illa ſit ab Italicis uiribus diſiuncta, & ab omni ſpe ſubſidiorum deſtituta ob mare interiectum, & non magnopere munita, ut quæ nihil tale omnino expectaret. eſt enim Tripolis urbs non multum diſtans ab Aphrodiſio & Tuneto è regione Sardiniæ inſulæ ſita. in ea parte quæ Numidia uocata fuit. Dicta eſt Tripolis quaſi Triciuitas, quòd ibi eſſent tres urbes, Tafranum, Abrotanum, & magna Leptis; ſicuti Tripolis Phęniciæ dicta eſt ubi fuerunt Tyros, Sidone, & Aradus. eſt autem Numidica Tripolis inter duas Syrtes. Præerat huic urbi Gaſpar Vallettanus uir Gallus, qui poſtea fuit magiſter militiæ Melitenſis, uir ſingularis fortitudinis & prudentiæ. Claſſis igitur accedentibus auxiliis Maurorum, terreſtribusque copijs adiuta, quæ ad communitatem conſilij ad exitum perducendi per nuntios accitæ fuerant pluribus è locis, urbem acerrimè obſidere & oppugnare cæpit. Valettanus ubi multos conatus fortiſſimè ſuſtinuiſſet cum magna hoſtium clade ſuccreſcentibus ſemper nouis copijs hoſtilibus, ac ſuis deficientibus ob aſſidua propè prælia, deficientibus etiam bellicis apparatibus & annona & omni genere auxiliorum, quia illud bellum pręter omnem expectationem accidiſſet, neque ullus auditus eſſet hoſtium apparatus, cognita etiam loci debilitate, coactus eſt facere deditionẽ. ita uerò paciſcitur cum hoſte, ut liceret liberis hominibus excedere quocunque liberet. Dragutus, ut erat peruetus pirata, et uir acri ingenio, multaque rerum maritimarum peritia, cognita loci natura, & quantum referret ad res maritimas, & ad exercendas rapinas, è quibus magnam ſibi autoritatem & opulentiam comparauerat, & ad ea quæ in animo conceperat peragenda, cum portus ibi eſſet tutus ſuis nauigijs, impetrat à Solimano urbis præfecturam. Illud facile obtinuit, atque ſuffectus eſt Moratæ Theſciare, qui erat deſignatus iam tunc Sanzacchus atque præfectus eius regionis. Accepta huius urbis præfectura ſingulari uſus celeritate regionem Caruani Regis cum quo magnas inimicitias exercebat, incurſionibus infeſtare cœpit. cauſæ inimicitiarum fuerant quòd Caruanus in expugnatione Aphrodiſii nulla accepta iniuria ſe inimicum Draguto oſtendiſſet, quòd hoſtes Draguti uiſus eſſet iuuiſſe. quòd annona laborantem Dragutum, qua ipſe abundabat, iuuare noluiſſet. Nam cum Caruani prouincia diſtet circiter trecenta millia paſſium à Tripoli, Dragutus obſeſſus ab Andrea Auria in urbe Aphrodiſio non modo nullis eum rogatus ſubleuauit auxiliis, uerumetiam hoſtilem animum in Dragutum præ ſe tulit. Inde conceptum odium Dragutum impellebat ad uindictę deſiderium & ultionis. nihil magis proſpectat, quàm quo pacto poſſit eum de ſuo regno eiicere, quod ſibi commodè per hanc præfecturam poſſe facere uidebatur. Memor idcirco antiquarum iniuriarum confeſtim arma in eum conuertit. Magnam partem regni adimit. Perpetuis incurſionibus Mauros finitimos affligit, quos intelligat ſibi fuiſſe aduerſarios. in hos omne genus crudelitatis exercet. nam nihil eſt minus tolerabile, quàm homo ignobilis ac inſipiens ad aliquem ſublimiorem fortunæ grandum prouectus; quia conatur illud reuerentiæ, quod uirtuti & nobilitati debetur, per arrogantiam & ſuperbiam & crudelitatem ad opes, aut ad potentiam ſuam retorquere. Vt illud quod cupiebat facilius per aliquam rationem inſidiarum cõſequatur, init amicitiam cum Xeſque principe inſulæ Lotophagitę, eumque abducit ab amicitia Caruani, ſimulatque ſe conciliare Solimano imperatori Turcarum. Nam amicitiæ, quæ contrahuntur cum amicis hoſtium, nihil aliud ſunt, quàm hoſtium incommoda; cum per eas opportunitates multis commodis priuentur. At enim Dragutus uir animo ad omnem calliditatem prompto, rerum nouarum cupidus, alienarum rapax, ſingulare genus fraudis excogitat. Cognita inſulæ fertilitate & abundantia, & quanti referret illam quoque inſulam occupare, Mauros inſulanos pręcipuę autoritatis largitionibus ac perpetuis ſtipendijs allicit & ſibi obligat. Tum ſimulatione arctioris amicitię & colloquij, quòd eſſet de rebus maximis ad Xeſquis utilitatem ſpectantibus communicaturus, ita egit ut illi Xeſquem ad colloquium denique adduxerint. Dragutus uno tempore proceres & Xeſquem fallit: nam cum illi credidiſſent blanditiis & largitionibus Draguti, nullasque ſubeſſe inſidias arbitrarentur, ſuum regem per inſcitiam prodiderunt. Xeſque capto inſulam occupat Dragutus cęteris Mauris inſulanis per uim ſuo imperio adiunctis, quorum in conſpectu, ad cęteros omnes deterrendos, quominus detrectarent imperia Turcarum, iubet Xeſquem laqueo ac ſuſpendio necari. Sic enim terreri & conſternari animi Maurorum putabantur, nequi nouarum rerum molirentur. Ita vero res illa principum inſulanorum animos commouit, tanta exorta eſt aduerſus crudelitatem, perfidiamque Draguti indignatio, ut habito colloquio cum cæteris Mauris amicis equitum Melitentium de eiiciendo Draguto, conſilium delatum ſit ad ipſum magiſtrum equitum, qui pluribus de cauſis coniunctus erat non leui amicitia cum Ioanne Cerda regulo Medioli tunc prorege Siciliæ. Prorex monitus à Valettano quo in ſtatu eſſent res Numidicæ, ac Tripolis pręſertim, quę facile poſſent expugnari per Caruani & Draguti inimicitias, quia Tripolis non eſſet ſatis munita, ſententiam Valettani probat. Nam facile futurum apparebat ut Caruanum haberent amicum propter inſidias Xeſqui & omnibus inſulanis Mauris paratas, ad euellendam eius hoſtis potentiam, qui aſſiduis perpetuisque incurſionibus Italię, Sicilięque litora mox infeſtaret. rogat ut Philippum regem hortetur per literas ne tantam opportunitatem pręternittat. Sed quoniã

Valettani

Draguti autoritas.

Tripolis deſcriptio.

Tripolis à Draguto capta.

Caruani inimicitia & Draguti.

Ignobiles intolerabiles.

Stratagéma.

Perfidia Draguti.

Valettani literæ ſcitè perſcripæ viderentur,eas Prorex mittit ad Philipum regem. ut quia Bernardus
Guimara uir prudens erat legatus & negotiator Melitenſis ordinis apud eum regem, illi datur ne-
gotij tractandi cura cõmuni conſilio. Miſſi ſunt & nuntii,qui traiicerent in Mauritaniã, Galatẽq; ac

Oratio ad Caruanum de fæderein eundo.

cedentes mox agerẽt cũ Caruano de amicitia cum Philippo Rege ineunda. Docent nũtii Draguri eſ
ſe concilium regno potiri atque imperio omnium finitimorum locorum . Ingenium indomitũ
hominis nonſore contentum præſentibus finibus demonſtrant, niſi proxima quæque imperio ad-
iecerit. declarant temeritatem & ſuperbiam & arrogantiam eſſe intolerabilem, qui uelit neque re
ges quidem eſſe liberos, ſed obligatos eoſdem habere amicos & hoſtes quos ipſe probarit. Docent
eum, qui tanta uſus ſit crudelitate in reges, quanta Dragutus uſus eſt nulla accepta iniuria in Xeſ-
quem, uirum bonum eſſe non poſſe. quid enim faciet reconciliationis ſimulatione is,qui talis fuit
in amicum? aut quis tuto ſe eius fidei commiſerit? probabile certè eſt eos, qui ulciſcendarum in-
iuriarum cauſa bellum ſuſceperint, ubi iram expleuerint, poſſe quieſcere : ſed is, qui auaritia &
ambitione duabus ſempiternis & grauiſſimis peſtibus impellatur ad omne fraudum inſidiarunq;
genus, nullum certè finem habebit, cui iure ſibi uideatur poſſe acquieſcere. Maximum eſſe argu-
mentum libidinis dominandi poſt mortem Xeſquis principis innocentiſſimi eius regni occupa-
tionem & captiuitatem,cum omnia humana diuinaque iura proſternat libido dominandi. Miſer-
rimum eſſe, quod fiet ab ipſo Caruano neceſſariò, eius fidei & pactionibus credere, cuius uel ami
citia plena ſit inſidiarum & malorum. proponunt non defutura eſſe finitimorum omnium popu-
lorum auxilia aduerſus perfidiam & crudelitatem Draguti, cum ille non deterruerit per illam cę-
dem animos cęterarum gentium, ſed potius irritarit,& ad deſiderium uindictæ prouocauerit.nam
omnis crudelitatis comes eſt odium & maleuolentia populorum. oſtendunt Philippum regem,
armaque Chriſtiana ultro eſſe uentura ad eiiciendum ex iis finibus tam crudelem ac tam moleſtum
uicinum. Hiſce rationibus & pollicitationibus auditis Caruanus reſpondet ſelibenter illam amici
tiam agnoſcere. Pollicetur præterea ſeſe annonam copiis Hiſpanis ſuppeditaturum, & omnibus
rebus neceſſariis iuuaturum,miſſurumque peditatum & equitatum,atque ſe ipſum cum ſuo equi-
tatu incaſtra uenturum. Guimara ubi negotium cum literis ad regem detuliſſet ſumma diligentia
uſus,faciles aures regias ad illam expeditionem nactus eſt: quæ dum tractantut in Mauritania &
Hiſpania ad tationes belli ſuſcipiendi, exierant è Propontide roſtratæ triremes Turcicæ octoginta,
& dicrota, prædatoriæ nauiculæ, liburni, uariique generis nauigia circiter triginta, quæ uniuer-
ſa claſſis Apolloniam applicuit. Andreas Auria regiarum triremium præfectus cum eſſet Neapoli
conſilium cum prorege communicat defendendæ Italiæ. docet proregem magnum imminere pe-
riculum ne litora Italiæ, cuius plurima pars mari terminatur, prædationibus & incendiis uaſtare-
tur. decretum eſt communi conſilio ut prorex duo millia peditum, equites quingentos collige-
ret ad præſidia aduerſus claſſem Turcarum. his impoſitis triremibus uentum eſt Meſſanam. At

Philippi conſilium de inuadenda Numidia.

Philippus rex conſilio Valettani confirmato decernit illam expeditionem eſſe ſuſcipiendam; lite-
ras itaque exarat ad magiſtrum Melitenſis militiæ, quibus demonctrat ſe ſtatuiſſe illud negotium
eſſe ſuſcipiendum. decernere ut fiant apparatus. non defore ſecuritati & quieti eius ordinis. Scri-
bit etiam ad Sueſſanum præfectum Inſubrum, & ad proregem Neapolis ut quilibet horum mitte
ret duo millia Hiſpanorum in Siciliam. accedit Meſſanam etiam Guimara ipſe cum literis. Sed quo
niam uerebatur Philippus ne ad reuocandum illud conſilium Turcica claſſis ad infeſtanda Hiſpa-
niæ litora ad nauigaret, iubet Ioannem Mendocium præfectum Hiſpanis triremibus contendere
ad ea litora tutãda: at Auria intelligens quanti referret uniuerſæ rei bellicæ ne triremes illę diſcede
rent ante explorata Turcarum conſilia, non prius Mendocium dimittit, quàm cognitum ſit Tur-
cas non eſſe uenturos in mare mediterraneum. Ioannes Auria Panormo profectus Meſſanam Gui-
maram cum literis reperit. illis iubebatur res ad bellum neceſſarias, tormenta, copias, commeatus,
pecunias comparare. Cerda ſummus imperator creabatur eius expeditionis, quare continuo tri-
bunos dimittit qui Neapoli & in Sicilia pedites Italos ad ſigna conuocarent. dat Chirico Spinolæ
præfecturam ſeptem cohortium, trium Scipioni Tolfę. duarum Hippolyto Malaſpinæ, qui om-

Copię Philippicæ ad Numidicam expeditionem.

nes ferè erant exules. totidem cohortes collectæ ſunt in Sicilia, quod ita factũ eſt, quia prorex Nea
polis propter metum Turcarum nollet priuari ſuis præſidiis, dum claſſis ſtationẽ haberet Apol-
loniæ. eſt enim Apollonia ſiue Aulon urbs Macedoniæ, quę mari Adriatico alluitur è regione
Apulię, portumque habet excipiendæ claſſi accommodatum. Aluarus Sandęus duo millia & quin
gentos pedites Italos colligit. contrahit ex Inſubribus duo Germanorũ, duoq; Hiſpanorum mil-
lia, quoniam mortuo Henrico Gallorum rege ſueſſanus copias non dimiſerat, ut ſpectaret quò tẽ
derent conſilia noui Regis. Sed cum Galli pacis conditiones exequerentur, hę copię miſſę ſunt Ge-
nuam magiſtro caſtrorum Michaele, ut claſſem conſcenderent. Miſſæ ſunt & tres cohortes è Cam-
pania à prorege Neapolis, alias promittit ſub tempus nauigandi. Iuſsę ſunt naues onerarię Ge-
nuenſes & Siculæ conuenire ad commeatum & res claſſi neceſsarias conuehendas, ac traiiciendas
copias. Sed iam circiter cal. Octobris maritimæ terreſtresque copiæ Meſsanam conuenerant ubi cẽ
ſa ſunt quatuordecim millia peditum uariarum nationum. dictus eſt magiſter caſtrorum Iſpano-
rum Aloyſius Oſorius. Italorum Andreas Gonzaga. tormentario negotio præficitur Bernardus
Aldana. Xenodochio vulneratorum pręficitur epiſcopus Balearium inſularum, ut qui vulneraren
tur obtinerent omnia neceſsaria. Nam profectò ita poſtulat non modo bellica ratio, ſed etiam hu-
mana, ut qui vulnerantur pro tuendis caſtris principum, ac decore militari, iidem, ſi inopes ſint,
ne per maximam rerum omnium inopiam in foſsis & humi proſtrati morientes deſerantur miſer
rimum planè mortis genus. Quis enim leuia certamina intrepidus ineat, ſi ſciat aut per arma ho
ſtium

ſtium ſi vulneretur, aut per inopiam omniũ ſubſidiorũ in caſtris amicis eſſe moriendum? aut quæ gloria expectabitur abiis,qui ita trepidi ac ſolliciti fuerint?Hos bellicos apparatus intelligẽs Dux Hetruriæ quatuor triremes egregiè inſtructas mittit.tres additæ fuerãt à purpuratis patribus ante põtificem Mediceum duce Flamminio Anguillara. Tolettanus has copias auget ſeptingẽtis ſclopettariis, & quadringentis equitibus. interim duo catalcopia mittit in Numidiam ad res Turcarum explorandas. alterum horum captum à Turcis fecit ut omnes bellici Chriſtianorum apparatus Draguto fuerint cogniti. fiebant autem apparratus menſe ſeptembri ac Octobri, quòd ea loca tranquilliore mari per id tempus fruantur, neque claſſis tunc erat timenda,quia ſeſe in hyberna iam Byzantium recepiſſet. Dragutus cognitis his apparatibus quanta poteſt celeritate prędia auget duobus lectiſſimorum peditum Turcarum millibus, & centum ac triginta equitibus.Numerus nauigiorũ, quæ Meſſanam conuenerant, hic erat.tres actuarias ducebat Flammius. decem erant Siculæ duce Berlingerio. Sex Neapolitanæ præfecto Sancio Leua. quinque duce Antonio Auria. Quatuor ex Hetruria duce Nicolao Gentile. duæ prefecto Bindelo Saulo. Quinque Melitenſes cum duabus onerariis. Dux Medioli cum duobus maioribus nauigijs quinqueremibus, quas Galeonos uocant, onerariis uiginti & octo duce Io. Andrea Gonzaga.grippis, id genus eſt recentiorum nauigiorum, duodecim. liburnis ſeptem. biremibus undecim. prædatoriis ſexdecim.impoſita eſt huic claſſis tanta commeatus copia,ut in multos menſes poſſet ſufficere. iubentur tamen urbes maritimę nouos commeatus parare. impoſita ſunt triginta muralia tormenta,& multi bellici apparatus, & munera,quibus Mauri conciliarentur. ſed quoniam multo ante fieri debent apparatus, ut ſint in promptu cum opus eſt,non paruus fuit tempus illud iis faciendis abſumere,quod erat utendis accommodatum propter naturam uentorum & regionum. Sed Hiſpanæ claſſis quæ abnauigauerat abſentia, & tarditas Hiſpanorum non opportunè miſſorum in multas difficultates negotium adduxit. claſſis uniuerſa Syracuſas profecta pridie cal. Nouembris appellens ſtationem habet in portu uentum præſtolans Pachynũ verſus. Sed enim cum Sicilia per hyemem occiduis Auſtralibusque uentis magis affletur,quàm reliqua Italiæ litora,rariusque Borealibus, erãt ibi,uenti Boreales expectandi. nã qui à parte Septentrionis ex Aetnæ uallibus exurgunt ualde moleſti ſunt è portu exeuntibus. neq; prius datus eſt exitus è portu triremibus, quàm dies prope uigeſimus Nouembris tranſactus ſit,neque tamen onerariæ ceſſantibus breui ſecũdis uentis exire potuerunt. Multi coorti ſunt morbi in ipſa claſſe propter diuturnam ſtationem. multi moriebantur. multi tarditatis diſceſſus pertęſi diffugiebant.

*Sicilia quibus uentis expoſita.*

Illud neceſſario cognoſcendum eſt claſſium imperatoribus, quod non poteſt ſine magno claſſis periculo ignorari, cum inſcitia non admittat excuſationem in rebus bellicis, quòd ubi claſſes diutius ibidem ſtationem habuerint, uel propter importunitatem temporis ac tempeſtatũ, uel propter imperatoris negligentiam, uel alia quauis de cauſa, neceſſe eſt ibi peſtilentiam omnino ſuboriri, aut certè multos morbos fieri, ut docet phyſica ratio, & omnium phyſicarum regina experientia. Nam ubi caſtra habentur in continente ad alicuius urbis obſidionẽ diuturniorem, quis neſciat opus eſſe obſidentes quoque multa pati, modo ob annonæ penuriam,modo ob aeris intẽperiem,modo ob diuturnos labores,cum oporteat eſſe ſub dio per noctem? tamen non ita facile ſuboriuntur morbi & peſtilentia,quia quotidie è ſingulis cohortibus nõ nulli exeunt ad prædã,quod fit uiciſſim ab alijs his in caſtra reueris. Sic .n. fit ut per prædã uictui, per exercitationẽ ſaluti exercitus cõſulatur. Vbi uero nulla ſit exercitatio,ubi uictus & bonarũ aquarũ aliquãdo penuria,ubi ſemper propè eſſe oportet ſub dio,ubi multarũ ſit ſordiũ fętor,ubi omnibus frigorũ, uentorũ, pluuiarũ ſolis iniurijs expoſitos eſſe neceſſe eſt intra ligneos carceres,inter frequentẽ mutuã reſpirationẽ, quod etiam non parum ob eſt,quis non intelligat morbos multos neceſſariò oriri? quibus addẽdum eſt multos ſemper eſſe tyrones, incommodorum & bellicorum laborum ignaros,qui facilius affligantur Hoc docuit non ſolu m pręſens expeditio, uerum etiam uarii euentus diuerſorum tẽporum. ſed ut ad ea, quæ ſunt in omnium uiuentium memoria recentia adhuc, ueniamus, ut magis res nota ſit per cognita exempla,patet, quod Turcica claſſis,ubi diutius morata eſt in inſula Melite,plures propè morbo,quam ferro hoſtili ſunt abſumpti, quamuis multis certaminibus infeliciter ab iis pugnatum fuit in illa inſula.Docuit hoc Veneta claſſis ſequentibus temporibus præfecto cum ſummo imperio Zanio,cum ſegnis morata ad Iaderam, nulloq; commiſſo prelio quadraginta millia ferè mortalium,& egregiam iuuẽtutem Italam amiſſit multis coortis morbis.Docuit clades Turcarũ uictorum ſegnis morata in litore Cypri ad litora cuſtodienda,in qua tot multa hominũ millia remigum perierunt,ut uacuę triremes multę neceſſario ſint in inſula relictæ.Hęc ſiquis ignorauerit, aut neglexerit, experietur cum magno detrimento rerum ſuarum ita ſe habere.

*Inſcitia non ad mitrit excuſationẽ & bellicis reb.*

*Peſtilẽtia cur & quãdo in claſsibus orire ſoleat.*

*cauſę peſtilentię claſsicæ.*

atque non ſolùm hęc cognoſcenda ſunt claſſicis imperatoribus, uerum etiã uis uentorum, quòd alii aliis in locis magis dominentur. cognoſcenda eſt uis aquarum, quæ diuerſa eſt in uarijs tractibus maris nauigantibus,quarum non parua eſt differentia ob recurſus diuerſorum locorum.Nam quanta uis ſit aquarũ marinarũ in faucibus maris Aegęi,cũ magna copia defluat ex iis faucibus, quę defluunt è Męotide;inquam multa perampla flumina illabuntur tam ex Europa quam ex Aſia, ut Tanais et Boryſthenes,aut ex alijs ripis ac maris partibus,vt vnde irrumpit Danubius, non poteſt ignorari ſine maximo claſſium periculo per illa maria nauigãtium. Apparent enim perſpicuè exeuntes aquæ per fauces Helleſponti & Byzantii ,ubi mare ſuccreſcit ordinario fluxu,neque uſquam ingrediũtur. Hęc magna aquarum copia ubi ad fauces Aęgęi peruenerit ab inſula Eubœa impulſarum, propter profunditatem aluei uires impetumque amittit. Illarum curſus eſt ad ſiniſtram orientem uerſus, at non contra;quoniam Creta tanquam agger aut obex quidam ab ipſa natura obiicitur. Nam fauces, quæ ſunt a Samonio promontorio ad propiorem continentem uſque, multò ſunt ampliores

*Vis Ventorũ claſsi cognoſcenda.*

*Aquarũ & locorum differẽtia in refluxibus.*

illis,

illis, quæ ſunt ab ultima parte inſulæ occaſum uerſus, propinquioreque continente. Sic igitur defluunt aquæ Ciliciam & Pamphyliam alluentes ac Cyprum inſulam tum intus, tum etiam extra, atque in litora Syriæ impinguntur, unde flectuntur poſtea in Aegyptum. His etiam uires atque impetus additur ad curſum occidentem uerſus propter magnam copiam aquarum, quę per ſeptem Nili oſtia defluunt propinqua Alexandriæ. Sic per illa maria uel ſine magno uentorum uſu Italiā uerſus nauigatur. At contra, niſi ſequantur uenti, non ſine magna difficultate illuc nauigatur, niſi quid aquarum curſus adiuuerit, qui patuit quantum poſſit. ſunt ſanè ſuæ cuique mari difficultates, vt uno verbo dicam, quæ non ignorandæ ſunt ab imperatoribus claſſiū; quæ vel ſi declarentur à peritis, uix ab indocto percipi poſſunt, atque ita in rebus ſingulis conſultantium neceſſarius erit exercitus. cæterum ubi aduentaſſent cal. Decembris, exeunt onerariæ ad Pachynum promontoriū Siciliȩ cum triremes diſtarent circiter duodecim millia paſſuum. rurſus reflantibus uentis, onerariæ in portum Syracuſanum repelluntur, triremes ad inſulam Melitem ſe recipiunt, quam iam præterierant. Ioannes Cerda ſummus claſſis imperator cum magna lætitiæ ſignificatione, multiſque muneribus à magiſtro Melitenſis militię excipitur, atque miſſę ſunt triremes, quę onerarias remulco ad inſulam attraherent. accedunt ad Melitam Tarento tres onerariæ, ſeptem Hiſpanorum cohortes interim uehentes à Neapolitano Prorege, ubi quod reliquum erat anni in expectatione fuit abſumptum. Quæ dum parabantur ad bellum in Italia, Vandomii & Amiras & Andelottus, & Sciatilioneus aduerſus Ghiſios potentiam & odium colligunt cum alijs proceribus nouæ religioni fauentes, caluiniſtarum deteſtanda ſemina uel in nouas Indias per Caluini diſcipulos ſunt tranſ-

1560.

miſſa; ſed cum patefacta fuiſſent, præfectorum diligentia ſunt proſus euulſa. Sed iam inierat annus ſexageſimus à partu Virginis poſt mille & quingentos, cum nouus pontifex coronatur ad octauum idus Ianuarii, dictuſque eſt Pius quartus, qui confeſtim animum ad negotia ſpectantia ad re-

Conciliū Tridentinum indictum.

ligionem conuertit. primum igitur omnium Synodum Tridentum indicit, ſic ut indictum erat antea à Paulo tertio, & à Iulio Tertio ſtabilitum. nam ſperabatur per illam fieri ut hæreticæ prauitatis radices, quæ ſerpebant indies, iactatis ueræ reliogionis ſeminibus ex animis mortalium conuellerentur. Deinde Carolum Borrhomeum Mediolanenſem purpurei galeri honore inſignit.

Ioannes Medice Card.

ſuum galerum largitur Ioanni Ducis Hetruriæ filio cum ob egregias dotes iuuenis, & non uulgaria animi ornamenta, tum quòd eius principis gratia, quæ certe maxima eſt, plurimum fuerat ad pontificatum adiutus. Legationes mittit ad omnes principes Europæ, quæ illos rogarent uti epiſcopos & viros inſigniores doctina ſacra dignitate præditos ad ſacram ſynodum mitterent. Alphōſus interim Ferrariæ Dux ad nouum pontificem honoris gratia accedit, à quò magnificè perhumaniterque excipitur, quod ipſum fit à Duce Vrbinate. Deinde cæterorum omnium principum legationes de more mittuntur, quæ & gratularentur pro delata dignitate, & obedientiam tāquam communi Chriſtianorum patri, & Chriſti Vicario promitterent. Tanta uerò confluebat undiq, Romā uariarum nationum multitudo, ut urbs illa multis mortalibus breui repletta ſit, quę non parum ſuperius fuerat exinanita. Sed enim turbauit non nihil animos multorum repentina Caraſę familię mutatio, quoniam dictus eſt pontifex, ubi Caraſę promiſſa quædam repeteret, contra promiſſam ueniam delictorum, ſi tamen promiſſa fuit, omni memoria acceptorum beneficiorum obliterata, imperaſſe Caraſam ad ſe acciri. accedentem, capi; captum in cuſtodias tradi atque in arce diui Angeli aſſeruari. Illud tametſi per iniuriam factum uidetur aliquibus contra promiſſa, tamen deo ita iu-

Caraſa Card. captus.

bente factitatum apparet propter multitudinem ac magnitudinem a Caraſis commiſſorum; cum deus ſit iuſtus iudex, & optimus uindex denique ſcelerum. Illud certè accidit, quòd ex ea fortunæ mutatione, & ſeueritate tam repentina Pontificis pręter expectationem omnium populorum, magna iniecta eſt trepidatio Romanis, & magna ſuſpicio in animis omnium, quòd non multò meliorem pontificem ſuperiore eſſēt habituri. confirmauit hanc opinionem pontificium mādatum, qui

Palianius captus, & multi alij.

miſit equitatum ad capiendum Ducem Palianium, qui erat Galleſii, & Leonardum Cardonem, & Aliffę comitem, & Palianii affines. Horū omniū ad cauſę diiudicationem, quę de rebus plurimis per quæſtiones expreſſis habēda erat, delecti ſunt purpurati patres nōn nulli, & his adiuncti uiri lectiſſimi Auditores Rotę uocati magiſtratus, qui Romę ſummæ eſt dignitatis inter iudiciarios. His iudicatio necis & uitę commiſſa eſt auditis accuſationibus & defenſionibus. qui certe extremis ſuppli-

Mors Caraſarum.

ciis non multo poſt ſunt affecti. Quidam Caraſę familiæ nimium affecti carpſerunt acerrimè hoc præclarum pontificis facinus, cum dicerent turpe eſſe cuiuis, promiſſa non ſeruare, ſed pontifici pręcipuè, cum illa uitia Dei & hominum indignationem in ſe cōuertant: quæ ita apparent deteſtabilia, ut regium & magnificū eſt ſupplicum miſereri, lapſis parcere, liberalitate, humanitate, clemētia in omnes uti; ſed in eos præſertim qui uitam, facultates, ſanguinem noſtrę fidei cūmiſerint. Sed tamen ita fit diuino inſtituto ut homicidarum ultores inopinantes inueniant, atque malorū hominum mala munera in ipſos largitores conuertantur. Nulla ſanè promiſſio ſeruanda eſt cuiquā,

Promiſsionē fallere quando licitum appareat.

quæ appareat impunitas atque inuitatio ſcelerum, & quaſi cęteris licentia ad improbitatem. nam quo iure promiſſio talis ſeruanda eſt? atque id Romę certè minime omniū locorū conuenit, quod ita fiet, ut pontificum affines omnia ſcelera impunè committere poſſint. detruſi ſunt in carcerem

Montius & Neapolitanus Card. capti.

Montius etiam & Neapolitanus Card. aliis de cauſis, ſed Montius ob delicta præſertim in fiſcū commiſſa, qui ut abſolueretur, centum & amplius nummorum millia diſſoluit, per quā æris alieni magnitudinē illi neceſſe fuit propè ruſticari, at certè carere aula pontificia, & ſumptus domeſticos minuere prouentibus in multos annos oppignoratis ita concedente ipſo pontifice. & quoniam Tridentina Synodus indicta fuerat, Pontifex de omnium hominum ſalute ſollicitus mittit Alexandrū Canobium ad Magnum Ducem Moſchouitarū, qui illi perſuaderet ut doctiores è ſuis ad cōcilium

mitteret.

mitteret Canobius Carrodunũ in Poloniã profectus petijt à Sigiſmundo rege ut liceret per regnũ in Moſchouiam pertranſire. rex quia plurimũ & animo & armis Moſcho diſſideret, uetuit omnino palam tranſitum per ſuum regnum, quare Canobio neceſſe fuit re imperfecta redire. Iſabella Regina Franciſci Gallorum Regis ſoror in Hiſpaniam accedens, uti per Ringomem, aliosque proceres Philippi nomine nuntiatum fuerat, multis comitantibus proceribus ſatis diligenter pro Regia muliebrique diligentia tamen properabat. at Philippus Toleto Cõplutam accedit, quò iubet aulicorum multitudinem conuenire, ut obuiam honoris gratia iretur Reginæ ad oppidũ Guadaliaram, quod eſt Baſtitanorũ ſiue regni Caſtellæ. ipſe paucis domeſticis comitantibus Cõplutã ad Reginam proficiſcitur, quæ iam ad palatium quoddam non procul inde diſtans cõuenerat. poſtridie celebratis ſolennibus de more nuptiarum, uentum eſt Mantuam Carpetanorum, ubi regium paratum eſt conuiuium, ac regina ſumptibus Philippicis uti cepit, cum plura duobus nummum millibus quotidie abſumerentur. Paucis interiectis diebus Philippus Toletum accedit, atq; inde ad Oliam pagum agri Toletani, quo Luſitana regina conuenit. Toletanę matronę ſunt inſtrui iuſſę ut obuiæ fierent reginæ, atque Toletani magnam pompam in eius aduentum parant. artifices egregiè inſtructi ſub ſignis ad ſonitum tympanorum obuiam procedunt. poſtea parati ſunt pueri ducenti, militaremque in modum induti, quorum omnium numerus accedebat ad tria millia; atque conſtiterũt in acie in Vega planitie. Inſtructi ſunt equites ducenti talaribus tunicis, qui Turcica capitũ haberent integumenta cum argenteis liliis & acinacibus ad morem Maurorum pẽdentibus aureis torquibus è collo pro Zonis, ſcuta candida geſtantes. dextera brachia integumentis annulatis tegebantur cum iaculis uexilla habentibus ſimilia ueſtibus. præcedebant quatuor tibicines, quibus aurum erat pro capillis. conſtiterunt in acie in loco delito expectãtes reginam è regione peditum, quę inter utranque aciẽ erat tranſitura. illa aduentante nitum eſt leue prælium tanta ſclopettorum ſalutatione ut omnia circum contremiſcere apparerent: qui poſtmodo, compoſitè iter faciunt in urbem ad palatium uſque. Sequebantur iuuenes multi & puellę, qui ex Olia, Magano, Varga pagis iuſſi erant ante reginam tripudiare cum in urbem accederet. Sequebãtur alij cũ tintinnabulis brachiis & cruribus alligatis de more Maurorum, cum ſtrictis enſibus, qui harmonicè inter ſe decertabant. ſecuti ſunt mares & fęminę perſonati Agarenico habitu cũ arcubus è foliis palmarũ, & multis tintinnabulis. alii cum cymbalis habitu Numidico cimbala pulſantes ad priſcam cõſuetudinem Maurorum. omnes hi cętus perſonatorum varia ludicrorum genera exercebant, ubi apparuiſſet regina, quæ conſiſtebat dũ perficerentur. obuii fiunt & uiginti & quatuor mulis uecti egregiè induti pręcedente uexillo cum tribus tubicinibus, totidemque poſt hos uiridi induti, qui baliſtas geſtabant ſuper ſiniſtris humeris, ac dextra uirgam tenebant; atque hi erant miniſtri iudicum uias Caſtellę latronibus expurgantes. Sequebantur perſonati in morem ſylueſtrium hominum induti cum clauis ligneis ad ſonitum tympani, qui peractis ludicris uariarum auium concentus imitabãtur. Poſtea ſuccedebant iudices Quęſitionis, iuriſperiti, medici, theologici conuentus, canonici auguſtioris templi, equites complures, præfectus ciuilibus & capitalibus controuerſiis, concilium Indiarum, Terraconenſis Hiſpaniæ, & regni Caſtellæ; quæ omnia concilia inuicem erant ſeparata. Subſequebãtur Dux Francæ villæ, & ſenatores ſupremi concilii regii, qui ſemper regem ſequuntur, cum omnibus prefectis, ac gubernatoribus regnorum, prouinciarum, principatuum Philippi, qui ex equis deſilientes reginam ſalutarunt, & in urbem comitantur. Regina ubi urbem adiiſſet, multos fornices affabrè factos uidet, in quibus animalium picturę & nauigiorum inerant, & carmina poetarum in laudem reginę compoſita, quę omnia recenſere longum eſſet. Vbi ad extremam fornicẽ magnis ſumptibus Toletanorum extructam uentum eſt, præſtò fuerunt Iuratorum & Toletanam rem adminiſtrãtiũ magiſtratus cum magna muſicorũ inſtrumentorum harmonia, ubi excepta fuit regina ſub magnificentiſſimam umbellam, quam Alcades, id eſt inſignioris magiſtratus nomen, rogant iuramento affirmare ſe omnia priuilegia, immunitates, cõſuetudines ſeruaturam; quod fuit per publicum ſcribam literis mandatum. His peractis proceditur ad auguſtius templum & altare maius Iuratis & patriciis umbellam geſtantibus. excipitur ab obuiis ſacerdotibus, ibique ſex gigantes longitunis octo cubitorum præſto ſunt, tres muliebri habitu Gallico ac Belgico, tres uirili Germanico & Numidico, qui præcedentes tripudiabant. inde digreſſa per multa ludicra ad regium palatium profecta tres ingentes gigantum imagines cum inſcriptionibus uidet, quarum duæ erant nudæ, alia leonina pelle induta. Inſcriptiones laudes reginę continebant, quæ mox excepta fuit in palatium à Luſitana regina, Carolo principe Hiſpaniarum, aliiſque inſignibus matronis cum ingenti tormẽtorum ſtrepitu ad lætitię ſignificationem, quę in uniuerſa Hiſpania edita eſt. cæterum regina per multos dies in ea ciuitate inter lautiſſima conuiuia, uaria ludicra, regiam magnificentiam magna cum uoluptate cum Philippo marito commoratur.

Sumptus reginæ Gallicę quotidianus.

Põpa Toletanorum in aduentum reginę Hiſpanę.

*LIBRI DVODECIMI FINIS.*

NATALIS

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS,

## LIBER TERTIVSDECIMVS.

DVM regnum Hiſpaniæ, omneſque prouinciæ, quæ ſunt in eo tractu, qui vergit ad meridiem, & cum Betica, Luſitanaque regione terminantur, ſubiectæ Philippo Regi conuiuiis, tripudijs, aliiſque ludicrorum & oblectationum generibus indulgent; claſſis, quæ ventorum vi repulſa in portum Syracuſanum fuerat, triremibus cæteris Melitam profectis, poſt multas difficultates ad quartum idus Ianuarij denique cum reliquis viribus cõiungitur, cum onerariæ naues etiam remulco attractæ Melitam applicuiſſent. Sed quia diuturna mora multorum malorum eſt cauſa in rebus claſſicis, & propè claſſica populatio, abſumpta ſunt in inſula Melite partim, partim Syracuſis varijs morbis circiter tria millia hominum, quare neceſſe fuit in Sicilia, & Neapoli ſupplementa conſcribere in claſſem. ea non ſine multis difficultatibus Ethuſam Lapaduſamque præteruecta, & ne in Syrtes impingeret perpendiculo profunditates aſſiduè metiens ad inſulam Lotophagitem, & ad eam partem denique peruenit, ad quam aquatum accedebatur. onerariȩ duæ inuentȩ miſſis triremibus capi iubentur, è quibus quæreretur quo in ſtatu eſſent res inſulanæ. ſtationem habebant onerariæ apud turrim lateritiam, vbi exigebantur vectigalia. Turba nautica viſis triremibus continuo diffugit, quare altera nauis lino, & mercimoniis Alexandrinis, altera oleo, melle, & rebus quæ ex inſula exportabantur, onuſtæ captæ ſunt ab Hiſpanis. Cerda cataſcopium mittit cum candido vexillo ad ſignificationem amicitiæ, quod cum nullo pacto fuiſſet admiſſum, ſed repulſum per tormentorum ictus, negotium id differtur in diem craſtinum, quod eſſet aquandum. Captis onerarijs vexilla cum Hiſpanis inſignibus de more impoſita ſunt, at præda in eundem diem diripienda differtur. Eſt enim conſuetudo claſſica militaris, vt inſignia ſtatim imponantur noua captis nauigiis, ne perturbatè omnes eo accedant, vt præda pro ſingulorum dignitate in partes debitas diuidatur. res vniuerſa in tres partes diſtribuitur. duæ dantur ſummo imperatori expeditionis, qui pro arbitrio præſtantioribus ducibus, & militibus & quorum egregia opera enituerit, diſpenſat, tertia diuiditur viritim in priuatos milites. Monet Sandæus, vt poſtridie cum in prætoriæ nauis puppe vexillum extolletur centuriones quidam cum duodecim ſclopettarijs, ac totidem loricatis lectiſſimis ex ſuis cohortibus in lintres deſiliant, neque prius abeant à puppibus, quam viſus ſit Aluarus cum paruo vexillo ad terram appellere. tunc iubentur properare vt omnes coniungerentur; neque tamen vlli lintres prȩcederent. quod ſi ipſe in terram impegiſſet, iuſſi ſunt omnes id ipſum facere. rurſus his egreſſis imperati ſunt lintres quanta fieri poſſet celeritate reuerti ad ſigniferos, & alios milites conuehendos; nam è primis egreſſis parua fit acies, poſtmodo accedentibus cum Cerda tribus millibus peditum iam iuſta acies inſtructa collem illum occupat, vbi erat aquandum.. eo colle præſidiis munito in quatuor acies diuidit ſclopettarios. vnam locat a fronte aquantium præfecto Gregorio Ruizio. aliam in dextro latere. aliam ſclopettariorum a ſiniſtra præfecto Varaona. quarta ita conſtituitur acies loricatorum, vt ſi ſclopettarii ſe reciperent ab his excepti protegerentur. à fronte armatorum multi conſtituuntur ſclopettarij duce Sandæo. Sic efficiebatur, vt neque aquantes, neque armati poſſent offendi cum mutuo auxilio viciſſim tegerentur, omneſque acies ſibi viciſſim auxilium ferre poſſent. His in acie inſtructis Mauri, & Turcæ pedites atque equites ſe oſtentant, erant equites ij quadringenti, at peditum quinque millia ſclopettariorum maiori ex parte cum prælongis ſclopettis. Initur leue certamen. multis aſſiduè ſuccreſcentibus pugnatur atrociter.ne·

Claſsicæ prædæ diuiſio ꝑ cõſuetudine.

Acierum inſtructio.

Copiæ Menyngem accedunt.

ter. nemo capitur è Mauris cum id Hiſpani ſumma ope contenderent, Cęſi ſunt multi vtrinque, & Aluarus glande vulneratus, qui cum parui primùm vulnus faceret, mox in magnum periculum vitæ incurrit. Turcæ ſæpius in aquantes impetum faciunt, ſed cum illi egregiè protegerentur, repelluntur. non enim ſemel aut bis inter aquandum pugnatur. at quia homines partis eius inſulæ, quæ arci vicina eſt, amiciſſima eſt Turcis, maximeque aduerſaria factioni Xeſquinæ, nihil de Draguto cognoſcitur, qui ſi cognitus eſſet a Cerda eſſe in inſula, non euaſiſſet vim hoſtium, cum nulla haberet nauigia in inſula præter dicrotum & triremem; quibus captis nec ipſe effugere poterat, neque res Byzantium deferri, neque Turcica claſſis tam citò opem ferre. at ea nauigia relicta ſunt illęſa ab Hiſpanis, vt tormenta citius extraherent è nauibus. Illud non ſemel dictum eſſe velim, quod eſt contra bellicam diſciplinam ac ſecuritatem oppida, vrbes, munitiones, nauigia à tergo relinquere, aut ſiquid ſit omnino vnde timendum ſit, aut vnde conſilia poſſint retardari, nedum infringi; cum nemo tutus iure dici poſſit, qui hoſtem habeat à latere vel à tergo quamuis imbecillum. denuo cum octo triremes ex inſula Melite ſequi iuſſæ acceſſiſſent, quatuor Florentinæ nimirum, vna Andreæ Gonzagæ, duæ Monæci, vna Sicula, aquari decernunt. expoſita itaque manu ſclopettariorum, & globo armatorum cum ſariſſis, pacate aquantur, at reuerſis copijs ad claſſem cum paucis morantibus, quibus centurionibus initur leue prælium à Mauris contemptis Chriſtianis ob paucitatem. ceciderunt multi ex Hiſpanis, quos cum tormenta claſſica aliquandiu protexiſſent, tamen ob multitudinem Turcarum & Maurorum cedere coacti ſunt, & multi trucidati, inter quos præcipuæ autoritatis fuerunt Petrus Vanegas, Alonſus Guzmanus, Franciſcus Alenatus, Adrianus Gania. ſed quoniam vires inſulæ aut finitimæ Turcarum non apparebant Draguto diu poſſe reſiſtere tantis apparatibus hoſtium, miſſum eſt dicrotum & triremis Byzantium per obſcuritatem noctis, quæ aduerſus tantos Chriſtianorum motus auxilia poſtularent. his duobus nauigijs præfectus erat Luz Alis Enimuero præclarè ſe habet Hippocratis dictum, male habere tunc corpora, cum ratio deiecta eſt ac mens delirat, ſic in caſtris omnium rerum maximè neceſſaria eſt imperatoris prudentia. at Cerda maximum errorem commiſit; quia, cum bona ſpes victoriæ poſita ſit in cognoſcendis conſilijs & viribus hoſtium, nihil id curauit vel monitu Maamidarum, qui erant exules Arabes ita vocati, docentium Dragutum eſſe in inſula cum octingentis equitibus, & paucis Arabibus, pollicentiumque liberaliter omnegenus auxilij, cum perpetui ſint hoſtes Turcici nominis.

Error Cerdæ.

Docent duo nauigia Byzantium ſumma diligentia contendere ad flagitandas ſuppetias. Hortantur vt Xeſquem nouum adiuuet ad regnum per crudelitatem & perfidiam ſuperiori Xeſqui ademptum recuperandum. Præſtare rebus Hiſpanis vt Regem deuinctum beneficijs finitimum habeant, quàm immaniſſimum latronem, & piratam non minus in amicos, quàm in hoſtes innatam ſuam feritatē exercentem. Cerda tamen his rationibus neglectis concilium indicit præſtantiorum procerum. proponuntur variæ de rebus agendis ſententiæ. nam alij, quòd initia bellorum parum feliciter ſuccedere viderentur, quòd aqua, quòd venti, quòd fortuna belli continuò cępiſſet repugnare, deſerendam eam expeditionem & in annum ſequentem differendam cenſebant. Alij contendebant inſulam illam omnino eſſe occupandam, ne fruſtra prorſus eò veniſſe cum tantis viribus dicerentur; quòd ea faciliorem viam patefeciſſet ad Tripolim & proxima quæque ſubiugandam. Alij quoniam Tripolis vrbis cauſa factus eſſet vniuerſus bellicus apparatus, in ſulſum eſſe putabant redire domum neque tentato quidem negotio, quòd apud hoſtes quoque, nedum apud Philippum Regem tot ducum ac militum inſignium ſuſceptio belli videretur ridicula; cum non prius acceſſerint ad viſendam inſulam, quàm verſis proris reditum ſit, ac neque duas horas triremes conſtitiſſent in anchoris. propter tantam varietatem ſententiarum, cum non fuiſſet iudicatum quæ harum eſſet vtilior, nihil concluditur.

Conſultatio Philippicorũ an Tripolis inuadatur, an Menynx, an alia loca, an expeditio.

Comitia indicuntur in ſequentem diem. conueniunt frequentes in prætoriam nauim. proponuntur ſententiæ. alijs redeundum videtur, alijs cum accepta eſſent iam ex inſula Melite auxilia procedendum ad ſuſceptam expeditionem. atque ita conſultatū eſt iuſſis omnibus nauigijs conſiſtere ad minorem Syrtem, cum claſſis à Lotophagite receſſiſſet. Diſtat Syrtis ipſa minor ab antiquis vocata aliquantulum à Tripoli. Claſſis ibi coacta eſt reflantibus ventis diu morari, vnde febres coortæ ſunt peſtiferæ in vniuerſa claſſe, atque multi mare pro ſepulchro habuerunt.

Claſsica peſtis.

Quidam cenſebant quam citiſſimè inde abnauigandum eſſe ad Lotophagiten dum ſupplementa accederent è Melite, quoniam Syrtis aer inſalubris eſſet & malignus ob multas paludes; qui quidem talis magnopere eſt deuitandus. nam plurimum poteſt vis aeris vt aquarum, qui cibus eſt perpetuus omnium propè animantium, non parui referens ad ſanitatem.

Aeris vis.

Quanta ſit aeris vis oſtendit Hippocrates Cous Artaxerſi, qui cum moreretur exercitus caſtris continuo mutatis eum ſanitati reſtituit. & Lotrecchij exercitus noſtra memoria ad vrbem Neapolim in peſtifero loco caſtrametatus, totus ferè deletus eſt cum ipſo imperatore, nam profectò hoſtes vel fraudibus, vel armis, vel virtute ſuperari poſſunt, ſed in caſtris ſi annonæ penuria, ſi aeris aut aquarum malitia infeſtet, ea res nullo planè ſtudio. poteſt ſuperari, ſine quorum cognitione nemo poteſt imperator eſſe, niſi per multorum calamitates. Decernitur denique inde recedendum eſſe, atque ſuſceptum negotiū expugnandæ Tripolis omnino non deſerendum. quod ſi aſpiret benigna fortuna Tripolim abnauigandum; ſin autem; copias in inſulam Lotophagiten expectandas, & Xeſquem in regnum reſtituendum. Sed enim cum Auſter nauigantibus inſurgeret, qui aduerſatur Tripolim inde petentibus, repelluntur ad inſulam Menyngem. Dum hi ſe accingunt ad inſulam occupandam.

Scotiæ Seditio.

Scotia ſuccreſcentibus paulatim ſeminibus hæreſeos aduerſus Gallos ac viduam reginam,

cœpit bellorum, diſcordiarumque fluctibus exagitari. Franciſcus Gallorum rex his motibus cognitis Scotenſium, qui ab Heliſabetta Britanniæ regina excitabantur atque alebantur, multas cohortes peditum mittit ad eos opprimendos. ſed cum rumor increbuiſſet multas etiam copias eſſe eò deſtinatas duce fratre Ghiſij, Heliſabetta cognita arte Galli verita ne per hanc ſimulationem Gallus domitis & ſubiugatis Scotenſibus totam vim belli conuerteret ad Britanniam ſubiugandam, inſtruit ingentem claſſem, cui præficit cum ſummo imperio Amirantem Clintonium. Imperat eam claſſem ad litora Scotiæ adnauigare, & ad oſtia Tuedę ſiue Fritij fluminis conſiſtere vt occupatis illis anguſtis ex ea parte aditu inſulæ atque continentis Gallica auxilia prohiberet, quà Gallis in Scotiam nauigaturis neceſſariò erat tranſeundum. magnum exercitum etiam colligit ex omni Britannia, cuius imperium ſummaque autoritas datur Norfolcio Duci. explicatis vexillis ad profectionem Milordeo Raio viro acerrimo magnis itineribus illuc acceditur, vbi Galli ſeſe admirandis munitionibus præaltisque & amplis aggeribus aduerſus Scotenſes copias circumuallauerant apud Petiuitum portum, qui nobiliſſimus eſt in mari oceano Letha ab antiquis vocatus, atque diſtat circiter mille paſſus ab Alatis caſtris celeberrima vrbe Scotiæ, metropolique regni. eum portum cum natura per ſe ſit firmiſſimus, Tum Galli ſic operibus varijs, tantaque arte vallauerant, vt appareret humanis viribus omnino expugnari non poſſe, vel quauis violenta contentione. Interim Heliſabetta callido conſilio, vti poſtulabat res bellica, nullis intermiſſis bellicis apparatibus Legationes ad Gallum Regem mittit probabili de cauſa, quæ conquererentur, quia Scotenſiū regina ſibi Britannici regni titulum arrogaret. Quòd Henricus procuraſſet cum Paulo Quarto Pont. per edictum Clementis Pontificis vt ea pronuntiaretur inhabilis ad regni ſucceſſionem. Quòd per edictum factum aduerſus patrem ipſius reginæ Henricus titulum Britanniæ iniquè ereptum Scotiæ reginæ iniunxerat. Arrepta hac opportunitate rerum nouarum, quas ipſa hoc conſilio in Scotia excitarat & aluerat, claſſe ingenti & magnis copijs terreſtribus mira celeritate comparatis ad Letham caſtrametatur. Erant circiter duodecim millia Scotenſium peditum duce Haranio regulo filio Protectoris, qui arma ſuſceperant aduerſus Gallos, eoſque obſidebant, cum paruus ſit & in Scotia & in Britannia vſus equitatus. Scotenſes armis cum Britannicis viribus coniunctis Letham terra marique obſident. Galli ſalutem ſuam in magno periculo poſitam eſſe rati confeſtim mittunt in Galliam, qui peterent vt claſſis ingens, quæ ibi parari dicebatur, adproperaret. Illa cum ſerius quàm opus erat per multas controuerſias fuiſſet inſtructa, & iam iter faceret, grauiſſima inuadente tempeſtate ſemiquaſſata neceſſariò in portum reuertit. obſeſſi ita per tempeſtatem maris omnem ſpem ſubſidiorum abijciunt. Britannicæ legationes, interea conuenerant Franciſcum Regem. queruntur primùm vt iuſſi fuerant de ſuperioribus iniurijs. deinde niſi veteri Scotię regine vt ſorori Henrici octaui Regis Britanniæ libera adminiſtratio relinquatur, niſi præſidia omnia Gallica euocentur, niſi Galli nullo pacto negotijs Scotenſibus ſe implicent, bellum obnuntiant; ac niſi Scotenſes pro moribus, legibus, inſtitutis antiquis viuere permitterentur, niſi Icium per fraudes ſuorum ducum occupatum redderetur, niſi titulum Iberniæ Regis ad Britannos pertinentem deſereret. Hiſce petitionibus reſponſum eſt à Pariſienſi concilio bellum ac pacem reginæ Britannicæ concedi. vtrum malit, eligat. Petitiones indigere maturiore conſilio. de his breui conſultum iri, quod fuerit decretum reginæ ſignificatum iri. His reſponſis legationes domum ſunt remiſſæ. At claſſis Hiſpana in inſulam Menyngem reuerſa, & in eam partem, quæ vallis Guernera vocatur, deſcenſionem facit vbi Cerda doctus fuit à Caralia pirata multos eſſe puteos, & à cæteris captiuis. locus exploratur. inuentis puteis obſeruatur. exitur. inſtruuntur acies. extrahuntur campeſtria tormenta. nemine apparente ſignum inimicitiæ iudicatur. moritur Sandæus iuuenis ex febre. inſtruuntur copiæ in tres acies. in prima equites Melitenſes, & duæ Gallorum, quatuor Germanorum cohortes, in ſecunda Italus, in tertia Hiſpanus peditatus collocatur. fit edictum ſub pęna capitis ne quis exeat è caſtris, quæ noctis aduentu foſſis & aggeribus cinguntur. Poſitis vigilijs adeunt in caſtra duo Mauri. petunt colloquium. Nuntiant Xeſquem imperare inſulæ ſine controuerſia, cui datum ſit imperium ab inſulanis poſteaquam Dragutus exceſſit ex inſula ad muniendam Tripolim. velle eſſe amicum Philippi Regis. Si egeant commeatu ad arcem accederent ibi neceſſaria capturi, & de Tripolis expeditione cum Xeſque communicaturi. Cerdæ iuſſu legationes detentæ ſunt in caſtris per eam noctem. poſtridie ineuntur comitia. reſpondetur quòd tempeſtate impedita claſſis Tripolim non potuiſſet accedere, quamobrem decreuiſſe Xeſquem in regnum interim reſtituere. illud vbi ſine armis recuperauit, ſe exceſſuros ex inſula poſt aquationem, ſi Xeſques & inſulani iurarent ſe fidem & amicitiam ſeruaturos. Muntiatur à transfuga non multo poſt omnes inſulanos eſſe armatos, atque coniunctis Turcis, qui caſtellum Xeſqui reſtituerant, ſequenti nocte caſtra eſſe inuaſuros. Poſtridie mouentur caſtra dimiſſis legationibus. in prima acie Melitenſes & Germani & Galli procedunt, qui erant circirer duo millia peditum. Italorum aciem ductabat Andreas Gonzaga trium millium. Horum terga claudebant Hiſpani, qui erant quingenti ſupra tria millia. fiunt duæ alæ è reliquis ſclopettarijs, quę ſingulæ conſtabant è trecentis. harum alarum vna præcedebat primæ aciei à dextra, altera à ſiniſtra ſecundum mare. erat imperatum alis ſubſidiorum gratia inſtitutis vt cum ſclopettarijs coniungerentur, aut vbi magis opus foret. miſſus Aluarus ad puteos explorandos cum multis ſclopetrarijs reperit ſabulo & multis lapidibus oppletos. Dum ita proceditur, fiunt obuiæ denuo legationes, quæ reipſa caſtra ſpeculatum accedebant. excuſant Xeſquem,

quòd

Letha portus.

Britanniæ reginę copiæ & querelę.

Legationes Britannæ bellū Gallo ſub conditionibus obnuntiantes.

Hiſpana claſſis ad Menyngem applicuit.

quòd honoris gratia obuiam non veniſſet, qui tamen breui eſſet venturus. nam ſuperiores legationes nuntiauerant vix duo millia hominum eſſe in caſtris bellatorum, cum reliqui ſemiuiui apparerent. ſed breui & color, & animus ex aere recuperatur. Xeſque autem in acie poſt collem quendam conſtituto facile cognitum eſt è tympanorum ſonitu rem ad bellum ſpectare; quia ter in bello, quinquies in ſolennibus pulſant nullo interuallo. Denuo adeunt Mauri. Cerdæ nuntiant inſulanos plurimum lętatos eius aduentu. adeſſe Xeſquem cum quatuor equitibus. rogare Cerdam vti cum totidem veniat in colloquium. venturum in caſtra, niſi Mauri vetuiſſent. nuntiatur legationibus eum poſſe accepta fide tutò venire: ſinautem Cerdam cras eſſe venturum. Monetur Cerda copias in acie tenendas eſſe dum purgantur putei, ne ſitis impatientes aciem deſererent, qui àquantes facile poſſent profligari. initur minutum prælium ad puteos, quòd quinque millia Maurorum in ſylua palmarum conſederant, in quo tanta fuit alacritas Chriſtianorum, vix vt à pugna reuocari poſſent. Mauri contrà cum ingentibus clamoribus Chriſtianos inuadunt, quorum virtute facile repelluntur. Mauri ſi cedere cogerentur, ſtatim inter palmas recurrebant. poſt aquationem inter certamina reditur ad naues. habentur comitia. Decernitur inſula omnino opus eſſe potiri, cum Tripolis expugnatio difficillima viſa eſſet in annum ſequentem proroganda. nam Dragutus Tripolis præſidia tribus millibus lectiſſimorum Turcarum auxerat, vbi primum rumor eius expeditionis in Numidiam peruenit, multumque commeatum & omnis generis apparatus illuc comportandos curauerat. Decernitur vbi inſula ſubiugata fuerit, munitionem eſſe excitandam, in qua firma præſidia imponerentur ad refrenandam temeritatem inſulanorum. Apparebat illud non fore inutiliter quòd inſula ſit vnum ex optimis Mauritaniæ emporijs, quare futurum apparebat, vt propter commoditatem mercimoniorum omnes finitimi Mauri vltro Hiſpanorum amicitiam expeterent. His conſtitutis copiæ in tres acies diſtribuuntur vt diximus, atque cum quatuor bellicis tormentis iter capitur, totidem tractis ad ſiniſtram caſtellum verſus, in quo omnes ſuas vires Mauri ineſſe cenſebant. Repetuntur legationes de colloquio cum Xeſque, repetitur reſponſum vt accepta fide accedat in caſtra. nec multo poſt nuntiantur circiter viginti millia Maurorum eſſe in armis cum familijs & impedimentis, paucisque ſclopettarijs in ſylua palmarum. Cerda copias ad caſtellum educit, quo conſilio cognito Mauri ingentem clamorem extollunt. conſultatur inter hos quid agendum ſit. variæ primùm fuerunt ſententiæ, quòd alij expetendam, alij deteſtandam Hiſpanorum amicitiam putarent. multi primates obliterata prorſus largitionum, munerumque acceptorum memoria Hiſpanos ex inſula eijciendos ſentiunt, quare omnes denique attracti ſunt in eandem ſententiam, atque ad pugnam ſe accingunt. videbatur non eſſe ferendum vt caſtrametarentur, ad quod inuitabat Hiſpanorum imbecillitas, quas omnes copias languidas & afflictas eſſe arbitrabantur. his accedebat difficultas aquationis, & annonæ penuria, quam pati par erat. ſed in primis Mauros accendebat ad pugnam præfectorum oratio, qua demonſtrabant eximiam ſemper fuiſſe eius nationis virtutem, cuius inuicta gloria maiorum toties cum grauiſſima clade Chriſtianos repuliſſet, quoties conati eſſent inſula potiri. pluribus huiuſmodi rumoribus inter ſe diſſipatis inflammantur ad puguam, atq; ita incenduntur vt cũ miro animorum ardore Chriſtianis propinquare cęperint. explicatis vexillis ad ſonitum variorum inſtrumentorum vtrinq; initur prælium. Chriſtiani ita in acie conſtiterant in aperta planitie; in dextra parte Melitenſes equites cum Germanis & Gallis, à dextra quorum erant Hiſpani, à ſiniſtra Itali. à dextra Hiſpanorum erant octingenti Itali ſclopettarij duce Quirico Spinula, à ſiniſtra ſeptingenti ſclopettarij Hiſpani duce Oſorio. Mauri ad dextrã celeriter declinãtes omni conatu nituntur in fugã vertere. altera manus Maurorum confertiſſimo globo leuam aciem Hiſpanorũ inuadit, quod pręlium tanta; vi tãtaq; fortitudine inſtauratur ſępe à Mauris, vt Chriſtianis cedere neceſſe fuerit, neq; profuerit ſclopettorũ aut ſariſſarũ vſus ad illos arcendos, cum ſpretis omnibus periculis, nulloque metu retardati audaciſſime in acies Chriſtianas irruerent. Iſtud fit tanta fortitudine & alacritate vt multos terga vertere coegerint. enimuero tametſi longarum haſtarum vſus multum proderat Mauris cum multos hoſtes vulnerarent, tamen plures ex illis cadebant propter aſſiduam glandium procellam. Cerda laborantibus ſuis loricatos mittens ſubſidio cum ſariſſis non parum profuit, nam Mauri multis è ſuis amiſſis denique ceſſare coguntur: at Galli & Hiſpani animos reſumentes tanta fortitudine Mauros inuadunt, vt in fugam verterint. Oſorius in ſiniſtra parte, qui ad ſcopulos conſtiterat ob repercuſſum mare ingentem formidabilemque ſtrepitum remittentes, ſuos ſclopettarios conſiſtere iubet. excipit Mauros. ingentem edit ſtragem. poſt diuturnum certamen Mauri trecentis è ſuis cęſis, & quingentis vulneratis in ſyluam palmarum refugiunt. è Chriſtianis circiter quadraginta ceciderunt, totidem vulnerati. Requirebat bellica ratio vt Cerda parta victoria vteretur, cum ita fortuna concederet; nam vt in humanis corporibus quæ à morbis poſt criſim relinquuntur, recidiuos morbos facere ſolent, ita quæ relinquuntur in bellis hoſtilia ſi poſſint ſubiugari victoriam paulopoſt extorquent è manibus. poterat enim vno prælio tota inſula ſubiugari, & ad deditionem compelli. Cerda victor iubet puteos purgari, quod fit celeriter. Iubet Aldanam tormentario negotio præfectum plumbum, puluerem ſulphureum, funiculos è nauibus mittere, & ligones, & inſtrumenta, quibus foſſæ duci & aggeres fieri aduerſus incurſiones repentinas hoſtium poſſent. Ductis foſſis & aggeribus metatur caſtra apud puteos, intra quos tuguria è palmis & oliuis fiunt, atque tentoria eriguntur, & commeatus in triduum exportatur è nauibus. Aquantur trierarchi. iubentur triremes ad Cantaram inſulæ partem accedere, & curare ne externæ copiæ aduentent. Mauri

Maurorũ pulſatio tympanorum.

Menynx emporium nobile Mauritanię.

Error Cerdę

ri ſuperioribus calamitatibus, virtuteque Chriſtianorum territi pacem in hunc modum expetunt. Accedit Maurus cum albo vexillo in ſiniſtra ad amicitiæ ſignificationem. Ille procul a caſtris facta ſignificatione vexillum humi defigit, ac literas deponit. In ijs continetur quòd Mauri promittunt ſe ſubditos fore Philippi Hiſpaniarum Regis tributum pollicentes ac fidem ſeruaturos cum iuramento. his cũ nullum reſponſum datũ eſſet, Aymethus Beyſes vir magnę autoritatis inter Mauros venit in caſtra. hortatur Cerdam vt inſulanos in fidem amicitiamque accipiat incontaminatam fidem ſeruaturos. ſed cum nuntiatum eſſet Cerdæ hęc fieri ſubdolè quo tempus parandis accerſendiſque auxilijs concederetur, his dimiſſis legationibus ſigna conuellit ad expugnandum caſtellum. Redit Aymetus. rogat mitti qui agant de conditionibus, quòd Xeſques caſtellum eſſet dediturus. obſides interim promittuntur. Indicta ſunt comitia. decernitur in his præſtare ſe ſponte dedentes in fidem accipere, quàm vi armorum compellere, quod non fiet ſine damno & iactura temporis. Non eſſe committendum vt ea inſula, quæ vltro acciperet imperium & vitam ac facultates ad defenſionem Chriſtianorum offerret, deuaſtata & deſtructa potius in amicitiam veniret.

Menyngis deditio & cõditiones.

Miſſi ſunt obſides duo totius inſulæ opibus atque autoritate præſtantiſſimi, quos Cerda nominauit, quare copiæ in caſtra redeunt. Miſſus eſt Gaſpar vir Luſitanus, qui hiſce conditionibus res componeret; Vt Xeſques cum omnibus ſuis Mauris fidem ſeruaret ac pareret Hiſpano Regi. Vt omnia tributa, quæ dabantur Solimani nomine Draguto, Philippo Regi diſſoluerentur. Vt poſtridie eius diei liberum caſtellum Hiſpanis relinqueret, ipſe ſe reciperet in quam mallet inſulæ partem. His ita ſtabilitis tam moleſta fuit quibuſdam inſulæ deditio, quòd per eam ſpes prædæ appareret eſſe erepta, vt Hiſpanus quidam audito publicè recitato edicto per præconem in caſtris, ne quis in Mauros atrocius ſæuiret, ſed ijs tanquam ſubditis Hiſpani Regis amicè & humaniter vteretur, ſeſe pugione præ mœrore confoderit: quod mortis genus certè tantæ auaritiæ & amentiæ debebatur.

Auaritiæ genus memorabile.

Nam qui ſola ſpe prædæ, ac latrocinij, & diripiendarum alienarum facultatum in caſtra conueniunt, nulla vel laudis vel gloriæ habita ratione, eos ego non in numero militum collocandos eſſe cenſuerim, ſed carnificum & publicorum latronum, qui ad cęterorum auxilia communia confugerint, cum iſtud ſoli metu pęnarum facere non poſſint. Nemo eſt enim præclaro militis nomine dignus, qui non ſit vir bonus, magnificus, prudens, iuſtus, clemens, & vel mediocriter ſaltem virtutibus & diſciplinis imbutus: quoniam non ſola corporis firmitudo facit bonum imperatorem, aut militem, ſed animorum etiam ornamenta. Miſſus eſt poſtridie eius diei Michael Varaona & Hieronymus Cerda cum duabus cohortibus ad oppidum occupandum, quò paulo poſt Numidæ omnis generis commeatum & mercimonia de more eius inſulæ tanquam ad ſolitum emporium, venalia comportant. Cerda deinde cum Auria, Gonzaga, Sandæo, alijsque proceribus oppidum ingreſſi ſitum diligenter ſpeculatur. Apparet opus eſſe munitionem excitare, qua oppidum cingeretur, cum paruam & quadratam plateam haberet. decernitur vti firma præſidia imponantur, quod eſſet frænum ad retinendam inſulam in officio. ſic enim fore apparebat vt eſſet occupatum moleſtiſſimorum piratarum domicilium, vnde ad omnes prædationes in mare Siculum incurreretur, prædæque omnis e Sicilia, Melite, Sardinia, Ilua, Cyrno conuectæ, nefarium emporium. erat viſus portus inſulę tutiſſimus ad omnes difficultates, & peraccommodatus traiectus ad ſubiugandam reliquam Mauritaniam. Vt autem vniuerſum inſulę imperium quaſi duabus portis concluderetur, decernitur in futuram hyemem, vt munitio apud Cantaram exciretur, quo terreſtre iter ex ea parte, aduerſus hoſtes occuparetur. Cerda locum aſſignat Antonio Comiti viro ſingulari ingenio, iubetque formulam munitionis exprimere, qua adumbrata illum præficit operi extruendo. Ducta eſt foſſa primùm præalta ad communem ſecuritatem. Comportatus in Caſtellum commeatus. erectum Xenodochium, quòd multi perirent è contractis ex aere morbis.

Munitionis extructio in inſula.

Munitio erigenda in nationes de more diſtribuitur. Palmarum folia & faſciculorum lignorum, trunci palmarum clauium vſum præbebant in munitione. cœptum eſt propter labores & æſtum ventris profluuio & febribus laborare, neque tamen opus intermittitur. apparatus bellici in oppidum comportantur. neceſſaria defenſioni parantur. in plateis ſuperioribus tormenta locantur. iuſſi trierarchi curare aquationem. at ij neglectis mandatis ob ſpem lucri oleum & lanam & alia huiuſmodi mercimonia magis congerunt. Munitio quadrata fit cum quatuor inſignibus propugnaculis, quorum vnum Italis, vnum Melitenſibus, tertium Hiſpanis, quartum Andreæ Auriæ datum eſt erigendum. Germanorum id fuit munus vt cornutis ſarculis tophum excauarent cum eſſet continuus, & foſſas expurgarent. Iuſſa ſunt multa iumenta terram & aptam materiam conuehere, cum nihil ibi eſſet præter arenam, opus autem certatim fiebat ab ipſis nationibus. Ea dum aguntur in inſula Menynge Virginia virgo honeſtiſſima Ducis Vrbinatis filia nubit Federico Borrhomęo Pontificis nepoti, ac fratri purpurati antiſtitis ijs promiſſis, quòd principatus Camerinenſis filię addiceretur, ſicuti fuerat eius matris. hac enim conditione adductus eſt dux Vrbinas vt illis nuptijs aſſentiret. Nuptiæ celebrantur Vrbini cum ingenti magnificentia: poſtea Virginia Romam accedens omne genus humanitatis a Pontifice experitur. Federici ipſius ſoror non multo poſt data eſt in matrimonium Cæſari Gonzagæ Ferrandi filio. Nupſit altera ſoror filio Comitis Conciæ, quibus Pontifex promiſit breui futurum. Vt quàm gratia ſibi forent illę nuptiæ intelligerent. Ita fit Romę preſertim, vt quanta ſit fortunę volubilitas breui appareat, quantaq; rerum humanarum inconſtantia. cũ quę per multorũ ſæculorũ ſeriẽ ex hiſtoria colligũtur regnorũ euerſiones, ac familiæ modo ad altiſſimũ felicitatis gradũ prouectæ, modo ad infimum deiectæ acerbiſſimas quaſq, miſerias perpeſſę, ea breui Romę, & in omnib. propè pontificũ mutationib. intueri liceat. Nã alij hodię cæteris omnibus po

tentia

tentia & dignitate ſuperiores, &, vt ſibi videntur, dijs propè pares, cras ita erunt demiſſi vt in infimo gradu libentiſſimè quieſcerent. alij in ſordibus & miſerijs iacentes cras ita fient omnibus conſpicui, vt à primarijs ciuibus colantur. Iſtud autem fit, quia Romæ fortunæ propria ſit ludicrorum officina, vbi multi inſignia virtutis ac dignitates per cęterorum fortunam conſequuntur. ſed nihil diuturnum eſt comparatum per alienam fortunam vel virtutem, niſi per eandem conſeruetur. Ea dum fiunt Romę lætitiæ plena, Letha Scotiæ portus terra mariq́ue obſidetur, fortuna ferè conquaſſatum Gallicam claſſem in portum repellit, aliud periculum multo his atrocius ac formidabilius Regem affligit, & in extremam propè calamitatem illud regnum conijcit. Nam exules complures è Gallia eiecti propter hæreſim nouæ religionis concordibus animis ac ſtudijs dum Geneuæ morantur per eas Henrici calamitates, Galliæq́ue perturbationes ita egerant per literas, & aliquando in Galliam clam conuolantes coràm, vt per multorum conſpirationem viuo adhuc Henrico in multis Galliæ partibus vi armorum noua religio confirmaretur. Nam paulò ante quam decederet Henricus hi aduerſus ipſum, & multos aulicos præcipuę autoritatis coniurauerant. Illorum conſilijs viſa eſt fortuna aliquantulum arriſiſſe, negotiumq́ue feciſſe facilius, quòd Franciſcus Rex tenellæ ætatis adhuc, qui neque autoritate, neque rerum experientia, neque peritia rei militaris eſſet cum Henrico patre comparandus, in regnum ſucceſſiſſet. Comparatis igitur armis clam in multis locis paulatim, tempus accommodatum ad ſuſceptum Geneuæ conſilium expectant. Amboiſa igitur, quæ vrbs eſt Turonum non procul a Ligeri flumine Galliæ Lugdunenſis, negotio ſuſcipiendo locus viſus eſt idoneus, cum ibi eſſet Franciſcus rex: quamobrem ſtatuunt vt omnes ad ſtatutum diem eſſent cum armis in locis finitimis quò acceſſura dicta ſunt ad ſexaginta millia hominum, vt ſequenti nocte repentino aduentu coniunctis viribus nihil tale ſuſpicantes aulicos & Regem adorirentur, ac purpuratum Lotaringiæ, Ghiſium ducem, & alios inſigniores viros trucidarent. Ita enim fieri poſſe cenſebant vt Regem in ſuam poteſtatem redactum noua religione imbuerent, vnde poſſet hæreſis in vniuerſam Galliam diffundi, quod vnicum erat remedium ad ſua conſilia ſtabilienda. Sic enim apparebat futurum eſſe vt Regio nomine freti tutò reſiſtentes vrbes diriperent, atque omnia humana & diuina iura æquarentur. Nam pauci ſunt omnino, qui verè pro religione potius, quàm pro alienis facultatibus & pro liberiore viuendi licentia, bellum ſuſcipiant. ſed diuina clementia, quæ ſacras leges, veramque religionem catholicam Romanam tuetur, & in perpetuum proteget, tantum malorum ad maturitatem peruenire non patitur; at facit contrà vt ſtatim atque primus fumus fuit editus, erupturum iam iam incendium extinctum ſit. Nam vbi primum rumor, tantarumq́ue rerum fama ad aures Regias defertur, re maturius conſiderata nequis excitaretur tumultus, ſi rex Amboiſa excederet, cum ſit illa vrbs ſatis munita, atque cuſtodijs magna celeritate auctis, clamque collectis vtcumque potuit viribus, mittit Santorium regulum, qui opportunè rebus omnibus occurreret, cum Ghiſius interim multa diligentia vrbem, portaſque vrbanas cum magna manu armatorum cuſtodiret. Is ad finitimos pagos profectus intelligit copias colligi, atque clam nullius edito nomine cohortes parari, in quoſdã impetũ facit & capit literas occultioribus notis perſcriptas reperit, quibus totum negotium & conſilium coniurationis continebatur. Nec ita multo interuallo temporis Caſtelnauius regulus cum viginti ſociis capitur, quorum duodecim erant centuriones, atque in vincula conijcitur. Deinde equites quingenti & trecenti pedites non procul ab vrbe Amboiſa deprehenduntur, quæ copię ab equitatu Regio profligatæ, cęſęque ſunt, trucidato etiam Renoldo earum duce. capti ſunt nonnulli tamen qui liberaliter tractati dimittuntur, quod cognitum eſt fuiſſe deceptos, præter principes ſeditionum, in quos eſt animaduerſum. accedebant in horas nouæ copiæ coniurationis, ſed vbi diſperſa fuiſſe prima ſemina nuntiatum fuit, partim reliquiæ captæ ſunt, partim ſponte ſalutem fuga ſibi quæſiuerunt. at quoniam timebatur nequa fieret in vrbe cum Vgonotis conſpiratio, ſæpius mutatæ ſunt portarum cuſtodiæ, & proceres ſpectatæ fidei præfecti. Renodius ſummus dux illius coniurationis atque autor tanti ſceleris vel ita mortuus diuiſus in partes, atque eſca volucribus expoſitus. ſic patefacta coniuratione, euerſis & ſolutis hæreticorum conſiliis, omniq́ue metu catholicorum in præſenti ſublato, optima conſilia capta ſunt à Rege tot terrores vt in pręſenti opprimerentur. Nam tametſi credebantur multi è nobilioribus proceribus, veteraniſque ducibus cum his conſpiraſſe, tamen nihil certum apparuit. At verò cum infinitus propè numerus eſſet eorum, qui à catholica fide ſemper deſciſcerent, multiq́ue quotidie torquerentur & excruciarentur, ad deterrendos cæteros ab illa impietate, videbatur omnino futurum vt tota Gallia denique euerteretur, vaſtaque fieret ſolitudo Fit edictũ per præconem Regio nomine vt venia omnibus concederetur, qui vel male de catholica fide ſenſiſſent vel conſpiraſſent aduerſus illam ad hanc vſque diem, ſi catholicè in poſterum viuerent; exceptis tamen illis qui concionati eſſent publicè, qui aduerſus vel Regem vel Reginam vel fratres, vel aulicos conſpiraſſent. Conabatur enim rex placare eos per manſuetudinem, quos ferro, quos terroribus, quos tormentis ingentibus non poterat. ſed non minus ciuitatibus, quàm humanis corporibus conuenit illud, quòd incipientibus morbis ſiquid mouendum appareat, moueri conuenit, quoniam inualeſcentibus ac vires ſumentibus id fieri non poteſt ſine periculo. Nam profectò omnis crudelitas & obliuio acceptorum impietatis eſt comes quare hæretici nulla Regia clemẽtia leniti multò etiam pertinacius res ad nouam religionem ſpectantes amplectuntur. Curauit rex edictum irreuocabile promulgari, per quod ſignificabat ſe velle res catholicæ religionis ad priſtinũ, auitumq́; cultum redire. hortatus eſt epiſcopos vti reſiderent in ſuis diœceſibus, atque hæreſeos delicta inquirerent. Significauit quoque ſibi pergratum fore, ſi conciones catholicæ vbique haberentur ad

Roma offici na ludicro- rũ fortunæ.

Conſpiratio in Gallum re gem & auli cos.

Coniuratio patefacta Am boiſę.

Venia obla- ta Gallis hæ- reticis.

reuocandos animos contaminatos ad verum, pium ſanctum cultum Romanæ eccleſię. Imperat omnibus vrbium totius regni concilijs vt rerum eccleſiaſticarum curam epiſcopis relinquerent, niſi tamen auxilium poſtularetur. Iubet omnes prouinciarum præfectos per literas ſibi ſignificare an antiſtites reſiderent, ſeruarentque Regia edicta, ac ſua munia explerent. His ſalubribus inſtitutis in vniuerſa Gallia promulgatis ſurgentia hæreſeos ſemina deprimuntur, quod etiam fiebat metu grauiſſimorum ſuppliciorum. ſed paulopoſt nondum refrigeratis animis reliquorum coniuratorum inuenti ſunt, qui, ſimulata opportunitate querelarũ deferrẽdarũ occultis armis induti aduerſus Regem conſpiraſſe crediti ſunt.

Alia coniuratio ſuſpecta.

Vetitum eſt idcirco nequis poſtmodo ad Regem accederet; ſed decreti ſunt & deſignati certi nuntij, quibus ſiquid petendum eſſet à Rege, concrederetur; neque licitum fuit poſtea Amboiſæ cuiquam Regi propinquare. Quæ dum fiunt in finib. Turonum, & vniuerſo Gallorum regno, in Gallia ſubalpina & Inſubribus quamuis extincta erant ſemina bellorum, fortuna tamen ſurſum deorſum multas familias verſat. Nam Philippus rex quo tempore Peſcolienſis præerat Inſubribus cum imperio, pro regiaque poteſtate, tres iudices ex Hiſpania miſit cum ſummo imperio ac ſuprema autoritate, quos modo ſyndicos, modo Viſitatores appellant.

Syndicorum nimia ſeueritas calamitoſa Inſubrib.

Iubet hos recognoſcere iudicationes Mediolani, cæterarumque vrbium, & adminiſtrationes publicas, atque rationes publici ęrarij. Delecti erant ad illud munus viri ſumma doctrina, ſingularique probitate & innocentia, qui & ſcirent & poſſent tantum iuſtitiæ onus rectè ſuſtinere. Nam Philippus, ſicuti ſeruatur in vniuerſa Hiſpania, volebat ius dici nõ ad gratiam, aut pro largitionibus, ſed pro ęquitate & ſanctiſſimarũ legum obſeruantia, cum nulla ciuitas felix eſſe poſſit, in qua pro legibus arbitria hominum dominentur. His ſyndicis iniunctum eſt munus, vt omnes accuſationes & iniurias à miniſtris publicis, iudicibusque eius præfecturę illatas in quemque diligentiſſimè cognoſcerent, vt publicos etiam ſumptus & prouentus vrbium & venditiones ac donationes inueſtigarent, vt omnes publicarum pecuniarum rationes & cõdemnationes fiſco addictas viderent, vt ſiquid fraudis in priuatis aut regijs negotijs eſſet commiſſum, emendarent illa inquiſitio, quamuis erat vtilis & honeſta, tamen cum nimis ad antiquitatem penetraret, requirerenturq; priuilegia, quæ forent vel à Ducibus Mediolanẽſibus conceſſa, & per longiſſimam annorum ſeriem continuata, non parum multos infeſtauit. id verò illegitimum videbatur cum leges ipſę permittant poſt certum annorum ſpatiũ quietum eſſe poſſeſſorem vel nullum ius in rem habentem, vt tandem certa quies rebus vrbanis concedatur. Inde effectum eſt vt quidam propter temporum calamitoſorum iniurias amiſſis priuilegijs aut immunitatibus aut emptionibus miſerrime coacti ſint excedere ex auitis poſſeſſionibus. cum plurimæ ciuium lamentationes, quibus nimis acerba iudicum ſeueritas eſſe apparebat, ad ipſum regẽ perueniſſent in Hiſpaniam, quererenturque Inſubres plus detrimenti ac malorum per illum magiſtratũ inferri, quàm vtilitatis rebus omnibus ob ingentia præſertim ſtipendia, quæ nimis ampla debebantur menſtrua,

Syndici reuocati.

Syndici ab illo magiſtratu ſunt abdicati, reuocatique in Hiſpaniam, & omnis Inſubria grauiſſimis moleſtiſſimisque curis liberata. Nam profecto quamuis vtiliſſimus & neceſſarius eſt ille magiſtratus, qui cęteros magiſtratus vel nolẽtes in officio retineat, prouideatq; ne cui fiat iniuria, & ne per fraudes iudicũ priuatis facultates eripiantur, addiceturque illegitimis dominis, tamen in rebus omnibus adhibenda eſt moderatio: quippe cum vel hoc ipſum nimis eſſe cupidum iuſtitiæ iniuſtum ſit & inhumanũ. Hoc ſanè difficillimũ eſt principibus omniũ publicorũ negotiorũ, cum pauci ſint viri boni, niſi metu pęnarum coerceantur. Nam vbi nulla conſtituta ſunt iudicibus certa ſtipendia, ſed pro litium magnitudine mercedis iudicum amplitudo propoſita ſit, ibi dominatur auaritia & cupiditas multas lites expediendi, & contentio inter iudices ſi plures ſint, ad quem pertineat, at nullnm ſtudium rectè conſiderandi.

Sportulæ iudicum multorum malorum cauſę.

at contra, vbi certa ſunt iudcibus ſtipendia, nihilominus largitiones & inſidię prauorum iudicum dominari poſſunt, quæ omnia ftaudum genera debent à ſupremis magiſtratibus caſtigari. nam nulla excuſatione dignus eſt iudex, qui oſcitanter per inſcitiã, parumq; accurate iudicauerit, cũ non minus doloſus iudex, quàm impurus latro facultates inſidioſi condonet. ſed hęc non accidũt vbi ratio reddenda eſt iudiciorũ. in inſula verò Menyngę Mauri frequentes & Xeſques iuratum veniunt in conditiones Cerdæ, quæ fuerunt huiuſmodi; Iurarunt omnes ſuper allato Alcorano ſe fore fideliſſimos ſubditos Philippi Regis, tributumq; annuũ ſoluturos ſex millia nummũm, vti ſoluebantur Draguto. quatuor ſtruthiocamelos, quatuor falcones, quatuor accipitres, & camelum.

Maurorũ iuramento.

Tum Xeſques accepit Regium vexillum Auſtriacum, quod ter extulit. Draguti vexillum deijcit. Cerda iubet ad beneuolentiam populorum conciliandam in ſignũ lętitiæ multos nummos deijci. Dimittit & condonat primi anni tributum. ſed iam increbruerat rumor de Turcica claſſe Byzantij inſtructa, quæ iam iam erat è Propontide enauigatura ad illam inſulam, quare magiſter Melitenſis militię ſuas triremes ad ſe reuocat, quo & milites & res neceſſarię defenſioni pararentur. cum his remiſſus eſt Commendator, illud eſt dignitatis nomen inter eos equites. pro quo munus extruendæ munitionis Petrus Vrias accepit. At Cerda ne laboraretur in caſtris breui annonæ penuria, & vt munitio poſset rebus neceſsarijs muniri, decem triremes mittit in Siciliam Guimara & Cicala ducibus ad conuehendam pecuniam in ſtipendia militum, quæ paulopoſt quatuor onerarias ſecum adducunt res neceſsarias cum mille peditibus conuehentes. iniungitur recentibus vt cum cęteris munitionem extruant. Xeſques ad Cerdam in colloquium accedens multis donatus muneribus lęto animo diſcedit, acceſſit & Carnanus vbi è diuturno morbo cõualuiſset & primogenitus Tunetani Regis, qui honorificè in tentorium excipiuntur, vbi diem morati poſtridie excedũt ex inſula. ſed iam munitio ita erat inſtructa, vt habilis defenſioni videretur aduerſus claſſem Turcicã quę dicebatur conſtare ex octoginta & quinq; triremibus, præter alia nauigia varij generis.

Munitio vocata philippalcazera.

Munitio illa vocata eſt Philippalcazera, quam præſidijs muniendam Cerda putauit, at non tentan-

tentandam expugnationem Tripolis. Habitis militaribus comitijs decernitur vt Cerda poſt inſtru
ctam munitionem in Siciliam properet,ad eius inſulæ contra imminens periculum defenſionem.
Quoniam vero putabatur claſſis Turcica non tam cito in ea maria poſſe peruenire, plus temporis
in diſceſſu abſumitur,quàm oportebat atque cum Cerdæ diſceſſus in dies prorogaretur,miſſus eſt
Ferrandus Zabata proregis Neapolitani nomine,qui milites repeteret ad Italiæ litora tutanda, ne
Turcica claſſis, quæ iam ad Coſſiram peruenerat,mari finitima quęque prædaretur. illa cum audi-
rentur, Auria inſtat vt acceſſus accelleraretur,ne quid caperetur detrimenti;& Guimara vt nauigare
tur in Siciliam,claſſisq; periculo ſubtraheretur Melita miſſus cum cataſcopio ſumma celeritate.
Iubet Cerda omnes triremum ac onerariarum lintres conuehere milites ad claſſem. cum adeſſet
neceſſaria feſtinatio obnuntiat Auria periculoſum eſſe in ea aſcenſionum perturbatione ne claſſis
hoſtilis accederet,quæ facile poſſet confuſos & diſperſos profligare. Se eius erroris non eſſe auto-
rem profitetur.habitis comitiis decernitur cras vt diſceſſus fiat,quia non tam cito adeſſe hoſtis poſ
ſe apparebat. Iubet Auria ſuos vela & omnia ad nauigationem parare. miſſus eſt Scipio Auria cum
triremibus ad explorandam Turcicam claſſem,qua repente viſa facta ſignificatione per bombum
tormenti,fuga ſibi ſalutem quærit. At reliqui vel ſolo nomine Turcarum audito tanta trepidatio-
ne,tantoque metu perculſi ſunt vt nauigiis relictis quicunque fieret celerior, is felicior putaretur.
id acciderat quòd è Syrtibus exire nauigia non poterant ob inopiam aquarum. Aluarus magnam
manum mittit ſclopettariorum ſecundum litus,qui in terram exeuntes protegerent. atq, cū Mau-
ri amici putarentur,multi ab illis ſunt trucidati viſa Turcica claſſe nulla habita amicitiæ aut iuramē
ti ratione. nam ab inclinata ad ſurgentem fortunam,vt plerique faciunt,facile ſunt conuerſi. Cer-
da in eas difficultates illapſus eſt,quia peritorum ducum conſilijs non paruiſſet,hortantium vt cito
diſcederet in Siciliam,cum parum proſit imperatori habere peritos conſultores, niſi ipſe primum

Imperatoris peritia neceſſaria.

ſapiat. Sed inſulſi plerique cum cæteris autoritate præſtant,ſe conſilio quoque, & rerum multa-
rum peritia præſtare arbitrantur,quare per magnum ſubditorum exitiū in multas calamitates per
inſcitiam denique incurrunt. Mittit ad Caruanum & Xexquem qui quererentur iura amicitiæ ſibi
à Mauris non ſeruari; ſed nihil commodum reſpondetur.quippe cum alter eſſet diſceſſurus, alter
accipiendis Turcis propenſior videretur,quorum videbat futuram eſſe certam victoriam. Turcæ
cōſpecta claſſe Chriſtianorum ſua ſponte in fugam verſam miſerabili horrendoque ſpectaculo mo

Hiſpana claſſis turpiter profligata.

do hanc nauim,modo illam expugnant & demergunt. Sed in primis fugientes triremes inſectan-
tur. Auria ſpe ſalutis conclamata cum prætoria naui in terram impegit, atque in nauicula confu-
git ad inſulam triremi arbitrio cathenatorum ad tranſtra relicta. accurrunt & aliæ quędam trire-
mes & dicrota ad munitionis propugnaculum. Decem & nouem in poteſtatem Pialis claſſis ſum-
mi imperatoris venerunt. decreuerat tamen Pialis claſſem adoriri , ad quam explorandam miſerat
Muſtapham Mitylenes præfectum cum Luz Ali Calabro & eius maris,& omnium litorum peritiſ
ſimo. Habebat in claſſe præter ordinaria præſidia duo Ianizzerorum & quatuor lectiſſimorū Tur-
carum millia pugnandi cupidorum. Quędam triremes Antonium Maldonatum ſecutæ ſeruātur,
qui maluit maris amplitudini ſe credere quàm in ſyrtiū anguſtias includi : quod Auria fecit,& alij
nonnulli. at enim non ita erat ſpernenda Chriſtianorum claſſis vt fortuna belli eſſet tam turpiter
fugienda,quia ſemper præferenda eſt dubia victoria certæ cladi,quæ ſemper accipitur ex fuga. quis
tam paruus eſt catulus qui fugientem canem non inſectetur?nemo vtiliter repugnantem & perti-
nacem contra inuadit,quod fuit Auriæ conſilium. Nam cum tanta eſſet claſſis, quantam ſuperius
recenſuimus:omniaque nauigia optimè inſtructa,quis tantus terror eſſe ob Turcicam claſſem iu-
re poterat ? Nauibus enim inſignibus onerarijs triginta in duas alas diſtributis,collocatis in medio
triginta & quinq; triremibus,a fronte tribus quinqueremibus,ad latera triremium dicrotis & reli-
quis nauigiis, nulla magna trepidatio chriſtianos inuadere debebat. vt enim equitatus in planitie,
ita in mari præſtare credendus eſt,qui bonitate & copia tormentorum præſtiterit. nam antequam
ad arma cominus veniatur,edita eſt clades hoſtium inſignis,ſi aptus ordo ſit ſeruatus. his accedit,
quod minus turpis eſt calamitas per fortunam belli,quam per ſegnitiem & timiditatē accepta. Sed
antequam Auria & Cerda diſcederent ex inſula,præficitur inſulæ defendendæ cum ſummo impe-
rio Aluarus Sandęus & munitioni,cui promiſſa ſunt breui ſubſidia. cum vero annona duorū mil-
lium & quingentorum in tres menſes eſſet parata,totidem euaſerunt eo è clade à Turcis accepta.
magiſter caſtrorum dictus eſt Michael Varaona. Aluarus hortatus Cerdam ad inſulæ defenſionē
Siciliæ,ſe defenſurum munitionem inquit tandiu vt res Siculæ inſtruantur , at non poſſe omnino
defendi munitionem cenſet ob inopiam aquarum,quæ iam deteriores in imo eſſe inciperent.Se ad
extremum rem armis experiturum vbi negotium ſatis retardatum fuerit. Cerda collaudata homi-
nis fortitudine & conſtantia,mox cum nouem cataſcopiis Melitam,atque inde in Siciliam perue-
nit. Aluarus per literas Melitenſis magiſtri confirmatus ad ſpem ſubſidiorum, iubet poſt Cerdæ
diſceſſum quotquot poſſent faſciculos lignorum in munitionem comportari. euerti propinqua
ędificia. foſſas excauari ac muniri. munitionem amplis foſſis & latis aggeribus cingi. Pialis par-
ta claſſica victoria Dragutum Tripoli accerſit,qui vndecim triremibus intra ſpatium ſex dierū mi-
ra celeritate comparatis accedit omni apparatuum genere inſtructus. copias quas vehere non po-
tuiſſet,iubet terreſtri itinere proficiſci accedunt quingenti Arabes cum Xeſque, qui aufugerat ex
inſula. profecto Draguto copiæ exponuntur. Pialis mittit Hiſpanum cum literis ad Aluarum hor
tantibus ad deditionem honeſtiſſimis conditionibus. Reſponſum eſt alteram victoriam partam
eſſe ſine prælio,alteram per arma tentari oportere. Turcæ eo reſponſo circiter duo millia paſſuū
diſtantia à puteis caſtra ponunt.ibi aliquot dies ociantur. Aluarus decernit Caſtra adoriri, ſed cum
nuntiatum

nuntiatum eſſet eſſe præter inſulanos duodecim millia hoſtium in caſtris, & nauigia quæ in latus
concuterent, nimiſque longam eſſe receptionem, mutat conſilium, cum eſſet inſtitutum rem pro-
trahere. ad aggeres erigendos, ſpatia terra replenda, plateas ſuperiores informandas animum adii-
cit. duæ triremes viſæ debiliores ob vetuſtatem ſoluuntur in tabulata platearum. nam vt recurrãt
tormenta, faciliusque impelli & retrahi poſſint citiſſimè firmiſſima & æquiſſima tabulata ſubſter
nuntur inter aggeres aut corbes vimineos gleba oppletos. inde cœptum eſt leuibus prælijs cũ Tur-
cico peditatu & equitatu certare ſemper inferioribus Turcis. aſt vbi conueniſſent copiæ, quæ vndi-
que à Turcis expectabantur, caſtra ponunt ad Palmetum & ad ipſam munitionem, ita vt quantum
fieri poſſet a tormentis protegerentur, cum agger præaltus etiam a Turcis mox fuiſſet excitatus. per
eam inſignem Turcarum victoriam claſſicam piratæ quidam, quia nemo reſiſteret, vniuerſum ma
re mediterraneum percurrunt. nouem dicrota Iuliæ Ceſareæ egregiè inſtructa cum lectiſſimis pira
tis Taggiam primum prædantur, & alia loca quædam Genuenſium, deinde Roccambrunam regu
li Meneci multaſque ſegetes comburunt, & ad portum Villæ Francæ, vocatumque caput diui So-
ſpiri appellunt, qui locus eſt ducis Allobrogum. Dux cum eſſet tunc Villę Francæ audita immani-
tate incurſionibusque piratarum nonnullos milites colligit, omneſque ſuos nobiles domeſticos.
mittit & Nicæam accerſitum milites, & duo muralia tormenta, quibus nauigia & Turcas impete-
ret, propelleretque è caſtris. Sed qui cõuenerant cum & pauci eſſent, & rei bellicæ ignari, ac periti mi
lites tunc abeſſent, Dux nihilominus aduerſus piratas iter capit inſtructis his copijs, cum eſſent qua

*Dux Sabaudiæ piratas ꝑpulſare conatur.*

dringenti milites. Iubet Guidonem Piouenam cum ſuis alabardiferis excitare minutum prælium,
qui primum locum poſt ducem obtinebat in caſtris. Piratæ ſtatim facta deſcenſione cum haberẽt
circiter quingentos pedites ſclopettarios plerosque cum longis ſclopettis craſſiores glandes trudẽ-
tibus Duci obuiam procedunt. diſploduntur currulia tormenta in Turcas non ſine aliqua cęde.
Guido cum diu certaſſet læui prælio ſimulata receptione conatur Turcas procul à nauigijs abduce-
re in inſidias conſiſtentiũ in acie. Sed copiæ partim imperitia rerum bellicarum, partim multitu-
dine & clamore Turcarum territæ ita in fugam vertuntur, nullas vt neque ducis neque profectorũ
adhortationes, pollicitationes, aut minas audirent. Nam parum defuit ne Dux ipſe vel cæſus ſit,
vel captus cum ſæpe fuerit cum hoſtibus commiſtus. Piratę victoria ita potiti fugientes ad Villam
francam vſque inſequuntur. capti ſunt circiter ſeptuaginta, qui tormenta conabantur defendere, è

*Piratarum victoria.*

quibus viginti fuerunt nobiles. ceciderunt vndecim tantum, inter quos inſignes Carolus Valper-
ga, Guſinengus & Morſelettus vir Britannus reguli. è Turcis ſeptem tantum. Dux Villamfrancam
ſe ſeruauit. miſſi ſunt poſtridie, qui agerent de redemptione, nam Turcę per tormenta captiuorum
& precium augere & celeritatem procurabant, primum petebantur quadraginta millia nummũ,
at res in trecentos viritim perducta eſt inter nobiles, reliqui centum iuſſi diſſoluere. numerantur
duodecim nummum millia, cum neque argentea, neque aurea vaſa accipere pro redemptione vo-

*Captiui magno precio redempti.*

luiſſent. In inſula Menynge Turcę paulatim foſſam profundam ducunt, per quam tecti ad viã quã
dam peruenirent, quę foſſa erat in inſula tranſuerſa. ibi poſitis caſtris munitionem circundare, &
obſidere incipiunt. curauerat Aluarus foſſam illam impleri, ſed anguſtia tẽporis illud non paſſa eſt.
Turcę ita vel ſine reparationibus ferè tegebantur. ea foſſa quia plurimi referret ad occupandos pu-
teos, ſtatuit Aluarus vt pręalta foſſa ducatur apud munitionem, in qua frequentes cuſtodię collocã
tur. In Scotia vero Galli terra marique Scotenſium ac Britannorum armis obſeſſi Lethę ſuppetias
è Gallia expectant, atque interim non ſolum ſe defendunt, ſed etiam per noctem ac diem erumpen
tes repentinis incurſionibus vel intra vallos hoſtium mira ſtrenuitate hoſtes offendunt. Multos co
natus poſt verberationes cum magna innadentium clade fortiter ſuſtinent. Scotenſes ne tantũ ſuo-
rum iacturam facerent, ſi per vim armorum munitione potiri conarentur, decernunt alia via pu-
gnandum eſſe. omnibus igitur acceſſibus terra marique occupatis arctiſſima obſidione illã cingũt;
vt eos per famem & penuriam rerum neceſſariarum ad deditionem compellerent, quos armis, &
virtute militari inſuperabiles propè eſſe cognouiſſent. Quę dum ſtrictius aguntur, Scotię regina vi
dua rerum tantarum tumultibus & ſeditionibus eius regni afflicta ſedandis ac defatigata, quę toties

*Scotiæ reginæ mors.*

repullulabant, quoties conſopitæ atque extinctę viderentur, iam corpore & animo languida ob aſ-
ſiduitatem multorum laborum, & ſollicitudinum vitam cum morte commutauit, ac mirificũ ſui
deſiderium in animis multorum reliquit. eius mortis nuntius cum Galliarum Regi fuiſſet allatus,
grauiſſimus accidit in tanta præſertim rerum omnium perturbatione, cum nõ ſolùm de rebus Sco
tenſibus, ſed etiam de propria ſalute plurimum eſſet ſollicitus, magnopereque reginę conſilio ac-
quieſceret in rebus eius regni. Cum non poſſet igitur auxilia mittere laborantibus pręſidijs Lethę,
decreuit conuenire cum regina Britanna in has conditiones, quæ ita ſtabilitæ concluſęque fuerunt.

*Pax Henrici cum regina Britanna, & conditiones. Tituli erepti.*

1. Vti rex & regina Galliæ & Scotię intra ſemeſtre ſpatium delerent in perpetuum ex omnibus ſcri
ptis, & vbicunque inuenirentur, titulum & inſignia Regis Britanniæ & Iberniæ. 2. Vt regnum Sco
tię in poſterum gubernetur à concilio duodenario nobiliorum eius regni, quorum ſex à regina Bri
tanna, ſex ab ipſo concilio inſulę, ſiue Parlamento, nominentur. 3. Vt Scotenſes veniam earum
iniuriarum conſequantur, quas in Gallos contulerint tum in præſentibus, tum etiam in prẹteritis
ſeditionibus, quod etiam confirmetur à concilio ad maiorem ſecuritatem. 4. Vt omnibus Scotenſi
bus honores, gradus, tituli, magiſtratus redderentur, neque Galli vllum magiſtratum aut titulũ ob
tinerent. 5. Vt Lethæ munitio euertatur aut relinquatur pro arbirrio præfectorum Scotenſium. 6.
Vt omnia Gallica præſidia excedant ex inſula, atque in duabus tantum munitionibus ſigillatim ſe-
xaginta cuſtodes relinquantur, qui ſubiiciantur Scotenſi iuſtitiæ, Scotenſiaque ſtipendia mereãtur.
7. Vt Gallis armatos in Scotiam conuehere vetitũ ſit, vel bellicos apparatus ſine aſſenſu concilij. 8.

Vt nihil

Vt nihil ſpectans ad religionem innouetur, ſed res in quo ſunt ſtatu relinquantur. 9. Vt fęderatio & amicitia inter Britannos & Scotenſes incontaminata, uti nunc ſe habet, relinquatur. Sic externis & inteſtinis coniurationibus, bellisque uexatus Franciſcus Gallorum rex neceſſitati legum rationumque omnium Reginę parendũ duxit. Scotenſes poſt has conditiones confirmatas plerique infrenes antiquam religionem deſerentes nouam promptiſſimè amplectuntur, ac nouas leges. omnes igitur abbatias & cænobia facto impetu multis auorum ſumptibus, multo ſtudio, multis operis erecta atque ornata funditus euertunt. Sacrorum uſum obliterant. Sanctorum hominum imagines & picturas infringunt & abradunt. Cultum Eucharistiæ & Sacramentorum è medio tollũt, atque, ut uno uerbo dicam, omnem Britannicam impietatem imitantur. Reuocantur exules in patriam de conſenſu populi, nulla habita regum ratione. grauiſſima pęna propoſita eſt per præconẽ exulibus, niſi intra certum ſpatium rediiſſent, cum multi, & quidã magnæ autoritatis in Gallia exularent. horum malorum omnium cauſa fuit Gallorum quorundam inſolentia, qua uſi in Scotenſes uniuerſum imperium & amicitiam amiſerunt, quam per nuptias reginæ contraxerant. Nam Galli ob tenuem ſuſpicionem non ſemel in ſubditos aut amicos animaduertentes cæterorum animos uel odio crudelis dominationis, uel metu imminentis periculi in ſe concitarunt, & ex imperio deciderunt. Nam ita Mediolanum amiſerunt & multas urbes Inſubrum Prudentem ſanè & iuſtũ & moderatum principem nemo eſt quin æquo animo ferat, cum meliora præſtent, deteriora ſubſideant. Qui cæteris igitur imperat, ac præſtare dignitate cõtendit, per uirtutes ſe dignum facere imperio debet; cum nullum imperium quidquam faciat diuturnius aut trãquillius, quam uirtus principis. Nam omnes propè difficultates & calamitates & ſcelera irrumpunt in genus humanum per errores & inſcitiam malorum miniſtrorum aut negligentiam principum. Pialis occupata foſſa, quam dixi, aduerſus munitionẽ in Africa, aggere pręalto extructo nõ ſolum tegebatur, uerum etiã puteos occupat. fit Aluari edictum, nequis exeat ad leuia certamina iniuſſus: nam ſuos intra altam, rotundamque reparationem contraxerat ad morem propugnaculi, ne poſſent offendi à Turcis ſclopetariis. iniuncta ſunt militaria munia curanda Hieronymo Sandęo & Ioanni Oſorio laborante Aluaro graui catarrho. obſeſſi quãuis prouocabantur & incitabantur ad leuia certamina, tamẽ edictum ſeruantes continent ſe intra munitionem. cum Turcæ uel ad foſſam munitionis audacter inuaderent cum multis contumelijs, & conuiciis eorum, qui partem illã tuebantur, iam non poſſunt diutius edicto frenari. ſed irę ſtimulo acutiſſimo extra aggeres ad pugnam impelluntur. pugnatur. ſuccreſcentibus Turcis Chriſtiani fraudem non obſeruantes ſenſim alliciuntur à recedentibus procul à munitione. Irruentibus quibuſdam equitibus demum profligantur & in fugã uertũtur, quos hoſtes ad foſſam uſque rotundam inſequuntur. Qui foſſas tuebantur turpe rati ſuis cedẽtibus opẽ non ferre, ſtatim egreſſi atque cum refugientibus admiſti pugnam atrociſſimam inſtaurant. multi utrinque cadunt. fortuna tamen belli Turcis fauet. Aluarus cum Turcas & Mauros aſſiduè ſuccreſcere ſentiret, nequid detrimenti pręterea à ſuis acciperetur, iubet canere receptui. Deſiderati ſunt in eo prælio circiter centum ex Italis, Hiſpanis & Germanis; è Turcis ducenti. Turcarum ita elati ſunt animi ea uictoria, ut parui omnino facerent arma obſeſſorum. obſeſſi quamuis aliquantulum animos demiſerant per eam cladem, nullum tamen munus militare parum accuratè exequuntur, cum Turcę ſemper foſſis & aggeribus faciendis ac propugnaculis eſſent intenti aduerſus caſtellũ. Nam Pialis maiorem partem turbę nauticę, & multos fabros lignarios ac ferrarios exire iuſſerat è triremibus, qui cum Mauris tantumdem continuò reficerent, quãtum tormenta deuaſtarẽt. agger aduerſus caſtellum tam craſſus excitatur, ut nullis tormentis penetrari poſſet. Dragutus propugnaculum meridiem uerſus excitat ad caſtellum diuerberandum qua putarat ſimplici aggere muniri, cum breui ſe potiturum ſperaret, ſummo ſtudio inſtat operi, cuius cõſilio cognito Aluarus ita omnibus reparationibus inſtruit, ut ſpem Draguti uanam irritamque fecerit. Illud conſilium captum fuit à Draguto quia putabat caſtellum interius ita ſe habere, quemadmodum ipſe reliquiſſet. Dũ caſtellum acrius uerberatur, Aluarus curat ciſternas aquarum. ſtatuit ut aqua in ſingulas nationes uiritim diuidatur, cum Turcæ puteos propè haberẽt à tergo. Sed renuebat eam diligentiam & parſimoniam aquarum ęſtus & labores & uentorum moleſtia; quippe cum Auſter aliquando tam moleſtus afflaret, ut corpora militum mirificè languida efficeret. Idcirco aquarum uaſa aliquando pręter inſtitutum iu milites pleniora erogare neceſſe fuit, cũ multi ſiti, & rerum multarum inopia morerentur, ac annona paulatim deficeret. Aluarus ad ſeptimum idus Iulii cum Turcę in amplo & commodo loco eſſent caſtrametati, decernit hoſtes intra aggeres aggredi, quod unũ remedium aduerſus tot difficutates apparebat, importunitatemque temporum, & animorum militum conſternationem. nam videbantur depreſſiores, quam tantæ obſidionis neceſſitas poſtulabat. Nam plurimum prodeſt ad omnia negotia intrepidus & inuictus quidam animi uigor inſurgens aduerſus calamitates, & in primis vbi neceſſitas ita popoſcerit. Iubet igitur quingentos ſclopettarios Hiſpanos duce Galarza viro Hiſpano impigro, & Antonio Oliuera totidem Germanos loricatos cũ ſariſſis inſtrui, qui duce Varaona ab oriente aggeres hoſtium adorirentur. Imperatum eſt Italis vt eodem tempore ad meridiem in aliam partem irrumperent, pugnandoque coniungerentur cum Hiſpanis, & infigerent clauos tormentis quotquot poſſent. Monentur in diripiendis Maurorum impedimentis ne occuparentur, ſed niterentur quacumque irrumperent ſibi viam ferro patefacere. ita inſtructi poſtridie diluculo caſtra hoſtium inuaduntur tanta virtute, tãtoq; impetu ut repẽte foſſas pertranſierint & aggeribus nullo negotio ſuperatis in caſtra hoſtium peruentum ſit. ſed quia neque ordo ſeruatur, neque fugientibus Turcis à prædandis diripiendisque tentoriis abſtinetur, omnis victoria tardãtibus extorquetur è manibus. Nam Turcæ ubi primùm arma Chriſtiana in ſe importari ſentiunt,

Scotẽſiũ hęreticorũ inſolentia.

Nimia ſeueritas periculoſa.

Pialis Meningis munitionem oppugnat.

ſic territi ſunt repentinæ & inopinæ rei nouitate, vt totis caſtris metu ac trepidatione repletis vul-
nere etiam à Draguto in femore accepto, quid caperent conſilij ignorarēt. Sed omnium glorioſa-
rum rerum, optimorumque conſiliorum populatrix auaritia tantam rei præclare agendę opportu

Auaritia populatrix rerũ glorioſarũ.

nitatem euertit. Nam Turcis, dum hi diripiendis tentoriis occupantur, datum eſt tempus ſe col
ligendi, qui cognita Chriſtianorum confuſione & errore cum magnis clamoribus & uociferationi-
bus in caſtra redeunt. Diripientes inuadunt, tanta celeritate impetum faciunt, ut ſtatim in fugã uer-
terint. nam qui modo erant uictores tanto metu replentur, ut nullas pręfectorum aut ducum ad-
hortationes audientes ad aggeres vſque munitionis refugerint. Aluarus iubet paratas copias in eũ
euentum duce Plantanido magiſtro inſtruendarum copiarũ foſſas defendere, quod niſi fieret Tur-
cis commiſtis una irrumpentibus cum Hiſpanis & Italis in munitionem conclamatũ illa hora fuiſ-
ſet de omni ſalute obſeſſorum. Nã Turcæ ad foſſas uſque inſectantur, donec Antonius Oliuera, Iu
lius Malueſinus, Rodericus Cardena Hiſpanus ſumptis ſcutis ac ſtrictis gladiis impetum irruẽtiũ
Turcarum repreſſerunt. Tum ſclopettarij non nulli exeuntes in Turcas ſuis locum cedũt ut in tu-
tum ſe reciperent. multi Turcæ tormentorum ictibus laniati ſunt redeuntes ab inſequendo, quia
globi in muros latericios incidentes lateres ferebant in acies. ceciderunt ſexcenti Turcę. tribus tor-
mentis ſunt claui infixi. ex obſeſſis triginta; inter quos inſignes Caluanus Angoſciola & Carolus
Rhoenſis. Cęſorum capita abſciſſa haſtis infixa è regione munitionis erecta ſunt ad cæterorum ter
rorem. Pialis intelligens quanti referret illa inſula potiri, & ad obedientiam Solimani compellere,
triremem mittit Byzantium partam victoriam nuntiantem, ſeque non prius ceſſaturum ab oppu-
gnatione, quàm capta munitione inſulam liberet ab imperio Hiſpanorum. Mittit ad conuehendũ
panē nauticũ & cõmeatũ, quem rex idē Tunetanus promiſerat, qui modo Cerdę ſclopettarios &
omne genus auxiliorũ pollicitus fuerat, ſi uelit Turcas eiicere ex uniuerſa Mauritania, modo poſt
uictam claſſem Turcarum arma uictricia ſecutus fidem pro fortunę arbitrio mutauerat. Pialis qui
antea non exibat è claſſe, niſi per diem; pręficit claſſi uniuerſæ rebus neceſſarijs inſtructæ Muſta-
phã pręfectũ Mitylenæis rebus, ipſe cũ Turcis, Ianizzeris, Spacchibus, Aſapibus, aliisq; nõnullis ſpe
prædæ ſecutis, deſcenſionem facit è claſſe, atque hi erant nouem millia hominum. erant & tria Tur-
carum millia Draguti. duo captiuorum è claſſe, quorum opera utebatur erigendis reparationibus
& aggeribus extruendis. mille inſulani ſclopettarii, mille & quingenti Mauri & Arabes & Turcæ

Draguti exiſtimatio

equites. tot enim auxiliis vndique accedētibus excreuerant. omnibus præſentibus putabatur Dra
gutus conſilio & exiſtimatione præſtare, qui nitebatur perſuadere Piali munitionis expugnationẽ
eſſe facilem, quod cum ita cenſeret eſſe, ſuas copias in tres partes diuiſit. iubet reparationes amplia
ri, neque quẽquam exire, cum uideret quantum detrimenti cepiſſet, & quantum eſſet capturus. ipſe
propugnaculum expugnandum ſibi deligit quod Cerda, & quod Chiricus faciendum curauerant,
& murum inter vtraque. Draguto Gonzagam cum ſuis copiis committit expugnandum. Luz A-
li Calabro propugnaculũ Sancti Ioannis uocaturã. His ita diuiſis experitur per tormenta quæ pars
munitionis eſſet debilior, decemque & octo muralibus Cerda & Gonzaga propugnacula concutiũ
tur. Aluarus per transfugam monetur quæ pars putaretur debilior munitionis, quare reparationes
quoquo modo inſtaurat. Sed iam penuria ita ſuccreſcebat aquarum, ut paruula menſura quotidie
viritim daretur. erat Siculus quidam Sebaſtianus intra munitionem, qui ſe dulcem aquam è ſal-

Aqua dulcis è ſalſa.

ſa elicere profitebatur per plumbeum uas, quod lãbicum vulgus appellat, id faciens uix viginti ca-
dos implebat quotidie, quod exiguum quiddam erat tãtæ multitudini per maximos æſtus præſertim
eò uentum eſt demum, ut pro precio mercimoniorum fieret cum aqua permutatio. his accedebat
quòd omnia præſentia edulia ſitim excitabant, cum ferrentur maximi labores per dies caniculares.
nam thunni, caro ſalita, caſeus ex inſula Sardinia conuectus dabatur in cibum. His tot difficultati-
bus fiebat, ut multi in caſtra Turcarum transfugerent, multi intra munitionem ſemiuiui laberen-
tur humi, & uel aquæ hauſtu viderentur reuiuiſcere. Multi Hiſpani à certo metu mortis ad certam
ſeruitutem voluntariam ſe traſferebant, multique fiebant Turcę, nam ſequentibus cęteris nationi-
bus tam fędum Hiſpanorum exemplum, vt neceſſarium propè, mille & quadringenti in caſtra au-
fugerunt. Turcæ in dies munitioni per foſſas & repationes propinquant, quæ ſemper propinquio
res excitantur è palmis & faſciculis lignorum & gleba, ne poſſent offendi tormentis Chriſtianorũ.
nam ubi ad ſtaturam hominis erexiſſent, tam firmam cathenationem è palmis & oliuis faciebant,
nulla vti tormenta penetrare poſſent. Cum perduraret verberatio, turriſq; caſtelli rotunda ad oriẽ
tem eſſet diſrupta, vt vacua, cuſtodiæ propter ruinas eam defendendam nõ putant, & foſſas vacuas
deſerunt. illud grauiſſimè tulit Aluarus, non tamen vlla ratione cuſtodias reducere potuit. Decerni
tur ſaltem ut foſſæ repleantur, quòd hoſtes eò accedere cum ſcalis dicerentur. id factum eſt, at non
aptè propter celeritatem, cum Turcæ ibi commodè tegerentur. ſtatuit Aluarus Turcas ad occaſum
apud puteum adoriri, quare intra ruinas quaſdam murorum trecentos Hiſpanos & totidem Italos
locat in inſidiis. intra fauces anguſtiaſq; duarum foſſarũ propè concurrentium ad puteum à Tur-
cis ductarum poſt quaſdam turres iubet Gallos centuriones cum prima luce exire cum ſuis cohor
tibus. hi vt iuſſi ſunt tam ſtrenuè Turcas inuadũt, tantaque alacritate, vt in fugam verterint. erat im-
peratum Gallis vt cum idoneum tempus videretur ſeſe ad inſidias reciperent, vt Turcę circunuenti
trucidarentur. at Turcis ſuccurrentibus iis qui laborabant, Galli cedunt paulatim vt iuſſi ſunt, au-
gentq; animis hoſtium alacritatem ad inſequendũ. hos ubi in inſidias attraxiſſent, circunuentoſq;
putarent, erumpunt ex inſidiis Hiſpani & Itali tam cito vt Turcæ quamuis multis amiſſis peri-
culum omnino euaſerint. Sic omnis vis & tormenta in eos parata obdormitarunt per
inſcitiam. Gallis cum eſſent circiter mille incolumibus intra foſſas reuerſis nonnihil animi

ardor & fortitudo excitata eſt obſeſſis,atque ita vt non mediocriter hoſtem infeſtarent, qui nouis foſſis in horas, nouiſque reparationibus arctius obſidere conabantur. nam ſemper iis occurrebatur nouis reparationibus ab obſeſſis,interdumq; erumpentes non paucis cladibus Turcas affligebant. Pontifex interea qui Camerini principatum adiuncturus erat nouis nuptiis,vt diximus, iubet diem dici Placentiæ Parmæq; Duci. Imperat ſua iura in medium afferre,quibus fretus poſſideret principatum Camerini,vt videretur an ea præſtarent iuribus pontificiis,quæ pro Virginia aduerſus ipſum ducem afferebantur. Hi dum diſputant inter ſe de Camerini principatu,ſeptem biremes,quę noluerant fortunam cum reliqua claſſe Hiſpana experiri,meliorem fortunam apud Lotophagiten expectantes non procul a munitione iuſſæ ſunt malos demittere, atque inſtrui vt ampliſſimi pontis inſtar omnes in vnum coniunctæ amplam aream ſuperius pręberent ad defenſionem,quę reparationibus & tabulatis latera protexerant. poterant etiam defendi ab oppido, quod erant propinquę,& illi opem ferre pro opportunitate,cum ita eſſent tormenta directa ab orientis latere vt Turcas plurimum infeſtarent id latus obſidentes. decretum eſt à Turcis vt ea perpetua moleſtia liberarentur,malleolos iniicere,atque omnia dicrota coniuncta vno tempore concremare,quę prouincia Luz Ali fuit iniuncta. Ille per obſcuritatem noctis nonnullis nauiculis cum militibus & ignibus miſſilibus profectus biremibus propinquare nititur,ſed cathenis trãſuersè ductis impeditus & exauditus fuit,quare repellitur cum multa ſuorum iactura.ea clade inflammatus ſtatuit alia via rem adoriri,quippe cum mane paratiſſimo & expedito globo Turcarum eas inuaſerit diluculo cum magnis vociferationibus. Nautæ partim multitudine inuadentium,partim inuſitatis Afrorum clamoribus territi relictis nauigiis in mare deſiliunt vt ſe ad munitionem ſeruarent. id ipſum faciunt,milites illorum fuga conſternati & animum deſpondentes,quare Aluarus frequentem globum ſclopettariorum mittit,qui cõferto prælio hoſtem frænarunt partim ſclopettorum glandibus,partim minoribus tormentis multos proſternentes. Accepit lętale vulnus Varaona caſtrorum magiſter, qui paulopoſt ex acceptis vulneribus & lætali in primis fatis cõceſſit. cum ſummus imperator Turcarum Pialis ſentiret omnem operam ludi,quòd neque conatibus, neque crebris verberationibus quidquam proficeretur,decernit opus eſſe occupari foſſam,quæ puteum protegeret, vnde aqua hauriebatur ab obſeſſis,ac puteus inter pugnandum impleretur ſaxis. Illud vbi Turcæ cum Mauris fuiſſent aggreſſi,Aluarus monitus,qui fidiſſimum & diligẽtiſſimum habebat exploratorem in caſtris, qui aduentabat in oppidum per obſcuritatem noctis,iubet vt ad vetandum illud facinus ſtatuto tẽpore confertiſſimus globus præſtò eſſet,in quem locum directa ſunt tormenta. cum Turcę & Afri ad opus acceſſiſſent, immaturè & non expectata occaſione diſploſis tormentis patefactæ ſunt inſidiæ,quare Turcæ quamuis multis è ſuis amiſſis cladem illam deuitarunt. quam inſignem, ſi maturato conſilio obſeſſi vſi eſſent,erant capturi. Cæterum cum multi quotidie transfugerent in caſtra ob penuriam aquarum, & annonæ, pertęſi tot laborum militarium,certiorem faciunt Pialim de omnibus difficultatibus, quæ erant intra munitionem; quibus allectus munitionem ſcalis adhibitis ſummis conatibus vndique inuadit. id antequam fiat, explorator certiorem facit per noctem Aluarum, atque hortatur vt inſtruat reparationes ad occidentem, quod factum eſt ſummis opibus, ſummaque diligentia. Sed enim cum equites leuiores quidam transfugiſſent, monuiſſentque de munitionis apparatibus, quę ignibus, tormentis, alijs telorum generibus eſſet inſtructa aduerſus omnem vim inuadentium, & ad orientem præcipuè, mutatur conſilium, ſtatuitur vt munitio inuaderetur ab ea parte, quę mare proſpiceret. vbi dicrota eſſent ad pugnam parata. Aluarus per eundem exploratorem fit certior denuo, quare omnia neceſſaria pro viribus parat, tormentaque dirigit, vt ſibi videbatur conferre: nam Turcę occupatis triremibus ab ea parte putarant munitionem non poſſe defendi. Monet explorator certum diem conatus neſciri, ſed non poſſe multum differri. quoniam cæptum eſſet in caſtris etiam annonæ penuria laborare. Aſt vbi dies inſtaret conſerendi prælii, vt rurſus monitus eſt, omnia tormenta ſunt eo directa, & aucta nauigiorum præſidia. Vbi primum illuxit omnis generis nauigia Turcarum plena conueniunt, ſed cathena tranſitum impedit,quam fruſtra infringere conantur. Ex altera parte Turcæ ac Mauri munitionis propugnaculum Gonzagam multo impetu inuadunt, nequa ſubſidia laborantibus nauigiis mitterentur. Cum primum nauiculæ propinquaſſent cathenę, nauigiorum præſidia ac munitionis tantam glandium, globorumque procellam & grandinem in nauiculas, Turcaſque profundunt, vt frequentes in morem foliorum ex arbore concuſſorum deciderent. At vero dum certatur ad triremes exeunt trecenti pedites ex ea parte munitionis, quæ ſpectat ad occaſum. Committitur leue prelium. Turcæ veriti ne caſtra diriperentur dimiſſa pugna multis è ſuis amiſſis redeunt in caſtra. Sed quoniam multi quotidie profugerent, fit edictum Aluari iuſſu, vt quicunque fugientem intereміſſet certum præmium conſequeretur, quod tamen nihil profuit. nam Turcæ aquam, vuas, pepones oſtentantes cognita penuria obſeſſorum, eos ad ſe alliciebant, qui poſtmodo capti ad tranſtra cathenabantur, aut diuendebantur. Pialis transfugarum hortatu verberationem à muro diuertit in latera propugnaculorum, ita vt nemo defenſionibus propinquaret, quin a Ianizzeris cęderetur,quare vela nauigiorum neceſſario pro reparationibus ſunt erecta, quibus tranſeuntes tegerentur. nam tanta erat, tamque frequens vis tormentorum, vt plura quatuordecim millibus globorum ſint in munitionem coniecta. Sed cum ſummus copiarum imperator Pialis intelligeret ſe actum agere in dies, decreuit arte tentandos eſſe atque impellendos ad deſperationem animos obſeſſorum,quos neq; victus penuria,neq; vi tormentorum,neq; aſſiduis laboribus vel frequentibus præliis,vel vlla militari induſtria mollire aut flectere potuit. Simulat igitur triremes quinquaginta nuper aduentare Byzantio cum multa commeatus, bellicorumque appara-

Camerini principatus iura repetita à duce Parmæ.

Stratagema.

apparatuum copia, accreſcentibus auxilijs, quas triremes per noctem hac ipſa de cauſa iuſſit in altum recedere. triremes vbi propinquarunt redeuntes magna facta eſt militaris ſalutatio pluribus tormentis diſploſis atque editis ingentibus clamoribus cum magno tubarum, tympanorum, bellicorum inſtrumentorum omnis generis ſtrepitu. Pręterea enim triremis, vbi ptimum apparuit, flãmam extulit & duo vexilla, quod erat lætitiæ ſignum. facta vtrinque militari ſalutatione omnes terreſtres copię ter conclamarunt, vt mos eſt illarum nationum. Repetitæ ſunt veſperi ter eædem ſalutationes diſploſis tormentis, & ſclopettis in caſtris cum vociferationibus. multæ epiſtolę ſagittis infixæ iaciebantur intra munitionem, alię quorum hortabantur ad deditionem, aliæ ſignificabant quid artificij Turcę molirentur in caſtris, & quod quatuor triremes Byzantio ſulphureum puluerem globos ac ſagittas aduexiſſent, quòd niſi per ſextilem confeciſſent negotium, Turcis vaſa colligere opus erat ad nauigationem. Pialis mittit qui Aluarum hortaretur ad deditionem propoſitis honoribus, prę miis, & dignitatibus, quæ eius virtuti conuenirent: cum neceſſe eſſet omnino vel per ſummam inopiam rerum neceſſariarum, vel per vim ferri in hoſtis poteſtatem venire. non eſse prudentię militaris inquit pugnare aduerſus neceſſitatem, quæ omnibus legibus, omnique ratione eſt potentior; ſed potius temeritatis & neſcientis vti rebus prę ſentibus. Præſtare honorificas deditionis conditiones accipere, quàm incertos fortunæ euentus iam inclinatæ expectare: quippe cum nulla reliqua ſit ſpes ſubſidiorum Hiſpana claſſe tam fœde profligata, & capta, inſula fauente vniuerſa obſidentibus, erepta facultate aquarum & puteorum, præſidiis munitionis vel fuga vel clade debilitatis, & iam ita diminutis, vt tot laboribus omnino breui non ſint factura ſatis, cum rerum inopia tamen non mediocriter ſint afflicta. Aluarus his auditis reſpondet ſe neque literas, neque nuntios amplius admiſſurum. munitionem nullo pacto niſi armis per multorum cladem obſtinatiſſimè poſſe obtineri. Id reſponſum Pialis pertinaciæ plenum, quod penè victoris at non penè victi videretur, & refertum ſuperbia ac minis, ægerrimè tulit, quamobrem arctius obſidere cœpit. omni induſtria molitur incommoda, & difficultates. voraginem occupat in qua aqua minus ſalſa reliqua inueniebatur propinqua, qua vtebantur obſeſſi per ignẽ exempta ſalſedine. deuaſtatis lateribus propugnaculorum per crebram tormentorum vim in foſſas operas demittit, quæ propugnaculorum acumina ligoribus detraherent, ac deuoluerent. id cum facile fieret, Turcæ cognita eius laboris vtilitate iubent omnia propugnacula pariter deuolui. Aluarus cognito periculo inſtruit reparationem interius, vbi per multos dies poſſet ſe defendere, ſi vel omnia propugnacula deuoluerentur. ibi multas tubas ignis miſſilis parat. cados pulueris tormentarij transfixos cum funiculis ſtatuit ſub tabulatis occultis terra ſuperius conſtrata, quo contractis funiculis accenſis proxima quæque repente conciperent ignem, & ferrentur ſublimia. multos aſſeres clauis transfixos locat, & arena contegit, qua hoſtes eſſent inuaſuri. Turcæ igitur propugnaculum Quiricum primum inuadunt, vbi recentes defeſſis ſemper ſummittuntur, cum primi cuniculis, ignibus miſſilibus, aſſeribus transfixis abſumerentur variis artibus ab obſeſſis excogitatis. nam difficultates faciunt ingenioſos. atque cum magna multitudo Turcarum in eo prælio cecidiſſet, apparatusque intra munitionis reparationes nuntiarentur, coacti ſunt recedere. Cęterum ex aggeribus, foſſæ propugnaculum ita ſublime erigunt mira celeritate intra triduum, vt Cerdę propugnaculo immineret, atque alterum rurſus è regione Gonzagę, ad quæ concremanda Aluarus multos mittit cum ignibus miſſilibus ante comparatis, qui partim initia comburunt, ſed fruſtra poſtea abſumitur omnis opera ob copiam arenę, & terrę ſuperiectę, partim in caſtra hoſtium transfugerunt fame compulſi. His difficultatibus etiam circumuentus Aluarus coactus eſt ſuos intra munitionem prorſus continere, quare animum ad munienda loca interius conuertit. Cerdę propugnaculum Franciſcum, & Alphonſum Golfinos centuriones, muri ſpatiũ inter propugnacula Germanos duce Gabriele Mauro tueri iubet. Sed iam Turcę Gonzagã ita detraxerant, vt viam tam amplam, & planam fecerint, vt equus poſſet aſcendere, quare ſtatuunt illud occupare. nam tanta induſtria demoliendis propugnaculis vrebantur, vt trabes etiam, quę clauium, & firmamentorum vice fungebantur in iis ſuſtinendis omne opus facile redderent, funibus & vi inſtrumentorum mœchanicorum euellente. accedunt. locum aſcendere conantur. certatur vtrinque ſumma contentione pertinaciſſimè. multi cadunt. niſi Aluarus ipſe opem tuliſſet, confectum fuiſſet negotium illo die, cum etiam vulneratus fuerit. Multi centuriones ceciderunt vtrinque, plures vulnerati. Turcę poſtmodo e regione Cerdę tormentum erigunt in plateam interiorem munitionis tanta cum obſeſſorum moleſtia, vt nemo appareret incolumis. Diuiſa eſt platea aduerſus illud incommodum, reparationesque quędam erectæ, at incommodum euitari planè non poteſt. nam, & rotę currulium tormentorum infringebantur, & Cerdę ac Sancti Ioannis propugnacula tuto ligonibus detrehebantur ita, vt via plana ad inuadendum pateret. rurſus Turcę munitionem cum ſcalis inuadunt, quæ tanta virtute ab Italis, Germanis, & Hiſpanis quibuſdam defenditur, vt reiecti ſint non ſine iactura. erant eo redacta propugnacula, vt tanquam per planitiem poſſent conſcendi, ſed propter interiores reparationes Turcę nolebant fortunam belli experiri, certamque victoriam, quam inopia aquarum & ignium intra munitionem breui pollicebatur, fortunę arbitrio committere. Præterierat iam Iunius menſis, & magna pars Iulij inter hęc leuia certamina & demolitiones ac reparationes crebras vtrorumque, cum ligna etiam obſeſſis cœperunt deficere ad aquam ſalſam purgandam, nuntiatumque eſt annonam in triduum tantum ſupereſſe. Aluarus tarditatem certam eſſe iacturam intelligens, at in fortuna belli ſpem reliquam eſſe poſitam, ſuos ad inuadenda per noctem caſtra hoſtium, extremumque conatum experiendum hortatur. Laudat militum virtutem, & conſtantiam. Demonſtrat nullum eſſe fortitudin is

Pialis adhortatio ad deditionem.

Aluari Sãdæi oratio ad extremam pugnam.

titudinis genus, quod in illis cumulatè ſpectatum non ſit, cum tam glorioſè ad eam vſque diem cum moleſtiſſimo hoſte, cum perpetuis laboribus, cum iniquitate & inclementia aeris, cum, quod eſt magis admirabile, annonę, aquarumque penuria fortiſſime pugnauerint, atque inuictiſſimi aduerſus tantarum difficultatum molem perſtiterint. Iure igitur non milites, ſed imperatores militum, omnes præſentes poſſe cenſeri, qui ſingulari virtute & conſtantia tamdiu ſint vſi. Sed cum ad omnium rerum ſummam inopiam res ſit deducta, cum tormenta partim ab hoſtibus ſint globis infracta, partim quòd nimis frequenter neceſſario diſploderentur diſrupta, proſtrata propugnacula, aquæ, annonaque conſumpta, omnia ad defenſionem neceſſaria exhauſta, non eſſe committendum vt priſtinę virtutis obliti videri poſſent, vniuerſamque gloriam tot laboribus, vigilijs, periculis, difficultatibus acquiſitam, vno temporis momento abiiciant; quod apparebant facturi, ſi expectarent vt intra munitionem ab hoſtibus vel armis vel fame turpiter & per inertiam opprimerentur. vniuerſam gloriam in exitu rerum conſueuiſſe à pleriſque iudicari, cum pauci ſint, qui res diu præclare, honorificeque geſtas reſpiciant, ſi in vno articulo temporis vires aliquantulo remiſſiores apparuerint; omneſque reſpiciunt ſemper vltimos tantum euentus. Summæ eſſe prudentiæ in ſummis difficultatibus ſcire honorificum & ſalubre conſilium inuenire: quod ſi optatum finem ſortiatur, ſalutem affert & opulentiam, & quietem, & gloriam vno tempore. Sin autem bene decreta male ſuccedant, illud tribuitur à ſapientibus & rerum humanarum peritis iniquitati fortunæ, at non imbecillitati aut timori ſapienter conſtituentis. Alterum horum in præſenti neceſſarium eſſe, vel ut viui per ludibrium tanquam fæminæ capiantur ab hoſtibus, & moriantur inopia victus, vel tanquam viri fortes ſalutem & rerum omnium copiam in armis poſitam eſſe exiſtiment. Non timendam eſſe fortunam belli; quia non ſemel accidit, vt qui abiecta ſpe ſalutis hoſtem fortiter inuaſerint quamuis pauci multos profligarint, fuderint, trucidarint, victoriam acquiſiuerint. In vno certamine, quod proponitur, ſitam eſſe totam laborum virtutiſque gloriam, ſpem ſalutis omnium ſcilicet, & inſulę imperium ac totius Numidiæ, Chriſtianorum armorum exiſtimationem. Non ſolùm pro dignitate Philippi Regis, ſed pro militari gloria, pro Chriſti cultu, pro auita & incontaminata religione aduerſus ſempiternos hoſtes Chriſtiani nominis certatum iri: ſed pro vita, pro ſanguine, pro iugulo ſingulorum, quod vnum ab hoſtibus crudeliſſimè & obſtinatiſſime tot contentionibus, totque pręlijs, quamuis fruſtra contra viros fortes, expetitur. vbi ceſsauiſset Aluari adhortatio, omnes ſe prompto eſse animo exclamarunt, quare iuſſi ſunt curare corpora, quoad belli ſignum daretur. poſtridie hora circiter tertia ante lucem ratus Aluarus ſe imparatos hoſtes, ac nihil tale ſuſpicantes inuaſurum, iubet ſuos exire ab ea parte, quæ mare proſpectat, vt quæ minus accuratè à Turcis cuſtodiretur, orientem verſus. iubet portam aperiri, quæ multa gleba oppleta fuerat, atque in loco opportuno copias in aciem inſtruit. Præmittit trecentos ad inuadendum aggerem hoſtium, qui pugnando uel ad tentoria vſque penetrarent cum ſuis ducibus. ſtatuitur vt ipſe cum reliquis copiis hos ſequeretur. Sed cum à Mauris perſpecti fuiſsent, cęptum eſt ad arma totis caſtris conclamari. Hi ſumma celeritate vſi, nulla conceſsa hoſtibus facultate vt armarentur, obuios quoſque trucidant. vel tertios aggeres ſuperant. Turcas in fugam vertunt. ad tentoria vſque penetrant. Aluarus cum illis, qui ſequebantur vigiles trucidat, atque primæ aciei victoria vtitur. Sed cum multi non exiſsent è munitione, ſicuti ſtatutum fuerat, Turcæ in aciem inſtructi pluribus è partibus hos circunſiſtunt, multoſque trucidant, quare ſunt coacti terga vertere. Nam tametſi Aluarus ad prælium inſtaurandum illos hortabatur, demonſtrabatque potius in armis, quàm in fuga ſalutem poſse inueniri, tamen territis animis verba honorifica nihil profuerunt. nemo enim inuentus eſt, qui illum ſequeretur, præter duos ſpectatæ virtutis viros, Marottum & Peracchium Neiardum viros Hiſpanos. Aluarus vbi non poſset redire ad munitionem, fretus noctis obſcuritate ad biremes ſe recipit, vnde nuntiatum mittit præfectis munitionis vt eam tuerentur, quod eſset eò creſcentibus aquis acceſsurus. Quidam è fuga ſe ad munitionem recipiunt. Marottus vulneratus venit in poteſtatem hoſtium. ceciderunt in ea pugna Hieronymus Bauus, Alonſus Golfinus, Ioannes Ouandus, Petrus Aluarecius inſignes, & alii multi vulnerati. at multo plures è Turcis. Cum milites reuerſi ad munitionem Aluarum non viderent, quia nuntius fuiſset captus, mirificè omnes animo ſunt collapſi, quamobrem multi in caſtra hoſtium diffugiebant. vbi nuntiatum eſt ad biremes ſe ſeruaſse, id etiam Pialis per transfugas cognoſcit. ſuos hortatur ad expugnationem. inquit non eſse annonam niſi in biduum. ita territos eſse defenſores per ſui ducis abſentiam, vt munitio nullo propè negotio capi poſſit. Turcę quinque tormenta interim dirigunt in tres biremes, quæ combuſtis cęteris ſuperfuerant, quare aduentus Aluari in noctem protrahitur. Pialis ſuos hortatus ad inuadendum iubet, vniuerſam turbam nauticam exire ad ſpectaculum victorię. ea dū parantur ad expugnationem, præfecti munitionis, cohortiumque duces, vbi nuntiatum eſset Aluarum velle ſe ſeruare in cataſcopio, conueniunt communi ſententia habitis comitiis vt ageretur de deditione, quando nulla prorſus reliqua ſpes eſset ſubſidiorum. vexillum igitur in Quirico erigunt ad ſignum deditioris, atque Turcæ aliud ad ſignum amicitiæ intra ſuas reparationes. hoc viſo vexillo concurritur ad expugnationem biremium totis propè caſtris. Aluarus hortatus ſuos ad pugnam atque defenſionem, vbi nauiculam ſibi paraſſet ad ſalutem, ſi fortuna belli parum feliciter aſpiraſset, his viſis accingitur ad prælium. Sed cognita deditione ſuorum, qui Turcas munitioni propinquos non offendebant, poſt diuturnum certamen ſalutem ſibi parare

Aluarus ſe ſeruat ad biremes.

In munitione uexillū erigitur deditionis.

rare ſtatuit. nauiculam ingreditur, quem cum multi duces vellent ſequi non ferens tantum pondus nauicula in paludem demergitur, quare Aluarus cogitur in biremem munitam reparationibus euadere. Ceſſatur a pugna vel ipſis hoſtibus repellentibus illum inuaſuros. Promuſsus quidam Turca Genuenſis hortatur Aluarum ſtantem in prora biremis ſtricto gladio cum ſcuto, vt ſe dederet ab omnibus iam derelictus, ne in viliorum Turcarum poteſtatem veniret; qui reſpondet ſe nemini velle dedere, ſed vltro venturum ad Pialim, ſi promittat ſe deducturum. Ita vel inuitis, qui volebant in via trucidare, defendente Promuſſo ad Pialis tentorium adducitur. Pialis perhumaniter poſt primum intuitum eum excepit, vt virum fortem, & ſingulari cognitione rei militaris, ſed tamen queritur quia maluerit per tantas difficultates libertatem amittere, quàm honeſtiſſimas conditiones accipere cum multa vtriuſque iactura. reſpondet Aluarus ſeſe vel per eas difficultates fuiſſe omnia ſuperaturum, niſi animus militibus defuiſſet. poſtea iuſſus eſt abduci in prætoriam triremem, vbi erat Ioannes Cardona, Sancius Leua, Garto Cerda filius proregis Siciliæ, & Berlingerius. datur munitio Turcis poſt multas controuerſias illa conditione, vt omnes, qui munia militaria aut dignitatem haberent inter milites cum viginti & quinque priuatis è ſingulis cohortibus liberi excederent. His ita ſtabilitis portæ munitionis aperiuntur. at Turcæ nulla ſeruata lege vel promiſſis omnes propè intra munitionem repertos perfidè ac miſerabiliter trucidant. Qui ſeſe in caſtellum receperant, poſtridie in miſerrimam ſeruitutem ſunt abducti. Nam primo die cæſorum per tot pugnas recordatio, & ira atque indignatio, quæ in animo inſederat ob tot exantlatos labores, fecit immemores captiuitatis, & prædæ. his accedebat quod gens illa parum eſt fidei ac promiſſorum obſeruans, ac pro innata barbarie parum particeps humanitatis, cum apud illos magna crudelitas, & quaſi ferarum ingenium, & humani ſanguinis propè ſitis, magna fortitudo, & vis animi verè militaris credatur: nam qui æquiore animo humanum ſanguinem, & vulnera, & cædes quaſi per ludum videre ſuſtineat, is fortior propè miles, quàm qui ingenio, & prudentia hoſtem ſuperauerit, apud pleroſque eorum putatur. Non defuerunt tamen, qui nihil promiſſum fuiſſe a Piali contendant ad illum ab ea perfidia expurgandum, ſed iis tantum promiſſam libertatem, qui negotium tractarunt. Poſt captam munitionem Pialis imperio inſulæ libero potitus octo dies in inſula moratur, dum tormenta, alijque apparatus bellici portarentur ad claſſem, & daret Draguto quædam mandata, vexilla; & tormenta Chriſtiana, & cætera victoriæ inſignia cum magno Chriſtianorum ludibrio, illis Numidicis nationibus oſtentans, dum commeatuſque Tripoli adueheretur. Enimiero vel ex hac ipſa Chriſtianorum clade facile apparuit quanti ſit opportuna celeritas in rebus bellicis, cum ea ſola potuiſſet tantum malorum cumulum auertere. Pialis antequam ex inſula diſcederet hortatu Draguti conſtituit Tripolim petere quo res Maurorum ſiue Tiagorenſium, & Arabum componeret, a quibus Dragutus anno præterito fuerat infeſtatus. eo conuenit. claſsem ornat multis vexillis præpoſtere attractis, & pendentibus de antemnis, cum magna ſalutatione tormentorum intrat. accipitur à Draguto ad lautiſſimum conuiuium. poſtea cœpit Mauros Tiagorenſes caſtigare, per ſummamque ſeueritatem iudiciorum in ſeditioſos finem diſcordiis, & contentionibus impoſuit. Dragutus illi captiuos proceres ſumma diligentia commendat, hortaturque libertatem procurare, tanquam pro viris non ſupplicio, ſed omni genere laudis digniſſimis, qui fideliſſimè, & fortiſſimè pro patria militaſſent. Pialis vulneratos captos in munitione Mauris relinquit ad ſubleuandam claſſem, deinde Byzantium proficiſcens Melitam verſus iter capit. tormenta Melitenſia ex oppido diui Angeli atque è triremibus diſploduntur in Turcicam claſſem non procul ab oppido præteruectam; atque non multo poſt reiecta eſt tempeſtate ad inſulam Siciliam. Egreſſi ſunt quidam Turcæ aquatum inter Pachynum, & Syracuſas, è quibus alij cæſi ſunt ab equitatu inſulæ, alij capti. Sed poſt paulo claſſis felici nauigatione vſa vehitur ad oppidum maritimum Auguſtam. Illud a præſidiis relictum diripit, & ſuccendit. inde præternauigans Calabriæ litora, & Ericuſam & Nicopolim & Naupactum & Cephaleniam ac Zacynthum Methonen peruenit, vbi munus accepit, quod ſolent Veneti pro ſua liberalitate ſummo Turcicæ claſſis imperatori offerre. inde ad portum Tænarium peruentum eſt, vnde nauigia quædam Chriſtianorum fines illos prædationibus infeſtantia perſecutus poſt biduum ad Maleam Laconiæ promontorium appellit. Tum ad Rium Meliceriumque applicuit, atque inde Nicopolim ſiue Gallipolim profectus poſtulatum mittit vt liceat Byzantium accedere. Triremes viginti interim mittit ad Aegæi cuſtodiam. poſtea conceſſa facultate adeundi Byzantij triremes Rhodias & Mitylenæas & Nicopolitanas dimittit, ipſe Byzantium contendit. ingrediens Helleſpontum prætoria omnibus præcedebat, quæ Lychnum ſiue phanum geſtarent, triremibus. Hunc multo interuallo viginti anteceſſerant multis Turcicis vexillis ornatæ, multiſque captiuis præpoſterè attractis. in lateribus multa geſtabant trophæa galeis, ſcutis, thoracibus, gladiis armata, quæ latera iucundum ſpectaculum poſſent præ ſe ferre. His prætergreſſis Pialis eodem ordine accedebat cum nobilioribus vexillis præpoſteris, quem ſequebantur captiuæ triremes ac poſtea vniuerſa claſſis ſecuta eſt, dum è regione imperatorij ſeptri conſtitiſſet. omnis autem Byzantina multitudo erat in ſpeculis, omneſque victoriam Imperatori conclamabant. Ibi vniuerſa diſploſa ſunt tormenta claſſica ad vniuerſam ſignificationem tantæ lętitiæ. egreſſo Piali è prætoria naui captiui eius domum adducun-

Aluari deditio.

Munitionis deditio.

Maurorũ ingenia & quorundam Turcarum ſimilia feris.

Draguti mãdatum clemens.

Põpa Pialis Byzantium adeuntis.

Aluari animi magnitudo.

adducuntur, vbi tenebantur & alii. at Aluarus illuc ingredi noluit, quia diceret ſuæ dignitati locum vulgarium captiuorum minime conuenire, quare aliò fuit adductus. Pialis exceptus eſt multis honoribus à Solimano. nec ita multo poſt captiui inſigniores ſeruato ordine militari galeis & thoracibus, cæteriſque armis induti adducuntur domum Solimani in quoddam ſeptum, cum inſignia militaria humi traherentur. Præcedebat ceteris Zailus & Naſufaga præfecti rerum maritimarum, qui medium habebant Aluarum. Ventum eſt cæteris ſubſequentibus in magnam aream ante ædes imperatorias, vbi Diuanum appellatur, multis ornatum cypariſſis & porticibus circundatũ Parijs columnis, vbi erat magnus Ianizzerorũ, Spachiũ, cęterorũq; inſignium Turcarum numerus, atque omnes ordines militares. Deſpiciebat hos Solimanus è feneſtra quadam minutiſſimis clatris compacta, qui ſæpius in gyrum ſunt circunducti conclamantibus vndique præſentibus, gloria & victoria magno Imperatori. Poſt huiuſmodi pompam captiui plerique miſſi ſunt in turrim ad cornu Byzantij, at Aluarus cum ſacerdote & puero miſſus eſt in turrim maris nigri vocatam. Huic magnæ opes, & inſignis militaris præfectura promiſſa eſt aduerſus Tamnaſum, ſi velit eſſe Turca. his addiderunt quidam ad exprimendam animi Imperatoris lętitiam pro accepta tam inſigni munitionis & claſſis victoria, cum viginti & octo triremes; multæque biremes captæ fuiſſent, & alia multa varij generis nauigia prẹter demerſa, vbi noluiſſent fieri Turcæ captiui, pecuniã imperaſſe imprimi, in qua ſcribebatur Turcicis characteribus, non quęro religionem armis, ſed imperium. Quæ dum geruntur Byzantii, Franciſcus Galliarum Rex comitia indicit eccleſiaſticis & nobilioribus conditionibus ciuium, quoniam illud regnum magnis, moleſtiſſimiſque perturbationibus fluctuaret, atq; omnia antiq; religionis iura & ritus in magna difficultate eſſent poſita nouis hæreſibus vbique quotidie emergentibus, & in Aulercorum præcipuè regione ac Neuſtriorũ, qui populi ſunt Normaniæ, vbi principes erant eius factionis, qui Rotomagi, aliarumque finitimarũ vrbium animos populorum ad ſpem nouarum rerum per religionis mutationem, opportunitatemque extulerant. Vbi frequentes conueniſſent ad comitia, rex paucis verbis at grauibus hortatur proceres vt maturè, quantaque fieri poteſt erga regem fide & beneuolentia fidele & ſalubre cõſilium omnes caperent, quod erat vt res tantas præcipuè tuerentur, in quibus publica totius regni conſeruatio, integritas diuini cultus, quies ſubditorum, iura ac felicitas populorum omnium contineretur: quippe cum rerum omnium bonarum fundamentum ac ſtabilimentum ſit verus ac legitimus Dei cultus. Vbi de omnium ſalute ac felicitate agitur, ibi neceſſario omnia priuata deſideria oportere conſopiri, quæ ſiquis aduerſus publicam vtilitatem, communemque ſalutem audiuerit, ille denique Deo vltore omnium ſcelerum, qui vnus intima cordis penetralia cognouit, in multas miſerias, calamitateſque incurrit. His ita dictis, ſurrexit Amiras. obtulit ſcriptum, inquo multæ petitiones hæreticorum continebantur euangeliſtarum vocatorum, quæ Rotomagi datę ſibi fuerant. Initio eius ſcripti Amboiſæ coniurationem deteſtabantur, quæ religionis ergò facta fuiſſe dicebatur. demonſtrabant hi ſe ignaros fuiſſe tanti ſceleris, atque eſſe maximè Regis obſeruantes. Suppliciter petebant vt liceret liberè exercere diuinum cultum ad morem euangeliſtarum miniſtrorum. His additum eſt, quòd ſi vellet ſubſcriptionibus rem confirmari, plura quinquaginta hominum millibus iſtud efficerent, quod non mediocriter præſentium plurimorum animos turbauit. Inde pertractatum eſt de re pecuniaria, quo Rex ſubleuaretur tanto ære alieno, quantum propter ſumptus ſuperiorum bellorum fuerat contractum, nam inuentum eſt æs alienum regios prouentus annuos ſuperare longiſſimo ſpatio, cum plura decies centenis millibus nummũ præterea excederet. Inde fiebat niſi maturè conſuleretur, vt regnum oppigneratum in perpetuum videretur. Vbi multos dies hiſce de rebus habita eſſent comitia, multaque fuiſſent propoſita, ſed nihil concluſum, decernitur vt ad tantarum calamitatum remedium comitia trium conditionum ad quartum idus Decembris indicantur. atque poſt quadraginta dies habeatur ſynodus nationis de rebus ad religionem ſpectantibus, cuius autoritatem poſtmodo omnes ſequerentur, atque obſeruarent decreta. Interim vt ſeueritas animaduerſionis in hereticos ceſſaret, niſi tamen ſiquis autor extitiſſet ſeditionis, aut arma contra edicta regia ſumpſiſſet. His ita ſtatutis dimiſſa ſunt comitia. Per idem ferè tempus Guſtanus Sueuorum Rex poſt annos triginta & quinque ſui regni naturæ conceſſit cum multa ſuorum populorum lætitia, quoniam vniuerſam propè nobilitatem in morem Tarquinii Romani deleuiſſet, veritus ne quod imperium illegitime occupaſſet, legitime ſibi extorqueretur. Ad hoc, impulerat etiam innata quædam alienæ opulentiæ ſitis & auaritia & cupiditas, propter quam in omne genus hominum crudeliſſimè ſęuiebat. nam nihil eſt intolerabilius, quàm recens tyrannus. Huic ſuccedit in regnum Henricus filius primogenitus, princeps omni liberali diſciplina egregiè inſtructus, minimeque aſſentiens paternis inſtitutis, quippe quem dignum & illo & omni quouis maximo imperio ſingularis humanitas, ſapientia propè admirabilis & benignitas atque innocentia facit. Interea dux Hetruriæ ad iter ſe accingit ad nouum pontificem multa communicaturus, quem plurimum iuuerat ad eam dignitatem. Pontifex miſſo obuiam epiſcopo Bononienſi honoris gratia, iubet ab omnibus vrbibus Romanæ ditionis benignè accipi. tum Romam profectus in vineam, quæ eſt in uia Flaminia, priuatim à pontifice honorificentiſſimè excipitur. illi datum eſt hoſpitium ornatum multa magnificentia & operum mirabilitate, multis ſcilicet ſtatuis perantiquis, & multa arte affabreque factis fontibus, & auratis porticibus ac laquearibus. Poſtridie vrbem ingreditur publicè, ad quem conuenit omnis Romana familia, & capitolini magiſtratus, & purpuratorum patrum familiæ, & omnium principum oratores ordinarii, qui erant Romæ. peruentum eſt ad arcem Diui Angeli per uiam Flaminiam tenẽtibus eum principem medium Sanctiflorio & Ferrarienſi patribus purpuratis, vbi

Solimano captiui oſtẽſi.

Pecunia noua impreſſa ad lætitiæ ſignificationẽ.

Frãciſci Galli Regis oratio.

Sumptus bellici magnitudo regis Galli.

Cõciliũ nationis indictũ in Gallia

Sueui Regis mors.

Hẽricus Sueuorum rex.

Coſmus Florẽtię Dux Romã accedit.

Põpa in ingreſſu.

facta eſt ingens ſalutatio diſploſis multis tormentis. Profectus ad pontificem perhumaniter accipitur, pedemque exoſculato in palatio datur hoſpitium, quo etiam die vxor excepta eſt cum eadem pompa. Per idem ferè tempus Andreas Auria vir Genuenſis, princeps Melphitanus diem

Andreæ Auriç mors & laudes.

ſuum obiit, omnibus maritimis dignitatibus & præfecturis perfunctus, vir nobilitate, opibus, autoritate, gloria bellicæ laudis clarus: & præcipuè cognitione rerum maritimarum; qui primum a Cæſare patre, deinde a Philippo Hiſpaniarum Rege filio præfectus fuerat cum ſummo imperio claſſi in mari mediterraneo. Hunc clariſſimum, & glorioſum multa quidem præclara facinora fecerunt, ſed in primis patria per eius virtutem in libertatem vendicata, & compoſitæ, vel potius euulſæ radicitus diſcordiæ, propter quas vrbs illa coacta fuerat modo his, modo illis principibus ſe credere deſiderio quietis, quam etiam nonnullis legibus ad perpetuam felicitatem informauit. Fuit animi fortitudine inſignis. ad omnia pericula promptus. acri ingenio. laborum, vigiliarum, inediæ patientiſſimus. erga milites perhumanus, & munificus. nauigationum & claſſium regendarum in primis peritus, & quem auſim dicere omnium imperatorum, qui præfuerunt rebus naualibus per vlla tempora præſtantiſſimum. vixit annos nonaginta, & tres. Ioannē Andreā nepotem hæredem triremium reliquit, quem in extremo vitæ limine paterna charitate hortatus eſt ne cuiuſquam ſtipendia principis prçferret Philippo Hiſpaniarum Regi, ſed in primis patriam pro viribus defenderet, libertatemque ſumma ope tueri niterentur. Nam & nepos præclaris eius virtutibus inſtitutus iam tum magnam ſui expectationem in animis mortalium excitauerat. Andreç mortuo Genuenſes viri boni, & in ſuos ciues virtute prçſtantes benigni, tanquam Patri patriæ magnificas exequias è publico inſtituerunt, memores eorum beneficiorum, quæ ab illo ſene acceperant.

Exequiæ ex publico.

Pontifex autem ipſe præſentem pacis opportunitatem non prætermittendam ratus cum res ad religionem pertinentes in tanta perturbatione verſarentur, concilium vniuerſorum chriſtianorum Tridentum incidit cum multa principum, multorumque populorum lætitia.

Conciliū indictum Tridētum, & diligentia Pōt.

Curat igitur vt perſeueret id decretum, quod multos annos propter importunitatem bellorum fuerat interruptum, idque ad octauum diem Paſchatis indicit poſt reſurrectionem. Summam atque adeo inuſitatam diligentiam adhibet vt Germani quoque accederent ad eam ſynodum, & Daniç, Scotiæ, Britannicæque populorum doctiores, atque cæteri complures, qui catholicis Romanis dogmatibus parere reluctabantur, & aduerſabantur. miſit & quinque purpuratos patres, qui pontificio nomine ſacræ ſynodo intereſſent; Seripandum, Sermonetam, Mantuanum, Amaſium, Vuarmienſem.

Card. ad concilium miſsi. Prodigia vētorumq; vis.

ea dum inſtituuntur ad ſynodum, inſignes & horrendi turbines in agro Genuenſi coorti ſunt, & tanta vis ventorum ac tempeſtatum, vt multa ædificia euerterit. arbores euulſerit. tecta domorum cum horrendo, & formidabili ſpectaculo in aera ſuſtulerit, cum tanto, tamque tremendo fragore, vt omnia ſubiecta proſternerentur, quo tempore multi homines, multaque animalia perierunt. Sed enim illa tempeſtas non contenta fuit finibus Ligurum, verum etiam per Hetruriam, & Latium latè debacchata eſt, atque Oriuetum vſque peruenit, vbi præter arbores ac domos vi ventorum euerſas, turres etiam crebritate fulminum ſunt proſtratæ, multaque ędificia ſolo æquata.

Supplicationes pro concilio.

At Romæ decretæ ſunt ſupplicationes pro indicto concilio, quibus pontifex ipſe interfuit, atque à templo diui Petri, quod eſt auguſtius, ad templum quondam Mineruç conſecratum acceſſit cum Florentino, & Vrbinate Ducibus. Iuſſi ſunt omnes ſacerdotes ac populares orare pro communi omnium Chriſtianorum ſalute, & pro iis, qui a vero cultu diuino aberrarunt, vt ad piam, ſanctam, catholicam, incontaminatam religionem, fidemque perducantur, quæ preces vt ſanctius fierent, indicta ſunt ieiunia, & expiationes omnium peccatorū. Cæterum Philippus, vbi rediit in Hiſpaniam è Belgio acerbè inſurgentes hæreſes animaduertit, comprehenſique ſunt paſſim, & in uincula coniecti hæretici, maximeque qui opiniones nouæ religionis imbiberant, aut etiam defenderant, nam in Tudetanis apud Hiſpalim celebre emporium extructo rogo in foro circumſpectantibus multis omnium ordinum millibus viui combuſti, concrematique ſunt. Nulli vel ſexui vel ætati vel dignitati parcitur, qui eam opinionem retineret. At qui a concepta hæreſi deſciſſerent, illis quidem vita non eripiebatur. Nec multis diebus poſt ad Pintiam vallem ſimile ſpectaculum Hiſpalenſi editum eſt, cui & primates, & Rex ipſe interfuit, cum multi viri illuſtres, & equeſtri dignitate inſigniti concremati ſint, quod ipſum ſpectaculum editum eſt & in Gallia. Virginiç interea Varadinæ controuerſia non intermittebatur aduerſus Placentinum ducem, cum ad illam principatus Camerinenſis iure hæreditario pertineret; pro qua afferebatur conceſſio eius principatus & Nepetæ facta à Iulio Tertio, & permutatio poſtea facta cū eccleſia pro principatu Parmæ & Placentiæ. ex illa permutatione contendebatur quod eccleſia paſſa ſit maius damnum, quam ſit iactura quingentorū milliū nummum, vt quæ per fraudem facta ſit. repetebatur vt ea damna reſarcirentur.

Parmæ ducis defenſiones pro Camerino.

Dux contra huiuſmodi criminationes affert confirmationem Iulii Tertij & Pauli Quarti pontificum, & manifeſtam vtilitatem, curatque vt controuerſia ad præſtantiſſimum vocatum Rotæ magiſtratū deferatur, qui ſupremus eſt Romæ, vt diximus, & ex præſtantiſſimis ac integerrimis orbis terrç iuriſconſ. collectus. Habebantur interea Lugduni varia principum eius vrbis de variis inſidiis conuenticula, & de occupando Lugduno in primis, niſi Antonii Albonis præfecti vrbis ſumma vigilantia, & induſtria ſæpe reſtitiſſet. nam quidam è primariis ciuibus Lugdunenſibus in domum Petri Terraſſonis clam conuenire ſolebant, a quibus decretum fuerat vt omnes, quando res Lugdunenſis difficilis appareret ob vigilantiam, cum nimis valida eſſent præſidia, ſeſe paulatim Nanſium reciperent, quæ vrbs eſt nobilis & populoſa Armoricæ ſiue Nametum populorum in Aquitania. ibi decernitur in frequentibus comitiis, vt copiæ mitterentur in eam partem, in qua Rex extitiſſet ad illum inuadendum.

dum. nam Rege de medio ſublato, parum reliquum fore videbatur controuerſiæ. obtigit autem cõiuratis Lugdunẽſibus vt primos oporteret milites quoſdã & arma mittere varij generis Aureliã ad ſtatutum tempus, quę miſſa per ſimulationẽ mercimonii vna cum aliis mercibus, ſed miſſi ſunt pauciores milites quam oportebat. Idcirco patefacta coniuratio fecit vt alii è coniuratis Geneuam, alii in Germaniam profugerint. renouatum eſt tamen paulopoſt a quodam educe negotium, cum dicerentur copię ad occupandum Lugdunum Geneuæ & alibi comparari, quia minor erat Lugduni numerus coniuratorum, quam vt poſſent vrbem occupare. Decreta eſt expeditio occupandi Lngduni Geneuæ à Ioanne Caluino, Theodoro Beza, Epiphanio concionatore, & aliis quibuſdam

Cõiuratio in Lugdunum.

Sic copiæ vndique iter clam arripiunt, multi proceres clam Lugdunum ingrediuntur, cum ad ſexaginta domus & amplius in harum copiarum aduentum clam fuiſſent inſtructæ, quę ſingulæ certũ numerum erant militum in hoſpitium excepturæ, cum ducenti pedites paulatim eſſent ingreſſi cũ ſolis enſibus, & pugionibus. Erãt his ad portas decreta indicia vt ad hoſpitia a cuſtodibus adducerẽtur. Alii tamen in diuerſoria concedebant ſine vlla ſuſpicione. Erat magnus coniuratorum ciuiũ numerus, qui arma habebãt prompta ad hoc negotium, cum dux quidam eſſet quingentorum ciuium armatorum, ac trecenti pedites ſoluti Geneua accederent. accedebat & equitatus è variis locis, ac tantus peditum numerus vndiq; paulatim confluebat, vt agreſtes trepidatione repleri ad arma conclamarint, nuntiarintq; in vrbem. Sed quidam è coniuratis iam porta vrbis & clauibus ac turre potiti fuerant, cum aliæ portę & vrbs breui eſſet occupanda. Sed vrbis pręfectus cognita ingreſſorum externorum multitudine, ac intra fines Lugdunenſes in agro exiſtentium, conuocatis vrbanis magiſtratibus decernit vt cuſtodiæ portarum adaugerentur, haberenturque excubiæ, & partes vrbis debiles recognoſcerentur, fieretque edictum per præconem vt omnes externi ſub pęna capitis exirent ex vrbe. quæſita ſunt arma, quæ viſa fuerant paulo ante in quandam domum comportari. exierunt breui armati armis lucentibus milites è vicinis quibuſdam locis, qui repulerunt arma quęrentes, & pręſidiarios illorum ſclopettarios. Vgonotti potiti ſunt foro per illam noctem, cũ catholici arma tantum pararent. Sed Vgonotti vel timidi, vel parum intelligentes vti opportunitate cognitis vrbanis apparatibus, qua nocte vrbe potiri poterant, ſponte concepto metu diffugiũt, partim per fluuium, partim per portas fauentibus amicis, atque Aureliam contendunt. poſtridie capta ſunt arma & impedimenta in domibus relicta, quicunque inuenti in carcerem detruſi. fuerunt circiter duo millia hominum, qui participes fuerunt eius coniurationis. Sed quoniam horũ ſeditionum autor cenſebatur Vandomius princeps, & Condęus frater, capti ſunt vtrique vt in comitiis iudicarentur, an participes fuiſſent illarum ſeditionum. Sed mortuo paulopoſt Rege cauſa delata eſt ad regia comitia, iique viri boni, ab accuſationibusque alieni ſunt iudicati, & è carcere ſoluti.

Vgonottorũ error.

Condæus captus & abſolutus.

Eodem ferè tempore quo hęc agebantur, quæ pertinebant ad Camerinenſem principatum, non minor nata eſt in Hiſpania controuerſia: nam venerunt Romam Vandomiæ legationes Regis Cantabrorum nomine ad obedientiam nouo pontifici promittendam. inſurgit aduerſus has Hiſpanas orator. Non audiendas has eſſe inquit tanquam Regis amiſſo a ſuis maioribus regno, quod poſſidebat Philippus rex Hiſpaniarum. Non eſſe faciendum tantum Philippo Regi, tamq; moleſtũ præiudicium, cum & captioſè ac ſubdolè miſſæ ſint legationes, vt ita permultas artes amiſſum regnum recuperaret. poſt multas altercationes & controuerſias denique legationes extorquẽt audiẽtiam in aula regalium legationum, quod fuit ſine præiudicio Philippi Regis, pro antiqua Cantabrorum regum conſuetudine. Deinde cum petitum eſſet in frequenti purpuratorum parum ſenatu vt regnum auitis regibus, & legitimis ſucceſſoribus reſtitueretur, quod querebantur fuiſſe per iniuriam auare ab Hiſpano, Galloque regibus iamdiu vſurpatum, conabantur legationes animũ pontificis flectere atque impellere ad ferendum auxilium, vt communem parentem ac iudicem chriſtianorum regum, ad quem vnum ſpectarent munia iuſtitiæ ac iura in omnes Reges. Sed his reſponſũ fuit haſce controuerſias in aliud tempus opportunius differendas, atque legationes multas potius pollicitationes, quam vllam certam rem conſecutæ ad Vandomiũ redeunt.

Vandomię legationes vt Regis Cantabrorum.

Hiſpana legatio aduerſatur.

Coſmus Hetruriæ Dux cum Romę moraretur nitebatur componere animos Parmenſis ducis & purpuratorum Farneſiorum ac Cæſaris Gonzagę propter cędem Petri Aloyſij Ferrandi opera cęſi, qui magnopere inter ſe diſſidebant; quę vetus inimicitia chriſtiano conſilio, & quia præſentes illi negotio non fuiſſent implicati per eum ſingularis prudentię ſummæque autoritatis principem extincta eſt, vt fama increbruit ac rumor diditus eſt, ac ſempiternę obliuioni mandata. Dux poſtmodo militiam equitum ſancti Stephani conſulto pontifice inſtituit, quorum ipſe fit princeps. multos inſignes viros purpurea cruce inſigniuit, atque in eum ordinem admiſit. His domicilium & certa ſedes inſtituta eſt Piſis, ad imitationem Toſonii ordinis, aut ſancti Michaelis, aut Grattieræ, additi ſunt prouentus quidam eccleſiaſtici à Pontifice, qui ordines cum multis indigeant ad magnificentiam, quæ certè nulla eſſe poteſt ſine ſumptibus, dicata ſunt illi ordini bona, quæ fiſco addicerentur ad honeſtatem dignitatis ſuſtinendam. multas etiam antiquas ſtatuas dono accepit a pontifice, & columnam marmoream inſignis pulchritudinis è thermis Antoninianis. at ciues Romani id ægerrimè tulerunt, quibus graue videbatur antiqua maiorum monumenta concedentibus pontificibus auferri ad exteras nationes, ad imitationem fœdæ captiuitatis.

Coſmus Dux Flor. componit rẽ Farneſium cũ Gonzagis.

Equites ſancti Stephani inſtituti.

Interea Franciſcus Secundus Gallorum Rex Henrici filius, & Catherinę Medicee reginæ, maritusque Mariæ Scotiæ reginæ concepto apoſtemate in capite, diem ſuum obiit; cuius mors permultis fuit iucunda, cum & tantarum rerum moli ſuſtinendę videretur ineptus, & his præſertim turbulentiſſimis temporibus, & paruam ſui omnino prębuiſſet expectationem. nam quibuſdam propriis amicis tam ſe gubernandum conceſſerat, tamque illorum iudicio & voluntati addixerat, vt inde multæ naſceren

Frãciſci regis Galli mors.

tur æmulationes,diſcordiæ,controuerſie,ac perturbatio rerum omnium, non modo inter aulicos, ſed etiam in uniuerſo regno, quibus etiam maiores & acerbiores in dies conſurgerent & imminerent.

Salubre monitũ principibus ſeruãdo.

Nam vt in re medica contingit periculoſum eſſe nimis calefacere, refrigerare, implere, aut euacuare corpus; cum ſolita contra vel deteriora facilius ferãtur,quàm inſolita mala leuiora;ita gratia principis ſi nimia cuiquam aut repente concedatur, nõ æquis animis à cęteris ſubditis excipitur,ſed magno plerunque cum periculo & principis & gratioſorum & ſubditorum. Huic ſucceſſit Carolus Maximilianus Dux Aurelianus, qui Carolus Nonus fuit,tenera adhuc & impubere ætate, quippe qui nondum vndecimum annum expleuiſſet,pręclara indole,& non vulgari ingenio.

Carolus nonus rex Gallorum.

Huic cum opus eſſet pro Gallorum legibus ad ętatem vſque quatuordecim annorum eſſe ſub tutela, mater pro inſtitutis atque conſuetudine regum pręteritorum,iure gubernatrix erat inſtituẽda;ſed proceres qui ſunt è regia ſtirpe varijs rationibus freti per id tempus vniuerſam adminiſtrationem ad ſe ſpectare arbitrabantur & contendebant. At quoniam varia inſtituta ſunt variorum regum diuerſis temporibus facta, vt omnis contentionum, diſcordiarumque facultas tolleretur in illis præſertim turbulentis temporibus,datus eſt rex concilio octo præſtãtiſſimorum procerum gubernandus;

Tutela Regi data.

Cantabrorum Regi videlicet, Card. Lotaringiæ,ac Tinurtienſi Coneſtablio, Ghiſio duci, Mareſciallo Sancti Andreæ, Briſacio, ſupremo cancellario; quorum princeps eſſet regina ſine aliquo titulo gubernatricis. Additi ſunt paulo poſt Card. Borbonius, dux Mompenſierius, & regulus arcis Surrioniæ,qui omnes erant è Borbonia familia & regia ſtirpe. His etiam paulopoſt adduntur Condæus,& Auguſtono metenſis reguli. additum eſt denique ut ad quindecim concilium accederet,adderẽturque huic regio cetui Memorantius ac Thermeus duo reliqui Mareſcialli. nã Condęus cum multos menſes fuiſſet in carcere reus hereſeos, nuper ab ea accuſatione fuerat abſolutus. ab hoc ipſo concilio res vniuerſæ Gallicæ domi,foriſque gubernabantur pro regia autoritate.

Res Gallicę à Tutoribus gubernatæ.

Interea corpus Franciſci Regis ſepultum fuerat in templo Sanctę crucis Aurelię de more Gallorum regum,qui fuit in tẽplum Diui Dionyſij,ſed non cum uſitata pompa comportatus. Dux Moſchouitarum ocii impatiẽs, qui metu ingentium copiarum ſuperius ſe intra ſuos fines receperat è Liuonia, nunc denuo arma infeſtat importat illis partibus Liuonię,quæ cum regnis Septẽtrionalibus terminant,Normanis ſcilicet ſiue Noruetię & Gottię populis,vbi Olſtanius Danię Regis frater portum, vt diximus,occupauerat eo conſilio vt maritima quæque finitima ſubiugaret. Illis tantis motibus armorum conterritæ reliquę vrbes ac partes Liuonię neutrius armis perdomitæ deſperatione defenſionis captæ ſe Regi Sidoniæ dedunt,vt ab his hoſtibus protegerẽtur.

Liuoniã inuaſurę copiæ parantur.

rex cum iſtud facere conaretur, & iam ſatis ingentes copias collegiſſet, à Moſchouitarum Duce retardatur, qui legationes cum magna pompa miſit,cum hyemis frigus iam aduentantis nihil memorabile fieri pateretur, cum honorificẽtiſſimis muneribus,ſororemque in matrimonium poſtulauit,ac maximè diuturnam pacem ita obtulit.

Moſchouita pacem regis Polonię petit.

Hiſce legationibus reſponſum eſt, ita ſi dux hæreſes reliquiſſet, catholicaque dogmata amplexus eſſet,atque omnia per uim occupata Liuoniæ populis reſtituiſset,iſtud facile futurum. Exules,per quorum incommoda pax illa fieri uidebatur,ad regem Sidoniæ conuolant, nituntur que eius animum ab illa pacis conſideratione pro uiribus diuertere. Docẽt ducem illum principem eſse ferocis ingenii,qui nihil eorum ſeruaturus eſset,quæ promitteret. Futurum eſse vt oblatas per pacem prędandi opportunitates repente arriperet. Securiorem eſse vel certam vel ſuſpectam mali & perfidi hominis inimicitiam,quàm ſimulationem pacis,quę ſolum inter viros bonos ſeruatur incotaminata

Malos pręſtat inimicos quã amicos habere.

Iſtud potuiſse inquiunt è multis inſidiis præteriti temporis intelligi. In hanc etiam ſententiam impellebatur ea ratione,quod nihil eorum per legationes conſecutus erat, vt apparebat, quæ requiſiuerat. His rationibus impulſus eſt Polonorum rex vt ab omni ſpe amicitiæ ducem repulerit, ac bellum indixerit quoties reliquas Liuoniæ partes inuaſiſset. Sic datis non minus honorificis muneribus legationes dimittit. Quę dum aguntur in Polonia in Myſia ſuperiore, Vaiuoda quidam opibus Sidoniæ regis ſuſtentatus, & Laſcus dux quidam non ignobilis gubernatorem eius prouinciæ de medio tollere per inſidias conandur. colligunt igitur circiter octo millia peditum,& quatuor equitum,cum etiam Laſcus duo millia adduxiſset, quibus copiis putabant futurum vt communi conſilio illum repente tanquam dormientem inuaderent. hoc ipſo conſilio Vaiuoda,quia antiquas inimicitias cum gubernatore exerceret,à Turcicis ad Ferdinandis ſtipendia conuenerat. at Myſiæ ſuperioris gubernator vir callidus & prudens horum fraudes obſeruans, cum eſset in ameno apertoq; loco colligit circiter quadraginta hominum millia. Certior factus ubi hoſtes caſtra haberent, qui putabant per noctem fore vt ſumma celeritate facinus aggrederentur, in ipſo propè articulo temporis,quo erãt iter capturi,priuſquam in aciem inſtruerentur,illos inuadit, quod fit tanta vi armatorum vt intra breuiſſimum ſpatium cęſæ profligatæque ſint eorum vires.

Pugna atrox in Myſia.

Sic malo & importuno cõſilio ſuſcepta negotia in caput autorum plerumque conuertuntur;cum nulli propè errores eorum qui ſunt cum imperio, ſint leues. Vaiuoda & Laſcus propter inconſideratum facinus in indignationem Cęſaris incucurrerunt,qui fuga ſalutem ſibi comparantes victoriam & prædam multam hoſtilibus copiis reliquerunt. Laſco certe occupata ſunt à Gubernatore multa caſtella finitima Caſſouio, quæ poſſidebat, quoniam maiores ſunt errores qui à potentioribus fiũt,qui maiorem faciunt iacturam. vt enim corpora hominum craſſiora breuiore vita plerunque fruuntur, quam gracilia;ſic maius periculũ opulẽtis propoſitũ eſt,quã tenuibus hominibus;atq;qui ſtat fortunę beneficio,debet procurare ne cadat ex alto loco. Horũ igitur vterq; profugit in Myſiã inferiorẽ ne venirent in poteſtatem Cæſaris,aut regis Poloniæ,aut gubernatoris. Quę dũ tractantur in Myſia ſuperiore,iamiam magnorum bellorum germina videbantur pluribus in partibus Germanię pullulare,quòd Ludouicus Eſtinchius comes,& Sebaſtianus Schertellus, qui fuit caſtrorum magiſter in

Schertelli & Ludouici Eſtinchii cõtrouerſia.

bello

bello Germanico,in magnam controuerſiam inciderăt propter iura,quę ſe potiora habere in quędam caſtella vterq; arbitrabatur. erat enim ad arma vſq; peruentum.& quoniam per horum principum diſſidia periculoſum videbatur ob multas affinitates & amicitias ne ingens bellum excitaretur Boiorum & Neumburgenſis duces Tonauertam contendunt. res componere nituntur.qui copias ingentes colligebant;atque poſt multas difficultates intercedente Ceſare etiam, res eo perducitur,vt controuerſię omnes per quoſdam principes iudices deciderentur. ea dum per hos principes componuntur conſimilis prope controuerſia excitata eſt inter ducem Caritnorum & Marchionem Badę de finibus agri & quibuſdam pagis. Nam dux cum fines marchionis ſibi vſurpauiſſet, marchio cum magna manu militum repente capit oppidum & abbatiam intra ditionem eius ducis. abbatem captum & præfectum oppidi vinctos abducit.iurat ſe non eſſe illos dimiſſurum, niſi quæ per vim fuiſſent ablata, vltro reſtituantur.at Dux ira inflammatus aduerſus eas incurſiones edicit vt quicunque è ſuis armis tractandis eſſent idonei arma caperēt;reliqui partem ſumptuum pro viribus ſuppeditarent. Sic hic ſumma diligentia ad bellum vltionesq; acceptarum iniuriarum, ille ad defenſionem rerum ſuarum ſe accingebat. Sed & hęc controuerſia ibidem ac per eoſdem iudices fuit compoſita. Iſabella interea Pannoniæ inferioris regina Ioannis eius prouincię Regis mater fatis conceſſit, quæ habita fuit inter ſexum muliebrem ſapientiſſima & variarum fortunæ mutationum patientiſſima,cum ſumma omnium vel barbararum nationum laude & admiratione. Sub finem præſentis anni octauo cal.Ianuarij circiter ſub meridiem ſudo ſerenoq; cęlo tonitrus Iulobonæ cum fulgure formidabili fuit exauditus. Fulmen excidit in arcem in apparatum bellicum, inde maxima pars arcis & multa priuata ædificia cum ingenti ſtrepitu corruerūt,magnaq; vis ignis in aere diutius viſa eſt.alibi dicitur pluiſſe ſanguine in agro Iuliobonenſi. Foſſani in Gallia ſubalpina Italiæ tres cometæ viſi ſunt. Centalij magnus equitum numerus in aere turmatim concurrentium cum armis conſpectus. Sed non minus admirabilis fuit cæteris & præter naturam Iuliobonę fulminis caſus,cum inauditus ſit per mediam hyemem ſereno cęlo,& in partibus præcipuè ſeptentrioni ſubiectis,cum vrbs illa habeat ad quadraginta & quinque gradus polum ſupra orizōtem elatum. Philippicę res erant afflictę non ſolum per expugnatam claſſem,& cędes,& captiuitatem ſuorum ducum in inſula Menynge, verum etiam per reliquas triremes elapſas ex eo periculo,quam repentina tempeſtas inuaſerat vel in ipſo Herraduræ portu. nam tanta coorta vis eſt ventorum, & turbinum,& aquarum inſurgētium,vt viginti & due triremes profligatę demerſęq; ſint cum duobus millibus peditum præfecto Ioanne Mendocio. idcirco effectum eſt vt quamuis tantę calamitatis magnitudinem ęgrè ferret,nihilq; magis cogitaret,quàm acceptam ęrumnam per aliquod memorabile facinus. reſarcire tamen per recentem etiam iacturam coactus eſt vltionem in aliud opportunius tempus differre.

Caritnorum ducis & marchionis Badæ cōtrouerſia de finibus

Iſabellę reginæ Pānoniæ mors.

Prodigia.

*LIBRI TERTIIDECIMI FINIS.*

NATALIS

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS,

## *LIBER QVARTVS DECIMVS.*

1561 OMnia verò Europæ atque Aſiæ imperia fore pacata & quieta hoc anno
videbantur, qui fuit primus poſt mille quingentos & ſexaginta à partu Vir
ginis, cum Numidię, Scotiæ, Brianniæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Liuoniæ,
Germaniæ res aut compoſitæ eſſent, aut conquieſcerent metu maiorum
periculorum, ſed Italia in primis per pacem inter duos Chriſtianorum Re
ges; cum omnia non modo nullo pacto ad bellum, ſed ad ſtabiliendam
confirmandamque diuturnam populorum tranquillitatem proſpectare
viderentur. nam partim factæ fuerant, partim fiebant variæ regionum,
vrbium, caſtellorum reſtitutiones in Hetruria, Cyrno inſula, Callia ſu-
balpina pro pacis conditionibus. Idcirco Philibertus dux Allobrogum cũ
Margherita Franciſci primi regis Gallorum filia in ſuum principatum reſtituitur cum incredibili
totius ciſalpinæ Gallię & tranſalpinæ lætitia. nam præter Sauilianum Pinariolumque oppida,
Vercellis arx extructa. vniuerſum vetus ducum Sabaudienſium imperium illi reſtitutum fuerat. omnes vrbes, omnes
populi, omnes prouinciæ, & Italia in primis plurimum hiſce rebus lætebatur, quòd ita res demũ
verè tranquillias fore cenſebant, cum illa viderent hinc inde reſtitui & concedi ſine controuerſia,
pro quibus tantis ſumptibus, tantis cladibus; tot, tantis, tamque multiplicibus difficultatibus tã
diu fuiſſet dimicatum. Sic ciuitates omnes à tot bellicis laboribus, quot diutiſſimè pertulerant re-
ſpirare ſibi denique viſæ ſunt. Sabaudieſibus ducibus ex urbe Lutetia Pariſiorum profectis ad Ni-
cęam Prouinciæ accedentibus, atque inde Vercellas omnes quæ ſunt in itinere ciuitates inuſitatæ
lætitiæ ſignificationẽ oſtendunt. Hos cum ingenti pompa, magnificentiaque excipiunt obuiam ho-
noris gratia ciues & magiſtratus effuſi, & magna ciuium omnis generis multitudo. omni amo-
ris, obſeruantiæ, humanitatis genere, tamquam Rerga eges vtuntur. Philibertus vbi Vercellis non-
nullos dies fuiſſet, pro ſuo ſingulari in genio, vt princeps rei militaris peritiſſimus locum ad arcẽ
Caroli noni indoles & ingenium. excitandam ſatis amplum deſignat. fundamenta iacit. propugnaculum illud excitat aduerſus irrũ
pentes ex Inſubribus. Pontifex per hanc tranquillitatem omnium ferè Chriſtianorum opportunã
euellendis tot hæreſium radicibus nactus occaſionem, quę vbique paulatim ſerpebant, & in peſti
ferũ multorũ populariũ malorũ ſegetẽ propè floreſcebãt, nihil habet antiquius, quam vt prauæ opi
niones euellerentur & à vera, ſancta, incontaminata religione diſſentientes homines, ad verum ca
tholicumque Dei cultum ſalubriter iis euulſis perducerentur. conuocat omnes antiſtites, qui do-
ctrina cęteris præſtarent, ad Synodum à ſuperioribus pontificibus incæptam, quo maturè rebus ec
cleſiaſticis, vel, vt verius dicam, multorum ſaluti conſuleretur; qui aduerſus pia, rectaque inſtituta
maiorum inſurgebant. Nam Franciſci & Henrici patris Galliarum regum interitus non nihil cõ-
modorum dediſſe videbatur peſtiferis illis iam erumpẽtibus ſeminibus, cum ita fors tulerit vt clari-
ſimi illi reges pręſtantiſſimis ingeniis vſi conſultoribus prius deceſſerint, quàm illa conuellere po-
tuerint, & tantum malorum cumulum, quantus conſurgere uidebatur, labefactare. Succeſſit his,
vt dictum eſt, Carolus Nonus omnibus præſtantiſſimis naturę dotibus ornatus, atque ad auitam,
ueramque religionem egregie informatus, qui incendia per multos annos aucta, altiusque ingreſſa
omnino reſtinguere non potuit, quamuis ſummas difficultates pro catholica fide, & pro uera reli-
gione conſtantiſſime ſuſtinuerit. Enimvero peſtis illa adulterinæ, nouæque religionis non ſolum
Germaniam, Aquitaniam, Belgas, Britanniam, Scotiam, Liuoniam, Galliamque peruagata eſt, ſed

etiam

etiam in Hiſpaniam penetrauit, & in Italiam prorupit citra montem Apenninum atque alpes Cottias, ac primum omnium vallem Engroniam peruaſit, quæ proſpectat fines Salaſſios. Hæc incendiorum initia Italiam vniuerſam videbantur in maximas difficultates coniectura, ſi aliunde auxilia acceſſiſſent, aut vires ſerpendo cepiſſent, Sed Philibertus princeps ſapientiſſimus perſpectis ſecum in animo tantis difficultatibus, quantæ poterant conſurgere, niſi cito his motibus occurreretur, ſumma celeritate copias colligit. Antiſtitem Trinitatis virum ſtrenuum & rerum bellicarum peritum cum ſummo imperio huic expeditioni præficit. Montani illi homines agreſtes in hæreſim collapſi auditis Philiberti Ducis bellicis apparatibus, qui in ipſos fiebant, multi in vnum côuenîût, ſemperque ſuccreſcentibus viribus acceſſione multorum eiuſdem factionis, non modo non terrētur metu futuri belli, verum etiam multa alacritate ſe accingunt ad ſuſtinendos copiarum impetus, & ad propulſandos Allobrogum conatus. Agros finitimos præterea inuadentes omnia infeſtant iucurſionibus, prædantur. diripiunt. homines trucidant. animalia abigunt. ſuccendunt ædificia. quantum poſſunt regionis populantur ac deuaſtant. conueniunt ad illud bellum & itali homines non ſcripti complures, tanquam communi conſenſu ad commune totius Italiæ incendium reſtinguendum, cui niſi maturè occurſum eſſet, videbatur tota Italia breui conflagatura. Nam profecto nihil eſt tam vtile, tamquā ſalubre ciuitatibus, quam, vbi maximorum malorum ſemina erūpunt, illa repente opprimere, ſedareque initia ſeditionum, quæ ubi diutius conualuerint non eruūtur ſine magno vrbis exitio vel periculo. Vt enim humanorum corporū, ita ciuitatum morbis ſtatim initio ægritudinis opportunè adhibenda ſunt remedia; quæ, ſi purgentur vt conuenit, confert, & facile fertur ſinè cæterorum membrorum detrimento. neque ſolum initia malorum conuellenda ſunt: quia, parua quæ ſunt, magna fiunt creſcendo, ſed etiam quia tanquam tenellæ radices & nondum validæ tutius euelluntur. nam quæ inueterarint morborum radices, non conuelluntur poſtmodo ſine magno totius corporis periculo. Inter hos bellicos apparatus auctus eſt filio lo Philibertus, qui infans Carolus Philibertus vocatus eſt cum magna Margheritæ lætitia. inter hos igitur rerum tantarum motus in Italia, atque apparatus neceſſarios illis reprimendis, iam nō in vulgus tantum manauit viuendi licentia ab autoribus nouæ religionis conceſſa, ſed etiam peruaſit in Galliam Tranſalpinam per multos proceres aulicos, tantaque ſuccreuit paulatim hæreticorū vbique multitudo, vt regnum illud in maximum periculum iniecerit. atqui vereor ne diuina vltio permiſerit tātum malorum in illo regno excitari, quia Henricus accita in auxilium claſſe Turcarum effecerit, vt multa Chriſtianorum millia abducta ſint in miſerimam ſeruitutem, atque Italiæ pars nonnulla fuerit deuaſtata. nam diuina caſtigatio aliquando in filios & nepotes etiam redundat. cū enim nulla lex diuina iubeat arma capeſſere aduerſus impias & barbaras gētes religionis cauſa, quāto minus conuenit Chriſtiano principi barbaras, immanes, & crudeliſſimas nationes ad Chriſtianorum cladem vel datis ſtipendijs incitare? præclarè agunt Turcæ in priuatis controuerſiis ac differentiis, nam cum legem habeant, quæ improbè iubeat in populos diuerſarum religionum ſæuire, abſtinere autem prorſus à mutuis cædibus. inuitant aduerſarios Chriſtianum aliquem ſtrenuum ad ſingulare certamen prouocare; quod ſi abnuerint, neque audeant, ipſi vltro inuitant, ita ſe fortiores eſſe per aduerſariorū ignominiam profitētur, quos arguunt ignauiæ. Nemo diu felix arma Turcica in Chriſtianos côuertit, cum ſit potius diuinum auxilium implorandum. nam & antiqui Pannoniæ Reges ex Imperio deiecti ſunt à Turcis, quod ad Turcica potius auxilia, quam ad diuina confugerint, & Epirus, Dardania, Myſia ſuperior, Illyris, Macedonia eadem de cauſa paret imperio Turcarum. Carolus Gallorum rex curauit per hoc tempus edictum Regium promulgandum per præconem, per quod hortabatur Gallos omnes ad cultum ſanctæ & catholicæ incontaminatæ religionis, atque complexos iam hæreſim obſtinatè ac pertinaciter metu grauiſſimorum ſupliciorum ab impietate deterrebat, ac reuocabat. Sed iam inierat annus alter qui fuit ſecundus ſalutis noſtræ 1562. poſt mille quingentos & ſexaginta, cum indictum toties, tantiſque pontificum decretis & ſtudiis inſtitum concilium, apertum eſt Tridenti, ad quod legationes omnium principum Chriſtianorum, & patres ex vniuerſis Chriſtianis prouinciis doctrina & eruditione præſtantes deſtinabantur. Pontifex delegit purpuratos patres inter eum ordinem vitæ integitate & eloquentia, doctrinaq; claros Herculem Gonzagam Mantuanum, Hieronymum Seripandum Neapolitanum. Ioannem Moronum Mediolanenſem. Stanislaum Hoſium Polonum. Ludouicum Simonetam Mediol. Marcum Siticum Amaſienſem Germanum, Bernardum Naugerium Venetum. Cæſar delegit ad illam legationem viros & ipſe inſigni doctrina, bonitate; cognitione multarum rerum præſtantes, Sigiſmundum Tuunium Tridentinum, Ludouicum Lanſacium, Antonium Muglitium Morauū archiepiſcopum Caſurgienſem. Galliarum Rex & ipſe ſuos oratores miſit, inter quos fuit Renaldus Ferrerius vir ſingulari cognitione rerum & linguarum excellentium, ſed in primis rerum ſacrarum & legum ciuilium peritiſsimus, vt ex eius conſuetudine cognoui; & eximia bonitate, nullaque re cognitione rerum inferiore. cum hoc profectus eſt Guido Faber iudex primarius Toloſæ. acceſſit eo & Georgius Praſcouitius Illyricus orator Cæſareus pro regno Pannoniæ. Valentinus Herbutus Polonus pro regno Poloniæ. Philippus Hiſpaniarum rex virum inſignem ad eam legationē delegit Claudium Fernandeſium Quignonium Comitem Lunenſem. Veneti Nicolaum Pōtium & Mattheum Dandulum viros magnæ prudentiæ, multarumque rerum cognitione claros mittūt. Erat Pontius inſignis cuiuſdam virtutis & ſcientiæ, cum in omni genere doctrinæ maximè excelleret: nam philoſophiam publicè Venetiis ſumma cum laude, & omnium admiratione profeſſus fuerat, cū non minus preſtaret eloquentia, in qua nulli Veneto erat ſecundus. miſſus eſt Hieronymus Gaddius pro Duce Florētiæ, & Ioannes Strozza Florētinus vir opibus, eloquētia, bonitate clarus, &

Marcus

Hæreſes vallis Engroniæ oppreſſę.

Carolus Philibertus natus Duci Sabaudiæ.

Turcarū duella.

Legationes principum accedunt ad Concilium.

Nicolai Pōtij laus.

Marcus Antonius Robba Caſalenſis pro Duce Allobrogum . Eò vbi conueniſſent omnium cæterorum Rẹgum, principum, Chriſtianorum legationes, & epiſcopi, ac præſtantiores doctrina viri vndique antiſtites complures, Cæſar & ad pontificem & ad ſacram synodum petitiones miſit vt reformarentur mores, atque ſacra poſtea decreta in melius conſtituerentur, quæ in hanc ſententiam ſcribebantur.

Cẹſaris petitiones à Sacra synodo.

Cum celſitudo Cæſarea optet vt ad ſanctiorem exitum quoad fieri poterit res œcumenici concilii perducantur, proponit tanquam iuſtas & & legitimas petitiones infraſcripta capita; quæ ſua maieſtas petit à præſente synodo confirmari. 1. Primum vt rogetur ſummus Pōtifex vt ferat perplacidè ſeipſum, curiamque Romanam reformare. 2. Vt Cardinalium numerus ad duodenarium perducatur, aut ſaltem duplicatum, duobus in ſuper additis, ita vt ſint viginti & ſex ad ſummum. 3. Vt prouideatur ne fiant amplius diſpenſationes, quæ ſcandala apportent. 4. Vt immunitates vbique contra leges communes conceſſæ reuocentur, atque monaſteria ſub poteſtate ſint epiſcoporum, quorum fuerint in diæceſibus. 5. Vt eximatur omnino facultas poſſidendorum plurium beneficiorum, atque quoduis collegium ſcholam inſtituat, neq; res eccleſiaſticæ mercenarijs ſacerdotibus indoctis dentur. 6. Vt Epiſcopi cogantur reſidere in ſuis diœceſibus, niſi ſumma eccleſiæ neceſſitas eos reuocauerit; atque ipſi non per uicarios exerceant ſua munia, qui ſi ſint inepti aut impotentes, non prorſus vni Vicario cura totius diœceſeos committatur, ſed pluribus, & iiſdem theologis, & canonicorum decretorum peritis, vbi ratio ita poſtularit, atque quotannis vniuerſẹ diœceſes viſantur, fiantque synodi in quauis diœceſi. 7. Vt vbiq; gratis cōcedantur miniſteria; quod ſiqua eccleſia paruulos habeat prouentus, neque poſſit ſine lucro iſtud efficere, coniungatur cum beneficiis ſine cura ditioribus. 8. Vt ſenes canonici renouentur contra ſimoniacam prauitatem, videturq; nō fore inutile, ſi coarctaretur multirudo humanorum decretorū ac ſtatutorum exemptis multis ſuperuacaneis, antiſtitesque adẹquarent ſuas conſtitutiones obligationibus diuinẹ legis. 9. Vt diræ imprecationes ne fierent, niſi cauſa peccati lẹthiferi, publicæque irregularitatis. 10. Vt procuretur diuinas preces rite fieri, quæ ita præcipites fiunt aliquando, vt neque ipſi quidem ſe ipſos intelligant, nedum illi qui interſunt. 11. Vt breuiaria & miſſalia purgentur, eximanturque omnia, quẹ à ſacris diuinisque literis non manarunt, atque moleſta pſalmorum & orationum prolixitas aliqua honeſta ratione breuietur. 12. Vt aliquando in aliquo loco cum latinis canticis aliquas orationes & preces miſcere liceat in patrium idioma tranſlatas. 13. Vt ſtatuatur quo pacto monaſticus ordo ad primariam inſtitutionem, vitamque ſe planè recipiat; ne tāta monaſteriorum opulentia ita prodigè diſſipetur. 14. Quod attinet ad decreta, conſiderandum eſt in ſacra synodo an requirat aliquando neceſſitas, vt quædam de iure poſitiuo dimittēda ſint, atque communio ſub vtraque ſpecie poſſit concedi pro deſiderio aliarum nationum. 15. Quod attinet ad eſum carnium & ieiunia, prudenter perpendendum videtur an quid poſſit relaxari primi rigoris, atq, nationibus quibusdam matrimonia clericorum ſint concedenda, per quæ conciliatis animis populorum multæ annotationes in euangelia deleantur, nouæque per peritiores fiant, adquas parochi ſub grauiſſimis pænis admittendas cogantur. 16. Et quoniam maligni parochi prius abdicari, quàm meliores eligi poſſent, quẹdam ſunt neceſſario nominanda. Primum vt interim parochus catholicus præficiatur multis beneficiis. 17. Deinde fiat diligēter periculum an quis earum ſectarum poſſit reduci ad catholicā fidem. 18. Qui verò ſaniore mente apparuerint, in aliquam catholicam academiam propinquiorem mittantur, vt ibi rectè informētur. 19. Vt epiſcopis non habentibus academiā imperetur, vt collegiū inſtituant in propinquiore academia, ad alendos & inſtituendos adoleſcentes ſtudioſos ſacræ theologiæ. 20. Vt catalogus terminatus ſcriptorum edatur, quorum ſcripta legantur in ſcholis, neque quis præter eos legi iure poſſit. 21. Vt plures epiſcopi inſtituantur in amplioribus prouinciis, atque opulentiora cænobia in hunc vſum conuertantur. 22. Quod attinet ad bona eccleſiaſtica in profanos vſus conuerſa atque diſtracta, has iniurias diſſimulare fortaſſe non erit inutile. 23. Denique vt Reuerendiſſimi præſides ſacri concilii ſumma vtantur diligentia vt controuerſiæ, quæ cōtentiones parere poſſent calamitoſas, ne proponantur, vtpote reſidentia ne ſit de iure diuino, necne; & res conſimiles. quod ſi deuitari nullo pacto poſſit, ſaltem illud curent, ne irati conſurgant, ne fiant fabula & ludibrio aduerſariis. Nec multis ſanè diebus interiectis poſt Cæſarianorum oratorum oblatas petitiones, has quoque regii oratores Caroli Noni Gallorum Regis petitiones in medium attulerunt à ſacra patrum synodo ponderandas & confirmandas, quæ ita ſe habebant;

Petitiones Gallorū Regis.

conſtitutū nobis oratoribus erat iampridem ex officii noſtri ratione & Chriſtianiſſimi Regis noſtri mandato ad ſanctiſſimam synodum ea referre, quæ in hoc ſcripto continentur. Sed cum Cẹſarea Maieſtas. per Reuerēdiſſimos, & clariſſimos viros oratores ſuos eadem referre uobis proponenda curaſſet, noſtraque omnis petitio cum eorum poſtulatis mirificè conueniret, ſuſtinuimus aliquantulum expectātes, dum aliquid à nobis de ijs rebus decerneretur. Quid enim multis poſtulatis minime interſe pugnantibus, vix etiam diuerſis, moleſtos eſſe vobis neceſſe fuit? præſertim cum ea, quæ adiicienda fortaſſe videbantur, vel tacite ineſſent, vel neceſſariam ex ſuperioribus conſecutionem haberent. Itaq; reſtitimus atque diſtulimus certo iudicio. Nunc autem & principis noſtri literis impulſi, & quia Cæſareum illud negotium diutius protrahebatur, quàm ſpes fuerat, differēdum amplius minime rati, quanta potuimus ſimplicitate & breuitate verborum, quæ nobis ad conſtituēdam remp. Chriſtianam neceſſaria videntur & opportuna ſcripto complexi ſumus. Hoc autem volumus vos exiſtimare, nihil nobis a cæterorum Chriſtianorum ſalute præceptum eſſe, nihilque ſingulare. Carolū verò regem noſtrum cupere quidem vti petitionum ſuarum omnium ratio habeatur, ſic tamen à Chriſtiana diſciplina edoctum atque inſtitutum eſſe, vt vobis omnia tribuat, rerumque omniū iſtarū notionem, cognitionē & iudicium ad vos omnino pertinere ſciat. 1. Cum ſacerdotes in primis

oporteat,

caſtos eſſe oporteat, & à ſacerdotum incontinent ia in Dei eccleſia magnæ naſcantur offenſiones, prouideat ſancta ſynodus vt alii in poſterum non ordinentur ſacerdotes, quàm qui ſeniores ſint, & à populo bonum habeant teſtimonium; vt ex anteacta vita quales poſtea ſint futuri non leuis ſit coniectura, & ſacerdotū libidines ac flagitia acerrimis canonum pœnis coerceantur. 2. Cauendum eſt ne eodem die aut tempore omnes ſacri ordines conferantur, cum oporteat ſecundum antiquos canones promouere ad maiores ordines, prius in minoribus digne & aliquo tempore verſatum. 3. Nullus præsbyter ordinetur, cui non continuò ſecundum concilium Chalcidon. detur unà cum ordine beneficium aut miniſterium eccleſiæ, ſic enim fiebant ordinationes à priſcis illis patribus, qui titulos præsbyterales multo poſtea tempore inuentos non agnouerunt. 4. Diaconis & aliis ſacris ordinibus reſtituatur debita & antiqua functio, ne amplius nuda, & in ceremoniis tantum poſita nomina dicantur. 5. Præsbyteri, ſacriſque initiati, & cuiuſuis eccleſiæ additi in ea vocatione, in qua à domino vocati ſunt, permaneant, neque in alio munere & officio, quàm quod Dei miniſtrum deceat, verſentur. 6. Nullus eligatur epiſcopus, qui non ætatis ſit legitimę, ſitque moribus & doctrina præditus, vt & populum docere, & ei vitæ exemplar eſſe poſſit; & qui non ſit ſatis omnibus iis inſtructus, quæ ſufficiant ad epiſcopi munus ritè per ſe obeundum. 7. Is quoq; creetur plebanus, qui & probatæ vitæ ſit, & qui populum in lege Dei poſſit inſtruere, ſacrificium rite celebrare, & ſacramenta, vt par eſt, adminiſtrare, & illorum vſum & effectum illos, quibus illa adminiſtrat, rectè docere. 8. Ad abbatiam autem, & prioratum conuentualem, niſi prius in celebri gymnaſio ſacras literas publicè profeſſus fuerit & magiſterium, aut alium gradum, non admittatur. 9. Epiſcopus per ſe, aut per eos, quos ad prædicationis munus aſſumet, qui tot erunt, quot pro diœceſis magnitudine videbit opus eſſe in ciuitate, aut in quacunque parte diœceſis cenſebit expedire omnibus dominicis & diebus feſtis aut tempore quadrageſimæ, ieiuniorumque & aduentus domini, quotidie verbum Dei annunciet, & quotieſcunque id opportunè fieri poſſe iudicauerit. 10. Idem quoque faciat plebanus, ſi non deſint apud quos concionetur. 11. Abbas vero & prior conuentualis interpretabitur libros veteris & noui teſtamenti. Xenodochia inſtituet, & ita antiquis monaſteriis antiquæ ſcholæ & hoſpitalitates reſtituentur. 12. Qui hodie ſunt epiſcopi, plebani, abbates, aut alii eccleſiaſtici, ſi ſuum officium præſtare non poſſint, accipiant coadiutores, per quos illud preſtent, aut omnino beneficia dimittant. 13. De catecheſi & ſumma doctrina eccleſiæ conſcribenda, deque poſtillis etiam agendis ea decernantur, quæ Cæſareę Maieſtati viſum eſt ad hoc ſanctum referre concilium. 14. Vnum beneficium vni tantum conferatur, ſublata quod attinet ad pluralitatem perſonarum, compatibilium & incompatibilium beneficiorum differentia, quæ diſtractio vt eſt vana, & antiquis decretis incognita, ita eccleſię catholicę magnam calamitatem attulit. dentur autem regularia regularibus, & ſæcularia ſecularibus. 15. Qui verò nunc duo, plura ve poſſident, aut illud tantum retineant, quod intra breue tempus elegerint, aut in pœnas antiquorū & veterum canonum incident. 16. Vt ab ordine ſacerdotali ſordes omnes & omnis auaritiæ labes expurgetur, nec vllo prætextu pro rebus diuinis quidquam exigatur, curet epiſcopus iſtud fieri per rationem beneficiorum, aut decimarum aſſignationem. etſi hoc non fieri poteſt commodè, princeps per parrochianarum ſymbola & collectas, vt plebani; & cum eſſe duos, aut plures clericos oportet, vt habeat vnde vitam congruam traducant, & hoſpitalitatem præbeant. 17. In miſſis parrocchialibus euangelium apertè & dilucidè, & pro populi captu copioſe in ſuggeſto exponatur; quo in loco, quæ præeunte plebano a pupulo fient preces, lingua fiant vernacula. peracto autem ſacrificio latinè & myſticis precibus, lingua etiam vernacula publicè ad Deum fiant orationes. eo tempore autem aut aliis ſtatutis horis cantari poterunt pia & ſpiritualia cantica, vel pſalmi Dauitici prius ab epiſcopo diligenter examinati & probati, ſi id è re ſuę eccleſiæ eſſe cenſebit epiſcopus. 18. Antiquum illud Leonis & Gelaſii decretum de communione ſub utraque ſpecie reuocetur. 19. Ac vt omnes pręcipue eccleſiarum imperiti vſum & efficaciam ſacramentorum intelligant, præcedatque ſemper lingua vernacula breuis & dilucida expoſitio, quæ ſacramenti, quod adminiſtratur, rationem contineat. 20. Beneficia ſecundum veteres canones non conferantur amplius per vicarios, ſed per epiſcopos ordinarios, quorum eſt in hoc maxime electa induſtria; & illis intra ſex menſes non conferentibus, aut ſi indignis contulerint, poteſtas conferendi deuoluatur ad proximum ſuperiorem, & gradatim ad pontificem ſecundum concilium Lateranenſe. & aliter collatio a quouis facta ſit nulla. 21. Mandata de prouidendo, expectatiuæ, regreſſus, & fiduciariæ reſignationes, commendę reuocentur, & omnino arceantur ab eccleſia, velut decretis contraria. 22. Reſignationes in fauorem eiiciantur omnino à curia Romana. eſt enim ſactis canonibus conſtitutū ne quiſquam ſui officii quærat aut eligat ſucceſſorem. 23. Prioratus ſeculares aut, vt dicam ſimpliciter, quibus contra inſtitutionem cura animarum obtenta eſt, & tranſlata in vicarium perpetuum, eiq; tamen parua quædam decimarum, aut aliorū prouentuum aſſignatur, cum primū vacauerint, curam animarum recipiant, & in antiquum ſtatum reſtituentur. 24. Cumque plura ſint beneficia, in quibus contra beneficiorum omnium inſtitutionem inualuit deprauata conſuetudo, vt qui ea poſſideant nullo teneantur concionandi, ſacramenta adminiſtrandi, aut alio onere eccleſiaſtico, epiſcopus conſilio capituli iis beneficiis curam aliquam ſpiritualem imponat. aut ſi vtilius videatur, ea beneficia vicinioribus parrochialibus eccleſiis coniungat. beneficium enim ſine officio eſſe neque debet, neque poteſt. 25. Penſiones ſuper beneficiis non conſtituantur, & quæ ſunt conſtitutæ tollantur; quòd redditus eccleſiaſtici ſunt in alimenta paſtorum, aliosque vſus pios transferendi. 26. Conſtituantur epiſcopis intra omnem diœceſim eccleſię iuriſditiones, & tollantur omnes exemptiones, exceptis capitibus ordinum, iisque quę ipſis ſunt monaſterijs; & quę capitula

pitula faciunt generalia, & ijs monaſterijs, quibus multis iam retro ſecutis euidentibus ſcriptorũ monumentis extat datam eſſe exemptionem, quæ tamen ne à correctione omnino ſe eximant aliqua ratione prouideatur. 27. Cum epiſcopus ea iuriſditione vti non debeat ſecundum antiqua decreta, niſi conſulto capitulo, quemadmodum nec alia ſuæ diœceſis grauia negotia tractare, danda eſt diligens opera vt canonici cathedralium eccleſiarum ſint aſſidui in eccleſia cathedrali bonis moribus & ſcientia præditi, quique ſaltem vigeſimum & quintum annum attingant: non autem illam ætatem, cum non poſſint per leges humanas rebus ſuis proſpicere. quomodo epiſcopo conſulere poterunt? 28. Retineantur antiqui, noui autem conſtituantur conſanguinitatis, affinitatis, vel cognitionis ſpiritualis gradus, intra quos non liceat obtenta qualibet diſpenſatione matrimonium contrahere, ex ceptis ſolis regibus aut principibus, & propter publicum bonum. 29. cum noſtris temporibus exorti ſint Iconomachi, qui imagines euertendas eſſe contendant, & maximę perturbationes pluribus in locis ex eo ſint excitatæ; prouideat ſancta ſynodus vt doceantur populi quid de cultu imaginum ſit ſentiendum, curetque vt ſiquæ in his colendis irrepſerunt ſuperſtitiones & errores, tollantur; quod ipſum quoque prouideat indulgentijs, peregrinationibus, reliquijs ſanctorum, & his ſodalitatibus, quas vocant fraternitates. 30. Quoniam ſępe ob vnum enorme delictum affligitur vniuerſus populus, quem de proximis peccatis ſollicitum & anxium eſſe oportet, reſtituantur eccleſię catholicę non ſolum antiqua illa propter graues & publicas offenſas publica pęnitentia, ſed etiam ad iram Dei placandam ieiunia & luctus publici. 31. Cũ excõmunicatio ſupremus ſit gradus, nõ eſt paſſim pro quouis delicto aut contumacia decernenda, ſed pro grauiſſimo tantũ peccato, cumq; in eo poſt vnam, & alteram, & non nunquã tertiam admonitionem reus perſeuerat. 32. De beneficijs, forenſes controuerſiæ, quæ vniuerſum ferè ordinem eccleſiaſticum contaminarunt, non ſolum breuiores erunt ſublata petitorii & poſſeſſorii in cauſis beneficialibus nuper inuenta diſtinctione, ſed omnino ceſſabunt, ſi ſublatis etiam concilii Baſilienſis vniuerſitatem nominibus præcipiant epiſcopis vt beneficia ſecundum Gregorii autoritatem non ambientibus, ſed fugientibus, & de eccleſia benemeritis conferant. mer ita autem in vniuerſum iudicabuntur, ſi poſt magiſterium aut alium gradum in ſcholis aſſecuti conferatur beneficium autore epiſcopo, & probante populari conſenſu fuerit concionatus aliquo tempore. cumque ordinarius ſemel beneficium contulerit, aut patronus præſentauerit non aliter liceat ſuperiori conferre, quam ſi prius præſentatum, aut eum cui collatum eſt beneficium iudices indignum beneficio iudicauerint. 33. Quòd ſi aliqua de conferendi aut preſentandi poteſtate lis oriatur, primum ab epiſcopo Diœceſano conſulto capitulo œconomus beneficio vacanti præficiatur, qui fructus omnes percipiat, & munia eccleſiæ ſubeat, deinde litigatores conſentiant in aliquos viros doctos & eccleſiaſticos, & ſi non elegerint, ab epiſcopo dabuntur, qui ſaltem intra ſex menſes litem omnem dirimant, a quibus appellare non liceat. aut ſi exiſtimat ſynodus eſſe appellatione defendendum, mandetur interea executioni ſententia, neque teneatur œconomus, aut qui ſententiã primus obtinuit reſtituere fructus pendente lite perceptos, qui tantum miniſtris & pauperum alimentis cedere debeant. ita fiet vt aut nulla vnquam lis de beneficio, aut ſiqua fuerit breui tranſigatur. 34. Decernat ſancta ſynodus vt non ſolum ſynodi capitulares quotannis ſemel vt mini mũ, ſed etiam tertio quoque anno prouinciales congregentur, in quibus de ijs, quæ ad ſtatum eccleſiaſticum pertinent, diligenter tractetur. de miniſtrorum delictis mature cognoſcant, & in eos qui deliquerunt ſeuere animaduertant. & vt concilia generalia, niſi aliquod obſtet impedimentum, decimo quoque anno celebrentur. Poſt has Cæſaris & Galli Regis petitiones reſponſum eſt eas maturè & opportunè à ſacris patribus ponderatum iri, & quantum fieri poterit ſatisfactum.

Cæterum patres, qui iam frequentes conuenerant, deploratis Galliæ ac reliquarum prouinciarum recentibus miſeriis, quæ à vera ſalute ſempiterna breuiſſimę voluptatis cauſa deſciuiſſent, cum illud malum non ſolum in Reges ipſos, in vniuerſas Chriſtianas nationes, ac in ſe ipſos, verum etiam in diuinum cultum redundarent, demonſtratur negotium de quo agitur quantum ſit, quantique ponderis, & quanta diligentia atque animi integritate oporteat pertractari. oſtenditur longa oratione oportere hæc agi prudenter matureque pro recta animi conſcientia; cũ ad ſalutem omnium cum præſentium tum futurorum Chriſtianorum pertineant. quæ quidem res quanto maior eſt, tanto diligentiore ſtudio, puriore mente, accuratiore induſtria, ſinceriore animo, & ab omni ſpe priuati commodi remoto indiget. nam vbi de religione, de ſanctitate vitæ, de vero Dei cultu agitur, qui cęteris rebus omnibus debet anteferri, in quo omnis omnium ciuitatum, regnorum, familiarum, nationum, & priuatorum, publicorumque ſalus continetur, omniſque humana & præſens & futura ſempiterna felicitas, ibi priuatæ omnes commodorum rationes omnino obdormiant neceſſe eſt. Id qui non curauerit in his præſertim opportunitatibus & altiſſimi Dei rebellis, & omnis humanæ felicitatis proditor, omniſque poſteritatis perpetuus hoſtis eſt exiſtimandus. Sed quoniam nemo ſatis rectè de rebus tantis pro uiribus humanis, mortalique ingenio pertractare poteſt, niſi diuinam opem implorauerit, prius animum ad inuocandum diuinum numen, & ad ſacra de more celebranda ſolenniter patres animos conuertunt. celebratis igitur cum pompa ſolennibus ſacrificijs, omnis patrum induſtria conſumpta eſt ſequentibus diebus reformandis multis deprauatis moribus ac ritibus in eccleſia Dei, multaque ſunt inſtituta ſapiẽter ad hominum vitam in melius informandam, & pleræque Cæſareę ac regię petitiones comprobatæ, vt eſt in impreſſis decretis ſacræ Tridentinę ſynodi. inter cętera laudabiliter decreta comprobatæ ſunt literæ de prædeſtinatione Ioannis Grimani patriarchæ Aquileiæ, quæ ad ſuum vicarium ſcribebantur, antiſtite claro, inſigniſque cum pietatis tum eruditionis

Oratio habita ante incęptũ cõciliũ.

Io. Grimanus Patriarcha, abſolutus à cõcilio

ris viro: quarũ approbatio factaeſt vniuerſorũ patrũ ꝯſenſu,& applauſu,nã fuit cognitũ ipſas literas
doloſè explicatas fuiſſe,multaſq́; calũnias ab inuidis fuiſſe excitatas, ꝗ per hanc viã viro integerrimo
obeſſe tentarũt,optimãq́; Pontificis voluntatẽ ab illa grã reuocare, q̃ ſibi debebatur, & cooptatione
in conciliũ Card.qđ & ex aliqua parte accidit, quãuis oĩa in eius exiſtimationẽ ſint cõuerſa.Quæ dũ
agunt̃ Tridenti a ſacratis patribus, Gallia nõ iã amplius cõcepta hæreſis ſemina occultat, cũ vulgus
inſigniũ autoritate procerũ aulicorũ patrocinioq́;. & eorũ potẽtia fretũ occultorũ hoſtiũ Regis &
catholicę fidei, nomẽ nouæ religionis cuperet ꝑ arma, ſi aliter nõ poſſet, dilatare. Ad illud cõcedere
facultatẽ idoneã videbat̃ tenella Regis ætas, ac minime formidabilis, ꝑ quã opportunitatẽ arripiunt
ſuæ religionis non ſolũ tuẽdæ, ſed ẽt ampliandæ; ſi tñ religio appellãda eſt licentia & impunitas ſce-
lerũ, ꝗ ſic regnũ legitimo Regi conant̃ extorquere. Armis igit̃ aduerſus catholicos ſumptis publico
concurſu multa caſtella prædant̃. oĩa bona catholicorũ hoſtiliter diripiunt. hoĩes innocentiſſimos
miſerrimè trucidant. Vrbes ẽt inuadentes populant̃, inter quas Lugdunũ fuit totius Galliæ Celticæ — Lugdunũ direptum ab Vgonottis, & deſcriptio
lõge celeberrimũ emporiũ; vrbs ſanè opulentiſſima & multis reb. victui neceſſarijs abũdans, cũ ſita
ſit in fertiliſſima planitie, q̃ perennibus vberrimis fluuiis rigat̃ Arari ac Rhodano, inter quos ẽt ma-
gna parte ſui includit̃. Neq; vero in Gallia ſolũ res erant turbulẽtę, plenæq́; diſſenſionũ, ſed ẽt in ea
parte noui orbis, quã Giapanũ vulgus appellat, q̃ inſulę ſunt magis ad Orientẽ, cũ arma a quibuſdã
principibus fuiſſent hoſtiliter ſuſcepta. Nã cũ graues inimicitiæ intercederẽt inter Regẽ quendam &
gubernatorẽ Męaci, q̃ vrbs eſt eius Indiæ, repẽte excitatũ eſt bellũ collectis ad 40. millibus armatorũ
ab eo Rege, atq; itũ eſt ad Mæaci obſidionem. accita ſunt ab amicis auxilia aduerſus obſidẽtes, q̃ vbi — Giapanẽſiũ bella ob religionem.
cõueniſſent, caſtraq́; fuiſſent poſita inter Mæacũ & Sacaiũ vrbes, cœptũ eſt leuibus pręliis decertari.
Poſt multas deniq; minutas pugnas ventũ eſt ad præliũ vniuerſarũ viriũ. atq; cũ auxilia fuiſſent pro-
fligata, gubernator veritus ſe nõ poſſe armis victricib. hoſtiũ reſiſtere, profugit cũ ſuis ex vrbe in lon
ginquã munitionẽ. vrbs certè ipſa direpta eſt capta, & acerbiſſimè tractata. ſeruata tñ fuerũt templa
Dei, & hoĩes ad eorũ tutelã confugientes ꝑ quendã virũ magnæ autoritatis, qui chriſtiana dogmata
imbiberat, cũ multi in illis regionibus chriſtianã fidẽ cõplecterent̃. Hoſtes gubernatoris turrim mu-
nitiſſimã inuadunt, quo tpe collecta ſunt ad 20. millia pugnatorũ à filio cũ pater turrim defenderet,
atq; traiecto flumine ſatis amplo; ꝗ inter vtraq; caſtra præterfluebat, gubernator hoſtes inuadit, qui
cũ eſſent ad 30. millia, partim trucidati ſunt, partim in fugam verſi, quos cõiunctis paternis virib⁹ ad
Męacũ vſq; magnã ꝑ cladẽ inſequit̃. Qui reliq̃ erãt in vrbe Mæaco ꝑcepta cæde ſuorũ facile ſuperan
tur, atq; ita Męacum vrbs recuperat̃. Pax deinde expetita obtinet̃. At vero cęptũ eſt ita tumultuari in
Gallia, vbi primũ accepta ſunt noua auxilia Genebenſia ab illis, ꝗ ſibi titulũ Reformatorũ eccleſiarũ
Gallię vſurpauerãt, cũ palã profiterent̃ ſe nõ aduerſus Regẽ arma ſumpſiſſe, ſed aduerſus eos, ꝗ vrbẽ
vellẽt Lugdunũ oppugnare, & ad euellẽdos veteres abuſus. atq; cœptũ fuit Lugduni palã hæreticas
cõciones haberi, & cũ magni numerus illorũ ſuccreuiſſet, cęptũ eſt magiſtratus ẽt vrbanos paruifa-
cere, ꝗ ẽt cõtẽptis tẽplis catholicorũ cęperũt tẽplũ nouo ritu velle exædificare, qđ in ampliore vrbis
loco ſit apud plateã diui Frãciſci, vbi ad tria peditũ millia poſſent inſtrui, atq; tẽplũ multis tormẽtis
cõitur, & oĩ gñe bellicorũ telorũ; quo pacto munitæ ſunt ẽt oẽs domus ꝓpinquæ. Ille locus deſtina-
tus eſt comitiis aduerſus ſacra Galliæ inſtituta. at rex his ꝑceptis mittit Vzeciũ Ducẽ p̃fectũ regionũ
Allobrogũ, Prouinciæ, Lugdunẽſis p̃fecturæ, & Tectoſatũ ad res ſedandas, puniẽdoſq; ſeditionum
autores. Atqui cũ eſſet poſtea cognitũ multo plures eſſe catholicos quã hęreticos in vrbe, viſum eſt,
vt aiebãt catholici, fore è publica & regia dignitate vt cõuenticula armatorũ vetarent̃, aut ſaltẽ extra
vrbẽ eiicerẽtur. at hæretici multis verbis perſuadere conabãtur vtile & tutũ fore ciuitati, ſi ſuæ exerci-
tationes religionis ſibi concederent̃. Fit deniq; edictũ ſub pęna perduellionis ne quis nouæ religio
nis cũ armis in vrbe ad cõciones aut cõuẽticula accederet, ſed cõceſsit inermibus extra vrbẽ in domi
bus cõciones haberi vltra Rhodanũ fluuiũ, ne a catholicis audiri poſsẽt. Sed.n. hiſce rebus ita inſtitu
tis cũ gubernator ad audiẽdas eas conciones aliq̃ñ accederet, cœperunt contra edictum ipſius Ducis
Vzecij arma geſtare, qđ catholicis omnino nõ permittebatur. rurſus præſcriptæ ſunt literæ à catho-
licis ad regia comitia, a quibus miſſus eſt in Lugdunenſem regionẽ ad tumultus ſedandos Menge-
ronius regulus, qui cum ſtatuiſſet ne quis arma geſtaret, penè incidit in inſidias, niſi poſtridie in Al-
lobroges receſsiſſet. & quoniam calamitates, prorſus ſibi imminere a regiis miniſtris Vgonotti in-
tuebantur, multi per noctem repente è priuatis domibus exeũt armati, in quibus multos dies latue-
rant. palatium publicum inuadunt, vbi erant arma popularia ad armãda quatuor millia hominum.
Capte ſunt plateę. fit edictũ neqs vel è feneſtris deſpiceret. vrbs per noctẽ repleta eſt metu. clauſtrũ
Diui Dominici cingit̃ obſidione, attrahunt̃ tormenta, quare ſpe auxiliorũ deſtituti regij miniſtri ſe-
quẽti nocte diffugiũt. occupati ſunt regij ſacriq; ꝓuẽtus. exteri mercatores ꝑ largitiones fugã à cuſto
dijs impetrãt, latæ ſunt nouæ leges. noui inſtituti magiſtratus. ſimulãt ſe ad pupilli regis tutelã vrbẽ
cepiſſe, ꝓpoſita eſt venia errorũ a gubernatore ſi tm̃ reſipiſcerẽt, vrbemq; in priſtinũ ſtatũ reſtitue-
rẽt, qđ fore diu fingebat̃. accerſitus a Rege gubernator detinetur inuitus in vrbe. additi ſunt cõſulib.
totidẽ è noua religione. creata ſunt comitia ſtatus, in q̃b. res de religione decernerent̃. noua fiũt inſti
tuta. pręſidia vrbis multa decreta ſunt ad cuſtodiã. edictis nullũ regiũ nomẽ addebat̃. miſſus eſt a ſe-
cretis cõſulũ ad regẽ vt ea decreta cõfirmarent̃, relatę ſunt literę regiæ, quib. vetabant̃ ſub pęna per-
duellionis noui magiſtrat⁹ res publicas tractare, aut tributa imponere, aut copias colligere, iubeban-
turq; oĩa priſtinæ libertati reſtituere. hę literę regiæ redditæ, in Lugdunenſib. comitijs ſunt publicè — Literæ regiæ laniatæ.
cõminutæ, & vix tẽperatũ à ſuſpẽdio tabellarij, ꝗ ad ſuã redẽptionẽ coactus eſt multũ aurũ & argen
tũ ſacrũ domi ſuæ ſeruatũ dare ad fundẽdũ. multi catholici capti ſunt, vt cogerent̃ ſuos ritus refuta-
re. in cõtẽptũ vero regiarũ lr̃arũ oẽs regij magiſtratus ſunt abdicati, & porticus ſacræ diui Io. cũ bona
parte murorũ euerſæ. fuſũ eſt ęs cãpanũ ĩ tormẽta. vrbs aduerſus regias copias munita. externorũ fę

 deratio-

derationes expetitę, eiuſdē ſectę. quatuordecim vexilla Valeſianorū introducta, addita ſunt regia tñ vrbanis inſignib⁹, ſed roſa addita ꝓ ordine diui Michaelis. oīs ſuppellex ſacra aurea, vel argētea in pecuniā deinde cuſſa eſt. Mobriſone quoq; oppido potiti ꝯ fidē deditionis inuētos trucidarūt, aut precipites deiecerūt, horrendū planè ſpectaculū, qđ ipſum fit & Montrōdi, atq; hinc ꝓxima quæq; cædibus, populationibus, latrocinijs implēt. Vexarūt ēt Rothomagū amplā & frequentē vrbē Velicaſſiorum ad Sequanā fluuiū, & Genabū non ignobilē & ipſam vrbem.

Genabum & Rothomagū vrbes direptæ.

Rex vbi primū motus hos varios bellorū in ſuo regno excitari ſenſiſſet, neq; iā facile poſſet cognoſcere quib. eſſet credēdū, ne ſubditi eadē hæreſi contaminati publica arma in ipſum conuerterēt, ſtatuit externa arma cū Gallicis admiſcere. lr̄as igit̄ dedit ad Pontificē, ad Philippū regē, Florentiæ Ducē, ad Venetos, & ad cæteros catholicos principes, quibus in tātis ſuis difficultatibus, tamq; turbulētis Gallię reb. auxilia poſceret: quæ & à Pontifice, & à Philippo Rege ex Inſubribus, & ex Hiſpania, & Florentia miſſa ſunt.

Vgonottis auxilia Britāna accedunt.

Heliſabetta Britanniæ regina auditis auxilijs, quæ Gallus rex vndiq; acciuerat, & ipſa mittit ſubſidia ad ſectā nouæ religionis tuendā, qua opportunitate debilitatis armis Gallicis, auctaq; potētia nouæ religionis ſibi minus timendū eſſe arbitrabat̄. illa auxilia cōmodè ſubminiſtrari poterant, qm̄ Vgonotti Auragratiam vocatū portū in Gallia occupauerant maris Britannici, qui interim iu Normania multis minutis prælijs fęliciter pugnant. Caſtella capiunt multa, agroq; vbiq; potiuntur. Aduerſus hos Vgonottorum motus datur ſummū imperiū rei militaris Aloyſio Aureliano Vmalio duci, qui ſumma celeritate vſus cū regijs copijs impetus Vgonottorū refrænat, ac Rothomagū per vim armorū recuperat.

Cantabrorū rex ſummus imperator expeditionis in Vgonottos. Rothomagū recuperatū.

in qua pugna Antonius Borbonius Rex Cantabrorū regias partes amplexus glande traiectus diem ſuū obiit. præerat Vgonottorū copijs eius frater Ludouicus Condęus cū ſummo imperio, qui regnū Galliæ affectabat, quod ꝑ antiqua quędā iura arbitrabatur ad ſe ꝑtinere, expectabatq; fratrem Andelottum cū multis Germanorū cohortibus, & equitatu. huic cum honeſtiſſimæ pacis conditiones à Ghiſio fuiſſent oblatæ, & ſempiterna obliuio præterea oīum delictorum, quæ aduerſus regem fuiſſent commiſſa, eas oīno reiecit, cum & Annæ & Memorantij quoq; noīe eadē proponerētur ad antiquam religionem, patriamq; conſeruandam. Antonij mors, moleſtiſſima accidit Regi propter hoīs virtutē, & autoritatem, ſed tñ aīo non conſternatur; quin etiā copias auget recentibus auxilijs à Philippo Rege accitis, quæ vt citius aduentarent claſſem mittit, vt per mare Britannicum traiicerentur.

Ludouicus Cōdęus Vgonotticæ factionis princeps.

Pontifex audita repulſa Canobij cum tñ optaret ſuū conſiliū non eſſe irritum, rē cū quibuſdam Card. cōicat, & cum M. Ant. Amulio in primis viro callido. Ille profitetur ſe inuenturum, qui ſpretis oībus & periculis, & difficultatibus itineris ad Moſchum mandata deferret. vbi conceſſum eſſet, re cum Ioanne Marendella Veneto cōmunicata eū iubet proficiſci acceptis iiſdē mandatis, quæ Canobio data fuerāt, quib. addidit vt hortaretur vt aliquos nobiliores è ſuis Romam mitteret, qui Romæ cū aulicis verſarentur, qđ cupiebat decorare ipſum Ducē corona regia. his mandatis Ioannes in Liuoniā clam vſq; peuetrauit, Oricumq; profectus, mare conglaciatum adhuc reperit, quare maritimo itinere intercluſo, qua vna ratione pericula à regiis cuſtodiis poterant deuitari; cū ad oppidum maritimū Moſchouitici imperij Dēpten eſſet nauigandū, ſtatuit terreſtri itinere quoquo modo pericula ſuperare per fidos duces viarū. Sed vbi decē milliaria Parnauiā verſus ab Orico proceſſiſſet, capitur à præfecto Deinemōtii, illud eſt oppidū in faucib. Diunæ fluminis ſitū, vbi in mare ingreditur, atq; cathenatus miſſus eſt ad Regē, veruntñ vbi periculū multo ante proſpexiſſet, ita rem excogitauit, vt Pontificia diplomata non ſint inuenta, neq; cognita ratio itineris. occultandæ occaſionē dederunt Sueuorum metus paulo ante excitati à quibuſdam populis in Regem, quia creditus eſt cohortis præfectus ad Sueuum accedere, quare non ſolum liberatus, ſed etiam literis commendatitiis acceptis a Polono, breui relicto ſuſcepto negotio, rediit in Italiam.

Rauennæ ſeditiones euulſæ per res compoſitas. Sed itioſorū nomina.

Rauennæ interea, quæ vrbs eſt Italiæ nobilis & antiquiſſima, vt quæ dicatur ante diluuium condita fuiſſe, multisq; honoribus & titulis inſignita, ac metropolis Gallię togatæ, ciues arma vbique ſępius in mutuas cædes conuerterant, qui exercebāt veteres inimicitias, & acerrima odia, plurimūq; inter ciuiles ſeditiones fluctuabant. Tanta vero excreuerat inter hos Guelphorum ac Gebellinorum nomine diſcordia, & rixæ, & contentiones nouis cauſis vltionum quotidie ſe addentibus, res vt nullum finem habitura videretur, niſi quem fortuna, vel aſperrimi belli attuliſſet, vel cum ciues alterius factionis eſſe deſijſſent. At Deus tantarum calamitatum eius vrbis cumulo, diuturnitateque commotus, ita repente omnium Rauennatum animos molliuit, vt obliterata prorſus omni iniuriarum vtrinque acceptarū memoria, deletisq; ſempiterna obliuione priſtinis odiis, arma conuerſa ſint ad communem defenſionem & ad conſeruationem patriæ. Nam tanta exorta eſt diuinitus ciuium concordia, vt omnes arma, vitam, ſanguinem, facultates liberaliter offerrent pro ciuium cæterorum defenſione. Sic ſanè effectum eſt vt non amplius ciuium diſſidentium ſpecies appareret, ſed amiciſsimorum fratrum cōſpiratio ad mutuam defenſionem. & quoniam omnis propè felicitas ciuitatum conſtituta eſt in mutua ciuium concordia & fide, & beneuolentia; ſicuti in perfidia & ſeditionibus omnes miſeriæ, cædes, ruinæ, deuaſtationes, iactura bonorum ineſſe conſueuerunt, videtur altius repetenda cauſa & ſeries huiuſce concordiæ, vt ex his pateat quantus bonorum cumulus bonitatis & manſuetudinis & ſapientiæ ſit comes.

Rauennæ deſcriptio.

Eſt autem Rauenna vrbs Galliæ togatæ, quæ fuit olim in litore maris Adriatici ſita, ſed propter fluuios arenam aſsiduè deuoluentes, & plurima terra propinqua quæque obducentes, nunc diſtat ab ipſo mari circiter tria millia paſſuum. Habet ad Orientem fluuium ignobilem, ſed immanſuetiſsimum torrentem Vitim vocatum, qui mœnia alluit, ad meridiem vrbem prope attingit amnis quem Montonem appellant: qui ambo è montibus non valde longinquis defluentes olim coniurantibus cœnoſis, & vorticoſis vndis in pernitiem Rauennæ, ita ſtagnabant in agro Rauennate, vt eius magna pars non ſegetibus ſolum, & arboribus fieret inutilis, ſed etiam peſtiferæ paludes fierent in proxima planitie, & intra vniuerſam vrbem multarum aquarum

putreſcen-

putreſcentium ex halatio fieret inſalubris. Cauſa harum inundationum erant molendina duo vrbi uicina, ad quorum vſum aquæ neceſſario aggeribus refrænabantur, retinebanturque quo minus defluerent per imum alueum; atque cogebantur intumeſcere. Sic efficiebatur, vt aluei vel per imbres effuſiores, vel per niues liquefactas in montibus ſuarum aquarum non eſſent capaces. hæc molendina ſanè vtilia & fructuoſa, vtpote ſola vrbi propinqua poſſidebat archiepiſcopus Rauennæ, qui nullo precio ad illa demolienda adduci poterat. quamuis certior ſæpius eſſet factus in eorum euerſione conſiſtere totius vrbis Rauennæ ſalutem & ſalubritatem. nati ſunt itaq; Rauennates ciues illud per æquitatem, clementiamque pontificis impetrare, quod per vim auri extorquere non poſſent. Delecti ſunt ad illam legationem patrum conſenſu in comitijs viri ingenio & prudentia præſtantes Iacobus Spadolarınus Iuriſc. & Cæſar Vrciolus, qui vtrumque vno tempore perficerent & Pont. Pio Quarto gratularentur publico nomine pro recenti dignitate, & hoc tantum incommodum vrbis aperirent, docerentque quanto in periculo ſit ea ciuitas, quæ ſæpius quotannis vbique ſtagnaret, cuiuſque ager latè palus fieret inſalubris. Futurum enim breui niſi per pontificiam clementiam vrbis ſaluti conſulatur, vt tota demergatur, fiatque inhabitabilis. Nihil impetratur à Pont. præter reſponſum humanitatis plenum; fore vt rei diligenter cognitę opportunum remedium adhiberetur. atqui cum ab initio anni ad menſem Octobrem remedium fuiſſet fruſtra deſideratum, denuò delecti ſunt ad eandem legationem cum alijs de cauſis, tum maximè ad hoc negotium ob imminentis inundationis in proximum annum timorem, viri ingenio & eloquentia clari Alexander Sopranus Iuriſc. & Cæſar Amaducius. Hi Romam profecti docent pontificem in maximo periculo vrbem Rauennam eſſe conſtitutam, cum duos fluuios inſolentes tantopere habeat vicinos; à quibus funditus euertatur omnino neceſſe eſt, niſi maturè occurratur. Rogant ne vrbem pontificiæ dignitatis obſeruantiſſimam & obſequentiſſimam in extremis miſerijs negligat, quæ nullius ſceleris vel publicè vel priuatim in Pontifices vnquam commiſſi ſibi ſit conſcia. futurum enim breui, niſi ſuccurratur, vt vel ciues innocentiſſimi per ſummam iniuriam aduerſariorum in aquis ſuffocentur, vel certè relictis poſſeſſionibus & auitis laribus extorres à patria profugere cogantur. Pontifex his, alijſque rationibus commotus ſe miſſurum architectos pollicetur, qui totum negotium diligenter explorarent, idque remedium adhibiturum, quod videretur eſſe ex vrbis vtilitate. Miſſi ſunt non multo poſt architecti, qui quam quam ſuam ſententiam non audebant palàm proferre, tamen viſi ſunt iudicare non aliunde imminere vrbi periculum, quàm è conſtructis aggeribus, qui aquas cogebant intumeſcere. Syngraphum faciunt igitur, in quo continebatur, quod nouus alueus fluuij videbatur propinquus excauandus, per quem aquæ minuerentur, transferrenturque in mare. hoc ſyngraphum Romam miſſum, & pontifici redditum fuit, qui continuo imperatita fieri. Promiſſa eſt etiam liberaliter pecunia Rauennatibus ad illam excauationem, quare mox opus aggrediuntur. ſed enim cum poſtea appareret illam excauationem ad leniendos potius animos ciuium, quàm ad periculorum remedium fuiſſe excogitatam, quia nihilo leuiora damna vrbi & agro inferebantur, neque tamen pro oblato honeſto precio archiepiſcopus adduci poſſet vt pateretur molendina deuaſtari, viſum eſt Rauennatibus id conſilij neceſſario capiendum eſſe maturè, quod & ſalus ciuitatis & conſeruatio omnium bonorum, & regina legum, omniſque ęquitatis Neceſſitas obtuliſſet, neque amplius inter tot difficultates remedium pręſentium malorum procraſtinandum. Vbi conueniſſet inter ciues vt quantum æris viſum eſſet pontifici diſſolueretur, indicta ſunt & habita comitia Rauennæ de ipſo negotio. Multa ſunt in vtranque partem diſputata in Senatu, atque poſt varias diſputationes fit patrum decretum vt aggeres deuaſtentur, molendinaque ſolo ęquentur. exeuntes è comitijs Sapientes, id eſt magiſtratus vrbani ſupremi nomen apud Rauennates, multi vtriuſque factionis homines miſtim ſequuntur, atque ita concordi animo & vno omnium conſilio itum eſt ad aggeres deſtruendos. Diſtributa ſunt munia demolitionum bifariam, atque alteri parti Vitis, & molendina alteri Montonis aggeres dati ſunt diſijciendi; quos tantos Rauennatum motus ægrè ferens præfectus vrbis Prolegatus, vir multis de cauſis archiepiſcopo obſtrictus, ſtatim Romam ſignificatum mittit Pontifici Rauennæ omnia eſſe in armis. Sapientes ea re cognita Marium Salamonium ciuem callidum, & eloquentia clarum quanta fieri poſſet celeritate Romam conuolare iubent ad refellendas aduerſariorum accuſationes, ſiquę falſæ obijcerentur. Illis aggeribus euerſis & diſiectis ciues prius diffidentes miſti in vrbem redeunt, inter quos pro diſcordia, beneuolentia & amor & fides cum maxima laude, admiratione & lacrymis præ lætitia apparere cœpit. Dum expectatur Pontificis decretum, animique omnium ciuium erecti ſunt ad futurorum euentus, Cęſar Amaducius Romæ è conſpectu pontificis eius iuſſu coniectus eſt in carcerem, quia perſuaſum eſſet pontifici Amaducij adhortationibus & impulſu ciues ad illos motus fuiſſe ſollicitatos. Marius pontificiam indignationem veritus aliquandiu pontificis præſentiam deuitauit. Rauennates cognitis ijs, quæ Romæ gerebantur, Gaſparem Pignatam Iuriſc. equitem virum inſigni facultate dicendi & ingenio mittunt, qui Pontificem doceret rem, vt eſſet tranſacta, quiq; Amaducij cauſam ſuſciperet, pro libertateq; deprecaretur, cum eſſet vir bonus & innocens & inſcius eorum, quę gerebantur. Amaducius eodem die liberatur, quo eques ad Pontificem acceſſit, qui poſtmodo communi conſilio de rebus vrbanis tractarunt. Pręfectus vrbis veritus arma & tumultus Rauennatum in ſe denique conuerſum iri. ducentos pedites Fauentia acciri iubet; qui cum

Vitis & Monto fl.

Sapiētes magiſtratus nomen.

ſeſe mane ignaris Rauennatibus ad portas oſtendiſſent, continuò tota vrbe conclamatum eſt ad arma; quo tempore præfectus vrbis ſeſe in arcem tanquam in tutiorem locum recepit. At vbi cognitum eſt Fauentinos pedites cuſtodiæ & tutelæ cauſa fuiſſe à præfecto vrbis accitos, Sapientes & vna omnes, qui demolitionem aggerum adorti fuerant, excedunt ex vrbe ad euitandos tumultus, nequid atrocius committere cogerentur. ſe igitur ad Sauarnam pagum finibus territorij Rauennatis, agroque Ferrarienſi finitimum recipiunt. eò cum Hieronymus Pellegrinus iuriſc. qui ſupremum locum dignitatis inter Sapientes obtinebat, conueniſſet, & ſapientum magiſtratus, & Iacobus Lenardus eques, & Vitalis Salius, & Raphael Raſponus ac Proſper tribuni, præter alios complures; contracta beneuolentia & amicitia è mutua conſuetudine, omnibus priſtinis diſſenſionibus obliteratis, reiectisque bellis ciuilibus perpetuam pacem & amicitiam inter ſe componere ſtatuunt. Sic rebus inter ſe ſtabilitis concordibus animis itur Bononiam ad epiſcopum Narniæ præfectum Bononiæ, cuius præſentia & autoritate pax confirmatur. ea per publicam ſtipulationem ſtabilita Sauarnam reditur, vnde omnes Rauennam deinde reuocantur. Accedit Rauennam & Narniæ epiſcopus, atque in auguſtiore templo Rauennæ fit pax per eos, qui non adfuerant Bononiæ. Narniæ epiſcopus tantæ lætitiæ plenas literas dedit ad Pontificem, vt pontifex per eam concordiam omnem indignationem depoſuerit, quam in Rauennates ciues concepiſſet. at certè vnius Rauennæ pax tantum valuit in Gallia togata, vt omnes reliquæ ciuitates finitimæ ſeditiones & diſcordias ciuiles facile obliterarint. Inde vero ſecuta eſt tanta ſalubritas aeris defluentibus vndique aquis ob dirutas aggerum moles, & fertilitas agri, & animalium omnis generis copia, vt niſi corroborata eſſet multis alijs exemplis, hinc facile magnam fidem conſequi poſſet antiquorum ſapientum dictum, quòd concordia paruæ res creſcunt. Neque ita multis annis poſt referente Ioachino Thomaio, qui ſupremum locum tenebat inter Sapientes viro præclaro, fit Rauennatum ſenatuſconſultum vt quarto Cal. Iunij, quo die pax fuit compoſita ſolennia, ſacra cum pompa celebrentur, tanquam ille dies ſalutaris illi vrbi, & omni poſteritati memorabilis illuxerit.

Pax Rauennatum.

Solennia inſtituta ob pacem.

Claſſis Gallicæ acre naufragium.

At vero Gallica claſſis vbi primùm exiuit è faucibus Abylæ & calpes ad conuehenda auxilia miſſa, eſſetq; adhuc ferè in tuto loco ingenti tempeſtate inuaditur. ſemper verò magis intumeſcente oceano, vehementioreque ſemper aſpirante vento & impellente in latus, cum altiſſimæ ac violentæ vndę & inſtar mortis extollerentur, præfecti claſſis ſumma ope conantur ſe in tutum locum, tranquillioremque portum recipere. At verò cum in ſingula momenta venti, mariaque increbreſcerent, & rabies horrenda tempeſtatis, neque reditus concederetur in portum, tota ferè victa tranſuerſe agitur, ita vt circiter quinque & viginti nauigia varij generis infracta, demerſaque ſint, & omnes remiges ac nautæ in mari ſuffocati. Vbi conueniſſent nauigia, quæ tanto naufragio ſuperfuerant afflicta & conquaſſata, cum, ſuperſtites ſe inuicem conſolarennon retentis etiam lachrymis tanquam ex inſigni clade propter acceptam calamitatem & iacturam tantarum rerum, aliud non leue infortunium claſſem inuadit. nam vis ignis paulatim concipitur in ſtupa & pice, quę inerat in nauigijs, quo erumpente incredibili celeritate & fragore crepitante alia nauigia quædam conflagrarunt. Illa claſſis calamitas Carolo & Philippo regibus moleſtiſſima accidit, at gratiſſima Condæo, quod per illam confirmatis ſuis viribus, & debilitatis regijs, omnis traiectus è Normania in Britanniam, cum ea regina clam nouę religioni faueret tutiſſimus fit redditus, neque hoſtis vires in illam partem eſſent formidandæ. reſarciebantur tamen ex altera parte tot mortalium Chriſtianorum calamitates, quòd in regno Giapanio magnus fieret concurſus eorum, qui ad Chriſtianam fidem amplexandam confluebant: cum non homines ſinguli, nō ſingulę familię tantum, ſed vniuerſa regna, integręq; prouincię ac nationes relictis ſuperſtitionibus idolorum ad verū Dei cultum conueniebant. Lugdunenſes Vgonotti cum diu obſiderentur, nō ceſſabant, quoniam non poſſent vndiq; circunueniri à regijs copijs, quia flumina impediebant, cum multos catholicos in vrbe trucidaſſent, violauiſſentque honeſtarum fęminarum pudicitiam, mox animum conuertunt ad infeſtandas regiones catholicorum; quare clam emiſſis quibuſdam copijs qua parte vrbis caſtra poni non potuerant in Aruernos vſque prædabundi incurrunt. Et quoniam Sciatilioneus Cardinalis complexus fuerat hæreſim Amiradis & Andeloti fratrum, publiceque catholicam fidem valere iuſſerat, relicta dignitate eccleſiaſtica vxorem duxit contra inſtituta ſacrorum patrum. Hos & Condęum tametſi amici & coniuncti reuocare ad auitos ritus religionis & ad concordiam conſeruationemque patriæ multis rationibus conati ſunt, tamen nihil efficitur, quòd illi ſurdis auribus ad has rationes, & implacabili animo in eadem pertinacia perſtiterunt. At quoniam ex altera parte pluribus in locis acerrimum bellum exardere in Gallia videbatur, cum multa vbique deuaſtarentur, nouęque copiæ expectarentur: ex altera vrbes petebantur ad expugnationem, multi prudentiores Galli proceres grauiter ferebant hos tantos motus, excogitabantque quod remedium eſſet adhibendum. Redditę ſunt literę Regię Auguſtoriti proceribus ac magiſtratibus, cum Vgonotti illam vrbem etiam occupaſſent, in quibus continebatur, quòd Rex imperabat vrbem reddi miniſtris regijs, eoſque hortabatur vt redirent ad priſtinam obedientiam, promittebatque fore vt nulla de cauſa in poſterum infeſtarentur. Sed cum nihil eę literę profeciſſent, miſſus eſt Auguſtoritum mareſciallus Sancti Andreę cum decem millibus armatorum, inter quos erant plerique nobiles Galli, cum Vgonotti plurimum ibi debaccharentur. Vgonotti reſponderunt ijs qui eos hortabantur vt redirent ad regiam obedientiam, quibus apparebat abſurdum & impium conſilium quod ab auito Dei cultu receſſiſſent, & à regia obedientia nulla accepta iniuria tam impudenter, quod nullo pacto illud erant facturi, niſi Rex permitteret poſtulantibus hiſce populis nouæ reli-

Literæ regiæ ad Auguſtoritanos ciues.

religionis conciones haberi in vniuerſo regno, cum ipſi vellent animarum ſuarum eſſe arbitri. at quoniam maxime cuperent vires Regias debilitare quibuſcunque poſſent modis, Regios prouentus occupant quotquot poſſunt, ac profitentur Lugdunum & alia loca occupata ſe regio nomine ſeruare, donec ad legitimam ętatem peruenerit, ne ab aliquo illegitime occuparentur. curant diuertere illorum vires qui Regi dicebantur eſſe opem laturi. ſollicitarunt arma Belgarum in Philippum Regem. veruntamen neque Condęanæ vires neque reliquorum principum Vgonottorum potuerunt eſſe auxilio obſeſſis Auguſtoriti, quo minus deſperatione capti, & rerum multarū inopia compulſi per multas ſuas clades profugerint partim Geneuā, partim in Allobroges & Prouinciam. reliqui, qui remanſerunt, trucidati ſunt vrbe capta & direpta. cęterum capta hac vrbe mota ſunt caſtra ad obſidendam, expugnandamque Aureliam, vbi fuerat Condęus, & alij multi principes nouę religionis, coniunctęque ſunt vires in itinere Franciſci Ghiſij cum Duce Lotaringię, qui multum habebat nobilem equitatum Gallicum. At Condęus ſuas copias per illud tempus iuſſerat conuellere ſigna ad profectionem, ſi forte Regem aliquo pacto poſſet intercipere. ad tertium lapidem Pariſijs propinqua caſtra ponit cum maxima eius vrbis trepidatione. eius aduentu cognito coneſtablius & Memorantius collectis ſumma celeritate non aſpernandis copijs, quamuis ſubeſſe aliquam proditionem ſuſpicarentur, multoſque ciues cum hoſte conſpiraſſe, tamen intrepido animo magnaq; alacritate obuiam procedunt, è regioneq; hoſtium caſtra ponunt. nec multo poſt excitatum eſt leue prælium, deinde cum vtrique pugnæ eſſent auidi, certatur totis viribus. Vgonotti tanta virtute, bellicaque fortitudine in catholicos impetum faciunt vt Regię copiæ, cum vim ſuſtinere non poſſent, profligatę ſint, & in fugam verſę. trucidatus eſt mareſciallus qui conſiſtens ſuos & promiſſis & precibus ad inſtaurandum prælium reuocabat. captus eſt coneſtablius & multi proceres catholici. ſed Ghiſius vbi cū magna ala equitum armatorū ſuper ueniens in Vgonottos victores irruiſſet, victoriam è manibus extorſit; vniuerſumque peditatum trucidauit. captus eſt Condæus vulneratus, quæ victoria non prorſus vel Gallis regijs fuit felix, quia Memorantius & ipſe captus eſt ab Vgonottis. at verò illud certamen tam atrox fuit, tamq; crudele, vt primo impetu multi inſignes proceres, multiq; viri illuſtres ceciderint, quod fuit à Memorantio & Condęo primùm commiſſum. Condęus in eo certamine maximè omnium curabat vt Heluetios profligaret, in quo vno facinore vniuerſa propè vis victoriæ conſiſtere illi videbatur. atque cum his propè profligatis opem tuliſſet Gallicus & Hiſpanus peditatus ac equitatus Ghiſij multis vtrinque cadentibus, victores victi fiunt. Euaſerunt incolumes ex ea pugna plures noningentis Germanis, & Gallicus equitatus, qui captiuum Memorantium abduxit. Enimuero quamuis ob eam victoriam multa lętitiæ ſigna edicta ſunt in Gallia, Hiſpania, & Italia, tamen hominum corda & mentes ea lætitia minimè attigit, qui non tantum præſenti felicitate gaudebant, quantum communi totius regni calamitate triſtabantur, quòd in maxima difficultate ſancta catholicaque religio poſita eſſet, atq; omnes bellici euentus in acerrimum & maxime cruentum bellum ciuile proruerent. Nam hæc ipſa cauſa fuit cur feliciſſimū, tranquilliſſimumq; regnū Galliæ ob compoſitam pacē futurum. matrimonia, ſolennitateſque omnes in funebres & lacrymabiles tragędias commutarit.

Auguſtoritū ab Vgonottis prope relictum capitur.

Copiarū regiarum victoria.

Quæ dum aguntur in Gallia, in comitijs, quæ indicta fuerant, Inutrij poſt multas Electorum contentiones & controuerſias Maximilianus Boemiæ rex primogenitus Ferdinandi Imperatoris creatur Rex Romanorum, ac deſignatur Imperator; qui, vt res tranquilliores haberet in ipſa regni nouitate, procurat inducias renouari in octennium inter Ferdinandum Chriſtianorum, & Solimanum Turcarum Imperatores. Poſt legationes itaque miſſas vtrinque de inducijs, miſſus eſt orator ad Ferdinandum ad res confirmandas cum literis, qui in hanc ſententiam locutus eſt; Sereniſſime atque humaniſſime princeps Chriſtianæ fidei, electe Romanorum Imperator, potentiſſimus meus & magnus dominus monarcha magni Dei, Imperator Imperatorum Turcarum omni inſtantia mihi imperauit vt legatus ſuę ad maieſtatem tuam conuenirem, teque ſuo nomine & omni debita reuerentia ſalutarem, qui tibi ſanitatem, & omnium honeſtorum votorum te compotem fieri cupit. eius igitur maieſtatis optimę voluntatis Maieſtati tuæ nuntius veni, qui ſperat futurum cum bona voluntate tua vt ſequatur, quamuis per alias legationes non acceſſerunt exempla & conditiones bonæ ſecuritatis. Idcirco cum denuo velit amicitiam firmare, faxit Deus vt res conueniat. Videat & perpendat prudentiſſimè Maieſtas tua quantam beneuolentiam meus potentiſſimus & magnus dominus tibi oſtendit, & bonam voluntatem, cum Chriſtiani captiui è cuiuſuis manu liberi & incolumes & ſine precio manumiſſi ſint. quæ Maieſtas cum ſuam bonam voluntatem tibi patefecerit, ſperat tuam quoque par pari relaturam, vt liberi manumittantur Turcæ & incolumes. Meus igitur potentiſſimus Imperator tibi nuntiat bonam adminiſtrationem imperij cum ſanitate, vera cuſtodia, & amicitia, vt imperium iſtud conſeruetur, ſicut per tuos maiores ſeruatum eſt. ſua igitur Maieſtas tibi promittit per vel omnes infimos ſui imperij pacem Maieſtati tuę ſeruatum iri. Te igitur hortatur vt literis ſuis fidiſſimè reſpondeas, atque idem reſpondeas: quod ſi feceris, meum dominum Turcam tam tibi amicum, tamque ex animo cognoſces, vt nulla in re tibi ſit defuturus. His dictis interrogauit qui nam eſſet Maximilianus, quem digito à Cæſare oſtenſum legatus manu pectori admota & flexo capite ſalutauit Imperatoris Turcæ nomine, dixitque quòd ſuus dominus gratulabatur eum ſucceſſorem & expectatorem imperij eſſe, qui non poterat eſſe diſſimilis ſuorum maiorum, cum nomen referret Maximiliani Imperatoris. tum literas obtulit Cęſari, in quibus erat ſcriptum, Ego ſum magnus & potentiſſimus dominus ſupra principes orientis & occidentis, cui facultas eſt adimendi & relinquendi. Græciæ dominus, Perſię, Arabiæ, Rex omnium quæ regi poſſunt, & conſeruator vniuerſi,

Maximilianus creatur Rex Romanorum.

Induciæ Ferd. & Solimani ī octēnium.

Oratio legationis Solimani.

Solimani literę ad Ferdinandum

maris albi & nigri, ſanctæ telluris Lamechæ, dominus Solymorum, rex Aegypti, regionis Lonen, Athenarum, Senau, domus Dei, Babylonis, Boſſij, Rethíanis, inſularumque Iuliæ Cæſareę, Sultanus, & magnus Imperator. Poſtea tibi Ferdinando magno & potenti Chriſtianorum domino, ſplendori Chriſtianę fidei, vni electo Romanorum Imperatori, Boemiæ Regi, Illyrij. Epiri, aliarumque regionum & regnorum, ſalutem. Poſteaquam ſuperioribus diebus orator tuus ad nos venit tuo nomine, qui Angurius Busbecius vocabatur, tuus fidus conſiliarius, literaſque à te nobis reddidit anno veſtri prophetæ Ieſu Chriſti. *1562.* initio Iunij pacem petens in annos octo omnibus vrbibus, oppidis, pagis, ac ſubditis veſtris vt pace frui liceat, de quibus nos conuenire opus eſt, atque bonam & certam pacem paciſci hoc pacto vt quotannis per natiuitatem noſtri prophetæ nobis diſſoluantur triginta millia nummum aureorum Pannonum, qui mihi iam biennij debentur.

Pactiones induciarũ octẽnij inter Ceſarem & Turcã imperat.

Decernimus item vt Regis Ioannis filius vti hęres patris, qui à nobis in Pannonia ſuffectus eſt, quæ omnia iure ad nos ſpectat propter aſſinitatem, illæſus relinquatur per octennium, atque tutus ſit cum omnibus ſuis populis, cui neq; vrbes, neq; oppida, vel pagi, vel ſubditi infeſtẽtur vbicunq; fuerint. neq; aurũ. argentum, iumenta aut ſupellex cuipiam diripiatur. neque fiant prędationes, neque incendia. neque nouæ munitiones excitentur, neque exigantur tributa ab alienis agreſtibus, ſed plena pace omnes per octo annos fruantur. in cæteris capitibus volumus vt proceres Pannones, qui à nobis deſciuerunt, vt Balas Chimialis, & Nicolaus Baterus, atque alij tuti ſint omnino cum ſuis opibus. Quòd ſi homines, aut quid aliud à Rege Ioanne ablatum ſit, aut à vobis, id inuoluatur ſilentio per octennium. vt ſiqua ſit controuerſia, quæ componi non poſſit, per pacis tempus quiſque ſibi temperet. atque pagi Tattæ Danubioque finitimi ita ſe habeant, vt prius: ita tamen vt Tattæ arcis præſidia finitimos pagos ne infeſtent, ſed & ipſa pace fruantur. conſimili ratione duces in finibus veſtris ſi quem ceperint pacis tempore noſtrorum, illum ſine redemptione incolumem intra noſtra confinia perducant, quod ipſum noſtri facient vt pax inuiolata permaneat per ipſum octennium, ſic enim ducibus ac purpuratis noſtris fieri imperabimus in noſtris finibus. Vt duæ regiones Vaiuodæ Myſia inferior ſcilicet & ſuperior non intelligantur includi in ipſam pacem. Vt omnes ſubditi noſtri Pannones, Illyrij, Epirotæ, atque veſtri ita mari vt terra, aut in inſulis tuti ſint, neque vllo pacto infeſtentur. Vt nemo poſſit inuicem latrocinari, & qui furatus fuerit iure plectatur, ac furta domino reſtituantur, ſiue à publicis, ſiue à priuatis id factum fuerit, atque illud diligentiſſime ſeruetur. Vt ſiquis noſtrum per iſtud tempus voluerit alicubi munire, vel facere reparationes intra ſuos fines, id licitum ſit. Vt omnes ſubditi ſuo principi ſint deuincti, neque quiſquam alterius infeſtare poſſit, ſed omnes tributa, vt conſueuerunt, diſſoluant, cum quidam pagi tantum diſſoluere coacti ſint metu incendiorum, vt omnino ſint exinaniti, à quibus nihil præter antiquam conſuetudinem extorqueatur atque quiſque ſuas leges ſeruet. Vt per pacem nemo capiatur noſtrorum vel veſtrorum regnorum coloni, neque Pannones, quo pax ſeruetur. Vt nemini alium vendere liceat, aut exigere precium redemptionis. Vt legationes tutæ ſint vtrobique quibus vel morari, vel diſcedere liceat. Vt ſiquis aduerſetur, aut captiuos fecerit, aut hanc pacem concordiamque infregerit, iudicetur, & meritas pęnas luat. Vt necubi pugnam committere, vbi conceſſum eſt, quo futuris difficultatibus conſulatur, ſed mos paci aduerſarius planè reuocetur, quo amicitia concordiaque ſit inuiolata. Vt hæ pacis conditiones vbique in regnis vtriuſque Imperatoris promulgentur, vt pax inuiolata. vbique per hoc ſpatium temporis conſiſtat. ſic enim ab oratore poſtulatum eſt. Hæc eadem à vobis fieri debent, vt omnes ſubditi & milites iurati pacem ſeruent, eiuſque conditiones. atque ad horum confirmationem iuro per imperium coronamque meam, & per verum Deum creatorem cœli & terræ, & per admiranda miracula noſtri prophetæ, quod per hoc tempus paci nulla ratione aduerſabor, neque patiar. meos ſubditos, duces, purpuratos, qui meo parent imperio, pacis conditionibus derogare. neque ſinam vt in vrbibus, caſtellis, regionibus, pagis, inſulis noſtris, aut intra noſtros fines vobis fiiat iniuria, quare fides & pax in vniuerſo noſtro imperio fidiſſimè vobis ſeruabitur. cum orator veſter quoſdam captiuos à nobis petiuiſſet, qui erant in noſtri imperij regionibus, Turcæ captiuorum domini cum lacrymis nobis ſeſe obtulerunt rogantes ne captiui darentur ſine precio, at nos vt veſtræ voluntati gratificaremur, vel neglectis noſtrorum lacrymis eos liberos dimiſimus, quod ipſum de noſtris captiuis vos facturos arbitramur. Sic igitur oratori veſtro dati ſunt captiui cum imperatorium decretum vbique in imperio noſtro ſeruatum ſit, cum literis de pace datis anno prophetæ noſtri. *969.* initio ſeptembris è noſtra aula imperiali, & ſancta ſe de potentiſſimæ vrbis Byzantij. In Inſubria verò vrbs Mediolanum cum paullulum a bellorum moleſtia reſpirare cępiſſet, non parum cępit denuo affligi magnitudine ſumptuum. nam Philippi Regis iuſſu imperatum eſt illi vrbi foſſas arcis dilatare & ampliare præfecto illi operi & arci Alphonſo Pimentello viro Hiſpano, qui ita faciendum eſſe Philippo Regi perſuaſerat.

Arx Mediolani magnis sũptibus munitur.

Fuit autem annus non ſolùm ob eos ſumptus inſperatos grauis, verum etiam ob defluxus multorum humorum conceptorum ex anni intemperie, ex quo morbo multi perierunt: quæ clades per vniuerſam Italiam latè peruagata eſt.

Catarrhi multi in Italia.

Aluarus qui per biennium fuit captiuus in turri, captiuitatemque ſemper æquiſſimo animo pertulerat, per hanc induciarum opportunitatem ſoluitur facta permutatione cum quatuor Sanzacchis captis in bellis Pannonicis, cum quo & Sancius Berlingherus libertati reſtituitur, cum multa etiam munera data ſint Turcis varijs temporibus.

Aluarus liberatus.

Aluarus Iuliobonam profectus perbenignè acceptus à Cæſare & Maximiliano, mox ad Philippum regem properat, a quo decem millibus nummum donatur, & mox totidem capit in ſtipendia totius temporis captiuitatis, cum etiam Rodericus filius multam liberalitatem

tatem

tatem regiam in ſe perſenſerit. Interea Medicea familia tantum felicitatis nacta vt principatum Florentiæ acceperit, reginamque Galliæ coronari è ſua ſtirpe viderit, ac Senam remp. opulentam & potentem ſubiugarit, non nihil calamitatum ſenſit, quia diu nihil eſt felix. Nam duo nobiliſſimi ingenuiq; ſummæque expectationis adoleſcentes Medicei, alter purpureo galero inſignitus, alter eius frater ſunt morbo abſumpti, quem è peſtifero & inſalubri aere contraxerant, cum in maritimis locis Senenſis ditionis diutius fuiſſent commorati: atque qui vna fuerant tametſi non perierūt omnes, tamen in diuturnum & grauiſſimum morbum inciderunt. Hanc miſerrimā fratrū luem ſubſecuta eſt mors Mariæ virginis ſororis, quæ vix decimum ſeptimum ętatis annū attigerat, fueratque Alphonſo Ferariæ principi deſponſata; quæ mors immatura & infelix clades filiorum ita matrem afflixit vt & ipſa paucos poſt dies & aeris labe afflicta, & mærore & lacrymis confecta diem ſuum obiuerit. Coſmus Florentiæ Dux, cum ſola obliuio optimum ſit remedium illorum malorum, quæ nulla humana induſtria diuerti poſſunt, ad has tantas domeſticas calamitates, frequentiaque funera ſuorum inuictus perſtitit, quamuis non mediocri dolore afflictus. Enimuero ita prudentiæ, vti cæterarum virtutum laus non in accurata de virtutibus diſputatione, neque in exquiſita grauitate ſentētiarū ac nominū cōſiſtit, ſed in agēdis negotiis, in animi moderatione, in vel aduerſis vel proſperis fortunæ euentis ſapienter ferendis: quippe cum maiori laude dignus ſit qui cum virtute agat, quam qui de virtute loquatur. Aloyſius Salaſſiorum marchio, qui populi ſunt Inſubres, per idem ferè tempus, quia cauſam ſuam nunquam perorare potuiſſet apud Cæſarem, & eandem fruſtra apud Philippum regem ſæpius tentaſſet, omnia ſua iura renuntiauit Galliarum regi, cuius ſtipendia mereri cæpit. Ad eius principatus præfecturam delectus eſt Ludouicus Biragus vir ſummæ autoritatis & peritiæ rei militaris, publiciſque rebus gubernandis non ineptus, qui præfectus eſt cum poteſtate proregia. Sed quoniam res Gallicæ in magnis motibus bellorum fluctuabant, vt diximus, Ghiſius victoria parta de profligatis hoſtibus, captiſq; multiſ proceribus & Condæo imprimis, in qua clade ceciderunt ad ſexdecim millia Vgonoctorum, magna diligentia Aureliam obſidet, quæ eo deducta fuerat vt oporteret facere deditionē, viſum. eſt vnum remediū ſi Ghiſius de medio tolleretur, quare miſſus eſt per ingentia promiſſa qui forte domum trans Ligerim iturum in itire tribus glandibus ſclopetti in dextro humero lætaliter vulnerarit. Sic Aurelia arctiſſima obſidione per eius mortem ſoluitur. Sed quoniam ex his initiis apparebant ingentes calamitates vniuerſę Galliæ imminere, ſi mutua arma Gallorum in Gallos conuerterentur, initio anni ſequentis inſignes proceres pacem componere conabantur inter regem & nouæ religionis duces, qui quoniam nulla diligentia negotiatorū conuenire poterant, Philippus rex Io: Baptiſtam Caſtalium virum multis præfecturis, multiſque rebus geſtis clarum cum ſummo imperio, proregiaque poteſtate ad Gallicam expeditionem aduerſus Vgonottos deligit. hunc vt primum ſummum imperatorē eius expeditionis Gallus approbauit, repentina mors Mediolani, omnium quæ agebantur ignarum oppreſſit. Sepultus fuit noctu ſine vlla pompa funebri, quod ille inſtituerat ſe ſepeliri ſine aliqua exequiarum magnificentia. exiſtimarat enim vir clariſſimus obſcuris hominibus potius, quam illuſtribus funerū magnificentiam conuenire; vt obſcuri ſaltem extremo vitæ die per multa lumina & pompam fierent ſuis ciuibus illuſtres & conſpicui, quorum res geſtæ & ingenium per vniuerſum vitæ ſuæ curſum nullū apparuiſſet. At viris claris, quorum gloria non in multitudine comitantium cadauer, neque in magno numero facum ardentium continetur, iſtud non conuenire, cum illis extinctis luminibus ſempiterna obſcuritas mortuum cooperiat. Sed glorioſſimas & magnificentiſſimas virorum bonorum exequias conſiſtere in præſtantia rerum geſtarum, quæ ſolæ firmæ atque infixæ permanent in animis hominum, & per ſcriptores in animis omnium mortalium, omniſq; poſteritatis memoria. omnis enim ſplendor exequiarum diuturnitati bonorum ſcriptorum ac magnificentiæ cedat oportet, cum ſoli illi poſſint memoriam clariſſimorum imperatorum à ſempiterna obliuione vendicare. Quare qui ſcriptores iniuriis laceſſit, is planè delirat. Ghiſius interea & Aurelianus duces inſignes grauiter ferentes patriæ vaſtitatem, quæ futura videbatur ex his bellis ciuilibus Gallicis ſumma diligentia vtuntur rebus componendis. Sed Ghiſius per inſidias vt dux catholicorum, a quo Vgonotti ob egregias virtutes plurimum ſuæ factioni timebant, glande transfixus vitam concluſit. Fuit autem Ghiſius vir belli ac pacis artibus clarus, quem vel res in Italia ſapiēter geſtæ, & conſeruatus exercitus, quem incolumem in patriam reduxerat, poterāt facere illuſtrē, quamuis Cōdæi captiuitas, & Icii expugnatio, & cæterorum locorum victoria eius ducis virtutem oſtendebant. Fuit poſtmodo menſe Martio pax compoſita regio nomine inter Catholicos & Vgonottos, quæ accepta eſt, vt per eas inducias afflictum regnum inſtauraretur, per quas liberati ſunt vtrinque captiui. Condæus non ſolum obtinet veniam omnium delictorum, ſed etiam omnia regia munia, atque integram primam fortunam recuperat. Per hanc regiam liberalitatē Cōdæus certè cicurari debuit, ſed quid magis abominandum eſt quam homo mali ingenii? Quippe cum neq; ratio, neque lex, neque religio, neque beneficentia malum hominem poſſint manſuefacere. omnium ſcelerum indicium eſt ingrati animi vitium erga beneficos vbi ſemel apparuerit. eum, qui ſapient, tanquam teterrimam peſtem deuitabunt. Per idem ferè tempus in magna Græcia apud Calabros Marcus quidam ciuis ac nobilis Coſentinus exul collecta magna exulum manu ſe regem appellari iubet. per multos menſes oppida ingreſſus bona oppidanorum diripit; quippe cuius regnū nihil poſſet ſuſtentare, niſi frequentia latrocinia. Ingreſſus vel ipſam Coſentiam duces creat. tributa exigit. diplomata conficit. ac regio ſigillo munit. propter aſſe clarum vires non poterat capi, aut per peritiam locorum, cum aduerſus ingentes apparatus ſeſe ad montes reciperet. ſed ingenti præmio propoſito ſiquis ex exulibus Marci quempiam trucidaſſet, ac longe maiore ſiquis Marcum

Florētinorū principum mors.

Coſmi Florētiæ ducis cōſtantia.

Salaſsia iura conceſſa Gallorum Regi ob negligentiā Cæſ.

1563.

Ioānis Baptiſtæ Caſtalii mors.

Pompa funebris quid.

Vis hiſtoriæ.

Ghiſii mors.

Pax Chatolicorū & Vgonottorum.

Marcus Coſentinus ſe regē gerit dux exulum.

cum ipſum, & facultate præterea reſtituendi in patriam quem vellet præter ſuam impunitatem, factum eſt vt mutuis armis clam in ſe conuerſis, atque natis diſſenſionibus, Marcus captus ſit, & ad

*Cum diademate ſuſpendio necatur.*

ſupplicij honorificentiam cum regio diademate atque aurato laqueo Coſentiæ ſuſpenſus. Dux Sabaudiæ dum extirpandis radicibus prauitatis hereticæ animum adhibet natis inter alpes in valle Engronia, vt diximus, ne illæ latius ſerperent per ſuas vrbes aut per Italiam, penè in grauiſſimum periculum capitis Vgonotticæ factionis arte incidit. nam Vgonotti inſidias nonnullas inter aulicos

*Inſidiæ paratæ duci Sabaudiæ.*

collocant, curantque Philibertum & vniuerſam eius familiam ferro è medio tollere ſeruata aggrediendi negotii opportunitate. At diuina clementia tantum ſceleris non modo ad exitum perduci noluit, ſed neque impune quidem fuiſſe ſuſceptum; quare patefactis inſidijs publice cæſi ſunt, & in partes diſſecti inſidiatores, & ſica extorta de manibus confitentium. Deinde cum antiſtes Trinitatis collectas copias in montanos hereticos eduxiſſet, conſerto prælio illos virtute & fortitudi-

*Vallis Engroniæ hæreſis ſublata.*

ne profligat. multos profugientes trucidat equitatus, atque ita radicibus adulterinæ religionis euulſis vniuerſus belli terror, ac ſtrepitus armorum vno prelio fuit ex Italia cnm omnium bonorum lætitia ſublatus. Rebus ita in Gallia & in Italia pacatis arma repente in Numidia atque Mauritania

*Buyzę coloniæ obſidio.*

conſurgunt. Nam rex Iuliæ Cęſareæ occupandæ Buyzæ coloniæ deſiderio captus ingentem exercitum atq; claſſem repente inſtruit. his Seriſſum cum ſummo imperio pręficit virum rei bellicę non ignarum. conueniunt eiuſdem factionis multa hominum millia partim ſpe prædæ, partim quod vicinitatem chriſtianorum non ſatis æquo animo tolerarent. Primum itaque vrbem de more ad expugnationem explorant, poſtmodo obſidione terra marique cingunt. vallis & aggeribus & foſſis militaribus caſtra muniunt. munitionem incœptam, ſed adhuc imperfectam capiunt, quæ in ſublimi, editoque loco apud nouum oppidum, quod illi Mazalchinir vocant extruebatur, atque cũ eſſet deuaſtata hi tormentorum fuerat per noctem relicta. Huius munitinnis illecebris Numidæ fuerant ad arma capienda inuitati, qui grauiter ferebant nouam ædificationem nulla impellente cauſa manifeſta fieri, quare timere cęperunt aliquid rerunm nouarum ibi parari. Nam ſemper & inuidioſum & periculoſum eſt aduerſus potentem hoſtem nouas erigere munitiones, & in extremis finibus præſerrim. Inde motę ſunt vires Maurorum, totaque ferè Numidia ad expugnandam munitionem conuerſę. quatuor dies aſſiduos vrbs magna vi concutitur. poſt verberationem totis viribus atque ingenti impetu inuaditur per ruinas, cum tormenta ſatis murum aperuiſſe ad ingreſſum viderentur. Sed tamen ſingulari virtute defenſorũ reiiciuntur. renouatur verberatio per nonnullos dies. maius ſpatium muri ad ingreſſum proſternitur; deinde inuaditur denuo per nouas ac veteres ruinas, & ab ea parte, quę mare proſpectat. Sed non minori virtute quam prius a defenſoribus repelluntur. Sæpius renouatis, repetitisque conatibus tantam conſtantiam fortitudinemque defenſorum eſſe experti ſunt, vt non ſemel magnam cladem pro victoria teportarint. Sed enim cũ claſſis ingẽs Carteię inſtrui diceretur, atque ingentes copię ſubſidio aduentare, cęptum eſt à Numidis tractari de deſerenda ſuſcepta prouincia, cum iam menſem fruſtra vrbem obſediſſent, verberaſ-

*obſidio ſoluta.*

ſent, oppugnaſſent. Vbi vero paulopoſt per noctem triginta & quatuor triremes Hiſpanę ad Coloniã Buyzã applicuiſsẽt Numidę certiores facti per quędã dicrota continuo relicta ſolutaq; obſidione explicatis velis inde diſcedunt. rex cũ exercitu tanta celeritate iter facit, vt tormenta reliquerit, quo expeditior eſſet ad fugam. exeunt Hiſpani cognita fuga hoſtium, atque fugientes inſectantur. Sed cum eſſent pedites Hiſpani, & magnus calor eſſet in illis regionibus, imperfecto negotio reuertunt, cum pręſertim Numidæ multum haberent equitatum. capta ſunt tria nauigia, quę remis impellebantur, cum reliqua abiectis etiam nonnullis tormentis quo fieret expeditior, aufugiſſet. Eſt

*Buyzę Coloniæ deſcriptio.*

autem vrbs Buyza vt diximus in litore Mauritaniæ Cæſarienſis vocatæ inter Arſenariam Coloniã, & magnum portum, non procul ab hoſtiis Chylemathi fluminis. veruntamen non tam cito Maurorum, Numidarumque claſſis abnauigauit, quin circiter viginti & quinque nauigia præter inuenta in portu capta ſint ab Hiſpanis, commiſſo atroci & cruento ſanè prælio inter fugientem & inſequentem claſſem. Quæ dum feliciter ſuccedunt Philippo regi in Mauritania aduerſus Aphros & Pęnos, ſacra ſynodus multis edictis atq; inſtitutis ſalubriter factis ad mores & ritus ſacerdotum,

*Concilium dimiſſum.*

& ad omnium chriſtianorum vitam inſtitutionemque conſcriptis iam propinqua hyeme dimittitur. publicè pronuntiata ſunt decreta in ipſa ſynodo, quæ Pontifici oblata & ab ipſo, & & a ſacris comitiijs patrum fuerunt comprobata imperataque inuiolabiliter ſeruari ſub pęna dirarum imprecationum ab omnibus Chriſtianis. Fuerunt eadem omnibus regibus Chriſtianiſque principibus ad obſeruandum ſignificata. At Maximilianus Cæſaris filius iam patris opera electus Rex Roma-

*Maximilianus coronatur Rex Romanorum & pompa.*

norum accingebatur ad celebritatem coronationis ac Poſſonium accedit. Eſt autem Poſſonium vrbs nobiliſſima Pannoniæ, in qua Reges Pannonię coronari conſueuerunt. huic obuiam procedunt honoris gratia omnes proceres, quorum erant ad tria millia in morem leuiorum equitum armatorum, & in plures turmas diuiſorum. erant multi magnificentiſſimi equorum ornatus, quippe cum Battoris Andreæ ferè ad viginti millium nummum ornatus accederet. arma horum equitum leuiorum ſunt ſcuta, & interulæ annulatæ, & acinaces & galeæ, & gladius ſtrictior ſiue anguſtior pendens ex ephippijs, & penula vel tapes, qui thori vicè prębet in caſtris. equorum frontibus argentea integumenta addebantur, quorum pectoribus pila cum faſciculo palmarum pendebat; ac pars poſtrema equorum ſericeo panno & exterior integebatur. fręna multo argento inaurato ornabantur. cum calcaria argentea ad quatuor digitos dilatarentur vt ſtapedes ex argento affabrè facta. hi ſic inſtructi equites pręcedebant. Poſt hos ſuccedebant famuli ac milites auratis veſtibus & integumentis capitum ac magnis criſtis ad morem Ianizzerorum. Pons factus erat peramplus è pluribus centum lintribus tantæ amplitudinis, vt ſuper illo circiter decem equites pa-

ri paſſu incederent.ingreſſus atque exitus pontis ad formam magnificentiſſimarum portarum erat fabrefacti tanquam e marmore. Pannones igitur proceres egreſſi in tres turmas ſunt diſtributi ſecundum fluuium.deinde egreſſus eſt archiepiſcopus Strigoniæ vir primarius eius regni cum omnibus Pannonibus epiſcopis,poſt quos omnes abbates & canonici,qui omnes in planitie pranſi ſunt. Cœperunt circiter horam tertiam,quod eſt Italicè ad vigeſimam primam apparere regia impedimenta,& equitatus ferrarolius, vt vocant,omnis conſimili habitu,quorum erant circiter quinq; millia,qui erant Boemi,Germani, Marcomani, Maruingi. Hos ſubſequebantur principes cum plurima magnificentia.acceſſit Maximilianus atque ſubſtitit vbi ad archiepiſcopum veniſſet ſeptum epiſcopis & proceribus omnibus eius regni. archiepiſcopus publico nomine omnis ſtatus eccleſiaſtici, magnus Cancellarius vniuerſi populi ac procerum ſalutauit,gratulatusque eſt pro felici omniū aduētu. rogauit vt excuſationem acciperet ſi cum paucis honoris gratia exiiſſet,quia præſidia eſſent in fines tranſmiſſa. docet quod omnes ordines obſeruantiam & obedientiam pollicentur,tanquā ſucceſſori in Imperium. Poſtea vt rogat vt ſicuti cęteri imperatores deſignati reges Romanorum ſuum locum protegeret ac reſeruaret dignitatem eccleſiaſticam,atque ita eorum populorum conſeruaret priuilegia vt optimo principi cōuenit,cum ipſi omnia debita ſuo principi officia eſſent ſeruaturi ac præſtituri. Iuſſus eſt epiſcopus Bodurgienſis pro Maximiliano reſpondere,quod pro eorum populorum cognita in ſe beneuolentia & paucitatis obuiorum excuſationem acciperet propter diſtributa præſidia,& quod obedientiam gratiſſimo animo complectebatur, atq; hortatur in eadem optima voluntate perſiſtere ad omnium ſalutem & conſeruationem. his dictis omnes antiſtes & proceres manum exoſculati mox iter capiunt. acceſſerant interea duo millia Germanorum ad Maximiliani cuſtodiam delectorum. ſecuti ſunt Pannones principes Germani,& aulici omnes, quibus ſuccedebat Carolus Archidux. Hunc ſequebatur Maximilianus inter archiepiſcopum Strigoniæ & epiſcopum Vinundriæ. Hinc Ferdinandus Archidux,hos principes in Hiſpaniam mox ituri. hinc regina in magnifico curru cum duabus principibus,ac multis aliis plenis matronis. hos currus ſequebantur regiæ cuſtodiæ cum armis prælucentibus ac lanceis. his ſuccedebant Cęſareæ, & pedites deinde prędicti. Vbi primum rex ad pontem peruenit multa diſploſorum tormentorum fit ſalutatio tam ex oppidulo,quàm ex vrbe,cui magnus numerus militum fit obuius vltra pōtem, qui facta ſalutatione militari verba fecerunt pro fauſto aduentu lętitiam ſignificantia. Interea Pannones ad foſſas vrbanas in duas alas diuiſi conſtiterant,ita vt inter illos rex iter fecerit. magna edita ſunt a rege humanitatis ſigna,qui ad ędes ſibi paratas acceſſit. Poſtridie Cæſar nauigio eo aduehitur,cui pariter omnes ordines fiunt obuij,qui viſo equitatu Pannonico in arcem ingreditur, ad quem conuenerunt poſtridie mane omnes antiſtitum ordines,& proceres,& nobiliores. celebratis de more ſacris in ampliſſima aula duæ ſedes paratæ ſunt aureis pannis tectę,quarum in altera Cęſar,in altera rex conſedit. epiſcopus Bodurgienſis Cæſaris nomine explicat omnibus præſentibus ſibi pergratum fuiſſe quod tanto honore,beneuolentiæque ſignificatione regem excepiſſent,ipſumque Cęſarem,& omnes filios. Quod auditis frequētibus ſupplicationibus eorum populorum,qui vellent præſentem ſuum regem habere, ad quem poſſent opportunè confugere, vbi res poſtularet, cum ipſi vniuerſum onus imperij incumbat,pro populorum deſiderio conſtitueret regem, ac ſufficeret pro ſe filium ſuum Romanorum regem iam regem Boemię,qui illi adeſſet pro regni vtilitate: cum ipſe non ſolum eſſet in rebus Imperii implicatus,ſed etiam inualidus propter ętatem ad tāta pondera ſuſtinenda. Addidit ſe voluntatem ſuam ſcriptam daturum, quo diligentius intuerentur quę inſtituerentur ad eius regni conſeruationem. Gratię actæ ſunt ab archiepiſcopo Strigonię pro optima Maieſtatis ſuę voluntate in illos populos,atque publico nomine promiſſum omnia factum iri, quæ ad commodum & deſiderium ſuæ Maieſtatis ſpectarent. accepta voluntate Cæſaris ſcripta diſceditur, atque procurantur quę pertinerent ad coronationem. Poſtridie mane pro conſuetudine eius regni conueniunt in cœnobium Franciſcanorum monachorum, in quibus comitiis ſtatuitur vt de more cęterorum regum coronaretur,reſeruatis tamen priuilegiis & libertate omnibus ſtatibus. In maiori templo tabulata facta ſunt. poſtea ad commoda nobiliorum,quæ magnificè ſunt aulæis,aureisque pannis ornata,cum purpurei ſubſternerentur. à dextra parte,vbi paratæ erant ſedes,ſedebat eminentior duobus gradibus Cæſar.deinde paulo ſeorſum Archiduces,hinc alii multi proceres adſtabant ab vtraque parte adyti. In medio adyti ſiue chori,vt vocant, è regione maioris altaris,ſtatutus erat thronus regalis aureo pāno coopertus,ante quem ſedes nuda: a tergo oblongius ſcamnum cum aureo integumento,in quo aſtabat nuntius pontificius. ante ipſum altare ſedebat archiepiſcopus Strigoniæ ac paulo inferius epiſcopi & abbates. Primus ingreditur templum Cæſar cum filiis multiſque proceribus. Hinc regina cum filiabus. rex denique,cui fiunt obuii multi antiſtites,atque in ſacrarium deducīt. ibi purpureis veſtibus talaribus induitur,cui ſuperius impoſitum eſt regium paludamentum Stephani primi Regis Pannoniæ,quod vna cum corona regia dicunt dono miſſam fuiſſe a pontifice anno poſt mille trigeſimo a partu Virginis, vt in eius limbo intextum eſt. Rex à duobus epiſcopis in minorem ſedem adducitur,inde ſtitur ad altare ante archiepiſcopum. epiſcopi pro rege precantur,qui rogat eccleſiam vt coronetur rex Pannoniæ. percūctatur hos archiepiſcopus an illum cognoſcant idoneum;cui reſpondetur quod cognoſcunt. tum ad eandem ſedem adducitur. Decantantur ſupplicationes. poſtea Regi benedicitur, & vngitur ſancto oleo dextrum latus inter manum & cubitum bambaſio circunducto,atque ita humeri. ſacra poſtmodo celebrantur,inter quæ poſt altare rex adducitur,vbi dilutum eſt oleum. portata deinde eſt corona, & ſceptrum, & gladius a primariis proceribus regni,qui fuerunt duo Franciſci alter Battianius, alter Thaius,quę omnia ſuper altare ſunt depoſita. Vbi rex ad pręſentiam archiepiſcopi rediiſſet,

Ceremoniæ ſeruatę in coronatione.

ſet, magnum iuramentum iurauit de iuſtitia & obedientia ſedi apoſtolicæ & honore antiſtitum, deque priuilegiis & omnibus ſtatibus incontaminatè conſeruandis. Deinde cum archiepiſcopus quantum pondus ſuſciperet admonuiſſet, quātopereque ad omnem pietatem & integritatem propenſus eſſe teneatur, coronam capiti imponit. dat ſceptrum. gladium accingit. rex illum eductum circumuibrat incipiens te Deum laudamus. dein in vaginam reponit, atque in thronum regalem accedit. ab altera parte Regis aſtabat Araldus Pannonię cum paludamento regni, ab altera Boemiæ, in medio Regis Romanorum. a ſiniſtra parte erant ſeptem vexilla regnorum Pannoniæ, Dalmatiæ, Mæſiæ, Croatiæ, Myſiæ ſuperioris, Epiri, Mauriæ, quę ſunt Illyricæ regiones. Abſolutis ſacris proceditur cum ſacra pompa. rex inter duos primarios antiſtites incedit, deinde reliquis comitantibus proceribus ventum eſt in cęnobium diui Franciſci, vbi tabulatum erat inſtructum peramplū cum ſede regali. ibi rex cōſidens multos equeſtri dignitate inſigniuit, quibus abſolutis ceremonijs equum conſcendens cum omni comitatu egreditur ex vrbe ſeptentrionem verſus, vbi constructum erat tabulatum. rex illuc conſcendens iuramento affirmauit vniuerſi regni inſtituta, vt dictum eſt ſuperius. inde ad occaſum alteram partem vrbis diſcedit, hinc ad meridiem ad inſulam Danubii, vbi factum erat tribunal in figuram montis. Ibi conſidens ac ſtictum gladium in quatuor mundi partes præcipuas vibrans pollicetur ſe regnum ab omnibus hoſtibus vndique defenſurum. Inde domum diſcedit. poſtridie coronata eſt regina iiſdem ritibus, ſed alia corona. illa qua rex coronatus fuerat, impoſita eſt illi ſupra humerum dum fierent ceremoniæ. poſtea facta ſunt ludicra certamina ad ſignificationem lętitiæ pro hac coronatione. certatur equeſtri pugna. Alphonſus Caſtalius, & Ioannes Manriques defenſionem pugnæ ſuſcipiunt. dimicarunt & Archiduces, quorum præcipuè ſingularis virtus & ars enituit. Ita pugnatum eſt ad noctem multis lanceis infractis. ſimulatū oppidulū cū multis miſſilibus ignibus extructū eſt ad expugnandū, atque datum defendendum delectæ manui Italorum militum, atque ſtatutum erat vt direptum flammis abſumeretur. vbi primū initum eſt leue certamen iactis quibuſdam ignibus, forte flammas repente concepit. continuo totum flammis impletur, idque fit tanta celeritate vt cum multi eſſent interius non omnes poſſent euadere, quamobrem nonnulli flammis ſunt abſumpti. Quidam ſe præ metu ignis ſaltu inferius demittentes cum magna eſſet altitudo ſemiuſtulati paulopoſt petierunt. Neque ſolum hoc ſpectaculum miſeriarum plenum turbauit lætitiam, ſed etiam grauis contentio inter Italos & Pannones coorta. nam Itali crediderunt Pannones ignem ſuggeſſiſſe propter diſſenſionem prius ortam ad vltionem, quare ſtrictis armis in hos impetum faciunt, multosque repente vulnerant. Pannones indignati, quod turpe videretur tam paucos auſos fuiſſe inpune in vniuerſam nationem inſurgere, atque inſultare lanceis & varijs telorum generibus rem agunt acerrimè. Ventum eſſet ad extremam cladem, niſi Cæſar ſuas cuſtodias miſiſſet, & cohortem Germanici peditatus, ad quorum præſentiam res non ſine difficultate conſopita eſt. poſtridie ad annuli curſum venitur, è quo certamine præmia plerunque rex & Archiduces habitu Pannonico induti reportarunt, quę tamen largiti ſunt ancillis reginæ. cæteris diebus nocturno tempore multa genera ludicrorum celebrantur, ad quæ vniuerſa nobilitas confluebat. At vero quoniam Carolus Philippi Regis filius eſſet valetudinarius, quia verebatur Philippus ne ſi ille deceſſiſſet, regnum poſt ipſum ſine rege relinqueretur, duos principes Maximiliani filios accerſit, qui longis itineribus è Germania profecti per Italiam Genuam perueniunt in Hiſpaniam traiecturi. Multi inſignes proceres hos comitantur. multi fiunt obuii honoris gratia. omnes ciuitates in itinere oſtendunt multa humanitatis & lætitiæ ſigna propter felicem eorum aduentum. Hi cum ad Philippum regem perueniſſent excipiuntur perhumaniter vt conſobrini & principes ſumma neceſſitudine coniuncti. fuerunt deinde apud eum regem quo paulatim aſſueſcerent Hiſpanis moribus, quod maximè conferre putabatur ad regni ſucceſſionem. Vt enim temporum aeriſque mutatio confert humanis corporibus iis, quæ ſunt accommodata illi temperamento, ſic grati ſunt principes, qui pro ingenijs hominum ſubditorum imperare ſciuerint. Huc accedit, quod Hiſpani ſemper ferè ſuos Reges in ſua prouincia eſſe percupiunt, cum cenſeant pacem, æquitatem, iuſtitiam, legum ciuitatumque conſeruationem ac tranquillitatem contubernales eſſe regum. Quippe quod miniſtri regij plerique abſente rege vel ad auaritiam præſunt, vel per crudelitatem ſibi exiſtimationem quęrunt, multaque nefaria tyrannicè cōmittant, à quibus illegitims motibus animorum ſi rex non procul abſit, abſtinent. Neque enim ullus tam immanis eſt tyrannus, qui ſocium tyrannidis æquo animo patiatur; quare quæ ſcelera à miniſtris commituntur inſcijs regibus committi putanda ſunt. ac pauci inueniuntur qui res ſibi commiſſas æquè curent ac ſuas. idcirco reuerentia præſentis principis ſemper ipſis magiſtratibus eſt vtilis, qui niſi adſit, fiunt intolerabiles ciuitatibus prorſus liberi magiſtratus, & ad omnia iniuriarum genera propenſi cum ſibi conceſſa autoritate legum pro impunitate abutantur. in hoc vitium incurrunt maximè omnium populares & multorum carentium ſeuero principe adminiſtrationes.

Miſerabile incendium inter ludicra.

Seditio inter Pannones & Italos ob ignem.

Filij Max. in Hiſpaniā acciti.

1565 Pontifex initio anni ſequentis, qui fuit quartus a partu Virginis poſt mille quingentos & ſexaginta ſumma diligentia conaturus vniuerſas hæreticę prauitatis radices ex Italia funditus euellere, latentes penitus inueſtigare, ſecreta priuatorum cordium penetralia rimari, veritus ne Italia cum cæteris prouinciis ad hęreſes conſentiret, vniuerſam prope Italiam in maximas, difficillimasque difcultates iniecit, & parum defuit, quin bellum Italicum excitarit. Hortatus eſt enim Philippū Regem vt Hiſpanam quæſitionem in Inſubres tranſmitteret in Italiam, acrem illam nimirum & ſeueram, per quam vita & facultates omnes contaminatis per maximam poſteritatis præſentiumque omnium inopiam & mendicitatem eripiebantur. Illud cum Philippus ad ſenatum Mediolanenſem per literas ſcripſiſſet, vt admitteretur Hiſpana quæſitio, propè tumultuatum eſt Mediolani, &

Quæſitio Hiſpana Mediolani propoſita & reiecta.

arma

arma publicè ſumpta; quippe cum murmure & conſpiratione & concordibus animis ad defenſionem vrbs tota repleta ſit aduerſus Hiſpanos regios miniſtros, qui illuc ipſi non Romano more, ſed Hiſpano, acerbiſſimè quæſitionis leges inferre conabantur. Vtuntur his legibus Quæſitores Hiſpani atque exercent in Mauros, qui ad Chriſtianam religionem migrantes à corruptis moribus Marani poſtea vocati ſunt propter inextricabiles errores atque hæreſim, quibus ſunt implicati. Nam cum Maurorum nomen depoſuerint, neque rectè Chriſtianam ſimplicitatem, innocentiamque imbiberint, (tota enim lex Chriſti nihil aliud eſt, quàm innocentia, ſimplicitas, & beneficẽtia) meritò Marani dicũtur, quia Maranin apud Grecos corrũpere ſignificat.

Marani à ſuibus, vt alij mallunt, dicti.

Reſpondet Senatus Mediolanẽſis viſis motibus ciuilibus ad nũtium queſitionis, ſe ad eius Maieſtatis nutus omnes eſſe paratiſſimos, atque curaturos vt regia mandata ad vnguem ſeruentur, cum conſtet ille Senatus è viris lectiſſimis ac ſapientiſſimis. Veruntamen non ſibi videri ita eſſe faciendum è regia vtilitate, tũ quòd illæ leges tam ſeueræ non eſſent neceſſarię Mediolani, vbi tribunal quæſitionis cõprehendat omnia, quæ per varia inſtituta diſtincta ſunt, & coordinata, & omnes ſolennium legum conſuetudines; tum etiam quòd vrbs illa & vniuerſa Italia maximè abhorrere apparet ab hac nouitate legum, quæ id ipſum in ſe paulo poſt redundaturum arbitretur. Non eſſe committendum ſibi videri, vt viri boni hiſce præſertim temporibus periculorum plenis, & bellicoſæ nationes metu malorũ ad deſperationem impellantur, cum nihil commodi præſertim iſtud regiæ dignitati ſit allaturum.

Senatus Mediol. reſponſum

Illo tam prudenti Senatus reſponſo res facile conſopita eſt per Philippi Regis ſapientiam & humanitatem, omniſque timor ereptus Inſubribus, qui excitatus fuerat. Nam profectò grauibus erroribus grauia ſupplica cõueniunt, leuibus leuia; nam ſicut in grauiſſimis, moleſtiſſimiſque morbis leuiſſima pharmaca non conueniunt, quod ea magis irritent, quàm mitigent vim morbi: ſic leuia ſupplicia ſi grauiſſimis ſceleribus iniungantur, fit impunitas quædam & quaſi licentia ad eadem flagitia, cum ſceleſtos faciant cautiores, at non timidiores. ſin grauia pharmaca leuiſſimis morbis adhibeantur, vniuerſi corporis ſalus in magnum diſcrimen ac periculum coniiciatur, quod ipſum fit in ciuitatũ ægritudinibus, & in omni re politica. Impunitas enim fit licentia ſcelerum; crudelitas impellit ciues ad res nouas & defectionem. Pontifex vbi res Mediolani non ſucceſſiſſet Venetos ad hanc ipſam nouitatem rerum hortatur, precatur, contendit, ac propè impellit.

Venetijs Hiſpana Quæſitio tẽtata & reiecta.

Sed Veneti viri ſapientes re maturius conſiderata, cognitoque periculo, in quod erant illapſuri, ſi tantum acerbitatis ſubditis ciuitatibus innexiſſent, cum Neapolis regnum penè defeciſſet à Cæſare ob hanc ipſam cauſam, & Mediolanenſes id conſtanti animo reieciſſent, quia nollent videri palam Pontifici reſiſtere, neque omnino cum tantæ periculo iacturæ parere, negotii ſpem & reſponſi vel flagitante pontificio oratore diutius quoad fieri poteſt comperendinant. Sed cum magis magiſque in dies inſtaret orator, fit ſenatuſconſultum. proponuntur in ſenatu varię ſententię. perpenduntur quæ in cõmoda poſſent ex eius pertinacis põtificis ſentẽtiæ ſuæ indignatione cõtingere, niſi pareatur, qui animo non ſatis tranquillo in eam remp. iam eſſe apparebat, ſi ſic etiam magis irritaretur. At ex altera parte omnium bellorum miſerrimum ciuile & domeſticum eſſe occurrebat, per quod vires eripiuntur reipub. quod non poſſet tam facile ſedari, quam excitari; ac tantundem beneuolentiæ ſubditorum populorum comparabatur illis difficultatibus, quæ oriturae erant, deuitandis, quantum inde indignationis, nam facilius eſſe apparebat externum quàm intimum bellum, ac diſcordias per populorum ſtudia perferre.

Veneti prudẽter re cõſiderata reſpondent.

Reſponſum itaque datum eſt ab eo ſenatu pontifici humanitatis plenum: ſibi videri in impios ſeuerè omnino animaduertere oportere ad exterminandam impuriſſimam hæreſim, at in facultates etiam per inopiam & miſerias innocentium filiorum, nequaquam. præcipuè cum ciuitates habeant ſatis pias & religionis Chriſtianæ catholicę obſeruantes, neque tanta iudiciorum ſeueritate indigentes. Se ſumma diligentia curaturos ſiqui prauitate hẹretica contaminati reperiantur, vt expurgentur ab omni impietate. Pertinaces pro vſitata ratione iudiciorum extremis ſuppliciis affecturos. Iniunctum eſt etiam ſacerdotibus, quibus populus ad expiationem peccata confiterentur, vt ſub pęna diratum imprecationum hæreticos ſacerdotibus patefacerent; ſed nemo ita eſt accuſatus.

Piratarũ inſolentia.

Quæ dum ita conſiderantur ad pontificias petitiones propulſandas, immanium piratarum crudelitas vbique craſſatur in ſinu Adriatico, ſed in primis ad Hoſtiam Tyberinam, vbi piſcatores & alij complures homines capti ſunt, & in miſerrimam ſeruitutem abducti. nam per ſingulas noctes egreſſi ad Imolam vſque pṛedabundi omnia percurrunt, & portum Arimini, atque Senogalliæ, & ad foſſam vſque Clodiam percurrentes omnem oram maritimã populantur.

Chriſtophori Canalis virtus.

Veneti id ægre ferentes Chriſtophorum Canalem mittunt, qui magna alacritate cum quatuor roſtratis nauibus inſecutus multos piratas captos extremis ſuppliciis affecit, atque Adriaticum mare ingenti moleſtia expurgauit. Carolus interea Gallorum rex Lugdunum profectus, vt populos illos, omnemque controuerſiam Gallię Lugdunenſis componeret, multos cõſceleratos & ſeditioſos homines extremis ſuppliciis affecit, vrbemque illam, & vniuerſam regionem placauit. ad maiorem ſecuritatem & confirmationem præſentis ſtatus arcem excitari iubet, quæ tanquã frænum impoſitum eſſet ciuitati ne tumultuaretur, atque rebus diligenter compoſitis peſtilentiæ metu inde diſcedit.

Arx Lugduni excitata.

Peſtilẽtia grauis.

Nam tanta peſtilentiæ vis per Galliam Lugdunenſem craſſata eſt, tamque per alpes & Allobroges ſęuit in Heluetiorum vſque fines & Rhetos peruagata, vt vix quinta pars hominum in illis finibus è periculo, cladeque euaſerit. Quæ dum aguntur in Gallia, biremes quinque piratarum ad inſulam Sardiniam profectæ, inuadunt nauigium maius Alyſij Aſcheri iam iam portum Calliatum ingreſſurum, ac vi expugnant. ſed poſtridie ſeptem Melitenſes triremes & biremes ipſas captiuas, & nauigium in portum eundem reducunt cum inſigni clade Turcarum piratarum, qui pro ſalute ac defenſione fortiter pugnauerant. Vbi iam æſtas aduentaſſet inter difficultates

Prodigia.

tes Gallorum,quorum res cum alibi componerentur,alibi in bellum erumpebant,in Nicea Prouinciæ hora ferè decima nona ad duodecimum Cal. Septembris ad pagum Scazenam per id tempus factus eſt maximus motus terræ,ac pagi alij finitimi tanta vi concuſſi,vt portus Villę Francę multò factus ſit depreſſior,& duo montes altiſſimi collapſi,qui magnam partem propinquæ planitiei occupauerint cum ingenti flammarum eruptione,quod quidem ſpectaculum maximè horrendum viſum eſt. alibi in eadem regione ſciſſi ſunt præcelſi montes, & facti ingentes profundiq; hiatus,in quibus nonnulli, qui cum ruinis paulatim ſunt collapſi,mortui ſunt inedia, cum nemo auderet ob eximiã profunditatem,neque poſſe opem ferre. Illud prodigiũ non parũ terruit animos mortalium, non ſolum ob inuſitatum naturæ motum, ſed etiam quia res huiuſmodi admirabiles & terrorum plenæ ferè non ſolent contingere nihil diuinitus ſignificantes.

Ferdinandi Imperatoris mors,& laus

Mortuus eſt paulopoſt Ferdinandus Romanorum Imperator,princeps eximia probitate, ſingulari prudentia, humanitate verè imperatoria,omnibusq; præſtantiſſimis naturæ dotibus ornatus,& in primis mirifice obſeruator catholicę pietatis.eius corpus balſmo perunctum eſt,& in templũ palatii deportatum,nec multò poſt cum pompa in templum auguſtius Iuliobonæ, cuius Toſonium ſuper puluinare geſtebat Scipio Arcuenſis, ſceptrum Franciſcus Laſcus reginæ œconomus,pilam Boemiæ magnus cancellarius, coronam œconomus Cæſareus; de cuius laudibus luculentam habuit orationem epiſcopus Caſurgienſis. nam corpus delatum eſt poſtea Caſurgium, & in ſuo munimento depoſitum. In huius principis tam preclari laudem ob ſingulare ſtudium pietatis & bonitatis cum multa præclara & honorifica carmina ſunt conſcripta tum hæc non inſulſa viſa;

*Maximus ęterno Cęſar digniſſimus ęuo*
*Marmore in exiguo iacet hoc. Sed Iupiter eius*
*Aethereis animam felicem condidit oris.*
*Præfuit vt qui orbi claris virtutibus heros.*
*Indigetes inter diuos clariſſimus adſit.*

Maximilianus Romanorum rex iam deſignatus Imperator Aiſeſtainum mittit virum tractandorum negotiorum gnarum ad quatuor Electores,qui mortem patris nuntiaret,& locum ac tempus imperatorium comitiorum ſciſcitaretur. Mittit Pucchium & ipſum virum callidum ad Saxonum & Sennonum duces. Philippus Rex cum teneret memoria adhuc cladem in inſula Meninge acceptam,claſſemq; partim captam & demerſam,partim conquaſsatam,cuperetq; illam ignominiam aliqua re memorabili delere ne prorſus defeciſse appareren maritimæ vires, ingentem claſsem inſtruxerat; non ſolùm vt Buyza oppreſsa & circundata Mauritanis armis ſubleuaretur, verum etiã vt præterita damna aliqua ex parte reſarciret. comparatis igitur centum & tredecim triremibus, inter quas erant quinque Melitenſes,decem Siculę,vndecim Neapolitanæ,octo Florẽtinę,ſex M. Antonii Columnæ,duodecim Andreę Auriæ,tres Sabaudienſes,octo Luſitanæ,reliquæ Hiſpanę,ac cẽtum onerariis,cum quodam nauigio Luſitano præcelſæ & inuſitatę magnitudinis,ac pluribus nauigiis, diuerſi generis, impoſitis duodecim milibus peditum præter ordinarios epibatas,iubet eam claſſem vniuerſam nauigare in Numidiam Maumetanorum regionem ad eum locum occupandũ, qui iacet è regione ferè Calpes montis in ſinu maris Mediterranei inter Ceutam & Alcudiam ſiue Exiliſſam & Teniolongam, ac Pegnon vocatur,quod oppidum eſt muniſſimum ſuper ſcopulo extructum, atque cohęret continenti.

Claſsis Hiſpanæ magnitudo.

Pegnonis nomen.

Non diſtat per magnum ſpatium locorum ab vrbe ampla & frequente Abila vocata è ragione Hiſpaniæ; quam proſpicit longo ſpatio in ripa vlteriore. caſtellum ipſum inde nomen cepit, quòd Hiſpani ſcopulos pegnones vocarunt. Impulſus eſt autem Philippus rex ad illam expeditionem præcipuè ſuſcipẽdam, quòd illud oppidum eſſet receptaculum omnium piratarum Iuliæ Cæſareæ, omniumq́, litorum Mauritaniæ propè ad Numidiæ,vnde ad Hiſpanorũ nauigia diripiẽda & deprędãda quotidie erũpebãt, quę vel ĩ Belgas,vel aliò nauigarent,neq; vlla regio maritima ab illorum incurſionibus tuta relinquebatur. Huic tantæ moleſtiæ de medio tollendæ pręficitur cum prædictis copiis & claſſe ſummus imperator Garzia Toletanus Petri filius,qui cum claſſe,militibus,commeatu,rebusq; aliis neceſſariis inſtructa cum multis Italis,Hiſpaniſque proceribus ad illam expeditionem nauigat. Egreſſa claſſis è portu Malage felici nauigatione vſa ad Complutam applicuit. deſcẽdit pars quędã copiarũ,qui locus diſtat ad quindecim milliaria à Pegnone. reliqua pars circiter tertium idus Sextilis ſeſe Pegnoni oppido mane oſtẽtat,vbi primũ illuxit.copię poſtea exponuntur.tormenta inter corbes terra oppletos incredibili celeritate diriguntur. caſtellum acerrimè terra mariq; oppugnatur,tanta induſtria, tantaq; diligentia, vt non modo nulla hora,ſed neq; vllum temporis quidem momentum defenſoribus & oppidanis concederetur ad quietem,aut ad reparandas vires, cum expugnatio ingenti celeritate indigeret, antequam cõuenirẽt ſubſidia. Magiſter negotii tormentarii dictus erat Io. Andreas Auria. Aloyſius Oſorius copiis in regno Neapolitano collectis pręficiebatur. Sancius Leua Hiſpanis e regno Neapolitano & Sicilia eductis. Cepinius Vitellius caſtrorum magiſter. at Oſorius dum locum ad expugnationem explorat globo laniatur. effectum eſt autem per illam copiarum diligentiam vt die tertio Mauris ac Turcis defenſoribus oppidum deſerentibus ob nimiam moleſtiam, illud in poteſtatem Chriſtianorum venerit,quamuis trecenti Turcæ conati ſint ipſum defendere, qui pertinaciter pugnantes partim trucidati ſunt, partim capti. nam per aſſiduas verberationes, frequenteſque ruinas, & acerrimos conatus aliis diffugientibus, hi ſoli reſiſtere auſi ſunt. Poſtea nullo interiecto tempore captum oppidum munitur, reparationibus vbicunque proſtratum, euerſumque eſſet vi tormentorum refectis & excitatis, ne facile poſſet ab hoſtibus recuperari. claſſis itaque oppido egregiè munito rebus omnibus neceſſariis, atque optimis præſidiis Hiſpanis,erat abnauigatura,

Garzas ſummus claſsis imperator.

Pegnon captus.

cum

cum accedentibus tardis Pegnoni ſubſidiis prælium cõmittit. at Turcæ ad aquam vſq; Hiſpanos perſequuntur. ceciderunt tamen in ea pugna quatuor tantum Hiſpani, ex hoſtibus plures ſexcentis. claſſis abſcedēs è litore, videt orã maris finitimã tectã eſſe equitatu Mauro, qui ad arcendas vires Hiſpanas vndiq; cõfluxerat. Hic felix claſſis ſucceſſus quãtũ lętitię Hiſpanis, tantũdē, vel etiã plus indignationis Solimano attulit, qui grauiter ferebat, ac putabat propè incredibile Philippũ auſum eſſe maritima loca munitiſſima expugnare, ac res ſuas moleſtiſſimè infeſtare, cuius paulo ante claſſē tam turpiter profligarat, atq; tot inſignes duces vel trucidarat vel ceperat. nõ enim futurũ putarat vt auderet de maritimis viribus cogitare intra tam breue tempus, nedũ tantã claſſē nõ poſſe inſtruere. Per idē ferè tempus Sampetrus Corſus dux veteranus, ac rerũ bellicarũ peritiſſimus, ſummęq; autoritatis in Cyrno inſula, vt qui ſumma cũ laude diu Gallica ſtipendia meruiſſet, vbi res compoſitæ fuiſſent inter duos potētiſſimos Chriſtianorũ Reges, iam ſibi licere ratus quod reliquũ eſſet vitæ pacatè, tranquilleq; in patria degere, iecerat fundamenta magnifici & ingentis palatij in Cyrno inſula, & quaſi ad iuſtam formam munitionis erexerat. Nam aduerſus omnes Turcarum & piratarum incurſiones tutus eſſe volebat, quibus illa inſula plurimum infeſtatur. at Genuenſes audita forma munitionis, veriti Gallicarum partium ſtudioſi ducis potentiam, & peritiam rei bellicę, ne per inſidias iſtud fieret aduerſus vniuerſę inſulę libertatem, per ſenatuſconſultum ædificationem impediunt, iubentque palatium deſerere.

Initia belli Cyrnēſis aduerſus Sampetrum.

Sampetrus quod plurimum auri in illud ędificium abſumpſiſſet, periniquum ſibi videri inquit expectatum eſſe ſilentio, vt maior pars ſumptuum conficeretur, deinde abſumptis inutiliter præmijs omnium ſuperiorum laborum militarium iam propè ſenem ad inopiam rerum omnium redigere. petit vt impenſa pecunia ſibi ex publico diſſoluatur. renuunt Genuenſes id ęquum videri, quia nemini priuato danda eſt facultas erigendarum munitionum inconſulto principe.

Rationes Sãpetri, & Genuenſium.

Sampetrus ęgerrimè ferens ita pecuniam ſibi præreptam eſſe, ſeque ad miſerrimam ſenectutem ita perduci, vbique de Genuenſium nimia crudelitate & auaritia conqueritur. Inſulanis pleriſque, qui plurimum eum virum amabant, illud perindignum videbatur, ſi neque ſuis ædificijs potiri ſineretur, neque diſſolueretur precium, quod à tyrannide non valde abhorrere apparebat, cum neq; in inſula tuto aperte habitaretur, neque eſſet expectandum ad impediendum vt magni ſumptus facti eſſent. Communi igitur conſilio, concordibusque animis conſpirant multi inſulani ad Sampetri defenſionem, partim quod odioſum eſſet pleriſq; eius reip. imperium, cum omnes libentius pareant opibus, nobilitate, potentia, ſapientia præſtantioribus, quam propè paribus his omnibus; partim quod Cyrnenſes plerunque ſunt ſtudioſi rerum nouarum, atque putabant ſe Gallica auxilia ad illud negotium habituros, quia Sampetrus Gallica ſtipendia honorificè diu meruiſſet. Illo igitur cõſilio multos Genuēſes inuadũt repēte, nihilq; tale opinãtes in inſula miſerrimè trucidãt. reſiſtere conati Sampetro magna vi armatorũ ſuperãtur. Sampetrus poſt modo portũ Philoniũ capit, atq; Cortē oppida propter annonæ penuria; qua Cyrnēſiũ defectione & clade ſuorũ audita Genuēſes multos Italos ac Germanos cēturiones mittũt ad colligēdas copias. impetrãt per literas Laurētij Figueroæ viri Hiſpani à Mediolani præfecto vt liceat mille & quingentos pedites Inſubres colligere ad eius inſulę auxilia & conſeruationē. Interea Frãciſcus Iuſtinianus cũ centũ equitibus, Ioãnes Blãcus cũ trecētis peditibus in inſula obuij facti nõnullis copijs Sampetri Cyrnēſis præliũ cõmittunt, in quo duo præfecti cohortiũ cũ cecidiſſent, reliqui facile ſunt in fugam verſi. Cęſi ſunt plures quadringētis e Sãpetri militibus.

Sampetri clades.

in reliquis pręlijs leuioribus, quæ frequēter excitabãtur, ſemper ferè inferiores recedebãt Genuēſes ob ſingularē cognitionē, quã habebat Sampetrus nõ modo regionis, ſed etiã retrahēdi copias, vbi opus eſſet, leuiorũq; certaminũ, & tēporis ac loci, in quo hoſtis poſſet vtiliter inuadi, & omnis rei bellicę, vt vno verbo dicã, cuius peritiã adiuuabat animus Cyrnēſiũ, quibus moleſtũ videbatur Genuēſiũ imperiũ. Sed inutile eſt præſtãtiũ in vnaquaq; facultate virorũ ingenia leuibus de cauſis in ſe irritare, cũ multo maiora incommoda, quã ſperabãt, per Sampetrũ experti ſint in inſula Genuēſes, qui poterãt ſine periculo paruis ſumptibus rē cũ eo cõponere.

Peritorũ in quaq; facultate magna eſt habenda ratio.

Genuēſes cõtrã ne p futurã hyemē validiores fierēt in inſula vires hoſtiũ, curãt, vt Io. Andreas Auria cũ viginti triremibus ſubſidia cõuehat inſulanis copijs quæ cũ duobus millibus & quingentis Hiſpanis appellentes trecentos Germanos & Italos exponunt in regionem Mantinorum, & quatuor muralia tormenta præfecto Stephano Auria ad portum Philonium expugnãdum. Garzia Toletanus regiæ claſſis ſummus imperator poſt captum Pegnonem dimiſſis cęteris nauigijs in ſuas ſtationes, ipſe cum Hiſpana claſſe nauigat in Hiſpaniam.

exules Picenũ plurimũ infeſtant.

At vero res Piceni non parum domeſticis calamitatibus & cædibus interea affligebatur, cum plurimũ terroris & trepidationis iniectum eſſet ijs finibus, quoniam initio ferè anni præſentis plures quingentis exulibus in vnum conuenerant homines planè malefici & ſicarii & inhumani, qui propter homicidia & latrocinia & varia ſcelerum genera fuerant perpetui exilii condemnati, & extra fines pontificios per leges eiecti.

Aſculum captum ab exulibus duce Manaico.

Hi ex compoſito per noctis obſcuritatem in Aſculum oppidum nobile Piceni inuadunt, ac multos obuios trucidant. ad inimicorum domos ſinguli conuolantes priuata odia explent nulli vel ſexui, vel ætati parcentes. omnia bona tanquam hoſtium diripiunt. Sic exules Aſculo per noctem potiti duce eius expeditionis Manaico viro ad omnia facinora prompto & intrepido, liberè ac ſine metu per regionem diſcurrentes, facientesque quotidie varias incurſiones obuia quæque prædantur ac diripiunt. reſiſtentes trucidant. prædam multam in oppidum comportant.

Cõiuratio in Pontificē furioſa.

Tantorum ſcelerum vltionem retardauit aliquantulum ſtultorum & furioſorum quorundam hominum dementia & impia coniuratio, qui penè innocentiſſimum Pontificem ipſum oppreſſerunt, & venenatis pugionibus erant trucidaturi. Dicuntur enim vel inſania & furore, vel phanaticis ſpectris, & à maligno dæmone impulſi Tadeus Manfredius eques Pellizzo-

nius & Antonius Canuſinus & Benedictus Accoltus & Proſper Pictorius & alii quidã in caput pontificis coniuraſſe, quem interficere decreuerant cum publicè daret audiẽtiam, ſimulantes porrigere chirographum; ac primũ percutiendi locum Accoltus ſibi depopoſcerat. Nam ſibi perſuaſerat, ſicut reliqui tam fœdæ coniurationis ſocij futurum illo pontifice trucidato vt pontifex diuinus, ſanctus, angelicus, diuino afflatu compulſus cum magno Chriſtianorum conſenſu Romam conuolaret, qui mox eſſet futurus monarcha, & totius orbis terræ Imperator. His addidit Accoltus ſibi ius eſſe remunerandi tam præclari facinoris conſcios & adiutores, niſi haberent pro magno præmio totius Chriſtianæ reip. ſanctitatem, & nouę vitæ reformationem. Deſcripſit igitur in chirographo ſuo adhortationem, qua hortabatur Pontificem vt dignitatem pontificiam vltro deponeret, quod niſi ſtatim feciſſet, atque concepto in ſua mente pontifici vltro cederet, mortem minabatur. Pro tantis auſis ſingulis adiutoribus præmia ingentia iam nunc promittit: Antonio Ticinum vrbem, Pellizzonio equiti Aquileiam, Tadeo Cremonam, aliis conſimiliter alia. Sed antequam ſuſcipiatur negotium additur ſceleri ſcelus, nam cum oportere putarent ſe prius à peccatis expurgari, quã facinus aggrederentur, cætera delicta confitentur ſacerdoti, parricidii mentio nulla fit. hoc animo, atque hoc tanto ſcelere in animo retento tanquã pio & ſancto facinore, euchariſtiam impuriſſimè admittunt. Accoltus poſtmodo chirographum porrecturus pallens exorta repentina trepidatione corripitur, neque facinus audet aggredi. ex eo nata eſt inter coniuratos controuerſia, donec re à Pellizzario patefacta omnes capti ſunt, & in quæſtiones traditi, vt ſua conſilia, & à quibus impulſi tantum facinus auſi eſſent, aperirent. Alliciuntur etiam ſollicitanturq; ingentibus pollicitationibus, vt patefacerent à quo inducti hoc maleficium ſuſcepiſſent, cum nihil per tormenta extorqueretur. ſed neq; ſupliciis, neque promiſſis induci poſſunt vt conſiliorum rationes & autores vllos proferrent, neq; vllũ certũ apparent habere ſuæ temeritatis ac dementiæ fundamentum. Quinetiam Accoltus perridiculum reſponſum dedit, ſe locutum eſſe cũ angelis, qui ad illud facinus eſſent adhortati. nã profecto admirabile eſt tantũ dementiæ in animos hominũ aliquando contingere, & propè prodigiis ſimile, cũ deliria & furor & dementia vel phreneſis omnem rationem atq; rectũ conſiliũ exterminent. cæterũ impuriſſimi homines & conſcii tanti ſceleris extremis ſuppliciis affecti ſunt, vbi per vrbem attracti fuiſſent ab equis cũ alligatis nudis pugionibus. vt Accoltus inter vel ipſa grauiora tormenta ſemper ridens diſcruciabatur, cũ liquidò appareret potius per inſignem doſim h elleboři torqueri oportere, quàm per ſolita impurorum tormenta. Antonius Canuſinus tamen Nicolai Zoboli equitis miſericordia & ſtudio occultatus è tãto periculo euaſit, ſeq; fuga poſt modo in tutum recepit. Eadũ fiũt Romæ, vrbes Heluetiorum fœdus renouant cũ Gallorũ Rege iiſdem conditionibus, pactionibus, inſtitutis, quibus cũ Franciſco Rege coniuncti ſunt anno à partu Virginis 1471. Vt quotquot vellet pedites illi Regi ad omnia bella concederentur, at nemini illorũ præterea aduerſus regem militare licitũ eſſet pro quibus rex promittit ſe ſexcenta millia coronatorũ ad certũ tempus numeranda curaturum. In Pannonia poſt mortem Cæſaris, Ioannes Vaiuoda Trãſyluanię, qui creatus fuerat Rex à Solimano, & Rex appellatus, regnũ illud ad ſe iure hæreditario pertinere arbitrabatur, quare ſolutas inducias ratus per mortem Cæſaris miro ſilentio ad occupandũ Sachmar contendit. eſt autẽ Sachmar oppidum in finibus propè Pannonię inferioris ſiue Tranſyluaniæ poſitum, quod Cæſar Melchiori Balaſſo propter res præclarè geſtas dono conceſſerat. Illud oppidũ cũ paulo negligentius cuſtodiretur, paucaq; haberet pręſidia, ſine puluere & ſanguine repentino regiarũ copiarum aduentu occupatur. Tranſyluani vxorem & filios Balaſſi capiũt, ipſe glande vulneratus aufugit, quod vulnus tamen fuit leue. captũ eſt autem oppidũ per hanc artem. quo tempore armenta ſolent è paſcuis veſperi redire, milites Tranſyluani miſſi cũ armento & à tergo inſequentes magnũ puluerem excitant conſulto, vt eo tanquam nebula tecti ab oppidanis proſpici non poſſent. vbi propius ventũ eſt, in portas impetu facto irrumpunt ex armentis. armati ad portas procurrunt. pontẽ ac portas occupant. obuios trucidant. omnibus ita animus conſternatur tam repentino & inexpectato caſu, vt eadem artẽ Tranſyluani continuo in arcem irruperint nemine fores occludente, cũ viſa eſſet vi armorũ ęteroquin inexpugnabilis. Balaſſus acceptam iniuriam omnino vlciſcendam ratus aliqua ratione collectis nonnullis cohortibus Debrezenium Pannoniæ inferioris pagum, & non ignobile emporium ſuccendit. inuentos omnes in pago trucidat. in ſubditos Regis omne odiũ conuertit. Tranſyluani vires ſuas adaugẽdas curãt collectis quatuor Turcarũ millibus, tribus Myſorum, ſeptem inferiorum ac ſuperiorũ Pannonũ, quę copię accedebant ad quatuordecim armatorum millia, cũ ſemper tamen ſuccreſcerent nouis accedentibus auxiliis. Deinde captis & direptis Hadado & Atiauaro oppidis Pãnonię quorundã regulorũ, capto regulo, vxore, ac filiis Atiauari mox Vnguarũ cingunt obſidione. ibi repente ſcalis mœnibus admotis virtute & vigilantia Germanorum pręſidiorum repelluntur; erat enim in pręſidiis Purchſtalerus vir impiger, & rerum militarium apprimè peritus. nã tanta virtutevtrinq; dimicatũ eſt, vt cruẽtũ fuerit certamen. veruntamẽ ex inuadentibus multi cęſi ſunt, at pauci ex oppidanis. Allecti ſunt Trãſyluani ad illũ conatũ, quia Germani abſtinuiſſent à pugna vbi primũ pauci Trãſyluani adiiſſẽt ad explorãdã, recognoſcendãq; vim oppidi. Aſt vbi multi Trãſyluani inuaſiſſent, tãta in eos repente effuſa vis eſt ferreorũ globorũ, & procella glandiũ vt amiſſis ferè quatuor millibus hominũ obſidionẽ ſoluerint, conſternati & debilitati tanta ſuorũ iactura. Maximilianus intelligens vires regias in dies ſuccreſcere, multaque caſtella Pannonię pro arbitrio occupari, quamuis anni tempus non patiebatur magnos fieri apparatus, quia iã hyems eſſet propinqua, tamẽ copias colligit ſatis validas circiter decem millia peditum, & duo equitũ. Id autem fiebat quia populi plerunq; fortunã victricẽ propenſi maximè ſequũtur, niſi occurratur maturè, atq; caſtella nõ tã facile poſtmodo recuperantur

Demẽtiæ ſingulare exemplum.

Heluetij cũ Gallo rege fœdus cõponunt.

Ioannes rex Trãſyluaniæ appellatus.

Sachmar captum.

Stratagema.

Debrezeniũ vſtum.

Atiauarum, Hadadũ, Vnguarũ. opp.

tur per diligentiam, quàm facile per ſocordiam & negligentiam amittuntur. His copiis præficitur cũ ſummo imperio rerũ militarium Lazarus Suendius dux ſtrenuus, & omnis diſciplinæ militaris peritiſſimus, cui in caſtra acceſſuro datæ ſunt illæ copiæ & octo muralia tormenta Iuliobona attracta. additi ſunt lintres ad pontes faciendos, quibus Tibiſcus traiiceretur. eſt autem Tibiſcus fluuius Dacorum non ignobilis, qui ortum, fontesq; habens in Carpatho monte, ac per Dacorũ regionẽ delapſus, eosq; ab Iazygibus Metanaſtiſq; diſterminans tãdem alluens vrbem Tibiſcũ ab ipſo fluuio vocatam cum multa aquarũ copia defluit in Danubiũ. Suendius cũ ſuis copiis ad fines Pãnoniæ profectus decernit primum omniũ Toceũ oppidũ inuadere, quod ſitũ eſt inter Tibiſcũ & Ruodrogium fluuios, quod quidẽ oppidũ ſolo naturæ ſitu erat munitũ, at nõ vlla ducũ induſtria, cũ ſolã haberet munitionẽ è gleba erectã cũ quibuſdã propugnaculis. nã ita ſitũ eſt inter paludes & aquas fluuii, vt nullo pacto, niſi aquæ per acerrimã hyemẽ conglacientur, poſſit obſideri, aut expugnari. Iſtud oppidũ mortuo regulo, cui fuerat à Ferdinando ob res præclarè geſtas donatũ, ad filiũ iure hæreditatis perueniebat, qui in tutela Franciſci Nemethi relictus fuerat, & per fraudẽ Nemethi patrimonio priuatus. nã Nemethus partibus Ioannis Regis ſtudens oppidũ illud Trãſyluano reſtituit. factus deinde certior quod Suendius ad eam obſidionẽ animũ intenderat, & iã caſtra mouiſſet, vxorẽ cũ pupillo, & omnibus ſuis rebus ex oppido trãſmittit intra fines Tranſyluanos. Suẽdius ibi poſitis caſtris non difficilẽ nactus eſt expugnationẽ; quia cũ tormenta aliquãdiu diuerberaſſent, neq; tamen reparationes proſternerent, per noctẽ ventũ eſt ad ſarcula. oppidani egreſſi proſternentes aggerẽ magna virtute inuadunt. Multos trucidãt, plures vulnerant. ſed tamẽ obſidentiũ virtute ac fortitudine in oppidũ includũtur. oppidani cognito periculo, quod imminebat, poſtulant colloquii facultatẽ. id nacti agunt de deditione. petunt vt in fidẽ amicitiãq; obſidẽtiũ accipiantur. Illud cũ renuiſſet Suendius ſcalis poſtea oppido admotis per vim armorũ potitur. obuios quoſq; trucidat. reliqua erat arx, in quam Nemethus ipſe ſe incluſerat. hanc magnis viribus inuadunt obſidentes. at defenſores Nemethi quadã animi fiducia, virtuteq; ſua cõfirmati pugnã diu fortiſſimè ſuſtinẽt, cũ Nemethus nullũ ſtrenui ducis officiũ prętermittens modo huc, modo illuc accurreret ad animos ſuorũ confirmãdos. Inter hæc officia forte glande traiectus occubuit. Defenſores arcis morte ſui ducis perterriti agunt de deditione, qui excepti ſunt in fidẽ à Suendio illa conditione vt cũ ſolis veſtibus & enſibus excederẽt ex arce. Nemethi cadauer miſſum eſt ad vxorẽ vt ſepeliretur, atq; multa ſpolia inuenta ſunt in arce. Itũ eſt deinde ad oppidũ Serenſchinũ ditionis Nemethi, quod ſine prælio venit in Suendii poteſtatẽ. At vero Turcæ nonnulli clã exeũt ex oppido Senolgio, quod nõ multũ diſtabat a caſtris Suendii ad vires illius explorandas. Hos Vinũdriæ præſidia monita per exploratores inuadũt. certatur aliquãdiu. Turcæ deniq; fundũtur ac fugantur. quidã Vinundriã capti adducuntur. ex iis qui profugerant, cęſi ſunt ferè trecẽti à præſidiis Bregetianis. Io. cognitis felicibus Maximiliani ſucceſſibus cũ cenſeret ſe non poſſe commode Sachmar defendere, iubet illud oppidum flammis abſumi, poſt quod facinus præſidia per occultas vias aufugiunt. Id vbi rediiſſet in poteſtatẽ Suendij iuſſum eſt refici & inſtaurari. Suẽdius Tibiſco flumine traiecto per vnius diei obſidionẽ Erdeo oppido potitur, quod Ferdinãdus ſępius optauerat in ſuã poteſtatẽ redigere ob multos prouentus, eius opulẽtiſſimę regionis. Tãta vis eſt fortunę in vtrã partẽ inclinauerit, cuius nutũ omnia ꝓpè mortalia facillimè ſequũtur. Turcæ hos felices Suẽdii ſucceſſus ĩpediẽdos eſſe arbitrati, magnã copiarũ manũ colligũt, Curtãq; properant, vt cõiũctis caſtris cũ Trãſyluano poſſent Suẽdio reſiſtere. Sed tãta erat Danubii, reliquorũq; fluuiorũ inũdatio, vt illud fieri minime poſſet, cũ flumina excreuiſſent propter glaciẽ retardata, atq; intumeſcẽtia tãtopere, vt omnia finitima in lacuũ ampliſſimorũ formã ſtagnarẽt. atq; tãta fuit vis frigoris, tãq; atrox in illis regionibus, vt multę ferę perierint, & aues mortuæ inuenirentur, & quædã in fœno occultatæ vbi deferrentur ad ignẽ viderentur propè extinctũ calorẽ naturæ reſumere. Tanta mole glaciei omnia repleta ſunt, vt in ver futurũ vbi liquefieret, oceanus vbiq;, at non fluuiorũ ſtagnãtiũ aquæ apparuerint. Venerãt legationes interea Poloniæ Regis ad Maximilianũ, quę res cũ Tranſyluano cõponere niterentur. Docent Polonũ regẽ grauiter ferre hos bellorũ motus. nõ poſſe eũ regẽ deeſſe Io. Regi nepoti pro affinitatis vinculo, ac non fungi officio amici & coniuncti his rebus cõponendis. Solimanus qui regẽ Pannoniæ appellauerat Ioannẽ, eumq; copiis, & ſumptibus, & omni auxiliorũ genere ſuſtẽtãdũ decreuerat, quod illud ſummis viribus moliri, & non paruis copiis conſtituerat, dat operã vt res prorogetur, dũ ipſe faciat bellicos apparatus, qui certè magni fieri commodè intra breuiſſimũ tẽpus non poſſunt. Marcũ itaq; Zibinienſem mittit ad Maximilianũ, qui magnis itineribus Iuliobonã peruenit. ad miſſus petit Solimani nomine præſente adhuc Polona legatione, vt pacis conditiones inuiolatę ſeruentur, ſicuti ſeruantur ab ipſo Imperatore Solimano, quæ factæ ſtabiliteq, fuerant cũ Ferdinãdo felicis memorię. Hac ipſa de cauſa miſſus eſt & Battor Georgius à Tranſyluano, vti procuraret pacis conſeruationẽ. Veruntamẽ omnes hæ erant fallaciæ & artes ſubdolę ad animũ Maximiliani à neceſſariis apparatibus retardandũ, aut etiam retrahendum, quę fallaciæ partim intelligebantur iudicio ipſius Maximiliani, partim retegebantur per literas Suendii. Veruntamen Maximilianus ne videretur ipſe autor belli, atque vniuerſam viam paci & tranquillitati illarum regionum occluſiſſe, iubet fieri promulgarique edictum, vt omnia præſidia ſuarum munitionum abſtinerent ab iniuriis in Turcas inferendis. Turcę contra dum agitur de pace Iuliobonę, abſtineturque ab eorum finibus infeſtandis, dũ honeſtæ cõditiones ſtabiliantur, multis incurſionibus fines Illyricos & agrũ Iulę populãtur. Nã purpuratus Tibiſci eò cum ſex armatorum millibus irrumpit cum duobus muralibus, & octo cãpeſtribus tormentis. Deinde ad oppidum Pancotam caſtris poſitis illud diuerberat. per vim armorum deniq; capit. defenſores ad vnũ trucidat. poſt Sena & Peona caſtellis Iulæ finitimis ſubiugatis,

Lazarus Suẽdius ſummus copiarũ Dux

Dibiſci fl. deſcriptio.

Toccei deſcriptio.

Tocceũ captum.

Serẽtſchinũ opp. captũ.

Sachmar cõcrematum.

Frigoris vis inuſitata.

Stratagema Turcarũ dũ pararentur copię.

Pancotta capta perfidè à Turcis.

tis,quæ videbantur factura faciliorem Iulæ expugnationem,ad feliciores progreſſus animum intẽdit.nam ſicuti corpus humanum cum purgandum eſt,fluxile illud facere oportet, vt ait Hippocrates, quo maligni humores deccurrant,ita Turcæ,quem locum expugnare cogitant, præparant ad obſidionem occupatis proximis quibuſq;.In caſtra autem Tranſyluani ſemper recentia conueniebant auxilia.Ea dum contra pacem fiunt a Turcis, Nicolaus Sirinus Metubarris ſiue Zigheti oppidi præfectus neceſſariis de cauſis ad Maximilianum contenderat,quo tẽpore ſexcenti pedites ex oppido egreſſi atq; in agrum hoſtilem incurrentes circiter ducentos Raſcianos trucidant,ac duos centuriones capiunt. Sed enim cum ingenti præda onuſti triumphanteſq; redirent in oppidũ,tã repente à ducentis Turcis inuaduntur vt in fugam verſi omnes in morem pecudum trucidati ſint à Turcis vtentibus victoria præter duos,qui cladis nuntii euaſerunt per fugam . Suendius ſummũ ſtudiũ adhibet Sachmari oppido muniendo,quia illud plurimum commodorum eſſet ad id bellum allaturum;quod vbi ad ſatis honeſtam defenſionis rationem perductũ eſt, præficitur Sachmarenſibus præſidiis Eraſmus Mager, cui iniunctũ eſt vt cętera, quæ ſpectarent ad munitionem perficiendã, exequeretur.Ipſe Suendius cũ reliquis copiis Caſſouiam contendit,quia verebatur ne Turcæ illam obſiderent, vt admonitus fuerat per exploratores eſſe illorũ conſilium . ſed quia iam ſuccreuiſſent hoſtium vires paulatim, petit vt ſibi auxilia ſubmittantur:cuius caſtra paulo poſt aucta ſunt quinq; cohortibus peditum Germanorum præfecto Io.Bernardo Roteneo,& quinq; muralibus tormentis. Equi tormenta trahentes propriis notis inuſtis ſunt inſigniti,ne mali & inutiles per fraudem aurigarum bonis ſubmitterentur.

Equi cur characteribus inſigniti.

Quę dum aguntur in finibus Pannoniæ & Illyrii, neq; à Sarmatis quidem ceſſabatur, cum aſſiduè propè inter illas gentes pugnetur modo pro principum diſſenſionibus,modo pro latrociniis & furtis. nam Scythæ in finibus Tauroſcytharũ & Dardaniæ à Polonis inuaduntur, multique trucidantur vbi multi proceres Poloni cum magno equitatu vires in vnum coniũxiſſent, inter quos fuit Palatinus Buſſiæ cum quatuor, Caſchius cũ tribus millibus equitum,qui omnes ad tredecim equitum millia accedebãt. Iſtud factũ eſt à Polonis quoniam Scythæ primi de more eius gẽtis,quæ viuit ex rapto plerunq;, irruptionem fecerant in agrum Polonorũ,multamq; prędam abegerant.

Scytharũ latrocinia.

Ob eas incurſiones diſtributæ ſunt ingentes copię in Tauroſcytharum & Dardaniã regionem;quę ceſſantibus Scythis iuſſę ſunt in vnum conuenire, cum accederent omnes equites demum ad quadraginta millia, magnuſq; eſſet peditũ numerus,vt variis è partibus vno tempore Moſchouitarum regionem adorirentur. Sigiſmundus Polonorũ rex cũ ad Vilnam per illud tempus accedere decreuiſſet exorta peſtilentia in illa regione , coactus eſt mutare conſilium;quare Varſouiam verſus iter capiens ad Penouiam ſe confert.Neq; illud ſanè ſilentio prætermittendũ duxi, quòd ferè ducẽti ex iis militibus,qui Iuliæ Cęſareæ capti fuerant,captata opportunitate ad Chium inſulam, quę eſt maris Aegæi inter Samum & Leſbum adiacens Ioniæ ſoluendarum compedum arte prius cognita cum eſſent cathenati ad tranſtra per noctem dormiẽtes Turcas epibatas aggrediuntur.Trierarchũ & nonaginta Turcas trucidant abſente LuzAli,cuius erat triremis,nam LuzAlis fuit vir Gręcus,qui a Chriſtianis inſtitutis ad Turcica deſciuerat,non religionis quidem Turcicę deſiderio,ſed dignitatis & potentiæ,quam facilius apud Turcas, quã apud Chriſtianos ſe conſecuturũ arbitrabatur.cũ vero triremis eſſet noua,& eximię bonitatis,Chriſtiani circiter triginta Turcas captiuos auehentes,qui remigantes adiuuarẽt felici nauigatione vſi ad Meſſanam Sicilię nobiliſſimam ciuitatem intra nouem dies appellunt.

LuzAlis quis fuerit.

at enim Solimanus inter eas cũ Maximiliano difficultates tributũ petit, quod à Ferdinando patre ſibi dari conſueuerat, cuiuſce rei legationem mittit Iuliobonam.Poloniam vero non modo res externę, bellumq; cũ exteris nationibus ſuſceptũ infeſtabat,ſed etiam intimę familiareſq; diſcordiæ. Quippe cum hæreticorũ numerus in dies ſuccreſceret,acerrimuſq; morbus hæreſeos magis magiſq; ſerperet omnes erogationes in pauperes ceſſare. Prouentus & redditus ſacerdotibus ac monachorum familiis extorqueri. leges antiquari.epiſcoporum, antiſtitumque plerique commodis inhiare. illa rapientes hęreticos protegere.boni & pii & ſancti homines haberi,qui ſtudioſius catholicos inſectarentur, opprimerent, affligerent. Illo morbo contaminati erant regii etiam ſenatores, quorum autoritas plurimum oberat catholicis partibus.vnus è ſenatoribus regiis fautor erat æquitatis & religioſorum defenſor Petrus Barzæus,cuius ope omnes eccleſiaſtici ordines recreabantur ac ſuſtentabantur, cum acerrimus eſſet vel aduerſus omnia pericula religionis, libertatiſq; eccleſiaſticę defenſor,cuius liberalitate refocillabatur omnis ſacerdotũ & ſacris initiatorum cætus. Illis ad Pontificem delatis è veſtigio conſcriptę ſunt literę ad Polonię regem & ad Barzeum, quibus Pontifex regem hortabatur vt religionem, quam incontaminatam à maioribus accepiſſet, defenderet ; cum nihil magis regium ſit,quam diuinum cultum verum & ſanctum pro viribus cõſeruare.ad Barzeum ſcribebatur, præclare illum eſſe facturum , ſi optimam illam ſententiam ſeruaret perpetuo , quam hactenus tenuiſſet , atque perſiſteret in eodem conſilio vt veram fidem ſanctamque tueretur .

Poloniæ ſeditio de religione.

Nam cum aliæ plereque ciuitates eius regni nouam religionem eſſent complexæ , tum Dancica , quę urbs eſt opulentiſſima & frequens ad mare glaciale ſita ad oſtium Viſtulę fluminis, vbi in ipſum oceanum ingreditur, ita eas leges imbibit, vt omnino reuocari ad catholicum cultum non poſſit, niſi cum deus miſertus earum gentium ad ſanam veritatis cognitionem ipſe retorſerit.cum enim legatus pontificius ad eam vrbem eſſet acceſſurus , vt res religionis componeret , primùm non eſt admiſſus. Sigiſmundus illud ægre ferens non multo poſt ipſe Dancicam accedit. in vrbem admiſſus legationem ſiue nuntium, vt vocant,introducit. Quoſdam primarios ciues in carcerẽ iubet detrudi, qui ſeditionis fuerant auctores. Sed vbi rex deinde fuiſſet digreſſus, rurſus inſurgente multitudine legatio eiicitur. carceres aperiuntur . legationes mittuntur ad regem, qui iam aberat

Dancicę deſcriptio & hæreſis.

iter

iter quorumdam dierum. inquiunt legationes ad regem admiſſæ velle Dancicæ ciues ſuarũ animarum eſſe dominos,& arbitros. in iis quæ pertinerent ad regnum, ſalutem & conſeruationem Regis pro uiribus curaturos: at ſi vellet religionem antiquam & pontificias ſuperſtitiones defendere, iſtud fieri non poſſe ſine armis.ſe vitam, facultates, patriam ad defenſionem paratas habere. Sigiſmundus hoc nuntio inſigni indignatione captus vnà cum ſuis conſiliariis perpendit quid agẽdum ſit in hoc negotio. Viſum eſt pleriſque opus eſſe difficillimum vrbem opulentam & præpotẽtem vi expugnare propter religionem præſertim in illis regionibus, vbi periculoſum erat ne pluribus ob communitatem hæreſeos inſurgentibus atrociſſimum omnium bellorum illud excitaretur.ſibi ſatis videri oportere quod ab obedientia regia non deſciſcerent multis grauioribus præſertim inſtantibus negotiis.Nam fines Dardaniæ frequentibus incurſionibus vexabantur à Scythis, quæ vt frænarentur Poloniæ rex colligendas eſſe vires ſtatuit hac ipſa de cauſa, vt diximus, in varia loca Dardaniæ & Tauroſcytharum diuiſas.ea dum vexant Poloniam variis in locis erũpentia germina hæreſium, in Gallia quoque non ceſſant de religione contentiones & prelia.cum ſemper noua auxilia vtrinque pararentur. nam Condæus, Amiras, Sciatilioneus,Cantabrorum regina, Andelottus,aliique inſignes proceres Vgonottæ factionis comitia indixerant,in quibus actum eſt de aſciſcendis auxiliis, de rationibus ſumptuum in bello faciendis, & de mittendo Andelotto in Germaniam ad colligendas copias. Perturbabant in Italia magnopere animum Pontificis poſt patefactam tam periculoſam ſtultorum coniurationem, diſſenſiones cortę in Tridentina ſynodo inter duos potentiſſimos Chriſtianorum Reges, vtrius orator Regis honorificentiorem locum obtineret ac precederet.Nam Rex Gallorum inſignem ſibi fieri iniuriam, & non ferendam cenſebat, ſicũ priorem locum tot annos ipſe obtinuiſſet,& antiquiſſimus atque Chriſtianiſſimus Rex cæteros omnes Reges anteiret nobilitate, potentia, dignitate, ſub cuius imperio quatuor Reges, & triginta ac duo Duces continerentur,qui multa præclare pro Chriſtiana fide feciſſet, qui diuinis miraculis celitus fuiſſet confirmatus, nunc cogeretur Philippo nouo Regi cedere. Imperat igitur hic Rex per literas ſuo oratori,quem aſſiduum Romæ habebat, niſi perantiquus ſibi & vſitatus locus publicè concedatur apud Pontificem, & cæteris honorificentior poſt Cæſarem, vel ſiquid in huiuſmodi negotio innouetur,preter id vnum,ſi legatio Hiſpana ſcilicet excluderetur,vti continuo obnuntiata perpetua Galliæ ab apoſtolica ſede abalienatione Roma excederet. At contra Iubetur Hiſpanus orator nullo modo perferre, ſi concederetur Gallico oratori vt præcederet; atque omnino vel honorificentiorem locum poſt Cæſarem procuraret,vel certè parem Gallico dignitate. Contendebant idcirco,enixeque demonſtrare nitebantur Hiſpanas partes complexi regnum Hiſpaniæ antiquius eſſe nobilius Gallia, quippe quod Hiſpania caput ſit Europæ, quæ poſt ruinas, euerſioneſque Gottorum ac Maurorum apparet iure debere redire ad priſtinam auitamque dignitatem.Nam eius prouinciæ Rex,quæ prior Chriſtianã fidẽ complexa eſt,quæ plura beneficia in Chriſtianam remp.contulit, quæ latius imperat, quæ digniores Regis electores habet,iure optimo locis omnibus & tẽporibus dignitate præcedere debet. At Hiſpania per multos annos ante Gallos complexa eſt Chriſtianam fidem, multaque bella per noningentos ferè annos pro fide Chriſtiana aduerſus barbaras & immanes nationes geſſit, multaſque ciuitates & bellicoſos populos ad Chriſtianam fidem,ſanctæque Romanæ eccleſiæ catholicæ obedientiam compulit, cum Galli Reges cõtra perdomitis & ſubiugatis tantum finitimis Chriſtianis nationibus ſui regni fines ampliauerint; qui cum ſemel põtificem defenderint;mox Chriſtianiſſimi nomen ſibi ſumpſerunt. Quod vero attinet ad dignitatẽ electionis,contendebant Hiſpani poſt clades & calamitates acceptas à Mauris,Hiſpaniam fuiſſe vniuerſam in duodecim regna diuiſa,regemque ipſum Hiſpanum ab hiſce regibus fuiſſe delectum, cũ Rex Galliarum contra non quidem a regibus,ſed à Ducibus totidem delectus fuerit, qui certè fuerunt inferiores dignitate. Nuncautem cum res ad vnum redierit regem, opus eſſe ad integritatem, prioremque ſtatum rem redire,cum hactenus non extincta quidem,ſed in multorum amplexu cõſopita quondam modo fuerint,quare & antiquior & nobilior erit Hiſpanus Gallo Rege cẽſendus. His addebantur vetera iura Hiſpana in regnum Galliæ, & recentia præterea propter Burgundiam familiam,cum tamen Gallus Rex contra nullum ius habeat in Hiſpaniam.contendebant rurſus Hiſpani Gallum regem neque unctum eſſe, vt aſſerebatur, neque lilia diuinitus accepiſſe, ſicuti Rex Hiſpanus accepit crucem rubram,neque fuiſſe legitimè Chriſtianiſſimum appellatum à Pontificibus, cum ſolus Imperator legitimus ſit diſpenſator & largitor titulorum. Quibus accedebat ampliſſima Siciliæ Neapoliſq; regna,& tot opulentiſſimi principatus,& Indiarũ,nouiq;orbis poſſeſſio,& tanta imperii amplitudo, vt Rex Hiſpanus dignus potius qui imperatorio nomine inſigniretur appareret,quã cui Rex Gallus præferretur: quippe cũ titulorũ & imperiorũ amplitudo & antiquitas atq; opulentia non parum faciat ad dignitatẽ & præſtantiã ipſorũ Regum.Scribit præterea Philippus ipſe ad Pontificem niſi cõueniens locus ſuo oratori aſſignetur,ſe non oratorẽ modo,verũ etiã omnes ſubditos Roma euocaturum. Monet oratorẽ vt primũ locũ procuret à ſiniſtra Põtificis, cũ locus à dextra Ceſari cõueniat; vel Gallo,ſi abſit Cæſaris orator; quẽ locũ ſi obtinere non poſſit,aut ſi cõtra fuiſſet pronũtiatũ à Põtifice, iubet nõ Roma quidẽ excedere,ſed nõ amplius tanquã oratorẽ regiũ negotiari. His ęque validæ rõnes a Gallis defenſoribus, ſi nõ ſuperiores aduerſus Hiſpanas afferebantur, quas cũ non potuerim aſſequi vt cupiebam,malui ſilẽtio inuoluere, quã imperfectas ad poſteros traſmittere, cum alii ſcriptores illud efficere poſſint. Conſimilis contentio inter Florentiæ Ferrarieque Duces verſabatur, quoniam alter per quaſdam occaſiones primũ locum ſibi deberi putauerat, at alteri legitimum videbatur perantiquum gradum honoris & auitam poſſeſſionem conſeruare, ac ius eius rei publicæ retinere, quę ſemper ſine vlla dubitatione uel

Dancicę legationes.

Cõtrouerſia de præcedentia inter Hiſpanũ & Gallum reges.

Literę Galli regis Hiſpanũ oratorem de præcedentia.

Dd 3 contro-

controuerſia primum nominis,exiſtimationis,dignitatis locum obtinuerat. In hanc controuerſiā proprias rationes vtriuſque principis recenſere prætermiſi,eadem ratione commotus,qua Gallicas etiam pręteriui. accedit quod auctus viribus Florentiæ Dux & dignitate,dilatatoq; imperio per optimum animi ſui affectum rebus præclarè geſtis explieatum,cum multa & non leuia contulerit auxilia ad defenſionem & incrementum Chriſtianæ religionis,primum à Pio Quinto ſummo Pontifice ob ingentia merita,deinde à Cæſare duobus ſupremis principibus chriſtiani nominis ad ſublimiorem dignitatis gradum,dignioremq; titulum prouectus eſt,quo facto omnis illa controuerſia de medio ſublata iure videri poteſt, vt magis opportune à nobis explicabitur. Enimuero ſummus Pontifex qui intelligeret Reges ac principes propenſos eſſe magis ad iram, quam ad cognoſcendam æquitatem ſuarum petitionum plerunque,multis rationibus de regibus iudicium differt. rem in dies protrahit. multiplicibus tergiuerſationibus negotium comperendinat. Sententiā quoquomodo poteſt deuitat proferre. nihil aliud ſtudioſius molitur,quàm vt illud iudicium ſilentio inuoluatur. Sed cum Gallus omnino Roma eſſet exceſſurus,niſi ſuus locus ſibi aſſignaretur, indicuntur comitia ſacratorum patrum purpuratorum. Conueniunt frequentes. explicantur in comitiis facultates & mandata vtriuſque Regis procuratorio nomine ſuis oratoribus conceſſa. Diſputatur diu pro vtroque Rege pro animis magis huic quàm illi propenſis. Denique cum ad ferendā ſententiam ventum eſt,illa perobſcura & noctis plena lata eſt diſſentientibus pleriſque in vtranq; partem.

Pōtificis ſententia de pręcedentia regum noctis plena.

Non placuit petitio Philippi Regis quibuſdam purpuratis, cum parem locum videretur poſtulare,& tamen honorificentiorem clam aucuparetur. quippe quia primus locus à ſiniſtra ſit honorificentior ſecundo à dextra. Sic enim fiebat vt Hiſpanus cum pari loco contentus eſſe appareret,fieret ſuperior. atque hæc pluribus diſputata ſunt. Pontifex in tanta ſententiarum varietate dubio erat animo quid eſſet faciendum,quare cum nollet primum locum Gallo aſſignare poſt Cęſarem,decernit vt in ſacello locus inter ſacra Hiſpano aſſignaretur ſupra omnes purpuratos diaconos,at paulo tamen humilior & contractior,qua ratione viſus eſt pontifici ſuum locum obtinere, at non præcedere Gallus Hiſpano. Quod attinebat ad exoſculationem ſacræ imaginis, quam Pacē vocàt,& ſuffitum thuris,ita ſtatuit,vt imago primum Cæſareo, deinde cęteris ab eo oratoribus porrigeretur,poſtmodo daretur Hiſpano. Thuris ſuffimentum omnibus ſimul primum, poſtea Hiſpano oſſerretur. cum manus eſſent lauandæ,quod ſemel aut bis certè ad ſummum quotannis accidit, decernitur ne Hiſpanus accedat. Illud quoniam neſcio quid nouum,& hactenus inuſitatum haberet præter antiquam conſuetudinem,fecit vt Gallus orator locum recuſaret, qui erat perpetuam Galliæ abalienationem obnuntiaturus,ſicuti iuſſus fuerat à Rege, niſi Hiſpanus mutandi conſilij opportunitatem obtuliſſet. Nam diſceſſuro Gallo par eſſe videbatur, vt per quandam comitatem & facilitatem verborum optatum locum aucuparetur,ſed is ſuperbè recuſauit. Gallo contra per eā opportunitatem locum oblatum humaniter acceptante omnis pontificia indignatio a Gallo conuerſa eſt in Hiſpanum. Nam pontifex iratus ait ſe Hiſpano conceſſiſſe humanitatis cauſa, quod dignitas & iura antiqua non poſſent obtinere: quare ſi locum nolit, abeat vt lubet.

Hęc potius compoſitio, quàm ſentē tia eſt appellanda.

Enimuero hęc non legitima ſententia cuiquam videri poteſt, ſed amica quædam & paterna potius compoſitio tāquam inter filios diſſidentes,cum omnis iudicatio hoc æquum, illud iniquum eſſe ſtatuat,ac vix fieri poſſit,vt pares ſint vtrinque rationes. Florentiæ autem & Ferrariæ ducum controuerſia minime fuit iudicata. in regione vero Sinarū & Giapana vocata plures ſexaginta millibus mortalium chriſtianā catholicam fidem complectuntur,atque inter hos plerique magnæ autoritatis reges nimirum & primates,relicto dæmonum atque idolorum cultu, eſt autem Sinarum regio tam patens, & tam ampla, vt facile ſuperet amplitudine Chriſtianum orbem.

*LIBRI DECIMIQVARTI FINIS.*

NATALIS

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS,

## LIBER QVINTVS DECIMVS.

1565.

INITIO Anni ſequentis, qui fuit quintus poſt mille quingentos & ſexaginta ſalutis noſtræ, magna vbique bellorum initia, magnæque calamitates paulatim conſurgere apparebant; quoniam in Polonia magnæ diſſenſiones exortæ fuerant, vt memorauimus, & Pannonia arma paſſim acuebat in Cæſareas copias, & Gallia multos bellicos apparatus faciebat ſingulari diligentia, quę omnes contentiones propè conſopitę erant propter acerbitatem præſentis hyemis: at non ceſſabant per animorum tranquillitatem aut odia depoſita vel extincta. In Hiſpania rurſus magna claſſis inſtruebatur, detinebanturque onerariæ naues externæ, quæ cum mercimonijs acceſſerant Regis edicto, præter indigenas eius regionis, quæ res claſſi neceſſarias conueherent ad nationes Luſitanas. Multa etiam nauigia inſtruebantur in Zelanda Barcinonem & in Hiſpaniam traiectura. Byzantij quoque claſſis ingens ſummo ſtudio comparabatur in ver proximũ, quare fiebat, vt vndiq; arma, bellũ, terrores, ruinæ cõſurgere viderētur, quæ intētarētur mortalibus. hęc ipſa minabātur prodigia nonnulla, & res formidabiles viſę, quæ omnia diuinitus Dei indignationem, & magnũ malorum cumulum propter ſcelera mortaliũ imminere ſignificabāt. Nam vix inierat dies anni recentis ſecundus cum Vercellis, quæ vrbs eſt in regione tranſpadanæ Italiæ non procul à Taurinis populis, res auditu formidabilis, & vix fide digna viſa eſt. Nam lupus in illa vrbe apparuit in ſacra area maioris templi apud valuas, qui diutius ibi conſtitit. fit magnus ciuium concurſus, multiſque ob admirationem ac nouitatem rei inſpectantibus, lupus ex oculis omnium repente euanuit, neque vſquam diſcedens eſt conſpectus. Poſtridie auis inauditæ formæ & magnitudinis eximię, & incognitæ prorſus ſuperioribus ætatibus apparuit in eadem vrbe, quæ vbi diu ſupra templum conſtitiſſet, auolauit, neque amplius alicubi viſa eſt. Nec multos poſt dies Mediolanum vrbs ampliſſima multum diſtans à mari vel lacubus per quoddam temporis ſpatium terrę motu concuſſum eſt; cum inſulæ alioquin aut loca mari finitima his motibus plerunq; concuti ſoleāt. Stella crinita nõ contemnendæ magnitudinis per diē ibidē apparuit: quæ omnia prodigia conſentiebant cum ingentibus & multiplicibus bellorum vbique apparatibus. Sed quoniam claſſis Turcica maritimis vrbibus, litoribus, oppidis Italiæ imminere breui putabatur, Prorex Neapolis impetrat ab Vrbinate Duce vt liceret in finibus Vmbriæ colligere duo millia peditum ad maritima præſidia eius regni, quę ſingulari ſtudio à tribunis collecta ſunt illuc cum ſtipendijs miſſis. collecti ſunt igitur à Iacobo Malateſta caſtrorum magiſtro pedites trecenti. ab Antonio Franciſco Torilgano, & à Fereto Anconitanis, Valerio Zaccheo Spoletino, Mazzocolino, Camillo Ciorelio Vrbinate, GeorgioGanteſio Hiſpano ſingulatim ducenti & quinquaginta, & à Fabricio Vicellio Vrbinate ducēti; quę copię poſtea ſunt in varia loca pro opportunitate diſtributę. Dum fiunt apparatus ad bellum varijs in locis, res ita cum Tranſyluano denique componitur per legationes Poloni Regis & Tranſyluani; Vt omnia loca, regiones, oppida, vrbes captę citra montes Maximiliano relinquantur, atque Ioannes omnia iura quę haberet in Pannoniam renuntiaret. nam Solimanus ſignificatum miſerat Tranſyluano, vt quiquid odij in animo aduerſus Maximilianum conce piſſet, illud in opportunum tempus diſſimulando reſeruaret. neque ita multis ſanè interiectis diebus miſſus eſt orator Byzantio ad eundem Solimani, qui ad pacem Tranſyluanum hortaretur, vt omnia citra montes capta Maximiliano relinquerentur, pręter Varadinum, cum illa ſit vna è tribus vijs, quibus itur in Tranſyluaniam. Neq; tamen pax illa diuturna fuit, cum non multò poſt miſſa ſit

Magni vbiq; bellici apparatus.

Prodigia.

Pax Maximiliani cũ tranſyluano.

ſa ſit

ſa ſit legatio Solimani ad Maximilianum,quæ obnuntiaret omnē pacem, omnemq; fœderationem
inualidam eſſe,quę fiat à ſeruis inſcio domino. Vanam eſſe pacem cum Tranſyluano factam, qui
Pax a Solimano reuocatur.
neque ſit ſui iuris, neq; diploma vllum habeat Solimani Imperatoris, cuius nomine præeſt Panno
niæ,ad eam pacem confirmandam;quare petit non ſolum vt irrita & inualida ſit pax, verum etiam
vt omnia quæ capta fuerant ipſi Tranſyluano reſtituerentur. Illud cum minime ſentiret Maximi-
lianus eſſe faciendum,qui reſpondit ea loca nunquam fuiſſe Tranſyluani, neque illius maiorum,
ſed nuper extorta è manibus ſubditorum Regis Pannoniæ,legatio re infecta redit Byzantium. at
Maximiliano perindignum videbatur modo ſibi oblatam eſſe pacem honeſtis cōditionibus a Trā-
ſyluano,modo per fraudes eandem pacem fieri vanam,quare animum conuertit ad bellum.Turcę
Pancotta & Gena capta.
interea Pancottam oppidum obſederant,quod poſt paulo & ipſum & Genam vi ceperunt:quæ op-
pida cum paruis præſidiis eſſent munita,vt quæ forent viduæ mulieris Pannonicæ rerum bellica-
rum ignaræ,præter omnem bellicam rationem defenſores expectantes tertium conatum Turca-
rum ad vnum fuerunt trucidati. Turcæ non multo poſt ad fluuium Tibiſcum locum explorant
ad pontem faciendum non pauciores trecentis. allecti ſunt per fraudem in Cæſarianorum inſidias
atque trucidati. Sed quoniam equitatus non eſt longis laboribus accommodatus, vbi primū equi
Stratagema
nouis herbis veſcuntur,miſſi ſunt clam a Tranſyluano qui ſimularent ſe velle agere de pace, vt res
protraheretur ſegnius,donec equi Turcæ nouis herbis aſſueſcerent. at ex altera parte mittit ad pur
puratū Curtenſem,qui auxilia flagitarent ac ſollicitarent.Turcę igitur in loco deſignato ad pontē
ſupra Tibiſcum iaciendum, eoque breui excitato quadringentos pedites ad cuſtodiam ſtatuunt.
Suendius plurimū difficultatis futurum ratus in caſtris hoſtium,ſi commeatus & traiectus illis fa-
cultas eriperetur & commoditas, repente cuſtodes inuadit. illos in fugam vertit. multi ob timo-
rem in fluuium deſilientes ſuffocantur. multi trucidantur. pons ſoluitur & cōcrematur. Sed quo-
niam verebatur Suendius ne Erdeum oppidum veniret in poteſtatem hoſtis, qui iam cum ma-
gnis copiis illud obſidebat,quod paruo ſpatio diſtaret à Sachmare, cui præfectus erat Laubember-
gus, curat vt trecenti pedites oppidum ingrediantur, quod etiam effecit. Nam Suendius cum eſ-
ſet ſubſidia oppidanis miſſurus,vbi primum ſubſidia apparere incipiunt,obſeſſi excitant leue cer-
tamen ſanè atrox & cruentum,in quo ceciderunt ferè octingenti Turcæ,& prætorium vexillū Trā
ſyluani captum eſt. dum hic certaretur ex altera parte oppidi admiſſa ſunt ſubſidia & commeatus
& ſex bellica tormenta. Non tamen ceſſatur interea à Turcis, qui ſingulari diligentia oppidi mu-
ros diuerberant; nam vel quingenti globi ferrei vno die in ipſa mœnia contorquentur, quo poſſet
oppidum citius inuadi. Id quo facilius fieret, foſſas faſciculis lignorum,& gleba, & multa materia,
quæ pontem faceret ingreſſuris replent. obſeſſi ea re cognita bonam copiam pulueris tormentarii
clam ſpargunt in futuram opportunitatem. vbi ventum eſt ad conatum,ignis iniectus eſt inferius
intra ſarmenta,quare tanta vis ignis excitata eſt repente inter ligna,vt multi Turcę concremati ſint,
reliqui nullo propè negotio reiecti. Deinde obſeſſi repulſis hoſtibus ſcaliſque deiectis egreſſi duo
muralia tormenta capiunt & in oppidum trahunt. Suendius relicto Eraſmo Sachmaris præfe-
cto cum duobus millibus peditum, copiis in apertum eductis & inſtructis in aciem non procul à
caſtris Turcicis iter facit,qui minimè moti ſunt è ſuis caſtris. occupat traiectum Tibiſci fluminis,
vnde poſſet & hoſtem infeſtare & præcidere viam commeatibus,cum ibi & apertum agrum habe-
ret,& apertam regionem quà ſe reciperet in tutum,ſi opus eſſet,atque purpuratus Græciæ præfe-
ctus cum ſuis copiis,vt expectabatur,accederet. Ibi mille equites Saxones opperitur, quibus copiis
ctus decreuerat quam primum collatis ſignis fortunam belli experiri,antequam vires hoſtium au
gerentur. Erdei autem præſidia cum modo leuibus prœliis debilitarentur, modo frequentibus co-
natibus,modo ruinis impulſis murorum per ferreos globos, cum aſſiduis ac diuturnis laboribus
ſatisfacere non poſſent,quia è tribus millibus hominum vix mille ſupereſſent, impellente in pri-
Stratagema.
mis fœtore cadauerum, per quem etiam Turcę conſulto iactis cœſis in foſſas oppidi,nitebantur op-
pidanos ad deditionem compellere,agunt de deditione.erat in arce Gleiſmulerus cum trecentis pe
ditibus qui cognita voluntate ciuium ad deditionem vergentium,cum arbitraretur ſe vim hoſtiū
Erdeum captum.
non poſſe diu ſuſtinere & ipſe cum hoſte paciſcitur. conditiones deditionis fuerunt, Vt liberi ex op
pido poſſent excedere quocunque libuiſſet. Vt impedimenta militaria liceret ſecum exportare. Vt
bellicos apparatus illæſos in oppido relinquerent. atque hæ conditiones a præfecto Turcarum &
Perfidia Turcarum.
a Tranſyluano fuerunt ſubſcriptionibus affirmatæ. Sed vbi primum in poteſtatem Turcarum ven-
tum eſt, nulla vel fidei vel humanitatis lege ſeruata,obliterataque prorſus ex animo omni ſubſcri-
ptionum memoria,pro barbarica immanitate obſeſſi ad vnum trucidantur. Interea cenſus eſt
equitatus & peditatus qui collectus fuerat Teſchini, quod oppidum eſt Sileſię, quæ copiæ iuſſæ
ſunt omnes Debrecinum vrbem verſus iter facere,à qua non procul aberat Cęſarianus exercitus,
cum illa modo Turcis & Tranſyluano,modo Cæſarianis copiis videretur propenſior pro nutu &
arbitrio fortunæ. nam cum Suendius intelligeret non parum incommodorum id ſibi afferre,
quod ea Turcas complecteretur, iubet ſuccendi, flammiſque abſumi, vnde omnis opulentia reper-
Debrecinum ſuccenſum.
ta allata eſt Tocceum,& in templo quodam aſſeruata. Sed quoniam cum rebus felicibus auxilia
ſemper augentur,vt cedunt per infortunia,omniaque maximè propenſa ſunt in quam partem for-
tuna benignior aſpirauerit, veritus Cæſar hoſtium potentiam mittit ad fines Curtę finitimos tria
equitum Germanorum millia & quingentos,& quatuor millia peditum Pannonum,vt dictū eſt,
duce horum Salmo comite viro Illyrico,illorum duce comite Salmenſi. Iſtud autem fit, quia nu-
per aucta fuerant caſtra Tranſyluani nouem millibus equitum, & Curtēſis purpuratus iam inſtru-
xerat circiter quadraginta millia armatorum. Auditis his bellorum motibus, apparatuque Cur

tenſi

tenſi Leucovizzius tribunus militum vir rerum bellicarum peritus cum quatuor millibus equitũ,
multisque nobilibus fit obuius repente purpurato præfecto Myſiæ ſuperioris intra fines Illyricos,
qui duodecim millia equitum adducebat,commiſſoq; prælio apud Sauum fluuium Turcas in fu-
gam vertit cum parua ſuorum clade, at magna iactura Turcarum. multa capta eſt prȩda.tentoriũ,
argentum,muli, omnia impedimenta purpurati in poteſtatem Leucouizzii veniunt. purpuratus

Leucouizzij victoria.

vix ſeſe in inſulam quandam exiguam Saui ſeruauit. quȩ dum gerũtur fortuna victorias hinc in-
de alternante in Pannonia,dum armis decertatur inter Cęſarem & Ioannem Tranſyluanum de re
gno Tranſyluaniæ,in Myſia ſuperiore Alexander,qui erat in ea præfectura, penè oppreſſus eſt per
inſidias cuiuſdam Myſi,qui ſe Vaiuodam fecerat collecta magna ſicariorum manu.ac niſi Polonus
Rex illum repente oppreſſiſſet,ſumpſiſſetq́, pęnas illius audaciæ,iam actum erat de Alexandri ſa-
lute. Polonus autem exercitus,qui aduerſus Moſchouitarum ducem belligerabatur, vbi primum
anni ratio paſſa eſt eſſe in aperto,incurſiones facit in agrum hoſtilem. multam prædam abigit. mul
tos in agris trucidat. cuncta ferro atq; igni populatur.& ne vrbem potentiſſimam à tergo relinque
ret hoſtilem Coſtenagarum,illam obſidet,multisq; tormentis diuerberat. Moſcouitæ audito eius

Coſtenagarum obſeſſũ.

vrbis periculo continuo copias educunt ingẽtes ad ferenda auxilia circiter quadraginta millia equi
tum. Poloni cognito tantarum copiarum apparatu & aduentu hoſtium ſoluta Coſtenagari obſi-
dione ſigna conuellunt ad profectionem,obuiamque profecti caſtra ponunt apud lacum diſtantẽ
fere ſex milliaria ab hoſtium caſtris eo conſilio,vt totis copiis ac viribus dimicaretur,ſi daretur op-
portuna prælij facultas. Erant in caſtris Polonis circiter quatuor millia peditũ maiori ex parte ſclo
pettariorum,& nouem millia equitum. Initum eſt leue certamen primum,atq; aciebus paulatim
propinquantibus Moſchouitæ ſtatim neque commiſſo quidem prælio minime expectantes impe-
tum aut virtutem Polonorum turpiter diffugiunt relictis viginti &,duobus bellicis tormentis. Po-

Polonorum victoria de Moſchis.

loni timorem Moſchouitarum, imbecillitatemque animi admirati ad Peſcouium vſque vrbem inſe
quuntur. Moſchouitæ nullo in loco conſiſtentes redeunt in patriam ducentis ferè pagis & tribus vr
bibus ex itinere ſuccenſis,inter quas fuit Coſtenagora vrbs ampla & opulenta. eius tamen arce po-

Coſtenagora ſuccenſa.

tiri non potuerunt,quia glacies iam ſolueretur,quo factum eſt vt multis impedimentis & iumen-
tis amiſſis redierint ad fines Liuoniæ. At contra, Lituanorum copiæ,quæ regio eſt inter Polonos ac
Liuones ægrè ferentes Moſchouitarum auaritiam,crudelitatemq; aduerſus Liuones, ac veriti illo-
rum vicinitatem ſi ſuperati fuiſſent Liuones,ſtatuunt Liuonas auxiliis iuuare, collectis itaque ſex
millibus armatorum equitum,quibus ſe addiderant quatuor millia eorum, qui ſpe prædæ caſtra ſe
quuntur duce ſummo horum copiarum Cruſchio viro Moſcho,per Neuellam prouinciam è Li-
tuania penetrant in regionem Moſchouitarum,illam percurrentes ad Veliſcum vſque & Velichilu

Lituanorum copiæ & populationes.

cum & Heropiſchum plures ſexcentis pagis ſuccendunt: multos trucidant. quadraginta & tria lo-
ca mœnibus cincta capiunt. circiter quatuor carrorum millia impedimentis onuſtorum abducũt,
qui de more eius regionis ab vnico equo trahuntur. Captis ferè octo millibus mortalium redeunt
intra fines Lituaniæ. Cæterum vbi redeuntes Poloni propinquarent finibus Lituaniæ, obuia fiunt
duodecim Scytharum & Moſchouitarum millia, qui prædam abigentes erant oppreſſuri, at Polo-
ni fortiter reſiſtentes ad quatuor millia hoſtium trucidant.reliqui fuga ſe ſeruarunt. Sic enim ali-
quando fit ab his nationibus,quæ potius pro prȩda,quàm pro gloria pugnare conſueuerunt. Inte-
rea controuerſia non leuis arma Sueciȩ quoque & Daniæ regum excitauerat, quorum diſſidii cau-
ſa fuerant duo fratres Pharodinenſes duces,qui armis inter ſe contendebant. Horum maior natu
Poſtochium vrbem vi occupauerat,quam minor cũ iniuriam ægerrimè ferret cum exercitu obſide-

Poſtochium vrbs obſeſſa.

bat.huius partibus Daniæ rex,illius rex Suetiæ fauebat, & opibus atque copiis palam iuuabat. Dux
Buguntorum pro familiaritate vtriuſq; Regis,& ne arma Germanica inter ſe confligerent,quæ re-
ctius putabat in externos pro libertate Germaniæ conuerti poſſe,conatur eos ad concordiam per-
ducere,& res componere. Illa de cauſa induciæ factæ ſunt per quoddam tempus. ad harum indu-
ciarum ſecuritatem & quaſi vadimonium Daniȩ rex octo onerarias naues mercimoniis onuſtas re
tinet;quare indignatus Sueuus ingentem claſſem inſtruit. Triginta & ſex onerariȩ Sueuæ mare Li
mirenſe percurrentes ad oppidum vſq; Daniæ Coppenhauecium percurrunt. obuia quęq; ferro

Daniæ & Sueuorum regũ cõtentiones.

deuaſtant ac prædantur. Quatuor naues Daniæ inſectantur, quarum in vna erat amiras. cum
ventum eſſet ad pugnã,certatur aliquantulũ, quia nulla facultas fugæ concedebatur. Sed cũ nulla
ſpes ſalutis denique reliqua eſſe videretur magno impetu in terram impingunt,quare ſeruata tur-
ba nautica naues ipſæ flãmis hoſtilibus ſunt abſumptæ. Neq; in Cyrno inſula ſanè ceſſabatur, quã

Onerariȩ Daniæ vſtæ.

uis ſuperiore anno auxilia data fuiſſent nõnulla a Garzia Toletano Genuenſibus.nã cũ mare Sicu-
lũ ac Tyrrhenũ vniuerſum moleſtiſſimis & frequentibus piratarũ incurſionibus atq; prædationi-
bus infeſtaretur poſt diſceſsũ chriſtianæ claſſis in Hiſpaniã,Philippus cõceſſit ſummã rerũ mariti-
marũ Garziȩ Toletano,qui relictis viginti & duabus triremibus ad Hiſpaniæ litora tutanda, ipſe
cũ decẽ Genuã nauigauit. Piratæ audito Toletani imperio,& eius in Italiam aduentu è veſtigio re-
lictis prædationibus in tutũ ſe recipiunt. Garzia Genuam profectus triremiũ numerũ ad triginta
& tres adauget. cũ his nauigat in Sardiniam. mare Siculũ & Tyrrheuũ percurrit. magno ſtudio pi-
ratarum latibula inueſtigat. Tunc Neapolim appulit,vbi inuentis viginti triremibus partim Nea
politanis,partim Siculis impoſuit claſſi duo millia veteranorũ Hiſpanorũ,atq; iuſſit mille & quin-
gẽtos Germanos Sabbatiam accedere,quos & ipſos claſſi imponeret. interea cataſcopium Genuẽ-
ſe fit obuiũ. monet Sampetrũ pecuniam in ſtipẽdia,ſariſſas,ſclopettos expoſuiſſe in inſulam,ac ma
gna ſemina bellorũ co nſurgere,niſi cito ipſius Garziæ opera ſuccurratur. Garzia iubet Io. Andreã
Auriam cum decem & ſeptem triremibus ad Villamfrancam appellere ad conuehendos Germa-

Garziæ aduẽtus in Cyrnũ

nos,

nos, ipſe cum reliqua claſſe in Cyrnum applicuit. Sampetrus percepto Garziæ, claſſiſq; aduentu relictis quinquaginta Aquitanis in quadam turri, quam munierat, in loca montoſa in tutum ſe recipit. Hiſpani vbi cognouiſſent prçſidia ineſſe in ea turri, attractis tormentis bellicis, quod ea pertinaciter defenderetur, turrim adoriuntur. proſtrata parte muri inuadunt. Certatur vtrinq; magna virtute. deniq; victi multitudine inuadentium Aquitani ad vnum cæduntur. Veruntamen Sampetri res ſuccreſcebat in dies, cuius magna erat autoritas penes inſulanos, neq; minores habebat copias, quàm Genuenſes, quibus accedebat quod non ſatis fidebant ſuis copijs Genuenſes, cum pleriq; milites eſſent inſulani. cum ſummum imperium eius expeditionis Stephano Auriæ dediſſent anno ſuperiore Genuenſes, prçfectus inſulæ ſuis copiis diffidens eius aduentum expectabat, qui dicebatur accedere cum tribus millibus & quingentis peditibus. Garzia illa turri potitus non ſine ſuorũ iactura, cum videretur Sampetrus longius receſſiſſe, quam vt maritimæ copiæ illum vel tuto vel cómodè perſequi poſſent, non eſſe aptas triremes montanis bellis inquiens cum vniuerſa claſſe Niceam verſus iter capit. Genuenſes ne diuturnis ſumptibus & moleſtiis bellorũ affligerentur, quæ verbo aduerſum Sampetrũ, at reipſa aduerſus vires Gallicas ſe gerere ſuſpicabantur, legationẽ mittit ad Galliæ Regem. quæ illud bellum contra conditiones pacis cum Philippo Rege factæ ſibi inferri doceret, cũ neq; ipſum Regẽ, neq; Gallũ quempiã iniuria laceſſiuerint. huic legationi reſponſum eſt Gallum Regem nullo pacto velle bellum importare neq; Philippo Regi, neq, Genuẽſibus contentis in conditionibus pacis. His addunt fore ſi Sampetrus in Galliam accederet, vt pęnas daret pro illatis in Genuenſes iniuriis. nec multis tamen interiectis diebus vndecim cohortes militũ in Gallia collectæ fuiſſe dicuntur, quæ traijcerentur in Cyrnum inſulam, ad quas traiiciendas & expectandas rex Iuliæ Cæſareæ miſit clam archipiratam cum decem & ſeptem nauigiis. fiebat hoc à Numida callido conſilio, quia cum claſſis Hiſpana diceretur ad Africanam expeditionem eſſe ventura, ita fieri poſſe facile putabat, vt ea per bellum Cyrnẽſe retardaretur, ac non infeſtaret vrbes Numidicas. Per illa ſubſidia paulopoſt auctus viribus Sampetrus vniuerſam inſulam occupauerat præter paucas munitiones, quæ diligenter à Genuenſibus præſidiis cuſtodiebantur. at ſummus imperator Genuenſium copiarum quod intelligeret iam quorundam inſulanorum animos diuturnitatis bellorum eſſe pertæſos, qui prius erant ſtudioſi rerum nouarum, facile poſſe reconciliari ſuæ reip. a quibus aſſidui labores & ingentia tributa exigebantur, cum Sampetri vires maiori ex parte ab inſulanis eſſent ſuſtentandę, ſalubre & clemens edictum promulgari iubet, per quod impunitatem, & ſempiternam obliuionem prçteritorum errornm omnibus concedebat, qui ad amicitiam fidemque Genuenſium confugiſſent, à qua tamen impunitate principes factionis & rerum nouarum autores arcebantur. conſtitutum eſt certum tempus reconciliationis, vltra quod pertinaces pro hoſtibus haberentur, in quos acerrimè ſæuiretur. Illud edictum non nihil vires Sampetri debilitauerat, quia non ſolum multi complexi ſunt denuo partes Genuenſes tanqnam legitimorum dominorũ inſulæ, ſed etiam effectum eſt vt Sampetrus minus animis Cyrnenſium confideret. erant anno ſuperiore relicti in inſula duo millia & quingenti pedites, qui erant nunc in Mantinis, at Sampetrus viribus per diuturnitatem refectis, animoque ſtabilito cum magna armatorum manu Mantinos tranſgreſſus multos pagos, multaque caſtella capit, diripit, ſuccendit, inter quæ fuit epiſcopatus. Io. Pyrrhus Buyzenſis ſeditioſorum Cyrnenſium ac rebellium tribunus, vbi tranſcendiſſet montes ad fęderationem cum Turcicis biremibus faciendam capitur ab equitatu Sardinienſi, cuius caput abſciſſum Genuam deportatum eſt. eius hominis cędem grauiter tulit Sampetrus, qui cum paulo poſt auctas eſſe vires Genuenſium in inſula intelligeret, quia circiter quinque millia peditum, equites quadringenti conueniſſent, collectis & ipſe quantis poſſet copiis cum octo millibus armatorũ fit obuius. commiſſo prælio omnes Genuenſium copię deletę profligatæque ſunt, præter trecentos homines. atque equitatus omnis in fugam verſus. Solimanus incenſus partim frequentibus ſuorũ lamentationibus, & præſertim Regis Iulię Cæſareæ ac piratarum oræ Africæ mariſque mediterranei, qui plurimum de ducibus Philippi Regis querebantur, partim impulſus iniurijs equitum Melitenſis militiæ ordinis Hieroſolymitani, qui multa nauigia precioſis mercibus onuſta prædabantur ſæpius, conſtituit omnino illam infamiam & ſuorum moleſtiam delere, ſuorum commodis conſulere, maximam claſſem ad inſulam Melitam hoc anno expugnandam mittere. per hanc expeditionem non ſolum erat obtenturus vt mare tutum illud haberet a prædationibus, verum etiam vt facilis traiectus claſſibus inde daretur ad vexandam Siciliam, & ad imperium totius Italiæ breui affectandum. Eſt enim Melita inſula in mari Africo, quæ habet ad ſeptentrionem Siciliam diſtantem circiter ſexaginta millia paſſuum, inſulam omnium quæ iacent intra mare mediterraneum citra columnas Herculis nobiliſſimam & opulentiſſimam. diſtat Melite paribus propè ſpatiis à Pachyno & Lilybęo Siciliæ promontorijs. ad meridiem habet Africam, a qua paulo ampliore ſpatio disiungitur. ad orientem habet latiſſimum ſpatium maris, quod extenditur Corcyram Cephaleniamque verſus. ad occaſum reſpicit latiſſimum ſpatium maris Africi, qua itur ad columnas Herculeas & ad Calpen in mare Oceanum. eſt autem inſula fertilis rerum multarum, ſed lanarum præcipuè ac mellis. In ea nobiliſſima eſt ciuitas, quæ a Carthaginenſibus ædificata fuit, cũ portus haberet accipiendis claſſibus accommodatos, quo tempore primum ad Italiæ imperium aſpirantes Siciliam inuaſerunt: quam nominarunt Melitam. Habet illa inſula duos portus accipiendis claſſibus aptos, quorum alterum vulgo Marſamuſetum, alterum Herculis templum ſiue Maraſiroccũ vocant. efficiunt hos portus maritimi ſinus in ipſam inſulam ingredientes, qui prius offerunt aduenientibus fauces & anguſtias, at ingreſſis deinde os in tutiſſimarum aquarum ſpatium dilatatur. Partes quędam inſulæ illius ad peninſularum formam in mare protenduntur, cum per exiguam

Genuẽſium legatio i Galliam miſſa.

Edictum Stephani Aurię.

Genuẽſium clades i Cyrno.

Melite inſ. deſcriptio.

terrę

terræ ſpatium inſulæ adhęreant. Inter hos duos portus ſpatium terræ intercurrit latum in decē ſtadios ferè, cuius in ea parte, quæ Pachynum & mare Siculum magis proſpectat, atque exteriori mari eſt coniuncta, locus eſt munitiſſimus, quam arcem diui Hermetis nominant. interius cum tres proruant perinſulę, in illa quæ magis à mari receſſit, nullum eſt oppidum extructum. at in ea, quæ ad mare Siculum vergit, oppidum propè inexpugnabile diui Angeli, exiguo ſanè ſpatio a ſuburbio ſiue Burgo vocato diſiunctum. in illa parte, quæ interiacet, eſt oppidum munitiſſimum diui Michaelis. Deinde eſt in inſula oppidulum molendini, & diuę Margheritæ, & pagi præterea quadraginta & quinque præter antiquam vrbem. continet ambitus inſulæ Melitæ circiter ſexaginta milliaria, cuius longitudo eſt viginti, latitudo fermè duodecim. Ioannes igitur Valettanus vir Gallus admirabilis propè fortitudinis & prudentiæ ſummus magiſter, ſiue præfectus vniuerſis equitibus religionis diui Ioannis ordinis Hieroſolymitani, cum illam inſulam poſt captam Rhodum armis Turcicis à Cæſare accepiſſet, ac Pontifex pro ſede & domicilio eius ordinis approbaſſet, ſumma diligentia tanquam auitum & acceptum a maioribus patrimonium illam ſeruabat. Hic vbi factus eſſet certior per exploratores claſſem Turcicam ad eius inſulę expugnationem inſtrui, primum, vt conuenit, omnem bellorum euentum in diuina voluntate conſtituit; deinde ſeſe diligentiſſimè accingit ad omnia paranda, quæ viſa ſunt arcendis viribus hoſtium & defenſioni neceſſaria. Sacris igitur ritè peractis, omnibusq; militibus ad pręſidia futuri belli vndique accitis, qui viſi ſunt neceſſarij, præclarum & pietatis & bellicę peritiæ exemplum dedit. atque cum tanta claſſis, tantus nauigiorū numerus, tot bellica tormenta, tanta bellicorum apparatuum copia, tot ligna ad aggeres conſtruendos afferrentur, quot poſſent vel quemuis potentiſſimum Chriſtianorum principem contemnere, nedum Melitenſium vires perterrefacere, tamen Valettanus intrepidus, quod eſt maximum in rebus omnibus, aduerſus tantam laborum, periculorumque molem perſiſtit. eius ducis conſtantia, & vultus hilaritate ac virtute ita equites omnes Melitenſis militiæ ſunt confirmati, vt ad defenſionem parati certam etiam victoriam ſibi in animo propoſuerint. Nam concordibus animis decreuerunt vel ſibi eſſe fortiter in pugna moriendum, vel męnia ſacrati laris, & religionem, & gloriā Italici nominis pertinaciter defendendam. Et quoniam omnium propè bellorum, quę geſta ſunt a Turcis in Chriſtianos ad hanc vſque diem; hoc atrociſſimum & aſperrimum eſſe iudico, cum nulla oppida, vel vrbes, vel munitiones intra tam breue temporis ſpatium crebrioribus oppugnationibus tentatæ, neq; tam aſſiduis laboribus infeſtatæ, neque tantis apparatibus expetitæ vexatæq; fuiſſe memorentur, aut contra, vix vllum oppidum in ſuperioribus temporibus inuenire liceat; quod tanta animi magnitudine defenſum, vel tanta peritia rei militaris, vel tanta diligentia defenſorum, me operæprecium facturum putabo ſi res à principio quemadmodum geſta ſit, explicauero. Iam vero primum omnium conſtat perpetuas inimicitias intercedere inter imperatorem Turcarum & equites Melitenſis militiæ, cum reſideat ſemper in animis perpetua acceptarum iniuriarum memoria, quas acceperunt magiſtro Rhodię militiæ Philippo Lalidamo, cum diſſidentibus inter ſe Chriſtianorum armis, principibusq; inteſtinis bellis occupatis Turcarum Imperator non amittendam opportunitatem rei bene gerendæ ratus per illa diſſidia, Rhodum antiquam eorum equitum vrbem ducentis armatorum millibus ſeptus inuaſit. Id factum eſt tantis machinis, tam mirandis operibus & cuniculis, tantis, tamq; aſſiduis laboribus, cum propugnaculum eſſet futurum aduerſus Chriſtianorum vires, vt equites deſperatis vndique auxilijs, cum ſcirent ſe tantos labores demum ſuſtinere non poſſe, ad deditionem compulerit. His accedebat perpetua diſſenſio, & ſimultas religionis cauſa, &, quod cæteras omnes inimicitias odiaque longo interuallo relinquit, habitatque in animis potentiorum, regnandi libido & deſiderium prorogandorum finium, quod vnum aliquando principes impellit ad arma hoſtiliter importanda, cum indignatio & religio nonnunquam ſimuletur. acceptarum iniuriarum memores igitur Melitenſes equites quædam nauigia Turcarum mercimonijs onuſta ceperant, vt perpetuorum hoſtium, qui viderentur contemnere Chriſtianas vires, aut illatarum iniuriarum eſſent obliti. Sed quia omnis iactura grauiſſima eſt illi, qui ſemper aliena rapere tantum conſueuit, ac ſuam opulentiam per rapinas adaugere, Turcarum Imperator Solimanus haſce iacturas ægrè tulit. atque vt eſt animus potentiorum putantium præſertim ſe negligi ad iram propenſus, conſtituit Melitam inſulam equitum tanquam prædonū receptaculum vel armis ſubiugare, vel ad vltionem acceptarum iniuriarum plurimum labefactare. Fit certior Valettanus quę cogitarentur & quę fierent Byzantij, quod nunquam intermiſſis operis ſingulari imperatoris iuſſu diligentiaque omnia nauigia, quotquot comparari poſſent, inſtruuntur, quia ingentem claſſem, maximeque rebus omnibus neceſſariis inſtructam, eſſet ad expugnandam inſulam Meliten emiſſurus. quod omnis eius Imperatoris indignatio ad preces ſuorum & Iuliæ Cęſareæ Regis in primis in eos equites fuiſſet conuerſa Illud fiebat per exploratores, quos magnis ſumptibus Valettanus alebat Byzantij, vt de omnibus rebus & apparatibus bellicis in dies fieret certior. nam bona pars vel victorię, vel conſeruandarum copiarum eſt collocanda in cognoſcendis viribus & conſilijs hoſtiū, quod per nullos homines certè commodius fit, quam per exploratores. Atque cum tres ſint partes vniuerſæ bellicæ facultatis, prudentia nimirum ac peritia imperatoris, cognitio virium hoſtilium per exploratorum diligentiam, celeritas conficiendi, quę ſapienter decreta, ſciteq; fuerint, certè diligentia exploratoria plurimum confert ad omnem bellicam rationem, in quam plurimos ſumptus iure faciebat Valettanus. his ille nuntijs minime conterritus, neque tantarum rerum nouitate turbatus animum adijcit ad ea comparanda, quæ forent ad reſiſtendum neceſſaria. & quoniam maximè omnium neceſſarium eſt animos militum eſſe ad fortitudinem confirmatos, ſine qua re vani ſunt omnes bellici apparatus, ſuos ad virtutem & ſtrenuitatem adhortatur. Docet ſummam eſſe

Turcarum

Io. Valettan. Gallus magiſter militiæ Melitenſis.

Bellum Melitenſe acerrimum & atrociſsimū omniū bellorū Turcicorū.

Vires hoſtiū cognoſcere plurimi refert.

Valettani oratio hortans ad fortitudinem.

Turcarum ſuperbiam & arrogantiam, qui cæterarum nationum vires leuiſſimas eſſe arbitrentur. Sed addit & Turcarum & omnium reliquorum hominum vires ſiqui potentiores ſint, inanes & irritas eſſe aut fieri denique, ſi pręter æquitatem aduerſus innocentes inſurgant, aut aduerſus Dei potentiſſimi regis exercituum religionem. Multas iniquas copias ſępe fuiſſe fautore Deo iuſtarū partiū fuſas & profligatas, vt vix nuntius acceptæ cladis aufugerit. non eſſe timendas humanas vires illi, qui Deum habeat adiutorem. Non eſſe formidandam claſſem potentiſſimam, quę cū magnis apparatibus accedat ad inſulæ expugnationem, cum multò iuſtius ſit bellum, quod ſuſcipitur defenſionis cauſa, quàm quod inferendæ iniurię. Nam cum autor & adiutor omnis iuſtitię ſit Deus, nullę neq; hoſtium minę neque tormentorum multitudo, nulli admirabiles apparatus, nullę inſtructæ acies ſunt timendæ. Immortales gratias Deo habendas eſſe inquit, qui tam præclaram opportunitatē præbeat oſtentandi quanta ſi in animis eorū prudentia & fortitudo. Nam res non in obſcuro agetur, neq; fama intra inſulę fines continebitur, ſed agetur negotiū in celeberrimo orbis terræ theatro, & in omnium gentium præſentium ac futurarum conſpecta. Communem omnibus eſſe inquit non modo hominibus, ſed etiam brutis hanc vſuram lucis & vitę, ſed gloriosè vel viuere vel mori, ſolis viris bonis & fortibus concedi. nam ſoli hi ſplendorem virtutis ſuæ cū admiratione omnium populorum poſſunt ad poſteros tranſmittere. Hiſce rationibus tantus laudis ardor additus eſt animis ſingulorum, tanta lætitia, tantum, tam pręclaræ opportunitatis deſiderium, vt vel nimis tardus hoſtium aduentus putaretur.

*Turcarū Imperatoris mos conſultantis.*

Turcarum item Imperator præſtantiores ſuorum procerum & ipſe ad conſilium conuocat. Conuocandi mos eſt, vt acciti per nuntios in aulam amplam & magnificam conueniant Diuanum, qui locus eſt audientiæ. In ea thronus apparatur ſublimis cum regia magnificentia. vtrinque ſunt ſubſellia inferiora pro gradibus aſſidentium, atque ad thronū per gradus in formam hemicycli aſcenditur. Vbi indicta ſunt comitia, conueniunt purpurati. His congregatis deſcendit per occultos deſcenſus Imperator. Sedet in throno. purpurati, qui ſunt nouem pręſtantiores in gradibus ante Imperatorem in genua procidunt. Declinatis capitibus, neque oculos quidem præ reuerentia attollentes. Proponit Imperator quid fieri velit. horum petit ſententias. his dictis neque verbo quidem cuiuſquam audito diſcedit. aſcēdit in thalamum, vbi diſputationes poſt clatros denſiſſimos feneſtræ latens poſſit audire. vacuo throno imperatorio relicto conſident proceres. repetit eandem ſententiā purpuratus qui cæteris dignitate præſtat. pręſtantiā facit Aſprorum, id eſt paruulæ pecunię Turcicæ argenteæ nomen, numerus in quotidiana ſtipendia. reliqui conſultantes proferunt, quę vel eſt vna omnium, vel variorum diuerſę. his dimiſſis præſtantior ad Imperatorem diligenter omnia defert. Imperator dimiſſo eſt illo clam iubet a ſecretis diploma conſcribere & conſignare. datur id deleto ſummo duci eius expeditionis. iubetur non prius illud reſignare quam ad iuſſum locum acceſſerit. Sic nemo eſt conſiliorum ſecretorum particeps aut cōſcius apud Turcas, ac neque ipſi quidem conſultores eius conſilij. quod tamen fieri ſolet aliquando cum in equo ſigillatim illos alloquitur. neque tamen vtrum faciendum ſit, necne quod Imperator proponit, diſputatur, quod omnia ab illo fieri poſſe aſſirmant, ſed de faciliore tutioreque ratione conſuluntur periti. Solimanus his proceribus conuocatis proponit arrogantiam Melitenſiū non eſſe ferendam, quare depellendas eſſe à ſubditis iniurias, cum minime ſit Turcicæ dignitatis pati vt ſubditæ nationes impune affligantur. ad iſtud ſe cogi perpetuis lamentationibus eorum, qui ad oceaſum Mauritaniamque verſus nauigant apud inſulam Melitam, cum ab illis crucigeris equitibus aſſiduè vexentur. Se cupere vt illi equites vel penitus deleantur, vel tanquam maritimi latrones ex inſula eiiciantur: quippe cum lex religionis & quotidianæ iniuriæ iſtud flagitent. vt autem res diligentius perpendatur, proponitur ſingulis purpuratis forma & ſitus inſulę in charta quadā expreſſa. Horum poſtmodo ſentētia cognita omnium ad eam expugnationem conſpirantium imperat vt piraticę prædatoriæque naues omnes rebus omnibus ad hanc expugnationem inſtruātur. iuſſus eſt rex Iuliæ Cæſareæ conuenire, & Alexandrina præſidia, & omnia nauigia Draguti. Quæ dum inſtruuntur Byzantii, in comitiis Melitenſium præfecti ſunt muniendis locis opportunis dux

*Ratio muniēdorum locorum.*

Italus, Bonais Gallus equites, & commendator Aragonius, qui ſtatim animum adiiciunt ad euertēda & ſolo æquanda omnia ædificia, quę forent extra munitiones, proſternendaſque arbores & inferendas in vrbem quotquot poſſent, quę poſſent eſſe vſui munitionibus & reparationibus, & ne adlignationem exire per pericula cogerentur. omnia deſtruuntur denique quæ forent extra munitiones, quæ vel proſpectum poſſent impedire, vel hoſtibus commoda importare. His tranſactis acceditur ad intima vbique munienda. magna copia commeatus ex agris vndique in oppida importatur, & plumbi & funiculorum, & pulueris tormentarij & ferreorum globorum. Ciſternæ dulci aqua replentur, caro ſalita oleum, vinum plurimum vndique importatur, ac res pleræque huiuſmodi. nequid omnino diuturnæ obſidioni deeſſe poſſet. Turcica claſſis vbi ſumma diligentia fuiſſet inſtructa, vt viſa eſt primum ſatis apta cęli temperies nauigationi, Melitam verſus iter capit. Sed quoniam nihil magis ſollicitum eſt quàm animus imperantis, aut eorum qui felicitatem in multis poſſidendis ſibi ſtatuerunt, cum perpetuis curarum ſtimulis crucientur, Garzia Toletanus qui erat in Sicula præfectura, veritus ne ſimulata obſidione Melite iter ad inſulam Galathen ſiue Guletā Turcæ conuerterent, oppidum ibi munitiſſimum, & ad omnes fortunæ euentus paratiſſimum eſſe voluit ſuſtinendos, cum eſſet etiam triremium regiarum præfectus, vti diximus. Toletanus illo oppido diligenter recognito in Siciliam redit ad claſſem pro viribus inſtruendam. Turcica claſſis vbi Peloponneſum verſus nauigans Methonen applicuiſſet, Muſtapha de more ducum, cum ſummus eſſet

*Copiæ claſſicæ Solimani.*

terreſtrium copiarum imperator, omnem ſuarum copiarum numerum cenſuit. Cenſa ſunt ſeptem Spacchium millia ex Aſia minore, qui ſunt equites Turcæ perpetua ſtipendia merentes. his

præerat purpuratus præfectus ipſi prouinciæ,quem vulgo Sanzacchum vocāt.aderat & Sanzacchus
Ciliciæ cū quingentis.cū totidē Mitylenęus.cenſi ſunt quatuor millia & quingenti lectiſſimi Ianiz
zeri, qui ordo eſt fortiſſimus Turcarū,cū ſint a teneris inter res militares educati. Magna præterea
cenſa eſt multitudo eorū,qui tanquam ſacerdotes religionis cauſa ſeſe vltro in caſtra obtulerāt,qui
piū eſſe cenſebant arma Chriſtianis inferre,cū religionem,Imperium, leges ſuas ſe conſeruare pro-
fiterentur, atq; hi accedebant ad viginti millia. aderat præfectus Peloponneſi cum mille & ducentis
ſpacchibus.cenſa ſunt etiam quatuor millia eorū,qui ſpe prædæ caſtra ſequebantur,qui conuenerāt
in prędatorijs nauiculis.Pialis claſſi vniuerſæ præfectus cum ſummo imperio & ipſe ſuorum naui-
giorum numerum cenſuit ante quam è Pylo diſcederetur. aderant triremes centum & triginta. bire
mes triginta. mahonæ octo, hę ampliores naues ſunt conuehendis commeatibus & apparatibus bel
licis accommodatæ. Quatuor caramuſali;quæ nauigia ſunt onerarijs minora, figura ferè ouali,
prora tamen eſt acutior ad proſcindendas vndas. naues onerariæ vndecim, cum vna fuiſſet demerſa
non procul à Nauplio,in qua erant ſex cadorum pulueris tormentarij, & tredecim ferreorum glo-
borum millia,quæ cum ſeptingentis ferè Turcis perierunt. erant & decem triremes Rhodiæ cū præ
fecto Aliportho. duæ Mitylenęæ,quibus præerat Salarais ; & liburni, hemioliæ, ſcaphæ complures.

Claſsis numerus.

Hęc ita inſtructa claſſis felici vento vſa ſeſe Pachyno Siciliç promontorio primum oſtentat,ac paulo
poſt ad inſulam Melitam delata præmiſſis viginti triremibus exploratū primum occupat portum
Herculis templum,ibiq; ſtationem habet nō ſine magna moleſtia. Ibi cum tuto triremes eſſe nō poſ
ſent, ventum eſt ad locum Marum vocatum, quę alia pars eſt inſulæ. fit deſcenſio : omnia præ-
dationibus implentur. magna præda vbique capitur. exeunt ex vrbe Melita trecenti Hiſpani,equi-
tes quinquaginta. committunt minutum prelium, in quo ſexaginta Turcę cæſi ſunt & vnus San-
zacchus. circiter quadringenti fuga ſe ſeruarūt. at cum multi Turcæ paulo poſt ſubſidio fugenti-
bus acceſſiſſent, Hiſpani in vrbem includuntur. exeunt poſtea è claſſe reliquæ copiæ,quæ acedebant
ad viginti & duo millia armatorum. Muſtapha quadringentos Turcas mittit cum quinque cam-
peſtribus tormētis ad templum Diuæ Margheritæ occupandum, vnde mænia Melitæ proſpici poſ-
ſent. Nuntiatum eſt in caſtra Dragutum nihil aliud expectare,quàm vt à præfecto claſſis accerſire-
tur, qui tres quinqueremes & duodecim triremes egregiè inſtruxerat. Melitenſes viſos qui ad tem-
plum conſtiterant ducenti egreſſi inuadunt. committitur prælium. multos Turcas trucidant. reli-
quos cogunt circiter tria milliaria ab vrbe conſidere. Nam quamuis Turcę prius rumorem diſſipa-
uerant quod erant Galathen adorituri, vt magis imparatos, ac nihil tale ſuſpicantes Melitenſes re-
pente opprimerent, tamen nihil id pro fuit ad belli facilitatem ; quia quanta eſt latronum aſtutia
inuadendis viatoribus, tanta eſt plerunque fortitudo viatorum latronibus repellendis. ſiquidem
Melitenſes multo ante erant ad omnes fortunæ euentus comparati, quippe quibus nullus bellicus
apparatus nouus accidebat, neque, quod maximum eſt præſidium obſeſſis ciuitatibus, animi magni
tudo & conſtantia tolerandis bellicis laboribus deerat. Atque vt ſciatur quibus viribus freti Melitē-
ſes tantas, tam aſſiduas, tam crebras Turcarū oppugnationes ſuſtinuerint, cognoſcendus numerus
copiarum quæ fuerunt in inſulæ præſidijs. Erant igitur Neapolitani trecenti. Galli, Hetruſci Hiſpa-
ni circiter mille. epibatę è Melitenſibus triremibus mille. Quingenti ex ijs propugnatoribus
qui ex agris in tutum ſe receperant. ciuium ſex millia non inepti ſclopettarij, atq; viri bellicoſi & fe-
roces. non inutilis præterea numerus ſacerdotum, quæ omnia præſidia vel ante Turcarum in inſu-
lam aduentum in opportunas oppidorum, munitorumq; locorū ſtationes fuerunt diſtributa. erāt
in vrbe Melita ducenti pedites mercenarij, & quadringenti lectiſſimi ex vniuerſa inſula, & multi ci-
ues, & equi trecenti cum magna pabuli copia. His præfectus erat Vagno eques militię, quibus de-
fenſoribus cum rebus victui & pugnæ neceſſarijs inſula erat munita ; omneſque tanquam ſpecta-
tæ virtutis edendi ſpeciminis opportunitatem forti animo expectabant. Muſtapha cenſebat vt
omnes copiæ exirent è nauigijs, tormentaque extraherentur, atque iam quadringentos Turcas
emiſerat ad explorandum locum ad verberationem, qui coacti recedere per leue certamen agge-
rem excitāt circiter viginti ſtadios procul ab arce Diui Hermetis. Pialis aduerſus Muſtaphę conſi-
lium intelligens in quanto periculo res Turcica eſſet conſtituta cognitis Melitenſibus apparatibus
per captiuos, cenſebat prouinciam eſſe inſulam expugnare omnino difficillimam. Nam & ab ini-
tio eius belli conqueſtus fuerat ſe in apertum periculum, certamque rerū omnium iacturā miſſum
fuiſſe, cum vix octo Ianizzerorum, ac decem ſpacchium millia haberet in claſſe, cum reliqua multi-
tudo non eſſet rebus bellicis idonea, quippe quæ nullū antea vidiſſet bellū. futurū enim prius vt om
nes periti propter paucitatem cęderentur in oppugnationibus, quàm tyrones intrepido animo tor-
mentorum bombum perdiſcerent. Idcirco Muſtaphę conſilū minime probabat cum nollet fortu-
nam belli ante Draguti aduentum experiri, qui accitus in horas expectabatur. eo profecto decretū
erat primùm arcem Diui Hermetis expugnare. Vbi ad Herculis templum claſſis igitur appuliſſet
egreſſa ſunt circiter viginti hominum millia, atque ſexaginta triremes tantum armatę relin-
quuntur. bellica tormenta campeſtria quædam extracta. valli ac foſſæ militares incœptæ. ten-
toria erecta. primus dies totus & ſequens parandis ſtationibus abſumptus. Pialis cum
ſeptem peditum millibus exploratum accedit arcem diui Michaelis, neque tamen valde pro-
pinquat oppido propter tormentorum frequentiam. commiſſo leui prælio vexillum Tur-
cis ereptum à Curſelinio in vrbem fuit comportatum. cecidit vnus è Sanzachis, & alij qui-
dam Turcæ ignobiles. deinde habitis comitijs in caſtris Turcarum conſultatur quid primum ſit
agendum. multæ adductæ ſunt ſententiæ, quòd alijs aliud oppidum primùm tentandum vi-
deretur, at decernitur tandem maiori parte ſuffragiorum vt prius arx Diui Hermetis obſideretur.

Copię exeūt in inſulam.

Copiæ Melitenſes.

His ita ſtabilitis cum Turcæ ad montem aſcenderent quo diligenter arcem ſpecularentur, commiſſum eſt leue prælium, in quo pauci inſulani, at Turcæ multi ceciderunt. Miſſa eſt triremis Melitenſis duce Saluago per noctem, qui exijt è portu obſcuritate fretus, qui nuntiaret in Siciliam Toletano omnia belli initia. Turcæ breui aggerem arci proximum excitant, vnde crebro concuterent, quam etiam infeſtabant triremes, quæ ſeruabant fauces & anguſtias portus, ſed agger excitatus crebris ictibus ex arce proſternitur. Turcæ ob quotidianas cędes territi aliquantulum audaciæ remittunt, inter quæ certamina triremes præſidiariæ Alexandriæ accedunt. atque noningentos lectiſſimos milites adnehunt, quibus præerat LuzAlis vir ſtrenuus & rerum bellicarum peritiſſimus. tum vallum in editiore loco erigunt, vbi tria ingentia tormenta conſtituuntur, quibus & arx & triremes ſtationē habentes in portu infeſtaren tur. nullo tamen graui damno res Melitenſis afficiebatur, atque inde poſt paulo hoſtes ſunt deiecti. Turcæ rerum bellicarum ſtudioſiſſimi nullū laborem in rebus bellicis non ad ſe pertinere putantes aggeres facilè transferunt. eò tormenta trahunt, vnde arcem concutere decernunt, in receſſum ſcilicet, quem facit inſula inter duos portus Burgo vicinū. Melitēſis militiæ magiſter fit certior per trāsfugas de omnibus Turcarū conſilijs, cum hinc inde frequēter accederent, qui omnia aduerſaria aperirent. Turcæ paulo poſt in loco edito arci imminente quindecim muralia tormenta collocant, inter quæ vnum centū libras pulueris ſulphurei capiebat quoties diſploderetur. in acumine templi Iunonis tria locantur, quibus maius propugnaculum arcis impetebatur, cuius & defenſiones, & murum exteriorem iam proſtrauerant. auctis verò caſtris Turcarum ſexcentis peditibus per Draguti aduētum, mirificè refecti ſunt animi obſidentium: nam Dragutus cum tredecim triremibus acceſſit vir bellicoſus, & omnis diſciplinę militaris peritiſſimus, cuius fides & prudentia non ſemel à Solimano perſpecta fuerat, quāobrem etiam iuſſerat nihil vt inconſulto Draguto fieret in caſtris. Ianizzeri propter huius ducis aduentum reſumptis animis ſtatuunt concurrentibus in ſententiā etiam ſpachibus arcem inuadere; quod faciunt nullo ordine militari ſeruato, ſed tanquam repentino aliquo furore compulſi. occupant plateam antemuralem cū magna tamen ſuorū iactura, quam fecerant defenſores apud acumen foſſæ, paucis deſideratis ex obleſſis. Poſt Draguti aduentum accedunt in caſtra pedites octingēti è Gero ac Tripoli cum decem triremibus, quæ ſemper nouis auxiliis augebantur. Toletanus per Saluagum equitem virum ad omnia pericula intrepidum & ſpectatæ virtutis fit certior de rebus omnibus, qui vel per medios hoſtes elapſus incolumis Meſſanam euaſerat. Toletanus tunc in inſulam remittit in celoce comitantibus tribus triremibus donec ſex millia paſſuum diſtaret ab in inſula, qui propoſita communi Chriſtianorum ſalute propriæ incolumitati paruifaciens hoſtium multitudinem fortunæ benignitate & clementia vſus circiter tertias vigilias ad inſulam peruenit. vbi egreſſus Turcas inueniſſet mutaſse priorem ſententiam, qui dicebantur oppidum diui Angeli concuſſuri & conſediſse ad aquam Marſæ, diu inops conſilij conſiſtit. explorato paulopoſt diligentius ingreſſu ad oppidum penetrat. conſilia Toletani aperit. nunciatum remittitur Meſsanam opus eſse validioribus præſidijs, quia ſi bellum diutius protrahatur, tam pauci vix poſsent tantam hoſtium multitudinem ſuſtinere. Turcæ, qui plateā & antemuralem occupauerant, ligonibus excauantes ita erigunt munitionem, vt ab arce non offenderentur, quam plateam vulgus Reuelinum vocat. ad eam rem adiuuabantur bellicis tormentis, quibus infeſtabatur altera pars Marſamuſetti, quæ deuaſtabat defenſionem, & valli propugnaculum vno de viginti tormentis. Diu decertatum eſt de illa platea, ſed cum nullas illa haberet validas defenſiones aut propugnacula, cum hora iam eſset tardior, cum circiter quinque millia Turcarum ibi conſtitiſsent, ſalubre ac propè neceſsariū captum eſt conſilium vt in arcem recederetur. Præſtat enim quæ defendi non poſsunt euertere, aut ſi anguſtia temporis illud non patitur, hoſti concedere, quàm ohſtinatè defendendo in omnium rerum, capitiſq; periculum incurrere. Turcæ nulla mora interpoſita noctis beneficio ſaccis terra & alia materia plenis foſſam replere ſtatuunt, quæ producta fuerat è regione valli editioris, quippe quæ minus eſset profunda, minus lata, facilius poſset repleri. At Melitenſes non ferunt hoc impunè fieri, cum cæſi ſint in illo opere ferè octingenti Ianizzeri & Spacches præſtantiores; atque alij complures vulnerati & in foſſis deinde mortui. illa enim pars foſsæ repletæ cum nullum haberet deſcenſum niſi à fronte valli, faciebat ne quis eò poſset deſcendere. quare ſi quis eſset in ipſa foſsa neceſsariò inedia moriebatur. Valettanus cum intelligeret quotidianis prælijs præſidia paulatim abſumi, per noctem mittit ducentos pedites cum quibuſdam equitibus militiæ ad arcem tutandam, iubetque vulneratos, atque ægros tranſmitti in burgum, vt curarentur. Nam cum eſsent quadringenti pedites, qui arcem defendebant, hanc acceſſionem virium ſatis firma præſidia facturam credidit ad ſuſtinendos hoſtium conatus, cum arcis etiam anguſtia non videretur plures requirere. Saluagus placida fortuna vſus Syracuſas applicuit. duas triremes Melitenſes, vt erat imperatum à Valettano, accerſit in inſulam Melitam cum quadringentis peditibus, & ſeptem tormentorum magiſtris. Docet quibus in locis Turcæ conſederint, quo tutius in oppidum peruenirent. ipſe Meſsanam proficiſcitur. præſidia, vt iuſsus erat, à Toletano poſtulat. paucitatem defenſorum exponit. deſiderium ac mandata Valettani explicat. demonſtrat pauca præſidia non poſse diutius bellum protrahere propter aſſiduos & graues labores, niſi alternè ſuccederetur, donec ipſe claſsem poſset inſtruere, quæ tamen videbatur futura multo inferior Turcica; cum illa haberet circiter ducenta & quadraginta nauigia varij generis, at Toletanus neque centum quidem triremes eſset collecturus. Turcæ erectis munitionibus in acumen arcis, foſsaque ſaccis varia materia plenis repleta, ita tormenta ſtatuerant, vt in latus murum diuerberantia aperirent. duo tormenta locant, quorum beneficio foſsa potirentur, conanturque hoſtiolum oppoſitæ foſsæ occupare, quare

Draguti aduentus.

quinde-

quindecim muralibus tum è munitione magna induſtria diuerberant, tum ex acumine Sanctæ Mariæ Marſamuſſeti, vbi Dragutus propugnaculum terreum erexerat, cum trabes ſuburbanorum ędificiorum ſiqua reliqua eſſent, & inſulanæ arbores, & faſciculi lignorum ſatis aptam materiam ſuppeditarent ad munitiones extollendas. Melitenſes egregiè ſeſe tutantur nulla in re nobilitati animorum deficientes, at triremes non habent iter ſicuti inſtitutum fuerat, quare præclara opportunitas ſubſidiorum erepta eſt obſeſſis, cum territus nauclerus refugerit. Hoc moleſtum accidit Toletano, quod apparebat futurum vt hoſtes arce occupata claſſem tutiſſimè haberent in portu Marſamuſetto: arx enim laborabat & anguſtia loci & nimia hoſtium vicinitate. inde videbãtur ad oppidum Diui Michaelis conceſſuri, quare omnem ſpem terreſtrium ſubſidiorum ademiſſent obſeſſis. Pontifex audito periculo in quo verſabantur Melitenſes, iubet haberi delectum militum ad illa ſubſidia. imperat ſubditis pecuniam in id bellum. magnam ſubminiſtrat pulueris tormentarij copiam. omni quo poteſt ſubſidiorum genere iuuat rem Melitenſem. principes Chriſtianos hortatur ad opprimendam claſſem Turcicam afflictam, nam multi ſtationarij quotidie in claſſe moriebantur. Docet breui futurum, ſi hoſtes illa inſula potiantur, vt manifeſtum periculum vniuerſis Chriſtianis principibus ſentiatur: quippe quod ea capta immineret Siciliæ, & iam tum compedes ac ſeruitutem Italiæ intentaret. nam Turca illa occupata mox erat Italiam perpetuis incurſionibus vexatã & afflictã ſubiugaturus. miſſus eſt cũ ſexcentis peditibbus Neapolim Pompeius Columna vnde in inſulam traijceret, quem multi viri Illuſtres gloriæ deſiderio proprijs ſumptibus ſunt ſecuti. ſtationem habebant Neapoli tredecim triremes Auriæ, nouem principis Populonij qui ſummum imperium habebat Florentinæ claſſis, tres ducis Sabaudiæ, ac multæ aliæ priuatorum. vbi pontificiæ copiæ eo acceſſiſſent, decernitur communi conſenſu vt omnes, qui opem ferrent Melitenſibus in inſulam traijcerentur, qui felici nauigatione deferuntur Meſſanam, vbi parabatur claſſis regia. quæ dum geruntur in inſula Melita, neque Italia quidem ſatis quieta fore videbatur ab inteſtinis, domeſticiſque bellis: quippe quod magnæ controuerſiæ paulatim orirentur inter quoſdam principes Italos. cauſæ diſſenſionum fuerunt duæ, altera per quam Pontifex aduerſus Ducem Ferrariæ diſſentiebat, quia nollet Pontifex ſalis vectigalia Philocoli debilitari & imminui, cum certam copiam ſalis quotannis capere à pontifice ducem illum oporteret. nam ægrè ferebat quod Glymachii ſalis multum fieret contra pactiones. Volebat rationes Ferrarienſis ducis recognoſci. Altera quia dux ille empturus videbatur Iuliam Tauricam vt dicebatur, munitiſſimam vrbem Inſubrum nuper defuncto comite Miradulenſi, quam vrbem hæredes putabantur eſſe vendituri, ſtudebatque Pontifex non nullorum partibus, qui eandem apparebant deſiderare. ea res ducem Ferrarienſem in illas controuerſias iniecerat. His rumoribus in Italia concitatis Carolus Gallorum Rex Ramballietum virum aulicum ſuo & Reginæ nomine mittit ad Pontificem, qui illum doceat Gallorum Regem & Reges omnes Galliæ ſemper eam verbem non ſolum tanquam comitis Mirandulenſis, ſed tanquam propriam & membrum vt ita dicam, ſui regni defendiſſe, quam etiam felicis memoriæ pater in eadem exiſtimatione habuiſſet. nam non modo armis, vbi opus fuit, defendit; ſed etiam intra conditiones pacis ſemper incluſit. Nunc vero cum ad aures Regias peruenerint rumores quidam, quod pericula & minæ intententur non ſolum duci Ferrarienſi, ſed etiam Iuliæ Tauricæ, quamuis non creditum ſit his vt abſurdis, & omni probabili ratione carentibus, tamen rex voluit de his omnibus Pontificem certiorem fieri, His additur futurum eſſe vt rex cum magna ſua animi moleſtia cogeretur arma importare in Italiam tam iuſta de cauſa ad rerum ſuarum defenſionem, & offenſionem illorum, qui iniquiſſimis de cauſis ad illud bellum indignationem regiam excitaſſent; cum præſertim & Italiæ, & omnium Chriſtianorum pacem & tranquillitatem procuret, ſemperque ſit pro viribus procuraturus. eodem genere legationis iuſsus eſt fungi Ramballietus apud Florentinum Ducem, & mox Venetias accedere, deque his omnibus certiorem facere ſenatum. Iuſsus eſt Hippolytus Comitis frater eo citatis equis conuolare, quod abeſset comes, atque omnia comparare, quæ eſsent neceſsaria. Turcæ in Inſula non amittendum tempus rati, quia regiam claſsem quotidie augeri per exploratores intelligerent, decernunt tam crebris oppugnationibus, tantoque conatu arcem adoriri vt omnino caperent, qua occupata perfacile ſibi fore credebant reliqua oppida ad deditionem compellere, multis commodis potiri, & ad res maiores aſpirare. His cõmoditatibus ſibi ꝓpoſitis, quas cũ maxima Chriſtianorũ iactura ex illa victoria videbãtur cõſecuturi, incredibili deſiderio ac propè furore pugnãdi inceſſi mira diligẽtia nullo intermiſſo ſpatio mænia cõcutiũt. nã aſſiduis ictibus per triduũ mænia ſunt nõ ſolũ aperta, ſed etiam cõminuta. ceſsauit aliquãtulũ die quarto vis tormẽtorũ, cum initũ eſt leue certamen. recentes Draguti copiæ mira animi alacritate cum ſibi ferociores reliquis eſſe viderentur, frequentes ad locum Marſaſcalam occupandum proruunt. Defenſores tam ſtrenuè pugnarunt vt Turcis maiori celeritate recedere neceſſe fuerit, quàm acceſſerant. Poſtea ſecundis vigilijs Turcæ ſummum virium ſuarum conatum experturi ſcalas arci repente admouent. alij per ruinas murorũ aſcẽdere nituntur. certatur acriter ignibus miſſilibus & omni genere telorum. Defenſores non ſolum in præſenti, ſed etiam in poſterum audaciam inuadentium ſingulari fortitudine retundunt. nam poſt aſſiduam pugnam trium horarum, Turcæ præcipites cum ingenti clade deturbantur. ſed quoniam Brolias arcis præfectus ob aſſiduos labores in morbum incidit, ſufficitur illi Monſerratus ad arcis defenſionem. neque enim dormire per noctem, neque quieſcere per diem per tantos, tamque crebros ſtrepitus ac tumultus tuto licebat, & minime omnium præfecto, cuius induſtrię ſumma rerum erat commiſſa. Hic ſignificauit ſæpe per literas Valettano, arcem egregiè munitam nullo pacto poſſe ab hoſte capi, quod animum auxit ad

Peſtis claſſica.

Pont. controuerſia de ſale cum duce Ferrarienſi.

Iulia Taurica dicebatur vẽditum iri.

Legatio Galli Regis ad Pont. pro Mirandula.

conſtantiam equitibus & arcis defenſoribus. Turcæ recenti clade minime territi priſtinos conatu vanos fuiſſe ægrè ferentes murũ ſtudioſius proſternunt. ſex dies aſſiduos concutiunt. arcem repente cum omnibus copiis inuadunt, quæ vndiq; obſidebatur. at veriti ne rurſus darẽtur pręcipites per ruinas, pontem ex antemnis triremium latum in decem cubitos illuc deferendum curant. quatuor ſclopettariorum millia apud foſſas locant. claſſem ad deſcenſum ſancti Georgij adducũt, nam ſe arce omnino potituros illo die ſperabant. Ad illud credẽdum impellebat quòd infracti eſſent, muri arcis, quòd exiguus eſſet ambitus loci, quo magis collectæ erant futuræ vires inuadentium quod nauigia omnia poſſent infeſtare, quòd magna eſſet Turcarum aduerſus paucos multitudo, quare defenſores vel ferro vel laboribus ceſſuros. ſed quam varia ſunt conſiliorum, tam varia euentuum genera, vel etiam plura, cum neceſſitas defenſionis faciat homines plerunque ingenioſos & audaces. Nullus eſt enim potentior aut efficacior ad informandos animos ad prudentiam calliditatemque magiſter, quàm neceſſitas omnium rerum humanarum regina. ſed quia cęcuti mus plerunque ad ea quæ nimis cupimus, longe diuerſos habent euentus noſtra conſilia, quo fit vt Turcis denuo inuadentibus magno impetu diu fuerit anceps pugnæ euentus. tantus ardor repente & oſtentandæ virtutis deſiderium defenſores inuadit, vt non amplius ſe fore pares hoſtibus ſperarent, ſed etiam glorioſam victoriam ex illa pugna reportaturos.

Neceſsitas defenſionis facit igenioſos & audaces.

Baragani egregia virtus.

Baraganus Melitenſis militiæ eques vir Cantaber ſpectatę virtutis ſtricto gladio longioris capuli maiore tanta fortitudine ambabus manibus vtebatur, atque in hoſtes prorupit ſupra pontem conſiſtentes, vt atrocius circa illum eſſet certamen, quàm alibi, hoſtiumque ipſorum timore & admiratione virtutis, percuſſorum oculos in ſeſe conuerterit. multis illum adiuuantibus poſtea, quoniam omnis Turcarum conatus eo conuerſus fuiſſet, magna fit impreſſio in Turcas, quos propè in fugam verterat vis Baragani. Sed cum recentiora ſubſidia vel mortuis vel defeſſis Turcis ſubmitti Valettanus perſpexiſſet, veritus ne ſui labore potius, quàm virtute hoſtis vincerẽtur, trecentos milites laborantibus ſuis ſubſidio mittit, qui pontem ſubiectis cadis ſulphurei pulueris comburunt, miſſilibusque ignibus abſumunt. vbi pons cecidiſſet, plures octingẽtis Turcis oppreſſi ſuffocatiq; ſunt. Duo vexilla Turcarũ arci affixa, alterũ Draguti, alterũ Muſtaphę venerũt in poteſtatẽ Chriſtianorũ. Turcę triginta acumen ſublimioris valli aſcendentes iubentur deijci globo ex oppido Diui Angeli; ſed cũ magiſter ſeptẽ è ſuis laniaſſet maiore tormento diligentius erecto illos ſublimes omnes in aera impulit. Turcæ iam magna diligentia caſtrenſes foſſas duxerant ad eam partem arcis, quæ ad oppidum proſpectat, qui ab inſtituto opere fuerant deturbati à defenſoribus frequentib. iactibus ignium miſſilium cum fictilibus. ſic abiecta ſpe potiundæ arcis in caſtra redeunt, nauigiaque ægrè remulco trahunt eo, vnde deduxerant. Dicuntur cecidiſſe è defenſoribus in ea oppugnatione ducenti & quinquaginta, multi fuiſſe vulnerati. è Turcis ceciderunt circiter quatuor millia. atque cum triremes quædam relictæ eſſent ad portum Marſamuſettum, deſcenſumque ſancti Georgij, cum portus non eſſet vt antea interclusus, Valettanus exploratoriam nauiculam mittit cum literis ad Pontificem & Toletanum.

Literæ Valettani ad Pont.

Gratulatur Pontifici pro parta victoria. docet crucis inſigne arcem defendere, quæ tredecim millia ictuum globorum intra viginti dies ſuſtinuerit; cum arcem inuadentibus Turcis ſub crepuſculum quaterque renouatis copiis circiter quinque horas aſſiduè pugnatum ſit. profitetur ſe ſtrenuè munitiones, religionem, gloriam Chriſtiani nominis defenſurum. Rogat vt opportunè mittat ſubſidia, quo poſſit diuturnitatem laborum ſuſtinere.

Literę ad Toletanum.

ſignificat Toletano ſe conatum fuiſſe literas mittere, ſed acceſſum per hoſtes nemini patuiſſe. Docet nauigia hoſtium eſſe conquaſſata & penè inermia, quæ remulco attraherentur, cum multi ferro, multi etiam morbo in claſſe pereant. eos laborare aquæ penuria, valdeque timere Chriſtianam claſsem, vt cognitum eſt per captiuos, quam Meſſanæ ingentem parari acceperant: quare fit vt ſeſe ad deſcenſum Diui Pauli non receperint, ſed ſtudeant ſtationes habere vicinas terreſtribus copiis. eius timoris eſse argumentum, quod prima tabernacula & ædificia, quæ erexerant vbi conſederant, ferro ignique vaſtarunt. Monet vt fortiter conatum arx tulerit. oſtendit hoſtium diligentiam oppugnantium. pollicetur omnes vitam & ſanguinem effuſuros ſi opus ſit pro gloria & defenſione Chriſtiani nominis. rogat vt mittat ſubſidia, quod facile nunc fieri poſſet, ſi deſcenſio fiat ad Petram Nigram, quæ certè occaſio non eſt amittenda. inſulanos omnes vnum habere Toletanum, in quem oculos cõuerterint, in cuius bonitate ſpem collocarint, cuius in manu vita ſit & ſalus Melitenſium. Toletanus quia cognoſceret in quo periculo arx eſſet poſita, quantique referret inſulam defendere, quia nondum conuenerant triremes, quatuor actuarias cum ſubſidiis mittit præfecto Cardoneo.

Subſidia miſſa.

miſſus eſt & Robles caſtrorum magiſter cum ducentis Hiſpanis veteranis, & equites octoginta eius militiæ Meſſanæ præſtolari facultatem traiectus. Turcæ parui ſuorum iacturam facientes, quam è tot certaminibus reportauerant, ſtatuunt denuo maioribus viribus arcem inuadere, ac fortunam belli experiri. arcem acrius diuerberant. quod reliquum eſt murorum proſternunt. propugnacula deſtruunt. omnia comminuentes in puluerem vertunt. rurſus tantis viribus arcem aggrediuntur expugnare, vt defenſores penè territi & in fugam verſi ſint. Dimicatur tamen reſumptis animis acerrimo prælio horas quinque. ceciderunt è defenſoribus ducenti; ex inuadentibus magnus numerus.

Draguti mors.

Dragutus accepto vulnere in capite ad naues deportatur, è quo poſt biduum mortuus Tripolim deportatur. Vbi Turcæ ab illo conatu ſe recepiſſent, nunquam ab armis ceſſatũ eſt, cũ crebri tormẽtorũ ictus cogerent defenſores infra muros recedere. nã vix poterãt impediri Turcæ quominus ſcalas admouerent. tantã defenſorũ fortitudinẽ & cõſtãtiam ægerrimè ferẽtes principes ac purpurati Turcę, cũ ſemper accepta clade recedere cogerẽtur, vniuerſã claſſe in vnũ cõtrahũt. circa arcẽ collocãt. fortunã omniũ viriũ vno tẽpore ſtatuũt experiri. arcẽ terra mariq;

arcem collocant, fortunam omnium virium vno tempore ſtatuunt experiri. arcem terra mariq; inuadere. ſemper noua ſubſidia defeſſis ſubmittere. ſępius renouatis auxilijs non prius deſiſtere, quam vel copias omnes amitterent, vel arce potirentur. Milites ad pontes & ſcalas faciendas hortantur, & ad omnia acerrimę expugnationi neceſſaria. Valettanus hos apparatus intelligens per exploratores, veritus arcem diutius defendi non poſſe, ante quam fiat conatus, primates acerſit. monet in quo ſtatu arx ſit per frequentes pugnas. apertos & comminutos eſſe muros, atque omnia aperta. opus eſſe vt pauci multos ſuſtineant ob anguſtiam loci. oſtendit fieri non poſſe vt auxilia ſubmittantur laborantibus propter frequentiam hoſtium vbique cingentium. quamobrem ſe cenſere inquit magis conferre ſaluti & exiſtimationi ſingulorum, ſi quæ tutò defendi non poſſint, hoſti relinquantur, quàm ſi pertinaciter defendendo vincerentur cum tanta virorum fortium cęde, & rerum iactura. nam quæ parum vtilia ſint obſeſſis, ea neque obſidentibus quidem occupata multum adiumenti poſſunt afferre. hortatur vt aquas venenis corrumpant. tormentis clauos affigant. arcem deuaſtatam hoſtibus relinquant. nam hoc quidem præſtiterit, quam ſeſe hoſtium arbitrio committere. Monet cum inſtet tempus pugnę vtile conſiliū capiendū eſſe vel muniendæ vel deſerendę arcis. Nihil nunc decernitur. ſtatuitur vt cōmendator Mediolēſis, Hiſpanus, Roccias Gallus, Conſtātinus Caſtriottus Italus arcē ſequēti nocte diligenter explorent, certioresq; faciant milites quid in cōſilio propoſitum ſit. Iuſſæ ſunt nauiculæ parari ad milites traijciendos ad Burgum ſi viſum fuerit. multi ſclopetti in hos transfretantes diſploſi ſunt. egreſſi proſtrati propè humi incedunt, quia hoſtes ob vicinitatē poſſent cuncta obſeruare. arce diligenter cōſiderata, delata res ad concilium fecit dubitationis plenum; nā milites reſponderāt ſe velle fortiſſime defendere vel aduerſus pertinaciſſimos hoſtes locū, quē ipſi pręcipuè defendēdū expetiuiſſent, cū nullā opportuniorē habituri ſint facultatē virtutis ſuę in omniū viuentiū conſpectu demonſtrandę. rogant hortentur hi Valettanum vt bono ſit animo, ſibique perſuadeat hæc præſidia nulla in re defutura vel Italicæ gloriæ, vel ſuo ipſorum honori, vel proprię ſaluti, cum ſciant non in clementia hoſtium. ſed in acie gladiorum, in animorum magnitudine, in conſtantia, in ferro hæc omnia eſſe repoſita. Hoſtes vel nullam lętitiam, vel multo ſanguine perfuſam eſſe capturos. res in conſultatione poſita varias habuit ſententias. nam Caſtriottus locū poſſe defendi cenſebat ob profunditatē foſſarū, ad quam defenſionē ſe obtulit. Gallus nō poſſe defendi, quòd omnes defenſiones ſint ſolo ęquatę aduerſus tantā hoſtiū multitudinē: neq; eſſe Melitēſis dignitatis tot viros fortes trucidandos crudeliſſimis hoſtibus obijcere. cū vel ferro vel labore omnino infringi illos oporteat. Hiſpanus defenſionis vim refert in foſſas caſtrenſes valde vtiles, & in cōſtantiā defenſorū, & animos cupidos pugnę. ſed quoniā ſapientum & peritorū ſemper minor eſt numerus, & maior præualet in conſultationibus, plerunque fit vt res male ſuccedant, vbi Imperator ipſe res ſingulas intueri non poſſit, Decernitur itaque locum defendi poſſe, quia non videatur Melitenſis ordinis conſuetudo munitiones deſerere, ſed ſingulari conſtantia ſuperbiā hoſtiū reprimere. iſtud fieri non poſſe ſine aliqua nota turpitudinis. ſed enim nihil ego magis formidabile hoſti, nihilq; magis laudabile ſapientia crediderim, quæ non ſolùm ſita eſt in rerū vtiliū delectu, ſed etiam in cōtemnēdis vtilibus aliquando. Nihil enim magis extollit animos hoſtiū ad ſpem magnarū rerū, quā aduerſariorū imprudentia, quæ aliqua in parte conſiſtit ijs defendendis, quæ defendi nō poſſunt; atq; maximum illud eſt imperitiæ rerum bellicarum argumentum. Vt enim mendacibus & fallacibus hominibus, neque ea quidem credimus quæ vera ſunt, ita loca omnia expugnari poſſe putātur, quę defendūtur ab imperitis & impudētibus defenſoribus. at cōtrā, nō dormit tutò qui ſapiētem habet hoſtem. Turcæ omnibus ad pugnam paratis magna celeritate, nauigiis ad arcem adductis tertia vigilia arcem terra mariq; inuadunt. ſcalæ vndique, pontes vndique admouentur. reboāt vndique bellica tormenta: nam triginta & duo muralia exiguam arcem concutiunt. Defenſores fortiſſimè reſiſtunt, demonſtrantque quantum fortitudinis ſit in ijs, qui abiecta omni ſpe ſalutis, tamē curāt ne turpiter aut timidè cecidiſſe videātur, ſed cū aliqua gloria memoriā ſuæ virtutis ad poſteros trāſmittāt. Iactus eſt pons ex octo antemnis, quē aſcēdunt circiter duodecim millia Turcarū. Hinc inde frequentes cędes oriuntur cum illi aſcendere, hi detrudere, niterentur. certatur à media nocte ad tertiam horam diei octauo cal. Quintilis, cū neutram in partem victoria magis adhuc inclinaret. ſed tanta erat vis tormentorum arcē vndiq; infeſtantiū, vt ad ſcopulū & fundamenta vſque arx euerſa & deraſa ſit. ceciderūt è defenſoribus plures quadringentis. Caras Euboicus & Monſerratus viri inſignes globo laniati. Nullæ tamen tot cædes terrent defenſores in loco anguſto nullis cedentes difficultatibus, nam incredibili animi conſtantia pugnātes ſigna hoſtiū vi capta dilaniāt, quæ defixa fuerant. centuriones trucidant. ſigniferos præcipites deturbant. præfectos, tribunos, milites cędunt. ſuccreſcente tamen calore aſſiduis cędibus defatigati cū ſemper ijdem cū recentibus cōfligerent, denique vincuntur, ſed cū tanta Turcarum iactura nemo vt ceciderit non hoſtili ſanguine plurimum perfuſus. Cæſi ſunt defenſores arcis mille & trecenti, equites centum & quinquaginta. vix ſeptē tranantes ad Burgū ſe ſeruarunt. ceciderunt è Turcis circiter tria millia. defuerūt triginta & tres globi tantū, ne decē & nouē millia in arcē fuerint cōtorta. capta ſunt tormēta cuprea viginti & quatuor. Valettanus diſſimulat dolorē, quē è tot virorū fortiū & illuſtriū iactura cōceperat, ne ſuorū animos cōſternaret. omnes hortatur vt læto ſint animo partim cęſorū numerū extenuans, partim accuſans loci imbecillitatem & anguſtiam, partim ob peccata mortaliū, nihil nouū accidiſſe inquiens, cum res huiuſmodi in prælijs aliquando contingant. Docet debilitatas & obtuſas eſſe vires hoſtium tot viris illuſtribus cęſis, totque ſtragibus acceptis, vt potius victi, quam victores iure videri poſſint. His ſucceſſibus Valettanus literas dedit ad Meſquietam Melitæ vrbis præfectū, quibus eū iubebat certiores facere equites Meſſanæ morātes de fortuna arcis Diui Hermetis. Queritur de tar

Peritia & prudentia in quibus ſpectanda ſit.

Arx diui Hermetis capta.

ditate auxiliorum. Docet quo in periculo res ſit, niſi maturè ſuccurratur, cum tota ſalus obſeſſorũ poſita ſit in celeritate. iubet imperari Zorici, Belmeſti, Belcalcaræ, & diuæ Catherinæ centurionibus vt cum copijs accedant. Turcarum genus barbarum & immaniſſimũ omnis miſericordiæ aut humanitatis expers tanquam crudeliſſimæ tigrides inauditam crudelitatem in equites exercent. Nã

*Crudelitas Turcarum.*

ſermanimes quos adhuc intra vallum inueniunt, illis pectus ferro aperientes, & cor vi conuellentes mox caput decidunt. atque dicuntur nonnulli Turcæ corda etiam cruenta & propè palpitantia adhuc momordiſſe. Poſt modo circiter triginta ſpectãdos exponũt apertis pectoribus. nec ita multo poſt Muſtapha equites hos purpureis veſtibus indutos cũ crucibus cãdidis in mare deiicit ad obſeſſorum ignominiam, quod mare quia ſequẽti nocte forte fluctuauit, cadauera in portum delata ſunt & capta atq; humata. Valettanus ea Turcarum immanitate inflammatus, ęgreq; ferens barbaricam feritatem iubet neminem è Turcis capi, ſed omnes trucidari. iubet captiuos omnes necari, & eorũ capita deijci in caſtra hoſtium. Iuſſi ſunt vbique iugulari captiui Turcæ per literas, vbi quæ poſſent de hoſtibus extorſiſſent. Muſtapha poſtridie chiauſum, qui quaſi araldus eſt Turcarum mittit ad Valettanum. iubet conditiones deditionis offerre Valettano. Hunc Chiauſum Hiſpanus captiuus deducit, cui pro periculo donata eſt libertas. Turca expectat extra mœnia. nuntium affert Hiſpanus admiſſus. Valettanus ad pactionum nomen indignatus vix a nuntio manus abſtinuit. facit Hiſpano poteſtatem manendi vel abeundi. Qui cum Turca in caſtra reuerſus omnia viſa & audita diligenter explicat. Turcarum Imperator iratus mirificè profitetur ſe omne crudelitatis genus in Chriſtianos exerciturum. Hoc Philippus Laſcaris, quę nobiliſſima eſt Græca familia, ſentiens cum eſſet à ſecretis purpurati transfugiẽs ad Valettanum detulit, cui omnia & pręſentia & futura conſilia purpurati aperuit. Idem mox inuadentes Turcas fortiſſimè pugnando repulit, ac poſt bellum multa Pontifici & Philippo Regi Turcarum conſilia explicauit. Meſquieta cum actuariolo Coronellum equitem in Siciliam mittit ad Valettani mandata exequenda. is Meſſanam profectus intelligens claſſem non tam cito poſſe parari, mandata equitibus exponit, qui indictis comitijs decernunt omnino opem ferre. Principes rei aggrediendæ delecti duo Toletanum adeunt. rogant vt negotium iuuet. beneficiorum commemoratione excitare nituntur. oſtendunt anno ſuperiore ſe magnos ſumptus ſuſtinuiſſe dum Pionias oppidum expugnaret, nulliſque laboribus peperciſſe, cum & commeatu & apparatibus bellicis & nauigijs iuuerint. Aequum eſſe nunc inter tantas miſerias Melitenſium parem gratiam referre, quorum opera per felicitatem ac trãquillitatem ſit vſus, quod etiam poſtulat non ſolùm Sicilię, ſed etiam totius Italiæ ſecuritas. petuntur quatuor hominum millia, cum quibus equites in inſulam adnauigarent. Adiuuerant forte negotium Melitenſe literæ à Philippo Rege, quare reſpondet Toletanus negotium ſibi videri periculoſum, & incommodum ad ea quæ parabantur. ſi vellent traijci, iſtud fieri poſſe per duas triremes Melitenſes, quibus duas & ipſe addidiſſet, vt equites & Romanæ copiæ exponerentur. cum nihil aliud extorqueri poſſet, neq; opportunitas ea quæcunq; eſſet appareret negligenda, triremes inſtruuntur cum

*Subſidia miſſa.*

ſexcentis peditibus; ſed propter multas tempeſtates vix die vigeſimo inſulam attingunt. antequam exeant nauiculam exploratoriam mittunt. iubent cras adeſſe, ſed tempeſtas non fert eam celeritatem, quia cataſcopium non potuit explorare. reuerſo demum cataſcopio fit deſcenſio ad Petras nigras Libybæum proſpectantes. multo fortunatiores fiunt in itinere egreſſi, quàm fuerant nauigantes, quia vrbem non modo non impediente, ſed neq; ſentiente quidẽ hoſte ſunt ingreſſi. dũ ad Burgum accederent penè proditi ſunt à quodam Gręculo, quo extremis ſupplicijs affecto tamen incolumes penetrant. Ea dum geruntur in inſula Melite, Iuliobonæ ſolennes exequie, annuaq; pa-

*Ferdinandi imperatoris exequiæ, & pompa.*

rentalia pro manibus Imperatoris optimi Ferdinandi celebrantur in hunc modum. à porta arcis ad templum vſq; Diui Stephani, quod eſt vrbis totius magnificentius frequentiorem, & rectioremque viam iubet Cæſar aſſeribus ſubſterni affixis ſubiectis trabibus. In vtroq; viæ latere longo ordine aſtabãt thoracibus & galeis armati cum alabardis ita coniuncti nullum vt interuallũ relinqueretur in ora eius vię vtrinq;. ſic vetitũ eſt nequis ſubſtratã viã ingrederetur. cũ hora fermè duodecima, (nã agebatur menſis ſextilis,) archiduces, & Dux Ferrarienſis, & legariones principum ad palatiũ Cæſaris conueniſſent, alijq; proceres Pannones & Boemi & reliquarũ nationũ, qui exequijs adfuturi erãt, ita cępit agi pompa. exeunt ex oppidulo per viam aſſeribus ſubſtratam templũ verſus pauperes ducẽti nigris veſtibus induti talaribus panneis cũ capitũ integumentis ex eodẽ panno, qui funalia geſtabant cũ inſignibus Imperatorijs. Hos ſubſequebantur omnes monachorũ ac ſacerdotũ ordines cũ funalibus cõſimilibus. Poſtea abbates complures ſacris veſtibus induti cũ mitris, cõſimilia funalia geſtãtes. Hos aulici pueri, hos aulici viri. Cęſaris & duorũ Archiducũ, hos curã gerẽtes familiariũ rerũ pro dignitate maiori quiſq; poſtremus ſequitur. ſecutus eſt hos magnus numerus nobiliũ tam eius regionis quàm Auſtriæ, Carinthiæ, Maruingorum, Boemorũ, Pannonum, aliarumq; nationum cum longis veſtibus & galeris funeſtis de more Germanorũ. ſubſecuta ſunt vexilla regnorũ & prouinciarũ, quæ à primatibus portabantur, quibus Ferdinãdus imperauit viginti & duo. Poſt ipſa vexilla ſingulatim equi ſequebantur ſinguli à duobus proceribus ducti ſerico operimento talari tecti, eiusdẽ coloris, cuius erant vexilla, ijsdemque inſignibus regnorum cum criſtis eiusdem coloris. Sequebatur vexillum vnicum auguſtius at paris magnitudinis, & equus, cuius ornatus cũ vexillo conueniebat. erat enim ex argẽtea tela cũ aquila nigra bicipite, quod eſt inſigne Regis Romanorũ. ſequebatur hoc maius & magnificẽtius vexillũ, quod ab inſigniore è proceribus portabatur tribus alijs adiuuãtibus. ſequebãtur duo proceres cũ equo. erat illud vexillũ ex aurea tela cũ aquila imperatoria coronata. equus idẽ inſigne in pectore & laterib. geſtabat ſimili tela tectus. Poſtremus horũ equus panno villoſo ſetico cũ crucibus ſequebatur, quẽ duo proceres ducebant. hunc Cæſarei tubicines cum

tubis talaribus nigris induti panneis. Hinc araldi cum inſignibus aſſutis. Hinc principes conſiliarij Cęſaris, quorum alius coronam, alius mundum, alius regiam coronam geſtabat, alius alteram, alius ſeptrum, alius alterum, alius enſem, alius galeam, alius ſcutum. Secuti ſunt duodecim epiſcopi ſacris veſtibus ſolennibus induti cum mitris, quos ſingulatim ſequebantur famuli pedum geſtātes accenſa funalia. Inter hos portabatur arcula cadaueris Cęſarei à quibuſdam primariis proceribus panno nigro tecta. Hanc paulo poſt Cæſar pedes ſequebatur veſtem talarem geſtans cum galero Germanico cum inſigni ordinis è collo pendente, cuius vultus nigro panno oculorum tenus tegebatur. Hunc Archiduces & Dux Ferrarienſis ſequebantur pari habitu. Sic omnium coniunctorum legationes ſequebantur indutæ, cum reliquæ vultum apertum haberent. Vbi hoc ordine ad templum ventum eſt, quod interius nigris pannis vbique velabatur cum imperatoriis inſignibus vbique ſuper altaribus, cadauer poſitum eſt ſub vmbella nigri panni, quæ erat ſub ingenti quodam tabulato in medio templi, cum inſignibus regnorum in omnibus angulis & aquilis Cæſareis & inſignibus Toſoniis ſiue aurei velleris, aliiſq; ornamentis. erant permultæ lampades & funalia accenſa ſuper tabulato, & in medio, & vbiq,. arcula cadaueris erat nigro panno tecta, circū quā omnes coronæ & ſceptra poſita ſunt. è regione tabulati ſedebant epiſcopi, & inferius abbates. tubicines humi ſedent. non procul a tabulato aliud paratum erat tabulatum eminens nigris pannis tectum cum ſede imperatoria nigro panno cooperta, ad quam Cæſar aſcendit, & poſt Archiduces, & Dux, atque ex ordine legationes, quibus ſedes erant paratæ. aſtabat œconomus & Mareſciallus cum nudis enſibus, & thalami Cęſarei cuſtodes nō procul à Cæſare, & araldi in gradibus tabulati. Vbi cępta ſunt ſacra abducuntur, & auferuntur vexilla, atque omnes proceres illis interſunt. His abſolutis poſt horam quintam à meridie Cęſar omnibus comitantibus in oppidulum redit. Poſtero die mane ad idē templum iiſdem comitibus eſt reuerſus, iiſdemque habitibus, quō venit etiā vxor, cuius ſedes ſuper alio tabulato fuit parata. cępta ſunt celebrari parentalia ſedentibus omnibus in heſternis ſedibus. epiſcopus Varadinenſis è ſublimi loco orationem habuit luculentam de laudibus Ferdinandi, poſt quam allata ſunt vexilla ab iiſdem proceribus quos equi ſequebantur. Illi Cęſare ſalutato honoris gratia tabulatum cadaueris & arculæ cingunt, ac Cęſarem filium expectant, qui cum principibus & legationibus ad offertorium vocatum accedit. His peractis ceremoniis vexilla columnis templi affiguntur, quibus ibi relictis Cęſar cum principibus omnibus ſacris interfuit. Poſtea proiecta ſunt aurea argenteaque numiſmata cum effigie Ferdinandi & inſcriptione; Diui. Cæs. Ferd. primi. ex altera; Auguſti pii fel. mem. fun. 1566. Tum rurſus alia ſacra incœpta ſunt ad ſalutem implorādam & amplificationem nouo Imperatori, quibus abſolutis omnibus comitantibus ad oppidulum reditur. Ferdinandus archidux Caſurgium contendit, vt ibi quoque fierent exequię. Solimanus ex altera parte non paruis curis torquebatur propter formidabiles & repentinos Arabum tumultus, ad quos explicandos videtur altius origo huius controuerſiæ repetenda.

*Arabiæ deſcripto.*

Sunt Arabes hi, populi quidam Arabię Petreæ, quæ regio ita dicta eſt, quod iaceat inter Euphratis fluuii anfractus & Tigris, qui ambo nati ex Armeniæ maioris diuerſis fontibus in meridiem labentes vbi Gortinæos montes præter fluxerint magum ambitum amplectentes, multumque circumeuntes agri Meſopotamiam ſcilicet, curſum in hybernum ortum ac meridiem conuertunt. Sed vbi poſtea in vnum conuenerint communi alueo in ſinum Perſicum delabuntur, vbi Babyloniam alluerint.

*Babyloniæ forma & Meſopotamiæ.*

Babyloniæ vero & Meſopotamiæ forma ſimilis eſt cuidam nauigio. Habet hæc regio ad Aquilonem maiorem Armeniā, à qua diſterminatur monte Amano. ad meridiem habet Arabiam deſertam, ad occidentem Syriā & vrbem Hierapolim, ad orientem Babyloniam & vrbem Seleuciam. atqui genus hominum regiones has incolentium crudele eſt, & latrociniis plerunque deditum, & aſſuetum. Eſt vrbs quædā Teredon ſiue Balſara nomine nō procul ab Arabiæ Meſopotamiæ finibus, cuius inſulæ regio neque equitatu neque peditatu eſt acceſſibilis, cum vndique paludes profundæ ſint vicinæ, multique fluuii & foſſæ, quæ non niſi piſcatoriis & iis difficulter nauiculis poſſunt pertranſiri.

*Mengeſairę Arabes.*

Hi Arabes ſua ipſorum lingua Mengeſairæ dicuntur, quod nomen inſulanos ſignificat, qui Teredonem vrbem aliquando poſſederunt, vnde fuerunt eiecti armis Turcicis; atque iniuriæ memoria & odium in illorum animis ſemper perdurauit, cuius etiam cauſa ſolent mercatores Turcas adoriri & prædari perpetuis incurſionibus, qui è Syria ad vrbē Armuziā Ormus conueniunt. Nam horum alii Babylone tranſeunt per Tigrim fluuium deuecti ad Com vocatum locum acceſſuri, vbi Tigris primum ingreditur in Euphratem, atque in vnum confluentes magno impetu feruntur.

*Munitio Corn uocata.*

In ea parte terræ acutiore vbi coniunguntur fluuii, munitio extructa eſt à Turcis, quam Corn vocant, quæ nulla alia de cauſa extructa eſt, niſi vt protegantur viæ, quo tutæ ſint ab Arabum inſidiis tranſeuntibus mercatoribus. ea res tamen parum profuit, cum Arabes nel apud munitionem accedentes prædarentur omnis generis mercimonia. cum vero parua ſint præſidia munitionis, non poſſunt Arabum incurſionibus reſiſtere, ſed incluſa tormentis & ſclopettis tantum à munitione arcere. Nam Arabes pauca tormenta habent, paucoſque ſclopettos, quorum arma ſunt ſagittę, iacula, & lanceæ.

*Arabū arma & mores.*

Vtuntur tunicis talaribus & amplioribus manicis bambacinis, ſuper quibus breuem tunicam laneam ſolent geſtare, quam abam vocant. Pugnaturi veſtes contrahunt, & ad prelium ſe accingunt, ac brachiorū thecas ligant à tergo. cum vero frequentia ſit fluuiorum, ſinguli vtrem ferunt, quem inflatum vbi opus eſt ligant. omnes veſtes contrahunt ad caput. vtrem inflatum pectori admouent, quo pacto omnem vim amplitudinemque aquarum facile traiiciunt, quod ipſum faciunt etiam fęmine. horum cum plerique nullis certis tectis vtantur, ſed tentoriis, armenta etiam ſecum adducunt, quæ impellunt & notis vocibus hortantur in traiectibus fluminum. nam cum ampliſſimi ſint fluuii Tigris & Euphrates, hos mira quadam facilitate & celeritate ita natantes, traiiciunt. Nam tametſi ſa-

tis

tis magna eſt his ſemper cum Turcis controuerſia non ſolum propter Teredonis iacturam, verum etiam propter aſſiduas eius nationis rapinas & latrocinia, tamen acceſſerat etiam illud ad veteres

*Ailamus Arabs ſpoliatus a Teredone præfecto.*

inimicitias, quod Ailamus Arabs vnus è primariis proceribus eius nationis per fraudes quorūdam ſuorum familiarium adductus in inſidias purpurati Turcę Teredonis præfecti, repente ſpoliatus fuit, & vix cum paucis euaſit. Ailamus eam iniuriam non ferendam ratus vniuerſam vim vltionis in alium purpuratum Turcam conuertit. illum ad Laſſen oppidum in ſinum Perſicum properantem; inuaſit, profligauit, prædatus eſt ad accepta a Turcis damna reſarcienda. magnam præterea manum hominum illa vltione minime contentus colligit, cum multa ſit in iis deſertis Arabum copia.

*Copiæ Arabū inſignes.*

Cum his partim fluuialibus; partim terreſtribus copiis ad obſidendam Teredonem contendit, quæ quidem copię dictæ ſunt conſtare è ducentis millibus hominum. Qui autem per fluuium vrbem erant aggreſſuri, magnam arborum multitudinem è proximis ſyluis deciderunt, quæ ampliſſimæ atque frequentiſſimę ſunt palmæ præſertim, in rates fluuiales. Magnus numerus ratium coniungitur, ſuper quibus ingens copia cannarum paluſtrium in faſciculos vinctarum imponitur, cum paludes & fluuij vbique proximi multis cannis abundent. Inter cannas quaſi aggeres è limo aduerſus bellica tormenta congeruntur ne poſſent è munitionibus offendi. hæ rates Teredonem verſus ſe-

*Teredonis vrbis deſcriptio.*

cundo fluuio ad munitiones deducuntur. Eſt Teredon vrbs in finibus Arabiæ Felicis, Petræę finitima, non procul ab Euphrate ſita, cuius aqua fluuij per quandam lacunam ad vſus ciuitatis perducitur, quæ creſcit & decreſcit ad morem marinarum aquarum. nam cum per communem alueum duo fluuij delabantur, mox ſtagnant in ſinu Perſico, atq; hi fluuij creſcunt & decreſcunt per amplū ſpatium, ſex aut ſeptem dierum aſſiduorum ſcilicet. in faucibus ipſius lacunæ, qua fluuius ad vrbē detorquetur, ſitæ ſunt duæ munitiones vna in hac, altera in altera ripa fluminis, quæ mercatores tuentur per lacunam diuertentes. Arabes vbi ad fauces lacunæ atque ad munitionis aduentaſſent cū ratibus cannarū faſciculis onuſtis, mirati ſunt Turcæ quid hoc ſignificaret, aut quo tēderēt Arabum conſilia. vbi propinquarunt machinæ diſploſa ſunt tormenta quædam, ſed in cedentem materiam coniecti globi non magnam impreſſionem faciunt. Arabum interea terreſtres copię vbi propinquaſſent vrbi quibuſdam collocatis inſidiis ad mœnia vſque tranſcurrunt; at ducenti equites Turcę exeunt ex vrbe ad Arabes reprimendos. Hos interceptos per inſidias Arabes obtruncant ad vnum, præter eos, quos voluerunt eſſe nuntios acceptæ cladis ad cęteros deterrendos. Sic ca-

*Munitiones Teredonis vt captæ.*

ptos nuntios nudos in vrbem Teredonem remittunt. Qui per fluuium deuehebantur munitionibus ipſis propinquant, quę & ſclopettis & tormentis fauces lacunæ protegebant, quò ſolebant accedere omnia nauigia, quæ Armuzia & Barene aduentarent. Tunc iniectis ignibus aridæ materię, & ratium atque inſigni cannarum copię vbi primum munitionem attigerunt, tanto fumo & flammarum vi impleta ſunt omnia propinqua, vt defenſores partim fumo ſint ſuffocati, cum viridis poſtea admiſta fuiſſet, partim flammis concremati, ob anguſtiam loci & ſemiuſtulati adiuuante vi vēti; ac ſiquis aufugere tentaſſet, ille a terreſtribus copijs cędebatur, quæ interea frequentes conuenerant. Nulla vis tormentorum potuit Arabas poſt aggeres & cannarum ingentes aceruos offendere, quia prius vis globorum obtundebatur, quam cannas & limum pertranſirent. alterius munitionis pręſidia vbi prioris caſum vidiſſent, fortunam belli minimè expectandam rata, perſpecta Arabum aſtutia per noctis obſcuritatem diffugiunt per ipſam lacunam, cum terreſtri itinere hoc effici non poſſet ob frequentes Arabum cuſtodias. Arabes munitionibus potiti lacunæ fauces & aditum oc-

*Teredon obſeſſa.*

cupant. Illa victoria cum optima viſa eſſet ad obſidendam Teredonem, lacunam paulo infra munitiones obturant, quo minus fieret aquarum recurſus in Euphratem. Tum adijciūt animū ad aquas Teredonem verſus intercluſam corrumpendam. in eam canes, equos, alia iumenta inutilia conſulto cœſa deiiciunt, quibus in aquis putrefactis inutilis lacuna vſibus vrbanis efficeretur, quam tamē vel ita ſclopettarij Arabes hauriri prohibebant corruptam, nam breui ſic aqua contagium contraxit, vt eſſet prorſus inutilis. Nulla alia facultas aquarum concedębatur obſeſſis, cum vrbs Arabibus vbique eſſet circundata. Sed quoniam Teredonis pręfectus ſępius nuntios ad purpuratum Babylonis miſerat ad imploranda auxilia, & ad Solimannm Byzātium, collecta ſunt circiter viginti equitum, & triginta peditum millia, qui vt obſeſſis citius opem ferrent in maxima rerum omnium penuria & anguſtiis, per quædam deſerta Arabiæ tranſuersè properantes ad Euphratem conueniunt ad eam partem, quæ verſa eſt, ſpectatque ſeptentrionem. his apparatibus ad Arabes per exploratores allatis relicta obſidione Turcicis copiis aduenientibus obuiam procedunt. cōmiſſo prælio Turcę funduntur & profligantur, quibus cęſis reditum eſt ad obſidionem. Miſſa ſunt rurſus maiora Turcarum auxilia, quæ Babylone & aliis è locis finitimis collecta ſunt ad centum & ſexaginta hominum millia. Arabes his copiis cognitis ſoluta obſidione in ſuas inſulas ſe recipiunt. At inſula Melita pręſidia, quæ nuper acceſſerant duce marchione Robleo caſtrorum magiſtro, oppidum ſibi ad defenſionem depoſcunt, quod Valetanus nullis remotis defenſoribus concedit. Recentes milites deſiderij pugnandi impatientes egreſſi in Turcas impetum faciunt, omnes incolumes multis cęſis hoſtibus reuertuntur. Summus imperator copiarum cognitis recentibus auxiliis queritur de ſuorum negligentia, quibus id curę datum erat vt noua auxilia impedirent. Cœpit eorum fidem habere ſuſpectam. edictum fit in caſtris per præconem nequis extra triremes pernoctaret. non parentibus vel pali vel ſuſpendij vel ignis pęna proponitur. mutantur inſulæ cuſtodiæ. Vtitur purpurati opera, cui maximè fidebat, conceſſis dicrotis ad impedienda ſubſidia. Deinde propter ſuſpicionem

*LuzAlis Tripolis gubernator.*

magis coniunctam habet claſſem quàm ſolebat. Cæptum eſt in caſtris laborare ventris profluuio & fluxu ſanguinis, quare inualeſcente quotidie morbo varia loca ſunt ægrotantibus aſſignata pro grauitate morborum. Mortuo Draguto, vt diximus, LuzAlis ſufficitur Tripolis gubernator, qui il-

luc profectus inſtitutis miniſtris cum quinque triremibus mox redit in inſulam. acceſſerunt paulo poſt duę onerarię naues frumento onuſtæ, cum panis nauticus iam vetus eſſet & inſuauiſſimus. mittit celocem ad Solimanum, quo expugnationem arcis & omnes difficultates cognoſceret, & inſulanorum vires & Turcicorum apparatuum inopiam, quo expeteret recentiores copias & commeatum, vt vel ferri vel famis obſeſſæ munitiones caperentur. hoc futurum tardius propter eas difficultates, non dormitura tamen interim tormenta. at Burgi muri & oppidi pluribus è partibus ſeptuaginta tormentis muralibus comminuuntur extructis pluribus aggeribus & propugnaculis ab acumine ad arcem vſque, quam Turcę purgauerant tantum, at non etiam munierant impoſitis trecentis Ianizzeris. nullo ſpatio interiecto muri magna vi quatiuntur. domus deuaſtantur. vrbana ædificia comminuuntur. deinde duos aggeres excitant in ea parte inſulæ, quę oppidum & Burgum ſpectat, vbi Grotta vocatur. tres ducunt ſupra Corauſim ad concutiendum oppidum. His nondum perfectis alium excitant ad Mandraciam. alium ad ſubſidium Diuę Mariæ. hinc duos inſigniores ad Sanctam Margheritam, quorum nouem aggerum tormenta nullo intermiſſo tempore ceſſant. Horum tormentorum tempeſtas & bombus plurimum vel pręgnantibus mulieribus obfuit, domusque proſternebantur, quę protegi non poterant cum ſublimiores eſſent aggeres. Turcę frequẽtes erant circa aggeres, quia non audebant per inſulam vagari ob cædes eorum, quę ab vrbano equitatu committebantur. reducibus triremibus Meſſanę vbi præſidia expoſuiſſent impoſiti ſunt ſexcẽti Hiſpani & pedites Roma miſſi ac equites trecenti cum multis apparatibus bellicis, iuſſique ad inſulam appellere. præmiſſum eſt cataſcopium ad portus ſecuritatem explorandam. Id cum oppidani ſenſiſſent ſignum faciunt per ignes redęundum eſſe, quod occultare Turcæ per fumū diſploſorum tormentorum conantur, cum iam perceptum fuiſſet. Rex Iuliæ Cęſareæ interea venit in caſtra cum viginti & ſeptem triremibus, & quibuſdam dicrotis ac duobus millibus peditum ęgrè ferens quod non affuiſſet initio eius belli. Hic cum gloriæ eſſet mirificè cupidus, vt ſuarum copiarū virtutem oſtentaret, petit à ſummo copiarum duce vt ſibi liceat primo oppidum maritimo pręlio adoriri. atqui non ſolum conceſſum eſt libenter vt ſuæ dementiæ & arrogantiæ pęnas lueret, ſed etiam addita ſunt duo Turcarum millia vt alacrior negotium capeſſeret. Nauigia circiter nonaginta trahuntur è portu ſumma diligentia ad illam partem, quam rex inuadere decreuerat, & ſcaphæ, & lintes, & acatia, & nauiculę varij generis complures. Valettanus cognito è transfugis hoſtium cōſilio duos nautas Melitenſes accerſit ſpectatæ fidei & cognitionis rerum maritimarum. His aperit Turcarum conſilium. proponit remedium excogitari oportere, neque indignum putat hos etiam conſulere. ambo in hanc ſententiam conueniunt, vt cathena quædam fieret ex antemnis triremiū ac paruis trabibus, aliiſque lignis annexis annulis ferreis protraheretur q; ab acumine ad locum inuadendum. conſilium viſum eſt optimum. Sequenti nocte conficitur. in loco firmatur. Turcæ viſo mane impedimento ſtupidi propè conſiſtunt, cum milites nō poſſent exponere. quo pacto hæc tranſigenda ſint conſultantibus proceribus artifex nauium abiuratus profitetur apud regem ſe cathenam cęſurum. Nam poterat per duarum horarum ſpatium ſub vndis perdurare. eo adnatans cum tribus ſociis nihil agit, quoniam quinque Melitenſes gladijs mordicus ſumptis illuc adnatauerunt. commiſſo ad cathenam certamine duo Turcæ in aquis trucidantur, reliqui fuga ſe ſeruant. illum artificem natandi peritia & latendi ſub aquis periculo ſubtraxit; neque quiſquā auſus eſt poſtmodo accedere. rex ab inſtituto non recedit. omnia nauigia negotio neceſſaria comparat. oppidū terra marique adoritur; quo quia omnia tormenta oppidi conuerſa fuerunt, cæſa, laniata, demerſaque ſunt circiter duo Turcarum millia breuiſſimo tempore. nauigia duodecim conquaſſata, & mari abſorpta. re tamen fruſtra tentata diſceditur. pugnatur terreſtri prælio ferè quinque horas. multi vtrinque cadunt, inter obſeſſos Federicus Toletanus eques inſignis protegis Siciliæ filius, & Franciſcus Sanoghera, Ioannes eius nepos Hiſpani. Gordes Gallus, commendator Mediolanēſis. Valettanus neſcius ſubſidiorum quæ parabantur, compulſus metu periculi propter aſſiduitatem laborū nuntium mittit qui nataret ad vrbem, atque inde ad Toletanum, quo ſaltem triremes Melitenſes accederent. dat ſignum redeundi. Toletanus ſtatuit duas triremes & totidem celoces cum ſecretioribus literarum notis mittere, quæ certiorem facerent de aduentu triremium, atque acciperent ſignum reditus. Sed alter cum præfecto Orlando Piloto venit in poteſtatem hoſtium, alter incolumis ad Burgum euaſit. diſquiritur vt triremes admitterentur cum nulla eſſent inter ciuitatis & Burgi homines commercia, ob captorum & crudeliter tractatorum exempla, diligentiſſimasque Turcarum cuſtodias. imperatæ ſunt triremes ad proſpectum ſacri Iunonis vocatę inſulę accedere, quas in haliade ampliore quidam remulco traxerunt, atque inde iubentur explorare caſtra hoſtiū. Turcæ proxima clade accepta nō modo nō terrentur, ſed magis etiam inflāmantur vltionis deſiderio, quare mœnia ſtudiosè tantoque ſtrepitu concutiunt vt reparationes interius fieri non poſſent, cum oppidani in aera vi tormentorum ferrentur. Turcę pōtem conſtruunt & in foſſis oppidi deponunt. at oppidani complures Nicolao Pariſoto Valettani nepote, & Algeria ducibus ad eum cōcremandum egrediuntur, qui tamen re infecta omnes ferè ceciderunt. Poſt diuturnam verberationem Turcę oppidum inuadunt. Ter conatum renouant, qui cum fortiſſimè inuaderent, non minori virtute repelluntur; quare multis amiſſis redeunt in caſtra. cum nulla tormenta iam diſploderentur niſi inter pugnandum, neque exiretur ad leuia certamina, Turcę id fieri propter inopiā præſidiorum & penuriam apparatuum arbitrati veniunt in ſpem potiundi oppidi. illud autem conſulto efficiebatur a Valettano, qui nullo accepto nuntio de ſubſidijs, nolebat nocturnis laboribus, & diurnis prælijs ſuos milites defatigari. at Turcæ quod armis oppidum non apparebat poſſe capi ob ſtrenuitatem defenſorum, ad aliud pugnæ genus animum conuertunt, omnemque induſtriam cōferunt

ferunt ad cuniculos excauandos. Vnum perducunt ad fundamenta mœniorū, quod neque ipſum
quidem ſuccedit feliciter:nam oppidani re cognita non minori induſtria cuniculo occurrunt, ho-
ſtilemque citiſſimè inueniunt. Turcæ inſidias patefactas minime ſentientes duas triremes ad infe-
ſtandas domos mittunt, quo obſeſſi ancipites ac neſcii hoſtium conſilii minus diligentes fierent
mœniorum cuſtodes,atque ipſi commodius ingrederentur.ſed Tucæ cuniculum ingreſſi ad vnum
& ferro & miſſilibus ignibus trucidātur.pōs etiam qui erat in foſſis multo deiecto puluere & miſſi
libus ignibus ſuccenditur & concrematur.committitur leue prælium per noctem cum hoſtes nite
rentur foſſas Burgi multa comportata materia replere.acriter pugnatur. Turcæ propelluntur. foſ-
ſas relinquere coguntur & inſtitutū opus.ceciderunt Turcæ octoginta.oppidani nouē, & Vaſques
ac Macrinus equites,quorum capita abſciſſa haſtis infixa propoſita ſunt ſpectanda oppidanis. Vrba
ni ad extollendos animos obſeſſorum,ac Turcarum deprimendos multos ignes per noctem accen-
dunt, ſalutationeſque militares faciunt ad ſignificationem lętitię,quaſi noua auxilia aduentarint.
Turcæ foſſam Caſtiliæ vocatam in parte murorum replent,quo ſine vlla offenſione è propugnacu
lo Aluernia aut domo terra plena poſſent ad illam verberationem,quam fecerant, penetrare,atque
inuadere.agger etiā eminētior à dextra Diui Seruatoris cōcutere cœpit, qui primo ictu tormētariā
feneſtrā percuſſit.Turcę cōſpicati vi ſuorū tormentorū adeo fractos eſſe muros Burgi & oppidi vti
plauſtra facile poſſent pertranſire, decernunt hęc duo loca totis viribus adoriri, experirique denuo
vires oppidanorum. tanta igtur Turcarum multitudo inuadit,tanto impetu,tātis viribus, vt vix cre
di poſſet.tantus erat tormentorum ſclopettariorumque ſtrepitus, tantus bellicorum inſtrumento-
rum ſonus, tympanorum ſcilicet,turbarum,claſſicorū,& armorū, tātus excitabatur ſtrepitus vtrin-
que ſublatis clamoribus,vt inſula & omnia finitima ſimul corruere viderentur. Vrbana præſidia tā
tum ſtrepitum audientia,aeraque fumo plenum videntia verita arcis Diui Hermetis fortunam, de
cernūt opem ferre obſeſſis.excedit peditatus omnis ex vrbe & equitatus, factoque impetu in aquas
cuſtodientes Turcas magnam impreſſionem faciunt,ac terga vertere compellunt,quo tēpore Tur

Cauſa ſalutis hęc fuit inſulæ.

cæ magnum & formidabilem clamorem extollunt. Qui oppidum oppugnabant,coguntur cuſto-
diis aquarum opem ferre, atque incæptum negotium relinquere. cęſi ſunt Turcæ mille & quin
genti,è defenſoribus ducenti. Valettanus oppido è tāto periculo erepto ſupplicationes indicit vni-
uerſis ciuibus vt gratiæ Deo agerentur,qui è tanta clade Melitenſes eripuiſſet.per id tempus Tole-
tanus quinque triremes miſit ad capienda nauigia venientia Byzātio vt exploratores monuerant;
ſed cum liburnus in inſulam euaſiſſet, phaſelum tantum ceperunt. Turcæ cenſentes per defatiga-
tionem poſſe oppidum capi, rurſus inuadunt. rurſus repelluntur. ſed id fiebat potius à ſummo du
ce copiarum ne poſſet negligentię accuſari apud Solimanum,quam quod ſperaret ſe oppido poti-
ri.Idem paulo poſt actuariolum mittit ad Solimanum cum literis,quibus illum certiorem faciebat
de rebus omnibus.vt claſſis eſset inſtructa.quorum penuria laboraret exercitus. quàm exigua ſpes
eſset capiendæ inſulæ. quanti eſse nuntiarentur regii apparatus. at duæ triremes cum auxiliis
in ſtructę coguntur ad Toletanum redire cum nullibi tutus eſset acceſsus. Salazarus Turcici idio-
matis egregie peritus cum Petro Pazzo Hiſpano Turcicis veſtibus indutus caſtra Turcarum explo-
rat. locum Maliacis cuſtodiis proximū adeunt.Petrus miſsus eſt ad Valettanū,Salazarus in cataſco-
pio contendit in Siciliam.Docet Toletanum quo in ſtatu ſint res Turcicæ, & quam afflictę, cū vix
poſſent milites ad ſuſcipienda arma cōpelli. idem docet Valettanum Petrus, & auxilia parari in Si-
cilia. Toletanus his auditis cū ſeptuaginta triremibus Syracuſas accedit, decem millia peditū in in-
ſulam expoſiturus,qui quoniam Aſcaniū Cornięſem poſtulauerat,expetitus eſt & ab oratore Phi-

Aſcanius cornienſis expetitus ab Hiſpanis.

lippi Regis nomine,& his conditionibus miſsus, vt viginti & quinque nummum millia diſsoluen-
da curaret. Vt deſereret adminiſtrationem oppidi Plebis. vt eum ſiſteret orator cum accerſiretur
poſt bellum Melitenſe. quoniam verò allatus eſt nuntius Solimano inſulam capi non poſse, vni-
uerſam propè indignationem conuertit in eos Chriſtianos,qui eſsent Byzantij. Nam quia nuntia-

templū Byzātij uſtū Chriſtianorū cū corpore Diui Andreę.

tum fuerat illos orare in templo Diui Andreæ pro ſalute Melitenſium, iubet templum ipſum
cū corpore ipſius Diui Andreæ concremari. conuerſa ſunt omnia in cineres præter crucem quan-
dam,quam vis ignis non potuit vincere.at die poſtero tanta,tam formidabilis, tam inaudita exorta
eſt tempeſtas, vt Turcæ timerent heſternum diem vltimum ſalutis Byzantii illuxiſse;atque ipſe So
limanus in liburno nauigans animi recreandi gratia penè fuit demerſus. In Sicilia vero iam erant

Claſsis Hiſpana.

inſtructæ ſeptuaginta & octo triremes,onerariæ ſexaginta & tres, varii generis nauigia circiter octo
ginta. Menſanę claſsem conſcendunt decem millia peditum, qui ſpe prædæ ſequebantur duo
millia. Sed ante quā diſcedatur Meſsana indictæ ſunt ſupplicationes,quibus archiepiſcopus & om-
nis ſacerdotum numerus interfuit.comportata ſunt vexilla ſingularum triremium & nauium, qui
bus prætorianum præcedebat cum crucis Chriſti affixi inſigni, atque vniuerſa multitudo militum
hæc ipſa vexilla ſequebatur.at Franciſcus Aquilates ad Turcas ex oppido transfugit. Docet oporte-
re oppidum totis viribus adoriri,quod eo ſine dubio potirētur. Quadringentos tātum eſſe defenſo
res tanto ſpatio loci debilia omnino futura præſidia; quæ cognito Turcarū conſilio propter eius
fugam, aut certè excogitato nouum conatum expectantia ſtatim animum ad inſtauranda neceſsa-
ria adiiciunt. curat Frāciſcus Ginares vir ſummo ingenio vt fiat reparatio paruo interuallo a recto
oppidi pariete coronaque murali, quod ipſum murum tormenta magna ex parte proſtrauiſsent,
quæ breui facta eſt cum ſuis vtrinque propugnaculis. Turcæ ad propugnaculum foſsæ cuniculum
effodiunt,quorum ſpes omnis erat euertendi muri omnis in ea parte. Sed cum in cuniculi ſuſpicio
nem veniſsent oppidani,quia Turcæ ſegniores,quam ſolebant, eſse videbantur, diligenter explorāt
commotæ telluris pulſum per obſeruationem peluium aqua plenarum,quæ leniter ac ſenſim agi-
tari

tari videbatur. his accedebat etiã tympanorũ militariũ humi poſitorũ lenis ſonus , qui auribus ad
motis audiri conſueuit,quibus ſignis locus deniq; deprehenditur.ꝑ cuniculũ interius itur obuiã.dũ
oppidani his operibus ſunt intēti, Tucę ad turrim oppidi aſcēdere conãtur,ſacculosq; pulueris tor
mētarii intra mœnia conıiciũt.Habētur comitia in caſtris.decernitur exeũdũ eſſe ex ĩſula, ſed prius
reſpõſũ expectãdũ Byzantio.Interim fortunã incõſtantē eſſe tentandã & inſtabilē.nũquã ab his ceſ
ſatur.vel põtes faciũt.vel tormēta concutiunt.vel cuniculos excauant.vel foſſas implēt.oppidani in-
uēto ita cuniculo quoſdã hoſtes trucidãt.quinq;cados pulueris tormētarii capiũt.Turcicę triremes
quę dicrotũ & Melitenſes duas fuerant inſecutę nuntiãt in caſtra Chriſtianã claſsē eſſe inſtructam,
quare Pialis iubet inſtrui octoginta triremes,quę inermes ſtationē habebãt in portu Marſamuſet-
to,ꝗppe quarũ ligna ad pontes faciēdos fuiſſent exportata.Per quatriduũ inſtructa habet nauigia ꝑ
diē inſulę propinqua,per noctē,in altũ recedebãt:ſed nemine viſo ex hoſtibus copias denuo in inſu
lã exponit.mœnia magna vi concutit,ſed pręcipuè tribus Baſiliſcis,illud eſt tormēti nomē, quorũ — Baſiliſci tormenta bellica inſignia.
globi ducētarũ erãt librarũ.ſic Burgi & oppidi muri cõminuũtur in ruinas præcipites collapſi. Tur
cæ ĩ ſpē victoriæ veniētes oppidũ inuadũt.Ter renouãt conatũ,ter cũ magna ſtrage ꝑ virtutē defēſo
rũ repellũtur.Nã profecto nullo ĩ certamine vel maiorũ noſtrorũ, vel noſtris tēporibus par virtus
inuadētiũ,par defēſorũ pertinacia,vel par de gloria victoriæ vtrinq; cõtētio enituit. neq; tã cõmunis
fuit vllius vrbis aut oppidi fortitudo,cũ adoleſcētuli & fæminę ſĩgulari cõſtãtia ſũptis armis ĩ hoſtes
irruerēt,ad mœniaq;defēdēda accederēt.repulſis hoſtibus tãta virtute,cũ aliis creſcat fortitudo è fre
quētibus victoriis,aliis animus deficiat ob frequetiã periculorũ,quidã conabãtur ꝑſuadere Valetta-
no vt res precioſiores in oppidũ Diui Angeli tutius portandas curaret.dictũ ægrè ferēs reſpondit fa
cinus poſſe animos Melitēſiũ cõſternare,omniũq; conſtãtiã defenſorũ deiicere.vel omnia armis eſ-
ſe conſeruãda,vel cęteris amiſſis leuē eſſe rerũ illarũ iacturã. Turcę rurſus oppidũ inuadũt, rurſus
magna vi deiiciuntur cũ datũ eſſet aliquãtulũ quietis oppidanis, repēte nũtiãtur tria vexilla Turca-
rũ ingreſſa eſſe oppidũ per occultũ cuniculũ in partę Caſtilia. Valettanus haſta & galea ſumpta ſuos
breuiter hortatur ad glorioſam opportunitatē oſtentãdi quãtũ armis hoſtibus præſtarent,quod ho
ſtes nõ ſint timendi deũ habētibus tã propitiũ,quã in ſuperioribus præliis patuit.mox facit impetũ
in hoſtes.equites,milites,adoleſcētuli,mulieres Valettanũ cũ armis in hoſtē ſequētes ĩtra męnia in
uadũt tãta vi vt trucidatis ingreſſis,parantes ingredi in fugã verterint.pręliũ illud fuit vtriſq; calami-
toſum.cęſi ſunt ducēti ex oppidanis;ex hoſtibus ingreſſi omnes,& multi conãtes ingredi. reliqui re
deunt in caſtra.multi Turcæ in foſſa Burgi manſerũt, qui ne tormētis oppidi infeſtarētur,è terra li
gnorũq; faſciculis ſubitariã reparationē excitant,quo tu ti accederent ad radices murorũ excauãdas,
quo cõſilio foſsã ad quindecim vlnas occupãt,multi in ea perierunt ferro & ignibus miſſilibus & va
riis pugnæ generibus. Toletanus cũ lectiſſimis triremibus ſeptuaginta & duabus, ac decē millibus
peditũ Syracuſas verſus iter facit,in quibus erant etiã ducenti equites Melitenſes, quadraginta ſan- — Copiæ auxiliares.
cti Stephani,illuſtres viri, Annibal Ateſtinus,Hercules Varannus,Aſcanius Corniēſis, Aeneas Pius,
Cepinius ac Vincentius Vitellii, Aluarus Sãdæus.Toletanus præmittit Io. Andręã Auriã cũ triremi
& catalſcopio , quo per Pazũ cognoſceret hoſtiũ conſilia.Pazus refert ſe vidiſſe dicrotũ & aquatorũ
nauigia tantũ,ac nihil præterea.oppidanis varia genera reparationũ facientibus Turcę rurſus inua-
ſuri operimetũ ex aſſeribus & trabibus ad formã tabulati trahunt, ſub quo triginta Turcæ tegeban-
tur.illud ad radices oppidi Diui Michaelis ſtatuunt. oppidanos in oppidũ includunt.oppidani forti
ter impreſſionē poſtea faciunt in hoſtes,quibus repulſis illud ignibus miſſilibus ſuccendunt,quod
fit etiã apud Burgũ.Toletanus Pachynũ verſus nauigans onerariã capit cũ ſex millibus cadorũ pul-
ueris ſulphurei,multoq; cõmeatu,& bellicis apparatibus.hãc impoſitis Hiſpanis,cathenatiſq; Tur
cis mittit Syracuſas.oppidani egreſſi repulſis hoſtibus aliud operimentũ concremant. nũquã à mi-
nutis præliis,oppugnationibus,cremandis operibus,cauandis cuniculis,extruendis ſuis, aut demo-
liendis hoſtilibus reparationibus quies dabatur oppidanis.tãta vtrinq; vtebãtur diligētia.Turcæ cu
niculũ oppidanorũ reparationes excauãtes inueniũt ad radices Burgi , atq; captis octo cadis pulue-
ris cuniculũ in proximũ conatũ paratũ deuaſtant.Muſtapha cũ regio vexillo oppidũ inuadit,cuius
in apice aureũ malũ inerat,quod fit tãtis viribus,quia Pialis adeſſet teſtis virtutis ſingulorũ, vt appa
rerent oppido potituri.ſed tamē bis repetito conatu repellũtur.Interea Toletanus cũ inſtructa claſ-
ſe Melitã verſus iter ceperat cũ mira omniũ Chriſtianarũ copiarũ alacritate & lætitia,ſed repentina
tēpeſtate ad Aegates ĩſulas reppellitur,quæ diſtãt à Melita ducētis & viginti milliaribus. Muſtapha
cũ languidas iã eſſe ſuorũ vires cognoſceret,decernit tamē vt tertio etiam die oppidũ rurſus ad oriã
tur: quos longis laboribus defeſſos , & difficultate negotii territos monet vt curēt corpora in tertiũ
diē,atq;breuiter ad præliũ in hanc ſententiã cohortatur. Iã omnibus apertũ eſt debiles eſſe obſeſſo-
rũ vires ob diuturnitatē bellorũ,tũ quia corpora ſunt defeſſa,tũ etiã quia multi viri fortes in ſupe- — Oratio Muſtaphæ ad pugnã hortantis.
rioribus præliis ferro ſunt abſumpti.at vero,quibus fortuna ſuperior ũ bellorũ perpecit, cũ ſemper
armatos eſſe oporteat,cũ tandiu ſint intra mœnia incluſi,cũ neq; libero cęlo vti poſſint,cũ nunquã
liceat labores intermittere,illi certè parũ differre à mortuis exiſtimandi ſunt. Nõ enim credēda eſt
in his eſſe inumertalis fortitudo & firmitudo coporis,cũ homines ſint : cũ nihil ſit quod diuturnis
laboribus nõ infringatur.cõtra verò oſtēdit Turcas libero cęlo frui, quod plurimũ facit ad vires &
ſanitatē.ſæpius adiutos eſſe recētibus cõmeatibus & rebus ſalubribus.ſēper recētia ſubſidia ſubmiſ-
ſa eſſe laborãtibus ſuis aduerſus ſemianimes & omnibus difficultatibus circũuētos oppidanos.non
eſſe immortalē gentē illã oſtendũt tot cæſa corpora,quibus tota propè area deuictę arcis tegebatur.
oſtendit nullã ciuitatē impune irritaſſe aut ſenſiſſe Turcarũ arma,cũ ſemper exiſtimatũ ſit actũ eſſe
de illarũ ſalute,quibus Turcæ intuliſsent hoſtiliter arma;cũ ꝑ multas victorias ad tantum amplitu-
dinis

dinis Ottomanica familia ſit proueƈta, at nõ ꝑ alias artes. At nunc ſi tot ſumptus fruſtra ſint faƈti tanta claſſe cõparãda, ſi tot labores fruſtra ſint ſuſcepti, ſi negotio infeƈto domũ redeatur, futurũ vt omnis exiſtimatio, omniſq; gloria ꝑ diuturnos maiorũ labores, ſingulareq; petitiam rei bellicæ collecta, breuiſſimo tẽpore per horũ ignauiã profũdatur. Quid nominis relinquetur apud hoſtes, aut exteras nationes? quid riſus aut ludibrij inſulanis? Quantopere deceptus erit Solimanus, q tã pclarè de omnibus præſentibus nobis ſentiebat? Demõſtrat omnẽ maiorũ gloriã, omnẽ Turcicã dignitatẽ, omnẽ ſingulorũ exiſtimationẽ in vnius oppidi expugnatione ſitã & collocatã eſſe. Nũc non agitur tantũ de inſulę imperio, ſed de gloria gentis Turcicæ, de volũtate Imperatoris, de omniũ præſentiũ dignitate, de imperio totius Italiæ, & omniũ deniq; Chriſtianarũ gentiũ. Pręſtare glorioſe mori inter armatas cohortes, quàm cũ magna turpitudine inter viuos, & cũ ſempiterna infamia domũ vacuos & deriſos redire. His additę ſunt ingẽtes honorum ac diuitiarũ pollicitationes illis, qui pręclare pugnaſſent in ſequẽti pręlio. His diƈtis tãtus ardor glorię, tãtũq; deſideriũ in animis omniũ excitatur, vt omnes dari ſignũ belli cõclamarẽt; quod cũ in præſenti nõ opportunũ viſũ eſſet, iubetur in diẽ poſterũ curare corpora, & arma parare. die ſtatuto ſummo conatu redintegratur ſępius pugna adeo formidabilis, vt vi irrũperent agminatim ꝑ ruinas murorũ quas ingẽtes fecerãt frequentia tormẽta, inter denſatas acies defenſorũ horrentes præacutis haſtis. pugnatur inter frequẽtẽ ſclopettorũ tormentorũq; procellã, tãquã inter grãdinis frequẽtiã. Pugna diu fit anceps, cũ hi pro gloria, imperio Italiæ, ſua dignitate ſe pugnare arbitrarentur, illi ſe pro his omnibus, & auitis laribus, religione, sãguine, dignitatibus, iugulo cariſſimorũ, et omnibus priuatis ac publicis cõmodis reſiſterẽt. poſt atrociſſimã duriſſimãq; pugnã Turcæ in caſtra repelluntur, cũ virtus defenſorũ omnẽ fidẽ credulitatẽq; ſuperarit. ceciderũt è Turcis plures mille & ducẽtis, ex oppidanis cẽtũ & tredecim. multi vtrinque vulnerati. cæptũ eſt fame laborare in caſtris, atq; Turcæ vrbẽ expugnare decernũt de ſpe potiũdi oppidi deieƈti. ſed antequã diſcedãt, ſtatutũ ad oppidũ denuo tẽtãdũ tabulatũ corio teƈtũ cõſtruere; ne miſſilibus ignibus cõcremaretur, ſub quo quadraginta ſclopettarii tegerẽtur. illud ad radices mœniorũ locãt. foſſa exigua excauatur, locãtur duo ſemicannones, qui tabulatũ primo iƈtu percuſſũ ita cõquaſſarunt, vt corruẽs omnes latẽtes oppreſſerit. ante quã claſſis Meſſana diſcederet aut ſolueret, Hiſpanus quidã ſpe ingẽtis præmij ad Melitã in nauicula trãsfugit. docet Pialim regios apparatus. ſe maturè procurare vt tot milliũ hominũ ſaluti cõſuleretur. ſe ſcire in magno periculo rem Turcicã verſari ſi regię vires tot difficultatibus defeſſos inuaderent repente. his nũtiatis ad Turcicã credulitatẽ deſciuit. at claſſis cũ ad ſacrũ Iunonis applicuiſſet, quia nõ vidiſſet ſigna, ad Himerã ſe recipit. Auria nũtiat ꝑ ſigna viſa eſſe adeũdũ, cũ Turcæ de ſpe inſulę decidiſſent. Toletanus ad inſulam appellẽs neminẽ vultꝑ noƈtẽ deſcẽdere. vbi primũ dies illuxit, quinq; millia Hiſpanorũ & quingentos ſine ſtrepitu exponit. exeũt remiges trecẽti iuitis fere pfeƈtis, equites ducẽti, Italorũ oƈto millia & trecẽti. magiſter caſtrorũ erat Aſcanius Corneñſis. Aluarus pfeƈtus Hiſpanorũ, atq; Corneñſi ſummũ defertur copiarũ imperiũ donec ad Valettanũ deueniretur. Toletanus. n. his in itinere ſub meridieq; ad ꝓſpeƈtũ Melitẽſiũ ꝓfeƈtis in Siciliã rediit. Turcæ iã quatriduũ vaſa colligere cęperãt decernẽtes abeũdũ eſſe, vbi extremo conatu oppidũ inuaſiſſent; ſed iãiã ĩuaſuris nũtiãtur auxilia Chriſtinorũ fuiſſe in inſulã expoſita, quare totis caſtris cõclamatũ eſt ad arma. colligũtur reliqua ĩpedimẽta. tormẽta in naues trahũtur. aggeres igni abſumũtur, oppidani egreſſi reliquũ quod erat tormẽtũ inſignis magnitudinis capiũt fuſis quingẽtis Turcis eiꝰ cuſtodibus ꝙ traƈtũ eſt ĩ oppidũ. nũtiata sũt Valettano decẽ millia peditũ Turcarũ vrbẽ verſus obuiã accedẽtibus auxiliis iuiſſe, quo ſignis collatis dimicaretur, quare magnã manũ ſuorũ emittit, in ſigniaq; religionis ĩ arce erigit, vnde exierãt. cõmiſſo cũ priore acie Hiſpana minuto plio Turcæ reliqs copiis ſuccedẽtib. in fugã vertũtur, qa crediderãt tria tãtũ eſſe Chriſtianorũ millia. cęſi sũt è Turcis mille & quingẽti. reliq copię nauigiã aſcẽdẽtes ad deſceſũ sãƈti Pauli totũ diẽ poſterũ habẽt ſtationẽ. a t noƈtu tormẽto diſploſo Byzãtiũ verſus nauigãt, inſulã reliquẽtes ferro ac igni deuaſtatã, ꝗquaſſatas domos, mœnia oppidorũ ſolo ęquata, omnia afflicta & deſtructa. nã oƈtogĩta & amplius globorũ millia ĩ oppida cõtorta fuiſſe dicũtur. ceciderũt equites trecẽti & tredecĩ, multi grauiter vulnerati. militũ tria millia & ſexaginta ex inutili bellicis rebus multitudine ferè ſex millia. ceciderũt Ianizzerorũ tria millia & quingenti, tria Spacchiũ, tria ſpe prædæ priuata. è claſſe Tripolis & Iulię Cæſare ꝑ multi. atq; vt paucis cõpleƈtar, abſũpta sũt & reliƈta in inſula partim vi ferri, partim morbo circiter triginta Turcarũ millia. qdã tormẽta deſerta ſunt in arce pp ſtudiũ diſcedẽdi, cũ celeriter nõ potuiſſent trahi. hę tãtæ mortaliũ calamitates diuinitus initio fere anni fuerãt variis in locis ſignificatę ꝑ varia monſtra. nã mẽſe. Maio nõ procul à Calpe piſcis admirãdæ magnitudinis inuẽtus eſt in littore maris Ceutę vrbis, ĩ quo triremes multę quaſi cõſulto depiƈtę appatebãt, cũ antẽnis, malis, velis, rudẽtibus, anchoris, carcheſſis, bellicis tormẽtis, hominibus, multiſq; aliis nauigiorũ generibus, cũ inſigniore triremi pͥtoria in morẽ Galleoni inſtruƈta; atq; alię triremes apparebãt alias inuaſure. Hæc autẽ omnia cũ ipſo piſce, erat. n. thunnus, nata & cõcreta videbanť cũ maxima inſpeƈtãtiũ admiratione. Neq; minus admirabile mõſtrum apparuit nõ procul a Sanƈtę vrbe in litore maris ad Breſſiliã oppidũ. nã mõſtrũ quoddã lõgitudiuis decẽ & ſeptẽ pedũ viridi colore, pelle molli & traƈtabili ad litus applicuit, quod pedes habebat flauos & crura leoninis ſimilia prioribus. lingua & oculi referebant igneũ colorẽ. Brachia & manus erant humana figura vbera muliebribus grãdiora. venter crurum tenus figura ouali protendebatur. illud monſtrum concurſu facto multorum hominum ſagittis & miſſilibus telis denique trucidatur.

Auxilia ĩ inſulã expoſita.

Obſidio ſoluta.

Prodigia.

Balenę magnitudo.

*LIBRI DECIMI QVINTI FINIS.*

NATALIS

# NATALIS COMITIS

## HISTORIARVM SVI TEMPORIS,

### *LIBER SEXTVSDECIMVS.*

SI Reges,ac principes omnes, qui ſubditis populis ac nationibus ius dicunt, ſubiectaſque gentes ad æquitatem iuſtitiamq; ſeruandam compellunt, eandem iuſtitiam in ſuis ædibus paterentur eſſe ſociam non autem ſeruam, ac non potius exterminarent,relegarentq; in priuatas domos; nemini mortalium ſanè tot importaret calamitates auaritia & imperandi libido,quot per vniuerſam hominũ vitam perferre neceſſe eſt. nã maior ferè pars humanarũ ærumnarum ex auaritia vel imperitia vel ignauia & negligentia imperãtiũ regnantiumq; prouenit. eo vitio laborãt nõ ſolùm tyranni, ſed etiã plerique illorum, qui ſe legitimos principes eſſe profitentur; qui quidem autoritate excellunt & potentia ſed pro imbecillitate ingenii gubernandarumque rerum imperitia vulgo poſſent adæquari. Quis enim audeat ſe appellare bonum virum qui per tot innocentium cędes, miſerias, rapinas,captiuitatem, incendia conetur vnus imperare cęteris, quamuis hoc iuſtiſſimè facturus ſit, ac non potius de ſuis vel maxime legitimis iuribus decedat, ſi placidè imperare non poſſit, nedum per libidinem imperandi innocentes opprimere nitatur? Nam certè quidem perferre æquo animo vt innocentes trahantur in miſerrimam ſeruitutem diuulſi ab vxoribus mariti, à patribus filij, nullo ſcelere commiſſo, cum neque participes fuerint ſuſcepti belli, neque impedire poſſint ſi maxime velint, illud nonne eſt crudeliſſimæ & execrandæ tyrannis iure cenſendum? vix enim bellum quod defenſionis gratia extra fines geritur iuſtum putandum eſt, at neceſſarium certè. Sed hæc crudelitas eſt vſquadeo in vſu poſita à primis bellorum incunabulis & inueterata, vt quod exemplo fit, & inueterato more maiorum, illud non amplius iniuria, ſed æquiſſimo iure fieri cenſeatur. Tanta vis eſt deprauatorum morum, vbi ſemel ſtultitia pro ſapientia, violentia pro lege haberi cępta eſt. Inde fit vt legatio Byzantium miſſa à Maximiliano vt ageretur de pace re imperfecta redierit, cum potius ſpe ſuſpenſum animum Cæſaris Turca tenere niteretur ne faceret bellicos apparatus, quàm quòd reſpiceret ad pacem. At Cæſar his artibus cognitis vel apertiſſimis argumentis nulla in re deficit rebus bellicis, ſed auget caſtra Suendii nouis auxiliis cenſa ſunt duo millia peditum Germanorum Leptipontij, & in caſtra miſſa. Poſſonio trecenti Myſi in caſtra contendunt. Bregetio trecenti equites Pannones. adauget caſtra Romeras Melitenſis eques mille & quingentis peditibus, & quadringentis equitibus Germanis. Dersfius cum trecentis peditibus & paulopoſt mille ac centum equitibus accedit in caſtra, quibus omnibus præerat cum ſummo imperio Adamus Gallus. multi proceres conueniunt Iuliobonam, qui Cæſari omne auxiliorum genus vltro liberaliterque pro viribus aduerſus Turcicam immanitatem pollicentur. inter hos præſtantiores fuerunt Comes Masfeltius, Gunterus Scuartzbuyenſis, & Ottingius Comites; & Chriſtophorus Liechtenſtainus. Sachmare interea multis morbis grauibus & contagioſis laborare cęptum erat,quamobrem Suendius, qui per aliquot dies ibi fuerat relictis in præſidijs quinque vexillis peditum ipſe cum reliquis copiis ad Tibiſcum fluuium ita fuerat caſtrametatus, vt ex altera parte caſtrorum fluuium haberet pro foſſa militari, ex altera caſtra vallauerit foſſis & militaribus aggeribus. correptus eſt & ipſe Lazarus febre moleſta & oppreſſus per multos menſes, quæ nulla induſtria vel præſtantiſſimorum medicorum leuari potuit. ſed quoniam multis in locis modo incurſionibus, modo minutis prælijs in finibus hinc inde pugnabatur, Iulæ præfectus cum eſſet in caſtris Turcas nonnullos pręſtantiores captos intra fi-

Quot malorũ cauſa eſt auaritia.

Auxilia data Cęſari aduerſus Turcas.

nes Marcomanorum in arcem includendos miſerat, quo ita incluſi captiuitatis tędio redemptionis precium diligentius procurarent. Illi captata opportunitate arma cuſtodibus extorquent, quibus omnibus in morem pecudum trucidatis diffugiunt, atque incolumes ad ſuos redeunt. Turcæ quòd Cæſarianos ad Tibiſcum fluuium conſediſſe cognouerant, ſtatnunt per noctem caſtra repentino aduentu adoriri, fortunamque belli ſi forte arriſiſſet pertentare, cum vtraque caſtra circiter quinque millia paſſuum tantum inter ſe diſtarent. nam Cæſariani in parte ſuperiore fluminis in ripa Tibiſci ad pagum Chizar conſederant, at Turcę in inferiore, atque pontem iecerant ſupra Samum fluuium ignobilem, vbi per exploratores conſilium Turcarum Cæſarianis innotuiſſet, quod erat inuadendi caſtra Cæſariana, parantur apud ſyluam quandam finitimam inſidiæ aduerſus inuaſuros, in quas Turcę per obſcuritatem noctis illapſi repente inuaduntur. Dicuntur fuiſſe cæſa in eo prælio quatuor Turcarum millia, qua victoria potiti Cæſariani tum beneficio noctis & velocitate equorum, tum etiam locorum peritia incolumes in caſtra ad ſuos perueniunt paucis amiſſis. Non ceſſabatur tamen vtrinq;, ſed modo ad Sachmar, modo ad Bregetiũ, modo ad Aguntũ & Riuulũ Dominorũ oppida aſſiduis certaminibus pugnabatur. Inter cęteras pugnas nõ ignobilis apparuit, quæ cõmiſſa eſt à Graſſuenio accedente in caſtra cum centũ equitibus. nam cum mille Turcæ obuiam proceſſiſſent commiſſo atroci prælio diu pugnatum eſt. ceciderunt è Turcis plures ducentis, inter quos fuit præfectus Liziſi. Torquebat Cæſarianos, ſiqui vulnerati fuiſſent, vulnerum ardor, quia dolor dolori addebatur, nam plumbeę glandes larido inunctæ à Turcis fuerant cum plurima vulneratorum moleſtia. caſtra cęſariana poſtmodo aucta ſunt mille & centum Saxonibus, quæ copiæ miſſe fuerant ab electore, & ſtipendia in quinque menſes data. horũ equitũ ſummũ imperiũ habebat Henricus Glaſentalius vir ſtrenuus & ad omnia bellica munia promptus ac diligẽtiſſimus. His accedebãt treceti & quinquaginta nobiles, qui proprijs domeſticiſq; ſumptibus militabãt. Carolus Archidux princeps ſummo ingenio ſummaq; prudẽtia in Valeria regione intrepidus ſingulari diligentia ac peritia rei bellicę ſuas copias aduerſus irruptiones hoſtium paratas habebat ad reprimẽdas incurſiones, cum incolæ ſuperioribus calamitatibus afflicti vix apparerent tantum malorũ poſſe ſuſtinere, niſi opportuna remedia ab eo principe adhiberentur. Quæ dum parantur ad ſuſtinendos impetus bellorum à Cęſarianis, Myſię purpuratus ſuperioris præfectus allectus ſpe ingentis prędæ in Illyrio cum magna manu Turcarum per agros finitimos palatur. obuia queq; ferro & igni populatur. armenta & homines abducit quæ abduci non poſſunt, ſuccendit & flammis abſumit. at Petrus Eberauus eius regionis pręfectus tantam hoſtis temeritatem & crudelitatem non ferens audito per exploratores purpurati itinere fit obuius cum expeditiſſima ala equitum & denſo globo ſclopettariorum, quę copiæ accedebant ad nouem millia armatorum. conferto prǽlio cum Turcis fortiter vtrinque pugnatur. Turcę ad extremũ Cæſarianorum virtuti cedere coacti accepta inſigni clade in fugam vertuntur. nam dicta ſunt quinq; millia in illo prælio cecidiſſe. Id verò bellum rapinis potius & minutis prælijs varijs in locis, quàm iuſto exercitu gerebatur, cum minime appareret expeti vt dimicaretur collatis ſignis. Iſtud fiebat quoniam Iuliobonæ agebatur de pace cũ oratoribus, qui adhuc non inde diſceſſerant. Illuc præterea conuocati fuerant inſigniores proceres Pannones, quo cum his Cæſar & de pace conſulere, & pacis conditionibus decernere commodè poſſet, quos etiam teſtes adhiberet, quia ipſe non eſſet autor bellorum qui tam eſſet ad accipiendas honeſtas pacis cõditiones paratus. Hi dum agunt de pace in finibus Pannonię, natæ ſunt controuerſiæ inter Belgas & Britannos tam graues, at propè ad arma ventum ſit. Controuerſiarum cauſæ fuerunt de mercimonijs inter mercatores vtriuſque nationis coortæ, cum quæque natio ſuis faueret. Illæ controuerſiæ ad Philippum Regem, & ad reginã Britanniæ delatæ ſunt, qui pro viribus res componere, & ad amicitiam reuocare nituntur. Delecti ſunt ab vtriſque regibus viri pręſtantes ad hoc iudicium, qui auditis iuribus & priuilegijs vtriuſque nationis rem quanta fieri poſſet dexteritate componerent. Delectus fuit ad hoc negotium pro Belgis Comes Agamontius, pro Britannis Comes Suſſeccius, atque Agamontio mox in Hiſpaniam accerſito ſufficitur regulus Florius Memorantius, & Chriſtophorus Daſſoleuillius. Regina item ſuos negotiatores mutauit, ſuffecitque regulum Montegnium, cum quo profectus eſt & Adon vir doctrina & eloquentia inſignis. Quamuis multæ difficultates in eo negotio occurrebant, atque tantæ vt etiam commercia ceſſauerint inter illas nationes, vtriſque ſuas facultates paulatim contrahentibus, tamen quòd videretur inſigne incommodum in vtroſque populos redundaturum omiſſis diuturnis diſputationibus, mitius agi cœptum eſt, reuocatique ſunt mercatores ad ſolita commercia. Reges certiores facti ſunt de his omnibus quæ agebantur, quare Philippus rex adiunxit ſuis delectis iudicibus Ioachinum Gilem Iuriſc. at regina Vttonem & ipſum Iuriſc. viros inſignes, tractandiſque maximis negotijs exercitatos, qui omnes controuerſias ſingulari prudentia concordi conſilio feliciter, & cum maxima nationum illarum lætitia conſopiuerunt. Dictum eſt ſuperius Gallica nauigia è terra Florida vocata rediſſe, atque cum eſſet à Gallo Rege cognita fertilitas, opulentia, amęnitas regionis, conſcripti ſunt milites, qui illuc cum claſſe mitterentur duce Ribalto. in hanc collecti ſunt claſſem varij artifices, & omnis ætatis homines circiter mille & quingenti cũ totidẽ militibus. ſoluẽtes è portu Diepenſi felicẽ nauigationẽ nacti omnes incolumes ſub finẽ ſextilis cũ præterito menſe ſoluiſſent, perueniũt in inſulã ad eam partẽ, vbi munitiones fuerant inceptæ apud Maium amplum fluuium. nec multo poſt quinq; Hiſpana nauigia eò appellunt, inſulanis alijs Galli, alijs Hiſpani Regis ſe ſubditos eſſe profitentibus, primùm pax & cõcordia & amicitia illa re nõ diſiungi videbatur, cũ omnes ęquis animis perferrẽt. ſed per obſcuritatẽ noctis Hiſpani cęperunt Gallica nauigia multis globis impetere. Galli repẽtinã, iniuriã conatumq; Hiſpanorum cũ multos milites expoſuiſſent, minime ſuſtinẽtes in fugã vertuntur

Clades Turcarũ per Cæſarianos illata.

Inuentũ malignum Turcarum.

Caroli Archiducis diligentia.

Clades Turcarũ per virtutem Petri Eberaui.

Disſidia inter Britannos & Belgas mercatores.

Disſidia cõpoſita ſunt.

Copię miſſę in indias à Gallo Rege.

tur

tur, quos inſequentes Hiſpani per vnius diei iter ac noctis aduerſantibus fluctibus comprehendere non valuerunt. at poſt multos errores eò redierunt denique vnde diſceſſerant. Exorta paulopoſt ingenti tempeſtate nauigia quædam ad terram illiſa & infracta ſunt non procul à fluuio Maio, per quod naufragium nonnulla tormenta perierunt, pugnaque denuo inſtaurata dirempta eſt per maris perturbationem. Ex hominibus perijt vnus tantum in aquis, reliqui enatantes incolumes ad litora ſe ſeruarunt. Ribaltus vbi per multas difficultates Delphinum fluuium præterijſſet, neque procul abeſſet à propugnaculis, proſpicit armatam Hiſpanorum cohortem, quare ſibi & comitibus maturè conſulens mittit rogatum Hiſpanos vt ſe ac ſuos in fidem atque tutelam acciperet. illud facilè impetratur affirmatum iuramento. Chriſtophorus Bretonus Aquitanus vir ſingulari ingenio ſuſpectam habens fidem iuramētumq; Hiſpanum maluit ſe fluuio quàm Hiſpanæ fidei committere, quare tranans fluuium ſaluti ſuæ conſuluit. Hiſpani neglecto iuramento omnes captiuos non multo poſt trucidarunt, quamobrem Bretonus in Galliam reuerſus commemorauit vt nulla habita fidei vel iuramenti reuerentia Galli capti ab Hiſpanis & quibuſdam cruciatibus affecti ac cęſi ſint, ſicuti è quibuſdam inſulanis cognouerat poſt fugam. Byzantij interea ignis accenſus forte formidabili ſpectaculo cum multa Byzantinorum formidine & damno debachabatur ad futurarum calamitatum indicium, cum tanto ſtrepitu & fragore vt intra quatuor horarum ſpatium circiter octo domorum & tabernarum millia ſint concremata, cum ædificia pleraque Byzantina ſint lignea. Genuenſes poſt cladem, quam acceperant à Sampetro, diligenter copias colligunt, quibus præfectus fuerat cum ſummo imperio Stephanus Auria, atque his in inſulam delatis illud primum fuit conſilium vt Cortis arcem concuterent. At cum palantes quidam vagarentur abiecto hoſtium metu repente in inſidias Sampetri incidentes cęduntur. nam centum & quinquaginta trucidati ſunt. Naupacto interea nuntius allatus eſt Solimano claſſem re infecta redire à Melitenſi expeditione multis amiſſis copijs afflictam & deſolatam, quare magna indignatione ſuccenſus literas humi deijcit. ſcribit ad præfectum copiarum terreſtrium vt quam citiſſimè Byzantium properet. accerſit & claſſem cum prefecto. imperat quinquaginta triremes magno ſtudio in ſequentem annum inſtrui. accitis ſacerdotibus proponit cauſam tanti infortunij diſquirendam, qui reſpondent magnum committi peccatum, cum tot aduerſarias religiones intra fines ſui imperij ineſſe pateretur, cum multa contra leges Mathometi committantur. Solimanus ad hæc reſponſa continuò decernit vt Chriſtianorum templa, & ſynagogæ Hebræorum ſolo adęquarentur. Iubet edictum fieri necubi fiat vinum aut bibatur intra ſuos fines ſub pęna capitis. imperat vaſa vinaria vbique infringi, ac vina effundi, viteſque ſuccidi, ex quo bello facilem victoriam reportauit, quippe quod tanquam cum Baccho illi bellum eſſet, at non aduerſus viros fortes. Imperat Chriſtianos apud magiſtratus profiteri nomina, quo vel ipſi arma aduerſus Chriſtianos hoſtiliter importarent, vel pecuniam in bellum aduerſus Ghriſtianos diſſoluerent. Nec ita multo poſt claſſis impetrata licentia adeundi Byzantij tanquam victrix cum magna lætitiæ ſignificatione accedit, cum multo claſſicorum, tympanorum, tormentorumque ſtrepitu, vexillis explicatis, & cum multo clamore nautico quaſi inſignis aliqua præſtanti victoria & triumphans, at non è magna calamitate rediens vel potius effugiens. Quoniam verò duorum regum Daniæ & Suetię res nullo pacto componi poterant, magis quotidie res ad bellum accendebatur, quippe cum multi vndique fierent apparatus bellici, viresque vbique ſuccreſcerent recentibus auxilijs accedentibus vtriſq;. Nam Lallauus Muellius tribunus Suetiæ Regis conſiliarius miſſus eſt ad colligenda duo millia peditum in regionem Sueſſionū ad vrbemq; Iulicurgiū, quæ cenſa ſunt in agro Pharodinenſi. totidem rurſus pedites cenſi ſunt à Fichio Peringeo tribuno ad oppidum Rughenum Pomeraniæ. colligitur & magna manus equitum eorum, qui vulgo Ferraroli vocantur, qui cenſi ſunt apud Naſelliū litus ad Platunū pagū duce Volfegango Schereuicchio. neq; ceſſabatur ab amicis & coniunctis ducibus vtriuſq; Regis, cū omnes auxilia pararēt. ſiquidē dux Iulicurgij Suetias partes fouens & ipſe per hāc belli opportunitatē ſuū principatū nititur ampliare. Rocchēſem vrbē maritimā cū portu vi occupat, vbi ad ciues in officio amititiaq; retinēdos munitiones & arcē excitat. In ciues, qui eius imperiū moleſtius ferre viderentur magna ſeueritate animaduertit. fuit autē cauſa captiuitatis vrbanę vrbanū diſſidium, quòd plebs ab vrbanis magiſtratibus diſſentiret, quia iam magiſtratus plebem tyrannicum in morem tractarent. nam per illam ſeditionem, domeſticaſque diſcordias vrbs in eius poteſtatē venerat. at quidā præſtantiores ægrè ferentes eius ducis imperiū exiſtimabāt ſe per iniuriam opprimi, cū liberi eſſent in morem liberarum vrbiū, & ſub tutela imperij præterea. Illud autem fiebat à Io. Alberto Iulicurgij duce quòd pro viribus Sueuis partibus ſtuderet. fiebāt callidè hi bellici apparatus ad vires reficiendas, quoniam cum paulo ante dimicatum eſſet ab ijs regibus collatis ſignis, cęſa fuerant circiter quinque millia Sueuorum, & bellica tormenta campeſtria viginti capta cum parua omnino Daniæ Regis iactura; quamuis Sueui contrà vrbe Varemburgo & arce potiti fuerant vi armorum quinto conatu, quam vrbem Daniæ populi Burbengam appellant. Illa cum diutius Sueuorum vires ſuſtinuiſſet, cæſi trucidatique ſunt omnes puberes preter mulieres & virgines quaſdam captiuas abductas. Vrbs flammis abſumpta eſt, at arx firmioribus præſidijs & omni genere bellicorum apparatuum diligentius munita, ne in poteſtatem hoſtium rediret. Illa victoria potiti Sueui Daniæ copias paulatim ſeſe intra ſuos fines recipientes inſequuntur vel Helmenſtato vrbe opulenta & frequente à tergo relicta. Vt vero magis etiam Danię vires diſtraherentur Io. Albertus Iulicurgienſis & Henricus Sueſſionum dux nomine Regis Sueui Limiros cum triginta Germanorum cohortibus & tribus millibus equitum inuadunt. his afflictis multis in curſionibus ac prælijs populabundi vagati decernunt

Pugna Gallorū & Hiſpanorum in Indijs.

Hiſpanorū perfidia.

Byzantij incendium.

Templa Byzantij vſta.

Vinum vetitum.

Claſsis reditus Byzātiū pompa.

Rocchenſis vrbs capta.

Seditio Rocchenſium.

Sueuorū clades.

Varem burgū ſiue Burbenga capta & incenſa.

aduerſus Holſtainum Daniæ Regi coniunctum, & Ditmarenſes ſubactos vi, cum vrbs fuiſſet libera, ſigna conferre. Limiros autem callidè inuadunt, experiunturq́; regio nomine an Auguſtus Saxonum Dux Daniæ Regis affinis arma moueret; quod ſi fieret, aucuparentur illam opportunitatem belli illi inferendi, quo paternum principatum Federici filijs reſtituerent per vim Cæſaris illis ereptum. Quòd ad res Cæſarianas, Suendius tametſi morbo laborabat, tamen quia Turcæ perpetuis incurſionibus fines illos infeſtarent, bellici apparatus fieri; minutis preliis certari, multi vtrinque occidi non ceſſabant. ſed quoniam inter pugnandum videbatur agi de pace Turcę colligunt vaſa ad profectionem, Tranſyluanusq́; ſuos contrahit in hyberna. Cæſariani conſimiliter caſtris relictis Caſſouium ſe recipiunt ad vberiorem annonę copiam, quòd iam cœptum eſſet in caſtris penuria laborare, cum etiam multi grauiſſimi morbi, febresq́; malignæ multos inuaſiſſent. Tranſyluano copiis in hyberna contractis nuntiatur multos eſſe fautores Cæſarianarum partium, quare omnes tum nocentes & inſidiarum conſcios ſuſpendio necari iubet. Suendius per literas inſtat Cæſari ne bellicos apparatus prætermitteret, atque hortatur vt parum fidei blanditiis hoſtilibus adhiberet, quamuis Turca pacem appareret expetere, quòd omnia doloſè & fraudulenter agi comperiſſet è clandeſtinis apparatibus bellicis, quod fiebat vt Turcę imparatos Cæſarianos facilius opprimerent ac nihil tale opinantes. Suendius ipſe certè nulli militari induſtriæ parcit, omnesq́; diligentis & ſtrenui ducis partes explet; quare cum Alba regalis paucis præſidiis munita eſſe diceretur Ecchium Salmam Bregetio mittit cum magna manu armatorum. cum Salma, Caſſouio, aliisq́; finitimis è caſtellis exiuit iuſſus equitatus, & qui tormenta traherent, aliasq́; res neceſſarias conueherent. Atqui niſi Cæſaris iuſſu ex ipſo itinere Salma reuocatus fuiſſet, qui nollet videri interrupiſſe ſpem pacis, vrbe ſine controuerſia potitus fuiſſet. alliciebat ad ſpem potiundæ vrbis non ſolùm imbecillitas præſidiorum, ſed etiam iudicis ipſius vrbis cum Cæſarianis occulta conſpiratio, qui vxorem & filios tanquam obſides ac pignus incontaminatæ fidei miſerat ac Salmam. ſic autem res compoſita & inſtituta fuerat, vt per noctem altera pars bellicorum tormentorum abſtraheretur à mœnibus, altera ita includeretur vt Turcæ repente vti non poſſent. atque vbi prmùm portę recluderentur ad emittenda iumenta, Salma cum inſtructis copiis vrbem inuaderet. quòd ſi Turcæ illi pauci reſiſtere conati eſſent, coniurati ciues, qui portas cuſtodiebant, continuò eos adorirentur, ac portam aperirent. nam & alii complures Turcarum imperii pertæſi cum iudice conſenſerant. Iudex vbi res ad ſtatutum tempus non fuiſſet tranſacta, neque copiæ Cæſarianæ apparuiſſent, Palodam profugit. Turcæ cognitis inſidiis multos ciues palis affigunt, inter quos innocentes quoſdam, & omnium prorſus inſidiarum ignaros. Reuocandi Salmæ ex itinere cauſa fuit quòd agebatur de pace, vt diximus, Iuliobonæ arctius cum oratoribus ad hoc præcipuè negotium miſſis, atque ipſe Cæſar hac de cauſa Georgium Hoſſutotum ad Solimanum miſerat oratorem; ne ex altera parte bellum gerere, ex altera pacem procurare doloſè videri poſſet. quare omnia caſtellorum præſidia interim iuſſa ſunt ab incurſionibus abſtinere. Hoſſutotus adductis ſecum quibuſdam Turcis inſignibus, qui hactenus fuerant captiui, Curtam profectus deploma obtinet à purpurato vt liceat progredi, à quo perbenignè accipitur. Sed iam Auguſtus dux Saxonum oblata ſpe pacis ſuum equitatum reuocat atque alii proceres Germani complures concedente Cæſare redeunt è caſtris. Turcæ contra ſenſim atque paulatim cuſtodias adaugent. incurſiones faciunt in agros finitimos. Tum Bregetium vſque incurrentes animalia vndique rapiunt, & captiuos homines abducunt in ſeruitutem. Derſſius vir ſtrenuus Nitriæ oppidi gubernator multos Turcas palantes obuios trucidat. duos Ianizzerorum pręfectos capit. prædam recuperat. captiuos ſoluit. libertatique reſtituit. Suendius his auditis incurſionibus & ipſe leuibus pręliis pugnat. circiter trecentos mittit ad prædam è caſtris. fiunt obuii mille Turcę & ipſi prædabundi. conſeritur prœlium. cæduntur multi Turcæ, inter quos fuit Lippa quidam magnæ exiſtimationis. pauci ceciderunt è Suendianis. Sed quia iam propè hyemaret purpuratus Tibiſci ſuos in caſtris retinet. reparationes inſtruit. Tibiſcum munit. cum nonnihil à Schuendianis copiis infeſtaretur, poſcit fieri inducias. Suendius his conditionibus fieri non oportere reſpondet poſt recentes inſidias & prodtiones. Quòd ſi Riuulus oppidum per proditionem captum per inducias reſtituatur, vbi erant fodinæ metallorum, & vniuerſus Erdei ager cum vrbe, ſic demum inducias poſſe inueniri. Cæterum rex Daniæ cum ignarus captiuitatis Varemburgi commeatum in eius arcem eſſet importaturus commiſſa pugna in agro Raunafoldio cum Sueuis obuiam prodeuntibus multos Sueuos trucidat. pugnatur fortiter ab vtriſque. ceciderunt è Sueuis circiter quatuor hominum millia, è copiis Daniæ Regis paulo plures ſexcentis. capta ſunt quinquaginta & ſex tormenta, & ſex equitum vexilla, ac ſeptem peditum ſigna. Quædum aguntur inter Germanos hoſtiliter, & inter copias duorum regum, Condæus filiam Longouillii reguli ducit in matrimonium. magnificas nuptias parat. Gallum regem de more Gallorum procerum inuitat ad nuptias: nam Reges inuitati humanitatis cauſa ſolent plerunque ac ferè ſemper ad huiuſmodi celebritates accedere. Rex nefas eſſe reſpondet Regi ad eas nuptias, cum & de ratione ſacrorum diſſentiret, & ſæpius inuitatus ad ſacra cum Rege noluiſſet intereſſe: Nam neque tacto quidem limine templi Condæus ipſe accedentem regem relinquere conſueuerat. Dum minutis prœliis decertatur in finibus Pannoniæ, multi capti ſunt exploratores, qui Cæſarianas munitiones perluſtrarent recognoſcerentq́; ad expugnationem in annum ſequentem; qui affirmabant Solimanum ipſum tranſacta proxima hyeme ad illam expeditionem eſſe venturum. affirmabat iſtud ipſum Scaphir Vaida à ſecretis purpurati Curtenſis. afferebant hoc ipſum exploratores multi Byzantio. Significabat iſtud ipſum edictum Solimani, quo vetabantur ſub pœna capitis agreſtes ſoliti vtrique imperatori ſoluere tributum, illud dare Maximiliano. ſic omnia viſa

Albæ regalis proditio.

Sueuorum clades.

Condæi nuptiæ.

Solimani aduetus in Pannoniam præſcitur.

ſunt palàm reſpicere ad bellū anni ſequentis,at non etiam ad pacem doloſa ſimulatione,& fraudibus res diſtrahebantur. His accedebant frequentes Turcarum incurſiones ad Pappam oppidum & in agrum Bregetinum & in alios fines Pannonicos, quibus frequentia mala Pannonibus inferebantur,& mutua odia finitimorum ſuccreſcebant in dies. Nam & Tranſyluanus hortatus fuerat Solimanum per literas, cui vtilem & facillimam Pannonicam expeditionem eſſe multis rationibus perſuadere nitebatur. Cæſar hiſce cognitis, auditiſque apparatibus bellicis, & quæ fiebant inſignia Byzantii in uer proximum, iubet Bregetium muniri, vbi copias anni ſequentis erat collecturus. Imperat neque vendi annonam in exteras regiones, neque diuenditam alio importari. Boemos atque Pannones pedites mittit ad oppidi Metubarris defenſionem,tribunos ad colligendas copias. & quia propriȩ vires parui eſſe ponderis videbantur, parumque habere ſtabilimenti aduerſus tantas copias Imperatoris Solimani, qui cum quingentis millibus armatorum venturus eſſe diceba-tur, comitia indicta ſunt Auguſtam vniuerſæ Germaniæ in menſem Decembrem. Eſt enim Chriſtianorum Imperatorum conſuetudo vbi ingens Turcarum tumultus inſtiterit, vt habeantur comitia Germanorum, quo ſinguli principes pro facultatibus, atque ſubditi pro conditionibus opē ferant defendendo Imperio, quod detulerunt. conſtant Germana comitia è tribus hominum generibus; è principibus eccleſiaſticis, principibus non conſecratis ſiue laicis vt aiunt, & liberis ciuitatibus, qui omnes ordines exiguum quoddam tributum quotannis diſſoluunt Imperatori. at vbi conſeruatio imperii ita popoſcerit, tenentur armatos homines ſuppeditare, & pecuniam præterea in bellicos ſumptus. Quantum verò tribuendum ſit pro opportunitatibus in ipſis comitiis decerni conſueuit penes Archiepiſcopum Mocontiacum principem Electorum, ac ſupremum Germaniȩ cancellarium omnia comitiorum ſcripta ſunt & aſſeruantur in tabulario. pro Italia eſt Colonienſis. pro Gallia Treuirorum. laici ſunt Electores comes Palatinus, dux Saxonum, Marchio Sennonum. accedunt ad illa comitia laici & epiſcopi complures. liberȩ vrbes ſunt plures nonaginta, quarum popularem plerȩque habent adminiſtrationem, cum tamen nonnullȩ ſint quȩ ab optimatibus adminiſtrentur. hæ ciuitates in comitiis ius habent tantum explicandæ ſuæ ſententiæ, at non etiam ſuffragiorum. Primùm conſultant inter ſe ſeparatim Electores tantum. Deinde Eccleſiaſtici & Laici ſeparatim, quod ab rege Romanorum aut imperatore propoſitum fuerit: atque in hoc concilium duo tantum pro abbatibus admittuntur, duo pro comitibus & proceribus, duo è ſingulis ordinibus. Cȩſar hos monet vt acceperit per nuntios ingentes Solimani apparatus, & quod diceretur ipſe ad Pannonicam expeditionem eſſe venturus, quod tametſi non credebatur cum Solimanus eſſet ſenex & inualidus, ac videbatur difficile poſſe iudicari quod tam longi itineris labores ſuſtineret, tamen magnitudo & diligentia apparatuum hoc ita eſſe facillimè demonſtrabat. Principes comitiorum quamuis tantæ res vrgerent, tamen variis excuſationibus vtebantur, cur non poſſent conuenire, quia propriis & magnis negotiis diſtringerentur; & quia bellum inter Daniæ Sueuorumque Reges in Germania excitatum illos non pateretur metu propriorum larium è ſuis regionibus diſcedere. Cæſar inter hos Reges natas diſcordias per viros potentia & autoritate præſtantes nititur componere, quòd ea res tantis negotiis magnopere obeſſe videretur; quod etiam ſuperius ſed leuiter quidem & fruſtra tentauerat. Veruntamen res denique cum magna omnium populorum lætitia compoſita eſt, atque Sueuorum rex ob quietem concordiamque gentium ad omnes honeſtas conditiones perducitur, quorum differentiȩ iudicatio & arbitrium Federico Saxonum & Buguntorum ducibus cum Cæſare commiſſum eſt. Alia erat præterea ratio, quæ principes nonnullos quominus venirent ad comitia retardaret, controuerſia nata nimirum inter duos fratres duces Vinarienſes generos ducis Intuergorum propter diuiſionem principatus, & munitionum in primis, quæ omnes erant in arbitrio fratris grandioris natu. Nam cum prius tres fuiſſent fratres, minore natu mortuo Federicus & Gulielmus reliqui duo ita conuenerant, vt alternè in ſingulos annos regnarent. vbi maior natu ſuū annū imperaſſet,captus dulcedine, ſuauitateque regnandi nolebat fratri cedere de principatu pro pactionibus, ea re Dux Intuergorum Elector non modo ipſe erat valde occupatus his rebus componendis,ſed etiam dux Saxonum Elector, qui ad hoc negotium tam honeſtum accitus fuerat ad opem ferendā,tuendāq; æquitatem.atque cum variȩ difficultates orirentur, videbatur fore opportunū vt controuerſia ad comitia deferretur. Philippus etiam dux Cattorum excuſationē afferebat cur comitiis non poſſet intereſſe, quòd ſuus filius vxorem duceret filiam ducis Decumatum, qua re etiam principes nonnulli diſtinebantur,& proteſtātes ac proceres. His tot difficultatibus Cȩſar angebatur cū ad comitia Auguſtæ principes fruſtra expectaret,quia nihil ipſe ageret,cū quotidie Solimani tantopere & Tranſyluani apparatus ſuccreſcere dicerentur. nā res ad bellū iam apertè ſpectare apparebat,& ad certū Solimani aduētū. Hi apparatus cū iam non obſcuri,ſed clari & conſpicui & vna omniū voce Germanis principibus nuntiarentur, inſtituunt procuratores ad comitia cum diplomatibus ampliſſimæ autoritatis, donec ipſi conuenirent. ſed Cæſar cum tantis de rebus agere tur, nihil agit cum procuratoribus,niſi principes ipſi aduentarent, ad quos etiam ſollicitandos pro prios nuntios miſit. Interim Sabaudienſis ducis legatio accedit vt decideretur de controuerſia Caſalenſi, quæ ſibi intercedebat cū Mantuano Duce. Melitenſis militiæ magiſter quia tot bellorum ſumptibus afflictus fuiſſet, tanta equitum ſuorum clade, tanta omnium munitionum ruina affectus,cū tantos Turcarum apparatus fieri Byzantii intelligeret, veritus claſſem ad inſulæ deuaſtationem ſequenti anno redituram, cogitauit ſuis rebus optimè conſultum iri ſi tot pericula ſequentis etiam anni deuitaret, inſulamque deſereret, quam cum præſentibus viribus ſe non poſſe defendere certò ſciebat. literas dedit ad Pont. & ad Philippū regē, quibus ſuam ſententiam aperiebat. ſed

Tranſyluani litere ad Solimanum.

Edicta Cæſaris de annona.

Comitia Auguſtā indicta.

Comitia Germanica quȩ ſint.

Comitiorū Germanorū conſuetudo.

Pax Sueuorū & Daniȩ regum.

Vinarienſes cōtrouerſiæ.

Sabaudiȩ & Mantuȩ ducū cōtrouerſia de Caſale & monte ferrato.

quoniam in maximo periculo & difficultate res Italę verſabantur, ſi illa inſula fuiſſet a Turcis occupata, Valettanus & amicas reprehenſiones & promiſſa vtriuſque principis liberaliſſima extorſit.

Melita inſtaurata.

Miſſa ſunt etiam auxilia ad munitiones deuaſtatas inſtaurandas tria millia operarum è Sicilia, & in comitiis equitum decretum eſt vt noua vrbs reficeretur. vt dorſum terræ abſcinderetur, vt foſſa lata efficeretur quo mare adflueret, & arx Diui Hermetis diligenter inſtauraretur, atque ita inſtitueretur vrbs noua vt ambos portus diuerberaret. Quod ſi claſſis ante erectas abſolutaſque munitiones accederet, poſtulat Valettanus decem armatorum millia.

Pij Quarti mors & exequiarum pompa, ac ceremoniæ.

Quæ dum ſtruuntur in Melita inſula, Pius Quartus Pont. pridie nonas Decembris naturę conceſſit. eius cadauer deportatum eſt in Diui Petri templum de more cæterorum Pont. atque ibi ſepultum; cuius exequię cęptę ſunt agi die quintodecimo menſis in hunc modum. Extructum eſt caſtellum quoddam præcelſum in medio templi diui Petri, quod duodecim columnis nigris ſuffulciebatur, atque ipſę columnæ depictæ erant informum multorum oſſium mortuorum ſparſim. Caſtellum illud ex omni latere ſpatiũ viginti & quinque pedum continebat. In medio caſtelli ipſius pyramis quædam funebris conſurgebat, cuius in ſummo apice in quatuor angulis ſingulatim erant infixa quatuor nigra vexilla, atq; ipſum caſtellum multis vbique luminibus circuntegebatur. erat ibi quadratum cubile nigris velaminibus obtectum, vbi cadauer iacere fingebatur dum peragerentur exequię. Poſt ſacra de more celebrata pro animabus defunctorum, purpurati ſacrati patres denique conueniunt in ſacrarium. Illuc paulopoſt conueniunt ſingulatim legationes Chriſtianorum principum, quæ omnem operam ſuorum principum liberaliter pollicentur ad ſanctę ſedis apoſtolicæ beneficium & conſeruationem, ſeque vltro offerunt ſiqua re opus ſit per interregnum. ex omnibus illis purpuratis conſurgit qui pręſtat dignitate & ętate cæteris omnibus ſacri ordinis, ſi vtrunque contingat; ſin autem, qui præſtet dignitate. Ille vniuerſi purpuratorum concilij nomine gratias agit, ſibique gratiſſimam eſſe illam principis liberalitatem reſpondet. Illæ exequiæ celebrantur quotidie à die ſepulti pontificis, donec purpurati patres ad nouum pontificem creandum conueniant. quibus profectis mox in amplam aulam confectis proprijs ſingulorum patrum tabernaculis ligneis includuntur cum duobus tantum miniſtris,

Cõclauis vocati mos, ſiue concilij creandorum Pontificum.

quibus ſimplex genus cibi afferri ſolet per leges incluſis, donec Pontificem creauerint, at non multa opiparorum eduliorum genera, ne res diutius prorogetur, coganturque vel per illam frugalitatem & ſimplicem victus rationem ad celeritatem electionis. Ad horum patrum ſic incluſorum cuſtodias & tutelam collectæ ſunt quinque Italorum peditum cohortes, quibus præfectus eſt Annibal Altempſius ſiue Amaſienſis. Cæſar interea cum de duarum ſororum nuptijs pertractatum eſſet à viris prudentia & autoritate præſtantibus, alteram Ioannã nomine Franciſco Hetruriæ principi Coſmi Ducis filio in matrimonio locat: alteram Barbaram vocatam Alphonſo Ferrarię Duci mortua prima vxore, cũ ambę virgines propter bonitatem morum & venuſtatem non vulgarem dignæ viderentur Auſtriaca ſublimitate & tantis principibus: quæ cũ magna & regia pompa ad maritos ſunt perductę, multis vndique & occurrentibus, & comitantibus inſignibus principibus Germanis & Italis. protractis illis comitiis ad ſeptimum vſq; idus Ianuarij,

1566

qui fuit anni ſequentis ſexti a partu Virginis poſt mille quingentos & ſexaginta, multiſque contentionibus excitatis, tandem diuino potius quam ipſorum patrum conſilio aut humana opera Michael Ghiſlerus monachus Dominicanus Buſchenſis, nam Buſcum pagus eſt non procul ab Alexandria palearia vrbe non ignobili Inſubrum, ordinis prædicatorum Pontifex deligitur, humili quidem loco natus, ſed vir bonus, & acerrimus catholicę religionis defenſor. Hic propter ſuam integritatem & bonitatem ingenij prius fuerat quęſitor hæreticæ prauitatis, & propter egregiè nauatam operam in eo magiſtratu dignus eſt habitus qui Nepetę epiſcopus crearetur, ac demum ob eximiam probitatem à Paulo quarto in purpuratorum ſacrorum patrum ſenatum cooptaretur.

Pius Quintus Põt. creatus.

coronatus eſt die decimo ab electione & Pius Quintus vocatus fuit. Hic ſtatim atque dignitatem pontificiam, imperiumq; ſuſcepit, omnia præclari & optimi pontificis dedit indicia, demonſtrauitque ſe ſolam prudentiam & probitatem & virtutes ipſas veram eſſe nobilitatem cenſere, quæ non in pręſtantia maiorum, aut in opulentia, aut in frequentia aſſeclarum, aut in iis quę ſunt extra nos, omnino poſita eſt, ſed in bonitate ingenij diuinitateque iudicij conſiſtit, quod omni vanæ inaniq; nobilitate ſine virtute longo ſpatio eſt anteferendum.

Leges anima ciuitatum. religio anima legum.

atque cum intelligeret ſolas leges optimas eſſe animam ciuitatum, legumque ipſarum animam eſſe religionem, cum omnes leges improbæ ſint, vel potius immania tyrannicaque mortalium dementię inſtituta, quę cum religione, cultuque diuino non conſentiant, maximè neceſſarium duxit in reformandis deprauatis moribus ciuium vt a ſacerdotibus, ſacriſque initiatis hominibus inciperetur. Nam ridiculum ſe præbet is, qui de ſobrietate & temperantia ebrius diſputauerit, cæteroſque ad ſobrietatem homines adhortetur, ſi in concilio ipſaque ſobria oratione forte vomuerit.

Pontificis reformatio.

Neque enim reliquos homines informare ad virtutem ille commodè poteſt, cuius domus multis vndique vitiis ſcateat. Idcirco primum omnium nouus Pontifex ſuos domeſticos ac familiares omnes ad ſe vocari iubet, atque ad ſanctitatem vitę, ad integritatem, ad innocentiam cohortatur in hunc modum.

Oratio Põt.

Si verè Chriſti imitatores eſſe volumus fratres cariſſimi, quales certè eſſe debemus, & iam ab incunabulis nos futuros profeſſi ſumus, neceſſe eſt vt omnia impura flagitia prius ex animis noſtris eiiciamus, habeamuſque contubernales ſimplicitatem, innocentiam, ſapientiam, mutuamque inter nos charitatem ac fraternam verè dilectionem, quę certe virtutes cum ambitione, auaritia, libine, odio conſiſtere non poſſunt. Atqui fruſtra recreati ſumus per crucem & ſanguinem domini noſtri Ieſu Chriſti, ſi ſolo Chriſtianorum nomine contenti nihil pręterea ad imitationem ducis & magiſtri noſtri ſapientiſſimi agamus, eiuſque ſalubres monitus, diuinaque pręcepta, & ſanctiſſima exempla negligamus. Enimuero ve-

reor fratres ne vel per hoc ipſum nomen Chriſtianorum diuinam potius indignationem in nos irritemus, omnemque Dei clementiam a nobis auertamus, quam aſſequamur aliquid commodi, ſi ſanctitatem integritatemque Chriſtianę & catholicę religionis cognoſcentes, illam tamen parui faciamus & negligamus. Quis enim ſeſe amicum eſſe alicuius principis profiteri audeat optimis eius inſtitutis conculcatis & pro nihilo habitis? aut qui Deum ita habuerit aduerſarium, quo pacto non infeliciſſimus eſſe poterit? Siquis eſt igitur Dei, religioniſque contemptor, aut ſiquis eſt qui ſalutem felicitatemque ſuam parui faciat, ille ne huiuſce ſanctę ſedis felicitatem euertat iram diuinam in ſe concitans, aut ne vrbem Romam aliquo ſcelere contaminet, ſcito ſibi quàm citiſsimè ex hac vrbe eſſe profugiendum: quia nemo me pontifice aut Deum impune contemnet, aut aliquod graue ſcelus committet. Neque vero ſatis eſſe ſibi quiſque veſtrum eſſe viro bono exiſtimare debet, niſi eandem probitatem in familia ſua eſſe procurauerit, cum nemo vel ſeruus vel amicus nefarius viro bono diutius placere poſſit, quare iure malus ſeruus mali domini ſeruus cenſeri debet, qui diutius illo vtatur. His auditis omnes pontificis familiares demiſſioribus ac lætioribus animis diſcedunt.

Veſtes laſciuæ depoſitæ a Sacerdotibus.

Sed quoniam omnis pompa & omnis veſtium magnificentia & nimius cultus corporis comites habent laſciuiam, ſuperbiam, cęterorum contemptum & effrænatam libidinem plerunque, mirifica prudentia pontificis & facilitate dexteritateque efficitur vt familiares paulatim omnẽ veſtium pompam magnificentiamque depoſuerint. Hanc veſtitus moderationem & inſtituta rerum familiarium, patres purpurati non inuiti ſequuntur: ex quo patuit omnium virtutum ac vitiorum rationes non aliunde, quàm è principum inſtitutis euenire. Illa poſtea morum ac veſtitus reformatio manauit ad Romanos etiam ciues & artifices, quod facile factu fuit, quia non ſolum oratione, ſed etiam exemplo pontifex ipſe demonſtraret hanc vitæ rationem optimo cuique ac ſapiẽtiſſimo eligendam eſſe.

Sui ipſius reformatio.

Nam a ſeipſo primum incipiẽs multos magnificos apparatus, multos ſeruos, multam victus magnificentiam tollit ad euertendam ambitionem, illaque omnia ſibi adimit, quę vulgus Illuſtria, magnifica, admirabilia exiſtimat, quęque inuidioſa potius imprudentibus & ſuperuacanea, quam neceſſaria pontifici viro bono præſertim videri poſſunt. Quippe cum beneuolentia populorum multo magis principes tutos faciat, quam vlla miniſtrorum copia & arma & bellici apparatus, quæ omnia magis ſunt tyrannorum quàm bonorum principum ſepimenta: atque magis neceſſaria illis qui ſe metui, quam qui legitimè dominari velint. Sed quoniam reliquę virtutes fingi poſſunt ab illis, qui videri cupiũt potius & dici, quã eſſe viri boni, omniumq; virtutũ propè index eſt lapis certiſſimus auri contemptus, & quędam in eo contemnendo animi celſitudo, quoniamq; nemo auarus alium iure eiuſdem vitij reprehenderit, pontifex primum ſe ipſum reformauit nõ ſolum ambitione, ſed etiam omni auaritia ex animo exterminata.

Omnium virtutum lapis index auri cõtemptus.

Primum igitur omnium Romanis minuit ſumptus & vectigalia: vniuerſas leuiorum equitum cuſtodias corporis dimittit, ne illis alẽdis non neceſſarijs tributis populos grauare cogeretur. Vectigal vini quadraginta aſſium in ſingulos cados grauiſſimum, quod a Pio Quarto fuerat excogitatum & impoſitum, perpetua lege ſuſtulit. atque non ex ipſis ſolum rebus, ſed etiam ex optimis reſponſis, qualis eius animus fuerit, licet cognoſcere, cum reſponſa plerunque ſint præclara animorum indicia non minus quam res geſtæ fortaſſe.

Pręclara Põt. reſponſa.

Nam epiſcopum proponentem quandam rationem colligendæ pecunię hortatus eſt ad probitatem, cum diceret, eccleſiam Dei magis viris bonis & moderatis egere, quàm auro. rurſus carpenti cuidam eius frugalitatem & perſimoniam, cum omnem exuperãtiam, vt diximus, ſibi amputaſſet atque ademiſſet, reſpondit, pompam ſplendoremque & epularum magnificentiã eſſe cõmunem viris bonis & malis. eſſe virorum bonorum magis animi magnificentiam his contemnendis exercere, quàm parandis, cum præſertim natura paucis ſit contenta. cum rogaretur à Pompeio Caſtrenſi vt confirmaretur ipſe Pompeius tormentarij negotij magiſter, ſicuti fuerat inſtitutus à Pio Quarto, Pontifex percunctatus eſt an calleret theologiam. cum diceret Pompeius ſe militem eſſe, at non theologum, ait pontifex non eſſe illum pontificis rationibus accommodatum, cum precibus & theologicis rationibus dimicandum ſit aduerſus hæreticos, at non tormentis, quæ nemini perſuadent. deinde cohortanti cuidam vt memor eſſet coniunctorum ſuorum, reſpondit ſe non fuiſſe aſſumptum ad eam dignitatem vel ſua vel ſuorum cauſa, ſed eccleſiæ Dei, & communis animarum omnium Chriſtianorum ſalutis. cum vero mos ſit per celebritatem coronationis vt noua pecunia in populum proijciatur, ſatius eſſe duxit vt ea erogaretur pauperibus in vnum locum coarctatis & ſingulatim poſtmodo exeuntibus. Iam vndique legationes ſeſe ad iter accingebant, quæ gratulatum pro noua dignitate a principibus mittebantur, & ad præſtandam de more obedientiã, cũ omnia Romæ plena eſſent inſignis lętitię.

Prodigia.

Sub idẽ ferè tẽpus quo põtifex creatur, Londini viſę ſunt duæ ſtellæ crinitę per meridiem quę ſolem ſequebantur, atque non ſine magno mortalium terrore dicitur viſa fuiſſe manus inſignis magnitudinis è nubibus erumpens, quę gladium intentãs ſolem verſus extenderetur. at vero quoniam bellici apparatus Turcarum inſignes fieri dicebantur quotidie, ita vt omnibus apparerent formidabiles, petitum eſt à Cæſare per negotiatores Philippi Regis, vt liceret colligere in Germania quatuor Regimenta Germanorũ peditũ, quod facile cõceſſum eſt. aliud ad Galathes, aliud ad litora Neapolitana, aliud ad fines & præſidia Inſubriũ miſsũ eſt. ſingulis regimentis colligendis miſſi ſunt Albericus Lodronius, Annibal Amaſienſis, Io. Baptiſta Arcuenſis, & Paris Comes, qui ſtatim collectis ac cenſis copiis in Italiam contendunt. Cæſar dum Auguſtæ tantis de rebus ægrè fert tarditatem comitiorum, & iam aduentaret carniſpriuium, multa ludicra celebrantur. Principes demum conuenire incipiunt, atque primus omnium Sennonum elector dux in itinere morbo correptus coactus eſt redire, pro quo Georgius filius & nepotes iuſſi ſunt eſſe apud Cæſarem in eius vſque aduentum. deinde aliis electoribus accedentibus cũ magna

pompa

pompa obuiam itum eſt ſigillatim à Cæſare honoris gratia. Cæſar in tanta rerum magnitudine à pontifice etiam ſubſidia petenda cenſet, quia non de imperio ſolùm, ſed etiam de Chriſtianorum omnium ſalute denique ac religione ageretur. idcirco Reumillerem Romam mittit ad imploranda auxilia, qui eodem tempore fungeretur officio gratulationis pro dignitate ſibi nuper delata.

Pont. auxilia miſſa Cæſari.

Pontifex quinquaginta nummûm millia in ſingulos annos promittit, atque dimidium ſtatim curat numerandum. multa conuiuia viciſſim fiunt Auguſtæ, tanquam ad ludicra quædam, at non ad reſiſtendum ingentibus copijs potentiſſimi & infeſtiſſimi Chriſtiano nomini Solimani conueniſſent; & ad libertatem, principatus, ſalutem ſuam, omniumque ſuorum defenſionem, quæ non prouocationibus poculorum, ſed armis & conſilio ſunt protegenda. ſed hæc videbantur poſſe fieri dum omnes principes ad comitia conuenirent. Cæſar interim ſuorum principatuum inueſtituram Lantgrauio Cattorum duci & purpurato Harudo per procuratores concedit. deinde abbati Chempteenſi, qui coràm illam accepit. cum omnes qui ad comitia expectabantur aduentaſſent, Cęſar nullum tempus amittēdū ratus ad oct. Cal. Aprilis congregatis principibus proponit imminentis belli magnitudinem.

Maximiliani cęſ. oratio.

Oſtendit quanti apparatus fieri dicerentur à Solimano, quantusque peditatus & equitatus colligeretur. & quòd quanto maioribus poſſet copijs ad obſidendam Iuliobonam in Pannoniam erat venturus, cum quingenta millia armatorum parari diceretur. quòd non de aliqua re leui tractabatur, ſed de vrbe ampliſſima domicilio Imperij ac metropoli eius regionis, qua capta iamiam omnibus finitimis vrbibus atque oppidis atrociſſimum & ſempiternum bellum imminebat. Agi enim in præſenti non tantum de Iuliobonæ captiuitate, quantum de regno totius Pannoniæ ſuperioris & inferioris, de quorū ſalute actum eſſet neceſſariò Iuliobona ſubiugata. Agi de finitimis vrbibus. Agi de totius Germanię denique libertate, de religione, de facultatibus, de laribus ac focis ſingulorum. Præſtare opem ferre dum hoſtis adhuc procul abeſt, ab horū principū finibus, quàm expectare vt de ſuis quiſq; dimicare cogeretur. Quę quidē calamitas omnib. Germanis principibus eſſet expectanda, ſi Iuliobona per inopiam ſubſidiorum in poteſtatem hoſtium veniſſet. Rogat hos omnes poſtremo vt obliteratis ex animo mutuis ſimultatibus ad extinguendum & auertendum commune incendium omnes concordibus ſententijs accederent, cum hoc periculum facile poſſet ob ſuam atrocitatem omnes priuatas diſcordias iure conſopire. His ita à Cæſare propoſitis Dux vindeliciæ Cæſaris nomine haſce conditiones proponit ſuæ petitionis.

Petitiones Cęſaris i[n] comitijs Auguſtanis.

Vt hæreſes omnes euellantur in pacis conditionibus contentæ, & quæ paci ipſi viderentur aduerſari. Vt auxilia ad Imperij conſeruationem aduerſus communem hoſtem fierent quadraginta peditum octo equitum millium in octo menſes: quorum auxiliorum poſtea dimidium in ſex menſes conceſſum eſt in ſex annos, quæ auxilia intelligeretur pecunia poſtmodo diſſoluenda in ſtipendia ab ipſo Cæſare pro opportunitate bellorum. Vt ageretur de reformanda Cæſarea camera Neomagi, vtque ea obſeruarētur quæ forent inſtituta. Vt ſtatuta monetarum curarentur ſeruari, & pax publica inter vniuerſos Germanos. Vt controuerſiæ quorundam principum de præcedentia componerentur. Vt imperaretur Finalis colonis, qui populi ſunt regionis Aemiliæ Cæſaris nomine vt arma deponerent, ad quod negotium vnus è conſiliarijs cum præfecto Tridentino mitteretur. Imperatum eſt etiam Cæſaris & comitiorum nomine Danię, Sueuorumq; regibus ſub grauiſſimis pęnis vt arma deponerent, atque omnibus imperatum eſt ne ferrent ſubſidia.

Edictum Cęſaris regibus obnūtiatum irā excitat.

Suetię rex, qui ſeſe Cęſaris arbitrio obtemperaturum promiſerat, vbi acquieuiſſet tentaſſetque diſcordias componere percepto illo mandato, obliterat ex animo omnem opinionem compoſitionis, quare ambo ad maiores bellicos apparatus faciendos animum conuertunt. Carolus Cęſaris frater archidux Poſſonij, quod eſt oppidum Pannonię, hac ipſa de cauſa habet comitia, in quibus Pannones non ſolùm omne genus auxilij Cęſari promittunt, verum etiam ſeipſos vltro venturos ad illud bellum profitebantur; ſi Cęſar, aut aliquis è fratribus aduentaret.

Iuliobonæ comitia.

Poſtea itum eſt Iuliobonam ad comitia, in quibus decretum eſt vt pro ſingulis domibus ſingulatim totidem floreni, quod eſt genus pecunię, diſſoluerentur in ſumptus bellicos. Vt quicunque eſſet nobilis, cuiuſque prouentus accederet ſaltem ad centum florenos, ille ſuis ſumptibus equum alere teneretur in bellicam opportunitatem. Vt operę Iuliobonam mitterentur ad extruēdas munitiones. Vt nemo ſeruum caperet, cuius ratio anteactę vitę eſſet ignota, niſi prioris domini accepto teſtimonio. Vt è ſingulis familijs quintus, decimus, trigeſimus ad bellum exiret. Vetitum eſt in omnibus Auſtrię, Marcomanorum, Pannonumque finibus, nequis externa ſtipendia mereretur.

Edictum de annona.

Fit edictum Iuliobonę vt omnes ſibi annonam in annum compararent, quod qui facere non poſſet, excederet ex vrbe. ſolutis Auguſtanis comitijs conceſſę ſunt cum magnifica pompa, vt fieri conſueuit per huiuſmodi opportunitates, inueſtiturę ſuorum principatuum Germanis principibus.

Inueſtituræ cōceſſę Germanis.

Acceſſerant & legationes Heluetiorum ad confirmanda priuilegia. & poſt modo ſubditi marchionis finalis, qui inſtabant Cæſari vt à marchionis imperio liberarentur. acceſſit & Gulielmus Gonzaga Dux Mantuanus, & paulopoſt Emanuel Philibertus dux Allobrogum ad offerenda Cæſari auxilia, & petentes vt decideretur controuerſia, quam habebant de Caſalis & Montisferrati principatu. ſed quoniam de religione controuerſia nimis eſſet difficilis, & quę difficultates huiuſmodi temporum non poſtularet, res dilata eſt in aliam meliorem occaſionem, iuſſaq; ſunt arma & copiæ ad inſtans bellum comparari.

Caniſia munita.

Quæ dum agerentur in Auguſtanis comitijs, Caniſia oppidum Pannoniæ diſtans à Metubarri circiter triginta milliaria ſumma diligentia munitur. Illi muniendæ præerat dux quidam cum octingentis peditibus Pannonibus, à quo non procul diſtabat filius Serini comitis cum magna & expeditiſſima ala equitum. Solimanus item Byzantij apparatus bellicos ſingulari diligentia procurare. omneſquotquot commodè poſſet non ſolum terreſtres copias, ſed etiam ingentem claſſem inſtruere. vndique remiges Byzantium & in minorem Aſiam acciri iubere.

bere. ſupremæ autoritatis purpuratus inſtare artificibus in nauali cum purpurato rebus maritimis
præfecto. Nam Solimanus non erat niſi inſtructa claſſe Byzantio exiturus. nauim actuariam & duas
mahonas campeſtribus tormentis currulibus, & multo ferro laborato ad multa artificia, & globis
ferreis, & aliis bellicis apparatibus onerãtur, quę per Danubium ad caſtra conueherentur. Iubentur
omnia Turcica nauigia bellica per Danubium nauigantia Taurumnum conuenire. conceditur li-
centia Ianizzeris de more per has opportunitates, vt equos capiant vbicunque inuenerint. Solima-
nus iubet proponi ſuſpendii ſupplicium niſi omnes copię conueniãt Byzantium ad ſeptimũ Cal.
Maii. iubet quantum fieri poſſit copiarum Georgianorum conuenire, qui ſunt populi agreſtes ſa
ne feroces Armenię finitimi. Iubetur Ferratus purpuratus Curtenſis caſtra cum Tranſyluano cõiun
gere. Schander purpuratus præficitur Byzantio. Selimus ſimulato metu & trepidatione ob bellicos

*Solimani apparatus bellici.*

motus regis Perſarum in iis finibus cum quadraginta millibus equitum relinqui procurat cum im
perio rerum bellicarum ad illos fines tutandos. Mahometus vir callidus & gnarus qui eſſent dome
ſtici & participes conſuetudinis imperatoriæ, cum omnia prope ſint venalia apud Turcas, quamuis

*Omnia venalia apud Turcas.*

putabatur fore priuatus à præfectura Nicomedię, tamen per largitiones purpuratis & Solimano ſi-
bi conciliatis ſufficitur in Memphiticam præfecturam: qui vt ſtudere rebus imperatoris, videretur,

*Mahometti artes.*

deoſque ipſi imperatori conciliare propitios, cum iubeat lex Turcas omnes à vino abſtinere, vt di-
ctum eſt, curauit ibi vt omnia vaſa vinaria infringerentur, prȩter illa quæ eſſent in cornu Byzantii ſi-

*Vinũ vetitũ.*

qua reliqua eſſent inuenta. atque nequid contra leges ſuas ſacras commiſſum diuinam indignatio-
nem prouocaret in Turcas, proponit capitale ſupplicium denuo vinum bibentibus vbique præter
quam in cornu Byzantii. ſed quia mortuo Valettano magiſtro militiæ atque ordinis Melitenſis vi-
ro ſummę virtutis, vt diximus, ſuffectus fuerat Petrus Montius vir Gallus, ille ſingulari vigilantia
curat Melitæ munitiones inſtaurari; quia verebatur ne tota vis belli Turcici in illam inſulam con-
uerteretur, quamuis appareret minari Pannoniæ finibus, Vrbs vetus Melita deſtituta eſt, atq; no-
ua extructa in eo dorſo quod protẽditur erga Diui Hermetis munitionem cũ vtrinque mari clauda
tur, neque eſſet niſi per longum pontem acceſſibilis, quæ propè inexpugnabilis videri poſſit. inuen
tus eſt fons aquæ dulcis in iaciendis fundamentis ſane abundantiſſimus. contulerunt multam pecu
niam in ſumptus munitionis Pontifex, & Philippus rex & Luſitanus, cum ſit validiſſimum propu-
gnaculum nunc habendum Chriſtianorum aduerſus barbaras & imm anes nationes. & quoniã in
terra Florida vocata, munitionem Baomam Galli poſſidebant ad tria millia paſſuum diſtantẽ à ma
ri, ibi duo erãt tribuni Galli, qui regioni imperabãt Laudamirus & Io. Ribaultus, illi quia regio ferti
liſſima & ſalubris viſa eſſet, decernunt communi conſilio coloniam eo deducere, quamobrem Ri-
baultus, & regulus hoc cõſilio traiecit in Galliã relictis omnibus Laudomiro pſidiis. obtinet à Gallo
Rege poſſe deducere coloniam in quam aſcripti ſunt & capitis condemnati, & qui ob ęs alienum ſo
lum verterent, & milites, & artifices variarum artium, qui omnes ad Dioppam, is eſt portus Hor-
maniæ, ſeptem ingentia nauigia conſcendunt, erant ad quinque millia hominum & pueri ac fę-
minæ & tormenta, qui cum ad Cal. Iunias conſcendiſſent idibus ſextilis ferè in inſulam perueniũt.
magna exceptæ ſunt cum lętitię ſignificatione, atque cum è quatuor omnia exportata fuiſſent, tria
iuſſa ſunt ad fluuium nauigare, ad quæ vbi acceſſiſſent forte quinque Hiſpana nauigia per ſimu-
lationem amicitiæ, ac lenitatem verborum, & obſcuram noctem repente Gallicana nihil tale ex-
pectantia tormentorum globis petunt, ſed cum fuga vix poſſent Galli ſeruari tanta exorta eſt repen
te tempeſtas maris vt Hiſpani magis de vita quam de inſequendo Gallo cogitare coacti ſint. diſrup-
ta ſunt tamen Gallica nauigia & Ribaultus, cũ ſuis qui erant ferè octingẽti ſeruatus ex vndis ad mu
nitionem contendit. cum ad fluuium Delphinum nomine acceſſiſſet rapidum & amplum, vix eũ
inuentis lintribus traiecit, miſſis prius duobus nuntiis ad vlteriorem ripam, vbi erant ad centum
& viginti Hiſpani armati, rogatum vti tantarum miſeriarum Chriſtianorum miſereantur, quos
placide traiicere paterentur. Hiſpani data fide hos ſinunt traiicere inermes & afflictos. at vbi tra-
ieciſſent omnes per ſummam perfidiam & crudelitatem ſunt trucidati. vnum fuiſſe reliquum di-
cunt Chriſtophorum Bertonem qui parum credens Hiſpanorum fidei noluit ſe credere aut fluuiũ
tranſire, qui vidit in vlteriore ripa illos & trucidari, & abſciſſa capita ſariſſis infixa extolli tanquam
honorificentiſſima trophæa, quod vbi rediiſſet Diepam Normaniæ non ſine lacrymis narrauit. per
idem fere tempus Monluchius regulus eius filius, qui erat cum poteſtate proregia in Sequanis ca-
ptus deſiderio ampliandæ regiæ ditionis in nouis Indiis ad occaſum collectis mille & ducentis
Gallis communibus viribus cum fratre & regulo Pompadorio tria inſignis magnitudinis nauigia
armat multis & bellicis tormentis & bellico apparatu, multumque commeatum imponit. captum
eſt iter Grineam verſus, ſed poſt multorum dierum nauigationem ita inuaſit perturbauitque maris
tempeſtas, vt ad Maderam denique peruentum ſit. vbi maxima copia cannarum ſacchari naſcitur,
quod etiam vulgus Maderę vocat. peruenit huc Monluchius eò conſilio vt ad Guineam penetra-
ret ad litora oceani Aethiopiam verſus, quæ eſt ſub zona terrida. eò putat ſe poſſe facere deſcenſio-
nem & aquari pro amicitia Gallorum cum luſitanis, quare il lud petitum mittit. at Luſitani pro
reſponſo arma capiunt, glandiumq; frequenti procella vulnerant. illam iniuriam, vel potius inſo-
lentiam Monluchius non ęquo animo ferendum ratus eductis ſuis copiis in vrbem vnde egreſſi
fuerant Luſitani progreditur ad eam expugnandum. egreſſos ciues iubetur frater per aliud iter à
tergo adoriri cum pugnam iniiſſent, quare circumuenti à Gallis ad vnum ferè trucidantur. extra-
ctis deinde tormentis vrbs concuſſa captaq; eſt, & vniuerſa inſula in poteſtatem Gallorum redacta.
ſed cum Monluchius glande transfixus paucos poſt dies deceſſiſſet, reliqui Galli de vlteriore naui-
gatione minime ſolliciti in patriam mœſti reuertuntur. Tranſyluanus, qui hortatus fuerat Solima-
num

num ad illam expeditionem. ſciebatque illum eſſe venturum, non modo faciebat ingentes bellicos apparatus dum fierent Auguſtana comitia, verum etiam ſollicitabat per literas animos Pannonum ad ſuas partes amplexandas, qui etiam ad omnes ordines literas dedit huiuſmodi, Ioães ſecundus Dei gratia electus Hũgariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex. Præſtabiles, magnifici, egregii nobiles nobis ſincere dilectis ſalutem, & gratiæ noſtræ erga vos beneuolam oblationem. Potentiſſimus Imperator Turcarum benefactor noſter clementiſſimus per literas per præſtantem Guiſum & legatorem ſuum proximè ſerio nobis mandauit vt vniuerſos ſtatus & ordines regni Hungariæ ad fidem & obſequentiam nobis præſtandam beneuole hortaremur. Pergratum enim ſibi videri ſi mutuam inter ſe Hungari concordiam amplecterentur, & eam conſtanter fouerent, ac obſequẽtiam in nos paribus notis conteſtarentur. Inde enim afflicti regni Hungariæ publica conſeruatio & ſtatuum & omnium ordinum quies, & tuta cuique in ſuis ſedibus permanſionem, regeret. neque magnitudo illius toties inſtituere copias militum, phalanges conſcribere ad bellum, expeditionem tantis ſumptibus mouere, nec tam laborioſa, tamque longa itinera ſuſcipere cogeretur. Mandat autem magnitudo illius reſipientiam mature fieri oportere, antequam ipſe in perſona ſua citra fines Hungariæ cum ſuis copiis penetret, ne dum Cæſaris perſona mouerit, & vires illius intra viſcera regni curſitabunt, fruſtra ſalutem meditentur. Nos igitur pro functione noſtra & propenſa beneuolentia, qua in publicum bonum afficimur & Hungaros noſtros tueri, ac ruinam publicam propulſare nitimur de mandato benigno ipſius Imperatoris potenſſimi reſpondere volentes hortamur clementer & officioſè vniuerſos & ſingulos ordines & ſtatus ac vniuerſitatem quoque nobilium ipſius comitatus veſtri, vt tanta dei benignitate, vt par eſt propenſa, quam per ſummum monarcham toto orbe potentiſſimum vobis offerre dignamur. ſimul etiam bonum publicum & conſeruationem regni, perſonarum veſtrarum, liberorum, familiæ, & cunctorum ad vos pertinentium. Tutam item & ſecuram in ſedibus veſtris quietem ob oculos habentes iam tandem reſipiſcite. capeſſite tempeſtiuè nobiſcum remp. & dum licet liberis veſtris factisque rebus communis patriæ ſuccurrere, eam ab imminentibus potentiſſimi principis copijs obſequentia & fide veſtra erga nos propugnare, hoſtilia bellorum molimina & iniurias barbaricas euitare ſatagite. Quantum ad nos, ſolitamque clementiam noſtram erga vos attinet, dabitur opera ne vel hoc tempore noſtri diſſimiles iudicemur. Immo quoque apud potentiſſimum imperatorem noſtrum, patriæ veſtrum, & afflicti regni noſtri Hungariæ ſalutem totis viribus promouere firmareque ſtudebimus, nihil præter mittentes, quod ad concordiam Chriſtianorum, & patriæ ſubditorum ſuorum amatoris principis munus attinere cenſebitur. cum autem certæ ac arduæ cauſæ inſtent, de quibus vos cum fidelibus noſtris dominis regnicolis conferre & decernere oporteat, ob hoc cõmunicatis conſilii cũ dominis conſiliariis, aliiſque præſtantibus viris nobiſcum exiſtẽtibus ſtatuimus fidelibus noſtris dominis regnicolis Hungariæ, & vniuerſitati trium nationum Tranſyluanicarum ad dominicam reminiſcere nunc venturũ in oppido noſtro Thorda partialia comitia indicere, & ex vſu publico de cunctis negotiis imminẽtibus deliberare, ac vt ſumptibus parceretur, de ſingulis comitatibus quatuor præſtantes viros cum plena informatione eo tranſmittendos eſſe. proinde vos harum ſerie beneuolè hortamur vt viſis præſentibus ſtatim potiores perſonas, fratresque veſtros ex illo comitatu deligere, & eos ad præſcriptam dominicam reminiſcere cum plena inſtructione & autoritate concludendi ad ipſa comitia Thordam mittere debeatis. cum quibus præſentibus ibidem, alijſq; noſtris fidelibus regnicolis de inſtantibus & per neceſſarijs regni noſtri rebus & negotijs pro dignitate noſtra & conſeruatione regni noſtri vtiliter conferre & decernere queamus. Secus igitur patriæ conſeruationi conſulere volentes non feceritis. datæ in ciuitate noſtra Alba Iulia anno. 1566. Sic enim Ioãnes à Solimano rex appellatus Pannoniæ cum ad pedes Solimani confugiſſet, opemq; imploraſſet quod eſſet è regno eiectus, per literas primum tentauit animos Pannonum ad ſe in regnum accipiendum adhortans & impellens. Nam Solimanus partim vt deleret anni ſuperioris infamiam contractã ex inſula Melita fruſtra tentata præter fortunam Turcicam multorum annorum feliciſſimam, partim quia Maximilianus delectus Imperator ſtatim illi tributum a Ferdinando concedi ſolitũ dare negaſſet iratus, nam inter arma illud poſcebatur, partim quod ſollicitabatur Ioannis Regis ſupplicis lacrymis, Regis & amici appellati, cuius Cæſar præter alia caſtella Riſpiam citra Danubium & Tattam eximias munitiones extorſerat, & iam ad obſidionem Strigoniæ ſe accingebat, cum non ſit Ottomanicæ conſuetudinis vel dignitatis quenquam deſerere, qui ſemel in fidem, amicitiamque acceptus fuerit, ita arma mouebat. Ad illud etiam bellum incitabatur Solimanus à ſuis proceribus, qui ſe aliquam dignitatem aſſecuturos ſperabant, cum nemo differat à cæteris inter Turcas, niſi differentiã faciat ſpectata virtus, ac dignitas per virtutem bellicam acquiſita. illarum literarum Ioannis Regis cum rumor ad Suendium perueniſſet, exemplaque fuiſſent allata, ad vniuerſos proceres Pannones literas conſcribit. Prohibet Cæſaris homine nequis ad illa comitia accedat, aut mittat, omniaq; commercia cum Tranſyluano deuitari iubet ſub pęna læſæ maieſtatis, & iacturę omnium bonorũ: atque literæ Suendij fuerunt huiuſmodi: Egregij domini amici honorandi, ſalutem & omnem beneuolentiam. Iam è pleriſque comitatibus ſunt ad nos miſſę literę principis Tranſyluaniæ plenæ ſpecioſis prætextibus & fucis, quibus conabatur fideles ſubditos ſacrę Cæſareæ regięque maieſtatis terrere. Quaſi videlicet Turcarum Imperator de Hungarorum ſalute & conſeruatione eſſet ſollicitus, cum iam à centum annis ille & ſui præceſſores nihil magis elaborauerint, quam vt præſtantiſſimum hoc regnum funditus euerterent tam vi & armis, quam internis inſidijs & doloſis practicis. Et quamquam non dubitamus vos huiuſmodi impoſturas pro veſtra fide & prudentia, & pro magnitudine imminentis periculi facile conſiderare, & detegere poſſe, tamen etiam hiſce noſtris lite-

ris

Literæ trãſyluani.

Cauſæ Solimanũ adhortates ad bellũ Pannonicum.

Literę Suendij.

ris vos monendos duximus vobis ſignificantes quòd Cæſarea Maieſtas hactenus nihil magis quàm pacem cum Turcis & præcipuè Tranſyluauo quæſiuerit, quæ etiam cum Turcis conſtitiſſet, niſi calumniis & peruerſis inſtigationibus prædicti principis Tranſyluaniæ fuiſſet impedita; cum tamen ſua Maieſtas etiam hac hyeme tanta ſeueritate inducias ſeruari voluerit, & expugnationem negligere, ut communi tranquillitati huius afflicti regni poſt habendam duxerit. Interim tamen ſi pax non poterit habere locum, pro qua etiam nunc tractatio cum Turcis intercedit, non dubitare debetis quòd ſua Maieſtas res ſuas & protectionem ſuorum fidelium ſubditorum negliget, neque illi auxilia & vires Imperii, & multorum aliorum principum Chiſtianorum deerunt. itaque bono animo & confidenti vos eſſe conuenit, & de veſtra fidelitate & bono ſtudio erga principem & patriam communem cariſſimam nihil remittere. cumq; iuſtum bellum ac neceſſarium geramus, atque pro religione, aris, & focis pugnemus, omnino confidendum eſt Dei potentis nobis auxilium non defuturum, & manebunt ſectatores Turcarum & autores horum malorum ſuæ pœnæ, ſicut omnes qui hactenus Turcarum armis & auxilio ſunt confixi, mrabilem tandem exitum habuerũt. omnino autem ex parte Cæſaris vobis mundamus, vt cum principe Tranſyluaniæ nullam communicationem habere, nec ad congregationem illius mittere debeatis. nam alioquin etiam pœna infidelitatis vobis inurenda, & ſuo tempore haud dubia ſuſtinenda eſſet. Secus, non facturi bene valete. datum ex Hunguare quarto die martii anno. 1566. ſacræ cæſareæ regiæq; Maieſtatis capitaneus ſupremus, & conſiliarius Lazarus Suendius. Quæ dum fiunt in Pannonia, Moſchouitæ perpetuis incurſionibus Liuonum ac Lituanorum fines deuaſtant, qui ſuas querelas ad Sigiſmundum Poloniæ regem deferentes vltro promittunt triginta millia peditum, & quadringenta millia florenorum, ſi ipſe velit ad bellum aduerſus Moſchouitas exire, fortunamq; belli experiri, vt aliquo pacto perpetuis finitimorum hoſtium moleſtiis liberaretur. in Italia Pontifex. quia verebatur ne Turcica claſſis Melitam inſulam denuo inuaderet, colligit conſcribitq; Romæ tria millia peditum ad præſidia eius inſulæ; ſed poſtea cum nuntiarum eſſet Solimanum claſſem eò non eſſe miſſurum, ne loca bellicis apparatibus munita exinaniret, Pialimq; cum octoginta triremibus exiturum ad infeſtanda Calabriæ, Apuliæ, Hetruriæ, Liguriæq; litora, & ad inſulas vſque Baleares, pedites illi ſunt dimiſſi. Pontifex animum deinde conuertit ad res vrbanas. condemnationem Carafarum reſcindit. reuocat quæ aduerſus illos à Pio Quarto facta fuerant. iubet Carafica inſignia erigi, vbi fuerant deuaſtata. imperat reuocationem fieri ſententiæ & condemnationis, ſed ex ea parte tantum qua videbatur infamia in innocentes aut poſteros redundare. quam ſuam ſententiam iubet in marmore inciſam publicè exponi. quod quidẽ rectè fieri viſum eſt à tam pio pontifice præſertim. non enim fieri poteſt vt in ampla quamuis vt nobiliſſima familia, omnes ſint viri boni, neque tamen cõuenit ſceleſtorum errores in viros bonos Carafas immeritos redundare: cũ fieri poſſit in vna quaque familia, vt multi ſint viri illuſtres, quorum ſplendorem & gloriam vnus impurus nõ poteſt obſcurare. Fuerunt autem huiuſmodi, quæ carafę purpurato obiiciebantur crimina; Quod ſceleſtè vixiſſet uel antequam eſſet in ſenatum purpuratorum antiſtitum cooptatus. Quod Beneuẽti, quę vrbs eſt Hirpinorum, ob trecentos Philippæos flagitium commiſſet nefandum. Quod improbè vixiſſet purpuratus. Quod in Dominicum virum è clariſſima Maximorum familia immane ſcelus commiſiſſet. Quod Fumantiũ ſutorem & Marcelũ Capeccium trucidãdos curauerit Quod autor extitiſſet & conſultor vt vxor Palianii Ducis cum fętu necaretur. Quod multos viros innocẽtes per ſummã iniuriã vinctos & pro precio ad tranſtra trahi iuſſiſſet. Quod autor belli & diſruptarũ induciarũ inter Hiſpanos & Gallos per Pontificem fuiſſet. Quod Pontificem & Gallorum regem fraude circumueniſſet, vt exercitus duceretur in Italiam. Quod procurauerit Pontificem & Card. deſignari nouos viuente adhuc Pontifice. Quod ſtuderit ciuitates ab apoſtolica ſede alienari, Bononiam, Rauennam, Vetanum, Cẽtum cellas, Peruſiam, Nepetam, & Feſceniam oppidum, ſine ciuitatem Caſtellanam: Quod inſtiterit Turcicæ claſſi vt veniret ad deuaſtationem Italiæ: quod hęreticis fidem dederit ſe complexurum illorum partes aduerſus Cæſarem. Quod ſtipendia militibus pontificijs ſubtraxerit. Quod falſas mendaceſque rationes in ærarium pontificium detulerit. Quod pacem fieri vetuerit, neque tulerit ad Pontificem oblatas ab Hiſpano rege conditiones. Quod Pontificem deceperit, cum inſcio pontifice proprio nomine negotiatus ſit cum Hiſpanis, atque Palianum & principatum promiſerit Philippo Regi. Quod vel profugus ab vrbe cõditiones has pertractauerit contra pontificis ſententiam atque ipſo pontifice inſcio, procurraritque ne id ſcire poſſet põtifex. Quod cum miniſtris Cæſareis de criminibus tranſegerit initio pontificatus Pauli Quarti, vt Paulum in Cęſarem miniſtroſque Cęſareos incitaret. Quod falſos teſtes induxerit, & poſt dicta teſtimonia curarit vt caput illis per iudicia abſcinderetur. Quod de quibuſdam criminationibus tranſegerit Galleſij cum pontifice aduerſus M. Ant. Columnam & Dominicum Maximum. Neque vero multo minora fuerant quæ obiecta fuerant crimina Neapolitano Card. Quod pecuniam, horologia, ſupellectilia precioſa viuenti Paulo Quarto & poſt mortem ſurripuiſſet, cuius domi multa inuẽta ſunt. Quod cum monitorium factum fuiſſet publicè ſiquis haberet pontificiam ſupellectilem illam aperiret ſub grauiſſimis pęnis, non modo non reuelauit, ſed etiam alios volẽtes id facere deterruit, quare incidit in pęnas monitorii. Quod ſchedulam falſam oſtenderit, per quam inſtituebatur diploma fieri, quod conſignatum fuit ſub annulo pontifici ſurrepto inſcio pontifice. Quod iniunxerit ſigillum pontificis cuidam conceſſioni ſpoliorum ad gratiam purpurati Piſarum inſcio pontifice, quodie pontifex perierat. Quod die mortis ſupplicantia ſcripta conſignauerit, vacantiaque munia conceſſerit per propriam ſubſcriptionem ſuis ſeruis, cum tamen pontifex ſuſpẽſiones miſiſſet, vt ea ſuis domeſticis aſſignaret. Quod eius domi libri interdicti & hęretici inuenti ſint. Quod induxerit legatum

Liuonũ & lituanorũ promiſſa Polono regi contra Moſchouitas.

Caraficę familię īfamia deleta.

Carafę purpurato crimina obiecta.

Card. Neapolitano crimina obiecta.

tum pontificium contraria referreatque iuſſus fuerat Philippo Regi de rebus publicis. Quod conſcius conditionum factarum cum Carolo Carafa quondam purpurato legationem pōtificiam induxerit, ne illas pontifici reuelaret. Quod mortem vxoris ducis Palianii prægnantis vna cum Ioanne Nepetenſi & eius marito celerius committi curarit. Sed illud reuocatum eſt à pontifice ad delēdam infamiam Carafarum, propterea quòd ipſe à Carafa fuiſſet in ſenatū cooptatus, purpureoq; galero inſignitus. mox ad hæreticam prauitatem inquirendam, & tāquam noxium malignumque humorem ab eccleſia tollendam ſe conuertit. quod cum Romæ curaretur, nuntiantur exules, qui multa damna Aſculo intulerant adeo creuiſſe adeoque auctam eſſe illorum audaciā propter impunitatē, vt multa caſtella occupauerint, quæ cædibus & direptionibus populati eſſent. nā multi maleſici homines vel non exules ſpe prædæ in exulum caſtra quotidie accedebant. Illud malum ne diutius ſerperet latius, vir ſtrenuus & rerum bellicarum peritiſſimus Torquatus Comes ciuis Romanus miſſus eſt cum ſummo imperio illius expeditionis ad eam peſtem conuellendam. Torquatus collectis mille & quingentis peditibus, & non parua ala leuiorum equitum contendit ad frenandā exulum temeritatem, regionemque liberandam. eò cū copiis profectus incredibili celeritate res exulum affligit. minutis prælijs pugnatur. in anguſtum reducit. commiſſo cum his prælio partem trucidat, partem cogit fuga ſalutē ſibi procurare, & in longinquas regiones profugere. Sic non modo metu regionem liberat, verumetiam omnem ſpem reditus exulibus intercludit. omnem incolarum moleſtiam deleuit. His de medio ſublatis vt æquitatis officia exercerentur, & quiſque pro dignitate iura conſequeretur, neque cuiquam propter imbecillitatem aut inopiam fieret iniuria, Pontifex ſtatuit omnibus ferijs publicè pauperibus tantum audientiam concedere, quibus diebus nemo vel publicus vel priuatus nobilis aut inſignior ad pontificem admittebatur. Ibi ſedere immobilis ad horas decem plerunque conſueuit, ſæpius pronus ad audiendos loquentium ſermones. Atque hæc cauſa fuit vt omnes iniuriæ tanquam nubes ab Aquilone diſpellerentur, quas quiſque tāquam ad aures eius pontificis venturas deuitabat, qui multa ſeueritate vtebatur. Sic vel coacta nata eſt inter omnis conditionis ciues innocentia & concordia. Quare facile apparuit in vnius principis ſapientia, moderatione, rectoque conſilio poſitam eſſe omnium gentium, populorumque ſubditorum vniuerſam felicitatem; cum optima principum ſummorumque magiſtratuum inſtitutio, optima ſit lex & viua & maximè efficax ratio ad ciues rectè inſtituendos. Nam ſummi magiſtratus & reges vel cum omnium ſubditorum felicitate ſapiunt, vel per ſuas, alienaſque calamitates & ruinas deſipiunt: quoniam iniuſti aut imperiti principes earum rerum, quas ſcire oportet, non ſolum ſubditorum populorum odia in ſe conuertunt tanquam Cæcias nubes, verum etiam diuinam Dei indignationem. Cum verò legationes ab Alexandria Palearia Romam gratulatum conueniſſent pro fauſta ſui pontificis electione, per eas multis precibus impetratur denique vt pontificis nepos eiuſdem nominis in ſacrorum patrum purpuratorum ſenatum cooptetur, quem ſuo galero inſigniuit. cum animaduerteret eum magiſtratum, qui nulli reddendæ rationi ſuarum adminiſtrationum ſit ob noxius, abſolutiſſimam & nefariam eſſe tyrannidem, renouat edictum Pii ſecūdi, decernitque vt omnes Romani magiſtratus ſyndicatui ſubiiciantur. Neptem in matrimonium dedit poſtea cum dote duorum millium nummum. nam initio pontificatus viſus eſt omnes diuitias ridiculas cenſere, & tanquam picturas aut ludicra, quæ nihil omnino conferrent hominibus ad probitatē ac animi magnitudinem, præter illud quod ad neceſſarios vſus vitæ requiritur, quod ſanè eſt per exiguum quiddam. nam quibus mediocres opes non ſufficiunt, neque ampliſſimæ quidem ſatis vnquam facient, cum pro diuitiis & opulentia ſemper fere curæ & ſollicitudines & animi perturbationes & deſiderium ampliandi & timor amittendi augeatur. Noluit nepotibus fratribus recentis Card. opulentiſſimas mulieres nubere, ne pro diuitijs cogerentur paulopoſt ſeruire ſuperbis vxoribus; quoniam vix paucæ commodè ſunt & ſine controuerſia nuptiæ, quæ fiunt inter pares, nedum inter plurimum differentes. In Inſubria interea aucta eſt mira quædam publicorum latronum & craſſatorum copia atque crudelitas, cum multi Mediolani clam trucidarentur, neque ſciretur cauſa cur quiſquam horum, aut à quo fuiſſet occiſus. Sed tamen ſenatus Mediolanenſis, & Gabrielis Cueuæ præfecti diligentia efficitur vt omnis ea immanitas latronum breui extingueretur, cum diris & inuſitatis ſuppliciis in nonnullos ſit animaduerſum. At vero in Scotia, quod regnum eſt in mari Atlantico, diuiditurque à Britannia flumine Tuedo, magni excitantur tumultus de religione, cum magna pars procerum eius regni grauiter ferrent reginæ catholicæ fæminæ imperium, atque cuperent Iacobum ſpurium ſuis moribus informare, præficereque cum imperio. erant coniurationis principes opibus, potentia, autoritate inſignes Montonus olim regius conſiliarius ac Reuenus Linzeus; qui comitiorum tempore cum iam finis inſtaret, quæ habebantur Alatis Caſtris de rebus Scotenſibus religionis reformandis, multos exules armatos occultant, qui diu exulabant in Britannia rei læſæ maieſtatis. Hi ſibi adiunctis quibuſdam hæreticis qui erant in Scotia, cum per illa comitia regina & ſpurius nihil ſibi timerent ab inſidiis, poſt cæ, nam in regium cubiculum armati repente irrumpentes reginam & regem ſpurium cum fæminis regiis adoriuntur. Danidum Cariciolum à ſecretis profugientem quaſi auxilii cauſa ad ſtatuam antiqui principis per vim & violentis manibus diuellunt, ante foreſque regii cubiculi extractum crudeliſſimè trucidant tot vulneribus, quot eſſent, qui irruperant. omnes enim hi flagitioſi homines ſtuduerunt ſe pari ſcelere contaminare, & in eodem ſanguine manus intingere. fuerunt enim quadringenti, qui accepto regio pugione quamuis mortuum illum confoderint, cum ſibi turpe eſſe quiſque putaret, ſi expers fuiſſet eius cędis. Boduellus, Hunthæus, Atellus amici ac miniſtri regii in pari periculo conſtituti viſo furore conſceleratorum, ſeſe funibus è feneſtra demittunt, at-

que

Aſculi exules profligati à Torquato Comite.

Audiētia pauperibus conceſſa.

Principis bonitas quanti ſit.

Syndicatus inſtitutus.

Auaritiæ fructus.

Siccarii Mediolani ſublati.

Scotiæ ſeditiones de religione horrendę.

Regina Scotię capta.

que ita periculum deuitarunt. coniurati cognita horum fuga paulopoſt ſupplicium occultantibus minitantur, ac reginam in cubiculum intrudunt. octoginta armatos ad eius cuſtodiam ſtatuunt. biduum clauſam tenent. Nihil eſculentum admitti iubent priuſquam perſcrutarentur an in ijs occultaretur quid inſidiarum aduerſus illos. Regem adoleſcentulum abducunt. conantur per blanditias & aſſentationes perſuadere ut illorum conſiliũ conſequeretur.

Iacobus ſpurius tentatur ad nouã religionem.

id ſi fecerit, promittunt futurum eſſe vt ipſe pro regina regnum teneat. ſeſe iſtud agere multis honeſtis de cauſis profitentur. Vt reuocentur ipſi ab exilio, quia grauiſſimè ferrent patriæ iacturam, & priuationem tam leui de cauſa, & tam honeſta, quia patrię libertatem procurauerint. Vt ſiquid erraſſe tamen uiſi ſint, illud totum peccatum condonetur. Poſtremo ut interdicatur omnibus ſacris petunt, atque exterminentur ſtudioſi antiquę & catholicæ religionis. Iſtud autem fieri non poſſe commodè demonſtrant, niſi Iacobi ipſius nomine noua comitia indicantur, in quibus adimatur autoritas reginæ, atque illi certus locus pro exilio aſſignetur. Poſtea regio Iacobi nomine excluſa regina voce præconis, & tubicinis indicuntur noua comitia.

Religio catholica è Scotia eiecta.

Reſcinduntur, antiquantur, & euertuntur vetera inſtituta ſpectantia ad religionem. catholicæ religionis ſtudioſi iubentur excedere ex illis finibus, & omnes familiares regii, propoſito capitis ſupplicio non excedentibus. ob hæc tam noua, tam atrocia, tam immania facinora, & inſtituta ſenatores ſtudentes regiis partibus paulatim abeunt curiam uacuam deſerunt. nouum regem deteſtantur nolentes affirmare, quia regina fœmina uideretur digna non quæ abdicaretur à regia adminiſtratione, ſed quæ aſciſceretur, ſi non adeſſet, ad gubernacula rerum publicarum, & quæ pro ſuis ſingularibus uirtutibus immortalitati conſecraretur. neque enim fieri poteſt vllo pacto, vt vir bonus inducatur ad uirum bonum, & innocentem condemnandum ulla vel amicitia uel precibus uel ſpe propriæ utilitatis, aut qui hoc faciat, vir bonus qui eſſe poterit? nam profecto tanta coorta eſt pluribus in locis ob religionem hoc tempore diſceptatio, & rixæ, & contentiones in ea inſula, vt omnia plena eſſent controuerſiarum, & ſeminum inſignium calamitatum, quæ non minus in principes, quàm in priuatos homines redundarent. eius reginæ mœrorem quidam ęgrè ferebant cum eſſet propè clauſa in carcere. Adaugebat moleſtiam tempus pariendi quod inſtabat. Illa cum nouo Regi in memoriam venirent, eum pœnitebat facilitatis timiditatisque ſuæ. Monet reginam per nuntios, vt ſuæ ſaluti conſuleret, coniuratos voluiſſe illum de medio tollere, ac ſe eandem fortunam denique expectare. Verun tamen è coniuratis non nulli cenſent reginam grauidam pręſertim in tantis difficultatibus non eſſe acerbius infeſtandam, quibus nimis durum uidebatur, ſi non modo è regno eſſet eiecta, & è publica adminiſtratione, ſed etiam ſi omnia commoda inſtantis partus tempore inhumaniter eriperentur. Alii uel hac ipſa de cauſa, quòd grauida eſſet, arctius obſtringendam putabant, quòd immineret a filio etiam poſt quoddam tempus certiſſimum periculum. Verumtamen per Regis prudentiam ſatis fortunatum exitum res habuit. nam quia procurant coniurati antequam regina ablegaretur, Regis ſubſcriptione confirmari conditiones vt ſacræ miſſæ interdicerentur, ille reſpondit ſe illud curaturum, ſed tamen nihil valiturum vt factum per metum eorum, quorum eſſet in poteſtate.

Stratagema regis.

Enimuero vt firmiora ſtabilioraque fierent ea, petit ſibi & reginæ formam quandam libertatis concedi; atque vt tutiores ſecurioreque ſint animo ambobus imponi cuſtodias corporis & ſatellitium. ſe curaturum ne quò regina euadat, ſponſoremque offert eius ſiſtendæ, quoties requiratur. coniurati, quo Regem facilius in ſuam ſententiam adducerent, parent eius petitioni, cuſtodiaſque tradunt, neque tamen cuſtodijs ſatis confidunt, ſed ipſi etiam vtroſque obſeruant. Veruntamen per ſummam reginæ prudentiam factum eſt vt ambo paratos equos ad poſticum præfecti earum cuſtodiarum cura conſcenderint, atque citatis equis prima luce ad arcem munitiſſimam Dimbarchum peruenerint. coniurati fuga regum, reque ut ſeſe habebat comperta, duriſſima quæque principibus eius fugæ conſciis minitantur. at Boduellus, Hunthæus, Atelluſque proceres primariæ dignitatis, & autoritatis inter illas nationes, depoſito metu accitis undiq; copiis ad Reges confluunt, cũ quibus præſidiis reuertunt Edemburgum, unde paulo ante diffugerant. coniurati magnarum rerum ſpe ita fruſtrati cum imperium inſulæ illis è manibus fuiſſet ereptum ac diuinitus propè excidiſſet, quod malis artibus, & per inſidias occupauerant, ſe non poſſe reſiſtere præſenti fortunæ veriti in Britanniam refugiunt. illi omnes, qui comprehenſi ſunt, maximis, & extremis ſuppliciis ſunt affecti. regina Britanniæ auditis his motibus tantis, tantaque rerum nouarum mole, quòd captus eſſet Iacobus, literas dedit ad Scotenſes principes cum redirent exules è Britannia, quibus minabatur niſi Iacobo Spurio Scotenſi parcitum ſit. ſe miſſuram exercitum, & eum in regnum reſtituturam.

Decreta Auguſtana.

Decretum fuerat in Auguſtanis comitiis, præter illud, quòd multi principes ſeipſos ultro venturos ad eam expeditionem profitebantur, ut principes Imperii hoc anno in menſes octo tres Romanas expeditiones concederent.

Romana expeditio quid ſit.

ſingula autem Romana auxilia ſiue expeditiones, vt vocant, cum eſſet integrũ imperium, ac non diminutum, continebant viginti & ſex millia peditum, & quinque equitum millia, cum nunc propter ingentem rerum mutationem, debilitataſque vires imperii, tertia pars ſit detracta. Hæ expeditiones dictæ ſunt Romanæ, quia Romam accedentes Imperatores ad coronationem, eum numerum equitum ac peditum ſecum comites haberent. at nunc tres expeditiones continent nouem tantum equitum millia, & quinquaginta ac duo peditum, cum antiquitus ad ſeptuaginta, & octo peditum, quindecim equitum millia continerent. conceſſum eſt deinde in triennium vna expeditio, & dimidium alterius in ſex menſes, quo tempore tantum liceret eſſe ſubdio propter regionis temperiẽ. Poſtea Cæſar ad muniẽda oppida animum adiicit, Iulã, Aguã. Toc-

cam preſertim firmis preſidiis. Solimanus cum paulo ante pugnatum eſſet infeliciter à ſuis copiis in inſula Melita præter conſuetudinem gloriæ Ottomanicę, vti diximus, cum ſemper eius copiæ vel prorſus victrices, vel certe non vacuis manibus redire conſueuerint, partim quod cognouiſſet Florentinas triremes ad ſubſidia Melitenſium cum Hiſpana claſſe nauigaſſe, partim quod vel ſuſpicatus eſſet, vel etiam factus certior omnia quæ fierent Byzantii per Chriſtianas legationes ad aures principum Chriſtianorum peruenire, ſtatuit quotquot poſſet probabiliter Chriſtianos ex vrbe Byzantio atque ex vniuerſo ſuo Imperio ablegare. Sed quoniam Albertaccius Albertius, illud eſt nomen familiæ nobilis Florentiæ, ordinarius orator Florentini Ducis vigilantiſſimus & acri ingenio videretur in ſuo principe commonefaciendo, vnde rerum nouarum cognitio in opportuna loca diſeretur, hunc per Mehemetum purpuratum iubet ſub pæna captiuitatis intra bimeſtre ſpatium è ſuo imperio excedere, humaniter prorſus & præter barbaricam cōſuetudinem, quod tempus datum eſt illi ad res ſuas componendas. aſciſcit quadraginta Scytharum millia ad illam expeditionem. Maritimi quoque apparatus fiunt ſingulari induſtria, quippe cum iam triremes omnes & remiges eſſent parati in Cilicia & Byzantii, & panis nauticus in vſum claſsis tum Byzantii tum etiam in Chalcide Eubææ fieret magno ſtudio. Turcæ in finibus Pannoniæ nullam opportunitatem infeſtandi hoſtis prætermittunt. Ainatſchenium oppidum abſente præfecto, quod per exploratores cognouerant, ſub auroram inuadunt, atque admotis ſcalis repente capiunt. ad vnum oppidanos trucidant. omnia diripiunt. eadem ſpe & modo Metubarrim adorti ſumma vigilantia & virtute Nicolai Sirini præfecti repelluntur. pugnatur diu magna vtrinque virtute, ancipiti victoria, quæ tamen denique fuit penes oppidanos, cum multi è Turcis cecidiſſent in ea pugna. preſidia Teutoburgii illa clade audita ſtatim locum deſerunt. neque tamen ita ſunt repreſſæ incurſiones Turcarum quo minus Bregetium Iulamque vſque ac cætera caſtella Pannoniæ fierent frequentes, cum eorum copiæ aſſiduè augerentur. Cæſar idcirco animum conuertit ad bellicos apparatus ſumma diligentia conficiendos. comitiorum auxilia mitti ſtatim procurrat. alia auit. iubet Philippum Badenſem marchionem trecentos equites colligere. Ludouicum Vgnotium mille. Brocardum comitem Oradienſem, Iacobum Caucum, Chriſtophorū Schellenduſium, Georgium Praunenſem mille equites ſingulatim iubet colligere. Gunterum comitem Schborzpurgenſem mille ducentos & quinquaginta. Chriſtophorum Liechtenſteinum trecentos, Zacchariam Grumbergum mille. & alios præterea duces ac tribunos alios numeros equitum. Fabianum Poſenochium quadringentos Prutenos. acceſſit in caſtra paulo poſt dux etiam Mantuanus cum centum & quinquaginta equitibus, & Ghiſius cum trecentis, & Auguſtus Saxonum Dux Gulielmum miſit cum quatuor millibus equitum. Dux Ferrarienſis obtulit tria millia peditum per Gaſparem Lodronium, ſeque ad illud bellum ipſum etiam venturum. promiſit accedere & Vuolfangus Dux & Ricardus cum magna ala equitum. filius item ſecundus Bauariæ cum magno equitum armatorum globo, multiſque etiam Germanorum peditum Regimentis. promiſit & Andrianus Balleonus, Proſper Columna, Aurelius Fregoſus, Nicolas Pitilianenſis regulus cum multis Italis. Epiſcopus Bregetienſis triginta bellica tormenta Cęſari dono mittit. Artobrigenſes trecentos cados plenos pulueris tormentarii. Sic fiebat vt per varia principum, ciuitatumque munera, lintrium ad pontes, annonæ, machinarum bellicarum, tormentorum, omnium bellicorum apparatuum ſatis abundans copia ſuppeteret. Nam reliqui ferè omnes Chriſtiani principes auxilia pro viribus ſubminiſtrarunt, ita vt ad Solimani aduentum ferè centum millia armatorum eſſent in Cæſarianis caſtris. Cæſar cum magnis armatorum copiis Iuliobona exit, & ad Bregetium caſtrametatur in panitie factis vallis & aggeribus ac foſſis militaribus & caſtrenſibus. Imperata ſunt inſtrui & multa nauigia quæ per Danubium nauigarent, quinque phaſelli ſcilicet, octo triremes, ac trecentæ Naſades, quæ nauigia ſunt triginta remis impulſa grande tormentum bellicum geſtantia. His ſingulis gubernandis Græci homines præfecti ſunt, vt rerum maritimarum periti. At vero neque Belgarum quidem, inferiorisq; Germaniæ fines ſine contentionibus fore videbantur, cum ibi quoque acerrimi & acerbiſſimi belli ſemina paulatim ſuccreſcerent, propter ſtudia ſeuerioris quæſitionis, cum fieri vix poſſit, vti dicebatur, vt ſine aliquo periculo excutiendorum veterum regum fiat mutatio religionis. Iſtud fiebat, quoniam ſeuere quæſitionis Hiſpanæ iugum populi, genteſque omnes Belgarum renuebant, quod erat illis nationibus Philippus rex impoſiturus. Multi igitur nobiliores proceres, Brederodenſiſque præſertim vir magnæ autoritatis cum centum & quinquaginta equitibus comitante Ludouico Nanſienſi, multiſque aliis Bruxellas ingrediuntur. Brederodenſis ſyngraphum Margheritæ Philippi Regis ſorori præfectæ Belgicæ adminiſtrationi obtulit ducentis iam nobilibus comitantibus atque præſentibus, qui omnes ſubſcriptionibus illud affirmauerant, profitebanturque ſe velle pro patriæ defenſione ac libertate omnibus periculis obiicere. numerus coniuratorum ad huiuſmodi defenſionem accedebat ad quinque millia hominum, pręter ciues vniuerſarum propè vrbium atque oppidorum. continebatur in illo ſyngrapho, quod viſis decretis factis à Carolo Quinto Imperatore anno quadrageſimo poſt mille & quingentos, cum inferioris Germaniæ regio deuaſtata ac deſerta fuit, quia gentes nollent ſubiici periculo acerbę queſitionis ab ea maieſtate inſtitutæ, atque cum nunc denuo Philippus rex eam vellet promulgari, & arctius etiam obſeruari, illud ad euerſionem eius patrię ſpectare videbatur. Idcirco vt concordię & conſeruationis earum regionum ſtudioſi, ac boni ſubditi ſuppliciter petunt & rogant vt imminentibus calamitatibus occurratur, quę ſine ſanguine omnino fieri non poſſent. Petunt idcirco

Ainatſchenium opp. captum.

Auxilia Cæſari accedētia.

Claſis Cęſariana in Danubio.

Quæſitio Hiſpana Belgis propoſita. Seditiones Belgij.

vt ea decreta abrogentur, vt tantus terror ex animis eorum populorum, qui iamiam tu multuari apparebant, euelleretur, cum apparerent interfecti tantę rerum nouitatis conſultores & autores, atque Galeotus ex altera parte miſſus eſt ad Philippum Regem ad remedium tot lamentationum. Nam profecto prouinciarum præfecti ob ſpem prædæ proponunt aliquando honeſta principibus, cum doli tamen & inſidię & ſpes lucri lateant ſub honeſtate. laudabile eſt conſilium quod ſincerum ſit & ſapiens, alioquin danti & capienti periculoſum. Reges inſidiarum ignari, optimoque animo inutilia tamen accipiunt conſili a & non neceſſaria propter familiaritatem & credulitatem. quis enim bonus princeps hæreticos, & falſæ religionis autores, & Dei hoſtes, vt ita dicam, æquo animo ferat in ſuo regno, ſi poſſit ſine maximo periculo exterminare? illud ſanè accidit in ciuitatum ægritudinibus, quod & in morbis humanorum corporum. Nam quæ laborantia corpora ſine certa ratione ſtatim conualent, aut contrà, præter rationem repente grauantur, parum credulitatis merentur; ſic ſeditiones quæ leui de cauſa excitantur, facile ceſſant. aut vbi de rebus maximis conſurgunt; non eſt ad interitum per imprudentiam ciuitas impellenda, ſed placide & ſenſim ad ſanitatem reducenda. quis enim acutiſſimis morbis certa remedia adhibuerit, cum neque mors neque vita certa in ijs ſtatuatur, ac non magnopere ſit de ſalute ſollicitus? Principes coniurationis huiuſce ac fœderationis fuerunt Batauorum principes Brederodenſis & Vienius, regulus Calemburgenſis, Bergenſis, Maſfeltius, Nanſienſis, Sicambrorum dux, & Fuarzemburgius. Factæ ſunt per hoc tempus induciæ in ſex menſes inter Moſchouitarum Ducem, Sarmatarumque Regem. at Solimanus claſſis inſtructæ præfectum Pialim ad occupandam Chium mittit ex itinere, quæ inſula eſt maris Aegæi adiacens Ioniæ inter Samum & Lesbum, cum habeat Lesbum ad ſeptentrionem, Samum ad meridiem, ad occaſum reſpiciat Eubæam, ad orientem Erythras & montem Tmolum. Huius ambitus eſt noningentorum ferè ſtadiorum. Cauſa huiuſce voluntatis Solimani fuit, quòd Chij ciues Melitenſes commonefecerint de ijs omnibus quæ fierent, pararenturq; Byzantij, quòdque anniuerſarium tributum decem millium coronatorum iam biennij debebatur. nam Chios inſula ab Andronico Paleologo Imperatore Conſtantinopolitano donata eſt antiquitus Genuenſibus, & eorum facta colonia, quòd armis Genuenſibus adiutus Andronicus Imperium recuperauerit. Sed cum Mahomettus Turcarum Imperator Peloponneſum ſuo Imperio adieciſſet, & Acarnaniæ principatus, & Sinopim, & omnia quæ in Ponto à Chriſtianis principibus poſſidebantur, claſſemque ad inſulam Mitylenen occupandam appuliſſet, & multa loca finitima, Chij veriti inſulæ quoque ſuæ captiuitatem coempta ferè libertate à Genuenſibus, legationes miſerunt ad Mahomettum, pollicitique ſunt pacta defenſione inſulæ decem aureorum coronatorum millia quotannis tributi nomine. Impellebatur etiam Solimanus ſuorum procerum adhortationibus & propè ſtimulis, qui cum ſolita munera non reportarent, egrè ferebant præterea quòd illa inſula eſſet receptaculum omnium mancipiorum Byzantio diffugientium. eius rei non minimam attulerat opportunitatem fortuna ad omnia parum humana conſilia plerunque facilitatem præbens, quòd Mahomettus purpuratus cum oratore Chio, qui ordinarius erat Byzantij, conqueſtus eſſet ſibi mancipium non ville illuc confugiſſe, quare vel mancipium, vel precium ſibi reddi poſcebat. orator acceptam pecuniam a Chijs in vſum proprium conuertit, cuius fraudis ignarus Mahomettus vniuerſum odium in ciues conuertit, atque ita Solimanum in illos inflammauit, vt iuſſerit claſſem eò delatam omnino adiungere Ottomanico imperio, niſi ſtatim daretur tributum. Pialis illuc appellens cum octoginta triremibus non procul ab vrbe ſtationem habet primo die. Chij vbi primùm claſſis apparuit, ſicuti mos erat, legationes cum muneribus mittunt continuo ad præfectum claſſis, portumque & omnia claſſi neceſſaria liberaliter offerunt. Pialis hos hilari vultu excipit, perhumaniterque complexus inquit ſe vereri ſi claſſis in portum adduceretur, ne turbarentur ſolennes ceremoniæ, cum celebraretur per illud tempus magna obſeruantia ſolennitas Chriſtianorum. erat enim ſecundus dies à paſchate. Se tamen ſubiungit humanitatem ciuium non aſpernatum cum viginti tantum triremibus portum ingreſſurum, niſi illud videretur fore ciuibus incommodum. Sed enim poſtridie eius diei vniuerſam claſſem inſulæ admouet. tribus in locis iubet haberi ſtationem cum vnus tantum non eſſet capax tot nauigiorum. egreſſus è prætoria naui ſimulat ſe animi relaxandi gratia acceſſiſſe in Xyſtum, qui erat in ſuburbio. conueniunt eò primatij ciues & ſuperiores magiſtratus Gubernatores, vocantur ad eum de more ſalutandum. petit paulopoſt tributum. contendunt magiſtratus illud eſſe Byzantij ſolutum. Pialis dimiſſis contentionibus oſtendit ſe illud parum curare. ſed poſt paulo ſimulat ſe laborare aliquantulum ex pedibus. paulatim ſe recipit ad claſſem. Rogat vrbis præfectum & Gubernatores duodecim vt ſecum triremem conſcendant, quòd eſſet cum illis imperante Solimano de rebus maximis communicaturus antequam ad infeſtanda Apulię litora abnauigaret. iam tum Chij ſentire ceperunt quantum ruinæ ac malorum imminerent illi inſulæ patriæ ſuę, quoniam qui venit ad tyrannum, ſeruus fit tyranni. ſed cum vires claſſis multo eſſent ſuperiores, poſt multas habitas controuerſias & ſententias in vtranque partem diſputatas inter ſe, decernitur vltro eundum eſſe, ne tota inſula ferro & igni deuaſtaretur, cum præſertim ſerò ſaperent Phryges. Vix Gubernatores claſsem conſcenderant cum capti ſunt, & compedes iniecti. egreſſus deinde Pialis cum magna Ianizzerorum manu, militariq; turba palatium vrbis ſine vlla controuerſia occupat, iubet Imperatoria vexilla erigi, quod & in eo palatio fit, & in arce cū magna lætitia ſuorū ſine vlla iniuria inſulanorū. fit edictum per præconē ne-

Seditionum natura.

Induciæ Poloni & moſchouitæ.

Chij deſcriptio.

Cauſæ Chij occupandæ.

Chios Tributaria Turcarum quãdo & cur.

Pialis ſtratagema.

Chios capta.

quis domo exeat, niſi poſtridie mane; quod quiſque faciat ſine vllo metu. per illud ſpatium temporis omnia Chriſtianorum templa ſolo adæquantur, ac ſolum templum Diui Dominici reſeruatum eſt ad Turcicas ceremonias, & ad Turcicum morem informatum, Turcicisque ceremonijs conſecratum. Tum veritus Pialis ne Chriſtianis vndique diffugientibus inſula deſerta relinqueretur, cuſtodias imponit, nequis ſe inconſulto exeat aut abnauiget. inſulani iubētur de more ſubditorum parere Solimani imperatoris præfectis. at vero familias præfecti & Gubernatorum cum nonnullis primarijs imponit quinque triremibus, quas mittit Byzantium, qui omnes poſtmodo in varias regiones fuerunt deportati. relictis ibi firmis præſidijs ipſe magiſtratus conſtituit. ſic patuit, non modo offenſiones, ſed etiam ſuſpiciones magnorum principum eſſe diligenter deuitandas. Neque rurſus auaris & auri cupidis legationes vel publica munia committenda ſunt ad gratiam vel per affinitatem, cum priuatis potius, quàm publicis auara ingenia apta ſint negotijs.

*In publicis magnificentia, in priuatis parſimonia laudabilis.*

Vt enim priuata parſimonia laudabilis eſt ſine cuiuſquam iniuria, ſic publicis rebus magnificentia & ſplendor & opportuna liberalitas multa publica mala diuertit. quas virtutes qui non recte callueri t abſtinere debet à magiſtratibus, aut repelli, ſin autem cæteros ciues & patriam in apertam perniciē trahūt. claſſis deinde compoſitis rebus Chijs Epidaurū nauigauit, vbi Pialis idē facere ſtatuerat.

*Epidauriorū diligentia in vrbe ſeruanda.*

ſed ępidaurij ciues viginti tantùm, eosque inermes ſimul admittunt ad res neceſſarias coemendas, cum eſſent iam per alienum periculum cautiores. Illa ſpe deceptus Pialis ad inſulam Tenum nauigat; Tenij, quę vna eſt inſula Cycladū, munus de more mittunt, eſculenta nimirū, quę à Piali renuuntur irato quòd illuc etiam fugientia mancipia ſeruarentur. inde ad inſulam Delum delatus celebrem ob antiquum Apollinis templum & domicilium, poſtridie Tenum repetit. ea re viſa Tenij ſe accingunt ad pugnam. ſed breui nulla re tentata inde recedit. nam ſpe maioris prædæ allectus, quæ videbatur, ſi tardaret poſſe ſubtrahi, Pialis ad Apuliæ litora Calabriæque appellens colonos abducit, & obuia quæque ferro atque igni populatur, omnemque defenſorum induſtriam mira celeritate nauigationis anteuertit. Neq; tamen his ſolum incurſionibus vexatur res Chriſtiana, ſed etiam non procul à Calpe infelici pugna afflictata eſt, quoniam vndecim triremes Iulię Cæſareæ ceperunt ad viginti nauigia bellicis apparatibus & multo commeatu onuſta & multis bellicis tormentis, quæ omnia ad Buyzam coloniam aduehebantur, cum fierent ibi apparatus ad expugnationem Iuliæ Cæſareæ. illa iactura tam inſignis quanto mærore Philippum Regem afflixit, tanta lætitia extulit animos Turcarum. Hos tamen terruerant paulo ante illud tempus ſeruata de Cęlo Prodigia inaudita per longiſſimum annorum ſpatium. Nam in Italia tres cometæ inſignes apparuerunt. poſt ſecuta eſt Cęli ſiccitas ingens. hanc magna Romæ inundatio. in vrbe Incidoſia, quæ ſita eſt in mari Euxino non procul à Boſporo & anguſtijs ac faucibus Cimmerijs, & in vniuerſa regione Trapezuntiæ, quę vrbs eſt metropolis Cappadocię, dicuntur viſi fuiſſe tres ſoles ab hora tertia diei Cęlo ſudo ac puriſſimo. ſupra hos ſoles candidus arcus perdurauit per longum ſpatium temporis. ex illis ſolibus vnus ſeceſſit ad orientem, alius ad occaſum, tertius ordinarius proceſſit ad occaſum de more, ſeque demerſit in mare Atlanticum. Poſt biduum hora quarta noctis crux inſignis ſplendoris in Cælo apparuit, & quædam ſtella inuſitati luminis, & luna, quæ omnia pari ſplendore ad diem vſque perdurarunt. Poſſonij rurſus, quæ vrbs eſt, vt diximus, inſignis Pannonię, per meridiem ſtella cępta eſt conſpici, quæ ſolem ſequebatur ab oriente, ſed ſub occaſum euanuit, quę per quatriduum ita apparuit. ſed antequam Pialis in Apuliam appelleret, conatus eſt in Cimmerios populos animaduertere, qui frequentibus incurſionibus finitimos Turcas ſæpius infeſtarent, neque dederant tributum. eductis copijs itaque in cimmeriorum regionem propter montium inacceſſibilium propè aſperitatem nullis non modo cæſis, ſed neque viſis quidem hoſtibus imperfecto negotio cogitur recedere. Solimanus interea præmiſſo Partao purpurato, multiſque Sanzacchis cum magna parte copiarum ad Pannonicam expeditionem, iubet Aſiæ minoris purpuratum prætergreſſum Nicopolim vrbem Bithyniæ caſtra ſecum coniungere. Solimano Curtam verſus proficiſcenti Io. Rex Tranſyluaniæ cum multis rhedis & quingentis armatis equitibus obuiam procedit, ac trecentis equitibus ſclopettarijs, qui multa precioſarum gemmarum munera obtulit. Solimanus illis alacri vultu acceptis vbi ad Nicęam Męſiæ ciuitatem perueniſſet, Cibinum vrbem petit à Tranſyluano, vbi purpuratum cum quadraginta millibus peditum eſſet collocaturus, cui pro Cibino Tibiſcum promittit. Illud cum negare eſſet periculoſum, in poteſtate Tyranni præſertim exiſtenti, concedere difficile ac miſerum; hoſtem nimirum intra tecta admittere, tamen neceſſariò aſſentit petitioni nullo patefacto mœrore. Videtur autem pompa non eſſe ſilentio prætermittenda, qua Solimanns ad vrbem Philippopolim acceſſit, qua etiam ferè ſemper vtuntur Imperatores Turcarum cum exitur ad bellum, quippe cum illa fiat cum inaudita multis magnificentia. Eſt autem Philippopolis vrbs Macedoniæ Thraciam verſus in finibus ſita, quam fluuius peramplus Meſus per medium ferè præterlabitur, atque is fluuius Thraciam à Macedonia diſterminat. poſtea dictus eſt Marza à quadam virgine, quæ fugiens vim inferre conantem virginitati in fluuium deſiliuit, ac nomen dedit fluuio. Hanc vrbem Philippus Amyntę filius Alexandri Macedonis pater extruxit, & de ſuo nomine ſic appellauit; habet hæc vrbs fontem ſupra fluuium amplitudinis ducentorum & quinquaginta paſſuum. Primum igitur omnium muli & equi & Cameli multi ferentes impedimenta per hanc vrbem pertranſeunt, quibus antecedebant non magno ſpatio quinque ianizzerorum millia, multæque agreſtes operę, cumulos terræ exaggerantes quibuſdā relictis interuallis, vt exercitus & impedimēta, quę per multos dies caſtra ſequūtur, viā poſſent cognoſcere. Poſt infinitā propè ſuccedētiū his armatorū & inermiū multitudinē

*Tenes inſula & Delus.* — *Nauigia à Turcis capta.* — *Prodigia.* — *Trapezuntia metropolis cappadocię.* — *Pialis exit in Cimmerios populos.* — *Cibinum à Tranſyluano petitur.* — *Philippopolis deſcriptio.* — *Pompa Solimani exeuntis ad bellū.*

succedunt

ſuccedunt purpuratorum familię, quę apud pila lancearum vexilla parua habent, eaque varia cum inſignibus quique ſuorum dominorum, quorum equi & homines magnificos habent ornatus. Hiſce ſuccedebant cuſtodes viridariorum Solimani cum ſuo præfecto, qui venatorios canes cum auratis integumentis adducebant. hos ſequebantur aucupes. hos equi quinquaginta pulcherrimi, quos ſingulatim homines equis inſidentes aliis ducebant. nam tanta ſequitur caſtra impedimentorum copia, vt omnem propè credulitatem non videntium ſuperet. Turcæ enim non ea ſolum quæ faciunt ad victus neceſſitatem conuehunt in caſtra, ſed etiam quæ ſpectant ad delitias, vt catulos Meliteos, cattos, picas, pſittacos, tanquam in villam ad prædiorumque amænitatem, at non ad cruenta periculorumque plena caſtra proficiſcantur. neque multum diſtat imperatorum Turcarum conſuetudo ab illius Perſæ opulentia, qui fuit cum tam magnifica ſupellectile ab Alexandro ſuperatus. Succedebant hinc manipulorum præfecti Bolucbaſſæ vocati cum criſtis albis ſupra frontem infixis magnis galeis, quæ criſtæ conſtabant è ſubtiliſſimis plumis, circa quas aliæ erant complures variorum colorum. his ſuccedebant eunuchi omnis ætatis imberbes, quibus tres purpurati Feratus, Muſtapha & Acmetus ſuccedebant. poſt hos Mehemetus ſolus, poſt quem primarius Viſir, qui iudex eſt in caſtris. Hunc paruo interuallo ſequebantur centum & quinquaginta Solachi, qui pedites comitantur imperatorem equitantem, atque aſſiſtunt in itinere, cum omnes ſint quingenti. hi criſtas ſuperioribus ſimiles geſtant, figura differentes tamen, cum illi rotundas habeant, hi quadratas. hi à Zona ad genua candidum geſtant operimentum, cothurnoſque albos. acinaces habent & arcus & ſagittas. his, purpuratiſque præcedunt in vrbibus Chiauſi vocati cum clauis ferratis, multitudinem ſummouentes; qui niſi clauis poſſint attingere deſpicientes è feneſtris Imperatorem, ſagittis impetunt; cum imperatorem non liceat è ſuperiore loco impune deſpicere. ſequebatur chiauſos Solimanus pulcherrimo, placidoque inuectus equo. nam quem equum conſcenſurus eſt Imperator, Turcæ præcedente nocte dormire non permittunt, quo vis & ferocitas eius aliquantulum deprimatur. eius equi phaleræ ſunt arte Phrygionica laboratæ. acinax pendet ex ephippio. ingrediens vrbem Philippopolim Solimanus loquebatur cum Ferato Aga, qui pedes eum ſequebatur à dextra; nam Turcæ ſiniſtram partem honoris gratia concedunt, quòd ita liberiores habeantur acinaces. cum ipſo Agà tres alij aderant ianitorum pręfecti. Sequebantur tres adoleſcentuli, qui plurimum gratia valebant apud illum, quorum hic arcum & ſagittas, ille veſtem, ille aquam geſtabat ad lauandum, inter quos & Imperatorem nemo poteſt intercedere. ſequebantur pueri Imperatorii ſepti, quos currus cum ſerico operimento in folia argentea inciſo, quem Henricus Gallorum rex donauerat cum pulcherrimis equis diſcoloribus, vehebatur in eo curru Solimanus in itinere cum Ferato, at vbi propius ſunt vrbes, equum aſcendebat. ſequebantur hunc alii octo currus, quibus ſuccedebat Caſmader, qui eſt primarius quæſtorum equo inuectus pulcherrimo cum gemmatis phaleris eunuchus. hunc ſequebantur viginti eunuchi quęſtores & magna copia mulorum auro onuſtorum. erant enim equi ducenti & amplius, qui ſingulatim trahebant duos mulos grauatos duobus ſaccis coriaceis, in quibus magna copia ſignati auri & argenti vehebatur. ſequebatur deinde innumerabilis propè multitudo equitum, & Spachoglani cum multis impedimentis. Solimanus vrbem ipſam pretergreſſus erigi iubet tentorium in ampla planitie ſuo ſepto propinquum in campis Philippicis, vbi Antonius cum Caſſio & Bruto collatis ſignis dimicauit. Illud tentorium eſt ad ſepti inſignis vel potius oppidi formam extructum, ita vt pinnas, & palatia, & aulas habeat, cum interius duodecim contineat tentoria, habeatque ambitum fere trium ſtadiorum. ad huius cuſtodiam delecti ſunt Spachoglani, ad quod munus deſtinantur vbi per ętatem exeunt è ſepto. inter hos & tentorium imperatorium theſaurus humi iacet ſuperſtratis tantum tapetibus, in ſinguliſque angulis tentorii lanceę eriguntur cum caudis equinis variorum colorum. cum tantis pręſidiis & impedimentis iter capiunt, & caſtra ponunt imperatores Turcarum, quos infinita propè armatorum multitudo ſequitur & præcedit. à lateribus Solimanus neminem incedere volebat, quo liberior fieret proſpectus. atque vniuerſa hęc multitudo vbi loci natura patitur, atque frequens eſt, in lunę ſemiplenę formam inſtructa ſolet incedere. in his caſtris pręter eximiam obedientiam, illud etiam mirum viſum eſt, quod eam hominum multitudinem nulla fœmina ſequeretur. Dum Solimanus iter facit ad expeditionem Pannonicam, filius regis Perſarum ratus fieri poſſe vt inter hos bellorum motus potiretur Babylone vrbe antiquiſsima nobiliſsimaque Aſſyrię ſita in ripa fluminis Euphratis, cum animi Turcarũ ad queuis potius alia bella conuerſi eſſent, ad inſidias moliendas animum adiicit. collectis igitur clam ac paulatim duodecim millibus hominum Georgianorum & exulum maiori ex parte, copias has in quibuſdam vallibus vrbi propinquis, aut certe non multum diſtantibus occultat. ipſe mercatoris habitu paucis comitantibus, nihilque tale ſuſpicantibus Babyloniis ciuibus vrbem ingreditur. Iubet ſenſim quoſdam ſuorum tanquam mercatores vrbem ingredi, qui breui plures mille & quingentis ingreſsi ſunt. erat illis imperatum vt in certum locum ſtatuto tempore conuenirent, cum primum nox aduentaſſet. ſtatuerat enim per noctem pręfectum vrbis & omnes miniſtros obtruncare, vrbem diripere, reſiſtentes trucidare. iuſſi erant illi etiam qui latebant in inſidiis, ad idem tempus adeſſe. ſed quidam exul arbitratus ſe impunitatem pręteritorum ſcelerum & ingentia pręmia preterea conſecuturum ad vrbem accedens ad clam prefectum admittitur. rem totam aperit. demonſtrat in quanto periculo & ſalus ipſius & totius ciuitatis verſetur. miſſi ſunt qui accirent auxilia ab Eſdrunę pręfecto, aliorumque finitimorum locorum. Interim ad arma tota vrbe conclabatur. Babylon

Tentorij imperatorij amplitudo.

Babylon per dolũ tẽtata.

repletur tumultu,arma parantur vbiq; ad defenſionem,Eſdrunæ præfectus collectis repente quantis potuit viribus,& quas ſumma celeritas temporis patiebatur, mox coniunctis copiis cum Babyloniis communi conſilio in Perſas impetum faciunt iamiam vrbem inuaſuros atq; inſtructos. pugnatur acerrimè vtrinq; ita vt diu anceps fuerit victoria. Sed tamen Perſæ numero multo inferiores ad extremum victoriam vrbanis copiis concedunt,ac demum multi ceciderunt. Trucidatis nouem millibus ſuorum Perſa vix cum tribus millibus equitum in tutum ſe recipit. Solimanus eo nũtio Philippopolim delato ægerrimè tulit tantarum rerum nouitatem per illud tempus præſertim excitatam eſſe in illis finibus, vbi hoſtis eſſet potentiſſimus. Iubet omnes equites Aſiaticos & Pamphylos inferiora ſtipendia tribus millibus merentes redire ad illos fines tutandos. Quę dũ geruntur Babylone, Lazarus ſuendius nullam bene gerendę rei opportunitatem prętermittens Huſtum oppidum vltra Danubium obſidet, atq; audito Solimani itinere multo acrius concutit & inſtat vt potiatur,ne cogeretur accedentibus copiis infecto negotio recedere. At Tranſyluanię prefectus vt Suẽdium ab illa obſidione reuocaret & retraheret,tres Sanzacchos in eum educit cum viginti armatorum millibus.castra repente inuadit.atrox ſanè prælium committitur. veruntamen tanta fuit virtus cęſarianorum tantus ardor,tantum gloriæ deſiderium in ea pugna enituit, vt cęſis pluribus decem millibus hoſtium turcarum ſcilicet,Scytharum, & Sarmatarum captus ſit præfectus & vnus e ſanzacchis.ceciderunt inſignes Turcarum duces ſuendius, Filetus & Sicinus. capta ſunt quædam bellica tormenta,& multa vexilla,reliqui ſe fuga ſeruarunt.oppido deinde per illam victoriam potitus Suendius caſtra mouet ad obſidẽdum Filecum.illo quoque oppido capto breui properat ad alia caſtella occupanda, quibus per famam victoriæ ſine multa difficultate captis multos bellicos apparatus colligit,ſeq; ad obſidendam Vinundriam accingit. Curtenſis purpuratus contra cum octo millibus armatorum partim peditum, partim equitum & viginti ac quinque bellicis tormentis Palodam oppidum amęniſſimum Pannoniæ obſidet,quæ erant olim delitiæ reginæ Pannoniæ, diſtatq; à Bregetio circiter triginta millia paſſuum,neque ita multo plus ab Alba regali. directis tormentis per octo dies aſſiduè oppidum concutit tanto impetu vt diſruptis proſtratiſque muris vbique defenſores arbitrarentur ſeſe in magno periculo verſari ſi conatum expectarent. erat in oppido cum præſidijs Turigeorgius vir Pannonicus ſingulari virtute & ingenio, qui dum reparationes inſtituit in locis opportunis ſaxi frauſto impulſi globo ferreo magno ictu è mẽnibus vulnerat, nõ ſine magno vitæ periculo.conualuit tamen breui dum Turcę locum obſident,atque illi validiſſimis & crebris conatibus munitionem inuadentes ſingulari defenſorum virtute & conſtantia cum magna clade repelluntur. Turcæ amplioribus tormentis ſæpe diſploſis ita munitionem infregerunt vt oppidani palam arbitrio hoſtium denique viderentur expoſiti,cum plures mille & quingentis globis ferreis fuiſſent contorti. Sed enim accidit præter omnem obſeſſorum expectationem vt repente obſidio ſolueretur,oppidumque illud magno periculo ſit liberatum.Nam cum puluerem quadringentorum carrorum lignãtium è longinquo Turcę proſpexiſſent,arbitrati illum puluerem non niſi à confertiſſima ala equitum poſſe excitari decernunt antequam inuadantur in tutum ſe recipere.His accedebat quod Turigeorgius multos ignes diſtantes ab oppido circiter duo millia paſſuum accendi iuſſerat,atque duobus millibus peditum,quæ erant præſidia carrorum imperatum fuit vno tempore ad ſignificationem lætitiæ conclamare.Veruntamen iam duodecim Germanorum millia præfecto comite Elfeſtaino conuenerant Bregetium,qui ad ferendas ſuppetias Palodæ obſeſſæ mittebãtur.Sed quoniam iam aduesperaſceret,Turcæ tanta trepidatione ſe recipiunt, vt multos cados pulueris & tormenta & tentoria reliquerint,quo fierent expeditiores ad fugam illa autem omnia cum annona inuenta in oppidum ſunt comportata Turcis ad Albam regalem caſtrametatis auxilia Palodæ ſine controuerſia conceduntur, miſſique ſunt poſtmodo munitionum magiſtri & architecti, qui oppidum diligenter explorarent an reparationes aptius fierent, vel oppidum euerteretur, & ſolo ęquaretur.apparuit locus multis de cauſis non eſſe deſerendus,qui & facile reſarciri poſſet,& plurimum conferret ad res bellicas,quare denuo munitur. Dum ita certatur varijs in locis intra fines Pannoniæ,nuntiatur Solimani aduentus,copiarumque Turcicarum propinquare,quare patet bellicos apparatus eſſe maturandos ſumma diligentia omnia igitur conficiuntur. conueniunt in Pannoniam circiter viginti equitum,ſexaginta peditum millia,quæ copiæ miſſę ſunt è comitiorum decreto,& à variis principibus,qui auxilia mittebant.inſtructæ ſunt ad ſummum circiter trecentæ naſades,quæ ab vtroque latere communitæ eſſent aduerſus ſagittas, quarum remiges quoque pugnæ ſunt apti.hæc & alia compluria nauigia ad morem maritimæ claſſis nauigabant per Danubium,qui fluuius eſt omnium fluuiorum Europæ maximus & ampliſſimus, quibuſuis nauigijs tanquam mare nauigabilis, vbi triginta ſaltem fluuios acceperit, cum plures ſexaginta ingrediantur priuſquam in mare prorumpat,qui cum ipſo alueum ampliſſimum communicant.Naſcitur hic fluuius primũ in iugis Arnobæ montis è regione Raurici Germaniæ oppidi in finibus Rhetorum, atque per innumeras gentes delapſus defluit per Dacorum regionem, per quam etiam Danubius appellatus eſt,cum per inferiorem regionem defluens,& per Getas in pontum vſq; vocaretur Iſter.erat & Naſadibus & cæteris omnibus nauigijs præfectus cum ſummo imperio Philippus Filoccus eques ordinis Melitenſis vir Aquitanus impiger & rerum bellecarum gnarus cum tribus millibus armatorum.aduehuntur Bregetium multa bellica tormenta vbi conſederant copiæ Cęſarianæ ad diuertendas Turcarum vires à Tranſyluania,quia non carebant metu per hunc modum amittendę Curtę & Strigoniæ.illa caſtrametatione futurum apparebat neceſsario vt diſtraherentur.iubentur aulici omnes,oẽſq; nobiles Vindeliciæ ſeſe ita parare vt propriis ſumptibus irẽt ad bellũ quia Cæſar ipſe in caſtra eſset exiturus,quãdo Solimanus ita ſenex nõ ſolũ exiiſet in caſtra, ſed etiã lõgiſſimi itineris labores

Perſarũ clades.

Huſtum obſeſſum & expugnatum.

Filecum captum.

Paloda obſeſſa & concuſſa.

Stratagema.

Paloda munitur.

Copiæ comitiorum.

Danubij deſcripti.

bores pertuliſſet. Ecchius Salma. qui cũ ſummo imperio erat Bregetij, cũ bona parte ſuarũ copiarũ egreſſus, vt iuſſus fuerat, Palodã accedit, quã præſidijs & cõmeatu munit, & cũ quibuſdã equitibus Riſpiam cõtendit, quæ vrbs eſt ampla circiter decem millia paſſuũ diſtans à Paloda, non ſatis munita. eã per incurſiones explorat. iubet copias ſubſequi circiter mille paſſus diſtantes. Turcæ in hos ita incurrentes duo tormenta diſplodunt, quare magna pars muri ex illa aeris repercuſſi vi prolabitur, & in foſſas deuoluitur. illa re perſpecta Ecchius ratus id quod erat, fortunam ſibi viam ad ingreſſum aperuiſſe, iubet ſuos contento paſſu accedere, ac fortunæ benignitate quàm citiſſimè vti, quę ſua ſponte muros ad ingreſſum proſtrauiſſet. Sed cum nox iam aduentaret, negotium differtur in diem craſtinum; & quamuis Turcæ reparationes per noctem pro mœnibus extruxiſſent, tamen Ceſariani poſtridie mane ſcalis admotis vrbem capiunt. obuios trucidant. vrbem diripiunt, deuaſtant, populantur, prędantur. Primarij Turcæ ſeſe ad tumultum vrbis receperant, qui tametſi ſe dedere nolebant, tamen vi capti ad vnum trucidantur, quia prius illi in captiuos omnes Ceſarianos ſæuiiſſent. Ecchius hac urbe tam repentino fortunæ beneficio præter ſpem capta relinquit in præſidiis Turigeorgium qui Palodam defenderat, ipſe Bregetium redit. enimuero ex altera parte fortuna pro tot felicibus Cęſarianorum ſucceſſibus non nihil calamitatum affert Leuenti præſidiis, quod oppidum eſt in ea parte Pannoniæ, quæ magis uergit ad montes. illa enim cum exiuiſſent ad prædam, obuia fiunt purpurato Curtenſi, quare à Turcis circumuenta partim trucidantur, partim abducuntur in ſeruitutem. Tattæ rurſus præſidia, cum plurimum moleſtiarum Ceſarianis inferrent, ita egerunt ut Ecchius egreſſus Bregetio coactus ſit ipſam Tattam obſidere. miſſus eſt qui ſollicitaret Tattenſes ad deditionem promiſſis omnibus humanitatis officiis, ſed reſponſum eſt velle præſidia rem armis, non promiſſis experiri. non poſſe ciues promiſſis ad fędam deditionẽ compelli, niſi prius virtutem hoſtis ſuperiorem eſſe cognouerint, cum melioribus parere, at non paribus conueniat. ſe fortiſſimè oppidum defenſuros eſſe, quoniam purpuratus Curtenſis pollicitus ſit auxilia vbi opus fuerit. Ecchius eo reſponſo iubet ſex muralia tormenta trahi in loca opportuna, & in eam partem oppidi dirigi, quæ viſa eſſet aptior verberationi, atque debilior oppidũ ad expugnationem explorantibus. cum primum illuxit, mœnia tanto impetu concutiuntur, vt nõ parua pars illorũ diſrupta & aperta ſit. Tattenſes cõtra reparationes interius mira celeritate moliri. defenſiones erigere. nullum locum tutum vel facilem conatibus adinuadendum relinquere. iubetur Villardunus tribunus cum ſuis cohortibus per apertam murorum partem oppidum adoriri; ſed tamen periculo diligentius conſiderato captum eſt conſilium ſalubrius & vtilius, vt collocarentur in foſſa mille ſclopettarij, qui pube tenus eſſent in aqua. alij mille ſtatuũtur in ea parte muri, quæ eſſet diſrupta. Ecchius ipſe ad portam arcis contendit. iuſſos omnes ad ſignum inuadere, mox dato ſigno facit certiores. cum Turcæ omnes ad apertum proſtratumq; murũ defendendum & ad illos propulſandos accurrerent, qui per aquam foſſarum traiecerant, Ecchius portam arcis inuadit cum ſuis copijs tanto impetu vt illam infregerit, ac vi irruperit. Turcæ ibi reſiſtentes ad vnum trucidantur, atque pauci ſeſe in turrim ſeruantes deinde per quaſdam conditiones ſe dediderunt. capti ſunt Riſpiæ Tattæque gubernatores, & quidam propinquus purpurati curtenſis. his ſucceſſibus felicibus Cæſariani ad oppidum Geſterum ſigna conuertunt, cuius præſidia viſis è longinquo hoſtilibus vexillis relictis tormentis & omni bellico apparatu diffugiunt. Iſcholchij & Vithaini oppidorum & quorundam pagorum homines tam propitia Cæſarianorum fortuna territi non audent reſiſtere, ſed contra inuidentes eam felicitatem ignem ſubijciunt bellicis apparatibus, atque Strigoniam fuga ſe recipiunt. hæc loca tametſi parum conferebant rei bellicæ, tamen deuicta tutius iter præbebant copijs Cæſarianis, cum nihil vel paruum hoſtile à tergo ſit relinquendum. nam neque diſtrahendæ ita ſunt vires in cuſtodias eorum quæ mittuntur in caſtra, neque ad augenda ſunt non neceſſaria præſidia aduerſus incurſiones & populationes, neq; locus præbetur colligendis copijs, neq; proditiones timendæ ſunt à finitimis hoſtibus. accedebat his rationibus quòd ſublatum eſſe videbatur receptaculum eorum latronum & prædonũ, qui Marteloſi vocantur, quod genus hominum planè agreſte eſt & inhumanum. nam vbi ſpes prædæ apparuerit, nullum vel laborem vel periculum deuitant. Cæſar nondum exierat in apertum, ſed copias mittebat in caſtra, cum quia ſemper maioribus ſtudebat apparatibus, tum quia nondum acceſſerant omnia auxilia quæ expectabantur, cum ſciret Solimanum Taurumnum profectum copias ibi aliquot dies expectaturum. Indictæ ſunt preces pro Chriſtianorum ſalute, & pro publica Chriſtianorum conſeruatione. fit edictum pontificium pro fraterna charitate vt omnes pro fratrum incolumitate precarentur. atque vt preces illæ deo eſſent acceptiores, hortatur omnes Chriſtianos vt ſe à peccatis expurgarent. Poſtmodo ſublatum eſt Iuliobonæ ſalubri edicto imperatorio omne tripudiorum genus & ludicrorum, & muſicorum concentuum, tanquam irritamentorum ad laſciuiam, crapulam, intemperantiamque omnem, & Dei contemptum, cum nihil magis cogitandum eſſet inter illas moleſtias quàm quibus obſequijs iuſtiſſima Dei indignatio per multiplicia ſcelera excitata placari, mitigarique poſſet. Interea auxilia quæ vel vltro promiſſa, vel expetita Cæſari concedebantur ex Italia conuenerunt Iuliobonam: Adrianus Balleonus cum quibuſdam cohortibus. Alphonſus Caſtalius cum aliis. Comes Camerinenſis ab Allobrogum duce miſſus cum quadringentis ſclopettariis equitibus. Ghiſius cum totidem equitibus Gallis. ſequani præterea trecenti equites, totidemq; Britanni conueniunt propriis ſumptibus ad ſpem gloriæ. Albertus Laſchus vir inter Polonos autoritate pręſtãs, qui multa caſtella poſſideret in Pannonia, accedit ad eandẽ expeditionẽ. Hũc cũ duodecim rhedis ad Cæſarẽ profectũ ſecuta ſunt tria millia Polonorũ equitũ more Pannonico indutorũ, ne rex eorũ videri poſſet fędus

tum

Riſpia capta. Leuẽtũ opp.

Totta capta & Geſterũ.

Iſcholchiũ & Vithainũ opp. capta.

Supplicationes pro Cæſaris cõſeruatione indictæ.

Muſica & ludicra edicto ſublata.

Alberti Laſchi auxilia.

Côſmi Florẽtiæ ducis & Senarum auxilia miſſa Cęſari.

cum Solimano violare. miſſa ſunt à Coſmo Hetruriæ Duce liberali magnificoque animo, & ſemper ad defenſionem Chriſtiani nominis, Italicæque glorię prompto, tria lectiſſimorum, egregieq ue inſtructorum peditum millia, quibus ſtipendia per totum tempus belli ſunt promiſſa. conuenerũt & ſeptem vexilla armatorum Boemorum equitum Poſſonium militantium propriis ſumptibus. Cæſar iuſſit comitẽ Salmã e regione Comarię inſulæ conſiſtere, neq; inde iniuſſum diſcedere ante ſuum aduentum, cum conſilium de Strigonia vrbe ampla & munita nõ ſatis vtile viſum eſſet. cõuenerunt & mille ac ducenti equites Gunteri comitis Scuarburgenſis, omniſque Luſatiæ, Bodurgii, Isburgiorumque equitatus, & Teufellius cum mille equitibus militantibus propriis ſumptibus. miſſi ſunt equites trecenti cum octo tormentis muralibus ex Vratiſlauia. ſic ceteri omnes auxilia ferentes conueniebant, claſſiſque ad inſulam Comariam inſtructa acceſſerat. collectæ ſunt copiæ primùm ad Altemburgum, quæ poſtea Bregetium miſſæ ſunt. Dictus eſt ſummus rerum bellicarum

Ferdin. Auſtriacus ſummus copiarũ imperator.

imperator Ferdinandus poſt Ceſarem Archidux Cæſaris ipſius frater. ac magiſter tormentarii negotii Paulus Iaderenſis. Cæſar ipſe exiens in caſtra præficit aulicis Aracchium regulum. Dux Ferrarienſis relicta principatus adminiſtratione Hippolyto card. patruo accedit Iuliobonam paulo poſt cũ incredibili pompa ac magnificentia. exiit Iuliobona ſpectante Imperatrice & filiabus per portam oppidi cum magno equitum numero egregiè inſtructorum & armatorum cum regali vel potius

Ferrarienſis ducis pompa exeuntis ad bellum.

Imperatoria pompa. nam præcedebant viginti currus cum operimentis magnificè elaboratis, multoque artificio, quos tubicines duo paribus coloribus & artificio, hos parandorum hoſpitiorum magiſtri magnificè induti cum crucibus rubeis vtrinque. his curſor ſuccedebat, cui circiter triginta diuerſa munia exercentes in caſtris. his trecenti ſclopettarii equites cum fulgentibus armis, galeiſque auratis, & integumentis brachiorum annulatis, qui ſingulatim breuem ſclopettum & longiorem geſtabant, veſteſque, habebant magnificas ſuper armis. Horum prefectus veſtibus induebatur arte Phrygionica picturatis. his ſuccedebãt ſex tubicines, quibus duodecim pueri ſericis veſtibus villoſis induti cũ multis ornamentis aureis cum pulcherrimis equis omnes. his tres nobiles, his quinque equi ad uſus Ducis deſignati cum aureis & argenteis operimentis picturatis, & in folia inciſis variorum colorum, quibus inſidebant pueri pariter induti. ſequebantur & pueri cum galeis, qui lanceas quinque geſtarent, & vnus qui criſtam, quos puer geſtans galeam ducis multis gemmis ornatam & affabrè factam miro artificio, cuius in ſumma parte inſidebat aquila candida. ſequebatur Dux ipſe præfulgentibus armis indutus, quem trecenti nobiles armati, quinque ſimul incedentibus reniden tibus armis, ſupra quę ſerica habebant veſtimenta varii caloris picturata. his ſingulis lanceę & galeæ à pueris geſtabantur indutis paribus ornamentis. his ſuccedebant quingenti & quinque ſclopettarii Cornelii Bentiuolii, & ſeptingenti ſclopettarii equites, tum viginti muli cum Ateſtinis inſignibus. nam duo millia ferè armatorum dux Ferrarienſis cum regali magnificentia adducebat in caſtra Cęſariana, quem Cęſar magna humanitate complexus eſt. Solimanus vbi primùm Taurumnum acceſſit iubet per nuntios Hamſamum pontem tumultuarium ſupra Drauam fluuium excitare, quod niſi faciat, extremum ſupplicium minatur. Hamſamus accepto imperio non procul ab oppi

ottouũ opp.

do Ottouo pontem ſatis firmum conſtruere incipit, ſed vis repẽtina aquarum diurnos labores Turcarum, atque vniuerſum opus per noctem ita deuoluit prono flumine, nullum vt indicium priſtinę operę appareret, atque ſpes omnis denuo erigendi appareret ſublata. id ipſum cum aliis in locis quibuſdam fruſtra tentaſſet, ludereturque omnis opera, ſignificatum mittit Solimano ſe nulli neq; labori neque ſtudio neque diligentię peperciſſe, ſed fluuium omnino pontem indignari. Solimanus linteum ſubtiliſſimum mittit, iubet hunc laqueum ſeruare in ſuum aduentum, niſi pons fuiſſet extructum. Hamſamus territus impetat magna celeritate omnia nauigia conuenire. ligna deci-

Namſamus pontem extruere iuſſus à Solimano.

di è proximis ſyluis. vndique ad certum locum ad fluuium comportari. vt autem cito conficeretur iuſſi ſunt omnis ętatis & conditionis homines ad opus conuenire; quo cum circiter viginti & quinque millia conueniſſent nullo tempore neq; diurno neq; nocturno intermittitur, donec pons eſſet abſolutus. eius longitudo fuit quingẽtorũ paſſuũ, latitudo quatuordecim. vbi arbores propter profunditatem defigi non poterant, lintres concathenati ſunt ferreis cathenis, quę ſeſe mutuis nexibus complecterentur. Ottomanicę copię, quę primę in Pannoniam conceſſerant Drauam lintribus tra

Sicloucum opp.

iicientes Curtam verſus iter ceperant, & ad Siclouſcum oppidum iam peruenerant. Nicolaus Sirinus vir eximię virtutis certior factus per exploratores Turcas complures ad arcem Soclium conſediſſe nullo ſeruato ordine militari, tanquam ad venationem, at non ad bellum aduerſus homines exiiſſent, mittit cum quadringentis expeditiſſimis equitibus, & octingẽtis peditibus Nicolaum Cobacum, & Gaſparem Alapianum, & alios quoſdam duces. iubet Turcas adoriri, & oppidum ſummo ſtudio tentare ſi daretur facultas, & prędari ac ſuccendere, atq; intelligere iter Turcarum. vbi Soclium ventum eſt, fit impetus in Mechmetum ſub auroram. multis vtrinq;. cęſis, prefecto Turcarum in poximis paludibus ſuffocato, ad quas per metum confugerat, tandem victoria fuit penes Cęſarianos, qui multam predam Metubarrim reportarunt. Capta ſunt duo vexilla Turcarum; quarum in ſummo erat argenteum pilum latum in quatuor digitos cum pomo argenteo ad calcem pili. in Pannonia itaq; variis in locis pugnabatur, nullumq; oppidum erat in finibus à rapinis & incurſionibus liberum, rurſuſque Sirinus certior factus quod Halla purpuratus prefectus Teutoburgii non procul a Metubarri cum ſuis copiis conſederat, repente per noctem caſtra eius nihil tale opinantis inuadit. Dormientes aggreſsus, cum nullum daretur tempus aciei inſtruẽdę, multos trucidat in morem pecudum, at prefectus ipſe fortiter pugnãs altera manu deciſa capitur. Sed iam ingentes Turcarum copię conuenerant in Illyrium & Pannoniam, ac Muſtapha Myſię ſuperioris prefectus, & Socolouichius, & Carambeius Turcarum proceres non procul ab Ottouo oppido

traiecto

traiecto Drauo flumine caſtra ponunt apud Sochium infra Ardanium, cū Solimanus eſſet Taurūni. attracti ſunt lintres aduerſo fluuio, ſupra quos fieret pons ad Metubarris expugnationem, atque pons ſupra Danubium iactus iuſſus eſt infringi. Tum Carambeius & Muſtapha Soclio adeunt Teutoburgium. Inde conueniunt ad Albam regalem ad caſtra cum præfecto Curtenſi coniungenda, quos Hamſamus cum omnibus ſpacchibus ſequebatur. Drauum primus omnium traiecit purpuratus Aſiæ minoris cum exercitu vnà cum præfecto omnibus copijs, cuiuſq; ſub præfectura continentur omnes illæ regiones Europæ finitimę, quæ citra mare Aegæum cōtinentur. ibi in planitie non procul à Drauo fluuio erigitur tentorium imperatorium, quò vbi Solimanus aduenit, flumine traiecto caſtra firmat, quo de tota re bellica conſultaretur, & omnes copiæ commodè tranſirent.

Sociiū & Ardaniū oppi.

Decernitur in comitiis vt Iula & Metubarris primùm expugnarentur. expugnationum cauſæ fuerunt adductæ complures, & Iulæ quidem quia illa munitio plurimum conferret ad cæteras vrbes Pannonicas ſubiugandas; at Metubarris, non ſolùm quia turpe eſſet, parumque decorū pati illam munitionem validiſſimam eſſe hoſtilem intra viſcera regni Ottomanici, vt ita dicam, ſed etiam quia multæ moleſtiæ ſubditorum ita demum aboleri poſſe putabantur, quibus aſſiduè vexabantur gentes finitimæ. Nam Cęſar ſemper firmiſſima præſidia ibi & Iulæ habere conſueuerat, eaſque munitiones omnibus rebus egregiè inſtructas conſeruabat. illa præſidia modo egreſſa vexabātur à Turcis, modo Turcas ipſa infeſtabant, erantq; quaſi aggeres validiſſimi, aut firmiſſima propugnacula aduerſus omnes impetus hoſtium. compellebant Solimanum ad eius loci pręſertim expugnationem frequentes ſubditorum populorum lamētationes & querelæ, cum grauia damna ſępius inde paterentur.

Iulæ & Metubarris expugnādorū cauſæ.

Nam cū Drauus neq; vadari poſſit facile, & multas faciat paludes equis inacceſsibiles, cum fierent nūdinæ apud Curtam, aut in aliis emporiis eius regionis, Metubarris milites lintribus coriaceis affabrè factis, ita vimina deciſa è propinquis ſyluis fundo alligabant funiculorum inſutorum beneficio, vt ea flecterentur ad pondus ingreſſorum remigum, & nauigii ſpeciem vſumque præberent traiiciendis fluminibus. Vbi traieciſſent ſolutis aut etiam abiectis viminibus nauigia in morem caſtrenſium poculorum coriaceorum contracta & complicata ferebātur, donec ad aliud flumen veniretur. Sic fiebat vt multam prædam, & rerum precioſarum, ſæpius in oppidum reportarent cum multis finitimorum lacrymis.

Coriacęa nauigia.

Inuitabat Solimanum loci etiam ipſius potiundi deſiderium, cum oppidum munitiſsimum eſſet, putareturque propè inexpugnabile. Eſt enim Metubarris in finibus Pannoniæ, vel, vt alii maluerunt, Illyrii; in quodam lacu ſita inter ampliſsimas paludes mediocris profunditatis, quæ niſi per duos pontes non poteſt adiri, quorum alter orientem ſpectat, alter occaſum. ſunt autē penſiles & ſubductiles vtrique; vbi verò eſt aditus duo habet præualida propugnacula è gleba ligniſq; catenatis & mutuo nexu contextis. Habet duo ſuburbia, & quaſi vicos munitiſsimos, atque arcem formę quadratæ. Inter vtroſque vicos profundiſsimæ ſunt foſſæ plenæ aquarum fluentium. præerat hiſce munitionibus, vt dictum eſt, Nicolaus Sirinus vir Pannon ſtrenuus cum mille & ducentis peditibus.

Metubarris deſcriptio

Turcæ qui Iulam vel ante aduentum Solimani per obſidionem tentauerant, ſed ob aquarum copiam imperfectum negotium reliquerant, his decretis in comitiis militaribus redeunt ad eandem obſidionem, cum Solimanus triginta & ſex hominum millia deſtinaſſet ad illam expeditionem, cuius ſummum imperatorem dicit Partaum purpuratum. Solimanus ipſe ſigna ſua conuelli iubet ad expugnandum oppidum Metubarrim. Prius autem Soclium & Teutoburgium accedit, parumque diſtans ab oppido caſtrametatur. miſſus eſt Græcię purpuratus ad explorandum ad expugnationem, atque egreſſa præſidia commiſſo minuto prælio multos Turcas trucidant cum parua ſuorum iactura.

Partaus ſummus imperator expugnadæ Iulæ dictus.

Solimanus inde ad oppidum Diui Laurentii conſedit, id diſtat circiter mille paſſus à Metubarri, quo conuenerunt multa Turcarum armatorum millia, pugnatur leuibus præliis. deinde Vebier & Achanſius Turcarum duces caſtra mouent, & in vineis Metubarri finitimis conſiſtunt. poſtridie minutum prælium ab aurora inceptum ad meridiem vſque protrahitur. pugnabatur ita quotidie in aduentum vſque Solimani, cui purpurati collem cedunt, oppidumque cingunt obſidione. Solimani tentorium in colle erigitur, ad cuius aduentum edita ſunt lætitiæ ſigna multis diſploſis tormentis, terque repetita vno tempore ingenti Turcarum omnium vociferatione. Metubarrim itaque latiſſimè tentoriis planitiem vbique tegentibus obſidetur. tracta ſunt tormenta. repleti corbes viminei, & gleba repleti ad protegenda tormenta & tormentorum miniſtros. comportati ſunt faſciculi lignorum ad aggeres extruendos, qui profundis foſſis vallantur. habebat in caſtris Solimanus, vbi Metubarrim ventum eſt, plura ducentis armatorum millibus, cum Tranſyluani copiæ non paruæ, & Myſiæ inferioris, & ingens Scytharum multitudo conueniſſet.

Metubarris obſeſſa.
Solimani copiæ.

Aliam partem miſit ad obſidendam Iulam, vt diximus, alia pars ad populandum Myſiam ſuperiorem contendit, quam protegebat Carolus Archidux princeps eximius & ſingulari prudentia ac fortitudine cum triginta millibus armatorum.

Caroli Archiducis copię.

Iulæ præſidia nuntiatis felicibus Suendii ſucceſſibus, mira quadam alacritate, animique ardore ad gloriæ deſiderium incitantur. repente obſidentium caſtra inuadunt. intra vallos irrumpunt. magna fortitudine in Turcas impreſſionem faciunt. circiter quinque millia hoſtium trucidant, inter quos ceciderunt tres Sanzacchi & purpuratus Tibiſci; ad quā victoriam plurimum contulerunt ferrea triangula ſata in locis opportunis per noctem ad transfigendos pedes equorum; quod inuentum fuit Proſperi Columnę in Inſubribus. contulit etiam plurimū cuniculus quidam in ipſos Turcas excauatus. nam præſidia paucis amiſſis captiua inſignia Turcarum & multa ſpolia reportarunt in vrbem.

Clades Turcarū ad Iulā
Triāgula ferrea Proſperi Colūnæ inuentum.

Sirinus vbi primùm patuit Turcas aſpirare ad obſidionem, ſumma diligentia omnia neceſſaria comparauerat. iuſſerat omnes arbores oppido propinquas ſuccidi. hortos deuaſtari. ligna, quibus ſibi non opus eſſet, ſuccendi. portas

oppidi

oppidi ſaxis & terra oppleri tam lata, vt globis tormentorum poſſent reſiſtere. vbi primùm Tur-
cæ oppidum obſidere ſenſit Sirinus, conuocat tribunos & centuriones & reliquos milites,
quos ad ſuſtinendos fortiter bellicos labores cohortatur. Proponit gloriam, quam ſibi poſſunt
per præſentem opportunitatem apud omnes poſteros comparare memorabilem. docet virtu
tem & laudem ſitam eſſe in rebus duris & arduis magnam, cum nihil mediocre facere poſſit
quemquam glorioſum. Demonſtrat neceſſitatem fortitudinis, cum aut libertas aut vita ſit ne-
Sirini Oratio. ceſſariò amittenda, quæ vtraque per virtutem ſolam defendi poſſunt. proponit hoſtis arro-
gantiam Deum plerunque habere aduerſarium, niſi quantum humana peccata oppreſſorum
vltionem retardent. non eſſe timendam multitudinem inquit, cum ſæpius ingentes exercitus
virtute paucorum retuſi ſint & infracti, quod ne longius repetatur memoria, demonſtrauit vir-
tus recens Melitenſium, vnam eſſe uiam ſalutis in ferro poſitam, cum hoſtis vbiq; vel libertatem vel
iugulũ petat. aperit non eſſe propriam ducum illam fortunam, ſed communem omnibus militibus
vel fortaſſe etiam ducibus leuiorem, cum parua ratio priuatorum apud barbaras auariſſimas
gentes habeatur, vbi nulla ſit magna ſpes redemptionis. ſe velle in omnibus ſubeundis peri-
culis priuatum eſſe, & ad omnes bellicos labores pro communi ſalute paratiſſimum, nulla
in re ſe à cæteris differre, niſi vt pareatur vni ad conſeruandam omnium ſalutem. vt autem
ad omnium ſalutem coſpiratio quaſi diuino quodam vinculo religetur & contineatur, neque
quis deſeratur in ipſo articulo temporis ab religione aſtrictis, prior ipſe iurat maximum & ve-
nerabile iuramentum, per ſanctiſſimam trinitatem vnum Deum Iuſtitiæ & æquitatis præſidem
ſe nunquam ſalutem aut defenſionem cuiuſquam pro viribus deſerturum, atque eandem fortu-
nam cum omnibus ſubiturum. Petit vt omnes idem iuramentum iurent Germanico more,
qui eſt vt digitum indicem detectis capitibus extollant ad eius iuramenti comprobationem.
Germanicũ iuramẽtũ. id non facientes rebelles cenſentur. Iuramentum ita proponitur quod iurant maximum iu-
ſiurandum, Deo & Cæſari ſe ipſos conſecrare, neque communem fortunam deſerturos.
Hortatur poſt modo vt æquis animis Gaſparis Alapiani pareant imperio tanquam ſummi
imperatoris ſi ſe de medio fortuna belli tulerit. Proponit extremum ſupplicium non
parentibus imperio ducum, vel literas à Turcis accipientibus. Si quæ inuentæ ſint pro-
hibet reſignari, ſed comburi iuſſæ. vetat ſub capitali pœna fieri conuenticula, quæ nulla
ſunt vel in ſuſpicione carentibus vrbibus permittenda. vetiti ſunt & milites ſecretius inter
ſe colloqui. enimuero hortari animos militum, & erigere propè iacentes, vtile eſt, ſed
iuramentum quiddam ſuperuacaneum. nam cenſere omnes viros bonos eſſe, & obſeruan-
tes iuramenti, ridiculum eſt. putare poſtea metum vereri iuramentum, penè demens;
cum metus ſemper ferè obliuioſus ſit, & quaſi ebrius. his actis Sirinus cenſet omnes co-
pias, & quos haberet intra mænia tractandis armis aptos, qui homines inuenti ſunt trecenti
ſupra duo millia. Turcæ ad Metubarrim caſtrametati, vt dictum eſt, vallis & aggeribus &
omnibus reparationum gèneribus ſe muniunt per ſummam Ianizzerorum induſtriam ad-
uerſus bellica tormenta oppidana; quibus extructis res agi cœpta eſt frequentibus ictibus
ſclopettorum, & ſagittarum, cum oppidani conſtitiſſent intra mœnia ad portam nouæ
vrbis, quæ tela à circunſtantibus Turcis in oppidum iaciebantur. Aliportus tormentarij
negotii magiſter apud nouam portam aggerem ducendum curat apud hortum regium &
eius foſſam, quò iubet tormenta quædam maiora trahi ac dirigi. Vbi viſæ ſunt eſſe
factæ ſatis opportunæ verberationes, Turcæ ſummo conatu oppidum inuadunt. certatur
cominus & eminus omni miſſilium telorum genere. Sed tanta fuit virtus defenſorum, vt Turcæ
magna clade accepta repulſi ſint in caſtra. reditur ad verberationes & ad muros proſternendos.
adiuuat operam Turcarum ſiccitas cęli & militum diligentia cum palus vicina & lignis & gleba &
varia materia vel è longinquo comportata ita repleretur, quæ reliqua erat, vt omnino magna
ex parte facta ſit acceſſibilis. cępta eſt arx interior multis tormentis concuti, quæ verberatio diu
noctuque fiebat. poſt verberationem oppidum ſecundo magnâ alacritate inuaditur. pugnatur
Sirini facinus crudele. vtrinque magna virtute ſed tamen Turcæ accepta non leui clade demum reijciuntur. Sirinus
quia captiuos haberet multos Turcas iubet trecentis capita amputari; & ſpectanda Turcis ſuper
męnibus exponi, quod facinus tam immane Turcæ tanta cum animi indignatione ferunt vt
quaſi furore impulſi oppidum repente adorti ſint. pugnatur acerrime non tanquam pro glo-
ria, ſed tanquam pro vita & ſanguine & iugulo ſingulorum capitalibus odijs. nam his vltio
ſuorum, illis defenſio rerum omnium erat propoſita. ceciderunt multi vtrinque. ad extre-
mum victoria fuit penes oppidanos. reditur ad verberationem. oppidum nullo tempore interie-
cto concutitur. Solimanus quia propinquus eſſet caſtrametatus, & iam corpora cæſorum
corrumperentur, grauiſſimeque olerent coactus eſt transferre tentorium, ac recedere ne ta-
beſcentium cadauerum fœtorem perſentiret. Turcæ interea miſſi ſunt nonnulli ad caſtra
Cęſariana recognoſcenda, atq; ducenti & quinquaginta equites iſtud faciunt, qui à fronte Stri
goniam verſus explorant. exeunt in hos è caſtris Cęſarianis equites complures, qui ſpe prædæ
caſtra ſequebantur ducibus Cechino Florentino & Nicolao Toſino, ſed illi ſumma celeritate
Iula obſeſſa. ſe ſeruarunt. Iula & ipſa cingebatur grauiſſima obſidione, cum Turcæ pluribus è partibus
erectis tormentis illam acerrime verberarent, & per ruinas murorum ingredi conarentur, mul-
tiſque è ſuis amiſſis ſępius defenſorum virtute ſunt reiecti. Scythæ palantes finitima quæque
per id tempus populabantur. ad quinquaginta pagos prædati ſunt. omnia vel ferro vel igni
deuaſtabant, cum parui Suęndij copias vtpote paruas facerent. Sirinus poſt multos conatus,
diutur-

diuturnaſque verberationes cognito periculo in quo verſabatur antiquo oppido defendendo, illud primum ſuccendere ſtatuit, & à nouo multa induſtria ſeparare. nam rebatur futurum illud quod breui euenit, vt Turcæ vetus oppidum ſumma vi concuterent, quod fit à tribus lateribus. Turcæ enim ductis aggeribus & foſſis paulatim illi propinquant, quod fit pontis cuiuſdam beneficio facti Aliporti opera è lignis, gleba, multaque alia huiuſmodi materia magno ſtudio comportata, quia curabat vt repleta palude ex illa parte arci propinquaretur. Turcis enim propter eximiam tum militum tum etiam caſtra ſequentium & operarum multitudinem facile eſt vel profundiſſimas foſſas vrbium replere, vel montes, vt ita dicam, congeſtis è terra conuoluere quocumque libuerit. nam milites & inſignes duces vel corbes ferre, vel implere, vel terram effodere non indignum milite putant, & omnia militaria munia obire, quæ vel expugnandis hoſtibus vel tuendis caſtris neceſſaria ſint. Quare quot militum, tot operarum millia in caſtris Turcarum ineſſe putanda ſunt. ad illum pontem extruendum magno fuit adiumento ingens camelorum multitudo & equorum & mulorum, qui multa è longinquo comportarunt; quæ animalia, vel homines materiam ferentes ne ab oppidanis offenderentur, multæ ſunt erectę reparationes, per quas vlterius procederetur ſupra pontem iis aſſiduè proferendis. nam tanquam vallos caſtrenſes multos ſaccos lana & bambaſio & conſimili molli materia plenos proferebant, quibus tecti vbi fiunt mœnibus propinqui, defenſores inuadunt, & ſclopettis, ſagittis, omnibus miſſilibus telis & globis minorum tormentorum infeſtant. neque ita multis præliis commiſſis Tucæ veteri oppido potiuntur paucis è ſuis amiſſis. oppidanos partim pugnantes trucidant, vt multi aduerſus paucos, partim in arcem fugientes includunt.

Turcæ nulla munia aut labores bellicos ſe indignos putãt.

*LIBRI DECIMI SEXTI FINIS.*

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS

## LIBER DECIMVS SEPTIMVS.

TVRCAE veteri oppido Metubarri ita per vim potiti, rati victoriam eſſe viam ad victoriam quamque proximam, in magnam ſpem veniunt arcis etiam potiundæ, cum arbitrarentur defenſores, qui ſuperfuerant illa accepta inſigni clade ita conſternatos eſſe, ita territos & afflictos, vt vix auderent arma ſumere ad defenſionem. Idcirco illo felici rerum ſucceſſu iam facti elatiores pluribus è lateribus aduerſus arcem verberationem inſtituunt, multiſque viminibus & lignis & varia materia ſubſtrata ſibi viam ſtruunt ad illam expugnandam. Illud facile fiebat per menſem ſextilem, quo tempore propter anni ſiccitatem aqua propè vniuerſa exiccata fuerat. Huc accedebat quòd cœlum mirificè erat ſudum, neque quid difficultatis apparebat futurum præter limum tantis viribus aduerſariorum, quæ aduerſus oppidum parabantur. nam tametſi Turcæ proceres ſibi certiſſimam victoriam proponebant, quia neque multitudini neque diuturnitati oppidani diutiſſimè poſſent reſiſtere, à quibus excluſa erat omnis ſpes auxiliorum, tamen quia videbant id ſine multorum inſigniorum ſanguine & cęde fieri non poſſe, Sirinum hortantur ad deditionem. Magnis & honorificis pollicitationibus ſollicitant vt experirentur an auro poſſit ſubiugari & molliri, qui nulla vi ferri hactenus inflecti potuiſſet. Sed vana fuerunt omnia Turcarum promiſſa, cum ille conſtantiſſimè ac pertinaciſſimè ſe velle defendere munitionem reſponderet ſuæ fidei commiſſam, at non prodere hoſtibus. Neminē poſſe facere legitimam deditionem rei alienæ. Petendam eſſe à Cęſare huiuſmodi detitionem, non ab eo, qui nullum ius habeat ſine proditionis turpitudine & infamia.

Sirini nobile reſponſum.

Cęſar, vbi copiæ conueniſſent, cenſebat cōiunctis caſtris Strigoniam iam eſſe inuadendam, per quam opportunitatem Turcæ poſſent ab obſidione Metubarris & Iulæ reuocari. Neque enim vtile fore cenſebat, neque Imperatoriæ exiſtimationi conuenire, cum tantas haberet copias, pati vt hoſtis intrepidus quæcunque libuiſſet loca oppugnaret ſine vlla Cæſarianorū moleſtia. res in conſultatione quorundam poſita diligenter conſideratur. cognoſcitur adeſſe ducenta & amplius hominum millia in illis finibus. Si accedatur ad eam vrbem expugnandam, alterum horum neceſſarium fore, vel vt turpiter recederetur ab obſidione, ſi tot millia armatorum opem ferrent, vel collatis ſignis dimicaretur, pugnareturque de ſumma belli, quod videbatur maxime periculoſum, cum Cæſaris copiæ neque ad dimidium quidem Turcicarum accederent, quæ etiam parum eſſent inter ſe conſentientes, parumque obſeruantes militaris diſciplinæ. Nam Pannonum & Italorum præſentiam non ſatis æquo animo ferebant Germani parum in hac re ſapientes, cum Itali ad reſtringuendum commune incendium Germaniæ confluxiſſent. tanta enim diſſenſio erat inter has nationes, vt coacti ſint Itali & Pannones, & ipſi parum alioquin inter ſe amici, concordibus animis ad mutuam ſalutem aduerſus Germanicam iram conſpirare, cum ad arma ventum eſſet & ad tormenta vſque bellica vtrinq;, quam ſeditionem vix Cæſar & Dux Ferrarienſis conſopiuit. Nam periculoſum erat ſi è duobus nationibus auxilia mitterentur, ne altera æquo animo alteram ferret ab hoſte trucidari, atque ita amba perirēt. Si ex vna tantum, ne nimis eſſet imbecilla. præterea ſi dimicatum eſſet in iis finibus, parum amittere poterat Solimanus, qui ante theſaurum in tutum perduxiſſet, quam fortunam belli tentaſſet; & pauca caſtella erat in periculo conſtituturus, cum longū iter fugæ pateret; at Cæſar omnia propè amiſſurus erat ſi fortuna belli parum feliciter aſpiraſſet. his rationibus non apparuit Cæſari, neque cęteris ſapientibus proceribus Strigoniam eſſe tētandam, quia putabant fieri non poſſe propter acerbitatem frigoris & tarditatem anni vt Solimanus diutius in ijs

rationes reuocantes Maximilianū à pugna.

finibus

finibus moraretur. Iula autem & Metubarris ita videbantur validæ, itaque munitæ munitiones vt tandiu poſſent vires hoſtium ſuſtinere, quandiu liceret eſſe ſub dio. Sed Iula vbi multos conatus Turcarum pertuliſſet, atque ſingulari fortitudine præſidia reſtitiſſent, multis cæſis per frequentia Turcarum certamina, iam ita erant defeſſa & afflicta propter aſſiduos labores, vt vix ſe poſſent ſuſtinere, quia nullum tempus neque nocturnum, neque diurnum concederetur ad quietem. Præerat Iulæ Cazarinus dux, qui vbi putaret ſe non amplius ferre poſſe obſidionem, tentauit per nuntios ſe dedere Tranſyluano. Illud cum aſſequi non poſſet, neceſſario ſe dedit Partao purpurato his conditionibus. Vt integra conſeruaretur omnibus præſidiis & ciuibus libertas & vita. Vt omnib. militibus armatis exire liceret cum carris & impedimentis. Vt ciuibus hæc omnia ſeruarentur. Vt darentur obſides à Turcis, cum quibus poſſent diſcedere donec in tutum peruentum eſſet. ad maiorem verò rerum prædictarum ſecuritatem Turcæ etiam ipſi obſides petunt. illis vtrinque datis obſeſſi excedunt. At Cazarinus per ſimulationem amicitiæ ob fortitudinem ad purpuratum adducitur, & præter fœdus ac pactiones in vincula coniicitur, reliqui milites vbi abeſſent circiter mille paſſus, à duabus conferciſſimis globis Turcarum circumueniuntur. cum præter ſpem inuaderentur, ſeſe ad carros colligunt. diu atrox & cruentum prælium committitur à Germanis præſertim. tamen cum pauci ingenti multitudini non poſſent reſiſtere vincuntur, profligantur, cæduntur: pauci ſe fuga ſeruarunt intra quoddam Cannetum, inter quos inſignis fuit tribunus militum Bernardus Rotenaus. Quidam autem putarunt hanc vrbem deditam eſſe per proditionem, atque accuſatus fuit Cazarinus apud Cæſarem, qui cum ſummo ſtudio diligentiaque procuraſſet libertatem quo ſe defenderet ab illis criminationibus iniuſte datis, id obtinere nulla ratione potuit. Solimanus ita Iula potitus, quæ vrbs erat antiqui regni Tranſyluani, iubet ſignificari Tranſyluano ſe illam ciuitatem redditurum ſi ſibi diſſoluerentur quadringenta nummum millia, quæ abſumpſiſſet in bellicos ſumptus. Cum vero Tranſyluanus ſe non habere tantum pecuniarum reſpondiſſet, Turcæ Solimani nomine ipſi vrbem occupant. Solimanus enim vbi primùm redierunt, qui ad exploranda caſtra Cæſariana conceſserant, iam animo aliquantulum in illum erat infenſo, quia querebatur Tranſyluanum per multa mendacia Turcas ad eam expeditionem allexiſse, cum denunciaſſet Byzantium Cæſarem eſse inopem & mendicum. non poſse multas copias colligere. magnas & implacabiles atque ſine numero habere controuerſias cum Germanis principibus, cum ipſe multa equitum millia in illam expeditionem promiſiſset, atque omnia longe ſecus ſe haberent. nam retulerunt illi in caſtra, Cæſari magnum adeſse equitum ac peditum numerum, atque multa tormenta, claſsem ingentem, omnes apparatus tantis rebus neceſsarios. fortunam potius Turcarum arcere tantas vires ab aggeribus, quam militare conſilium. his addidit Solimanus futurum vt Tranſyluanum mendaciorum pœniteret. quæ etiam à Solimano perſcripta, miſsaque ſunt ad Tranſyluanum. Tranſyluanus aduerſus illa excuſatione vtitur; ſe deceptum fuiſse à fideliſſimis alioquin exploratoribus. Pannonas multa promiſiſse, qui propter timorem tantæ multitudinis Turcarum ab iis promiſſis fuiſsent retardati. Poſtea Solimanus vniuerſam indignationẽ in Curteſem præfectum cõuertit, qui non opportunè pontes extruxiſset, ex quo Riſpia & Vatta fuiſsent captæ. Inde effectũ eſt vt capite huic amputato Tranſyluanus procul abſtiterit. Armeniæ præfectus purpuratus Metubarricæ expugnationi cum ſummo imperio curat vt ſuper cratibus contextis arx inuadatur, quam ſummo conatu Turcæ certatim occupare atque grauare contendunt. Sed tanta inextimabiliſque eſt defenſorum virtus vt Turcæ magna clade accepta ſtatim coacti ſint redire in caſtra circiter duobus millibus ſuorum amiſsis & duobus vexillis. reditur ad verberationem, atque aperiendam ampliorem commodioremque viam ad conatus arx à tribus partibus concutitur; ab Haledia, à propugnaculo monti, & ab altero portæ propinquo. Ianizzeri repente irrupturi per incurſionem ſperarunt ſe arce poſse potiri, ſed conatus omnis fuit irritus. Vbi vis ferri non ſufficeret, ventum eſt ad ſarcula & cuniculos. Excauatur cuniculus montem verſus, quod fit tanta celeritate ac diligentia, vt intra triduum quiuis poſset vnus per viam ſubterraneam in oppidum accedere. illuc pulueri & lignorum materiæ comportatæ mox ignis ſubiicitur. ſed cum interius exploratus eſset cuniculus, & aduerſus illum alius excauatus, irritus fuit, & omnis parata materia fruſtra combuſta. Illud vero non mediocri fuit detrimento rebus oppidanis, quod ignis vi tormentorum in arcem coniectus magnam partem ædificiorum abſumpſit, quod factum eſt monitu cuiuſdam transfugæ, qui monuit Turcas tormenta dirigere in bellicos apparatus. atqui tanta erat globorum circa arcem obſtrepentium & glandium & ſagittarum procella, nemo vt poſset ad defenſionem accedere. Inuaditur ſummis viribus propugnaculum portæ propinquum, cuius defenſioni præerat ipſe Sirinus. ibi tanta virtute pugnatur, vt Turcæ iam bis cœperint recedere. Sed cum vis ignis ſerperet inter pugnandum, [illegible] vt pulueri tormentario arcis propinquaret, cuius magna copia erat apud portam, cum non poſs[illegible]t vno tempore & hoſtibus & igni reſiſti, paulatim cum trecentis militibus ſe ſe in partem arcis [illegible]tiorem recipit, vbi erat tutiſsima atque commodiſſima receptio, quia igne accenſo in maximo omnes erant periculo repentini incendii. iubet portas arcis occludi. milites qui reliqui fuerunt, ad vnum ſunt trucidati. mulieres & pueri qui eſsent ætatis habilis ad iter in ſeruitutem abducuntur. reliqui omnes cæſi ſunt. Illam vero arcem, in quam Sirinus ſe receperat, arx cingebat exterior, quarum vtraque foſsas & mœnia & aggeres habebat eximios. at enim muri ita erant in quadam parte coniuncti, vt facilis & ſine impedimento ex altera in alteram arcem pateret acceſsus, neque minor arx in eo angulo, qui cum maiore coniungebatur, erat munita, quia ſatis maioris arcis patrocinio protegebatur. Ibi vna tantum erat domus, ipſius Sirini domicilium ſcilicet, cum loca cętera, quæ eſsent pulueri tormentario, & ſeruandis tormentis

Hh accommoda-

Cazarini & Iulę deditio.

Turcarũ perfidia.

Cõditiones oblatæ Tranſyluano pro Iula.

Tranſyluani fraudes, & mẽdacia moleſta Solimano.

Metubarri expugnãda pręfectus purpuratus Armeniæ.

Metubarris incendium.

accommodata, & annonę varii generis leguminibus & carnibus ſalitis & vaſis vinariis & oleariis vno infeliciſſimo incendio arſiſent cum omnibus victui neceſſariis in arce vetere. adiuuit fortuna incendium, quia ventus flammam non leuiter ſollicitauit. capta ſunt à Turcis tormẽta omnia, quæ erant in arce vetere, quibus vſi ſunt concutienda noua & expugnanda. erant in arce noua ſexdecim tantum cãpeſtria tormẽta, reliqua venerunt in poteſtatẽ victoris. erat parua omnino annonæ copia in noua arce, quare multi iã inedia moriebantur. Turcæ vetere arce potiti aliquãtulum quieſcunt à prælijs. Interea claſſis Turcica, quæ per litora Calabriæ & Apuliæ totiusq; Italię incurſiones fecerat captis multis Chriſtianis, & in miſerrimã ſeruitutẽ abductis iter faciẽs non procul à faucibus Apolloniæ rurſus applicuit ad Cimmerios Thracię populos, qui annuũ tributum non curaſſent diſſolue re. Iubet Pialis circiter octo millia peditũ exire, atq; in Cimmerios impetũ facere. contra, Cimmerij cognito Turcarũ aduentu deferunt ſummum imperiũ rerum bellicarum gubernatori ſuæ prouinciæ, atq; omnes cõcordibus animis ad defenſionẽ arma capiunt, colliguntq; ad decẽ millia armatorũ. vbi Turcæ circiter octo milliaria intra regionẽ proceſſiſſent, ab his obuijs inuaduntur tãta virtute vt Turcę multis è ſuis cęſis coacti ſint quãta fieri poſſet celeritate curſim ad naues refugere. Sunt autẽ hi populi vocati Cimmerij ab oppido Cimmerio quondã celebri perantiquo, quod fuit in regione Illyrij nõ procul à Boſparo Thracię, homines planè agreſtes, feroces, bellicoſi, perpetuisq; prędationibus aſſueti. Sed qm̃ regio montibus abundat aſperrimis ac difficillimis, quę ſunt tutiſſimæ receptiones Cimmeriis, vbi res parũ feliciter ſuccedant, ita factũ eſt vt Turcæ deſperata regionis expugnatione inde abſceſſerint, perq; ſinũ Corcyręum nauigãtes ad vrbẽ Nicopolim ſitã in ſinu Ambracio cõtenderint, vt remis, aliisq; inſtrumẽtis claſſi neceſſariis inſtrueretur. Turcis abnauigãtibus Illyricę collectę copię oppidũ Turcarum Viuizzã intra ſuos fines adoriũtur, cuius in præſidiis erãt quadringẽti Turcæ, quo per vim armatorũ potiti Turcas omnes trucidant, atq; oppidum diripiũt. His ita ſuccedẽtibus nuntii mittuntur ad pagos oẽs, hominesq, mõtanos, quibus obnuntiatur, niſi arma cũ reliquis ceperint ad cõem libertatem ſalutemq; protegendã, omnes in morẽ atrociſſimorũ hoſtium trucidatũ iri, atq; puberes iugulatum tanquã proditores patrię & cõis libertatis. Nam cum natura loci ſit munitiſſima propter inſuperabiles montiũ aſperitates, per ridiculum Cimmeriis videbatur vt Turcis parerent, cũ liberi eſſe poſſent, atq; ſitus beneficiũ omnes exterorũ iniurias facile coerceret. quibus accedebat quòd circiter quindecim millia hominũ colligi poſſent, ſatis valida præſidia ad quaſuis exterorũ irruptiones. reliquum erat oppidũ exiguum tanquã quædam ſine propugnaculis turris Deſpoſtum, cuius in præſidiis erãt ducenti Turcæ diſtantis à mari ad mille paſſus. Illud etiã attractis duobus muralibus tormẽtis inuadit, & expugnatur. Turcæ trucidãtur ac diripiuntur. Sic pro ſoluẽdo tributo, Cimmerii cũ Pialis in eos aſperius exuiſset, ſe ab imperio Turcarum prorſus liberarũt. Atuacuti verò paulatim interea numerus hęreticorũ ſuccreuerat, & eorum qui nouã religionem cõplectebantur; quod ipſum fit in proximis quibusq; oppidis atq; vrbibus, & præſertim Bagani in regione Neruiorũ & Valentianæ. nã cum hi in catholicæ religionis obſeruãtes ſęuere cępiſsent, coegerunt omnes catholicos ex illa religione excedere, & propter metum diffugere acerbiſſimorum ſuppliciorum, quãuis Aurantius princeps, vt apparebat partes catholicorũ pro virib⁹ defenderet. ad eã nouę religionis meditationẽ impulit maximè Belgas timor nouę quęſitionis Hiſpanæ, ad quam tuendã apparebat inuitare vicinitas & cõmunitas cęterorum Gallorũ, & multorum Germanorum, quare cęptę ſunt haberi conciones in vniuerſo Belgio magno populorũ omnium Belgarũ concurſu. cęptum eſt etiã ſacras templorum imagines vbiq; impiè demoliri. Turcæ verò in finibus Pannoniæ frequentes procurrebant ad fines vſque Auſtriacos, & ad Peſſium, cum Tranſyluanus etiam cum Pannonibus copiis & Scythicis traiecto fluuio Tibiſco populabundus agrum Auſtriacum hoſtiliter deuaſtare conaretur, & trucidare & abducere colonos. Sed Carolus Archidux princeps non ſolum magnificentia animi & probitate clarus, verum etiam fortitudine & peritia rei bellicæ inſignis, cum collegiſſet ad triginta armatorum millia, non patitur ſuos impunè vexari. hoſtem non modo fortiter ſuſtinet, ſed etiam frequentibus incurſionibus & ipſe vexat, cum nihil tam inſulſum ſit, quàm concedere hoſti quietem, quem infeſtare poſſis, & ad eius arbitrium pugnare. Nam hoſtis niſi vexetur, id fieri exiſtimat propter metum vel ignauiam vel imperitiam rerum bellicarum, quare ſemper elatior fit & inſolentior omnibus damnis inferendis. at non placatior. Carolus igitur bonam partem ſuarum copiarum mittit ſuperiorem Myſiam verſus Florelio Turrio duce, quæ copiæ magna alacritate regionem ingreſſę multa & animalia & homines capiũt, & mox Illyrium quoque percurrunt Argirutum, vſque vbi in vnum conueniſſent Banni Illyrici, Embrotiique Auſtriaci vires oppidum Caſtenauiccium prętergreſſæ. Cleuæ præfectus auditis his incurſionibus exiens ad eas impediendas multa armatorum millia educit, Saumque fluuium traiicit. Naſcitur hic fluuius è paruis fontibus apud Carnos populos, atque ad radices montium Liburnię, ingrediturque Danubium apud oppidum Taururum. harum copiarum aduentu audito Caroli copię relicta oppugnatione Argiruti, quod erant iam iam aggreſſurę primam aciem hoſtium mira alacritate adoriuntur atque in fugam vertunt. pręfectuw illarum copiarum vulneratum capiũt. omnes Turcas trucidant, atque Bannus ex altera parte cum ad oppidum Solonen acceſſiſset quatuor Turcarum millia habet obuia. cum iis pręlium committit. bonam partem eorum trucidat. reliqui diſſipati partim capti, partim cęduntur ab inſequentibus, partim in proxima caſtella fuga ſe ſeruant. Carolus ipſe aduerſus Turcarum impetum interim cum reliqua parua parte copiarum ſuarum ad protegendam Valeriam regionem atque Iapydiam fortiſſimè conſtiterat, atque conſederat inter Darum & Muram fluuios, cum modo ad Perouiam modo ad Rocheſburgium conſiſteret, ſępiusque impetus hoſtium refręnarit, & profligarit, vt apud Pappam Siſopam verſus ducibu

Turige-

Turcę à Cimmerijs fugati.

Viuizza capta & direpta, à Cimmerijs.

Deſpoſtum oppidum.

Valentianæ & Bagani hęreſis.

Aurãtius Catholicos defendit.

Caroli Archiducis virtus.

Saui deſcriptio.

Caroli Archiducis caſtrametatio.

Turrigeorgio & Turriferreo. nam hi circiter octingentos Turcas vno prælio ceciderunt, & tribus captiuorũ Chriſtianorum millibus libertatē reſtituerunt. Cæſar pontē fieri iuſſerat apud Bregetium confidens, per quem inſula Comaria ſubſidia poſſet accipere, ſi opus eſſet. at Turcæ inter Curtã & Peſtam oppidũ, ne vires ſi opus eſſet mutuis auxiliis eſſent disiunctæ. Mahometus ex altera parte Albæ regalis præfectus Solimani conſiliarius & Sanzacchus cum aliquid cuperet ſcire per captiuos de conſiliis Cęſarianis, exit cũ mille equitibus. Caſtris Cæſarianis propinquus fit obuius quibuſdã carris. hos capit & abducit. exeunt in hunc quatuor vexilla Ferrarolorum, equitatusq; Pannonicus. cõmittitur cruentũ prælium. multi Turcæ ceciderunt. recepti ſunt curri. Mahometus captus. Ferdinãdus Archidux in finibus Caſſouię & ipſe caſtrametabatur cum multis millibus armatorum, vt eos fines ab incurſionibus Vaiuodę Scytharum & Turcarum tueretur. Neq; Suendius quidem vlli vel induſtriæ, vel ſtudio deerat cum ſæpius excurrentes Turcas & regionem inuadentes adoriretur ac trucidaret. Dum ita multis in locis vno tempore pugnatur in finibus Pannonicis, multiq; inſignes proceres in certaminibus Metubarris cæduntur, inter quos fuit Agã Ianizzerorũ, tres purpurati, & præfectus Aſię minoris. Captum eſt ab oppidanis Imperatorium vexillum, quare magnopere iratus eſt Solimanus, quòd tam exiguum oppidum ſuis viribus tamdiu cum tanta Turcarum clade poſſet, auderetque reſiſtere. Illam indignationem incitabat etiam nuntius, quòd audiuerat Medorum regem in regionem Georgianam hoſtiliter ingreſſum ad duodecim millia Turcarum trucidaſſe, multaque caſtella & vrbes cepiſſe. iis rebus nunciatis iurauit Solimanus ſe vel ſi vniuerſus exercitus eſſet amittendus velle omnino Metubarri potiri. nec multo poſt iam ſenio confectus, multiſque laboribus itineris defatigatus, quo pepulerat illum regnandi cupiditas, atque ira percitus repente cœpit laborare ſanguinis profluuio. Idcirco in ea ætate natiui caloris inopia victus, qui totus tamen videtur eſſe in ſanguine breui vitam cum morte commutauit, ſicuti ſibi à Franciſco Giuntino Florentino viro rerum aſtronomicarum peritiſſimo prædictum fuerat, cum annos ferè quadraginta & octo regnauiſſet cum multa felicitate, fortuna plerunque cum eius principis ſapientia conſpirante. Mahometus vir ſingulari ingenio & prudentia veritus mortuo Solimano, ne rumor in caſtra dideretur, quòd in occultatione huiuſce mortis appareret conſiſtere ſalus rerum omnium præſentium, & Ottomanici Imperii conſeruatio, primum diligenter ſecum perpendit quo pacto id conſequi poſſet, ne rumor in Turcica & inde in Cæſariana caſtra penetraret. Cum ſolus conſcius eſſet mortis medicus, qui aſtiterat Solimano, quæ repente accidit, dedit ingentes pœnas eius ſcientiæ, docuitque quam ſecretæ res principum ſint deuitandæ. nam Mahometus veritus ne hic medicus rem patefaceret, illum euocat è tentorio, & iugulari in ſuo conſpectu imperat. nam ſanè in magno diſcrimine tantus theſaurus poſitus erat, qui ſtatim direptus fuiſſet, ſi res fuiſſet patefacta, inter nationes præſertim auariſſimas & prædæ auidiſſimas. curauit igitur Mahometus & rem occultari, & non intermitti Metubarris expugnationem donec Selimus imperium cepiſſet, ad quem perueniebat iure hæreditario. Continuò itaq; literas dedit ad pręfectum Byzantii Scanderum, quę illum de rebus omnibus certiorem facerent, eumq; hortatur vt nuntiũ ſtatim mitteret ad Selimum, quia negotium indigebat ſumma celeritate. Sed quoniam tumultus ferè excitabatur in caſtris, quia per multos dies imperator à nemine viſus fuiſſet, Mahometus re cum quibuſdã proceribus ſpectatæ fidei cõmunicata Solimanũ balſamo perunctum induit vſitato more, atq; in ſublimi throno collocat in loco adumbrato intra tentoriũ, quem ſpectandum è longinquo cum maxima reuerentia proponit. ipſe ſignificationes non nullas reuerentię pręſentibus omnibus & obſequia edit tanquã cum illo loqueretur. cũ nemo propius accedere auſus eſſet propter nimiam obſeruãtiam, res credita eſt ſine fuco & fallaciis. Tum paulo poſt vt res magis conſeruaretur, accenderetq; pugnãtes ad Metubarrim, & occultaret dolorē ac lacrymas è morte imperatoris perceptũ, quas lacrymas continere non potuiſſet, egreſſus è tentorio, percunctãtibus quid dignũ lachrymis accidiſſet, reſpõdit Solimannum cum à priſtina valetudine, quæ leuiſſima fuit, conualuiſſet, iurauiſſe magnum iuſiurandũ ſe imperaturum omnes proceres acerbiſſimo mortis genere torqueri, qui Metubarrim expugnãdum ſibi ſuſcepiſſent, niſi intra biduũ illud captum ſit. an non hæc iuſtiſſima & maxima cauſa lacrymarũ eſt inquit, ſi tot viri fortes crudeliſſimè necentur? ita vero impulſi ſunt Ianizzeri audita imperatoria indignatione ad oppidũ inuadendum vt denuo obſtinatiſſimè, & quaſi furore quodã agitati adorirētur. Sed tamē virtute fortitudineq; Metubarricorũ præſidiorum repelluntur edita magna vtrinq; clade. Tum paulopoſt renouatur conatus quãto maioribus poſſet viribus. Diu fit anceps belli fortuna, quod per multũ ſpatiũ perdurauit, in quo Sirinus nulli neq; ſtrenui neq; prudētis ducis officio defuit, modo ſuis cõfirmandis, modo huc illuc curſitãs rebus neceſſariis conſulēdo, modo fortiter pugnando. nã repulſi ſunt deniq; Turcæ per magnã virtutem defenſorum. Turcæ vbi ita repellerētur, neq; poſſent arce per arma præſentia potiri, iubentur cõuenire multi, tantaq; multitudo ſe ad renouandũ conatum parat, vt proxima quæq; denſiſsimis armatorũ aciebus tegerentur. Sirinus his apparatibus viſis cũ pauci milites eſſent ſuperſtites è tot certaminibus, omniumq; rerum inopia premeretur, nullumq; locũ iam amplius eſſe reliquum defenſioni videret, iubet ex annona parari cõuiuium. Poſt prandium magnificis veſtibus induitur. capit Philippæos trecentos in viaticum, ſi elaberetur: ſin cecidiſset, præmium victoriæ viro forti, & dicebat ne hoſtis quereretur ſe virum forte ſine præmio victoriæ ſuperaſſe. Capit gladium optimi temperamenti, & ſcutum ferro obtectũ. Suos ad fortitudinem hortatur & ad viã ſibi ferro per acies hoſtium aperiendã, quæ vna reliqua ſpes erat ſalutis. Docet fieri non poſſe vt in illa arce ſe diutius tueantur, in qua vel ſi conatus hoſtium millies repulerint, tamen inedia ſit omnibus moriendum, cum pręterea incenſis ædificiis & omnibus bellicis apparatibus oporteat eſſe ſub dio, omnibus aeris iniurijs expoſitos. alterũ horum neceſſariũ eſſe,

Ferdinandi Archiducis fortitudo.

Medorũ bellum.

Solimani mortis cauſa ira & auaritia.

Aſtronomiæ vis.

Arcana Principum quàm periculo plena.

Solimani mortui corpus vt viui oſtenſum.

Stratagema.

Sirini extremus conatus & oratio.

vel viuos in miſerrimā ſeruitutem in perpetuū abduci, atq; infeliciter id totum quod ſupereſt vitæ tāquam iumenta degere, vel fortunā tanquam viros fortes glorioſè & ſumma cum laude experiri, memorabilemq; victoriā apud omnem poſteritatem tētare. vitam cōem eſſe cum omnibus animalibus,at glorioſè vel viuere vel mori,id vnum propriū eſſe virorum fortium. Non eſſe magnopere timendum,cū Deus & fortuna belli plerunq; viros fortes protegere conſueuerit, ſicuti omnis deſidiæ & ignauiæ & timiditatis Miſeria fidiſſima & perpetua ſit ſocia. prę ſtare ſe propriç virtuti,quàm arbitrio & incertę fidei immaniū barbarorum credere. futurum enim ſi quis ex hoc periculo elabatur,vt celeber & illuſtris ſit apud omnes nationes. profitetur ſe primū exiturum,quem ſi omnes fortiter imitentur ac ſequantur, nemini dubiū fore quin tanquam rapidiſſimus fluuius per caſtra hoſtium erumpentes vel ad vltimos caſtrorū aggeres penetrent,atq; in tutum ſe recipiant.Dat vexillū Laurentio Iuraniſchio.cum omnes ſe prōpto animo ad ſequendam neceſſitatem eſſe demōſtrauiſſent,iubet ſe ſequi.omnia tormenta,quæ iuſſa fuerant attrahi ad portam, aperta porta in accurrētes expectantesq; Turcas,vno tempore diſploduntur,inter quæ vnū erat inſigne fruſtis ſaxorum plenū ad portā arcis.His diſploſis per recētem fumum & cędes ſtatim Sirinus cū enſe ſtricto & ſcuto erūpit,quem milites omnes, qui erant paulo plures ducentis ſingulari fortitudine pugnando ſequuntur.cęptū eſt certamen ſuper ipſo ponte arcis,atq; cum ita pugnando diutius proceſsum eſset,

Sirini mors. Sirinus glande trāsfigitur,quo vulnere in capite accepto humi cecidit.Milites morte tam ſtrenui ducis deterriti,tametſi nihil fortitudinis remittunt, tamen ad extremū cum parum diſtarent ab extremis Turcicorum caſtrorum aggeribus, cum multi pugnādo cecidiſsent,iam pauci à multis & diuturna cęde defeſſi trucidantur.capta eſt arx,omneſque ibi inuenti abducti in ſeruitutem,& poſtea crudeliſſime

Sirini caput. iugulati.Sirini caput abſciſſum fronti membrana cum inſcriptione, Caput Comitis Zigheti, prælongis clauis affigitur,qui claui per tempora vtraque in occiput penetrarent,atque caput ipſum clam per noctem intra Cęſarianos aggeres fuit deportatum.Poſt eam victoriam Mahometus iubet omnia bellica tormenta ſigna edere lętitiæ,quòd viuum adhuc Solimanum cum quibuſdam proceribus fingeret.Mutua conuiuia ad lętitiæ ſignificationem fiunt vbique in caſtris. tantæ cladis ma-

Danubij inundatio. gnitudinem viſus eſt etiam aer grauiter tuliſse,cum Danubius ita excreuerit, tamque turbidus per triduum defluxerit,vt eſset omnibus vſibus humanis eius aqua inutilis; & ventorum vis inuſitata omnia Turcarum tentoria cum incredibili fragore conuulſerit ac repente proſtrauerit.

Turcę cęſi in expugnatione Metubarris. ceciderunt in illa expugnatione ac varijs certaminibus Metubarris circiter viginti & quinque millia Turcarum, inter quos fuerunt quatuor purpurati, & alij Turcæ non paruæ autoritatis.capta ſunt Metubarris multa bellica tormenta,ſed pleraq; diſrupta & infracta.erant enim ad cētum cannones,quos Sirinus vbi deſperaſſet de ſalute,iuſſit puluere impleri quo diſrumperētur. Cæſar ad duodecim millia armatorum mittit ad Albam regalem,vbi decem millia Turcarū caſtrametari intellexerat,cum quibus copiis partim equeſtribus, partim pedeſtribus viginti mittit cāpeſtria tormenta,& Turigeorgiū cum mille equitibus Pannonibus.Hi facto itinere magno ſtudio Turcicis caſtris propinquant. quidā progreſſi Turcas extra vallos ad pugnam alliciunt;qui cum nulla ratione adduci poſſent,imperfecto negotio reditur in caſtra,quòd in loco nimis tuto conſediſſent. Neq; verò claſſes, quæ per Danubiū nauigabant prorſus ocioſę fuerunt,quoniam Cęſarianæ naſades cōmiſſo prelio cum Turcicis nauigiis non procul ab inſula Comaria decem Turcica nauigia demergūt. triremes nauiculas exploratorias Turcicas ita inſectantur vt nonnullas ceperint, reliquas cōquaſſatas fugientes vel ad vrbem Strigoniam vſq; cōpellunt. Cæſar ſi diligentioribus exploratoribus vſus fuiſſet,vbi conſedit Bregetii cū octoginta millibus armatorū, totq; copiæ collectæ eſſent Archiducum,cum nō minima pars rei militaris collocanda ſit in exploratorū diligentia, vniuerſam Pannoniā Turcica moleſtia li-

Bellicæ facultatis partes tres. berare in perpetuū poterat,vbi deceſſiſſet Solimanus.Nam meo quidē iudicio vniuerſa facultas bellica conſtat è tribus his partibus: quarū ſi qua defecerit, totum negotiū bellicum labefactatur. vna eſt diligentia & fides exploratorum,aliud imperatoris prudentia,aliud celeritas agendi ſapiēter decreta:quę ſi cōiuncta fuiſſent Cęſari per id tēpus,facile poterat glorioſam & omnibus ſeculis maximè memorabilē conſequi victoriam.Sed noluit fortuna, vel Chriſtiano nomini atq; felicitati inuidēs, vel glorioſiſſimæ familiæ Auſtriacæ,quā tot inſignibus victoriis & triūphis variis tēporibus illuſtrauit,vel nō tulit Ottomanica fortuna eā familiā vno tēporis momēto atq; vno prælio propè delere, quā per tot ætates ad tantam imperii amplitudinem prouexerat,& quā tandiu victricem & glorioſam ſeruaſſet.neq; placuit vna dimicatione tantū ſplendorem paulatim cōparatum ſimul euertere per tot fortiū virorum cędes. Nam didito & diſſipato rumore de morte Solimani, ſi dimicatū eſſet totis viribus cū exercitu carente imperatore,quod cognitū fuit Cęſari per captiuū magnæ autoritatis,qui ſe ſponte ad tormenta obtulerat, & ad ſupplicia,ſi viueret Solimanus;facile victoria poterat cōparari.Habebat enim ſecū in caſtris Solimanus,vt creditū eſt, incredibilē propè auri & argenti copiā,qua ſi potitus fuiſſet Cęſar,cuius vires duxiſſet formidabiles? & oīa tamē,quāuis non tā opulentā victoriā,ſtudia mortaliū cōſequūtur. Nā

Theſaurus Solimani in Pannonia. theſaurus per multos annos ex ampliſſimo imperio cōparatus aderat,qui accedebat ad quadringēta millia librarū auri & amplius,quod tantū prę miū prę ter imperiū & gloriā victori proponebatur. Eſt enim Ottomanicorū Imperatorum conſuetudo cū ipſi exeūt in caſtra,vt ſuos theſauros nemini credāt,ꝙ arbitrētur haud facile inueniri poſſe virū bonū,neq; experiendū eſſe an inueniat.cuius fidei & integritati tantū auri rectè credatur,ingēs nimirū

Caſtrorum Turcicorum forma præſente Imperatore. prę miū perfidię.nā facile imperiū occupare poſſet,qui tanta ſtipēdia & munera poſſet dare perfidię ſocijs.Inde fit vt in caſtris etiā magna diligētia theſaurus muniatur & ſeruetur,cuius muniendi hæc eſt conſuetudo. Imperator tanquā anima exercitus in medio caſtrorum ſuum tentorium erigit,circa quod erectis præualidis munitionibus circumſiſtunt Ianizzeri. intra eos aggeres nemo verſatur,

præter

præter miniſtros imperatori ſeruientes, aut purpurati ſi aduocentur. extra foſſas quæ ambiunt primum ſeptum ac vallum imperatoris, ſaculi coriacei auro argentoue pleni humi deponuntur, qui locus altiſſimis aggeribus foſſiſq; profundiſſimis ſępitur, muniturq; validiſſimis delectis præſidijs, & multis tormentis. Neq; huc quidē patet cuiuis acceſsus, cum neq; conueniat neq, vtile ſit vt milites vagentur totis caſtris, pręter loca ſuæ nationi aſſignata, cū publicæ viæ & communia fora caſtrenſia tantum ſingulis nationibus conueniant. extra has foſsas reliqua militaris multitudo erigit ſua tentoria, quę ſuis & ipſa foſſis & aggeribus muniūtur. Cęſar autem neq; captiuis neq; exploratoribus credidit Solimanum interijſse, quia non videbatur conſentire rationi vt tanta barbararum gētium multitudo tam ſuapte natura effrenis & auara, ſine imperatore tam quieta eſset, tantaq; obſeruantia vbiq; ſeruaret diſciplinam militarem. Sed enim Mahometi calliditas & prudētia ita fecit, vt non mortē modo imperatoris diligentiſſimè occultarit in tanto imperij, rerumq; omnium Turcicarū periculo, verū etiam quietum & tranquillum imperiū ſine vllo tumultu, ad quem perueniebat, in manus tradiderit, cum tanto exercitui in diuerſis locis ſimulatis mādatis imperatorijs moderatus ſit; Ianizzeros fręnarit, Metubarris oppidi propè inexpugnabilis victoriam adeptus ſit, Selimum in caſtra è lōginquis regionibus tutò acciuerit. Adiuuit hanc Mahometi calliditatem fortuna, quia cū Solimanus ducenta hominum millia in Pannoniā adduxiſset, eas copias in plures partes diuiſerat, quia parum formidaret Cęſarianū exercitum vt & numero multo inferiorē, & parum conſentientibus inter ſe animis. Nam vbi primū in caſtra Cęſariana ventū eſt, cęperunt Germani à Pānonibus & Italis, atq; Pannones ab Italis diſsentire, donec Itali cū Pannonibus ad cōem defenſionem propter Germanorum iniurias coacti ſunt conſpirare. conferebat plurimum etiā rebus Turcicis vt bellū in varijs locis vno tēpore gereretur, quia non ſolum ita animi Turcarū à morte Solimani ad varia negotia & expectationē eſsent diſtracti, ſuppetebatq; copia cōmeatuum facilius, ſed etiam quia res Cęſariana in plures partes diſtracta fiebat debilior. Nā confert rebus bellicis potentioribus maximè, ſi fieri poſſit, vt plura ſint caſtra vno tempore, plures hoſtes, plures exercitus, plures imperatores, vnis caſtris ſaltē aduerſus hoſtem nō multo inferioribus. Vt enim facilius vnus ignis extinguitur, quàm ſi plures extiterint eodē tempore, ita facilius eſt vni, quàm multis exercitibus ſimul reſiſtere, à quibus multa ſimul calamitoſa inferuntur. Nam ſi copiæ Solimani in vno tantū negotio eſsent occupatæ, pręterfluebat inutiliter propè breuitas tēporis, cum hyems in illis finibus infeſtiſſima ſit, grauiſſimaq; aduerſaria rebus bellicis propter acerbitatē magnitudinemq; frigorum. hac de cauſa Solimanus miſerat aliā partem copiarum ad oppida inferioris Pannoniæ recuperanda, aliā ad capiendā Iulam, ipſe conſederat ad expugnandā Metubarrim magis munitam, quo ſua pręſentia animos ſuorū inflāmaret ad deſideriū victoriæ: neq; lōge diuerſo cōſilio & arte fuit Solimani mors, quā Cimonis Athenienſiū imperatoris occultata. Mahometus oppido Metubarri potitus, quia eſſet deuaſtatū & propè ſolo adæquatū per crebras verberationes vi tormentorū, partim vi pulueris incenſi poſt receptionē Sirini, quo tempore corruerunt męnia & ædificia non ſine Turcarū clade, curat inſtaurandum, muniendumque & omnibus rebus neceſſarijs inſtructo firmiſſima præſidia imponit. exeunt interim è caſtris Turcarū ad viginti millia eorum, qui caſtra ſpe prædæ ſequebantur. faciūt incurſiones in agrū Cęſarianum in Pannoniam. obuia quæq; ferro ac igni miſerabiliter populātur, in quos exit Auſtriacus equitatus. multos prædabundos palanteſq́, obtruncat; reliquos ita frenat vt à rapinis abſtineretur. Iſtud ipſum facit Turigeorgius Palodæ præfectus. Suendius eductis copijs & quibuſdā bellicis tormentis muralibus attractis oppidum Croſſonorgam obſidet ac verberat. cōiectis quadringentis ferè globis ferreis, muriſq; diſruptis & proſtratis ad inuadendū, cogit oppidanos ad deditionē; qui cum arbitrio victoris ſe dedidiſſent pręter pręfectū & eius familiam oēs trucidati fuerūt. Partaus accepta Iula per deditionē rebus omnibus vrbanis, vt poſtulabat bellica ratio, cōſtitutis ſigna conuellit ad profectionē, atq; cū Turcicis Scythiciſq; copijs cōtendit ad obſidendā Vinundriā. Dux Ferrariēſis acceptis infelicibus nuntijs Iulæ & Metubarris expugnationū princeps ſapiens & rerum bellicarū peritiſſimus hortatur ipſum Cæſarē ad Bregetium ſumma diligētia muniendum, qđ futurum eſſet firmiſſimū propugnaculum aduerſus oēs incurſiones Turcarum, quando capta Metubarri & Iula Turcæ omnibus ſublatis impedimentis ad Poſſoniū vſq; poſſent excurrere. At enim vbi conciones illas nouæ religionis in Belgio non paucæ vrbes admiſiſſent, ſuccreſceretq; in dies numerus hęreticorū, copię aliquot militares cōſcriptę ſunt duce Thouluſano viro Belga circa Antuerpiā. illæ vbi ad Oſteruelam pagū conueniſſent ad protegendos ſuos, is eſt primo lapide diſtās ab vrbe, ad Scaldim fluuiū, repente ab equitatu Parmenſis gubernatricis opprimuntur ac delentur duce Beauuoiſio regulo. Romæ ex illa publica audientia, quā ſuperius cōmemorauimus, vbi Pōtifex multa flagitia cōmitti intelligeret, vt fit in ampliſſimis & frequentibus ciuitatibus, multoſq; nefarios eſſe & libidinoſos homines, ſalubri lege ſuſtulit oīa ſcorta & lenocinia, & oēs quę marium libidini eſſent proſtitutę; quia publicę officinę libidinis publica ſunt incitamēta ad omne genus turpitudinis. Illud cū in cęteris vrbibus parum honeſtū ſit, Romæ certè, vbi ferè oēs externi religioni dediti caſtitatē profitentur cū vel ſacerdotes ſint, vel iam ſe ſperent futuros, oīno videtur eſſe tollendū. in adulteras verò nimis ſeuerè viſus eſt quibuſdā animaduertere, quas flagris tamen cędi tantū publicè iuſſit, ſed nimis etiam clementer ac leuiter. nam vſitata impunitas rem facit videri leuiorem. Sed apud multas nationes capitale ſuppliciū & eſt & fuit adulterio propoſitum ob ſceleris magnitudinē, in quo vno violantur ſacra iura matrimonii, & fides vtrinq; data, & contaminatur honeſtas familiarū, & adulterini filii patrimonium legitimis furantur legitimi crediti, & mariti grauantur alienis filiis alendis, quæ omnia contra humanas, diuinaſq; leges omnino in vno ſcelere cōmittuntur. & qm ludi omnes & alea præcipuè ſunt res humanæ vitæ pernitioſæ, in quibus nemo vir bonus tēpus inuti-

Opportunitates occultādæ mortis Solimani.

Capta Metubarris inſtaurata.

Crudelitas Suendij.

Ferrarienſis ducis monitus.

Libidinis officinę Romę ſublatæ.

Adulterij flagitia.

Ludi & alea ſublata.

liter conſumpſerit, non minus in aleatores & luſores omnis generis animaduertendum duxit, quā
in iniurioſos, & ſibi ipſis pernitioſos homines, quos exilij condemnauit. Neq; id ſolùm quia nemo
debet ſibi facere iniuriā, ſed multo magis quia blaſphemiæ & inimicitiæ & latrocinia & familiarum
euerſiones ſolēt aleæ, pictarumq; chartarum, & oīum horum ludorum neceſſariæ eſſe aſſeclæ; inter
quæ lenocinia laſciuiæ, ocij, intemperantiæ qui vitam degat, is planè vir bonus eſſe non poteſt. Non
enim ita inutiliter profundendū eſt hoc breue vitæ ſpatium qđ nobis conceſſum eſt à Deo, vt maio
rē eius partem in crapula, ſomno, ludis abſumamus. Pontifex deinde animo ad res eccleſiaſticas cō-
uerſo perpetua lege ſuſtulit oēs regreſſus, ne in genus quoddam mutui, vel mercaturę ſacri prouen
tus tranſirent paulatim. Scander præfectus Byzantij veritus nè per opportunitatē tantarum rerum
nouarum Ianizeri iuniores tumultuarentur, diriperentq; pro arbitrio oīa Chriſtianorum Hebræo
rumq; bona, ac multa nefanda & crudelia cōmitterent, vt fit per huiuſmodi tumultus, conſilium ce

*Stratagema.*

pit prudentiæ & miræ calliditatis plenum. nam lectis literis de morte Solimani ſtatim ſe miſſurum
inquit auxilia quę poſcebant. ſimulat illas literas imperatorias ſibi miſſas fuiſſe, quibus iuberetur de
ligere decem millia Ianizzerorum in demortuorum locum in expugnatione Metu prearris, & Pan
nonicis munitionibus. Imperatur omnibus Ianizzeris vt excederent ad ſtatutū diem ex vrbe Byzan
tio, & in locum amplum conuenirent diſtantem ad duo milliaria, vbi commode cenſerentur ac de-
ligerentur, quibus aſſignarentur mortuorum ſtipendia. Ianizzeri qui nondum ordinaria accipiebāt
ſtipendia militaria incredibili alacritate ad imperatum locum conueniunt. Selimus accepto nun-

*Chiefredum oppidum.*
*Selimus imperator ſalutatur.*

tio paternæ mortis magna celeritate conuolat Byzantium, atque in via habuit obuium primum Bo
ſtangium regij palatij præfectum, qui biremem expeditiſſimam, magnificentiſſimeque inſtructam
adduxerat, quam conſcendens Byzantium properat. Delatus ad portam Septi ex oppido Chiefredo
breuiſſimo ſpatio Imperator ibi primum ſalutetur, atq; tunc primùm mors Solimani fuit in vrbe
Byzantio cognita, quæ ſumma celeritate defertur Venetias ad ſenatum, atque inde velox nuntius

*Viti Dorimbergēſis Turrij diligētia.*

ab oratore Cæſaris ordinario Vito Dorimbergenſi Turrio viro clariſſimo, & magnis negotijs tra-
ctandis exercitato ad Cæſarem miſſus ſeptima hebdomade Iuliobonam à die mortis nuntiauit, Se-
limus vbi deſcenſionem feciſſet, in thalamum imperatorium magnificētiſſimum introducitur, qui
eſt multo auro & gemmis precioſis ornatus. Ianizzeri vbi ſalutati noui imperatoris famam accepiſ-

*Ianizzeri feroces.*
*Selimi aditus & auſpicia imperij.*

ſent, qui omnes ad iuſſum locum extra vrbem conuenerant, cum ſe ita deluſos eſſe intelligerent, rē
ægerrimè ferunt, atq; tumultuari propè incipiunt. Sed cum promiſſum eſſet ſolitum munus vbi re
dijſſent in vrbem, quod eſt centū Sultaninorum, qđ nomen eſt monetæ aureæ Turcicæ, & vt nouus
Imperator publicè obequitaret, omnis tumultus, omniſq; controuerſia placata eſt. cæterū Selimus
vbi primum in throno imperatorio conſedit cum magna ſolennitate ad ſignificationē lætitiæ duo
pocula optimi vini ſiccauit, atq; initium ſui imperij ita auſpicatus eſt à cōtemptu ſuarum ſacrarum
legum, per quas vini vſus Turcis eſt omnino interdictus. Viſus eſt ſanè quibuſdam id eſſe argumen
tum quòd eo imperatore vini vſus concederetur; at rem altius perpendentibus moleſtum id appare
bat, quod non leue argumentum poſset exiſtimari imperatoris futuri neq; religionis neq, fidei aut
legum ciuilium ſatis diligentis obſeruatoris. ſtatim verò atq; imperatoria inſignia ſuſcepit, & in ſe
de Ottomanicis imperatoribus reſeruata conſedit, iubet edictum fieri publicè vbiq; Byzantij huiuſ-

*Selimi edictum.*

modi; Beatorum locus & gloria ſempiterna conceſsa ſit animę Solimani; viuatque diu; ſemperque
augeatur fœlix regnum Selimi noſtri imperatoris. Id ipſum ſumma diligentia per vniuerſum impe
rium promulgatum eſt, ne prius mors Solimani, quàm Selimi coronatio audiretur, ad populos ſe
dandos, & in pace retinendos. Deinde è palatio egreſsus obequitans per vrbem vniuerſo populo
ſe oſtentat. accedit ad Iobi ſepulchrum, qui locus cum mœnibus coniunctus, vbi omnes imperato-
res ſacrificare ſolent modo verueces, modo alia animalia, quæ poſt dantur pauperibus. Diſtributa
eſt magna pecuniæ copia. poſt preces & gratias dijs actas magna cum pompa & lætitia redit in pa-
latium. His ita actis quia plurimum referret vt ipſe quàm citiſſimè adeſset in caſtris, continuò By-
zantio ad oppidum Caſtrum nigrum, & Scedram incredibili celeritate peruenit, quod iter triduo
conficitur. credebant nonnulli quòd in caſtra profectus eſset ſtatim Iuliobonam inuaſurus, cum

*Turcarū Imperatorū inſtitutum.*

ſit Ottomanicorum imperatorum inſtitutum vbi primum imperium ſuſcipiunt, aliquod memo-
rabile facinus parare, neque id ſolum vt accepti à maioribus imperij fines dilatent, ſed etiam ne ma-
ioribus virtute inferiores & degeneres appareant, quos adæquare certè, ſi non ſuperare ſe velle con
tendunt fortitudine, prudentia in rebus bellicis, & gloria rerum geſtarum. erat ſuborta ſuſpicio
Cæſarianis quòd nouus imperator Iuliobonam eſset inuaſurus non ſolum ob prædictas cauſas,
ſed etiam quia dicrotum & triremem miſerat in Pannoniam cum globis ferreis, tribus millibus
ſclopettorum, ac multis bellicis apparatibus per aduerſum Danubium. His accedebat quòd Scan-

*Selimi forma.*

der purpuratus veniebat in Pannoniam terreſtri itinere cum centum iumentis auro argentoque
onuſtis, & centum carris, centum & quinquaginta equis portantibus bellicos apparatus. Agebat
Selimus, vbi ſalutatus eſt imperator, annum ætatis ſuæ tertium poſt quadraginta. Seuero aſpectu.
propè formidabili intuitu. nigris pilis. aduſto temperamento vt videbatur. Sed ita obeſus vt col-

*Sueuorum Daniæque regum clades.*

li breuitas appareret eximia. Qui dum properat in Pannoniam, in mari Oceano cum ingentes
claſses Daniæ Sueuorumque regum nauigarent inſtructiſſimæ fiunt obuiæ, atque atrox bellum
nauale committunt. Hi enim Reges non modo per imperatorium edictum non ſunt placati, ſed
multò etiam magis incitati ad ampliores bellicos apparatus faciendos, & claſses in ſeptentriona-
li pelago comparandas. tanta igitur vi tormentorum, omnique telorum genere inter hos dimica-
tur, vt inſignis clades vtrinque accepta illataq; ſit, atq; litora eiectis cęſorum cadaueribus vbiq, tege
rētur. nā ad duodecim millia inuenta ſunt corporum eiectorū, ac cęſorū ſenſim fluitantiū. Atuacu

ti autem quoniam ſeditiones in dies ſuccreſcebant inter nouæ, veteriſque religionis defenſores, cũ catholici vndique exagitarentur, Aurantius, vt diximus, veteris religionis defenſor ad catholicos aduerſus inſigniores ciues proceresque eius ciuitatis protegendos cum plurimum poſſet, præſtaretq; autoritate & beneuolentia omnibus ciuibus ita conatur rem componere, vt omnes diſcordiæ conſopirentur; atque has conditiones cum præfectis Atuacuti ſanxit, & cum Scuiieto Burgomagiſtro, qui ſupremus eſt magiſtratus ciuitatis, donec aliud decretum fuerit atque inſtitutum in frequentibus Belgarum comitijs. 1. Primùm ne catholicorũ conciones, ſacra, vel alia munia eccleſiaſtica impediantur neque turbentur ad auitam religionem ſpectantia; neque alio quouis modo, aut per quenquam magiſtratum curent vel patiantur turbari. 2. Ne liceat habere conciones aut munia nouæ religionis in templis, cenobijs, aliiſue ſacratis locis, niſi his in tribus locis inferius nominatis, Khranamo videlicet Pauli Vanghimeri, vbi copiæ ſolent cenſeri. in area Liquerquicij ſiue viridario, vbi telæ ad candorem ſollicitantur, & in pratis Xenodochij apud viridariũ Baliſtricorum. 3. Quòd ſiquis horum locorũ haberi non poſſit, tunc liceat alibi habere quemuis eiuſdem amplitudinis. 4. Vt his in locis liceat habere conciones omnibus diebus feriatis & dominicis, atque ſi nullus dies feriatus fuerit in hebdomade, liceat iſtud ipſum die Mercurij. 5. Vt ſi concionator ſolitus aliquo impedimento diſtineatur, alius in eius locum poſſit ſuccedere. 6. Vt omnes concionatores & miniſtri in regionibus catholicæ Maieſtati ſubditis iuramento affirment, vel apud principem Aurantium, vel apud inſigniores magiſtratus, atque profiteantur ſe fidem & obedientiã Regi præſti turos, obſeruaturoſq; in omnibus negotijs. 7. Ne licitũ ſit adeũtibus vel redeũtibus à cõcionibus vllo teolrũ genere armari, quæ poſſint offendere, enſis tamen & pugio nemini ſit interdictus. 8. Vt vniuerſa vrbana multitudo pareat magiſtratibus, opemque ferat publicis oneribus ſuſtinendis, ſicuti mos eſt, & ſicuti reliqui ciues tenentur; atque vt cæteri omnes tranquillitatem, conſeruationem, publicam ſalutem tuendam procurent, & procurare teneantur. 9. Vt omnes concionatores ab iniurijs, ſeditionibusq; concitandis abſtineant, neque inſurgant aduerſus magiſtratus, vel aduerſus homines alterius factionis & religionis, neque contumelias dicant. ita tamen vt illis liceat reprehendere vitia in ordinata, quæ reprehenſio non habeatur pro ſeminibus ſeditionum. 10. Vt princeps habeat delectum è magiſtratu, qui poſſit adeſſe illi vbi erunt delecturi aliquem miniſtrum ad diœceſim eccleſiarum, aut vbi illi de aliqua re ad religionem ſpectante pertractabunt, vt fides fieri poſſit apud principem vel vrbis magiſtratus. 11. Ne alter alterum ſubſannet, aut aliqua ratione deludat ob varietatem religionis, ſed omnes teneãtur ad mutuam defenſionem, ſi quis iniuria affectus fuerit. 12. Ne quis aut huius, aut alterius regionis poſſit iuſtitiam impedire vel capiendis ſontibus, vel puniendis, atque caſtigandis qui templa ſpoliarint, aut alia quauis de cauſa. ita tamen vt nocentes per iudices, at non per alios, puniantur. 13. Vt princeps & magiſtratus protegant non ſolùm veteris religionis homines, ſed omnes habitantes in vrbe, qui tranquille concorditerque vixerint nulla habita veteris aut nouæ religionis differentia. 14. Siquis ſeditionis initia iecerit, ille per iudices puniatur pro ſceleris magnitudine, neque id poſſit à quopiam impediri. 15. Vt colligantur duo millia peditum ad vrbis cuſtodiam. qui communibus ſtipendiis habeantur, ad opprimendas ſeditiones, ſiquæ inſurrexerint. 16. Vt milites collecti teneantur ſeruare atque cuſtodire has conditiones, quarum exemplum dabitur præfectis, & hominibus nouæ religionis. 17. Vt has omnes conditiones miniſtri & concionatores eorum religionis inter ſuas conciones demonſtrent, explicentque populo, eoſque omnes qui aderuent, hortentur ac moneant vt ad vnguem ſeruent. 18. Vt omnes hæ conditiones præſcriptæ inuiolabiliter ſeruentur prouidendi atque conſulendi rebus publicis cauſa, donec Philippus rex vnà cum comitiis harum inferiorum regionum aliter ſtatuerit, quibus inſtitutis homines nouæ religionis in poſterum ſubiiciantur, promittantque ſeſe ſeruaturos. ea tamen conditione, vt ſiquid aduerſus eorum religionem ſtatutum fuerit, liceat ſine impedimento ac liberè intra certũ tẽpus cũ omnibus bonis excedere ex his inferioribus regionibus quocunq; libuerit. 19. Vt miniſtri & concionatores & diaconi ac reliqui templis inſeruientes cum nonnullis è præſtantioribus eius religionis principibus in has conditiones animos ſuorum componant, eoſque homines pro viribus nitantur ad obſeruationem adducere. atque ipſi ad maiorem ſecuritatem præſens exemplum ſuis ſubſcriptionibus confirment, per quam tamen ſubſcriptionem neque notentur, neque infeſtentur. atque ſua excellentia tanquam communis Griffier ſiue ſcriba, magiſtratus nomine huius vrbis ſubſcribet ad ſecuritatẽ præſenti cõtractui & ſcripto, cuius duo fient exempla, quorum alterum dabitur ſuç Excellentiæ pro magiſtratu, alterum hominibus alterius religionis. atque ad fidem ſcripti præſentis concluſi & ſubſcripti vt ſupra ad quintum Non. Septembris. 1566. ſubſcripſit Gulielmus Nanſienſis mandato dominorum collitis. Princeps Aurantius & Polites Griffier vrbis. Erat eò denique perducta res Belgica ante has compoſitas conditiones, vt ſæpius neceſſe fuerit magiſtratus & præfectis vrbium popularibus armis reſiſtere, ſeque in tutum recipere, & loca quędam ad ſecuritatem vitæ munire conciones omnes hereticę in ſuburbia demum ſunt perductę, cum prius & in vrbe, & extra haberentur nulla habita differentia. inſurrexerant enim iam in omnibus ferè ciuitatibus Belgicis Vgonotti & Caluiniſtæ hæretici, atque loca ſibi concedi poſcebant ad ſuas conciones. maximè verò perculoſa ſeditio flagrabat in illis vrbibus, cum non ſolùm diuerſę religionis homines inter ſe diſſentirent, ſed etiam vniuerſa plebs à nobilitate eſſet abalienata. Quippe illud ſolet euenire plerunque in ciuitatibus, vt vbi primùm naſcuntur ciuiles diſcordiæ, vulgus inſaniendi facultatem nactum non vnam tantùm cauſam diſcordiarum perſequatur, ſed plures quotidie nouæ emergant atque excitentur. neque prius ceſſat nouarum diſſenſionum opportunitas, quàm vel publicę opes ciuitatum, vel priuatę ciuium fuerint abſumptę. Iſtud autem acciderat, quo-

Atuacuti reiſ cõpoſitarum cõditiones.

niam è Samarobriga, & ex vniuerſis Menapijs hæretici potius fuerant eiecti, quàm vel conſopiti vel extincti; & ex alijs quibusdam vrbibus. Soncij tamen Arebergenſis Comes vt omnes hæreſes vno tempore tolleret, Auguſtanam confeſſionem publicè cōceſſerat.

*Leucadicus portus munitur.*

Turcę interea portum Leucadium multa diligentia munire cœperant, quia non videretur ſatis tutus ad accipiendas claſſes, atque duo inſignia erigunt propugnacula, quo poſſent defendi & nauigia & portus ipſe ſi inuadatur. ea res non paruam ſuſpicionem omnibus Italicis principibus attulit, ſed Venetis patribus in primis, quorū & ſuſpicionem & indignationē auxit Turcica arrogantia, quia Pialis contra pactiones & fœdus auſus eſſet intra ſinum Adriaticum nauigare, contraq; pacis iura cum Solimano ſancita, & iam tot annos ſeruata. Illa res quia videbatur captiuitatē, populationes, incendia Iulio Carnico, Tergeſti, Gradiſcæ, cæteriſq; oppidis Cęſarianis fori Iulii mari finitimis intētare,

*Frācīſci Turrii Norimbergēſis oratio.*

Frāciſcus Turrius Norrimbergēſis orator Cæſaris ordinarius apud Venetos, vir prudentia & dicendi facultate clarus graui ſanè oratione conqueſtus eſt in ſenatu, tantaq; indignatione vt plus ſatis videretur, quia nitebatur incitare animos patrū ad vlciſcendam tantam iniuriam, quos multis honorificis promiſſis Cæſaris nomine ad ſocietatē belli allicere non potuerat. Nam videri eum ſenatum inquit conniuere ad deuaſtationem ruinamq; omniū Chriſtianorū, ſi ęquo animo ferant ſibi fieri tantā iniuriā; cū claſſis violato fędere pacis intra Adriaticum ſinum ingreſſa ſit. nullū iam relinqui excuſationis locū, ſi ad tantas calamitates Chriſtianorum dormitarent. timendā eſſe dei iram, illi qui negligat arma mortalium. Nunc fortunam de Cęſaris ſubditis, imperiiq; cōſeruatione iacere aleam, at mox de ſubditis Venetorum vbi placuerit iacturam ſiue malus ſiue bonus iactus cōtigerit: cū nulli fines ſatis ampli eſſe poſſint Turcarū auaritiæ. Patres, qui ſatis ingentē numerū triremiū, aliorūq; nauigiorū ſemper non mediocribus ſumptibus habent inſtructū, ne quotannis ſubditos non neceſſariis ſumptibus inſtruenda ingenti claſſe grauarent, hoc anno parcendū & ſumptibus & laboribus ſtatuerant. veruntamen partim ne pericula Chriſtianorū negligere viderentur, partim quòd grauiter ferrent ita fędera & pactiones à Turcis violari, quas ipſi ſemper ſanctiſſimè, fidiſſimeq; coluiſſent, incredibili celeritate quinquaginta triremes intra ſpatiū quindecim dierū eximiè inſtruunt, eaſq; addunt ordinariis ſinus cuſtodiis, quare Turcę audita celeritate apparatus admirati nulla re memorabili facta exeunt è ſinu. Turrius certè non multo poſt in grauiſſimum valetudinē collapſus naturæ conceſſit. vir bonus ſanè & ſupra vires Cęſarianæ vtilitatis ſtudioſus. in eius demortui locū ſuffectus eſt Vitus Dorimbergenſis, vt dictū eſt, vir ſapientia, integritate, moderatione animi, & publicorū negotiorum peritia & ipſe clarus, quorū vtriuſq; familiaritate vſus ſum, ac præſens eximias eorū virtutes cognoui.

*Viti & Franciſci Turriorum virtutes.*

In Pannonia verò vbi cōſediſſent nō procul ab Alba regali multa millia Turcarū, certabatur hinc inde incurſionibus, quo tēpore captus fuerat is Mechmetus, qui præerat Albæ regali. Turigeorgius enim vir ſingularis fortitudinis cū inter hoſtes pugnātes Mechmetū Imperatoriū conſiliariū cognouiſſet, qui ſibi notus erat è colloquio Palodæ, illū ad captiuitatē inſequitur, ac per medios hoſtes fortiter irrūpit tāta pertinacia vt cæſo primo equo aliū conſcendens nō prius abſtiterit, quàm dextra apprehenſum captiuū traxerit. & ad Cæſarē abduxerit.

*Turigeorgij præclara virtus.*

Cæſar pro tam egregio facto honoris gratia torque aureo eū donauit & inſigniuit equeſtri dignitate. nā præclaris virtutibus pręclara pręmia & inſignia virtutis cōueniunt, quibus conferendis vtile eſt principibus eſſe magnificis, cū nō minoris ſæpe fiant inſignia virtutū quàm præmia à viris bonis, ſicuti reb. præclarè geſtis & annuli donabātur in cōcione militibus ab Imperatore antiquitus, & ciuicę ac murales coronæ inſignia fortitudinis, & aurei torques. Illud ſanè ridiculū videtur paraſitis & helluonibus, & lenonibus, & proditoribus patrię, & timidis abiectiſque hominibus inſignia virtutum deferri, & equeſtri dignitate inſigniri, & multa huiuſmodi eſſe venalia. nā multi fiūt equites ſi habeāt pecuniā, quā erogare poſſint.

*Virtutum inſignia.*

Patet ſoli virtuti tamen Toſonia, diui Michaelis, Britannica, Melitenſis, Diui Stephani dignitas equeſtris, vel ſummis principibus, quorum potentia eſt pro virtute, cum ſit à Deo omnis poteſtas. Dicitur Mechmetus captus ducenta & viginti nummum millia Cæſari pro redemptione obtuliſse, quem honorificè tractans miſit Iuliobonam.

*Caroli Archiducis victoria.*

Carolus Archidux vbi conſediſset Babocciæ, non procul à Sleuna flumine ignobili prælium committit cum Turcis prædabundis. multis cęſis ad quatuor millia equitum trucidat & in fugam vertit. ſed cum propinquę eſsent tantæ Metubarris copiæ, abſtinuit ab inſequendis hoſtibus vltra certos terminos. nam Turcę certabant incurſionibus, quibus frequentibus in omnes proximos fines craſſabantur, omnia pro viribus prædantes, diripientes, populantes.

*Sabatia & Sēproniū opp.*

concrematis quibuſque ædificiis ad oppidum Pannoniæ Sabatiam vſque procurrunt, atque abductis colonis in ſeruitutem ad Sempronium oppidū & fines vſque Auſtriacos irrumpunt. Hę tā moleſtæ Turcarum incurſiones ijs, quibus cognita eſt cōſuetudo bellandi Turcarum, excitarunt opinionem quòd eſsent Byzantium verſus iter capturi, pręſertim cum annonę penuria nō mediocriter in caſtris Turcicis laboraretur. Mahomettus autem has incurſiones fieri imperabat, quòd ita copię exercerentur, ac diuerterentur ab omni cogitatione de morte Solimani; donec Selimus nouus Imperator veniret Byzantio, vti monebatur per literas. eſt tamen illa Turcarum plerunq; bellandi conſuetudo, vt non dimicent collatis ſignis, ſed hoſtem vexent incurſionibus & prædationibus.

*Selimus Taurumnum acceſſit.*

Selimus magnis itineribus, ſummaque celeritate Taurumnum interea peruenerat, vbi fit certior per literas Mahometti omnia in caſtris eſſe tranquilla. non opus eſse ferre labores longioris itineris. non peſſimè conſultum fore ſi copias Taurumni quieſcens, & ſe redeuntem expectaret. quare ibi Selimus Mahomettū expectat, quò etiam Solimani corpus aduectū eſt, quem omnes viuum eſse arbitrabantur. Illi rei fidē facile faciebat ętas & podagra, qua laborās ita facere iter conſueuerat; & rheda vndiq; clauſa, vt videri omnino nō poſset. Selimus obuiā iturus ad portā vſq; ciuitatis paruū capitis integumentū geſtat, cū ſit honorificētiorū Turcarū magnū geſtare, quod inuolucrū erat è ſubtiliſſimo linteo cād-

do ita.

dido ita concinne & artificioſè inuoluto & conſtructo, vt exterior orbis ſphęra appareat, at interior ad capitis formam cauum relinquatur. illum orbem vulgus Turbantum vocat, qui tamen ſordidioribus & inconcinnior eſt, & è craſſiore materia. induit veſtes minus ſumptuoſas, ſed viles & lugubres ad patris cadauer admittendum, quod tanquam glorioſum & triumphans cum vexillis explicatis, multoque ſono & ſtrepitu bellicorum inſtrumentorum ac multa lætitia vehebatur, ad quæ omnia tamen erat ſurdum. Selimus vbi ad rhedam paternam proprius acceſſit deſcendens ex equo rhedam aperuit, atque ſupra patris corpus collacrymauit. deſcenderunt ex equis vnà & alij omnes proceres, atque minora capitum inuolucra ceperant, iuſſaque erant omnia militaria vexilla ad indicium męroris ad terram inuerti cuſpidibus manu retentis. mirum fuit per aliquod temporis ſpatium ſilentium omnium præſentium, neque quiſquam audiebatur in tot millibus hominum. Poſt illud ſilentium affertur Selimo capitis integumentum ſiue inuolucrum candidiſſimum multis precioſiſſimis gemmis ornatum, quod capiti imponitur, veſtibusque magnificentiſſimis induitur, ac mutatur equus; quod ipſum fecerunt & alij proceres. rheda deinde tegitur. noua vexilla noui Imperatoris eriguntur cum magna alacritate omnium præſentium, & plurima lętitiæ omnium ſignificatione. Vbi Selimum proceres ad palatium Taurumni reduxiſſent, omnes manum exoſculantur, primique ſunt qui cæteris præſtarent dignitate. Selimus poſtmodo viros ingenio præſtantes iuri dicundo vbique præficit. Solitum munus Ianizzeris caſtrenſibus largitur, duo aſprorum millia videlicet ſingulatim. Iubet patris corpus Byzantium aduehi, quo ſepeliretur in eo ſepulchro, quod ipſe ſibi conſtruxerat. Imperat Hamautum & Feratum proceres cum omnibus Ianizzeris, & nonnullorum inſignium militum copijs eò cadauer cum Imperatorio vexillo comitari. ipſe interim moratur Taurumni cum reliquis copijs, vt commodius iter faciens Byzantium rediret. Neque ita tamen ceſſabatur à Cęſarianis in finibus Pannonię, aut à Turcis; quippe cum Turcę proximos quoſque fines heſtiliter inuadentes omuia diriperent, colonoſque abducerent. Illorum temeritatem non ferentes Ferentius & Turigeorgius cum trecentis Pannonibus in inſidijs collocati multos Turcas trucidant, & captiuos atque vniuerſam prędam recuperant. Ex alia parte Tranſyluanus traiecto flumine Tibiſco cum frequenti Turcarum Scytharumque globo ex oppidis Turcicis Filechio & Sobracho cum triginta & duobus bellicis tormentis varij generis contendit ad expugnationem Toccei. pręfectus Toccei vbi primum acies Turcicę in agro conſederunt, mittit ducentos ſclopettarios ad exploranda caſtra hoſtium, in quos irrumpentes Turcę ad vnum trucidant ab equitatu circumuentos, pręter quos in ſeruitutem reſeruarunt. Selimus Taurumno reuertens, vbi primùm veniſſet Adrianopolim (ea eſt vrbs Thracię ita vocata ab Adriano, qui iuſſus fuit ab oraculo illam inſtaurare vbi in domum furioſi ſe recepiſſet, cum ante ab Oreſte condita Oreſtea diceretur,) literas dicitur ſcripſiſſe huiuſmodi ad Epidaurios: Magnus Sultanus Selimus dominis Epidauriis. Vbi venerit meum hoc mandatum, ſcitote patrem meum Dei nutu, qui omnia fecit, omniaque deinde deſtruet, cui altiſſimus pacem & tranquillitatem largiatur, ex hac ad meliorem vitam commigraſſe. Interea diuina conceſſione eius, cuius eſt cœlum & terra, mihi conceſſus eſt altus thronus & Imperium paternum anno noſtri Mahometti quarto poſt noningenteſimum & ſeptuageſimum. ad 10. Cal. Octobris, ſicuti ſtatutum fuerat ab omnipotente Deo, cuius diuina maieſtas laudetur. Ego igitur cum in hoc throno ſedeam, vobis ſignificatum eſſe velim omnibus mandatum noſtrum legentibus vt pro me Deum rogetis, quod mandatum mitto per meum prægustatorem Fereccium. atque ſicuti hactenus vixiſtis ſine fraude, ſic in poſterum ergà me viuite, qui cum tantus nunc ſim princeps. nunc pro mea incolumitate, & pro vniuerſo Imperio Deum orare debetis. De omnibus, quæ vobis erunt neceſſaria vel opportuna, efficite vt per ſupplex ſyngraphum meæ ſublimi portæ ſignificetur. Adrianopoli. 3. non. Octobris. 974. vt autem pateat annorum Turcicorum ſeries, ſcire oportet, Turcas à morte Mahometi ſuos annos numerare, qui mortuus eſt poſt Chriſtum natum annos quingentos & nonaginta ac duos, ſicuti olympiades numerabantur à Græcis, conſules à Romanis. Acceſſit Byzantium Solimani corpus, latuitque ſub ſuo tentorio extra vrbem, quod noluiſſent proceres illud noctu comportari in vrbem. ſic conceſſa eſt filiabus Solimani & Selimi vxoribus, cæteriſque coniunctis vt patrem & ſocerum & propinquum lachrymis condecorarent. Poſtridie eius diei princeps ſacerdotum Turcarum Moſti appellatus, & creditur eſſe natus è ſtirpe Mahometti; reliquique omnes ſacerdotes, & præfectus Byzantij cum omnibus dignitate præſtantibus obuiam procedunt nigris veſtibus induti cum paruis capitum inuolucris, quos ſecuta eſt ingens multitudo partim equitum, partim peditum, qui poſtmodo non ſine magna lacrymarum copia & animorum mærore ad templum maius comitantur. cadauer delatum eſt ad eum collem, qui eminentior eſt è ſeptem, exceptumque è rheda à primarijs proceribus, & quantum fieri poſſet manibus ſublime portatur, cui ponderi mutuò viciſſimque ab inſignibus hominibus ſuccedebatur. præibant Iuriſperiti Turcæ elata voce legentes ad ſepulchrum vſque, ac frequens multitudo ſequebatur & præcedebat. Qua verò tranſiret, omnes flectebantur honoris gratia inſignem præ ſe ferentes mærorem cum quodam clamore. Vbi prima multitudo confuſa & ſine vllo ordine pertranſiſſet, factumque eſset mirum ſilentium, cęperunt Spacches & mancipia procedere funeſtis lugubribusque veſtibus induti, quibus per triduum vti mos eſt. Sequebantur ſacerdotes Seichi vocati, qui ſe mutuo manuum nexu tenebant inuicem, atque ita incedentes clamabant, mirum eſse tantum Imperatorem fuiſse morti ſubiectum.

Selimus indutus lugubribus veſtibus.

Ceremoniæ Selimi mortuum patrē viſentis.

Adrianopolis vnde dicta.

Selimi literæ ad Epidaurios.

Turcicorum annorum ſeries.

Exequię Solimani.

biectum. ſequebātur hos Taliſmani dicti ſacerdotes, ſacri iuris periti ſcilicet, & Mueſini, qui alta voce clamabāt; Alla racmet eileſim. Deus eius miſereatur. poſt hos efferebatur cadauer in arcula lignea ſerico panno intertexto auro cooperta, ſupra quam erat integumentum capitis varijs plumis ornatum, ferebaturque Solimanus in caput Turcico more, at non in pedes, quem portantes non in faciem quidem, at in latus procedebant. poſt cadauer ſubſequebantur ſtatim duo purpurati, quorum alter erat in præfectura Memphitica, alter erat Agà Ianizzerorum nigris & hi veſtibus induti. hos ſequebatur confuſa multitudo propè infinita. Depoſitum fuit cadauer in foſsa quadam & quaſi quodam ſacrario ſubterraneo, quod ille viuus ſibi conſtruxerat, vbi prius eius vxor Roſsa fuerat ſepulta extra hortum ipſius templi.

**Templis Turcarum habita reuerētia.**

Nam cautum eſt apud Turcas ſacris legibus ne mortuorum cadauera in templis aut in locis Deo ſacratis ſepeliantur, quia nefandum putant puriſſimi Dei ędem immundis & maleolētibus cadaueribus vllo pacto inquinari aut cōtaminari. fuit illud ſacrarium ſtatim multis luminibus repletum & odoriferis ſuffimentis, atque Sdreuiſi ſacerdotes pro eius animę quiete dies ac noctes viciſſim ſuccedentes precabantur per multos dies.

**Solimani ætas & laus.**

Agebat Solimanus annum ſeptuageſimum & ſextum in omnibus ferè negotijs fortunatiſſimus; veruntamen non minus prudentia, liberalitate, magnitudine animi, iuſtitia, multarum peritia rerum, quàm fortunæ felicitate inſignis Imperator, qui plurimum rerum aſtronomicarum cognitione & hiſtoriarum delectabatur, quare multos alebat viros doctos. fuit in tranſigendis negotijs ſolers ac diligens. fidei & religionis ſuæ obſeruator, vt patet ex hiſtoria eorum, qui ante nos ſcripſerunt. vnum auſim dicere, Solimanum Ottomanos Imperatores humanitate, magnificentia, omnibus imperatorijs virtutibus antecelluiſſe. accepit Imperium anno decimo octauo poſt mille & quingentos ſalutis noſtræ, atque cum ad hanc vſque ætatem vixiſset, non ſolùm hæreditarium Imperium à Selimo patre acceptum feliciter conſeruauit, ſed etiam multis vrbibus auxit. mortuus eſt è ſanguinis pro fluuio ſuperueniente apoplexia ob imbecillitatem naturæ in illa ætate. ſepulto ita Solimano effuſa eſt obuiam omnis multitudo nouo Imperatori Selimo reuertenti Byzantium, cum magna lætitiæ ſignificatione, & ſupra quàm credi poſset. acceſſit autem cum magna pompa terreſtri itinere, quia triremes, quas præfectus Adrianopolis obuiam miſerat, minimè opportunè conueniſsent ad Elicuſam. Vna nocte circiter ſeptem millia paſsuum tapetibus & pannis aureis ac ſericis via tecta eſt extra vrbem, quà ibatur Byzantium.

**Selimi Byzātium adeuntis pompa.**

Illa Selimo prætergreſso complura ſunt direpta à militibus. laceri erant & afflicti & ipſi & equi propter aſſiduos labores bellicos. Vbi ad portam ſepti ventum eſt cum illa pompa, ianizzeri ſublimi vociferatione munus petunt, quibus cum nihil eſset reſponſum, clamorem ingeminant.

**Ianizzerorū mos.**

id vbi ter feciſsent, annuit Selimus, ſtatuitque vt mille aſpri ſingulatim darentur, viritimque aſprum quotidiano ſtipendio adiunxit, cum octo tantum ordinaria eſsent ſtipendia. Iſtud factum eſt ad ſedandos militum tumultus, qui erant impedimento quo minus in eam portam ingrederetur. ſtricti ſunt multi acinaces. Partaus quidem cum laboraret vt res componeretur, vulnus accepit. Quatuor è primarijs Ianizzeris Selimum ex equo excipiunt, & in regios thalamos comportant, quo tempore conclamatum eſt ab omnibus, viuat Selimus. Vbi primū Imperiū accepit acceſſit legatio Perſarū petens confirmationem pacis & conditionum. narrat Perſarum Regem copias à finibus Turcarum retraxiſse, quæ quidem non fuiſsent ab ipſo Rege Tacha eductæ, ſed contra eius voluntatem ſpe prædæ proruperant. Selimus reſpondit his rebus opus eſse maturiore conſilio, quare ſe poſt modo reſponſum daturum. Veruntamen non videbatur bellum initio imperij ita repente ſuſcipiendum aduerſus potentiſsimum Regem, cum circiter centum millia hominum in Pannonica expeditione perijſsent, partim morbo, partim ferro, partim inopia rerum neceſsariarum, cum magni exercitus breui ſoluantur neceſse ſit ob huiuſmodi penuriam.

**Copię perditæ in pannonia.**

ſed tamen ſiquis diligenter vires imperatorum Turcarum, amplitudinemque imperii conſideret, apparebit exigua quædam iactura centum aut ducenta millia hominum, cum innumerabiles propè copias ſemper poſsint colligere. nam tametſi nō oēs illæ copię firmæ & ſunt & ſtrenuę & rebus bellicis aſsuetę, tamē vires hoſtiū poſsūt ſuſtinere donec cū peritis & veteranis cōmiſtæ rebus aſsueſcant bellicis. Quis enim ictum ſagittarum aut glandium imperitorum ſclopettariorum ſine periculo ſuſtineat? aut quis è manu timidi & imbellis eundem neglexerit? vt autem appareat has tantas vires Turcarum facile poſse colligi, quas diximus, nō videbitur inſuaue aut abſurdū ſi quāta fieri poteſt breuitate fines imperii Turcici deſcripſerimus, vt ſciatur quātos prouētus, & quātos telluris tractus ille occupauerit, in quo quāuis quædā ſunt ſolitudines, tamen alibi mira eſt frequentia vrbium & populorum, apud quos nihil honorificum cenſetur, præter diſciplinam rei militaris.

**Turcici Imperii amplitudinis deſcriptio.**

Incipit igitur Turcarum Imperium ab ea parte, quę proſpectat ad ſeptentrionem occaſum verſus à Pannonia & Tranſyluania, quas ferè omnes prouincias poſsidet, præter paucas vrbes & caſtella, quæ parent Regi Romanorum. Myſia ſuperior preterea & Mæſia & Triballorum regio à purpurato Taurumni gubernantur, parentque Imperio Turcarum. Tum Serimia & Illyrium quod conſtat ex iis regionibus, quæ vocantur Boſsina, Seruia, Dalmatia, præter exiguam partem, quę paret Venetis, ſubijcitur Imperio Turcarum. eſt autem Illyrij regio perampla, cum vniuerſus tractus is comprehendatur, qui à Saua fluuio in citeriore eſt regione à fontibus eius fluuij, illuc vſque vbi intrat in Danubium. Eſt autem regio cum ampliſsima tum fertiliſsima ac populoſa in primis, in qua permultę ſunt celebres vrbes, neque minus quam Italia habitatur. Thracia deinde vbi eſt metropolis Byzantium, & Cherſoneſsus vbi Gallipolis, & Macedonia regio latiſsima olim Aemonia vocata, in qua centum & quinquaginta populi antiquitus fuiſse memorabantur, quæ ad occaſum habet Adriaticum, ad orientem Aegeum mare, ad vrſas cum Męſia & Dalmatia coniungitur, ad meridiem habet gentes

bet gentes Epiroticas, paret eidem Imperatori. Porrigitur autem ad Theſſalonicam vſque in ſinum Termaicum, & ad Adriaticum ſiue Ionium non procul à Dyrrachio, & ad litus vltra Epirum, vbi ſita eſt Corcyra è regione. Achaia præterea, vbi fuerunt Thebæ & Athenę, & Peloponneſus cum chalcide Euripi Turcicę eſt ditionis, quæ tota regio ſi tamen Pannonia Tranſylua-nia, Męſia, ac Myſia ſuperior non includantur, non minor eſt, vel forte etiam maior & frequentior tota Hiſpania. Nam ſi maritimo itinere a Tarna procedatur Byzantium, vndecim millium, & ducentorum ſtadiorum iter conficietur. ex altera parte ſi è Triballis Illyrioque & ad mare vſque Enxinum, atque inde Byzantium accedatur, multò amplius eſt itineris ſpatium, cum circiter viginti & quatuor millia ſtadiorum intercedant. illud autem ſpatium totum terræ paret Ottomanico imperio, pręter id parum quod eſt Venetorum in ſinu Corcyræo. Parga è regione Corcyræ ſita, vniuerſaque illa regio adminiſtratur a purpurato Turca, quem vulgus Belerbeium gręciæ appellat. Hæc eſt illa pars tantum Europæ, quæ Ottomanico Imperio ſubiecta eſt, paretque Turcicis legibus. In Aſia verò multo maius & opulentius habet imperium, quippe quod in ſex partes, ſiue in ſex præfecturas ampliſſimas eſt diuiſum, quibus ſingulis pręfecturis purpurati ſinguli cum proregia poteſtate, dignitateque præficiuntur, quibus ſeptima accedit Aegyptus. atque cum Aſia pars mundi tertia eſſe dicatur, ſiquis eius dimetiatur amplitudinem, non multo minus continere comperietur, quam reliquæ ſimul duæ mundi partes. Hanc ſeparat ab Europa fluuius Tanais in montibus Riphæis ortus, qui per Scythas & Sauromatas populos in paludem Męotidem deuolutus ad aras Cęſaris ingreditur. Ab Africa diuidit Nilus celeberrimus Aegypti fluuius, qui per ſeptem oſtia in mare mediterraneum ferè è regione Rhodi ingreditur. Prima igitur præfeſtura eſt Aſia minor vltra Propontidem & Helleſpontum, quæ in quatuor regiones olim diuidebatur, Myſiam, Cariam, Lydiam, Phrygiam; atque ea præfectura a mari Euxino ad mare vſque Lycium vocatum vltra Rhodum extenditur. atqui intra continentem Aſia ipſa minor continet tantum terrę ſpatium, quantum vix poſſet quindecim dierum itinere pertranſiri. Secunda pręfectura eſt Cilicię ac Pamphylię è regione Cypri, atque Cilicia ab oriente Amano monte clauditur, a ſeptentrione iugis & collibus montis Tauri. Iungitur Cilicia cum Pamphylia ab occidente, atque Pamphyliæ termini ſunt ad orientem Cilicia vti dicebam, & pars Cappadociæ, ad occaſum Lycia, ad meridiem mare Pamphylium appellatum, ad ſeptentrionem Galatia. Tertia pręfectura continet Cappadociam & Galatiam, & a Cilicia ad pontum vſque Euxinum, in qua comprehenſa eſt Trapezuntia. Quarta continet Armeniam minorem, quam terminat a ſeptentrione pars Aſſyrię, in qua præfecturę quatuor continebantur antiquitus, Cataonia, Muriana, Labiana, Arauena ad Euphratem. Quinta Meſopotamiam complectitur, quę regio eſt ampliſſima ita dicta, quòd inter duos fluuios Tigrim ab oriente, ab occaſu Euphratem poſita ſit, qui ampliſſimis curſibus in Armenia orti communi alueo poſtea in mare Perſicum perferuntur; vbi tamen Euphrates Babyloniam prius per medium pręterlabens alluerit, quam regionem claudit a meridie Babylonia, a ſeptentrione mons Caucaſus celeberrimus ob Promerheum. contiuet etiam hęc pręfectura partem quandam maioris Armenię vltra Euphratem, cum alia pars Armenię a Rege Medorum poſſideatur. In Sextra præfectura continetur Iudęa & Aſſyria, quę pars eſt Aſię maioris, quam claudit ab oriente pars Medię; a ſeptentrione pars minoris Armenię non procul a monte Niphate; a meridie Suſiana; ab ocaſu Meſopotamia. Iupęa vero, quę pars eſt Syrię, per quam defluit Iordanis fluuius, Perça. quę ita dicitur, quòd Aegypto ſit proxima; a reliqua Iudea dirimens ampliſſimis finibus continetur, quippe quę diuideretur antiquitus in decem pręfecturas, Toparchias vocatas. huic pręeſt purpuratus Damaſci, quę vrbs eſt Syrię metropolis. Aegypti purpuratus præfectus eſt Aegypto & Arabiæ petreæ, quæ eſt inter Aegyptum & Iudęam, quæ eſt Nabathæa nuncupata, & parti cuidam Arabię deſertæ ſiue Scenitis, cum rex quidam Arabs imperet alteri parti. Poſſidet Turcarum Imperator multa etiam in felici Arabia, vbi eſt Saba vrbs, & ad ſinum vſque Perſicum in meridiem, qui quanti ſint fines, quamque ampli imperij quis non intelligat? Nam ſiquis per Aſiam minorem ad Eſdram vſque vocatam ad maiorem Armeniam vltimum locum Turcarum percurrat, vbi fines imperij Medorum attinguntur, vix quadraginta diebus poterit in expedito equo tantum itineris pertranſire. A Trapezuntia Armeniam, Aſſyriam, Iudęam trangreſſo ad vrbem Memphim Aegypti, ſupereſt iter totidem dierum. Ab Apello & Bagadedo extremo angulo Meſopotamiæ vbi confluunt in vnū Tigris & Euphrates, eſt iter ſexdecim dierum. a Damaſco & Saba quinquaginta à Saba totidem ad Memphim vrbē. atq; vt ſummatim concludam, Turcarum imperatoris fines ita clauduntur; hinc ſinu maris Adriatici, inde finibus Regis Romanorum, aliiſque Germanorum principum regionibus cum parte Auſtriæ & Boemiæ & Marcomanis & Croatia ac Polonia. Extenduntur etiam ad alios fines Germanorum principum fines imperij Ottomanici, & ad mare vſque Euxinum, paludemque Męotidem. ex vtraque parte Tanais incolunt Scythæ populi bellicoſiſſimi, qui quamuis non ſunt ſubiecti Ottomanico imperio, tamen perpetua eius merentur ſtipendia, tanquam Heluetij regum Gallorum, quorum in regione Turcę eſt Caffa in Taurica Cherſoneſſo, & Tanais ſupra paludem Męotim. Sequuntur in Aſia pręd ictapalus & mare maius vocatum Caircuſſorum, Anograſsorum, Mongellorum, qui colchi ſunt, & ad Trapezuntiam vſque protendūtur. Hinc Hiberi ſuccedunt coniuncti cum maiore Armenia & Cardi ad Edram vſque, a quo loco ſi petueniatur ad Ziderm & ſinum vſque Perſicum, omnia ſua ſunt finitima Medorum regno, & Aegyptus vſque ad Aethiopiam. at qui cum tot regna, tot prouincias,

Prima pręfectura Turcarum.

Secunda.

Tertia

Quarta.

Quinta.

Sexta.

uincias, tantum terræ mariſque ſpatium Turcarum imperator poſſideat, in quo tamen non vaſtę,
ſed paruæ ſunt ſolitudines, non debet mirum videri ſi infinitum propè numerum armatorum poſ-
ſit colligere. enimuero ſi liberiores animos ſuorum populorum eſſe concederet, neque tam op-
preſſos auaritia miniſtrorum teneret, omnium principum longe potentiſſimus eſſet Turcarū impe
rator, cū tot poſſideat bellicoſas feroceſq; nationes. ſed nihil magis imbelles facit & timidos quam
Patria nulla eſt nihil poſſidenti. paupertas, cū nemo pugnet libenter pro tuendis alienis tantū facultatibus, aut pro inani patriæ no-
mine, quæ certè vix vlla eſt nihil poſſidentibus. Nam cum facultates apud Turcas nemini liberæ
ſint, omniaq; Imperatoris eſſe intelligantur, cū ius dicatur ſepe pro muneribus, cū nemini liceat ac-
ceptas iniurias repellere niſi per iudicem, ibi imbelles fiunt & abiecti neceſſariò animi populorū, cū
nullus ſtimulus ſit acutior in pace quam honoris defenſio, in rebus bellicis quàm appetentia glo-
riæ. neq; enim fieri poteſt vt animus mortaliū diu iacens expoſitus multis opprobrijs, repente tym-
panorū ac lituorū ſtrepitu ita excitetur vel claſſicorū, vt elatus ac quaſi reuiuiſcens ad res glorioſas,
Prouentus Turcarum. laudiſq; deſideriū ſtatim aſſiliat. Huius Imperatoris annuus prouentus ordinarius creditur accede-
re ad quatuordecim millia librarū auri ſignati. Vbi copiæ Turcarū exceſſiſſent è Pannoniæ fini-
Bregetij incendium. bus, ignis coortus eſt Bregetii formidabili priuati cuiuſdā coqui incuria, atque vniuerſa ferè ciuitas
concremata propter eximiam vim ventorum flammas adiuuantiū, cū Bregetiū etiam è materia fa-
ctū eſſet ad morē illarū regionū, quę facile poſſet comburi, vt ex arboribus ac trabibus ſiccis complu
ribus; quod flammis nō fuit abſumptū in priuatis domibus, illud totū eſt per latronū crudelitatem
& auaritiā pleriſq; in locis direptum. Multi etiam prædę auidi quod daretur occaſio latrocinij, clam
Latrocinij inter incendia acriter caſtigandum. ignē domibus per illam opportunitatē ſubijciebant, cū pręſertim finitimi omnes illuc res precioſio-
res, tanquā ad aſylum metu bellorū comportaſſent: quod genus latrocinij per has miſerias ego ce-
terorū omniū crudeliſſimū & maxime vindicandū iudicauerim. Cęſar partim miſericordia, partim
quòd illud firmiſſimū propugnaculū aduerſus hoſtē putaret, iubet Bregetiū refici ac inſtaurari. co-
pijs itaq; dimiſſis relicto firmo præſidio equitatus ac peditatus cum Cochia copiis & inſtaurationi
præfecto Iuliobonam reuertit. Noricę copię miſſę ſunt Odemburgū ad reprimendas Turcarū incur
ſiones, quæ fiebant frequentes in illis regionibus. Miſſus eſt cū Imperio Thius Germanus cum mil-
le peditibus ac totidē equitibus ad munitionē Caniſam, quæ prima ſe offert Netuburri redeūtibus.
Cæſarianæ copię dimiſſæ. Cæſar dimiſſis principibus cū multa gratiarū actione, qui liberaliter ad illud bellū cōfluxerant, dein-
de principibus Vindeliciæ indicit comitia bellicorū apparatuū in annū ſequentē, quod erat in Pan-
nonia & Tranſyluania aduerſus Ioannē Regē gerendū, ad cuius defenſionem erat relictus Partaus
Scytharū ingenia. purpuratus cū magno Scytharū numero, hominū ferino propè ingenio, ſingulariq; crudelitate er-
ga victos. apud quos nullus prope eſt miſericordiæ locus. Pontifex operam dabat interea Romæ
moribus Sacerdotū reformandis ac ciuium; dum Aetna fabuloſus quondā mons Siciliæ propter
antiquam Cyclopum officinam, in qua fiebant fulmina Iouis ingenti, maximeq; horrendo motu ter
Aetnæ incēdium formidabile. ræ concutitur, tantoq; cum ſtrepitu ignē eructat, vt ab vniuerſis Siciliæ populis trepidatū ſit. Po-
ſtea Trioclæ vrbs cū ſita ſit ad radices ipſius Aetnæ, illa nocte quæ anteceſſit Cal. decembris factus
eſt permagnus motus terræ, qui in ſequentem vſq; diem perdurauit. Deinde poſt meridiem in ſu-
prema parte montis apud vocatum Frontiſpicium, quod abeſt circiter decem millia paſſuum ab
vrbe, aperti ſunt duo hiatus vnde altiſſimi fumi ad morem maximarum Turrium in cœlum ex-
tollebantur: qui poſtmodo ita ſunt diſſipati ac diſperſi, vt aer vbique tegeretur, dieſque fieret tam
denſus, tamque obſcurus, vt media ferè nox appareret. ſequenti poſtea nocte quinque alij patue-
runt hiatus, vnde non fumus ſolus velut antea, ſed ignis plurimus, maximeque formidabilis ſca-
tuit. erat materia illa prorſus ignito & liquefacto metallo perſimilis, quæ ad aliam vrbem illi
monti finitimam defluxit Linguagroſſam vocatam in morem duorum fluuiorum ignis, cum eius
vrbis ager circiter duodecim millia paſſuum in longitudinem tegeretur, ac per tantundem ſpa-
tium horrenda illa ignita materia ad mille paſſus ad minus dilataretur. erat profunditas eius flu-
minis ignei circiter duodecim palmorum, quæ ſanè niſi altiſſima extitiſſet, ad tantum agri ſpa-
tium non potuiſſet defluere. Vbi materia illa conſtitit, ceſſauitque vis ignis atque impellentis
fluminis, cognitum eſt petram fuiſſe ignitam, quæ cum tanto ſtrepitu, tantoque impetu ad
imum montis deuolueretur per eam planitiem. vniuerſus itaque ager ab illa petra occupatus fa-
ctus eſt omnino inutilis culturæ. effluxerant poſtea duo alij fluuij in morem prioris materiæ, qui
omnes Triocle vineas concremarunt, occuparuntque amplum quoddam ſpatium: atque
horum curſus non fuit tanquam fluuiorum aut aquarum, ſed potius tanquam tumidarum vn-
darum, quę magna vi ventorum eſſent elatę, atque alicubi depreſſæ; qui curſus ad Cata-
nam vſque vrbem decucurrit. ſic igitur varijs diebus ingens terror hoc anno vniuerſis Siciliæ
populis iniectus eſt, ſed Aetnę accolis præſertim. Suendius vbi copiæ Ottomanicæ diſceſſiſ-
ſent, magnaque pars Cęſarianarum eſſet dimiſſa, tamen non cenſet tempus amittendum,
Belgij noua religio. ſed Zatuar oppidum Pannonię obſidet atque diuerberat. At vero inter Belgas, in inferioribuſ-
que omnibus regionibus paulatim eorum numerus in dies ſuccreſcit, qui nouam religionem
ſectarentur. frequentia conuenticula habentur. conciones & conuentus extra vrbes pręci-
puè fiunt, cum nullus locus tante multitudinis iam eſſet capax. nam Bruxellis exeunt cir-
citer quindecim millia hominum ad conciones. magiſtratus qui grauiter ferret has ſuperſti-
tiones, & hæc ſeditionum initia, quia proſpiceret quantum calamitatum ſemina inde ori-
rentur, nonnullos milites clam colligit. ſimulat ſe animi relaxandi gratia exire ex vrbe, quo
interciperet concionatorem. Sed cum ille duobus millibus armatorum ſępiretur, nihil effici po-
tuit, quia non videbatur negotium per certamen eſſe tentandum. neq; Lillę tamen res ſeſe habe-
bant

bant tranquillius, quippe cum inter diuerſæ religionis homines prælium commiſſum ſit, non ſine magna clade vtriuſque factionis. Atuacuti rurſus populi, quia ſeditionum ſemina paulatim pullulantia ſentirent, maximarumque calamitatum fundamenta non ſolum in præſens, ſed in futurum etiam ac diuturnum tempus iacerentur, quæ in perniciem ac ruinam præſentium poſterorumque multorum redundarent, petunt ſuppliciter à Philippo Rege, ut interim Germanicum ſibi concederetur; hoc eſt vt liceret per regium edictum viuere pro arbitrio, donec haberetur ſacra ſynodus libera, cuius poſtea inſtitutis profitebantur ſeſe obtemperaturos. illud cum minime appāruiſſet obtinendum Caluiniſtæ, & Mariniſtæ per ſupplex ſyngraphum rurſus petunt liberam facultatem viuendi pro arbitrio in ſua religione, pro qua conceſſione loco probabilitatis pollicentur tria millia librarum auri ſiue tricies centum millia nummûm aureorum. Agamontius interim veritus ne ſeditiones ſuborirentur, equites ac pedites conſcribit ac colligit. præſidia imponit in vrbibus præſtantionibus Belgarum ad ſedandos reprimendoſque animos ſeditioſorum. illud ipſum facit Aurantius in Batauis Vtrechtii, nam cum ſeditioſi in plateam arcis ad concionem acceſſiſſent, iubet diſplodi tormentum, cuius tamen globus fertur ſublimior quàm quempiam attingeret, poſtea diſploſo ſclopetto maiore cum multis glandium fructis ac paruulis glandibus, quatuor interfectis, & ſex uulneratis reliqui territi diffugiunt, neque vlla tamen ratione ſatis poterant frẽnari ſeditioſi hæretici, quippe qui nullum genus rapinæ aut crudelitatis, per ſimulationem religionis à ſe alienum eſſe oportere arbitrarentur, cum collectis octo millibus armatorum ad Baganum multas uillas, multaque cęnobia concremarint, homines iugularint, prædam abegerint. Ioannes rex Tranſyluanię quod ægrè ferret Toccei iacturam, quod Suendius occupauerat, eductis copiis multis ſumma celeritate illud obſidet, ut diximus, ac diuerberat, quod cum per aliquot dies effectũ eſſet, reuocatur ab obſidione moleſtiſſimo rumore, quia decẽ millia ſuorũ Scytharum ſeditioſè ab vniuerſis aliis copiis recedentia totam prouinciam populabantur, omniaque replebant direptionibus, & incendiis. vbi ſignificatum miſiſſet vt excederent ex illa prouincia, neque tamen eius mandatis paruiſſent, indignatus ſoluta obſidione Toccei illos repente inuadit, & circiter ſex millia inopinantes in morem pecudum trucidat. illam cladem ægrè ferentes Scythę finitimi coniunctis quibuſdam Turcis, qui omnes accedebant ad quinquaginta millia hominum, Tranſyluanum ad Varadinum includunt. atque obſident. ſed cum nulla haberent tormenta, obſidio diutius protrahitur, quare Tranſyluanus clam egreſſus ſeſe in munitiora oppida ſuæ regionis ſeruat, ibi magnis viribus collectis denuo capias in eos educit, commiſſo prælio ad viginti millia hominum trucidat. multi vulnerantur, qui capti fuerant è Tranſyluanis per illam victoriam in ſeruitutem, rurſus liberi dimittuntur. nam finitima quæque loca Caſſouiæ propter eximiam Scytharum feritatem deuaſtata, deſolataque fuerant. Qui ſuperfuerunt cladi è Scythis, ſalutemque fuga ſibi compararunt, cum multis Iannizzeris, & Myſis coniuncti deinde hoſtiliter Dardaniam Tauroſcytharumque regionem Regis Sidonię percurrunt, atque omnia ferro, & igni deuaſtant. ſenes, & imbecillum omne genus hominum trucidant. multa millia mortalium in miſerrimam ſeruitutem abducunt. at denique Tauroſcytharum palatinum obſidentes ab egreſſis copiis ex oppido fortiſſime inuaduntur cum multa ſtrage, cęduntur que amiſſis duodecim bellicis tormentis. ſic in Pannonia variis certatur incurſionibus. nam dum Tranſyluanus obſideretur Varadini Suendius captata illa non negligenda opportunitate cum decem millibus peditum, & quinque millibus equitum obſidet Teluiſar oppidum non aſpernandum, in quo erat vxor præfecti Tranſyluaniæ. cum ad viginti millia Turcarum ad Albam regalem conueniſſent, mox inde eductis copiis Cornar, & Calambachium vi occupant, quare Suendius cogitur ſoluere obſidionem propter metũ harum copiarum cum in dies illę magis magiſque ſuccreſcerent, quæ poſtea Geſtes & Vitanum oppida receperant, magnamque trepidationem Palodæ, Riſpiæ, ac Tattę omnibuſque finimus locis, populiſque propinquis iniieiunt. Cæſar conuocatis ad comitia omnibus Auſtrię ſtatibus, vbi principes illarum nationum conueniſſent hæc poſtulauit, vt ſubſidia præteriti anni conferrentur, cum defuiſſent trecenta ferè florenorum millia. Vt, quoniam ſi exiret ad bellum nobilitatem Auſtriæ ſecum exire nolebat, pro ea darentur mille equites, & quinque peditum cohortes. Vt omnes incolæ ſex dies quotannis in ſex annos proximos Iuliobonam accederenr ad eam muniendam. Illis petitionibus principes eius prouinciæ diu reluctantur, procraſtinantur, comperendinant, deuitant his petitionibus vllum dare reſponſum. atque id in multos dies differtur; demum palam ac libera oratione profitentur ſe nihil horum eſſe facturos, niſi Auguſtana confeſsio concederetur. Cæſar id ægrè ferens ſe nihil inquit ad religionem aut credulitatem ſpectans propoſuiſſe, quare petit ut iis reſpondeatur, niſi mallent ſui principis indignationem experiri. res ita denique concluditur. Vt centum & triginta atque octo florenorum millia in ſingulos annos traderentur, & triginta millia ad Bregetii inſtaurationem. Vt qui prouentum haberet centum florenorum in tres menſes quotannis equum aleret Cæſari. qui plura, plures. Vt ſi ipſe ad Auſtriæ fines accederet, decimus quintus quiſque iret in caſtra. ſi exiret ex iis finibus, trigeſimus quiſque, quod eſſet pro nobilitate. Quòd ad Auguſtanum reſponſum, rurſus id renouatur, ſed ſilentio inuoluitur, vbi auditum eſt vel Cęſaris ritu viuendum, uel abeundum. ſic ſoluta ſunt comitia. ſed enim cum Rex Iuliæ Cęſareæ cum duodecim triremibus per id tempus, & ad Zythum Africę promontorium Lothophagites, & ad Galathen appuliſset, habuiſsetque obuium in itinere Garziam Toletanum cum viginti, & duabus triremibus, neq; pręliũ commiſſum fuiſſet, Selimus vel humanitatem Toletani admiratus, vel ſubdolè deridens illud factum, literas huiuſmodi dicitur ad Toletanũ exarauiſſe; humano Garziæ chriſtiano Hiſpano ſum

Interim à Belgis petitum.

Seditiones inhumanæ ſimulata religione. Seditio Scytharum.

Scytharum clades.

Scytharum clades inſignis.

Petitiones Cæſaris i Comitiis Auſtriæ ſtatutæ.

Selim hæc ad Toletanum.

mo duci claſſis principis Hiſpaniæ. Nos Selimus Ottomanus maximus ac potentiſſimus Turcarum Imperator tibi Garzię Chriſtiano Hiſpano, & ſummo duci eius Regis, qui tot habet titulos, per hoc noſtrum diploma ſignificamus ad aures noſtras perueniſſe, quòd ſuperioribus diebus non procul a Galate obuius factus duodecim noſtrarum triremium, quæ amicum noſtrum Iuliam Cæſaream conuehebant, cum viginti, & duabus è tuis inuictis ea humanitate vſus es vt ſine contentione præterieris. Id quoniam credere non poſſumus aliunde quàm ex quadam erga nos, resque noſtras obſeruantia prouenire, cum vix fieri poſſe cenſeamus vt quidquam timidum aut ſordidum cadat in animum tanti ducis, voluimus per haſce literas noſtro aureo ſigillo communitas, & inſignitas te certiorem facere, quòd tantę humanitatis memoriam ad maiorem opportunitatem tibi gratificandi reſeruabimus. Præterea noſtris claſſibus te vel propinquum, vt ſalutent in poſterum mandauimus. Te commonefacimus, ſi tamen hoc non eſt ſuperuacaneum, vt te ſerues à periculis. è noſtra ſublimi, & excelſa porta Byzantio anno benedictæ lunæ vigeſimo primo. Imperij regnorum noſtrorum primo.

*LIBRI DECIMI SEPTIMI FINIS.*

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS

## *LIBER DECIMVS OCTAVVS.*

NOndum Pannonici aut Tranſyluanici belli incendia extincta fuerant, ſed aliquantum remiſſa tantum aut conſopita, cum non minus atrocis aut calamitoſæ diſcordię vel potius incendii alterius ſemina excitata ſunt, lateque ſerpere cœperunt in finibus Belgarum, & Attrebatum, & Menapiorum. neq; mirum eſt profectò iſtud contingere in rebus humanis, quæ tanquam fluctus inſtabilis Oceani aut vndę pro arbitrio ventorum modo ſubſidentes ac humi iacentes, modo altiſſimæ ad cęlumq; ſublatæ conuoluuntur, quando in animis etiam ſingulorum hominum iſtud ipſum euenit. Nam non ſolum res ciuiles, & regna, & imperia diutius in eodem ſtatu conſiſtere nõ poſſunt, perpetuæque dantur uiciſſitudines, ſed neque hominum quidem priuatorum conſilia, cum animus noſter ſemper ferè variis cogitationibus fluctuet, & quaſi arbitrio uentorum huc illuc agitetur, & deferatur pro rerum ſucceſſibus. Contingit etiam plerumq; vt ad multa abſurda feratur quaſi facturus naufragium, niſi ratione, & conſilio tanquam tenaciſſimis anchoris ſapientiſſimè firmetur, & muniatur. Inde factum eſt vt fortuna occulta quædam, & peſtifera perturbationum ſemina iecerit iam multos annos in Germania per Lutherum, prouincia ſanè primùm religioſa, quæ faciles populorum animos, & rerum nouarum cupidos nacta, poſt modo ad res nouas in multos annos impulerunt. His ſuccreſcentibus ſeminibus antiqua, & auita religio prius ſuffocari cępit, quod ſcelus per Britanniam, Scotiam, Batauosque inſulas peruagatum, mox in Auſtriam Pannoniamque irrumpens, neque à Gallia comata chriſtianiſſima quidem prouincia abſtinuit; in quibus prouinciis multo etiam peiora ſemina pullularunt, quàm à primis apoſtatis ſata fuerant. Fructus verò, qui collecti ſunt è contemptu ſanctæ, catholicæ, incontaminatæ religionis fuerunt, atrociſſimæ, & crudeliſſimæ cædes inter ſe ciuium earundem ciuitatum, & iugulationes coniunctorum, & horrenda parricidia, inſatiabilis ſitis humani ſanguinis, furta, rapinæ, incendia, rebelliones, ſacrilegia, omnium humanarum diuinarumq; legum contemptus, quæ certè cum religione fieri non poſſunt. nam qui hæc faciunt, ſe impios, crudeles, inhumanos, nihilq; minus quàm religionem curare fateantur neceſſe eſt. enimuero fructus contemptæ religionis ſine cędibus, & rapinis colligi non poſſunt, cum nullæ inueniantur nationes quæ in mutanda religione non multas calamitates perſenſerint. Hoc genus peſtiferorum ſeminum ubi per Belgas paulatim ſerpſiſſet, illam nobiliſſimam, maximeque religioſam prouinciam ita ſuperioribus temporibus occupauit, ut ea conuelli ſine ſanguine multo non potuerint, neque in multos annos conuellentur. nam ut temporum mutationes ægritudines ferunt humanis corporibus maiores ſcilicet pro ratione, atque multis temporum iniuriis afflicta difficilius reficiuntur, ſic prouinciæ magnas mutationes perpeſſæ vix longo tempore inſtaurantur ubi religionem mutauerint, cum quæque ſeditio tanto magis timenda ſit, quanto grauior cauſa eius extiterit. Hoc autem magis admirabile eſt accediſſe Belgis, quòd multę Batauorum, Gallię, Britannorumque calamitates propter propinquitatem regionis non erant ignotæ; quippe quòd Belgæ ſint non magno maris traiectu à Britannia diuiſi ad orientem ſiti in ea parte terræ, quæ ſpectat ad occidentem oceanum in litore maris Britannici ſiue Germanici. atque ad meridiem mari Aquitamico terminantur, niſi quòd ſeparantur ab Hiſpania montibus Pyrenæis. habẽt Rhenum fluuium, & magnum Germaniam, qui de iugo fluens alpium Rheticarum ad Batauorum fines diuiſus in mare oceanum poſtea influit. his Ombrici flu-

Rationis vſus quam neceſſarius.

Nouæ & illegitimæ religionis fructus.

*Belgij deſcriptio.*

minis ortus eſt inter Scalden, & Sequanam denique ad orientem, quæ natio cum tam propinqua ſit illis regionibus exortas calamitates certè intueri poterat. Pannonicas ſi non viderat, ſaltem audiuerat, cum tota ferè Turcarum arma per annos multos ita ſenſerit, vt & ipſa, & vrbes Noricæ non leuem numinis in ſe animaduerſionem cognouerit. Sed antequam cauſæ eorum bellorum, quæ memorabilia fuerunt, non ſolùm propter celeritatem ingentium apparatuum, ſed etiam propter ſingularem, & inauditam propè crudelitatem memorentur, breuiter attingenda ſunt primodia ſeditionum illa, non quæ faciunt ad ornamentum hiſtoriæ, ſed quę ad cognitionem ſunt neceſſaria, quibus ignoratis hiſtoria fortaſſe uideri poſſet fabuloſa, cum in loco ſterili exercitus haberi diutius non poſſint, aut certe maximis cum difficultatibus, & regiones pro fertilitate ſint frequentes atque habitentur. cum nemo etiam pugnet pro ſterili, & paupere loco. eſt igitur Belgarum regio frumenti fertilis, & omnis generis leguminum, & animalium domeſticorum, quę neceſſaria ſunt, & commoda humanæ uitæ. vitium tamen eſt impatiens, & illarum arborum quæ amant loca calidiora, propter frigus regionis. at ſiquid externum requirat, facilis eſt vnde vis conuectio, & importatio. ſunt & aduerſus cæteros homines tractabiles. diſciplinarum ſtudioſi, vbi pleriq; ſolent eſſe literarum cognitione non vulgari exculti, qui cum antiquitus regium nomen vt nimis tyrannicum odio haberent, a Ducibus gubernati ſunt. vbi vero Carolus dux in bello deniq; aduerſus Heluetios infeliciter pugnans cecidiſſet, eius regionis Imperium iure hæreditario peruenit ad Mariam vnicam filiã, quã Maximilianus Imperator duxit in matrimonium, è quo natus eſt Philippus archidux Auſtriæ, qui reliquit varios filios è Ioanna principe Caſtellenſi, quarũ hæreditas ad Carolum Quintum deniq; peruenit. Fuit Gallia olim in quindecim regiones diuiſa, quarum hæc una fuit, in qua ſunt urbes inſigniores Bruxellæ, Atuacutum, Baganum, Valentiana, Leodium, Meclinia, Auguſta Romanduorum, Diuodurum, Louanium, Limirum, Gandauum, Rigiacum, Cæſaromagum, Teruanna, Durocottorum, & aliæ nonnullæ. Hæ omnes ante huiuſce belli opportunitatem Philippo regi Caroli Quinti Imperatoris filio hęredi patebãt, præter Eburones, quibus imperabat epiſcopus. Huic prouinciæ præerat cum poteſtate proregia Margherita eius ſoror, vt diximus, ex quo Dux Sabaudienſis in ſuum principatum per conditiones pacis recuperatum acceſſit. Margheritæ ſyngraphũ oblatum fuit illorum principum, & ad Philippum regem miſſum. Philippus reſcribit, vt ea videret nequid detrimenti res Belgica caperet, atque niteretur prudenter tot incendiorum initia reſtinguere, quæ quidem nulli diligentiæ vel labori pepercit, & res iamiam conſopitum iri uidebatur. at Philippus fortaſſe de illa regione magnopere ſollicitus, uel quòd res tantas nõ ſatis æquo animo crederet ingenio ac uiribus muliebribus, quia res maiori robore videretur indigere, vel alia quauis de cauſa, ſuffecit cum imperio in eam prouinciam Ferrandum Aluarezium Toletanum Albanum Ducẽ, ſummum imperatorem ſuarum copiarum, tanquam ad bellum, & ad frænanda ingenia illorum populorum uel per ſummam acerbitatem, ſi placidè facileque non poſſet. Hic dum ſe accingit ad iter Philippus literas dedit ad Peraſanum proregem Neapolis, vt copiæ veteranorum Hiſpanorum mitterentur in inſubriam, quod ipſum facere iuſſus eſt Carolus etiã prorex Siciliæ. iuſſus eſt & Gabriel Cueua Mediolani præfectus, & illas copias, & ſuas paratas habere in Albani aduentum in Italiam, quas poſtea cenſas in Belgas traiiceret. Sed tamen non ſimplex cauſa fuit belli inter Belgas, & Philippum regem noua religio, verum aliæ cõplures, quia multa contra pactiones fieri querebantur Belgę, quas cum Carolo Quinto habebant, quas hic aſcribendas putaui, quoniam plurimum faciunt ad totius hiſtoriæ dilucidiorem cognitionem. nam ita conuenerant atque impetratant à Carolo Quinto, vt hiſce conditionibus regerentur, quæ intelligerentur ad ſucceſſores poſtea tranſmitti. 1 Ne princeps eccleſiaſticum ſtatum ampliet ſupra quam factum ſit à cæteris principibus, ſine nobilitatis, vrbiumque cęterarum conſenſu. 2 Ne quem ſubditum vel habitantem in Belgis princeps punire poſſit, niſi pro ordinaria iudicum conſuetudine, & libera conſuetaque libertate, quo reus publicè ſe expurgare poſsit vel ipſe vel per patronos, & cauſidicos. 3 Ne tributa, ſubſidia, onera, vectigalia, vel alia huiuſmodi poſsit imponere ſine conſenſu ſtatuum eius regionis. 4 Ne quẽ miniſtrum externum in Tungrorum ſiue Ambiuaritorum regionem admitteret, niſi præfectos quibuſdam leuibus muniis. 5 Vt ſi comitia habeantur petendarum aliquarum rerum cauſa, Ambiuariti ne teneantur exire extra regionem, neque ratum ſit, ſiquid extra regionẽ fuerit decretum. 6 Ne principi liceat nouas munitiones inter Belgas excitare aut ædificare. 7 Ne Belgę externa auxilia admittere in ſuam regionem teneantur. 8 Si princeps vel iniuria, vel alia quauis violenta ratione priuilegiis derogare tentauerit, tunc Belgæ liberi, & abſoluti ab omni iuramento haberentur, & illis intelligeretur reſtituta libertas patriæ. hæc priuilegia viſa ſunt illis populis non ſeruari, cum Philippus rex eadem inſtituta religionis Hiſpanæ denuo imponere tentaſſet, quæ ſunt olim à Ferdinando Rege impoſita, atque nunc in Hiſpania ſeruantur in rebus ſpectantibus ad quæſitionem. illa de cauſa quæſitionem huiuſmodi detrectantes, vt quæ facultatum iacturam ſecum afferret, concordibus animis conſpirarunt ad illud iugum depellendum, quod non modo ad euerſionem familiarũ, ſed etiam ad euertenda delẽdaque priuilegia Belgarum, & libertatem auitam iam ita comparatam, vt cenſebant. illa de cauſa multi nobiles ac principes eius regionis conueniunt. rem diligentiſsimè perpendunt. ſtatuunt per ſyngrapha ſuppliciaque ſcripta, & preces primum rem diuertere, atq; implorare à Margherita præfecta cum proregia poteſtate, vti liceret ad ſuorum maiorum conſuetudinem viuere, qui diutiſsimè, & ad chriſtianorum morem vixiſſent ſine reprehenſione, & tranquille eam prouinciam ſine tumultibus gubernaſsent. Non opus eſse illi prouincię, quę nihil nouorum ſcelerum admiſiſset, nouis remediis, & tam atrocibus præſertim, quæ Philippus rex nulla neceſsitate eſset additurus, inuidia quorundam miniſtrorum vel potius auaritia perſuaſus. Se perpetuam fidem,

*Belgij fertilitas.*

*Belgarũ ingenia.*

*Belgium ut peruenit ad Carolum V.*

*Vrbes Belgii.*

*Margherita Auſtriaca Belgio pfecta.*

*Albanus Belgio pfectus.*

*Belgarũ priuilegia, & pactiones cum Carolo V.*

*Belgarũ oratio.*

& obſeruantiã erga regẽ ſeruaturos donec vita ſuperfuerit.audito Albani imperio ad has petitiones offerendas ꝓſto ſunt Bruxellis Margheritæ principes Brederodenſis, Ludouicus Nanſiẽſis regulus, Comes Vandebergenſis,& alter Colẽburgenſis. Hi cũ magna nobiliũ manu accedunt. Syngraphũ, vt diximus, offerũt Margheritæ.petitiones ꝓponunt.honeſtatẽ illarũ conant̃ explicare. Demonſtrãt ſe Regi ſemper fidẽ ſeruauiſſe.profitent̃ ad eius nutũ facultates ac vitã profuſuros. Rogant nõ modo ne priuilegia negligeret ac euerteret eius regionis, nationũq; Belgicarũ,& auita inſtituta fideliſſimorũ populorũ,introducenda noua quęſitione Hiſpanię,verũ ẽt vt liberũ animarũ imperiũ ipſis ſuarũ relinqueret,atq; Placatũ à Carolo V. adimeret,pro quo tanto beneficio non ſolùm perpetuã obſeruantiã pollicerentur, ſed ẽt tricies centena millia nummũ intra certum ſpatium temporis.His Margherita rñdet ſe tm̃ non habere autoritatis. certiorem facturam Philippũ per literas, quare decretum expectarent. Petitur nequis interim à miniſtris quęſitionis infeſtetur, quod conceſſum eſt ad euitandos tumultus. Delecti ſunt duo equites Toſonii ordinis Berghenſis, & Montegnius reguli, qui pro illa regione fungerentur legatione hiſce rebus componendis, quia timebatur, niſi res ita tranſigeretur, futurum, vt vbique tumultus inſurgerent. atqui cum rerum nouarum ſuapte natura maxime ſtudioſi ſint Belgę, non poteſt multitudo tantam moram ocii perferre, vt expectaretur regium reſponſum, ſicuti cum Margherita principes regionis conuenerant; quamobrẽ Atuacuti, & in aliis vrbibus paulatim tumultus excitantur. Profitentur palam ſe illud velle omnino obtinere, cuius cauſa miſſę fuiſſent legationes. Atuacuti, multisq; aliis in locis illarum regionum fiebant cætus in multis priuatorum ædibus,quò conueniebant qui nouæ religionis dogmata complectebantur,propriosq; habebant eius factionis autores, & miniſtros, è quibus conciones audirent. Neq; tamen priuatis ædibus contenti ſunt, aut intra priuatos parietes ſe cõtinere diutius potuerũt, cum in publicum paulo poſt auctis viribus multorum acceſſione eruperint,ſeq; quid ſentirent palam profiteri cęperint.inde accidit vt & ad Atuacutum,& apud Attrebares,Neruios,Selandos,Batauos,aliisq, in locis cõciones publicè à magna hominũ frequentia audirentur, oĩq; magiſtratuũ vel metu uel reuerẽtia abiecta iã dogmata catholicis,& auitis ritibus aduerſaria imbiberentur. Quinetiã Belgæ fęderati ſupplicẽ libellũ mittunt ad Maximilianũ Imperatorem, qui oblatus eſt in Auguſtanis comitiis, per quem petebant vt Philippum Regem commonefaceret, reuocaretq; ab Hiſpana quæſitione,& a promulgatione Tridentinorum decretorum.ſcribunt vt precetur Philippũ ne pergat profundere piorum ſanguinem,ne ira Dei per hanc rem in illum excitetur.rogant vt de religione negotium in comitiis accurate tractetur. Margherita deinde in concilio aurei velleris procerũ,cũ abrogatio quęſitionis poſtularetur, reſpondit ſe concepiſſe quidẽ moderatiorẽ quandã rationẽ edictorũ,quã vellet mittere ad Regẽ,ſed nõ eẽ vtilitatis Belgicæ eas leges prorſus euerteres,nullũq; hĩc cultũ veræ & auitæ religionis.poſſe ipſos coniectura conſequi quo animo ipſa ſit erga Belgicas nationes,cũ Brabantiæ ordinibus pollicita ſit nulla illos quęſitione vexatũ iri. nec ita multo poſt diuulgatus eſt rumor ꝙ promiſſũ eſſet neminẽ religionis cauſa pęnas daturũ, donec quidpiã certi decerneretur à Rege de conſenſu ordinũ ac ſtatuũ Belgicorũ, quod fictũ fuit à quibuſdã fęderatis. at illi qui antea ad mutuã defenſionẽ conſpirauerãt,fęderatio nimirũ ſuperius cõmemorata,qui ſupplici libello ſubſcripſerant, vt aliquo externo indicio ſuã in regẽ fidẽ,& obſeruantiã ſignificarẽt, cæperunt regiã effigiẽ aureã vel argẽteã de collo geſtare,cuius in altera parte duę manus ſe mutuo cõplectebant̃ ad ſignificationẽ fidei datę.erat illis appoſita mantica cũ vaſculis,& inſcriptione.fideles vſq; ad mãticã,atq; ne latius ſerperent ſemina hæreſeos,quę iã pullulatura videbantur, conuenerunt ad comitia tres ordines,magiſtratusq; Hannonię.Zelandæ, Olandæ, Arteſiæ, Flandriæ,Buſaterotũ,Namurrii, qui de moderatione regiorũ edictorũ,quæ pleraq; oĩa fuerũt approbata ꝑter opinionẽ fęderatorũ. reclamatũ eſt tñ Antuerpiæ à plebe,q̃ conqueſta eſt apud magiſtratũ,ſuppliciterq; expetiuit ne illa moderatio admitteretur,ſpatſiq; ſunt clã minaces libelli,q̃bus cędes oĩbus cõplectentibus proponebatur.at fęderati interea nocturna hẽnt connẽticula accitis concionatoribus nouæ religionis è Germania, Saxonũq; oppidis,& Gallia,Britãnia,aliisq; locis eius ſectæ,qui cito cõuolantes peſtiferę,& cruentę meſſis ſemina iecerũt.fit edictũ,qđ regio noĩe & Margheritæ promulgatur,vt oẽs exteri cõcionatores excedant è Belgio ſub grauiſſimis pęnis.ſed tanta uis erat ſectantiũ & protegentiũ vel armatorũ,nemo vt attingere negotiũ auſus ſit,atq; illi audacius concionarentur.primi qui illã doctrinã imbiberũt,fuerunt Belgæ,q magis vergunt ad occasũ,habitant,ad præſentẽ regionẽ, qui cũ ſclopettis ad conciones acceſſerũt,nequa uis cõcionãtibus inferretur. ſecuti ſunt horũ exẽplũ è veſtigio Antuerpienſes,qui coriariũ.& tinctorẽ cõcionatores habuerũt,ac deinde ingẽti numero armatorũ concionatores protegentes Olãdæ,Zelandæ,Phriſiæq; populi,& Tornacenſes,Iperenſes,Gandẽſes, Bergenſes,Calletani,Aldernardenſes,& alii cõplures,cũ Bruxellenſes,Louanienſesq;,& vniuerſa ferè Hãnonia atq; Artheſia incõtaminatę aliquãdiu ꝑſtitiſſent.in fide ꝑſtiterint.eo deniq; neceſſitatis preuẽtũ eſt ob quorũdã demẽtiã, vt,cũ multæ biblyothecæ ſacræ,& imagines ſanctorũ,& vel ipſius Chriſti,ac virginis matris è ſacris locis à ꝓfanis manib9 ad ſuppliciũ raperent̃,deiicerent̃, ĩfringerent̃ur,flãmis abſumerent̃,q̃ ipſæ cõtumelię fiebãt in Euchariſtiã,neceſſe fuerit legẽ ꝓmulgari,qua prohibebant̃ ſub pœna capitis, & bonorũ fiſco addicẽdorũ,& ꝑduellionis neqs res ſacras aut ꝑſonas violaret.non tñ ceſſatũ eſt oĩno, quinetiã ſępe tumultus variis in locis ſunt excitati,& non ſemel ſuppliciis affecti tumultuũ autores.vt verò res pacatius tranſigerentur, perſcriptæ ſunt lrãe à Margherita gubernatricę ad oẽs prefectos,& magiſtratus prouinciarũ Belgicarũ vti darent operã vt res pacatè trãſigerentur.Princeps Aurantius idcirco tranſegit cũ fęderatis Traiecti inferioris vt eædẽ cõditiones,q̃ Atuacuti ſupius memorauim9 obſeruarent̃,qb9 hęc addita ſunt;Neqs impediat captiuitatẽ Iconoclaſtarũ,ſiue fractorũ ſacrarũ imaginũ aut latronũ. Neqs diſtrahat aut penes ſe ſeruet libellos famoſos

Legationes ad Philippũ ꝓ petitionibus Belgarũ.

in Regem, gubernatricemve, aut in alios magiſtratus. Nequis famoſas cantilenas, aut quod populum ad ſeditionem commouere queat palam canat. Nequis catholicus vel fœderatorũ concionator partem aduerſam carpat, aut iniuria aſſiciat, qui ſi ſecus fecerint, priuentur concione. liceat tamen generatim vitia inſectari,& carpere.ſed quoniam ad has res citius ſedandas videbatur opportunũ, vt magis turbulentis vrbibus præſidia imponerentur, perſcriptę ſunt literæ ad Valentianæ magiſtratus, quibus petebat gubernatrix,vt duo millia peditum ad vrbis præſidia Regio nomine admitteretur.illud cũ renuiſſent vniuerſi ciues, quia verebantur ſupplicia pro excitatis tumultibus,pronũciati ſunt rebelles regię maieſtatis, cum etiam tormẽta in regias cohortes diſploſiſſent. eadem pęna propoſita eſt ſiquis vel commeatu, vel armis, vel aliquo genere beneficii illos iuuiſſet.additæ ſunt copiæ regię quæ iſtud fieri prohiberent,atq; cũ circiter tria millia armatorum ex oppido erupiſsẽt, magno facto impetu regiæ copiæ ad ſexaginta trucidantes illos in oppidũ repulerunt. at fœderati,qui primi cõplexi ſunt eam nouam religionẽ,opem ferendam eſſe ſuis amicis obſeſſis rati multos milites colligunt & conſcribunt,quod ipſum faciunt Tornacenſes,collectis quinq; cohortibus peditũ erectis vexillis alias copias expectantes pedetentim proficiſcuntur,obuia queq; templa diripientes,& inflãmantes. at Raſſegemius regulus inſulæ Duari, & Orchiſii pręfectus cũ ducẽtis ſclopettariis expeditiſſimis,& nonnullis equitibus his obuiã procedit.conſerto prælio ceſi ſunt ex auxiliariis ad centũ & quinquaginta.reliqui cũ ſe ad turrim Vuaterloſii fuga ſeruaſſent,immiſſo igni vel flamma vel fumo ſunt extincti nullo regio milite amiſſo.deinde aliæ copiæ Tornacenſiũ horũ clade ignorata adhuc cenobia muliebria ſuccendunt, & in ſacratas fęminas impudenter ſæuiunt. templa ſpoliant,cenobia prædantur,reliqua flammis abſumũt. laturi opem ſuis deinde in pagũ Vuaterloſiũ irrumpũt. Raſſegemius dimiſſis tota nocte nuntiis ad proxima præſidia finitimos catholicos nobiles,& delectos in militiam ruſticos conuocat.conuenerunt poſtridie mane ad ſextam horã è locis vicinis plures duobus peditũ millibus, equites centũ,cum Tornacenſes accederent ad tria millia. initur vtrinq; minutũ prælium. Tornacenſes paulatim Tornacũ verſus ſe recipiũt.fit his obuius forte regulus Norcamius præfectus Hannoniæ cum decem peditũ vexillis,& equitibus pluribus quingentis. Tornacenſes cũ tantis viribus non poſſent reſiſtere profligantur,cedũturq;,quorũ ſunt trucidati ferè octingenti, reliqui in fugam verſi.ceptũ eſt tamen ab aliis nouæ religionis hominibus vrbes,& caſtella,& munitiones vel rẽtare inſidiis,vel palam adoriri,cũ variis in locis pugnaretur leuibus præliis. At in nouo orbe, in ea regione, quę Giapania vocatur, ſuccreſcebat in dies Ieſuitarum ſacerdotum opera,& charitate illorum numerus,qui a cultu immundorum idolorũ,ad ueram & ſolam ſalubrem Chriſti religionẽ conflue bant. quippe cũ Xumitanda Rex per adoptionem creatus iam nonnullos annos, vir non minus animi dotibus,quam corporis ornamẽtis,& aſpectu inſignis,ad verum cultum Dei per eoſdem ſacerdotes acceſſerit,cum ſæpius ſuos familiares de Chriſti ſalubribus preceptis,& ampliſſimis promiſſis virorum bonorum diſſerentes audiuerit cũ mirifica quadam animi voluptate. res eo deniq; perducta eſt,vt & ipſe,& multi è ſuis proceribus ad baptiſmũ conuenerint, qui fuit poſt modo Bartholameus appellatus. mutati ſunt,vel potius relicti primi ritus multarum rerum, quæ cauſa fuit vt in illis etiã regionibus bellum excitatum ſit nouę religionis cauſa.nam cũ Bonzi ſic appellabãtur ſacerdotes illi priſtini idolorum,conſueuiſſent per quoſdam exequiarum certos dies quotannis opiparum victũ, & incrementum prouentuum accipere a principibus regionum,Bartholamęus quia cognouiſſet id nihil conferre illis qui in cultu idolorum ſine baptiſmate deceſſiſſent,omnibus ſũmptibus illis parcendum eſſe ſtatuit, atque ad ſex millia pauperum chriſtianorum pro Bonzis ad epulas funebres conuocauit,Bonzis omnino excluſis.atq; cum ad Vmbram vrbem regiam acceſſiſſet,pro ſacrificiis, quæ fiebant nuper defuncti Regis ſtatuæ,illam è templo conuelli,& comminui iubet,atq; ſuccendi.idem incendium excitatum auctumq; eſt multorum aliorum idolorum eiuſdem vrbis, & vbique in vniuerſo regno,quę omnia prorſus ſuccenſa ſunt euerſa.ſed quoniam reliquus, erat Gotũdonus filius ſpurius defuncti Regis, pro quo in regnum Bartholamæus per adoptionem ſucceſſerat,isque ægre ferebat ſe fuiſse regno ita priuatum, viſa eſt opportunitas Bonzis ſacerdotibus non negligenda eius in regem excitandi. Nam prius conquerebantur de acceptis iniuriis, quòd contra inſtituta maiorum Xiumitanda vel in auitos Deos inſurrexiſſet,quòd vel eius monumentum comminuerit,exequias delerit, cultum ſuſtulerit, memoriam prorſus obliterarit, cuius regnum acceperat.ſacerdotes neglexerit eieceritque pro mendicis,& vilibus,& abiectis hominibus.nihil poſſe expectari niſi crudele, & inhumanum,& perfidiæ plenum ab eo,qui tam facile auitos Deos, & benefactorum cultum, auitosque ritus ſacrificiorum reliquerit, & ad nouam religionem receſſerit.non eſſe expectandum, vt vel per ſimulationem religionis,vel per deſideriũ ampliandi regni arma ab illo hoſtiliter mouean tur,cum ea difficilius repellantur,quæ inferuntur repente nihil tale opinantibus, quam quæ multo ante prouiſa cognitaque ſint.his rationibus effectum eſt vt non ſolum Gotondani, cui conceſſæ fue rant vrbes quædam à regiis comitiis,ne priuatus prorſus viueret,ſed etiam multorum conſilia, qui nondum fidem chriſtianam complexi fuerant, finitimorũ in mutua auxilia aduerſus Regem conſpirarint. his tot auxiliis fretus Gotondonus decernit in regnum paternum procuratores mittere, qui caperent poſſeſſionem, quando tam ingratus viſus eſſet Xiumitanda. iuſſi ſunt etiam qui chriſtianam religionem introduxiſsent,crudeliter necari. accidit forte, vt Bartholomeus aduerſus quendam regem bellum gereret,cuius vxor Regina cũ eſset, & ipſa chriſtianam fidem acceptura,id curabat rex fieri ante quam rediret in caſtra. tumultus excitatus eſt itaque repente coniuratorum Arrimæ primum duce Feribo viro magnæ autoritatis.trucidati ſunt quidam chriſtiani.nõ procul ab Icoxiura regem cum multis inuadunt, atque nonnullis trucidatis præfecti propinquarum vrbium pro victoribus arma capeſſunt.itum eſt ad palatium,quod & ipſum & vrbs iniectis malleolis concrematur.

Indi ad cultum Chriſti conueniunt.

Bonzi qui ſint.

Bonzorum oratio.

tur. Rex cum præfecto vrbis ac fratre, & paucis è ſuis in munitionem vrbi propinquam ſe ſeruauit. atque cum tumultus diu perduraſſet Icoxiurę, multi ex armis profugientes Filandrum ad oppidum profugiunt. Rex vt arma ſurgentia vbique deuiaret coactus eſt & ipſe, & omnes chriſtiani ac Luſitani cum vxoribus procul abeſſe, cum non deeſſent interim qui regem hortarentur, ut ad priſtinum cultum deorum rediret, qua vna ratione omnia facile poſſent placari. at enim cum Rex ad amicos hortantes ad hoc per literas ſcripſiſſet paulo poſt ſe paucis locis exceptis omnia in iis partibus recuperaſſe, cœptum eſt ad timorem ſuppliciorum vbique regium nomen conclamari, erectaque vbique regia inſignia, & ad lætitiæ ſignificationem multa tormenta bellica terra mariq; diſploſa. collectis itaque multis copiis, quæ vndique ad excipiendum regem confluebant, cęptum eſt Gotũdonum obſidere cum ſuas vires Arrimæ Rex frater cum Bartholamæo Rege coniuxiſſet. concremata ſunt, & deuaſtata omnia Feribi caſtella, qui arma aduerſus regem ſumpſerat in vltionem tantarũ iniuriarum. At principi Aurantiano Atuacutum concedẽti magna multitudo honoris gratia fit obuia, cum ibi gubernator eſſet futurus. Margherita ad eum rurſus literas dedit, quibus beneficia continebantur, quæ & ipſe, & eius maiores in Auſtriacam familiam ſæpius contuliſſent. ſe non dubitare de optima eius voluntate erga regem. hortatur ſi quando vir & princeps bonus apparuit ac prudẽs erga regem, & Belgas, id hoc tempore maximè pręſtet, quod efficeretur ad euitandas multas imminentes calamitates. has vna ratione deuitari poſse, ſi perſuaſiſset ciuibus Atuacuti, vt pręſidium duorum millium armatorum admitteretur, ac ita egiſset, vt inceptę conciones abolirentur, quæ aduerſus regiam voluntatem fierent. Ipſa poſtea minatur per literas Atuacutenſibus ciuibus, ſe illos perduellionis reos pronuntiaturam, niſi illa fieri paterentur, in quos etiam eſset animaduerſura. at contra, ſi illud paſſi eſſent, pollicebatur abolitionem Hiſpanę quęſitionis, & leuiorem Placatum, ut petebatur.

Aurantii diligentia pro rege.

Aurantius nullum officium, quod vtile fore putaret, prætermittit. hortatur ciues ad accipienda præſidia, omittendasq; conciones nouæ religionis omnibus quibuſcunq; poſſet rationibus, propoſitis etiam calamitatibus quę diuinitus imminerent, & à Philippo Rege, niſi regiæ volũtati fuiſſet obtemperatum. reſponſum tulit omnes velle regiæ maieſtati in omnibus ad imperium ſpectãtibus promptiſſimè parere. vna in re videri ſibi æquum eſſe, vt eſſent liberi, in ea nimirum quæ ſpectaret ad voluntatem, & curam ſuarum animarum. nimis eſſe crudele, cum facultates, & corpora imperio Regis ſubiiciant, ſi iis contentus non ſit, atq; ipſi neque animum quidem liberum habere poſſint.

Reſponſum Belgarum.

rurſus à Margherita renouantur literæ, & imperia, ac mandata, quę dabantur principibus earum regionum, quare Brederodenſis regulus illis omnibus, qui negotium aggreſſi fuerant, comitia indicit Santronium. illud eſt oppidum in finibus Eburonum. in his comitiis indictum eſt agendum eſſe de fęderatione, & communicatione rerum, & conſilio aduerſus res inſtantes capiẽdo ad propulſandas calamitates.

Comitia Santronia inducta.

Vbi illuc acceſſiſſent conuocati, multæ legationes variarum vrbium confluunt rogantes ſe quoque admitti ad ſocietatem fęderationis, vt & communibus armis ſi opus eſſet protegerentur, & omnes coniuncti maiorem vim ad defenſionem conferrent. in ſumptus bellicos, ſi qui ſint faciendi omnes facultates, & vitam pro communi libertate liberaliter pollicentur. Quę ubi fuiſſent ad Margheritam delata, ſignificat per nuntios ſe non poſse æquo animo ferre illa comitia vel conuenticula, quæ fierẽt in contemptum Regis ad animos populorum ad tumultus ſeditionesque impellendos, quippe cum nulla ſint habenda legitima ac non ſeditioſa comitia in regiis regionibus, in quę regij aliqui miniſtri non aduocentur. Vbi ſyngraphum oblatum fuit, nihil aliud apparuiſse expeti, niſi vt noua quæſitio ne imponeretur. promiſsum eſse nihil interim noui fieri. ſeſe ita certiorem regem feciſse, quòd nihil innouaretur. Quòd ſi ſibi fides non ſeruaretur, quam acceptam omnium populorum nomine dederat, futurum vt in eam magna ignominia redundaret, quæ tam facile perfidioſis hominibus credidiſset. Nunc quoque tamen poſse errorem facile corrigi ac reſarciri, ſi eiicerentur ex illis regionibus omnes, qui aliud perſuadere populis conarentur, quàm quod creditũ eſt à maioribus de ſacris rebus. illo negotio fieri poſse vt omnis error deleretur, atque rediretur denuo in gratiam regiam. Quòd ſi in eadem ſententia perſiſterent, futurum vt grauiſſimas pęnas darent ſuę temeritatis. nullum redditum eſt reſponſum, niſi quòd parerent Regi Hiſpano tanquam Duci Ambiuaritorum ſiue Brahantię, & quòd Bruxellas accederent ad reſponſa clariora reddenda. Idcirco autem nullis parebant Margheritæ mandatis, neque magni faciebant eius edicta, quòd multi erant fœderati, & finitimi principes Germani omne genus auxiliorum ad ſuſtentandam nouam religionem pollicebantur; cum quibus, & nonnulli quibus inuiſa erat nimia familiæ Auſtriacæ potentia.

Decreta Santronia.

In illis comitiis habitis Santronii ſtatutum eſt vt conditiones principatus Ambiuaritorum curarentur imprimendæ ad probandam cauſæ ſuæ ęquitatem, quibus impreſſis decernunt omnes ſtatus inferiorum regionum conuocare, ſine quorum conſenſu cenſebant nihil ratum fieri poſse. vbi illuc ventum eſset, Santronii decernitur parendum eſse Regi Hiſpano tanquam comiti Belgarum, & duci Ambiuaritorum. At ſi vlterius procederetur, velletque cogere ad ea quę priuilegiis repugnarent, ne tenerentur illo caſu parere, ne conceſſionibus ab Imperatoribus obtentis abrogaretur, quę continebantur ſub aureo ſigillo. Quòd ſi quis eorum priuilegiis derogare conatus eſset, ſic intelligeretur facta fęderatio ad defenſionem, in quam admitterentur omnes volentes. Tribunos in omnes regiones deſtinant, qui haberent illorum delectum vbique, qui apti eſsent rebus bellicis, atque inſtituerent, & inſtruerent omnes aduerſus quicunque offendere paraſsent. omnes pecuniam offerunt ad omnes opportunitates cum opus eſset. atque numerus oblatarum pecuniarum acceſſit ad tria millia librarum auri impreſſi, hoc eſt tricies centum millia nummum. Delecti ſunt duodecim è primariis proceribus, quibus impoſitum eſt vt mature pecunias exigerent, quę promiſsę fuerant. ſummus imperator eius fœderationis externus imperator viſus eſt eligendus,

dus, qui & autoritate, & peritia rei militaris preſtaret; qua re videbatur effici vt opibus, & autoritate pręſtantis Imperatoris plurimum adiuuarentur, non parumque virium ſibi adiungerent, & nemo illum facile contemneret vt paris autoritatis, ſed omne genus obſequij, & reuerentiæ præſtaretur. interim iubetur pecunia, quæ collecta fuerit, in communi ſcrinio obſeruari, donec imperator eligeretur, & in opportuna negotia diſtribueretur. ſtatutum eſt præterea vt omnes ad mutuam defenſionem tenerentur, ſi quis è coniuratis eſſet infeſtatus, quod fieret mature collectis copiis, neque vllum auxilii genus pretermitteretur; quoniam in vnius ac ſingulorum ſalute omnium reliquorum ſalus clam videretur contineri. ſed enim cum nuntiatum eſſet quatuor equitum, duodecim peditum millia ab Henrico Veſſonum Duce colligi ad nutum Margheritæ, quæ & ipſa copias colligebat, delecti ſunt Brederodenſis regulus, & Ludouicus Nanſienſis, Colemburgius, & Aremburgius comites, qui Margheritam commonefacerent de iis omnibus quæ in Santronianis comitiis fuiſſent decreta. Illi cum multos fœderatos ſecum haberent, iuſſi ſunt non ingredi Bruxellas, quia non videbantur admittendæ legationes cum tanto comitum numero. Illud hi grauiter ferentes relicta Margherita Atuacutum iter conuertunt. Agamontium, & Aurantium principes certiores faciunt quid in comitiis ſtatutum decretumque ſit. ſed quoniam ita ſuccreſcerent in dies vbique ſeditionum ſemina, videreturque timendum eſſe ne ad arma veniretur, Margherita iubet edictum fieri ac promulgari Bruxellis, ne quis de rebus nouis loqueretur, per quod venia concedebatur omnium commiſſorum errorum, modo ne denuo committerentur. Permiſit conciones haberi extra vrbem, ſicuti cœptum fuerat, donec à ſtatibus eius prouinciæ decretum eſſet, quid iure fieri oporteret. ſic antiquis eorum legibus non abrogatis res ſilentio propè eſt inuoluta. omnium verò conſenſu tam ciuium, quàm Margheritæ inſtitutum eſt ſuadente Aurantio vt octo tribuni militum ducentos pedites ſingulatim conſcriberent omnes Atuacuti natos, qui iurarent ſe fidem Philippo Regi ſeruaturos, neque in rebus ad religionem ſpectantibus ſe implicaturos. Quòd ſi controuerſia aliqua accidiſſet, ſe neminem magis protecturos, ac neque verbis neque armis res illas aggreſſuros. Sed neque ita tamen populorum Belgicarumque nationum animi quieti aut tranquilli eſſe videbantur, cum his pactionibus non ſatis fidei haberetur vel credulitatis. maxime autem omnium locorum ſuſpiciones huiuſmodi Batauorum regionem inuaſerunt, qui quo ſedarentur, reuocatur neceſſario Aurantius gubernator, eò profectus. Atuacutenſes ciues, quia Bataui deſiderantes Aurantium illum popoſcerunt à Margherita, cognita magnitudine beneficiorum, & commodorum, quę præſentia eius principis adportaret, præſentes Bruxellis petunt à Margherita ne is diſcedat Atuacuto. ſed cum magis, magiſque in dies a Batauorum populis flagitaretur, quòd illa regio plurimum eius preſentia, & iudicio indigeret, neceſſe fuit ad Batauos denique accedere. fluctuabat maximè omnium Belgicarum ciuitatum Valentiana Neruiorum metropolis, quæ prorſus abiecit omnem regiam obedientiam, cum ſe liberam velle ſuis legibus viuere profiteretur. illa de cauſa Margherita Norchemium regulum cum viginti, & duabus cohortibus peditum, & quingentis equitibus mittit, cum quibus copiis aliquo pacto vrbem ingrederetur. At Neruii viſis copiis vel è longinquo, ad arma repente conclament tota vrbe. populus, & ciues vniuerſi mira alacritate arma capeſſunt. exitur. leue prælium committitur, nonnulli vtrinque cæduntur. Sed quoniam nouis auxiliis vndique confluentibus vires hoſtium minime formidabiles videbantur Neruiis, Margherita viginti cohortes peditum denuo colligit, quo uires coniungeret cum aliis copiis prioribus. ut autem res appareret agi legitimè, imperat per publicum edictum illam vrbem pronunciari perduellionis ream ac rebellem Philippi Regis. Interdicit commercia. æris alieni abolitionem ſtatuit ſi quid illis deberetur. vbi reliquæ copiæ in agrum Neruiorum irrupiſſent, ſtatim obuia quæque populari ac ſuccendere cœperunt ędificia demoliri. armenta abigere, capere, prædari. at obſeſſi, & ipſi prædabundi in hoſtem impetum faciunt. commeatuum quantum poſſunt in vrbem important. omnia ad diuturnam obſidionem pro viribus comparant. tormenta varii generis multa ſuper mœnibus in hoſtem diriguntur. obſidentes impetunt. omni ſtudio infeſtant. Fœderati vbi iam obſideri Valentianam intelligunt, mittunt ſubſidio duodecim cohortes peditum, quod vbi ſignificatum eſt Norchemio per exploratores, procedit obuiam non procul à Bagano vrbe cum tribus cohortibus peditum, & equitatu Contegii, Poſsuiiique regulorum ac ſuo, commiſsaque acri pugna, & trucidatis circiter duobus millibus, & quingentis e ſubſidiariis reliquos in fugam uertunt. Valentiana præſidia audito diſceſsu equitatus exeunt in reliquas copias, è quibus multos trucidant, ac tormenta quędam capiunt. Committebantur verò cædes variis in locis, ſiquidem, & milites qui erant in hybernis Lillę ad trecentos agreſtes obtruncant, & Baganum accedens equitatus circiter octingentos trucidauit. Nam cum Baganum vndis ſeditionem fluctuare diceretur, Norchemius eo quàm citiſſimè conuolat. vrbem ingreſsus arma popularibus adimit. quoſdam ſuſpendio punit. firma præſidia imponit. duodecim cohortes peditum per occultam portam oppiduli admittit. ad obſidionem Valentianæ redit. redeunti fiunt obuii Neruii quidam ex vrbe egreſſi. commiſso minuto prælio ſanè atroci multis cæſis reliquos Norchemius in vrbem includit. tentoria erigit. foſſis, & aggeribus militaribus caſtra cingit, ut copiæ ab vrbanis tormentis protegerentur. iubet muralia tormenta trahi, quæ dum accederent, ciues ad deditionem ſollicitat. promittit veniam commiſſorum errorum Regio nomine. ſed fruſtra illud fiebat, qui putarent ſe diutius ferre poſse obſidionem, ad quam facilitatem omne genus hominum armis tractandis ineptum ex vrbe excludunt. ſed iam inierat annus ſexageſimus ſeptimus poſt mille, & quingentos cum epiſcopus Leodienſis, qui hac ipſa de cauſa Haſſeltiū oppidum obſidebat

cum

Legationes Santronianę nō admiſſæ.

Valentianæ ſeditio.

Valentianæ rebellis pronunciata.

Valentiana obſeſſa.

1567.

bat cum tribus millibus peditū,& trecentis equitibus, ac diuerberans nonnullis tormentis illud deniq; his conditionibus in deditionem accepit; Vt certa pecunia in bellicos ſumptus diſſolueretur. Vt templa publicis ſumptibus reficerentur,quæ forent deuaſtata.Vt in poſterū catholicè viueretur.

Huſſeltium oppidum captum.

At Margherita quoniam non procul ab Atuacuto circiter duo millia hæreticorum conſediſſe intelligeret duce Filontio,mittit regulum Bellonacenſem ad illos opprimendos,qui vbi primum ad illū numerum excreuiſſent, domos & palatia, & proxima quæq; continuò diripiunt.oīa arma inuenta capiunt,& campeſtria quædam tormenta.Bellonacenſis acceptis trecentis ſclopettariis è Bruxellenſibus præſidiis,& duabus cohortibus è Ripelmonda,has uires coniungit cum quingentis equitibus, & aliarum locorum præſidiis exceptis. at nouæ religionis homines circiter ad quartum lapidem ab Atuacuto caſtrametati certiores facti de iis quę ſtruebantur, foſſas caſtrenſes ducunt non procul à Moſa,quò ſe receperant ab ea parte unde timebatur equitatus,quod fit per totam noctem. poſtridie propius ventum eſt.initur leue prælium.equitatus irrumpens ea ubi nullæ erant foſſæ caſtrenſes,hęreticos cędit.multi obtruncātur.multi ſuffocantur in fluuio. alii capti ſtatim de proximis arboribus ſuſpenduntur.ſic Filontii copiæ breui deletæ ſunt.interea Valentiana magna ui tormentorū viginti nimirum muralibus cū ingenti ſtrepitu,& fragore diuerberatur.Muri proſternūtur, aperiunturq; ad ingreſſum,quare ciues cum arctius quotidie obſiderentur, neq; vlla ſpes appareret ſubſidiorum, inter ſe de rebus vrbanis ac bellorum euētu communicant.Viſum eſt præſtare vt ſaluis adhuc rebus ſaluti oīum cōſuleretur, quàm vt diuturna fame, rerumq; oīum penuria afflicti in manus hoſtium venirent cum magno capitis periculo. Mittunt igitur hora ferè quinta noctis, qui ſuppliciter Margheritæ clementiam implorarent,cum iam oēm precioſiorem ſupellectilem in duo templa cōportaſſent,quam concremarent,ſi inclementem hoſtem nanciſcerentur,quia eſſent fugituri expeditiſſimi per oppoſitam portam illi, per quam catholici ingrederentur. Margherita proponit has conditiones deditionis; Vt arcem liceret excitare.Vt ſex millibus peditum menſtrua ſtipendia diſſoluerēt.

Valentiana concuſſa.

Vt dētur duodecim obſides donec ea perficiantur.Sic Norchemius vrbem ingreſſus primùm firma præſidia imponit.mox cogit conciones relinqui.oēs miniſtros ac principes ciuitatis in vincula coniicit. illa Valentiane vrbis munitiſſimè expugnatione ita conſternati ſunt animi hominum nouæ religionis,vt oppidulū Samarobrigæ illa audita ſtatim aufugientia præſidia reliquerint,arcemq; patētem regiis militibus ad eam recuperandā miſſis deſeruerint. Nec multo poſt Traiectenſes relicta & ipſi ciues noua religione, quā fuerant,cōplexi ſeſe regiis copiis dediderunt.

Valentianæ deditio.

Quæ dū fiunt in finibus Belgarum, Nicolaus Pitilianenſis Comes impetrata libera adeundæ Romæ facultate accedit ad reſpondendū ad acerbiſſimas accuſationes de fide integritateq; chriſtiana, apud Pontificem, quibus vehementer vrgebatur.

Nicolæ Pitilianenſis comitis criminationes.

in Cyrno cum aſſiduè pugnaretur modo his, modo illis fortuna belli arridēte, deligitur ſummus eius belli Imperator Raphael Iuſtinianus a Genuēſibus, qui ſtatim in inſulam cum magno globo militum traiicit. Dein profectus primū oīum Vrcinium crebris incurſionibus infeſtat agrum Baſtellegæ oppidi,oppidumq; ipſum obſidet.oppidani vbi diutius hoſtiū Genuenſiū moleſtiam ferre non poſſent,petunt ſuppetias a Sampetro,qui cū trecentis ſclopettariis, & uigintiquinq; equitibus ſtatim eo contendit.Iuſtinianus re per exploratores cognita circiter ſexaginta equites, ſclopettarios centum locat in inſidiis. vbi Sampetrū uidet pręcedentē cū equitibus, in eū impetū facit.committitur prelium non leue.certatur acerrimè.Sampetrus deniq; cognitus à Michaele Angelo Dornano fratre vxoris inuaditur.ventum eſt cominus ad enſes ſtrictos.modo cæſim,modo pūctim certatur magno ſtudio. ſæpius utrinq; inſtauratur pugna. ad extremum multis utrinq; cadentibus in eo certamine Sampetrus uirtute equitatus ſuperatur ac trucidatur, cuius filius fuga ſe ſeruauit.

Raphael Iuſtinianus ſūmus Imperator ad bellū Cyrnenſe.

Sampetrus à Michaele angelo Dornano cæſus.

eius caput Genuā delatū eſt,& publicū ſpectaculū vniuerſæ ciuitati in foro poſitum.fuit Sampetrus vir inauditæ crudelitatis ac feritatis,quippe qui vel leuiſſima de cauſa vxorē, & filios ex ea ſuſceptos ſua manu iugulauerit, præter alia multa,quæ cōmiſit in bello.

Sāpetri mors & ingeniū.

ſic Dornanus perduellionis reus occiſo crudeliſſimo hoſte patriæ ab exilio redit poſtliminio.in Pannonia verò Cæſar antequam cognouiſſet mortē Solimani,Georgiū Hoſſotutū legatū ad Solimanū Imperatorē Turcarū miſerat, qui dicebatur Byzantium contendere. ſed cum rumor poſtea inualuiſſet mortuum eſſe Solimanū, Hoſſotutus Iuliobonā redire coactus eſt, atq; obuius fit in itinere Selimo Byzantiū cū magna parte copiarū procedenti. obtinuit vt nouū imperatorē videret,at non etiā alloqueretur, quia diceret Mahometus illū miſſum fuiſſe oratorē ad Solimanū, poſt cuius obitū non poſſet legitimè agere cū recēti Imperatore,niſi vel ipſemet,vel alius nouus eligeretur.Hic vbi Taurumnū acceſſiſſet Cazarinū in compedibus eſſe intelligit Iulę præfectum. vtitur omni diligentia,vt eū alloqueretur,quod tamē obtinere non potuit.deſperata faculta te colloquii queritur per literas Cazarinus ſe omni ſpe ſubſidiorum deſtitutum obſidionem per ſeptuaginta dies ſuſtinuiſse,& grauiſſimè tamē tunc ægrotaſſe.non accedentibus promiſſis auxiliis neceſsariā feciſse deditionem.Rogat vt fiat permutatio reſtituto pro ſe præfecto Albæ regalis. offert ſe in uincula donec cauſa cognita ſit. rogat hæc omnia ad Cæſarem deferri. Erat illud facile à Ceſare impetraturus, niſi grauiſſimæ Turcarum accuſationes apud Selimum eius conſilium infregiſsent. Nam querebantur alii nares eius iuſsu ſuis crudeliter abſciſſas, alii ſuis propinquis aures, alii ſuos coniunctos lacrymabantur crudeliſſimè fuiſse ab eo iugulatos, atque multa alia proferebant Cazarini crudelitatis genera, qua ſæpius vſus fuiſset in Turcas. per hanc crudelitatis, & tot delictorum in Turcas commemorationem effectum eſt vt Selimus commotus illum arbitrio iniuriis affectorum conceſserit ac donauerit.

Cazarini crudelitatis accuſationes.

Turcæ uas vinarium multis acutiſſimis clauis ita transfigunt, vt peracutæ cuſpides, & acumina interius penętrarent ubique. nudum Cazarinum includunt. de loco ſublimi præcipitem deuoluunt, atque ita torquent, vt vitam inter atrociſſima tormenta finierit. at pręfectus Albæ regalis quamuis multa millia

Cazarini mors crudeliſſima.

nummùm

nummum obtuliſſet pro redemptione, tamen immunis Cæſaris iuſſu dimiſſus eſt, & in tutum locum adductus. Suendius auctis copiis exierat in apertum, vt diximus, & Zatuar oppidum natura, & arte, & omnibus rebus munitum præterquam firmis præſidiis, obſidebat, quod erat cuiuſdam purpurati perpetui hoſtis Cęſaris, & autoris atque conſultoris vel potius alumni inimicitiæ inter Cæſarem, & Tranſyluanum. Ille vbi ſe obſideri ſentit, clam per noctem exit ex oppido, quod cum concuteretur diligenter, & obſideretur arctiſſimè intra paucos dies venit in poteſtatem Suendii ſeruata uita, & impedimentis præſidiorum. Vxor purpurati & ipſa cum ſupellectile dimittitur, in quam non eſt atrocius ſæuitum, quòd minime glorioſum duxerit ſtrenuo duci ſæuire in imbecillum, & imbelle genus muliebre: ſed enim Byzantii bellum rurſus indicitur aduerſus Cæſarem in Pannoniam; at equitatus non poterat colligi, quia multi equi perierant ſuperiore anno in bello Pannonico, niſi per ſummas difficultates. Acceſſit his & Perſarum tumultus, qui magnus fiebat, quoniam Selimus non modo pacem cum eo Rege non confirmauerat, ſed etiam miſerat poſtulatũ ſpolia Baiazeti fratris, qui Solimani hortatu fuerat necatus apud ipſum regem. oratori ad illa repetenda miſſo, quia paulo arrogantius pro Turcica temeritate uiſus eſſet loqui, ad cæterorum contẽptum, iuſſu ipſius Regis naſus, & aures deciduntur, atque ita deturpato vbi ad fines ueniſſet ſuos caput amputatur purpurato Turca ita iubente. Sic vbi bellici apparatus Turcarum per has difficultates euanuiſſent, aut certè frigidius fierent, Cæſar ratus non irritandum eſſe potentiſſimum hoſtẽ iam propè dormientem, vniuerſam vim belli conuertit in Tranſyluanum, quare quinque tribunos Sueuos mittit ad colligendas copias. comparantur & lintres ad eas in agrum Tyrolenſem traiiciẽdas, & deliguntur tormentorum magiſtri ad vſum caſtrorum. quæ cũ Turcę fieri intelligerent, non idem ceperunt conſilium; ſed multa millia in unum conuenientia incurſiones faciunt in agrum Cęſarianum. Caniſam vſque procurrentia multa capiunt animalia. multos mortales abducunt in miſerrimam ſeruitutem. Vt verò Cæſarianorum impetus, & ardor hebetaretur metu imminentis ſibi periculi, & refrænaretur; Partaus, & Græciæ purpurati Byzantio properant in Pannoniam magnis itineribus cum multis millibus armatorum. illuc profecti munitionem non procul ab Agna erigunt, atque quo animi Cęſarianorum abducerentur ab illa munitione impedienda, conuerterenturque ad res ſibi magis neceſſarias, Vedes oppidum munitiſſimum in finibus agri Pannonici poſitum obſident. Quæ dum fierent à Turcis in Pannonia, noui tumultus pullularunt in Germania non ſine magna eius prouincię perturbatione, quia Io. Federicus Federici Vinarienſis filius Ducis Saxonum olim electoris noluiſſet è ſuis finibus eiicere Grompachum virum Saxonem, ferocem, bellicarum rerum peritiſſimum, qui ab incunabulis propè militauerat cum multis honorificis conditionibus, at ſeditioſum, & parum recti conſilii. Hunc, & alios quoſdam rebelles Imperii, quia eſſe intra ſuos fines pateretur Federicus, & ipſe perduellionis reus publicè pronuntiatur. Grompachus quia certa pecunia ſibi debebatur ab epiſcopo Artaurienſi, curat ut ea ſibi numeraretur, cuius cauſa venerat è Gallia in Germaniam. ſed epiſcopus non modo non curat numerandam, uerũ etiam bona Grompachi quæ eſſent Artauri, iubet proſcribi. Grompachus indignatus copias collectas in epiſcopum educit. non ſolùm recuperat adempta, ſed etiam principatum ac vitam adimit epiſcopo. cum illa de cauſa indignatos animos, & infenſos quorundam Germanorum haberet, a quibus inſidiæ ſemper eſſent timendæ, ducebat ſibi neceſſarias eſſe frequentes corporis cuſtodias. id ſibi non erat difficile propter exiſtimationem, quam ſibi maximam apud multos comparauerat. at enim cum in poſtremis Auguſtanis comitiis eſſet decretum imperatore Ferdinando, ne quis auderet copias conſcribere aut colligere milites ſub pęna perduellionis, Grompachus non modo ſuos milites non dimiſit, ſed etiam nouos duces inuitabat ſtipendiis, profitebaturque ſe uelle quoſdam populos ab Imperio oppreſſos vendicare in libertatem. illud effici dicebatur adiutore Federico per occulta quædam conſilia, ſed pręſertim quia putabatur Cęſar multa promiſiſse Germanis ante quã eligeretur Imperator ſpectantia ad religionem, quæ poſtea non ſeruauit. illa de cauſa putantur quidam conſulto excitaſse illud bellum, vt probabiliter diſtrahi viderentur à ferendis auxiliis. cum ita Cęſaris odium dux ille in ſe concitaſset, omnium principum ſuffragiis denuo decernitur in Auguſtanis comitiis Imperatore Maximiliano vt perduellionis reus habeatur cũ omnibus illis, qui eius partibus ſtuderent. decernitur, vt in eos animaduertatur, tanquam in ſeditioſos homines, & pacis quietiſque communis euerſores. Grompachus ſuas vires adauget. in oppidum Federici Gottam ſe recipit. ad munitionem reparationeſque animum conuertit. fit ad hæc omnia intrepidus, ſeque ſpe ſubſidiorum confirmat. at Auguſtus elector magno equitum peditumque numero ſumma celeritate collecto, multiſque acceptis undique auxiliis à Germanis principibus, qui non æquo animo res geſtas ſuperiores tuliſsent, atque nollent eo contemptus imperatoriam dignitatem unicum propè totius Germaniæ ornamentum deduci, ut vel inuito Cæſare perduellionis rei eſsent intra fines Imperii, oppidum obſidet. in illud, ubi poſita eſsent caſtra non procul à mænibus foſſis, & aggeribus militaribus munita, tormenta diriguntur, ante quæ tria ingentia propugnacula terracea excitantur. ſuper his diriguntur tormenta in oppidum. mœnia magno impetu concutiuntur quadraginta muralibus. Hic tantus bellorum ardor fecit, vt quatuor tribuni, & centuriones non pauci, quibus Grompachus maximè fidebat, & cuius opibus res eius plurimum nitebatur, & ciues eius oppidi rebus ſuis diligenter conſideratis, deſciuerint. nam profecto viſum eſt immane facinus ſi exulis defenſionem ſuſciperent aduerſus tanta initia bellorum, cum bellum ipſi aduerſus imperium eſsent ſuſcepturi, ad quod Cęſar etiam ſex millia equitum, & triginta peditum vexilla miſiſset. Mittunt hi, qui ſe excuſarent apud Cæſarem. profitentur ſe eſse & fore Imperii defenſores, at non hoſtes, quod clam effectum eſt. Petunt veniam quòd arma ſuſceperint, cum iſtud feciſsent iurati, ac neſcien-

Zatuar captum.

Legatio à pſarum Rege mutilata.

Io. Federicus Vinarienſis reus citatus perduellionis.

Decretum comitiorũ Auguſtanorum.

Grompachi exilium.

Gotta opp. concuſſum.

neſcientes aduerſus quem bellum gereretur. ſe crediđiſſe ſuum principem Federicum defendere,
non oppugnare imperium. ſed radicibus, & initiis belli diligentius altiusque conſideratis ſe cogno
uiſſe quòd ab imperii defenſoribus obſiderentur. ſe malle rebelles arbitrio electoris vinctos trade-
re, quàm tanta cum ignominia bellum diutius protrahere. accipiuntur igitur in gratiam Cæſaris hi
ſce conditionibus, vt vita, facultates, honor integer his obſeſſis ſeruaretur, modo oppidulum, vrbē,
& vinctos rebelles traderent. His de omnibus factus certior eſt Auguſtus. Ioannes Federicus ſolu-
tus, at Grompachus vinctus traditus eſt, ne Grompachus venenum caperet, quod ſemper ſecum ha
bebat. Patefactæ ſunt portæ Auguſto. exeunt Germani pedites, atque omnes ab electoris copiis
ſpoliantur. principes eius factionis, & coniurationis omnes ſunt in vincula coniecti, & ad grauiora
ſupplicia reſeruati, inter quos fuit Pangher, Gulielmus Scilitnius, & Albertus Stonius. arcis præſi-
dia his rebus cognitis Auguſto ſtatim ſe dedunt eodem die. ſic breui extincta ſunt ſemina eius Ger-
manici incendii. Suendius poſt Zatuaris oppidi deditionem ſigna conuellit ad expugnandum op-
pidum Moncaiam, quod crebris ictibus diuerberat per quatriduum. atque diſruptis mœnibus ad in-
greſſum, cum iamiam eſſet inuaſurus, oppidani fortunam belli minimè expectandam rati cuncta ar  Moncaia ca-
bitrio Suendij concedunt. ingreſſus Suendius quadringentos Pannones cum ſimplici veſte di-  pta.
mittit, impoſitisque præſidiis ad expugnandum Ituſtium oppidum contendit. In Sarmatarum
regione rurſus res ſanè non erant multo pacatiores, quoniam Scythę ac Turcę, & Myſi in Darda-
niam, & Tauroſcytharum regionem, quæ parent Poloniæ Regi, maximas, & formidabiles incurſio
nes fecerunt. circiter mille pagos concremant, & multa oppida ad Leopolim vſque procurrentes.
obuia quæque ferro ac igni populantur. multis trucidatis multos in ſeruitutem abducunt. at cum  Populatis
Palatinum Buſſæ obſidere conarentur, afficiuntur ab eo non ignobili clade relictis etiam duodecim  Scytharum.
muralibus tormentis, quippe qui ad ſuos fines iam tredecim equitum millia collegiſſet. Myſi intra
ſuos fines redeuntes maxima damna inferunt illi regioni. His calamitatibus acceptis habentur co-
mitia in Lituania. Pollicentur multa armatorum millia Polono Regi ſi vellet exire aduerſus com-
munes hoſtes. Elector munitionibus Federici ita potitus, iubet eas omnes euerti. multa auehit tor
menta, multos bellicos apparatus. omnia propugnacula ſolo adæquat. deinde Grompachus datus  Grompachi
eſt tortoribus puniendus, cui viuo in quatuor partes diſſecto palpitans cor e pectore euulſum oſten  mors.
ditur, & ori admouetur. Io. Federicus ſe excuſat quòd vel inuitus ad eam defenſionem veneficiis
ſit compulſus. ſed tamen iubetur in carcerem detrudi, & mox in arcem Poſſonii datur aſſeruandus.
multis principibus pro eius ſalute Cęſarē rogantibus reſponſum eſt non fore abſurdum ſi multo-
rum errorum nunc vno tempore pęniteret. reliqui participes coniurationis multis tormetorū ge-
neribus excruciati vitam denique concluſere. erat illud bellum magnum diſpendium Cæſari alla-
turum, niſi electoris ducis Saxonum, & reliquorum principum liberalitas, qui Bicurgium ſiue Erfo  Comitia Bi-
diam conuenerant ad comitia habita de ferendis auxiliis Cæſari aduerſus Turcas, Cæſarem ipſum  curgii.
ſuis ſumptibus ſubleuaſſent. Auguſtus victoriam conſecutus atque triumphans de rebellibus ad
exprimendam magnitudinem lętitię curauit imprimendam pecuniam argenteam cum inſcriptio-
ne; Tandem bona cauſa triumphat. Cæſar poſtmodo varia comitia ſuis indicit. Primùm Arſie-  Comitia Ar-
nam ſiue Brunam, deinde Troppam, vbi fierent petitiones, & Poſſonium & Caſurgium. decerni-  ſienæ, Trop-
tur Arſienę, vt mille & ducenti equites concederentur pro nobilitate, quos Cæſar mitteret quocū-  pę, Poſſonii,
que placuiſſet; at nobilitas vniuerſa fines tueretur. Vt decimus quiſque Cæſari militaret. Vt è mil-  Caſurgii. &
le nummis prouentus, duodecim darentur Cæſari. Vt in ſingula vaſa vinaria vel vino plena vel cer  decreta.
uiſia certa pecunia pro magnitudine vaſorum diſſolueretur. illud cum prius ſtatutum fuiſſet Arſie
næ, mox Troppæ fuit confirmatum, & additi equites trecenti. Cæſar deinde cum magna pompa
accedit Caſurgium, vbi poſtulantur in comitiis auxilia trium annorum vt in vnum cōferantur, quæ
pecunia in loco tuto aſſeruaretur, ne veniret in cuiuſquam poteſtatē, niſi cum exercitus eſset aduer-
ſus Turcas comparandus. Ita demum decernitur in Caſurgienſibus comitiis, vt biennii tantum cen-
ſus ſolueretur Cæſari hoc pacto, vt ſingulæ domus ſub ditione principum vel procerum vel nobiliū
& ſacerdorum, dimidium talari in annum ſoluerent, præter publica balnea, tuguria paſtorum, offi
cinas fabrorum. Artobrigæ domus, imperatoriæque poteſtati ſubiectæ in tertia parte Boemię tres
talaros ſingulæ diſſoluerent. ſinguli parochi ſingularum vrbium, pagorum, caſtellorum, centum
cruciatos. cultores nouem cruciatos. ſerui & mercenarii omnes, quartam partem talari. Hebræis à
decennio certus numerus pecunię ſoluendæ indicitur, ſed impuberibus tamen minor numerus. ſi
verò Cæſar ipſe aduerſus Turcas militaret, qui decē millium talarorum haberet prouentum equi-
tem armatum ſuis ſumptibus in quatuor menſes aleret ad Cæſaris cuſtodiam; omnesq; Cæſari pro
ſuis facultatibus per has opportunitates opem ferrent. Vt iſtud ipſum efficeretur ſi opus eſset quin-
decim principatus regni Boemiæ tueri. Vt qui ſex millium talarorum haberet prouenrum, equitē
aleret prædictis conditionibus. Vt decimus quiſque peditem ſuppeditaret, aut ipſe militaret. Hę co-
piæ inſtruebātur aduerſus Turcicas vires, & indignationem Tranſyluani, qui ferebat ægerrimè Mō
caię expugnationem, quòd oppidum eſset munitiſſimum, plurimumque vtile rebus bellicis, cum
ea tranſitus pateret facilis in Poloniam, vbi opus eſset accipere auxilia Sarmatarum, atque illo oppi
do occupato non poſsent accipi niſi per ſummas difficultates, quia oporteret tranſitum fieri per
Myſiam inferiorem. Suendius Moncaia potitus per deditionem ad Ituſtium obſidendum ca-  Ituſti obſi-
ſtra mouerat, quod oppidum rebus Cæſarianis non minus commodi, hoſti non minus detrimenti  dio.
erat allaturum. Quæ dum fiunt in Pannonia, Cæſar Odoardo redeunte Byzantio re infecta, qui
miſſus fuerat, vt ageret de pace, denuò ad idem negotium deligit Antonium Verantium epiſcopum
Vinundriæ, & Titterapachum viros autoritate inſignes inter Parmones ob eloquentiam, & artium
liberalium

liberalium peritos, atque multorum idiomatum gnaros. Hi cum multo magnificoque comitatu Byzantium properant. Sed quoniam Suendius fines Pannoniæ,& Tranſyluaniæ infeſtabat,neque hoſtem tutò dormire patiebatur, apparebat omnis ſpes pacis, & concordiæ abrumpi, quia Tranſyluanus tanto acrius Selimum aduerſus Cęſarem ad arma ſuſcipienda ſollicitaturus apparebat magno conatu propter imminens periculum totius Tranſyluanię amittendę; idcirco purpuratus Curtenſis legationes de pace Byzantium proficiſci intelligens rogat Cæſarem per literas, vt copias, & Suendium ab Itustii obſidione reuocet, quo commodius agi poſſit de pace. Ridiculum eſſe donec pacis, & amicitię reconciliandæ ratio quæritur, ſemina ſpargere odij, & inimicitię, ſi quis poſt pacem concluſam Byzantii occupauerit. at ex altera parte conſultat qui fieri poſſet vt rebus Tranſyluani periclitantibus conſuleretur. Cæſar interim nullam conuocandorum comitiorum diligentiam prætermittit. habentur comitia Pannonum Poſſonii, in quibus poſt multas querelas procerum aduerſus prefectos præſidiorum decernitur communi omnium conſenſu vt centum & quinquaginta coronatorum millia, qui ſunt aurei nummi, diſſoluerentur Cæſari, quæ pecunia ita colligeretur. in ſingulas ſeſſiones agreſtium bini talari diſſoluantur, que ſingulę iubentur duodecim dierum operam concedere munitionibus vel excitandis vel reficiendis, ſicuti neceſſarium viſum eſſet in illis finibus. illis autem annis, quibus nulla habentur comitia, res ad dimidium perducta intelligeretur. contra, ſtatutum eſt vt Cæſar mitteret ſuos procuratores Pannones, & Germanos ad ad vtranque ripam Danubii, qui bona vſurpata à miniſtris præfectisque Cæſarianis recognoſceret, qui prius legitimis dominis prędia reſtituerent, quique in eos animaduerterent qui furta, rapinas, latrocinia commiſiſſent, vt ceſſarent moleſtiæ latrociniorum, quibus incolę eorum locorum aſſidue vexabantur. Vt inuſitata, & extraordinaria tributa à Suendio impoſita in vaſa vinaria, & in capita belluarum tollerentur. Vt Pannonibus, quoniam intra Noricos fines non admittuntur, neque in alias prouincias, liceret vbes atque caſtella redimere à rege Pannonum, quæ forent illi data pignori. Vt Cæſar præfecturas eccleſiaſticas concederet uiris Pannonibus, qui uiſi eſſent idonei illis muniis. Vt Cęſar ſi caſtella Pannonum à Tranſyluano recuperaſſet, eaque vellet ipſe retinere, alibi prioribus dominis tantundem rependeret. Vt nobiliores, qui centum agreſtibus hominibus imperarent, decem equites præberent vbi Cæſar ipſe exiret ad bellum, & octo pedites. At ſi dux ſummus cum Imperio rei militaris mitteretur pro ipſo Cæſare, daretur dimidium. ſic igitur octo peditum, decem equitum millia ſunt in comitiis Poſſonii deſignata. Cæſar vt tot populorum lamentationibus fieret ſatis, animiq; multis iniuriis præfectorum in ſubſidiis placarentur, in multos præfectos, qui inania ſtipendia ſurripiebant animaduertit: quod genus officii tametſi magis ſpectabat ad ius belli, tamen viſum eſt lamentationum cauſa opportunè fieri, quare plurimum animi populorum ſunt deliniti. Animaduertit etiam in quoſdam Poſſonii, qui nimis audacter in pontificiam autoritatem multa turpia effutiebant. Priuat dignitate nonnullos miniſtros, qui ab eccleſia catholica diſſentirent. Iubet ſenatum eius vrbis Cæſarem ſequi per ſolennitatem corporis Chriſti, quod anno prętereito non fuerat factum. inde poſt paulo ex illa vrbe diſcedit. Non ceſſabatur tamen in Tranſyluania per idem tempus cum arma vbique in ea prouincia circumſonarent, quamuis Curtenſis purpuratus ſimulans pacem non eſſe deſperādam Cæſari munera etiam quędam miſerit, qui rogauit vt Germanos in præſidiis habetet pro Pannonibus in illis finibus, ne pax ab illis vt nimis auidis prædæ,& natura infenſis Turcico nomini abrumperetur, cum Germani tranquilliore, mitioreque ſint ingenio. his ſubiungit ſe capitis ſupplicium propoſiturum facientibus incurſiones. ſed cum reliqui duces neque promiſiſſent, neque ſeruarent hoc inſtitutum in Tranſyluania, poſteaquā Suendius ſuas copias contraxit Caſſouiam, vt pax componeretur, Tranſyluanus exit in apertum cū omnibus copiis, quibuſcunque potuit. Riſuar & Balnea oppida recuperat, qui dicitur,& Riuulus dominorum, quæ iam biennium fuerant virtute Suendii capta, qua in re mihi viſi ſunt Turcę non diſſimiles lupo Aeſopico, qui facturus pacē cum paſtore canem perpetuum hoſtem, omniumque pactionum turbatorem obſidem popoſcit. verumtamen Ruber vicarius Suendii vir pręclarus ac ſtrenuus intelligens quantum valeat celeritas in omnibus rebus bellicis, repente egreditur Caſſouia cum mille & quingentis Pannonibus equitibus, tribus millibus equitum Germanorum, duobus millibus peditum ac magna parte præſidiorum Toccei, & Sachmaris. in hos impetum facit. omnes propè trucidat. Riſuar vi capit. Riuulum recuperat, quia diſrupta arce propter vim ignis in puluerem tormentarium forte collapſi, qui aderat in bellicas opportunitates paratus, facilis acceſſus patuit. occiſi ſunt multi è defenſoribus, non tamen ſine aliqua clade Cęſarianorum. Tibiſci purpuratus interea non procul a Vinundria incurſiones facit. oppida quędam capit per deditionem. caſtellorum præſidia contra pactiones, & iura deditionis obtruncantur à quibuſdam Turcis. qui fuga ſe ſeruare conati ſunt, è pugna in ſeruitutem capiuntur. Purpuratus tantum ſceleris, & perfidię non ferendum ratus in omnes illos Turcas accerrimè animaduertit, qui contra pactiones, & datam fidem in miſeros captiuos ſeuiiſſent. iſtud fiebat à Turcis non tantum probitatis cauſa, quantum vt animos cæterorum præſidiorum allicerent ad caſtella dedēda, cum ſcirent promiſſa ſeruari; atque vt arbitrarentur rectius eſſe integerrimæ hoſtis fidei ſe credere, quàm arbitrio fallacis, & incertæ belli fortunę. Nam pecuniam captiuis pręter libertatem liberaliter largitur purpuratus, & demonſtrat ſe miſericordia illarum calamitatum eſſe commotum, per quod facinus tam egregium, tanquàm inuſitatum in hoſtes præcipuè diuerſæ religionis, plurimum laudis conſecutus eſt apud ſuos, & exteros milites. nemo enim virtutem non laudat, & amat, Byzantii pacis negotium non ſine multa difficultate tractatur, quia Selimus nullo pacto apparebat conditiones ſubſcriptione confirmaturus, niſi hæc tria eſſent ſeruata. Primùm ne Cæſar Tranſyluani res aut Tranſyluaniam attin-

Comitia Poſſonii. Stratagema. Clementia Turcarum.

vttingeret. Ne colonos infeſtaret, ac certos fines ne tranſgrederetur. Vtque duo munitiſſima oppida in finibus ſolo æquaret ac deleret. Nam tametſi multa erat in his difficultas, tamen Turcarum procerum ita conſequebatur ſtudia, vt videretur componi poſſe, quia nimis durum apparebat aduerſus duriſſimæ ceruicis Imperatorem fruſtra tempus abſumere, & aduerſus arma, quæ toties ſibi funeſta experti eſſent. reſpiciebant autem magis ad res Melitenſes quoniam ſomnio ſimile ſibi videbatur quòd illa parua inſula tantum fortitudinis, tantumque peritiæ rei bellicæ haberet, vt potentiſſimam claſſem, totque tormentorum vires, tantos inſignum copiarum impetus, tot præſtantiſſimorum ducum ingenia retudiſſet. Aurantius rebus Batauorum mira dexteritate compoſitis ſingulari prudentia redit Atuacutum, quò etiam Brederodenſis cum magna coniuratorum manu, at non ſine magna Margherithæ trepidatione, quæ pręſidia Bruxellarum adauxit, atque nonnullos ex aulica conſuetunide, tanquam ſuſpectos in exilium mittit. Vt autem periculum faceret fidei Brederodenſis reguli, nomine Philippi Regis ab eo petit oppidum Vianam, qui reſpondit ſe nolle concedere, cum eius neminem dominum præter ſeipſum cognoſceret, & neque illud eſſet intra regiam ditionem, captus eius amittendæ ſuſpicione continuò illuc aduolat egreſſus Atuacuto contra omnium ſuorum ſententiam, qui plurimum eius præſentia confirmabantur. at Duce Masfeltio, qui nouæ religionis partibus ſtudebat, copiæ ingreſſæ fuerant Atuacutum, quo illa ciuitas optimis præſidijs aduerſus Philippicas vires eſſet firmata. Dicebantur enim præcipuæ autoritatis principes eius factionis eſſe hi, Gulielmus Nanſienſis, vti dictum eſt, Ludouicusque eius frater, comites Agamontius & Horneus; hi enim partim vt nouam religionem introducerent, partim vt quæſitionem deuitarent dicti ſunt animos Belgarum ſollicitaſſe ad mutuam defenſionem. vbique iam pullulabant ſeditionum, nouæque religionis ſemina & tumultus; atque cum prius viderentur in vnum conſpiraſſe hæretici, vt qui vnum genus nouæ religionis eſſent amplexuri, poſt modo, quod maximum detrimentum fuit ſuis rebus, in plures ſectas ſunt diuiſi, cum alij Caluiniſtarum, alij confeſſionis Auguſtanę, alij anabaſtitarum, alij Imitatorum nomine magis lætarentur. Sed enim nihil eſt ſapienti magis optandum, quàm vt animi hoſtium ſint diuiſi & inter ſe diſtracti, cum vel ſemina ſeditionum inter illos ſi fieri poſſit iacienda ſint, ſinautem ſaltem ſuſpicionum, cum vel tenuis ſuſpicio facile vel fœderationes diſſoluat, vel ſaltem faciat ſubrigidas ac titubantes. Tantam religionum varietatem principes eius regionis intuiti, quod exiſtimarent conferre etiam regijs negotijs vt res placarentur, Mecliniam conueniunt vt ageretur de rebus componendis. conuenerunt ad ea comitia Comites Agamontius, Masfeltius, Ariſcotus, Aurantius, Horneus, Amiras, Hocſtratius, Niunardenſis, & alii complures, quibus cum multæ difficultates in componendis rebus ſe offerrent, Sciſcitatum eſt miſſum Margheritam an placeret ſuam ſententiam regiamque enucleare, quæ ad conditiones & quæſitionem ſpectaret. his reſponſum eſt eſſe illam Regis & Margheritæ ſententiam nihil vt componi poſſet, niſi hæc ſeruarentur ab omnibus Belgis, quæ dicta ſunt. atque hanc eſſe immutabilem ipſius Regis ſententiam. Vt populi ſcilicet hæreticas conciones, nouamque religionem defererent. Vt arma deponerent. Vt vrbes atque oppida admitterent præſidia, quæcunque Margherita voluiſſet. Vt qui errauiſſent per ſex menſes ne punirentur, poſt quod ſpatium res eſſet reſeruata arbitrio Margheritæ. illud reſponſum vniuerſam ſpem pacis prorſus deleuit, quare comitia Mechliniæ ſoluta ſunt ſine vllo decreto, cum præſertim tumultus ad Atuacutum excitaretur non aſpernandus. Nam Toloſenſis regulus Caluiniſtarum defenſor non procul ab Atuacuto copias colligebat, quò conuenerant plures mille & quingentis armatis. Margherita ſumma celeritate mille pedites & centum equites mittit antequam numerus augeatur hoſtium ac ſuccreſceret, cum noua auxiliorum manus quotidie accederet hæreticis, imperat ſemina bellorum ſurgentia & lactentia ad huc, vt ita dicam, excindere & conculcare. At quoniam Tornacenſes ita frequentibus cladibus eſſent debilitati, plurimumque virium per crebras calamitates fuiſſet diminutum, clam Norcamius regulus introductis per oppidulum, quod Regis nomine tenebatur, nouem cohortibus lectiſſimorum peditum in quoſdam adminiſtros & autores nouæ religionis acriter animaduertit; quos, potitus rerum ſine controuerſia ac nemine repugnante, extremis ſupliciis affecit. miſſæ ſunt ad Margheritã interea Valentionę legationes, quæ agerent de conditionibus pacis, ſed cum arctius in dies obſidererẽtur, ſuccreſcerentque copiæ regię, neque vlla ſubeſſet ſuſpicio ſubſidiorum, nihil actum eſt. atque quoniam grauia ſupplicia vbiq; nouam religionem complectentibus imminere putabantur, accidit non in vno loco tantum Belgarum vt matronæ ac mulieres cuiuſuis conditionis infantes in templa baptizandos obtulerint, quamuis de more nouę religionis fuiſſent à patribus baptizati, quod etiam fit ita procurante Raſſegemio. Quæ quod grauia acciderent fęderatis, prolati ſunt libelli, in quibus querebantur hęretici ſibi promiſſam ſecuritatem à gubernatrice & nobilibus aurei velleris non ſeruari, cum prohiberentur ſub pęna capitis nouam religionem exercere. queſti ſunt de calamitatibus illatis ſuis ſociis, qui obſidebantur, de infantibus rebaptizatis, de multis qui metu ſuppliciorum patriam & coniuges & liberos dimiſerant. de Valentianę miſerijs maioribus quàm vnquam ab hoſtibus paſſi ſint, de militibus quibus totum Belgium repletur, à quibus ciues vbiq; miſerrime expilarentur, & opprimerentur multis in locis, cum ipſi nihil exegiſſent vſq; aduerſus vel vrbanitatem vel humanitatẽ. ille libellus cum deferretur ad Gobernatricem omnino non potuit audientiam obtinere, cum vna in re tranquillitatem Belgii conſiſtere profiterentur, ſi ſibi ſeruarentur promiſſa, ſin autem multas calamitates Belgicis finibus minabantur, quod ſi fieri vellet, militẽ dimittat. at gubernatrix cũ inſtaretur vt libellum

Difficultates de pace.

Viana opp. à Brederodẽſi petita.

Principes factionis nouę religionis.

Religionum varietas in Belgio.

Caluiniſtarũ clades.

admitteret, eo lecto demum reſpondet illi qui obtulerat, ſe neſcire qui ſint conquerentes, aut illi nobiles, quibus ſatis factũ non ſit, cũ obliterata quæſitione & edictis, ac propoſita omnibus ſecuritate, cũ ſeſe offerant quotidie regiæ obſeruantiæ. ſe mirari nouam religionẽ fuiſſe conceſſam eos cenſere, quod omnia quæ de ſciſcerent ab auita religione eſſent contra ſuam ſententiã & regiam. eos qui rem huiuſmodi aut cõcedant aut complectantur ſibi videri publicæ quietis perturbatores. nõ potuiſſe in ſuũ animũ illud cadere, cũ etiã magiſtratibus per hãc nouitatẽ rerũ autoritas adimatur, & regia vtilitas minuatur, & omnis ęquitas ſubuertatur. ſe illud ęgerrimè ferre quod hæc tã falſa, tãq; nefaria ſibi attribuãtur, cũ illa per huiuſmodi ſimulationẽ vſurpẽtur, quæ rex omnino ad ſubditorũ quietẽ ſit vindicaturus. oportere de ijs magiſtratib. has querelas deferre, qui tã abſurda cõceſſiſſent, vt opportuna remedia adhiberẽtur, ſi tã laxa lateq; patẽtia verba conceſſioni addidiſſent. his obijcit cõciones hæreticas in vrbes introductas, quare cõdigna ſecuta ſint nõnullorũ ſupplicia, quòd tẽpla ſint à quibuſdã deuaſtata, ꝙ tormẽta bellica ſint exportata ab incitata plebe per illorũ temeritatẽ, & capti bellici apparatus, quòd regij magiſtratus excuſſi ſint: vrbes regiæ occupatæ. in aciẽ ſub ſignis militaribus exierint. minati ſint cladẽ regijs miniſtris, omnibuſq; catholicis, atq; ipſi gubernatrici. tẽpla, cęnobia loca ſacra & publica vel priuata nobiliũ ſint ſuccẽſa. omnia proſpectare vt ex interceptis literis patuit, vel ad Regis ipſius profligationẽ. quod ſi velint ſe ab his in aduẽtum Regis purgari, animos vulgi à priſtina perſuaſione reuocẽt. vt milites dimittãtur, gladiuſq; è manibus rectorũ magiſtratuũ extorqueatur, omnibus patere quò ea petitio tẽdat. his tumultibus auditis poſtulatũ eſt per literas regias vt principes Belgarũ cõuocarentur, qui iurarent ſe fidẽ catholicã Romanã, & obedientiã ipſi Regi præſtituros, quod facile fecerũt equites aurei velleris. illud fecerũt alij nobiles fęderati omnes iuſſu comitis Agamontij, qui etiã ſcripſit ad principes ciuitatũ Flãdriæ vt hæreticæ cõciones dimitterẽtur, quod ipſum præſens poſtmodo procurauit. nulla tamen ratio potuit res prorſus ſedare, cũ variæ ſeditiones in dies alibi pullularẽt, nã copiæ quę ex Olanda & Zelanda acceſſerãt fęderatorũ auctę quotidie acceſſione nouarũ viriũ agrũ Antuerpiẽſibus finitimũ vexãt, direptionib. & incendiis populantur, tẽpla & loca ſacra expilãt ageſtabãt illi ſignũ cõſpirationis caudas Vulpinas galeis annexas, vt eiuſdẽ ſectæ comites in bello dignoſcerẽtur. Margherita Droſſardũ Ambiuaritarũ Tongrorũq; ſatrapã cũ nõnullis cohortibus peditũ & turmis equitũ repẽte è præſidijs Tongrorũ & Flandrię accerſitis obuiã mittit. illos inopinatos. ac nihil tale ſuſpicãtes ſummo mane adoritur,

Hantuerſiæ Tumulus.

commiſſaq; pugna ad Oſtrouillam agri Atuacutenſis pagum magna virtute ac fortitudine inuadentiũ primo impetu per multos obtruncant, reliquos in fugam vertit ac diſſipat. ex illis qui fugerunt e prælio alij in Scalde fluuio perierũt, alij in priuatis domibus exuſti. pauci fuga ſe ſeruarunt. audita ſuorum clade Caluiniſtæ Atuacutenſes erant illis opẽ laturi, & iam ad arma tota vrbe conclamarãt. Sed cũ portæ clauſæ eſſent, quas Agamontius & Hoeſtratius præfecti vrbis iuſſerãt occludi, cõcurritur ad pontẽ qui è męnibus ad ulteriorẽ partẽ foſſæ perueniebat. illo quoq; inciſo reperto tãto furore perciti ſunt, vt oĩno Atuacutum occupare decreuerint obuiũ quẽq; ex aduerſarijs trucidãtes, aut in fugã vertẽtes. tãto impetu ad arma vbiq; cõclamatur vt breuiſſimo tẽporis ſpatio ad quatuordecim millia armatorũ & forũ, & oẽs areas vrbis oppleuerint atq; occupauerint. Primũ omniũ portas vrbis, claueſq; capiũt poſt plateas. inde occupãt tormẽta. Trahunt in plateas circiter viginti ſine cõtrouerſia, ꝙ ea res inopinata per tãtã celeritatẽ catholicis accidiſſet, firmãtur ſtatuũturq; tormẽta

Atuacutẽſis ſeditio maxima.

in via quadã, quę foſſis duplicibus ſępiũtur & carris pro vallo vtũtur. cõſtituũt vigilias diligẽtiſſimas. vbi magnus numerus excreuiſſet, nũtios mittũt ad ſenatũ ſignificãtes ſe velle illud palatiũ, vbi ſenatus haberetur, in quo multa erãt tormẽta & bellici apparatus. reſpõſũ eſt ſenatũ velle palatiũ defendere, quãobrẽ extracta ſunt tormẽta etiã in plateã palatij cũ magno armatorũ globo, qui plateã illã occuparũt. at Aurãtius accepta catholicorũ ſentẽtia & reſpõſo conatur inter ambas factiones rẽ cõponere, quæ certè nullo pacto cõuenire poterat, cũ hęretici tã abſurda poſtularẽt, vt omnis quies ꝑ illa autoritaſq; catholicorũ tolleretur & aboliretur. Petebãt enim ne vllis ſacerdotibus in vrbe eſſe liceret. Ne ſacra munia celebrarẽtur. Vt catholici tenerẽtur eos adiuuare ſi forte obſiderẽtur. Ne impedirẽtur quominus poſsẽt copias colligere. Vt ad illorũ tutelã & ſecuritatẽ & ad vrbis cuſtodiã duodecim tribuni & cohortes cõſcriberẽtur. Nequa externa præſidia vt admitterẽtur. Vt claues vrbis penes illos aſſeruarẽtur.

Atuacutẽſis rei compoſite conditiones.

Agamontius noluit promittere ſe illos eſſe defenſurũ, niſi cũ eſſet Atuacuti, quo ijs ſeruarẽtur, quę promiſſa fuiſſent ad 7. Cal. Septẽbris anno ſuperiore. ſe curaturũ ne infeſtarẽtur. cõcedit vt decernãtur duodecim tribuni ac milites maiori ex parte nouæ religionis. ne magiſtratus aliqua ex parte mutaretur. Vt liceret ſacerdotib. eſſe in vrbe cõcluditur, ac ſacra munia celebrarẽt. vt claues eſſent penes Agamõtiũ. ſic enim res cõpoſita eſt his cõditionib. deinde hortatur oẽs armatos ad arma deponẽda. pollicẽt poſtridie mane ſe cõditiões publicè lecturũ. At. n. vbi cognouiſſet hos decreuiſſe oĩno ſacerdotes eiicere, eorũq; bona in publicũ redigere, monet Germanos, Oſterlinos, & Italos ac Hiſpanos, vt arma pararẽt, qđ fit intra duarũ horarũ ſpatiũ. erãt. n. ad retinendam concordiã, vt dictũ eſt, hæ copiæ collectæ. erant Itali & Hiſpani ſexcenti. Oſterlini, Germani, Belgæ vrbani, aliiq; catholici quingenti ſupra quatuor millia. Senatus mercenarii octingenti, qui omnes accedebant ad ſex millia armatorum. Aurantius vbi tot copias ſe habere intelligit, iam parui facit hæreticorum vires, qui cognitis copiis Aurantii rogant per nuntios, vt res compoſitæ intelligantur. ille ſe difficilem primùm ſimulat ad has petitiones, quia honeſtiſſimæ conditiones ſint reiectæ. Verumtamen ut pacis potius, quàm belli cupidus in ſua patria præſertim extitiſſe appareat, ita rem componit. Vt duodecim duces ſiue tribuni deleantur, ac tormenta ſuis locis reſtituantur. ſic intra duarum horarum ſpatium omnia tranquilla pacataque apparuerunt. Mirum autem fuit tantum tumultum ſine vlla nota ſanguinis propè fuiſſe tam breui conſopitum. Poſt has

ita pacatas controuerſias fortuna belli alteram opportunitatem euertendæ vrbis, aut certè inſigni
clade aſficiendę continuo attulit. ſiquidem cum armati conſtitiſſent ſeptingenti pedites Hiſpani, Ita
li, Luſitani, viamq; occupaſſent, quà Caluiniſtis erat tranſeundum, Caluiniſtæ ſtatuunt non priores
arma deponere, ne victi viderentur ſi ſeſe inermes armatis concrederent. at Catholici armati neque
ſibi quidem illud facere honorificum eſſe contendebant, ſi ad horum libitum priores arma depone-
rent. conuenientibus his itaque, rurſus apparebat res ad pugnam ſpectare. Denique datur illud mu-
nus Mario Cardoino vt videret nequid detrimenti vrbs caperet, qui iubet in ampliſſimas ędes Ita-
los & omnes armatos catholicos ingredi nullis armis depoſitis. hos ibi clauſis valuis detinet, do-
nec illi per tranſeant. Rebus ita Atuacuti per ſummā Aurantij Marijq; prudentiam compoſitis, miſ-
ſæ ſunt legationes Bruxellas ad Margheritam, quæ illam de omnibus rebus facerent certiorem.
Miſſus eſt poſtea Marius & comes Hocſtratius ad Margheritam ad res componendas, quod nego-
Compoſitio rerum.
tium ita concluditur, Vt conciones, omniaque nouæ religionis munia ceſſarent. Vt quantum
placuiſſet Margheritę præſidiorum admitteretur. Vt nequis infeſtaretur religionis cauſa, niſi Philip-
pus rex aliter decreuiſſet. His ita ſtatutis Margherita ipſa Atuacutum accedit pręmiſſo Masfeltio
inſtituto gubernatore cum ſexdecim vexillis peditum, vbi cum magna pompa excepta eſt. apparuit
in illa vrbe olim florentiſſima & frequenti magna ſolitudo, quia multi nullo expectato iudicio ſti-
Aurantii indignatio.
mulo conſcientiæ eiecti ante eius aduentum ſolum verterant. Aurautius quia Masfeltius Atua
cuti ſuffectus eſset gubernator tam repente nulla habita ſui ratione, quòd eius autoritatem ſuſpe-
ctam haberet Margherita, mutationem illam rerum grauiſſimè tulit. his acceſſit quòd Margheri-
ta ſimulauit ſe velle vt omnes proceres eius prouinciæ iuramento aſtringerentur ſe defenſuros par
tes Philippicas ſine vlla exceptione. at Aurantius reſpondit ſe iam pridem iuraſse in omnibus ob-
temperaturum eſſe Regi, quæ cum patrijs legibus Belgarum conſentirent. Quòd ſiquid aduerſus
patriæ priuilegia moliretur, primum iuramentum nullum erat intelligendum contra æquitatem
valere, nedum ſecundum. illa igitur indignatione, quòd ita fuiſſet è præfectura repēte deiectus, com
Aurãtius in Germanorũ accedit.
motus clam exit ex vrbe Atuacuto ignara Margherita cum multis nobilibus. primum adit Bredam
oppidum, inde in Batauos, inde in Germaniam penetrat. Interea Amſterdamum oppidum &
Vrana admittunt in præſidia ſex cohortes Germanorum, atque in fidem a Margherita recipiun-
tur, cum oppidani ſe coactos dicerent a Brederodenſibus præſidia accepiſſe. redierunt in eius mu-
lieris amicitiam & aliæ quædam vrbes, & caſtella traiectus Moſæ ſiue Maſtricchium & Bolduchium,
quæ antea tumultuabantur. Reliqua erat Batauorum regio, quæ à Brederodenſi cum magnis copijs
aſſiduè ſolicitabatur ad defenſionem. Margherita idcirco Norchemium regulum iubet copias cum
Megenſi coniungere, ac eam prouinciam liberare. Brederodenſis non expectandas has vires ratus
Brederenſis fuga.
vxore & bonis omnibus ſuis nauigijs impoſitis ad oppidum Bramum maritimum in finibus Germa
niæ appellit, cuius tamen amici cū tardiores fuiſſent nauibus conſcendendis. capti fuerunt. his cogni
Viana capta.
tis præſidia munitionis Vianæ mittunt, qui agerent de deditione cum Henrico Duce Branſuicenſi
atque arbitrio eius ſe dediderunt. Margherita ducem Veſſonum mittit ad illud oppidum accipien-
dum, de quo multa fuit cōtrouerſia cū Philippus illud eſſe inrta fines Batauorū arbitraretur, at Bre-
derodēſis cōtēdebat ſuū eſſe, & ab omni eius Imperio immune. Dux vbi arcē & vrbē occupaſſet cū
armatis, iubet omnia męnia, omnia propugnacula, oēs defenſiones deuaſtare, euerti, ſolo æquari, ne
denuo freti munitionibus auderēt aduerſus regē inſurgere. Cęterū fana, quę fuerāt officinę nouę re
ligionis ſolo æquata ſunt Atuacuti, Margheritæ iuſſu, & materia militibus donata. miſſę ſunt ēt lega
tiones è Germania, quæ peterēt nequid moleſtiæ inferretur hominibus Belgis qui eſsēt Auguſtanæ
cōfeſſionis, quib. libertas cōcederetur, nā multi cōijciebātur in carcerē. His reſpōſū eſt nihil fieri poſſe
ſine cōſenſu regio. Rogari illos principes ne ſeſe reb. ad religionē ſpectātibus in Belgio implicarēt.
nec ita multo poſt promulgatū fuit edictū Regis nomine ad ſedādos oēs tumultus qui nouę religio
nis cauſa ſuboriri poſsēt, nā rex ſcripſerat ſe ſibi reſeruaſſe caſtigationē cōmiſſorū vel veniā, cū nul-
la fieret in eo mentio illorū quæ hactenus fuiſsēt cōmiſſa. erat aūt ſumma hæc fere edicti; 1. Vt ca
pite plectātur, præter fiſco addictionē bonorū, vt promulgatū anno ſuperiore fuerat, concionatores
nouæ religionis, cui eidē pœnæ addicti ſint fauētes quouis modo, aut loca cōcedētes, aut cōuēticula
talia adeūtes, pro arbitrio tamē Gubernatricis: quæraturq; nū id curioſi vel armati potius fecerint.
iuſſi ſunt ēt cōciona tores ſub pęna ſuſpendii ſolū vertere. parētes, vel domini vel curatores plectan-
tur eò iudicis arbitrio pro erroribus familiæ. quorū cōuēticulorū accuſatores impunitatē aſſequan-
tur, ſi legitime in poſterū vixerint. magiſtratusq; ac prętores ad euertēda ea cōuēticula inuigilēt. 2.
Vt pro edicto anni ſuperioris oēs ſacrorū locorū expilatores, aut qui flāmis ſęuierint, aut ijs opē fe
rētes laqueo pręfocētur bonis fiſco addictis, qui ab omnibus capi poſſint, & ad magiſtratus deduci,
impaturq; magiſtratib. ne q̄d huiuſmodi impune fieri ꝑmittāt ſub pęna reficiēdorū dānorū illato-
rū ſacris locis; quod ipsū munus iniūgitur vicinis eccleſijs. 3. Vt exercētes ritus nouę religionis ma
trimonia videlicet, baptiſmū, cęnā, ſuſpēdio necētur. quib. ferētes auxiliū plectātur ꝑ arbitrio iudi-
cis. 4. Vt īfantes nothi ritu catholico intingātur, quorū noīa & dies in albū referātur, quo baptiſmū
ceperint. & parētū noīa apud parochos, atq; parētib. q̄ ſecus fecerint pęna ꝑ arbitrio iudicis infliga
tur. Iſtud ſi fiat more nouę religionis & ſacerdoti & offerēti pęna capitis ꝓponatur, & bonorū fiſco
addictio. obſtetrices intra 24. horas deferāt ad magiſtratus niſi baptizētur, ſub pęna ad arbitrium. 5.
Vt nullus ludi magiſter vel publicè vel priuatim iuuētutē erudiat, niſi prius fuerit examinatus à dele
cto ad id magiſtratū, iurauerit q; ſe nō explanaturū aut plecturū iuxta formā p̄ſcribēdā dogmata ab ec
cleſia Catholica dānata, q̄ ſi hęreſes aut errores docuerint capitis dānētur & addictionis bonorū parē
tib. pęna ꝑ arbitrio iniūgatur, q̄ ad eos miſęrint. 6. Vt Magiſtratus, p̄tores, viſitatores diligēter ſeruēt

decreta omnia de typographis & biblyopolis promulgata, atq; obſtinati capitis & iacturæ bonorũ
condemnẽtur, ſi ſic ſint aſſueti. alioquin pęna extraordinaria tantũ plectantur. ac mulcta irrogetur
emẽtibus libros. 7. Quicũq; tributa ſubditis regijs iniuſſu Regis impoſuerit, vel ſi illi vltro conferãt,
quadruplũ reſtituãt, & pro arbitrio iudicũ cõdemnẽtur, neq; licitũ ſit per elemoſynas aut huma-
na officia pauperes allicere ad nouã religionẽ. ſi quis cõtulerit pecuniã ad colligẽdos milites capite
plectatur. 8. Declarãtur rebelles oẽs principes cõuẽticulorũ tã extra vrbes, quã in vrbibus, ꝓhibẽturq;
conuẽticula tam ſimulatione cęnę Caluinicę, quã colloquij aut viſitationis vel religionis, quę ſpe-
ctẽt ad publicã pacẽ perturbandã, idq; ſub eadẽ pęna. 9. Iubentur exules, erones, apoſtatæq; oẽs
ex vrbibus excedere, & ij pręſertim qui ob religionẽ venerunt, ſub pęna virgarũ aut exilij, aut capitis
pro meritis. 10. Iubentur quicũq; in Belgiũ aliũde cõfluxerũt, ſi ſint exules, quã primũ abſcedere
ſub pęna expreſſa in exilij literis. ſin alij ſint, iubentur afferre vitæ ſuæ rationẽ cũ approbationib. 11.
Vetãtur oẽs motus & iniurię in catholicos & ſacratos homines ſub pęna capitis & addictionis fiſco
bonorũ, quæ omnia ſuũ debitũ robur aſſequẽtur, donec aliud de negotio religionis decretũ fuerit.
Non tamen diu inualuerunt hæc edicta perficere quominus in omne genus rerũ ſacrarũ impij ho-
mines craſſati ſint, cum ſæpius etiam varijs in locis plerique tumultuari non deſtiterint: quippe cũ
Ruremondæ fere ad quingenti exlcuſi ſint ex vrbe ad concionem hæreticam profecti, quibus, cum ſe
ad filios & vxores accedere oportere cõtenderent, filij & vxores è męnibus ſunt demiſſi. Has tantas
Belgarũ calamitates & moleſtias viſum eſt cęlũ ac terra portẽdere, cũ poſt ingentẽ motũ terræ & hia
tus inuſitata pluuiarũ frequẽtia & crebritas facta ſit multo ante Bruxellis, non ſine magna mortaliũ
trepidatione. Margherita deniq; magna prudentia & maturo iudicio vniuerſas vrbes & caſtella, quę
fluctuabãt vndis hęreſos exagitata, perduxit ad obedientiam Regis, & impoſitis pręſidijs firmauerat
multaq; collapſa reficiens ad priſtinum ſtatum propè perduxerat. per quod tempus Turcæ ne res
bellica tractaretur negligentius non procul à Vinundria munitionem quandam excitant, quæ ne
forte à Cæſarianis copijs impediretur, quatuor millia equitum aſciſcunt ad defenſionem & cuſto-
diam operarum. Philippus rex auditis tantis rerum Belgicarum motibus diffiſus ingenio muliebri,
vt diximus, iuſſerat Albanum cum ſummo imperio rerum militarium, ampliſſimaque poteſtate in
Belgium proficiſci. Ille paratis copijs in Inſubria, magna militum, nobiliumque Hiſpanorum ma-
nu ſtipante Barcinonẽ profectus cõſcenſis triremibus felici vſus nauigatione Genuam applicuit. ſed
cum febris inuaſiſset illum in ea nauigatione, aliquot dies Genuæ commoratur. monet per literas
Cueuam vt iuſſas copias quàm citiſſimè inſtructas haberet, ne vlla re tardaretur, poſſetq; iter ſum-
ma celeritate, vti res poſtulabat, conficere. Cueua ſtatim iubet omnes Hiſpanos, atq; omnem equita
tum Alexandriam Palleariam conuenite, quare Albanus paulo poſt Aſtam contendit, vbi primum
conualuiſset, atque ibi recenti febre detinetur. Hiſpani dum Albanus conualeſceret partim in agro
Aſtenſi, partim in agro Montisferrati vltra Duriam fluuium ſtatiua habent; erant enim circiter no-
Copiæ Albani. uem veteranorum Hiſpanorũ millia, & ſeptem Italorum Allobrogum, ac mille equites leuiores ga
leati, rei bellicæ non ignaræ copiæ, & quadringenti cataphracti equites. comparata ſunt omnia inte-
rea quæ ad faciltatem tranſitus eſsent neceſsaria per Galliam præſertim iter facturis, ne ab Heluetijs
bellicoſiſſimo & ferociſſimo hominum genere impedirentur. Hic dum ad iter ſe accingit, Margheri
ta literas dederat ad Philippum regem, quibus ſignificabat ſe magnopere vereri ne Albani, Hiſpano-
rumq; aduentus in eos fines omnem quietem, quàm ipſa tantis laboribus, tantaq; induſtria compa-
raſset, funditus euerteret. ſe per benignitatem & clementiam placauiſse concitatos tumultus tot po
pulorũ, qui ſi denuo ſuſcitarentur, maximum illud rebus Belgicis futurum incommodum, cum nõ
minus periculi ſit in renouatis, quam in nuper naſcẽtibus vlceribus, aut animis exacerbatis. At Phi-
lippus quoniã rebatur futurũ vt Auratius, cęteriq; hęreſiarchæ eiecti è finibus Belgarũ res aliquas
nouas molirerur, neq; poſsẽt ęquo animo ferre tantã rerũ mutationẽ, & quia plurimũ fidebat Alba
nicę virtuti, omnino illud neceſsariũ ducebat. his acceſſit ꝙ Valẽtiana inter nobiliſſimas Belgarũ vr
bes non vltima cępit non multo poſt denuo tumultuari. Vbi Turcarum nouus imperator iam ali
quot menſes Imperium ſuſcepiſset, mittebantur vndique legationes, quæ ſuorum principum no-
Marinus caballius Venetus legatus ad Selimũ. mine letitiam ſignificarent & gratularentur, ad quod munus delectus eſt a ſenatu Veneto Marinus
Caballius vir clariſſimus, & inter Venetos patricios cognitione variarum rerum, doctrina, opibus
præſtans, qui & gratularetur pro ſuſcepto imperio, & antiquas pacis conditiones, veteremque ami-
titiã cum nouo Imperatore Selimo confirmaret. ad illud facilius impetrandum munus adiungi-
tur, quod recentibus Imperatoribus honorarium afferre oratores conſueuerunt. Hic dum ad iter ſe
accingit, Ioãnes Miches Hebræus Selimo pergratus vir malo promptoque ingenio, qui ad Turcicã
religionem defecerat per admirabilem quandam calliditatem, facilitatemque ingenij ſæpius Seli-
Naxi deſcriptio. mum ſollicitat aduerſus Ducem Naxi e Criſpa familia oriundum, qui erat Dux vigeſimus primus
eius inſulæ vt illi auitum principatum eriperet. Eſt autem Naxos vna è Cycladibus inſulis in ma-
ri Ægæo, cæteris omnibus Cycladibus amplitudine & fertilitate præſtans, inter Parum celebrem
ob antiqua marmora & Myconen, cũ facile ſe conſecuturũ arbitraretur vt illo duce eiecto, ipſe prin
cipatũ obtineret, quod etiam euenit. illud facile erat perſuadere nouo Imperatori rerum omnium
Imperatoriarũ ſatis adhuc imperito, & amico, & ad quod vel ipſa vtilitas adhortabatur, cum inſula
poſſideretur a Chriſtiano regulo, cuius vires omnino nõ eſsẽt formidãdæ, neq; etiã Turcicæ dignita
tis videretur pati hoſtẽ propè intra ſuos fines imperare. ad illud inuitabãt ẽt de filio ipſius Ducis ma
ledicta, & obiurgationes quib. deniq; obtinuit vt Dux ille ex imperio ĩſulę eijceretur, atq; ipſe ĩ eius
locũ ſufficeretur. Accedit igitur ad eã inſulã occupãdã cũ imperatoria autoritate, quod facile ꝑ Tur
carũ ſtudia etiã, qui erant in inſula, obtinuit: qui nõ ſatis ęquo animo ferebãt eius Ducis imperium

ritibus Romanis & catholico more viuentis. Hic idem Dux imperabat Andri etiam inſulæ regulo, quæ eſt inter Scyrum & Tenum, cuius prouentus accedebat ad quinquaginta nummûm millia, cum ſexdecim millia tributi nomine Turcarum Imperatori diſſolueret, cuius ſub imperio erāt circiter centum millia hominum. Dux vbi primùm ſtudia aduerſariorum nuntiata ſunt, Byzantium properat ad cauſæ ſuę defenſionem, qui cum ſciret gratiam quoque ibi & fauores purpuratorum eſſe venales apud Turcas, quindecim nummum millia ſecum affert. Per hanc pecuniam ſe deprecatoribus purpuratis vſurum ſperabat; ſed captus & pecuniam & omnia bona vno tempore amittit, & in vincula conijcitur. Demū ſoluitur quidē è vinculis, vt vir bonus & qui nihil cōmiſiſſet, ſed principatum non recuperat, quare per ſummam paupertatem accedit Venetias. Veneti viri boni, vtpote qui tantæ mutationis rerum non mediocriter miſericordia eſſent commoti, cum ſcirent hunc innocentem fortunæ inuidia per eius Hebræi iniurias & auaritiam ad hanc calamitatem, non ſua culpa perueniſſe, multa liberalitate in eum vſi ſunt; quod ipſum fecit Pontifex vbi aceſſiſſet Romam. Quę dum infeliciter aguntur à Naxio Duce, fortuna ex altera parte res Allobrogum lætitia & felicitate perfundit. nam Duci Allobrogum puer, qui natus erat iam propè ſex annos, cum regia pompa præſentibus multis Chriſtianorum principum legationibus baptiſmate inſignitur, multiſque precioſis muneribus donatur. Romagas Melitenſis ordinis eques ex altera parte fit obuius ad Eplam inſulam duobus Turcicis dicrotis cū duas ipſe haberet triremes, & multos, equites eiuſdem ordinis. commiſſo prelio cum his multi vtrinq; cæduntur, plures vulnerantur. Romagas vulnus accepit in faciem è ſagitta. poſt diuturnum certamen alterum dicrotum captum eſt cū centū & triginta Turcis. alterū ad Eplam in terram inpingēs à Turcis relinquitur. cognitū eſt e cathenatis captis quinq, dicrota aduentare, atq, capta duo remulco attracta ſunt in tutū ad inſulā Melitam. in Inſula Cyrno ſæpe minutis prælijs pugnabatur, atq; Genuenſes commiſſa pugna ſatis atroci cum filio Sampetri multos è ſuis deſiderarunt. Turcæ quoniam dicerentur onerariæ quædā naues cū magna auri copia aduentare è nouis Indijs, quadraginta & quinq; triremes educunt Iulia Cæſarea, illaſq; præſtolantur. ſed vbi deciđiſſent de ſpe illarum capiendarū, quod illæ ſe defendiſſent egregiè ad anguſtias Calpes, litora quæque proxima Barcinoni diretionibus & incēdijs implent ac populantur. Ludouicus Gonzaga interea Mantuani Ducis frater miſſus à Rege Gallorum cum poteſtate proregia venerat in Italiam citra Alpes, vt oppida inſtaurāda recognoſceret, Salaſſum, Carmaniolam, & Sauilianum, quo munirentur ſumma diligentia, quæ res non nihil ſuſpicionis futuri belli attulit Italicis vrbibus, cū nouæ munitiones nunquam ferè fieri ſoleant ſine finitimorū ſuſpicione. per quod ferè tempus Caſalenſes, ea eſt vrbs Mantuani Ducis, queſti ſunt apud Cęſarē quòd ſibi antiqua iura & priuilegia infringerētur à Duce Mantuano & antiquarētur. Vbi nihil ab ipſo Cęſare impetraſſent, crediti ſunt occulte conſpiraſſe ad defectionem. Atque vt origo huiuſce ſeditionis pateat ignaris eius negotij, videtur altius initiū & cauſa controuerſię repetenda, quæ ciuitatem nobilem Caſale vniuerſam propè ad vltimum exitiū perduxit. Caſalenſes igitur antiquitus quibuſdam priuilegijs fruebantur, penes quos erat omnis vrbis ipſius Imperiū & gubernatio. quippe qui ſolū Imperatorem Romanū ſuæ reip. principem agnoſcebant. nam à Federico primo Romano Imperarore ampliſſimū priuilegium habuerunt anno ſexto poſt mille centū & octoginta, quod fuerat ab Henrico confirmatū anno tertio decimo poſt mille & trecētos. Sed cū aduerſus Henricū poſtea vnà cū Ticino, Vercellis, Alba, Valentio urbibus conſpiraſſent, omnibus priuilegiis vrbs illa ptiuata eſt, illiq; indictū exilium Imperatoriū, ſicuti ſcriptū eſt ab Alberico Iuriſc. ad legem Iuliā Maieſtatis. Caſalenſes Imperatoriū exiliū veriti confugiūt ad Theodorū Andronici Paleologi Cōſtantinopolitani Imperatoris filium rogant vt in fidem patrociniūq; eius accipiantur, quo pacto omne periculum deuitarunt. Huic ſucceſſit in principatū Montis ferrati & Caſalis Ioannes filius, poſt quē Gulielmus locū menibus cinxit & ampliauit, cū antea pagus potius, quam vrbs videri poſſet. Sic effectū eſt vt vrbs Caſale non modo ſalutē, ſed etiam ſecuritatē & omnia ornamenta Paleologis deberet. ciuitas idcirco fuit ſine controuerſia ſub Paleologis ad mortē vſq; Ioannis Georgij poſtremi marchionis ex illa familia Paleologorū. Poſt mariū mortē omniū horū nata eſt controuerſia inter Ducē Allobrogū & Salaſſiū marchionē ac Ducē Mantuanū ſiue eius vxore Paleologā de illo principatu, cauſaq; delata ad Carolū. V. imperatorē, quē tamen principatū quidā ad Imperiū deuolui arbitrabantur. Inter illas cōtrouerſias Caſalenſes clam docēt Cæſarē ſeſe ab illo principatu eſſe ſeiunctos, atq; habere ampliſſima priuilegia meri miſtiq; imperij & iuriſditionē regiā, quæ nemine contradicēte fuerūt à Cæſare confirmata. Poſtmodo cauſa inter prędictos principes agitata ſtatuit Cæſar principatū Montis ferrati & Caſale ad Federicū Gonzagā & eius vxorē Margheritā Paleologā iure pertinere. aditumque patere etiam fęminis Paleologis ad illam hæreditatem, quoniam illæ quoq, pro conſenſu vltimi marchionis ad principatum vocarentur. atqui cum Ferdinandus poſtmodo in Imperium Carolo fratri ſucceſſiſſet, Caſalenſes procurant eorundem priuilegiorū confirmationem. Ferd. Cæſar edoctus per eos qui Paleologorū partes tuebantur, noluit Caroli fratris furtiuam ſententiam comprobare, quoniam non videbatur iure ſe poſſe illis negotijs implicare, aut antiquare illa iura. quæ à ſuperioribus Cæſaribus Ducibus Mantuanis & Paleologis eſſent conceſſa, quibus omnia iura rationeſque Imperij ceſſiſſent, eoſque ſempiternos vicarios Imperatorum conſtituiſſent in vniuerſum illum principatum. Deinde cum Maximilianus patri in Imperium ſucceſſiſſet, Corradus Mola & Oliuerius Capellius Iuriſc. viri primarię autoritatis inter Caſalenſes, quòd vidiſſent quędam, iura Ducis Mantuani paulatim vſurpari, ciues auaro malignoque conſilio hortantur ad tentandam libertatem, cuius intelligunt omnibus à natura mirum inſitum eſſe deſiderium. Docent eam ciuitatem multa per antiqua iura ac priuilegia habere. Proponunt multas immunita-

Dux Naxi captus, & principatu priuatus.

Ludouicus Gōzaga Prorex in Italiā venit è Gallia.

Caſalenſibus & Mātuano duci intercedēs controuerſia.

Caſale à Paleologis muris cinctum.

Corradus Mola & oliuerius capellius principes ſeditionis.

tes. Pollicentur multa commoda in omnes ciues paruo labore poſſe redundare cum publicè, tum
priuatim. Deniq; per horum adhortationes fit Caſalenſium decretum, vt experirentur per publicos
ſumptus an priuilegiorum confirmationem poſſent à Cæſare impetrare. Deliguntur ad illud ne-
gotium principes & autores harum rerũ nouarum. Dux Mantuanus Paulum Æmyliũ Bardelonũ
ſiue Arrigonũ ad tantæ cauſæ defenſionem deligit, virum integritate, doctrina, eloquentia clarum,
qui mira prudentia & exquiſita legum ciuilium cognitione Mantuana iura tueretur. Vbi ad iudi-
cium ventum eſt, petunt Caſalenſes vt ſua ciuitas in antiqua poſſeſſione meri miſtique imperij con
ſeruetur, cum omnibus regijs iuribus ac vectigalibus, atque afferunt prædicta priuilegia vnà cum
Caroli Quinti confirmatione. Petunt propterea vt omnia Ducum Mantuanorum acta antiqua-
rentur & reſcinderentur, tanquam illegitimè innouata, atque vt ciues Caſalenſes priſtinæ liberta-
ti reſtituerentur. ſed hę petitiones facile reiectæ dilutęque ſunt per Bardeloni induſtriam, qui de-
monſtrauit antiquorum Imperatorum decreta minime reſcindi debere, per quæ Caſale Montifera-
to adiungebatur. atque vel ex ipſo limine omnis controuerſia exploſa eſt prolata re iudicata &
deciſa. Nam Carolus Quartus Imperator Ioannem Paleologum cum ſuis ſucceſſoribus inſtituit
marchionem Montisferrati & Caſalis anno quinquageſimo quinto poſt mille & trecentos, iuratuſ-
que eſt & acceptus princeps ab ipſis Caſalenſibus, & annuum tributum præterea illi decretum ſi-
gnum honorarij muneris. His, alijſque rationibus commotus Maximilianus ſtatuit nihil videri

Sentẽtia Cę-
ſaris pro Du
ce Mantua-
no.

innouandum, ſed Caſale Ducum eſſe Mantuanorum cum principatu Montisferrati. Illius contro-
uerſiæ vltionem veriti in ſe redundaturam Mola & Capellius fuga ſaluti ſuæ conſulentes ſtatuunt
armis clam experiri, quod palam per leges ciuiles obtinere non potuiſſent, cęperuntque clam per
literas ſollicitare amicos Caſalenſes ad defectionem, cũ interim Capellius Allobrogum Duci mili-
taret. Sed Gulielmus Dux Mantuanus oſtendens delata ſibi eſſe conſilia ad defectionem conſpi-
rantium vrbem illam diligenter diſquirit. carpit ciues, quòd habita ſint conuenticula, & colloquia

Caſalenſium
cõſpiratio in
Ducem.

de admittendo Capellio Caſalenſi profugo & exule, quodque multi cogniti ſint cum illo conſenti-
re. Quæ dum Mantuanus Dux nititur ſingulari prudentia Caſali componere, fit certior per literas
epiſcopi Alexandrini fore vt Capellius ad ſecundas vigilias ibi præſtò ſit cum multis exulibus Caſa-
lenſibus ac duobus millibus lectiſſimorum peditum, quod eſſet Caſale per proditionem capturus,
Mantuanoſque ad vnum trucidaturus, & Ducem ipſum cum vxore capturus. Dux lectis literis è ve-
ſtigio ſe in arcem recipit. tria bellica tormenta iubet diſplodi, quibus ſignum datum eſt vt delectus
agreſtium ad ſigna conueniret. Poſtridie vix illuxit, cum quindecim vexilla peditum Caſale ingre-
diuntur, quibus præſidijs vrbs confirmatur aduerſus omnes ciuium vrbanorum & exterorum inſi-
dias. ſed quia per literas ſignificatum fuerat Duci fore vt ſclopettus inter ſacra ex compoſito in ip-
ſum diſploderetur, Veſpaſianus Gonzaga exit armatus. Proponit capitis pęnam Caſalenſibus ſiquis
exijſſet domo per illum diem. Poſtea cum audita eſſent præſidia vrbis aucta eſſe, nemo cum co-
pijs palam accedere auſus eſt. Veſpaſianus relictus eſt in vrbe qui aduerſarios Ducis euelleret,
multique capti ſunt coniurationis participes & de ijs ſumptum ſuppliciũ. nã Flaminius Paleologus
qui paulo poſt mortuus eſt in oppido Goito, ſito in ripa Mincij fluminis, ob ſuſceptum ſcelus,
ſpurius erat, at non legitimus familiæ. Pontifex interea non leuibus curis & ipſe vexabatur, di-
ſtringebaturque ob controuerſiarum difficultates, quarum iudex erat & delectus & iure eſſe ap-
parebat, quippe cum Poloniæ & Luſitanię Reges inter ſe diſceptarent vtrius præcederet legatio;
quod ipſum faciebant Florentini & Ferrarienſes oratores. ſed Pontifex partim quòd non lubens
vellet decidere has controuerſias, partim quòd non ęquo animo ferret quędam abſurda in rebus
eccleſiaſticis naſcentia, non parua cum indignatione ad rerum ſacrarum remedia ſe conuertit. nam

Pontificatũ
ambiẽtes car
pũtur à Põt.

per quoſdam miniſtros factus eſt certior Pontificiam dignitatem iam tum per literas ambiri occul-
tis quibuſdam & extraordinariis rationibus à nonnullis. mirifice igitur inuectus eſt in ambientes
eam dignitatem, idque in frequenti purpuratorum patrum concilio tanta vehementia & acerbi-
tate orationis, cum intelligeret etiam per numeratam pecuniam iſtud fieri, vt quidam ſupplex ve-
niam petiuerit, atque promiſerit ſe non amplius in poſterum errores huiuſmodi commiſſurum.
Pontifex conceſſa venia pronuntiat ſe velle Quæſtorium munus, quod Camerlengatum vocant
reformare, ne tantum haberet autoritatis mortuo Pontifice per interregnum. Scotiæ regina, quę
prope eiecta per ſeditiones regnum recuperauerat, acceperat maritum vnum è Scotenſibus pro-

Scotiæ regi-
næ nuptiæ.

ceribus Henricum nomine, ſe declarauit Romanæ eccleſiæ obſeruantem, atque filiolum ſibi na-
tum Romano ritu baptiſmate inſignit, qui infans dictus eſt integrum enſis inſigne natiuum ha-
buiſſe in dextro latere. Pontifex compoſitis igitur Romæ rebus ad ambitum ſpectantibus, quo-
niam iam per decennium captiuus tenebatur Bartholomæus Miranda monachus Dominicanus
Toletanus Archiepiſcopus vir doctus per magiſtratum Quæſitionis, literas dedit ad Philip-
pum Regem vt Romam mitteretur, qui acceſſit cum multis cuſtodijs, nam ad centum millia
nummùm eius prouentus accedebat, cuius ſequeſter erat Philippus rex, donec res decideretur.

Barthola-
męus Miran
da Romam
miſſus.

Albanus in Italiam profectus, vt diximus, vbi conualuiſſet, curat vt copiæ ad Felicianum con-
uenirent, quod eſt oppidum inter Aſtam & Alexandriam, vbi cenſæ ſunt omnes prædictæ, quibus
acceſſerant quadringenti cataphracti equites partim regij, partim Ducis Sabaudiæ, addita ſunt
multa tormenta. Dictus eſt magiſter caſtrorum Cepinius Vitellius. præfectus negotio tormen-
tario Gabriel Serbellonus Mediolanenſis vir impiger, vt ego quidem vidi, cuius amicitia delecta
tus ſum plurimũ in bello Senenſi, & ad omnia munia militaria maxime promptus. inde ad oppidũ
Poierinum Allobrox accedit, vbi acceptis ſeptem millibus peditum ab eo Duce, & Pacciottum
munitionum Architectũ, quia erigendæ quædam eſſent in Belgio iter faciens per Lotaringiam in
Belgium

Belgium breui peruenit. Sed quoniam in Italia multo maiora tyronum reliquerat, quàm eſſent veterana, quæ adduxerat, non nihil ſuſpicionis omnibus Italis principibus iniecit; quæ facile & probabiliter excitatur vbi vel inuſitata ponuntur præſidia, vel augentur vſitata. eius autem exercitus tantus rumor, tantusque terror, cum dicerentur eſſe & plures copiæ Belgas inuaſit, vt ſine vlla controuerſia Hiſpana præſidia eſſet impoſiturus vbicunq; vellet. munitiones deſignaturus, oppidula erecturus, in vincula coniecturus, caſtigaturus, bona adempturus. Sed quoniam cum iter facerent illæ copiæ præcedente equitatu non procul à Geneua vrbe pertranſibant, viſæ ſunt accedere ad eius vrbis expugnationem. Geneuenſes idcirco armati conſiſtunt intra mœnia, omnibusque rebus ad defenſionem neceſſarijs iam egregiè erant inſtructi. accedebat ad eorum ſecuritatem & conſeruationem non leuis ſpes auxiliorum. quòd reliqui omnes Heluetii iam ſumptis vbiq; armis palam profitebantur ſe velle Geneuam defendere, neque vllo pacto eius vrbis expugnationem eſſe paſſuros.

Heluetij arma pro Geneua capiũt.

Interea Albericus Lodronius, quia verebatur ne copiæ nouæ religionis ob repentinum aduentum Hiſpanorum inſurgerent, vnà cum multis tribunis Auguſtæ Vindeliciæ copias collegerat circiter tria millia peditum ſcilicet, & quingentos equites, quo Hiſpanos protegeret, proceditque obuiam Nemetocernam ſiue Namurium vſque, ne traiiciendis fluminibus prius ab hoſtibus opprimerentur, quàm in Belgium peruenirent. Sic Albanus profectus in Belgium paulatim copias in præſidia vrbium diſtribuit, Gandauum, Siridios ac Leuacos ſiue Louanium, Atuacutum, vbi Lodronium præficit, atque ibi magna celeritate erigit oppidulum. curat poſtmodo Albanus vt de rebus omnibus, & quo in ſtatu eſſent res Belgicę certior fieret, quare Bruxellas accedens de omnibus inſtruitur a Margherita. Multa fiunt ac diuturna inter ſe colloquia. docetur Albanus Hiſpanos maximè inuiſos eſſe Belgis. cauendum ne quæ ſeditiones ac tumultus concitentur, cum vix per ſummas difficultates ſint ſedati, cum ſæpius illos oppreſſerit, & curauerit vt Aurantius poſitis armis Philippicas partes amplecteretur. Iſtud facilius fieri poſſe, vt cognitum eſt experientia, ſi prudentia & dexteritate, quàm ſi ſeueritate vteretur. Sed ſtatim atque Bruxellus perueniſſet Albanus curauit imprimendũ diploma, in quo explicabatur quanta cum autoritate in eas regiones miſſus fuiſſet. nam illi concedebatur in omnes munitiones ingreſſus & facultas eligendorum & abdicandorum magiſtratuum, ac ſummum imperium omnis rei bellicæ. In primis verò claues Bruxellarum extorquet è manibus antiquorum cuſtodum, quas dedit Hiſpanis ſui Tertii. Senatus eius ciuitatis exiſtimauit illud grauiſſimum accidiſſe, quia ſic videbatur Albanus ſuſpectam vniuerſam habere ciuitatem, atque illi diffidere. cæterum Aurantius iam ab initio audito Albani aduentu cum ingentibus copiis eius voluntatem minime tentandam ratus cum multis ſuis ex iis finibus in Germaniam profugit. Albanus diſtributis præſidiis aduerſus tumultus, ne qui fierent, mox aſpirat ad principes eius prouinciæ, tanquam perduellionis reos, & nouæ religionis ſtudioſos capiendos.

Diploma autoritatis Albani impreſſum.

Aurantius qui cum Ludouico fratre in Germaniam profugerat, conuenit principes Germanos. deplorat patriæ ſuæ calamitatem. conqueritur quod contra conditiones pacis & priuilegia Belgarum omnes munitiones plenæ ſint Hiſpanis crudeliſſimis hoſtibus omnium nationum, Deplorat nobiliſſimæ prouinciæ miſerias, quòd contra pactiones antiquas oppidula & munitiones pluribus in locis erigantur. Queritur quòd Belgæ quæſitionis Hiſpanæ acerbitatem deuitantes in multo maiores, grauioresque calamitates incidiſſent, quia nouam religionem, & omnibus Germanis communem complexi fuiſſent, ac patriæ libertatem vellent defendere. Non agi tantùm de ſalute & libertate Belgarum in præſenti, ſed de libertate & religione denique totius Germaniæ, Se, cæteroſque multos nulla alia de cauſa eiectos eſſe è ſuis laribus, niſi quod ſe protectores, & defenſores nouæ religionis profiterentur. Non eſſe expectandum vt cogerentur de patria pugnare, de vxoribus, de principatu, de religione cum Hiſpanis hominibus, quod iam iam fieri oportebat ſubiugatis & oppreſſis finitimis Belgis, ac trucidatis principibus cunctis Belgarum ac defenſoribus; ſed in recenti adhuc difficultate exiſtentem hoſtẽ Hiſpanum eſſe inuadendum & opprimendum, antequam radicibus altius actis cum tanta acceſſione finitimarum virium Germaniam quoque ipſam hoſtiliter inuadat. non eſſe putandum illud bellum eſſe proprium cuiuſquam nationis, cuius cauſa in ampliſſimas prouincias cõferri poſſit, quippe quod ſimulatione hæreſeos bellum hoc tempore & captiuitas aduerſus Belgas excogitetur, at re ipſa dominetur cupiditas abſolutè imperãdi antiquis principibus per ſummam iniuriam è prouincia eiectis aut cæſis; quę ambæ cauſæ certè communes ſunt defenſionis ipſi quoq; Germaniæ poſt ſuperatos Belgas. iure nihil eſſe formidaturam, cum auaritiæ & libidini dominãdi certi fines potuerint conſtitui, extra quos Hiſpana cupiditas non cupiat peruagari. Se pro vicinitatis, amicitięque iure orare, pro communitate legum & religionis, pro ſtudio ęquitatis, quod tenentur boni principes viris bonis & innocentibus & principibus in primis per iniuriam è principatu eiectis pręſtare, pro gloria Germanici nominis, quę ſemper fuit maxima miſeris & iniquè oppreſsis ſubleuandis, ne Belgas in tot calamitates deiectos, tot principes ſuis omnibus bonis auarè & crudeliter ſpoliatos, in tã miſerabili fortuna conſtitutos negligerent: cum pręſertim Belgica calamitas totius Germanię ruinam breui ſecum ſit attractura. Reuocat in memoriam Caroli Quinti indomitum ingenium, qui vniuerſam propè Germaniam ſubiugauit, neque tamen tanta imperii amplitudine contentus, multa etiam aduerſus Gallorum regem bella geſsit. eo denique principum Germanorum animos vel nouę religionis ſtudioſos, vel ſibi ob vicinitatem Belgii non nihil timentes, vel Auſtriacam felicitatem ęgrè ferentes perduxit, vt fœdere percuſſo omne genus auxiliorum liberaliſſimè promiſerint. inter hos fuerunt pręcipuæ autoritatis & opulentię Auguſtus nobiliſsimus Dux Saxonum Comes Palatinus, Caſmirus, Dux Dupontius, quibus adiutoribus Aurantius duodecim millia peditum & tria equitum colligit. Neque ſolum his copiis, ſed etiam Belgarum armis adiutus Aurantius

Germani promittunt auxilia Aurantio

Aurantij oratio.

tius putabat fore vt Albanum è Belgio eiiceret: cum futurum arbitraretur vt continuo atq; Germanica inſignia ſeſe infeſta Hiſpanis oſtentaſſent, vniuerſi Belgarum populi tumultuarentur, atq; arma capeſſerent communi conſilio ad Hiſpanos vbique trucidandos, & commeatum certatim in caſtra comportarent.

Arma tumultuaria populorum leuia.

Sed inſulſum eſt in omni re bellica tumultuariis armis confidere leuium populorum, qui plerunque victricia arma ſequuntur, & quem fortuna belli adiudicarit, illum regem, illum principem, illum dominum accipiunt æquiſſimis animis, & cum multa aſſentatione. Nam vniuerſum fundamentum regnorum eſt poſſidere munitiones, aut habere præpotentes exercitus, non autem extolli popularibus fluctibus, qui modo huc, modo illuc agitantur & deferuntur, quò fortunæ flatus aſpirauerit.

Edicta Albani.

At Albanus interea iubet publicè per pręconem edictum fieri, vt conciones nouæ religionis ne haberentur. Vt antiquæ religionis ritus ſeruarētur. Vt omnes ad templa & ad ſacra munia accederent. Vt arma eriperentur Belgis, quæ iubet ad pręfectos vrbium & oppidorum comportari. hęc, aliaq; complura cum fieri iuberet Albanus, Margherita ſummo ingenio, ſummaq́, prudentia mulier, quamuis ad tranquillitatem ſpectare videbantur, tamen quia apparebant nimis acerba tam repentina, non ſatis probare putabatur, cum paulatim populorum mores vix immutari poſſint ſine magno periculo, nedum repente, atque vno temporis momento. nam vt in humanis corporibus dolores fiunt ac febres vbi ſanies conficitur poſt vulnera vel vlcera ſponte exorta, at ſanie matura iam hæc fiunt mitiora; ſic leges nouæ ciuitatibus impoſitæ contra priorem conſuetudinem moleſtiſſimæ contingunt, & in magnum diſcrimen ciuitatum ſalutem reuocant; at vbi acceptæ fuerint, facilè poſtmodo feruntur.

Legum inſtituendarnm ratio.

Hæc autem ſpectabant ad præfectam adhuc Margheritam, quæ tam cito vſurpabantur ab Albano. Non enim parum erat moleſtum quòd ipſa rebus ferè compoſitis vniuerſas eas nationes placauiſſet, ſi nunc denuo ſererentur tumultuum cauſæ, atq; mas ſucceſſiſſet in eam adminiſtrationem, quæ diu ſolis mulieribus patuit, ac ſemper ſingulari prudentia ſit adminiſtrata.

Belgium diu à fęminis adminiſtratū.

Nam Carolus Quintus, vbi primùm ad illum Belgii principatus hæreditas peruenit, præfecit cum ſummo imperio Margheritam Auſtriacam amitam, quæ fuerat vxor Ioannis Hiſpaniæ principis, quæ vidua multos annos præfuit illi prouinciæ. illi defunctę vita ſuffecta eſt Maria ſoror regina Pannonum, vxor Ludouici Pannoniæ Regis, quæ præfuit annos viginti & quatuor. cum Carolus Philippo Regi filio illum principatum renuntiaſſet, præfectus eſt Emanuel Dux Allobrogum tunc eiectus è ſuo principatu. at recuperato principatu per cōditiones pacis inter duos Reges, cum ille reditum in patriā imperrauiſſet, præfecta fuit Margherita ſoror Philippi Regis vxor Octauii Farneſii Parmæ Placentięque ducis. Huius prouinciæ præfecti in omnibu illis principatibus, Regis ipſius autoritatem obtinent, habentque concilia de ſtatibus, vel de priuatis vel publicis rebus cū regiis conſiliariis omnium nationum, cum quibus de omnibus propoſitis negotiis cōſultant & decernunt. habent tamē propria iura & priuilegia Belgę, quę omnino Reges iure non poſſunt infringere, quæ ſi antiquare conētur, liberi fiunt ipſo iure ab omni regia poteſtate. Margherita cum ſuam autoritatem vſurpari ab Albano intelligeret, mittit ad regem qui poſtularet, vt, poſt diuturnam adminiſtrationem eius prouinciæ, liceret ad ſuum principatum in Italiam redire, cum magno ſuorum deſiderio teneretur.

Margherita exit è Belgio.

Iſtud facile ſibi concedi poſſe cum Albanus iam eſſet in Belgio, qui rebus omnibus pro arbitrio moderaretur. id conceditur à Rege libenter. addita ſunt munera triginta millia nummum, & prouentus annuus perpetuus quatuordecim millium. ſcriptæ ſunt etiam literæ humanitatis plenæ. addita & gratiarum actio quòd tanta diligentia omnia gubernaſſet. Vt vero pateat quibus rationibus commotus Agamontius tantum ſceleris in animo conceperit, vt iure capitis condemnaretur, & quibus artibus captus ſit, & quæ ſemina fuerint diſcordiarum, quę vel in ipſum propè Philippum regem redundarunt, videtur ſeries altius repetenda.

Agamōtij rerum ſeries.

Fuit Agamontii opera & virtute protecta Belgarum regio, vt dictum eſt, ab ingenti trepidarione, quam Thermeus regulus iniecerat, cum illam cum multis armatorū millibus inuaſiſſet. Inde Caruagialis cauſa non nihil ſimulatis natum eſt inter Albanum & Agamontium, quod tamen Albanus in opportunum tempus diſſimulauit. vbi verò è Belgis in Hiſpaniam Philippus nauigaſſet propter ſurgentes ibi tumultus, omnes Hiſpanas copias, quibus maximè fidebat, ſecum abduxit; quia iam putabat fore vt principum earum regionum Belgarum, & Agamontii opera præſertim, omnia pacata tranquillaq; tenerentur. nam varii principes variis regionibus ſunt præfecti. Horneus Comes pręfectus eſt rebus maritimis, Aurantius Atuacuto, Agamontius Samarobrigę, Gandauo, Grauelino, atq; alii aliis, quibus promiſſa ſunt fidei & diligentię pręmia in opportunum tempus. Mox rebus Hiſpanis compoſitis, & euulſis ſeminibus ſeditionum per illorum cędem, qui autores extiterant, animum habuit quietum Philippus, ſtatuitque pręmia & honores quibuſdam concedere, quorum opera ſuperioribus temporibus vſus fuerat. traiecit igitur in Hiſpaniam etiam Agamontius, cum ſe pro laboribus & induſtria erga res regias aliquid commodi aſſecuturum ſperaret, pro filiis, quos multos habebat. Sed cum Tolerani ab illo clam diſſentirent, neq; potuiſſet quod ſperabat conſequi a Philippo Rege, vt arbitrabatur, per illorum conſilia & autoritatem apud regem, Agamontius indignatus Toletanis, ſeſe in amicitiam Caroli principis inſerit, à quo perbenignè accipitur plus ęquo & ipſo in Toletanā familiam inuidorum falſis etiam pleriſque maledictis, vt arbitror, inuitato. nam ſperare dicebatur fore vt eius & quorundam principum opera vteretur, ad inſigne quoddam negotium, quod excogitarat. incenderant, excitarant, inflammauerantq; maledicta multa principem aduerſus Toletanos, & accuſationes illorum, quibus virtus & potentia Toletana erat inuidioſa ac moleſta. nam inuehebantur maleuoli in Toletanos, quod Petrus Neapolis prorex homo fuiſſet crudeliſſimus, qui nō ſemel illud regnum per deſperationem ad defectionem propè compulerit. qui Salernitanum principem graui odio perſecutus ſit virum bonum, qui princeps ni ſi ſumma fide fuiſſet in Cęſarem, pote

rat

rat Neapolitanum regnum occupare,cum iam Rex ab omnibus ſalutaretur,omneſq; arma ad eius
defenſionem ſuſcepiſſent,& ad Hiſpanos ex illo regno eiiciendos. Nam hunc nimis amari ſcripſe-
rat Petrus ad Cæſarem,quibus literis aſſenſiſſe dictus eſt Albanus,qui poſt multas Toletanorum in
ſidias coactus eſt ſolum vertere.accuſabatur Garzias Petri filius prorex Siciliæ, quòd non regnum
quidem Neapolitanum,ſed & Siciliam,& totam Italiam cunctando in magnum periculum conie
ciſſet,tandiu prorogatis auxiliis Melitæ vel per multas illuſtrium virorum preces ſollicitatus. Auge
bant accuſationes atq; grauiores faciebant addentes Federici Toletani mores non probabiles & ſo-
litudinem,quem dicebant non delectari conſuetudine Chriſtianorum,ſed vel Hebręorum tantum,
& Maranorum,qui vt quidam cenſuerunt, dicti ſunt non quidem a corruptis moribus,ſed à porco
quem priſca lingua Beticorum Maraniccum appellabāt,illud autem ita accidit quod parum diſſen-
tirent ab Hebręis,quòd abſtinerent à carnibus ſuillis.alii à genere quodam nauigii,quod eſſet vtrin
que capax temonis,atque vtraq; pars modo prora,modo puppis eſſe poſſet.quod fiebat in villa Frā
ca,illud oppidum eſſe dicebatur Toletanæ familiæ in finibus Luſitanię,à quo etiam profugientes è
Luſitanis ob hæreſim excipi dicebantur.nam & Albanus,quamuis eſſet vir elato ingenio,& multa
cognitione rerum clarus, tamen quoſdam proceres habebat inf enſos propter regiam gratiam, qua
plurimum pollebat.Semper enim inuidia gratioſos,vt vmbra corpus,ſequitur. Hæ,aliæque accuſa-
tiones,falſæ fortaſſe,ad principem Carolum quotidie de Toletana familia deferebantur eorum,qui
Toletanæ potētiæ inuidebant, quare is palam dictitabat Toletanorum potentiam non eſſe feren-
dam. Literas etiam dicitur ſcripſiſſe ad Regem patrem cum eſſet in Belgio, nam vel per illud tem-
pus cœperat aduerſus Toletanos ſollicitari.fit certior de animo ſollicitantium Albanus.monet Re
gem principem maledictis quorundam ita incitatum in Toletanam familiam fuiſſe, nihil vt magis
videretur curare,quam illam funditus euertere.Rex literas minarum plenas exarat;futurum vt pœ
niteat ſi auſus ſit ſubditos paternos infeſtare, quare iuuenis iratus multa etiam in regem effutiuit.
Regem nimirum ad eorum beneuolētiam cæcutire, cum magis oporteret multorum ſubditorum
ſalutem & quietem anteferre.literas paternas aduerſariis Toletanorum oſtētat,ita vt Rex his cogni
tis principem, Toletania inſania captum eſſe dixerit. Sed quoniam vires aduerſantium Toletanis
non ſatis ſufficere videbantur ad eam familiam opprimendam,quæ propter virtutem potētia & au
toritate plurimum poſſet inter Hiſpanos,initum eſt conſilium clam à coniuratis. cœptum eſt igi-
tur plenum ſceleris & audaciæ facinus in animo ab his excogitari. dicitur iniunctum eſſe munus il-
lud Agamontio,qui non multa difficultate in ſentētiam eſſet adductus, vt ageret de nuptiis cum Re
gina Britanniæ,atque illa daretur Carolo principi;quòd quamuis nihil horum princeps ſciebat, ta-
men vel ſe facile perſuaſuros putabant.vel hoc nomine plurimum autoritatis ſuæ factioni ſperabāt
acceſſurū,ſi tantus princeps diceretur fauere.Vt colloquium haberetur cum amirante de Rege Gal
lorum per inſidias trucidando,atque inſtituendis concionibus nouæ religionis. Vt eædem concio-
nes haberentur in Belgio,populique excitarentur ad arma capienda. Vt trucidato Gallo Rege arma
Gallica terreſtri itinere, Britannicaque claſſis eodem tempore Hiſpaniam inuaderet, vt cuncta per
auxilia conſpirantium ibi caperentur. Vt Germanæ copiæ eodem tempore adorirentur Belgium,
quibus poſtea viribus in vnum coniunctis arma in Italiam importarentur ad pontificiam dignitatē
abolendam, quo vnum omnium principem horum crearent imperatorem. hæc palam dicebantur
in Britannia,quæ falſo excitata eſſe puto, ſed Britanni tamen tantæ lætitiæ expectationiſque mini-
me capaces,vt dignitatem coniurationi & negotio adiungerent,ſe principem habituros ſupremum
Imperatorem palam dictitabant.at quidam res tantas minime ſilentio inuoluendas rati,neq; feren-
dum vt humanæ diuinæque leges funditus euerterētur cum maximis vniuerſarum Chriſtianarum
prouinciarum ruinis atq; incendiis,ſalubri ſanctoque conſilio hæc omnia ad Philippum Regem de
ferunt. Philippus his cognitis iubet Agamontium & alios quoſdam proceres capi,qui poſtmodo
ab Albano,vt dicetur, capti ſunt,& in cuſtodias traditi. Cupiebat autem Agamontius res componi
quoquo modo in Belgio antequam Galli eſſent inſtructi, ne Albano neceſſe eſſet in eam regionē
conuenire: quod ipſum optabat Margherita ignara tantorum ſcelerum quæ clam ſtruebantur ne
excedere è Belgio cogeretur aduentante Albano.nam idcirco multis rationibus ſeditioſos placaue-
rat Agamontius clam, cum diceret expectanda eſſe arma fęderatorum, ac diuertendum Albani ad-
uentum.ſic omnia fuerunt breui placata. ipſe Agamontius inermis cum familia vniuerſam regio-
nem peruagatus multos miniſtros nouæ religionis ſuſpendio necari iuſſit ad oſtentandam diligen-
tiam.Sic Belgicæ res fuerant compoſitæ, vt Margherita literas ad Regem dederit ſignificantes non
opus eſſe nouis auxiliis; & ad Albanum vt in Italia moraretur, donec Rex literas recentiores miſiſ-
ſet.Reſcripſit Philippus cui nota erant ſemina tantarum coniurationum, qui ſciebat res non frigi-
dis remediis indigere, ſe velle Albanum accedere. at non cum tanto apparatu,quanto decreuerat.
Agamontius his cognitis cum ſua conſilia fierent irrita,quòd duo Reges eſſent amici,quòd Leuco-
rum regio a Comite Megenſi gubernaretur Galliæ finitima,cuius opibus Albanus vti poſſet, quod
amiras nihil poſſet efficere cum adhuc eſset inermis,quod ipſum accidebat cæteris Galliæ fœdera-
tis,neque Britanni poſsent opem ferre,cum populi etiam Belgæ ægerrimè tuliſsent ſuſpendia tam
recentia ſuorum miniſtrorum,qui coacti fuerant aduentu Albani arma deponere, cum etiam ca-
tholici ob eius aduentum animos reſumpſiſsent,dubio fit animo quid ſibi eſset agendum in tantis
rerum difficultatibus. ſolam igitur ſpem ſalutis in inſcitia & diſſimulatione coniunctionis conſi-
liorum ſuorum reponit. nam ſi bellicam rationem ſpectauiſset,oportebat tam atrocem hoſtem
ſtatim collectis copiis à finibus Belgarum arcere,aut ſi illud non potuiſset ex vniuerſo Belgio, ſaltē
id faciendum erat ex ijs finibus,quibus ipſe præerat,cum illa pars Belgii Galliam & Britanniam re

ſpiciat,

ſpiciat, è quibus regionibus cōmodè poſſet accipere auxilia, atq; eſſet munitiſſima aduerſus Iuoū.
Habebat enim oppida munitiſſima totius Belgij, Samarobrigæ oppidulum ſcilicet, & Gandaui, quę
loca ſibi reſeruauerat beneuola, vnde concionatores non eiecerat. volebat enim in fide amicitiaque
illos populos retinere, vbi omne genus bellicorum apparatuum inſtituerat, & comportandum cu-
rauerat. his accedebat quòd Aurantius Atuacuti gubernator paulo ante aduentum facilè conſilia
aduerſus Albanum erat initurus, quod ipſum feciſſet Horneus ſummus rerum claſſicarum in iis ſi
nibus imperator, & præterea Brederodenſis, cuius autoritas erat non aſpernabilis. huiuſce rei vel il
lud eſt clariſſimum argumentum, quod vbi primùm Albanus Teonuillam acceſſit veritus Belgarū
arma, ibi conſedit, quia ſimularet milites labore itineris defeſſos quietem requirere. at ipſe ſpecta-
bat quæ eſſent conſilia Belgarum, ne repente intra fines inuaderetur. Prēmiſit Lodronium Atuacu
tum cum ſuo regimento, quo poſt multas difficultates & controuerſias admiſſo lætus ait Albanus,
nunc verè Belgium eſt Regis. Prēcedenti cum copiis fit obuius Agamontius, quo viſo à prima acie,
in qua erat Albanus, inquit non obſcura vel humili voce Albanus, ſed quam facile Agamontius au-
dire poſſet, en magnus adeſt hæreticus. ea voce Agamontius valde turbatur, ſed propinqui ſimula-
tis vtrinque blanditiis mutuo ſe complectuntur & oſculantur. tanta vis eſt æmulationis inter ſectā

Stratagema ad capiendū Agamontiū.

tes aulas regias. Nam cœperat Albanus iam tum vbi primum conſedit ad Teonuillam cogitare de
ratione, capiendi Agamontij & aliotum procerum ac ducum. imperatur Vincentii Locadelli con
ſilio viris erigendarum munitionum peritis vt formulam oppiduli in charta delineent, quo pacto
peritiſſimè excitari poſſit. cum Locadellus vicario munere fungeretur pro Serbellono magiſtro ne
gotii tormentarii, vir vt diximus erigendis munitionibus peritiſſimus, iuſſus fuit & ipſe formulam
exprimere. vbi ventum eſt ad Auguſtam Romanduorum. reuocatur mandatum formularum, iuſſi-
que ſunt ſeruare qui feciſſent, donec peterentur. Albanus paucos dies Bruxellis commoratus iubet
omnes qui formulas feciſſent promptas habere, quæ ſæpius allatæ ſunt tanquam ſermo de illis in
comitiis eſſet habendus. Hoc autem fiebat conſulto. nam Margherita conſilium ſalubre propone-
bat de erigendis munitionibus in locis opportunis ad populos quietos & in fide retinendos, at Al
banus conſultores omnes rerum bellicarum tanquam legitimos cōſiliarios accerſebat. Sunt enim
alii belli gerendi, alii ferendarum legum, ciuiliumque controuerſiarum conſiliarii apud Reges, alii
gubernandorum ſtatuum, cum præclarum ſit in vno, nedum in his omnibus excellere, neque quiſ-
quam det bonum conſilium, niſi de rebus bene cognitis. Albanus curat per Cepinium Vitellium
& Serbellonum vt ageretur cum Megenſi præfecto Leucorum de his munitionibus, atque cum res
eſſet decernenda ſtatuunt tantis de renus, in quibus tanti ſumptus & labores eſſent faciendi, conuo-
cāda eſſe comitia peritorum rerum bellicarum, de quibus præſente Albano tractari oporteret: cum
etiam Megenſis addidiſſet illud eſſe conſuetudinis illarum regionum. Continuo monetur Megen-
ſis vt indicat comitia conſiliariis, vt negotinm quàm citiſsimè tranſigeretur. cœpit igitur ſollicitare
Ducem Ariſcotenſem & Agamontium atque Horneum, qui ſic, in paratas clandeſtinas inſidias in-
ducuntur. iubentur formulæ prædictæ munitionum afferri, quas habentes iuſsi ſunt clam armari &
ratio inſidiarū edocti, cum quibus aſseclæ adeſsent tamen armati ignari negotii cum breuibus ſclo
pettis. accedunt hi inſtructi ad palatium maturè, vbi erat Albanus, atque vbi indicta habenda erant
comitia. iuſsus eſt Vincentius Locadellus Cremonenſis cum tribus armatis eſse in priore thalamo
ad ea quæ iuberetur promptus, cui imperatum eſt nequem vltra citraue penetrare pateretur, vbi
emiſsi fuiſsent qui iuberentur excedere. Vbi acceſsit Agamontius, qui primus fuit è conſiliariis,
Albanus aliquantulum eum colloquiis detinet, dum accedat Horneus. Quos vbi ambos adeſse co-
gnouit, inde digreditur ſe cito inquiens eſse rediturum. māſerunt cum Agamontio Vitellius & Ser
bellonus, qui paulo poſt è thalamo exeuntes ſignificant in priore thalamo exiſtentibus abeundū eſ
ſe illis, qui non haberent formulam. reliquis ita diſcedere iuſsis relictus eſt in thalamo Locadellus
cum tribus ſuis armatis ac totidem Vitellii. Seruus ſpurii filii Albani euocat Cepinium & Amon-
tium, cui exeunti tres Itali tantum prēſtò fuerunt, at nemo è ſuis aſseclis. plenus ſuſpicionis in aliū

Agamōtius capt⁹ & Horneus & alij multi.

thalamum penetrat; cui Hiſpani ſe offerunt arma regio nomine petentes, atque captiuum dicunt
eſse Hiſpani Regis. ſubdidit Agamontius iſtud accidiſse multos iam annos, atque arma ſupra tho-
rum iecit. deinde adductus eſt ad locum ad illam captiuitatem conſulto paratum. vētum eſt ad Hor
neum qui erat adhuc cum Serbellono. petuntur arma Regis nomine, qui torte reſpexit Serbellonū
vt conſcium proditionis eius, quare veriti Hiſpani nequid atrocius contingeret propius accedentes
arma capiunt, & in alium locum captiuum adducunt. eodem tempore in omnibus vrbibus & caſtel
lis Belgarum vbicunque externa impoſita fuerunt prēſidia multa hominum millia capiuntur. tan
tus autem terror iniectus eſt Belgis omnibus, vt circiter triginta millia mortalium è Belgio diffuge
rint. eorum bonis fiſco addictis templa euerſa vbique refecta ſunt inter Belgas, atque cœnobia in-

Arx erecta Atuacuti.

ſtaurata. at extruendarum munitiouum conſilium ſerio trāsfertur Atuacutum, vbi arx erigitur. do-
mus deſignantur intra ipſum ambitum, furni extruuntur. cellæ lignariæ, ftumentariæ, carbonariæ,
ædificantur. Legumina omnis generis & caſeus plurimus comportatur, fiuntque omnes bellici ap
paratus. præſidia Germanorum præfecto Serbellono in arce incępta imponūtur. ad huius arcis ædi
ficationem petuntur in comitiis quadringenta nummum millia. Mediolani vero multa committe
bantur homicidia, cum nimis excreuiſset quorundam ſicariorum audacia & inſolentia. Idcirco

Mediolani ſicarii capti.

promulgatur edictum Regis nomine, vt qui ſicarius eſse probaretur vel per duos teſtes iure poſset
tradi in tormenta, cogereturque per quæſtiones fateri homicidia quæ commiſiſset, atque pro iudi-
cis arbitrio condemnaretur. ſi quis aleret ſicarios, vt iiſdem ſuppliciis addiceretur. ſi quis habeat ini
micitias iuſsus eſt contentus eſse vno comite intra vrbem ſub pœna condemnationis ad tranſtra.

Illud

Senatus Mediol. quærelæ.

Illud edictum cum factum eſſet inconſulto ſenatu, Mediolanenſis ſenatus grauiter conqueſtus eſt, innocentes homines nullo ſcelere prolato, nedum non probato, nulla conceſſa facultate defenſionis in tormenta tradi, aut ad remigium condemnari, cum in bene inſtitutis ciuitatibus leges conueniat, at non arbitria hominum & opiniones dominari. rationem veram & rectam eſſe vnam. deliria propè eſſe infinita, vbi quis à recto ſemel declinauerit. nam pro legum ſanctionibus & autoritate ſupplicia debent decerni cuique leges non obſeruanti. Enimuero ſicariis corruptoribus optimorum morum, homicidis, turbantibus ciuitatum quietem, dilapidatoribus facultatum plurimorum ciuium, ſi quempiam pulſarunt, occiderunt, occidenti opem tulerũt, videri leuiſſimum ſupplicium condẽnatio, ne ad remigium, cum nihil tantopere deterreat ſceleratos à flagitiis, quàm metus mortis. qui contra ad tranſtra cathenati tamen ſpe ſemper nutriuntur aliquando fore vt euadant è vinculis. at ſi nihil ab iis commiſſum ſit, maxima ſit iniuria, ſi viri innocentiſſimi nullo flagitio neque excogitato quidem, nedum non commiſſo, ita præter æquitatem ſuppliciis addicantur. his tam probabilibus, tamque æquis ſenatus lamentationibus effectum eſt vt res moderationem acceperit, atque ad æquitatem ſit relata. Sed quoniam poſt Albani aduentum in Belgas viſæ ſunt res nouæ religionis plurimum detrimenti accepturę, cœpta eſt Gallia non nihil denuò turbari, vel quod vtrique ſuperiore pacem plurimum firmamenti habituram putarent. vel quod dictæ ſint regię literæ fuiſſe interceptæ, per quas ſignificabatur regem eam ſectam non poſſe ferre, atque catholici vbique aſpirare apparebant ad illorum cędem hominum, qui ſolo Regis metu coercebantur, cuius voluntatem non planè habebant compertam. Nondum enim conſueuerant in Gallia vulnera, quæ in animis principum reſidebant, quamuis res apparerent eſſe compoſitæ, quæ cœperunt denuò turbari iiſdẽ autoribus. nam non modo cœptum eſt in omne genus hominum ac rerum ſacrarum ſæuire, cum res ſacræ vel euerſæ ſuccenſæque ſint, vel in vſum equorum conuerſæ, idque non ſolùm in Turonibus, ſed & Lugduni & Aureliæ Auguſtæ, & apud Pictauos. fuerunt enim euerſa, ſoloque ęquata plura ſexcentis cœnobiis breui tempore, & multa ſuccenſa. inſolentia, imprudentia, impietas qua vſi ſunt in ſanctiſſimam euchariſtiam, vix vllis verbis eſt explicabilis. nõ modo aurea precioſaq; ſupellectilia ſacrorum direpta, ſed vel totæ vrbes ferro igniq; deuaſtatæ & euerſæ. Multa millia nummum ſeditioſe à populis extorta. Vrbes, caſtellaque mœnibus nudata, aut impoſitis diuturnis pręſidiis vexata. ciues eiecti, aut in conſpectu vxorum filiorumque miſerabiliter iugulati. agri hoſtiliter deuaſtati. coloni per ludibrium necati. ad quinq; millia ſacerdotum vel etiã multo plures variis modis miſerabiliter trucidata. Regnũ florentiſſimum, & propter eximiam potentiam omnibus exteris nationibus maximè formidabile per própria arma ſuorum ſeditioſorum ciuium propè funditus euerſum vt paucis concludam. at non tamen ſimplex malum Galliam per id tempus inuaſerat, cum fames etiam non parum, & annonę penuria regnum illud plurimum vexaret, & peſtis multis in locis craſſaretur, cum Lugduni extincta ſint triginta hominum millia & amplius, multæque vrbes & pagi colonis propè exinaniti. Per has Gallici regni calamitates, viſum eſt eſſe opportunum tempus principibus quibuſdam nouæ religionis vt noua conſilia agitatent, regemque incautum, ac nihil tale ſuſpicantem inuaderent, Lutetiamque repente occuparent. Putabant enim illa vrbe, quæ ſemper ſuis conatibus reſtitiſſet ſubiugata ſe facilè, ac nullo propè negotio vniuerſo regno potituros.

Coniuratio Vgonottorum.

Iuſſæ ſunt igitur copiæ clam ad diem & locum facinoris conuenire, cum multos haberent etiam in vrbe clam coniuratos, quibus præclarum eſſe perſuaſerunt vt participes eſſent tam immanis facti. Si quem timidum aut repugnantem tantis rebus reperirent, illi perſuadebant vt arreptis rebus precioſioribus ex vrbe diffugeret, niſi mallet cum vniuerſa familia intra biduum trucidari. Deinde ad ſtatutum diem vbi copiarum pars non contemnenda itineribus nocturnis conueniſſet, repente apparuerunt inſidiæ. Parum abfuit quin coniurati ante rem patefactam omnia occuparent. Sed cum Rex eſſet Meldis, is eſt decimo lapide à Pariſiis locus, conſilium aulicorum Regem conſeruauit, qui hortati fuerant ne Albano armato tranſeunti in Belgium regnum prorſus inerme committeret, quare ſecum habebat adhuc Rex accitorum Heluetiorum ſex millia. hæ cohortes diuino conſilio ad protegendum Regem fortè ad eam partem Galliæ erant deſtinatæ, quare nihil ab iis ſuſceptorum conſiliorum proficitur. Rex cognitis inſidiis, inſtructis ad pugnam præſentibus copiis per mediam noctem nihil tale opinantibus coniuratis Lutetiam properat. coniurati diuiſis adhuc viribus non auſi ſunt cum Heluetiis pugnam committere, quare præda è manibus elabitur. Regi fiunt obuia Pariſiis ad quintum lapidem decem millia armatorum, ſic auctis regiis viribus iam parui fieri cępit conſilium impiorum.

Diui Dionyſii expugnatio.

At coniuratorum exercitus vbi in vnum iam conueniſſet, fanum Diui Dyonyſii inuadunt, ſperantes ſe veteres regum theſauros capturos, ſed ſpes fallax mentem decepit, quod illi Lutetiam iam ante fuerunt tranſlati. At Pariſiorum decuriones diſpoſitis in mœnibus machinis æneis in inuaſuros, excitiſque ad cuſtodiam vrbis ciuibus cuiuſuis generis diligenter proſpectabant quo tenderet ſumma belli. coniurati machinas molendinorum in via Dionyſiaca, quæ commoda erant ad vſum ampliſſimæ vrbis, ſuccendunt, atque tanta fuit vis luminis & flammarum

Coniuratio immanis pariſiis.

nocturnarum, vt vrbs ardere videretur, quæ res non leuem trepidationem iniecit ciuibus, quod eſſet auditum coniuratos qui eſſent in vrbe, qui cum exteris conſpirarunt, decreuiſſe vrbem ipſam ac proprias domos ſuccendere. nam & inuenti ſunt in pluribus locis ſacculi pleni pulueris tormentarii in illum vſum parati in domibus priuatorum, qui deprehenſi vel trucidati ſunt vel capti. Propoſitum eſt regium edictum vt omnes vtriuſque ſexus cruce inſignirentur ſub pœna capitis ad eliciendam quorundam pertinaciam. Iuſſi ſunt omnes ad euitandum nocturnum incendium vaſa aqua plena ante domos habere. arma geſtare. lampades pro domibus accendere, vt diſcurrentium cõcurſus videri poſset. omnes iuſſi ſunt inſomnes pernoctare. licuit vel verbum effutientem ad gratiam

con-

coniuratorum impune interficere,quod multis contigit.Nec multo poſt ad arma conclamatur to
ta vrbe.cathenæ ferreæ tranſuersè in vijs extenduntur. omnia armatis replētur.feneſtræ domorum
lapidibus muniuntur,quod hoſtes iam in vrbe eſſe dicerentur.terga vertentes trucidantur.coniura-
ti decernunt vrbem ad deditionem fame compellere, quod videbatur non eſſe difficile ob multitu-
dinem habitantium.obſeſſæ itaque ſunt vbique viæ.i nterclusus commeatus. pons Carrentinus, ad

*Molendina vaſtata Pariſijs vicina.*

cuius vicum Matrona cum Sequana iungitur, ab hoſtibus intercluſus. Ibi molendina ab hoſtibus
occupata:quibus rebus magna & inuſitata exorta eſt in vrbe caritas annonæ. Nec multo poſt conue
nientibus vndique commeatibus expeditæ turmæ equitum grauioris & leuioris armaturæ & pedi-
tatus veteranorum militum prodijt ex vrbe, qui regius exercitus conſtabat primum ex decem milli
bus peditum & quatuor equitum, cum quatuordecim bellicis tormentis. coniurati illa re cognita
prodeunt è fano Dionyſij cum tribus millibus peditum & quatuor equitum ſine vllis tormentis
muralibus. Duces fuerunt Ludouicus Condæus & Colignij fratres. nam Vgonotti nullo pacto
videbantur pugnā detrectaturi cum ſuos ad prælium incitarent, qui proponebant agi in hoc bello
de communi omnium libertate, de religione, de eijciendis tyrannis è Gallia, qui Regem ad multa
grauia in ſubditos impuliſſent. Procedebant in acie inſtructi regij cum inter Heluetios tormenta
traherentur.cum Vgonotti etiam eſſent inſtructi. vbi propinquatum eſt totis caſtris regia tormen-
ta diſploſa ſunt in hoſtes. vbi catholici in genua pro victoria Deum precantes procidiſsent, neque
Vgonotti procederent acies aliquantulum conſtiterunt. at diſploſis denuo tormentis procedunt.
Cognitis multis laniatis vi tormentorum, cum neque ſic mouerentur, collem occupant hoſti vici-
num, ſclopettarioſq; multos in proximis vineis locant. initum eſt leue prælium ſane atrox, atque
cum hoſtes propinquaſsent, magna damna ex eo colle cœperunt, in quo Briſacius conſtiterat.gere-
batur ea pugna primo ab vrbe lapide prope.moti ſunt mille equites Vgonotti, qui in peditatum Pa
riſienſem magnam impreſſionem fecerunt ſiniſtri cornu, cui præerat Briſacius cum viginti cohorti
bus peditum & multis equitibus. cæſo duce peditatus reliqui in fugam vertūtur. ſed equites alacres
in regium equitatum grauiorem tanta vi impetum faciūt vt propè diſruperint.at Coneſtablius, qui
præerat phalangi iubet illos in aciem reuerti cum multis nobilibus equitibus opem ferens.acceſſit
& Stroza cum centum lectiſſimis ſclopettarijs, quos è dextro cornu, cui præerat, eduxit.at equites
Vgonotti cum denuo irruiſsent, phalangem Coneſtablij in latus inuadunt, vbi erant fortes equites.
repelluntur itaque & in ſua caſtra vſque fugantur. cum igitur pugnaretur vbiq;, profligantur Vgo-
notti, quibus nullum datum eſt tempus inſtaurandi prælij. ceciderunt ad mille & ſeptingenti Vgo-
notti, è catholicis ad quinquaginta. accepit tria vulnera lethalia Coneſtablius. vulneratus fuit & Cę
ſar Brancaccius, & Galeazzius Fregoſus. cecidit & Anna Memorātius vir alijs certaminibus illuſtris,
qui in primipilis confoſsus eſt multis vulneribus. ſeruati ſunt multi Vgonotti noctis ſuperueniētis
beneficio. Qui ſuperfuerunt ad fanum Dionyſij reuerſi tota nocte maximo in metu verſati ſunt. at
vbi poſtridie illuxit, præmiſſis impedimētis, relictiſq; ægrotantibus veriti ne ab exercitu Regio obſi

*Cōdæus coronatus.*

derentur, fuga ſe ſeruarunt. Dicti ſunt in eo loco Ludouicū Borbonum Condæum regem corona
uiſse, monetamq; aureā impreſſiſse, in qua erat inſcriptio; Ludouicus XIII. Dei gratia Francorum
Rex, primus Chriſtianus. & qm̄ raro ſimplex infortuniū ſolet accidere, adducti ſunt paulopoſt capti
ui quatuor parui filij Cōdęi, quo fere tēpore Ponſenas tribunus Vgonottus, qui tria millia peditū &
quingētos equites in caſtra Condęana adducebat in Sequanis à Monluchii copiis fuit profligatus.
Vbi Gallorū Rex Carolus ita à ſuis ſubditis oppugnari cępiſset, nuntiusq; tātę temeritatis perueniſ
ſet ad Albanū, parata ſunt, quę mitterentur auxilia. Rex ex altera parte ne ſuccreſcētibus viribus ho-
ſtiū opprimeretur, mittit Gulielmū Saxonem ad multum equitatū & peditatum colligendū, cuius
vicarius delectus eſt Brocardus Bardius cū pręfectura triū millium peditū. Data eſt pręfectura mille
& quingentorū equitū his ſingulis ducibus Philippo Lantgrauio Incrioni, Ringrauio, Adamo, Vai
ſio, Philippo Inutriēſi mille, Philiberto marchioni Aliſi octingentorū. Enimuero cum Sequanorū
& Biducenſiū & Neuſtriorum regiones, ac tota ferè Normania, Vermanduorūq; loca libera propè
eſsent ab Vgonottis moleſtijs, qm̄ poſtea Condæus ſubdole dum copiæ ſubſidio cōuenirent ter in
colloquiū fruſtra de rebus cōponendis cū Regina matre veniſset, nihilq; eſset concluſum, Vmalius
collectis non negligēdis copiis Rothomagū metropolim Aulercorū obſidione arctiſſimè premere
cępit. Nā vbi primum cęptū eſt ſuſpicari res ſpectare ad bellū, pertractatū eſt de ſedādis animis prin
cipū nouæ religionis, quod cū obtineri per honeſtas cōditiones non potuiſset, Coneſtablius & Ghi
ſius cū non aſpernandis viribus, Aureliam vrbem, in quā ſe receperat Condæus obſidere decernūt.
Condæus cognito conſilio hoſtium ne includeretur in vrbe, vbi non poſset poſtmodo accipere ita
cōmodè auxilia rurſus exit in apertum. vrbs certè poſtea capta eſt. At qm̄ multa armatorum millia
iam conuenerant in vtraq; caſtra, reſq; erat in magno periculo ne propter vicinitatē cruento & atro
ci prælio ab iis exercitibus pugnaretur, Regina denuo procurat omni induſtria ne veniretur ad ar-
ma. Monluchius ex altera parte nullum tempus rei bene agendæ prætermittit, cū tria millia Sequa

*Toloſa capta.*

norum & ſexcentos equites haberet in caſtris. obuia queq; Vgonottorū ferro ac igni populatur. To
loſam Coloniam vi armorum capit. Vgonottos inuentos vbiq; trucidat omnia finitima cędibus &
trepidatione replet. res cum Regina conuenire nullo pacto poterat, quoniam Ludouicus Borbo-
nius Condæus collegit breui multum equitatum ac peditatum factionis nouæ religionis, quæ co-
piæ conſtabant è multis tribunis & tumultuariis hominibus, Belgis ſcilicet, Germanis & Britannis.
Erant Belgarum inferiorum regionum ad viginti millia, qui profitebantur nomine quidem ſe reli
gionem euangelicam tueri, ac velle multis malis miniſtris Galliam expurgare, aulamq; tyrannicis
magiſtratibus, & populos liberare ſuperuacaneis tributis impoſitis per auaritiam adhortationesq;

exterorum:ſed re ipſa imperium in cæteros homines ab his principibus expetebatur. Hoc ſanè religionis cauſa contigiſſe prius creditum eſt,ſed tamē poſtea deprehenſum regnandi cupiditate arma fuiſſe mota in Gallia,cum Ludouicus tertius decimus Rex,Condęus vocaretur ac iuratus eſſet, qui profeſſus fuit ſe nunquam ab armis diſceſſurum,niſi ſibi tutela pupilli Regis vt propinquiori affinitate pro vi legum concederetur, Ghiſiiq; Duces rationem redderent multorum millium nummū, quos è regiis prouentibus in proprios vſus detorſiſſent.atq; vt voti compos facilius fieri poſſet,dicit ſuſceptum ab hoc fuiſſe ſuperius conſilium,& Regis ipſius,&Allobrogum Ducis trucidandi vnà cū quibuſdam coniunctis,vt poſtea cognitū fuit.iſtud aūt acrius procurabatur,quia Pontifex per literas ſollicitabat regē vt ad quietem ſtabilitatemq; ſui regni populos compelleret ad catholicam fidē amplexandam,cum ēt Rex Condæo alioquin proprio conſilio eſſet infenſus,ꝙ oppida,& agros variarū vrbium,vt diximus,ferro & igni cæperat populari. Nam eius vires cum valde,& ſupra quam timebatur,breui excreuiſſent,captis Viana,& Macone vrbibus non contemnendis,plurimiſq; oppidis in ditionem compulſis in finibus Normaniæ, aut paulo obſtinatioribus vi deuaſtatis,mox Lutetię Pariſiorum infeſta ſigna oſtentat. Erant in Condæanis caſtris multi proceres,ſed in primis nō paruę autoritatis inter Gallicas nationes Andelottus,& Gaſpar Amiras frater, & Memorantius reguli, & Odus Sciatilionēſis apoſtata, qui caſtra ſequebantur Condæana. Rex quamuis repente turbatus eſt his rebus nouis,tamen magna diligentia res defenſioni neceſſarias parat. Et quoniam inter illuſtres artes ſemper apud omnes ferè nationes, maximoq; in honore habita eſt diſciplinæ militaris cognitio,ac rerum bellicarum,tum apud Gallos in primis ſemper fuit habita honorifica, quam oēs alacriter profitentur:nemoq; eſt propè e nobilioribus,qui non ſit tractandis armis accommodatus,ad qđ impellit etiam ratio hæreditatis,quæ maxima debetur ſolis primogenitis. Rex itaq; iubet ad ſigna cōuocari ordinarios milites.imperatum eſt regiis cataphractis vt præſtò adeſſent.conuocatus eſt Ludouicus Gonzaga ex Italia Dux Auguſtonometanus. populus Pariſienſis ad defenſionem Regis & patriæ & catholicæ religionis, & proprię ſalutis fuit inuitatus. capta ſunt arma à ſacerdotibus, & ab omni frequentia illorum, qui Lutetiam diſciplinarum ſtudio confluxerant, quoniam de omnium ſalute vno tempore agebatur.conuocati ſunt Heluetii, omnes catholici inuitati ad defenſionem regiam,donec Pontifex,Dux Allobrogum, Albanus Dux,& Itali principes ſe accingerent ad auxilia ex Italia ſubminiſtranda. Dum equitatus,& peditatus igitur variis in locis inſtruitur ad Regis ſubſidia, res Gallica non ſegniter neque frigidè agitur. Rex vbi primum hoſtium conatum ad Lutetiam retudiſſet,quoniam non armis ſolum,ſed etiam conſilio, & prudentia opus eſt in caſtris, omneq; ſtudium adhibendum eſt infringendis aut ſaltem debilitandis commodis hoſtiū, à quibus vel promiſſis & priuilegiis uel precio auocandæ ſunt copiæ, propoſita fuit venia & obliuio prętéritorum delictorum omnibus Vgonotticæ factionis hominibus,ſi tantum poſitis armis illam à Rege poſtulaſſet. quod niſi fieret intra triduum,proponebatur regia indignatio,& pœna perduellionis. Miſſus eſt ēt regius nuntius,qui hæc eadem regis nomine principibus Vgonotticæ factionis ſignificaret,à quibus reportauit reſponſum elatum,& indignationis plenum, ſeſe arma ſumpſiſſe ad defenſionem regni & Gallicæ libertatis,quod ab exteris miniſtris contra leges patrias plurimum infeſtaretur. Deinde cum dies dicta illis fuiſſet per præconem,neq; ad ſtatutū tempus apparuiſſent,Condæi & Amirātis, & Andelotti & omnium coniuratorum bona fiſco ſunt addicta,domuſq; euerſę & ſolo æquatæ,tā quā condemnatorū lęſæ regiæ maieſtatis. illa condemnatione non modo non ſunt territi illi principes,ſed potius ēt magis irritati,magiſq; infeſti facti regioni,in quā oī genere cædiū, rapinarum,incendiorum,populationum craſſantur. nec multo poſt Abeuillam vrbem populoſam & amplam vi armorū expugnant.Defenſores oī prorſus abiecta memoria humanitatis miſerabiliter trucidāt. Arcem eodē impetu ſingulari alacritate inuadunt.vbi diu pugnarū fuiſſet virtute,fortitudine,pertinacia defenſorum non paucis è ſuis amiſſis à fruſtra ſuſcepta oppugnatione recedere cogūtur. interea auxilia,quæ variis è regionibus accita fuerūt à rege nonnulla iter ceperunt, quare aucta ſunt eius caſtra,dum ita populationibus certatur, quindecim vexillis Gallici equitatus, cū alius etiam peditatus & equitatus paulatim propinquaret.equites.n.ad quatuor millia excreuerant,qui paulatim accedebant in caſtra.ſed enim quia nō vno in loco tantū Gallię pugnabatur,cū bellū acerrimū pluribus in locis vno tpe exarſiſſet, non ſolū vexabatur Lutetia, verū ēt Metæ vrbs nobilis Mediomatricū ſiue Metz, poſt diuturnā verberationē per vim armorū venit in poteſtatē Vgonottorū cū inſigni clade catholicorū.verū tñ cum magna vi poſtea fuiſſent arcē aggreſſi,nulla vi belli potiri potuerunt, quia præſidia ſingulari virtute illam tuebantur. Rex audita illorum pręſidiorū fortitudine qui vel aduerſus tantam vim hoſtium arcem tamen ſtrenuè tuebantur,putauit non ſolum præſidia eſſe adiuuanda nouis auxiliis, ſed ēt non magno negotio urbem arcis beneficio poſſe recuperari. Mittit itaq; ducem Lotaringię cum ſexaginta cohortibus peditum cum ducibus Briſacio, & Vincentio Strozza ad Metas recuperandas,cum quibus peditibus miſſa ſunt etiam viginti vexilla leuiorū, & ſex cataphractorum equitum. Pontifex auditis his tantis,tamque repentinis bellorum Gallicorum motibus de religione,cum Mediomatrices,Sennones, Aulerci,Lutetiæ fines uno tempore uexarentur, putauit regiæ ſaluti in magno periculo poſitæ eſſe ſuccurrendum,magnifico igitur liberalique animo viginti & quinque millia nummum in ſingulos menſes Regi aſſignat in bellicos ſumptus, imperatque ne res omnino componeretur, quod eſſet potius regiæ dignitatis radices bellorum vel cum aliquo detrimento funditus euellere, quam pati vt aduerſus ſacros & auitos ritus religionis, regiamque dignitatem toties tam atrox tamque funeſtum bellum intra ipſum regnum à ſubditis renouaretur. illa ſententia viſa eſt ipſi etiam Regi non parum vtilis fore, & honorifica. Enimuero principes coniuratorum vbi ad Lutetiam conſediſſent,dum variis in locis pugnaretur, illud ceperunt conſilii, vt

Vgonottorū ſigmētū.

Militia apud Gallos honorifica.

Metę captæ.

Rex ad propriam defenſionem conuerſus, nõ poſſet ad defenſionem cæterorum locorum aſpirare,
quæ ipſi occupare conabantur, idcirco vt arctius vrbem obſiderent, vtraſq; ripas Araris fluminis oc
cupauerant. eſt enim Arar fluuius Celtarum, qui ortus in Sequanorum montibus per fines Heduo-
rum, & Sequanorum, ſiue vt nunc vocant Autun, & Bourgognos præterlabens incredibili lenitate
fluit in Rhodanum non procul à Vianna, ita vt in quam partem fluat non facile poſſit iudicari, cũ
Araris deſcriptio. ambo poſtea in mare Mediterraneum decurrant communi alueo. Et quoniam maxime omnium
rerum bellicarum refert non ſolùm vt commeatus intercipiatur, ſed etiam vt vires cognoſcantur
hoſtium, vbi Condæus ſenſit vires regias potentiores eſſe quam vt ſperaret ſe Pariſiis poſſe potiri, cõ
uulſis ſignis ad locum Monomar vocatum ſe receperat. at Arx Viannæ, vbi per virtutem præſidio-
rum fortiter Condæanis viribus reſtitiſſet, à quibus aſſiduè vexabatur, cum nullum propè tempus
neque per diem neque per noctem quieti concederetur, per magnum, & cruentum prælium vtrin-
que auxilia admiſit, illa re effectum eſt ut omnis propè ſpes arcis potiundę Condeanis exciderit. Lu
douicus Gonzaga, qui à Rege accitus fuerat in Galliam ex Italia collectis Italorum principum au-
xiliis magnis itineribus contendit in Galliam, qui cum haberet ſub vexillis circiter decem millia pe
ditum, & mille equites multa caſtella occupata ab Vgonottis ex itinere recuperat, Condæanas par
tes ſecuti proceres audita Gonzagæ profectione clam iubent in vnum locum conuenire multa mil-
lia armatorum ad ſtatutum diem, cum per inſidias omnes Gõzagcanas copias circumuenire, & pro
fligare conarentur, illo conſilio per exploratores ad Carolum Biragũ, & per Caroli nuntium ad Gõ
zagam delato, factum eſt vt nullo negotio Gonzaga per alias vias in tutum ſe receperit. Quæ dum
ad acerrimum, maximeq; cruentum inteſtinum bellum in Gallia ſpectare apparent, viſum eſt qui-
buſdam proceribus conſilium fore humanitatis plenum, & omnibus Gallis ſalubre, ſi res ante quã
vlterius procederetur, aliqua tolerabili ratione poſſent componi. ſollicitati ſunt igitur Vgonottorũ
principum animi per communes amicos vt euerſioni atq; incendiis communis patrię, totq; miſero
rum populorum excidio, pacem tanquam rem Deo gratiſſimam anteponerẽt, complecterenturq;,
quã nemo vir bonus tot populorũ calamitatibus vel per propria incõmoda non anteferret. Condæa
ni proceres hac ipſa de cã inducunt comitia, ad quę vbi frequentes conueniſſent, re diutius diſputata
decernitur per quaſdã conditiones, quæ Regi parũ eſſent honorificæ aut ſpem pacis eſſe excludẽdã,
cum ita non ipſi autores belli, ſed Rex fore videretur; aut ſi per illas conditiones pax certe inuenire-
tur, quæ fuiſſent propoſitæ, fore vt ſatis amplũ præmium ſuſcepti belli aſſequerentur. 1 Petitũ eſt
Cõditiones pacis Regi oblatæ. igitur Rex vt prius arma deponat. 2 Vt Heluetios dimittat. 3 Vt exteri oẽs aliquem honoris gra
dum aſſecuti exeant è regno, atq; in primis regina, & Itali, & Ghiſii. 4 Vt omnia tributa, omniaq;
vectigalia citra octennium impoſita obliterentur. 5 Vt oẽs viuant pro arbitrio quamcunq; ratio-
nem religionis complexi fuerint ſeruantes. 6 Vt oẽs donationes ab octennio factæ a Rege redeant
ad fiſcum, quibus æs alienum Regium diſſoluatur. 7 Vt donec illa perficiantur, dentur obſides fra-
ter, & duæ ſorores Regis. 8 Vt quatuor vrbes principibus Vgonottis concedantur, Lugdunum, Cę
ſoniacum nauale, Aures, Metæ. Rex auditis tam fędis pacis conditionibus, quas non initio bellorũ
integro Regi offerri conueniret, ſed profligato, & iam prope euerſo, tanta inflammatus eſt indigna-
tione, tamq; regiam iram in animo concepit, vt ſtatim in apertum eſſet exiturus, niſi procerũ conſi-
liariorum ſapienter diſſuadentium adhortationes illũ retardaſſent. Nam profectò indignũ Regi vide
batur vt ſubditi conarentur auderentq; leges illas ſuo Regi tunc imponere, quas captiuo, & victo nõ
debuiſſent ſine aliquo pudore recitare. conſiliariis tamen non apparebat quidquã per iram in rebus
bellicis eſse faciendũ, & in illis præſertim, in quibus totius regni ſalus, & conſeruatio populorũ con
tinetur. Non patitur itaq; regium concilium vt Rex per iram nõdũ ſatisfirmis viribus exeat in aper-
tum, antequam loca quædã opportunis pręſidiis maturè fuiſsent cõmunita, occurreretur q; immi-
nentibus periculis, & ſubſidia aduentaſsent, quæ ex Italia, Belgio, cæteriſq; locis expectabãtur, vt his
omnibus in vnũ coniunctis ſatis validæ copię fierent ac tutæ ad regiã defenſionẽ. At enim vbi nũtia-
tũ eſset in caſtra Condæana omnium illorum bona, qui Condæum ſequerentur, fiſco fuiſse addicta,
qui ad ſtatutum diem non affuiſsent, ædeſq; procerum funditus fuiſse euerſas, vix dici poteſt quanta
ira Condæus ſit inflammatus, qui nullo interpoſito tempore iubet edictum in caſtris promulgari
ſub pœna capitis, & omnium bonorum fiſco addicendorum, ſuccendendarumque domorũ, vt homi
nes factionis Vgõnotticæ intra certum tempus ad ſigna conueniant, quo poſset impedire regia ſub-
ſidia variis e locis ne in vnum conuenirent. Pontifex quotidie factus certior de ſemper maioribus
bellorum Gallicorum motibus, copias & in ſtipendia pecuniam mittit ad Cardinalem Armonicen-
ſem præfectum Auennii ad conſeruationem locorum ſubditorum pontificiæ ditioni, quoniam vn-
dique exaudiebatur quòd coniurati in finibus Volcorum, ſecundum Rhenum, & in Allobrogibus
multa loca ferro, igni, cædibus, rapinis, populationibus vaſtarent, vbi ſacerdotes acerbiſſime torque-
bantur vt ſacra aurea vel argentea vaſa templorum per tormenta extorquerentur. tanta vero excre
uerat paulatim per multas tenues locorum victorias Vgonottorum inſolentia, impudentia, temeri-
tas, ne dicam feritatem, vt vel ex ipſo auditu videretur intolerabilis. Nemo eſt enim qui nimis
elatos æquo animo ferre poſſit, cum omnis victoria imprudentes quaſi ebrios, & deſipientes fa-
ciat, & ad omnem animi moderationem cæcos. Neceſse fuit igitur Regiis copiis vel ſine ipſo Re-
ge mature ad refrænandam horum crudelitatem exire, vbi propinquatum eſt caſtris hoſtis com-
miſſum eſt minutum prælium, ſanè cruentum, & acre, in quo multi principes ceciderunt v-
triuſque factionis. ſed enim preſens bellum apparebat aliquo pacto tolerabile, ſi pręſentibus tan-
tum viribus gereretur. ſed cognoſcebantur multæ copiæ vtrinque ad Galliæ excidium confluere.
Rex idcirco veritus ne inſignia Germanorum auxilia principibus nouæ religionis ſubmitterentur,
quoniam

quoniam Andelottus tria millia equitum præter alios duces colligere pro Vgonottis dicebatur,
Cæſarem rogat per literas, legationemque hac ipſa de cauſa mittit, ne pateretur principes Germa-
nos auxilia ſubmittere Condęo, cum multi Germani iam ſeſe ad ferendas Gallis ſuppetias accinge-
rent, & in primis primogenitus Comitis Palatini, qui ſex millia peditum habebat inſtructa. Cæſar
ſe libentiſſime iſtud facturum eſſe reſpondet, & Regis ipſius gratia, & ob rei ipſius æquitatem, cum
diceret non videri vllo pacto conueniens, vt ſubditi arma aduerſus ſuos principes ſuſciperent. ne-
que apparere æquum vt exteri principes protegerent populos in ſuos Reges inſurgentes, cum ea-
dem fortuna eſſe poſſit communis omnibus principibus. ſe dolere inquit infortuniis eius regni,
quod diu pacatum ac felix omnibus iure videri poterat. at Albanus Dux Regis monitu ne bellum
illud poſt Gallum Regem profligatum in maximum excidium Belgii redundaret, mittit ſubſidio
Gallo Regi, Herneſtũ Branſuiccenſem cum duobus millibus equitum, & ſeptem Reggimentis Ger
manorum. Henricus frater pręterea ipſius Herneſti, & Chriſtophorus mille & quingentos equi-
tes ducunt. accedunt & tres cohortes Hiſpanæ, & ſeptem equitum ſclopettariorum Hiſpanorum,
triaque vexilla galeatorum equitum Italorum. acceſſit in caſtra Regia regulus Aremburgenſis ex-
petitus per repetitas legationes cum mille & quingentis equitibus. acceſſerunt, & mille equites Se-
quani. hæ omnes copiæ iuſſæ ſunt ad Ghiſium Ducem conuenire, qui habebat iam alias non con-
temnendas copias. Regina vbi primum cœpit res Gallica tot in locis eſſe turbulenta, audiuiſſetq;
tot auxilia à coniuratis acciri miſerat, & ipſa Annibalem Rucelaium ad Pontificem Regis nomine
ad imploranda auxilia aduerſus hoſtes catholicæ religionis. Pontifex ꝙ ægre ferret illos tumultus
Gallicos de religione præſertim, petit à Romanis centum millia nummum ad belli ſubſidia, qui — Pōtificis auxilia Regi miſſa
prompto alacrique animo promiſerunt. imponit etiam charitatiuum, ſic enim tributum appellat,
centum nummum millium ſubditis reliquis. ſeptē viros inſignes pro accepta pecunia in vſum belli
tam neceſſarii purpureo galero inſigniuit. centum millia nummum exigit è ſacerdotibus. ſex millia
peditũ & ducentos equites propriis ſtipēdiis ſubſidio Regi decreuerat, qui accederent cum Gonza-
ga, Romani vt exigerentur, quæ promiſſa fuerunt pontifici, ſingulis vaſis vinariis vini Romani tri-
butum imponunt aureum nummum. illud vbi cognouiſſet Pontifex in ſolos pauperes redundare,
nam vinum Romanum ſoli pauperes ferè bibunt, non paſſus eſt, vt parum laudabile, cum diceret
principem oportere pauperum curam præcipuè ſuſcipere, vt debilioris partis vrbis, maximeque au-
xilio communis patris indigentis. Florentiæ Dux item propriis ſumptibus decem millia peditum
in Regnum vſque tranſmittit, & centum millia nummum præterea. Rex acceptis his auxiliis mittit — Florentię auxilia miſſa Gallo Regi.
tribunos, qui centum & quinquaginta cohortes peditum colligerent, inter quas eſsent quadraginta
Heluetiorum. mittit, & Danuillam, & Strozzam, & alios proceres, qui equites cataphractos ad ſigna
conuocarent. miſsus eſt, & Card. Lotharingiæ ad colligenda quatuor ferrarolorum. cæterum Con
dęus vbi reliquias exercitus ad Lutetiam propè profligati collegiſset, multique aſſiduè veniſsent in
caſtra, miſſis impedimentis, & vxore, & ſexcentis vulneratis Genabum ipſe cum exercitu iam ſatis
valido ad Monterennum ſe recepit, ibique caſtra munit. Beio deinde oppido potitus ad vrbem San-
ciam ſigna conuellit, vbi propter vbertatem regionis decreuerat eſſe in hybernis. ſed cũ vrbs firmis
præſidiis, egregiaque virtute defenſorum munita eſse apparuiſset, non eſt viſum copias in eius vrbis
oppugnatione eſse afflictandas ſed quoniam vires Vgonottorum apparerent retuſæ, cęptum eſt agi
mitiore quadam ratione ab Vgonottis de pace. Rex quia cenſeret hæc ſemina prorſus euelli oporte
re ex illo regno, ſummum Imperium rerum bellicarum defert Henrico Andienſi fratri, qui cũ eſset
tenerę, & nondum tanto negotio ſuſtinendo aptę ętatis, tamen ob ingenium, & promptitudinem,
& magnitudinem animi non apparebat ab illo abhorrere. exiit igitur non multo poſt ad cenſendas
copias, atq; inuēta ſunt quindecim millia peditum, & ſeptem equitum cum quatuordecim bellicis
tormentis. cenſę ſunt eodem tempore, & copię Vgonotticæ, quę fuerunt decem peditum, quatuor
equitum millia, cum quibus Condęus Ciampagnam vocatā verſus iter cœpit, quia per literas à Ger
manis principibus auxilia expetiuerat, vt diximus, atq; eius conſilium fuit Macone morari, quę vrbs
ab Vgonottis fuerat occupata, vt ibi Germanos expectaret. renouatum eſt colloquiũ per amicos de
pace, cum rex multorum precibus commotus vitam, & facultates Condęo eſset conceſſurus, at non
etiam dignitatem, cui liberum reditum in patriam permittebat, modo ne nouam religionem cũ ſuis
amplecteretur. factę ſunt inducię per aliquot dies, quo tēpore Ghiſii ſponte recedunt, ſemper. n. ex-
petebatur vt illi excederēt ex aula Regia, ne per ſuā pręſentiā pacis occaſio amitteretur. ſed in itinere
multi Vgonotticę factionis diſcedentibus Ghiſiis fiũt obuii, qui cōmiſso atroci prelio multis vtrin
que cęſis ambo propè victores receſserũt. at cũ pacis cōditiones non fuiſsent admiſsę, preteriit indu
ciarũ tēpus, quo auctę ſunt Regiæ copiæ mille equitibus, & quatuor millibus lectiſſimorũ Sequano
rũ. interea acceſserant Aureliā quædā auxilia, quæ Condæo accedebant è Germania, quorũ iter cum
moleſtũ eſset p̄fecto vrbis, rogantur militarent ne Regi, an contra Regē. iſtud aũt fiebat qm̄ demore
expectatorũ bellorũ oīs commeatus fuerat vndiq; cōportatus in vrbē, ne veniret in poteſtatem ho-
ſtiũ, & nequid victui neceſsariũ ab hoſte in agro inueniretur, quo diutius ibi poſset conſiſtere. Reſpō — Ghiſij recedunt ſponte ex aulicis.
ſum eſt præſentes copias Regi ab oppreſsoribus liberando militare. Germanos profiteri, niſi ſibi fiat
annonæ copia pro precio tanquam amicis, ſe hoſtiliter tranſituros per maximam regionis ruinam,
omniaque ferro, & igni populaturos. Erant enim tria reggimenta peditum, & ſex millia equi-
tum. ſed quoniam aucta erant caſtra regia poſtmodo multis cohortibus peditum aduentu Arem-
burgenſis, multisq; Bruxellenſibus propriis ſumptibus militantibus duce regulo Bellonacorũ, Cō
dæus paulatim ad oppidũ Menreũ ſe recipit, excreuerant. n. caſtra regia inter has cōtiones ad viginti
millia peditũ, & quatuordecim equitũ. At. n. Andiēſis cũ nollet concedi tp̄s Cōdęanis colligendarũ

virium,in eos ſigna infeſta promouet. Condæus quòd non appareret cum illis copiis dimicandum, prælium deuitat, cum verò Condæus Ciampagnam verſus Monterio properaret pontes ſuccindi imperat,vt hoſtis tardior fieret inſequendo. Audienſis contra vt iter impediret, cōſiliumq; Cōdeanum infringeret, cum propter pondus tormentorum inſequi non poſſet, deligit quatuor millia peditum Sequanorum, & Vaſconum, quos præmittit cum quatuor ducibus ad hoſtem retardandam. Condęus omnia reliqua impedimenta his accedentibus præmittit cum peditatu, quem ipſe in proſtrema acie cum equitatu ſequitur iuſſis prioribus iter accelerare. relicti ſunt à tergo trecenti equites leuiores,qui leui pugna regios impetus retardarent,nā putabat omnes copias regias adeſſe. Martiga tribunus ratus ibi adeſſe omnes Condęanas copias poſt atrox minutum præliū inter Barleducum, & Vitras ſubſtitit. Andienſem facit certiorem,qui iubet ſuas copias iter accelerare. ſed noctis aduentu Condęanę copiæ in tutum ſe receperunt,cum poſtridie,vbi illuxiſſet,ad triginta millia paſſuum confeciſſe cognitæ ſint. necatus eſt ſuſpendio dum hæc fiunt Dupreus regulus Lutetiæ, quoniam pontem Sciatilionem parum conſtanter defendiſſe iudicatus eſt,vbi copiæ Condæanæ acceſſiſſent. Procurabatur diligenter ab Albano etiam ne auxilia quæ Cōdæo accedere dicebantur cōuenirent,quoniam iter cęperat Gulielmus Comitis Palatini filius cum ſeptem millibus equitū, & ſex peditum. erant illius equitatus duces Volphangus Barrius, Chriſtophorus Molſpurchius, Dionyſius Scochemburgenſis,atq; hi viritim mille equites, & quingentos ductabant. Adana Baius, Ioānes Brandelus, Namburgenſis ſexcentos. Valectamus, Meideſefilebertus, Gledebenus ſingulatim ducentos,quę copiæ cū Mocontiaco Aureliam verſus iter facerent in regione epiſcopi viuunt ad arbitrium. retardabantur nonnihil conſilia Regis oblata ſpe concordię,quam profitebantur Condæani ſe eſſe complexuros,ſi tolerabilis proponeretur. miſsę ſunt etiam hac ipſa de cauſa legationes ad regem, à quo ſunt hę conditiones demum exrortę; Primùm ꝙ tametſi multæ rationes poterant regem merito reuocare ne Condæo, Condęaniſque parceret, tamen pro ſua clemētia iſtud erat facturus, quos in gratiam admittebat, promittebatque fore vt edictum Genebi pacis ratum haberetur, ſeruaretur q; nulla addita declaratione aut moderatione, modo omnes Condæani arma deponerent, quę rex deponere ne teneretur. concedebatur omnibus ditionem iuris habentibus laicam, vt conciones permitterent nouæ religionis intra priuatos parietes prȩſentibus quinquaginta tantum, neque tamen licitum eſset armatos accire quauis ratione vel nomine, quod ſi fiat, rei ſint lęſæ maieſtatis. & quoniam Lugdunum eſt in finibus regni, quò conueniunt plerique externi, ne conciones haberentur, niſi catholicæ vel in vrbe, vel in ſuburbiis, vel ſaltem abſtinerēt nouæ religionis conciones ad ſex millia paſsuum. neque in agro Pariſienſi illæ conciones haberentur, quę nunquā antea fuiſſent permiſsę. Condęus reſpondet aliquam partem harum conditionum ſe admittere, aliam partē ſuppliciter petere, vt molliore moderatione temperaret. ſed res ita per ambages protrahebatur illo conſilio, vt interim accederent vniuerſa auxilia, quę fuerant accita, quod ipſum conſilium iuuabat etiam regem. illa auxilia cum propinquarent, vellentq; Rhenum tranſire in Lotharingiam miſsus eſt Vmalius cum magno numero equitum ac peditum, qui traiectum impediret. & iam cardinalis Lotharingiæ Diuodurum acceſserat cum quindecim millibus armatorū partim equitibus, partim peditibus, vt vires Vmalii adaugeret, vnde multi ob eius aduentum profugerunt in Germaniam. Dū Rhenum verſus ſigna conuertunt cum ſeptem millibus raitrorum ad iuuandas vires Condęanas, Philippus Lantgrauius Incrionum Dux, Caſmiruſque Decumatum, & Philibertus Badenenſis Marchio, Aurantius & ipſe in Sicambris Menapiiſque copias colligebat, qui dicebatur in Galliam profecturus vt iuuaret Condæana caſtra, quod ipſum faciebat Adelphus frater, & multi alii proceres è Belgio profugi, Albanus veritus ne tantę vires in ſe verterentur, multos principes Belgas copias colligere iubet, qui regias partes ſequerentur. accedebant in caſtra Condæana octo millia Vgonottorum ex Allobrogibus, qui iam Rhodanum traiecerant non procul à Tinurtio, atque cognita Ciſteronis oppidi expugnatione per regias copias duce comite Tondæ, ſigna reuertunt ad obſidendam Granopolim, vt ita vires regiæ ab impediendis auxiliis Gondęanis diuerterent quem Andienſis cum ad triginta peditum, octo equitum millibus inſequebatur. rex interea Alexandrum Rangonium, Sarram Martinengum, Aeneam Pium, alioſque tribunos in Italiam miſerat ad peditatum & equitatum colligendum. at Caſmiri copiæ Volphangi regionem immaniſſime populantur, quia nullis a Gallis acceptis ſtipendiis domo exceſſerant, quare cum in Galliam iam conueniſſent minabantur ſe in patriam reuerſuros, ac Belgicas regiones & obuia quæque in itinere deuaſtaturos: cum etiam dicerentur Ghiſij cum multis copiis traiectum Rheni impedituri. impetratum eſt per regias literas datis ſtipendiis in Germaniam vt Io. Gulielmus Dux Saxoniæ colligeret quatuor equitum millia, quæ breui collecta ſunt. at Henricus Andienſis ſummus Regis fratris copiarum imperator, cum Philibertus etiam Badenenſis Marchio in caſtra regia ad ſtipendia cum ſuis raitris tranſiſſet, auctis plurimum viribus vrget hoſtes vt excederent è Belgio, cum Caſmiri copias impedire non potuerit, quominus caſtra cum Condæo coniungerent. dum exercitu paulo-plus quatuor leucis ſiue duodecim millibus paſſuum inuicem diſtarent, obuiæ fiunt copiæ, quas è Prouincia Mouenſius & Ponſenēſis duces in caſtra Condęana adducebant, qui erat nobilis equitatus ac peditatus ex Ouernia, in finibus Aruernorum ac Boiorum, initur atrox prælium. Catholici primo impetu victores fiunt trucidatis ad mille ex hoſtibus. ſed dum nimis ardenter victos inſectantur, ſuperuenit peditatus, qui tantam impreſſionem in victores facit, vt plures ſexcentis è victoribus trucidarint, cęſis vtrinque inſignibus compluribus, reliquis paulatim recedentibus. ſuccreſcebant tumultus Belgici non frigidi, quoniam Aurantius princeps palam nouam religionem profitebatur, ad cuius gratiam multi principes aduerſus Albanum vires

Cōditiones à Rege propoſitæ.

ſuggerebant, cum palā dictitaret ſe non aduerſus Regem, ſed aduerſus Ducem pro liberanda patria à tyrannide Hiſpanorum, arma ſumpſiſſe. huic nouæ religionis principes omne genus auxilii pollicebantur, ſi exiret cum copiis in apertum: atque ipſe cum excederet è Belgio exportauit ducenta nummum millia, centum & quinquaginta millia collegit ex eadem ſecta, centum millia conflauit e ſuo argento, quingenta millia Talarorum accepit a Duce Saxonum patruo vxoris, quibus ſtipendiis magna diligentia copias colligit nedaretur tempus Albano colligendi. magna ſpes etiam ſubſidiorum erat repoſita in Britannicis auxiliis, & occultis Belgis, cum etiam proditiones duobus in locis ſtruerentur; altera Bruxellis in Albanū vt repente opprimeret, altera in Traiectu Moſę, cum tamen neutra ad optatum finem ſit perducta. At Albanus cognitis his tantis bellorum motibus magna diligentia copias colligit, qui breui habuit in caſtris duodecim Germanorum millia ducibus Alberico Lodronio, comite Megenſi, Herbeſtaino, Fabrucio, ac ſeptem Hiſpanoni, cum mille & quingntise leuioribus equitibus totidemque ferrarolis duce Henrico Veſſonum, ac totidem regulo Sanamanio, eqtes mille ac trecenti cataphracti Belgæ his accedebant, & bellica tormenta triginta, & ſex cum bellicis apparatibus, & lintribus ad pontes faciendos, miſſi ſunt qui nouem millia vallonū pręterea colligerent, quibus copiis Aurantianis viribus reſiſteretur, ſic in Gallia, Belgio, Germania vbique arma, & tubarum tympanorumque ſtrepitus exaudiebatur.

Copiæ Albani in Belgio.

LIBRI DECIMI OCTAVI FINIS.

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS

## *LIBER DECIMVS NONVS.*

Strael quæſtor captus.

Albanus poſt captos illos principes nouę religionis,animum adiecerat ad eos omnes capiendos, qui ſecuti fuerant recentia dogmata, & illorum conſilia intra fines Belgarum, inter quos fuit Strael quæſtor ſtatuum Belgarum, cuius omnia bona Atuacuti fuerunt proſcripta. captus eſt & à ſecretis Hornei cum omnibus ſcriptis, & Bacherſelius conſiliarius Agamontii, qui omnes miſſi ſunt Gandauum cum tribus millibus Hiſpanorũ cuſtodibus. nam Albanus ſtatim captum Agamontium iuſſit literas ſcribere ad præfectum arcis Gandaui vt illam arcem concederet Hiſpanis præſidiis,atque ipſe excederet. ſicibi impoſitæ ſunt duæ Hiſpanorũ cohortes. capti ſunt in Hiſpania etiam quidam proceres Belgæ, & Carolus princeps Hiſpaniarum præſente Rege.nam Philippus Rex accitis ad ſe repente primariis cubiculariis Caroli principis filii imperat vt oſtia ne claudant per noctem illam thalamorum principis,vbi dormire conſueuerat,eumq̃ue per ſermones ne pateretur dormire, donec inſtitutum eſſet, iuſſique ſunt clauos, & malleos habere promptos. circiter horam decimam noctis rex eo accedit clam ſine lumine inermis cum duobus comitibus adiutoribus,& quatuor conſiliarijs ſtatuum. iuſſum eſt primum oſtium claue aperiri, cum reliqua omnia pro mandatis paterent. ventum eſt antequam ſentiretur ad principem iacentem in thoro,qui auerſus colloquebatur. cognito Rege,qui iam arma ademerat turbatus exurgit. rogat patrem an cęſurus vel capturus acceſſiſſet tam importunè, qui neutrũ ſe facturum reſpõdet,ac iubet quieſcere.iuſſi ſunt adiutores feneſtras clauis affigere, quod mirum in modum principem turbauit, qui exiliens è thoro in ignẽ, niſi impeditus fuiſſet,erat ſe iacturus ſatis ingentem. iuſſa ſunt omnia, quæ poſſent interficere auferri, quare princeps procidens in genua regem orat vt occidatur,qui perhumaniter hortatus eſt ad quietem,& vt in lectum rediret.data eſt eius cuſtodia poſtmodo quatuor conſiliariis, & præcipue Duci Feriæ præfecto regiarum cuſtodiarum, quibus dato iuramento ſeruandę fidei,in ſuum thalamũ rediuit. conuocatis non multo poſt comitiis ſuorum regnorum rationem reddidit eius captiuitatis,cũ diceret maximis de cauſis ſuorum regnorum ſibi id facere opus fuiſſe, vt magis opportune patebit. iuſſi ſunt à ſecretis id prouinciis per litteras ſignificare,cũ ipſe Principes eſſet facturus certiores. Deſtinati ſunt poſtea ad principis cuſtodiam ſex proceres inſignes Ioannes Borgia, Io. Mendocius, Franciſcus Manriches, Comes Lermæ, Bernardinus Renaindes, Gonzalus Chacon binis quotidie præcipua cura incumbebat.principi thalamus vnus è multis relictus eſt,isque ſine camino Turris vocata. cum paruis feneſtris,& cum clatris·cauſa tãtæ mutationis cum lateret,varia ferebatur,cum alii dicerent quia eſſet ex Hiſpania fugiturus,cum nimis arcte à patre gubernaretur; alii ob quoſdam motus Regi cognitos ſuſpectum fuiſſe in patrem conſpiraſſe. id cum Rex ſuſpicionis oriturum in animis multorum ſciret,cum etiam de Agamontio circumferebatur, perſcripſit ad multos principes, quibus literis omnem illam ſuſpicionem ex animis mortalium deleuit.tandiu vero fuit in cuſtodiis Carolus vt febre correptus, vti rumor diditus eſt, denique vitam concluſerit, quamuis alii aliter ſenſerint. Marinus Caballius Venetus orator miſſus à ſua rep. ad antiqua iura amicitiæ Byzantium cum nouo Turcarum Imperatore Selimo confirmanda,felici ſanè nauigatione atque itinere porrò non difficili,Byzantium peruenit.Prius,vt mos eſt, agit cum Turcis proceribus de omnibus publicis negotiis,cum nemini niſi rebus concluſis externo acceſſus,& colloquium ad Imperatorẽ pateat. ęgerrimè obtinet vt res componatur, quia nollet Selimus nouus imperatot ſic fingentibus proceribus illam amicitiam confirmare.iſtud ſimulabant proceres vt maiora ſolito munera extorquerent,cum

Hiſpani Gandaui impoſiti.

Carolus priceps deceſſit.

Marinus Caballius Byzãtium profectus, & põpa.

eſſent etiam non nihil cupidi rerum nonarum; ſed multis deniq; datis muneribus obtinet, vt purpurati pacis, & amicitiæ conditionibus aſſentirent. Nam præter cæteras difficultates, quæ excitabantur, volebant proceres nemini Veneto licere ſcribere ſecretioribus notis; cui rei cum ab omnibus oratoribus Chriſtianorum valde eſset reclamatum, nihil agitur per Caballii dexteritatem. Actum eſt & de piratis ne impune omnimo nauigarẽt, & ne tam crudeliter latrocinia in ſubditos exercerent, quæ res etiam per probabiles rationes vtrinq; adductas, fuit compoſita. mox perducitur ad ipſius imperatoris præſentiam confirmatis rebus, qui ante quã accederet ab Abraimo Selimi interprete, & à quodam tribuno militum donatur imperatoris nomine quatuor pulcherrimis equis multo auro & argento conſtratis, & totidem aureis veſtibus. præterea duodecim iuuenibus Venetis patricii ordinis, qui honoris gratia, & viſendi ſtudio oratorem ſecuti fuerãt, viritim precioſæ veſtes ſunt donatæ. Caballius vnum ex equis dono acceptis inrer duos qui obtulerãt è cornu Byzantii Byzantium accedit datis muneribus pecunia ſcilicet, & his duobus. vbi traieciſſet poſt modo ad vlteriorem ripam, ſexaginta Chiauſi, & Ianizzeri ad ſignificationem lætitiæ clamorem extollũt, omneſq; Turcico idiomate diuturnitatem vitæ, & felicitatem Veneto oratori precantur. hinc precedentes acceptis, & hi muneribus ad ſeptum adducunt, & ad aulam magni Diuani, quod nomen ſignificat locum audientiæ. Eſt autem ſeptum illud figura ferè ouali præaltis muris vndiq; circundatum, & cinctum. antequam ad illud perueniretur, aliud eſt ſeptum eiuſdem formæ pertranſeundum, cum illud habeat coniuncta Selimi ædificia. in primo ſepto atque exteriore, omnis generis erat multitudo, & ignobilis turba permiſta. vbi ventum eſt ad poſterius, & intimum, illud apparuit magnificè ornatum. nam in parte dextera ſeſe offerebat magna Ianizzerorum multitudo, qui accedebant ad ſex millia hominum, aſtabantq; miro quodam ſilentio. erat eorum Dux Aga vocatus in loco eminentiore, in quem omnes erant conuerſi; qui ingreſſo Caballio omnes vno tempore miro quodam ordine capita honoris gratia deflexerunt. Turcæ enim capitis integumentum honoris gratia non detrahunt. in ſiniſtra parte erant cẽturiones omnes, & ſigniferi cuſtodiarum equeſtrium imperatoris, omneſque milites eodem ordine, quo Ianizzeri aſtabant. atque hæc omnis multitudo accedebat ad ſexdecim millia hominum. Caballius illuc ingreſſus primum præfectum, deinde omnes qui aſtabant à ſiniſtra ſalutat: tum vlterius progreditur. erat in extrema parte fermè ſecundi ſepti aula ampliſſima, & ædificia citra palatiũ imperatoriũ, vbi ſedebant proceres quinq; purpurati Turcarũ, cũ quibus aderant, & vocati Cadileſcheri, qui ſunt ius dicentes in caſtris. in eo ampliſſimo, magnificẽtiſſimoq; ſepto ſecundo multæ erant pulcherrimæ arbores, quibus multa ferarum genera alligabantur, atque inter has tigres pulchritudine admirabili, & leones, & pardi, & cætera huiuſmodi complura. Aduolabant ad illas arbores turtures intrepidæ, & aues multæ noſtris hiſce regionibus inuſitatæ nonnullæ, quæ mirificam voluptatem inſpectantibus afferebant. orator ad proceres profectus, eos omnes ex ordine ſalutat, qui aſſurgentes perhumaniter reſalutarunt, & ad ſedem illi magnificè paratam inuitarunt. ibi cum aliquantulum conſediſſent, accedit portæ præfectus. nuntiat proceribus Imperatorem aduenisſe in thalamum audientiæ, qui continuò conſurgunt, atque ad audientiam accedunt. Tenebatur alterum brachium oratoris à portæ præfecto, tanquam ſuſfulciretur, atque ita ad exoſculandam manum Imperatoris adducitur. adducti ſunt & patricij iuuenes oratorem comitati, ſed brachia vtrinque illorum à duobus Turcis tenebantur tanquam adducerentur captiui; qui non manum quidem, ſed genua Imperatoris exoſculati ſunt. Recedentes quoq; non auerſa quidem facie, ſed ſemper in ipſum Imperatorem cõuerſa ſunt abducti. iſtud fieri ſolet tum nemo vt externus liber ad Imperatorem accedere videatur, tum etiam vt tutus ſit ab armis aduenarum. Iuuenibus abductis ſolus orator è Chriſtianis hominibus, & à ſecretis relinquitur in thalamo Imperatoris, atq; Caballius ita breuiter locutus eſt. Quantum mœroris Veneta reſp. noſtra ſemper Ottomanico nomini amiciſſima ceperat è morte Solimani ſapientiſſimi Imperatoris optimè Imperator, tantum lætitiæ cepit vbi diuina potentia te principem ſapiẽtiſſimum ad tantum ſublimitatis erexit, & in eo throno collocauit, qui ſemper ſoli optimo cuiq; patuit ex Ottomanica familia. nam profectò credibile eſt animam Solimani gloriari plurimũ, nõ ſolùm quod felicitate, gloria rerum geſtarum, ſapientia, cognitione variarum rerũ, & exercitatione imperatoriarũ virtutum cęteros omnes mortales antecelluerit, quòd clemẽs erga ſupplices, liberalis erga amicos, fidelis erga fęderatos fuerit, propter quas virtutes victor ex omnibus ſuſceptis negotiis ſemper euaſit, ſed multo magis quod te filium præſtantiorem reliquerit. Nam cum inuictiſſimus ſemper extiterit, nullique ceſſerit mortalium, non modo feret æquo animo, ſed etiam ſibi glorioſum & iucundiſſimum eſſe ducet ſe ſuperari ac vinci à filio omnibus imperatoriis virtutibus. Ad hoc expectandum nos inuitat vel impellit potius tot clariſſimorum imperatorum progenitorumque tuorum ſplendor optime Imperator. nos allectat Ottomanici nominis gloria. nos attrahunt tot clariſſima lumina familiæ tuæ. nos gloria nunquam per tot annorum ſeriem, pro auorumque tuorum intermiſſa confirmat. Quæ cũ ita ſint, me Venetus ſenatus Ottomanico nomini ſemper deditiſſimus miſit ad confirmandam ſtabiliendamque eandem amicitiam, quæ ſemper cum omnibus Ottomanicis imperatoribus illi reip. interceſſit. atque illa amicitia cum Sereniſſima Maieſtate tua debet eſſe tanto firmior & gratior, quanto eſt antiquior, multiſq; vtrinq; officiis ſtabilita, & per longam annorũ ſeriem inueterata. nã certè quidem reliqua omnia mortalia temporis iniuria labefactantur ant debilitantur, ſemperq; meliora ſunt recentia. at amicitia res ſacra & diuina, quæ nõ niſi inter bonos & iuſtos vlla eſſe poteſt, quanto vetuſtior antiquiorq; eſt, tãto fit perfectior & diuturnitate corroboratur. Hiſce rationibus commota vniuerſa noſtra reſp. Deum altiſſimũ ac potentiſſimũ precatur pro felicitate diuturnitateq; Maieſtatis tuæ. quibus ita auditis Selimus maximũ iurauit

Pacis conditiones Turcarum cum Venetis.

Septi imperatorii forma.

Acceſſus ad imperatorẽ Turcarum mos.

Marini Caballi oratio.

Pax à Selimo Venetis confirmata.

uit iuſiurandũ,atq; confirmauit quod ſcriptum fuerat in diplomate ſuo ſigillo inſignito,quod qui dem iuramentũ ita ſe habuit. Iuro per Deum æternum creatorem cęli & terrę.per animas ſeptuaginta prophetarum,per animam meã,meorumq; maiorũ omnium, me omnia iura amicitiæ ad illa vſq; tempora ſeruata habiturum ſancta & inuiolata atque ad vnguem ſeruaturum, ſicuti ſubſcriptione fuerat confirmatum. Selimus diſceſſuro oratori pauca, & inculta ſed tamen humanitatis plena verba reſpondet. Caballius inde digreſſus equum conſcendens à Ianizzeris deducitur, quibus,vel ante ſubſcriptionem munus obtulerat, atq; ad cornu Byzantii redit.comparat ſe ad iter Venetias acceſſurus,in quem proceres multam humanitatem exercent ac munificentiam,cum preciosas veſtes,& terram Lemniam,& balſamũ,& alias res preciosas dederint. frequentia etiam fiunt mutua conuiuia. Nicolas Pitilianenſis Comes abiuratis criminationibus ſollicitante per literas Gallorum rege cauſæ expeditionem,curauit Pontifex vt cum patre conueniret, qui eiectus fuerat è principatu. nam nimis crudele videbatur, vt principis pater propè mendicare cogeretur, idcirco res ita compoſita eſt,vt filius tanquam imperando aptior principatum obtineret,at mille nummos aureos patri in alimenta diſſolueret. Nicolas iuſſit centum ſingulis menſibus conſcribi, quod liberalitatis genus Pontifici fuit per gratum, atque ita Nicolas vir bonus, & princeps potius inuidioſus quàm malus in patriam reuertit. in Pannonicis autem finibus purpuratus Tibiſci ad Iulam, & Albam regalem vſque profectus cum ſeptem millibus equitum Varadinum, & alia quædam caſtella ſollicitat ad deditionem. ſimulat mortuum eſſe Tranſyluanum, quod cum non eſſet creditum, Ecchiuſque cum Pannonico equitatu accederet,Turcę mutant conſilium, atque Pappam petunt,& Tattã & Riſpiam,ſed cum non leui iactura vndique repelluntur.interea Scotia;& ipſa ciuilibus ſeditionibus vexari cępit propter regum frequentes mutationes, ad quam rerum nouitatem intelligendam videtur neceſſario altius repetenda ſeries, & narratio totius negotii. Iacobus igitur Stuardus vltimus Rex Scotię ſuſpectam habebat autoritatem,& potentiam cuiuſdam viri primarii ſui regni,qui cognito ſuſpicionis periculo profugit è regno Scotiæ in Britanniam. Henricus octauus eum per benigne excepit,collocauit etiam in matrimonio Margheritam ſororem illa conditione,ne ſe incõſulto ex inſula excederet.Inde natus eſt Henricus iuuenis egregius, omnibuſque regiis virtutibus ornatiſſimus,cui poſtea nupſit Scotię regina, filiumq; peperit.cum accidiſſet inter controuerſias quaſdam vt hic in præſentia,& conſpectu ipſius reginæ iuuenem quendam pugione confodiſſet, idque iniuria,ut credidit regina,nulla habita ipſius reginę reuerentia aut etiam ob quandam occultam ſuſpicionẽ,natum eſt non nihil ſimulatis.aucta,& nutrita eſt ea ſimultas diſſenſione,quia regina contra ſententiam Henrici mariti nitebatur vniuerſum regnum trahere à Caluini religione ad Romanam obedientiam.ſic res paulatim venit in magnam differentiam, quo effectum eſt neuter vt alterius conſuetudine uteretur. Henricus ad reconciliandum animum reginæ ſimulat ſe ægrotare,ad quem viſendum,vt optauerat, regina acceſſit. Habito colloquio reconciliantur. Henricus donato precioſo annulo ad amoris indicium impetrat à regina,vt die tertio admittatur in thalamum. Aulilici amicitiam ægrè ferentes reginam clam ſollicitant ad moliendas inſidias, quorum conſilio illa plurimum utebatur. Decernuntur inſidiæ. puluerem tormentarium multum ſub lecto occultãt. Henricus monetur à puero latere inſidias. auditis prima nocte armatis etiam in palatio diffugit è thalamo. per viam occultiorem ſe ſeruat cum puero in cellam vinariam.vbi conquieſcere viſa ſunt arma,puerum emittit exploratum an inimici diſceſſiſſent.captus eſt puer,& tormentis coactus indicare Henricum.ambo ſuffocantur.puer pro puluino ſubiectus eſt Henrico. Proceres eius regni vbi tantum ſceleris commiſſum fuiſſe intellexiſſent,ea cædes pleriſque grauiſſima accidit, cum præſertim opera, & conſilio inuidorum perpetrata eſſe diceretur,& Baduellii comitis in primis, qui plurimum gratia valebat apud reginam. Infans Henrici reginæque filius a duce Satellerio, Iacoboque Stuardo fratre ſpurio reginę regni protectore,& ab aliis quibuſdam proceribus captus eſt,& aſſeruatus,quo tutus eſſet ab inſidiis,atque comitis Morei fidei creditus eſt. Vbi regina paucos poſt dies ad eum viſendum cum quadraginta equitibus acceſſiſſet,vt illum ſecum haberet in poſterum,reſponſum tulit proceres velle ipſum ſeruare;quem ſi vellet viſere,ſibi facultatem conceſſum iri, ſi cũ duabus ancillis iſtud faceret.illo reſponſo indignata regina neque viſo quidem puero recedit.abeunti fit obuius Baduellius cum quadringentis equitibus,cum quibus non ſine aliquo metu aduerſariorum primùm reginæ equites coniunguntur. Deinde paulo poſt nubit Comiti, quas nuptias proceres grauiſſimè tulerunt,quia ſic apparebat cæſus eſſe Henricus vt commodius fierent illæ nuptiæ, quæ ſine mariti cæde fieri iure non poterant. idcirco circiter ſex millia peditum, & mille equites colliguntur. Horum procerum ſtudia conſequuntur omnes ferè reliqui populi,quibus audita eſt atrocitas criminis,& fœminæ laſciuia atque intemperantia, quę tam cito nupſiſset. in Alatis caſtris, ſic vocatum eſt etiam oppidum Scotię nobiliſſimum,quod alii vocarunt caſtra puellarum,erectum eſt vexillum ad indicandam ſceleris magnitudinem, in quo picta erat arbor perampla cum puero,& Rege ſuffocatis ſub ipſa arbore. Infans in ea pictura coronatus procidens in genua ſchedulam videbatur porrigere, per quam ſupplex opem petebat, implorabatque ad paternam vltionem. Proceres igitur his etiam populorum lamentationibus commoti,& impulſi legationes mittunt ad reginam, quę memorent cognitiſſimum iam omnibus eſſe,quòd Baduellius propter nuptias inſidiatus eſſet regi,atque illas contraxerit per ſanguinem legitimi atq; innocentiſſimi Regis. Tantum ſceleris neque in tyranno,neque in priuato eſſe ferendum;cui ſi detur impunitas eius cędis, iamiam & ipſi reginæ,& cæteris omnibus proceribus idem imminet periculum, ne ipſe regno libero omnibus trucidatis potiatur. Nõ enim illum, ſi poſſit,eſſe laturum vt regina imperet,ſed curaturum vt illa quoq; paulo poſt è medico tollatur,quare & eum,& omnes participes atq; conſcios eius ſceleris expoſcũt ad

Nicolas Pitiliani Comes abiuratus.

Scotẽſes res.

Hẽricus Scotię Rex necatus.

Baduellii fraudes.

Baduellius reginã vxorem ducit.

Vexillũ erectum contra reginam.

Baduellii copiæ cæſæ.

ad ſupplicia.Baduellius his auditis vbi collegiſſet circiter tria millia peditum,& quingentos equites
cum quibuſdam bellicis tormentis,exit in apertum. poſtmodo collatis ſignis cum acceſſiſſent copię
procerum confligunt. ſed cum Baduellius cauſa, & viribus eſſet inferior multis præſertim in caſtra
procerum è ſuis transfugientibus,facillimè profligatur. Vbi ſuos fuſos,ſtratos, cæſosq; & fugientes
vidiſſet,ipſe quoque imminens periculum deuitans ad oppidum munitiſſimum Varatum æſtuariũ
ſe recipit,quod eſt ſitum in litore cuiuſdam ſinus maris oceani. inde quoque poſtmodo diffugiens
comparatis quibuſdam nauigiis animum conuertit ad piraticam crudelitatem, & ad latrocinia. ſed
poſtea captus à rege Daniæ dedit penas confertim vno tempore omnium præteritorum ſcelerum.

Scotiæ regina capta.

proceres illo profligato, & fugato ad vlciſcendum illud flagitium,quod non ſine reginæ conſilio,&
conſenſu ſuſceptum aut factum videbatur fuiſſe,ipſam quoque reginam capiunt. cogũt omnia iura
ac titulos,quos haberet in regnum Scotiæ filio paruulo renunciare,qui poſtea fuit cum regali pom
pa coronatus. Reginæ aſſignatur pro domicilio vna Hebridum inſularum, quam Lochliuiniam uo
cant cum magna cuſtodia armatorum. Paruulum regem & Galliarum Rex, & regina Britanniæ in
ſuam tutelam per legationes depoſcunt,ſed omnibus reſponſum eſt Scotenſes velle ſuum regẽ ha-
bere in ſuo regno.at regina cum adiuuaretur quorundam opera vt elaberetur è cuſtodiis ad Ambel-
tonium oppidum ſe ſeruat.illud poſitum eſt mari finitimum in ea parte inſulæ,quæ Iberniam reſpi
cit in monte prælto ſitum.ſed cum timeret ne breui obſideretur,quia locus eſt non ualde fertilis,vi
rilibus veſtibus induta cum vnica ancilla ac decem viris comitibus cœpit inde Galliam verſus naui-
gare.Sed enim verita ne ſi recta accederet ab inſequentibus caperetur retardante præſertim tempe
ſtate,iter conuertit in Britãniam,ac Nortumbriam peruenit,qui locus eſt Thomæ Perſyi in finibus
Scotię in extrema parte Britanniæ. illud vbi cognouiſſet Britanniæ regina iuſſa eſt capi, & in cuſto-
dias tradi.

Scotiæ puer Rex coronatus.

Scotiæ reginę fuga, & captiuitas.

At Daniæ Sueuorumq; Reges,quoniam controuerſiæ à nemine componi potuerant,ſed
magis etiã, ut diximus, Cæſareo edicto fuerant irritati,collectis tantis viribus vtrinque,quantas col-
ligere potuerunt, terra marique prælium committunt. Daniæ Rex in utroque prælio fuit ſupe-
rior. claſſe Sueuorum partim demerſa, partim capta vtitur victoria.nam multis oppidis inſulanis
Chedinorum captis præſidia imponit, quæ ſunt maioris, Scandiæ. neque minus odium ſanè inter
Sidoniæ regem ac Ducem Moſchouitarum intercedebat; quippe cum denuo hi bellicos apparatus
ſumma diligentia inſignes ſtruerent. nam cum diutius fruſtra de componendis controuerſiis, ſæ-
piusque laboratum eſſet,dicebatur Moſchouitarum legatio aduentare ad Poloniæ regem,quę cum
nuſquam appareret, Polonus veritus ne per ſpem pacis imparatus repente opprimeretur, cum in-
duciæ,quæ factæ fuerant hac ipſa de cauſa, viderentur iam præterlapſæ, arma parat ſummo ſtudio,
ſummaque celeritate.erat inter hos controuerſia de finibus Lituaniæ,atque Lituani magnopere in-
ſtiterant Polono Regi ut intereſſet quibuſdam comitiis,quę habebantur Petrocouii,qui cum proce
ribus Polonis re conſultata pollicetur ſe interfuturum. Pręmittit octo equitum millia interim,ne
Lituani repentino hoſtium aduentu opprimerentur, quia intellexiſſet ipſum Moſchum cum ma-
gnis uiribus, ac multis millibus armatorum eo contendere Verumtamen vt ipſe audiret legationes
hoſtis de pace in Lituaniam proficiſcitur,ne videri poſſet bellum uel honeſtæ paci prætuliſſe, vel pa
rum gratam habuiſſe populorum ſalutem,& tranquillitatem, cum tamen facile cognoſci poſſet ex
apparatuum magnitudine rem non ad pacem,ſed ad moleſtiſſimum bellum ſpectare.accedunt lega
tiones ducis Moſchouitarum ad Polonum cum duobus millibus equitum ac multa comitum ma-
gnificentia,& veſtium ornatu. His procedunt obuiam tria millia equitum Polonorum,qui vbi cõ-
ueniſſent,neutra legatio prior ad ſalutationem vult ex equo deſcendere,ne altera alteri cedere videre
tur.conueniunt denique ut ambo uno tempore deſcenderent.factis ibi mutuis ſalutationibus dein-
perueniunt ad regem Polonorum. Proponunt legationes ſuum magnum Ducem tot populorum
cladibus utrinque cęſorum commotum facile pacem eſſe amplexurum, ſi antiquum ſuum patri-
monium Tauroſcytharum Prutenorumque regio ſibi dederetur ac redderetur. ſic enim acceptarũ
iniuriarum ſempiternam obliuionem poſſe fieri, omnemq; illarum memoriam penitus ex animo
obliterari. Hiſce reſponſum eſt, Polonum regem pacem amare, ſi honeſta quidem ſit, ſed tamen
bellum quoque non aſpernari, ad quod eſſet ſi iniquè inferatur iam paratus. ſe velle Ploſcuum tan
tum reſtituere in finibus Lituaniæ, de cæteris locis fruſtra ſermonem haberi. Quæ dum tractan-
tur ad pacem ſpectantibus præfectus Ploſcui cum tribus millibus equitum finitimum quoddam op
pidum tentat,ſed à Polonis circumuentus multis è ſuis amiſſis vix ipſe in tutum ſe recepit. Miſſa
ſunt & ſex equitum,duo peditum millia in regionem Tauroſcytharum ad reprimendas Scytharum
incurſiones,quorum circiter quadraginta millia in vnum conuenerãt ad prędam, vti dicebatur. Scy-
thæ vbi audiuiſſent miſſas eſſe legationes de pace à Moſchouitis, & ipſi mittunt legationes, profi-
tenturque ſeſe Polono Regi aduerſus Moſchouitas militaturos. Hortantur Polonum vt è Liuonia,
cæteriſque locis occupatis hoſtem eiiciat, ad quod tam honeſtum facinus pollicentur vltro ſe opẽ
laturos. At Polonus quia ſuſpectæ eſſent vires Scytharum cum propter magnitudinem ipſam co-
piarum,tum propter multos Scythas Moſcouitis militantes,reiecit potius humaniter horum auxi
lia,quàm accepit. Illis igitur immortales gratias agit pro tam propenſo,tamque liberali in ſe animo,
ſeque perpetuam memoriam tanti beneficii habiturum inquit & ſeruaturum,quod vel vltro obtu-
liſſent, ſed tamen eorum auxilia in magis opportunum, magiſque neceſſarium tempus reſeruare,
cum tantas nunc haberet vires, vt poſſet eſſe hoſte multo ſuperior.at in finibus Lituaniæ quia Mo-
ſchouitæ populabundi & palantes vagabantur, Palatinus Romanus collectis viginti & quinq; equi
tum millibus tanto impetu, tantiſque viribus illos inuadit,vt cæſis non paucioribus ſeptem milli-
bus hominum, duobus & amplius millibus in proxima palude ſuffocatis, ſex millibus captis,reli-

Daniæ regis victoria.

Comitia Petrocouii.

Legationũ pompa,Polonæ,& Moſchouitę.

Scytharum doloſa legatio credita reiicitur.

quis

quis in fugam verſis, glorioſam, maximeque memorabilem victoriam reportauerit. Interea in Iuliacenſi principatu, quoniam nouæ religionis factio vbique inualeſceret, collecti ſunt multi armati apud Dolenſæ oppidum Vilerſio regulo duce, vt coniunctis uiribus cum iis, qui in proximis vrbibus conſpirabant, in vires Hiſpanas impetum facerent, ac iugum Hiſpanæ ſeruitutis à ſuis ceruicibus excuterent. horum conatus antequàm magis conualeſcerent, atque inſtructi eſſent, ab Hiſpanis repente inuaduntur, ac prope inermes trucidantur. Poſt illam cladem acceptam legationes, quæ prius pacem per graues propoſitas conditiones diſtrahebant, nunc apparent placidiores. at contra, Lituani inſtant Polono Regi vt legationes dimittat. Hortantur ne tantam opportunitatem rei præclare gerendæ prætermittat; quam Deus, & fortunæ benignitas vltro obtuliſſet. Non eſſe humanæ facultatis ſi præſens occaſio prætermiſſa ſit, aliam conſimilem reuocare. felicem iure cēſiſeri illam victoriam, & glorioſam, non quæ parta ſit ſolùm cęſis multis hoſtibus, cum illa potius clades hoſtis ſit appellanda, ſed qua victores vti ſapienter cognouerint, in qua ſcientia omnis laus victoriæ conſiſtit. eſſe omnes res humanas iactui taxillorum perſimiles, qui bonus aut malus contingat, poſitum eſt in arbitrio fortunæ: at quicunque acciderit, illo ſcire bene prudenterque vti, in hac vna re conſtituta eſt omnis humana prudentia. Poſt eam cladem terra marique à Sueuis acceptam, Rex Sueuorum quatuor è ſuis conſiliariis propter ſuſpicionem, quàm è quibuſdam occultis cauſis conceperat, ne cum hoſte conſpiraſſent, extremis ſuppliciis afficit, atque magno ſtudio arma denuo parat ad bellum inſtaurandum. vt autem validior potentiorque in hoſtem inſurgeret, coniungit cum Moſchouitis in mari Liuoniæ, octoginta nauigiis ſcilicet. Danię Rex impoſitis vndecim millibus hominum triginta & quinque nauigiis, miſſiſque tribus millibus Scotenſium, & Britannorum ſclopettariorum, duobus millibus equitum, tredecim cohortibus peditum, curat vt hoſtis denuo terra marique inuadatur. Sueuus triginta & ſex naues mittit in regionem Limirorum, quę in Daniam profectæ, & ad litora eius maris obuia quæque ferro, & flammis populantur, multoſque mortales in ſeruitutem abducunt. Quatuor è nauibus Daniæ factæ ſunt his obuiæ cum amirante, quæ vbi vident ſe neque incolumes poſſe euadere, neque hoſti reſiſtere propter multitudinem nauigiorum, ad litus appellunt. milites egreſſi nauigia comburunt, ne venirent in poteſtatem hoſtium, ipſi periculum euadunt. poſt cladem à Moſcho acceptam inſignem, vti diximus, in finibus Lituaniæ, Moſchus denuo nouas colligit copias, multoſque Scythas conuocat ad ſtipendia Caſainienſes vocatos, atque rurſus commiſſo prælio eius copię profligantur cum ad duodecim millia accederent, multique carri bellicis apparatibus onuſti capti ſunt, qui in uaria caſtella procedebant cum firmis præſidiis. inſtauratę ſunt paulo poſt Moſchouiticæ vires, iuſſaque ſunt quatuordecim millia equitum Liuoniā inuadere cum duplicem numerum iis præſidiis adiunxiſſet, quæ conſtabant è duodecim millibus in Poloſtrouica regione, cum rex etiam ſuum exercitum adaugeret iam ob acceptas victorias elatum, nihilque Moſchouitias vires facientem. at in Dalmatiæ litoribus, & in Iſſa inſula præcipuè piraticæ prædatoriæque nauiculæ, & quędam dicrota non ad piratarum morem tantum obuia quæque prædantur, ſed ferro, & igni ſęuiunt in omnia, quæ vim ferri aut ignis ſentire poſſunt. pueros ac ſenes trucidant. piſcatorias nauiculas cum hominibus, & retibus capiunt, & in ſeruitutem abducunt; neque prius ceſſatum eſt à barbaris, quàm inſulani ad oppidum Iſſam omnes ſe ſeruaſſent. ſed quoniam in Illyrio litora Venetæ ditioni ſubiecta vexabantur, infeſtabanturque ab iiſdem piratis, Veneti tantam iniuriam æquo animo non ferendā arbitrati mira celeritate quadraginta triremes inſtruunt præfecto Hermolao Teupolo, qua re audita continuo omnis immanitas piratica in illis litoribus ceſſauit. varia prodigia interea pluribus in locis viſa mirum in modum mentes mortalium terruerunt, ſuſpenſaſque habuerunt metu imminentium periculorum. Nam Byzantii tres ſoles viſi per ſpatium octo horarum perdurarunt. Luna dicitur recta apparuiſſe quodam Cruci affixo, quibus ferè diebus Danubius ita excreuit, vt cum alueus ſuarum aquarum non eſſet capax multa animalia, multique homines in aquis fuerint ſuffocati, & deuecti, cum nemo ante illud tempus tantam inundationem audiuerit. neque Italia quidem ſuis caruit calamitatibus propter inundationes, quando Veronæ, Vincentię, Patauii, maxima facta eſt vis aquarum. nam ita excreuerunt flumina per copiam pluuiarum vt magna pars agri, & vrbium latuerit ſub vndis, ſtagnarintque flumina in morem ampliſſimorum lacuum. excreuit Atrianus ſiue Atheſis fluuius præſertim, qui natus ex alpibus Tridentinis Veronam vrbem amplam alluit ac diuidit per medium defluens, deinde per agrum Ateſtinum, & latas Eridani paludes ad Brundulum in mare Adriaticum ingreditur. Hic fluuius ſuffocauit in eo ſpatio circiter duo millia hominum, multaque animalia propter inauditum incrementum. Palatia funditus euertit. annonam corrupit. multis detrimentis ac propè incredibilibus damnis illam vrbem affecit. In oppido Libonate, quod eſt epiſcopi Buxenti, dictum eſt pluiſſe ſanguine. Romę cometa inſignis per aliquot dies viſus eſt. in Belgis in vrbe Bruxellis circiter duas horas ante ſolis occaſum viſa ſunt quędam peditum vexilla alia rubra, alia flaua in aere, quæ peditatus, & equitatus armatus ſequebatur. ex alia parte viſa ſunt alia candida, rubra, & cerulea. viſę ſunt acies concurrere. tormenta ſclopettique diſplodi, brachia, capita, crura cęſa per aera deferri. Viſus eſt & gigas dum pugnaretur exire è quodam ſæpè; qui inter vtraque caſtra erumpens omnes in fugam vertit. His prodigiis poſtea euaneſcentibus horrenda exorta eſt, & formidabilis tempeſtas, quæ paulatim ſurrexit cum tanto tonitruum ſtrepitu vt tellus, & omnia contremiſcere viderentur: quæ ipſa viſa ſunt, & in loco Bargoſancto vocato parum diſtante ab Atuacuto. In Suetia vero, cum magna exorta eſſet annonæ penuria Richberger vir opulentus, & diues, ſed ingenio crudeli, & auaro, qui nihil ſanctum aut admirabile præter opulentiam exiſtimabat, quoquo modo illa com-

Populationes Sueuorũ & Daniæ copiarum.

Prodigia.

Inundationes Veronę, Patauii, Vincentiæ: Atheſis deſcriptio.

pararetur, propter ſuam auaritiam mirandum ac ſemper memorabile exemplum poſteris reliquit, cum per illud pateat neminem auarum non eſſe Dei aduerſarium, & hoſtem.

*Auaritia deo aduerſaria.*

plurimum enim diſſentit à natura, & à diuinis inſtitutis ſuarum facultatum nimis eſſe tenacem, cum viri boni non poſſeſſores ſimpliciter, ſed villici Dei reipſa ſint. Hic cum magnam haberet copiam frumenti, atque res illuc eſſet redacta, vt neceſſario ab illo emendum eſſet, cœpit non vendere niſi magno precio. inops ciuis multis filiis grauatus vix collecto dimidio precii rogat concedi frumentum, reliquam partem precii breui ſe daturum pollicetur. proponit periculum familiæ ſuæ ex inedia. vanæ fiunt preces. miſſus eſt ſeruus in horreum paulo poſt alia de cauſa. patefacta porta viſi ſunt bini boues nigri veſci frumento. rem defert ad dominum. moritur nuntius.

*Mirificum exēplū auaritiæ.*

alius ſpectatum miſſus refert ſues etiam acceſſiſſe, ac moritur. accedit dominus ipſe damni magnitudine territus, non audet portam aperire, ſed ſpectat per rimas. viſis multis animalibus varii generis paſcentibus ita furore corripitur, vt neceſſario coniectus ſit in vincula. per illud tempus mortuo Hieronymo Priolo Venetiis, qui ad principatum poſt fratrem aſſumptus fuerat, atque in eo annos octo, & menſem ferè vixerat, ſufficitur in eius locum propter patrum diſſenſiones, cum altera pars ſuffragiorum ad alterum magis eſſet propenſa, eorum qui proponebantur, aliique alium mallent deligere, Petrus Lauredanus vir bonus, ſed tamen de quo nec verbum quidem eligendo ante illum diem auditum fuerat, ad quam dignitatem prouectus eſt præter omnium expectationem.

*Petrus Lauredan⁹ Dux Venetiarū.*

Hic de more Venetorum principum iurauit ſe pro viribus iuſtitiam, pacem, annonæ abundantiam populo Veneto procuraturum.

*Venetiarum principū iuramentum.*

Cæſaris oratores, qui miſſi fuerant Byzantium iam arctioribus conditionibus agunt de pace, quo tempore Cæſar mittit ad Selimum munus magnificentiſſimum, menſam quandam cum fulcris & ſcamnis, & armariolo argentea omnia magnifici, & propè admirabilis artificii, cum triginta nummum millibus.

*Cæſaris munus Selimo miſſum.*

Turcæ tametſi ab incurſionibus abſtinebant, tamen cætera munia militaria impigrè exequebantur, cum purpuratus Curtenſis tres pagos muniret Albæ regali finitimos, quod factum plurimum conferre videbatur ad facilitatem obſidendæ Palodæ. Echius vir rerum bellicarum peritus cum videret quò ſpectarent conſilia, & calliditas hoſtium, rem illam putans non eſſe negligendam, monet Cæſarem per literas, atque hortatur vel iubeat purpuratum ab inceptis deſiſtere munitionibus, vel permitteret atque æquo animo pateretur, vt Cęſariani faciant incurſiones. Erat enim ab inceptis omnino turbaturus: quippe cum multo ſit facilius quæ fieri incipiunt aduerſus incolumitatem impedire, quàm ubi perfecta, & abſoluta fuerint euertere. nam vt in ægrotare incipientibus ſiqua mouenda ſunt moueri conuenit, at vbi morbus inualuerit, multa fiunt periculosè; ita fit in re bellica. vbi enim fuerint extructæ munitiones non poſſunt ſine periculo expugnari, quæ initio facillime impediuntur. idcirco ſemper ſuſpicioſum eſt, & pericoloſum vel pacis tempore munitiones in finibus excitare. Nec multo ſanè poſt Suendius cum impetraſset à Cæſare vt exautoraretur ab illa militia, excedit è caſtris, cui ſuffectus eſt cum imperio rei militaris Rober vir præclarus, qui eos fines tueretur finitimos Tranſyluaniæ.

*Suendius di miſſus.*

Turcę omnino à præda abſtinere non poſsunt, quamuis non facerent incurſiones. nam cum purpuratus Curtenſis legationem miſiſset, quæ negotiaretur cum Tranſyluano, miſsus eſt Bethleemus Gherglelius cum illa ad purpuratum Curtenſem ab ipſo Tranſyluano, qui vnus erat è primariis proceribus Tranſyluaniæ ad eas res tractandas. Ouodi præſidia, quod oppidum eſt Turcarum ad anguſtias quaſdam viarum illos expectant in inſidiis. Bethleemum omneſque comites ex inſidiis repente inuadentes trucidant. eius caput auferunt. omnia impedimenta, quæ octo rhedis vehebantur, diripiunt. vni parcunt legationi Curtenſi. ſic apud Agnam oppidum finitimum Sachmari, quidam Tranſyluani trucidantur à Turcis, alii in ſeruitutem abducuntur, abiguntur armenta, quibus incurſionibus ager quoque Bregetii infeſtatur. Neque mare quidem Tyrrhenum à conſimilibus prædationibus erat tutum. nam dicrota quædam non procul ab Ilua Cyrnoque inſulis Siculum mare prædabunda percurrebant, omnia ferro, & flammis Turcicis deuaſtantia in litoribus Tyrrhenis. his occurrunt duodecim Hiſpanæ triremes, committitur prælium. pugnatur tanta ſtrenuitate a Turcis, tantoque animorum ardore vt è duobus dicrotis vix duodecim Turcæ viui capti ſint. alterum enim profligatum demergitur, ne Hiſpani damna non mediocria ſuſtinerent. extructum eſt nauigium Barcinone ingentis, & inuſitatæ magnitudinis iuſſu Philippi Regis, quod habebat triginta & ſex tranſtra, ternas vias, ac ſeptiremes. nam ſingulis remis ſeptem remiges adhibebantur. vehebantur mille epibatæ, & multa bellica tormenta, quod Meſſanam remulco fuit attractum.

*Nauigiū magnum Barcinone extructum.*

Pontifex vir acri, & inquieto ingenio, qui nihil turpius duceret, quam nihil omnino ſalubre excogitare, illis præſertim qui ſunt cum imperio, poſſuntque multa vtilia ciuitatibus conſtituere, & qui ſe Chriſti vicarios profitentur; cum helluones, & ſordidi ſint neceſſe ſit, qui nihil ſalubre agant in eo principatu conſtituti, animum vertit ad ſacerdotes moderandos. iubet itaque vt crucigeri monachi, & ſancti Saluatoris Lauri, diui Honofrii, Theatini, Ieſuitæque ſacerdotes profiterentur, ac ſeruarent tria vota poſt primum annum, ex quo cœnobium ingreſſi fuiſsent, caſtitatis, obedientiæ, paupertatis.

*Monachi profiteri iuſſi.*

edictum etiam facit vt qui egreſſi fuiſsent è cætu cæterorum monachorum vel habita licentia, vel ſua ſponte omnino tanquam apoſtatæ punirentur, cum multi ſnbdolis rationibus exeundi veniam obtinuiſsent.

*Apoſtatæ exagitati.*

Atqui Pontifex idem quam acerbus fuit hoſtis ſcelerum flagitiorumque omnium, tam fuit virtutum fautor, & amator; quippe cum Hieronymum ciuem Fani Fortunę è nobili familia Ruſticuccia, virum ob inſignem prudentiam fidemque clarum tanti fecerit, vt illi ob egregias eius virtutes omnium rerum adminiſtrationem conceſserit, ad eius gratiam multos eius coniunctos ad varios honorum gradus prouexerit, ſacraſque & militares præfecturas tribuerit, ipſumque poſteà ob ſingu-

larem

Card. Ruſticucius.

larem beneuolentiam purpureo galero inſigniuerit, atque in ſenatum ſacrorum patrum cum magno omnium applauſu cooptauerit, vnumque ſemper, quod nemini vnquàm conceſſum fuit, cum Chriſtianorum principum oratoribus audientia daretur adeſſe voluerit. Plurimum dilexit etiam

Ioãnes Ghiſlerus.

Ioannem Ghiſlerum propter eximiam bonitatem & dexteritatem in rebus publicis adminiſtrandis, quem & cariſſimum habuit, & variis præfecturis cohoneſtauit, & cognomen atque inſigne ſuæ familiæ geſtare iuſſit, cum ad meliora conferenda animum intenderet. Magiſter militiæ Melitenſis veritus ne ſequenti anno Turcica claſſis veniret ad inſulæ expugnationẽ, vt dicebatur Byzantii, magno ſtudio collectis multis millibus operarum munitiones omnes reficit, & inſtaurat. ſed quoniã pecunia non videbatur ſufficere tantis ſumptibus vniuerſum argentum & aurum, quod habet cælatum curat in pecuniam imprimendum. Calabriæ rurſus, Siciliæque litora à nauigiis prædatoriis vexabantur, cum tres liburni vniuerſam illam oram mirificè infeſtarent. Hiſpani qui erant Drepani in præſidiis accitis quibuſdam ciuibus lintres ampliores armant. liburnos inuadunt. diu dimicatur. Hiſpani denique victores multis cæſis ex hoſtibus duos liburnos capiunt. tertius aufugit. Albanus impoſitis equitum ac peditum præſidiis in omnibus finibus Belgarum principes regionis multos in cuſtodias tradiderat. autoribus factionum, qui diffugerunt, publice per præconem diem dici iubet, quos niſi intra certum ſpatium temporis apparuerint, perduellionis reos cenſendos proponit.

Aurantius Belgium inuadit.

Aurantius cũ iis copiis, quas diximus ſuperius multa alacritate agrum Belgicum hoſtiliter inuadit, qui ſperabat vbique ad arma contra Hiſpanos conclamatum iri, futurumque vt multi in caſtra confluerent, vt Albanus è Belgio eiiceretur, qui contra Belgarum priuilegia oppidulum Atuacuti excitabat. ad id inuitauerant multæ amicitiæ variorum ciuium, & crebræ Belgarum pollicitationes, qui ægrè ferebant imperiũ Hiſpanorum. ſed nulla fuit ciuitas, quæ auderet palam tumultuari, cum omnes eſſent validiſſimis ac firmiſſimis præſidiis munitæ, atque omnia quę ſpectabant ad ſecuritatem populorum iam comparata. his accedebat quòd arma etiam illorum, qui regias partes, catholicęque religionis defenſionem ſuſceperant, non erant contemnenda: quoniam multi ægerrimè ferebant hanc tantam rerum nouarum mutationem, qui quaſi ex altiſſima ſpecula patriæ ſuę imminentes calamitates proſpiciebant. Vxores illorum principum, qui ab Albano traditi eſſent in cuſtodias, in maximo luctu, & ſquallore vt par eſt verſantes omnia facere pro maritorum ſalute. nulli parcere labori. omnem lapidem voluere.

Literæ Cæſaris ad Albanum.

Literas Cæſaris impetrant ad Albanum, quibus continebatur quòd Comites illi principes captiui eſſent principes Imperii, qui nõ poterant iure capi ſine imperii contumelia, niſi prius Cęſar & Electores ſaltem moniti fuiſſent. Ne iura igitur imperii pręter ęquitatem vſurparentur, oportere illis libertatem reſtituere ac in integrum dimittere. Albanus illud non ſuo, ſed Regis ipſius conſilio, factum eſſe reſcribit. quę quoniam inter coniunctos agebantur, Cęſar non magnopere inflammatus eſt illa captiuitate quam & leuiſſimam duxit, & iure factam. In Cyrno inſula Genuenſium non ſolum controuerſia erat cum hoſtibus, ſed etiam inimicitię exercebantur ſæpius inter ipſos inſulanos Genuenſium partibus ſtudentes, multæque committebantur cędes, quoniam illos quoque inuaſerat peſtifera illa & calamitoſa vrbibus ſeditio, capitali prorſus ſupplicio digna, quòd alii Albi, alii Rubri mallent appellari, tanquam Guelphi & Gibellini, hoc eſt tanquam ſtulti & furioſi. nam illa nomina antiqua ſunt factio-

Factionum principes digni capitali ſupplicio.

num inſulę, ſed tunc renouata. ego ſanè nullum ſuppliciũ tam graue eſſe iudico, quod non debeatur iis, qui ſe alterius harum factionum principes eſſe profiteatur: cum ſemina inimicitiæ, & cędium, & calamitatum extinguenda ſint ſi fieri poſſit; ſin autem in autores omnia conuertenda. non enim grauis eſt iactura duorum aut trium nefariorum hominum. erat Albę factionis princeps Lucius Iacobus filius centurionis inſulani rebellis, cuius pater in cuſtodiis aſſeruabatur. Hic vt incolumitatẽ,

Seditio Cyrnenſis.

libertatẽque patri reſtitueret, facinus huiuſmodi excogitat. cum audiuiſſet Lucium & Camillum prefectos cohortium Albos circiter quadringentos armatos Cyrnenſes collegiſſe, colligit ipſe etiam circiter quingentos. hos inuadit. ad centum & triginta ex hoſtibus trucidat. totidem capit. promittit pro patris redemptione hos omnes traditurum, cum multi viri fortes periiſſent, multi quoque capti fuerunt. nihil verò eſt tam calamitoſum, tamque euitandum in quibuſque imperiis, vel regnis vel inſulis aut vrbibus, quam diſcordiæ, & ſimultates, aut diſſenſiones inter ſe ciuium, quæ ſemper ferè illos prædam hoſtium eſſe cogit, cum omnis concordię contra comes ſit felicitas, & rerum ſuarum plerunque conſeruatio. Genuenſes vt ea perpetua Cyrnenſis belli moleſtia liberarentur, non modo non liberant eius patrem, ſed etiam bellum atrocius ſuſcipere decernunt, quare auxiliis Philippi Regis adiuti Stephanum Auriam virum inſignis autoritatis, & rei bellicæ peritum ſummum ducem creant eius expeditionis, qui cum multis triremibus Genuenſibus, & quibuſdam Ioan. Andreæ Auriæ in inſulam applicuit. egreſſus inuenit munitionem Sagonenſem concrematam, & deſertam à filio Sampetri, qui ob inopiam annonæ inde recedere coactus fuerat, quare ſe ad Vicum vnicum nidum, vt ita dicam, eius inſu-

Sampetri filius contra Genuenſes belligeratur.

læ recepit, ad quem muniendum confeſtim animum adiecit. eductis copiis Stephanus, & collectis quibuſdam armatis qui erant in uariis præſidiis contendit ultra montes ad Vici expugnationem. fuerant autem eo deductæ res filii Sampetri vix ut defendi poſſent, atque adeo in anguſtum, vt nulla propè ſpes eſſet reliqua ſalutis, quando binis in locis ferè vno tempore binis cladibus ſuperioribus temporibus fuerant afflictæ. nam multi ſunt cæſi apud Moracchiolas vocatas citra montes commiſſo prælio, atque Hercules Aliſſenſis copias Genuenſibus infenſas vltra montes inſigni altera clade affecerat; quibus duabus victoriis lætati Genuenſes rurſus in inſulam Coruanum illum, qui Sampetrum trucidarat miſerunt ad inſequendas reliquias hoſtium, vtendumque victoria, atque inſulam ab hoſtium moleſtia liberandum.

Cognia

cognita fortuna belli quo tenderet, multa caſtella Cyrnenſia, quæ ante ſumpſerant arma aduerſus Genuenſes, legationes vltro mittunt pacem ac veniam præteritorum errorum ab illo ſenatu petentes, cui omne genus obſeruantiæ in poſterum pollicentur. Sueuorum Rex hactenus tantopere bellicis apparatibus intentus repentino quodam caſu exagitatus, mentis captus eſt delirio, atque inſania, quare fit tractandis publicis negotijs ineptus, & in vincula denique neceſſariò conijcitur. eius frater, qui erat in vinculis Dux Filandiæ detractis vinculis atque Regi donatis ad ipſius regni adminiſtrationem aſciſcitur. Sic in horum fratrum viciſſitudine fortuna ludit, vt huic detracta ſint vincula pro regno, illi regnum pro vinculis tribuat. Dictus eſt Dux fuiſſe vir bonus & ſapiens, Rex inhumanus & furibundus, quare merito tanta facta fuit rerum permutatio. Dux qui ſucceſſit in regnum, noluit etiam ſuccedere in fraternas inimicitias, ſed continuò vbi accepit fraternam adminiſtrationem, cœpit de pace cogitare, de qua tractari cœptum eſt; quia populi tot bellorum ſumptibus afflicti iam cuperent à tantis bellicis laboribus, tamque diuturnis calamitatibus aliquando liberari. Res autem dum inter hos componuntur, inter Sarmatarum Sidoniæque Regem & Moſchum aſſidue bellici fiebant apparatus, cum quædam acceptæ Moſchouitis clades etiam magis illos ad vltionem irritaſſent. Nam Dux magnus Moſchouitarum circiter quatuordecim millia equitum mittit in Liuoniam, cum Poloſtrouii duodecim millia armatorum eſſent in præſidiis. his adiungit viginti & octo millia, erantque ibi quadraginta millia hominum, quæ dum fiunt in Liuonia, Philippus Lantgrauius, qui arma aduerſus Carolum Quintum pro noua religione cum quinque & nonaginta millibus hominum ſuſceperat, vitam concluſit. atqui Aurantius quoniam iam hyemaret, neque poſſet eſſe in aperto, copias dimittit, & in annum ſequentem vniuerſam vim belli prorogat. inierat iam nouus annus cum nauicula exploratoria ex Africa Byzantium nuntiat Philippum Regem ingentem claſſem inſtruere, neque ſciri poſſe quæ cauſa ſit inſtruendæ claſſis, aut quò eſſet mittenda. Selimus his auditis, qui claſſem hoc anno non erat emiſſurus, iubet inſtrui centum triremes. viginti etiam mittit Alexandriam cum præfecto purpurato ad reprimendos impetus Arabum, qui paulo ante ab imperio Turcarum defecerant, quo etiam miſſa ſunt triginta millia peditum. Miſſi ſunt deinde à Selimo qui in Africam nuntiarent omnibus piratis vt accingerentur atque pararentur ad iter. his nuntiis cognitis Melitenſis militiæ magiſter veritus ne per has ambages claſſis ad ſuæ inſulæ expugnationem conderet, maturè aggreditur nouam vrbem denuo munire. Mittit equitem Boninſegnium ad Philippum Regem, qui auxilia peteret. iubet omnes equites militiæ ad calend. Mart. eſſe in inſula. Tribunos & centuriones mittit ad colligendas copias. nullum genus induſtriæ prætermittit faciendis nouis apparatibus, aut illis comparandis, quæ forent neceſsaria diuturnæ obſidioni perferendæ. At Albanus qui multa habebat præſidia in finibus Belgarum, iam cœpit inopia ſtipendiorum atque rei nummariæ laborare, quoniam quæ aliunde importabatur pecunia, fuit intercepta. Comes enim Palatinus clam monitus multas Florentinorum atque Genuenſium merces mercatorum precioſas capit, quæ ſecundo Rheno per ſuam regionem deuehebantur immunes, & tapetes magni artificii, & aurea magnificentiſſimaque aulæa, inter quę occultata fuerant centum & quinquaginta nummum millia. Captę ſunt hę merces tanquam contra iura vectigalium deuectę atque amiſsę, quia portorium opportunè non eſset ſolutum. Illud Albanus ęgre tulit, quod pecunia Philippi Regis in ſtipendia miſsa interciperetur. literas etiam dedit illa de re ad Cęſarem, quibus rogabat vt iuberet Palatinum mercimonia & pecuniam reſtituere. certiorem facit etiam Philippum Regem. dum contenditur de hac pecunia, rurſus in mari Oceano occaſum verſus, vbi Britannicum appellatur, nauis oneraria cum quibuſdam nauigiis Zabris vocatis defertur tempeſtate in Britanniam, in qua multa vehebatur pecunia ex Hiſpania in Belgium in ſtipendia militaria. Guerraus Speſius aſſiduus orator, ordinariusque Philippi Regis in Britannia, accedit ad Reginam, petit vt pecuniam, quę a publicanis iam interdicta fuerat, liceat tuto Atuacutum conuehere, quod quidem conceſsum eſt. Sed quia multi eſsent piratæ in eo mari, petit rurſus vt terreſti itinere illam ad portum Bolſuer Britannię liceret conferri, qui ſitus eſt è regione Icii; quod non ſolùm conceditur, ſed etiam ſignificatur per literas regias Franciſco Vuynterio regię claſſi pręfecto cum ſummo imperio, vt Hiſpana illa nauigia quocunque opus eſset comitaretur, donec in ſecurum locum peruentum eſset. per alias vero literas regii conſilii imperatur vt pecunia efferatur è nauibus, quod factum eſt inuito Stephano Serra Hiſpanis nauigiis pręfecto. Illa pecunia data eſt cuſtodienda Britannis hominibus, atque Britanni nauibus ipſis ſunt impoſiti ſimulantibus pręfectis negotio ſe vereri ne Galli piratę omnem eam pecuniam prędarentur, caperentque nauigia. vbi denuo repeteretur pecunia, reſpondit Regina ſe intra triduum daturam. Deinde ſe cognouiſse inquit illam pecuniam eſse Italorum hominum. ſibi opus eſse, pro qua fœnus ſolueret, ſicuti aliàs conſueuit. Quęcunque probaretur eſse Philippi Regis, ſtatim redditum iri. Hęc vbi in Belgium fuiſsent delata, pręcipit Albanus omnes Britannos negotiantes in Belgio comprehendi, atque bona eorum proſcribi. qui certè non paruus error compulit Reginam ad odium palam oſtentandum. Illud nunciatum in Britanniam facit vt omnes ſubditi Philippi Regis capiantur, & orator ille clauſus ſit domi adhibitis cuſtodiis. Miſsa eſt legatio è Belgis in Britanniam Sonuilleus regulus ad res repetendas, qui illuc magna celeritate atque velocitate aduectus poſtridie accerſitur à regio concilio. Noluit accedere, quia diceret ſe prius velle alloqui Hiſpanum oratorem, cuius vetitum erat omnino colloquium & acceſsus, cum captiuus detineretur. poſt illum ſe allocuturum eſse inquit Reginam, ad quam miſsus eſset, non ad concilium, cum eſset pręſente etiam concilio verba facturus.

Cyrnenſium deditio.

Sueuus Rex inſanit frater è vinculis regnum ſumit pro quo donat fratri vincula.

Res inter Sueuorũ & Danię reges compoſitæ.

Philippi Lãtgrauij mors.

1568

Melitæ inſulæ munitiones.

Pecunia à Comite Palatino intercepta

Pecunia in Britannia intercepta.

Britanni capti i Belgio. Belgæ & Hiſpani in Britannia capti

rus. Sed enim cum denuo acceſſitus fuiſſet poſtridie acceſſit, quoniam diceret concilium ſe velle illum alloqui. audiuit concilij ſermones, ſed nihil de rebus propoſitis in legatione dixit. tantum conqueſtus eſt de Britannis, Gallicisque piratis qui tam communi conſenſu tolerarentur, vt nulla habita amicitiæ ratione Philippi Regis nauigia prædarentur ac prædam ex iniquiſſimo latrocinio partam in inſula impudentiſſimè atq; impunè diuenderent. Nam certè quidem tanta erat piratarum copia in eo mari, tamque excreuerat illorum audacia & temeritas, vt nulla habita differentia amicos & hoſtes æquè prædarentur, ac prædam impunè vbique venderent. acceſſitus fuit etiam Guerraus Speſius, ſed quia Britannos omnes famulos neceſſario dimiſerat, vbi fuit incluſus, reſpondit ſe nolle tanquam reum vel captiuum cum ſatellitio ad magiſtratum accedere. atque Belga poſtmodo & ipſe domi cuiuſdam Britanni ita clauſus eſt, nemo vt eum alloqui poſſet. Capta deinde ſunt circiter viginti nauigia varij generis ſubditorum Philippo Regi cum multis precioſis mercibus. Albanus interea Bredam, quod erat oppidum Aurantij, præualida præſidia mittit, & in alia caſtella Sequanorum, quæ Regis nomine tenentur, erantque coniuratorum. mittit quoſdam Louanium ad Buranum Comitem filium Aurantij Atuacutum deducendum, quem fidei & cuſtodiæ Lodronij cōmittit. fuit vnà cum illo adductus Atuacutū Louanio filius Agamōtij, & Hornei cum adhuc eſſent paruuli & tenellæ ætatis. Cœperunt multi principes impulſi precibus vxoris Agamontij pro ipſius libertate intercedere & precari, vt liceret ipſi cauſam dicere & defendere ſuam. Albanus placidis verbis rem procraſtinare. animos omnium ſpe libertatis eludere, multa blandè dicere donec res à Philippo Rege decerneretur; præſertim cum multi caperentur quotidie ac torquerentur vt fœderationem cum Aurantio patefacerent. Albanus Atuacuto Bruxellas reuerſus vbi cognouit Aurantium & Ludouicum fratrem magnas copias colligere ad inuadendum Belgium fretos clādeſtinis multorum indigenarum auxilijs, mittit præſidium in caſtellum munitiſſimum Bredam, quod erat Aurantij, & in alia caſtella quibus imperatum eſt ne cui, niſi Regi, obedirent. per quod ferè tempus portus Santonici gubernator Gernacius regulus vrbis in litore maris Britannici ſitæ ac munitiſſimæ, cum exijſſet ex vrbe, velletque deinde cum cohorte reuerti præſidiaria, Vgonotti portas occluſerunt à mercatore quodam & ſcriba impulſi, quia dicerent ſe poſſe vrbem ſine externis præſidijs Regi conſeruare. id vero creditum eſt à pleriſque non accidiſſe ſine gubernatoris conſenſu. excitati ſunt bellici tumultus & in Cantabris cum catholicorum calamitatibus, & profectis Germanis copiis in caſtra Vgonottorum trepidatum eſt denuo Lutetiæ, quare commeatus importatus eſt vndique, & aggeres ad defenſionem vbique extructi, vbi mœnia illud requirere viderentur. Condæus vt copiæ commodius ſtationem haberent, eas in varia loca diſtribuit, quando à regiis non infeſtabatur; ipſe ad Oſſerram conſedit. non procul cum raitris Andelottus, Amiras Sciatilioni cum duobus millibus equitum & multis Germanis tribunis. ea dum fiunt, Bruxellis, & in vniuerſo Belgio, in finibus Veromanduorum conueniunt in vnum multi publici latrones & craſſatores. viatores trucidant ac ſpoliant. exit in hos Albani iuſſu equitatus ac peditatus Hiſpanus. latrones partim trucidantur, partim capti in vrbem adducuntur ac publicè extremis ſuppliciis afficiuntur. Inde Mecliniæ, Gandaui, Bagani, & in aliis Belgarum vrbibus multi vno tempore capiuntur, ita vt vrbes redigerentur propè ad vaſtam ſolitudinem. Ædes Comitis Leucorum ſolo adæquatæ ſunt, funditusque euerſæ, vbi habita fuerant comitia coniuratorum, atque in area euerſarum ædium columna erecta eſt cum inſcriptione facinoris inciſa ad perpetuam memoriam eius rei. Fit etiam Bruxellis edictum publicè per præconem, vt omnibus nauigia armare liceret aduerſus piratas Britannos, cum captiuitas viginti nauigiorum in Belgium nuntiata fuiſſet. Ludouicus & Aurantius fratres, reliquique profugi, quibus dies dictus fuerat, & certus terminus temporis præſtitutus ad apparendum, cum minime apparuiſſent, ſeque obtuliſſent magiſtratui, promulgatur eorum condemnatio capitis, quia ſimulata defenſione patriæ aduerſus nouam quæſitionem, ipſi nouam religionem introducere conati eſſent aduerſus leges patrias, & regiam maieſtatem. Iubet Albanus Italum equitatum Bagani ſtatiua habentem, & bonam partem copiarum in finitima loca diſtributarum conuenire in vnum locum ad fines Belgicos. Nouas copias conſcribit propter timorem Gallicarum copiarum, quia verebatur ne rebus in Gallia compoſitis, vti dicebantur, omnes vires hæreticorum ad deuaſtandos fines Belgicos deuoluerentur, omniaque incendiis, prædationibus, ac cædibus replerentur. Hęc ipſa res fecit vt moderatius etiam ac prudentius in illos ſeditioſos animaduerteret, qui eſſent finitimi ciuitatibus imperatoriis, & Germaniæ finibus, vt ſunt Leuci, Bataui, Tongri, Sicambri, Buſateri, Zelandi. nam in Sequanos, Attrebates, Aimonieque populos animaduertebat ſeuerius cum multi ſępius occiderentur, & Gandaui decem & octo aut viginti aliquando vno die: ſed quotidie ferè aliqui. tanto autem deſiderio, tantoque ardore animi huic rei erat intentus Epiſcopus Attrebatum, vt ipſe exiret plerunque vnà cum ſatellitibus ad hęreticos capiendos. Illud ęgrè ferentes tanquam contra decus atque ſacram dignitatem committeretur quidam pręſidiarii milites Dorlenſii, quod eſt oppidum Veromanduorum, armati exeunt ad vltionē. Epiſcopum nihil tale opinantem, ac præter omnem opinionem ex inſidiis repente inuadunt. & illum, & omnes comites nemini parcentes miſerabiliter trucidant. fit certior Albanus per nuntios copias hęreticorum redeuntes è Gallia conuerſis vexillis in Belgiū iter facere, & iam fines Belgicos ingreſſas eſſe: qui imperat vniuerſum equitatum Hiſpanum & Italum iter capere Leodium verſus, & Tertium Inſubrum magiſtro caſtrorum Sancio Londognio. mittit etiam duo millia vallonum ad conſcribenda. filium reguli Berlamontii mittit & ad colligēdum equitatum dimiſſum à Rege Gallorum. Quę dum parantur ad bellum in Belgio, in Britānia vbi pecunia denuo repeteretur, reſpondit Regina non eſſe ſpernendam illam facultatem, quam

Albani ſeueritas in Belgio.

Aurantij cōdemnatio.

Epiſcopi Attrebatum cędes.

Reſponſum Britāniæ Reginæ de pecunia intercepta.

quam vel Deus benignus, vel fortuna liberalis, vel ſors in hoc prouida attuliſſet, cum præſertim illa maximè indigeret. quamobrem neque admiſit quidem oratorem Belgam, cum diceret ſe cum Rege, at non cum Albano acturam. nam per legationem nuntiauerat Philippo, quòd mercatorum pecuniam, at non regiam acceperat: quam tamen, ſi Rex ita cuperet, eſſet reddìtura. cætera quæ cum pecunia capta fuerant redditum iri, ſi ſubditi liberi cum ſuis facultatibus dimitterētur. fit etiam publicum edictum in Britannia vt libri omnes catholici, qui à catholicis Britannis, aut à theologis facti eſſent Britãnico idiomate in Belgio, ſub pęna perduellionis intra ſpatium viginti & octo dierum cuidam magiſtratui afferrentur. Belgica legatio cum Reginam alloqui non potuiſſet infecto negotio rediјt in Belgium. at ſtudentes partibus Reginæ, quæ captiua tenebatur in Britannia, quoniam illa videretur eiecta per iniuriam, collectis circiter duodeuiginti millibus armatorum exeunt in apertum aduerſus aduerſarios ſuæ factionis. Seditionis huius cauſa fuit reipſa ſtudium quidem nouæ religionis, ſed multo magis inuidia procerum eius regni mutua. nam proceres quidam autoritate potentiaque præſtantes inter Scotenſes ęgerrimè ferebant aduerſarios paruulum regem & vniuerſa regni ipſius negotia pro arbitrio gubernare, cum ipſi vt ignobiles inglorijq́; ſederēt ſemper ocioſi tanquam in theatro, & ad ſpectaculum moleſtiſſimum acciti. Idcirco accuſabant etiam ipſam Reginam, vt quæ iniquiſſimè & ad morem improborum tyrannorum regia negotia adminiſtraſſet. accuſabant quidam quod ea procurauiſſet Regem trucidari propter libidinem, cum alterius viri amoribus ac deſiderio capta eſſet. nam multi pleraque eius Reginæ facinora criminabantur, cuius cauſa fuit non ſemel apud Britannos agitata. Copiæ igitur Scotenſes ſæpe commiſſis minutis prælìis inter ſe dimicant, atque aliquando tam atrox, tamque cruentum commiſſum eſt vt plures ſeptingentis ceciderint ex iis, qui Reginæ partibus aduerſabantur. miſſæ ſunt duæ regiæ triremes tamen, quæ Belgicam legationem ad Icium vſque comitarentur, quæ reduces tria Gallica nauigia captiua cum multis vaſis vinariis plenis in Britanniam adduxerunt. allecti ſunt Britanni milites ad ea capienda vini ſuauitate, cum parum vini omnino in Britannia bibatur. nam potus eſt Britannorum ceruiſia, vel Bira, vel Hops, è lupulis herbis confecta, cuius quædam copia naſcitur apud Belgas. Sed neque Britannia quidem prorſus erat tranquilla, cum Ibernienſes partim veteri odio in Britãnos, perpetua cum ſit inter homines vtriuſque inſulæ maleuolentia, eſt enim Ibernia inſula à ſiniſtro latere Britanniæ magis ad occaſum; partim propter religionis diſſidium collectis quibuſdam copiis in Britanniam irruperint. villas concremarint. homines trucidarint. ingentem prædam auexerint. Vexabatur etiam Lituania, nullaque dabatur quies à perpetuis bellorum moleſtiis, quippe cum arma vbique exercerentur, frequentesque fierent vtrinque incurſiones. nam Lituani Smolengum Moſchouitarum oppidum concremarant. oppida rurſus Illam & Suſſam magna ex parte deuaſtant atq́; obſident. circiter tria millia Moſchouitarum trucidant, quos palantes in agro inueniunt. Turcæ quoque in finibus Pannoniæ nullum genus inſidiarum ac fraudum tranſmittunt. Purpuratus Albæ regalis veritus ne fierent induciæ antequam aliquid ipſe prædaretur pro Turcica auaritia, auiditate, atque adeo ingluuie, conuocat equitatum è finitimis præſidiis, qui prædabundus ac populabūdus in fines Pannonicos incurrit. factus certior Palodæ præfectus accit Pappæ ac Riſpiæ præſidia. per noctem magna celeritate vbi eſſe hoſtem perceperat, contendit. prælium committit. circiter trecentos trucidat. reliquos qui erant plures octingētis, in fugam vertit. nec multo poſt eam victoriam inuaduntur mille equites bellicos apparatus ad Pappam comitantes à Turcis erumpentibus ex inſidiis. apparatus dum pugnatur importatur, at è pugnantibus Cæſarianis ceciderunt ferè quadringenti. Aurantius vbi ſibi dictus fuiſſet dies per præconem, manifeſto ac palam obnuntiat ac proteſtatur illam citationem nullius eſſe ponderis habendam, quia neque citaretur pro legibus regionis, neque legitime procederetur, neque iudex eſſet idoneus Albanus eques Toſonii ordinis, tamquā eſt ipſe Aurantius. neque ſe poſſe acciri niſi ad principem equitum Philippum Regem nimirum. Pollicetur denique ſe appariturum apud Cæſarem & electores Imperii, atque ad alium quemuis idoneum iudicem acceſſurum ad cauſę ſuæ defenſionem, & ad reddendam æquiſſimam rationem omnium ſuarum actionum. Albanus contra, has leuiſſimas eſſe rationes inquit, & ridiculas tergiuerſationes, quoniam vellet per has ambages iudicium deuitare. Cæſar vbi ſibi allatæ ſunt literæ de mercimoniis & pecunia à Palatino intercepta, ad illum literas dedit, quibus monebat vt mercimonia & pecuniam reſtitueret mercatoribus, quare is merces quidem mercatoribus reddidit, ſed pecuniam retinuit, quam factam eſſe ſuam dicebat iure vectigalium, quia non modo non eſſet ſolutum portorium, ſed neque patefacta quidem à conuehentibus. Viſus eſt tamen quandam ſpem dediſſe, quod res poſset componi. at legationes Cæſaris quę Byzantium cum muneribus conuenerant, vbi purpuratos prius de more conueniſsent, muneraque obtuliſsent, ac poſt conuocatæ fuiſſent ad conuiuium ſanè lautum & opiparum in regium palatiū, vbi reliquis legationibus audientia concedi conſueuit, poſt prandiū in eadem aula perplacidam audientiā aſsequuntur. Nec multo poſt oblata ſunt Cęſaris munera quę diximus mitti, & vaſa præterea multa aurea & argentea, & pocula mirificè cælata, & horologia ſingularis artificii. precium totius muneris accedebat ad quinquaginta millia nummum. Legationes deinde Selimum conſequuntur proficiſcentem Adrianopolim, quæ per miram dexteritatem animos purpuratorum ſibi conciliauerant per mutuam conſuetudinem. Interea Byzantii cum actum eſset ſępius de induciis cum Cæſarianis legationibus, Selimus Adrianopolim iturus iubet rem tranſigi cum primariis purpuratis, qui omnes poſtea Adrianopolim profecti inducias in octennium concludunt, quia bellum Arabicum non leuiter infeſtabat animum Selimi, qui propter inſolentiam purpuratorum ab illo defecerant, & arma aduerſus tyrannos ſumpſerant: quarum induciarum hæ fuerunt conditiones; Vt induciæ per octo annos per-

Scotiæ ſeditio.

Britãnorum potio.

Iberniæ bella.

Aurãtij proteſtatio.

Pecunia à Palatino retenta.

Induciæ Cæſaris & Selimi.

Mm 2 dura-

durarent. vt quiſque teneret quæ acquiſiuiſset per vltimum bellum Pannonicum. vt in ijs induciis incluſi eſsent Veneti & Ioannes Rex Tranſyluaniæ. Vt agreſtes, qui tributum Turcis quotannis & Cæſarianis diſsoluebant Turcis tantum diſsoluerent, eosque dominos haberent. deinde manum exoſculati, acceptoque diplomate vt tuti in patriam redirent, vna cum Abrahamo Turcico oratore Iuliobonam redit ad Cæſarem. at vero Gallorum Rex vt ſuas vires adaugeret, miſerat in Italiam Alexandrum Rangonium, Sarram Martinengum, Æneam Pium, qui omnem quem poſſent equitatum colligerent, & multas cohortes peditum, quo tempore octo millia Vgonotti in Allobrogibus properabant caſtra cum Condæanis coniungere traiecto iam Rhodano ad oppidũ Tinurtium. ſed poſtea iter conuertunt ad obſidendam Granopolim vt exercitum regium ab impediendo itinere Raitronum reuocarent, cum Andienſis quoq; infeſtaret Vgonottos, qui habebat in caſtris circiter triginta peditum, octo equitum millia. atq; non parum animum Regis infeſtabant vires Aurantianæ in Belgio finitima regione, qui aduerſus Albanũ arma ſumpſerat multis adiuuantibus principibus, qui palam profitebatur ſe nolle aduerſus regem pugnare, ſed arma ſumpſiſſe ad liberandam eam prouinciam crudelitate Hiſpanorum ac tyrannide, cui cum nouam religionem palã profiteretur, non deerant multorum auxilia. Sed quoniam multos timeat neceſſe eſt, qui ſe à multis timeri velit, illam tantam Albani ſeueritatem neq; præſentes, neq; abſentes ſentiebant aut audiebant æquo animo, quare dicebant alterum cyclopem in Belgium ingluuiem inſatiabilẽ importaſſe, cũ homines impuri & nefarii aſſiduè caperẽtur, vrerentur uiui, trucidarẽtur, ad ſupplicia per præconem accirentur. facultates fiſco addicerentur, bona diriperentur, capti torquerentur, profugi relegarentur, & condemnarentur perpetui exilii. Hæc aũt iure fieri vi debãtur, quia grauibus morbis grauia remedia adhiberi ſolent, ſed tamen conſulendum eſt tempus; vt enim quędam corporis partes per obſequium reuocandæ ſunt ad ſanitatem, quædam prorſus inſanabiles reſcindendæ, ne totũ corpus in pernitiem trahant; ſic in regnis, & ciuitatibus agendum eſt. nam extrema ſeueritas inutilis eſt ut extrema clementia. Qui enim fieri poteſt vt in humanis corporibus nimius ſomnus aut nimia vigilia, vel nimia fames, ac nimia ſatietas mala ſit, & quodcunq; mediocritatẽ exceſſerit; at in regendis vrbium corporibus nullus error committi poſſit, in quibus maximè omnium neceſſaria eſt prudentia? inde fit ut errores modo in vniuerſos ciues, modo in debiliores, modo in ipſos principes redundent. cęptum eſt agi ab impuris quibuſdam hominibus ob eam ſeueritatem de opprimendo ac trucidando Albano duce, ꝙ illo trucidato neminẽ ſeueriorẽ præfectum inueniri poſſe cenſerent, & cęteros præterea duces eius cæde deterritos cautiores fore, neq; tantam ruinã ac deuaſtationẽ Belgii procuraturos. eius coniurationis, & ſuſcepti cum ſcelere conſilii princeps, & conſultor fuit Caroienſis regulus, qui ſtatuerat cum cõiuratis Albanũ in quodã cęnobio, quò iturus erat, cum oĩbus Hiſpanis obtruncare. aliis erat imperatum vt omnes Hiſpanos Bruxellis trucidarent. illa coniuratione clã Albano per quendam è coniuratis patefacta continuo miſſus eſt per noctem magiſter caſtrorũ ad capiẽdum principem coniurationis. Sed cum non fuiſſet inuentus, captus eſt qui munus illud vna erat ſuſcepturus. erat in illis finibus plurimus ſermo de coniurationibus, ꝙ omnes cupiebant Albanũ tanquam non patrem patriæ, & procurantem quietem auitamq; religionem conſeruare prouincię, ſed tanquam euerſorem, acerrimum hoſtem, & propè crudeliſſimam feram irrumpentem in Belgium, de medio tollere. iſtud commune odium in illum omnium populorum non ſolum excitatum erat propter extremam ſeueritatem, ſed etiam multò magis quia videretur nimis antiquas ſeditionum cauſas, & primarios autores, primosque principes rimati, atque ad imas vſque profundiſſimasque radices rerum, vt ita dixerim, penetrare. Ille tametſi omnium Belgarum populorum & finitimorum Belgii odia grauiſſima in ſe conuertiſse intelligit, tamen nequod indicium timoris edere videretur, multò etiam atrocius in quoſdam coniuratos animaduertit. Iubet Anciantio regulo caput amputari, principi eorum qui conuenerant ex Atrebatibus. huic additi ſunt ſex è primariis illarum ciuitatum viri opulentia & autoritate inſignes. his adduntur poſt paulo duodecim qui coniurauerauerant in caput Albani ipſius. Nec ita multis interiectis diebus, quia Belgium ita afflictum & oppreſsum eſse videbatur, vt liberè reſpirare non poſse ſibi appareret, nedum Hiſpanos non poſse eiicere, alia initur coniuratio de trucidando epiſcopo Leodienſi, omnibusque ſacerdotibus, quorum ſpoliis diuenditis aut impreſſis in pecuniam vterentur eiiciendis Hiſpanis in bellicos ſumptus. Illo conſilio nonnulli armati clam Leodium ingrediuntur. Sed re patefacta per vnum è coniuratis atrociſſimè in cæteros ſæuitur. Aurantius interea magnis equitum ac peditum copiis collectis, ſeſe accingit ad fines Belgarum hoſtiliter inuadendos, de cuius conſilio Albanus factus certior vniuerſas copias Hiſpanas, præter præſidia tamen Bruxellarum, Namurium verſus mittit. duo millia peditum iubet accedere Maſtrichium cum quingentis equitibus, quòd intelligeret non contemnendas hoſtium copias velle Reimburgum oppidum capere. Sed cum præſidiorum Reimburgi virtus egregia ẽituiſset in ea defenſione, hoſtes coacti ſunt infectum, atque fruſtra tentatum negotium relinquere. Enimuero cum Veſellis in vnum conuenirent vallones, qui Brederodenſi militauerant, quia iam totum Belgium ferè propter ſpem auxiliorum aſpirabat ad defectionem, cum quibus duo equitum Saxonum millia accederent, qui ab Auguſto electore mittebantur, iuſsus eſt præfectus Batauorum ad fines eius regionis contendere cum iis copiis, quas haberet, vt maturè conſuleretur rebus pręſentibus. Ita vero animi Belgarum erant aduerſus Albanum irritati & exacerbati, tantum odium, tantaq; indignatio excreuerat propter illum in vniuerſum Hiſpanum nomen, vt qui armis non poſsent vindictam vltionemq; ſuorum ſuſcipere, per criminoſos, & contumeliarum plenos impreſsos libellos tum Bruxellis, tum etiam aliis in locis atque vrbibus ſparſos animi ſui ardorem teſtarentur. in quibus omnia crudelia & delira, vt

Albani ſeueritas.

Omne quod nimium noxium.

Cõiuratio in Albanum.

In epiſcopũ Leodienſem coniuratio.

Cõiuratio in ſacerdotes.

Libelli crimi noſi in Albanum ſparſi.

appellabant, Hiſpanorum facinora continebantur, per quę conabantur legentium & populorum omnium animos aduerſus Hiſpanum nomē concitare, proponebantur enim quæ contra antiquā libertatem & priuilegia patriæ geſta eſsent ab Hiſpano, omnesque ſeditioſis adhortationibus excitabantur, cum eadem breuiſſimè dicerentur omnibus vbique Belgis eſse expectanda. nam quicunque bona haberent, eadem parari dicebantur pericula. proponebatur enitendum eſse perpetuū ſeruitutis iugum excutere, quod & præſentibus, & omnibus poſteris parabatur. iactam eſse aleam in præſenti de omnibus patriæ iuribus, niſi maturè occurratur. de libertate, de religione, de facultatibus, de ſalute cariſſimorum, de auitis laribus, de bonis omnibus, quibus Albanus auariſſimè immineret. neminem virum fortem vel bonum vel ſapientem poſse appellari, qui patriam laborantem deſerat, aut qui breuitate miſeriarum retardetur deterreaturq; à diuturna felicitate ſibi ac ſuis poſteris expetēda. oportere omnes fortiſſimè arma capere aduerſus communem hoſtem patriæ, crudeliſſimumque tyrannum. nam quamuis nullum prætermiſſum eſt induſtriæ, diligentiæque genus ad tanti ſceleris autores inueſtigandos, tamen nemo vnquam fuit inuentus. Quæ dum inueſtigantur, nuntiantur magnæ hoſtium copiæ è Germania ad Moſam fluuium contendere, qui in monte Iura ortus apud Sequanos, quos diuidit mons ille ab Heluetijs per Belgium decurrens, alluensque Menapiorum regionem mox in mare occiduum ingreditur. Albanus ratus traiectum vtiliter poſſe impediri, iubet caſtrorum magiſtrum cum quinque cohortibus peditum illuc properare. Imperat etiam Sanctio Abulenſi cum duabus cohortibus Hiſpanorum & quingentis equitibus prælium committere cum hoſte, quem inueniſſet ad Maſtrichium, quod fit diligenter. certatur acriter vtrinque. hoſtis denique virtute Hiſpanorum ſuperatus ad Daleram, illud eſt nomen loci, in regione Menapiorum profligatur. cæſi ſunt ex hoſtibus circiter mille & quingenti, ex Hiſpanis ad quinquaginta. Capti quidam inſigniores, è quibus Albanus per tormenta omnem ſeriem atque ordinem inſidiarum, quæ ſibi parabantur, extorſit, & rationem coniurationis. ea erat huiuſmodi, vt vbi Albanus in cænobium Bruxellis conueniſſet ad expurgationem à peccatis per celebritatem paſchatis, coniurati cum armis & malleolis circumuenirent cænobium, ac flammas ſubijcerent, & cænobium cum omnibus qui ineſſent concremarent. trucidarent Hiſpanos è flammis effugientes, at Belgium ab Hiſpanis liberarent. coniurationis præcipui autores Belgæ fuerunt Carolenſis & Ritſacius reguli. euaſerunt ex illa clade multi, qui ſe Vezellas recipiunt ad reliquas copias Aurantij, qui cum multis Germanis principibus iter ceperat Buſaterorum regionem verſus. In hunc miſerat Albanns Comitem Megenſem cum Hiſpano peditatu, & Aremburgenſem cum duobus millibus equitum. Germani enim accepta clade minimè territi, ſed potius irritati, quod illam calamitatem non è virtute hoſtium, ſed potius ex imperitia rei bellicæ illorum accidiſſe putabant, qui prælium temerè commiſiſſent, multa caſtella & pagos capiunt, quod rem Hiſpanam non mediocriter afflixit. Illud Albano ſanè moleſtiſſimum videri cœpit, quod tantopere in dies ſuccreſcerent hoſtium vires, quippe cum Nicolaus Neoſtatenſis Comes cum quatuordecim vexillis peditum & duobus equitum in regionem Menapiorum adproperaret; atque Ludouicus Nanſienſis è Germania immineret finibus Buſaterorum cum decem millibus peditum ac tribus equitum. qui iam ad oppidum Vneddam caſtra muniuerat. His tot, tamque multiplicibus exercitibus nuntiatis Albanus, quia ſciret magnis copijs opus eſſe tantis viribus ſuſtinendis, cœpit ſuas vires & ipſe colligere. Cenſæ ſunt octoginta cohortes Germanici Hiſpanique peditatus. Collecta quadraginta vallonum vexilla. equites leuiores galeati mille & quingenti duce regulo Horcaumeo, ac totidem ſub imperio Naurenſis reguli. His copijs collectis & cenſis mittit vallones equitatumque Sequanum vt cum ijs copijs caſtra coniungerent. Ludouicus tempus non amittendum ratus Vedemum & Danum oppida ſita in quadam palude non procul à mari inter ſe finitima vi armorum expugnat. Albanus veritus ne ſi ſpatium temporis accommodatum his muniendis concederetur, plurimum poſtea detrimenti rebus Belgicis inferrent, ſtatim mittit Megenſem Comitem cum altera parte copiarum ſuarum, & Tertium Sardiniæ, tres cohortes Tertij Inſubrum, Italos ac Hiſpanos equites galeatos quingentos, quinque cohortes Arembergenſis, quatuor è tribunatu Lamburgenſis ad illa oppida recuperanda, quæ cum eſſent adhuc debilia antequam munirentur, omnino aduerſus ingentes vires defendi non poterant. Ludouicus his captis Gruningam oppidum inuadit, ſed ob virtutem defenſorum negotio fruſtra ſuſcepto cogitur illam oppugnationem deſerere. Georgius Vanhellius cum ingentes copias propter auxilia ducis Veſſonum haberet, Lingæ tranſitum occupat: hos protegit, ne hinc ab Aremburgenſibus copijs, inde ab Hiſpanis circumuenirentur. Albanus tamen vel inter hos tantos bellorum motus, inter tot initia cædium, deuaſtationes prouinciæ, ſemina incendiorum, cum vndique arma, litui, tympana, tormenta obſtreperent, vbique circumſonarent bellici tumultus, tamen non minori cura tenetur inueſtigandi bona coniuratorum, quę fiſco addiceret, neque vel tantillum à primo conſilio retrahitur, quare maleuolis locum relinquebat facilem & ſuſpicionis plenum quod magis ad propriam, quàm ad regiam vtilitatem præeſſet Belgio. Enimuero cum Albanus haberet in caſtris decem millia veteranorum peditum maiori ex parte Hiſpanorum, duodecim Germanorum, totidem vallonum multos cataphractos, multos leuioris armaturæ equites, efficiebatur vt his viribus fretus parum curaret copias hoſtium, poſsetque vel ad res leuiores animum deflectere. publicè per præconem pronuntiantur eorum nomina, qui vel religionis cauſa ſolum verterant, vel pecuniam collegerant in ſtipendia tumultuantium, quibus dies dicitur, ac proponitur certum tempus ad apparendum, diluendasque criminationes & accuſationes. Proponitur pœna perpetui exilij atque bonorum fiſco addicendorum, niſi omnibus qui è patria profugerant per ſuperiores ſeditiones niſi

Moſæ deſcriptio.

Germanorū clades.

Coniurationis in Albanum ſeries.

Copię in Albanum.

Copiæ Albani.

Vedemſi & Danū oppi. capta ab Aurantio capta.

Albano contumeliæ ab hęreticis obiectę.

ſeſe magiſtratio obtulerint intra ſtatutum ſpatium. Sed metu acerbitatis & ſuppliorum nemo fuit qui æquo animo pateretur ſe patria & bonis priuari potius, quam ſe eius arbitrio committere. Scythæ interea magnis viribus collectis repentinis incurſionibus populabundi fines Tauroſcytarum adoriuntur. multos mortales in ſeruitutem abducunt. pecudes abigunt. pagos ſuccendunt. obuia quæque ferro ac igni deuaſtant. Palatinus his auditis prædationibus collecto magno globo equitum hos ad prædam recuperandam inſequitur. propius accedens extremam aciem trucidat, quibus in fugam verſis omnem prædam recuperat. Ludouicus Nanſienſis audito Hiſpanarum copiarum aduentu in regionem Buſaterorum contrahit copias ad pagum Eritemuerminum, atque cum Hiſpanus peditatus fuiſſet coniunctus cum Aremburgenſibus copijs ſeſe hoſtibus oſtentat. exeunt mille ſclopettarii. committitur leue prælium, quod ad noctem vſque protrahitur. noctis aduentu pugna dirimitur, quare ab vtriſque reditum eſt in caſtra. Poſtridie rurſus exeunt Hiſpani ad prælium; ſed hoſtis longe diſceſſerat, qui dictus eſt Danum verſus iter cępiſſe. Hiſpanæ copię exiſtimantes hoſtem in fugam verſum diffugere magna alacritate fugientem inſequuntur. Hoſtis intuitus peditatũ ſine equitatu inſequentem, quia nondum equitatus acceſſerat, conſiſtit. initur prælium. tam acriter inuaduntur Hiſpani cum hoſtis haberet trecentos ferrarolos in caſtris, vt deniq; fugati profligatiq; ſint. certatum tamen fuit vtrinq; per aliquod ſpatiũ magna virtute ac fortitudine. multi ceciderunt

Hiſpanorũ clades inſignis.

ſed plures ex Hiſpanis. nam fermè quinque millia hominum cecidiſſe memorantur. capta ſunt ſex bellica tormenta Hiſpana cum bellicis apparatibus, multaq; pecunia parata in ſtipendia militum. omne cælatum argentum Aremburgenſis, qui & ipſe captus eſt, & omnes inſigniores duces. ex Aurantianis copiis cecidit Adolphus Nanſienſis frater Aurantii, & alii quidam. ex Hiſpanis in ea pu-

Hiſpani ſuſpẽdio necati multi.

gna captis pleriq ue ſuſpendio ſunt necati propter incredibile odium in Hiſpanos, quod facinus adeo indignum viſum eſt Albano, vt partim ad vlciſcendas iniurias, tamque nationis ignominiam, partim vt tria millia Hiſpanorum, qui erant occupati in cuſtodiis Belgicorum procerum liberaret,

Albani vltio

ſtatuerit multos Belgas afficere extremis ſuppliciis. ac primum decem & octo inſignibus viris imperat capita amputari, inter quos duo fuerunt fratres Andelotus Vuinglienus, & Turlonius Cocchius reguli Battemburgenſes, qui cum ſonitu tympanorum & muſicorum inſtrumentorum ad locum ſuppliciorum extra vrbem acceſſerunt. reliquorum capita palis ſunt infixa, ſed horum duorum ſunt humata. Vix interceſſerat vnius horæ ſpatium poſt cladem ab Hiſpanis acceptam vbi acceſſit cum equitatu Curtius Martinenghus, poſt cuius aduentum Hiſpani exeunt in hoſtem denuò. intromittuntur clam in oppidum quatuor cohortes peditum & nonnulli equites, cum iam tumultuari quidam viderentur. Albanus Horneum & Agamontium Gandauo Bruxellas adducendos curat, quibus profectis Albani ſententia pronuntiatur vt caput publicè illis amputetur, quę

Albani ſentẽtia cõtra Agamontiũ & Horneum.

lecta eſt ita ſe habens; Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Ferdinandus Aluarecius Toletanus Albanus Dux, prorex Philippi Regis cum ſummo Imperio in his Belgarum regionibus, viſo criminoſo proceſſu inter procuratorem eius maieſtatis actorem & cõtra principem Agamontium captiuũ reum. viſa item informatione præfati procuratoris & omnibus ſcriptis oblatis, & ipſius Agamontii cõfeſſione, defenſionibus, ſcriptis diuerſi generis ad ſuam expurgationem. viſa etiam culpa ipſius Agamontii proceſſus, qui læſæ maieſtatis & perduellionis crimen commiſit, cum fœderationis coniurationisque fautor fuerit Aurantii, ac reliquorum procerum harum regionum, cum præterea fœderatorum defenſionem ſibi receperit ac depopoſcerit, cognitis item multis erroribus commiſſis in Belgica adminiſtratione aduerſus conſeruationem ſanctæ catholicæ fidei cum ſeditioſis ac rebellibus ciuibus. cognitis etiã aliis criminibus, quæ in ipſo proceſſu cõtinentur, datum eſt procuratori omnes cõcluſiones ſuas vt probaret Albano, omnibusq; ſuis conſiliariis, idcirco declarat prædictũ Comitem cõmiſiſſe crimen lęſę maieſtatis & perduellionis, atq; vt in hominem huiuſmodi gladio ſæuiendũ eſſe. cuius caput in loco publico ſublimiq; ponatur vt conſpiciatur ab omnibus. Ibi autẽ tãdiu conſiſtat, quandiu Albano placuerit, aut aliud decreuerit. ſtatuitur nequis inde auferat ſub pęna capitis. pręterea decernit vt omnia eius bona fiſco addicantᷓ cuiuſuis generis, oẽsq; rationes, iura, feuda hereditates ad illũ ſpectantes vbicunq; locorũ illa reperta fuerint. Bruxellis pridie non. Iunij

At Galli Pariſienſes, qui antea decies centena millia nummum Regi contulerant per ſpem rei benegerẽdæ, euellendorumque ſeminum hæreſeos, eam pacem ægerrimè tulerunt, quæ tamen non fuit diuturna. nam Vgonotti ne ſolis ſuis viribus regiæ potentię non poſſent reſiſtere, vel arma Turcarum & orientis in Galliam vltro excitanda eſſe duxerant. miſſæ ſunt itaque legationes Byzan-

Vgonottorũ nequitia.

tium, quæ illum Imperatorem ſempiternum hoſtem chtiſtiani nominis ad euerſionem Galliæ inuitarent. actum eſt cum Mahometto purpurato viro calidiſſimo, & ab æquitate nõ alieno, de Vgonottis in fidem ac tutelam Imperatoris admittendis, qui vbi cognouiſſet eos in Regem religionis cauſa arma ſumpſiſſe, valde cõmotus eſt aduerſus vel ipſas legationes. addebatur literis principum legationum, quæ ad Imperatorẽ ſcribebantur, quòd Vgonotti tumultus etiam erant in Germania excitaturi, quando ita commodum eſſet Imperatori, vt ſuos fines ex ea parte facilius poſſet dilatare. ſe vexaturos etiam Hiſpanum Regem quoties Turca in eum aliquam expeditionem ſuſcepiſſet, neque omnino inutiles fore clientes illi Imperatori. Iſtud ſibi facilè futurum, quod nõ ipſi ſolum, ſed plerique præpotentes Germani principes eandem rationem religionis complecterentur & fouerent, qui poſſent Imperatoris Chriſtiani omnia conſilia aduerſus Turcas ſuſcepta impedire & in-

Selimi nobile reſponſũ

fringere. reſpõſum eſt, Vgonottos tam eſſe abiectos, vt ſupremus orbis terræ Imperator negotium ſe indignum putet & rebelles & impios fouere, qui etiam nolit ad tam humilium hominum amicitiam deflecti. neque tamen certam fidem eorum poſſe cẽſeri, qui vel ſuum Regem ipſorum oppugnent. Turcas cum principibus ac regibus negotiari ſolere at non cum ſubditis aut ſeruis regum.

Sententiam illam, vbi recitata fuiſſet, viſus eſt Agamontius æquo animo atq; intrepido tuliſſe, qui dicitur magis commotus fuiſſe vxoris & filiorum calamitate, quàm ſuo ipſius infortunio, cum illis præter vllam ſuam culpam in miſerrimam inopiam rerum omnium bonis omnibus fiſco addictis & proſcriptis neceſſariò incidendum eſſet, quod certè non leue magis erat ſupplicium inter opulentiam præſertim educatis, quàm etiam mors ipſa. Dicitur idcirco literas ſcripſiſſe antequam cęderetur, ad Philippum Regem, quibus filiolos & afflictam, innocentiſſimamque vxorem ſummo ſtudio commendabat. eas literas conſignatas Iprenſi epiſcopo committit. rogat vt ad Regem perferendas curet. deinde à peccatis expiatur, interque celebrata ſacra Euchariſtiam ſanctiſſimam ſumit, quod ipſum fecit etiam Horneus. Poſtridie tabulatum eminens ex aſſeribus extructum mane viſitur, quod erectum eſt per noctem tectum nigris pannis. ſtatuuntur duę columnę quæ ferrum habe rent in ſummo præacutum tanquam clauum, & puluini ad iuſa capita reponenda; quibus ita paratis prior Agamontius adducitur ſub meridiem a magiſtro caſtrorum, & duce Salineſi tanquam prin cipibus ſatellitum cũ ſuo peditatu comitantibus ſacerdotibus & epiſcopo Iprenſi. erat indutus Agamontius ſerica veſte purpurei coloris, at ſuperius veſtẽ nigrã geſtabat auro intertexto, & nigrũ pileũ cũ criſta nigris cãdidiſq; plumis intermiſtis. manus erant ſolutæ ac liberę, non ſequebatur eum carnifex de more, cum adeſſet tantum præfectus ſatellitum ordinarius in equo ſub tabulato qui dextra virgam rubram geſtabat. Carnifex latuit ſub tabulato donec Agamontius pontem aſcendiſſet, qui paucis cum magiſtro caſtrorum & epiſcopo communicatis ſuperiorem veſtem ſponte ex humeris deiecit, ſeque in genua procidens deflexit. exoſculatus crucem ab epiſcopo oblatam deiecit pileum, conſtantiſſimoque animo ictum carnificis expectans paulopoſt cæſus eſt. Infinita propè multitudo in forum nundinarum vndique confluxit ad hoc tam miſerabile, tamque inuſitatum & inauditum ſpectaculum, quod nemo certe ſiccis oculis ſpectare potuit, cum nunquam auditum ſit principes in morem priuatorum publicè trucidandos datos eſſe carnifici, & capita illorum ita expoſita fuiſſe ſpectanda adductus eſt breui & comes Horneus vbi Agamontij cadauer tractũ, & tectum ſub pano nigro fuiſſet in alia parte tabulati. erat Horneus nigro colore indutus, qui locutus pauca ad eos qui circunſtabant, deiecta veſte ſponte in genua procidit. capitis integumento ſibi oculos velat. manibus iunctis ictum carnificis conſtanter ac forti animo expectat. Deciſa vtriſque capita columnis ſunt impoſita. vbi per tres horas fuerunt, ac poſtea cum cadaueribus ad ſepulturam ſunt conceſſa. Viginti cohortes Hiſpanorum, quæ illos adduxerant, mæſtæ ac lacrymabundæ recedunt uiſa conſtantia inſignium ducum & tanta fortunæ mutatione. Habebat Agamontius octo filios mares & tres fęminas. qui omnes cum matre relicti ſunt in ſumma paupertate bonis omnibus ereptis & proſcriptis. Vxor Agamontij tanti caſus impatiens cum pręter dignitatem aut commiſſa repente facta eſſet mendica è principe, cum tot miſerabilium filiorum calamitatum cumulos proſpiceret, cũ maritum tam miſerabili & lugubri morte amiſiſſet, tanquam altera Niobe attonita conſtitit, ac poſtridie eius diei extincta exanimataque eſt. Vna rurſus è filiabus nubilis forma præſtantiſſima cũ in tantas miſerias ſe incidiſſe per id ætatis cognouit, ipſa ſibi mortem conſciuit. filij itaque omnes in perpetuis lacrymis verſabantur, cum tota domus tam repente cædibus & miſerijs repleta eſſet. Philippus rex, in cuius animum tantum credulitatis non inciderat, cum non poſſet ſui miniſtri factum improbare, neque tamen non nimis atrox duceret, voluit omnino aliquo pacto corrigere pro regia manſuetudine ac benignitate. commotus igitur miſericordia, quæ facta ſunt non reuocat quidem, ſed certam pecuniam ſtipendiorum nomine adoleſcentulis aſſignat in annuos ſumptus & alimenta, cum veniret in memoriam beneficiorum ad Agamontio acceptorum. Tantum verò fuit Bruxellenſis populi ſtudium, tanta, tam communis omnis ſexus & ætatis, tam ſingularis in Agamontium beneuolentia, vt magnus fieret concurſus in templum Diuę Clarę vbi ſepultus fuerat, omniſque ciuitas Agamontii tumulum multis cum lacrymis complecterentur & oſcularentur, precarenturque pro eius animę quiete & tranquillitate tanquam pro patre patriæ. Dicitur Albanus quoque ipſe viſo tam miſerabili ſpectaculo, cuius autor fuerat, lacrymas continere non potuiſſe. At certè tantum odium omnium Belgarum & finitimarum longinquarũque gentium ob inuſitatum facitus in ipſum Albanum exarſit, vt niſi ante hunc caſum ingentes vires comparaſſet, vniuerſa Bruxellenſis multitudo in illum impetum feciſſet, eumque trucidaſſet. Non enim terrorem, ſed opinionẽ inauditæ crudelitatis & incredibile vltionis deſiderium per illud factum animis mortalium iniecit. Nam acerbitas inuſitata & grauitas ſuppliciorum, & quæ contumeliæ in principes præcipuè inferuntur, non putandæ ſunt terrere, ſed potius irritate animos cæterorum mortalium, & præcipuè principum. Illud cum cognouiſſet periculoſum eſſe princeps ſapientiſsimus Carolus Quintus imperator, non trucidauit Federicum Saxoniæ ducem religionis reum, & armatum, & contra imperiũ arma geſtantem, & cum multis coniuratum in caput imperatoris. neque omnia bona eripuit, ſed quæ tantum viſa ſunt poſſe ad inſurgendum denuo inuitare. neque Lantgrauium quidem vlla contumelia affecit, ſed tantum in maximum diſcrimen imperij incidit, quia nimis diu captiuos detineret. cum illi fugere vel ægrotanti per noctem cum maxima trepidatione hac ipſa de cauſa neceſſe fuerit. Nemo eſt enim quin ęquo animo ſibi à ſapiente & bono principe & clemente imperari ferat, cum auari & crudelis imperium omnibus ſit moleſtum, nec niſi violenter feratur. natura enim poſtulat vt meliora vbique dominentur. Laudatur idcirco Macedonis facinus, quem hortabantur quidam ciuem propter maledicta obtruncare, quem ille clam miſſis muneribus laudum ſuarum præconium reddidit. cum diceret, ſe meliorem fuiſse medicum, qui ſanitati reſtituerit ęgrotum, quẽ illi interficiendum cenſebant. nam dexteritas & clementia & liberalitas principis facilius domat animos mortalium, quam vlla vis ſeueritatis. Præclarè igitur Antiochus aduerſus Iudæos belligerãs

petentibus

Agamontius & Horneus Euchariſtiã ſummunt.

Agamontij Cædes.

Horneus Cęſus.

Agamontij filij.

Vxoris Agamõtij mors & filiæ nubilis.

Belgarum moor ĩ Agamantium.

Crudelitas nõ terret tãtum, quantũ irritat ad vltionem plerũq; mortales.

Macedonis Regis clemẽtia.

Antiochi clementia.

**Antiochi clementia.**

petentibus ſeptem dierum inducias ad quædam ſolennia, non ſolùm inducias conceſſit, ſed etiam tauros pulcherrimos auratis cornibus miſit ad ſacrificia, & alia munera adiunxit, qua liberalitate, munificentiaque Regis victi Iudęi poſt ſolennitatem cenſueuerunt non eſſe turpe tam magnifico tamque ſapienti Regi parere, quare tota ratio belli conſopita eſt. Sed quia Laſchus copias, Scytharum, Prutenorum, Tauroſcytharumq;, vt diximus, regionem populantes profligaſſet, qui erat præfectus cum ſummo imperio copijs Sidoniæ Regis, Selimus id factum grauiter tulit, quare iubet oratorem Polonum, quem rex miſerat Byzantium, in cuſtodias tradi, quoniam rex ille amicos Selimi populos præter leges pacis cū Polonis infeſtaſſet. Dux autem Pharodinenſis collectis copijs conatur Treciam Faltrianum, aliaſque nonnullas vrbes maritimas finitimas oceano occupare. Illæ vrbes cum vellent libertatem defendere, tanquam liberæ, mittunt oratores ad Cæſarem expoſtulatum de eius Ducis iniurijs, atque Cęſaris dexteritate & prudentia ita factam eſt, vt vniuerſum hoc negotium ſit compoſitum, & omnis controuerſia ſedata. Albanus poſt Agamontij cædem iubet eius à ſecretis viuum ab equis quatuor in partes diſtrahi ac diuidi, alios quatuor viuos comburi.

**Seueritas Albani.**

Illis tam atrocibus ſpectaculis viſis, quæ quotidie edebantur, alij conſcientiæ ſtimulis exagitati, alij vel ſuę innocentiæ diffiſi, ne in tam grauia pericula per fraudes & inſidias occultorum inimicorum aut inuidorum conijcerentur, cogerenturque per tormenta fateri, quæ nunquam commiſiſſent, aut excogitaſſent, diffugiunt ex omnibus Belgarum ciuitatibus, atque extorres patriam & omnia bona relinquunt. at nouæ religionis copiæ, quæ clade illa ſuperiore inſigni Hiſpanos affecerant, cum conſiſterent è decem millibus peditum, & mille & ſexcentis equitibus, nondum caſtra mutauerant, vniuerſamq; regionem incurſionibus infeſtabant, quare miſſus eſt eò comes Erbeſtainus tribunus cum ſuis cohortibus, & Tertium Inſubrū, & Dux Veſſonū cum mille & ſexcētis equitibus, & regulus Ambernardecius cum equitibus quadringentis. acceſſit & Cepinius Vitellius cūmagna man u nobiliū Hiſpanorum ac Italorum, qui dictus eſt magiſter caſtrorum pro cæſo Aremburgenſi ad eam expeditionem. In regione itaque Buſaterorum aſſiduis, propè minutis prælijs pugnabatur cum præſidijs Gruningæ vrbis, quam copię Nanſienſis obſidebant.

**Gruninga obſeſſa.**

Erat illa vrbs munitiſſima & annona & omnibus bellicis apparatibus inſtructa. Hi in paludoſo loco ſeſe aggeribus & foſſis militaribus vallauerant, qui neq; ab equitatu infeſtari poſſent, neque expugnari, niſi per ſummam difficultatem. Cęſar auditis his tantorum bellorum motibus in finibus Belgarum & Germaniæ, mittit nuntiatum Nanſienſi vt arma deponat.

**Cæſaris edictum Nāſiēſi. & Reſponſum.**

Secus facienti, proponit pęnam perduellionis. Ludouicus reſpondet ſe non poſſe iſtud facere, niſi prius factus eſſet certior Aurantius frater, cæterique principes omnes fæderati, ad quos illud factum pertinebat, quos pollicetur ſe breui certiores facturum. Poſtea vniuerſum ſuum exercitum, qui conſtabat è ſexdecim millibus armatorum partim mercenariorum, partim transfugarum Belgarum, in duas partes diuidit: vtraque pars non procul à Gruninga conſedit. pugnatur quotidie, vt dixi leuibus prælijs, in quibus ſuperiores erant plerunque Hiſpanæ copiæ. nā pręter id quod vrbs eſſet egregè munita rebus omnibus neceſſarijs, tum virtute comitis Megenſis ſtrenuè defendebatur, qui erat in præſidijs cum octo cohortibus Germanorum & mille Hiſpanis; ineratque Curtius Martinengus dux ſtrenuus cum trecentis equitibus. erat inanis obſidentium labor, vt apparebat, qui multis tormentis concuſſam vrbem amplam & munitiſſimam conabantur expugnare, cum nullibi via aperiretur ad inuadendum. expectare vt ſponte dederentur, nimis erat in ſulſum, magnis pręſertim copijs Hiſpanorū infinibus Belgij exiſtētibus. Cepinius cōtrà omni ſtudio copias con trahit. cum ſuis Gruningam accedit; vt eiectis inde hoſtibus obſeſſos liberaret. Albanus omnibus rebus neceſſarijs comparandis intentus, inſidijs in opportuna loca diſtributis, petit Regis nomine à duce Menapiorum, vt in quatuor è ſuis oppidis Hiſpana præſidia admitterentur, ne ſubditi poſſent cum hoſtibus conſpirare. illud quamuis durum videbatur Duci, potentioris principis arbitrio ſua oppida committere, cum Reges in alienis occupandis non ſeruent ad vnguem plerunq; æquitatem, pro quibus etiam pugnant, nihilq; incertius ſit, quàm regum voluntas in regnis & imperijs præſertim, ac munitionibus reſtituendis; tamen quia non poſſet. vel ſi maximè vellet, ingentibus copijs reſiſtere, quod armato Albano non erat tutum negare, concedit. His munitis conſtituit Albanus exire in apertum, & hoſtes collatis ſignis, ſi aliter non poſſet, eijcere è Belgio, direptis igitur oppidis, coniuratorum fiſco addictis ac munitis Hiſpanis præſidiis, conſtructis pontibus & lintribus apud Molducchium ad copias aduerſus hoſtem traiiciendas iter capit cum decem ac ſeptem cohortibus peditum Hiſpanorū, vt cum ſuis viribus aliis coniungerentur. Poſtea tranſit in regionem Menapiorum cōtendens ad vrbem Nimegam amplam & opulentam, cum iuſſiſſet Molducchii antequam diſcederet, edictum promulgari adquęſitionem ſpectans, quod idem fuit initium tantarum calamitatum. promulgatum eſt & Atuacuti, & in aliis vrbibus nemine contradicente, vel repugnante.

**Quæſitio Hiſpana Molducchii promulgata & alibi.**

Enimuero dum variis in locis Gallię hinc à regiis copiis, inde ab Vgonottis res bellicæ modo parantut, modo decertatur, quod ēt fiebat in finibus Belgarum, viſi ſunt tres ſoles in vrbe Theodoſia ſiue Caffa vt vocant, non procul a Boſporo vel cimeriis anguſtiis, atque in vniuerſa regione Trapezuntia, quod accidit hora tertia diei cœlo ſereno & claro, cum arcu ſupra hos qui ad tres horas perdurauit, deinde alius ad orientem, alius ad occaſum receſſit, tertius ſolitum curſum peragens peruenit ſolito tempore ad occaſum. nec multos poſt dies in eodem cœli loco hora quarta noctis viſa eſt crux, magna quædam ſtella, & luna, præter omnem credulitatem ſplendentia, cum crux, & ſtella, nihil minus luna lucerent, quę ad auroram vſque perdurarunt. illud variè explicatum fuit ab iis, qui rerum futurarum ſe coniectores eſſe profitebantur. nam portendi deuaſtationem imperii Turcarum plerique vaticinabantur. interea Vgonotti vrbem amplam & opulentam Beauuois per inſidias capere nituntur, cum paulatim multi eorum catholicorum nomine ingrederentur

gredcrentur. ſed re patuefacta omnes ingreſſi trucidantur. quo tempore gubernator portus Santo
num Gernacius regulus cum exjiſſet ad quædam negotia, velletque in vrbem reuerti cum cohorte
peditum ad vrbis præſidia, excluditur ab vrbanis Vgonottis, cum profiterentur ſe ſine exteris præſi-
diis Regi poſſe vrbem defendere. at Pariſienſes quod German arum copiarum aduentum in caſtra
Vgonottorum intelligerent, veriti ne vires omnes Lutetiam conuerterentur commeatum deferunt
in vrbem, eamque in locis opportunis foſſis & nouis aggeribus muniunt. Condęus autem vt ſuæ co-
pię commodius caſtrmetarentur, quia non infeſtabatur à regiis, illas in plures partes diſtribuit cũ
ipſe ad Oſſicerdam, ſiue Oſſeram cum phalange conſtitiſſet. nec procul ab ea Andelottus cum
raitris, & Amiras cum duobus millibus equitum Sciatilione ſuo oppido, poſt captum Bleſiacum,
quod oppidum ſe Condęo neceſſario dedidit, ſaluis præſidijs & impedimentis, cum ciues decem mil
lia nummum dediſſent ne diriperentur. captus eſt paulopoſt Æneas Pius ſetini cum ſuo equitatu
ſtationem habet, qui locus erat principis cuiuſdam Vgonotti. nam cum duos è primariis oppidi ce-
piſſet Æneas poſtridie ante lucem affuit è caſtris Condæanis oppidi regulus cum mille & quingen-
tis raitris, qui totam noctem equitauerant, qui caſtellum ingreſſi cęſis ſexdecim galeatis Pij,
multiſque captis ipſum quoque capiunt poſt diuturnam defenſionem. captus eſt & trib unus rai-
turum à vicario Pij, qui paulopoſt ex vulnere accepto obiit. nec multo poſt accedentibus nouis auxi
lijs regijs oppidum recuperatur fugatis Condęanis. multa leuia certamina propinquis his exercitibus
committebantur, cum modo ad hos, modo ad illos victoria inclinaret. at regina quoniam inter re-
gios proceres natum eſſe in caſtris non nihil controuerſiæ intelligeret, cm etiam inſidias in Andien
ſem filium patefactas fuiſſe, decreuit accedere in caſtra, vt his tantis rebus aliquam moderationem
adhiberet. Condęus ad eam Odum Colignium mittit, qui Card. fuerat Sciatilioneus, cum alijs quibuſ
dam proceribus vt cum ea ageretur de pace: qui non valde gratum reſponſum acceſſerunt, quod pa-
rum vidētur papem optare, qui regiam benignitatem noluiſſent admittere. ad eam opinionem im-
pulerant regem ingentia Pariſienſium promiſſa, cum populus decies centena millia nummum &
amplius in bellicos ſumptus obtuliſſet, at clericorũ ordo octies centena millia, multique alii princi-
pes obtuliſſent auxilia. cenſebat etiam hoſtem Regis non poſſe tot copiis alendis ſufficere, cum plu-
res mille & qu ingentis raitris confugiſſent in caſtra regia, & multa auxilia è Germania à regiis expe
ctarentur. reſpondent denuo repetentibus pacem leg ationibus nolle regem quidquã de pace audi-
re, niſi vna eſſet religio in vniuerſa Gallia, vnus rex, vnum genus legum. vtile fortaſſe fore vt legatio-
nes Lutetiam accederent ad colloquium Regis. Odus cum reliquis legationibus eã Lutetiam comi
tatur compoſitis diſcordiis caſtrenſibus, atque procul ab vrbe ſubſiſtens regium reſponſum expe-
ctat. at Condęus interea veritus ſi à regiis copiis opprimeretur, ne non pateret locus ad exitum è Gal
lia ſatis commodus, decernit contendere ad loca maritima vt daretur traiectus in Britanniam Arari
fluuio traiecto per pontem apud Sciatilionum Genabum verſus iter facit. huic cum vellet reſiſtere
Auguſtonometanus, qui tranſitum cuſtodiebat, cruentum ſane & atrox prælium committitur mul
tis vtrinque cęſis. vi tamen Condæus penetrauit cum haberet octo' equitum millia, ac viginti & tria
peditum, quas copias regiæ maiores paulopoſt ſequebantur. Vgonotti deinde Chiatres vrbem non
ignobilem & opulentam, multiſque firmis præſidiis communitam obſidione cingũt, & ſex bellicis
tormentis concutiũt, ſed cum negotium nimis apparuiſſet difficile ob virtutem defenſorũ, relinqui
tur. audiebãtur tñ de pace legationes à Rege, cui legatio deſtinati ſunt ſex è ꝓcerib. primariis. aduer-
ſabãtur huic paci legatio pontificia & Hiſpana cũ nuꝑ aucta fuiſsẽt caſtra regia multis auxiliis, q̃ di-
cebãt certiſſimã victoriã ita ꝑ ſpẽ pacis è manib. Regis extorqueri. ſed rex & regina ob inſignẽ carita
tẽ annonę dicebãt ſe nõ poſſe ęqs aurib. audire tot lamẽtationes ſubditorũ populorũ, aut regionũ
euerſiones factæ ſunt igitur induciæ in viginti & quinq; dies, atq; pax ita cõcluſa. 1. vt rex ne arma de
ponat, neq; catholici quos volet. 2 vt intra viginti & quatuor horas Vgonotti arma deponãt poſt
pacẽ publicatam. 3 vt illorũ raitri, & Germani exeãt intra viginti dies è regno, qua via à Rege decer
netur. 4 ne Vgonotti fruantur pacis beneficio niſi reſtitutis omnibus locis quę tenent regiæ obe-
dientiæ. 5 exercitationes religionis relinquẽtur pro edicto pacificationis nulla ex parte coarctatæ.
6 Nobilibus conciones concedentur in ſuis domibus, neque in prouincia eas petent, niſi in Miran
dolo. 7 Quod ad ſtipendia raitrorum, ipſi numerabunt quadringenta nummum millia, reliquũ
Rex, ſeptingenta millia nimirum, non ſoluet niſi quo breuiore tempore poterit. 8 vt rex mille
equites, & ſex millia peditum ordinarios apud ſe retineat. 9 Rex præterea declarat quod eos vult
quòd bonos, & fideles ſubditos exiſtimabit, obliteratis è memoria omnibus inſidiis ſibi paratis, &
vrbium oppidorumq; captiuitate, cędibus ſubditorum, incendiis templorũ ac domorum, exactis tri
butis & monetis regiis adulteratis, quos in gratiam recipit, permittitq; vt bonis perfruantur pacate,
cum ſuum afflictum populum ad pacem, & concordiam ac tranquillitatem velit perducere. ſed quo
niam venerat in ſuſpicionem Cõdæus dum copiæ dimittuntur poſt ſubſcriptiones per quædam de
lata, ne ſibi pararentur inſidiæ, petit à Rege, & comitiis, vt Genebum ſibi ad tutelam concederetur
dum rex externos milites exceptis Heluetiis emitteret è regno, cum ipſe raitros eſſet emiſſurus, atq;
pro Genabo Bleſiacum illi conceditur à comitiis. cum principes factionis ad ſalutandum regem ac
ceſſiſſent, data eſt opera, vt copiæ dimitterentur. promulgatum eſt pacificationis edictum in vniuer-
ſo regno, quod quædam vrbes ægrè admiſerunt. Non tamen fuit ſine aliqua controuerſia Germa-
nia, quoniam cum alii Gallicis, alii Cõdæanis, nouæq; religionis partibus magis fauerent, plurimũ
inter ſe diſſidebant. nam vbi Caſimirus per regionem Volphangi eſſet tranſiturus promiſerat ſe ſine
vlla offenſione illud eſſe facturum, ſed tamen diripuit, deuaſtauitq; omnem regionẽ pertranſiens.
conſpirauit igitur ad eius rei vltionem cum Gulielmo Duce, qui regiis partibus fauens ſtudebat, vt

Pax Regis Galli cũ Vgonotti.

filius

filius palatini à ſuſcepta expeditione reuocaretur. arma igitur ab his principibus vtrinque ſumpta
fuerunt. at Toloſenſes nuntium tam moleſtæ pacis, qui regium edictum attulerat, ſuſpendio neca-
runt. ſed iam ciuitates & caſtella reſtituebantur Regi vbique in Gallia, quod non fiebat ſine aliquo
Vgonottorum tumultu. atque cum rex ſuos Heluetios haberet pro cuſtodiis, quorum erant ad ſe-
ptem millia, non patiebatur eos longius à ſe diſcedere. Cōdęus cōtra nō ſatis fidebat regiis promiſ-
ſis, neque uolebat arma deponere cum multas cohortes equitum & peditum circa ſe haberet vete-
ranorum. Amiras & ipſe circa ſe habet equites & pedites. per quod tempus Lugduni gubernator edi
ctum promulgari iubet vt omnes reformatæ religionis, vt vocabant, homines, qui habitabant in vr-
be ab anno. 1560. Ad ſua bona tutò redeant, modo quiete & in obedientia regia viuant. ne arma
geſtent, aut habeāt domi præter enſes & pugiones, qui vrbem intrantes dent nomina, quo in albo
ſcribantur, vt artes & uicus & domus cuiuſque ſciretur, qui neque poſſint conuenire, neque ſuam
religionem exercere ſub pęna capitis & omnium bonorum. vbique arma tractabantur interea, atq;
vbique adaugebantur pręſidia, omneſque vrbes tumultuabantur, quæ pro edicto Vgonottos ad-
mittere recuſabant. ea res fecit vt tardius Condęus loca quædam Regi reſtitueret, & in primis Mon
tem Albanū, Arecomicos Peſſulū ſiue Mompoſſeriū, cū etiā Lutetię & Rothomagi & in alijs locis
nōnulli Vgonotti ſint cæſi vel direpti. Lutetiæ, vel cōtra quā erat imperatū, cōcionatores catholici
plurimū inuehebātur in autores tā fędæ pacis. Ibernia quoniā tumultuari apparebat paulatim, miſ-
ſus eſt cū poteſtate proregia præfectus Hēricus Sydneus cōſiliarius, q vel antea pfuerat. nā Ibernii ta-
metſi bellicoſi ſunt, & rerum nouarum cupidi ſuopte ingenio, tamen quia nulla haberent tormen-
ta, nulloſque apparatus bellicos, facile ſunt repreſſi. Germani principes auditis Hornei & Agamon-
tii cędibus, mirificè triſtantur. lugubres veſtes induunt. Cędium cauſa comitia indicunt Colo-
niam Agrippinenſem, quæ vrbs eſt in regione Vbiorū in ripa Rheni fluminis ſita. decernitur in iis
comitiis, quoniam in ſanguinem principum ſubditorum Imperio, & affinitate vel fędere cum tot
principibus coniunctorum ſæuitum eſſet, tantas iniurias inultas nō eſſe ferendas. conquerebantur,
ſeque excitabant inuicem, eaſdem calamitates omnibus imminere, niſi maturè occurratur. Non vi-
deri in Agamontium fuiſſe animaduerſum, cum facultates innocentes, nulliuſque ſceleris conſciæ
miſellis & innocentibus filiolis ſint ereptæ tam inhumaniter, iique ad miſerrimam paupertatē p
ſummam auaritiam deiecti. Nimis crudele eſſe filios innocentes luere peccata parentum ſcelerato-
rum, nedum innocentium. accuſationes fuiſſe confictas, vt per hanc ſimulationem Albanus ſuam
auaritiam & ingluuiem expleret. nullum fuiſſe tantum ſcelus Agamontii, quàm quòd eſſet inuiſus
Albano & opulentus, nimiſque ſe illi confidenter crediḋiſſet. cęteros principes & priuatos aut eadē
ratione trucidatos eſſe, aut per ſimulationem ad hoc ſcelus Agamontii occultandum. ſic addictum
eſſe ſceleri ſcelus. His tot lamentationibus & contumeliis in Albanum decernitur omnibus ſuffra-
giis cędē Agamōtii eſſe vlciſcēdā. Nā Saxonū Dux, comes Palatinus Rheni, Mocōtiacuſq; & alii ele
ctores animum ſtatim adiiciunt ad equitatum, peditatumque conſcribendum. nam triginta peditū,
ſeptem equitum millia decreta ſunt. Nanſienſis ad Gueningam, vt diximus, caſtrametatus ab Hi-
ſpanis infeſtatur conantibus abbatiam quandam recognoſcere. initur minutum prælium, cum Nan
ſienſis copię vellent iter parantes impedire. nā parabant Hiſpani ſuper cratib. p paludes foſſas traiice
re, vt equitatus etiam tuto pertranſiret. increbreſcebat autem leue prælium ita, vt collocatis quin-
gentis ſclopettariis in inſidiis Belgæ Nanſienſes in quibuſdam domibus, & ſuper ponte ducente ad
abbatiam, bis in fugam ſint verſi. ceciderunt è Nanſienſib. plures ducentis, ex Hiſpanis decem. Ludo
uicus cum ſentiret numerum ſuorum ita paulatim abſumi, idque fieri inutiliter, mittit præconem
ad Cepinium, qui nuntiaret ſibi optimum videri vt quàm citiſſime ſine diuturna regionis deuaſta-
tione cuiuſcunque illa futura ſit victoria, finis illi bello imponeretur: quare ſe facultatem facere, ſi
velit, de tota ſumma belli dimicandi. Reſponſum eſt nondum eſſe, ſed cito futuram huiuſce rei
opportunitatem. expectabat enim adhuc Albanum. Aurantius cum eſſet apud Coloniam cum vi-
ginti & quatuor vexillis peditum, & mille & octingentis equitibus ita auxit animū comitis Vadem-
burgenſis, vt ille Bergam ſuam vrbem ingreſſus præſidia à Megenſi impoſita eiecerit, quo facto indi
gnatus Albanus mittit Sancium Londognium cum Tertio Inſubrum, & multis bellicis tormentis
ad vrbem recuperandam. Comite eiecto vrbs Regis nomine occupatur, ac præſidia imponūtur. His
ita actis Gueningam verſus properat explicatis vexillis. cum pauca tormenta eſſent in caſtris Hiſpa-
nis, iuſſa ſunt quædam attrahi Meclinia in fines Buſaterorum cum bellicis apparatibus, & lintres cō
uehi ad pontes faciendos. Vbi Albanus cum copijs Gueningam acceſſit, hoſtes continuò abſcedunt
ab abbatia, ſeque in quandam munitionem recipiunt, & impedimenta Empedemum verſus mit-
tunt. Poſtridie acies idem iter faciunt, quas Hiſpanus commiſſo leui prælio inſequitur. Nanſienſes
pontes omnes à tergo vel concremant vel reſcindunt, cum multa eſſent traijciēda flumina, quæ im-
pediebant equitatum quo minus inſequeretur. ſic Nanſienſes copię foſſarum, noctiſque beneficio
ſunt protectę. Albanus cognita profectione hoſtium caſtrametatur ibidem ad Gueningā, vbi prius
hoſtes conſederant. poſtero die motis caſtris relictis mille & ſexcentis equitibus Gueningæ in præ-
ſidiis, hoſtem ad Seclotem vſque pagum inſequitur. relictus eſt equitatus quo fieret exercitus expe-
ditior, cum illa regio non valde ſit equitatui accommodata propter frequentiam foſſarum & co-
piam cęni, quod plurimum eſt vbique in illis finibus. ibi ſubſtitit per biduum, cum ne diſſipatos ho-
ſtes inuaderet, quos confertim cōglobatos & coniunctos cupiebat profligare omnes vno prælio, tū
vt intelligeret è captiuis quod eſſet hoſtis conſilium. Interim nuntiatur Albano hoſtes ad pagum
Hiemmingam colligi, quò magnus numerus equitum ac peditum auxiliariorum acceſſerat. Nam
tantum excitatum erat odium apud illos populos aduerſus Hiſpanos, vt omnes tanquam ad com-

Comitia Coloniæ agrippinenſis de morte Agamontij.

Decreta ob mortē Agamontij.

munc

Copię Nanſienſis.

mune incendium totius & Belgij & Germaniæ extinguendum vndique cum armis conuenirent. Habebat enim in caſtris iam Nanſienſis quindecim millia peditum & mille equites, præter illud, ꝙ infinibus Auguſtæ, alijſq; Germaniæ locis aſſiduè ſumma diligẽtia eqtatus & peditatus colligeba tur. Nanſienſis cum his copijs Amaſio fluuio à tergo relicto, qui ortus è montibus Melibocis

Amaſius fl.

nõ procul ab oppido Plileo in mare deuoluitur conſedit in loco tam munito foſſarum, lacunarũq; beneficio, vt caſtra eſſent omnino inexpugnabilia, cum poſſent Hiſpanæ copiæ in altiſſimo limo vbique demergi, ſi conarentur illa inuadere. à latere habent Emdemum oppidum opulẽtiſſimum, plurimumque faciens ad res bellicas, vnde multi lintres ſuppeditabantur ad conuehendas res neceſſarias. Ibi ſtatutum eſt vt expectarentur auxilia, quæ adducturus erat Aurantius. nam Comes Empedemi quindecim cohortes colligebat, Dux Saxonum Lantgrauius, Argentoratum, Francfordium, liberæ ciuitates aliæ fœderatæ pecuniam & copias ſuppeditabant. Pollicentur in quatuor menſes ſtipendiorum vadimonia, quæ Cal. Septembris intelligantu r. conceſſa eſt illa prouincia regulo Clausdeſtucſtatio, vt ſexdecim cohortes peditum, & tria millia equitum colligeret Filius Ducis Veſ

Copię quæ parabãtur ĩ Albanum.

ſonum colligit duo millia equitum ab alijs tribunis ad oppidum Carpenam collecta ſunt duo equitum, tria peditum millia. multis alijs in locis Germaniæ ingentes copiæ colligebantur, cum neque ex his ſolis partibus malum Albano immineret, ſed etiam è Britannia, cum etiam inde ſubſidia Nãſiẽſibus copijs pararẽtur. Nã q ꝓfugerãt illuc è Belgio collegerãt tria millia peditũ, ſuggerũt pecuniã in ſtipẽdia, qui bona eccleſiaſtica ibi poſſiderẽt. arma coempta ſunt, & ſex tormenta bellica. conducta ſunt quinque Britannica nauigia, quibus copiæ traijcerentur in fines Buſaterorum. cum his accedũt circiter octoginta nobiles Britanni. at Hiſpanus orator cognitis his motibus bellicorum apparatuũ in inſula, accedit ad reginam. docet inter conditiones pacis hanc etiam contineri, ne armatos exteros ex inſula aduerſus Philippum Regem exire pateretur. fit edictum nequis armatus exeat. fit vanum edictum, quòd arma ante illud paulatim fuerant tranſuecta. comes etiam Suarzemburgenſis magno ſtudio colligit duo millia peditum & octingentos equites, quibus vires Nanſienſis comitis ad augeret. ſic Albanus dum per illam ſeueritatem conatur cæterorum animos deterrere, atque ſurgentes ſeditiones breuiſſimè extinguere, crabrones irritauit, & maius atque atrocius excitat incendium. nam putabat concutiendis facibus ſeditionum ignem extinctum iri, cum tamen magis irritaretur & ſuccenderetur. nam certe quidẽ viri nobiles vel impietatis vel perduellionis rei puniẽdi ſunt etiam grauius, quàm vulgus & ignobiles, cum grauius peccent, vt cęteris autores improbitatis, ſed tamen id cum moderatione quadam facere conuenit. Quòd ſi in alterutram partem peccandum ſit, modo ne ſit extremum, præſtat per nimiam clementiam, quàm per nimiam crudelitatem peccare. ſapienter itaque fit à Venetis in impios & ſeditioſos: non enim prius occidunt, quàm obſtinatiſſimos inuenerint, neque tamen necant palàm crudelitatem publicè profitentes, vt fit à barbaris, ſed clam, quia contenti ſunt ſceleratos è medio tollere nullis ereptis facultatibus innocenti familiæ. Neque ſanè pontifices iſtud faciunt Romę, niſi immane aliquod & inuſitatum commiſſum ſit facinus vt viuos & paulatim comburant, quo ſentiant pęnas atrociores, cum nimis appareat inhumanum,

Moderatio ſuppliciorũ conuenit ẽt in grauioribus malis.

ſed hi vel ſuſpendio puniunt, vel vrunt poſt ſuſpendium à facultatibus abſtinentes. Nam illa atrocitas ſuppliciorum quanto maior fuerit, tanto vehementius imperitam multitudinem in falſas hæreſes impellit, at non deterret, commouetque miſericordiam, ſi conſtantiam impiorum, vel potius inſanam pertinaciam inuenerit. Albanus auditis his tot bellicis apparatibus ab oppido Soblotere mo, vbi conſederat, caſtra mouet, Redenumque accedit, quod hoſtes initio eius belli occupauerant, ibique caſtra ponit, ac munitionem erigit. Tertia deinde vigilia caſtrametatur ad caſale Raidemum in ripa fluminis, vbi hoſtes etiam prius conſederant. erat ibi pons peramplus, vbi Albanus reliquit cohortem Germanorum quia hoſtes non poſſent niſi ea diffugere. res eo denique redacta erat, vt via ad ſalutem neceſſariò ferro & virtute eſſet Nanſienſibus copijs aperienda. his ita ſtatutis hoſtem verſus caſtra mouet, qui diſtabat circiter decem milliaria. cupiens Albanus cognoſcere quo in ſtatu res eſſent Nanſienſis, mittit Sanctum Abulenſem cum triginta ſclopettarijs equitibus ad captiuos faciendos, quòd neque equitatus poſſet propius accedere, neque per exploratores quidquam ſciretur. redijt cum captiuis Abulenſis. Albanus delecto loco ad pugnam præmittit centum ſclopettarios equites Sancio & Montero ducibus ad hoſtem ad minutum prælium prouocandum. iubet Iulianum Romerum ſequi cum quingentis ſclopettariis. mittit poſt hos Sancium Londognium cum mille ſclopettariis, quos iubet ſequi à tergo duo vexilla cataphractorum equitum ducibus Cæſare Gonzaga & Curtio Martinengo. Hiſpanæ copiæ iuſſæ ſunt conſiſtere, neque diſcedere iniuſſæ, quibus præerat Conſaluus Bracamontius & Alphonſus Vlloa. poſt Hiſpanas copias ſex Germanorum cohortes ſunt conſtitutæ, quas ſubſequebantur quindecim vexilla Vallonum, & ſexcenti equites galeati. Hæ copiæ ita ſuccedebant, quia propter anguſtias locorum ita iter alicubi vtrinque arctabatur ob cęnum, vt nõ plures ſeptẽ a fronte poſſent procedere. qui primi ad leue certamen profecti ſunt, quoſdam palantes ac diſſipatos procul a caſtris inueniunt pontes & tranſitus deuaſtantes, ne Hiſpani poſſent tranſire. initur leue prælium. Nanſienſes coguntur intra reparationes ſe ad tormenta recipere. ſic enim Belgę Nanſienſis inſtructi paratique erant. Habebant a latere fluuium Amaſium, a tergo caſale, vbi duæ acies peditum conſtiterant, & magna ala equitum leuiorum. Sariſſarum

Acierũ Nanſienſium inſtructio.

ordo tam egregiè erat armatus, tamque decorè inſtructa acies, vt omnino appareret formidabilis. ſclopettarij prius diſſipati prælium inſtaurant, nouiſque ſubſidijs accedentibus ſclopettariorum aciebus ſtrenuè reſiſtunt. Sancius ſariſſas poſtulatum mittit ad Albanũ, quod cũ vellet hoſtes ſpe victoriæ diſſipari non obtinetur. cupiebat Albanus illos trahi in frequentiores ſclopettarios & inſtructorum Hiſpanorum aciem, ac ſariſſas, quibus cedentibus clam ſuccedebant Germani & vallones &

equitatus

equitatus,quibus omnibus difficillimum videbatur reſiſtere. repetentibus ſariſſas denuo Iuliano & Sancio iubet Albanus Gonzagam & Martinenghum ad caſale quoddam peruenire cum ſuo equitatu,vbi decertatum eſt,& Felicem cum trecentis ſclopettarijs caſale ipſum cuſtodire. foſſarum aquę paulatim interea excreſcebant, atque per planitiem ſpargebantur,quia Nanſienſes Belgæ ingentem aggerem exciderant, riuumq; peramplum immiſerant,quò Hiſpanorum caſtra inundarentur. ſuccreſcebat paulatim aeris perturbatio vt nimbus quidam concretus repente non mediocriter Hiſpanas copias affligeret. pugnatum eſt ab Hiſpanis neceſſariò, tum ne breui in aqua vmbilico tenus cogerentur ſe defendere, tum etiam ne inutiles fierent paulopoſt ſclopettarij propter pluuiam. Imperat Fernando Toletano filio conuolare ad ſollicitandas copias, ipſe illuc proficiſcitur, vbi expectare ſtatuerat. initum erat prælium ante meridiem circiter duas horas,circiter duas horas à meridie Fernandus cum aciebus acceſſit. ſclopettarij qui pręceſſerant ac diu pugnauerant,proſpectis auxiliis à tergo non parum confirmati mira ſtrenuitate ſuperatis foſſis hoſtium tormenta occupant. Tum prætergreſſi impetum faciunt in hoſtes non parum à ſclopettarijs & campeſtribus tormẽtis infeſtatos. pugnatur fortiter vtrinq; intra munitionem,at Belgæ numero & virtute hoſtium victi in fugam denique vertuntur. Egregia virtus enituit præcipuè horum ducum in eo certamine, Antonij Toletani, Sancij Abulenſis, Gurtij Martinenghi, Cæſaris Gonzagæ, Ioannis Paccechi, Fernandi & Roderici Toletanorum. Gonzaga & Martinenghus equitatus tribuni tanto cum impetu fugientes inſequuntur, vt multis trucidatis arua vbique ſariſſis iacentibus & armis cęſorum corporum proſtratorum tegerentur, neque minor ſanè clades ab ipſis Belgis, quàm ab inſequenti equitatu edita eſt,cum poſtremi primos impellerent in paludes & in foſſas,ita vt ſuffocarentur celeris fugę deſiderio. ceciderũt ĩ eo ꝑlio circiter ſeptẽ millia peditũ partim ferro trucidatorũ,partim ſuffocatorũ in proximis paludibus. Equites mille & quingenti. capti multi,quibus ad vltionem ſuſpenſorum Hiſpanorum capita ſunt abſciſſa. Nanſienſis vbi vidit primum ſuos in fugam verſos, maluit ſe fortunæ arbitrio & fluuij rapacitati, quàm crudeliſſimo hoſti committere,quamobrem partim natans, partim in quodam lintre ſeſe ad Empedenum oppidum recepit, quò multæ reliquiæ conuenerant. capta ſunt ab Albano in eo prælio ſexdecim bellica tormenta. viginti vexilla hoſtium. quatuor in fluuium ſunt deiecta ne venirent in manus Hiſpanorum. multa capta ſunt impedimenta & argentum & pecunia, & magnus equorum numerus & ad decem millia pecudum, & arma omnia hoſtium, quæ abiecta fuerant, quo fierent ad fugam expeditiores. nam poſt illam victoriam Albanus agrum Empedeni populabundus excurrerat. abſtinuit ab oppugnatione propter anni tempus cum iam iniret menſis ſextilis, tum ne magis etiam irritaret animos Germanorum ad accelerandos apparatus. poſt enim victoriam & prædationem agri copias ad vrbem Gueningam contraxit. Interea res Gallica,quæ viſa fuerat aliquantum à ſuperioribus moleſtijs reſpiraſſe, cępit denuo ſentire noua ſemina perturbationum,quoniam iuſſi fuerant principes Condęanę factionis eſſe in promptu cum armis, quia nullus propè erat locus qui eius religionis homines non abhominaretur, cum etiam cædes in Vgonottos & Lutetiæ & alibi frequentes committerentur. delatum eſt pręterea ad Condeum ſibi parari inſidias,& Amiras palam profitebatur niſi ſeruarentur inuiolata,quæ promiſſa fuiſſent à Rege,ſe copias denuo ad euerſionem Galliæ euocaturum. at rex quoniam & horum animos parum eſſe quietos cognoſceret, cum etiam Andelottus cum ducẽtis equitibus in Armoricam penetraſſet per quandam ſimulationem hæreditatis vxoriæ, & intelligeret in Pictonibus ſiue Poitri magnã eſſe copiam Vgonottorum, non ſatis tranquillo erat animo. idcirco vbi Madritum, id palatium eſt tria milliaria diſtans à Lutetia, animi recreandi gratia conceſſiſſet,iubet foſſas circum excauari,cum fierent aſſiduè excubiæ. Iubet igitur regulum Martigæ tribunum in ſuam præfecturam Armoricæ proficiſci cum magno numero equitum ac peditum, quare portus Santonum per eam ſuſpicionẽ munitur. reſtitutum erat iam Dorlanum & Arecomici in Gallia Narbonenſi, atque cum Condæus in Sequanos cum magna manu ducum ac militum ſuorum ſe recepiſſet, muniebat Noior ſuum caſtellum. hic conqueſtus eſt de Rege per literas, quod conciones ſuorum Lugduni eſſent vetitæ, quòd Vgonotti per edictum domi tutò eſſe non poſſent,quod non animaduerſum eſſet in eos,qui Vgonottos trucidaſſent poſt pacem. cum igitur pęniteret loca capta reſtituiſſe, & Darlanum in primis in Vermanduis,collegit paulatim duo millia peditũ & quingentos, & quadringentos equites qui putabantur, Dorlanum eſſe capturi ſed cum dicerentur copiæ catholicorũ parari, intra Normaniæ fines in oppidum Sancti Valerij apud Diepam ad oceanum ſe recipiunt. At uerò Coſſeus regulus collectis quatuor millibus peditum hoſtium Vgonottorum, illuc profectus illos obſidet. ea re cognita miſſus eſt a Rege Briſacius ad alias vires colligendas, adiuuandumque Coſſeum ad illam expugnatione. oppidani veriti ne regiis viribus nõ poſſent reſiſtere portã aperiunt, ſeque regiæ clementię committunt,quia Condęus nullos apparatus bellicos feciſſet. ſed neque Coſſeus neque Briſacius milites coercere poſſunt,quominus plurimi trucidarentur, captis primarijs ducibus. at Condæus tametſi hæc quæ fierent in ſuos Vgonottos,cum captiuis ducibus abſciſſa fuiſſent capita,intelligebat, tamen viſus eſt conniuere, atque odium in magis opportunum tempus diſſimulare. clam copias apparatusque bellicos procurat,cum Noiore morans animi ſui nullum daret indicium,ſed cũ inſidias Tauaneſio regulo ſtructæ fuiſſent, Sequanorum præfecto ac deuitatæ,ille collegit copias ad Noior obſidendum. Condæus antequam obſideretur exijt per noctem, literaſque miſit in Germaniam ad conuocanda auxilia. iuſſi ſunt ex vniuerſa Gallia Vgonotti ad eum conuenire. primi autem fuerunt prouinciæ incolę, qui multis collectis viribus proxima loca inuadunt. Rex quia cuperet portum Santonum occupare duos tribunos Villeuillium ſcilicet & Roccafocium mittit, qui cum præſidiis ingrederentur. ſed cum ineſſent tria millia militum Vgonottorum, & populus ſuæ ſententiæ

**Nanſienſium copiarũ clades.**

**Numerus cęſorũ & ſpolia.**

tentiæ tenaciſſimus, neminem admittere voluerunt, cum dicerent ſe ſatis poſse ſine alijs pręſidijs vr-
bē Regi ſeruare. at Cōdęus cū Amirāte his nouis tumultibus Gallicis auditis cū mille & quingētis
peditibus & ſeptingentis equitib. vxores & filios in portum Santonum deducunt, vt inde quędā bel
lica tormenta caperent, & vires cum Vgonottis cōiungerent, qui è Prouincia, Allobrogibus, Gallia
Narbonenſi & vndiq; conueniebant, quia cenſerent pacem non ſeruari. rex antequam externa auxi-
lia illis accederent, atq; vires coniungerentur colligit & ipſe copias, vocat ad ſtipendia quatuor mil-
lia Heluetiorum, tria equitum, multaſque Gallorū cohortes. multis etiam in locis Germaniæ arma
parabantur, quę poſtea conuerterentur in Galliam. interea Vgonotti, qui cōuenerāt in Allobroges,
Prouinciā, Narbonenſem Galliam iuſſu Condæi, ad duodecim millia decreuerant Auenione potiri
cum iam Piles oppidum cepiſſent ad viginti milliaria diſtans ab Auenione vel per primum bellum.
horum conſilium faciebat parui cardinalis Artomicus, cum & ipſe firma haberet præſidia, & ſciret
eos non habere tormenta. at Condæus & Amiras copias & commeatum vndique parant, miſſaq; pe
cunia in Germaniam Caſmiro in ſtipendia militum literas ad Aurantium ſcribunt, quibus illum in
Galliam ad coniungendas copias inuitabāt quod deuictis hoſtibus parem gratiam illi erat relaturus,
qui facile id ſe facturū permiſit. Albanus ijs rumoribus auditis ſcribit ad Gallum Regem ſe ita factu
rum ne Aurantius fluuios poſset traijcere in Galliam, atq; copias etiam obtulit. in Germania vero ma
xima ſemina perturbationum excitabātur, niſi Cæſari prudentia illa ſtatim oppreſſiſset, quia Hiſpa
ni Treuiros eſse ſub ditione Lucemburgi exiſtimantes eius vrbis auxilijs ſe vſuros cenſebant, cui rei
populus facile aſsentiebat odio Archiepiſcopi. at Archiepiſcopus cum de ditione ad huc contende-
retur, ratus iniuriam non eſse ferēdam, quòd illum populus eiecisset magnum armatorum nume-
rum colligit, quo illos ad obedientiam compelleret, cum & ipſe & alij Electores ſignificaſsent Alba
no ſe pro viribus in antiqua poſseſſione velle perſiſtere. Cęſar vtqui videret quantarum calamitatū
initia conſurgerent, decreuit ipſe rem iudicare, atq; iudicio ad illum communi conſenſu delato ſo-
luta obſidione arma deponuntur. interea Condæus & Amiras conqueruntur per legationes apud
Ducem Allobrogum, quod promiſsæ pacis conditiones per iniurias conſultorum Regis non ſerua
rentur, cum illi, qui profiterentur ſe amare Regem, nihil minus facerent, cum omnes acerrimis odijs
perſequerentur per ſimulationem deſiderij quietis Gallicæ, qui cunq; eſsent è regio ſanguine. quod
ſi illi exteri ex aula eijcerentur, mira rerum omnium trāquillitas erat ſecutura. multæ aliæ lamen
tationes aduerſus conſiliarios Regis adoleſcentis additæ ſunt, quibus dicebāt coactos fuiſse Vgonot
tos arma denuo ſumpſiſse. Dux nihil indignum regio ſanguine ſe putare inquit Condęum eſse factu
rum, quia multo maior eſset eius, quam cuiusvis Galli error. neq; ſe poſse credere Amirantem fore
immemorem beneficiorum à Gallis regibus acceptorum, atque ita dimiſsæ ſunt legationes. Philip-
pus item rex literas ſcripſit ad principes ferè omnes Germanorum, præter comitem palatioū, quib.
eos hortabatur ne auxilia ſuis rebellibus ſubminiſtrarent. At rex Gallus quia videret quanta incēdia
bellorum denuo exarderent, vbi decreuiſset Pariſijs ſupplicationes cum ſolenni pompa, Deumque
precatus eſset pro tranquillitate patriæ, conuenerunt in ſacellum auguſtioris templi omnes magi-
ſtratus & antiſtites ciuitatis, exemptęq; ſunt res ſacræ & ſanctorū corpora. Dionyſij, Ruſtici, Eleuthe
rij, & Diuæ Genuenſis, quę per ſolennes pompas exportatæ ſunt: atque omnes ſacerdotes capite de-
tecto & nudis pedibus proceſserunt. vbi res in ſacellum redijſsent, rex, & fratres, & mater, & equites
in genua ante ſacra prociderunt. rex ſceptrum & diadema habuit dum preces perſolueretur, de-
inde ſceptrum & diadema ſuperpoſuit ſanctis corporibus, regni ſalutem illis commendans. vtuntur
plerunque illo ritu Reges vbi ipſi cum exercitu ad bellum ſunt exituri. poſt miſsa ſunt decē & octo
bellica tormenta Genebum, vbi copię colligebantur cum multis carris globis ferreis & puluere tor
mentario onuſtis, quò paulopoſt acceſſit & Dux Andienſis. habebat ſtationem Condæus ad portū
Sātonū cū quatuor peditū & totidē equitū millibus, cū quo erat regina & Princeps, Cātabrorū, cū iā
Xaintes cepiſset, & Diui Ioannis Angeli oppidum, & alia nonnulla caſtella finitima. nec procul ab
his Mompenſerius, Martiga, Briſacius caſtra poſuerant cum non multo minoribus copiis oppor-
tunitatem pugnæ aucupantes: cum eſsent etiam in Vermanduis Mauiglier, & Giauhis & alii tribu
ni Vgonottorum cum duobus millibus peditum, ac mille equitibus, cum etiam decem millia ar-
matorum expectarentur ex Allobrogibus & Prouincia cum Amirante.

*LIBRI DECIMI NONI FINIS.*

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS

## LIBER VIGESIMVS.

SI Verè pro gloria, vt pleriq; profitentur, quę certè nulla eſſe poteſt ſine vir
tute, dimicaretur ab imperatoribus, regibus, principibus hominibus, vel pro
acceptarum iniuriarum caſtigatione tantum, neq; auaritia & dominandi li
bido potius per ſimulationem iniuriarū, quàm vlla ęquitas, impelleret prin
cipes ad arma exteris nationibus hoſtiliter importanda, feliciſſimæ profectò
eſſent illæ ciuitates, quæ potentiſſimorum regum imperio parerent. Nā cū
bellum propè neceſſarium ſit propter nequitiam hominū defendēdis ciuita
tibus, quæ legum patrocinio ab impuris & nefarijs latronibus ſatis tutæ eſſe
non poſſunt, patet bellum legitimè ſuſceptum ſacrum eſſe munus, & maxi-
mè laudabile, cuius vis omnis conſtituta eſt in ſubleuandis iniquè oppreſſis,
in tuenda ęquitate, in defendendis legibus, in conſeruanda religione, liberanda miſella turba & in-
noc ente ab impuris manibus conſceleratorū & crudeliū latr onum, in tuendis prouinciis, repellēdis
iniquis cędibus, arcendis fędis ruinis & populationibus. At ſi pro rapinis, auaritia, diripiendis facul
Bellū propè neceſſariū, & laudabile iuſtè ſuſcep.
tatibus miſerorū & innocētiū populorū certetur, quis nō intelligat tam fędi cōſilij miniſtos & adiu
tores rectius publicos latrones, quam milites poſſe appellari? nam profecto cæſis flagitiorū iniuria
rūq; autoribus & defenſoribus iniquitatis, abſtinēdū eſt à reliqua turba pupillorū imbecilla & fęmi
narū, quæ neq; particeps eſt, neq; eſſe poteſt vllius ſceleris, neq; prorſus agreſtes iure trahendi ſunt
in ſeruitu tē & abiecti homines expertes prauorū cōſiliorū. Hoc tātū crudelitatis q exerceat, eiusq;
cauſa prodeat in caſtra, iure poteſt is ſe potius fędiſſimo carnificis nomine, quàm glorioſo militis
inſignire; cū omnis militaris ratio & diſciplina ęquitatem & defenſionem iuſtitię reſpiciat, tāquam
inqua conſiſtat omnis quies & humana felicitas. Hoc ſibi ſi proponerent Reges, contenti eſſent
poſt victoriam ſuis finibus, neque victas regiones ſuis adijcerent, curarentque vt ante bellum ęqui
tas ſuæ expoſtulationis omnib. pateret, cum nihil iuſtū ſit turpe, quo reliquæ nationes deterrerentur
ab huiuſmodi iniurijs, ſciretur q; à quib. violata ſint fędera & ſanctiones pactionū; cū ſola ſit æqui-
tas quæ laudabilē, quæ honorificā, quæ glorioſam faciat victoriā. At quoniā plerūq; pugnatur vtrin
que pro auaritia, proq; imperio alterius occupando, perraro bellorū cauſæ a quibuſdā perpēdūtur,
quas principes diuulgari etiā grauiter ferunt, ac ſoli bellorū euētus ſpectātur, putāturq; honorifici
quicūq, feliciter euenerint, ac parua ratio habetur vel æquitatis vel rectè ſuſceptorū conſiliorū. ſed
vt ad inſtitutū redeamus, Albanus miſſis legationibus gratulatū, ad quos lętitiā peruenire cenſebat
è tā iuſta victoria, cū ſtatuiſſet Edemū ſolo adæquare, ꝙ eò cōuenirēt qui regionē hoſtiliter inuade-
bāt & deuaſtabāt populationib. partē copiarū illuc miſerat. verūtn̄ re īfecta diſcedit, cū oppidū expu-
gnare nō potuiſſet. At ī ea parte Arabię, q̄ Damaſcenę regioni cōtermina eſt ī Syria, adiacetq; Liba-
Arabiæ Petreæ bellū.
no mōti, quā Petreā Arabiā vocāt, & in finib. Iudęæ, Arabes imperiū Turcarū ægrè ferētes ſollicitāti
bus p̄ſertim q̄buſdā principib. eius nationis, ab imperio Turcarū deficiūt, circiter duos de viginti Sā-
zacchos ꝓfligāt. vniuerſa Arabia q̄ eſt inter mare Erythręū, ac ſinū Perſicū deſciſcit, q̄ regio fertiliſſi-
ma eſt, & cōtinet circiter mille & trecēta milliaria, cuius latitudo in cētum millia paſſuū extēditur.
Purpurato Damaſci p̄fecto dies dicta eſt, q̄a parū diligēs in tantis rebus fuiſſe videretur, quia bellicos
appartus, quos oportebat, non feciſset, cum tantæ multitudinis viribus ſe non poſse reſiſtere cenſe-
ret, Byzantium ad Imperatoriam portam. Vbi ad ſtatutum tempus non apparuiſset, miſsus eſt
nuntius à Selimo cum imperatorio mandato, qui eum ſuffocaret. Eſt enim tanta illarum natio-
num erga Imperatorem obſeruantia, vt cum illi placuerit vel vltro morti ſeſe offerant, neque de-

trectent,

trectent, cuius metus vel naturam ſuperat. at purpuratus vbi factus eſſet certior de mandato Selimi; ratus minime expectandum eſſe exitum tragediæ, ſed prius è theatro diffugiendum, collectis omnibus, quæ habebat, impedimentis ac rebus precioſis cum duobus millibus & quingentis equitibus præter omnium reliquorum Turcarum conſuetudinem atque expectationem in caſtra Arabum transfugit, cum vxorem Arabem duxiſſet. In caſtra hoſtium itaque profectus cum ſummo imperio rei militaris præficitur rebus bellicis omnibus. Selimus & purpurati audaciam inuſitatã, qui auſus eſſet effugere, & temeritatẽ populorũ, qui auſi eſſent deficere à tam potenti principe, mirificè indignatione ſuccenditur, quamobrem continuò præficit cum ſummo imperio rerum bellicarum ad illam expeditionem Ottomanum purpuratum Memphiticum, qui collectis ſtatim duodecim millibus equitum iter capit Geneenam verſus ad illud regnum recuperandum. ſed enim cum nuntiatum eſſet Arabes multa millia armatorum collegiſſe, concordique animo totius Prouinciæ illud bellũ ab Arabibus ſuſceptum fuiſſe, neq; poſſe tam facile tantas populorũ vires deleri, cũ nõ paruus eſſet tumultus, veritus ne ſuarum copiarum ſaluti parum proſpexiſſe videretur, ſi tantis bellorũ fluctibus cum tam paruis viribus ſe immiſcuiſſet, ac intruſiſſet, deſiſtit ab incępto, atq; de omnib. rebus quo in ſtatu eſſent, diligenter perſcribit ad Selimum. Quippe cum bellum gerendum eſſet aduerſus populos non imbelles, ſed feroces, bellicoſiſſimos, & maximè Turcis infenſos Alanos ſcilicet & Mamaluchos, qui eò grauiter ferentes imperiũ Turcarũ ſe poſt mortem Sultani recepiſſent. Selimus vbi intelligit maioribus apparatibus bellicis opus eſſe ad Arabicam illam expediotnem, iubet purpuratum oppida in finibus magna diligentia munire, & ad illud negotium interim conniuere. nam Selimus grauioribus curis diſtrahebatur, reuocabaturq; ab ea animi ſollicitudine & expeditione ſuſcipienda maioribus rebus inſtantibus; grauius enim infeſtabat ea clades, quam ad Tanaim fluuium nuper acceperat. Eſt Tanais fluuius ampliſſimus Sarmatarũ, qui ortus è montib. Ripheis per Sarmatiam Europæ decurrens in fluuium propè Volgam vocatum conuertitur. Mox vbi pænituit itineris in meridiem quaſi in brachij flexi formam à Volgę commercio conuertitur reflexus in Meotidem paludem. Rha ſiue Volga rurſus fluuius ortus in ampliſſima Hamaxobiorum planitie, pari ratione ad ipſum Tanaim reflectitur, ita vt inter hos duos fluuios ſinus anguſtus relinquatur ab vtriſque fluminibus communi cõſilio & receſſu circiter quatuor milliariorum, vel paulo amplior. cum verò ille flexus ſit ad oppidum vſq; Caſſanum, mox in mare Hyrcanum ab ipſo Tanai Rha ſecedit per Sarmatarum Aſiaticorum regionem defluens & in mare Caſpium ſiue Hyrcanum ingreditur. Dicti ſunt eius regionis populi Hamaxobij, ac vulgo Tartari appellati, quia nullis vterentur domibus, ſed plauſtra corijs tecta haberẽt pro domibus, in quibus degerent, vnde etiam nomen duxerunt, cum Greci Hamaxam plauſtrum vocarent, & Bium vitam. Selimus ratus fieri poſſe vt nauigia & claſſes, quæ per Tanaim è Mæotide egreſſa nauigarent in mare Caſpium ſecundo Rha flumine facile deferrentur, ſtatuit illum anguſtum ſinum terræ atque ſpatium inter duorum fluuiorum receſſus ac flexus reſcindere, quo viam aperiret huic nauigationi ad mercimonia, vt aiebat, quare mittit eo quadraginta millia operarum cum multis millibus equitum cuſtodibus, qui & ipſi dicebantur accedere ad quadraginta millia. illa re audita Dux Magnus Moſchouitarum ſumma celeritate colligit octoginta millia equitum Sarmatarum. mittit ad hos trucidandos, qui repente circumuentos inuadunt, & ad vnum trucidant. ſic ſuſceptum negotium à Selimo fruſtra accepta etiam magna clade relinquitur. illa ſtrage retardatus eſt Selimus ab infeſtandis Arabibus, quia neſciretur adhuc quò tenderent conſilia Sarmatarum Aſiaticorum. Per iſtud fere tempus Hiſpaniarum regina cum per quædam medicamenta & balnea naturæ purgationes ſtitiſſet paulopoſt grauida, ſed malignis humoribus retentis, naturæ conceſſit, cum maximo totius Hiſpaniæ & Galliæ mærore propter eximia animi ornamenta. fuit enim regina ſingularis bonitatis. cæterum Condeus vel ꝙ ita ſibi eſſet clam delatum, vel quòd re ipſa conperiſſet, palam cępit profiteri ſe arma ſumpſiſſe aduerſus cardinalem Lotharingiæ, qui ſibi inſidias per Tauanenſem regulum ſtruxiſſet, vt è medio tolleret. quod factum fuiſſet cardinalis conſilio, at non regia volũtate, quare ſe excuſat apud Regẽ per nuntiũ quòd arma inuitus reſumpſiſſet ad ſui ipſius defenſionem, & ne reformatę religionis homines tam nefariè tractarentur; profitebaturque per ſcripta ſeſe hoc facere ſine pacificationis præiudicio, neq; bellum ad offendendum erat geſturus, neq; aduerſus Regem, ſed vt à card. Lotharingiæ ſe defenderet acerrimo inimico, euerſore & deuaſtatore eius regni. ſe declarare inquit quòd omnes qui aduerſus ipſum arma ſumerent, cenſeret eſſe milites cardinalis, at non Regis. neq; putãdos eſſe aduerſarios Regis, qui minus parerent edictis cardinalis, quæ nomine regio promulgabantur, cùm re ipſa eſſent cardinalis. deinde ſcripſit ad Caſmirũ in Germaniam vt quatuor millia Raitrorũ denuo colligerentur, & ad Aurantiũ. Odus item Sciatilioneus quòd audirentur tot copiæ regiæ vndiq; Genebũ conuenire, traiecit in Britãniã ad auxilia reginæ conuocanda, quæ credita eſt ſtipẽdia in Germaniã miſiſſe Volphago Dupontio Duci ad colligenda ſex equitũ, quinq; peditũ millia, ſollicitaſſe Aurantium miſſa pecunia ad illã expeditionẽ, miſiſſeq; cõmeatũ & apparatus bellicos ad portum Santonicum. aucta ſunt Condeana caſtra principis Cantabrorũ aduentu octingẽtis equitibus, & trib. millib. peditũ, quibus viribus auctus exit in apertũ, Niortũq; & Mauanũ loca nõ aſpernandę dignitatis occupat. Interea Vgonotti iam Rhodanũ traiecerant vt caſtra coniungerent, qui accedebant ad octo millia peditũ, & multæ equitũ turmæ. At Vgonotti Veromandui cum ſibi non viderentur tutò poſſe per tranſire in caſtra Condæana, decreuerunt Aurantiũ expectare, qui dicebatur breui eſſe venturus, quare interim ſtationem habent apud Sedanum. at Condæus paulo poſt è Pictonibus contendit Aginnum verſus vt comprehenderet Monluchium, qui cum multis copijs tranſitum impediturus Moanum contendebat. at in itinere Aginnum vrbem amplam

Purpuratus Damaſci trãſfugit ad Arabes.

Ottomanus ſummus imperator Arabicæ expedionis.

Alani & Mamaluchi feroces populi.

Tanais deſcriptio.

Rha fluuius.

Hamaxobij unde dicti.

Inſignis Turcarum clades ad Volgã fl.

Aginnum captum.

& opulentam capit per deditionem, vbi aliquandiu illa verberationem & vim Vgonottorũ ſuſtinuiſſet. Aurantius cum ad ripam Moſæ perueniſſet fluuium traiecturus diu obſtitit Albanus, ſed denique per noctem repente traiecit. atq; dũ Albanus Aurãtianas copias ſequitur, Mompenſierus quoniam cognouiſſet. Mouanſum Vgonottorum Prouincię & Veromanduorum ducem ad Condęana caſtra properare cum octo millibus peditum & mille & quingentis equitibus, habitis comitijs cũ ſuis ducibus decreuit obuiam procedere cum Martiga & Briſacio, eorumque copijs. iam enim prætergreſſi fuerant Monluchiũ. qui ſtudebat tranſitus occludere. inuenit hos caſtrametatos eſſe apud abbatiam Gianſalladam, qui locus erat montoſus & difficilis equitatui, quare miſſi ſunt per noctem Briſacius & Philippus ſtrozza cum expedito peditatu ad tranſitus occupandos. initum eſt leue certamen cum Mompenſierus eſſet in planitie cum peditatu & equitatu in acie tãquam prælium initurus, niſi hoſtis recuſaſſet. ſed cum nemo apparuiſſet Mompenſierus erat copias retracturus, cum videt hoſtes ſuper colle in acie inſtructos tanquam ſigna collaturos. at Mompenſierus, re cũ ducibus communicata decernit omnino pugnare. motis itaque caſtris Prouinciales vt imperiti rei bellicę animo conciderunt, cum duces animo eſſent intrepido, magnaque alacritate ante acies milites ad pugnam acuerent. ſed exercitus qui conſtabat è popularibus & imperitis rerum militariũ vel cõtra nitẽtibus ducibus cõtinuo in fugã vertuntur. Duces tametſi ſingulari virtute aduerſus catholicos pugnarũt, tñ neceſſe fuit demũ cedere potentiori fortunæ multis acceptis vulneribus. capta ſunt viginti & quinque vexilla peditũ, quæ miſſa ſunt ad Regẽ, cũ circiter duo millia cecidiſſent, & viginti cẽturiones. capta ſunt quatuor millia. è catholicis pauci ſunt deſiderati. ſeruati ſunt pleriq; noctis beneficio, & aſperitate regionis, & longo labore defeſſi equitatus. Hęc victoria non parum animos catholicorũ recreauit, quoniã ſi vires q̃ vndiq; aduocabãtur Cõdęo acceſſiſſent, apparebat certiſſimũ exitiũ illi regno imminere. idcirco rex ne in ſuũ regnũ externa auxilia penetrarẽt, iubet Ducẽ Neomagẽſem in regione Lugdunẽſi tot milites colligere, vt cũ p̃ſentib. ad decẽ millia accedãt. Cõdęus cognita ſuorũ clade cũ oppidũ Biturigũ nõ procul à Budigala obſideret, ſoluta repẽte obſidione magno ſtudio cũ omni eqtatu & duobus lectiſſimorũ peditũ millibus Auguſtoritũ verſus cõtẽdit: atq; ad põtẽ ſupra fluuiũ Viẽnã profectus putabatur in Sequanos trãſiturus, quare rex oẽs põtes reſcindi iubet, & lintres ne trãſitus hoſti cõcederetur. Cõdęus cognitis regijs apparatib. cũ Andiẽſis accederet & Mompẽſierius, & iã collecta eſſent duo millia eqtũ & decẽ peditũ in Gallia Lugdunẽſi, & Heluetij multi cõuenirẽt, & mille pedites p̃terea eſſẽt Lugduni cũ qbuſdã turmis cataphractorũ eqtũ, ad portũ Sãtonũ ſe recipit. Neq; Britãnia quidẽ cõſimilibus ſeditionibus caruit per idẽ tp̃s, cũ in ea parte inſulæ, q̃ magis vergit ad ſeptẽtrionẽ apud fines Scotię ad tria millia hominũ repẽte arma ſumpſerint, qui palã profitebãtur ſe velle antiquã religionẽ catholicã reuocari, qui cruces ſibi ad pectora aſſuerãt. vix aũt res p dexteritatẽ & autoritatẽ Iacobi Stuardi cõſopita eſt datis vadimonijs, ꝙ nõ amplius capiẽt arma tumultuaria. Iſtud ipſum factũ eſt alibi à primarijs quibuſdã ducib. eius regni propter ambitionẽ, qa dignitates, & magiſtratus regni, & honores ad inferiores homines deferrẽtur, ſed & hi reginæ prudẽtia tumultus ſunt cõſopiti. at inter Daniæ Sueuięq; Reges poſt diuturna diſſidia pax deniq; cõpoſita eſt cũ magna ſubditorũ populorũ lætitia. pacis cõditiones fuerũt. 1. Vt ſempiterna obliuione odia antiquæq; ſimultates vtrinq; obruerẽtur ita, vt ſemp pax & beneuolẽtia intercederet. 2. Ne rex Sueuorũ aut ſucceſſores inſignia Daniæ vel Noruegiæ geſtaret, ſed ambo tria diademata ſine alterius p̃iudicio geſtarẽt. 3. Vt Rex Sueuorũ ſe abdicaret ab omnibus iuribus, q̃ ſe habere cẽſeret in Noruegia, Hollãdia, Siena, Gotlãdia, Belchinega regionibus, cũ ſe cõtra abdicaret Daniæ rex à iurib. Hetrichij & Marchiæ, & Eſslurghi. 4. Vt reſtituerẽtur vtrinq; bellica tormẽta in bello capta, & vrbes, caſtella, munitiones occupatę, quod fieret ad certũ tempus. 5. Vt intelligantur incluſi in hac pace ex Daniæ Regis parte Cæſar, elector Saxoniæ, Duces Holſtairẽſis, Iulius Branſuicenſis, Gulielmus Lutemburenſis, Dux Vlrichi, Mechelburgi & Curlandiæ, & vrbs Subech. ex parte Regis Sueuorum Cæſar, Poloniæ rex, Elector Sennonũ, Duces Pomeraniæ, Palatinus Georgius Hãſſius, Marchio Badenę, Ercardus Comes oſtfrieslandiæ. q̃ pax vniuerſæ Germaniæ accidit gratiſſima. interea Condæus cum validiores vires collegiſſet iam non magnopere formidare regias videbatur, quamuis iam magnæ erant collectæ: & Dupontius cũ laboraretur in caſtris inopia ſtipendiorũ iam ſegnius procedebat, quam opus erat Vgonottis, quare creditum eſt reginam Britanniæ nulla his auxilia ſuppeditare aduerſus regem, ſicuti legationibus eò miſſis promiſerat. At Condæus qui omnem ſpem ſuorum conſiliorum in auxilijs Dupontij repoſuerat, cum regiæ copiæ in Sequanis & alibi poſſent eſſe impedimento, decernit prouiribus cum omnibus copiis quotquot poſſet omni celeritate in Sequanos penetrare, nequid detrimẽti ijs copiis accideret, quare omnia ſua conſilia ſubuerterentur. ſed quoniam propter Andienſis vicinitatem non poterat peditatum commode adducere, decernit cum equitatu illud facere. decernit igitur cum tribus millibus equitum & totidẽ ſclopettariis à tergo expeditis ſine impedimentis eò penetrare, reliquo peditatu trãſmiſſo ad portum Santonum. at Andienſis cognito eius conſilio curauit quouis modo illum impedire, atq; cũ rerum multarũ inopia & commeatus & rei pecuniariæ in caſtris Condæanis laboraretur, Condæus multis artibus conabatur animos ſuorũ delinire, & ad ſpẽ rerũ futurarũ erigere. at vero cũ aucta fuiſſẽt caſtra Andiẽſia duobus millibus & quingẽtis raitris, verebatur Cõdæus ſibi trãſitũ in Sequanos impeditũ iri. Per iſtud ferè tp̃s, quo illa agebãtur ad Rhã fluuiũ, & in finibus Arabiæ, Veneta reſp. cępit p̃ſenti requedã initia barbaricæ perfidię paulatim, quæ feliciſſima per patrũ prudentiam eſſe videbatur, cũ diuturnam tranquillitatem obtinuiſſet, neque per triginta & amplius annos vllos bellorum motus perſenſiſſet. Nam non ſolùm rumor inualeſcebat quotannis, vbi claſſis Byzantii inſtruebatur, Cyprum Venetis extorquendam eſſe; quare patres perpetuis ſumptibus affligebantur inſtruendæ

Clades Vgonottorum.

Pax Sueui & Daniæ Regum.

claſſis,

claſſis, & colligendarum copiarum, verum etiam non parum vexabantur curis, quòd intelligerent purpuratorum quoq; animos ad illam expeditionem aſpirare. nam ingentes apparatus hoc anno etiam facere coacti fuerant Cypro timentes, quòd purpurati eius inſulæ occupandæ cupidi occulto apparebant. confirmabatur vel alliciebatur potius purpuratorum ſpes crudelitate & impudentia Cypriorum quorundam nobilium, qui ad crudeliſſimæ tyrannidis modum eius inſulæ homines tractabant, cum ſcirent Turcæ & iam ſæpe experti eſſent, nihil tantopere conferre ad facilitatem capiēdorum regnorum, quàm principum & primariorum, & omnino aduerſariorum diſſidia & rixas & contentiones; has verò eſſe ibi neceſſariò, vbi pro legibus auaritia, iniquitas, crudelitas dominetur. Nam tam oppreſſi tenebantur à nobilibus Cypriis infimæ conditionis homines, qui Parici ab ijs vocabantur, vt tanquam iumētorum, matrimonia, & educationes filiorum, & cætera omnia munia priuatorum pro nobilium nutu & arbitrio facere cogerentur, nihilq, eſſet miſellę turbæ proprium: quippe qui neq; facultatū, neq; libertatis, vel vitæ, vel honoris filiarum vel propinquarum eſſent arbitri. Petiuerunt Parici à Venetis magiſtratibus vt manumitterentur, petitioniſq; rationes addebāt, quòd nimis iniquum & crudele videretur Chriſtianos eſſe Chriſtianorum mācipia, atque in perpetua Chriſtianorū ſeruitute contineri, cū Chriſtus eſſet idē omniū pater, cuius nos imitatores eſſe ꝓfitemur; cum neq; iure belli, neque legum ciuilium iſtud efficeretur. Rogant vti tātarū ęrumnarum mole oppreſſorum miſereantur. Docent Venetos è concordia Cypriorum, vti cęterorum regnorum, maximè pendere inſulæ conſeruationem, quæ certè nulla eſſe poteſt inter dominos & ſeruos; inter oppulentiſſimos, & mendicos; inter ſubditos, & tyrannos. Pollicentur in omnem opportunitatem ſummam alacritatem ad eius regni defenſionem; cum arma fortiter eſſent laturi quibusvis hoſtibus, vt qui vitam, patriā, lares, dignitatem, facultates, vxores, filios libertatē rerū omnium dulciſſimam, & omnia prorſus bona recuperaſſent per Venetam clementiā atq; æquitatē, vel dono accepiſſent. nam Cyprij cum prædijs Paricos quoq; emebant ac vendebant. Nullam ætatē tantum beneficium obliuioni mandaturam, aut tantam benignitatem deleturam, per quam poſteri liberi naſcerentur, aut facultates per induſtriam partas poſſiderent, quę alioquin crudeliſſimis & auariſſimis dominis debebantur. Hiſce rationibus commoti ſunt patres, cęperūtq; cogitare de Paricis miſeria ſubleuandis & illa tyrannide exterminanda. Sed illud non facile fieri poterat, quamuis ęgrè ferrent, & ſępius vti mitiorem in modum tractarentur actum eſſet. ſed alij contradicebant, qui nobilium partes tuebantur, qui aſſerebant periculoſum eſſe priuilegia & ritus Cypriorum nobiliū antiquare, inſani prorſus & furioſi generis hominum; cum pręſertim vbique nationes, quæ ſunt in finibus imperiorum obſequio ſint retinendę, at non iniurijs irritandæ, ne facile cum hoſtibus conſpirent. Nam tametſi plurimum differt Turcarum finitimorum religio à Chriſtianis ritibus Cypriorū, tamen cū neq; Chriſtianam, neque Turcicā credulitatem verè ſincereq; plerię; complecterentur, facile poterant cum quibuſuis conuenire. cęterum purpurati, qui ad hoc regnū occupandū aſpirabant, primùm ad inſidias & fraudes animum adijciunt, quia non verebantur ſe ab Imperatore caſtigatum iri, ſi aliena per fraudes occupaſſent, ſed etiam inſignem laudem conſecuturos, cum facilis eſſet reddendi ratio. via autem inſidiarum vt tutior, ita facilior apparebat; quia ſi ita capta fuiſſet aliqua vrbs Cypria, propter vicinitatem loci & commoditatem auxiliorum, facillimum erat non modo illam conſeruarè, ſed etiam occupare cęteras, præſertim tantis odijs, tantiſque diſſidijs inter Cyprios inualeſcentibus. Viſum eſt autem hoc negotium non peſſimè agi poſſe per Diaſſorinum hominē Cypriū q̄ tractādis tātis negotijs nō ineptus appareret. Erat. n. Diaſſorinus vir callidiſſimus, inter aulicos principum ſepe verſatus, & plurimùm autoritate præſtans inter Cyprios. Ad hunc Scander ſuperioris Myſiæ deſpotus ſiuę præfectus literas humanitatis plenas dedit, cum quo & inijt & exercuit amicitiam paulatim multis vtrinqe miſſis & acceptis muneribus. Cęptum eſt agitari poſt modo inter hos de negotio proditionis, cum Diaſorinus ingentibus pollicitationibus ſollicitaretur, quem Scander ad plurimum autoritatis & exiſtimatiouis ſe prouecturum promittebat. Scribebantur literæ ad Deſpotum per omnes, quæ ſe offerebant, opportunitates; aut cum quis accederet Byzantium, quæ partim Græco idiomate conſtabant, partim ſecretioribus notis. Erant notæ illæ paruula animalia, vt muſcæ, formicę, culices, veſpę, araneæ, ceteraque huiuſmodi complura. ſed quia noluit diuina clementia tantum adhuc malorum Cypriorum ad maturitatem perueniſſe. cum propter munera deſpoti, tū ꝓpter frequētiā literariū, q̄ vtrinq; ſcribebātur, Diaſſorinus incidit in quaſdā ſuſpiciones. eius literæ clam ſunt interceptæ, & reſignatæ. viſæ notæ ſecretiores, & animaliū formæ. creditum aliquid occultari, quod hi nollent intelligi. Quid enim ſecretioribus notis committi putandum eſt, niſi quod cognitum periculum minetur ſuis autoribus? captus eſt vna cum ipſis literis Diaſſorinus, ac traditus in tormenta. Narrat tormentorum impatiens non modo ſe ipſum, ſed etiam quoſdam præſtantiores Cyprios ad eam proditionem conſpiraſſe, qui clam & promiſſis allecti fuerant, & ægrè ferebant Venetorum imperium, cum ſe nimis arroganter neque nobilitate neque opulentia inferiores exiſtimarent. affectus eſt extremis ſupplicijs & Diaſſorinus, & alij quidam coniurati, ſed rumor diditus eſt in inſula non quòd propter proditionem hoc fieret, ne animi Cypriorum metu Turcarum conſternarentur, ſed quòd voluiſſent magiſtratus ſeditioſe impedire ne frumentum Venetias per ſummam penuriam annonæ mitteretur. Nam non leuis ea de re fuerat controuerſia inter Cyprios & Venetos magiſtratus. Cyprij proceres cum rem quidam perſenſiſſent, viſique eſſent Turcæ ad eius regni occupationem aſpirare, paulatim incipiunt cogitare de ſua ſalute; querebanturque inuicem quod inſula nulla ſatis firmas munitiones haberet, quibus ab impetu tantarum virium protegerentur. Illud autem fiebat ab his parum firmis rationibus, quia non muri, non aggeres, non tormenta, vel profundæ foſſæ,

Paticorū Cypriorum cōditio, & petitio à Venetis.

Oratio Paricorum.

Cōtra libertatem Paricorū dicta.

Cyprij ſine religione.

Diaſſorinus ꝓditionem Cypri molitur.

Notarum ſecretiorū formæ.

Stratagema.

vel munitiones præualidæ omnino regna imperiaque defendunt, ſed concordia populorum, & ſubditorum beneuolentia, & vnanimis omnium ad mutuam defenſionem conſpiratio. Oportebat ſanè Paricis donari libertatem, quo meliori conditione in patria eſſent, quam captiui apud hoſtes, vt haberent aliquid cur pugnarent. Sed cum non minus domi, quam foris vt eſſent oppreſſi contingeret, quid opus erat illa pugna, cuius omnino præmium vtrinque eſſet captiuitas? erat præterea timendum Cyprijs ne totidem hoſtes haberent in inſula & intra mænia, cum eſſent circiter quinquaginta millia Paricorum, qui poterant cum Turcis conſpirare atque ab ijs conſequi vt pro victoria manumitterentur. ſed tamen imbelle genus hominum crediti ſunt omnes cyprij, vtpote quorum inſula nulli Deo bellicoſo, ſed voluptariæ Veneri fuit conſecrata. Hi ergo inter ſe conſultant quibus rationibus fieri poſſet vt aduerſus repentinos conatus Turcarum eſſent tuti, neque pecudum more captiui ſine vlla defenſione in ſeruitutem traherentur. Iſtud periculoſum videbatur, quia nullæ munitiones eſſent in inſula, quibus protegerentur ſiquid aduerſi accidiſſet, quove poſſent confugere præter Salaminam ſiue Famaguſtam, quæ tamen nimis eſſet longinqua vt in extrema parte inſulæ, & in angulo totius regni, cuius parua eſſet vtilitas inſulanis. querebantur viciſſim ſe obiectos eſſe immanitati barbarorum auaritiæque hoſtili, atque cupiebant vt aliquas munitiones Veneti excitandas curarent in inſula, quibus tuti redderentur ab hoſtium incurſionibus ſiquæ fierent. Veneti qui pluribus rationibus clam perſenſerant Turcas ad illam inſulam occupandam aſpirare, viros rerum bellicarum cognitione præſtantes & munitionum præcipuè excitãdarum mittunt, qui loca ad muniendum explorarent. Ceronia aliis viſa eſt muniẽda quibuſdã aliis tamen viſa eſt inhabilis, quæ muniretur, ꝙ eſſet excluſa ab vniuerſa reliqua parte inſulę, ſi hoſtis eos tranſitus occupaſſet qui pauciſſimi ſunt ac difficillimi in montibus. ſic par uo hoſtium labore illa munitio poterat effici inſulæ inutilis. non enim eriguntur munitiones vt illud ſpatium tantum terræ, quod intra ambitum munitionum continetur, poſſideatur, ſed vt per munitiones etiam territorium; quod niſi obtineatur, fruſtra fieret ille ſumptus excitandarum munitionum, & alendorum præſidiorum. Nam ſola munitio nulla vel ſatis apta vectigalia in ſtipendia nedum annonam ſuppeditat ſine agro. ſic ager debet cum munitione coniurare ad mutuam defenſionem, & cum agro munitio. Huc accedit quòd latera & propugnacula cuiuſque oppidi tunc optimè inſtituta ſunt, cum in vno corpore conſtiterint, idque tam accuratè vt neque omnino impediri, neque excludi poſſint quominus opem ferant ciuitati, aut hoſtem offendant, cuiuſce rei cauſa inſtituta ſunt, ſic munitiones, quæ propugnacula ſunt vnius corporis regionis, optime tunc ſunt inſtitutę, cum minimum commodi hoſti conceſſerint vt excludantur, ſeparenturque a reliquo corpore, & a regione diſiungantur; vt ſi non expelli & trucidari, ſaltem infeſtari hoſtis poſſit. ſic igitur Ceronia, tanquam brachium ſine corpore, & oppidum ſine agro propter anguſtias montium effici poterat, & a reliquo corpore inſulę ſeparari. Huc accedebat quòd aer Ceronię optimus & ſaluberrimus eſt, vbi poſſunt obſidentes eſſe tanquam in amœniſſimis viridariis, vbi ſuppeteret lignorum, aquarum, & rerum omnium neceſſariarũ copia. per hyemem litora ſunt periculoſa nauibus ad ferendos bellicos apparatus vt in ſeptentrionem conuerſa, quod innuẽtes antiqui Ciliciæ anguſtias vocarunt. ſic in excitandis munitionibus debent hoſtiũ incommoda, & commoda locorum perpendi; cum multi ſint omnino errores, qui niſi multo ante proſpiciantur & euertantur, omnino non faciant tutas ciuitates aut oppida. hic error Senam ſubiugauit, quia eius ciuitatis conditores viſi ſunt curaſſe illud tantum vt in loco tuto ædificarent ſuper collibus, at parum fuerunt ſolliciti de commoditate importandi commeatus. Alij aquarum commoda & abundantiam ſpectarunt, at non viderunt imminentium montiũ pericula, è quibus propinquis vrbibus imminet ruina, vt eſt Vincentia, cum tamen omnia diligenter ſint antequam iaciantur fundamenta circunſpicienda. Cęronia igitur his ractionibus ab omni muniendi cogitatione ſecludebatur à quibuſdã, ſed tamen quod alij hęc ipſa ad commoda munitionum requiri dicebant, decretũ fuit vti muniretur. at Salinæ, quæ ciuitas eſt vbi fuit Citium, cuius etiam nunc quædam veſtigia oſtenduntur, viſæ ſunt quibuſdam habiliores ad hoc negotium, quippe quòd eò naues commodius ob profunditatem aquarum poſſint appellere. ibi ſi paulo profundius excauetur, dulcium aquarum putei inueniuntur, quæ res tutum locum reddunt a cuniculis. ibi cum quidam ſint colles, viſum eſt arcem erigi poſſe, quæ cum vrbe coniungeretur, ac partem propugnaculorum admitteret. Habet vbs Salinarum alueum quendam portus, qui ſi excauetur denuo, portus poſſet effici tutiſſimus. Illud autem vtile futurum videbatur, cum ciuitas habeat duos lacus; alterum in quem torrentes quidam per hyemẽ intrant, & ob naturã terrę per ęſtatẽ in candidiſſimũq; duriſſimũq; ſalem conglaciatur. cuius lacus ambitus amplectitur circiter duodecim millia paſſuum. alterum, vbi fit ſal craſſior, dicunt habere ambitum duorum milliariorum. Paphum præterea, Amatunta, alias quaſdam vrbes Cyprias multa viſa ſunt munire impedientia, quare muniendę Paphi arbitrium, relictum eſt præfectis & peritis. cum Cyprus habeat duodecim vrbes, pagos autem circiter mille, & multa caſalia. eſt enim Cyprus inſula perampla; quippe quę habeat longitudinem ducentorum & quinquaginta milliariorum, latitudo tamen amplior extenditur ac dilatatur in ſexaginta & quinq;. ambitus vniuerſus quingenta & quinquaginta continet milliaria. Diſtat a Cilicia, quam reſpicit ad ſeptentrionem ſexaginta millibus paſſuum. ab oriente Syriam reſpicit diſtantem circiter centum milliaria. ad meridiem habet Ægyptum & Alexandriam diſtantem ad trecenta milliaria, quanto ſpatio diſtat ab altera parte a Rhodo inſula. Sita eſt autem in ea regione vt polus illi extollatur triginta & quinque gradus ſupra orizontem, eſtque optimorum vinorum mater, vbi naſcitur etiam ſaccarum, atque omnia quæ ibi ſeruntur, feliciſſimè proueniunt propter terræ fertilitatem

Cõcordia firmiſſimũ ꝓpugnaculũ regnorum.

Paricorũ numerus.

Quę ſint perpẽdẽda ĩ excitandis munitionibus.

Ceronia quare viſa nõ ſit munienda.

Senæ extructæ error cã captiuitatis.

Vincentiæ error.

Salinæ aptè muniri poſſunt.

Salis cauſa natura terræ.

Cypri vrbes & deſcriptio.

tilitatem ac bonitatem. Inſulani dicti ſunt accedere ad centum & octoginta millia; quorum, di-

Cypriorum numerus.

midium eſt eorum qui ab ijs Francomatti dicuntur, qui ſunt liberi agreſtes. Quinquaginta ſunt Pa-
ricorum millia. reliqua multitudo eſt vrbana. his rationibus de excitandis munitionibus auditis, &
de locis deligendis Leucoſiæ ciues, eſt enim Leucoſia vrbs eius inſulæ nobiliſſima & opulenta me-

Leucoſia metropolis Cypri.

tropolis, in qua reſidet archiepiſcopus eius regni, ægrè ferunt ſeſe miſiſſe legationes ad illam ædifi-
cationem, ſed tamen de alio quouis loco potius verba fieri, quàm de illo, quem ipſi maximè vellēt:
cum appareret illa munitio ad ſecuritatem potius regni, & ad Venetorum vtilitatem, quàm ad no-
bilitatis conſeruationem reſpicere. videbatur illud graue ſanè vniuerſam nobilitatem inſulæ negli-
gi, ſi illa vrbs, quę primaria eſt & frequentiſſima, in qua totius inſulæ propè exiſtimatio & potentia
contineretur, relinqueretur arbitrio crudeliſſimorum hoſtium munitionibus & omnibus auxilijs
prorſus ſpoliata. res conſultatur. viſum eſt ad facilitatem & celeritatem ædificandi, & cōmoditatem
defendendi vt in colle Leucoſiæ finitimo Mandino vocato oppidulum erigeretur, qui ſolus locus

Collis Mandinus.

ad tutelam Leucoſienſium apparuit accommodatus erigendæ munitioni. Sed Leucoſienſes iſtud
multo etiam grauius ferunt. conqueruntur inuicem ac palàm dictitant, frequentibusque vtuntur
lamentationibus ſe fideliſſimos ſubditos, ac nomini Veneto ſemper deditiſſimos fuiſſe, neque vilū
vnquam apparuiſſe perfidiæ veſtigium, quare nunc non opus eſſe oppidulo imminente illi ciuitati,
quo in fide retineretur, quæ ſemper illam inuiolatam & incontaminatam ſeruauiſſet, cum oppidu
la non minus aduerſus proximas vrbes, quàm aduerſus hoſtes inuaſuros exædificari conſueuerint,
quia pauca oppidula poſt captas vrbes viribus hoſtium diu reſtitiſſe inuenientur; atque vrbs ipſa ni-
hilominus futura ſit aperta libidini & direptionibus hoſtium. erogarunt & ipſi ad ſubleuandum Se

Cyprij munitiorū ſumptus in ſe recipiunt.

natum tantis ſumptibus, quantis opus erat vrbi muniendę propter ambitus amplitudinem, libera-
liter multam pecuniam vbi ędificationis architecti ac præfecti erigendarum munitionum periti à
ſenatu miſſi ſunt. Eſt enim Leucoſia in parte inſulæ mediterranea, in vmbilico propè eius tribus,

Leucoſiæ deſcriptio.

quæ Vicecomitum appellatur, nam vniuerſa in vndecim tribus diuiditur, in planitie quadam Florē
tiæ perſimilis, cui ſunt & propinqui & longinqui montes, habetque ambitum ampliorem quatuor
millibus paſſuum. viſa eſt quibuſdam vrbs non eſſe habilis ad muniendum, cum nimis diſtaret à ma
ri vtrinque pari propè ſpatio triginta milliariorum ſcilicet, cui difficillima poſſent afferri auxilia per
claſſes, niſi & terreſtribus & maritimis copijs quis fuiſset ſuperior. ineundis leuibus certaminibus
dum inferrentur ſubſidia ex altera parte, nimis longa receptio apparebat ad claſsem triginta millia-
riorum; & tamen neminem timendum eſse inſulæ præter vires Turcicas, quæ terra marique multo
futuræ eſsent ſuperiores. Interea fiebant ſępe incurſiones in finibus Pannoniæ, quare ſignificauit
per literas Turigeorgius Curtenſi purpurato prędationes fieri contra leges induciarum, hortaturq;
vt ſuos à rapinis cohiberet. reſponſum eſt vigiles non infeſtari, neq; paratos ad defenſionem; at dor-
mientes non facilè ab inſidijs poſse defendi. His verbis monitus Turigeorgius parat inſidias, ac pau
lopoſt nonnullos Turcas palantes & prædabundos ad Caniſiam trucidat. Sic omnis reliquorum
Turcarum & latronum rapina repreſsa fuit. per idem ferè tempus in Nantua vocata regione Allo

Prodigium.

brogum tanta ventorum vis exorta eſt repente, vt tecta domorum ſublimia cum maximo omnium
terrore ac metu per aera ferrentur. ligna ingentia ex humo ſublata vi ventorum extollebantur, itaq;
fieret formidabilis tempeſtas, vt omnes latebras & cauernas ſubterraneas ad fugam requirerent. tur
res præcipites deiectæ ſunt. arbores radicitus excauatę. multi mortales ſublimes per aera ſublati, ne-
que cognitum quid de ijs actum eſset, aut quo perueniſsent. at quoniam Turcica claſsis, quæ conſta
bat è centum & duodeuiginti triremibus, varijque generis nauigijs in ſinum Corcyręum applicuit,
quæ ſingulatim quatuor equos conuehebant & multos Ianizzeros, ſequebanturque duę mahonę
cum multis bellicis apparatibus & equis, neque ſciretur quo tenderent Turcarum conſilia, Veneti
Cypro timentes, & reliquis maritimis vrbibus, iam ingentem, ornatiſsimamque claſsem inſtruxe-
rant. Reliquæ etiam Italæ nationes mari finitimæ ſe accingebant ad defenſionem, neſciæ cui loco il-
la claſsis cladem & ruinam atque incendia minitaretur. In regione vero Belgarum Albanus poſt vi
ctoriam diſtributis firmis præſidiis Buſaterorum fines inuaſurus Amſterdamum oppidum verſus
iter cepit quod eſt maritimum ſpectans Oceanum in litore maris, quo res defenſioni neceſsarias ibi
compararet. Nam ſignificabantur magnæ vires colligi decreto comitiorum Colonienſium ad vltio
nem Agamontij. Nanſienſis enim collectis reliquijs, quę ſuperfuerāt acceptę cladi, dicitur obtinuiſ
ſe pręterea triginta millia peditum, & ſeptem equitum armatorum in ipſis comitijs, ita vt haberet
decem millia equitum in caſtris, & circiter triginta & ſex millia peditum. Poſt modo inſtitutum

Nanſiēſis copiæ.

eſt ne quis in eo bello viuus caperetur, ſed in morem atrocioris, immitiorisq; belli omnes capti tru-
cidarentur ſtatim atq; veniſsent in poteſtatem. Albanus prępectis cohortium ac tribunis Tertij Sar-
dinię capita amputari iubet, vniuerſumque Tertium dimittit, quia diceret eos autores eſse & reos
eius cladis, quam accepit Aremburgenſis. Aurantius itaque coniunctis viribus cum Nanſiēſi, cuius
erāt in caſtris quadraginta & quatuor cohortes Germanorum, ſexdecim Buſaterorum, quindecim
quas Dux Empedemi collegerat cum quibuſdam tormentis. equites non pauci Aurantii roſam &

Aurantij copiarum inſignia.

Pelicanum auem Niliacam Ægypti geſtabant pro inſigni ſuper galeis, quibus ſignificabant ſe con-
ſentire & conſpiraſse, eſseque fœderatos cum Britannis. Sic hę copię cum eo equitatu, quem dixi-
mus Gueningam verſus iter capiunt. Aurantius ad Rhenum fluuium ad Andernachium per Ebu-
rones properat, cuius tranſitum Dux Menapiorum impedire conabatur; ſed vanus fuit omnis cona
tus. Albanus hiſce rebus cognitis cum morarentur adhuc Bugodini ſuas copias cenſuit. deinde ob-
uiam procedit quo impediret ne regionem hoſtiliter inuaderent. Ibi etiam iubet edictum promul-
gari de retegendis bonis exulum, profugorum, cōdemnatorum, ſi qua occultata fuiſsent ſub grauiſ-

ſimis

ſimis. poenis. Aduecta ſunt interea quadringenta nummum millia ex Hiſpania in Zelandiam in ſtipendia militum, cum quibus etiam duo millia & quingenti Hiſpani. Albanus Bugodino egreſſus copias iubet Maſtricchium verſus iter capere, ipſe aliquantulum commoratur, quo ſpectaret quo tenderent hoſtium conſilia, qui ſeſe in Sicambrorum fines recepturi videbãtur, cum præſertim bellica tormenta illuc attraherentur. deinde Albanus ſtatuit vt copiæ traiecto Moſa flumine annonam omnis generis morando abſumerent, ne hoſtis illa potiretur; cuius cõſilium cum eſſet incertum, ac modo hoc, modo illud facturus appareret, viſum eſt conſilii euentum omnino expectare. Sed quoniam prius apparuerunt in Galliam per Sequanos tranſituri, vt copias cum Gallicis coniungerent, Albanus miſerat ad Sequanorum regionis præfectum Verghium, vt quamuis Heluetii tenebã tur eam partem regionis defendere, pro conditionibus antiquæ renouatæq; fœderationis cum Philippo Rege, tamen ne expectaret eorum officium, ſed quàm citiſſimè tranſitus occuparet, ſi hoſtes illuc accederent. Aurantius tamen his ſuperatis difficultatibus cum ad regionem Eburonum peruenisſet, facilem tranſitum obtinuit, cum illum Eburones vel contra epiſcopi voluntatem conceſſiſſent, quia dicerent ſe nolle totam regionem ferro flammiſque deuaſtari tot hoſtibus in regione morantibus, dum certaretur de tranſitu. Iſtud efficiebatur ab iis populis, quod ſtuderent eorum partibus, quare epiſcopus ſeſe in oppidum Hux munitiſſimum recepit. Nicolaus Neoſtatenſis Batodurum acceſſerat ſupra Coloniam, & Bonnam, quo peruenerunt duo equitum, tria peditum millia, cum ipſe haberet etiam duo millia equitum, & quatuordecim peditum vexilla. Idcirco Ferdinandus Archidux Auſtriæ omnia eius bona fiſco addicit, quoniam edixerat ſub pœna perduellionis ne copias aduerſus Philippum Regem ductaret. miſerat etiam ducentos equites Inutrium ad eum capiendum, qui paulo ante diſceſſerat ad cenſendas copias, caſtraque cum Aurantio coniungenda.

Albani copiæ.

Erant in caſtris Albani cum multis muralibus, campeſtribusque tormentis & operariis ac lintribus circiter quadraginta millia peditum, & ſeptem equitum. Albanus partim precibus epiſcopi Eburonum commotus, partim quod rerum ſuarum plurimi intereſſe arbitraretur vt eam regionem occuparet, copias eo traducendas curat. Aurantii copiæ vbi Rhenum traieciſſent, apparebant in Galliam profecturæ, vt dictum eſt, cum ad vicum Sancti Viti acceſſiſſent, vnde facilis tranſitus dabatur in Leucos & Namurrium, erat inſcriptum in prætorio Aurantii vexillo, quod in aliis etiam omnibus, pro lege, grege, Rege.

Inſcriptio vexillorum Aurantij.

Acceſſit in caſtra Aurantii regulus etiam Lumacchienſis vir bellicoſus & acri planè ingenio cum mille & quingentis galeatis equitibus propinquus & affinis Agamõtii, qui neque vngues, neque capillos dicebat ſibi cæſum iri antequam cariſſimi affinis Agamontii mortem & iniurias vltus fuiſſet. Aurantius itaque ad ducem Menapiorum miſerat nuntium, qui cõmeatum & tranſitum liberum ſuis copiis poſtularet, ſed reſponſum tulit neque amicum, neque liberale, vt arbitrabatur. nam crediderat Aurantius vbi Nanſienſis copię conueniſsent in caſtra, eſsentque decem equitum, & triginta & ſex peditum millia cum multis tormentis, multiſque reliquis omni generis apparatibus, omnia ſibi patere ad tranſitum vel propter timorem, vel per vim ferri. Sed quod maximè procurandum videbatur, erat copia commeatus. Albanus traiecto Moſa fluuio non procul à Maſtrichio Eburones verſus caſtrameratur ad Viſonum pagum, vt ibi opperiretur hoſtium cõſilia, qui paulo ante multa nauigia cum mercimoniis ceperant, multoſque mercatores, quos ſollicitabant ad redemptionem, cum in caſtris & ſtipendiorum & commeatus penuria laboraretur. Nanſienſis ſtatim traiecto Rheno mittit ſexcentos equites exploratum Aremburgum ad expugnationem, vbi erant quingenti Hiſpani in præſidiis, & nonnulli vallones.

Aremburgũ captum.

Aremburgenſes cum ipſe Nanſienſis paulo poſt cum aliis viribus acceſſiſſet, vltro ſe dedunt, trucidatis quadringentis Hiſpanis & quibuſdam vallonibus, cum proditio ſtructa fuiſset. Sed enim tam acriter ſe præſidia defenderunt, vt ceciderint plures ſexcentis è militibus Aurantii, cum fœminæ quoque fortiſſimè dimicaſsent.

Fęminarum virtus.

In Britannia vero dum tormenta muralia, omniſque generis appararus bellici imponuntur actuariis nauibus, qui conueherentur in Galliam ad Vgonottos, quorum magna vis nuper inſurrexerat, multa nauigia Budigalæ Britannica capiuntur; atq; Condæi piratæ in Curioſelitum regione ad Portemutham multa nauigia prædantur, neque vllum genus hominum liberum dimittunt.

Balenæ magnitudo.

Captæ ſunt per illud tempus multæ balenæ, inter quas vna fuit inſignis magnitudinis, ſuper cuius cauda lunari duodeuinti homines cõiunctè poſsent commodè ſedere. Albanus quia iam apparerent hoſtes iam non amplius velle proficiſci in Galliam, cæteris copiis in pagis Maſtrichio proximis collocatis cum viginti & duabus cohortibus partim Germanorum peditum, partim Vallonum exit in apertum, quo facilius poſset explorare quid conſilii caperetur. Illi in Sicambrorum regione ad oppidum Carpenam conſederunt, quo ſecundo Rheno attracta iam fuerant tormenta. Interea ne militum animi in ocio langueſcerent, quod eſt atrox venenum omnis rei militaris, dum ita itinera, dicta, facta hoſtium obſuruantur, Albanus militares ludos inſtituit, vt armati equites pro præmiis propoſitis dimicarent, qua de cauſa leuia certamina inſtituta ſunt. Diſtabat Aurantius circiter quadraginta milliaria à caſtris Hiſpanis, cum in eius caſtris ingens exorta eſt ſeditio inter Germanos & Vallones, qua ſedanda vulnus Aurantius accepit, cuius vicario munere fungens in caſtris globo tormenti laniatus fuit.

Seditio in caſtris Aurantianis.

eſt autem Gapena oppidum Philippi Regis, vbi conſederat Aurantius, apertum diſtans à Maſtrichio circiter triginta & quinque milliaria, atque Albanus cõſederat ad pagum Aluainum, quod diſtat à Maſtrichio tria millia paſsuum, videbatque incertum eſse conſilium hoſtium, qui modo huc, modo illuc vagarentur per regionem, neque ſcirent quid ſibi eſset faciendum. nam Aurantius traiecto Rheno Adernochium accedit, & hinc Ardemburgum, inde ad Erpenum, quod eſt oppidum inter Coloniam & Duram. ibi ducentos pedites collocat in præſidiis, & rurſus quadringentos Hormeſi, quæ oppida erant Regis. Sic comparatis ingentibus viribus Aurantius tempus anni

vtile

vtile rebus bellicis agendis prætcribat incaſſum tot ſtipendiis fruſtra abſumptis, & amicorum ærariis fruſtra exinanitis. nam multò eſt facilius pecuniam ab amicis in ſtipendia per blanditias extorquere, ingentes copias inſtruere, tormenta comparare, omnes res bellicas promptas habere, quàm his omnibus apparatibus ſcire rectè vti; quippe cum cætera omnia vel in fodinis metallorum pluri ma inueniantur, vel ſuppeditentur à principibus; at præſtãtia ingenii, & iudicii diuinitas perrara ſit, cuius ſolus Deus eſt autor. enimuero cognitio horum opportuni vſus in ſolius Imperatoris ſapientia conſiſtit, qui pluris vnus faciendus eſt, quàm reliqua omnia, maiorque adhibenda cum in eo cõparãdo. vbi enim moritur alicui Regi bonus Imperator, illi non minimi exercitus propè iactura facta eſt.

Ingeniũ Imperatoris ꝑcioſi⁹ eſt omnibus bellicis apparatibus.

Sed enim tanto magis hic error reprehendendus eſt Aurantii, quanto illi calamitoſior accidebat, quia non propriis, ſed amicorum ſtipendiis militabat, quæ poterat putare non fore diuturna, cum rari ſint ad aurum vſque amici. quia militabat in aliena regione, vbi non poterat diu ſuppeditari commeatus, vbi non poterat commodè hyemare ſi voluiſſet. quia cęnoſa & inutilis rei bellicæ eſt regio Belgarum propter copiam aquarum quibuſdam temporibus. quia inſtabat iam hyems inutilis rebus bellicis. quia, quod caput eſt omnium, turpe erat futurum diutius cum magnis copiis in Belgio moranti vacuis manibus vt aiunt redire, cum ſemper de honore imperatoris agatur. erãt enim pluuiæ, quæ iam iam imminebant Belgio omnem bellandi facultatem in illis præſertim regionibus erepturæ, cum diuturnæ ſint plerunque, & moleſtiſſimæ propter ſitum. nam regio, in qua verſabatur Aurantius diſtat à polo arctico per gradus ferè viginti & octo, vbi niſi pluat, frigora ſunt acerbiſſima. Illud vnum poterat Aurantium à faciendis conatibus probabiliter retardate, quod parum haberet bellicorum apparatuum omnis generis; & parum, quod eſt fundamentum omnis rei bellicæ, obedientiæ; quæ niſi ſit in caſtris, vel iacta eſt alea de ſalute omnium copiarum, vel certè niſi capitis periculum omnibus immineat, nihil fieri poteſt laudabile. idcirco non ſunt reprehendendi ſummi imperatores ſi quemuis repugnantẽ bellicis mandatis, vel negligentius exequentem grauiſſimis ſuppliciis vel leui de cauſa caſtigauerint aut cõfoderint, cum neq; fratribus quidem concedenda ſit venia turbandæ cum tanto periculo rei militaris.

Aurantij error.

Obedientia vt in caſtris neceſſaria.

Eburones tametſi videbantur magis ad Aurantii, quàm ad Albani partes propenſi, tamen maturè ac ſapienter rebus ſuis conſulentes rem cum ſuo epiſcopo componunt, conſcribuntque ſex peditum cohortes ad vrbis cuſtodiam, quia nollent cuiuſquam partibus ſtudere. ſic fit ſæpe vt qui ſe victricia arma adiuturos eſſe profitentur, vbi illorum ſocordia & ignauia apparuerit, mox terga vertunt, & eorũ ſtudia plurimum refrigeſcãt. Neq; his tamen commouebatur Aurantius vt copias vellet retrahere ac dimittere, quia futurum cẽſebat vt Sueuorum Regis copiæ accederent ad fines Buſaterorum deuaſtandos, quoniam ille Rex poſt res compoſitas cum Rege Daniæ copias non dimiſerat. Indicta ſunt comitia Dieſſenum per idem tempus, quorum comitiorum princeps fuit dux Saxonum, ad quæ conuocati ſunt Federicus Palatinus Elector, Georgius Federicus Blaclemburgenſis, & Ioannes Sennonum marchiones; Caritnorum, Prutenorum, Pharodinenſes, Buguntorum, Leucorum Duces, & Gulielmus Saxonum atque Auguſtus, & Guidus Veſſonum, quatuor Lantgrauii, decem vrbium liberarum legationes, triginta & tres Comites, & alii quidam nobiliores.

Comitia Dieſſeni.

Albanus diutius apud Aremum oppidum infra Maſtrichium caſtrametatus, cum intelligeret hoſtem ad Leodium proficiſci, ſuas copias in ſuperiorem locum retrahit. Aurantius circiter decem milliaria caſtrametatur diſtans ab Albano ad oppidum Noiteiuum, cuius ad exploranda conſilia Albanus mittit manipulum militum, ſed tanta fuit hoſtis induſtria vt quinque ex his captis, reliqui vix peruenerint in tutum. Deinde quoniam Albanus traiectus Moſæ fluminis occupauerat, ne hoſtis poſſet traiicere quo vellet, Aurantius neque pontes, neque lintres aut pontones habens accedit ad depreſſiorem ripam fluminis. ſtatuit circiter quingentos equos in flumine vtrinque, quos iubet conſiſtere ad rumpendum & retardandum aliquãtulum curſum aquæ, inter hos equos imperat vniuerſas copias vadari, in quo negotio multi & equi & homines ſuffocantur. ſic Albani deluſæ ſunt inſidiæ. qui multos tribulos ferreos in fluuium coniecerat vbi poterãt vadari, quibus equorum pedes transfigerentur, fierentque inhabiles ad pugnam & ad fugam. Illi tribuli propter curſum aquarum vnà cum arena deuoluti ſunt in mare.

Ratio traijciendorũ fluuiorum.

Vbi fluuium ita traiceciſſet Aurantius non procul à Tilmontio oppido conſedit Albano vicinus, qui & ipſe modo huc, modo illuc caſtra mutauerat, vt in traiectu fluminis hoſtem impediret. Deinde cum ſubſidia accedere è Gallia dicerentur, quæ etiam breui acceſſerunt quinque millia peditum videlicet & quingenti equites, Aurantius caſtra mouit ad illa excipienda, quem per veſtigia ſecutus eſt Albanus veritus ne caperet Tilmontium, aut aliquam munitionem, vbi eſſe poſſet in hybernis.

Auxilia è Gallia Aurãtij.

Sed Aurantius relicto à dextra Tilmontio ſecundum ripam fluminis iter facit, ac repente vadari incipit, vbi opportunum deſcenſum nactus eſt. Albanus monitus per quoſdam pedites exploratum miſſos quid hoſtis faceret, è veſtigio mittit Federicum Toletanum cum quatuor millibus Hiſpanorum peditum & ſex bellicis tormentis, ac magna turma equitum, qui reliquias exercitus profligaret, ſi iam Aurantius cum magna parte copiarum pertranſiſſet, neque poſſet ſuis in altera parte ripæ conſiſtẽtibus opem ferre. ipſe paulo poſt eodem conſilio Federicum per veſtigia ſubſequitur, cum eſſet conſilium Albani in ipſo traiectu fluminis, ſi poſſet totum periculum belli experiri; quando paulo ante facta facultate pugnandi reſponſum fuerat nõdum adeſſe tempus, ſed breui futurum. nam in vna pugna copiarum omnino dimittendarum periculum faciebat Aurantius. at Albanus pugnaturus erat omnino dimicaturus vno prælio de exercitu & regione ſiue imperio Belgii. Federicus vbi nemori cuidam propinquaſſet, quò hoſtes ſe receperant, qui iam vlla ratione ſe defendere non poterant, in eos tormenta dirigit. at Aurantiani vbi in prima acie duo millia ſclopettariorum collocaſſent in inuaſuros nulla re memorabili edita hinc tormentis, inde ab equitatu infeſtatur. pugnatum tamen

Albani ingẽ periculum.

tamen eſt acriter ab ijs, qui tot difficultatibus erant circumuenti. Sed denique multi trucidantur, multi ſuffocati ſunt in fluuio. multi capti. reliqui, qui iam pertranſierant, omnes in fugam verſi. captus eſt inter hos regulus Louernius ciuis Namurenſis Aurantij familiaris, & non vulgari amicitia coniunctus, cui mox Albanus caput amputari iubet. ceciderunt in ea pugna circiter quinque

Clades Aurãtianorum.

millia hominum. Deinde Toletanus fluuium tranſgreſſus ad vlteriorem ripam fugientes adhuc nonnullos inſequitur, qui tamen peruenerunt ad caſtra. vbi copiæ Aurantianæ conſtitiſſent ſuper quodam colle diſplodunt multa tormenta in acies Albani cum magno acierum detrimento. Deinde cum Hiſpana etiam tormenta in eorum caſtra diſploderentur, coactæ ſunt excedere è colle, cum ſclopettarii in planitie conſtitiſſent. Albanus ipſe illa clade illata conſedit inter Tilmontium, & caſtra hoſtium. at Aurantius tanta iactura ſuorum facta, tantoque numero diminutus, in iiſdem caſtris per aliquot dies conſiſtit, quibus diebus aſſiduè minutis prælijs pugnabatur, fortuna

Crudelitas Aurantianorum.

belli modo his, modo illis victoriam alternante. Captiui vtrinque in caſtra ſunt adducti. Sed tanta erat odij magnitudo, quo proſequebantur Hiſpanos Aurantianæ copiæ, vt captiuis Hiſpanis oculos eruerint, & corda palpitantia adhuc viuentibus euulſerint. ſuſpendio necatus eſt Albani iuſſu præco miſſus poſtulatum tantum an vellet tractare in morem mitioris belli captiuos quoſdam ferrarolos. Vexabantur interea fines etiam Britanniæ, quoniam Galli & Scotenſes, qui erant in præſidijs Barunicæ, ea eſt munitio in finibus Scotiæ Britanniæ finitima, minutum prælium committunt cum Britannis, in quo non pauci vtrinque ceciderunt, at plures tamen è Britannis. Galli cum multa præda, & quibuſdam equis captiuis redeunt in munitionem. At Regina Britanniæ optimum fore exiſtimans ſi occurreretur bellorum initijs, antequam regio hoſtilibus incurſionibus deuaſtetur, mittit Ducem Norfolcium cum confertiſſimo globo peditum & condenſata ala equitum ad illam munitionem expugnandam, opprimendaque & prorſus delenda moleſtiarum ſemina, quæ pullulabant. munitio breui per magnam Norfolcij diligentiã capta eſt, & eius præſidia trucidata. Aurantius, qui diu in finibus Sicambrorum & Buſaterorum commoratus fuerat, cum nihil ſuccederet è ſententia, qui putarat multas vrbes & caſtella ad fidem amicitiamque ſuam confugitura, vbi primum Aurantiana inſignia fuiſſent proſpecta, decernit neceſſario ex illa prouincia eſſe recedendum. ad illud conſilium capiendum impellebat annonæ penuria & pabuli, cum non minus equi

Aurantij exitus è Belgio.

quàm homines iam in caſtris fame perirent. Sic poſt multos infelices ſucceſſus, vel potius nullos rerum ſucceſſus tentatos, tot inutiliter abſumptis ſtipendijs per noctem ſine vllo tympanorum aut tubarum ſonitu Moſam traijcit. Aurantius motis caſtris apud Stochemum, quod neque impediri, neque ſentiri quidem potuit ab Albano, cum diſtaret ad quindecim millia paſsuum, reuerſæ ſunt Aurantij copiæ per eandem viam, perueneruntque ad Tilmontium, quod diſtat à Louanio quindecim milliaria. Tilmontii præſidia egreſsa leue certamen cum his ineunt, & circiter quingentos trucidant. multa plauſtra capiunt cum bellicis apparatibus antequam accedant Tongher, quo trahebantur. carrorum cuſtodiæ in fugam ſunt verſæ, & quidam capti in caſtra Albani adducti. Albanus Tongher cum ſuis copiis accedit, locumque muniendum curat, quod eſset hoſtibus impedimento quo minus liberè poſsent incurrere Leodium verſus per Sollauiam. atque quo tardaretur iter copiarum Aurantii, nè liberæ redirent in Germaniam, Albanus cum acceſſiſsent in caſtra duce Coſseo regulo duo millia ſclopettariorum, mille & ducenti equites cataphracti, equites Ger-

Subſidia è Gallia Albano miſſa.

mani ſeptingenti, & quatuor millia peditum armatorum, quas vires Rex Gallorum miſerat ſubſidio rebus Belgicis, præmittit quandam partem equitatus ad fugam hoſtium retardandam, donec vniuerſæ copiæ conuenirent. Aurantius vbi Leodium acceſſiſset, putabat ſe vrbem illam per proditionem eſse capturum, ſed re patefacta, conſilioque irrito deceptus mira celeritate iter facit, neque vlla arte poteſt ab equitatu Albani retardari. nam cum Aurantius non tutum putaret denuo Moſam fluuium inſequentibus hoſtibus traiicere, vt rediret in Germaniam per ſuperioris traiectus calamitatem edoctus, iter capit Namurium verſus, atque in Galliam proficiſcitur vt vires cum Condæo coniungeret. Sed quia non omnes copiæ poterant ſeruare eandem fugæ celeritatem, quicunque capti ſunt Germani nudi Maſtrichium verſus Albani iuſsu flagris pelluntur. qui eſsent ſubditi, ſuſpendio ſunt necati omnes. Aurantius quacunque iter faciebat, omnia ferro atque flammis populabatur, quo inſequentes hoſtes nullis rebus neceſsariis à tergo relictis iuuarentur, cogerenturque ceſsare ab inſequendo. Illa deuaſtatione audita Rex Gallorum mittit qui quererentur, quia nulla laceſſitus iniuria Gallorum agrum tam inhumanè ac tam hoſtiliter popularetur; quibus reſponſum eſt iſtud fieri partim ne hoſtis inſequeretur, partim quia hoſtem putaret eum qui Condæi ſobrini ſui eſset hoſtis; quare ſe etiam illuc aduentaſse vt caſtra coniungeret ad infeſtandos Hi-

Reſponſum Aurãtij Gallo Regi datum.

ſpani Regis fines. Deinde illum poſse iure optimo hoſtem cenſeri, qui palam ſuis hoſtibus tanta auxilia miſiſset. Albanus ad Veromandum & Samarobrigam vſque illum inſecutus eſt, vbi ingens commiſsum fuit minutum prælium cum magna vtrinque clade. nec multo poſt Rex Gallorum, quia plurimum obeſset has etiam copias intra ſuos fines alere, & tranſitum liberum & commeatum conceſſit abeuntibus Aurantii copiis, vti petitum fuerat; quo poſsent in Germaniam redire, illa tamen conditione vt abſtineretur à populatione deuaſtationeque regionis. Petiuerat reditum in patriam Aurantius cum ſparſim ad Pheram oppidum conſediſset, quia ſi vellet accedere in caſtra Condæi Lutetiam, multæ ſeſe offerebant difficultates, cum multi fluuii eſsent traiiciendi, neque vllos haberet lintres. videbat enim futurum ita vt vel paruis copiis poſset retardari, vel etiam coerceri. nam vix ſibi reliqua erant quinque tormenta, cum cætera humata eſsent variis in locis propter difficultatem conuectionis. digreſſis his copiis è Belgio tantam cladem apparuit illa regio breui accepiſse, tantumque detrimenti, quantum vix poſſit in multos annos per diuturnam pacem

inſtaurari. Aurantius dimidium peditatus & multos equites amiſit partim fame necatos, partim trucidatos ab hoſtibus. at Albanus præter interceptam pecuniam multa millia librarum auri abſumpſit, & copias,& multa deuaſtata,qui poſt diſceſſum hoſtium Samarobrigæ moratus opportuna pręſidia equitum ac peditum in finitimos locos diſtribuit.quandam etiam partem copiarum dimiſit, & omnes Germanos in primis præter cohortes Lodronii, quarum altera pars ad Atuacuti præſidia miſſa eſt,atque Valentianæ,altera in regionem Batauorum. miſſis Bredam trecentis Hiſpanis; & præſidiis, ſicuti res poſtulare videbatur, inſtitutis, ipſe Bruxellas redit. at Rheti, quoniam multi ſuorum in vtraque caſtra confluxiſſe cognouerant, atque vtriſque his ducibus militare, edictum per præconem promulgandum curant ne quis ſtipendia cuiuſquam mereretur inconſultis magiſtratibus, atque grauiſſimas pœnas proponunt ſecus facientibus. Deinde vniuerſum ſtudium Albani conuertitur ad inquirendas opes profugorum & hæreticorum, atque illis fiſco addictis omnes ſunt trucidati. Celebratæ ſunt exequiæ Caroli Hiſpaniarum principis, qui diu in cuſtodiis aſſeruatus mortuus eſt. nec ita multo poſt Philippi Regis vxor illa morte conſternata cum geſtaret in vtero & ipſa deceſſit, quare duplex calamitas domeſtica poſtmodo ipſum Regem conſecuta eſt. Pontifex non permiſit eius Reginæ exequias in ſacello celebrari, ad cuius ſententiæ confirmationem defenſionemque adducit Iulii ſecundi factum, quia in templo Diui Iacobi celebrarunt. Purpuratus in Arabia, qui Selimi crudele mandatum deuitauerat transfugiens, plurimum ſibi autoritatis compararauerat inter Arabes populos, quia non ſolùm opibus, ſed etiam prudentia & calliditate cæteris omnibus præſtare videretur. Idcirco mortuo paulo poſt principe illorum populorum, cum ipſe haberet in matrimonio filiam vltimi Regis Ægypti, facile regnum obtinuit. at Cæſar cognitis his Philippi Regis domeſticis calamitatibus Carolum fratrem Archiducem principem ſapientiſſimum mittit in Hiſpaniam, partim vt ipſum Philippum ſolaretur, hortareturque ad ferendas æquo animo fortunæ viciſſitudines, quæ maximę contingunt magnis regibus præſertim,tam aduerſæ, quàm proſperæ; partim vt ſtuderet Belgicis atque Gallicis rebus componendis, quia per eius dexteritatem & autoritatem futurum arbitrabatur vt omnes diſcordiæ & contentiones conſopirentur. Quippe cum ille princeps non minus prudentia, cognitione multarum rerum, grauitateque orationis,& multis præclaris animi ornamentis excellat,quàm religione & integritate vitæ. Peſcolienſis prorex Siciliæ creatus à Philippo Rege proficiſcitur in illam inſulam cum poteſtate proregia. Factæ ſunt induciæ inter Sarmatiæ Europęæ Regem & magnum Ducem Moſchouitarum, quare arma per aliquot menſes ſunt depoſita, & ab omni bellica iniuria abſtinetur. Sed iam inierat annus alter à partu Virginis,qui fuit nonus poſt mille quingentos & ſexaginta,qui vel defeſsis iam principibus ob diuturnitatem & crebritatem aſsiduorum bellorum videbatur aliquam ceſſationem tot ruinis Chriſtianarũ gentium allaturus,vel certè non tantum malorum,quãtum omnes nationes perſenſerant. Quippe cum arma depoſita fuiſſent in Pannonia factis induciis inter duos imperatores, rebus Polonis & Hamaxobiis conſopitis, Daniæ Sueuorumque regibus quieſcentibus per compoſitam pacem, Aurantianis copiis è Belgio egreſsis, Selimo ad Arabum tumultus conniuente, minimeque res in Sarmatia Aſiatica irritante, ſeminibus bellorum è Scotia per Britannicas vires euulſis,cum ſola Gallia acerbiſsimis diſſenſionibus inteſtinis vexaretur. Sed tamen non nihil ſuſpenſi ſunt animi mortalium expectatione rerum nouarum,cum quædam inuſitata prodigia variis in locis apparuerunt. nam Venetiis quædam monſtra nata ſunt, & infantes cum quatuor manibus & totidem cruribus in eodem corpore; & Noſſumbergæ, quod eſt oppidum non procul à Caſſouio,lux clara viſa eſt per noctem tanquam meridies illuceret, hanc lucem maxima obſcuritas conſecuta eſt, magnopere formidabilis. cum prior lux in duas igneas columnas conuerſa fuiſſet, poſtea magnæ ſecutæ ſunt tenebræ, atque occaſum verſus columnæ igneæ receſſerunt. Poſt modo per mediam noctem cœlum apertum eſt, in cuius hiatu Crux apparuit, quæ aliquantulum perdurauit. At Tranſyluanus quoniam videret Germanos pleroſque principes fuiſſe in ſuperioribus bellis implicatos in Gallicis bellis, quorum alii nouam,alii veterem religionem defendebant, non negligendam opportunitatem ratus arma aduerſus Cæſarem importandi, atque reſumendi belli, legationes mittit ad purpuratos Curtæ & Tibiſci, & Byzantium ad Selimum Imperatorem, quibus ſubſidia peteret ad oppida ſibi capta recuperanda,& doceret nullam opportunitatem eſſe poſſe præſtantiorem, quàm quæ diuinitus nunc oblata eſt. non eſſe prætermittendam occaſionem rei benè gerendæ, quæ fruſtra fortaſſe poſtmodo expectabitur. nihil poſſe magis imperium Turcarum dilatare, quàm captata opportunè Chriſtianarum diſsidia. aduenisse nunc tempus non modo, vt nullo pacto poſsint conſpirare ad mutuam defenſionem,ſed etiam vix illos poſſe dirimi à mutuis cædibus, cum omnium rerum humanarum dulciſsima ſit vltio, ac videre hoſtem vel cæſum vel proſtratum, abiectum, & ſupplicem. Non eſſe leuiſsima odia quæ inter Chriſtianos intercedant, cum multo magis inter ſe, quàm aduerſus Turcas dimicent pertinaciter de patria, honoribus, facultatibus, legibus, imperio, religione, vita in morem immaniſsimi & atrociſsimi belli. Cæſaris vires adeo nunc eſſe ſparſas, diſsipatas,in Gallicis bellicis implicatas,vt nullo pacto futurum ſit vt poſsit reſiſtere. Eſſe ſapientis ſcire vti pręſentibus fortunę beneficiis, cum Deus ipſe ita ad res pręclarè gerendas adhortari inuitareque videatur. Curtenſis purpuratus cum ab eo peterentur decem millia equitum,nihil cenſet inconſulto Selimo eſse faciendum. at contra hortatur Tranſyluanum vt animo ſit tranquillo, reuocetque cogitationem hoc tempore à bello renouando. Demonſtrat non eſse inſtitutum Imperatorum Ottomanorum fidem fallere, & inducias abrumpere nulla probabili data opportunitate,cum pręſertim Moſchouitarum arma in eum pararidicerentur ad quędam loca in finibus recuperanda.non videri infeſtandum Selimum hoc tempore,qui

Exequiæ Caroli principis & Iſabel læ reginę Hiſpaniarum.

Purpuratus Damaſci creatus Rex Aegypti.

Caroli Archiducis ingenium.

Induciæ inter Polonũ & Moſchouitã.

1569

Prodigia.

Legationes Tranſyluani & oratio.

re,qui multo maioribus,grauioribuſque negotiis ſit implicatus.expectandam eſſe maturitatem rerum omnium, cum bellum ſuſcipere facile ſit, at difficillimum vbi manus ſemel cruentatæ ſint, res componere, odia conſopire,inuenire exitum honorificum. nam opulentiſſimam & bellicoſiſſimam prouinciam eſſe inquit Germaniam, quæ poſſit vno tempore varios exercitus emittere & alere; neque hoc ſemel eueniſſe vt homines vnius prouinciæ vel vnius vrbis inter ſe diſſendentes, ſtatim viſis armis communium hoſtium abiectis inteſtinis diſſenſionibus, communibus & armis & conſiliis ad defenſionem conſpirarint; cum præſertim maximè ſit aduerſaria religioni Chriſtianæ religio Turcarum, quæ illam funditus euertit.non minus conſueuiſſe cenſere Chriſtianos ſe aduerſus Turcas, quam inter ſe,oportere vno tempore de patria,auitis laribus, facultatibus, honore, imperio, legibus, vita ad morem atrocioris belli dimicare. His rationibus auditis non tamen Tranſyluanus acquieſcit, ſed colligit vires quotquot poteſt. Sed quoniam ingentes copiæ miſſæ fuerant in Galliam à Germanis principibus,laborabatur in eorum caſtris ſtipendiorum inopia,quare Caſmirus multos Gallos priuatos capit,qui proficiſcebantur in Germaniam, quia vellet extorquere à priuatis, quando non poſſet conſequi ex publico, quæ ſibi debebantur ſtipendia,vt recederet. Albanus quia viderentur libri etiam poſſe ingenia facilè deprauare legentium, multiſque imbuere erroribus edictum curat promulgari vt omnes impreſſorum, bybliopolarumque libri magiſtratui quęſitionis afferentur,quorum magna copia recognita concremata eſt per maximam mercatorum iacturam.

Libri in Belgio iuſſi magiſtratib⁹ offerri.

Tranſyluani autem apparatus idcirco euanuerunt, quoniam graui valetudine ſtatim correptus fuit. Quæ res dum apparent quieſcere in Tranſyluania aliquantulum,& in Pannoniæ finibus, Luzalis non minus callidus quam promptus, iubet clam nauigia parari in Mauritania cum eſſet Rex Iuliæ Cæſarienſis, quæ præſidis Tunetanis inſtrui conſtituerat,vt per ſtagnum profectus aquam Galethæ adimeret, qua ratione videretur poſſe facilius capi. ea nauigia parata ad eam portam detruſa ſunt, quæ Galathen perſpicit. Illud vbi ſignificatum eſſet Alphonſo Pimentio præfecto præſidiorum Galathes,qui diligentiſſimis exploratoribus vtebatur per metum Turcarum,cum duo tormenta & quinquaginta ſclopettarios collocaſſet ad cuſtodiam nauigiornm,& armatos prę terea inter nauigia & ſtagnum, armat decem nauigia quæ ad Galathen habebat aſſidua. accit Seguram caſtrorum magiſtrum,cui datis trecentis ſclopettariis cum Salazaro Hiſpanis iubet ad duomillia paſſuum à Tuneto deſcendere cum ſeptuaginta ſclopettariis: ſic excitato prælio cum terreſtribus copiis, reliquos nauigia concremare.id vbi factum eſſet,ſtatuitur vt nauigia Hiſpana ad certum locum conuenirent, quo pugnantes profecti claſſem conſcenderent, & in tutum referrentur,quod vt inſtitutum prudenter, ita feliciter ſucceſſit. Dupontius interea collectis nouem millibus equitum,& octo Regimentis peditum Aquitaniam verſus iter facit nemine prorſus iter impediente. nam ad eum ſollicitandum vt opem ferret Vgonotticæ factioni Regina Britanniæ legationes miſerat cum centum & quinquaginta millibus nummum, ad quorum auxilia claſſem etiam inſtruxerat cum ſex onerarias Hiſpanas aromatibus onuſtas cepiſſet.

Naues Hiſpanę captæ.

Gallorum Rex his cognitis apparatibus cum Volfangus etiam non paruas copias colligeret nouem millia raitrorum equitum ſcilicet, mittit ad Albanum qui poſtularet auxilia,quoniam res Belgicæ tranquillæ eſſe viderentur. mittit Venetias qui centum millia nummum mutuò peterent, quæ impetrata ſunt, & ad cæteros Chriſtianos principes qui pecuniam impetrarent. & Baſileam, qui peteret mutuò centum nummum millia, ſed nihil inde obtinetur.ceperunt Britanni etiam alia Gallorum & Hiſpanorum nauigia, è Luſitania redeuntia, ſed Galli piratæ quinque onerarias vel in portu Plonucæ, qui eſt Britanniæ, captas ad portum Santonum adducunt.

Venetijs diuturna caritas annonæ.

Venetiis, quoniam ob aſſiduam caritatem annonæ iam multos annos laboratum fuerat, ob cœli vel inclementiam, vel ob ſterilitatem terræ, vel ob auaritiam mercatorum, iam illorum facultates, quorum tenues fuerant, prorſus erant exinanitę. mediocres non parum exhauſtę; magnę adauctę & locupletatę,decernitur à patribus vt aliquo pacto tantis pauperum miſeriis ſaltem ex aliqua parte conſuleretur. Nam vt in corpore hominum aliqua ſunt nobiliora membra, aliqua ignobiliora, cum neque vtile ſit neque decorum vt totum corpus ſit oculus, quamuis nobiliſſimus ille ſit, ſic accidit in ciuitatibus hominum differentia vtiliſſima ciuilibus muniis. Sed ſicuti in humanis corporibus ſi ignobiliorum membrorum, immundiſque officiis fungentium ſalutem negligamus ob deformitatem,mox illa trahant vniuerſum corpus in certiſſimā pernitiem & interitum, ſic pauperes ſi diutius fame & penuria victus laborauerint, ac negligantur à principibus,mox totā vrbem vel prouinciam ſecū in exitiū trahunt.

Pauperū cura cur habēda ſit.

Iſtud cur ita fiat, Deus omnis humanitatis teſtis & vltor crudelitatis cognouit. Illud certiſſimum eſt, quod per potentiorum ruinas & euerſiones ciuitatum oſtendit id ſibi minime gratum eſſe, cum poſtea vltionem inde excitet, vnde minus videbatur pertimeſcendum. Patres igitur miſericordia pauperum commoti liberali magnificoque decreto certam pecuniam ſtatuunt in ſingulos pauperes erogandam. Conuocati ſunt etiam parochi omnes & opulentiores ſacerdotes à patribus & admoniti vel etiam rogati & iuſſi à principe Venetorum vt procurarent quo aliqua ratione miſellis pauperibus ſuccurreretur.

Venetorum clementia.

Conuocati ſunt & artium pręfecti,& quorundam conuentuum,quos vulgus ſcholas vocat, in quos dederunt nomina artifices complures & ciues,qui medium locum obtinent in ea ciuitate,& nobiles,qui dignioris ſunt conditionis. nam plebeius eſt Venetiis, & Patricius, & ciuilis ordines.

Venetorum ordines tres.

hos cohortatur princeps vt pro fraterna chriſtianaque charitate pro viribus miſellæ turbę ſubueniant tot annorum ex ordine caritate annonę oppreſſæ & exinanitę. Quibus rationibus multa vbique pecunia in ſingulos menſes collecta & diſtributa eſt. nam parochi vicatim opulentiores poſtulabant pecuniam erogare, ac promiſſam in ſingulos menſes ſubſcriptione confirmate. iubentur ciues omnes frumentum in vrbem conuehere quodcunque haberent ſub grauibus

bus pœnis. exteri omnes, qui citra certum tempus Venetias migraſſent, iuſſi ſunt per edictum aut annonam è ſua patria importandam pro ſuis familiis curare, aut aliunde ex alienis ditionibus, aut certum numerum pecuniæ in capita pro conuectione magiſtratui diſſoluere annonæ procurandæ præfecto. & quoniam multorum annorum quædam erat de finibus cum Cæſare differentia in foro Iulii, delecti ſunt quidam è ſenatu & à Cæſare miſſæ legationes qui amicè rem componerent, ac fines vtriuſq; ditionis ſtatuerent. imperatum eſt à patribus vt præfecti rationum & ſupputationum publicarum & rerum claſſicarum rationes cognoſcerent, qui vel ſinui Adriatico præeſſent cum ſummo imperio, vel cathenatis ad tranſtra, vel prædatoriis nauiculis, cū crederentur & palam dicerentur magnum numerum pecuniæ publicæ per fraudem in priuata commoda retorquere. Nam profecto male agit ciuitas omnis vbi per exinanitionem, ærari publici ciues fiunt opulenti, non ſolùm quia facilius per opportunitates publica erogatur, quàm priuata pecunia, ſed etiam quia publica paupertas præcipuè in rebuſp. publica eſt miſeria. Nam Veneti ſatis grandem habent prouentum ordinarium in Italia, qui accedit ad tricies centena millia nummum & amplius, præter Cypri, Cretæ, Cephaleniæ, Zacynthi, aliarumq; inſularum & vrbium quas poſſidēt in variis locis & in mari Adriatico, redditus. Detractis igitur præſidiorum ſumptibus & naualis Veneti, terreſtriumq; munitionū, & claſſiū ordinariarum atq; extraordinariarum, multo maiores ſunt prouentus quam ſumptus, quod factū eſt per longum ſpatium diuturnæ pacis. adiuuat ēt non parum patres illud inſtitutū, ꝙ quoties extraordinarias claſſes inſtruere opus ſit, remiges imperantur præfectis artificum, & conuentibus vocatam ſcholarum, quamuis ordinarii quoq; in eas fiunt publici ſumptus. ſunt enim pacis tpe frequēquenter ſupputandæ publicæ rationes, & prouidēdum vt ſumptus ſuperuacanei reſcindantur, tanq̄ luxuriantes rami vitium, ne vniuerſum corpus vrbis debilitent & exinaniant. Sed maximè omnium difficile eſt æquitatē ſeruari ab iis, qui pecuniam tractant, quare ſæpe recognitis rationibus videndū eſt ne furta inueterata tradantur obliuioni, fiatq; tacita licentia furtorū cæteris pecuniam publicam tractantibus, cum ſui ſint cuiq; ciuitati publicorum latrones. Nam quodq; lignū ſuum vermiculū gignit è quo cariem ſentiat. præclare igitur apud Athenienſes oſtraciſmus fuit inuentus ad euertēdā potentiam nimis opulentorum, quare deterrebantur à publicis lattociniis, & reuocabantur ab affectanda tyrannide, cuius deſiderium creſcit plerunq, cum eximia opulentia. Cæſar vbi compoſitæ res eſſent cum Turcis, Alphonſum Carettum marchionem Finalis in ſuum principatum reſtituendum curat, cuius opera & diligentia enituit in Pannonico bello, cum propriis ſumptibus multos equites aluiſſet, ipſe Cæſarem in caſtra ſecutus eſſet, & militaribus muniis impigrè ſatisfeciſſet. Nam Genuenſes anno octauo poſt mille quingentos & quinquaginta, quia grauiter ferrent Alphonſi ſecundi Finalis marchionis imperium, illius territorii cupiditate, vel peculiari odio moti, excitāt in eū, vt dictum fuit, quoſdam populares ſubditos. poſt acceptis armis, validoq; exercitu comparato cōſentientib. & adiuuantibus multis ſubditis Alphonſus per ſummam iniuriā è principatu eiicitur. Alphonſus vt qui nihil huiuſmodi cogitaſſet, cum nullam oīno cām dediſſet tantæ iniquitatis, & qui ſine cuiuſquam offenſione vixiſſet, ꝓfuiſſetq; oībus pro facultate, neq; parū obſeruans fuiſſet Romani imperii ac religionis, ad Cæſarē confugit ad Auguſtana comitia, quæ Ferdinandus indixerat ad tātam iniuriā propulſandā. nam perindignū ei videbatur, ſi cū oīa præclari principis officia præſtitiſſet, ſubditos, iura militesq; imperii pro viribus protexiſſet, præſertim aduerſus Gallos & piratas, cū aliqua rerū ſuarū iactura; pro nobiliſſimæ familiæ Carettæ inſtitutis ſemper vixiſſet, quæ ab Alaſia ſiue Adleida Ottonis ſecūdi imperatoris filia, & Aledramo Vitichindo filio Ducis Saxoniæ originē trahens continuata ſemper ſerie multis clariſſimis luminibus enituit, multiſq; priuilegiis & honoribus inſignita fuit ob egregias belli paciſq; virtutes, nunc contra oēm æquitatē tanq̄ conſcius alicuius parū honeſti cōſilii expelleretur ex auitis latibus. probat igitur apud Cæſarē ſe fidē, religionē, pietatē erga Deū & Imperatores ſemper coluiſſe. acciti ſunt ad Cæſarē factionū aduerſariarū principes, atq; auditis accuſationib. & calumniis atq; defenſionibus, ſtatuit Cæſar Alphonſū in ſuū principatū eſſe reducendū, tanq̄ innocentē, & per iniuriā eiectū, oēq; damnū illi eſſe reſarciendū. imperat fieri edictū ſub pęna ꝑduellionis vt ab iiſdē, qui eū vexauerant & eiecerant in priſtinū ſtatū reſtitueret, paterenturq; in poſterum quietè tranquilleq; viuere. illi ꝑterea oīa antiqua iura ac priuilegia confirmauit Sabbabatiæ, Clauesanæ, ac Finalis. creauit principem imperii, & ſtabiliuit vicarium Cæſarū in eo principatu recuperato. ſic per Cæſaris metum, Alphonſus poſt principatum recuperatū cū cæpiſſet animos effrænatorū reprimere, denuò a conſurgentib. ſubditis, quorū animi nondū deferbuerant, impellentibus, & adiuuantib. priſtinis hoſtibus potentioribus mortuo Ferdinando eiicitur. illud apparuit in eo principe ſummopere laudabile & glorioſum, ꝙ in tanta fortunæ volubilitate tanta vſus eſt animi conſtantia, tanta grauitate, tanta prudentia, vt feliciſſimū oīum principatuū appareat eum exiſtimare, perturbationibus, & motibus animorum imperare, deq; fortuna fortiter triumphare. Poſt illud infortunium acceſſit ad Maximilianum, qui iuſtitia, & fide maxima Alphonſi perſpecta denuo decreuit in ſuperioribus Auguſtanis comitiis vti imperetur ſubditis Alphonſi, qui arma tam iniuſtè aduerſus ſuum principem ſumpſerant, vt illis depoſitis eidem parerent, redirentque ad priſtinam obedientiam ſub pęna perduellionis. miſſus eſt nuntius qui Cæſaris edictum ſignificaret, quo tempore Alphonſus ad Pannonicum bellum exiuit. ſed cum recuſaſſent Finalēſes imperatorio nuntio parere, miſſi ſunt rurſus à Cæſare viri non apernandę autoritatis hac ipſa de cauſa, qui & Cæſaris voluntatem ſignificarent, & obnuntiarent eius indignationem niſi paruiſſent, & grauiſſima quæque Cæſaris nomine minarentur, ſed nullis rationibus vel minis vt parerent omnino impetrari potuit. Cæſar erat in eos tanquam parum imperatorię dignitatis obſeruantes, nimiſque audaces grauiter animaduerſurus, ſed ab ea cogitatione grauiores curæ reuocarunt, retraxeruntque ab armis.

Exteris frumentum imperatum.

Rationes rerum claſſicarum recognitæ.

Publica paupertas publica miſeria.

Venetorum peruentus.

Præclarus monitus in rep.

Oſtraciſmus rectè inſtitutus.

Alphōſi corretti Finalis marchionis cōtrouerſia.

in Italiam importandis.nam non ſolũ dicebatur octingenti pedites Vgonotticæ factionis Exquilias oppidum Pinarolo finitimum in Gallia ſubalpina,& Suſæ occupaſſe,qui eò è valle Engroniæ & Pragella conueniſſent,ſed ẽt plurimum auctę eſſe vires Vgonottorum in Gallia tranſalpina, quare Albanus Gallo Regi miſit duce Masfeltio duo millia equitũ ſubſidio, & viginti ac quinq; cohortes peditũ Germanorum atq; Hiſpanorum. Gallorum Rex dum Dupontius ſeſe accingebat ad iter faciendum in Galliam,cognitis auxiliis,quæ vndiq; accedebant hoſtibus ſe recipit Diuodurum,inde Vmalium regulum mittit ad fines Germaniæ ad impediendum iter illarum copiarum, qui cũ illuc peruenißet cum exercitu,non parum Germanorum animos irritauit. nã Argentorati ciues ægrè ferentes

Auxilia ab Albano miſſa in Galliã.

ꝙ Aurantius in eorum agro conſediſſet,colligũt duo equitum,& duo peditum millia ad agri defenſionem,quamuis Vmalius publicè profiteretur,& iam nuntiatũ miſiſſet Argentoratenſibus ꝙ non acceſſerat ad eos infeſtandos,ſed ad impediendum Dupontium quominus in Galliam irrumperet. ac neq; prius inde diſceſſit, q̃ conſtitit Dupontium per Sequanos tranſire conſtituiſſe. Aurantius quia grauiter ferrent eius præſentiam Argentoratẽſes arbitrati ꝑꝑ illum arma Gallica eo penetraſſe, diuenditis bellicis tormentis & oĩ argento cælato Argentoratenſibus, datisque ſtipendiis militibus quæcunq; potuit, nã pecunia non fuit oĩs tũc numerata, ſed magna pars promiſſa ad certũ tꝑs vade Alberto Masfeltio, in parua nauicula Mocontiacum diffugit. milites multi de Aurantio conquerentes ad ſtipendia Vmalii poſtea conuenerunt. Aurantius paulòpoſt cum ſex equitibus tm̃ venit in ca-

Dupontii copiæ.

ſtra Dupontii iam iam iter in Galliam capturi, cuius erant in caſtris circiter viginti egregiè armatorum peditum millia, & decem equitum cum multis muralibus tormentis ac rebus omnibus tãtis apparatibus neceſſariis. & qm̃ Britanni pręter Hiſpanas Luſitanas ẽt naues ceperant, in quibus erant merces,quarum precium accedebat ad vicies centena millia nummũ, illæ repetitæ ſunt à Luſitanis legationibus. nihil tamen reportarunt pręter verba per humana & multas accuſationes aduerſus Albanum & oratorem Hiſpanum. Albanus ꝙ odium reginæ Britannæ non contemnendum in ſe eſſe ſentit frequentibus cuſtodiis ſe pręſepit, deinde iubet eas partes Zelandæ, quæ forent magis obuiæ Britannicis claſſibus muniri; præſertim cum diceretur regina multa armare nauigia, quia per interceptas ac reſignatas priuatorum literas comperiſſet Gallum & Hiſpanum Reges arma aduerſus illã parare, quæ nollet opprimi imparata. Carolus Archidux vbi & Philippum Regem ſua præſentia ſolatus eſset, & de rebus ad communem ſalutem ſubditorum communicaſset, ita denique concluſit vt

Nuptiæ Philippi & Galli & Luſitani regum per Carolũ Archiducem concluſæ.

pro mortua regina, ne ſine hæredibus res hiſpana in magnum diſcrimen chriſtianos pleroſque coniiceret, primogenitam filiam Cæſaris ipſe in matrimonium duceret, ſecundam Rex Gallus, at Galli regis ſoror duceretur à rege Luſitano. ſic rebus ſtabilitis Barcinone claſsem conſcendit, atque felici nauigatione vſus Genuam delatus mox à duce Sabaudiæ obuio multa cum magnificentia excipitur. eodem hoſpitio & thalamo plerunq; vſi ſunt. Archiduci poſt hoſpitium quadraginta nummũ millia largitur, & Cæſari quinquaginta millia mittit. Dupontius in Galliam tranſiturus petiuit trãſitum ab Heluetiis, quem cum obtinere non potuiſſet, ſe conuertit ad principes Sequanorum, qui & ipſi ſe accingebant ad impediendum, vbi Condæus cæſus profligatusque fuit. Condæus enim ad

Cõdęi temeritas.

ripas Clarẽtiæ fluminis, qui locus non multum diſtat à portu Santonum conſederat cum copiis, vt cum Vicecomitibus coniungeret caſtra, quo in loco tam intrepidus morabatur, quàm ſi eſſet pacis, at non atrocis belli, & aduerſus præpotentem regem ſuſcepti tempus, neque hoſtem haberet vicinum, inter quæ vtraque caſtra fluuius tantum intercedebat. Henricus Andienſis Dux Galli Regis frater ſummus Imperator regiarum copiarum ita huius caſtra inſectabatur, ut omnino aliquam opportunitatem obſeruaret de ſumma totius belli dimicandi. idcirco cognita Condæi negligentia vel potius temeritate, cum ipſe Dux & ingenio præſtaret, & multos viros gloria rerum geſtarum illuſtres ſecum haberet, iubet repente per noctem tres pontes iaci ſupra fluuium Clarentiam. vbi primum illuxit imperat primam partem copiarum tranſire, & equitatum præſertim, qui in caſtra

Henrici Andiẽſis victus.

vſque hoſtium incurrit. Amiras Sciatilioneus collecto denſiſſimo globo ſuorum occurrit Ghiſio penes quem erat ſummum equitatus imperium; atque in eum impetum facit. Pugna primùm inter hos commiſſa paulatim increbuit nouis auxiliis utrinque accedentibus. Amiras primum glande plumbea vulneratus cogitur ſuum impetum refręnare ac retardare, deinde etiam Condæũ cum vniuerſis copiis ſubſidio accire. copiæ Condæi audaciter motæ ſunt impetum & impreſſionem in regias facientes. Andienſis Dux ratus aduenißſe, quam exoptauerat, opportunitatem, nihil cunctandum arbitratus in Condæi latus copiarum impetum facit cum duobus millibus ferrarolorum. imperat omnibus ſuis à tergo inuadere, atque ita acerrimo commiſſo vbiq; & atrociſſimo prælio diutius vtrinque acerrime pugnatur, in quo certamine par enituit utriuſque exercitus fortitudo & uirtus, tanquam vtrorunque Gallorum hominum, hoc eſt maxime bellicoſæ nationis, & non facile cedentis in bello, & à teneris in rebus militaribus exercitatę. Denique cum magna vtriuſque exercitus clade uictoria fuit penes Andienſem Ducem. atque cum equus Condæi glande fuiſset transfixus, ac multo ſanguine effluente cecidiſſet ob imbecillitatem, Condæus captus eſt à

Cõdeicędes.

duobus equitibus cataphractis Ghiſii. Condęus è ueſtigio mille Philippæos ſingulis promittit pro precio redemptionis, atque cum alii equites ſuperueniſſent, centum millia nummum pollicetur. erepta galea, detractoque ferreo oris operimento agnitus multis vulneribus confoditur, &

Andienſis inſignis uictoria.

duabus glandibus transfigitur. reliquæ copiæ partim trucidatæ ſunt, partim captæ: quidam diſperſi fuga ſe in propinqua caſtella ſeruarunt Vgonottorum. pugnatum eſt circiter decem horas nunquam intermiſſo certamine. ceciderunt vti par eſt in tam diuturna pugna, multi viri illuſtres vtrinque. capta ſunt ſexaginta vexilla Vgonottorum peditum. corneta, nam ſic vocantur vexilla equitũ, triginta & quatuor. muralia tormenta multa, ſed in primis duo de viginti cuprea cũ multo

bellico

bellico apparatu. Illa victoria tam inſigni potitus Andienſis nuntium ſtatim mittit Diuodurū ad regem gratulatum, vnde poſtea miſſæ ſunt legationes ad cæteros principes, & vbiq; editæ ingentes lętitiæ ſignificationes, & gratiarum actiones publicè Deo inſtitutę. Dupontius, vt ad eius iter redeamus, cum per Sequanos omnino penetrare in Galliam ſtatuiſſet, traieciſſetq; Ararim fluuiū, ingens commiſit prælium cū Vmaliis copiis, cū ambo exercitus eſſent in regione Sequanorū, & Dupontius ad Diſum vocatum locum conſediſſet. nam ibi ſtatuit expectare regulum Villaerium, qui cum duobus equitum, & decem millibus peditum veniebat in caſtra. Vmalius cum eſſet ad Andomatunum non multo erat inferior, cum multos haberet auxiliarios eius regionis homines ad impediendum. Andienſis ita victoriam ad ſeptem millia paſſuum ſecutus cum certior factus eſſet quaſdā cohortes hoſtium Gernacium confugiſſe, iubet tormenta procedere, & Heluetiorum phalangem cum raitris & Gallico peditatu ad vrbem & arcem expugnandam. at hoſtes aduentu Andienſis cum tormentis audito, nulla vi expectata in fugam vertuntur, atq; pontes in itinere infringunt ne Galli inſequi tā cito poſſent. enimuero ea Andienſis victoria oriente ſole incępta ad ſextam vſq; ad horam noctis perdurauit. deinde ſequenti nocte cum Andienſis ad Gernaciū caſtra poſuiſſet, cum ad colligendas ſuas copias, tum ad cognoſcendum hoſtium euentum, intelligit Amiratem & Andelottum vulneratos, & primarios duces incolumes ad Xaintes ꝑuenisse, qui diſtabat ad triginta milliaria à loco pugnæ. ceciderunt ad duo millia Condæanorum, è regiis trecenti ferè. multi viri illuſtres in eo prçlio ceciderunt, multi et capti ſunt. eius victoriæ nuntio ad regem miſſo, editę ſunt ingentis lætitię ſignificationes in vniuerſo regno, cum appareret iam finis multarum miſeriarum eſſe repertus. ne vero externa auxilia Galliæ quietem magis infeſtarent, Vmalius ſignificatum mittit per araldum Dupontio Cōdæanam cladem, & cædem Condei, & captiuitatem multorum virorum illuſtrium, hortaturque ut ad proprios lares rediret, neq; inferret bellum illi Regi pro amico mortuo, à quo nulla vnq̄ iniuriam accepiſſet. timenda eſſe arma valde potentis principis, qui poſſet acceptas iniurias facile vlciſci. Dupōtius iubet hunc è conſpectu diſcedere. iam biduum ſe id cognouiſſe inquit. ac præter Condæi cędem res non eſſe tantas, quantæ narrarentur, quia araldus plurimū victoriam extulerat. ſe non aduenisse cā principis Condæi, ſed ut Rex intelligeret, quam prudenter eſſent res gubernandæ. mortuo vero principi Condæano ſuffectus eſt princeps Cantabrorū q̄ literas ſcripſit ad Andienſem, quibus eum rogat vt cadauer Condæi ac cæterorum procerū in acie cæſorū mitteret, vt honorificas exequias obtinerent, ſignificabatq; ſe in eum gradum delectū ad Regis obſeruantiā, at nō ad oppugnandum. illę literę miſsæ ſunt ad regem, à quo iniunctum eſt Andienſi ut reſponderet, tanto grauiorem accidiſſe principi illam dignitatē, quanto diligentius de eo reddenda eſset ratio, cur contra religionē integerrimā & ſuū principem arma ſumpſiſſet. ſe amice hortari ut abdicaretur, cū iam bis Deus per rebelliū clades demonſtraſset, quantopere illa arma ſibi eſsent inuiſa. cauēdū eſse ne tertio Dei grauior vltio inſurgeret, cū præſtaret affinis & cōiuncti Regis amicitiā colere, q̄ rebelliū, & ſeditioſorū. at Germaniæ principes vel quod uellent Cæſarē in Gallū regē irritare, vel ꝙ vellent uideri iuſta arma in Gallum mouere, queruntur Vmalium Argentoratū vſq; cū copiis incurriſse, ac loca Imperii, cū pagi fuiſſent ſucceſſi ditionis Imperii. his lamentationibus Cæſar & oē eius conciliū non nihil cōmouetur, atq; Cæſar reprehendit oratorē ordinarium regulū Foreſtiū, quod contra promiſsa illud accidiſset. res deniq; tanq̄ leuis tranſigitur, cū pleraq; non fuiſse uera pateret. at in Gallia cum Rex Diuoduro Verdunum ſe contuliſset, acceſſit Volphangus iuriſconſultus Dupontii legatus, qui Dupontii noīe Regi ſignificauit, ꝙ cā fuit cur ſuus princeps arma ſuſceperit, & ꝙ venerit in Galliam cum illis copiis quia Deo deberet & hominibus eiuſdem religionis eſse auxilio illis, quorum tam impie vexarentur conſcientia, uita, & facultates, qui cędebantur, priuabātur, exagitabantur, quorū uel anima hoſtiliter petebatur, cum reuocare illos Rex conaretur à vera religione contra conſcientiam & propriā voluntatem: accuſabatq; regem iniuſtitiæ quod primū edictum pacificationis reuocaſset. obtulit Regi, ſi cognoſceret quantum deberet Deo & ipſe & ſubditi, qui praeeſsēt iuſtitiæ ac religioni, reuocaſsētq; omnia iniqua tranſacta, introduceretq; religionē ad priſtinam libertatem, atque omnia bona erepta ſingulis redderentur, una cum uitę ſecuritate, fore ut Dupontius poſitis armis in Germaniā reuerteretur. huic reſponſum eſt, ꝙ plurimum ſanè debebatur Deo, qui & regē & Chriſtianū regem, & catholicū naſci conceſſiſset, & ꝙ vna cum dei reuerentia debita ſubditis iuſtitia impulerat ad euellendas radices tam nefarias hæreſium è ſuo regno, extermi mandoſq; illos qui ſimulatione religionis tumultus & ſeditiones cum maximo detrimento atq; euerſione totius regni uel in ſuum principem excitabant. ſe mirari ꝙ ille princeps tam leuiter ignobile vulgus armis protegeret, qui potius per omnem æquitatē cum aliis principibus debebat aduerſus rebelles arma capere pro legitimo Rege. ſe mirari vnde tantū temeritatis ortum eſset vt tanquā tutor ipſum regem moneret illa, quę ſpectarēt ad regni adminiſtrationē demētię in quod nullū ius haberet. Quod eius erat munus ſubditos ſui principatus recte gubernare, at non audacter inſurgere in alienam meſsem. his addidit quòd ſi in ea dementia atq; impudentia perſiſteret, futurum erat vt intelligeret ſe difficillimām prouinciam ſuſcepiſse, pęniteretq; tam facile, tamq; leuiter eo vſq; profectum eſse, ſicuti in ſubditos eſset animaduerſum. ſic has atq; alias ſimilibus minas & reprehenſiones legatio ad Dupontiū reportauit. Pontifex interea iuſserat Sanctifloriū colligere quatuor millia & quingentos pedites, qui cōuenerunt in Galliā ſubalpinā, cū mille peditibus Floretini Ducis, & nongentis equitibus, qui ſubſidio Regi accederent in Galliam, quę copiæ iuſsæ ſunt per alpes Coctias Lugdunum verſus proficiſci, at Gallus Rex quoniam eſset delatum principes Germanos plurimū conqueri ꝙ Vmalius auſus eſset in agrū Argentorati vſq; armatū proficiſci trans Rhenū, & ꝙ multa damna fuiſsent illi territorio illata, ad hos Rex ꝑſcripſit, ſe arma ſūpſiſse aduerſus rebelles, q̄ in ſuā vitā cōſpiraſsēt, qui ad euerſionem regni,

Princeps Cātabrorū Cōdæo ſuffect⁹.

Legatio Dupontij ad regē Galliæ.

reſponſum.

ad ſeditiones,ad incendia coniuraſſent ſe niſi habita eſſet ratio imperii, vel in principatū Dupontii fuiſſe hoſtiliter irrupturū,qui defenſionē rebelliū ſuſceperat.quod ſiquid damni Argentorato eſſet illatū,illud præter ſuam voluntatē accidiſſe, cū Galli rerum nouarū cupidos ſimulata religione vel pp inopiam,vel aliis de cauſis mutationes rerū optantes inſequerentur, cuiuſmodi plurima ingenia multis in locis inueniuntur.Selimus non leuiter vexabatur Arabū ſucceſſibus. nā ex altera parte Illi alluſitanis adiuti plurimū moleſtiæ vniuerſis finibus Turcicis inferebant. ex altera timebat Sarmatarum Aſiaticorū ſiue Hamaxobiorū potentiā, à quibus multi Sanzacchi cū multis millibus armatorū ad Tanaim fuerant trucidata. Idcirco mittit magnas copias ad illos fines vt & Hamaxobios, & Perſarū Regem in ſuſpicione teneret,& qm̄ per Podoliā erat tranſeundū, legationē mittit ad Regē Sidoniæ quæ trāſitū peteret. legatio diu clam cū Rege locuta in magnā ſuſpicionē impulit Moſchū alicuius fœderationis ob diuturna bella pp fines Lituaniæ,quare miſſo oratore ad regē, actū eſt de pace pluribus verbis,ſed ob multas difficultates induciæ deniq; ad certū tp̄s concludunt. Interea Sāctiflorius cū ſuis copiis iā Lugdunū peruenerat, qui iuſſus eſt in caſtra Andienſis accedere:qm̄ oīa plena erant tumultibus armorū in Gallia,& in Sequanis præcipuè,cum Dupontius eſſet fluuium traiecturus niſi magna moleſtia ab Vmalio & Neomaggenſi proceribus vexaret, qui q̄uis inferiores erāt equitatu,tn̄ peditatu multo erant ſuperiores. ſed tn̄ per obſcuritatē noctis hoſtes fefeilit,quia fluuiū traiecit poſt mediā noctē per pontes,quos ſecū adduxerat,non tn̄ prorſus indemnis,cū vndiq; impeteretur. præbuit aūt facultatē traiectus diſceſſus Neomagenſis cū ſuis copiis, partim qđ laboraret ex pedibus, partim quod tumultus Lugduni vbiq; cohorti illū ad ſuā præfecturā reuocarant. at certe p traiectū Dupontii Gallia vniuerſa magna repleta eſt trepidatione, timebatur.n. id fieri non potuiſſe niſi labefactatis viribus Vmalii,qđ ſi accidiſſet, nihil poterat impedire quominus vires Amirantis & Vgonottorum Allobrogum ac Sequanorum,aliorumq; locorum coniungerentur ad regias infringendas.

*Induciæ Poloni & Moſchi.*

at Dupontius in Sequanis præſtolatur aduentum Amirantis,ut de ſumma belli decerneret, quod fieri vetabant Andienſis copiæ non procul ab Amirante caſtrametatæ. nā Andienſis ad Aginnum caſtra poſuerat, vt vrbē expugnaret, cui ſtructæ fuerant inſidiæ Amirantis conſilio, vt inter conatus interficeretur,quæ res patefacta exitiū attulit ſceleris miniſtris,atq; Andiēſis recedit à ſuſcepta expeditione. exeunt ex Aginno multi in poſtremam aciem recedentium,quare Andienſis copiæ quędam in hos conuerſæ magnam impreſſionem faciunt,& multis cæſis in vrbem repellunt. at Dupontius vbi diutius conſediſſet in Sequanis,copiæq; defeſſæ labore itineris fuiſſent refectæ deniq; munitionem petit inter Lugdunum & Lutetiam ſitam Charitatē vocatam in uia, quam ui expugnat antequam mitterentur accita ſubſidia, oīaq; præſidia trucidat. illa ratione efficiebatur ut commeatus Lutetiæ intercluderetur cum poſſet vndiq; ad Germanos comportari,& magna copia equitatus vndique diripere. ſollicitabatur ab Amirante ex altera parte ut ad ſe ueniret, cum etiam conſumpto iā commeatu cuperet Dupontius Auguſtoritam,quæ vrbs eſt nobilis Pictonum, proficiſci,quæ magnis copiis equitum ac peditum defendebatur præfecto regulo Ludenſi. at Andienſis quia parum vires Amirantis formidaret motis caſtris à Vmalio propinquat iis finibus commiſſis Gallis ducibus,quod etiam Amiras ægrotaret. nec multo poſt Ludenſis ꝙ audiuiſſet conualuiſſe Amirantem, auctaq; eſſe eius caſtra mille & quingentis raitris Dupontii, multiſque cohortibus Gallorū peditum & equitibus,animum conuertit ad muniendum Auguſtoritum commeatu,præſidiis, bellicis tormentis,& omni genere apparatuum, omniaque caſtella quæ uidebantur poſſe defendi omnibus rebus neceſſariis inſtruit. eſt aūt Auguſtoritum in edito loco ſitum tanquam monte, per ampla vrbs vbiq;, illa parte excepta,quæ deorſum tendit, in qua eſt foſſa, extra quam in inferiore loco uineæ ſunt & prata & amęna viridaria, habetq; maiorem ambitum omnium Gallicarum vrbium, Lutetia excepta, ad quam ad meridiem & orientem fluuius Chiana vocatus decurrit, quæ multis, & turribus & validis propugnaculis munitur ad defenſionem. inter cœtera loca auctum eſt præſidiis Luſignanū caſtellū oīum propè Gallicorū natura & arte munitiſſimū, & globis ferreis & tormentis & oī bellico apparatu. ea caſtella Auguſtoriti ſi expugnata fuiſſent, ratus Amiras vrbē difficilius poſſe reſiſtere, neqđ hoſtile à tergo relinqueretur, magna vi tormentorum Luſignanū primum quatit. deiecta parte murorum capit per deditionē, & qm̄ vires Vgonotticæ plurimum excreuiſſēt,capta ſunt multa caſtella agri Auguſtoritenſis, oīaq; populabunde ferro & igni deuaſtabant, nullis neq; ſacris neq; profanis rebus parcentes,barbariceq; in omnia ſæuientes. at Auguſtoriti qm̄ propediē expectabatur obſidio cum multo ante Ludenſis regulus foſſas & aggeres interius excitaſſet,& propugnacula è gleba & faſciculis lignorum,& ob vetuſtatem debilia mœnia renouaſſet multa diligentia,acciuiſſetq; duces militum & validiſſima præſidia, tum conuerſa eſt oīs cura ad commeatū in vrbē vndiq; importandū. diſtributæ ſunt regiones ſingulis cohortibus cuſtodiendæ & protegendæ. datum eſt forū armatis defendendum. farina diſtributa eſt veteris frumenti in ſingulas domos,atq; frumētum recens in vſum munitionis exactum,ꝙ tn̄ cum non potuiſſet opportune contundi, non parū incommodi tulit obſeſſis. Interea Andienſis cū tribus millibus equitū,& duobus ſclopettariorū leuiſſimorū proceſſerat ad impediendū Dupontiū ne traiiceret,cū neſciret iā traieciſſe atq; vtrinq; ripa potiri,qui ad quindecim milliaria in agrū Geſſoniaco finitimū incurſiones faciebat, cū Vmalius & marchio Badę cū mille & ſexcētis raitris acceſſiſſet, vexabant germanas copias ne tā libere agrū popularent,quo tp̄e Sarra Martinenghus cū ſuo Regimento in regionē ꝓximā incurrēs Sciatilione oppido Amirātis p vim armorū potit,oēsq; inuentos milites trucidat,ꝙ eſſet receptaculū Vgonottorū ꝓxima quoq; infeſtantiū. oppidū certe totū fere concrematū eſt, atq; Vmalius cū Andienſi caſtra coniunxit, quod ipſum facit & Amiras cum Dupontio relictis in regno Cantabrorum firmis præſidiis. decretū eſt ab his ut Amiras rediret in Pictones qm̄ difficile eſſet totalis copias eſſe in eodem loco. conceſſit naturæ in-

*Dupontis mors.*

terea Dupontius,cuius in locum ſuffectus eſt vnus eſt comitibus Masfeltiis qui erat in caſtris, cum Aurantium præſentem Amiras magis ſummum imperatorem optaret, qui & ipſe erat in caſtris, ſed tanquam priuatus. Germani tamen Masfeltii partibus magis ſtudebant. erat res Gallica & Germanorum in magna expectatione, quoniam rumor erat Regem Lutetia Genebum proficiſci in caſtra accitis cohortibus militum vndique è præſidiis Normaniæ & Vermanduorum paucis exceptis, & ex omnibus Gallicis inſulis, quæ copiæ cæteris adiungerentur præſentibus, quoniam res iam armis, at non amplius procraſtinatione foret decernenda. certatum eſt pluribus minutis præliis, in quibus modo hi, modo illi cladem acceperunt, atque non multo poſt Vgonotticæ acies Aginnum verſus iter capiunt, quo tempore Rex Lanſacium miſerat cum viginti & quinque vexillis peditum, & quingentis equitibus, duodecimque bellicis tormentis ad Charitatem recuperandam, vt & locus eriperetur, & ardor animi Germanis vnà hebetaretur, cum hoſtes Auguſtoritum omnino expugnare decreuiſſent, ad cuius obſidionem pars copiarum iam eſſet relicta. at Auguſtoritani plerique cupientes vrbem in poteſtatem Amirantis venire, in caſtra transfugiunt, quia ſic etiam ſperabant ſi vrbs caperetur, ſe poſſe proprias domos à direptionibus reſeruare. ciues vbi magnam ſolitudinem in vrbe cernunt, paucaque adeſſe præſidia pro amplitudine loci, animo prorſus cõſternantur, quia de omni ſpe ſubſidiorum deciderent. at Andienſis qui ægrè ferret tantæ vrbis iacturam Ghiſium iuniorem mittit cum mille & quingentis expeditis equitibus Gallis, quadringentis Italis peditibus, & magna turma leuiorum equitum duce Paulo Sfortia, cum etiam turma raittrorum illum ſequeretur. tam occulte vero è caſtris Andienſis per noctem exitur, nemo ferè vt ſenſerit, atque tanta velocitate iter conficitur, vt ſexaginta milliaribus fere abſolutis antequam conſtitiſſent, per noctem adhuc nihil ſentientibus hoſtibus vrbem ſint ingreſſa auxilia, quæ mirificè animos ciuium refecerũt. *Subſidia Auguſtoriti.* lætabantur enim, palamque dictitabant Deum illos in tantis curis non deſeruiſſe, atque hoſtes frigidos aut ſomnulentos habere exploratores. cæterum Auguſtoriti præſidia paucis diebus interiectis vbi ab aciebus hoſtium inuaderentur fortiter, pugnantia illos non ſine vtrinque clade repulerunt. at paulo poſt ne videri poſſent ad arbitrium tantum obſidentium pugnare ciues, itum eſt per noctem ad caſtra vſque hoſtium ad ſex millia poſſuum diſtantia ab vrbe per vias inuſitatas nequid ſentiri poſſet. inuaduntur repente pauci vigiles ac trucidantur. conclamatur ad arma, cum omnes defeſſi labore heſterni prælii, nihil tale expectantes, dormirent. trucidati ſunt multi de more pecudum, & multi capti, qua clade extinctus eſt aliquantulum ardor & repreſſa audacia obſidentium. Erant Auguſtoriti ad ſex millia pugnatorum partim equites, partim pedites, cum duodecim bellicis tormentis varii generis, & ſatis apto bellico apparatu, at in caſtris Vgonotticis erant ſexdecim muralia tormenta, & multus apparatus bellicus. & quædam campeſtria. parati ſunt in vrbe ignes miſſiles in conatus poſt verberationes, & oleum bulliens, & pix ignita, & aſſeres, trabesque cum clauis, & alia conſimilia. Vgonotti non multo poſt magna diligentia tormenta dirigunt ad mœnia diſrumpenda, quæ per frequentiam globorum ſcinduntur & proſternuntur, ſed quanta erat uis illorum oppugnantium, tantum erat ſtudium defenſorum, cum milites & ciues pari animi alacritate, ſtudioque & contentione ad mutuam defenſionem conſpirantes quantum murorũ labefactarent tormenta, tantum interius reparationum per noctem reficerent, cum & ciues cuiuſuis conditionis neceſſariam materiam militibus ad mœnia comportarent, & mulieres, quæ etiam multa edulia ad reficiendos diuturnis laboribus defeſſos afferrent. aucta ſunt etiam quadringentis peditibus & quinquaginta vrbana præſidia, quæ clam per obſcuritatem noctis in vrbem ſunt admiſſa cum ſacculis pulueris tormentarii. horum ſubſidiorum aduentus quam gratus fuit obſeſſis, tam moleſtus accidit obſidentibus, quæ cum per media caſtra Vgonottorum clam penetraſsent, Amiras magnopere conqueſtus eſt de ducibus qui erant in æſtiuis, qui nihil horum cognouiſſent per ſummam negligentiam vel perfidiam, cum Luſignanum, & Iazzanillum oppida illis neceſſario eſſent tranſeunda, & alia quædam caſtella, quæ ab Vgonottis tenebantur. ſed quoniam tormenta parum viderentur concutiendo Auguſtorito proficere, tria muralia ad collem diui Cypriani tranſuecta ſunt, & in partem diui Benedicti directa. concuſſa eſt per totum diem turris pontis, quòd inde caſtra infeſtarentur, atque ii præſertim qui in abbatia ſtationem habebant. ſed cum & hæc parum proficerent, addita ſunt & alia tormenta, & corbibus protecta, eaque in murum prati abbatiſsæ directa, tanta cum ciuium moleſtia ut nemo illæſus in pratum deſcenderet. conſternati ſunt non nihil animi, atque quidam cenſebant pratum eſse hoſti relinquendum, quòd tumulum deſuper diſpectabat, cum nullus eſset miles qui poſset propinquare verberationi: putabãt igitur interius eſſe pugnandum. alii contendebant nimis periculoſum eſse habere tam propinquum hoſtem, qui haberet in caſtris circiter viginti & quinque millia armatorum. non defuerunt qui Ghiſio ſuaderẽt vt noctu cum tribus millibus hominum exiret per eam portam, quæ minus cuſtodiebatur, ſequequoquomodo poſset ſeruaret. ſed is ſe potius virtute, quã fuga regias res indigere inqt. eius conſiliũ *Ghiſii nobile reſponſũ.* ſecuti alii proceres ciues & milites recognoſcebant, hortabunturq; ut forti eſsent animo, omniaque proſpectabant, ſiquid reparari aut inſtaurari commodius poſset. Amiras iubet omnem equitatum ac peditatum in aciẽ inſtrui, quę apparebant iamiam ita inſtructę acies vrbẽ inuaſurę, quo territi ciues *Amirantis aſtutia.* & ordinibus & numero & alacritate inuadentium mitterent qui agerent de deditione. at longe aliter res accidebat, ꝙ & vrbana pręſidia & ciues coniunctis animis magna cum lætitia & ipſi inſtructi pugnam expectabant. ſed cum diu ita vtrinque fuiſsent parati, nihil actum eſt. non ceſsabatur tamẽ leuibus preliis frequenter decertare, & variis modis reparationum ac deuaſtationũ contendere. atq; qm̃ pabuli equorũ magna penuria in vrbe laborabatur, decretum eſt aſinos & mulos imbelles iam propè famẽ exanimatos emittere ex vrbe, cũ nõ poſsent eſse vtiles hoſtibus ob debilitatem nata eſt

etiam difficultas molendi frumenti, cum duo tantum molendina in vrbe non poſſent tot hominibus ſufficere, quare inuentæ ſunt multæ machinę,& ſaxa in hũc vſum exciſa, quę dum vi hominum conuoluerentur, frumentum in farinam commode comminuebant, emiſſus.eſt & magnus numerus imbellium hominum cuiuſuis ætatis & ſexus, atque plurimi per verbera,& vulnera & cædes ante vrbem repellebantur, qui cum neque ſuis, neque illuc poſſent penetrare apud męnia radicibus herbarum veſcentes plerique vel etiam inedia moriebantur. at ciues miſericordia denique capti in vrbẽ ſuperſtites pallentes ac ſemiuiuos recipiunt. eò denique ventum eſt vt ciues aſinos & equos & cætera huiuſmodi animalia comederint.

Obſidio dura Auguſtoriti.

ad tantam denique caritatem rerum omnium vẽtum eſt vt ſingula oua quarta parte aurei nummi venderentur, pullus gallinaceus aureo nummo, capo duobus, vel etiam quatuor. inter has tantas obſeſſorum difficultates comportatus in caſtra è Santonico portu multus bellicus apparatus, atque verberatio denuo magno impetu repetitur. erecti ſunt etiam põtes ad conatus variis in locis,& corbibus vimineis terra oppletis protecti, atque armati multi ad cuſtodiam adhibiti, cum è regione Sanctæ Radicondæ & Sulpicii, tum ſancti Sornini. deinde nunquam intermiſſa verberatione decem & octo tormentis vrbs magno ſtrepitu ac tremore quatitur, cum alia fuiſſent attracta. nam octingenti & amplius globi ferrei in vrbem illo die ſunt contorti. atque cum ſatis amplum ſpatium factum eſſet ad inuadendum obſidentes in aciem inſtruuntur, cum obſeſſi iã conatum expectarent, erant omnes albis induti ſupra arma, ducesq; videbantur à ciuibus penetrantes per confertas acies milites ad ſtrenuitatem adhortantes. conſtiterunt frequentes ad murum diui Cypriani, cum alia acies ad pratum abbatiſſæ eſſet inuaſura, ſemperq; tormenta in eas partes diſplodebantur. cognito hoſtium conſilio,& apparatu, datum eſt ſignum conatus in vrbe per horologii ſonum, atque Ghiſius & Ludenſis iuſſis omnibus pro inſtituto ad defenſiones accurrere ad ſuas regiones, alter ad pratum abbatiſſæ recedit, alter ad partem verberationis inter ſanctam Radicondam & Sulpicium multis nobilibus vtrinque ſtipantibus. at obſidentes cum vrbem eſſent inuaſuri mittunt qui explorarent verberationem, qui poſt multas cædes & pericula referunt in caſtra non eſſe ſatis aptam verberationem, quia ruinę nondum interius tam altæ procidiſſent, vt difficillimus eſſet aſcenſus. quòd ruinæ fluuii alueum non expleuiſſent, multęque foſſæ ductæ eſſent interius, quæ non poterant ſine multorum clade & ſumma difficultate expugnari, quæ cognita ſunt etiam ex captiuis. his perſpectis amiras copias retraxit ab illo iam inſtituto conatu, deinde poſtridie tribus tormentis molendinum Tiſonis concutitur, vt molendi commodum vrbi eriperetur. recreabantur variis rumoribus interim animi obſeſſorum, quod exercitus regius erat vicinus Mirabellum vſq; profectus, quodque regulus Valettanus iam Caſtellaraltum peruenerat, quoniam non ſemel miſſi erant nuntii, qui peterent à Rege auxilia, quæ etiam fuerunt promiſſa. verumtamen nulla diligentia obſidentium intermittebatur, cum fere centum & quadraginta globi ferrei ſint contorti in turrim & pontem, quæ pratum & ſuburbium protegebat, vineaque Vgonotti potiuntur quæ ſuburbiis imminebat in edito loco. illud calamitoſum fuit obſeſſis, quia lapides inde deuolui poterant in protegentes ſuburbia. at obſeſſi per noctem vaſa vinaria ſecunda via & ponte locant, & ligneos currus quo tecti poſſent procedere,& lintea,& varia velamina, quę tendentes plerique vulnerati ſunt, cum hoſtes lunæ beneficio quę fierent videre poſſent. nec multo poſt repetita eſt verberatio pluribus ex partibus,& acies rurſus ad inuadendum inſtructæ, quæ in multas phalanges armatæ in collibus viſebantur, cum tamen nũquam tormenta ceſſarent. protegebantur obſidentes & ab arboribus, quibus locus vicinus vrbi erat conſitus,& quadam domo vetere, quæ debuit initio obſidionis proſterni, quominus vrbanis ſclopettis impeterentur. milites qui erant ad protegẽdam viam ſuburbii deſtinati è regione verberationis, quacunque ratione poterant ſe aſſeribus & trabibus,& foſſis protegebant aduerſus ſaxa, quæ deſuper deuoluebantur. erant quadringenti ferè ſclopettarii, qui verberationem in latus percuterent, cũ frequentes armati in vrbe in inuaſuros eſſent diſtributi. omnibus igitur vtrinque ad pugnam paratis, tantus fit ſtrepitus tormentorum Amirantianorũ, quæ vndique in vrbem diſplodebãtur, vt vrbs quaſi aliquo inſigni terrę motu nutare videretur. atque cum tympana & tubæ ad conatum frequentes magno ſtrepitu inuitarent, Vgonotti frequentes ſeruato militari ordine ad verberationem vſque procedunt,& ad portam ſuburbii deinde duces per verberationẽ aſcendunt. obſeſſi commiſſo prælio ad pugnam inuitant, atque ita variis è locis, tantaque procella inuadentes petuntur, vt frequentes proſterni homines viderentur. cęſi ſunt non pauci defenſores, at multo plures inuadentes. atqui tametſi egregia virtus inuadentium apparuit in ea pugna, tamen propter fortitudinem defenſorũ accepta magna clade recedere neceſſe fuit. non tamen illa clades vires Vgonottorum hebetauit, aut retardauit quominus vrbem denuo inuaderent alacriter:

Conatus Auguſtoriti repulſi.

qui dum ad ſecundum conatum inſtruũtur tormenta vndique vrbem circonſonabant aduerſus arcem, turres, aliaque loca ad poſternendas euertendaſque defenſiones. itum eſt poſtea totis viribus ad vrbem inuadendam, maioriq; virtute & animi fortitudine quam antea, cum in primis ordinibus vel duces eſſent, vel nobiles Galli. ſed & à fronte & è latere cum frequenti grandine ſclopettorum impeterentur, multis amiſſis, at nihil territi clade ſuorum, recedere coguntur. vbi tertio etiam magno ardore animi renus denuo fuiſſent adori, recedere denique coguntur. illud ſingulare argumentum imperitię rei bellicæ obſeſſi eſſe palam dictitabant, quòd hoſtes aduerſus tot reparationes & vim armatorum a fronte & à latere auſi eſſent vrbem inuadere, cum neque defenſiones prius proſtrauiſſent de more peritorum ducum, neque exploratũ miſiſſẽt, an tuto vrbs inuadi poſſet. ſed quantã Andienſis copiæ ad Caſtellaraltũ eſſẽt caſtra metatæ, tormentorumque ſonitus exaudiretur, vbi erant omnia Vgonottorum impedimenta ſoluta obſidione mota ſunt vexilla ad illud oppidum liberandum, cum Amiras viribus, aut certe equitatu eſſet ſuperior. propter metum ne oppidum in poteſtatem Andiẽſis veniret tanta celeritate mota

ſunt caſtra vt relicta ſint duo bellica tormenta, quæ propter pondus tam cito trahi non poterant. at Andienſis qui per exploratores cognouit ſe aſſecutum eſſe quod optarat, ut obſidio Auguſtoriti deſereretur, retraxit tormenta ab illa oppugnatione, ſeque cum omnibus copiis & tormentis ultra fluuium Creuſam vocatum ad portum Pilæ, id pago nomen eſt, ſe recipit. ibi relictis duobus millibus ſclopettariorum, ipſe cum reliquo exercitu ad Sellam locum uocatum caſtra poſuit in altera ripa fluminis: Amiras qui illam receptionem non poterat non difficillimam cenſere, cum omnibus copiis totam noctem iter facit vt ante prælium committeretur, quam accederent expectata auxilia. ventum eſt igitur ad fluuium Creuſam traiecto Clino, & ad portum Pilæ, vbi initur atrox leue certamen cum duobus millibus ſclopettariorũ Andienſis, atq; multis vtrinque deſideratis poſtridie Amirantiani vadum quærunt Creuſæ, qui vadantur illo conſilio vel vt regiæ copiæ inde expellerētur, vel commiſſo prælio ſigna conferrēt, quamuis numero inferiores. ſed cum copiæ in ſitu munitiſſimo conſediſſent, receditur ab illo inſtituto, atque ab vrbem Auguſtoritum reditur, quod neque præſidiis neque commeatu recenti fuerat munitum. caſtrametantur itaque ad Faiam Vgonotti non auſi vrbem obſidere, ne vel Caſtellaraltum amitterent, vel interciperentur. illud etiam commodi ſic aſſequebantur vt commeatum abſumerent, neq; illum Auguſtoritani poſſent adipiſci. ſtatutum eſt poſtea vt molendina reficerentur, commeatus comportaretur, omneſque partes vrbis reficerentur. deinde cum Ghiſius cum ſuis copiis eſſet in caſtra abiturus, inſtant magiſtratus non longinquis præſertim hoſtibus, ne præſidia tam valida educat, donec alia pro illis introduxerit, Ghiſius pollicetur ſe non abſceſſurum, donec decem vexilla peditum recentiorum, at non defatigatorum è caſtris acceſſerint, atque paulo poſt duodecim cohortes per literas accitæ acceſſerunt. ſic Ghiſius in caſtra Andienſis cum magna beneuolentiæ ſignificatione excipitur. Andienſis quia vndique confluxiſſent auxilia comitia indixit proceribus, & primariæ autoritatis ducibus copiarum, in quibus de ſumma belli conſultaretur. in illis decernitur denique diuturnitatem & procraſtinationem pugnæ nihil aliud eſſe, quam certiſſimam Galliæ totius euerſionem. neceſſe videri rem armis experiri. victa fuiſſe non ſemel Vgonottorum arma, quæ tanto infeliciora putanda eſſent, quanto deteriorem, iniquioremque haberent cauſam. mota ſunt itaque caſtra eo conſilio & ad Faiam locum tranſlata ad vadum fluminis, vbi tandiu morãtur copiæ, dum vires omnes finitimas colligunt ſemper hoſte in ſuſpicione conſeruato. deinde Lodunum iis collectis & ſi non omnibus acceditur, qui locus erat impediendo commeatui hoſtium peraccommodatus. at Amiras cum inter portum Santonum, & Auguſtoritum eſſet caſtrametatus ſimulato itinere ad Caſtellaraltum à ſiniſtra Mirabelli poſtea motis caſtris conſedit, quare cognita Andienſi recta petit Mirabellum, quo tempore hoſtis Diuam fluuiũ traiecerat. iubet Andienſis copias iter accelerare, quæ ſolutæ accedebant, vt inſtruerentur, ſed hoſtis prius ad Montecotornum traiecerat magna ex parte. inuaduntur qui reliqui erant à priore acie Andienſium, in qua Bironius & Sanctiflorius, & Valettanus & Martiques reguli inerant cum accederet Vmalii equitatus & mille Raitri tanta alacritate vt cæſi ſint plures quingentis ex hoſtibus, cum tamen difficultas traiectus, & nox ſuperueniens pugnam non ita atrocem fieri paſſa ſit. ſubſiderunt Regiæ copiæ ad Diuum Clerum, in ripa fluminis Mirantianæ ad Montecotornum, quod oppidum ceperunt: conſtiterunt cum locus eſſet natura munitiſſimus. at enim cum non multo poſt hoſtis iter caperet miſſi ſunt qui acies & ordinem Amirantis explorarent. relatum eſt tempus non eſſe amittẽdum ineundi prælii. motę ſunt acies regiæ, quarum in prima procedebat Mompenſierus. tuebãtur latera duo millia ſclopettariorum, cum alas clauderent circiter duo millia equitum duce Andienſi cum multis tribunis. tenebat ſecundam aciem Reggimẽtum Heluetiorum duorum millium & quingentorũ nõ ferè, cum multi ob labores defeciſſent duce tribuno Clerio. trahebantur octo tormenta in prima acie, cum in poſtrema ſeptem ſequerentur. iuſſa eſt prima acies iter accelerare, atq; phalanx ſubſequi. dux Vmalius iuſſus eſt raitros ducere à dextra, cum Andienſis inter Heluetios & raitros incederet, quem à latere ſtipabant duo millia ſclopettariorum. à ſiniſtra incedebat Coſſeus, & Maſfeltius cum ſeptem vexillis equitum, at à dextera Bironius in extrema acie. ita incedebant hæ acies vt facile coniungi poſſent cum iter haberent per apertam, expeditamque planitiem inter Moncotorrum & Herualſum ſcilicet, Amirantianæ copię & ipſę ita inſtructæ ſunt, vt bifariam vires diuiſerint. in altera parte erant Germani cum duabus raitrorum aciebus, & equitatu Gallico, quod Reggimentum ad latus habebat frequentes globos ſclopettariorum. è regione phalangis quatuor collocabantur frequentes turmæ equitum raitrorum & Gallorum, quæ omnes frequẽtibus globis ſclopettariorum ad latus ſtipabantur. ſic hi in acie conſiſtentes regias copias expectant. viſum eſt regiis proceribus non eſſe amplius differendum, cum bellica tormenta etiam non leuiter infeſtarent, & dies propè iam elaberetut, & nox etiam inimica ſit victoribus. cœptum eſt igitur in hoſtem impetum facere. Heluetii tanta virtute in Germanos irrumpunt, ut quamuis plures eſſent Germani, tamen coacti ſint recedere. omnes acies reliquæ tam peditatus quam æquitatus Amirantianos inuadũt, qui fortiter impetum vbique regiorum ſuſtinuerunt. nam & raitri & Galli non ſegniter res agebant. poſt diuturnum certamen prima acies Amirantiana in fugam vertitur phalangem verſus, quæ è regione tormentorum ſuorum palam procedebat, quę tam Andienſis aciem, quam alias diuerberabant. Andienſis & ipſe tanta alacritate motus eſt, vt Heluetios à tergo reliquerit, quem Galli & raitri fortiſſime exceperunt, multiſque lanceis diſruptis Andienſis deiectus eſt ex equo non ſine magno vitæ periculo. hunc circa bellum atrox & cruentum inſtauratur, cum Amirantiani vel capere vel trucidare conarentur, at regii quacunque poſſent ratione defendere, inter quos fiunt Carneualettus, & Longouillius. Adiutus eſt denique concurrentibus Heluetiis, & equo reſtitutus. coacti ſunt Amirãtiani virtute Italorum & Heluetiorum aliquantum ſe recipere, vbi denuo fortiter & intrepide cõſtiterunt,

Ordo acierũ Regiarum.

Ordo acierũ amirantis.

Preliũ atrox.

ſtiterunt,nonum conatum in hoſtes regios facturi,qui & ipſi eodem conſilio colligebantur,cum di-
uiſæ eſſent & diſſipatæ vires regiæ.primi igitur Vgonotti Coſſei copias inuadunt,& Masfeltii Helue
tios nimirum magno impetu, quos tñ illi fortiter ſuſtinent. hic rurſus equeſtris pugna renouatur,
multæq; lanceę ſunt comminutę,aciesq; aciem,peditem pedes inuadit vtrinq; maiori q̃ prius alacri
tate,cum animũ è priore pugna confirmaſſent,poſito timore ac metu mortis, vt ſolet in ardentibus
præliis euenire.Vbi diutius pugna fuiſſet ꝓtracta,Masfeltiusq; & Coſſeus vires reſumpſiſſent,reno-
uatum eſt vbiq; certamen,atq; Vgonotti quamuis tormenta plurimum proficerent inter pugnãdũ,
tamen impetum diu ſuſtinere non potuerunt, quare in fugam vertuntur.pugnatũ.n.fuerat diu for
tiſſime vbiq;,ac dubia victoria,quã fortuna modo his, mõ illis apparebat intentare.equitatus regius
Clades Ami rantis. diu perſecutus eſt victoriam, atq; duodecim millia Amirantianorum per eam cladem ceciderũt.alii
trucidati ſunt,alii ab equis conculcati. capta ſunt tredecim bellica tormenta, inter quæ quinq; mura
lia,reliqua campeſtria.cæſi ſunt multi tribuni & ſigniferi Vgonotti,capti ẽt multi.è regiis ceciderũt
paulo plures octingentis.vulnerati multi illuſtres,ſed in primis vel ipſe Andienſis duabus plumbeis
glandibus petitus eſt quãuis leuiter.Vgonotti proceres ea clade accepta ſeſe ad loca capta receperũt,
atq; Amiras ad portum Santonicum,alii in regionem Beniam uocatam; alii in vrbem Sanſerram.
ibi cum quidam Geſſoniacenſes intelligerent ea munitio quanti referret ſi per inſidias occupari
poſſet, in colloquium ea de re veniunt cum centurionibus & mercatoribus Geſſoniacenſibus. erat
Sanſerræ Petrus Grangia vir conſiliarius,& vnus è præſidibus Geſſoniaci,quam vrbẽ vulgus Burges
vocat,qui magnis pollicitationibus ad hoc impellebatur: habebatq; ſobrinũ Gulielmum Paluſſum
Vrſini Paluſſi fratrem,cũ ambo milites eſſent Geſſoniacæ munitionis. tentata eſt proditio ingẽtibus
pollicitationibus per Vrſinum Paluſſum,cui decem millia nummum promiſſa ſunt, ſi rem peregiſ-
ſet. pactus eſt rationem ſoluendæ pecuniæ certam eſſe, & ſibi dari tres collegas, cum ſolus illud non
poſſet tranſigere.ea res viſa eſt non imprudenter ſuſcipi,quoniã proponebatur fore vt Vrſinus fami
liaris Marini præfecti turris Geſſoniacæ,ac miles pręſidiarius, vbi opportunum tp̃s apparuiſſet vnà
cum collegis Marinum ducem trucidarẽt, atq; inuaderent cuſtodias,portaq; patefacta copias admit
terent iuſſas per id tp̃s eſſe propinqaus in inſidiis ad ſignum expectandum: oĩa per aliud colloquiũ
promiſsa & ſtabilitã ſunt cum Vrſino Paluſso, qui tamen cum patriæ ſalutem vel pecuniæ vel ami-
citiæ prętuliſset, rem Marino patefecit,& Cãduco eius vicario.illi rem ſtatuerunt ſignificare Ciatrẽ
ſi regulo præfecto vrbis,& principatus Berii,qui communi conſilio hortantur Paluſsum vt negotiũ
magna cum ſpe Vgonottorum tranſigat.reditur ad ſtatutum diem in colloquium. dantur tres col-
legæ, decernitur vt res per literas in certo loco occultatas ſignificarentur pro opportunitate, quod
fuit ruinoſum columbarum domicilium quoddam procul à domibus ſub quadam petra. miſſi ſunt
Proditio Geſſomiaci tentata. tres collegę, qui primum amicè tractantur,ſed non multo poſt traduntur in vincula. iuſsus eſt vnus
literas conſcribere dictante præfecto,quibus mirificè ad ſpem Vgonottos extollebat, hortabaturque
vt præſtãtiores quoſq; milites conuocarent.reuocatur ad colloquium Paluſsus, decernitur in comi-
tiis militaribus vt duas horas à media nocte conuenirent copię ad locũ Grangiã vocatum,qui diſtat
circiter quatuor ſtadiis ab vrbe.datum eſt ſignum facis accenſæ,quæ bis extolleretur,at ex altera par
te præfectus vrbis clam copias ignaras quid ageretur conuocare, omniaq; diligenter inſtruere, quæ
ſpectarent ad opprimẽdos hoſtes. ſimulat ſe nihil horum cognoſcere. ſtudere vt videatur alienus ab
oĩ grauiore cogitatione.ludicra certamina inter equites proponere.iubet portas hora vſitata claudi.
clam adauget cuſtodias. iubet vrbanos delectus per noctem clam eſse armatos, vt ſecum exirent vbi
accirentur. per noctem ante horam ſtatutam pedites & equites in vrbem admittit cum interulis al-
bis ſupra arma. iubet in acie inſtructos non prius diſcedere quam bellicum tormentum eſset diſplo
ſum.iuſsæ ſunt foſsæ ingentes excauari qua parte hoſtes erant inuaſuri,quæ ſuperius debilibus tabu
latis ac terra,ne videri poſset inſidiæ,cõſternerentur. parati ſunt & ignes, & pix bulliens & cætera hu
iuſmodi pleraq; in eorum aduentum. Paluſsus ſignum dedit inuadendæ turris inſtitutum. ſed cum
nemo appareret,iuſsus eſt Paluſsus obuiam procedere,qui queritur accepto ſigno quod opportuni
tatem labi ſegniter patiantur.illi cum Paluſsum ducem eſsent habituri magno ſilentio ſpe pleni pro
cedunt.erant in prima acie multi inſignes duces, quos magnus globus militum ſequebatur. ſed cũ
timeretur,ne maior numerus acceſſiſset,quam dictus fuerat, diſploſa ſunt tormenta: quo tp̃e rece-
dente Paluſso,hoſtes in foſsas præcipites ceciderunt, ſupra quos coniecti ſunt ignes parati in eorum
conuentum.atq; cum fortiter vellent eorum pleriq; reſiſtere,& ſaxa & ingentes pilæ in eos deuolu-
tæ ſunt.pauci quia viderent nullã aliã eſse ſpẽ ſalutis.ſeſe vltro dediderunt. multi inſignes proceres
Clades Vgonottorum. cõbuſti ſunt,reliqui viui in p̃tãtẽ præfecti venerunt. illa clade non parũ conſternati ſunt animi Vgo-
nottorũ principũ, quare Amiras cũ multis principibus ad portũ Santonicũ ſe recipit obſidionem
victriciũ copiarũ propediẽ ex pectãs.munitionẽ diligenter recognoſcit,literas ad oĩum locorũ præ-
fectos conſcribit,quibus ſignificabat non eſse iacturã ægrè ferendã, cũ ſoleat fortuna plerumq; illos
magis extollere, quibus grauiorẽ & acerbiorẽ caſum parauerit. ſe validiſſima auxilia breui expecta-
re,vnde poſset oẽm alacritatẽ victriciũ armorũ retundere. pręſentes ẽt vires multo minus eſse debi
litatas atq; hoſtes cenſerent.breui fore vt denuo in aperto exeuntes hoſtes cõtemnerent.at vero cla
des illa Vgonottorũ non parũ moleſta fuit Britanniæ reginę,cuius ẽt regnũ non parũ diſsẽſionibus
de religione vexabãt.cũ in Iaernia quoq; paulo ante eſsẽt in armis ad quindecim millia inſulanorũ
de religione inter ſe dimicantiũ: videbantur.n. eius ſubditi non parũ animi ſumpſiſse,qui catholicã
fidem adhuc retinebãt per illã victoriã Regis, quare apparebat illã ad propriorũ lariũ defenſionẽ re
uocari,nedũ nõ poſse aſpirare ad recuperãdos Caletes populos & Iciũ & Ceſſoniacũ nauale, quod
promiſsũ fuerat,ſi Cõdæus fuiſset ſuperior.nã & anno ſuperiore arma ſuſcepta fuerant à quibuſdã

è primariis

è primariis proceribus eius regni pp religionē, qui ēt petiuerant à regina & comitiis vt antiqui ritus
ſacrorum reuocarentur, quos populi mirificè cuperent. & qm̄ hæc maxima ſeditionum ſemina eſſe
videbant, nullū dedit reſponſum, ſed quod eſſent illi populi Scotię finitimi, ne ſimul conſpirarent,
delegit cum ſummo imperio cum ptāte proregia in vniuerſo regno Ambroſiū Dudlayum comitē
Varuichienſem, cui iniunctū eſt munus vt videret nequid detrimenti regnū illud caperet, cum duo
Henrici alter Comberlanius, alter Nortumbriēſis comites, & Odoardus Veſtmerlanius comes ſub-
ditos populos armauiſſent, exiſsent in apertū, amplāq; regionē ad Durā vſq; occupaſsent. & qm̄ dux
Norfolcius, comites Arondelus & Pembruchius in arce Vindiliſorę detinebant & Milordus Lonla-
ius, qm̄ in nuptias Reginę Scotiæ conſpiraſsent contra Britāniæ reginæ voluntatē, quæ Norfolcio
Duci erat futura coniux, ſic. n. circumferebat, regina diligenter inquirebat an & ipſi vna cum multis
aliis aduerſus regnū per religionem conſpiraſsent. peruenerat ſiquidē ad manus reginæ ſcriptū, in
quo continebat quod Thomas Northumbrienſis, & Carolus Veſterlanus peterent antiquos ritus re
ligionis in regnū reuocari, ad quod munus multi nobiles, & variæ cōditionis homines conſpiraſsēt,
ne ab exteris principibus hac ipſa de cauſa inuaderent cum magno totius regni excidio. petebant ēt
vt principes captiui ex arce dimitterētur, & vt ſex è regio concilio abdicarentur, vt alii conſiliarii ſuf-
ficerentur reſtituerenturq;, & oībus venia concederetur. at Regina q intelligeret nō minus pp regi-
nam captiuam Scotiæ, q̄ pp religionē hos motus eſse excitatos in Britannia, decernit eā eximere ex-
trahere, atq; abducere ad vrbē Côuentrai vocatā ad Hauenā fluuium ſitam in ea parte inſulæ, quę ma.
gis inclinat ad orientē, quæ regio Varuichia vulgo nuncupatur, quæ plurimū diſtat à Scotia ad centū
millia paſsuū ferè Italorū. ea mutatione loci cognita duces, qui cū copiis erant in aperto, ſtatuerunt
non eſse vlterius Londinum verſus procedendū, quare retrocedunt, qm̄ inſignes copiæ regię eſsent
paratę. magna itaq; pars equitatus ac peditatus caſtra reliquit in montes profugiens Pechas vocatos.
at Comites hac mutatione rerū cōſternati reliquas copias intra fines Scotiæ retrahunt. quare tumul
tus ita ſunt diſſipati. Selimus quoq; animum adiecit ad faciendos ingentes bellicos apparatus Ad-
uerſus Sarmatas, ad reſarciendam ſuperioris anni exiſtimationē, & iacturā quā fecerat in reſcindēdo
ſpatio terræ inter Tanaim, & Volgam interiacente. inſtituit igitur ad centum nauigia varii generis,
inter quæ mahonæ erant complures ad conuehendos bellicos apparatus per paludē Meotidē. Per-
ſarum Rex, ad quem maxime illud negotium ſpectabat, ſe accingit ad bellum. munitiones inſtruit.
equitatum & peditatum colligit, quo tantis Turcarum viribus poſset reſiſtere. omnia defenſioni
neceſsaria parat. inuitauerat ad eam prouinciam repetendam Ioaches Turchina princeps Mahome-
tanus potentiſſimus finitimus Perſarum Regi, qui facile poſset ducēta millia armatorum colligere,
qui illud negotii ſibi aſsumpſerat, vt vires Perſarū Regis retardaret, neq; pateretur infeſtare Turcas
atqui vbi Turcicæ claſses illuc applicuiſsent, multa caſtella eius regni, quod uocatur Genhenæ, capit
vel ſine prelio. ſed cū vlterius proficiſci nimis difficile negotiū uideretur, collectis præcipue multis
armatorem millibus Sarmatarū poſt multa certamina re imperfecta diſceditur. Albanus Bruxellas — Comitia Bruxel. & petitiones Albani.
profectus comitia indixerat omnibus conditionibus illarum regionum Belgicarum, quibus, vbi cō-
ueniſsent, proponit, ad reſarciendos præteritorum bellorum ſumptus cum quadringēta & amplius
millia librarū auri abſumpta fuiſsent ad liberandam eam prouinciā ſeditionibus, vt certi prouentus
regii inſtituerent in redditus priuatorū. Vt certa vectigalia in oīa genera mercimoniorū. vt vigeſima
rerum venalium regionis precii Regi diſsolueretur. ut cēteſima prediorum ac domorum. vt decima
pars precii mercimoniorum, quę importarentur in regionem. quæ tametſi non ſtatim conſecutus
fuit pp populorum querelas, qui vel nimis exhauſti erant, & afflicti, tantis bellorum calamitatibus,
tn̄ non multo poſt obtinuit, cum nemo illi pp crudelitatem ſuſpectam auderet aduerſari. nam pp ſe-
ueritatem ducis quidam imperium ægrè ferentes induti Germanis veſtibus diffugiunt Icium, atque
inde traiiciunt in Britanniā. cæterū res illa cū inſigne odiū conflaſset non ſolū apud Belgas populos,
ſed ēt apud externos, nō leuē occaſionē dedit per Belgarū querelas proſcriptis & exulibus denuo oc
cupandi loca, & inuadendi Belgii per conſpirationē ac propenſos animos Belgarum, qui apparebant — Ibernia infeſtata.
pertæſi Hiſpanæ adminiſtrationis. Neque Iberniæ fines interea ſatis erant quieti, qm̄ Britannię
Regina collecta magna armatorum manu illos fines ferro, & igni populabatur, quæ iuſserat obuia
quęque hoſtiliter populari, qm̄ incolę Iberniæ commoti odio Britannorum & diſſidio religionis re-
pente multos Britannos in inſula trucidarant, & villas ac pagos nonnullos, vti diximus, concrema-
rant. Dupontius non procul ab vrbe Auguſtonometo caſtrametatus cenſebat & illam vrbē, & op-
pidum Charitatem vocatum, & alia caſtella per proditionem captum iri, ſed vbi omnia vana appa- — Charitas op. captum.
ruiſsent ſua conſilia, q illi auſi eſsent retardare tantas vires, decernit Charitate per ſummam conten
tionem expugnata Gallos ad unum trucidare. ſed cum oppidum cepiſset, quod pręſidia non poſse
defendi exiſtimantia reliquerant, curat illud muniendum. magna amplaq; foſsa cingit, multaſq; de-
fenſiones inſtituit, q illud oppidū conſeruandę annonę delegiſset. Pontifex, qui prius oēs patres pur
puratos, oēſq; antiſtites non verbis & oratione ſolum, ſed multo magis exemplis ad ſanctitatē uitæ,
& ad modeſtiam cohortatus fuerat, iubet Montiū capi & in arcem diui Angeli adduci in cuſtodias,
vt qui nullas admiſiſset admonitiones. poſtridie conuocatis ſacratis patribus ad comitia oēs hortatur — Mōtius Card. captus Pont. oratio.
ad innocentiam & temperantiam, ſicuti requirit ratio & cuiuſq; cōditio, qui debent exiſtimare opór
tere ſe tantum ſapientia & bonitate cæteris præſtare, quantum dignitate & autoritate præſtant. Tur
pe enim eſse viro illuſtri opibus, dignitate, potentia præſtare cęteris, at per nequitiam, imperitiam re
rum, & intemperantiam uulgo & infimæ plebi adæquari; cum in nemine poſſit in eſse ſapientia, cui
libido, crudelitas, auaritia, ira, & reliqua huiuſmodi vitiorum genera magnopere dominentur. Qua
re niſi amantiſſimis, honeſtiſſimis, ac vetè paternis monitis ſponte obtemperarint, minatur etiam

vincula

vincula & carcere tanq̃ Montio ; cum decreuerit omnino vt in eccleſia Dei ad religioſorum, nō ad helluonum & ebrioſorum mores viueretur. Nihil enim magis calamitoſum eſſe atq; aduerſariū chriſtianis dogmatibus,q̃ ſi vel ab ipſis ſacerdotibus Chriſtianę leges negligantur. oīum chriſtianarum calamitatum ieciſſe fundamenta,omniumq; hæreſiū illos, qui ſe ſacerdotes & viros bonos eſſe profitebantur,cum tñ re ipſa oīum diuinarum & humanarum legum eſſent euerſores. populos oēs magis commoueri ipſorum ſacerdotum exemplis,q̃ nudis verbis & ſolis adhortationibus ad probitatem. futurum vt breui ceſſent oēs hereſes, ſi diutius ſanctæ Romanę eccleſiæ ſacerdotes in officio perſtiterint,cum verè illi lux mundi poſſint tunc appellari,cum per lucem ſapientiæ & charitatis cęteros homines ad vitæ ſanctitatem deduxerint. Nemini ſatis eſſe ꝙ ſit vir bonus, niſi cæteris prodeſſe ſtudeat adiuuando,erudiendo,monendo,quos pōt ad integritatē vitæ informādo. at in Betica regione res omnino non erant tranquillæ,cum ibi quoq; Philippus Rex Hiſpanam quæſitionem excitaſſet. nam Mauritanis illius quæſitionis ſeueritate territis effectum eſt vt ad ſex Mauritanorum millia confugerint in montem Beticæ regionis,qui Frigiliana vocatur,cum vxoribus,filiis,impedimentis. at Caſtellæ commendator hortatu Ioannis Auſtriaci Aloyſius Quexada cū veteranis cohortibus militum,qui venerant ex Italia, collectis circiter quatuor millibus armatorum montem illum quāuis difficilem aſcendit. multis è partibus munitionem Mauritanorum,quam fecerant, vno tpe inuadit. certatur à Mauritanis magna virtute, quamuis pauca haberent arma. cæſis deniq; centum,ac vulneratis ducentis Hiſpanis munitio capitur. ceduntur oēs in munitione inuenti, quorū fuerunt ad duo millia. capti ſunt mille & pueri & fęminæ & impedimenta,qui vili precio ſunt diuenditi. reliq Mauri,quorum erant circiter duo millia, diſperſi ſunt in proximos montes,vt cuiq; fortuna locum monſtrauit ad ſalutem. Huius victoriæ vis maxima credita eſt,non ſolum ꝙ ſemina eius belli ſunt diſſipata, verum ēt ꝙ Africæ commercii facultas Beticæ ita videbatur eſſe ſublata. Pontifex,qui videbat tot arma variorum populorum nouæ religioni ſtudentium eſſe commota vno tpe, putauit ſatis eſſe ſi reſiſteretur excitatis, nedum alios nouos tumultus non eſſe excitandos, cum hinc Galliæ populi, & Belgæ,& Britanni potentiſſimi inſurgerent,qui iam magnos exercitus collegiſſent, inde tot Germani principes in pernitiem duorum regum eodem tpe coniuraſſent, afflictorum,& propè euerſorum per aſſiduitatem magnitudinemq; bellorum, quare literas humanitatis, & ſapiētiæ plenas dedit ad Philippum Regem,quibus eum hortabatur vt mitiorem in modum Mauros Beticæ tractaret. mitigaret quæſitionis rigorem. oīa ad opportuniora tempora reſeruaret. nihil tam laudabiliter fieri,quā quod opportunè. Non oportere tam eſſe ſollicitum de alterius ſalute, vt vel propria pp nimiam feſtinationem amittatur. ſapientis eſſe inſeruire tempori, cum deceat principē aliquando vtiliter acquieſcere voluntati populorum, at non per pertinaciam omnia euertere. opus eſſe vel ipſius virtutis & iuſtitiæ moderatè eſſe cupidum: quibus ſapientibus,& paternis pontificis admonitionibus res Betica eſt aliquantulum mitigata. Sed tamen idem pontifex edictum in Regno Neapolitano promulgandum curat aduerſus eos,qui conarentur impedire,aut aliquod incommodū inferre officio quæſitionis: quamobrem regii miniſtri multis rationibus perſuadent pontifici iſtud non eſſe faciendū. non eſſe neceſſarium illud edictum in eo regno, in quo omnia munia quæſitionis ſine vlla controuerſia præfecti,& legitimè exequantur. nihil aliud cenſeri promulgari per hoc edictum,quàm Hiſpanam quæſitionem,quod ſi promulgetur, periculoſum ne ſubito ad arma concurratur, trucidenturque omnes qui uel mentionem illa de re feciſſent. multo pręſtabilius eſſe occurrere naſcentibus tumultibus,quàm exortos atq; excitatos ſedare, quod certè effici nō poteſt ſaluis omnibus rebus; quare hoc in aliud tempus eſſe reſeruandum. Pontifex hiſce rationibus cum magna totius regni Neapolitani lætitia ab incepto deſiſtit. Per quod ferè tempus Pontifex in Britanniam miſerat Nicolaū Mortonum Anglum theologum,qui denuntiaret per apoſtolicā autoritatē certis viris illuſtribus catholicis, Heliſabettam tunc reginam hæreticam eſſe, quare eam priuabat omni iure in catholicos homines, quę pro Ethnica haberi impune poſſit, neq; cogeretur illi obedire. ea re commoti multi nobiles Britanni arma aduerſus Heliſabettam ſumpſerunt conſpirantes cum aliis, ſed res non optatū habuit exitum,cum plures quingentis variis tormentis ſint miſerabiliter ceſi. poſt mortem Condæi patefit cōſilium fuiſſe oē Gaſparis Colignii Amirantis, at ad Condæum ob ſplendorē delatum fuiſſe imperium. publico edicto itaq, fiſco addicta ſunt bona omnia, prædia, domus, caſtella, ciuitates, eorum qui contra regem arma ſumpſiſſent,& fauētium illorum votis; qui vero fungebātur magiſtratibus, turpiter abdicati. Gaſparis imago patibulo ſuſpenſa fuit, diris imprecationibus exagitatus, gentis inſignia vbiq; deraſa. omnibus honoribus, dignitatibus, priuilegiis priuatus. at Amiras & his neglectis, & ſuperiore clade Condæi, magnum exercitum rurſus colligit ita vt nō modo Galliam poſſet vexare, ſed ēt regiās vires nō admodū formidare. caſtra poſita ſunt ad Pictauium, illudq; & obſidione & omni genere oppugnationis tentatum, atq; cum ineſſet Ghiſius dux multis nobilibus ſtipatus obſidionem conſtantiſſimè tulit, ita ut vel equi uel aſini ſint eſi ob penuriam cōmeatus. regii ut aliquo pacto vires hoſtium diuerterent vicinum oppidum Chaſtelleraultum ad fluuiū Viennam ſitū graui obſidione cingunt, qua rationead auxilium ſociorum pertracti hoſtes Pictauium aliquot dies deſerunt. Ghiſius reſumptis viribus interea reuerſos ad obſidionem hoſtes facta emptione inuadit, ad duo millia trucidat, ſed cruenta tamen & funeſta ſuorum uictoria, cum multi duces regii ceciderint. at enim cum uires utrinque multis undique accedentibus auxiliis ſuccreuiſſent, propinquæ fiunt copiæ, quamuis Vgonotti ſæpius pugnam detrectarint, protegebātur enim loci bonitate, in quo caſtra poſuerant, ita ut paludibus & aquis circumquaque muniretur, cum vna tantum eſſet uia, qua poſſent inuadi. regii quod viderent decerni de re bellica, aut totis aciebus dimicari omnino nō poſſe, niſi illi ex eo ſitu elicerentur. miſſi ſunt itaque leuiores copiæ exercitus ad trahendos ad pugnam.

Betica diſſidia ob quęſitionem.

Beticorum clades.

Literæ Pont. ad Philippū.

Edictū Pont. reuocatū in regno Neapolitano.

Patebat campus in quatuor milliaria Gallicana pugnę accommodatus parum inde diſtans inter Moncontorum, Ernaux, S.Iouinum oppida, in quo Vgonotti inſtructi in acie incedebant, qui tormenta a tergo habebant protegentia, quorum opera collem quendam commodum occuparant. regii illos inde deiicerere conati ſunt per oppoſita tormenta, vt ad iuſti belli pugnam veniretur. Vgonotti vbi ſe ad pugnam pertractos conſpiciunt, non concidunt animo, ſed leuiores velites à matutino tempore ad horam primam vſque poſt meridianam cum hoſte digladiantur. at Amiras ſimulata opportunitate q; alio euocaretur inſtructis copiis & pugnantibus, & iam inclinantibus ſuis Rupellam profugit. Equites Galli & Germani admiſti in prima acie conſtiterant Duce Volrado comite Maſfeltio. peditatus Germanus habuit ſocios equites Aquitanos Amirantis, qui neq; numero, neq; cognitoine rei militaris erant inferiores regiis copiis. ſed q̃m certiſſimam victoriam Vgonotti ſibi propoſuerant, magna pars eorum, & equites in primis albis veſtimentis induti in pugnam proceſſerunt, vt dignoſcerentur, neq; parceretur ullis regiis. nam vbi belli ardor ingruiſſet, putabantur hoc ſigno à ſociis manus cohibituri, cum hoſtis eſſet cenſendus qui hanc teſſeram nõ haberet. Sed paulo poſt funeſtum fuit & conſilium & indicium. præfuerunt autem regiis copiis Imperatore Henrico duces prudentia & fortitudine clari. dextram aciem ductabat Herneſtus Maſfeltius, in qua erant decem & nonem turmę equitum. ſiniſtram Dux Ghiſius cum multa Gallica nobilitate, cui aderant cataphracti equites. inter has acies pedites collocabantur Heluetiorum triginta & octo vexilla ſcilicet, penes quos erant tormenta maiora. deinde Sequanis & pontificii milites, cum pontifex quatuor millia peditum & mille ac ducentos equites ſubſidio Gallicis rebus regiis miſiſset, & Philippus etiam rex ingentes peditum equitumq; copias. erant cum pontificiis cataphractis aliquot ẽt vexilla leuioris armaturæ. Sequebantur Henricum ſummum ducem Vmalius Dux; & marchio Badenſis Philibertus, & Byronius regulus & Comes Sanctiflorius, & alii inſignes proceres. vbi propius uentum eſt pugnatur utrinq; atrociſſime collatis ſignis, oẽſq; cenſebant præclarã opportunitatẽ oſtentandæ uirtutis ſibi datam fuiſſe illo die. Primi Germani equites Vgonotti ſingulari uirtute impreſſionem faciunt in cataphractos & ſcloperrarios Gallos, tanta vi, tantaq; alacritate, vt Galli cedere oĩno cogerentur. veruntamen ducũ prudentia & uirtus tanta fuit vt reuocantes bis in aciem propè fugatos ſuos ſingulari fortitudine pugnam inſtaurarint. laborantibus utrobique aciebus opem ferunt Germani equites regii. Germani itaq; Germanos adorti, ducibus vtrobiq; Maſfeltiis, oẽm rabiem ferri in cognata viſcera ob controuerſiam de religione conuertunt. vix credi poſſet quanta pertinacia, virtute, ardore pugnatum ſit eo die, quantaq; ſæuitia oĩ prorſus obliterata memoria humanitatis cum ſæpe frater fratrem uel amicum vel cognatum trucidarit. eiuſdem oppidi aut vrbis multi certe ſeſe mutuis vulneribus confoderunt. victoria tñ fuit penes Regios cum turmæ Vgonotticæ cæſæ immaniter profligatæq; ſint, ac iuſtiorem cãm Deus adiuuerit. Amiras ex eo certamine profugerat, quem ſecuti ſunt quicunq; noctis & obſcuritatis beneficio & celeritate equorum abiectis armis ab inſequentib regiis copiis ſunt ſeruati. interea Galli equites leuioris armaturæ, & pedites Galli ac Pontifici & Burgundi adorti peditum acies Vgonotticas fortiter adhuc reſiſtentes & equites Sequanos Amirantis tantam impreſſionem faciunt, tantamq; ſtragem edunt, ut difficile ſit dictu. cęſæ ſunt breui uiginti & ſex cohortes peditum Germanorum Dupontii unà cum ueteranis ducibus, cum nõ ſuperfuerit ex illa clade qui nuntium in patriam reportaret. è Sequanis equitibus trucidati ſunt plures ſeptingentis, capta ſunt & tormenta, & omnes bellici apparatus. Veruntamen non arma mortalia ſolum pluribus in locis ciuitates, nationes, regna infeſtabant, quæ vbiq; obſtrepuerat, ſed quaſi denuò res ab initio eſſet repetenda, oẽſq; calamitates ab exordio renouãdæ, arma diuina ẽt & cœleſtis indignatio vniuerſam propè Italiam inuaſit.

Prodigia.

nã tanta fuit cælitus ſiccitas agrorum, tantaq; ſterilitas terræ pp eam ſiccitatẽ, ut multa legumina & uariarũ frugũ genera perierint, excitata ſint, & extincta pp penuriã pluuiarum aptis temporibus. exiccata ſunt multa flumina, aut quæ non aruerũt ad inuſitatã curſus tenuitatẽ redacta. perierunt herbæ. multa morborum genera exorta ſunt, ita ut quorũ ſanguis ad magnum uigorem per ętatẽ perueniſſet inflammatus per ſiccitatem, & calorem multis exitium minaretur. Nã certè hæc plerunque ſine maximis calamitatibus accidere non ſolent, cum vel bellum uel peſtilentia poſt penuriã annonæ naſcatur. Sed q̃m imminebant diuinitus calamitates, illæ diuinitus ẽt nuntiatæ ſunt mortalibus, niſi ſtupidi ſint accipiẽdis diuinis ſignificationibus, quas ex aliquo mortali infortunio vel conſilio accidere arbitrentur. Nam Venetiis, vnde maximi belli initia erant eruptura, ingentia ſigna edita ſunt futuras calamitates obnuntiantia; ſiquidem ignis conceptus repente in quibuſdam cadis pulueris tormentarii, qui erant intra naualem in firmiſſimis turribus marmoreis

Prodigia nõ ſiunt temere aut caſu. Ignis naualis Venetiis maximo cũ fragore.

tanto cum fragore proximorumq; ædificiorũ ruina & deuaſtatione erupit per mediã noctem ferè, vt multi extremum vitæ diem vel potius mundi aduentaſſe rati quaſi exanimes conciderint, ac certè præ timore è domibus effugerint, cum proxima quæq; flammis & cũ ſtrepitu ac fragore corruerent. ſiquidẽ ignitæ trabes, multaq; ardens materia per noctem ſublimis per aera ferebatur aeris impulſu vt vel è longinquo proſpectantibus res formidabilis, & maxime horrenda appareret, præſertim cælo tam ſudo & ſereno ut diximus. infracti ſunt alibi firmiſſimi vectes, alibi contorti vi ac tremore ſtrepitus, portę domorum infractæ. parietes longinquarum domorum parum firmi corruerunt. alii ſciſſi ſunt am plas rimas facientes. aqua quoq; ipſa aeris impulſu fluctuauit. ſtrepitus Patauium vſq; peruenit, quod diſtat ad uiginti & quinque milliaria à Venetiis. viciniora oppida, vrbes, pagi non parũ ſunt territi. Patres illud rati nõ diuinitus contigiſſe, ſed per inſidias mortaliũ, qui largitionibus inuidentium Venetæ felicitati ac potentiæ tantum ſceleris procuraſſent, ſenatuſconſultum faciunt atq; edictum promulgari iubent. ingentia premia proponunt per præconẽ publicè, tantiq; ſceleris præterea impunitatẽ ſiquis participes inſidiarũ deferret, aut ſi ſolus extitiſſet, ſi explicauiſſet cuius im-

pulſu iſtud feciſſet.nã viſi ſunt ita Veneti iam inde ab initio prodigii bellũ alicunde portendi putare. Diditus eſt rumor in vniuerſas nationes tum longinquas,tum etiam finitimas,vniuerſam propè Ve-

Fama de incẽdio naualis.

netiarum vrbem corruiſſe.conflagraſſe maiorem partem claſſis vnà cum ipſo nauali,quod munitiſſimum & inſtructiſſimum habent Veneti ſupra omnes nationes. quæ nauigia flammarum uim deuitauerint, illa ita eſſe conquaſſata & diſrupta,vt partim nullo pacto refici poſſint, partim non niſi per ſummam difficultatem.arſiſſe omnes bellicos apparatus. infractas omnino, conquaſſatas,euerſas eſſe ferè vires Venetorum, aut certè plurimum debilitatas, quorum penè vniuerſa potentia, & exiſtimatio in rebus maritimis conſiſtit.huius rumoris autores fuerunt hebræi pleriq; oriundi è fini-

Hebræorum perfidia.

bus orientis,quos Veneti per opportunitatẽ mercaturæ in vrbe eſſe patiebantur, cum tamen illa natio infida & impia ſit ubiq;,& tanquam exploratores pro imperio Turcarum.agitatum etiam fuerat in ſenatu non ſemel de illis eiiciendis non ſine magnis contentionibus. Selimus his rebus perceptis non mediocriter lætatur, quippe qui iam impulſus fuerat, & in animo conceperat Cyprum inſulã Venetorum cum multis millibus armatorum adoriri. inuitauit ad illam ſententiam annonæ penuria,quæ maxima eſſe Venetiis nuntiabatur.ꝙ nullibi propè panis vęnalis aut farina aut alia edulia ꝑ aliquot dies inuenta ſint. nam per eam penuriam annonæ vrbs in maximo periculo ſuit poſita. Senatus,vt qui ſemper optimè de plebe mereri ſtuduit,ad omnia remedia tantorum malorũ diligentiſſime confugit.iubet artifices ordinarios panis conficiendi facere pro viribus. dat frumenta ex hor-

Panis miliaceꝰ Venetiis.

reis publicis,quæ quoniam non apparebant tantæ penuriæ poſſe facere ſatis,addita eſt tertia pars vęnalis panis miliacea.Diuenditus eſt panis nauticus alioquin in vſus claſſium reſeruatus.promiſſa publicè per præconem ingentia præmia frumentum ab exteris regionibus in vrbem importantib.nullum genus humanitatis,charitatis, miſericordiæ prętermiſſũ eſt à patribus pauperibus quoquo modo ſubleuandis.neq; vrbs Veneta per patrum diligentiam hoc anno in communi totius Italię penu-

Patrum diligentia pauperibus ſubleuandis.

ria annonæ ualde oppreſſa uideri poterat, niſi priuatorum perfidia & auaritia cum publica liberalitate contendiſset.conceſſa eſt facultas cuiq; conficiendi vęnalis panis, cum cęteroquin iſtud non liceat,ne multæ fraudes committantur.at præfecti rei farinariæ nonnulli cum certum preciũ publicę farinæ eſset ſtatutum,amicis diuendi curabant, ut fierent lucri participes pane diuendito. alii quòd eſsent opibus & autoritate inſignes,& pari auaritia, frumentum occultarant neglectis edictis magiſtratus præfecti rei frumentarie,quare panem conficiendum curabant, qui uendebatur magno precio. eius rei indicium eſt,quòd iſtud clam fiebat, cum panis adhuc calens ſuper ponte Riui alti,illud forum eſt,& vmbilicus Venetiarum,diuenderetur,ac nuper ereptus è furno,quem Lonicenſem exclamabãt, cum Lonicum ſit oppidum diſtans ad quinquaginta millia paſsuum.tanta vero apparuit panis Lonicenſis copia,ut ſi parietes,trabes,animalia quæ erant Lonici in farinam ſine furfure conuerſa fuiſſent,vix poſse tantum panis conficere viderentur. erat ſanè digna illa ciuium crudelitas, & auaritia aliqua non leui caſtigatione,qui priuatam vtilitatem publicæ calamitati præferebant,& indigni tam nobili vrbe,quam maiores omni clementia,ſenatus omni miſericordia ſubleuandam, &

Lonicenſis panis.

conſeruandam curaſsent.erat omnino his frumentum extorquendũ per magiſtratus ſi innotuiſset, vt fecit alias Ferrandus Gonzaga Mediolani præfectus, & in publicum commodum conuertendũ. quia non poteſt illa uiolentia verè appellari, per quam frumentum dato iuſto precio ad publicam vtilitatem extorquetur,ſed conſeruatio legum & ęquitatis, ſine quibus ciuitatum libertas in rebus. præcipuè in paucorum licentiam ac principatum conuertitur. nam illa demum libertas ciuitatum vocatur, vbi viuitur pro legibus & iuſtitia, at non pro arbitriis paucorum priuatorum. cum huius quoque penuriæ Venetæ annonæ fama ad Selimum Turcarum Imperatorem per hebręos peruenisset,cuiuſce nuntii autor Io.Miches fuiſse dicebatur,cui conquaſsatam & incenſam Venetã claſsẽ

Selimus bellũ decernit.

fuiſse iam perſuaſum fuerat, & Venetiarum vrbem frequentiſſimam non modo diuinitus obſeſsã, ſed etiam à Venetis ciuibus,ut parum de mutua conſeruatione ſollicitis, per ſummam annonæ penuriam,iam cępit cogitare de armis hoſtiliter Venetis finibus importandis. conuocatis igitur comitiis purpuratorum,& conſiliariis rerum bellicarum poſt multas controuerſias purpuratorum apparet,ſi res ita ſint,bellum Venetis eſſe inferendum; neque prætermittendam eſſe tantam opportunitatem vrbis obſeſſæ, quam parum etiam inter ſe amicam exiſtimabat propter annonæ caritatem. alii tamen purpurati mitiorem in modum tractandos eſſe Venetos cenſebant viros bonos,& ſemper fideliſſimos amicos,à quibus nulla vnquam iniuria Turcico nomini ſit illata, quorum neque vires Turcis eſſent formidandæ quamuis finitimorum,ſi non contemendæ; & cum quibus magis cõmer-

Auaritia maximè vocalis.

cia ſint Turcis,quam cum reliquis omnibus ſimul chriſtianis nationibus.ſed ubi exclamat auaritia maximè omnium ſonorum vocalis, ibi taceant rationes neceſſe eſt.

*LIBRI VIGESIMI FINIS.*

NATALIS

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS

## LIBER VIGESIMVS PRIMVS.

VBI illa, quæ diximus, vnà cum ſuis proceribus anno ſuperiore ſtatuiſſet Selimus, initio anni ſequentis, qui fuit ſeptuageſimus ſupra mille & quingentos, cœpit cogitare quibus rationibus illud bellum, quod erat ſuſcepturus, legitimè ſuſcipi videri poſſet, quoniam non eſt Ottomanicorum Imperatorum inſtitutum vt bella impetu quodam animi potius, quàm certa ratione ſuſcipere videantur: cum ferinum ſit nulla accepta iniuria ad cædes deuaſtationesque regionum ferri. Inde fit vt ſemper principes aliquam probabilem cauſam ſuſcipiendorum bellorum præ ſe ferant, quàmuis ſæpe pro ratione ſubſit auaritia. Selimus auditis ſuperioribus calamitatibus Venetorum non putauit temere credendum eſſe illam ciuitatem, quæ eximia opulẽtia, optimarumque gubernationum ratione ſemper Chriſtianis nationibus præſtare dicta fuiſſet; tam facile eſſe exinanitam, nullumq; adhibitum eſſe magiſtratuum remediũ. neque videri poterat tam repente propè corruiſſe nulla allata extrinſecus præſertim calamitate, vt non facillimè refici inſtaurarique poſſit. Idcirco fingit ſe legationem mittere in Galliam, quę cum Gallico oratore Byzãtio redeunte Venetias proficiſceretur, quod factum fuit ſub finem anni præteriti. nam procurabat Selimus per eam legationem exploratum miſſam omnia ſcire atque inueſtigare diligenter, vt quo in ſtatu eſſet res Veneta cognoſceret. cum male habere omnino propter caritatem annonæ & naualis incendium videretur, cum populus afflictus & oppreſſus etiã appareret propter diuturnas calamitates, & ſterilitatem annorum ſuperiorum ex ordine multorum, viſa eſt præſens occaſio denique non eſſe negligenda. nam legatio ſimulat ſe expectare diploma ab oratore Gallo promiſſum, quod eſſet impetraturus ab Hiſpanis, cum eſſet per Hiſpanorum loca, trãſeundum in Galliam profecturo. Veneti quia nihil huiuſmodi ſuſpicarentur, legationem honorificè tractant. ſumptum præbent è publico per aliquot dies. munera adiungunt. omnibus ad eum congreſſum & colloquium permittunt. Quæ cum Byzantii clam ſtruerentur, Marcus Antonius Barbarus ſenator Venetus, ordinarius orator Venetorum Byzantii apud Imperatorem, illa ſubodorans monet Senatum Venetum per literas, occultioresque notas, neq; tamen ſibi videri addit res ſpectare ad bellum aduerſus Venetos, quamuis claſſis ſingulari diligentia inſtrueretur Byzantij, cum aliæ appareant probabiliores occaſiones in alias nationes. Neſciebatur quo res tenderet, ſed tamen non putabatur ſuſpecta fides Turcarum, quod multis artibus oratoris cogitationem à bello Venetis inferendo abducere nitebantur. nam cenſebatur claſſis vel ad tumultus Arabicos ſpõtè, vel ad Beticam pugnam inuitata velle accedere, vel etiam rogata. Senatus tamen qui multis rationibus cognouerat ſuperioribus temporibus Selimum & Purpuratos proceres ad illud regnum occupandum aſpirare, magis perpendunt Imperatoris conſiliũ, & bellicos apparatus qui fieri ſcribebantur à Barbaro, quam eius opinionem, quare animum adiiciunt & ipſi ad defenſionem. Sed antequam acerrimum, maximèque memorabile bellum explicandum aggredior, quod & à Turcis incredibili alacritate Cypro illatum eſt, & à Venetis ſingulari virtute fortitudineque exceptum, ac diu ſuſtentatum, videtur ſeries altius repetenda, atq; enucleandum quę iura, & quo pacto Ottomanici Imperatores in Cyprum inſulam aſſecuti ſint, vt ex his pateat & ratio Turcicæ expoſtulationis, & iura defenſionis, quæ Venetũ ſenatũ impulerunt ad illud regnũ conſtantiſſime ac fortiſſimè defendendũ. Neq; vero quiſquã debet ęgrè ferre ſi cõmiſſos errores in his bellis vtrinq; explicemus, cũ pręcipuus ſcopus eſſe debeat

1570

Venetiarum laus.

Selimi ſtratagema.

Legatio pro exploratore Selimi.

Seopus hiſto riæ ac finis.

& ſcribentis & legentis hiſtoriam cognoſcere ſiqua in re erratum ſit, aut ſapienter factum, vt om-
nis humana actio ſapientius in poſterum dirigatur. atqui principes & Reges non modo debent pati
æquo animo, ſed etiam fouere hiſtoriam, non tam vt felices ſucceſſus, gloriamque rerum geſtarum

Cur hiſtoria fouenda ſit à principibns.

hiſtorici laudibus extollant, quod eſt adulatorum & paraſitorum officium; quàm vt prudentiæ du-
cum teſtes habeant apud omnem poſteritatem; vel vt cognitis erroribus præteritorum temporum
poſteri moneantur aliam rationē eſſe ſeruandā. Hoc qui non æquo animo ferat, is mihi videtur nō
modo vniuerſam vim hiſtoriæ pro virili funditus euertere, verum etiam omni poſteritatis felicita-
ti inuidere. quod ſi quid dictu turpe eſt, illud certè neque factu valde eſt honorificum. Interea Iaco-
bus Stuardus Scotiæ præſes, vel, vt quidam appellant, Regens ſiue gubernator Scotiæ, filius Iaco-
bi Quinti patris Reginæ, cum omnia indicia inquireret aduerſus captiuam Reginam ob cædē mari-
ti patris pupilli Regis in vrbe Litquo, quæ diſtat ad duodecim millia paſſuum à Liſteburgo metro-
poli Scotiæ, glande ſclopetti transfixus diem ſuum obiit. Illud autem accidit, quo tempore nouas
copias colligebat vt obſideret Comitem Veſtemerlanum, qui ſeſe in arcem Hiernam ſeruauerat
poſt ſolutas copias. Sic per inſidias cuiuſdam priuati cæſo Iacobo, Regina Britanniæ procurauit
ſuis partibus fauentium animos conſternatos ita erigere, & vt aliquis è ſua factione in locum de-
mortui ſufficeretur; petiuitque vt Nortumbrienſis Comes ad ſe mitteretur, cum tamen ſtatim poſt
cædem Stuardi & ipſe & Carolus Heuellus Veſtemerlanus fuiſſent dimiſſi. Iuſſus fuerat Ioannes
Gaites cum magno globo armatorum illum Londinum in turrim adducere, cum in omnes acerri-
mè ſæuiretur, qui in aliquam vel tenuem ſuſpicionem ſuperioris coniurationis poſſet incidiſſe.
nam Raphael Sadlenus plures quadringentis eo nomine necari curauerat. Creatus eſt denique
Regens Scotiæ, qui ſummus eſt magiſtratus & plurimæ dignitatis Dux Caſtellaralti maximè inimi
cus Stuardi contra Reginæ Britanniæ voluntatem, quare omnes res Scotenſes magnam ceperunt
mutationem, ac res Reginæ Scotiæ cœperunt aliquantulum reſpirare, quæ cum regia tamen ma-
gnificentia Conuentrai aſſeruabatur, cui ſemper Catholici miniſtri aſſiſtebant, cum illa nunquam
ritus catholicos reieciſſet. Conquerebantur inuicem quod inuiti populi cogerentur falſa pro ve-
ris complecti, atque apoſtolicas traditiones quæ ab ipſo Chriſto fuiſſent acceptæ & in munus tradi-
tæ ad poſteros, multi fortunam Reginæ Catholicæ ægrè ferebant, atque niſi timore retardati fuiſ-
ſent, vel arma ſumpſiſſent pro Regina. At Vgonotti, quia Rex non collegiſſet nouas copias poſt di
miſſos Germanos raitros & Italos, & auxilia Albani è Belgio, quia hoſtes non eſſent amplius formi
dabiles, non ceſſarunt prædationibus & rapinis proxima quæque infeſtare, locaque occupata com-
meatu & bellicis apparatibus in hyemē proximam munire. ea fuit regionrm non parua negligen-
tia, vt radices bellorum reliquerint quæ poſſent in ver proximum pullulare. nam cum Dupontii
copiæ in Germaniam ante cladem Amirantianam rediiſſent, nihil prorſus incommodorum viſæ
ſunt ſenſiſſe, cum plurimum deuaſtationis & ruinæ vniuerſæ Galliæ per quam penetrarunt, attu-

Regia venia promiſſa.

lerint, ſed quoniam caſtra Amirantis non omnes vno conſilio ſequebantur, multique id facerent
metu, ne ſi illum reliquiſſent à Catholicis trucidarentur, alii ſpe prædæ cum omnia ſua bona fuiſ-
ſent direpta & fiſco addicta, propoſitum fuit regium edictum per quod obliuio ſuperiorum errorū
promittebatur ſi emēdarent errores ac domum rediiſſent. principes Vgonottorum illud fraudis ge-
nus ad decipiendos incautos confictum eſſe dicebant, vt ſic facilius per leuitatem verborum poſſent
capi, qui per vim armorum non poterant. his addebant quòd tametſi Rex illud verè conceſſiſſet, ta-
men populus infeſtiſſimus hoſtis ob accepta damna reuerſos æquis animis nunquam perferre po-
tuiſſet, neq; in homicidas quemquā fuiſſe animaduerſurum, cuius rei ſatis clarum argumentum ha
berent ſuperiorem pacificationē. his perſuaſionibus præſentibus magis moti ſunt pleriq;, quam ab
ſentibus promiſſis regiis, quare diutius in caſtris remanſerunt. non ceſſabat interea Regina & prin-
ceps Cantabrorum, & Amiras per amicos & affines aulicos pacem procurare. Sed Rex vbi delatum
eſſet munitiones denuò inſtrui à reliquiis Vgonottorum, eoſque vexare proxima quęque incurſio
nibus, decernit vt Andienſis frater exeat cum exercitu ad Amirantis ſucceſſus refrænandos, & ad re-
cuperandas munitiones, quas ille aduerſus Regem occupauerat. iubet ſex millia Heluetiorum acci-
ri; qui vbi conueniſſent cum multis cohortibus peditum Gallorum & equitum vexillis, vrbem Cia
riten expugnarent. cincta eſt vrbs itaque breui obſidione, multiſque tormentis & magno impetu
concuti cœpta, cum pertinaciſſimè atque egregia virtute ab obſeſſis defenderetur. Amiras vt obſi-
dionem inde reuocaret cum magnis copiis equitum ac peditum multos duces mittit, qui fines Se-
quanorum & Tectoſatum hoſtiliter adorirentur, cum ipſe ſuas copias non procul ab illis ductaret.
Scriptæ ſunt literæ rurſus in Britanniam, atque inde in Germaniam vt noua ſubſidia accirentur,
quæ quidem promiſſa ſunt tantum, cum ſtipendia non fuiſſent miſſa. non defuerunt qui Regem
ad concordiam hortarentur, quoniam illud bellum vel cum toties apparuiſſet extinctum, tamen
ſemper reſurgebat atrocius cum maximo excidio & deuaſtatione totius regni, quia ſi vel vinceret
Rex, vel vinceretur, omnino ea victoria aduerſus ſnbditos regios comparabatur. regios prouentus
omnino minui, vires quotidie debilitari, vrbes exinaniri, regiones deuaſtari, funditusque euerti.
præſtare per clementiam omnia conſeruare, quam per pertinaciam omnia perdere. glorioſiorem
eſſe victoriam quæ per bonitatem regiam comparata ſit, quoniam illa propria ſit regiæ virtutis,
quam quæ per arma, quæ cum multos habeat ſocios, certe nulla ratione poteſt virtus legitimè ap-
pellari, ſed tantum vel robur & firmitas corporis, aut etiam comes fortunæ. alii cenſebant eam pa-
cem ſubdolo animo eſſe concedendam vt ita vires reſumerentur, quoniā licitum eſſet quandocun-
que vellet Rex eam funditus euertere, quod dicerent rebellibus & hæreticis fidem ſeruari neceſſa-
riò nō oportere. Rex pluribus auditis rationibus, cognitiſq; euerſionibus & calamitatibus regni, re
diligen-

diligentius conſiderata cœpit paulatim ad conditiones pacis animum flectere, quare ſæpius de illis
multis deletis, aliis additis pertractatum eſt. Quæ dum geruntur in Gallia, in nouis Indiis multi po-
puli Chriſtianam fidem, euangelicaque dogmata per Ieſuitas patres complectebantur, inter quos
Indiarum tumultus.
fuit Rex Sionis. poſt eam mutationem regię religionis ſubditę ciuitates anno ſecũdo omnes ſimul
præter vnã, in illum conſpirantes hoſtiliter arma ſumpſerunt. Rex in eam cum patre & fratribus ſe
recipiens vniuerſam ſpẽ ſalutis in auxiliis Regis Luſitani collocauit, cuius amicitiã diu coluerat. Ve-
rumtamen dum furorem populorum deuitaret, ad munitionemq́; Luſitani contenderet Ternaten
vocatam ad cienda auxilia, populi pleriq; leuitatis pertęſi erga iuſtum & humanũ Regem ſumptis
armis pro Rege aduerſus rebelles eum in regnum reuocarunt. complexi ſunt Chriſtianam religio-
nem poſtea & priuati homines, & Reges alii, cum ad centum millia & amplius hominum ad Baptiſ-
mum vnà conuenirent. Sed quoniã Rex Sionis multas difficultates habebat in recuperando regno,
Conſaluus Perera ſummus imperator Regis Luſitani promiſit ſe cum claſſe opem laturum ad ſta-
tutum diem, qui tamen cum tẽpeſtate maris ad Maluchum fuiſſet reiectus, Mardonelas Luſitanorũ
dux opẽ tulit, eductiſq; armatis non multo tẽpore vniuerſum regnum ad priſtinã obedientiam per-
duxit. ſed vt ad rem propoſitã redeamus: eſt Cyprus inſula, vt diximus, perampla & frequẽs in mari
Cypri deſcriptio.
Mediterraneo non procul a Rhodo, Cilicia, Ægypto diſtãs, rerum omnium neceſſariarum ferax &
optimorum vinorũ in primis. fuerunt olim multæ vrbes illuſtres in inſula, ſed nũc ad paucas reda-
cta eſt, inter quas ferè principatũ tenet Salamina, vna Leucoſia excepta, ſita in extrema parte inſulæ
in litore, quã Famaguſtam vocãt, cum & portu peraccõmodato, & multis vectigalibus ſit prædiues
ac nobiliſſimũ emporium. inſulæ totius metropolis eſt Leucoſia, cum propter opes & magnificen-
tiã, tum propter pręſtantiã ędificiorum & operũ varietatẽ cũ quibuſuis cõparari apta ſaltẽ medio-
cribus Italicis vrbibus, cæteras inſulæ ciuitates quãuis non ignobiles, ſilentio nunc prætermitto. fer-
tilitatis certè nõ obſcurum aut leue eſt argumentum multarũ rerum precioſarum, cũ antiqui Ma-
Cyprus Macaria dicta.
cariã hoc eſt beatã inſulam nuncupauerint, quę etiã propter delitiarum copiã & facultatem Veneri
fuit conſecrata. cæterum anno ſalutis noſtræ octauo poſt mille centum & octoginta, vbi arma Chri-
Britãni reges Cypri.
ſtianorũ mota fuiſſent ad ſubiugandã Hieroſolymã poſt diuturnum Græcorum imperiũ, hæc inſu-
Mẽphiticus Rex Cypri.
la ſubiugata fuit à Rege Britãnie, cuius tamen imperiũ poſt multas rerum viciſſitudines fortuna re-
gnum modo ad hũc modo ad illum trãsferente, peruenit ad Regẽ Memphiticum vnà cũ puero Re-
ge inſulæ. Sic effectũ eſt vt multi principes titulos regni Cypri ſortiti ſint, ſoloq; nomine glorietur,
quãuis multi ſint Reges, at vna Cyprus. Rex Cypri a Mẽphitico captus centũ & quindecim millib⁹
Cypr⁹ tributaria Aegypti.
nũmum ſolutis pro redẽptione ac ſumptibus in regnum reſtituitur, & tributarius factus prætereа
Ægyptiorũ. Hic vbi aliquãdiu imperaſset deceſſit relicto impubere filio, qui cum adoleuiſset vxorẽ
duxit è Monteferratõ, atq; illa mortua duxit aliã Paleologã, e qua filiã Carlottã nomine ſuſcepit, &
Iacobum è concubitu alterius ſpuriũ. Carolotta vbi adoleuiſſet, nupſit Ioãni patrueli Regis Luſita-
Luſitan⁹ Rex Cypri.
ni, qui de Cypriorũ procerum cõſenſu fuit in regnum accerſitus. Tum paulo poſt hoc Rege per ve-
Dux Subaudię Rex Cypri.
nenum de medio ſublato Iacobus Rex appellatus fuit. Carlotta deinde regnandi cupida, vt pote cui
regnum à ſpurio fratre per iniuriã fuiſſet occupatum & ereptũ, nubit Ludouico Subaudiæ Ducis fi-
lio. Nec ita multo tẽpore interiecto poſt nuptias hortatur maritum vt cõparata atq; inſtructa claſ-
ſe cum magna armatorũ manu regnum illud niteretur recuperare, quod ad ipſam iure hęreditario
perueniebat, & per ſummã iniuriam inſulanorum ac Regis ſpurii fratris ſibi fuiſſet ereptum. Ludo-
uicus ab amicis principibus per legationes æquitate petitionis patefacta obtinet ingentẽ claſſem, vn-
diq; variis nauigiis ad auxilia accitis in Cyprũ nauigaturus ad inſulã Rhodũ primũ applicuit. ibi cõ-
tractis non contẽnendis viribus ad inuadendã Cyprum ſe accingit. huius conatus rumor cũ in inſu-
lã perueniſſet, apparerentq́; Cyprii cõplures in partẽ Reginæ magis eſſe propẽſi propter æquitatem
cauſæ, & quia non ſatis æquo animo ferrent ſpurij imperiũ, Iacobus cępit parum fidere his populo-
rum animis, quibus tamen vel ſi confiſus eſſet, non putabat fieri poſſe vt tãtis copiis reſiſteret, quãtę
aduerſus inſulã parari dicebant. trucidatis igitur multis ex aduerſaria factione illorũ bona inter ami-
cos diſtribuit, deinde ex inſula excedens contendit ad Sultanum Alexandriã, cuius opẽ implorat ad
regnum recuperandũ. Sultanus cõparatis ingẽtibus viribus fauẽtibus etiã & adiuuantibus qui Iaco-
Iacobus regnũ Sultano adiuuante recuperat.
bi partes fuerant cõplexi, eiecto Ludouico ex inſula mortua Helena preſertim per id tẽpus Paleolo-
ga matre Carlottæ, regnũ reſtituit Iacobo, quod fuerat ereptum. iniunctũ eſt Iacobo ad gratiã tantæ
beneficẽtiæ Sultani ob regnũ eius opera recuperatum, vt certas merces in vſum Sultani tanquã ho-
norariũ munus mitteret, quo ſic regnũ per Sultani operam & amicitiã recuperatum quotãnis reco-
Honorariũ munus Iacobo iniunctũ.
gnoſceret. At Iacobus rerum denuo potitus non multo poſt curauit Catherinam Cornariam Mar-
ci filiam, quæ nobiliſſima eſt familia Venetiis ſpectatiſſimam forma & bonitate morum ſibi dari in
matrimonium. ſiue quod eius egregiam formam audiuerat, ſiue quod Venetorum amicitiam re-
Catherina Cornaria ducta à Iacobo.
quireret. Noluit tamen tanquam priuatam ducere, vel quia Regi parum illud conuenire arbitrare-
tur, ſed tãquam reipub. filiam; vel quia per hanc affinitatẽ vellet ſtabilire magis res Cyprias, cum Ve-
neti optimè audirẽt, & maximè omnium reliquarũ gentium cognitione, virtute, peritia rerum ma-
ritimarum pręſtare putarentur, & bellicis apparatibus maritimis. nam Catherina poſt mortẽ patris
cum in matrimoniũ eſſet danda adoptata in filiã ſolenniter à ſenatu cum ſatis ingenti dote nupſit.
poſtea non multo tẽpore interiecto regnum illud ad ſenatum tranſtulit, cum Iacobus nõ ita multo
Cyprus per hæreditatem ad Venetos peruenit.
poſt è profluuio ventris naturæ conceſſiſſet relicta vxore prægnante. Illud accidit anno ſalutis no-
ſtræ ſeptuageſimo poſt mille & quadringentos. Catherina poſtmodo cum filiolo quem pepererat
per blanditias fratris Venetias delata, ſenatus paulatim res Cyprias tanquam pater familiæ vel nepo-
tis gubernare cœpit, quo regno poſt mortem filioli, quæ cito ſecuta eſt & Catherinæ, omnino pa-

tres ſunt potiti. Turcæ cum ita regnum ad Venetos perueniſset, vel quia nihil mali ſibi à Venetis
finitimis imminere arbitrabantur, vel quia ſemper eximiā eius ſenatus fidē ſæpius cognitam in Ot-
tomanicos imperatores diligerēt, vel quia parū metuēdus ſenatus videretur reliquas propè omnes
vires oriētis poſſidētibus, vel quia re ipſa non cēſebant ſe habere abſolutum imperiū & ſatis ampla
iura in illud regnū, quod recuperandum tantū adiuuiſſent, Venetos ſine contētione æquiſſimo ani-
mo finitimos & amicos eſſe patiebantur; præſertim cū paulatim ad euitandas diſcordias Veneti etiā
quandā Turcarum inſolentiā viderentur perferre, quæ ſemper confirmādis pacis cōditionibus cum

Conditiones Turcarū doloſę in Venetos.

nouis imperatoribus increbreſcebat. Illæ ferebātur à Venetis quia non videbātur diſſentire ab vrba-
nitate & amicitia, ſed tamen prauo conſilio à Turcis ſemper viſa ſunt fieri. Nā quis deuitaſſet quod
iniunctū eſt Venetis a Baiazetto anno tertio poſt mille & quingētos, ſine quo pacē non erat confir-
maturus? illud autē fuit, vt claſſes ſe inuicē ſalutarent diſploſis tormentis ſine globis, mutuęq; amici
tiæ darent ſignificationē. at neq; hoc parum honeſtū videbatur inter amicos præſertim, quod anno
deinde decimo fuit iniunctū, ne claſſis Veneta aduerſus Turcas amicos alteri claſſi ferret auxilia. Il-
lud difficilius ad ferendū videbatur quod ſtatutū eſt anno poſt octauo, vt piratæ ac latrones à Vene-
tis capti puniēdi mitterentur ad portā imperatoriam. Sed tamē quia non prorſus iniquū videbatur
ſubditos à ſuo principe puniri, & quia pax aliter cōfirmari non potuit, tā leui de cauſa bellū denuò
eſſe ſuſcipiendum. in ea renouatione pacis rurſus, quæ fuit poſtmodo anno decimo nono, qm̄ ægrè
ferrēt Turcæ mancipia variarū nationum ad fugā in Venetis nauigiis vbiq; occultari, additū eſt cō
ditionibus pacis vt nemini liceret è portubus Turcicis ſoluere, vel ingredi portus, niſi prius explora
tis intimis nauigiorū per Turcicos magiſtratus, atq; impetrata venia excedēdi, cui legi cæterarū na-
tionū etiam ſubiacent nauigia. Illa cū Veneti partim propter æquitatē, quæ apparebat, partim quia
non erāt ſatis idoneę cauſę, quę poſſent rurſus nouū excitare bellum, facilè patiebantur, quare effe
ctū eſt vt Cyprū ſine contentione, ſicut alias ſuas inſulas poſſederint, ſępius firmatis inducis aut pa-
cis legibus. Iſtud ipſum cū anno quadrageſimo poſt mille & quingētos feciſsēt, liberi ab omni ſuſpi
cione, nedum controuerſia viuebāt, cum Turcarum amicitiā omnibus honeſtis officiis excoluiſſent.
Hanc animorū ſeruitutem pepererat etiā ocii diuturnitas, & deſuetudo bellorum mortuis iā oībus
bellorū peritis & exercitatis domi & militię, aſſuetiſq; Turcicis fraudibus repellēdis poſt tantum tē

Difficultates ingenium ſolæ excitant.

poris ſpatiū. vt enim ferrea fabrorū inſtrumenta corroduntur rubigine, niſi exerceātur, deterioraq;
fiunt ad munera fabrilia, ſic ingenia hominū ſi ocio & deſidia capiātur, langueſcūt, ineptioraq; fiūt
& rebus bellicis, & domeſticis adminiſtrationibus ac ciuilibus; cū ſolæ difficultates, & curæ, & ſolici-
tudines callidos, prudētes, peritoſq; faciāt. nihil autē magis terret hoſtē, demiſſumq; facit ad oēs for
tunæ euentus, quàm ſi exercitatū & callidū ſe habere aduerſariū cognouerit; cum nunquā tuto dor-
miat qui ſapientē habet inimicū: quæ vna virtus ferocientes animos facilè retūdit. idcirco ſi in alter-

Suſpicio magiſtratuū vtilis.

utram partem peccandū ſit, malim ego curioſiores & diligētiores ſuſpicādo eſſe magiſtratus, quàm
par eſſe videatur, qui proſpiciunt publicæ multorū ſaluti, quàm negligētiores, cum in rebus publicis
nulla tāta eſſe poſſit diligētia, quæ nō ſit laudabilis, contra quā fit in priuatis, in quibus mediocritas
ſola cōuenit. Selimus igitur cognita re Veneta quo in ſtatu eſſet per ſimulatam legationem, vti dixi
mus, iuſſit ingentē claſſem in ver proximū ſumma diligentia parari, & inſtrui. cætera quę ad bellum
ſpectabāt non ſatis accuratè procurat, quippe qui paruo negotio ſe inſula ſuis viribus vbiq; finitima
potiturū eſſe ſperaret, quā protegeret ea reſpublica, quę tā lōgè abeſſet, & cui⁹ vires lōgiſſimo inter
uallo eſsēt & magnitudine & exercitatione rerū bellicarū atq; peritia inferiores. vt autē res bello ge
rēdo neceſſariæ facilius ſuppeditarētur & conueherētur, facit id qđ eſt moris conſurgentiū bellorū,
duas onerarias naues Venetas retineri iubet ad conuehēdos bellicos apparatus in inſulā. ipſe aliquā
do Byzantinum nauale inuiſit, & Iappanā, qui locus eſt fundendis bellicis tormentis aſſignatus, quo
ſinguli diligentius ſua munia exequerentur. Hæc omnia per ſecretiores notas ſenatui Veneto affe-
rebantur Byzantio, ſed ſenatus tunc quoq; dubio erat animo an vera eſſent, ſemperq; nouas literas
expectabat. Turcæ ad eludendum ingenium Barbari multis blanditiis, multiſq; humanitatis ſignis
vtebantur, conabanturq; ab omni cogitatione belli reuocare, ne poſſet ſuſpicari quidquam in ſuam
rempublicā parari. Sed difficillimū eſt callidum fallere, præſertim inuſitatis blāditiis ſine vlla proba
bili occaſione. cęptę ſunt non multo poſt fieri repēte incurſiones hoſtiliter in fines Venetorū à Tur
cis vbiq; in Dalmatia, & vbicūq; cōtermine ſunt vrbes Venetę. atq, vt partim per metū armorū ani-
mos Venetorū ad ſua vota cōpelleret, cū vbiq; inter Turcas iam palā arma in Venetos & in Cyprū
conclamarentur; partim vt æquitate, quæ ſibi videbatur expoſtulationis in ſuam ſententiam retor-
queret, ſtatuit legationem mittere Venetias, quæ per æquitatē, vt appellabat, illud repeteret, quod ni

Aloyſij Bonricij aduentus Byzātio.

ſi impetratum eſſet, per arma extorqueretur. cum illa legatione miſſus eſt Aloyſius Bonriccius à ſe
cretis Barbari vir magnæ prudentiæ ac fidei erga ſenatū impetrata venia ab Imperatore, & Aloyſius
filius, quo tuto elaberetur. ex his celeriter profectis & in ſenatū admiſſis cognita ſunt Turcarū con-
ſilia, & ſententia Selimi, & vniuerſa ratio petitionis. Hæc vbi Apollonia & Erona perlata fuiſſent
iam antea Venetias, quia iam perſpicuè conſtaret bellum non alia de cauſa parari, niſi de occupan-
da Cypro inſula, cępta eſt dari opera enixè à patribus bellicis apparatibus terra marique comparan

Copiæ in Cyprum miſſæ cū Hieronymo Martinēgo.

dis. Iuſſus eſt Hieronymus Martinengus ſumma celeritate colligere duo millia peditum, tot enim
ille ſufficere dicebat cum inſulanis viribus ad exteras copias ab inſula arcendas. iis peditibus colle-
ctis & cenſis Venetiis datæ ſunt tres onerariæ naues & addita tormenta ad nauium defenſionem, vt
in inſulam Cyprum quàm celerrimè exponerentur. Sed paucis diebus interiectis mortuus eſt in
itinere Hieronymus ſanè vir ſtrenuus, at naues tamen feliciter ſpirantibus ventis ſecundis in Cy-
prum peruenerunt. Patres ſumma diligentia claſſibus inſtare. remiges vndique magna diligentia

cogere. tribunos ac duces mittere ad colligẽdos epibatas. omnia Venetiis arma, claſſica, tympana, bel-
lum reſonare. His bellorum tantorũ tumultibus excitatis multæ vrbes, multi proceres, multi etiam
priuati pecuniam vel milites vel ſtipendia triremium vltro pollicentur ad bellorum ſubſidia, vt ala-
crius res ageretur, quod omnibus Chriſtianis hilari animo id negotium ſuſcipiẽdum videretur. Nã
certè quidem patres cognita Selimi ſentẽtia è duobus Aloyſiis, proponũt in Rogatorum, ſic vocato
concilio, quod conſtat è primatibus patribus, & omnibus honorificẽtioribus magiſtratibus, quid de
hoc negotio decernẽdum videatur. Periniquum enim pleriſq; ac ferè omnibus, & non ferendum vi-
debatur quod nullo ſcelere ab eo ſenatu cõmiſſo, nullo peccato, nullis vel publicis vel priuatis iniu-
riis laceſſitus Selimus iam arma mouiſſet in finibus, atq; nunc tam repente illud regnum extorque-
re conetur, quod per centum annos per omniũ cæterorum Imperatorum Turcarum æquitatem &
iuſtitiam tranquillè poſſediſſent. Non enim videri poterat ius habere Selimus maius in eã inſulam,
quàm habuiſſent eius maiores, quorũ nunquã abſolutũ fuit Cypri imperiũ. Oĩa igitur erant iræ &
indignationis plena, atq; omniũ patrum animi ad tantã iniuriam armis propulſandã mirificè erant
incitati. Petrus Lauredanus princeps eius reipub. vt diximus, mitius & pacatius agendum eſſe cenſe-

*Venetorũ indignatio in Selimum.*

bat, quia tantas Turcarũ vires armis Venetis ſubiugare, vel ſiquis in animo cõcepiſſet, non erat pror-
ſus liber ab inſanię ſuſpicione. retundere verò per multos annos pertinaciter, difficillimũ ob immo-
deratos ſumptus bellicos, qui fiunt in claſſes. Capere bellum aduerſus quẽ non poſſit diutius ſuſti-
neri, illud potius inconſiderati, quã ſapientis ſemper iudicatũ fuiſſe; cum omnes propè pugnaturos
vel victoriã vel calamitates & cladem ſibi proponere oporteat. quoniam bellorum euẽtus ibi incer-
ti ſunt, vbi vires propè pares fuerint, aut certè parũ differentes, at non inter diſtantes tanto interual-
lo. His rationibus ponderatis putabat cedendũ eſſe potentiori fortunæ, in melioreq; cõditione eſſe

*Petri Lauredani rõnes de Cypro cõcedenda.*

qui vltro, quàm qui per vim ferri ſubiugetur, cuius ſentẽtiæ & alii quidã ſenatores aſſentiebãt. Aliis
hoc indignũ & gloriæ nominiq; Veneto turpe apparebat, ſi qui per virtutẽ claſſicam Adriatico ma-
ri ſemper dominati fuiſſent, & in vniuerſo mediterraneo primas obtinuiſſent, nunc ita abiecto ani-

*Gloria Venetorum.*

mo eſſe viderentur, vt ad ſimplicẽ Turcæ petitionem territi ex Ionio, Ægęo, Euxinoq; mari turpiter
excederent, neq, oſtẽderent ſe ab illis viris fortibus progenitos, qui toties & aliarũ nationum, & Tur-
cicę importunitatis claſſicę impetũ retudiſſent. In hanc ſententiã impellebat recordatio pręteritorũ
munerũ, quæ modo claſſicis imperatoribus, modo præfectis alæ claſſicæ, modo legationibus Turci-
cis, modo proceribus Byzãtii per multas inſidias dare cogebantur; quibus & frequẽtibus & ingratis
ſumptibus cupiebãt aliquando per oſtentatã virtutem ſubleuari. Illos itaq; reclamatũ eſt ſentire mi-
tius agendũ eſſe cum Turca, propia magis cauſa, quàm quod de ſalute reipu. aut de patriæ dignitate
& conſeruatione eſſent ſolliciti. vbi primũ Turcicorum apparatuum rumor Venetias eſt delatus, põ-
tificia legatio non frigidè inſtare cępit patribus, hortataq; eſt vt intrepido atq; hilari animo bellũ ſu-
ſciperent, quod auxilia vndiq; accirentur, pollicitaq; eſt nomine pontificis futurũ vt Hiſpani eius bel-
li ſocietatẽ alacriter ſuſciperent. ipſa pro viribus omne genus auxilii promittit. Patres illis rationi-
bus incitati, his etiã allecti ad bellum, iam ſingulari ſtudio res bellicas parãt. Interea Turcicus orator
Cubatus cũ imperatoriis mãdatis appellit Venetias inter has patrũ indignationes, quæ etiã in plebẽ
emanauerãt. non excepta eſt, vt ſolebant antea Turcici oratores, cum magna põpa & amicitiæ ſigni-
ficatione ex amplis ędibus conceſſis ex publico, comitãtibus multis nobilibus Venetis: ſed è triremi

*Legatio Selimi Venetias accedit.*

excepta eſt comitãtibus ſatellitibus nõ ſine aliquo periculo & certè minis populariũ acceſſum vtrin-
que ſtipantiũ. Sic trepidæ legationi conceſſus eſt ſenatus, quę tacita & propè attonita apud principẽ
diu cõſedit. Deinde cũ rogata eſſet cur veniſſet, aut quid vellet, literas imperatorias depromit è ſinu,

*Vulgi inſolẽtia.*

in quib⁹ cõtineri dicebat cuius rei gratia veniſſet. Sed neq; lectis quidẽ literis, quę minaces eſſe dice-
bãtur, aliæ datæ ſunt. Sed tamen petitũ vt oretenus ſuarum literarum ſententiã ſummatim expone-
ret. Cubatus multis de cauſis Cyprũ ſe Imperatoris nomine poſtulare inquit. Sed primũ quia cõtra
pactiones ac leges pacis Veneti Cyprũ hoſtibus imperatoris patefeciſſent, qui cũ occidentis nauigiis
in Ciliciã profecti multa prædati eſſent, atq; prædã non ſolùm conuexiſſent in Cyprum, ſed etiã ven-

*Cubatus Cyprum quib⁹ rõnib⁹ petit.*

didiſſent, & illud pręſertim cũ Veneti tributum pro Cypro imperatoribus Turcarũ diſſoluerent. nã
ſtatutũ cum Turcis fuerat anno decimo ſeptimo poſt mille & quingẽtos à Chriſti natiuitate, vt lo-
co illarũ mercium, quæ in Sultani vſum tradebantur, poſt ſubiugatũ Sultanum, & bona eius Turci-
co fiſco addicta, octo millia nũmum quotannis Ottomanis Imperatoribus diſſoluerentur, ne oriret
cõtentio de bonitate merciũ, pro tributo. violato igitur tributorũ iure bona ad priſtinũ dominũ ne-
ceſſario deuolui. His addidit ꝙ ſi ſuperiorũ liberalitas imperatorũ Venetos regnare in Cypro ſua in-

*In pecuniam verſũ eſt honorariũ munus.*

ſula paſſa eſt, Selimus iã vellet quod ſuũ eſt obtinere. quod ſi redderet liberaliter & alacri animo, fo-
re vt amicitia inuiolata ſeruetur, multorũq; ſubditorũ imperio Veneto ſaluti conſulatur. ſinautẽ, ſe
velle omnino Cyprũ obtinere. His acceſſerũt literę Mahometi, qui pro ſua in Venetos beneuolẽtia
patres hortabatur vt pręſentẽ petitionẽ æquo fortiq; ani mo cõplecterẽtur. ſe multis rationibus im-
peratorẽ ab illa cogitatione reuocare conatũ eſse, ſed ita ſtare illius ſententiã, neq; vllo pacto poſse
dimoueri. pręſtare imminẽtes calamitates ſapiẽter deuitare, quàm obſtinatè turpiter ſuccũbere. Re-
ſpõſum eſt forti magnificoq; animo à patribus. Venetos mirari cur nulla iuſta de cauſa ſtatim poſt
cõfirmatas pacis conditiones Selimus mutato conſilio arma Venetis hoſtiliter importarit. Se legiti-

*Reſponſum Venetorũ de Cypri petitione.*

mos eſse poſseſsores eius regni, quod à legitimis poſseſsoribus iure hæreditario fuiſsent aſsecuti.
octo millia nummum, honorarium tantum eſse munus, tanquam gratiarum actionem & pro mer-
cibus, at non ſimplex tributum. Illud regnum quod aliquo adiuuante à legitimo atque priſtino
domino recuperatum ſit, per priſtini Regis vires & partes complexos, nullo pacto poſſe videri adiu-
uantis; cum ille vel mercenarius ſit, ſi ſumptus auxiliorum recipiat; vel tanquam amico & benefa-

ctori pro gratiarum actione honorarium munus debeatur. neque enim ſiquis incidit in latrones, & ab aliquo forte adiutus fuerit, iure poteſt ab illo ſpoliari, ſed tantum gratias habet, ſi referre non poſſit. Deum omnis iniquitatis & perfidiæ fore vltorem, qui cauſarum æquitati ſolet fauere. ſe velle armis illum regnum defendere, quod iure ab antiquis regibus volentibus obtinuiſſent. his auditis legatio præfata venia abeundi atq; impetrata, quoniam tantus ardor vulgi appareret, rogat, vt tutò diſcedere liceat, quod quidem per miniſtros publicos præmiſſos conceſſum eſt. illo iter faciente res bellica paulo negligentius à Turcis tractabatur, quia Marcus Antonius Barbarus non eſſe armis tētandū quereretur, quod poſſet Imperator à ſenatu iuſtiſſimo, amantiſſimo æquitatis, & imperatori obſequentiſſimo nullo fortaſſe negotio obtinere. futurum enim magis honorificum ſi iure, quàm ſi armis illud impetraſſet. hoc autem ſedulo efficiebatur, vt Venetis tempus daretur cogēdi copias, & inſtruendæ claſſis. nam profectò turpè eſt imperatori & ſummis magiſtratibus, qui ſe moderatores cæterorum iniquitatis & errorum eſſe profitentur, quidquam per iram agere, animorumque perturbationem, quamuis vulgus & multitudo imperitorum ſubfrigidum & timidum appellare ſoleat, qui non facilè iraſcatur, cum ira rerum præclarę agendarum ſæpius opportunitatem eripiat vel non expectet. Idcirco apparebat etiam legatio Turcica honorificè tractanda, & conditiones permutationis Cypri proponendæ: atque inter has ambages bellici apparatus faciendi, cum nihil dignitatis imminuat fortiter facietī de hoſte honorificè loqui. Turcica legatio vbi ad Epidaurum vrbem celebrem Dalmatiæ expoſita fuiſſet, magna diligentia Byzantium contendit, quo profecta literas & reſponſum Venetorum Selimo reddidit. his cognitis & Barbaro, & omnibus Chriſtianis cuſtodiæ impoſitæ ſunt in cornu Byzantii, & omnes merces imperatoris nomine apud ſequeſtres depoſitæ.

Merces & mercatores in cuſtodias traditi vtrobique.

Iſtud ipſum factum eſt Venetiis poſt profectionem legationis. nam omnes Turcæ & Hebræi orientis mercatores capti ſunt, in cuſtodias traditi, & merces diuenditæ, ac precia in publico albo annotata. legatio, quæ exploratorio munere fungebatur, cum nondum in Galliam receſſiſſet, capta eſt & Veronam miſſa in oppidum Sancti Felicis. cœptum eſt continuo in finibus Dalmatiæ ad Nedinum, Vranam, Spalatum, Tragurium, Iaderam, cæteraque loca Venetæ ditionis modo incurſionibus hinc inde infeſtare, modo minutis prælijs pugnare, ita vt vbique vis Turcica ſentiretur, & virtute Venetorum propulſaretur.

Iadera munita Pallauicini opera.

Iadera vero in primis Sfortiæ Pallauicini egregia opera tam munita fuerat, vt videri poſſet inexpugnabilis. ea eſt vrbs perampla & frequens in littore maris Illyrici ſita ad tutandos fines Iſtriæ & Italiæ denique ex illa parte opportuna, quæ tanquam agger aut præualidus obex oppoſita obiectaque eſt Turcicis furoribus refrænandis. Ibi firma præſidia collocata fuerant, & ſatis valida equitum turma ad incurſiones hoſtium reprimendas duce equitatus Bernardo Maripetro Veneto nobili iuuene ſpectatæ virtutis & fortitudinis. eius tamen non valde diuturnum fuit imperium, quia poſt quædam leuia certamina, cum aliquando in confertiſſimum globum hoſtium nimis fortiter irruiſſet, ſeminermis accepto lætali vulnere fatis conceſſit.

Bernardus Maripetrus cæſus. Fabius Canalis vir acri ingenio.

Suffectus eſt huic Fabius Canalis vir acri promptoque ingenio, & ad omnia militaria munia intrepido, qui ſæpius prædabundos palanteſque Turcas ex inſidiis adortus non paruam ſtragem eorum edidit, cum Turcæ ſæpius profligati & cæſi atq; in fugam verſi multos è ſuis deſiderarint. præfectus eſt cum ſummo imperio rei militaris in illa parte Illyrii Franciſcus Barbarus, cui mortuo antequam diſcederet Venetiis ſuffectus eſt Ioannes Lezius vir procuratoria equeſtrique dignitate inſignitus.

Erariū apertū & annuū munus pro pecunia ablatum.

at Venetiis, quoniam timebatur ne belli diuturnitas infinitum pecuniarum numerum abſumeret, cęptum eſt procurari in primis ne aurum & argentum vndique Venetias comportatum ad facultatem mercimoniorum diſtraheretur ceſſantibus negotiationibus, apertum eſt ęrarium publicum, & pecuniam ad certum tempus mutuo dare volentibus certum fęnus annuū muneris nomine oblatum eſt, ſeptem pro ſingulis centenis ſcilicet. Illa cauſa fuit vt ingens auri & argēti tam cęlati quàm impreſſi pondus fuerit illuc comportatum. repetita ſunt ceſſantibus mercimoniis repente ducenta & amplius nummum millia à Delphinis menſariis, quæ nobiliſſima eſt Venetiis familia, atq; in publicum ærarium delata. Cum vero multa millia quotidie repeterentur, & mercimonia precioſa & ampla fuiſſent variis in locis intercepta à Turcis, effectum eſt vt ſoluendo non eſſent, quamuis patricii eſſent ſummę exiſtimationis, opulentię, & autoritatis.

Delphini menſarij capti.

Illi cum ad poſtulatum tempus omnia diſſoluere non potuiſſent propter iniquitatem & latrocinia miniſtrorum paulo poſt inuſitatam patrum ſeueritatem perſenſerunt, quia ex illorum iactura multæ miſerrimarū familiarum ruinę ſuborirentur. Nam & in carcerē conie cti ſunt, & his indicta pęna abolendę in poſterum nobilitatis filiorum, poſterorumque omnium, & diuendendorum bonorum, quo diſſolueretur ęs alienum, niſi intra certum tempus ipſi omnia diſſoluiſſent, & pœna præterea perpetui carceris. Indictæ ſunt ſupplicationes vbique ad implorandam opem diuinam. miſſæ ſunt legationes, quæ Chriſtianos principes & magnitudinem apparatuum Turcicorum docerent, & animos Venetorum promptiſſimos eſſe, hortarenturq; ad occaſionem opprimēdi communis hoſtium Chriſtiani nominis non prętermittendam.

Pecunię colligendæ rō

omne ſtudium interim adhibetur comparandæ pecuniæ. Nam & noua tributa ad belli ſubſidia imperantur. & conduplicatur ſalis precium, & vetera debita ærario acerbius ſolito atque diligentius exiguntur. quæ cum fieri non per prudentiam militarem, ſed per inopiam pecuniæ. exinanitionemque ærarii à ſubditis ciuitatibus, populiſque Italicis crederentur, multi certatim & publicè & priuatim ad oſtendendos animos illi reipublicæ maximè propenſos arma, milites, pecuniam, omne genus auxilii liberaliter pollicentur & offerunt.

Liberalitas Subditorum

multi etiam gloriæ honoriſque cupidi milites propriis ſumptibus ad illud bellum adducentes Venetæ reipublicæ militant. quædam ciuitates ſubditæ proprijs ſumptibus per quoſdam menſes certum militum numerum alendum in eo bello ſibi recipiunt, præter dono miſſam ſenatui pecuniā quæ certè multis è ciuitatibus miſſa eſt,

& tri

& tributa ordinaria & extraordinaria, quas tamen omnes magnificentia ſumptuũ Brixia ſuperauit. Vt autem maturius res tractaretur, iuſſus eſt Marcus Quirinus præfectus intra ſinum Adriaticum triremibus ad tranſtra condemnatorum procurare quam celerrimè in Cretam conuolans, vt triremes eius inſulę eſſent inſtructę. Creatur ſummus imperator omnis rei militaris Hieronymus Zanius procurator, eques, vir bonus, ſed tantis rebus ac bellicis pręſertim non ſatis idoneus, qui iam octogeſimum ferè ætatis annum agebat. Hic cum magna pompa poſt accepta inſignia imperij naualis in auguſtiore templo Diui Marci à principe & à ſenatu ad triremem vſq; deducitur; cui datæ ſunt triremes quadraginta & duæ, quę Veneto è nauali eodem die exierãt. tum varijs in locis claſſes in eius aduentum inſtruebantur, ita vt numerus triremium omnium ad ad centum & quinquaginta & octo accederet. Inter has erant duodecim, quæ pontificis ſumptibus alebantur, & vndecim quinqueremes. onerariæ quatuordecim. ſeptem prædatoriæ. Additi ſunt comites & conſiliarij Sfortia Pallauicinus peditatus omnis ſummus imperator, vir rerum bellicarum gnarus & ſtrenuus. Frãciſcus Duodus pręfectus quinqueremium. Antonius Canalis rerum maritimarum peritiſſimus pręfectus cum triremibus tuendo ſinui Adriatico. Petrus Tronus dux ſummus onerariarum. Hermolaus Teupolus dux prædatoriarũ nauicularum. Miſſi ſunt Salaminam ſiue Famaguſtam ad mille & trecenti pedites, qui duce Hieronymum Martinengum amiſerunt in itinere cum naturæ conceſſiſſet, quib. in inſulã expoſitis vrbs fuit egregie reb. neceſſarijs ad defenſionẽ inſtructa. quippe cũ vt apparebat, militũ manus aut dux ineſſet ſtrenuus & ad omnia militaria munia promptus Aſtor Baleonus, qui omnia ſingulari virtute ad defenſionem comparabat. Philippus quoq; Hiſpaniarum rex auditis ingentibus Turcarũ apparatibus, ne forte per ſimulationem Cypri vel in Italiã, vel in loca finitima vniuerſa vis belli conuerteretur, iubet ſumma diligentia peditatum colligi atq; equitatũ. Italiæ litora, quæ Adriaticũ Tyrrhenumque mare attingunt collectis præſidijs munit. Cyrnum, Sardiniam, Siciliæ oras multo milite tutatur. claſſem quàm inſtructiſſimam eſſe iubet. quæ omnia fiũt nõ minus accurate iuſſu etiã põtificis. Byzãtij quoniã Selimus Adrianopoli profectus ipſe aliquãdo claſſicis apparatibus inſtiterat, omnia incredibili ſtudio conficiebantur, atq; Alis præfectus alę claſſis cum triginta & ſex triremibus, duodecimque prædatoriis nauiculis exit in mare Ægæũ è ſinu Propontidis, quem ſecutæ ſunt ſex onerariæ naues, quinqueremis vna, octo mahonę, quadraginta Hippagogæ, ac totidem caramuſſali, quæ nauigia ſunt minora quidẽ onerarijs, at vectandis oneribus apta, atq; bellicis apparatibus omnia erant onuſta. Præerat his Muſtapha dux ſummus terreſtrium copiarum, ſed tamen Pialis dux ſummus claſſis creatus iam Tenum inſulam in mari Ægæo ſitam hoſtiliter infeſtauerat, atque populari conatus fuerat, non tamen ſine ſuorum iactura, cum Tenij fortiter reſtitiſſent. ea dum vtrinq; parantur ad bellum, moritur Venetijs Petrus Lauredanus princeps vir quidem bonus & innocens, ſed parum fortunatus, cuius principatus incidit in difficillima tempora eius reipub. & magnam annonæ penuriam ob cęli terræq; inclementiam. eius morte vulgus imperitum plurimum lętari, communisque gaudij ſignificationem vbique edere, tanquam ab aliqua communi calamitate, publicoq; incommodo vrbs diu oppreſſa per eius mortem fuiſſet ſubleuata. vbique exaudiebantur cantilenæ in Petrum Lauredanũ, vt qui autor fuiſſet panis miliacei in ea ciuitate, quaſi Venetus princeps poſſet cęli ſiccitati, ſterilitati terræ, & immoderatis cupiditatib. cęterorũ regum pro arbitrio moderari. Nam per inclementiam coeli & eximiam ſiccitatem, vt dictum eſt, ſterilitatemque terræ multorum annorum diuina indignatio obnuntiabatur, at non per Petri Lauredani negligentiam. Huius cadauer propè ſine publica pompa ſepultum fuit in calamitoſis reip. temporibus, maioribus vrgentibus negotijs. Huic ſufficitur Aloyſius Mocenicus cum maxima totius populi lętitia, & applauſu inuſitato, qui ſperabat ſe principem egregiè pauperum ſtudioſum & ſapientem & iuſtum eſſe habiturum, in cuius bonitate ſitum eſſet remedium omnium præteritarum pręſentiumque calamitatum. adiuuit huius principis felicitatem & conceptam iam optimam de illo populorum ſubditorum opinionem, quòd anno iam ad nouam meſſem inclinante, nam ad quintum idus Maij creatus eſt princeps, omnes, qui vęnale frumentum habebant expectantes etiam maiorem caritatem, veriti futuri anni fertilitatem proximam, non ſolum precium neceſſariò ob copiam minuerũt, ſed etiam fecerunt copiam omnibus emere volentibus. Apparuit itaque quaſi Deus aliquis, qui poſt grauiſſimam, moleſtiſſimamque tempeſtatem fortunas ac vitã ciuium in tutiſſimum portum feliciter aſpirans compulerit: aut qui poſt diuturnos grauiſſimosq; labores quaſi ſalutaris ſtella nauigantibus apparuerit. Huic opinioni de futura felicitate ſpem dedit & auxit luculẽta principis ipſius oratio, & doctrina inſignis, cum eſſet egregiè literarum peritus. nã ſtatim atq; principatum inijt, nõ ſolum de more Venetorum principum promiſit ſe iuſtitiam, abundantiam annonæ, & pacem pro virili procuraturum, verumetiam cum magna grauitate orationis adiunxit ſe Deum eius dignitatis, autorem atteſtari quòd eſſet daturus operam vt omnes intelligerent ſe per charitatem patriæ, pietatem Deo, diligentiam viris bonis, benignitatẽ atque humanitatem quibus cũq; poſſet ſatisfacturum, cum his omnibus vir bonus naſcatur. eius vxor cum omnem publicam pompam inanem duxiſſet, vt quæ nihil vel ad corporis vel ad animi felicitatem pertineret, ſtatuit ſibi prioris vitæ rationem omnino eſſe retinendam: quia non minor animi amplitudo & magnificentia eſt in paruifaciendis, quàm in quęrendis honoribus. atque ſanctiorem & ab omni humana ambitione ſeiunctam vitam complectitur. Inſtructum eſt Venetiis remigio vtrinq; nauigium inſignis magnitudinis ad celeritatem, quod fuit à Fauſto quodam mathematico excogitatum ad imitationem antiquorum, inſtar inſignis cuiuſdam propugnaculi ſuper mare nauigantis, in quo trecenta bellica tormenta varii generis ad defenſionem vehebantur. ſunt enim tanto aptiora rebus bellicis quæq; nauigia, quanto ſunt agiliora & velociora. paratę ſunt præterea ſcalæ, ligones, corbes,

Hieronymus Zanius ſummus imperator.

Claſſis Venetæ magnitudo.

Munia Venetorum procerum.

Turcica nauigia ad onera cõuectanda.

Pialis Dux ſummus claſſis creatus Turcicæ.

Petri Lauredani mors.

Aloyſius Mocenicus Dux Venetiarũ.

Alyſij Mocenici oratio.

Nauigiũ Fauſti remigio inſtructum.

corbes,falces meſſoriæ complures,& nauibus impoſitæ.Tanta erat Venetias vndique confluentium militum copia, vt nulla tanta eſſe poſſet claſſis, quæ hos caperet; & iam planè deeſſent nauigia his in Dalmatiam, & in loca opportuna traijciendis . Amuratus, qui cum viginti & quinque roſtratis triremibus initio ferè Aprilis menſis Rhodum properabat ad impediẽda Venetorum auxilia ſiqua in Cyprum conueherentur, auditis Venetorum apparatibus diutius commoratus eſt, donec Pialis iunctis triremibus in Chalcide Euripi,claſſeque commeatu inſtructa Rhodum inſulam verſus nauigans reliquam partem ſuæ claſſis reperit in itinere, atq; ita coniunctis viribus Rhodum adnauigarint.

*Zanius iaderam accedit.*

Per id tempus Zanius ſummus Venetæ claſſis imperator cum ſuis lectiſſimis triremibus Iaderam iam peruenerat, vbi aliquot dies moratur.acceſſerant enim iam valdę ita Venetorum vires,vt circiter quatuordecim millia armatorum cum Pallauicino poſſent exponi,præter pręſidia claſſis ordinaria.inſignes duces cum claſſe nauigarunt Paulus Vrſinus,Paulus Zambeccarus,Hercules Bentiuolius,alijq; complures & proceres & tribuni,tanquam ad commune incendium reſtinguendum. quippe cum alij ſpe gloriæ proprijs ſumptibus militarent,& ſecum nõ pauciores mille & quingentis adduxiſſent,alij conueniſſent ad ſpem prædæ.Dum Zanius Iaderæ commoratur profectionis mãdatũ expectãs,ſæpius certatũ eſt minutis prælijs aduerſus Turcas,agrũ Iaderenſem inuadẽtes hoſtiliter,in quibus Antonij Canalis præcipuè egregia virtus enituit. Sed quoniam commeatus inopia,& difficultas rei frumentariæ,& multi morbi ſolent eſſe comites magnarum copiarũ in vno loco diutius cõmorãtium;& febres peſtiferæ, & lætales morbi primum nauticam turbam ac remiges ibi inuadunt,ita vt alij morerentur miſerrimè,alij tanquam inutiles facti rebus bellicis & remigio neceſſario dimitterentur.

*Morbus claſſem inuadit.*

Pialis vbi Rodum rebus opportunè muniuiſſet,cum vniuerſa claſſe in Aſiã minorem proficiſcitur,vt omnem peditatum imperatum atque equitatum eo conuenire ad inſulę expugnationem, traijceret in Cyprum inſulam.

*Sebaſtiani Venerij virtus.*

At Sebaſtianus Venerius vir quidem præclarus & ingenio præſtans, ſed in forenſibus potius,quàm bellicis controuerſijs exercitatus præter ætatis cõditionem ſtrenuus, cum ageret annum ſeptuageſimum, ratus nihil tam turpe eſſe, tamque calamitoſum rebus bellicis, quàm nihil audere,præfectus Corcyræ inſulæ cum ſummo imperio,Ceſtriam ſiue Soppotoum oppidum Albaniæ in prærupto colle ſitum mœnibus & propugnaculis ſcitè munitum eductis copijs fortiter inuadit. nam primum iubet explorari ad verberationem. diriguntur tormenta in opportuna loca corbibus munita.acriter concutitur.pręſidia vbi per triduum præualidam ſuſtinuiſſent verberationem verita ſe non poſſe conatus etiam ſuſtinere, clam effugientia oppidũ arbitrio Venerij relinquũt.

*Ceſtria capta.*

Venerius relictis ibi firmis præſidijs, oppidoq; rebus omnibus ad defenſionem neceſſarijs munito cum decem roſtratis triremibus ad inſulam Corcyram redit. Hæc Venerij victoria cum præter hominis exercitationem, ætatem, copias tam feliciter eueniſſet, cępit animos Venetorũ ad ſpem inſignis alicuius victoriæ erigere,cũ multa millia armatorũ egregiè pugnandi cupidorum cum Zanio nauigaſſent; ad cuius imperium ac nutum iam inſtructus erat ſatis magnus numerus triremium Cretenſium.Putabant fore periti rerum bellicarum vt Rhodum primùm claſſis inuaderet,vniuerſis copijs claſſi non neceſſarijs in inſulam expoſitis, cum magna ineſſet multitudo,eaq; vniuerſa propè militia mercenariorum,qui ſi perijſſent,nihil tamen claſſis aut vires Venetæ debilitabantur.nam poterant exponi ferè ſexdecim millia lectiſſimorum militum.

*Rhodi expugnatio, quæ vtilis erat futura.*

At ſi copiæ Rhodo inſula fuiſset potitæ,præterquam quòd magnopere vires hoſtium primum fuiſſent retuſæ.Venetum nomen plurimum illuſtratum,Creta & Corcyra multo tutiores reddebantur,faciliſq; traiectus dabatur ad infeſtandos fines Peloponneſi,& in Cyprũ non valde difficilis ad exponenda ſubſidia.pręſertim cum vis omnis propè formidabilis Venetorum in virtute, peri tia, apparatibus maritimis conſiſtat.cum ita ſegniter modo Iad eræ, modo Corcyrę,modo in Creta Zanius moratur vel mandata vel nouos apparatus, vel externas vires expectans,nõ modo inutiliter tempus abſumit, ſed et iam hoſti quandã licentiã aut certè opportunitatẽ concedit quantũ liberet viriũ colligẽdi,diſperſas claſſis partes in vnum cogendi,& vbicunq; vellet exponendi,cum ſuus ſit cuiq; metus, qui hoſtem habeat ſtrenuum & ſagacem.nam vt inutiliter frigidi & imperiti imperatores rebus bellicis præficiuntur, cum exiſtimatio & vrbes fortunę arbitrio potius committantur, quam talibus imperatoribus,ita perito prudentique imperatori omnia vtiliter committuntur:ne dum conſultatur prę terfluat opportunitas rei præclarè gerendæ,quæ multos annos fruſtra fortaſſe poſt modo deſiderabitur.Zanius quoniam annonę penuria Iaderę laboraretur,cum ager Iaderenſis frequentibus populationibus vexatus deuaſtatuſque eſſet motis caſtris ad Pharon inſulam,inde Aſcriuium claſſe appellit.nulla memorabili re ibi tentata conſedit,quia ſenatuſconſulto ſibi imperatũ eſſe diceret ne quid inconſultis patribus intra ſinum Adriaticum aggrederetur.apparebat res hinc inde diligentius quibuſdam agenda.

*Error vtrorũque.*

Cum Veneta claſſis nihil moliretur, & Turcę poſſent per ſummam celeritatem diſperſas claſſis partes opprimere, & res Italas plurimum vexare. Neque enim poſtulat militaris ratio vt minis potius, quam armis cum hoſte decernatur, cum multa fiant repente commodè, quòd poſt minas hoſtis fiat cautior & paratior. Zanius inde diſcedens Aſcriuio paucis poſt diebus Corcyram applicuit cum ſeptuaginta triremibus multis militibus è contractis Iaderæ morbis amiſſis.Per illud tempus Marcus Quirinus, vbi claſſem hoſtilem nauigare in Ægęo mari intelligeret, è Cydonia fruſtra tentata nauigatione repugnantibus ventis cum viginti & vna triremi Cretenſibus tandem nactus facultatem itineris ne vacuis manibus accedere ad reliquam claſſem videretur Tenarũ oppidum ex itinere inuadit, quod eſt Peloponneſi in colle quodam ſitum, portumque habet accipiendis nauigiis peracommodatum. vbi per noctem illuc acceſſiſset, triremes occultat ad quendam ſinum in mare protenſum.ſub auroram exploratum mittit ad expugnationem; ita poſcente bellica ratione ſclopettarios ſuper quodam colle finitimo locat, iubet in defenſores ſclo-

pettos

pettos diſplodere vbi primùm triremes ad fauces portus apparuiſſent. accedentibus triremibus Turcæ multa tormenta in eas diſplodunt.at repente in illos tanta tempeſtas,tantaq; procella plumbearum glandium effunditur nihil tale opinantes, vt multi proſtrati ſint, reliqui coacti in turrim ſe recipere deſertis defenſionibus.ſcalæ mænibus adhæſerunt cognita ſolitudine.Turris conuerſis in illam tormentis per deditionem capta eſt ſeruata vita captiuorum. Sic oppidum virtute Marci Quirini captū & ad ſecuritatē prætemauigātiū nauigiorū deſtructū euerſumque fuit.Pialis non nullos dies in Cilicia moratus cum centum & ſexaginta triremibus, biremibus, hippagogis, prædatorijs, varijs alijs nauigijs,quæ accedebant ad trecenta & quinquaginta nauigat in Cyprum, atq; calendis Quintilis illuc appellit. Venetijs per iſtud tempus inſtructæ ſunt & aliæ roſtratæ naues ornatiſſimę, ita vt numerus omnium triremium ad centum & quinquaginta & octo accederet,& vndecim quinqueremes,vt diximus,ac varij generis alia nauigia erant circiter octoginta.Iam tanta expectatio nata erat in animis omnium populorum & gentium ex his tantis vtrinque,tamq; formidabilibus apparatibus,vt non modo de Cypri,ſed de omnium inſularum ac fere orbis Imperio pugnatum iri videretur,quod penes illum eſſet futurum, cui fortuna belli placidius arriſiſſet. At qui dum tanta erat omnium mortalium expectatio, quò tanti belli maritimi moles incumberet, neque interim omnes Chriſtianorum prouinciæ ob diſſenſiones de religione ſatis erant quietæ.Italia tamen pace fruebatur, cui aliquid perturbationis attulit, & plus fortaſſe quàm res poſtulabat, quòd Coſmus Medices Florentiæ & Senarum Dux, qui non multo ante Senenſium ditionem à Philippo Hiſpaniarū Rege acceperat, eaque de cauſa dignitate auctus videbatur à Pio Quinto Pont. Max. ad ampliorem honoris gradum inuitabatur.Hūc tamen & Paulus Quartus cum ſe, ſtatumque Chriſtianæ reipub. à maximo periculo illius conſilio atq; autoritate liberatum ſenſiſſet, ſponte multo antea illi obtulerat:& Pius Quartus deinde cum omnia illi deberet,pollicitus fuerat,quod tamen veritus quorundam principum offenſionem præſtare noluit. Pius igitur Quintus,qui iam diu illius prudentiam in adminiſtrando imperio,populiſq; regendis per ęquitatem optimè perſpexiſſet,& pietatem in rempub. Chriſtianā expertus fuiſſet, complexus eſt,quod ſecū etiam opes atque arma cōtra hæreticos, qui Galliæ regnum vexabant,contulerat,illudq; regnum quod paulo ante ſibi infenſiſſimum ſenſerat, multo auri pondere etiam ſubleuarat, cum de repub. Chriſtiana & conſilio nunquam optimè mereri intermitteret, ſedemque apoſtolicam & ipſos Pontifices præcipuè coleret ac tutaretur. grati igitur, maximiq, principis Chriſtianorum officium eſſe ratus eſt egregio aliquo munere, quod ad dignitatem & decus pertineret, illum principem honeſtare,cui multo maxima pars Hetruriæ pareret,plurimiſq; nobilib. atq; antiquiſſimis vrbibus optimo iure imperaret,atq; vnus præ cęteris Chriſtianā pietatē ornaret.Dignū igitur cēſuit pro nobilitate Florētinæ reipublicæ,cui præerat,& latè patenti imperio, vt regali corona donaretur,regiamque poteſtatem haberet; ob quam cauſam Romā ad ſe vocauit, eumque quàm honorificentiſſimè exceptum Pontificijs in ædibus cum ampliſſimo apparatu ſecum habuit,& de conſenſu purpuratorum patrum in frequenti ſolennique illorum cōſeſſu magna cum mortalium celebritate aurea regaliq; corona inſigniuit, Magnumque Hetruriæ Ducem deinde appellari voluit:quod Pontificio ſolennique decreto ſanxit cauſa addita, quòd ſemper optimo ſtudio in rempub. Chriſtianam fuiſſet,& ampliſſimæ liberæque reipub præeſſet. Hoc factū plurimi principes iniquo animo pertulerunt,& præcipuè qui de dignitate cōtendebant, quia ſic ſe longo interuallo relinqui videbant, de qua ſummis opibus, omnique conatu multos annos diſceptatum fuerat,cum tamen Florentinæ reipub. atque illius principibus omnes finitimi duces antea ceſſiſſent, deque hac Pontificis iniuria cum Maximiliano Cæſare, qui iudex illorum controuerſiæ vtrinque electus fuerat,vehementer queſti ſunt. Graue autem hoc maximo illi principi videbatur,non tantum ſic inferiorum Ducum cauſa, quantum quòd indignabatur dandarum, auferendarumque dignitatum ac titulorum ſibi pręreptam eſſe à Pontifice autoritatem,conabaturq; perſuadere pontifici,atque illum liberius monebat,vt decretum illud reuocaret,irritumque faceret. Illud Pontifex ſe facturum negabat, atque ad ſe,ſummoſque pontifices illud munus primùm pertinere optimis rationibus aſſerebat. Minabantur finitimi Duces ſe ſuam dignitatem armis vendicaturos,quādo alio modo nō poſſent,quos apparebant grauiter illud factum ferentes incitanteſq; maledictis principes ſecuturi;& præcipuè Germani principes,qui erant etiam infenſi Romano pontifici ob religionem, & Magno Hetruriæ Duci, quia ita appellari iam cęptus erat. ſed tamen has contentiones vt leuiores,curæ grauiores obſcurarunt. Turcæ interea,qui varijs incurſionibus agrum Venetæ ditionis hoſtiliter vbique infeſtabant,cum tria peditum millia in vnum conueniſſent,duo bellica tormenta trahunt ad Sicum expugnandum, quod eſt oppidum Dalmatię diſtans ab Iadera vrbe circiter duodecim millia paſſuum.cum propter paucitatem prēſidiorum Iadérenſium maturè ſuppetiæ ferri non poſſent, cùm oppidum citiſſimo auxilio indigeret ob debilitatem, circiter centum & quinquaginta equites collecti ſunt, & quidam ferraroli à Guido Vallis Marinę ad illud protegendum. At Magnus Dux Hetrurię,princeps inſigni animi nobilitate ac magnitudine, vt qui facile obliuiſceretur iniuriarum, vbi publica vtilitas ita poſtularet, quia videbatagi vno tempore de omniū Chriſtianorum & Italorum in primis ſalute,neque ad animum Cęſaris indignatum,neque ad cęterorum principum inuidiam oculos retorſit, ſed pro verè regia animi fortitudine atque ſublimitate conſilium cępit pietatis & prudentię plenum. Nam cum videret Venetorum vires imbecillas fore ad diuturnitatem tantamque molem bellorum ſuſtentandam, ſi ſoli illud bellum ſuſtinerent,quia breui defatigantur, reſidentque priuatorum auxilia,quamuis magna alacritate initio bellorum ſuppeditantur, conſtituit & ſua quanta poſſet auxilia maritima cum cæteris principibus conferre, & ad totius Italiæ defenſionem atque conſeruationem Chriſtiani nominis exterorum regum auxilia inuitari

uitari

Tænariū promont. à M. Quirino captum.

Claſsis Venetæ numerus.

Coſmus Magn⁹ Dux Hetrurię appellatus, & regia corona inſignitus.

Magni Ducis auxilia Venetus data, & adhortatio ad fęderationem.

uitari oportere. Victis enim & ſubiugatis vrbibus Venetæ ditionis, Corcyraque & Creta certiſſimis
propugnaculis ſinus Adriatici in poteſtatem Turcarũ redactis, vniuerſus ſinus apparebat perpetuis
incurſionibus, piraticisque moleſtijs infeſtatum iri nemine iam repugnante, atque vniuerſam Ita-
liam paulatim exinanitum. cum igitur videret Magnus Dux ad arma Chriſtianorum in vnum cogẽ-
da & retinenda, coniungendãq; belli ſocietatẽ opus eſſe aliquo principe inſignis autoritatis, primus
omnium cępit non per literas tantum, ſed etiam præſens multis ex intimis penetralibus militaris di-
ſciplinæ depromptis rationibus pontificem ipſum Piũ Quintũ ad hoc tã piũ tã ſalubre, tam neceſſa-
rium opus ſollicitare, quoniam ille pontifex non ſolum dignitate, ſed etiam probitate, ſanctitate,
prudentia inter Chriſtianos principes primum locum tenere putaretur. at Pontifex certè & ipſe ſua
ſponte ab illis leuioribus curis audito tam formidabili Turcarum apparatu & literis ac perſuaſioni-
bus Magni ducis impulſus putauit non deſerendos eſſe Venetos in tanta rerum perturbatione. Vt
eos autem iuuaret pecunia, ſacras decumas exigere permittit, præter ſumptus exhibitos, & commea-
tum & milites in duodecim ſuas triremes mutuò à Venetis acceptas. Legationes mittit in Hiſpaniã
& Luſitaniam, quibus eos Reges hortaretur ad vires ſuas cum Venetis viribus coniungendas aduer-
**M. Anto. columna pontificijs triremibus pfectus.** ſus hoſtẽ cõmunẽ. Marcum Antoniũ Columnam ſuis duodecim cum ſummo imperio præfecit, qui
Venetias ad eas educendas conuolat. Et quoniam exhauſtum erat ęrarium pontificium propter
auxilia, quę ſæpe miſerat Regi Gallorum aduerſus Vgonottos in Galliam, multos magiſtratus ven-
dere propè neceſſe fuit ad belli ſubſidia. clericorum Cameræ vocatorum numerum auxit ad duode-
narium, cum prius eſſent ſeptem, è quibus collegit centum & viginti quinque millia nummum, cũ
**Pontifex vt pecuniam ad bellum colligit.** ſinguli viginti & quinque millia dediſſent. Tributa cænobiis ſuæ ditionis impoſuit. auxit nume-
rum protonotariorum. Quęſturam ſiue Camerlengatum, vt vocant, ademit nepoti, pro qua ſeptua-
ginta nummum millia à purpurato Cornario Veneto dinumerata ſunt. Quidam propoſuerunt in-
numerabilem propè pecuniam colligi poſſe ſi concederentur etiam regreſſus, quòd Pontifex om-
**Regreſſus tẽtati.** nino renuendum duxit, quòd vna hęc res viam patefaceret ad multa indecora, quippe quòd ſic
bona eccleſiaſtica, quę viris bonis & ſapientibus arbitrio pontificum diſpenſanda ſunt, pau-
latim quaſi patrimonium fierent, deberenturq; deſidioſis, libidinoſis helluonibus, & impuris qui-
buſque hominibus. Iſtud ne fieret etiam in ſacra Tridentina ſynodo reclamatũ, decretumq; eſt. Nul-
la enim tanta eſſe poteſt neceſſitas, quæ principem virum bonum & ſapientem debeat impellere ad
**Zanius Corcyram adit.** turpia & inhoneſta publicè concedenda. Zanius vbi ad Corcyram inſulam cum claſſe applicuiſ-
ſet, cui pręerat Sebaſtianus Venerius, expectans reliquam partem claſſis, ac multi pręſentes adhuc
vel laborarent contractis vel conceptis morbis, conuocat ad concilium ſuos primates. conueniunt
Venerius & Natalis Donatus, & alij quidam proceres Veneti cum ducibus externis, penes quos Ve-
netos erat partium claſſis imperium, in quibus comitijs diſquiritur quo pacto poſſit hoſtis tutò in-
feſtari. Cõmunis fuit omniũ ſentẽtia, nihil videri cõmodius fieri poſſe in pręſenti, quam ſi Cimme-
riorum animi per Manolim hominem quendam gnarum illorum locorum, & callidum ſollicita-
rentur ad defectionem. contracta igitur amicitia cum quibuſdam, illis proponere iuſſus eſt Manolis
fortunam ſuæ ipſorum pręſentis conditionis. quòd non modo religio Chriſtiana captiua ſub ea ty-
rannide teneba tur, ſed etiam corpora & facultates ſingulorum, cum omnes ſerui eſſe ſub Turca
& dicantur & cogantur. Multa millia mortaliũ datis obſidibus confugiunt ad amicitiam fidẽq;
**Cimerij ad Venetos deficiunt.** Venetorum. ſed ne claſſis ocioſa tanta diutius conſiſteret, decernitur præterea vt oppidum Margari-
tinum inuaderetur, tentareturque ad expugnationem. eius expeditionis ſummum imperium da-
tur Pallauicino, qui locus facile poſſe expugnari ab exploratoribus & transfugis nuntiabatur. Pal-
lauicinus quia nuntiis non crediſſet vt parum peritis rei bellicæ, cum ſexaginta roſtratis na-
uibus illuc accedens & ſeptem millibus peditum, mittit exploratum an tormenta quædam ad ver-
berationem extrahi poſſent. miſſum eſt exploratum & oppidum. nuntiatur illa poſſe attrahi, ſed ta-
men facta deſcentione dum copiæ inſtructæ procedũt, cognoſcitur tormenta non poſſe attrahi quà
dixerant exploratum miſſi. Vbi ventum eſt ad ſuburbia, quia neque trahi poſſent, neque ſine his op-
pidum expugnari, præſente etiam Venerio, copijs propter aſperitatem itineris, propter eximium
æſtatis calorem, propter inediam cum diu in acie conſtitiſſent languidis & defeſſis reditur ad naues
nulla re memorabili edita, niſi tantum ſuccenſis ſuburbijs. natum eſt non nihil controuerſiæ inter
Venerium & Pallauicinum de attractione tormentorum, quamobrem contra omnem bellicam ra-
**Margaritini opp. fruſtra tẽtati deſcriptio.** tionem milites per noctem nullo ordine militari cum maximo periculo redeunt ad triremes. Eſt
autem Margaritinum oppidum ſuper monte ſitum intra continentem circiter quinque millia paſ-
ſuum, diſtans à portu Sancti Nicolai ad ſeptem milliaria, quod tamen priuatę domus potius, quàm
oppidi habet formam. ſed huius ſaluti conſuluit fortuna per diſſidium duorum ducum, cũ plerũq;
pernitioſum ſit multos paris autoritatis, aut propinquæ eſſe, in caſtris; cum non ſemper priuata vti-
litas publicę cedat, vt oportebat, ſed aliquando priuata pertinacia vel ambitio omnem publicam vti-
litatem faciat parui. atqui Dum Veneti proceres partim conſultationibus, partim in mutuis diſce-
ptationibus occupantur, Pialis cũ claſſe ad vrbem Curium ſiue Amathunta in Cyprum repente
applicuit, copijsq; in inſulam expoſitis multi Cyprij ſunt in miſerrimam ſeruitutem capti. Poſtri-
die eius diei pauci equites & pedites miſſi ſunt, qui inito leui prælio multos Turcas trucidant, ſed
metu maioris periculi in aliam partem inſulæ reuocatj ſunt. reliquæ copię omnes ad Salinas expoſi-
**Copiæ Turcarum in Cyprum expoſitæ.** tę ſunt, & omnis equitatus ac peditatus deſcenſionem fecit. expoſita ſunt tormenta, impedimenta,
& omnis militaris ſupellex. Fuit Aſtoris Baleoni conſilium viri in omni militari gloria clari, ne
concederetur omnino & deſcenſus & ager liber pro arbitrio illis copijs, ſed quam primum obuiam
iretur, atque ſcloprettarijs & equitatu ac peditatu eductis omni bellica ratione ab occupanda inſula

impedi-

impedirentur. At Nicolaus Dandulus præſes,& Horocenſis comes collateralis Baleoni ſententiam minime complectebantur,cum dicerent ſalutem eius inſulæ in manifeſto periculo fore poſitam, ſi parua præſidia,quæ forent eius regni,etiam minuerentur ſiquid aduerſi accidiſſet,cum vrbs diſtaret præſertim à mari triginta millia paſſuum,qui receptus nimis eſſet longus. Huius autorem aſſerebāt Pallauicinum, quod etiam dixiſſet in ſenatu, cuius autoritas & peritia in rebus bellicis non eſſet mediocris. ſed Leucoſienſes proceres,quia videbant certiſſimum periculum patriæ ſuæ imminere, ſi alii milites prioribus expoſitis acceſſiſſent,auctæque eſſent vires hoſtium,ſatius eſſe ducebāt fortunam belli cum paucis,quàm paulo poſt cum multis experiri: quare ſcriptum longe diuerſum ab ea ſentētia protulerūt,conatiq; ſunt probare longe pſtare cū pſentibus pugnam cōmittere,quod duce Baleono erant facturi.Iſtud cū præſes & Horocenſis nullo pacto fieri paterentur, milites Greci Stratiotæ vocati,qui erant in Salinis,ſeſe in vrbem Leucoſiam recipiunt.Muſtapha potitus agro ſine cōtrouerſia erectis quibuſdam reparationibus ibi moratur cum equitatu.pars copiarum ſine vllo tormentorum præſidio accedit ad muros oppiduli.remiſſus eſt Pialis in ſinum Attalicum ad alias copias & equitatum traijciendum.Interea Vincentius Alexandrius Venetus à ſecretis eius ſenatus, vir ſpectatę virtutis & linguæ Turcicæ peritus per magnum capitis periculum Byzantio clam per noctem perfugit, chiauſum metitus,qui Vlcinium primum, deinde Venetias profectus docet ſenatum quo in ſtatu ſint res Turcicæ,& Byzantini apparatus,cū multa pericula ſuperaſſet. Vbi cognitum eſt per captiuos & tranſfugas Muſtapham ob imbecillitatem non exiturum eſſe è caſtris, niſi auctis viribus aliarum copiarū ac ceſſione Palacius Phanenſis tribunus ſuadebat vt omnis equitum turma,& cohortes mercenariorum ac Cypriorum peditū quàm primùm niterentur fortunam belli experiri, auertere copias hoſtiles à ſuis finibus, ſurgentia belli & adhuc tenella ſemina euellere & conculcare.id facile fieri poſſe videbatur,ſi præſentem partem exercitus repente inuaderent, antequam reliquæ vires peruenirent.ſed hoſtes inter has diſputationes & controuerſias expoſiti ſine vllo impedimento iam proxima quęque incurrentes populantur. Equites præmittunt qui curarent nequid cōmeatus in vrbem Leucoſiam inferretur. Tum ipſi adeuntes tentoria in aperta planitie in montibus Mandianis erigunt.miſſi ſunt etiam quingenti equites Salaminam ad obſidionem.primum omnis opera abſumpta eſt inuenienda aqua potabili, cuius magnam copiam inuenerunt excauatis puteis quibuſdam vt à captiuis fuerunt edocti. ibi magna pars exercitus & equitatus præcipuè caſtrametatur.arcis vndæ vberrimè ſcatentes ſunt repertę vbi Diui Dimitrij locus appellatur, tentoriaq; plurima ſunt erecta vbi caſalia Galanga & Callaſſa ſunt propter fontium commoditatem, quæ diſtant ab vrbe quinto lapide.Turcæ quò ſuſpenſos animos Venetorum tenerent, retardarentque ab apparatibus bellicis faciendis illos fallere multis artibus conabantur. rumores etiam falſos diſſipabant, quaſi præſagi calamitatis futuræ,victam eſſe claſſem Turcarum. Plenam eſſe vrbem Byzantium lacrymis & eulatu.domum Pialis eſſe lugentium & cędem eius querentium repletam.Turcas cum primum in Cyprum egreſſi ſint ſuccenſis cuniculis ſublimes multos fuiſſe latos. hęc omnia tā quam vera & clam ſurrepta afferebantur Venetias ad retardandos & eludendos animos patrum, quibus tamen non prorſus credebatur.Philippus Hiſpaniarum rex quòd intelligeret non minus de imperio Siciliæ & totius Italiæ denique agi, quàm de imperio Venetorum non ſolum cępit legationes pontificis de fęderatione ſocietateque belli placidè audire, verum etiam dum variæ difficultates diſcuterentur, vtrinque ne Turcæ in Venetorum imperium impreſſionem facerent alicubi imperat Ioanni Andreæ Aurię Genuenſi Melphitano principi rerum maritimarum ſummo Imperatori ſuam claſſem promptam habere Meſſanæ,opemq; ferre laborantibus Venetorum rebus vbicunq; poſſet.Iſtud factum fuit prudentia & conſilio Michaelis Soriani equitis Veneti oratoris apud pontificem viri probitate,prudentia,cognitione diſciplinatum clari,qui increbili dexteritate,ſingularique iudicio ita pontificis ingenium ad ſe amandum allexerat,vt per eum Veneti omnia facile obtinerent. Hic docuit pontificem fruſtra ad ſocietatem belli Philippum Regem acciri, vbi oppreſſæ primum fuerint Venetæ vires,quæ & hoſte multò eſſent inferiores, & ita aeris inclementia afflictæ vt remiges & milites iam multi deſiderarentur. futurum vt omnes difficultates de fęderatione componantur per prudentiam ipſius pontificis; ſed non expectandum eſſe ne res nullum accipiat remedium. Succurrendum eſſe commodius rebus integris,quę facilius conſeruantur. Auria inſtructis continuo triginta ornatiſſimis roſtratis nauibus quòd audiret Luzalim purpuratum Turcarum ducem creatum Regem Iulię Cæſareę cum viginti & duabus triremibus ad claſſem accedere Panormo Vticam verſus nauigat, ſed vanus fuit conatus nemine inuento. Veneta claſſis dum ſtationem habet in Creta, iubetur Marcus Quirinus cum expedita ala triremium inſulas quaſque hoſtiū proximas inuadere,atque capere homines ad tranſtra in locum demortuorum,quibus multis ad claſſem conuectis cognita Turcarum deſcenſione in Cyprum.ad claſſem redit in Cretam.multi mortales capti ſunt è Sporadibus & Echidnadibus inſulis ad vſum remigij. ſed quoniam Veneti formidabilem claſſem inſtruxerat, quamuis ea fuerat per morbos aliquo pacto debilitata, tamen vbi ſignificatum fuit Philippi Regis iuſſu Io. Auriam cum quinquaginta triremibus ſubſidio Venetis accedere, mirificè elati ſunt quaſi iacentes omnium gentium animi ad magnarum rerum expectationem. Extollebant maximè omnium lætitiam cataſcopia Hidrunte profecta, quæ de omnibus certiora facta ſuc ceſſibus ſtatim abſcedunt. nam Zanius per captiuos & exploratores ſæpe cognoſcebat quo in ſtatu eſſent res Cypriæ. Pallauicinus interea & Iacobus Celſius cum quibuſdam triremibus Leucadem & oppidum Sanctam Mauram explorant ad expugnationem, quæ cum non valde difficilia captu viſa eſſent, Celſius iubetur accedere cum triremibus lignatum ad orbes conficiendos, ſed reuocatur ex itinere, quia Veneta claſſis dicebatur in Cyprum eſſe nauigatura, opemq; latura laborantibus rebus

Nicolai Danduli & Horocenſis conſilium.

Palacij Fanēſis conſilium ſalubre.

Leucoſia obſeſſa.

Stratagema.

Io. Andreas Auria ſummus claſſis Hiſpanæ imperator.

Michaelis Soriani ingeniū pręclarū oratio.

Io. Andreas Auria claſſis Hiſpanæ præfectus.

bus Cyprijs.dicebantur enim in Turcicis caſtris eſſe quatuor millia equitũ, ſex Ianizzerorum,circiter nonaginta peditum,inter quos erant ad quadraginta millia operarum, qui pluribus traiectibus aducti fuerant. erant in inſula defenſores proceres ac precipuæ autoritatis Nicolaus Dandulus cũ poteſtate protegia. Aſtor Baleonus ſummus guberna‑or. Comes Horocẽſis collateralis. Rondachius dux ſummus velitum,& Aloyſius Neſtor,Hercules Martinengi, Federicus Baleonus,Hercules Malateſta. Dauid Nocius caſtrorum magiſter, Mignanus Peruſinus magiſter inſtruendarum acierum, præter alios multos. erant omnino in inſula equites quingenti nobiliores. velites mille, duo millia & quingenti pedites Itali. Delectorum agreſtium ac cæterorum ordinariorũ circiter quinq; millia,quod genus hominum tamen eſt ineptum rebus bellicis & inerme propè.bellica tormẽta varij generis.atque vt paucis abſoluam,erant inſulæ præſidia ſtratiotæ equites velites octingenti & triginta ſub duobus de viginti ducibus. ſclopettarij equites Cyprij tot vt omnes equites ad duo millia accederent. Habuit vrbs Leucoſia vndecim propugnacula, quorum quatuor tantum muris veſtiebantur,reliqua erant adhuc nuda. enimuero cum credidiſſent inſulani fore vt Salamina prius inuaderetur ob portus commoditatem, quàm obſideretur Leucoſia, Aſtor ad Salaminæ defenſionem conuolauit, quare Dandulus & Horocenſis Leucoſiam defendendam acceperunt. Erant Leucoſiæ mille & trecenti Itali.equites nobiles quingneti, ſtratiotæ quingenti, multus delectus inſulę. Magna Turcarum manus nullo ſeruato ordine militari,vbi primum deſignauiſſent caſtra,ad mœnia vſque procurrunt cum magna vociferatione,ſeque intrepidi ſine equitatu vel tormentis Leucoſienſibus oſtentant, irridentes incluſos intra mœnia tanquam pullos in viuarijs, cum nemo exijſſet ad prælium. Viſa eſt illa non aſpernanda occaſio profligandi hoſtis quibuſdam tribunis,quia ſi exijſſet equitatus,facile erat palantes & diſſipatos proſternere, ac trucidare, at imperitia ducum & inſcitia rei bellicæ fecit,& autoritas Horocenſis præſertim ob eximiam opulentiam collecta,vt illa quoque tam inutiliter tranſmitteretur,cum poſſet vno certamine maior pars belli feliciter ab inſulanis diffiniri. nam niſi res è ſententia ſuccederet, poterant ciues ſe facile recipere intra munitiones. Turcæ poſtea cum ad vrbem cum equitatu & tormẽtis conueniſſent, cęperunt pręmiſſo equitatu obſeſſos ad leuia certamina prouocare,vt eorum virtutis & fortitudinis periculum facerent.ſed non patiuntur præfecti quenquam exire,quamuis omnes milites poſcerẽt ſibi fieri pugnæ facultatem;quia certiſſima iactura & diminutio copiarum proponebatur,& maximè dubia ſpes ſubſidiorum. Vt tamen aliquo pacto tanto pugnandi deſiderio incluſorum fieret ſatis;data eſt inuadendi repente hoſtis poteſtas, in qua tantus ardor ciuium enituit, tantumq; ſtudium oſtentandæ virtutis vt per frequentes Turcarum cædes progreſſi circumuenti propè ſint. Corteſius centurio vir Macedo,quia intra nimis frequentes hoſtes glorię ſtimulo impulſus fuit,cecidit pugnans cũ alijs quibuſdam. Turcæ quia cognoſcerent è captiuis vrbana præſidia non eſſe exitura ad leuia certamina, vniuerſum ſtudiũ conuertũt ad faciẽdas reparationes aduerſus tormenta, & ad excitandas munitiones contra vrbis propugnacula. ſingulari itaq; ſtudio ac diligentia nunquam intermiſſis operis neq; noctu, neq; interdiu quatuor munitiones ſtruunt. vnam in montibus Diuæ Marinę è regione propugnaculi Podocattari, ducentis & ſexaginta paſſibus diſtantem, quod fit incredibili celeritate nullo illato impedimento, quamuis intra mœnia conſultatum ſit de impediendo hoſte, multaque tormenta in operas e propugnaculis Podocattaro & Caraffa diſploſa ſint non ſine ſtrage Turcarum. Quod fieri non poterat per diem propter moleſtos ictus tormentorum,illud fiebat per obſcuritatem noctis. ex illa munitione abſoluta cęptum eſt concutere quędam ædificia priuata eminentiora, & plateas laterũ, ſed paruo tamen cum detrimento. Alia munitio excitata eſt ad Diuum Georgium Monganæ,vnde tecta item ędificiorum globis tormentorum impetebantur,atque Turcæ conati ſunt pro viribus defenſiones a dimere;ſed tamen & hic labor fuit irritus. Tertia conſtructa eſt in colle Margarito,qui medius erat inter Podocattarũ & Conſtantiũ propugnacula,quæ ita nominata ſunt de nomine illorum procerum Cypriornm, qui ambitioſè ijs faciendis præfuerunt. & nomina atque inſignia ſuarum familiarũ in marmore incidenda curarunt,cũ ſibi quiſq; partes extruendas recepiſſent. Poſtrema in medio colle montis Mandiæ erigitur, è quibus cum nihil aliud fieret præter ruinas paucarum priuatarum domorum, ad vallos & foſſam & ripas veteris vrbis ventum eſt, indequeper tortuoſas foſſas,agg eres ac propè cuniculos propinquant Podocattaro, Conſtantio, Dauilæ ac Tripoli propugnaculis, è quorum regione rurſus quatuor validiſſimæ munitiones eriguntur,quæ diſtabant ab vrbana foſſa circiter per octoginta paſſus. ſperabant inde ſe poſſe magna vi concutere propugnacula,arceſque ipſas per quatriduum multis muralibus tormentis concutiunt ab aurora ad meridiẽ, ferè.deinde ab hora ferme decima nona ad crepuſculum.tantum enim quietis per ſummum ęſtum tormentis concedebatur,ne ignis interius, exterius ingenti calore ſolis exſcandeſcẽtia concreperent defatigata. nam neque aceti neque ſalnitri aquæ remedium ſufficere valebat aduerſus tantos calores inſulæ præſertim. at contra ciuilibus globis tormentorum. rotę diſruptę ſunt, & tormenta quædã inutilia facta ob acceptas plagas. Turcę cũ viderent ſuos globos ferreos in terrè inutiliter incidere,nullaſq; fieri ruinas,ſtatuunt vniuerſam induſtriam ad ſarculorum & batillorũ operam vertere, quare foſſas profundas excauantes præaltiſq; aggeribus ſe aduerſus tormenta munientes ad exteriores coronas ac propè ad foſſas murorum penetrant. Ibi latam & profundam foſſam excauantes,terramq; vrbem verſus iacientes & aduoluentes magnam ſclopettariorum manum à tergo collocant,quicrebris glandium procellis defenſores infeſtarẽt, ſi qui appar uiſſent. Iſtud autem percommodè fiebat cum ſclopettarij viciſſim ſibi ſuccederent ad labores ſuſtinendos. ſic per alias profundas foſſas ductas deuentum eſt ad foſſas vrbis, vbi tranſuerſos aggeres è terra & faſciculis lignorum conſtruebant,qui ab equitatu vel è longinquis locis afferebatur. ita fiebat vt ipſi terræ & aggerum beneficio

*Copiæ turcicę expoſitę i Cyprum.*

*Copiæ Venetorum in inſula.*

*Leucoſię ꝓpugnacul as.*

*Error Cypriorũ ducũ*

*Munitiones à Turcis excitatæ.*

*Propugnacula Leucoſię.*

*Remedia tormẽtorum ꝓ calorem.*

neficio miro artificio extructorum vndequaq; à bellicis machinis vrbanis protegerentur, poſſentq;
tutiſſimè intra illas reparationes verſari, cum valida præſidia ibi collocaſſent, & vrbanis propugna-
cula fierent inutilia contra illos, quibus aliquid inde metuẽdum eſſet. neq; lædi poterant rurſus ab
equitatu, cũ plateæ inferiores ob foſſarum altitudinem inhabiles eſſent equis ad inuadendũ. ſic itum
eſt ad acumina fronteſq; propugnaculorum demoliendas & diruendas, quibus euerſis facilis acceſ-
ſus per ruinas fore videbatur. Iſtud vbi primùm conſpicati ſunt Leucoſienſes multo his grauiora ve
riti poſtulant ſibi fieri poteſtatẽ ad opera hoſtiũ deuaſtanda. oſtendunt in magno periculo ſalutem
ciuitatis eſſe poſitam, niſi maturè virtute occurratur. non poſſe rem diu differri. futurum enim bre-
ui vt pauci cũ multis tanquam in aperta planitie pugnare cogantur, niſi murorũ & propugnaculo-
rum deuaſtationem opportunè impediant. illud quamuis præfecti rebus militaribus ita eſſe re ipſa
intelligebant, quòd non peritia, ſed neceſſitas & difficultas rerum omnium magiſtra doce-
bat, ( nihil enim magis docet homines quàm difficultates, quippe quòd vſus etiam paulatim
res bellicas doceret, ) tamen ægrè ferunt quenquam exire, cum pauci eſſent iam ſuperſtites Itali
ac indigenę milites, quoniam illa ęſtas pręter ſolitum multis in locis inſalubris fuit, multique mor-
tales vbique lue quadam aeris promiſcuè perierunt, quod etiam acciderat in claſſe Veneta, & in ca-
ſtris & in claſſe Turcarũ, quæ ſtationem habebat in inſula. Perierãt etiam quidam in defenſione mę-
niorũ, quare iam exitus nõ poterat laudabiliter concedi. cũ tamen neceſſitas ita vrgere videretur, de
cernitur fortunã belli aliqua ex parte eſſe tentandam, quod fieret per meridiem, quo tempore Tur-
cę quieſcerent, cũ reliquum tempus armati eſſent in operibus. ſtatutum eſt vt ex omni militũ nume
ro mille deligerẽtur, atq; cũ vniuerſo leui equitatu hoſtẽ inuaderent duce Pioueno Vincentino qui
primum dignitatis locũ obtinebat in re bellica poſt Horocenſem at nobiliores qui relicti ſunt in vr-
be conquerebantur ſe eius fortunæ & gloriæ non fieri participes, quaſi ad ignominiam timoris ſibi
honorem illum, & facultatem rei præclarè gerendæ inuideri. nam cum neq; preces, neq; lamenta-
tiones qdã proficerent, erant omnino exituri vnà, niſi metu grauiſſimarũ pęnarũ fuiſſent reuocati.
His enim reſponſum fuerat, reliquam ſpem vniuerſæ defenſionis eſſe in eorũ armis & virtute collo
catã ſiquid aduerſi egreſſis infeliciusùe accidiſſet. quòd ſi & ipſi exirent, actũ eſſe de ſalute ciuitatis.
ſic Alberto Scoto & Proueno acies ductantibus caſtra Turcarum repente inuaduntur. Magna in
eos fit impreſſio. capiuntur duæ munitiones cuſtodibus diffugientibus, ac multis in morem pecu-
dũ vbiq; trucidatis. atqui tantus terror ex hoc conatu tam inexpectato hoſtibus iniectus eſt, vt vbiq;
ad latebras potius quã ad reſiſtendum proſpectaretur, multiq; diffugerint vel ex ipſis tentorijs. nam
ſi exiſſet vniuerſus equitatus, omneſq; vires vrbanę ſecutę eſſent, poterat idem dies tam funeſto, mi
ſerabilique bello finem imponere. ſed quis fortunam ciuitatum ac regnorum ita volente Deo im-
mutauerit? cum enim ob indignationem Danduli exitus equitatui non patuiſset propter importu
ne cupientes exire ad pugnam, maxime memorabilis victoria & Cypro inſulæ ſaluberrima prodita
ſublataque eſt. ſed enim non ſolùm turpe, ſed etiam calamitoſum eſt magiſtratui propter iram re-
cte inſtituta ſubuertere, aut illi concedere imperium & moderationẽ, qui ſibi ipſi moderati neſciat.
ſic effectum eſt vt quibus fortuna belli feliciter primùm aſpirauerat, fruſtra auxilia equitum expe-
ctantibus, breui erepta ſit e manibus certiſſima victoria, & pro illa grauiſſimæ aſperrimæque difficul
tates oblatæ. nam Turcis vrbano equitatu viſo conceſſum eſt tempus inſtruendi ſui equitatus, qui
cum pedites prope circunueniſſent, multos cepit in ſeruitutem, reliqui armis & ſpolijs cęſorum
hoſtium lęti in vrbem ſe recipiunt. ceciderunt in eo prælio Piouenus & Scortus præcipui duces.
capti circiter centum. qui exitus cum tantum iacturæ at tuliſset arbitratus Dandulus & Horocen-
ſis è fortuna belli potius, quàm è ſua inſcitia rerũ bellicarũ illud accidiſse, cum debilis ſit omnino
in planitie peditatus ſine equitatu, nemini exitum amplius concedunt. ſic ita fiebat vt hoſtem ſi-
ne vllo impedimento demoliri ac detrahere propugnacula paterentur, & ſpectarent propugna-
culorum ruinam cum vellent aliquo pacto inſtaurare. factæ ſunt reparationes & receptiones
duorum propugnaculorum Conſtantij & Podocattari per conſilium Palacij Phanenſis tribu-
ni, intra quas fauces eorum ſunt inſulæ, neque ulla platea hoſti relicta, ne vel ſcalæ admo-
uerentur, vel quandam planitei formam haberet ad inuadendum perfacilem. Tantis verò ſtu-
dijs, tantaque induſtria propugnacula mox hoſtes aggreſſi ſunt, vt intra quadraginta & quinq; dies
quindecim acerrimis conatibus modo vnum, modo plura propugnacula inuadentes tentarnt, qui
tamen ſemper ſingulari defenſorum virtute non ſolum reiecti ſunt, ſed etiam multos è ſuis
deſiderarunt. fruſtra enim ſæpius pugnatum eſt pilis, puluere tormentario ſubiecto, & igni-
bus, & omni miſſilium telorum genere. abſumptis prope bellicis apparatibus coacti ſunt
Leucoſienſes per occultiores notas Salaminam ſignificare ſe inopia militum & apparatuum
iam laborare. Illarum literarum nuntius deprehenſus eſt & per Turcas Leucoſienſibus ſigni-
ficatum, qui eos hortabantur ad deditionem, quam iure pro re bellica facere poſſent, quia
iam bellici apparatus defeciſſent, neque vlla ſpes eſſet auxiliorum, aut certe difficillima. Leu-
coſienſes illa ſpe fruſtrati Io. Baptiſtam Columbum virum ſolertem & intrepidum mittunt,
qui expoſitis mandatis redit ſine auxilijs. Zanio in Creta ſtatiua habenti, Chriſtianaque ſub-
ſidia expectanti vt monitus fuerat, iam omnia nauigia Venetijs inſtructa acceſſerant, & M.
Quirinus captis multis inſulanis prædictis erant inſtructus. Auria cum Hiſpana Hidruntem,
Meſſana conceſſerat, vbi ad viginti dies moratur, atque à Zanio afflictis rebus aeris inclemen-
tia expectabatur ad ferendas ſuppetias laborantibus obſeſſorum rebus. quæ certè plurimum erant
afflictæ. Interea literæ pontificiæ affixæ ſunt angulis parietum in Britannia, in quibus contine
batur, quod Pontifex ſententiam aduerſus eam reginam tuliſſet, per quam hæreſeos condemnaſſet,

Difficultas magiſtra rerum omniũ.

Clades Turcarum.

Leucoſiẽſes auxilia à Salamina expetunt.

declaraſſetque ex omni iure regnandi excidiſſe, in qua multa alia ad uerſus illam c ontinebãtur, quę
etiam pontificis iuſſu typis fuerat impreſſa. eam rem viſa eſt regina non placidiſſime tuliſſe. cum nũ
tiũ tãtarũ rerũ crudeliſſime diſcruciari iuſſerit. Muſtapha Cypriæ expeditionis ſummus imperator
dictus, cum paulatim vires deficerẽt ad tantũ negotiũ ſignificat Piali, qui cũ centũ roſtratis nauibus
Rhodũ vſq; percurrerat ad res Chriſtianorũ explorandas, ſe non poſſe ſufficere tantæ rerũ moli, niſi
ſupplemẽta mitterẽtur. Vbi cognouiſſet Pialis Venetã claſsẽ eſſe ĩ Creta pafflictã ob luẽ aeris, expecta
riq; Hiſpanã, ſine qua putabatur nõ abſcedere cũ tñ imperatũ eſſet a ſenatu vt oĩo aduerſus hoſtẽ naui
garet, redit ad Salinas, atq; Alis iuſſus eſt cũ viginti millib. hominũ in inſulã accedere. miſſus eſt Quiri
nus cũ ſex expeditiſſimis triremibus ad claſsẽ Hiſpanã recognoſcẽdã. deinde facta militari ſalutatione
cõiunctæ ſunt claſses; nam Zanius cum ſexaginta triremibus obuiam prodiit in duas alas diuiſis. po-
ſtridie habita ſunt procerũ comitia, & cõſultatũ de præſenti negotio bellico. alijs videbatur neceſſa-
rio eſſe cõfligẽdũ, cũ procraſtinatio & mora omnis eſſet exinanitio Chriſtianarũ viriũ, quæ ſummũ
& certiſſimũ exitiũ rebus nũc refectis afferret. per arma, niſi numẽ aduerſetur, comparari poſſe victo
riã, cũ fortuna belli ſit cõmunis, quã ſi Deus conceſſiſſet, certiſſima liberatio Cypri conſequebatur.
*Conſultatio quid Claſsis eſſet agẽdũ.*
Alijs apparebat difficile & periculoſum res tãtas fortunæ arbitrio vno tẽpore cõmittere. ſed tñ po-
tior ſentẽtia viſa eſt pleriſque, vt claſsis hoſtiũ fortiter inuaderetur, cuius ſentẽtiæ autores fuerãt Ve
neti. illo cõſilio pręfecti claſſiũ exploratũ miſerũt quid agerẽt hoſtes, quod facile ſciri poterat per
captiuos. Muſtapha acceptis recẽtibus auxilijs nulla propè mora interpoſita niſi proxima nocte, vbi
primũ rareſcere nox cępit ſumma vi, magnaq; militũ frequẽtia & alacritate vrbẽ inuadit, qa operæ
viã patefecerãt ad ingreſsũ. Quatuor propugnacula inuadũtur vno tẽpore. Caramanus cũ valida ma
nu Cilicũ Podocattarũ expugnandũ ſibi recipit. Conſtantio expugnãdo præeſt Muſtafer, Alis Aui-
læ, Muſtapha Tripoli cũ recẽtibus copijs. oẽs hi cõiunctis viribus, ſummiſq; conatibus vrbana pro-
pugnacula inuadũt, ferriq; vi ſibi viã in vrbẽ aperire conãtur: ſed eximia defenſorũ virtus multos pci
pites per ruinas depellit, quare nõ parua fit inuadẽtiũ ſtrages. pugnatur hic cominus gladijs & acina
cibus, ibi res agitur vario miſſiliũ telorũ genere. Leucoſiẽſes, qui tribus propugnaculis præerãt, Aui
læ, Cõſtãtio, Tripoli fortiſſimè dimicãtes ſingulari virtute defendũt, cũ inſigni hoſtiũ clade. neq; pro
fuerũt recẽtia auxilia defeſſis ſubmiſſa à Turcis, ſi Podocattari defenſores reſiſtere viribus hoſtiũ po
tuiſſent propter numerũ. nã cũ pauci eſſent interius cogũtur potentioribus viribus cedere. Hoſtis co
gnita imbecillitate viriũ in hac parte ingrediũtur per viã à tormẽtis patefactã, atq; areã occupãt inte
riorẽ. Itali fortiter dimicãtes ac nobiles Cyprij, qui pauci ſuperfuerãt ad vnũ trucidãtur. at delectus tã
*Leucoſia capta.*
quam pecudes in fugam verſi viſo hoſte ex alia parte vrbis ſe demittunt ad fugam. Magnus ſtrepi
tus & clamor excitatur ad Turcarum ingreſſum. quẽ vt fama ad aures Horcẽſis comitis aſportauit,
illico cũ fratribus, & Palacio, & aliis nobilioribus ſubſidio laborãtibus accurrit. ſed omnis opera lu-
debatur, qa maior numerus hoſtiũ erat intra męnia, quã vt poſſet viribus vrbanis ſuſtineri, qui etiã
recẽtioribus intrãtibus ſemper ſuccreſcebant. pugnatur hic acerrime, atq; poſt multã Turcarũ ſtra-
gem omnes qui aderant circumuenti miſerrime trucidantur. reliquorum propugnaculorum defen
ſorũ incredibilis virtus conſtantiaq; fuit hoſtibus præcipitibus deiiciendis, donec ab ingreſſis & ip-
ſi circumuenti per acerrimum prælium trucidati ſunt. pauci tamen in vnum conglobati vi ferri per
medios hoſtes elapſi ad vrbis plateam incolumes ſe ſeruarunt. ciues & milites, qui erant in vrbe cũ
vbiq; ab hoſtilibus armis circumuenirentur nullam iam videbant viam ſalutis, niſi quam arma poſ-
ſent patefacere; quamobrem in omnibus vrbis partibus ac vicatim pugnabatur miſerabili horrendo-
que ſpectaculo. viæ vbique armis & cæſis cadaueribus conſtratæ videbantur. poterat hæc clades deui-
tari ſi delectus ſe potius ſuæ virtuti, quàm fugæ crediſſent, ac non arma conuertiſſent in cohortan
tes reſiſtere. nam & ipſi partim ab ingreſſis Turcis cęſi ſunt, partim abiectis armis humi procidẽtes
in genua ſuppliciter orabant vti ſuis iugulis parceretur. Franciſcus Contarenus epiſcopus Paphi vir
ſummæ integritatis ex Illuſtriſſima familia, cum vellet in prætoriũ palatium ingredi trucidatur mi-
ſerrimè. Sæuitur vbiq; in omnem vel ſexũ vel ętatem, nulliuſque dignitatis habetur ratio. Dandulus
veritus tantum periculum conatur per veſtium magnificentiam dignoſci, vt ſibi parceretur, quare
prætorias induit. ſed cuncta cedunt Martis furori, nullaque eſſe poteſt magiſtratuum reuerentia
inter arma victricia, quæ vix acutiſſimam auaritiæ vociferationem exaudiunt. huic caput obtrun-
catur. Muſtapha vbi poſt horam ſextam ab incępta pugna vrbem ingreſſus eſſet, vidiſſetque om-
nes vias cadaueribus miſerabiliter conſtratas, iubet omnibus parci qui quidem ſe dederent. ſuper-
ſtites Chriſtianos placidè cohortatur vt cederent fortunæ, cum victi ſemper vtilius arma victo-
rum ſequantur, quàm repugnent. ſeruati ſunt ad viginti & quinque è nobilioribus. è popula-
ribus perpauci. cęteros omnes furor belli trucidarat. Cæſa ſunt circiter triginta millia homi-
*Cęſi in captiuitate Lcucoſiæ.*
num præter Italos. Ad viginti millia Cypriorum in ſeruitutem abducta, inter quos multi
proceres equites, qui intra tecta inter fæminas latuerant, qui cum vxoribus & filiis abducti
fuerunt. vbi ceſſauit rabies belli & vis ferri, itum eſt ad diripienda ſpolia cęſorum & viuen-
tium, vbi magna inuenta eſt auri argentique cęlati copia præter cætera; cum mirifice Cyprii
omnes luxui & magnificentiæ eſſent dediti, neque vlla erat domus vel infimorum, quę ſal-
tem proculis argenteis non vteretur. ſic opulentia per pacem centum & amplius annorum
magna diligentia & ambitione collecta intra medium diem raptim diripitur & homines tru-
cidantur omnes, vel viui capiuntur, atque omne miſeriarum genus perſentiunt, pro priſtinis
delitiis. Danduli caput abſciſſum Salaminam muneris loco miſsum eſt ad præfectum. Alis de-
inde copias claſſi imponit. Muſtapha impoſitis nobilioribus captiuis tribus nauigijs grandioribus,
ac precioſioribus ſpolijs, omnia quæ præſtantiora eſſent, decreuerat largiri Selimo imperatori ac

Mahometo purpurato, quo conſilio illa mittebat Byzantium: fortuna illam felicitatem aut lætitiã barbaris inuidens inſigni aliqua clade rependere voluit. nam cum ignis conceptus fuiſſet in naualibus apparatibus, tanta vis flammarum repente exarſit, vt opulentius nauigium ſtatim concrematum ſit. Eadem ruina ſecum attraxit etiam reliqua duo propinqua nauigia. pauci natatu ſibi vitam ſeruarunt, reliqui miſerrimam ſeruitutem cum morte commutarunt. His actis Muſtapha præficit reficiendæ Leucoſiæ vrbi, qua parte mænia fuerant collapſa, ſub cuius imperio reliquit tanquã in æſtiuis quatuor millia peditum & mille equites. die deinde vndecimo ab vrbe capta caſtra mouet Salaminam verſus cum omnibus copijs, quò iam conuenerat Alis cum claſſe. vt autem facilius obſeſſos ad deditionem compelleret, partim illos inuitat liberaliſſimis pollicitationibus, hortaturque ne fortunæ potius arbitrio ſe committant & furoribus bellicis popularibus, quàm inſignium ducũ humanitati & clementiæ, qui eos ampliſſimis inſuper muneribus cohoneſtabunt, ac liberos & incolumes cum omni ſupellectile exponent, quocunque voluerint. Iſtud honorificè fieri poſſe docet, & iure belli, cum ſublata ſit omnis terra marique ſpes ſubſidiorum, cum vniuerſa inſula iam ſit in poteſtate Turcarum præter illud oppidulum. claſſem Venetam, inquit, ita eſſe afflictam vt non de Cypri aut Cretæ ſalute, ſed de propria vrbe Venetiarum Veneti ſolliciti eſſe cogantur, cum nullus iam tantus ſit obex, qui poſſit Turcarum curſus tanquam rapidiſſimi fluminis ſuſtinere. partim minis deterret niſi dicto paruerint. iuſſi ſunt captiui oſtendi, & capita quorundam inſigniorum Leucoſienſiũ lanceis infixa. ſed hæc omnia vana fuerunt, quoniã ijs, qui ſibi mortẽ honeſtã fœdæ ſeruituti præferendam propoſuerunt, nihil poteſt magnopere formidabile contingere. erant enim Salaminæ milites egregiè ad omnem belli fortunam confirmati. Tertio die caſtris ad Podamum poſitis tertio lapide ab vrbe Turcæ ad verberationem ſe accingunt. erant Salaminæ Aſtor Baleonus vir gloria rerum bellicarũ & peritia omnis militaris diſciplinæ clarus, & M. Antonius Bragadenus vir præclaro iudicio & fortitudine, quippe qui facile rationes bellicas & conſilia prudentium ducum animo complecteretur, rectaque à prauis & parum cordatis dignoſceret. horum iuſſu reparationes diligenter pluribus in locis extructæ ſunt, & ſiquid abſoluendo operi deficeret muniendæ vrbis, ſingulari militũ ciuiũq; induſtria conficiebatur. interea Chriſtiana claſſis, quæ cũ tribus ſummis imperatoribus in Cretam appulerat, decreuerat hoſtem communibus armis inuadere, atque ita rebus omnibus & ad victum, & ad pugnam inſtructis cenſis omnibus remigibus & militibus cuiuſque claſſis ſoluit è Creta. iſtud faciebant vel quibuſdam aliter ſentientibus, quia ſenatuſconſultum factum fuerat & à Canale oſtenſum vt ſtatim atque claſſes conueniſſent omnem vim auxilij in celeritate ponerent. cum etiam Auria diceret ſe iuberi ſub finem Septembris ex illo mari excedere. decimo ſexto igitur die Septẽbris vigilia tertia claſſis ſoluit e Heraclea Sẽtia, q̃ Cretæ eſt peninſula orientẽ verſus in extrema parte. ſic vniuerſa claſſis Cyprum verſus nauigat. erant in Venetorum claſſe ad tredecim millia epibatarum, quatuor in Hiſpana, mille & trecenti in pontificia. Præcedebat Quirinus cum duodecim triremibus, Columna cum totidem. Auria cum quadraginta & quinque. Zanum triginta, Pallauicinum viginti & quinque, Celſium viginti, Canalem totidem ſequebantur. Sanctum Tronum condemnatorum præfectum ſexdecim. Franciſcum Duodum vndecim quinqueremes. Petrum Tronum onerariæ quatuordecim. ita verò claſſis vniuerſa in acie militari ordine ſeruato iter faciebat, nam cum quæuis vel potentiſſima claſſis fiat debilis, quæ diſſipata confuſaq; procedat, tunc primum inſtitutus eſt ordo procedendi & inſtruendi ad pugnam. vbi ita inſtructa claſſis parum diſtaret à Carpathio, Aloyſius Bembus fit obuius, qui ſe Leucoſiæ captiuitatem per captiuos cognouiſſe nuntiauit: per quod ferè tempus magna tempeſtas maris & acerba vis vẽtorum exorta eſt, quæ claſſem huc illuc breui diſſipauit. reiectæ ſunt multæ triremes ad Aquas frigidas vocatas, vbi cum tãtæ claſſi non eſſet commoda ſtatio, Auria maluit in anchoris in mari pernoctare, quàm aut in litora impingere, aut in alias triremes. hortatur Columnam vt hoc ipſum faciat, quòd poſtridie de rebus magnis eſſet communicaturus, cum noua conſilia inſtarent. Vbi tempeſtas remiſiſſet Proſper Columna Marci nomine rogat Auriam quid noui haberet, reſponſum tulit ſe idem cenſere, quod dixiſſet nuper in communi concilio, & iam ſæpius; nihil ſibi neque vtilius, neque honorificentius videri, quam hoſtem inuadere. ab eo multis tamen rationibus retardari, quia Veneta claſſis non ſatis eſſet inſtructa ad tantum facinus, & tempus iam vergeret in hyemem, quo tempore ſibi periculoſum eſſe inciperet per tantum maris ſpatium diſtanti, & quia elati eſſent hoſtium animi, qui potiti eſſent per vim Leucoſia vrbe Cypri metropoli. & quia hoſtium claſſis eſſet inſtructiſſima, quæ ſi videret ſe poſſe vincere, dimicaret: ſin autem, nullo negotio intra ſuos fines in portus ſe reciperet. ſe non ad recuperanda amiſſa, ſed ad ferendam opem ne amitterentur loca Venetorum conceſſiſſe. Columna his auditis conuenit Zanium, indicuntur comitia in diem ſequentem. Muſtapha per Caiacelebinum exploratum miſſum quia cognouit Venetorũ eſſe tantas vires & ipſe concilium indicit. Pialis veritus erat ne ſi omnes Chriſtianæ vires coniungerentur magno in diſcrimine res Turcarum poſita eſſet, cum aliæ eſſent inſtructæ, aliæ triremes cito refici poſſent; cum maximè formidabiles ſint, qui pro ſalute pugnare cogerentur. cum Muſtapha & Alis indignum Ottomanica gloria & amplitudine eſſe dicerent, pugnam oblatam detrectare, ſtatuitur vt captiui & omnia impedimenta relinquerentur, ac triremes egregiè inſtruerentur epibatis, & rebus ad bellum neceſſarijs. ſic è finitimis Salaminæ viridarijs Amathunta verſus iter capitur relictis hippagogis, cæteriſque nauigijs pugnæ inutilibus. atque ita in acie inſtructi non procul abſcedunt præmiſſis catascopiis, quæ conſilia Chriſtianorum explorarent. Vbi Chriſtiani conueniſſent ad comitia, proponitur difficilem eſſe expugnationem Turcarum animis præſertim elatorũ gloria recentis victoriæ, qui poſſent claſſem etiã præſtantius ſolito rebus omnibus inſtruere Cypriã

Aſtoris Baleoni & M. Antonij Bragadeni laus.

Copiarum Chriſtianorum numerus claſſicarum.

Turcarũ conſilium de pugna non detrectanda.

oppugnationem nulla ſpe aut conſilio nunc ſubleuari poſſe. his accidere etiam illam difficultatem, quòd illa maria eſſent frequentibus tempeſtatibus obnoxia iam præcipiti autumno. tranſeundum eſſe mare Pamphylium tempeſtuoſum, quòd ſiqua tempeſtas inuaſiſſet, nullus oſtendebatur locus ſalutis non defuerunt qui Euboicam expeditionem tentandam cenſerent, quæ etiam ſententia vt inutilis exploſa eſt, quia locus poſſet Turcicis auxilijs ſubleuari, & ſi captus fuiſſet, recuperari per hyemē, quare præſidia forent manifeſtis periculis expoſita ſine ſpe ſubſidiorum. præſtare ad facilitatem & vtilitatem expeditionis vt vel Dyrrachium, vel Apollonia, vel Caſtrum nouum in Peloponneſo inuaderentur, quæ loca vt propinquiora, facilius acciperent auxilia, & longius abeſſent à Turcica potentia. his locis captis non tam facilem patere acceſſum ad vexandam Italiam. hęc in medium prolata á nemine refelluntur, vt rationi conſentanea, communique omnium conſenſu decernitur vt claſſis retrocederet, quæ cum non procul abeſſet à Carpathia inſula, repente magna atroxque procella mare inuadit. vela demiſſa. accurritur ad remorum auxilium, quo citius in portum iretur.

Tempeſtas claſſem inuadit.

Io. Andreas Auria, vt qui maturius ad litus Triſtanum appuliſſet, mare nihil è ſua ſæuitie remittente per biduum ſtationem habet. quinqueremes & actuariæ multæ non tam expeditæ ad portum capiendum huc illuc appulſæ ſunt rabie ac vi ventorum, quæ tamen vnà cum reliquis nauigijs in tutum poſt paulo incolumes appulerunt, præter vnam Venetam triremem, quæ ſcopolis illiſa paſſa eſt naufragium. Poſtridie cum mare aliquanto mitius videretur, ac tempeſtas non nihil remiſiſſet Cretam verſus nauigatur, ſed rurſus claſſis vniuerſa eodem repellitur rabie incrudeſcente. ibidem nō nihil minis ventorum ſæuientium & fluctibus excitatarum vndarum claſſes omnes detinentur, quare Auria ratus tempus anni vtile rebus bellicis iam eſſe pręterlapſum iam longioribus noctibus cum pauci portus eſſent tantarum claſſium capaces, ſtatuit claſſem in Siciliam reducere adhibitis ſibi in concilium Baciano & Cardoneo ducibus. de communi horum conſilio Marcellum Auriam mittit ad Columnam vt his auditis impetraretur à Zanio vt ſalua eius ſenatus amicitia & beneuolentia liceret claſſem ſuæ fidei commiſſam Zacynthum, cephaleniamque verſus deducere, ac inde tranſmittere in Siciliam vt poſſet opportunè rebus regijs ibi intereſſe, vt ſibi imperatum fuerat. ſe reliquarum triremium aduentum opperiturum ſiquid eſſet, in quo ſuam operam nauare Venetæ reip. poſſet vtiliter, at fruſtra non eſſe detinendum. vbi illa petitio proceribus Venetæ claſſis præfectis delata fuiſſet per columnā, reſpōſum eſt omnibus pergratū foreſi Venetā claſsē, prius in Creta, atque inde Zacynthū comitaretur. futurum enim ibi vt cum omnium gratia liberam abeundi facultatem eſſet habiturus. Auria poſtridie Columnam adit. docet cauſas itineris & feſtinationis. petit vt cum eius gratia abire liceat. narrat periculoſum eſſe abeſſe à portubus. facit argumentum quatuor Neapolitanas triremes rudentibus, antemnis, anchoris, & omnibus nauticis inſtrumentis nudatas. columna contra oſtendit in quanto periculo res Veneta conſtituta ſit per eius diſceſſum ante neceſſarium tempus, aut antequā in tutum ventum ſit. periculoſum fore ne hoſtis cognitis tantis viribus diminutis iam victos Venetos contemneret, & cum lectiſſima ala triremium vel Cretam repente inuaderet, vel Venetam claſſem; quorum vtrunque non modo Venetis, ſed etiam Hiſpanorum Regi futurum erat calamitoſum. Nam profectò ſine Salute conſeruationeque Venetorum Italiæ ſalus non poteſt conſiſtere. his pluribus inter ſe diſputatis ambo prætoriam adeunt, in qua cum Zanio erat Pallauicinus, Celſius Iacobus, & alij complures proceres. poſt ſalutationes præmiſſis familiaribus colloquijs Auria in illum ſermonem deuenit, vt repeteret eadem, quæ dixerat Columnæ, oraretque ne ſe diutius cum maximo detrimento regiæ claſſis nullo ipſorum beneficio detinerent, ſed æquo animo abire paterentur, donec anni tempus idoneum ſupereſſet. huic obiecit Pallauicinus illum habere in mandatis vt ad finem ſeptembris vſque moraretur, ſi Cypria nauigatio ita poſceret. ęquum videri vt ſaltem per eos dies eſſet cum Venetis, quod plurimi ad rem referret. reſpondit Auria ſe diem illum præſcriptum dixiſſe, quo fieret quaſi calcar animis omnium atque impellerentur coniunctis viribus ad pugnam cum hoſte committendam, ne infinita ſpes auxiliorum faceret ſocios ſegniores. ſibi tamen re ipſa iniunctum eſſe à Rege vt donec omnes perſiſterent in ſententia pugnandi cum hoſte, Venetos ne deſereret, eandemque haberet ſenatus Veneti rationem, quam etiam regnorum ipſius Philippi. curaret per gloriam rerum geſtarum fortiter Hiſpanam claſſem illuſtrare, & communis hoſtis potentiam virtute deprimere. Nunc cum id ſolum ſuperſit ſtudium vt claſſes in tutum reducantur, nihil ſibi videri opus ſe ſua præſentia. at contra Bacianus cum triremes non eſſent ſatis validæ, ſi eas hoſtis repente inuaderet & opprimeret, rogat Auriam qua legitima excuſatione eſſet vſurus apud Regem, ſi hoſtis repente illas inuaderet. rurſus ſe ſcire quid haberet in mandatis reſpondit, facturum quod ſibi magis vtile claſſi videretur. Columna ſe non ignorare quid ab Hiſpano Rege ſit iniunctum inquit. Denique poſt multas altercationes inter Auriam & Columnam de Auriæ diſceſſu immaturo quæ venerunt vſque ad iurgia, Auria pollicetur per totum menſem ſe cum Veneta claſſe futurum.

Cōtentio inter Auriā & Columnā de diſceſſu claſſis Hiſpanę.

Sic die vigeſimo ſeptimo ſeptembris omnes vnà Cretam verſus nauigant. ſoluentibus vel paulo poſt reflantes venti inſurgunt, quare turbinibus & procellis huc illuc diſpelluntur. denique non procul ad Heraclea Sentica ſiue Settia duæ pontificiæ diſrumpuntur & demerguntur. Auria quatuor è ſuis reficiendis præficit Aluarum, curatq; alias reſarciri, ſiqua ex parte forent labefactatæ. pridie Cal. ad vrbem Cretam appellens reliquam claſſem pręſtolatur. mox re cum Aluaro & Cardona communicata Columnam conuenit. inquit exacto iam menſe cum res Veneta ſua opera non indigeret ſe iam poſſe incolumē claſſem in Siciliam reducere. Columna amicè cōplexus nō modo rationem itineris laudauit, ſed etiā omnia fauſta ac felicia abeūti precatus eſt. à Venerio & Zanio rurſus eadē humanitate dimittitur, cui additæ ſunt ſenatus nomine gratiarum actiones. poſt felici na-

Auria dimiſſus.

uigatione

uigatione vſus è Creta Meſſanam peruenit: ſic Veneta claſſis, quæ omnibus rebus inſtructiſſima fuerat, commeatu, omnibus bellicis inſtrumentis, inſignibus ducibus, lectiſſima manu epibatarum, pecunia maximè abundans in ſtipendia, afflicta eſt, labefactata & oppreſſa vel aeris iniuria vel vi numinis, vel etiam per imprudentiam quorundam totum annum inutiliter abſumentium. Nam perierunt plura triginta & ſex hominum millia. è ſuperſtitibus quidam tam erant languidi vix vt ęgra corpora ſuſtinerent. præter reliquas calamitates, quæ Venetę claſſi acciderunt, vndecim triremes, quæ ſoluerant e portu Cretæ & ad Amphimaleum ſinum nauigabant (nam Zanius iuſſit claſſem eo proficiſci præter paucas triremes quas ſecum habuit) diſrumpuntur, atque demerguntur, cum reliquæ conquaſſatæ & afflictæ vix ſupereſſent. decreta tamen ſunt auxilia Salaminam in Creta in comitijs, ad quam expeditionem multi duces ſunt delecti, cuiuſce rei nuntio miſſo Venetias diſquiritur quo pacto illud commodè fieri poſſit. poſt modo nauigatur ad Amphimaleum ſinum. vt autem melius ſciretur quo in ſtatu eſſet res hoſtium, miſſus eſt Petrus Hemmus cum duabus triremibus exploratum, & paulopoſt Angelus Sorianus & Vincentius Maria Priolus.

Clades Venetæ claſſis.

At rex vbi cum regina matre & Andienſi Alenconioque fratribus in comitijs rem de pace tranſegiſſet, decreuit tandē, vt ea fieret his conditionibus, Primùm, vt ſempiterna obliuione obruantur, prorſusq; obliterētur ex animo vtrinq; cōmiſſa, neq; quiſpiā regius miniſter aut iudex mentionem vnquam faciat. 2. Vt nemini ſubditorū licitū ſit memoriam præteritorum renouare, vel iniuriis aſficere, prouocare vel improperare res præteritas, vel aliquo pacto offendere inuicem re vel verbis, ſed omnes pacate fraterneque viuant vt amici & ciues eiusdem patriæ, ſub pęna animaduerſionis vt in violatores pacis, & perturbatores publicæ tranquillitatis. 3. Statuimus vt catholica religio Romana reuocetur, ſtabiliaturque in omnibus locis & regionibus regni noſtri, vbi exercitatio eius intermiſſa fuit, quæ poſſit liberè ac pacificè exerceri ſine vllo impedimento, ſub pænis ſuperioribus. atque qui per ſuperius bellum ſibi vſurparunt bona vel peruentus eccleſiaſticos, vel aliorum catholicorum libere ac pacifice reſtituant in eandem libertatem, qua poſſidebantur à legitimis dominis antequàm expellerentur. 4. Atque nequa occaſio perturbationum aut diſſenſionum ſubditis noſtris relinquatur, cōcedimus vt habitent in omnibus vrbibus ac locis regni noſtri, nec tamen inquirantur aut infeſtentur, aut cogantur aliquid facere contra conſcientiam, neq; eius cauſa quæratur vbi habitabunt, ita tamen vt illi degant pro hoc noſtro edicto. 5. Concedimus pariter omnibus nobilibus tam regnicolis quam aliis cuiuſuis conditionis modo ſint regni noſtri, qui habent iuriſditionem, vel altam iuſtitiam vt in Normania, ſiue ſit proprietas, ſiue vſusfructus; ſiue prorſus, ſiue ex parte, vt habeant in domibus dictarum Iuriſditionum vel altæ iuſtitiæ, quas ipſi nominabunt pro domicilio, noſtris Bailiuis vel Siniſcalchis, exercitationē religionis, quam reformatum vocant, dū aderūt, aut iis abſcētibus vxores vel familia, vbi ipſi domos nominare tenebuntur noſtris præfectis antequàm beneficio perfruuantur. habebunt pariter exercitationē in ſuis domibus iuriſditionis dū aderunt, & non aliter, tam pro ipſis, quā familiis & ſubditis, & qui volent accedere. 6. Vbi prædictæ ditiones iuris non habeantur, ne fiant exercitationes niſi pro familia tantum, cum nolimus ſi alii ſuperuenerint ad numerū vſq; denariū, vel baptiſmus faciēdus adducto p̄dicto numero, ne nō infeſtentur. 7. Atq; vt gratificemur reginæ Cantabrorū noſtrę amitę, promittimus fore, vt præter, cōceſſum principibus altę iuſtitiæ in quouis ſuorum ducatuum Albretti, aut comitatibus Artomicorum, Fluxatum, ſeu Fois, & Bigociæ, in vna ſuarum domorum vbi habeat altam iuſtitiam, quæ à nobis eligetur & nominabitur, habeat exercitationes pro omnib. q adeſſe noluerint vel ipſa abſente. 8. Poterunt pariter exercere ipſam religionem in his locis; in Gubernatione inſulæ Galliæ ſcilicet, in ſuburbiis Gergouię ſeu Claramontii, Beluiſii, ſuburbiis Creſpi, in Lenois, in pręfectura Ciampagnę, & Bridæ, præter Vezelaum quod tenent, in ſuburbiis Villanorę in pręfectura Sequanorum, in ſuburbiis Arnai, in præfectura Vermanduorū, in ſuburbiis Mondidiere & Ribemontis. in præfectura Normanię, in ſuburbiis Pontù maritimi & Corentani. in præfectura Lugdunēſi, in ſuburbiis Ciareli, & diui Geni Vallis. in præfectura Bettagnę in ſuburbiis Beccherelli & Cherchezi. in Allobrogibus in ſuburbiis Creſti, & Ghorges. in præfectura Prouinciæ, in ſuburbiis Mirindoli, & Foccalquieri. in præfectura Toloſatū, præter Obenas, quas poſſident, in ſuburbiis Montagnas. in pręfectura Aquitanię pręter ſanctum Scurrum, quem poſſident, & in præfectura Aureliana, Turenæ, Mainæ, & in regione Ciartrena præter ſanctum Serram quem poſſident, in ſuburbiis Mellæ. 9. Præterea concedimus vt exerceat ſuam religionem vbicunque fuerit in omnibus ciuitatibus à calendis ſextilis. 10. Expreſſe aūt prohibemus quamuis exercitationē eius religionis tā miniſtrādæ quā docēdæ publicè, vel inſtituendorum puerorum aut aliorum, præterquam in prædictis locis conceſſis. 11. Decernimus item nequa fiat exercitatio eius reformatę vt nuncupatur religionis in aula noſtra, neque ad decē leucas aulæ propinqua. 12. Nulla item Lutetiæ alicubi aut propinqua decem leucas Pariſiis exercitatio fiat eius religionis, quas leucas ita terminamus, Mellù & ſuburbia, vltra ciartes leucam, ad Montele, Heri, Dordanum & ſuburbia. Rembouiliettum, Hudanum, & ſuburbia. vnā leucā vltra Meulanū, vigni, Merù, ſanctū Leride Serens, qb. in locis nullo pacto exerceri illā religionē volumus, q tñ domi ſuę nō impediatur, quib. rationib. p̄dictū eſt. 13. Imperamus omnibus noſtris magiſtratib. vel iudicib. ordinariis in ſuis ditionib. vt loca iis inueniāt, vel prius parta cōcedāt, vel ſiqua acquirēt ad mortuos humādos, q vbi interierint aliquis è familiarib. præfecto ſignificet cuſtodiarū, q mittat humaturos cū manu ſatellitū, qua videbitur, qui videāt ne quis tumultus fiat, q, cadauer per noctem efferant ad locum deſtinatum cum non pluribus decem. 14. Ne matrimonia fiāt inter affines inter homines dictæ religionis, aut inter coniunctos per leges vetita. 15. Ne vlla habeatur differētia ſiue diſtinctio religionis admittendorū in conuentus cōmunes tā Xenodochiorū,

Galli Regis Pacis cū Vgonottis conditiones.

quam Scholarum,atque pariter diſtribuantur elemoſynæ vel ſcholaribus, vel infirmis inopibus. 16. atq; ne vlla dubitatio oriatur de recta noſtra animi ſententia erga reginã Cãtabrorũ amitã aut fratrũ & ſobrinis principibus Cantabrorum & Condęo patri & filio,declaramus quòd eos habemus & cõſemus bonos affines noſtros,fidosq; ſubditos. 17. Sicuti etiã cæteros,equites,nobiles,proceres,miniſtros,vel alios quoſuis habitantes in vrbibus ac locis regni noſtri,aut noſtræ obedientiæ,qui eos ſecuti ſunt aut aliquo quouis auxilio iuuerunt. 18. Cõſimiliter Ducem Dupontium,& filios,& Aurantianum principem,& Ludouicum comitem ac fratres,comitem Vuolratum Mansfeldiũ,& alios principes externos, qui eos iuuerunt ſubſidijs pro bonis vicinis affinibus, & amicis habemus. 19. erũt ita amita noſtra,vt frater ſobrinus,principes,nobiles, miniſtri, præfecti vrbium,vel alij,qui eos iuuerunt liberi & immunes,vt per has literas liberamus ab omni pecunia quã ceperũt tam ab ærarijs noſtris,quam à ciuitatibus,vel priuatis prouentibus,argento, venditionibus ſuppellectilium tam eccleſiaſticorum quam aliorũ,vel præda,vel redemptionibus, vel quibusvis nummis extortis tam per hoc,quam per alia bella præterita;neq; qui extorſerunt aut id imperarũt,aut dederunt aliquo modo cogantur reſtituere vel nũc vel in poſterũ.eruntq; tam ipſi liberi,quam miniſtri factorum,cũ omnes prorſus abſoluantur, idque ſiue ab amita vel fratribus noſtris aut ſobrino miſſi ſint.liberi ſint pariter ab omnibus factis hoſtilibus,vel quòd copias collegerint,vel quòd monetas cuſſerint,vel quòd tormenta ceperint,vel munitiones,vel cellas regias vel priuatas, aut ferramenta aut apparatus bellicos,vel quòd caſtella demoliti ſint, vel eccleſias & domos, vel quòd ſuccenderint, vel quòd iudices inſtituerint,ſententias tulerint, proditiones moliti ſint,cum exteris principibus conſpirarint,externos armatos in regnum introduxerint.atq; vt paucis complectar, ab omnibus actis,tractatiſque poſt primi & præſentis belli tempus,quæ poſſent ac deberẽt proprie exprimi. 20. Nouæ religionis homines idcirco recedent ab omnibus fęderationibus externis,neque in poſterũ pecuniã colligẽt ad aduocandos milites,vel cogendas copias inconſulto Rege, præter prædictos inermes.illud nos prohibemus ſub pœna animaduerſionis tanquam in contemptores mãdatorũ noſtrorũ. 21. omnes vrbes, prouinciæ,caſtella,loci ꝑfruẽtur ijſdem priuilegijs,libertate,immunitatis iuribus,quib fruebãtur ante has ꝑturbationes. 22. Vt aũt oẽsq̃relæ tollãtur poſterũ declaramus oẽs eius religionis idoneos publicis munijs,nulla differẽtia admitti ad oẽs magiſtratus,vl' publica munia regia,q̃ poſſint admitti ad oĩa cõcilia,decreta,ſenatuſcõſulta ſpectantia ad ipſa munia,q̃ nullo pacto repulſã ferant poſt publicationem huius edicti. 23. Ne vllis oneribus grauentur in poſterum magis nouæ religionis,quam catholici homines vel ordinarijs,vel extraordinarijs pro ratione bonorũ:atq; ꝑterea ſubleuabũtur omni onere præteritorum ſumptuum,qui tamen conferent imponendis atq; ciuitatũ tributis ſicuti cõferẽt catholici. 24. Omnes captiui vel in carcere adhuc,vel ad tranſtra condemnati præſentiũ bellorum ac perturbationũ cauſa liberabuntur, reſtituenturq; libertati vtrinq; ſine vllo precio redemptionis,cũ ſolutæ redemptiones tamen repeti nõ poſſint. 25. Quod ad cõtrouerſias quę poſſẽt in poſterũ ſuboriri ob ꝑdiorũ vẽditiones,vel obligationes vel quaſuis formas alienationũ ob ꝑdictas redẽptiones,illa iudicatio vt recte fiat, Dux Andienſis cariſſimus frater noſter accerſet Mareſciallos Galliæ vt ab eo res decidatur petẽtibus cõtrouerſantibus. 26. decernimus itẽ & volumus vt oẽs prędictæ religionis tũ publicè tũ etiã priuatim, cõſeruẽtur & teneatur in omnibus ſuis bonis,actionibus, honoribus,ſtatu,munijs,dignitatibus, præter togatos,quibus ſubrogati ſunt à nobis per tempus pręſentis belli,quibus aſſignationes fient ad reſarciẽdũ ſuper noſtris expeditioribus prouẽtibus, niſi maluerint eſſe conſiliarij in noſtris vrbibus comitiorum pro noſtra electione: qua ratione non reſarciẽtur niſi quãtũ pluris fuerint eorũ munia,qui ſoluẽt contrà, ſi illorũ munia minoris precij fuerint. 27. Supellex quæ aderit,neq; direpta fuerit hoſtiliter, reſtituetur dominis,reddito precio emptoribus per autoritatẽ iuſtitiæ,vel aliquod publicũ catholicorũ decretũ vel eiuſdẽ religionis.atq; prędictorũ bonorũ vſurpatores mobilium reſtitutioni ſubijciantur ſine vlla prorogatione,quæ reddãtur accepto precio dominis,quod ipſi diſſoluerint. 28. Quod attinet ad vſusfructus ſtabiliũ, quiq; recipiet eos præſenti anno,redibitque domũ,quamuis alii potiãtur, occuparintq; & impedierint per bellorum perturbationes,eodem modo quiſq; fruetur prouentibus, niſi per nos occupata ſint,aut per noſtrum edictum, vel nobis permittentibus aut per noſtrã iuſtitiam. 29. oẽs pariter qui ſunt in ſtationibus in vrbibus,caſtellis, munitionibus noſtrorũ ſubditorũ cuiuſuis religionis, abſcedẽt poſt publicationẽ ꝑſentis edicti,vt dominis liberã & integrã fruitiorẽ relinquãt,ſicuti habebãt antequã eijcerentur. 30. Volumus conſimiliter vt noſtri dilecti ſobrini princeps Aurantius & Ludouicus comes Nanſienſis reipſa reſtituantur in omnes vrbes,iura,principatus,quę habent in regno noſtro, & regionibus obedientiæ,& vel principatus Aurãtii,iura,titulos,priuilegia,& omnia occupata à noſtris vicariis vel miniſtris à nobis ad hoc inſtitutis,quę ipſi Aurantio & fratri reſtituentur confirmabunturque quo ſtatu erant ante perturbationes, quibus in poſterum perfruentur, quibus accedant ſtipẽdia,& declarationes cõpoſitę per patrẽ noſtrũ Henricũ Fel. mem. & cęteros Reges ante hæc bella. 31. Vt etiam decernimus vt tituli,honores priuilegia erepta reſtituãtur propriis dominis. 32. Vt autem deleatur omnis memoria præteritorum diſſenſionum,decernimus vt omnes iudicationes,occupationes,venditiones,decreta contra nouæ religionis homines tam viuos quam mortuos poſt Henrici patris obitum, ob prædictam religionẽ, tumultusùe aut perturbationes, ſimulq́, exactiones prædictorũ decretorũ aut ſentẽtiarũ,deleantur,reuocentur,obliterẽtur,quas volumus penitus deleri è noſtris curiis tam ſuperioribus quàm inferioribus, vnà cũ omnibus indiciis aut veſtigiis exactionũ,omnesq; libellos criminoſos aduerſus ꝑſonas,memoriam,poſteritatẽ,quæ omnia prorſus extingui iubemus. 33. Quod attinet ad ſentẽtias, iudicationes, mulctas contra illos nouę religonis,proſcriptiones ſimul & occupationes bonorum feudalium, quæ factæ ſunt præſentium aut

pręterita

præteritarum perturbationum tempore ab anno.1567.cenſeantur vt non factę,aut quæ non accide
rint,neq; quis ijs vti poſſit,ſed in priſtinum ſtatum prorſus remittentur. 34. Decernimus item vt
nouæ religionis homines pareant politicis legibus regni,quod eſt ne vendant aut ne artes exerceant
diebus feriatis,& ne macellum aperiatur,quibus diebus carnis vſus eſt interdictus pro ritibus catho
licæ Romanæ Eccleſiæ. 35. Vt verò iuſtitia adminiſtretur ſine vlla fauoris & gratiæ ſuſpicione,de-
cernimus vt controuerſiæ ortæ vel quæ orientur inter viros aduerſariæ religionis tam ciuiles quam
criminum,primum tractentur apud iudices noſtros ordinarios pro noſtris inſtitutis,quòd ſi prouo
cari acciderit ad aliquam curiam comitiorum,vt Pariſienſem, quæ conſtat è ſeptem curijs,eius reli-
gionis poterunt,vbi commodum fuerit,requirere vt quatuor pręſides vel conſiliarij abſtineant a iu
dicatione ſuarum cauſarum, qui nulla reddita cauſa cogentur ne ſe implicent, quamuis inſtitutum
ſit ne abſtineant ſine cauſa.quibus pręterea reſeruabuntur aduerſus omnes pręſides aut conſiliarios
quæuis iuridicę recuſationes pro inſtitutis. 36. Quod ad lites in comitiis Toloſanis,niſi controuer
ſantes conuenerint de aliis comitiis.tranſmittentur ad magiſtros Recheſtenſes curiæ noſtrę in audi
toriū palatii Pariſienſis, qui cauſas nulla habita differentia iudicabunt, qui cum ſuprema autorita-
te iudicabunt, atque ſi iudicatæ prius fuiſſent controuerſiæ in ipſis noſtris comitiis. 37. Quod at-
tinet ad populos Rotomagenſes ſiue Aulercos,& Prouinciæ, & Armericæ,& Dione; & Granopo-
lim,poterunt requirere vt ſex præſides vel conſiliarii,abſtineant ab eorum cauſarum iudicatione,ra-
tione trium è ſingulis curiis,& Burdigalæ populi ratione quatuor pro ſingulis curiis. 38. Catholi-
ci,ſi videbitur,poterunt rurſus,vt omnes illarum curiarum, qui priuati fuerant principatibus ob re-
ligionem ab ipſis comitiis,abſtineant ab ipſarum cauſarum iudicatione nulla reddita cauſa,qui tene
buntur non ſe implicare, quibus omnes ordinariæ recuſationes tamen reſeruabuntur, quæ decretæ
ſunt per ſtatuta. 39. Et qm̄ plerique priuati multas iniurias vel in bona acceperunt, quorum haud
ita facile obliuiſci poterunt,vt per noſtrum edictum requiruntur,deuitaturi omnes malos euentus,
inuitaturiq; eos qui aliquo metu retardantur quominus domum redeāt,donec ira deferbuerit,tem
poreq; mitigetur,nos conceſſimus cuſtodiendas hominibus reformatæ vt vocāt religionis portum
Santonicum,Montem Albanum,Cognacum Ciaritè, vt,qui nō ita cito domum reuerti voluerint,
ibi habere poſſint domicilium.ad illarum ſecuritatem noſtri fratres & ſobrini principes Cantabro-
rum & Condęus & viginti nobiles ipſius religionis,quos nominabimus,iurabunt promittenq; pro
ſe & omnibus dictæ religionis noſtro nomine ſe præſidia dictorum locorum habituros, atque poſt
biennium reddituros,cuicunque nobis viſum fuerit in eo ſtatu quo nunc ſunt,nulla re innouata vel
mutata,ſine vlla temporis dilatione aut difficultate quauis de cauſa, poſt quod ſpatium exercitatio-
nes religionis ſeruabuntur,vt cum ea loca ab iis habebantur.Volumus item vt his ita habitis omnes
eccleſiaſtici ingredi poſſint,& diuina miniſteria exercere in omni libertate,perfruiq; omnibus ſuis
bonis cum omnibus catholicis colonis ipſorum locorum, quorum eccleſiaſticorum, & aliorum
colonorum frater & ſobrinus noſter.& alii proceres defenſionem,protectionemq; accipient,ne im
pediantur quo minus diuina miniſteria exequantur,neq; infeſtentur bona vel vita,ſed contra admit
tantur & reuocentur ad poſſidenda planè bona ſua. 40. Decernimus item vt continuò poſt publi
cationem præſentis edicti facti in vtriſq; caſtris,arma vbiq; deponantur, quæ ſolum in manibus no-
ſtris reſtabunt,noſtriq; cariſſimi fratris Andienſis. 41. Vt liber acceſſus & tranſitus pateat per om-
nia caſtella & pagos & pontes & vias regni noſtri, ſicuti patebāt ante primas & vltimas perturbatio
nes . 42. Atq; vt deuitetur violentia, quæ contra hæc committi poſſet in multis noſtrorum loco-
rum,qui inſtituentur executuri pręſens edictum alii in aliorum abſentia iubebunt iurare primarios
colonos vrbium vtriuſq; religionis,quod ipſi procurabunt obſeruationem noſtri edicti,atq; niten-
tur pro viribus vt vbiq; repugnantia tollantur,atq; publicè teneantur repugnantibus reſiſtere in ip-
ſis locis,vel renitētes iuſtitiæ miniſtris concedent. 43. Vt vero iudices,magiſtratus,miniſtri noſtri,
& omnes ſubditi apertè intelligant,certiſſimeq; ſciant voluntatem & mentem noſtram,atq; vt om
nia dubia,ambigua,cauillationesque tollantur,quæ naſci poſſent ob ipſa edicta,declaramus omnia
alia edicta, literas,declarationes, moderationes, reſtrictiones, interpretationes, in album relata tam
publicum quam occultum,ac deliberationes factas per noſtras curias comitiorum,vel alia quæ poſ
ſent eſſe facta in præiudicium noſtri edicti ſpectantia ad religionē, & turbas excitatas in hoc regno,
nullius eſſe ponderis aut virtutis:quibus per hoc edictum noſtrum derogamus, atque prorſus dele-
mus,reuocamus,irrita facimus;declarātes quod volumus hoc noſtrum edictum eſſe tutum, firmū,
ratum,inuiolabiliterq; ſeruari tam à noſtris iudicibus & miniſtris, quam a ſubditis,nulla habita ra-
tione eorum quę derogare poſſent. 44. Atq; ad maiorem firmitatem & obſeruantiam quam eius
eſſe volumus,edicimus, ſtatuimusque vt omnes gubernatores prouinciarum,& præfecti,aut quiuis
iudices ordinarii vrbium huius regni ſtatim atq; ſibi oblatum fuerit hoc edictum,iurent ſe illos ſer
uaturos.curaturosq; vt ſeruetur,habiturosq; in ſua iuriſdictione, vt volumus etiam fieri à conſuli-
bus & magiſtratibus ciuitatum, conuentibus, aliisq; fungentibus muniis vel annuis vel ad ſtatutum
tempus,tam præſentes tempore huius edicti,quam ſucceſſores per iuramentum,quod ſuſcipere cō
ſueuerunt antequam ineant magiſtratus , quorum iuramentum referetur in actus publicos quo-
ties requirentur. 45 Imperamus pariter noſtris dilectis populis noſtrarum curiarum,comitiorum
vt ſtatim accepto noſtro edicto, ſuſcipiant ipſum iuramentum ceſſantibus omnibus aliis ſub pœna
nullitatis curentq; noſtrum edictum promulgari,& in album referri in curiis noſtris purè ac ſimpli
citer vt exiſtit,ſine vlla moderatione aut reſtrictione aut declaratione, nullo amplius à nobis expe-
ctantes mandatum.iubemus vt noſtri procuratores ſtatim ſine dilatione mutare faciant,quam nos
fieri in duobus caſtris & exercitibus intra ſextum diem à promulgatione in noſtra curia Lutetiæ fa-

cta,vt

cta,vt cito exteri dimittantur, imperamus etiã vicariis noſtris & præfectis ac magiſtratibus vt tam ipſi curent promulgari,quã iubeant ab aliis fieri magiſtratibus,conſulibus,aut iudicibus ordinariis vrbium,& vbicunq; oportebit,idq; vnũquemq; ſeruari in ſua iuriſdictione,vt citius ceſſent odia hoſtilia,atq; tributa inſtituta vel inſtituenda propter tumultus obliterentur poſt promulgationẽ pręſentis edicti. Illũ declaramus poſt hãc promulgationem dignum eſſe ſupplicio capitis ſine ope vel gratia,qui armis vel violentia vtetur in perturbando noſtro edicto, vel qui conabitur impedire quominus exequamur.atq; quod ad alias contrauentiones quæ fient armis vel vi, puniẽtur aliis pęnis corporis,vel exilio,vel emẽdatione notabili,vel mulcta pro arbitrio iudicum, quibus cognitionẽ tribuimus,in hac re obteſtantes honorẽ vel conſcientiam illorum,vt iuſtè æquabiliterq; procedãt, vt ipſis conuenit nulla habita differentia perſonarum aut religionis. 46. Imperamus vero noſtris populis, qui habent curias comitiorum, vel loca rationũ prouentuum, curiasq;,& præfectis,ac omnibus noſtris ius dicentibus,ad quos vel vicarios pertinebit,vt noſtrum hoc edictum atq; inſtitutum iubeant legi,promulgari,in album referri in ſuis curiis ac iuriſditionibus,illudq; ad vnguem ſeruare, inuiolabiliterq; parere,eoq; exaltare,planeq; vti & pacifice iubemus omnibus illis,ad quos ſpectat, vt ceſſent, obliterenturq; omnia impedimenta & tumultus repugnantes,nã illud eſt conſilium & voluntas noſtra. Ad huiuſce rei teſtimoniũ & ſtabilimẽtum,nos propria manu noſtra ſubſcripſimus præſentibus literis,atq; illis vt firmę,ratæ,ſtabileſq; ſint ſemper, iuſſimus appendi noſtrũ ſigillum,quo etiã conſignauimus.Datum in Diuo Germano in Laia menſe Auguſto anno 1570. Sic Gallia quæ multos iã annos propria arma in ſua vulnera conuerterat,quę vtrinq; externas copias ad deuaſtationẽ patrię acciuerat,quæ omnes finitimas & longinquas nationes per miſerabilẽ ſuorum cladem cõmouerat,poſt ſuperatas multas difficultates cępit à tantis miſeriis aliquantulum reſpirare,diuq; fuiſſet felix,ſi quas conditiones ad reſpirationẽ complexa fuerat,eaſdem ſincere ad conſeruationẽ iam propè parte felicitatis ſeruaſſet. Sed quis modus ſit volubilitati animorũ ad res magnas per quaſuis cæterorum mortaliũ calamitates & excidia aſpirantium?qui enim ſibi amplitudinẽ vel potentię vel opulentiæ omnino propoſuerit, ille neq; erga Deum, neq; homines vir bonus eſſe poteſt.ea pax gratiſſima illarum regionũ populis accidit, qui per rabiẽ bellorum diutius fuerant variis modis vexati. at cæteri, qui catholicã integritatem religionis cupiebant incõtaminatam præualere,quiq; regiam exiſtimationẽ præſtare cupiebant,non valde ęquis auribus illã exceperunt. Rex qui cenſeret à Pontifice pacem illã non poſſe iure probari,legationem miſit,quæ illum clam conſilia regia doceret, & quibus rationibus & quã neceſſariis de cauſis illud feciſſet.Deinde conuerſum eſt omne ſtudiũ ad dimittẽdas copias & arma deponenda poſt confirmationẽ & ſubſcriptiones vtrorumq;: miſſiq; ſunt quibus loca ab Vgonottis occupata Regio nomine reſtituerẽtur,præter quatuor reſeruata,vbi tamẽ ius à regiis miniſtris redderetur. redierunt in patriã & catholici qui metu iniuriarum profugerant è patria,at Vgonotti paulatim redierunt,& non ſatis ęquis oculis videbantur vbi rediiſſent, fuiſſentq; admiſſi per regiũ edictum.natę ſunt multę controuerſię,quoniam bona Vgonottis non ita facilè reſtituerentur,cũ pleraq; fiſco regio addicta iam eſſent diuendita,& ad alios dños perueniſſent.Illę lamentationes cũ frequentes ad Amirantẽ deferrentur,cęptum eſt iudicari pacem illã non fore diuturnam, quare cũ Pontifex in pacis cõditionibus nõ fuiſſet incluſus,cępit cogitare optimè rebus ſuis cõſultũ fore, ſi Aueniũ Galliæ Narbonẽſis vrbẽ opulentã & amplã occuparet quod videbat ſibi facturus ſine regię pacis offenſione: per quã, cum eſſet munita,duo apparebat conſecuturus,alterum vt vrbẽ in finibus Prouinciæ & Tectoſatũ ac Volcarum citra Rhodanũ acquireret,& regionem opulẽtam atq; amęnã & fertilem,alterum vt propugnaculũ tutum haberet aduerſus Regẽ,ſi conditiones pacis nõ ſeruarentur. Illud tãetſi non peruenerat ad aures Card. Artomicẽſis,qui erat pro Pontifice in ea pręfectura, tamen ſemper vtebatur ſumma diligentia adaugendis præſidiis,ſicuti rerũ & tẽporis opportunitas poſtulabat. nã vel duo millia pedites paulo ante acciuerat, deinde alias cohortes admiſit, ac nuper Pontifex Torquatũ Comitẽ tribunum ſpectatæ virtutis cũ octingẽtis peditibus Italis,quibus auxiliis & vrbs ipſa,& caſtella eius ditionis ſunt cõfirmata.nã tametſi Vgonotti arma depoſuerant, tamen Pontificii duces ſumma vigilãtia armati euentum rerum proſpectabãt. Illa diligẽtia fecit vt ſi quis aduerſariæ factioni animo faueret,tamẽ vel metu pęnarũ,vel propriorũ incõmodorum à proditione reuocaretur.dũ hęc agebantur in Gallia,cõcluſæ ſunt Philippi Regis nuptiæ,qui primã filiã Cęſaris vxorẽ duceret, & Regis Galli, cui ſecunda fuit per procuratorẽ Galli Regis vxor ſpõſata, qui quatuor matronas miſit in Pannoniã,quæ nouã Reginã in Galliam deducerent multis comitatibus nobilibus,docerẽtq; illã mores & idioma Gallicũ.quę poſt nõnullos mẽſes adducta fuit in Galliã poſt tot rerũ perturbationes. In Cypro cũ diu inſtructa claſſis Turcarũ conſtitiſſet, neq; appáruiſſet Chriſtiana,ne ocioſum tẽpus abſumeretur,Turcæ ſtatuerũt in hyberna cõcedere in Cyclades inſulas,quę ſunt maris Ægęi, vel potius bona pars vt accederet Byzantium.nam cum bellica tormenta directa fuiſſent in vrbem,& aggeres facti,& militares foſſæ excauatæ, & munitiones conſtructæ mira celeritate.cępta fuit vrbs mira diligẽtia verberari.nam mirum fuit,quod cum vrbẽ, portum,arcem,cępiſſent cõcutere per octo dierum ſpatiũ,contortaq; fuiſſent quatuor millia globorũ,nemo lęſus eſt præter mulã & ſuem.at obſeſſi ſingulari diligẽtia & virtute quod diurno labore Turcarũ conficiebatur,per noctẽ egreſſi deuaſtabãt. Tormenta Turcica in os cõcuſſerant,fecerantq; inutilia,quę ſcopulũ verberabant.aggeres facilè diruebantur cũ eſſent arenoſi,& è terra parũ tenaci. Erãt Salaminæ duo Italorũ,duo Stratiotarum,ſex Græcorũ millia,præſidia vrbis ſatis valida.nã vrbs habet portum decẽ triremium capacẽ tantùm cũ multi ſint ſcopuli,atq; vrbs ſita eſt in extrema parte inſulę in litore maris ad orientẽ in regione Meſſarea forma ferè ſemicirculi.fuit autẽ extructa à Teucro,qui poſt quã vnà cum reliquis Gręcis diruiſſet Troiam appellens in Cyprũ vrbem ędificauit,atq; appellauit de anti-

Nuptiæ Philippi Regis & Galli.

Salaminę pſidia.

Salaminæ deſcriptio.

de antiquæ patriæ nomine, Salaminā habet ambitū duorum milliariorū. eius agri ſolum ita friabile eſt vt ſpōte delabatur propè ad aquarum morem, quod fit per multa millia paſſuū, quare non eſt materia conſtruendis munitionibus apta. vrbs paulo ante duodecim turribus circularibus ac rotundis defendebatur ad morē antiquarum munitionū, quæ tamen erant craſſæ cū areis ſatis amplis, ſed paulo ante fuit ſingulari ſtudio decē eminentibus munitionibus cōmunita; quę cū optima haberet mœnia ob amplitudinē foſſæ inexpugnabilis propè efficiebatur. aquæ non valde ſunt ſalubres, atq; aer propinquus parum bonā habet exhalationem propter paludes frequentes. Muſtapha cū igitur cenſeret ad huius vrbis expugnationē opus eſſe maioribus viribus, ſoluit obſidionē ac milites dimittit in hyberna, relictis quibuſdā triremibus ad inſulæ cuſtodiā ne accederent ſubſidia. agreſtibus, qui confugerāt ad montes iam antea liberā redeundi facultatē permiſerat, & conceſſerat intrepidè agriculturā exercere vt ſolebant. Turcica claſſis vbi per exploratū miſſos cognouit Auriā receſſiſſe, & Venetos è Creta, ipſa nauigat ad caſtrum Ruzzū & inde Rhodum. Pialis miſſis quinq; dicrotis exploratum Suniū promōtorium verſus ipſe cū centum triremibus ad Aſtypaleā nauigat pręmiſſis duodecim dicrotis quæ explorarēt. Hemmus exploratū miſſus claſsē ad Aſtypaleā viſam eſſe nuntiat. dicta ſunt dicrota duodecim Cretā attigiſſe, ac nemine expoſito abnauigaſſe. Quirinus his auditis ad claſſem cū ſuis triremibus properat vt coniunctis viribus, ſi opus eſſet, hoſti reſiſteretur. acceſſit eodē & Petrus Iuſtinianus Melitenſis militiæ eques cū duabus triremibus, quem ad claſſem Colūnæ properantē cum quatuor duodeuiginti Turcicę inuaſerūt, atq; poſt atrox & cruentū pręlium multis vtrinque trucidatis vix ipſe cū duabus euaſerat. cum ab Amplimaleo portu ad Cydoniā nauigatum eſſet, qm̄ ille portus eſſet capacior & tutior, acceſſit eò Angelus Sorianus, qui nuntiat ad inſulam Paron, quæ eſt maris Ægei, ſibi obuia fuiſſe quinq; dicrota. Turcarū, quarum numerū veritus ſe in tutū recipere coactus eſt. at Priolus cū maluiſſet fortiter reſiſtere, quàm fuga ſe ſeruare, cōmiſſo graui prælio vbi ſingulari virtute diutius dimicaſſet, cæſis pluribus ſexcētis è Turcis ipſe demū cum omnibus qui aderāt, trucidatur ſuperante hoſtiū multitudine. Turcæ Rhodū profecti cognita profectione Venetorum conſultarunt de Creta inuadenda, ſed quia verebantur ſpirantibus Aquilonibus ne terræ illiderentur, claſſiſq; ad litora miſerrimè peritet, ſtatuerunt Aſtypalææ verſus recedere, atq; inde Byzantiū relictis ordinariis triremibus ad maris Ægæi cuſtodiā. Zanius Corcyrā profectus multas triremes labefactatas inermes eſſe iubet, & Columna quaſdā è ſuis, quarum omnē turbam nauticā dimittunt. Colūna cum tribus à Zanio recedens repugnātibus & aduerſis ventis vexatus ſub finē Nouembris peruenit ad fauces Aſcriuii, quē acerrima moleſtiſſimaq; tēpeſtas repente cum tanto tonitruum & fulminum ſtrepitu inuaſit, tam frequentibus ac denſis imbribus vt eius triremis malo de cęlo tacto & incenſo miſerabiliter arſerit. ſeruati ſunt tamen homines qui ſe oportunè in tutū receperunt, atq; Columna in aliā triremem euaſit, quæ & ipſa naufragium paſſa eſt. Pallauicinus è tēpeſtate euadens vnà Epidaurium acceſſit. hos cum Epidaurij liberaliter excepiſſent, poſtulabāt Turcæ ſibi dari magna contentione, ſed Epidaurij conſtāter negarunt. Alter igitur Iaderā, alter Anconem vrbē Piceni peruenit. Pallauicinus diutius Iaderæ ob contractā è mari valetudinē grauiſſimè laborauit. Sic annus inutiliter præterijt infinitis ſumptibus factis à patribus, cum per aeris inclementiā vel ſine hoſtiū armis vniuerſa claſſis debilitata afflictaq; fuerit. nā profectò extinctis per illā luem multis remigibus, triremes neceſſariò tanquā inania cadauera relinquebantur inutiles, cum remiges ſint anima nauigiorū illorum quæ remis agi poſſunt, aliorum eſt ventus; epibatę, manus; dux, mens; quę omnia conſpirent oportet ad mutuā defenſionem. enimuero tātus, tam rebus omnibus inſtructus, tā egregius erat apparatus Venetorum, niſi vis occulta cęlitus obſtitiſſet, vt poſſent arma cuiuſlibet principis maritima facere parui. res cū ita ſucceſſiſſent, fit ſenatuſconſultum vt Auguſtinus Barbadicus Corcyrā proficiſcens oēm imperatoriam autoritatē eriperet Zanio, eumq; captiuū Venetias adduci iuberet. creant imperatorē in annum ſequentem Sebaſtianū Venerium, qui erat in Creta præſes cum ſummo imperio omniū rerum claſſicarum. Sed ne deſidia aut obliuione pręteritarū calamitatū reſiderent animi mortalium, cognoſcerentq; hæc diuinitus contingere, conuerterentur ad placandū numen per probitatem & vitæ meliorē informationem, ac ne intermitterētur apparatus bellici in annum ſequentē, multa horrenda prodigia variis in locis ſeſe oſtentarunt mortalibus, ad expectationeq; excitarunt futurarum calamitatum. nā quo die exarſit prætoria triremis Columnæ tacta fuit de cęlo etiā arx Romæ & palatium Diui Petri cū maximo Pontificis & omnium ibi habitantiū terrore. hæc formidabiliora videbātur quòd pręſagę poſſunt eſſe mentes futurarū calamitatum plerunq;, quoniā omnium imminentium malorū ruinæ prius diuinitus ſignificātur. neq; temerè euenire putanda ſunt prodigia. concuſſa eſt ad 14. cal. Decembris magna pars Italiæ motu terræ prima vigilia, atque ita vt terror non paruus Venetias & Mutinam & vniuerſum tractum in medium repēte inuaſerit. Sed Ferraria præſertim grauiter concuſſa eſt ſepties paruo interuallo interiecto. ſubſecuti ſunt alii motus, per quos multæ domus cū magno fragore corruerunt. poſtridie pleriq; alij, ſequēti nocte alius motus omnibus violentior, per quē neq; domus neq; homines poſſent conſiſtere. ante hunc factus eſt hiatus tetræ, & aer obſcuratus, & maxima vis turbinis. intra horæ ſpatiū rediit ſerenitas. iuxta lunā ſtella crinita apparuit, deinde cęlum ita fit obſcurum, vt nihil proximū cerni poſſet. tunc facti ſunt alii terræ motus. multæ ædes & ſacra & magnifica ædificia corruerunt, quare neceſſe fuit duci Ferrarienſi cū vxore ſibi tentoria erigere ſub dio in pomeriis ad vitæ conſeruationē, cum fœminæ paſſim diſcurrentes ac eiulantes extremū mundi diem aduētaſſe crederent. intra quadraginta horarū ſpatium cētum & quinquaginta motus terræ facti ſunt. ſic vrbs clariſſima, & inter primarias Italiæ inſignis propter magnificentiā ædificiorum intra bidui ſpatium propè deuaſtata euerſaq; eſt, in qua pro magna frequētia hominum vaſta ſtatim facta eſt ſolitudo, quæ concuſſa eſt ſæpius vel

poſt

Agricolis data facultas liberè colendi terram.

Triremes Melitēſes capte.

Vincentius Priolus cęſ.

Prodigium.

Epidauriorū controuerſia cum Turcis.

Vētus aut remiges anima nauiorum.

Zanius exautoratus.

Sebaſtianus Veneri⁹ ſumm⁹ claſsis imperator.

Prodigia.

Terræ motus varij.

Ferrariæ terræmotus.

Mantuæ.

poſt annũ. Mantua quoq; vrbs nobilis & antiqua concuſſa eſt, ſed non tãta ruina accepta, cum terræ motus breui ceſſarit. Neq; Florentia caruit ſuo terrore & damno cum paulo ante templum celeberrimum Beatæ Virginis ita fuiſſet de cęlo tactum, vt vix credi poſſet quanta vi magna eius pars fuerit diſrupta. neq; minori tamen calamitate affecta eſt cum menſe Decembri Arnus fluuius cum Tiberi Romano conſpiraſſet ad ſuæ vrbis vterq; inundationem. nam ita ambo excreuerunt, vt magna pars Romæ & Florentiæ lateret ſub aquis, quæ ſtagnabant vbiq; Florentiæ pontes vi rapidarum turbulentarumq; aquarum ſunt deiecti. domus multę effoſſę corruerunt, quod ipſum accidit etiam Piſis. præclarè igitur Aloyſius Luiſinus, medicus Foroiulienſis ad tot præteriti anni miſerias, & ſequentis minas ob ſcelera mortalium alludens ſcripſit;

Inundationes.

*Diluuium, terræ motus, contagia paſſim,*
*Bella, fames, mundi quid reliquum exitio eſt?*
*Ignis. & ipſe propè eſt. Vnde hæc? ex arce tonantis.*
*Tot mala quid mundo congerit? impietas.*
*An ne ſalutis adhuc ſpes vlla eſt? vnica. quis nam*
*Porriget hanc? pietas. hæc vbi? nullus habet.*
*Quid ſtas munde? rue vt pietas eſt nulla. ruentem*
*Iam video. auxilium numina læſa negant.*

Malitia hominũ ad ſũmum perfecta.

Nam eò excreuerat hominum malitia per hoc tẽpus, vt perfidiæ, auaritiæ, crudelitatis, & mutuarũ inſidiarum tum priuatim tum etiã publicè magnitudo ad ſummum perueniſſe appareret, cum doli, fraudes, fallaciæ non parua laus haberẽtur, tanquã eximiarum virtutum decore ſceleſtiſſimi inſignirẽtur. Neq; tamen Italia tantum prodigiis & minis Dei terrebatur, ſed etiã aliæ mundi partes ſignificationes irati numinis ob improbitatẽ mortalium perſenſerunt, reuocãtis ad integritatẽ & innocentiam. Qm̃ in Vualia Britannię regione in occidua Cambria non procul à paruo foro, id eſt oppidi nomen, in principatu Herofordienſi magnum ſpatium terræ vnà cum arboribus & ſtabulis & ædificiis vi ventorum cum horribili mugitu tranſlatũ eſt circiter quadringentos paſſus, atq; ibi conſedit. eius ſpatii altitudo erat ferè quadraginta pedum, longitudo mille & trecentorum, latitudo mille & trecentorum, vt à pleriſque traditum eſt. in Capha vrbe Theodoſia olim Cherſoneſi colonia Genuenſiũ, in ora maris Euxini Boſporo vel Cimmerio finitima ſinui, tres ſoles viſi ſunt ad tertiam vſq; horã diei, quorum cum duo poſt receſſiſſent alter ad occaſum, alter ad ortũ, ſupra hos candidus arcus apparuit. poſt biduum prima vigilia Crux candida viſa eſt cum ſtella quadã & luna, quæ Crux ad diem vſq; immota perdurauit. In Batauis Belgarum & Scandauia & Buſateris, inferioribusque illis regionibus tanta facta eſt inundatio vt multa millia mortaliũ necata fuerint, & pagi plures quadringẽtis demerſi. nã cum noctu repente per eximiã obſcuritatem illud accidiſſet, pauci periculum deuitare potuerunt. Claſſes vbi in hyberna conceſſiſſent, & iam acriter hyemaret, neq; armis res geri poſſet, Turcæ Iaderã per inſidias tentandam rati circiter ſexaginta periti & linguæ Iaderẽſis & regionis decernunt Stratiotarum vocatorũ habitu induere, qui ſunt incolæ regionis, & ſimulare ſe fugiſſe inſequẽtes Turcas, illo conſilio vt ſi admitterentur cuſtodias portę adorti repente trucidarent, aditum occuparent, continuò auxilia dato ſigno admitterent, quæ parum diſtantia ab vrbe latebant in inſidiis. illo conſilio ſtabilito ita induti ad vrbẽ curſim contendunt. docent ſe metu inſequentium Turcarum ad vrbis tutelã confugiſſe. rogant ne ſe crudeliſſimorũ hoſtium vel crudelitati vel auaritię obiectos eſſe paterẽtur. pręfecti miſericordia horum moti erant propè portã aperituri, niſi vnus à præſidiariis militibus cognitus fuiſſet, quare in recedere iuſſos multi diſploſi ſunt ſclopetti. Turcæ latentes in inſidiis audito ſclopettorũ ſtrepitu arbitrati de porta decertari erumpunt ex inſidiis, ſeſe męnibus oſtentant. re tamen fruſtra tentata recedunt. Luſitania & Hiſpania inter conuiuia, ludicra, lætitiam plurima erat per nouas nuptias à Carolo Archiduce concluſas, vt diximus, quia Luſitanus Rex Heliſabettã egregiis animi & corporis dotibus ornatã duxit Maximiliani Cęſaris filiam, at Cęſaris ſoror Maria Philippo Regi nupſit filia ſororis Philippi, cuius eſt neptis & fit vxor cũ totius Hiſpaniæ lætitia. Byzantii verò claſſis Selimi iuſſu ſumma diligentia in pernitiẽ anni ſequentis parabatur, qui futurũ ſperabat non modo vt reliquas partes Cypri ſubiugaret, ſed etiã vt omnes finitimæ inſulę, quæ Chriſtiano parent imperio, ad eius fidẽ & amicitiam vltro confugerent ad deuitandam tãtæ potentiæ indignationẽ. Sic enim inſolentia victoriæ mortalium animos parum ſapientes, minusq; futura proſpiciẽtes, extollit. Veneti cõtra qui multiplicibus calamitatibus nuper afflicti fuerãt amiſſis tot millibus hominum è ſuperiore lue ac peſtilentia, quorum publici prouentus propter ſublata orientis & exterarum nationum cõmercia non parum fuerãt diminuti, quorum tributa eſſent permagna, vt quæ ad neceſſitatẽ bellorum præter ſolitam conſuetudinẽ acerbius & frequentius extorquerentur, quorũ regio deſcriptis frequentius agrorum cultoribus ad tranſtra exinaniretur, qui vrbẽ opulentiſſimam Leucoſiam tã fędè ac miſerè ſcirent veniſſe in poteſtatẽ hoſtium, atq; omnẽ ferè Cyprum inſula, eſſe amiſſam præter Salaminã, quæ tamẽ & ipſam niſi ſubſidia mittantur, cito ſit futura in non mediocri periculo, qui ſcirent omnes vrbes, oppida, inſulas ſubiectas imperio Veneto eſſe afflictas propter magnitudinẽ præſidiorum & claſſis aduentum, cum vbiq; laboraretur magnopere annonæ penuria, tamen grandi, fortiq; animo ad oẽs bellicos apparatus faciendos incumbunt, demonſtrantq; non minus glorioſum eſſe in rebus difficilibus animo eſſe inuicto, quàm in victoria, ſi ſapienter & illa gubernetur. literas prętерea & legationes ad Philippum Regẽ mittunt, & ad Pontificẽ, quibus illos hortantur vt læto ſint animo, neq; valde grauiter ferant præteritã iacturam ipſorũ Venetorum, quod in annum ſequẽtem multo inſtructiorem & maiorẽ claſſem habebunt, & fortunã belli poſſe barbaris per virtutẽ Chriſtianorum mutari, ſi Deus vel tãtillum faueat Chriſtianis

Prodigia.

Iadera tentata ꝑ inſidias.

Venetorum animorũ virtus.

rebus,

rebus,quodq; dum Salamina eſt in poteſtate Chriſtianorum, nō eſt magnopere de imperio Cypri deſperandum. hortantur vt reiectis difficultatibus,quæ obſtarent,quàm citiſſimè fęderationem, belliq; ſocietatem amplecterentur,in qua non minus ipſorum principum,quàm Venetorum vtilitas, ſecuritas,defenſio conſiſtat. Quippe cum Venetæ munitiones ſint aggeres & propugnacula totius Italiæ & quaſi obices aduerſus impetum barbarorum oppoſiti ad Italiam tutandam. cum verò ingentia frigora & niues & pluuiæ frequentes ab initio anni incoeptæ perdurasſent,non poterant fieri bellici apparatus niſi per magnas difficultates. Pontifex, qui de Chriſtianorum ſalute mirificè eſſet ſollicitus, mira diligentia inſtante præſertim Soriano Veneto oratore curat vt fęderatio fieret antequam tempus vtile anni ſequentis inter controuerſias elaberetur. Sed iam inierat annus ſalutis noſtræ primus poſt mille quingentos & ſeptuaginta, cum Salaminæ defenſoribus inſperata propè at certè diu deſiderata lux affulſit. nam pro inſtitutis Columnæ Zanij & Pallauicini quatuor onerariȩ naues omnibus bellicis apparatibus & commeatu atq; ſubſidijs onuſtæ ſunt in Creta. cum vero difficile fore videretur vt ſolę onerariæ ſubſidia adueherent & exponerent ſine triremium aut actuariorum nauigiorum auxilio,cum præſertim ſeptem triremes Turcicæ ad vrbis cuſtodiam eſſent relictæ, vt cognitum fuerat per exploratores, Marcus Quirinus ſe obtulit defenſorem nauium iturum quas cum duodecim triremibus comitatur. præficitur nauibus Marcus Antonius Quirinus,qui ſuffectus fuerat in locum Petri Troni demortui. vbi ventum fuit ad Samonium promōtorium,relicta eſt triremis Franciſci Molini nauarchi,quia turba nautica ægrotāte & ad celeritatem, & ad omnem bellicum vſum eſſet inutilis viſa. vehebātur in onerariis & triremibus ad mille & quingenti pedites ad præſidia Salaminæ. Profecti ſunt vnà cū Quirino milites nonnulli virtute præſtantes,inter quos Petrus Comes centurio fortitudine clarus. hic relicta cohorte quam habebat in Creta Franceſchino centurioni cum triginta è ſuis militibus pugnandi cupidus in Cyprum conuehi curauit fortunā belli ſecuturus. vbi ad Finicam,illud eſt loci nomen in Peloponneſo,vētum eſt,exitur aquatum. Petrus cum ſeptem paulo longius procurrit à litore. habet obuios ad quinquaginta Turcas ſecundum flumen,procedebāt ad radices montis & in collibus alii ſexaginta cum arcubus & ſclopettis & canibus quibuſdam Cyrnenſibus. Inita eſt leuis pugna dum cæteri aquarentur. Petrus pugnādo ad mare ſe recipit. pugnam ſuſtentans protegit aquantes,ſuſtinetq; impetum dum omnes claſſem conſcendāt. Quirinus vbi omnes conſcendiſſe videt,ſoluit à litore. Petrus pugnās in litore relinquitur,qui dum vrgetur à Turcis, in turriculam forte propinquam ſe ſeruat. eius fortitudine ac ſtrenuitate viſa vnus è trierarchis lintrem miſit ne omnino periret, in quo ſe ſeruauit, cum aſſeribus lintris pro clypeo aduerſus tela miſſilia Turcarum vteretur. cum naues diuerſam viam à triremibus tenuiſſent ad inſulam Cyprum perueniunt,ac ad Dromum vrbis ingrediuntur. Triremium præfectus ratus futurū quod erat,vt Turcicæ triremes viſis onerariis ad eas contenderent,ſeſe intra ſinum per noctem occultat,quo iter abſcindere & intercludere fugā inuaſuris poſſet. vbi dies illuxit,Turcæ exeunt è portu Conſtantio onerarias verſus. ſed parum aberant à litore,cum viſis Venetis triremibus,deſcendūt. Quirinus quia multi ad defenſionem triremium accurriſſent, tres illarum eminus tormētis demergit,reliquæ noctis aduentu ſunt protectæ. demerſarum partes extantes ſupra aquam concremantur. capta ſunt quædam alia nauigia. Salaminæ ciues aucti commeatu & ſubſidiis mille & ſeptingentis peditibus cum incredibili lætitia prope iacentes animos extollunt. munitionē,quæ ad Conſtantium portum commeatum pręcludebat inuadunt,capiunt,defenſores quadringentos trucidant. tormenta capta trahunt in vrbem. munitionem funditus euertunt ac diſijciunt. Quirinus multa precioſa, vt monuit Baleonus, & pueros, & imbelle genus nauibus conuehit in Cretam. redeunti obuiæ fiunt quatuor triremes & oneraria cum quingētis Ianizzeris ſexaginta nummum millibus,duobusq; cadis minoris monetæ argenteæ,quę vehebantur in Cyprum. poſt breue pręliū capiuntur ac diripiuntur. munitiones à Turcis excitatæ ad ſcopulos Gambellæ à præſidiis vrbis diſijciuntur,quibus promiſſa fuerant etiam auxilia. ſic Quirinus opulentior cum ſuis onerariis,& tribus è portu eductis,felici nauigatione breui venit in Cretam, cum interim Venerio eſſet allatum ſenatuſconſultum, quo ſibi imperium bellicarum rerum pro Zanio deferebatur,& Quirinus appellabatur Prouiſor claſſis, & Auguſtinus Barbadicus ſummus Prouiſor. ea ſunt nomina præfecturarum. Barbadicus ad claſſem accedit,atque illi imperium adimit,qui accuſatus quod ſuperiore anno auare & crudeliter claſſi pręfuiſſet & ad priuatam potius, quàm ad publicam vtilitatem, captiuus Venetias eſt adductus. Pallauicinus cum non ſatis valeret,ſuam triremem Venetias adduxit ad arma deponenda.

1571

Marci Antonij Quirini virtus.

Petri Comitis virtus.

Quirini præda.

*LIBRI VIGESIMI PRIMI FINIS.*

NATALIS

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS

## *LIBER VIGESIMVS SECVNDVS.*

Triũuiri præfecti reb⁹ claſſicis.

AT enim patres, quia parum ſincerè aut è republica res bellica à nõnullis adminiſtrata fuiſſe diceretur, multaq́; geſta à trierarchis crudeliter & auarè cõniuente Zanio præſertim ad multorũ querelas, præficiunt ſenatuſconſulto triũuiros rebus bellicis inquirendis & erroribus ſuperioris anni cũ ſumma autoritate Nicolaũ Contarenum, Ioãnemq́; Mocenicum viros primarios, & Federicum Valareſſum non minori pertinacia quàm prudẽtia. hi ſtatim initio ſui magiſtratus edictum per præconem publicè proponunt, vt liceat cuiq; liberè quẽ velit accuſare, qui aliquid cõtra ius belli, militaremq́; diſciplinam, publicã vtilitatem, ſalutem ſociorum, Venetã dignitatem ſuperiore anno in claſſe cõmiſiſſet. ſic facilè cognoſci potuit, ſiquid perperã actum eſſet; illud accidiſſe per trierarchorũ auaritiã. cum neq; ſtipendia prorogari, neq; panis nauticus diminui remigibus, neq; quidquã horum fieri ſoleat per ſenatus voluntatẽ, ſed per iniuriã impurorum ciuium, qui pro pecunia & rapinis, at non pro gloria geſtarum rerũ, vel pro patriæ ſalute ac defenſione militabant, præerantq́; per auaritiam triremibus ad lucrum.

Criminationes quorundam nobiliũ Venetorum.

Nec multo poſt quibuſdã nobilibus Venetis dies dicta eſt publicè per prçconẽ, certumq́; tempus præſtitutum apparẽdi ad diluẽdas accuſationes, quòd largitionibus corrupti ineptos remiges ſubrogaſſent aptis ad tranſtra. Quod claſſis præfecto ac ſummo imperatori non paruiſſent. Quod per illorũ negligentiã triremes ſint infractæ. qui cũ ad ſtatutũ diẽ nõ apparuiſſent perpetui exilii condẽnant. alii in carcerẽ ſunt cõiecti, alii criminationes diluerunt. patres ad reſarciendã iacturã anni præteriti, quã paſſi fuerãt, nouas triremes inſtruunt. nouos trierarchos creant. pęnã imponunt quingẽtorũ nummorũ aureorum prçfecturas triremiũ renuentibus, hos deſtinant nouo claſſis imperatori. vndiq; duces conuocãt, tribunos mittunt ad colligendas copias, quorum quidã datam pecuniã per ſcelus furati ſunt, neq; copias conſcripſerunt.

Exules reuocati ꝑ remigũ numero. Ius ſuffragij datum adoleſcentibus.

remiges vndiq; imperãt. exulibus conceditur reditus ſi pro grauitate criminũ & condẽnationis numerum remigũ priuatis ſumptibus dederint. Ius ſuffragiorũ conceditur patriciis adoleſcẽtibus decimum octauũ ętatis annũ qui tranſegiſſent. deſcripta ſunt omnium ferè nomina paruorũ vel ſi eſſent in cunis, è qua re collecta ſunt centum nũmum millia & amplius, ſed non ſine aliqua poſtea patrũ pęnitentia, quia admiſſi ſunt multi iuuenes non ita prudentes in illud conſiliũ, quod ſemper fuit creditũ orbis terræ grauiſſimum & ſanctiſſimũ, & præſertim modeſtia præſtans. verũ hoc parui momenti videri poterat, quia poſſent & maturitate ætatis poſtea refrænari & ſeniorũ exemplis; ſed illud grauius fuit quod per adeptionẽ ſuffragij reuocabantur a ſtudijs diſciplinarũ in tam immatura ætate ad prenſationes & ambitũ, cum illa ætas magis requirat vt informetur ad virtutẽ, quàm ſciat quibus dandi ſint, aut quo modo ab ipſis gerẽdi magiſtratus. Quid enim in ea adoleſcẽtia laudabile fieri poteſt, quæ plerunq; impetu animi feratur potius, quàm vllo ſapienti rerũ delectu vel certa ratione? rurſus illis qui vigeſimũ quintum annũ ætatis tranſegiſſent, propoſita eſt dignitas procuratoria, ſi viginti nũmum millia ſenatui mutuò ad certum tẽpus cõceſſiſſent, ex quo collecta ſunt centum & ſexaginta nũmum millia.

Aerarij locupletandi rationes.

propoſitum eſt etiã munus maius quã ſuperiore anno pecuniã mutuò concedẽtibus ęrario ad certum tẽpus in bellicos vſus. adẽptum eſt dimidiũ ſalarii, quibus publica ſalaria cõcedebantur ad ſubleuandã remp. domeſticis ſumptibus. impoſita ſunt noua tributa cuiuſlibet hominũ conditionibus, & vetera repetita.

Nauis à Turcis capta cũ bellicis apparatibus.

Quæ dũ excogitantur à patribus ad bellicos apparatus in præſentẽ annum, capta eſt nauis oneraria à Turcis ad caſtrũ nouũ, cum quinq; millibus ſclopettorũ, multis arcubus & ſagittis & globis ferreis, puluere tormẽtario,

tario, farina, pane nautico, frumento, pecunia. cauſa fuit captiuitatis, quia nauis poſt effuſos imbres ad illud litus appulſa eſt, cuius milites frigoris impatientes nauclerum vi impellebant ad litus vt facerent deſcenſionem. appellere nolentem propter periculum, trucidant. egreſſi omnes, & ipſi & nauis à Turcis capiuntur in ſeruitutem. neque tamen ex hac vna parte tantum fortuna res Venetas affligere tentauit, verum etiam ex alia parte, niſi Deus opem tuliſſet. nam magnum in diſcrimen vocabatur, quoniam quidam præſidiarii milites Aſcriuii proditionem moliebantur, atque ita conuenerant, vt per noctem portam aperirent, & iam munera quædam cum literis hac ipſa de cauſa accepta fuerant. Præfectus vrbis iubet alia de cauſa ad ſe acciri cohortis præfectum, qui ratus ſe aduocari ob proditionem patefactam, veniam facti repente expetiuit. Sic crimine conſcientiæ ſtimulo potius, quam vllo indicio ante tempus patefacto & is & ſceleris conſcii ſunt extremis ſuppliciis affecti. Sed enim quia non facilè patiuntur æmulos honorum & dignitatis & gloriæ qui Regias aulas ſectantur, non placuit Muſtaphæ conſilium Mahometto purpurato, quoniam Muſtapha præcipuus ſuaſor Cypriæ expeditionis eiuſdem imperator fuiſſet decretus. Putabat enim Mahometus vir magni ingenii & iniuriam fieri Venetis patribus eius imperatoriæ amplitudinis ſemper obſeruatiſſimis, & maximarum difficultatum plenum fore negotium, neque ſolum ob Venetas vires non contemnendas maritimas, ſed etiam ob reliquorum Chriſtianorum arma, quæ prompta ad Venetorum defenſionem vbique offerebantur: & ſi res ita per has difficultates feliciter Muſtaphæ ſucceſſiſſet, magnam illum autoritatem apud Imperatorem eſſe adepturum, cum quo intercedebant occulta odia. hiſce rationibus commotus non ſemel adhortatus eſt Selimum ad pacem, & ad res cum Venetis amicè componendas. At quod non apparebat eſſe ex imperatoria dignitate vt ipſe Imperator à Venetis vltro pacem expoſceret, cœpit Mahomettus dicere ſibi videri conferre rebus Venetorum, vt certæ pactiones vtrinque ſeruandæ proponerentur ad mercatores & mercimonia ſpectantia, per quam ſimulationem clam agi poſſet etiam de pace. Patres illo nuntio accepto cum ipſi etiã multis difficultatibus clam premerentur, ac nõ prorſus ab horrere ab illa apparerent decernitur in comitijs Veneti ſenatus ita videri eſſe faciendum. Sed quoniam ſuſpicionis plenum fore conſilium apparebat, ſi oratorem hac ipſa de cauſa vel quouis nomine Byzantium miſiſſent, quod factum poterat pleroſque inuidos apud Imperatorem aduerſus Venetos excitare prorſuſque interturbare pacis negotium, placuit virum inſignis prudentiæ atque animi virtute eligere, qui ex mercaturæ nomine appareret negotiari, & ob ingenii bonitatem à tantis rebus tractandis non eſſet alienus. Huic tanto negotio nemo viſus eſt aptior Iacobo Ragazzono viro & nobilitate animi & eximia pietate in patriam inſigni, quippe cuius ingenium multis principibus cognitum iam antea, ſed in primis Regibus & Reginæ Britannis fuiſſet gratiſſimum. eius fides non ſemel apparuit in negotiis eius reipublicæ non vulgaris, & amor, & pietas. Iniunctum eſt igitur Iacobo vt quam citiſſimè ad illa negotia Byzantium conuolaret, & negotio perficiundo adiunctæ ingentes pollicitationes. Iacobus tametſi multa eaque maxima negotia domeſtica à tanto, tam difficili, tamque periculoſo itinere reuocabant, & in primis charitas maximè vocalis filiorum, & periculorum magnitudo inter difficillima tempora, tamen quia charitas patriæ omnia rectorum officiorum conſilia, & laudem intra ſe continet, ad omnia propria commoda obturatis auribus, tanquam alter Vlyſſes ad ſirenes, nullo propè interpoſito tempore Epidaurum peruenit. Inde miſſo nuntio ad præfectum Ducatus Cherzegouinæ filium Mahometti petit ducem itineris, quo tuto Byzantium liceret accedere. Miſſi ſunt duo comites, diligentique ſtudio breui ventum eſt ad pontem paruum, qui locus diſtat Byzantio ad duodecim milliaria. Obuij fiunt ibi duo ſpaches præſtolati aduentum, & duo Ianizzeri, quippe quod aduentus Byzantij iam eſſet cognitus per nuntium. Illi ad lumen funalium equitantes cum vno tantum è ſuis Iacobum Byzantium adducunt, reliquis iuſſis abſiſtere. Byzantium profecto additæ ſunt cuſtodiæ in vilem caſam deducto. Quarto deinde die adductus ad Mahomettum poſt mutuas principis & ſenatus nomine ſalutationes, profitetur ſe ad negotium mercatorum nomine, vt inuitabantur Veneti per nuntios, conueniſſe, & ad alia ſi qua ſeſe offerrent opportuna. Purpuratus ſe dolere inquit Venetorum patrum vicem, quos plurimum amabat, deinde ſubiunxit, quòd ſi patres ſua conſilia complexi fuiſſent, quæ per Cubatum oratorem ſignificatum miſerat, fortaſſe ea reſp. in tot bellicis difficultatibus nõ verſaretur. His addit quòd literæ principis Veneti rebus omnibus moleſtiores imperatori ob neglectos titulos accidiſſent. conqueſtus eſt poſtea quod multa indigna paſſi ſunt Turcæ mercatores, vt per Hebræorum ſcripta perceperat, quibus merces fuiſſent diuenditæ in vſum ac ſumptus bellicos, cum Imperator contra dixiſſet ſe æquo animo pati Chriſtianos inhumaniter agere, ſed tamen neque ita ſe velle deeſſe vel auitæ humanitati, vel recto ſuæ religionis & æquitatis officio. Atqui quoniam iniunctum fuerat Ragazono ne quid concluderet inconſulto Marco Antonio Barbaro, ſubiunxit Mahomettus quod ſi nil aliud eſſet agendum, niſi de mercimoniis, nihil opus erat Barbari colloquio, ſine quo res tranſigi poſſet. quando res difficiliores fortaſſe multos patronos expectarent, at leniores vno cõtentæ eſſe poſſent. At ſi de pace foret agendum, palàm fateretur, quod ab Imperatore impetraretur facultas colloquii. nihil ſe poſſe decernere inquit Iacobus ſine illo colloquio. Deinde ſubiunxit non eſſe præſtandas aures maledictis Hebræorum, cum ſubditi Imperatoris non inurbanè tractentur, quorum merces ſint omnes incolumes, ac ſolæ diuenditæ ſint, quæ poſſent putreſcere, aut cariem ſentire, idque factum ſit per auctionem honeſtiſſimo precio per conſenſum mercatorum, quarum pecuniæ in ærario ſeruatur numeranda legitimis dominis, vbi ad permutationem ventum erit;

Aſcriuij proditio patefacta.

Stratagema.

Iacobi Ragazzoni charitas in patriam.

cum neque pecunia, neque vlli bellici apparatus deſint illi reipublicæ per diuturnam pacem abundantiſſimè comparati. At quoniam maximè propenſus erat ad pacem animus Mahometti, multis ſermonibus conabatur Ragazzonum per magnitudinem virium, potentiamque eximiam Imperatoris Turcarum ab omni cogitatione belli deterrere, cum repeteret vtiliorem pacem fuiſſe Venetis, quam bellum; cum vires Venetæ non poſſent cum tam potentibus armis Imperatoriis contendere, qui non ſolòm Cyprum, ſed multa etiam alia loca eſſet capturus. Fututum enim eſse vt mox pacem vel poſt multam iacturam, multaque incommoda patres libentiſſimè complectantur. at neque ſic quidem per eas minas reſponſum vllum parum fortis animi, vel magnopere à bello vel à pace abhorrentis extorſit: cum reſponſum ſit patres & pacem ſemper & fidem Ottomanicis Imperatoribus incontaminatam ſeruauiſſe, quamuis multæ opportunitates non ineptæ eius abrumpendæ ſe ſe obtulerint, ſæpiusque inuitati ſint per honeſtiſſimas conditiones à Chriſtianis principibus. ac neque nunc quidem bellum à Venetis excitatum eſſe, ſed ab Imperatore nulla legitima cauſa: quare Venetos paratos eſſe ad defenſionem, quibus vires adeſſent ſatis validæ, cum etiam eſſet in eorum manu ſocietatem armorum cum aliis Chriſtianis principibus coniungere. eæ vires ſi fuiſſent coniunctæ, facilè poſſent fortunam armorum Ottomanicorum mutare, quæ nemini perpetua & conſtans fore iure cenſeri poteſt. Sed nihil magis timendum eſſe cuiquam, quam cauſæ iniquitatem, quæ Deum eſſet habitura aduerſarium, cui leuiſſima putanda eſt omnis potentia mortalium. Nam Turcæ quamuis bellum aduerſus Venetos ſuſceperant, tamen pluribus rationibus ab illo reuocabantur, neque ſatis hilari animo gerebant, cum per mortem recentem Ioannis Regis Tranſyluaniæ nonnihil eſſent ſolliciti, quia Cæſar apparebat conſilium cepiſſe de illo regno occupando, vel creando ſaltem nouo Rege ad ſuas partes propenſo, cuius vires quamuis non videbantur Turcis formidabiles, tamen ſi cum cæteris Chriſtianis coniungerentur, additis etiam Tranſyluanis, plurimum moleſtiarum poſſent afferre. Illo conſilio iuſſus fuit Achmatus in Scupos, quæ regio eſt ſuperioris Myſiæ, contendere ad colligendas copias ingentes, vt eſſet paratus in omnem opportunitatem ad penetrandum cum exercitu in Tranſyluaniam. His accedebat quod Alis cum magna ala triremium profectus ad Cypriam expeditionem non audiebatur eam facilem eſſe habiturus, & copiæ non accedebant libenter ad expugnationem Salaminæ vrbis munitiſſimæ omni genere defenſionis, in qua intelligebant neceſsariò multis millibus Turcarum eſse pereundum. maximè verò omnium Turcas ab illa expeditione, cuius imperium omne datum fuerat Muſtaphæ, reuocabat æmulatio, vt diximus, cum vellet videri Mahomettus illud per calliditatem negotiandi obtinuiſse à Venetis, quòd Muſtapha per vim armorum, & cladem multorum millium hominum non potuiſset. Conceſsa eſt denique colloquij & agendi cum Barbaro facultas, vt ageretur de pace, ad quam inuitabant hæ prædictæ rationes. decernitur communi ſententia Barbari & Ragazzoni vt ageretur de mercibus, atque inter negotium verbum de pace inijceretur, cum de omnibus imperatorijs negotijs cum Mahometto per Ebraimum tranſigeretur ab omnibus Chriſtianorum principum legationibus. Cœptum eſt agi primum de mercibus, & mox non placidis conditionibus vtrinque de pace, cum Veneti negotiatores Cyprum repeterent, & multas alias honorificas conditiones, vt ſic per conſuetudinem negotiandi, cum Turcis auariſſimis gentibus ad honeſtas deueniretur. Eſt enim illud ingenium pleriſque Turcarum, vt ſi ad honeſtatem primum quis deueniat, illum habeant neglectui, credantque non pro bonitate ingenij, ſed pro imbecillitate animi iſtud efficere, quamobrem cedenti & iacenti facile inſultant. Arrogantiam vero, niſi tamen coniuncta ſit cum impudenti temeritate, magnitudinem animi eſse arbitrantur, quare neque demiſſi neque auari negotiatores ad Turcas vtiliter mittuntur. At vero cum variæ conditiones ſuis principibus honorificæ utrinque perquirerentur, appareretque omnis ſpes pacis ſecludi, plurimum roboris ita res Cæſariana uidebatur paulatim percipere, quoniam melioribus conditionibus Cæſariani oratores inducias erant obtenturi, quare ſolliciti erant etiam ne pax cum Venetis concluderetur, quæ ſi fieret, apparebat in eos certum bellum exarſurum. Sed enim quia res per multas difficultates diutius protrahebatur, resque nullum certum finem ita obtineret, decernitur communi Barbari & Iacobi Ragazzoni conſenſu vt ad vltimas conditiones pacis deueniretur, quæ proponerentur probabiles. Vbi certum tempus poſtridie mane fuiſſet indictum conueniendi, negotium ab Ebraimo in poſt meridianum tempus differtur, cum interim allatæ ſunt literæ, quibus ſignificabatur frigidius de pace eſse agendum, quoniam Hiſpani vbi cognouiſsent per exploratores Ragazzonum Byzantium eſse profectum per ſenatusconſultum, in magnam ſuſpicionem veniſsent, quòd ageretur de pace, quare miſsus fuit non multo poſt Venetias Marcus Antonius Columna ad fœderationem & ſocietatem belli concludendam. Mutatur conſilium Venetorum negotiatorum, repetitumque Venetos non eſse Salamina exceſsuros, vt petebatur, ſine magna permutatione Dyrachij, Apolloniæ, Caſtri noui, aliorumque locorum. res per has difficultates differtur, cum nihil poſset à Turcis æquum obtineri, donec literæ ſenatus allatæ ſunt ad Barbarum, quæ de omni ſtatu rerum præſentium ſignificabant, reique publicæ negotium in multo meliorem fortunam eſse perductum. at negotium mercatorum eò peruenerat, vt factum eſset imperatorum decretum, per quod res, negotiaque Veneta libera eſse permitterentur, ea tamen conditione vt orator Venetus adpromitteret eandem libertatem ſubditis Ottomanicis obtentum iri Venetiis. Quę tamen paulo poſt reuocata fuerunt, quòd Ioannis

Mores Turcarũ vt Barbari ſunt.

Decretum Turcicum. Decretũ Turcicum reuocatum.

Miches Hebræus inſtantibus Hebræis infenſis exiſtimationi atque tranquillitati Venetæ per ſupplex chirographum ſignificauit turpè & indecorum eſſe tanto præſertim Imperatori vt ipſe primus rem reſtitueret, quia ſic videbatur timuiſſe arma Venetorum. Eſſe imperatoriæ dignitatis ſtatuere vt Veneti primi res Turcicas mitterent Epidaurum, cum non ſatis tutò etiam videretur eſſe credendum Veneto oratori in rebus tantis præcipuè. Ille monitus placuit Selimo, quare iubet edicta vbique reuocari. Reclamatum eſt à Venetis aduerſus tam repentinam mutationem rerum, atque eò vſque proceſsum, vt diceretur non videri eſse ex Imperatoria dignitate tam cito nulla facta nouitate rerum mutare ſententiam. Inter ea de mercibus colloquia vbi multum temporis fuiſset abſumptum, cum res fuiſset pro votis cum Maximiliani legationibus tranſacta, cum in regnum Tranſyluaniæ amicus Selimo ſucceſſiſset, cum Achmatus poſset collectas copias iam liberius in Venetos conuertere, cum Alis ſummus imperator rerum maritimarum in Cyprum copias feliciter expoſuiſset, atque ſubſidia exercitui neceſsaria ſubminiſtraſset, cum multa feliciter Turcis ſuccederent, triremesque viginti & quaſdam onerarias &. naues complures ad traijciendas copias reliquiſset, resque oppugnationi Salaminæ neceſsarias, cognitum eſt mutatam eſse plurimum opinionem Turcarum de pace, quòd omnia felicia vndique per nuntios fuiſsent ſignificata. His accedebat quòd etiam claſſis Turcarum ipſorum dicebatur aſſiduè ſuccreſcere, cum Alis Rhodum redijſſet vti vires cum Partao coniungeret, a quo expectabatur ad Chalcidem Eubææ, quo etiam peruenerat eodem tempore Luzalis nobilis archipirata è Mauritania cum viginti roſtratis nauigijs. His viribus imperatoriis ita collectis cenſuit Mahometus imperatoriam vtilitatem propriæ æmulationi atque diſſidijs cum Muſtapha eſse præferendam, quare negotium de pace protrahit. dat verba. differt. inſtat ex altera parte claſſi per literas ac terreſtribus copiis vt ad Venetorum euerſionem properarent. Imperatum eſt Partao purpurato vt deuaſtatis Creta & Zacyntho inſulis claſsem Venetam conueniret, debellaret, expugnaret Aſcriuium, omnes vrbes Venetas Dalmatiæ ſubiugaret. Nam nulla ratione Turcæ adduci poterant vti crederent fœderationem primum poſse ſuccedere. abiecta ſpe pacis ob ſublimitatem expetitarum a Mahometto conditionum, vbi Ragazzonus nihil ad reipublicæ vtilitatem ſibi videretur amplius poſset obtinere, de ſententia Barbari petit diſcedendi facultatem, quam facilè obtinuit, cum literæ etiam allatæ fuiſsent a ſenatu nihil vt de pace concluderetur, niſi ſenatui illud placuiſset, vel certè reſeruata Veneto ſenatui Salamina. Sic Iacobus Ragazzonus poſt ſuperata multa pericula per multos labores in patriam redijt: atque de rebus omnibus certiorem fecit ſenatum, & quo in ſtatu eſsent res Turcicæ, & quæ ſententia eſset Turcarum, & quæ eſsent eorum vires, quod non parui fuit momenti, cum ſemper plurimi faciendum ſit cognoſcere vires hoſtium. Pro pace interea inter Polonum Regem, & Imperatorem Turcarum acceſſit purpuratus Dorgutus in Poloniam cum literis imperatoriis, quibus continebatur velle Selimum pacem & amicitiam ſeruare, pacataque eſse & tranquilla mutua inter vtriuſque principis populos commercia, ſed cum Chamus quidam inter Scythas præcipuæ autoritatis non paruis damnis Poloniam vexaſset, atque Regem Polonum multis maledictis apud Selimum oneraſset, cum vellet ſua ſcelera in Polonos tranſmiſsa expurgare, viſa eſt Polono Regi res ſilentio non eſse prætermittenda. Docuit igitur Polonus Selimum per literas quam ſit inſtabilis, & fluxa Chami & omnium Scytharum fides, quorum ſit periculoſior amicitia & fœdera, quam inimicitia, cum per illam opportunitatem inopinatos, & incautos aggrediantur. Petit vt liceat damna reſarcire, atque recuperare ſtipendia, quæ è gratuita munificentia pater ſuus conceſserit ſeruandę pacis cauſa, & operæ pręter ea concedendę ad rem bellicam, quoties res ita poſtularet. Nam Chamus eiusque comites, & aſseclę perpetuis latrociniis, & direptionibus intra fines Poloni excurrebant, licet pacta intercederent, & fędera. Teſtis fuit horum latrociniorum, & deuaſtationum præſentis temporis, & quinquennii Abdis purpuratus, qui fuit cum Nicolao a ſecretis profectus ad recognoſcenda damna per Chamum illata. atque cum multa deuaſtarentur exurerenturque per populationes Scytharum, Myſia ſuperior non eſt infeſtata, quamuis coactis agminibus cum tormentis, & bellicis apparatibus iter facerent, ſed Poloni Regis regionem, recta petentes inuaſerant. Demonſtrat non fuiſse Polonos tantam iniuriam paſsuros ſine vltione, ſed habitam eſse rationem ipſius imperatoris, qui illos in ſuam fidem acceperat, qui inter fidos ſocios ac ſubditos ſuos numeraret. Queritur de inhumana, & planè barbara illius crudelitate, qui contra ius gentium virum nobilem, illuſtrem Vladium oratorem Regium miſsum ſub fide publica ad tractandam pacem immaniter tractauit, quem vexatum, & afflictum in carcere Percopi ad extremum priuauit oculis ante expeditionem Aſtracanenſem. nam antea munera Chamo data fuerant, cæterisque paſtoribus, quod eorum opera vtilis foret, quam Polono fideliter in re militari præſtiterant. atque pacta facta fuerant cum Chamo Scytharum principe ita ſe habentia: Vt Chamus hoſtes Poloni hoſtiliter perſequeretur. Vt ſi oppida vel vrbes ab hoſtibus Poloni occupatas ceperit, Polono reſtituat. Vt ſi animalia, & prædam milites Chami abegerint vel temerè uel imprudenter, repetita reſtituat, damnaque reſarciat ad arbitrium, & æſtimationem Poloni. Vt ſuppliciis afficiat maleficiorum autores. Quòd ſi de corollariis ſiue muneribus querantur, illa iure uideri non dari, quæ abſumuntur in ſtipendia militum, qui multi neceſſariò aluntur ad cuſtodiam finium, & regionis. quòd ſi inquiat ſe Hamaxobios vexare, & illud facere ad gratiam Poloni, neque illud quidem uerum eſse, quia ſimulato itinere aduerſus illos munera capit ab ijs vt uexet Polonum. Queritur rurſus Polonus

Chami Scythæ perfidia & fraudes.

Literæ Poloni Regis aduerſus Chamum ad Selimum.

Rr 2 quòd

quòd contra iura pacis, & pactiones ſui ſubditi magnopere vexentur a præfecto prouinciæ
Scepuſienſis, eiusque miniſtris, quæ iniuriæ rectius apparent per ęquitatem imperatoris,quàm
Chami pactiones cum Polono Rege.
per exterorum arma vindicandæ. Selimus his acceptis, perhumaniter reſpondet Polono, ſe
amicitiam, & fidem inuiolatam ſeruaturum, curaturumque vt ab alijs ſeruetur. ad illos etiam
ſcripſit literas minarum plenas niſi abſtineant ab amicis regibus. nam Selimi animum ſolli-
citum habebant Venetorum ingentes apparatus, & fœderationis ſocietas; quæ magno ſtudio
tractabatur, cuius negotij perficiendi Romæ commiſſa fuerat cura Antonio Perenoto Gra-
nuelio & Franciſco Pacceco purpuratis antiſtitibus, ac Ioanni Zuningo ordinario oratori Phi-
lippi Regis apud pontificem, atque ſi unus horum adeſſe non poſſet, conceſſa eſt reliquis duo-
bus vniuerſa autoritas negotij perficiendi. Veneti Michaeli Soriano equiti munus illud iniun-
xerant, qui cum abſoluiſſet biennium munus legationis additus eſt Ioannes Superantius eques
vir clariſſ. hac ipſa de cauſa vt fæderatio citius concluderetur. iuſſus eſt tamen Sorianus ſena-
M. Antonius Columna Venetiis res tractat fœderationis.
tuſconſulto eſſe Romæ vt tractaret res fœderationis. miſſus eſt Venetias Marcus Antonius Co
lumna ad res cum ſenatu tractandas princeps magno ingenio & prudentia. nihil tamen æquè
ſollicitum habebat animum Selimi, quàm quod timebat bellum Cyprium in alium annum
prorogatum iri, quia ad eius aures peruenerat ſubſidia; miſſa fuiſſe Salaminam; quare vt cæ-
teros duces vigilantiores cautioresque eſſe cogeret, Chij pręfecto caput amputari iubet. Rho-
dijs cuſtodijs præfecto adimit prætoriam triremem, tanquam qui per negligentiam ſubſidia
non vidiſſet neque impediuiſſet. Imperat Chalcidis prefecto ut omnes triremes ex Aegæo ma-
ri in vnum colligeret, eaſque perduceret ad Chium, atque ibi mandatum expectaret. Iubet
Alim cum quadraginta triremibus exire Byzantio, atque coniunctis viribus cum Chalcidis prę-
Copiæ Cyprum adeuntes.
fecto reliquisque mari finitimis cuſtodijs in Cyprum contendere, ac denuo cæteras triremes
inſtruendas curare. ille inuentis fere octoginta triremibus in vnum profectis ad Chium inſu-
lam cum his in Cyprum applicuit. Quę dum à Turcis ſingulari diligentia fiunt ad bellum
ad proximam æſtatem, aliæque triremes inſtruuntur Byzantij, Venerius accepto diplomate
ſummi imperii rerum bellicarum Corcyram reuertit iuſſis inermibus triremibus anni ſuperio-
ris ſumma diligentia inſtrui.quod ſanè factum eſt magna diligentia quod etiam res non frigidè
Claſſis Venerio ſoléniter aſſignata.
a Venetis agebatur, inuenit Corcyræ Auguſtinum Bardaicum claſſem à Zanio accepiſſe,quæ ſta-
tim Venerio cum ſolenni pompa fuit aſſignata. Alis in Cyprum profectus decem & octo
armatorum millia in inſulam exponit. traiicit è Cilicia ad ſexaginta millia operarum, atque
Muſtaphæ iuſſu accedit ad vrbis cuſtodiam ne forte ſubſidiis alicunde iuraretur, relictis hippa-
gogis & viginti ac duabus triremibus. ad cuſtodiam nauigiorum, quæ multa uarii generis co-
pias tranſuectarent in inſulam. tum in Chalcide reliquam partem claſſis reperit præfecto
Alis ſummus impator claſſis.
Berta purpurato ſummo imperatore terreſtrium copiarum. Alis ſummus imperator claſſis
dictus fuit. Illa dum tractantur Romæ ad fęderationem ſpectantia, Guzmanus Silua Philip-
pi Regis orator Venetias conceſſerat ordinarius orator futurus apud eum ſenatum. huius ad-
Guzmanus Sylua orator Philippi Venetias accedit.
nentu iniecta eſt opinio certa ſocietatis belli conſtituendæ, quoniam multos iam annos ob il-
lam controuerſiam de præcedentia cum Rege Gallorum, nullus orator Hiſpanus fuerat ordi-
narius Venetiis. Partaus interea cum reliqua claſſe inſtructa exit Byzantio, ac Pialis ob indi-
gnationem Selimi relictus eſt, vel quòd parum peritus vel parum ſollicitus apparuiſſet anno
ſuperiore, cum facultatem arripere neſciuiſſet non aſpernandam oblatam profligandæ claſſis Ve
netæ diſperſæ ac propè ſua ſponte profligatæ. Partaus in Chalcidem applicuit ad Caſtrum ru-
brum. Patres vt ante nouam obſidionem Turcarum recentibus auxiliis Salamina iuuaretur,præ-
ficiunt Nicolaum Donatum uirum intrepidum, & fortem duabus onerariis, qui ſe ad eam ex-
peditionem obtulerat, quibus bellici apparatus & lectiſsimi milites imponuntur. ſed cum non re-
cta in Cyprum nauigaſſet, at exterius per breuiorem uiam, quod aliter ſibi receperat, partim
tempeſtate, partim ignoratione rerum hoſtilium retardatur in Creta donec nuntius exploratum
miſſus retulerit claſſem hoſtium in Aegęo mari nauigare ad Cretam inuadendam, & populan-
dam, de quo etiam factus eſt certior Venerius. tanti eſt celeritas in rebus bellicis.ut antem alacrius
Trierarchi ſubditi Venetorũ creati.
ſubditæ gentes Venetorum ad ipſum bellum confluerent, conceſsa eſt trierarchorum dignitas qui
buſdam nobilibus ſubditarum ciuitatum, quæ triremes mira alacrite & celeritate ſunt inſtructæ,
atque cum aliis pręfectorum Venetorum ad claſſem miſsæ. Muſtapha cum magnus numerus arma
torum fuiſset in Cyprum deportatus ad illam expeditionem, multique Turcæ quotidie ad ſpem
prædę conuolarent, iubet tormenta muralia quindecim Leucoſia attrahi, ac primum ad viridа-
Obſidio Salaminæ.
ria Salaminę caſtrametatur occaſum verſus, non procul à Precipola loco. ibi foſſas primum, &
aggeres de more caſtrorum excitat, attollitque vallos ad tormenta collocanda. ſic paulatim per
foſſas, & aggeres vrbi propinquat,atque rem agit noctu plerunque ne poſſet impediri, quo in ope
re erant circiter quadraginta millia hominum.obſeſſi cognito hoſtis conſilio ex iis quę agebantur,
ſumma diligentia reparationes interius ſtruunt. magna manus militum ſtationem habent in via
occultiore, quæ exteriorem murum contractiorem protegebat.noua lateja ſunt effodiendo extru-
cta,vbi męnia concuti poterant, ingens foſſa excauatur, aggerque extruitur è ceſpitibus. unde ſclo-
pettarii per aperta foramina hoſtem poſſent impeteread ſatis aptam craſſititem & altitudinem:
huic negotio præfuit ipſe Baleonus & Bragadenus. vniuerſa cura panis conficiendi iniuncta
eſt Laurentio Teupolo, qui in uno loco tantum conficiebatur in uſum militum, ne anno-
na temerè abſumetetur. arcis cura data eſt Andreæ Bragadeno, ac defendendæ vrbis ab ea par-

te, quę

te, quæ mare proſpectat, qui etiam noua latera excitari curat e gleba ad tuendum nauale Tormentarium negotium iniunctum eſt Foito equiti. ignium miſſilium tribus ducibus cum ſexaginta lectiſſimis militibus eius rei peritis. omnia tormenta tracta ſunt ad partem verberationis. diſtributæ ſunt ſingulis tribunis & centurionibus regiones defendendæ. inſtitutum eſt vt obſonium, & vinum militibus vel ad ipſa mœnia apportaretur, qui ſolum panem coemebant, quibus etiam ſtipendia triceſimo quoque die vt darentur, decernitur. exitur ſæpius ad leuia certamina cum magna Turcarum clade ob egregiam virtutem obſeſſorum, magnamque peritiam rei militaris, ſed cum exiiſſent, aliquando, penetraſſentque vel ad denſiores foſſas, confertiſſimorumque Turcarum ſtationes, Foitus, aliique non pauci Salaminenſes cæſi ſunt hoſtibus vndique ſuccreſcentibus, ac multis ſclopettariis vndique impetentibus. deeernitur itaque non eſſe exeundum ad manifeſtum periculum, ſed milites prudentius eſſe reſeruandos ad conatus hoſtium, cum præſertim in dies magis, magisque hoſtes propin̄quarent, & ad murum mœnibus oppoſitum exteriorem denique per ductas foſſas ac vallos perueniſſent. Cæterum vbi Petrus Comes Salaminam adiiſſet eodem die iniit leue prælium, neque vlla pugna ſine illo & ſociis commiſſa eſt. Huius virtute ſæpius cognita cohors peditum. Bragadeni & Balleoni conſilio illi commiſſa fuit, & præfectura vndecim bellicorum tormentorum cum parte vrbis tuenda. Nec ita multo poſt cum Turcæ pluribus in locis ita vrbi propinquarent vt foſſa vrbis, & prima ora potirentur, Comes cum quatuordecim è ſuis eandem oram occupat, quam vulgus contraſcarpam vocat. Vbi dies poſterus illuxiſſet, Turcæ repulſis magna vi cuſtodiis Comitis locum recuperant, quod ægrè ferens Comes cũ iiſdẽ ſuis Turcas denuo reiicit nonnullis tamen amiſſis. relictis ibi præſidiis rediit in vrbem. At veſperi Turcæ locum totis caſtris denique motis recuperant, non tamen ſine aliqua clade. atque cum excauarentur cuniculi miſſus eſt Petrus ad eos recognoſcendos non ſemel, qui arreptis ſcalis illud fecit magna alacritate vel per magnam ſaxorum frequentiam ac telorum miſſilium, quamuis plures ictus accepiſſet. eius virtute ſæpius perſpecta non vulgari in caſtris hoſtium, non ſemel neque leuiter ſed magnis pollicitationibus ſollicitatus eſt vt Turcicas partes complecteretur, relicta Chriſtiana fide, cum multo minora præmia à Chriſtianis ſuis eſſet virtutum relaturus. perfectis decem munitionibus ſexaginta & quatuor muralia tormenta ſunt impoſita, inter quæ inuſitatæ magnitudinis quatuor fuerunt baſiliſci. Cœptum eſt ab Amathuntea porta ad nauale vſque concutere mœnia, quæ in quinque ſpatia ſunt diuiſa. nam turris naualis quinque è munitione ſcopuli; murus propinquus vndecim concutiebatur, à turri Andrucii cum duobus propugnaculis, vndecim. à turri Diuæ Nappæ, quatuor baſiliſcis. porta Amathuntea quæ propugnaculum habebat quatiebatur triginta & tribus muralibus tormentis, vbi Muſtapha ipſe præerat negotio. Turcis primum minimum negotium fuit cum mœnibus, cum omnis eorum diligentia ad proſternendas domos, infringendaque vrbana tormenta conuerſa eſſet, à quibus non mediocre damnum capiebant. nam ob inſignem peritiam magiſtrorum tormentorum dilaniata ſunt plura triginta millibus Turcarum. & ad quindecim tormenta infracta atque inutilia reddita. Cum Baleonus ad turrim Diuæ Nappæ, Andrucciam Bragadenus, Teupolus in campo ſacro tentoria erexiſſent, facilè poterant virtutem, & inertiam militum cognoſcere, opportunè caſtigare, & ſuccurrere. iam enim ſpes Turcarum animique paulatim deficiebant, cum viderent tantam ſuorum iacturam fieri. ſed Salaminenſes cum vererentur ne ad inopiam pulueris tormentarii redigerentur, ſi tam frequenter tormenta in hoſtes diſploderentur, ſtatutum eſt vt res ad certum numerum quotidie fieret, neque id tamen niſi præſente aliquo è deſignatis præfectis cohortium. contra verò tantus increbuit ardor Turcarum, tantaque diligentia vrbs concuſſa eſt, vt intra duos menſes circiter centum & quinquaginta millia globorum ſint coniecta. Inter multas difficultates, in quibus verſabantur Salaminenſes, præfecti vrbis decernunt Hieronymum Ragazzonum Salaminæ Epiſcopum mittere ad ſummum claſſis Venetæ imperatorem & ad ſenatum cum Nicolao Donato trierarcho ambos rerum Salaminenſium apprime gnaros, qui Zanium & ſenatum doceret diligenter quo in ſtatu eſſent res Salaminenſium, & quanto in periculo verſaretur illa munitio, niſi & cita & prævalida ſubſidia mitterentur. nam certè quidem non leue ſtudium fore eius Hieronymi videbatur in re tanta, cuius & bonitas ingenii non ſemel eſſet perſpecta, & fratris Placiti diligentia cognoſceretur in negotio Siculo, & Iacobi ſingularis prudentia in rebus Byzantinis fuiſſet audita, cuiuſque familia ſemper viris in omni genere laudum claris floruiſſet. at quoniam ſubditi populi à ſacro paſtore in rebus turbulentiſſimis præcipuè non ſunt deſerendi, quibus maximè opus eſt paſtoris præſentia & conſolatione iucunda inter perturbationes, & ſapientiſſimorum antiſtitum conſiliis, Hieronymus non prius ad illa munia ſe abnauigaturum pollicetur, quam epiſcopus Aidaruſiæ ſiue Amathuntis, qui aderat, pollicitus ſit pro abſente epiſcopo munere functurum. Sic Hieronymus cum Nicolao per maxima cuſtodiarum pericula euadens quã celerrimè in Cretam peruenit, narratiſque calamitatibus miſerrimæ vrbis obtinuit vt paulo poſt Aloyſius Martinengus eò cum ſubſidiis mitteretur cum triremibus Marci Quirini. rem vbi Venetias ad ſenatum detuliſſet, decretum eſt quidem vt auxilia ſubmitterentur, ſed res ob tarditatem temporis, multaque repugnantia, diutius eſt prorogata. Quæ dum fiunt multa contentione in Cypro ab vrbem oppugnantibus, & defendentibus, Romæ fœderatio, & ſocietas belli ſtudio, & diligentia Pontificis Pij Quinti & Venetorum oratorum concluditur, in qua tractanda rebuſq; donec aliquã honeſtã moderationẽ caperẽt cõponendis Pontifex plurimum vſus

Inſtructa Salaminæ ad defenſionem.

Petri comitis virtus.

Salamina cõcuſſa.

Nicolai Donati & Hieronymi Ragazzoni diligentia.

Ictum numerus.

eſt opera, & iudicio Hieronymi Ruſticucij Phanenſis Cardinalis, & in comitiis patrum purpuratorum cum ſingulari omnium lætitia iubente Pontifice publicè pronuntiatur ad ſept. calend. Iunii, quod paulo ante etiam fuit Venetiis pronuntiatum publicè per præconem, præſente principe ſenatuque Veneto in foro Diui Marci, atque omnibus legationibus cæterorum principum, & Hiſpano præſertim. conditiones fœderationis fuerunt huiuſmodi; Vt inter Pontificem Pium Quintum, Philippum Hiſpaniarum Regem, Aloyſium Mocenicum Venetorum Principem ac ſenatum pax, & fœdus, & ſocietas belli perpetua ſit aduerſus hoſtes Chriſtiani nominis non ſolùm ad defenſionem, ſed etiam ad offenſionem .1. Vt apparatus bellicus ſit ducentæ triremes ac centum onerariæ. peditum Germanorum, Italorum, Hiſpanorum quinquaginta millia. equitum galeatorum quatuor millia & quingenti .2. Vt Pontifex duodecim triremes inſtructas præbeat, tria millia peditum, ducentos & ſeptuaginta equites. 3. Vt Philippus ſemiſſem ſcilicet; Pontifex ſextantem, Veneti trientem totius ſumptus bellici præbeant, vt paucis concludam. 4. Vt, ſi Turcica claſſis non exierit, liceat Philippo Regi Africam inuadere, niſi tamen fœderationis nomine alia expeditio ſumatur, ac Venetis loca intra ſinum Adriaticum, ac mutuo quinquaginta triremes vbi opus fuerit ſuis ſumptibus ad commoda fœderationis alere teneantur. 5. Vt quotannis menſe Martio aut Aprili ad ſummum claſſes inſtructæ ſint in mari Orientali, quibus duces pro vtilitate fœderationis, opportunitateque rerum ac temporum vti poſſint. 6. Vt ſi hoſtis aduerſus loca fœderatorum expeditionem ſuſceperit, claſſium præfecti vel cum parte copiarum, vel cum omnibus copiis, ante ſuſcepta expeditione relicta, opem ferant, omneſque vires vertantur ad ſubleuationem inuaſorum. 7. Vt oratores horum principum quotannis autumni tempore copiis comparandis, expeditionibuſque ſuſcipiendis in annũ ſequentem Romæ decernant apud Pontificem. 8. Vt ſumptibus quos Pontifex non poſſit facere, pro ratione ſuarum partium Rex & Veneti ſatis teneantur facere. qui ſi plus tamen ſua portione fecerint, Rex teneatur ſatisfacere. 9. Vt Veneti ipſas duodecim triremes Pontifici dare teneantur bellicis tormentis inſtructas, & omnibus armamentis neceſſariis ad vſus bellicos, quas Pontifex iiſdem inſtructas redderet, niſi quid belli vis abſtulerit. 10. Vt quoniam fieri poteſt, vt rerum aliarum bellicis vſibus neceſſariarum aliis maior copia ſit, ſi quis plus ſua portione contulerit; ab alio ſatis fiat in compenſatione aliarum rerum. 11. Vt ſi commeatus deeſſet alicui, liceat capere è locis fœderatorum honeſto precio, ſintque exportationes omnibus fœderatis liberæ ad vſum copiarum. 12. Vt nemini licitum ſit ex iis locis commeatuum eximere copiam, in quibus ineſſe putatur, niſi prius contulerit quantum opus eſt ad vſum terreſtrium, maritimarumque copiarum, illa tamen lege vt liceret ad vſum claſſis Melitenſis, & Melitæ inſulæ, & Galathæ, & Hiſpano Neapolitanoque regno, aut è Sicilia concedere & conuehere. 13. Vt vbi certum vectigal eſt exportantibus impoſitum, ne licitum ſit pro fœderatis exportantibus augere. vbi non exiſtit ordinarium, ad certam rationem liceat perduci. 14. Vt Turcis à Iulia Cæſarea, Tuneto, Tripoli Hiſpanum inuadentibus ſi nulla fiat fœderatorum expeditio, Veneti quinquaginta triremes inſtructas ſubſidio Hiſpano mitterent, quod ipſum fieret ab Hiſpano ſi Veneti à Turcis inuaderentur, neque id auxilium negari poſſit, ſi qui inuaderentur, maiores vires, quam ſint ſubſidia, haberent. 15. Vt Veneti quinquaginta triremes inſtructas Hiſpano mitterent ſubſidio, ſi aduerſus Iuliam Cæſaream, aut Tunetum Rex expeditionem ſuſciperet, & Rex Venetis ſi quid intra ſinum molirentur ab Apollonia Venetias vſque id ipſum concederet, neque expeditionem communi conſilio capeſſentibus fœderatis, neque Turcica claſſe formidabili egreſſa. 16. Vt in omnibus conſultationibus intereſſent tres principum fœderatorum ſummi duces, ratumque eſſet quod vel tres communi conſilio, vel duo approbaſſent. 17. Vt ſi Pontificis loca inuaderentur, reliqui tenerentur eum defendere. 18. Vt dux ſummus communis expeditionis communi fœderatorum vexillo vteretur: in propria expeditione præeſſet is quem vellet, qui illam ſuſciperet cum proprio vexillo. 19. Vt ſummus imperator fœderationis, & totius claſſis, maritimarumque & terreſtrium copiarum eſſet Ioannes Auſtriacus Philippi Regis frater, qui communi conſilio cum cæteris fœderatorum præfectis, vel vnius ſaltem, omnibus moderaretur; quo abſente præſit cum ſummo imperio pontificiarum triremium dux ſummus Marcus Antonius Columna. 20. Vt honorificus locus Cæſari, & Gallorum, & Luſitanorum Regibus pateat ad hanc ſocietatem belli ineundam, qui pro ſua portione vires fœderationis adaugeant. 21. Vt ſiqua controuerſia de rebus ad fœderationem ſpectantibus inter fœderatos naſceretur, nulla mora fœderationi adiecta ſummus Pontifex decideret. 22. Vt Pontifex paternè hortaretur cæteros principes, quo cõſulerent Chriſtianæ reipublicæ rebus, cui rei fęderati enixe & ipſi operam omnem & opem & autoritatem adhiberent. 23. Vt loca armis communibus fœderatorum capta diuiderentur vt in fœderatione anni. 1537. & bellici apparatus pro ratione ſumptum. Vt Iulia Cæſarea, Tripolis Africę, Tunetum ſint Hiſpani Regis propria. 24. Vt Epidaurus, ejuſque ager nullo detrimento afficiatur à fęderatis, niſi ſecus poſtea viſum ſit pontifici. 25. Vt nemini è fęderatis liceret agere de pace ſiue inducijs eum communi hoſte inconſultis cęteris focijs, aut tentare vllum genus amicitiæ. Has conditiones pontifex proprio & ſuorum ſucceſſorum, reliqui oratores & procuratores ſuorum principum nominibus ſubſcriptionibus & ſigillis confirmarunt, pollicitique ſunt bona fide, & ſine fraude diligenter ſeruatum iri, ac iuramento affirmarunt. ad horum obſeruationem Pontifex de conſenſu patrum ſacrorum purpuratorum omnia bona ſedis apoſtolicæ præſentia, & futura obligat, quod ipſum faciunt procuratores principum illorum regna, principatus, & omnia quæ poſſiderent, quæque ad eos aliquo iure ſpectarent, obligantes. de his omnibus poſt publi-

Fœderatio inter Pontificem Philippũ Regẽ & Venetos cõcluſa, & conditiones.

Io. Auſtriac⁹ dux ſũmus copiarũ fœderationis.

cus contractus & ſtipulatio fit ab Antonio Marcheſano pontificio datario, quæ mox in comitiis patrum recitantur præſentibus teſtibus Monte Valente Romæ prætore, Alexandro Riario Patriarcha Alexandrino, Antonio Barbaſſorio, Alexandro Caſalio, Marco Antonio Domnino, cæteriſque nonnullis. Hac fœderatione promulgata indictæ ſunt ſupplicationes Romæ. ignes vbique accenſi per noctem. multa lætitiæ ſigna edita ex arce Diui Angeli. Promulgatur deinde Venetiis cum maxima omnium populorum lætitia. Indictæque ſunt ſupplicationes, quibus princeps & oratores ac ſenatus interfuerunt, cum omnibus ſacerdotum ordinibus, per quam ſolennitatem multum auri & argenti ſpectandum populis comportatum fuit, & ludicra quædam in Turcas excogitata, tanquam re ipſa de Selimo victoria eſſet reportanda. ignes præterea nocturni in ſacris turribus per noctem accenſi ſunt. diſploſa multa tormenta. æris campani tinnitu lætitia ſignificata, quæ eadem fiunt in Hiſpania. Pontifex quòd intelligeret Venetos propè ſupra vires bellicorum ſumptuum magnitudinem ſuſtinere aduerſus Turcas præſertim, magno pioque animo illis concedit quinquies decumas exigere quotannis è ſacris prædiis in vniuerſo imperio Veneto. quod non leue ſubſidium cæteris accedere viſum eſt, quæ aliunde excogitabantur. Patres quia plurimum conferre ſuis rebus exiſtimarent, non modo vt præſentium Chriſtianorum armis iuuarentur, ſed etiam vt diſtraherentur hoſtis vires, ſi vno tempore pluribus in locis eius imperium inuaderetur, quia citius comburitur, difficiliusque adiuuatur ædificium, quod in pluribus partibus ignem conceperit, cogitant ſapienter quos principes poſſent ad tanti belli opportunitatem in hoſtem incitare. Reliqui omnes præter fœderatos viſi ſunt vel induciarum legibus vincti, vel nimis longinqui, qui non poſſent res Turcicas infeſtare, cum omnes, qui claſſem haberent in Italia ad ipſam ſocietatem conueniſſent, vnus viſus eſt Tamnaſus Perſarum Rex, qui & potentia, & auctoritate præſtaret, & non ſemel iniurias ab Ottomanis principibus accepiſſet, & animo parum miti in Turcas iure eſſe poſſet, & multum copiarum poſſideret, quibus plurimum poſſet vexare communem hoſtem. Decernunt itaque patres virum aliquem prudentia, calliditate, dicendi facultate præſtantem mittere, qui Regem ipſum, ſi fieri poſſet, ad arma in Turcas ſuſcipienda adhortaretur. Viſus eſt huic negotio Vincentius Alexandrius ciuis Venetus à ſecretis peraccommodatus, qui & de magnitudine Venetorum apparatuum bellicorum Tamnaſum faceret certiorem, & de iniquitate belli à Selimo ſuſcepti, eumque doceret vires fœderatorum, atque inuitaret ad arma in communem hoſtem alacriter ſuſcipienda, cum tam bona occaſio non eſſet negligenda. Ille mandatis acceptis, per Germaniam, Poloniam, Bogdaniam iter faciens ad Armonactum vrbem Myſiæ ſuperioris ſitam in litore maris Euxini peruenit. Ibi nauim conſcendens traiecit in Aſiam, cum non poſſet aduerſantibus ventis ad vrbem Trapezuntiam, quæ Metropolis eſt Cappadociæ accedere. Peruenit igitur ad Sinopim, quod iter erat & longius, & periculoſius, cum Samſum, Tocatum, Erzingianum, Baiburtum, Erzurum, aliæque munitiones Ottomanici Imperii eſsent tranſeundæ, tamen per magnam prudentiam & ſtudium patriæ iuuandæ vel obuius Turcicis copiis in Cyprum procedentibus vt egregiè Turcicæ linguæ peritus omnibus aduerſis & difficultatibus ſuperatis ad vrbem Tigranaanam denique Perſiæ Regni metropolim peruenit, quæ Tauris vocatur. Ibi curauit mores, ritusque regios perdiſcere, ne planè imperitus aulicæ conſuetudinis accederet ad Regem, qui domicilium habet iam multos annos Casbini, illud eſt nomen vrbis. Sed antequam eò perueniretur fortè conſuetudo, & amicitia contracta eſt cum viro Britanno oratore regio, quem Regina Britanniæ ad illum Regem tranſmiſerat. Is docuit Alexandrium omnes regios ritus, & quod Caidar Miriſes tertius filius Regis vicario munere, proregiaque poteſtate in rebus omnibus vteretur. Cæterum vbi Casbinum acceſſiſset Caidar Miriſes audito aduentu Alexandrii Veneti ſenatus nomine, cum non niſi per noctem negotiari conſueuerit, tertia fere hora noctis ad ipſum proregem admiſsus eſt. Excuſatione primum vtitur, quòd ſi ſciuiſset ſenatus eum vicarium eſse patris Regis honoris cauſa literas ad ipſum etiam dediſsent, vti dederant ad Regem. Caidar ſe æquo animo illud ferre oſtendit, deinde diploma in cuprea pixide oblatum accepit. Et quoniam barbaræ gentes, & potentiores præſertim ſemper etiam ad munera exterorum reſpiciunt. per quæ ſola ſe putant honorari, expetiuit Miriſes an alia attuliſset munera; accepit pro munere prudens, ac probabile reſponſum. Vincentium legatum vix ipſam vitam incolumem per tam longum iter, tot hoſtiles vrbes, tot, ac tanta pericula efferre potuiſse. Non defutura tamen opportunè quæ & Regi, & ipſi filio, ac proregi conuenirent. vbi verò quid in diplomate contineretur Caidar poſtulauiſset. reſpondit Alexandrius breui, & prudenti ſanè oratione, quòd Rex per eas literas docetur Selimi Imperatoris Turcarum perfidiam, qui paulo ante aduentum Adrianopolim oratori Veneto ſolenni iuramento confirmaſset per Deum, per prophetas, per animas maiorum ſuorum, ſe bonam ac ſinceram pacem Veneto ſenatui ſeruaturum, mox cupiditate dilatandi imperii neglecto honore, conculcatis iuramentis, poſt habita Dei, atque mortuorum reuerentia, quos teſtes ſuæ perfidiæ adhibuerat, nihil curans quòd perfidus, & periurus ab omnibus principibus putabitur, cum omnibus maritimis, terreſtribusque viribus. Cyprum adhortus eſt, atque ingentes copias eò ad expugnationem traiici iuſſit. Patres illa iniuria commoti potentiſſimam claſsem inſtruxerunt, quæ conſtaret è multis triremibus, quinqueremibus, onerariis, aliis nauigiis varii generis armatis ſe accinxerunt ad propulſandam iniuriã, & inſequendũ tam immanẽ tyrannũ hoſtẽ prope cõem humani generis. Se optare inquit Senatus, vt Rex ipſe in animo ſecum perpendat, quòd ſicuti tam recens iuramentum patribus illis

Fœderatio promulgata.

Decumæ ſacræ Venetis conceſſæ.

Vincẽtij Alexãdrij virt⁹.

non ſeruauit, ſic vbi vtilitas inuitauerit, neque ipſi quidem Regi, neque vlli finitimo principi eſt ſeruaturus. Nam qui æquitatem pro vtilitate, aut libidine dominandi metitur, qui fidus amicus cuiquam iudicari poteſt? Finitimo enim cum patribus negotio, ſi res illi feliciter ſuccedat, mox cum alijs finitimis eſſe incœpturum: cuiuſce inſtituti exempla eſſe dicebat multas res Ottomanorum imperatorum geſtas. Fortunam ipſius Regni propè vocem emittere, quòd ipſa negotia vobis ſunt capeſſenda. Nihil optabilius à Deo ſapientibus, & multis iniurijs affectis poſſe contingere, quam videre perfidum hoſtem tot difficultatibus implicitum, vt nulla ratione ad defenſionem reſpicere poſſit. Illud neque Regi Perſarum, neque regiis conſiliariis obſcurum eſſe poſſe, quod nunc in tanta, tamque certa victoriæ occaſione patres ad inuitandum Regem miſerunt nulla alia de cauſa; niſi vt ſignificarent illis opportunitatem non eſſe tranſmittendam rei præclarè gerendæ, cum potentiores principes Chriſtiani nominis ſingulari ſtudio, & concordia aduerſus communem, & acerrimum hoſtem commoti cum armis eſſent. Vnum reſtare, vt Rex ad ſuam felicitatem cum potenti ſuo exercitu moueretur tam ad vrbes, & oppida per iniquitatem Ottomanicam erepta recuperanda, quàm ad amplectendam beneuolentiam omnium populorum, qua mirificè omnes populi ab Eufrate flumine ad ſuos vſque fines ipſum proſequebantur, tanquàm iuſtum, antiquum, & legitimum Regem illarum prouinciarum. Illud non fore difficile, cum multi proceres, purpuratique Turcici imperii, ac milites omnes Aſiæ minoris, & Ciliciæ, ac Pamphyliæ ad Cypriam expeditionem confluxerint, regionemque ipſam vacuam præſidiis, & omni genere auxiliorum reliquiſſent. Futurum enim vt ex altera parte fœderati tam oppreſſas Selimi vires teneant, vt nulla ratione poſſit Byzantio exire, atque penetrare in Aſiam ad defenſionem, ex altera præclarè agi poſſe, ſi hoſtis impeditus, & pene oppreſſus magnis viribus inuadatur. His auditis reſpondet Miriſes illud proprium eſſe Ottomanorum Imperatorum inſtitutum, vt primo, vel ſecundo anno imperii promiſſa faciant irrita. Quod illud beneficii loco patres poſſent accipere, quia tam tardè cognouiſſent eius perfidiam. Pollicetur Regi ſe literas Senatus eſſe daturum, deinde adhortationem quoque ipſam literis commiſſam Regi obtulit. Se procuraturum audientiam ſecretiorem, neque quæ agerentur ſuſpicari poſſet, quia purpuratus Babylonis præfectus conqueſtus eſſet per literas apud Regem, ob publicam audientiam oratoris Britanni, quia videretur Rex cum liberis Chriſtianis principibus conſpirare. Sibi parum gratum videri ſua conſilia ſuſpecta eſſe Turcis, quos ſi ita viſum eſſet, repente eſſet inuaſurus. Rogat deinde diligenter an verè inita ſit fœderatio, qui principes eſſent fœderati, quas vires haberent maritimas, & an Gallus, & Luſitanus Reges ſocii forent eius belli. Cognouit Gallum ob longinquitatem, quia non haberet triremes abſtitiſſe à negotio. Luſitanum initurum breui, quia multa inuitarent, & vicinitas regni, & affinitas Philippi Regis, quòd nepos eſſet è ſorore. Sed enim cum in diplomate per Alexandrium ad Regem delatum ſignificaretur alias literas miſſas fuiſſe per mercatorem, neque illæ adhuc eſsent delatæ, vix poſt tertium menſem redditum eſt reſponſum Alexandrio, nolle Regem negotia per quenquam ſibi in memoriam reuocari, cum ipſe Rex conſueuerit pro arbitrio expedire. Non poſse negotium finem ſortiri; antequam vnus, aut duo anni tranſiiſsent, atque cognitum eſset quid profeciſsent fœderati in eo negotio. Regem prudentem eſse, atque in tantis rebus tempus, & occaſionem conſulere. magna negotia magnum ſpatium, multamque conſultationem requirere. Nec ita multò poſt allatis etiam prioribus literis cognitum eſt de ſententia Regis per quendam è primariis conſiliariis regiis duos eſse eiuſdem negotii procuratores, ſatis forè, ſi vnus tantum finem negotii expectaret; quod cum commodius fieret per mercatorem Vincentius Alexandrius de communi conſenſu Venetias rediuit, omniaque ſenatui, vt hactenus tractata fuerant, diligenter ſignificauit. Illud reſponſum dum expectatur à Rege Perſarum, Cairus Seidi Acmati nepos, qui paulo ante Gilani Rex fuerat, cœpit ad patruele regnum aſpirare; quamobrem vltro citroque miſſis nuntiis amicos ſollicitat ad defectiouem, hortaturque opem ferre ad ipſum regnum recuperandum. Vbi ſatis potentem factionem habere ſibi viſus eſt, multis coactis copiis conſpirantibus etiam ciuibus propè vniuerſis Laiganum munitionem omni genere bellicorum apparatuum inſtructam metropolim Gilani vocati Regni inuadit, atque ciuium opera, & auxilio admiſsus, ad quatuor millia Perſarum trucidat, qui erant in præſidiis. Genuitus Miriſes Tamnaſi filius, cum ad arma tota vrbe conclamaretur per ſecretiorem portam oppidi cum Allaculio vrbis gubernatore, & quingentis hominibus in proximos montes fuga ſe ſeruauit. Tamnaſo moleſtiſſima fuit eius regionis iactura, cum plurimum frumenti in primis, & olei, & ſerici ſit ferax, in qua regione circiter viginti millia equitum ſane ſtrenuorum & acerrimorum fuerant paulo ante deſcripta. Hanc munitionem iiſdem propè artibus Maeſumus Begius Tamnaſi primogenitus occupauerat, quæ gratiſſima erat Regi. Idcirco vbi allatus eſt nuntius ad Tamnaſum; iubet Muſtapham filium cum decem millibus equitum, & ſex tribunis, multoque peditatu munitionem ipſam obſidere, atque expugnare, ſed enim cum ad fines Laigani peruentum eſset, munitionis præſidia, quibus auditus eſset Perſarum apparatus, magna alacritate hoſtem expectant. Cœptum eſt vtrinque certare minutis præliis, & frequentibus incurſionibus. At verò cum egregia obſeſsorum virtus appareret in illis certaminibus, ſemperque inferiores Perſæ redirent e pugna, ſcripſit Tamnaſus ad filios in caſtra, quò confugerat etiam Genuitus Miriſes, vt à tam frequentibus certaminibus abſtineretur, pugnareturque tempore, quoniam multo cõmodius & honorificentius prudẽtia certaretur: Fore enim ſub hyemem, & caſum foliorum de

arboribus

arboribus vti magna auxilia mitteret. Vbi diutius obſidio perduraſſet, multique vtrinque fuiſſent trucidati, quia res Turcica non ſatis tuta eſſe videretur ob indignationem purpurati Babyloniæ præfecti, & cum apparatus fieri ad mare Caſpium dicerentur, reuocatæ ſunt copiæ paulo poſt, & ad maiora negotia animi conuerſi. Deinde cum victoria fœderatorum, nuntiata fuiſſet, multique recentes ad arma palam capienda in Turcas denuò hortarentur, non prius ſe capturum reſpondit, quàm vidiſſet vtiliores Chriſtianorum progreſſus. parui referre ligneas ſcutulas demerſiſſe, dum ſunt in columes ſyluæ ac poſſidentur vnde poſſent aliæ excindi. Non tamen fuit leuis oratio Alexandrij, quæ plurimum odij in animis multorum aduerſus immanes Turcas excitauit. At in Gallia togata, & in alijs regionibus ſubiectis imperio pontificio, res iam nimis crudeliter & auarè tractabantur ab illis, qui magiſtratus coemerant, quoniam rati ſe impunitatem aliquo pacto coemiſſe extorquendæ ſuæ pecuniæ, quam erogarant, multa inſcio pontifice improbè committebant. nam omne genus miniſtrorum ſæuire cępit, & præſides non poterant eſſe impedimento ſine inimicitia, maiores mercedes extorquere cęptum, quàm in legibus ſancitum fuerat; & qui quauis de cauſa vel leuiſſima captus eſſet pro opulentia magnitudinem flagitij adaugebat. omnia iudicia criminum fiebant iudice pecunia. inuentum eſt vt venia ſuppliciter per chirographum vel ab innocentibus peteretur. ſic pro pecunia res componebatur. at innocentiam defendere volentibus, carcer, compedes, tomenta, omnia grauia ſupplicia intentabantur, neque prius iudicium finiebatur, quàm per tenuiſſima alimenta ad ſatis ingentia precia & per mercedes, Carceris ad eandem pecuniæ magnitudinem omnino deueniretur.

Iudicũ fraudes & crudelitas.

in Cypro res non ſegniter aut frigidè abgebatur, quoniam Turcis auxilia vndique confluebant ad vrbis Salaminæ obſidionem. nam confluxerant circiter ſexaginta millia illorum, qui ſpem prædæ ſectantur in caſtris, allectorum opulentia vrbis, cum rumor diuitiarum Leucoſiæ in omnes finitimas nationes diditus eſſet. circiter ſexaginta millia operarum, ſeptuaginta mercenariorum, quatuordecim Ianizzerorum, qui erant in Ciliciæ, Syriæ, Pamphylie, Capdadociæ præſidijs.

Copiæ confluẽtes ad Salaminę oppugnationem.

Aderant inter hos prętantes autoritate purpurati pręter ſummum Imperatorem Muſtapham tres Arabiæ præfecti, & purpurati Pamphyliæ, Damaſci, Tripolis, Leucoſiæ, Gręcię, Aſiæ minoris, Hierapolis, Muſtapha alter, cui ſummum erat imperium ſpe prędæ caſtra ſequentium. erant Salaminæ inſignes præter Bragadenum, & Baleonum, Laurentius Teupolus. Paphi pręfectus, Aloyſius, Neſtor, Hercules Martinenghi, Federicus, Baleonus, Andreas Bragadenus, Hercules Malateſta, Io. Antonius Quirinus, & alij multi. cum celox ad hos nuper è Creta aduentaſſet omniũ animos ſingulari lętitia extulit, & ſpe ſubſidiorum repleuit. Turcę ad exteriorem vſque coronam foſſę vbi penetraſſent, foſſarumque labra ipſius vrbis per magnam vtrinque cladem, vt diximus, iam terram in foſſas vrbis deuoluunt è regione illarum quinq; verberationum, quæ ſeptuaginta & quatuor muralibus concutiebantur. Sed quidquid operæ ab illis abſumebatur foſſa replenda fiebat inane, quoniam & ſexa quæ delabebantur, & terra deuoluta ſingulari Salaminenſium diligentia in vrbem per noctem importabatur, omnibus miſtim ac certatim ad opus confluentibus.

Salaminẽſiũ diligentia.

illud vbi Turcę cognouiſſent, foramina in aggere coronaque exteriore excauarunt, per quæ ab immiſſis ſclopettis ferirentur in latus quicunque in foſſas deſcenderent magna procella plumbearum glandium. Ioannes Mormorius architeſtus tabulatum quoddam excogitarat, quo à ſclopettis portantes materiam protegerentur. ſed parum illud fuit adiumento, cum vel ipſum artificem non protexerit. cum vero plus terrę deiiceretur, quàm auferri per eas difficultates poſſet, labor tanquam irritus tranſmittitur. Turcę foſſa ſolo adæquata portam in citeriore muro excauant, vnde terra ſemper vlterius ad protegendum conuoluta tranſuerſe foſſam penetrantes ad mœnia perueniunt; iſtud ipſum fit è regione ſingularum verberationum. aggerem vtrinque, & faſciculis lignorum & ſaccis terra plenis protegunt, quo tuti ad inuadendam vrbem accederent, neque laterum ictibus infeſtarentur. obſeſſi ne tot à Turcis impune excogitarentur, ex vrbe erumpunt. faſciculis lgnorum ignem ſubiiciunt miſſilem. ſed tãta erat horũ frequentia vt incredibili celeritate omnia reſarcirentur. at enim quoniam tormenta parum proficere his videbantur ad vrbis męnia poſternenda, foſſaſque implendas ruinis murorum, res agi cæpit cuniculis, ita magis planam viam putarant ſe aperituros ad conatus. primum igitur cuniculum ad Turrim Diuæ Nappę, deinde ad Adrucciam, tum ad ſacrum Campum, & ad nauale excauant, quo conſilio cognito Baleonus his aduerſariam artem excogitat. nam copiis pro verberationibus diſtributis Italis videlicet & Gręcis & Illyricis decernit vt oppoſitis cuniculis obuiam iretur. cęteris obuiam itum eſt; ſed ad nauale, cui perficiendo Turca quidam Zambelettus pręerat, cuniculus quidam abſolutus eſt; & Muſtaphę iuſſu omnibus copiis ad conatum inſtructis ignis ſubiicitur. tanta verò fuit ignis vis & impetus, vt cum horrendo ſpectaculo, ingentique ſtrepitu murum vrbis deiecerit per aliquantum ſpatium, & non nullam partem aggeris ad impetus hoſtium tutò retardandos extructi. Turcę cognita opera cuniculi cum magnis vociferationibus magnaque alacritate ad inuadendum occurrunt in vrbem aggreſſuri atque per ruinas ad mœnia vſque proruunt. atque cum Petri Comitis milites ob repentinum caſum propè attoniti parum reſiſterent, Neſtor Martinengus cum ſua cohorte ſubſidium ferens donec illi quodammodo reuiuiſcerent, ſingulari virtute & fortitudine defenſorũ Turcę pręcipites per ruinas detruduntur. conatus ad quinq; horas perdurauit recentibus, Turci iã defeſſis ſępe ſuccedẽtibus. ſed audaciores fortioreſq; Turcę primi omnium cecidere in eo conatu. Iſtud autem factum eſt Quirini & Bragadeni prudentia qui feſſis & vulneratis ſępius recentes ſubmiſere, quibus etiam plurimum auxilii bellica tormenta attulere

exoppidulo

ex oppidulo.ceciderunt in eo certamine Comes Franciſcus Gautus. Bernardinus Vgobinus centurio, Marius Abbioſus Auguſtini filius iuuenis ſtrenuus, & alij. ad centum vulnerati; Hercules Malateſta, Petrus Comes cohortis præfectus, & multi centuriones ac ſiginferi è Turcis magna multitudo trucidata eſt. Muſtapha viſa tanta ſuorum clade ſpe potiundæ vrbis eo die deiectus receptui cani iubet. obſeſſi vbi a labore aliquantulum conquieuiſſent, ad extruendas munitiones animum adiiciunt, atque latera, quę partes vrbis diſiectas protegerent, & vbi cuniculi excauari ab hoſtibus ſentiebantur explorandum per peſtes aquarum & tympana. vaſa vinaria & ſacci & ſtrata terra plena fiunt, omnibus Græcis promptè vel lintea cubilium pro libertate comportantibus ad bellicos vſus. nam nullis neque tapetibus neque auleis neque cęteris domeſticis ſupellectibilius parcitur. enimuero quidquid tormentis interdiu diſrumpebatur, reficiebatur noctem, cum minimum temporis, & aliquando nihil ſomno concederetur, ſemperque milites ad męnia pernoctarent. dormiebatur enim per meridiem cum hoſte per reliquas horas ad arma conclamari ſæpius cogerent, vt obſeſſi diuturno labore defatigarentur. dum ita pugnatur ad moenia Salaminæ, Veneti ſumma vti diligentia vti triremes in Creta inſtruerentur. inſtare ſubſidiis in Cyprum mittendis. Antonius Canalis cum quindecim triremibus mitti ad Cretenſes triremes Corcyram deducendas, quas vbi non inueniſſet inſtructas relicto Quirino, qui inſtruendis triremibus, onerandiſque onerariis præeſſet, Cydoniam properat, ibique omnes triremes Lucæ Michaelis diligentia inſtructas inuenit. Alis interea coniunctis viribus omnibus claſſicis nauigans è Chalcide ad Amphimaleum portum denique applicuit, vbi expoſitis militibus omnia ferro igniqne populatus multos capit è quibus cognoſcit ſtatum Venetæ claſſis. conſcriptæ fuerant per id tempus multæ copiæ Philippi Regis nomine ac iuſſu in Gallia citeriore, circiter quatuordecim millia Hiſpanorum, partim Italorum, quæ duce Beltramo Alberquechio Liguriam verſus iter ceperant. cauſa harum colligendarum fuerat ſuſpicio non leuis orta ne Galli conueniſſent cum ſubditis marchionis Finalis, eiuſque arcem ſitam in ditione Genuenſium per deditionem occuparent. nam Philippus non ſegniter huic rei occurrendum putarat. Philippici itaque admotis caſtris arcem inuadunt, quia Finalenſes ſeſe conſtanter ac fortiter prius tueretur, neq; quidquam minus quàm de deditione cogitarēt. attractis verò pluribus & grandioribus tormentis muralibus, quibus arx concuti cępta eſt, veriti ne vitam & omnia in magnum diſcrimen coniicerent, ſi nimis obſtinatè reſtitiſſent, nulla præſertim ſpe ſubſidiorum oblata, cum breui futurum eſſet vt rerum omnium neceſſariarum penuria laborarent, decernunt maturè rebus ſuis conſulere; atque honeſtas conditiones turpi, & calamitoſæ pertinaciæ anteferre. cęptum eſt igitur agi de conditionibus deditionis, quæ fuerunt, vt obſeſſis liberis excedere ex arce quo vellent, liceret. Vt bona ſiqua haberent intacta relinquerentur. Vt prouentus integri marchioni, ſicut antea, reſeruarentur. Vt nequid eius iuri ac priuilegiis derogaretur. at contra, Vt obſeſſi arcem Hiſpano Regi cum omnibus bellicis apparatibus integris traderent. Vt liceret Regi quæ vellet præſidia imponere. per quod fere tempus Hermannus Ruyterus Buſcoducenſis repentino conatu arcem Louenſtainam, capit in Belgio omnibus trucidatis præſidiis, quod vt cognouit Albanus ſumma celeritate iubet Hiſpanas copias ad illam recuperandam conuenire. pugnatum eſt ſumma contentione totis viribus, atque Ruytero ad internecionem vſque ſtrenue pugnante, per magnam Hiſpanorum cladem arx denique recuperata eſt. At foederati principes de communi ſententia decernunt vt quiſque cum ſua claſſe Meſſanam conueniret, vt ibi communi conſilio de tota re bellica conſulerentur. Muſtapha quoniam ſuperius ſuſceptum conſilium irritum fuiſet, conatur Salaminenſes alia ratione tentare, quod fit duobus in locis vno tempore, quo vires diſiunctæ minores efficerentur. decernit igitur vt pars copiarum nauale aggrederetur, pars antemuralem plateam. nauale Neſtor Martinengus egregia ſingularique virtute defendit, cum per confertos hoſtes irrumperet, vbi maius appareret periculum vel accepto vulnere ex glande in ſiniſtra tibia. nam hoſtes præcipites per ruinas murorum refugere compulit cum parua ſuorum iactura, quinque tantum ipſe amiſſis, at cum inſigni iactura Turcarum. in altera parte acrius etiam & periculoſius certatum eſt. nam ſubiecto igni cuniculo è ſaxo excauato tanta coorta eſt, tamque repente erupit vis flammæ, vt ſaxum concrepuerit, & agger corruerit. Turcę ſingulari celeritate, qua via patefacta eſt, vrbem inuadunt, illam alacritatem partim pollicitationes liberaliſſimę Muſtaphæ, partim minæ efficiebant, qui aderat huic conatui, ſummaque induſtria vtebatur vt rem ad optatum finem deduceret. Hercules Martinengus primum hoſtium conatum cum ſuis fortiter ſuſtinuit, donec ſubſidia miſſa ſunt. Neque defuerunt ſane in communi patrię periculo mulieres & virgines, cum illę ſumptis armis vnà cum militibus pugnam & impetus hoſtium ſuſtinuerint, atque cum Turcę ad ſex horas fruſtra dimicaſſent coacti ſunt magna cum clade tecedere. ceciderunt in ea pugna tres cohortium pręfecti, & milites ad triginta. epiſcopus Amathuntis cum effigie Chriſti cruci affixi intrepidus ad omnia pericula milites pro Chriſtiana religione ad pugnam fortiter hortabatur. Turcica claſsis cum eſſet adhuc in portu Amphimaleo, quatuor onerarię naues cum militibus & bellicis apparatibus, quę Venetus ad Cretę littora mittebantur diſtantes circiter tria milliaria à Turcica claſſe ignotę pręternauigant, cum nebula quędam tunc orta fuiſſet, atque incolumes in Cretam appulere. Per quod ferè tempus octingenti milites Cyrnenſes tribuno Franciſco Iuſtiniano Genuenſi ad Cydoniam deferuntur ad eius vrbis cuſtodiam. Alis deinde, qui cum Partao è faucibus Helleſponti egreſſus fuerat cum ducentis & triginta tribus

Salaminēſiū alacritas.

Finale ab Hiſpanis captū.

Finalis deditio.

Mulierū Salaminēſium virtus.

nauigiis diuerſi generis, in Eubœaque claſſem inſtruxerat ad bellicum vſum, Reges Iuliç Cçſareç & Teuthraniç ſibi adiunxerat cum octo triremibus & duodecim liburnis, quibus additæ ſunt triginta piraticæ in itinere. mittit Luzalim cum quadraginta triremibus Rithimiam, ipſe duodecim millia iubet è ſuis deſcenſionem facere, qui cum vbique incendia excitarent, quocunque accederent, Apicornum, Baſtiam, Petimum oppida popularentur, Cyrnẽſes vix egreſſi è nauib. è veſtigio ad defendẽda mœnia accurrũt. Michael præfectus educta ſatis valida manu militum & Cyrnenſibus copiis, cum Turcæ collem occupaſſent & muniiſſent tanta virtute, procellaque glandium impetit, vt turpiter coegerit ad naues refugere cum magna ſuorum clade ſolutis etiam captiuis. Illa pugna tertia diei hora incepta ad vigeſimam ſecundam vſque perdurauit menſe Iunio. cognitum eſt per captiuos claſſem Turcarum conſtare è trecentis nauigiis, inter quæ centum & octoginta erant triremes, cœtera varii generis, at minora tamen triremibus. conſilium illud eſſe Turcarum vt inſulam Cretam pro viribus concremarent, & Eplam ſiue Egialiam, & Zacynthum pro Turcico inſtituto, quod eſt prius populandi omnia loca, quç oppugnare parent. cum haberent etiam proprium imperatoris mandatum vti niterentur Chriſtianam claſsem expugnare, neque prælium vllo pacto detrectarent. poſtridie eius diei cum Turcæ, qui ſe ad naues receperant ad quartam diei horam latuiſsent, vt inſulanos repente adorirentur ad delendam infamiam ſuperiore pugna acceptam, intra nonnullas domos ſe munierant. deinde paulatim vrbi propinquãt ita vt ſclopettis poſſent offendi maioribus. Initum eſt leue prçlium non procul ab vrbis foſſis cum magna tamen Turcarum clade, nonnullis etiam inſulanis cæſis. Sic Turcæ denuo redeunt ad nauigia. Luzalis Rhitimiam profectus cum locus eſſet apertus ſine controuerſia illa potitur, qua deuaſtata inde diſcedit. Alis vbi duodecim triremes per tempeſtatem amiſiſſet, ſuosque cenſuiſset, qui erant in claſſe inuenit ferè quatuor millia hominum deficere, quare inutile eſse ratus tam infeliciter in his inſulis copias amittere, reuerſo Luzali ad Eplam nauigat vbi eductis militibus multa caſalia populatus ſuccendit. Sed quoniam claſſis dicebatur occaſum verſus nauigaturà, decretum eſt vt ſuppetiç quàm citiſſimè in Cyprum obſeſſis mitterentur, cum præſertim onerariæ quinque adeſſent. Sed quia ſine cuſtodibus illud difficile videbatur, iniunctum eſt Quirino vt ad triginta triremes colligeret, qui Canalem è Cydonia cum ſuis acceſſiuit. Verum cum tot nonad eſſent inſtructæ, quot requirebantur, Quirinus ad res explorandas proficiſcitur. Venerius cum eſset Corcyræ duas triremes mittit ad explorandam claſsem hoſtium præfecto Ioanne Lauredano, qui è Cephaleniis cognouit claſsem ad Zacynthi deuaſtationem contendiſse. Inde decernit Meſsanam verſus iter capere, vt cum Hiſpanis viribus ac pontificiis coniungeretur, miſitque ſignificatum Quirino & Canali vt quanto maiore cum triremium numero poſsent Meſsanam quàm citiſsimè contenderent. Sic igitur cum ſex quinqueremibus, tribus onerarijs, quinquaginta triremibus Corcyra Meſsanam verſus diſceditur. Vbi illuc ventum eſt, Venerius & Columna rebus omnibus inſtructi Ioannis Auſtriaci aduentum auide præſtolantur. per idem ferè tempus compoſitæ ſunt, & pacatæ res inferioris Pannoniæ, quia mortuo vaiuoda Tranſyluaniç Rege ad Turcicas partes propenſo, periculoſum viſum fuerat in comitiis illius regni, ſi quis aduerſç factionis rex crearetur, ne quid mali immineret adiunctis quibuſdam fœderatis, & accita terreſtri itinere iam inſtituta fœderatione ad bellli ſocietatem. Indicta ſunt igitur comitia creandi noui Regis Tordam, quod eſt oppidi nomen in Tranſyluania ad. 8. cal. Quintilis, ad quæ Selimus etiam literas ſcripſit, hortatusque eſt proceres vt vaiuodam crearent Stephanum Batorem: at vtero additæ ſunt admonitionibus pollicitationes eius Regni in omnes euentus defendendi. ille vbi fuiſset rex appellatus, continuo de more eius gentis dat & accipit iuramentum de ſeruandis priuilegiis, & de æquitate tuenda. Inde ad Selimum gratulatum mittit, & qui gratias ageret pro propenſo in ſe ſtudio cum quinquaginta millibus talarorum, cui contra Selimus & ſceptrum & regium vexillum dono mittit, & alia præterea munuſcula, atque iniungit ne cum exteris principibus amicitiam exerceret, aut vllum fçdus percuteret. Sed quoniam Paloda Tranſyluano nuper fuerat erepta, illam paulo poſt per obſidionem compulit ad deditionem ſtatim collectis copiis. Enimuero cum mortuus eſset Turcigeorgius pagi quinquaginta ferè ſeſe in Turcarum fidem accipi rogarunt, quibus acceptis magnus terror iniectus eſt Pannonicis finibus ne bellum ibi quoque excitaretur. Miſſi ſunt igitur à Cæſare, qui præſidia illorum finium recognoſcerent, viderentque munitiones an ſatis ad ſuſtinendos tumultuarios Turcarum conatus eſsent inſtructæ, ſi qui fierent. in Illyrio cum Turcç prçdabundi palanteſque vagarentur, Banus ſibi adiunctis auxiliis Illyricis repente illos inuadit, multiſque trucidatis nonnullos inſigniores capit. at verò cum Azrini comes oppidi ad ſexaginta captiuos haberet; illi pollicitationibus corrumpunt cuſtodias ac diffugiunt. Comes miſsis, qui inſequerentur eos rurſus capit, atque de cuſtodibus accerbiſsimum ſupplicium ſumit, ſiquidem alii ignitis forcipibus ſunt laniati, alii humi defoſsi humerorum tenus, qui iam putreſcentes in fruſta ſunt diſsecti. atque cum in mari oceano adeo ingens piratarum multitudo ſuccreuiſset vt nihil neque mari in neque mari, ſinitimum eſſet tutum ab illorum auaritia, Sueuus & Daniæ rex inito fçdere ac ſocietate eius expeditionis naues parat ad mare expurgandũ, quo tempore Nanſienſis quoq; comitis claſsis nõ medio criter Belgii litora atque oras maritimas infeſtat. In Cypro inſula Muſtapha cognita ingenti ſuorum clade, quam acceperat per illosduos couatus, exiſtimauit ab illa ratione pugnandi abſtinendum, & veniendum eſſe ad tormenta, quare ſingulari ſtudio ſeptem munitiones vrbi propinquiores excita

Claſsis Turcarum magnitudo.

Rhitima deuaſtata.

Ioannis regis Tranſyluani mors.

Trãſyluaniç rex creatus.

Paloda capta.

Acerbitas ſuppliciorũ.

tes excitant. Illuc attractis tormētis è prioribus munitionibus octoginta muralibus vrbē cōcutit tanta frequentia globorum, vt circiter quinque millia intra diem ac noctem contorta ſint. Tanta igitur procella Turcæ aggeres demoliuntur, vt difficillimum eſſet eos reficere, cum neque interdiu neque per noctem quidem tormenta ceſſarent, multique reſarcientes trucidarentur modo machinarum bellicarum, modo ſclopettorum ictibus. Hiice difficultatibus accedebat, quod platea antemuralis partim ligonibus detracta partim coarctata in aggeres extruendos, nullam aream prędebat defenſioni; quam tamen tabulatis dilatandam cenſuerunt. Maggius eques quia cenſeret neque ita quidem illam poſſe defendi; decernit tamen non niſi per magnam cladem illam hoſti eſſe capiendam, quare in ingentem cuniculum illam excauari curat. vbi ad conatum ventum eſt, vrbs è quinque partibus inuaditur. vbique certatur magna virtute cum multa clade Turcarum, ſed ad plateam atrocius fit prælium, ac magis cruentum. cum vero propter anguſtiam loci ſatiſse in ea platea tractari non poſſent ſatis commodè, imperatum fuerat à Baleono vt paulatim ſenſimque recederent è platea, tanquam vi repellerentur, at ne cognoſceretur quòd ſponte exirent. Sed milites parum ſeruantes inſtitutum confusè cum Turcis admiſtis recedunt, quia Turcæ ſe iam victoria partos arbitrabantur. illa re cognita, per ſpecto periculo, in quo ſalus vrbis erat conſtituta imperatur à ducibus vt ignis cuniculi ſplateę ſubijceretur. repente vero vniuerſa platea deuaſtata eſt, ſublimeſque elati ſunt & mox oppreſſi plures mille è Turcis, è defenſoribus ad centum. Turcæ tam repentina clade territi non minus attoniti inde recedunt, quàm ab ijs partibus magna defenſorum ruina ſunt reiecti. Hic conatus ad quinque horas perdurauit. tanta ruina facta eſt per eum cuniculum vt Turcæ minime poſsent accedere, atque cum ſiniſtrum latus tantum ſuperfuiſset, illud quoque in cuniculum excauatur. Turcæ quia viderent plateam antemuralem ab obſeſſis relictam eſſe, foſsam excauant qua impedirentur ne Turcas offenderent. Pręſidia quæ erant mittenda Salaminam, iam inſtructa parataque erant, & Quirinus reuerſus in Cretam nuntiat ſe accepiſſe claſſem hoſtilem occaſum verſus nauigare, quare cum magna nauis, quam Barzottam vocant, præſidiis onuſta diſrupta fuiſſet per repentinam tempeſtatem, tempus neceſſario prorogatur. Quirinus itaque vbi præſidium non eſſet paratum, Rhodum verſus exploratum properauit, quid hoſtis moliretur. & iam Philippus Hiſpaniarum rex præfecit inſtructæ claſſi Ioannem Auſtriacum cum ſummo imperio rerum omnium claſſicarum, quem iubet vniuerſum peditatum Hiſpanum, qui militauerat in Tudertana regione ſecum auehere, cum quo claſſem conſcendit Herneſtus & Rodulphus Cæſaris filij, qui à patre in Germaniam reuocabantur. Ioannes claſſe accepta cum quadraginta & ſeptem triremibus Barcinone Genuam verſus ſoluit, cui vnà cum cæteris principibus obuiam itum eſt à Genuenſibus, & cum magna pompa omnes excepti. nam cum duobus principibus præter militarem manum plurimi tum nobilitate, tum etiam peritia rei militaris illuſtres nauigarunt, quibus honoris cauſa Florentiæ, Vrbinique principes obuiam proceſſere. Auſtriacus ſexdecim triremes Neapoli profectas eodem reuerti iubet, cum eſſet in Siciliam quàm citiſſimè traiecturus. inde pontifici nuntiatum mittit ſe in Italiam aduentaſſe vt apparatus bellicos cito pararet. ad Venetos Michaelem Moncatam hoc ipſum ſignificatum mittit. Principes legationes duo mittunt ad pontificem ſalutationis cauſa ac ipſi Mantuam proficiſcuntur, ſuperatiſque alpibus in Germaniam perueniunt. Triremes per Liguſticum mare nauigantes haud procul à portu Traiani apud Centumcellas duos liburnos capiunt. vinctos ad tranſtra multos ſoluunt, & Siciliam verſus nauigant. Ioānes Liguria ſoluens breui cum duodecim triremibus Meſſanam peruenit, quem medium Columna & Venerius in vrbē comitantur. nā Venerius eò iam pridem peruenerat. Quirinus in Cretam reuerſus nullo accepto recētiore nuntio intelligit ſibi imperatum eſſe à Venerio vti Meſſanam accederet. Sed cum magis inſtare ſubſidiorum neceſſitas appareret, permanſit donec naues inſtruerentur ad iter. Turcica claſſis ab Epla inſula ſoluens obuia quæque ferro & flammis populatur. Zacynthi, Cephaleniæque locis quibuſdam ſuccenſis & captis circiter ſex millibus hominum Butrotum accedit, vnde quadraginta triremes Ceſtriam mittuntur ad Spaches in demortuorum locum conuehendos. Alis deinde Ceſtriam & ipſe accedit cum reliqua claſſe, atque capit duas onerarias Venetas, quæ cum prius ſe à duodeuiginti triremibus defendiſſent cum magna vtrinque clade, tandem à multis inuaduntur cum per ſtrepitum tormentorum pugnantes proditæ eſſent. Ceſtriam profectus ad mille & quingentos ſclopettarios educit partim Spaches, partim Ianizzeros qui oppidum tentareut. Defenſores vbi procella ſclopettorum à męnibus repellerentur, viderentque ſe non poſſe impetum ſuſtinere, ignem bellicis apparatibus ſubijciunt, vnde coorta eſt tanta vis ignis vt circiter quingenti Turcæ exarſerint. Sed ſuperante denique multitudine oppidum captum eſt. pręſidia partim cęſa, partim in ſeruitutem abducta. qui reperti ſunt in pagis finitimis ferè quadringenti trucidati. ſub idem ferè tempus illa pars Iaderę, quæ mare proſpectat magna diligentia à Venetis muniebatur, cum duo Sanzachi cum magno peditatus equitatuſque numero ſe mœnibus, oſtentant. Iaderentes ſclopettarii quadringenti exeunt. ſitum per opportunum capiunt. initur leue pręlium. multi Turcæ ſternuntur ſine vlla Iaderenſium offenſione. reliqui ſeſe ab ea pugna receperunt procul ab vrbe recedentes, Nam, vt cognitum eſt per captiuos, aduenerant ad ſitum vrbis cuidam purpurato oſtendendum, qui nuper acceſserat Byzantio. Alis Ceſtria diſcedens Dyrrachium applicuit, de ciuibus Epidauriis grauiter conqueſtus quod triremem Franciſci Troni dedere noluiſsent, cuius vis cathenam infregerat illuc confugientis ad fidem eius vrbis. nam Trona triremis Cor-

Auſtriacus ſummus claſſis impator.

Filij Cęſaris ex Hiſpanis in Germaniā accedūt.

Naues duæ venetæ captæ.

Ceſtria recepta à Turcis.

mis corcyra ſoluens Vlcinium mittebantur nuntiatum adeſſe claſſem hoſtilem, quam vbi vidiſsent triremes Caracoſæ in ſinu Rizonico magno ſtudio Epidaurum vſque inſectantur. ciues perhumaniter excipiunt. Caracoſa tormentis percuſsurus octo muralibus expellitur. minatur Epidauriis, at ab ijs contemnitur. curat trecentos milites Caſtro nouo auerſiri ſubſidio, atque iubetur recedere niſi velit demergi. Alis Dyrrachio profectus Vlcinium applicuit, eò enim iam venturæ copiæ, terreſtres Byzantio profectæ ad Senticam Heracleam perueniunt, vbi coniunctis viribus cum præfecto Epiri, cum eſsent in caſtris circiter ſeptuaginta armatorum millia partim equitum, partim peditum iter capitur Scedram verſus, quæ vrbs eſt poſita in angulo Helleſponti. copiæ vlterius proficiſcentes in Illyrium perueniunt omnia ferro quæcunque eſsent obuia & igni deuaſtantes. Vbi ad anguſtias viarum ventum eſt, quas præſidia Venetarum vrbium occupauerant, bis repetitis conatibus acriter dimicatur, multique vtrinque cadunt, vbi tertiò cuſtodiæ inuaderentur totis Turcarum viribus tantam molem ſuſtinere non potuerunt diutius, quare milites partim cęduntur: partim capiuntur, reliqui in proximas vrbes ſe recipiunt. Sic Turcæ agro potiti ad Vlcinium conſederunt. Tormenta in vrbem dirigunt. Cępta eſt concuti pars quæ arcem attingit per ſeptem dies magna diligentia. vbi tempus ad inuadendum aptum viſum eſt vniuerſa Turcica claſſis applicuit. Sarra Martinengus cum die quarto vulnus accepiſſet, neque poſset rebus intereſse, præfectus vrbis cum tantam hoſtium multitudinem ſuſtineret, neque vlla ſpes apppareret ſubſidiorum cum viderentur præſentes vires non poſse ſatis eſse ad defenſionem, decernunt purpurato rerum maritimarum præfecto ſe dedere. conditionis deditionis ſumma fuit, & liberi & incolumes cum armis & impedimentis excederent, atque Epidaurum veherentur, quibus omnibus ſubſcriptione purpurati confirmatis Turcæ Vlcinio potiuntur. ibi triduum morati componendis rebus vrbanis, relictis quingentis militibus Doclæam ſiue ad Antiuarim oppidum itum eſt. vbi prium per Doclæenſem agrum copiæ iter facerent, ceptum eſt à quibuſdam de deditione cogitari, cum eſsent, qui dicerent ciues nolle tantis viribus reſiſtere. ſed petendum eſſe vt liceat liberis excedere integro honore mulierum ac ſaluis impedimentis, quæ quidem omnia promiſſa ſunt. Interea claſſis præfectus ex altera parte nuntiatum mittit ciuibus vt ſe dederent ſine pugna, quòd eaſdem conditiones deditionis inuenirent, quas ſuperiores conſecuti eſſent. huic reſponſum eſt, ſe uelle honorificè locum defendere. quod fiebat quia alij cenſebant ſe dedere, alii ſe defendere, præſtabilius eſſe. ſic per triduum multa inita ſunt leuia certamina non ſine vtrorunque iactura. iam dimidium ferè terreſtrium copiarum ad vrbem conſederat ante quam conditiones deditionis confirmarentur, cum quædam pars ciuium tumultuari cępit, qui dicebant ſe nolle fortunam belli experiri per tantam rerum omnium neceſſariarum inopiam. poſſe illas vrbes bellum diutius ſuſtinere, in quibus præſidia ſint ſatis valida, & bellicorum apparatuum & annonæ ſatis apta copia. At vbi nihil ſit horum, velle aduerſus fortunam pugnare penè extremæ eſſe dementiæ, cum præſertim omnis erroris vel mediocris in re bellica ſit caſtigatio grauiſſima, vel vitæ iactura ſcilicet vel facultatum & libertatis vel omnium bonorum. præfectus vrbis his rationibus lubens aſſenſit, quare decernit præfecto rerum maritimarum ſe dedere multis conſentientibus ijſdem conditionibus, quibus Vlcinium ad eius fidem amicitiamque confugerat; quibus ſubſcriptione confirmatis fit deditio. Omnes qui erant Doclæ claſſi ſunt impoſiti. Tum Butuam verſus iter capitur, quam cum ciues non poſſent defendere, vltro ſe dedunt fidei Turcarum. Sed opulentiores audito copiarum aduentu Aſcriuium confugerant; quia cum neque pręſidia haberent, neque locum munitum, non exiſtimarunt oportere ſe Turcicæ clementiæ potius ac fidei Turcicæ, quàm fortunæ arbitrio credere. Inde digreſſi Turcæ Caſtrum nouum accedunt, vbi morati ſunt donec inungerentur triremes, quibus inunctis decernitur vt pręfecti deditarum vrbium atque cohortium pro data fide libertati reſtituerentur, cæteri ad tranſtra ſunt cathenati & per fidem per ſummam iniuriam in miſerrimam ſeruitutem abducti, cauſa huiuſce expeditionis fuit, quia Alexander Donatus Doclec præfectus fines Doclæenſis agri dilatare proferreque cupiens finitimorum populorum præfectos impulit metu præſentium rerum vt ſubſidia poſtularent. nam cum Docleænſe territorium in non multa millia paſſuum protenderetur, is ſtatuit populos Illyrii vocatos Marcouicchios indomitos & infrenes ſubiugare. collecta igitur magna manu ſclopettariorum tum mercenariorum tum etiam vrbanorum & paucis equitibus per noctem iter facit. cum mane vix illuxiſſet, ad hos peruentum eſt. repente inuaduntur: committitur leue prælium cum multa vtrinque clade. Cæſi ſunt à Doclæenſibus omnis ætatis homines & vel infantes iugulati pugionibus in conſpectu parentum & in ignem coniecti, vt per terrorum tantæ crudelitatis cæteri propinqui pagi conſternarentur, ſeque vltro dederent, ac ſubiicerentur Veneto imperio. Poſtea miſſi ſunt Epirotæ, qui per minarum metum cæteros ſollicitarent ad deditionem. præſtantiores in amicitiam ſunt allecti uel miſſis quibuſdam muneribus. Vt autem genus eſt Turcarum ad auaritiam propenſum, propoſita ſunt præmia ſiquis nominatos duces quoſdam trucidaſſet, capitaque attuliſſet, quo ſic efficeretur infida illorum mutua ſocietas. Sic igitur frequentia inter leuia certamina non nulli cæſi ſunt. multi itaque vi ad deditionem deueniunt, vt Veneto ſenatui annuum tributum diſſoluerent, ſeque ſubditos profiterentur. itum eſt ad caſtrum Nigrum deinde, atque ex ea parte, vbi pagi nonnulli incenſi proſtratique ſunt & direpti, quidam ſe dederunt. Sic circiter octoginta pagi additi ſunt territorio Docleenſi, quoniam ager ad Lacum Scedram vſque vel Xentam extendebatur. Marcouicchiorum deditio præcipua cauſa fuit cur quidam Albaniæ populi ſe dederent, quæ pars ad Prilonem fluuium

Copię terreſtres Turcarum.

Vlcinii deditio.

Ertores bellici quales.

Doclæ turpis deditio.

Perfidia Turcarum.

Marcouichii Crudelitas militaris.

uium Boiana vocatur ad pontem vſque Scedræ oppidi, quæ regio ad triginta milla paſſuum ferè extenditur. Multi etiam deſiderio ac ſpe libertatis ad fidem Venetorum conſpirabant; quippe cum ſex hominum millia expetita ſint a Venetis per Epirotas, atque promiſſa Epirotis modo commeatu & tormentis iuuarent. accepti ſunt ducenti obſides Epirotæ, & miſſus eſt interim centurio cum centum militibus. Paſſim Turcæ ſollicitantur ad defectionem, & iugum aſperæ ſeruitutis excutiendum. Sed cum fruſtra reliqua auxilia a Venetis expectarentur; denique armis Turcicis circundati ipſi abiectis armis confugiunt ad Turcæ ducis clementiam. Conqueruntur inter ſe quòd ob Venetam fidem in magnum capitis diſcrimen ſe conieciſſent. Scedræ præſidia cognitis rebus in quo ſtatu eſſent conſtitutæ, cum populi vbique deficerent ad Venetos metu imminentium malorum diffugiunt. accurrerunt quidam ad Donatum ſignificantes Scedræ nemine eſſe præter oppidanos paucos rebus omnibus bellicis ineptos. Facile eſſe oppido potiri natura & arte munitiſſimo, ſi opportunitas quàm fortuna obtuliſſet, maturè arriperetur. At Donatus quia tam paruis copiis non conſideret poſſe capi munitionem ferè in expugnabilem, putauit nihil aliud eſſe tantum factum aggredi, quàm vitam & exiſtimationem in magnum periculum inconſiderate coniicere, cum etiam non ſatis illis confideret. curauit igitur per proditionem potius, quam aperto Marte rem aggredi. res agi cœpta eſt cum Muſtapha quodam Turca præfecto turmæ equitum, cum quo ita conuenit, Vt uiginti millia nummum ſtatim poſt negotium, numerarentur Vt quinq; millium annuum prouentum quoad uiueret, haberet. Vt nobilitate a Venetis donaretur cum fratre, ac iure ſuffragii, cum ſe chriſtianos fore proficerentur. his ita concluſis nuntius mittitur Venetias & quingenti pedites poſtulaſti ſunt ad eius negotii magnitudinem, quod ſubito conceſſum eſt. ij Iadera & Sicco miſſi ſunt, & ad celeritatem rei nauigiis impoſiti ob metum Caſtri noui. Sed tandiu prorogatum eſt vt proditio ad aures Turcarum peruenerit. miſſus Byzantium nuntius horum omnium fecit vti literę ſcriptæ ſint ſumma celeritate ad finitimos Sanzacchos, & Achmatum, & purpuratum Græciæ præfectum ut has moleſtias de medio tollerent, & non modo ſic pręſidia Scedræ impoſita ſunt, uniuerſumque negotium euerſum, ſed etiam finitimæ urbes, quæ moleſtæ fuerant, vt diximus, ſubiugatæ.

*Scedræ deſcriptio.*

Eſt autem Scedra oppidum in ora Illyrica ſitum in ea parte, quæ ab Epirotis occupata dicta fuit Albania. Illud oppidum ſitum eſt in monte arduo ac difficili, quod latè cultiſſimis agris dominatur. Ambitus eſt octo milliariorum, atque lacum habet ad occaſum, cuius ad radices montis fluuius Bolliana pręterlabitur altus & profundus. Paſcua finitima ſunt in planitie præpinguia, atque montes non procul abſunt alti & perdifficiles; ſed pars humilior colles habet amęnos oleis & vineis veſtitos ac virentes. Pars quæ maritima eſt veſtitur proceris & denſis arboribus, aptiſque conficiendis nauigiis, cum miræ ſint pulchritudinis. Luzalis interea cum ſexaginta triremibus & Caracoſa archipirata vniuerſum mare Adriaticum rapinis ac prędationibus uexant. Nam ad

*Vlatum opp: vſtum.*

Phariam profecti ſuburbia diripiunt, & Corcyram nigram poſtea adeuntes pagum Vlatum ſuccedunt. Ille pagus cum virorum metu deſertus eſſet, fœminę reſiſtentes hoſtem recedere compellunt, quamuis concremata parte aliqua ædificiorum. at naues onerariæ partim quo apparatus imponerentur, partim tempeſtate detinentur quominus nauigarent in Cyprum. at in Cypro Amuthuntea porta ſita è regione plateæ antemuralis ſemper patuerat, quamuis eſſet inferior, cuius valuę & graues ferro & acutis clauis armabantur, quæ funiculo inciſo ſponte claudebantur. ea terra antemuralis plateę importabatur. ibi foſſas poſt quatriduum hoſtes aggereſque excitare cœperunt, atque ſuperiorum laterum beneficio neminem exire patiebantur. tum paulo poſt portam, cæteraſque verberationes hoſtes inuadunt. Baleonus & Aloyſius Martinengus cohortati milites magna alacritate erumpunt in conantes Turcia vexilla portæ affigere. hoſtes trucidati ſunt, partim terga vertere. ignis ſubiectus eſt lateris cuniculo, quare multi Turcæ igni ſunt abſumpti. Baleonus vexillum Turcarum è manu ſigniferi extortum in vrbem retulit. at Turcæ cum poſtridie ignem cuidam cuniculo fruſtra ſubieciſſent intermiſſo conatu, animum adiiciunt ad aggeres tranſuerſos foſſarum craſſiores faciendos. nam vel ad oram citerioris muri tentoria exerant, neq; ab vrbanis præſidiis id cognitum fuerat: tanta erat aggerum altitudo. Semptem bellica tormenta ſupra citeriorem murum trahunt, tantoque artificio occultant vt videri non poſſent. tabulatorum crudis pellibus tectorum beneficio ad vrbanos detrahendos ligonibus accedebant, quamuis & miſſillibus ignibus infeſtarentur ab obſeſſis & leuibus prælijs. Salaminenſes aggeres & reparationes efficiebant è bubulinis pellibus vdis, intra quas & terram & cotoneam materiam vdam alligabant, cum mulieres etiam cohortes in ſingulis tribunus feciſſent atque delectum ad vrbana auxilia, aquam ſcilicet ad extinguendos ignes à Turcis contortos, & ad ſaxa comportada. Turcæ quoniam haberent in imperatoriis mandatis ne diſcederent omnino ab ea oppugnatione, niſi urbe potirentur, nouum genus pugnandi excogitant, & ante hanc ætatem inauditum. nam cum tilia lignum quoddam uocetur aptum concremari cum graui odore, magnam eius copiam ante portam comportant atque congerunt. ibi accenſo igni cum faſciculis lignorum & picatis trabibus tanta vis flammarum conſurgit, ut neq; vaſis quidem uinariis aqua plenis ſupra deuolutis & effuſis potuerit extingui: qui ignis cum per quattriduum perduraſſet noua materia ſemper addita neceſſe fuit obſeſſis cum ob caloris magnitudinem, tum ob fætorem ac fumum inde recedere. Turcæ contra ad infimas radices laterum deſcendentes cuniculos excauant, quare plateam antemuralem repente propè reficiunt. Ibi collocato murali tormento a Turcis porta clauſa eſt & interius terra, ſaxis, aliaque conſimili materia oppleta ad ſatis aptam altitudinem. Sollicitauerat etiã

ſæpius abiuratus quidam Aſtorem Balleonum ad deditionem, atque cum Aſtor non eſse inde recedendum niſi per honorificas conditiones ſibi profiteretur, ſi ita præfectus vrbis Bragadenus aſſenſiſſet, promiſſum eſt vt cum quatuor bellicis tormentis, explicatis vexillis ad profectionem armati milites exirent cum omnibus ſuis impedimentis, quod obtinerent etiam ciues, atque in Cretam tutò omnes aueherentur. hæc omnia promiſſa fuerant per illum nuntium ad decipiendos ac retardandos animos defenſorum. Sed poſtridie antequàm illuceſceret Turcę vndique imparatos, vt putabant, per hanc artem defenſores inuadunt. atque dum in acie tribus in locis conſiſtunt ſubiecto igni totidem cuniculis murum & propugnaculum euertunt. tum commiſſo prælio atroci ſanè multi vtrinque trucidantur. at Turcæ tamen ad extremum coguntur in caſtra recedere. hoſtis cum adeo videretur ſtudioſus, tamque eſſet moleſtus vix vt ferri poſſet, iam ciues diuturnis aſſiduiſque laboribus defatigati, cum laboraretur inopia rerum omnium neceſſariarum intra vrbem, diuturnæ obſidionis pretęſi, cuius nullum apparebat remedium, niſi aut mors voluntaria per inediam denique, aut miſerrima per ferrum & vim hoſtium, rati ſe ſatis virorum bonorum officio feciſse cum tam fortiter pro Veneta gloria virtutem ſuam oſtendiſsent, ſyngraphum offerunt Bragadeno, per quod ſuppliciter petunt vt vitę, honoris, facultatum, vxorum, filiorum, libertatis ipſorum ciuium habita ratione aliquas honeſtas conditiones deditionis mallet accipere, quàm omnia per nimiam cōſtātiam vno tempore fortunę arbitrio committere. iam nullam eſse ſpem ſubſidiorum. Defenſores magna ex parte cecidiſse. mœnia proſtrata eſse ac propè euerſa. ad quæ Bragadenus reſpondit non eſse ita timendum, quòd breui ſubſidia expectarentur. pręſentes multa humanitate verborum conſolatur. omnem metum imminentium difficultatum pro vibus minuit. docet initam eſse fęderationem. Claſſes ingentes vbique parari. Turcas etiam ipſos iam propè eſse deſsos. omnem gloriam in arduis difficilibuſque rebus poſitam eſse. Venetos patres tantę virtutis & conſtantiæ nunquam fore immemores. neque has difficultates cæteris maiores iure quam ſibi ipſi videri, qui ſemper omnibus laboribus interſit per vigilantiam & induſtriam & ſollicitudinem, cum eoſdem labores, quos & cæteri ſuſtineat. Se optimum ſemper fore teſtem cuiuſque virtutis & fortitudinis. rogat denique vt æquo animo etiam per aliquot dies moleſtias belli patiantur, cum eius vrbis virtus talis hoſti viſa ſit, vt ſemper honorificas conditiones, & à maximè cupientibus Turcis ſint inuenturi. Se cataſcopium ſumma celeritate in Cretam miſsurum pollicetur, quod doceat Venetos quo in ſtatu res ſint eius vrbis. interea Turcę tres cuniculos cauare ſentiuntur ad propugnaculum portæ, ac res vbique ſumma diligentia agebatur. è regione verberationis directi muri ad coronam muri citerioris intra foſsas, mons è gleba erigitur tantæ altitudinis, quanta eſt mæniorum, qui è regione ferè turrim naualis proſpectabat. excitatum eſt exterius propugnaculum, quod rudentibus exterius munitur. at verò cum ignis cuniculo ſubiectus eſset, magna pars propugnaculi vrbani, turriſque ad nauale disiecta eſt & euerſa cum clade vnius cohortis Salaminenſium. Sola duo latera integra relicta ſunt. ea re cognita Turcæ magna alacritate vrbem inuadunt, lateraque conantur occupare. at obſeſſi illuc ſingulari fortitudine accurrunt. pugnatur magna virtute ſagittis, ſaxis, ignibus, ſclopettis, & omni telorum genere cominus & eminus; Sed nocte adueniente Turcę cum magna iactura redeunt in caſtra. vbi per noctem conquieuiſsent, ſub exortum ſolis vndique denuo vrbem inuadunt, quam tormentis etiam è triremibus infeſtant. Sed cum incredibilis appareret vis defenſorum, qui viderentur magis omni ſpe abiecta ſalutis proruere ad vltionem, quàm pugnare ad defenſionem, Turcę etiam heſterna pugna defeſſi, iam ſegniores fieri paulatim incipiunt. Neque Muſtaphę vel tantillum proderat indignatio, qui modo hunc, modo illum trucidabat cunctantem, ſemperque recentes feſſis ſubmittebat. nam cum circiter ſex horas fruſtra pugnam per ſummum calorem ſuſtinuiſsęt, denique iubet canere receptui. cum enim res redacta eſset ad ſummam etiam pulueris tormentarij penuriam, pręfectus vrbis cum ducibus & centurionibus re maturè conſiderata cum ſermo deditionis vel poſt inſidias renouaretur, ſtatuunt ſi honeſtæ conditiones deditionis inueniantur, finem miſerrimum belli non eſse expectandum. indictę ſunt igitur induciæ, atque Muſtaphæ iuſsu obſides duo dati vtrinque dum res componerentur. exierunt obſides iuſsu præfectorum Hercules Martinengus & Matthæus Celſius Salaminenſis. Inde ingreſsi ſunt Turcæ qui vicario munere Agę & Muſtaphę fungebantur. obſidibus vtrinque cum magnificentia armatorum honoris cauſa obuiam itum eſt. actum de conditionibus cum ingreſsis obſidibus, quarum ſumma fuit ſubſcriptione Muſtaphę confirmatarum; Vt ciuibus omnibus ac militibus & ducibus liberis exire & excedere liceret, quo vellent. Vt arma, impedimenta, quinque tormenta bellica liceret auferre, & tres equos auehere in Cretam. Vt Gręcis concederetur viuere pro ſuis ritibus ſacrorum domi ſuę, atque ſua bona poſſidere. Vt abire volentibus ex inſula nauigia concederentur, quos triremum ala ſatis valida in tutum comitaretur. poſt ſubſcriptionem onerarię naues & triremes in portum ingreſsę ſunt, atque milites & impedimenta illis ſunt impoſita, quo tempore tanquam amici Turcę omnes & Chriſtiani miſtim impune verſabantur. Sed quoniam Muſtapha nondum vrbem ingreſsus erat, Bragadenus Neſtorem Martinengum mittit ad Muſtapham cum literis, quibus ſignificabat ſe eodem die veſperi nonis Sextilibus claues oblaturum. Se relicturum Tepolum. Sed interim rogat vt curaret ne quid detrimenti Chriſtiani caperent. reſpondit Muſtapha licere Bragadeno quando vellet accedere, quòd eum ob eximiam virtutem perlibenter eſset cogniturus, neque ſe vnquam tantam eorum militum virtutem ſilentio præteriturum, vbi mentio inciderit. Se curaturum ne quid iniuriarum Chriſtianis inferatur. Sed quoniam nihil ma-

gis in-

M. Antonij Bragadeni oratio.

Salaminę deditæ conditiones.

gis intrepidum facit quam conſcientia rerum integerrime geſtarum; vt ſcelera contra & flagitia & immanitas ad omnia pericula perterritos faciunt, nemo fuit ex ijs qui erant in munitione Salaminæ, qui pro ratione bellica, iureque rei militaris aliquid calamitatum ſibi imminere ſuſpicaretur. Bragadenus hora circiter vigeſima prima comitantibus Baleono, Aloyſio Martinengo, alijſque multis proceribus & militibus ad tentorium Muſtaphæ accedit, à quo primum perhumaniter ſunt excepti. vbi conſediſſet, habereturque varijs de rebus colloquium Muſtapha accuſat Bragadenum quòd per tempus induciarum captiuos quoſdam trucidauiſſet. cum illud negauiſſet Bragadenus. cæſoſque eſſe ante inducias diceret iure belli, vt multi Chriſtiani fuerunt in caſtris trucidati, iratus Muſtapha conſurgit, abitque è tentorio. Iubet hos inermes capi. nemini enim cum armis ingredi tentorium permiſſum fuerat. nam profectò quamuis per crudelitatem & perfidiam ſibi nomen fortis & atrocis hoſtis ſedulo comparare ſtudebat Muſtapha, tamen quodam conſcientiæ ſtimulo exagitabatur, neque poterat æquis oculis ſuam iniquitatem intueri. ſic omnes vincti in aream ante tentorium adducti fuerunt, & in conſpectu ipſius Muſtaphæ trucidati. Bragadeno ter collum porrigere iuſſo tanquam caput eſſet abſcindendum aures amputantur. hunc humi proſtratum, nihilque dicentem alloquebatur Muſtapha Deum Chriſtianorum conuicians & inquiens, vbi eſt nunc Deus eorum? Hercules obſes eunuchi beneficio occultatur, donec ira Muſtaphæ deferbuiſſet. omnes Chriſtiani, qui erant in caſtris trecenti ferè continuo vbique trucidantur. qui iam naues conſcenderant cathenati ſunt ad tranſtra direptis omnibus impedimentis. Muſtapha vrbem ingreſſus iubet Teupolum ſuſpendio necari. Neſtor vbi aliquot dies latuiſſet, capitur nomine cuiuſdam purpurati. At Bragadenus poſt multa opprobria & indecoras contumelias viuus excoriatur cum incredibili animi conſtantia, qui ſemper obiiciebat perfidiam purpurato, deumque teſtem tantæ improbitatis; & adiutorem in tantis doloribus aduocabat. ſic vir omni memoria poſterorum dignus per ſcelus execrandum Muſtaphæ contra pactiones per ſimulatam accuſationem naturæ inter acerbiſſima tormenta conceſſit. Eius pellis tanquam glorioſum ſpectaculum, ac memorabile trophæum omnibus populis Syriç, maritimiſque gentibus oſtentata eſt, & quaſi vniuerſa vis belli; omniſque victoria in vna animula infelicis Bragadeni conſtitiſſet. Sed omnis crudelitas Deo maxime inuiſa iuſtiſſimam vltionem denique expectat. Neque enim vir quiſpiam præclarus eſſe poteſt, nedum bonus imperator, qui cum cognitione re militaris ferinam quandam immanitatem commiſcuerit, quoniam non carnifices aut tigres mittuntur ad laniandos inermes & ſubiugatos. ſed ad ſubiugandos obſtinatos & reſiſtentes hoſtes. Nam ita fit vt ciuitates potius ad extremum pugnent obſeſſæ timentes perfidiam hoſtis & crudelitatem vſitatam in cæteros immanis, quam vt ſe dedant: quare in ijs præliis exercitus non nunquam amittuntur, aut ita affliguntur, vt à negotio fruſtra ſuſcepto recedere cogantur. Non apparuit tantum laudis itaque Muſtapha meruiſſe per diligentiam expugnationis; cuius multos habuit comites, quantum vituperationis per perfidiam & feritatem dignam ſupplicio, cuius ipſe ſolus ſibi fuit con ſultor. Contorta ſunt intra ſeptuaginta & quinque dies plura centum & ſexaginta globorum millibus in vrbem, quæ deuaſtata ac prope euerſa ſe dedidit. At vbi Iacobus Ragazzonus Venetias rediiſſet Byzantio, vt diximus, omnes fratres concordi animo Senatui per illam opportunitatem obtulerunt ingentem onerariam ad bellum cum centum armatis proprijs ſumptibus, & vel ſeipſos vnà militaturos. patres, quòd horum fidem, & Iacobi diligentiam ſingularem in Byzantino negotio nuper cognouiſſent, rati id quod erat, ad omnia magna reipublicæ negotia hos eſſe maxime accommodatos, ineunte iam bello, eligunt alium horum fratrum Placitum Ragazzonum virum multa prudentia, fide, peritia, dexteritate negotiandi ad frumentarium negotium claſſis, quem iubent in Siciliam ad frumentationem tanquam reipublicæ negotiatorem conuolare. iuſſus eſt commeatum in claſſem comparare, atque in omnia loca Venetorum orientis procurare, quoniam cum ager Dalmatiæ & Illyrij ab equitatu, inſularum munitiones à claſſe hoſtili vexarentur, populationibuſque vaſtarentur, nullibi poterat ager ſuis dominis victum ſubminiſtrare. Placitus cum in eo negotio ad triennium verſatus eſſet magna cum reipublicæ vtilitate, ſingulari induſtria ad quinquaginta & vnam onerarias ingentes miſit onuſtas omnis generis commeatus ad claſſem; quod negotium facilius fecit Auſtriaci in illum beneuolentia & Ducis Thurij proregis Siciliæ, cuius bonitatem ingenij, & inſignes animi virtutes plurimum dilexerunt; cum non minus in equeſtribus certaminibus, quàm in dexteritate negotiandi viſus eſſet præſtare. Muſtapha viginti millia peditum & duo equitum in inſula reliquit, Salaminæque ſeruandæ ac reficiendæ præfecto Erca Fanburano Rhodi pręfecto, ipſe contendit Byzantium. Non defuerunt qui dixerint, illam perfidiam Muſtaphæ accidiſſe per indignationem, quia plura ſexaginta millibus pugnatorum trucidata ſint in inſula, ac totidem ferè varijs morbis abſumpta; inter quos fuerunt multi non paruę autoritatis. Chriſtiani cæſi fuerunt ad triginta duces Itali, ac multi capti. At vero Senatus Venetus, quia cognouiſſet fratrum Raggazzonorum diligentiam, & fortitudinem in omnibus ſibi delatis munijs exequendis, cum pro charitate erga ipſum Senatum, & pietatem erga pátriam nullos non modo labores, ſed neque grauiſſima quidem pericula deuitaſſent, vt eos aliqua eximia dignitate pro honeſtate familię inſigniret, gratiq; animi aliquod indiciũ ad poſteros trãſmitteret, creauit ipſos fratres Ragazzonos cũ omnibus ſuis poſteris dominos & caſtelli & ditionis Diui Oderici; illud eſt oppidi nomẽ, & antiquiſſimum ac nobiliſſimum feudum patrię fori Iulienſis.

*Muſtaphæ perfidia.*

*Bragadeni mors crudelis.*

*Crudelitas deteſtanda.*

at in Creta dum præſidia parãtur, neſciturq; Salaminæ deditio, litteræ mittuntur & ſenatuſc. à Venerio vt Quirinus & Canalis cum omnibus triremibus Meſſanã quam citiſſimè properarent, quò vires fęderatorũ omnes coniungerentur. Turcica claſſis ad ſinũ Rizonium nauigans Butuã reuerſa oẽs ciues Butuẽſes captos in ſeruitutẽ abducit. Partaus ad occultandã cohoneſtandamq; perfidiã ſimulat Turcas fuiſſe clã trucidatos cõtra ius amicitiæ & fidẽ, in quã perhumaniter fuerãt excepti. ſic vrbs direpta eſt. & inceſa. claſſis deinde per breuẽ, ſed violentã tempeſtatẽ amiſſis tribus roſtratis nauibus ad Caſtrũ nouum accedit. hinc mittit Aſcriuiũ qui blãde primũ, deinde per minas ſollicitaret ad deditionẽ. reſponſum eſt malle pręſidia pugnando honorificè mori, q̃ turpẽ deditionẽ facere, cũ honor vita ſit omni precioſior. illo reſpõſo Docleenſes ad trãſtra ſunt cathenati cõtra datã fidẽ, pręter paucos primarios, qui ſunt trãſmiſſi Epidauriũ. poſtmodo Aſcriuiũ terra mariq; obſidetur, tẽtaturq; ad expugnationẽ. Eſt autẽ Aſcriuiũ oppidũ in ſinu Rizonico populoſum & frequens, agrũ habẽs amplũ & multos in eo colonos. Turcę aduerſus oppidũ duas munitiones excitãt, è quibus nouẽ muralibus tormẽtis & oppidũ & arcẽ cõcutiunt. oppidani & milites ęgrè ferẽtes Turcarũ obſidionẽ ex oppido erũpunt, caſtra inuadũt. multos trucidãt. reliqui eãdem fortunã ſe ſubituros veriti abſtractis tormẽtis ad claſſem ſe recipiũt, quę mox Apolloniã applicuit, quo venit Caracoſa & Luzalis cũ multa prędã & captiuis. miſſę ſunt inde duæ triremes exploratũ Siciliã verſus quid ageret claſſis fęderatorũ. Veneti qm̃ Caracoſa & Luzalis omnia popularẽtur ſuccẽderentq; repentinis incurſionibus vel intra ſinum Adriaticum, iubẽt ad portum Venetũ inſigni munitione firmatum multa bellica tormenta attrahi, atq; in Litore vocato loco, qui parum diſtat ab vrbe, aliam excitant munitionem, vbi multi ſunt horti ad olera vænalia Venetiarum culti, vbi omnis impetus maris retunditur, ne Venetias vſq; procurrat. iuſſæ ſunt copiæ, delectus nimirum illuc accedere, ac multi eſſe vigiles per noctem. excitatæ ſunt & alibi non procul quædam munitiones è gleba. iubentur cataphracti equites non procul ab vrbe ſtationem habere in propinquioribus pagis, & in ora extrema continẽtis: quare tantus terror nonnullis eſt iniectus vt quidam de fuga, & de relinquenda vrbe cęperint cogitare. Hunc timorem Venetorum augebat rumor quidam non tenuis, quod Turcica claſſis vniuerſa litora Dalmatiæ prædationibus & incendijs popularetur. At Ioannes Auſtriacus iam profectis Germanis per hoc tempus, cum videret plurimam anni partem aptam rebus agendis iam effluxiſſe, agebatur enim dies quintus ante calend. Sextilis, cum optaret etiam reſpondere omnium mortalium expectationi, quæ de maxima claſſe in animis concepta fuerat propter inſignes vires fœderatorum, imperat multa diligentia Marchioni Sanctæ Crucis conuolare Neapolim cum ſuis triremibus, inſtareque vt copiæ & apparatus eſſent in promptu, vt inde poſſent auehi. ipſe ita inſtat rebus, quæ Genuæ erant expediendæ, vt iis intra quinque dies abſolutis cal. Sextilis Germanas copias ex itinere ad Segeſtam Tiguliorum in claſſem exceperit cum comite Vinciguerra Archuenſi. relictus eſt Io. Andreas Auria cum ſuis triremibus, vt & luis, & mercenarijs onerariis Philippi Regis Alberici Lodronii copias imponeret, & Italos Sigiſmundi Gonzagæ, qui cęperant ex Inſubribus ad mare deſcendere. Auſtriacus Neapolim profectus, omnibus ſumma diligentia procuratis, iuſſo Aluaro Bacione Marchione Sanctæ Crucis cõuehere in ſuis triremibus & aliis mercenariis nauibus onerariis copias Italas Pauli Sfortiæ & Comitis Sarni, Meſſanam verſus nauigat. conuenerat iam Meſſanam M. Antonius Columna cum duodecim pontificiis triremibus, & Sebaſtianus Venerius Dux ſummus Venetæ claſſis cũ ſexaginta & nouem triremibus Venetis. Miſſus eſt Io. Cardona cum ſuis triremibus Panormũ vt inde conueheret ad claſſem omnes bellicos apparatus & cõmeatus iam paratos. Iuſſus eſt & Ghildrandada cum duabus triremibus Corcyrã vſq; proficiſci ad explorãdum iter Turcicæ claſſis. cum nulla induſtria interim Meſſanæ prætermitteretur rebus omnibus ad bellum neceſſariis comparandis. Io. Auſtriacus vbi Meſſanam aduẽtaſſet, fuiſſetq; a Meſſenis ciuibus cum magna põpa acceptus poſtridie Venetis inſtantibus conuocantur, conueniuntq; ad comitia ſummi imperatores claſſium, & inſigniores duces, vt conſultaretur de rebus bellicis, & de ſumma eius expeditionis. expectabãtur triremes è Creta, quibus nondum profectis animi pręſentiũ erant dubitationis pleni. Aſcanius Cornienſis interea, vt qui rogatus fuiſſet ſententiã, obtulit chirographum, in quo continebatur quod propter magnitudinẽ virium Turcarũ, quæ multo eſſent ſuperiores tum numero & militum copia, tum etiã rebus omnibus neceſſariis inſtructiores, videbatur pugna detrectanda antequã Brunduſium accederetur, expectarenturq; triremes Cretenſes, quæ niſi breui aduẽtaſſent, omnino accederetur Brunduſium, vt Dalmatia, quæ terra mariq; vexabatur ſic à Turcis per metum Chriſtianæ claſſis ſubleuaretur. nam ita poſſe multa commoda naſci, quæ tempus offerret. eius ſententia fuit ab omnibus comprobata, quare ſtatuitur cæteras vires eſſe expectandas. Nec multo poſt acceſſit ad claſſem Io. Andreas Auria cum duodecim ſuis triremibus & vndecim onerariis duce Comite Sarni. cum copiis iuſſis. hinc ſecutę ſunt triginta triremes Neapolitanę è veſtigio duce Aluaro Bacione. hinc duodecim Panormitanæ, nec multo poſt M. Quirinus & Antonius Canalis ſimul acceſſerunt ad claſſem cum quadraginta triremibus rebus omnibus egregiè inſtructis. confluxerant ad nomen & celebritatem eius expeditionis multi viri Illuſtres, atque inter cæteros Alexander Farneſius filius Ducis Octauii Parmæ & Placentiæ. Franciſcus Maria Ducis Vrbinatis filius. Paulus Iordanus Vrſinus Dux Bacianenſis. Cæſar Carafa Neapolitanus. Pontifex vexillum mittit Cęrulei coloris ad Auſtriacum per ſolennes cæremonias Romæ conſecratum. vbi conueniſſent duodecim triremes Pontificiæ, octoginta & vna Hiſpanæ, onerariæ viginti & duæ, Venetæ triremes centum & nouem, quinqueremes ſex, onerariæ duæ, Melitenſes triremes quatuor, Auſtriacus conuocat in palatium cõmendatorem Caſtellæ, Io. Andream Auriã, Aſcanium Cornienſem, Comitem Sãctifloriũ, Gabrielem Serbellonũ, Franciſcum Ybarram, Petrum Velaſcũ, quibus oſtendit claſſem fęderatorum

Butua direpta ob perfidia Partai.

Aſcriuij deſcriptio.

Litus munitũ à Venetis.

Aſcanij Cornienſis ſententia de pugna vitanda.

Fœderatorũ vires.

ratorum conſtare è ducentis & nouem triremibus, ſex quinqueremibus, viginti & quatuor onera-
rijs. demonſtrat quòd Regiæ copiæ eſſent octo Hiſpanorum, quinque Italorum, ſeptem Germano-
rum millia, & circiter duo millia fortunam belli ſequentium. quod omnis vis in virtute roſtrato-

Comitia pro pria Auſtriaci.

rum nauigiorum eſſet collocanda, at nulla in onerarijs. petit ab his priuatis comitijs an ſibi vide-
rentur his viribus eſſe hoſte ſuperiores. & an pugnæ facultas appareret hoſti facienda ſi obuius fie-
ret, cuius claſſis conſtaret è trecentis nauigijs: quod ita eſſe confirmabatur vna omnium captiuo-
rum & exploratorum voce & nuntiorum. re diligenter examinata cum appareret numerus trire-
mium parum excedere poſſe ducentas triremes, multaque eſſe minora nauigia, quibus virtus tri-
remium & quinqueremes omnibus poſſent adæquari, cum plurimi quinqueremes eſſent facien-
dæ in bellis naualibus ob magnam vim tormentorum & epibatarum, reſponſum eſt ab omnibus
vel nullam, vel certè perexiguam videri claſſium imparitatem. Quòd tametſi quædam deeſſe Ve-
netis quibuſdam nauigiis viderentur, neque Germani rebus maritimis valde eſſent accommodati,
tamen res eſſet in eodem ſtatu vt diſtributis paucis copijs in Venetas triremes claſſis egregiè foret
inſtructa & numero & virtute epibatarum. nam proprium conſilium habebat Auſtriacus, in quo
primum de rebus omnibus proponendis conſultabatur, ne prorſus imperitus aut hoſpes ad com-
munia comitia accederet. in proprium non admittebantur niſi primariæ autoritatis & peritiæ re-
rum bellicarum proceres inſignes, inter quos erant commendator Caſtellæ, Ioannes Andreas Au-
ria, Marchio Sanctæ Crucis, Ioannes Cardona, & alii quidam ſuperius commemorati, & aliquan-
do Ghildrandada, Petrus Franciſcus Auria, & Comes Pliegi. Sed vbi aliquid eſſet decernendum
vel magnum, vel ageretur de ſumma rerum, omnes imperatores ſummi, præſtantioreſque pro-
ceres conuocabantur: quibus omnibus comitiis aderat Ioannes Sotius à ſecretis. Interea Venetæ
triremes, quæ prius Syracuſas peruenerant, acceſſerunt ad claſſem, & Ioannes Cardona cum reli-
quis copiis & commeatu & bellicis apparatibus: & Ghildrandada, qui nuntiauit claſſem Turci-
cam ad Corcyram ſtationem habere, quæ dicebatur conſtare è trecentis nauigiis. His ita habitis
conuocata ſunt vniuerſa bellica comitia, vt conſultaretur de expeditione ſuſcipienda: quæ dum

Archiducis Caroli Auſtriaci nuptię cum filia Ducis Bauariæ.

tractantur in Sicilia, celebratæ ſunt nuptiæ Caroli Cæſaris filii cum multa magnificentia, qui du-
cebat filiam Ducis Norici, per quas varia ſpectacula edita ſunt, & pugnæ equeſttes ad oblectan-
dos animos principum, qui ad ipſas nuptias conuenerant: qui fuerunt præter vniuerſam regio-
nis nobilitatem, Cæſar pater, Ferdinandus frater, Regina Poloniæ, & principes complures Ger-
mani. Mehemetus interea & Aulonis quæſtor nuntium attulerunt Turcicæ claſſi Turcas Salami-
na potitos eſſe, quo nuntio maximè elati ſunt animi omnium Turcarum ad ſpem magnarum re-
rum. Biremes Turcicæ exploratum miſſæ retulerunt claſſem Chriſtianorum inſtrui Meſſanæ, at-
que omnes propè fœderationis vires eò conueniſſe, quare orientem verſus iter captum eſt. Per-
uenitur Buthrotum, illud eſt oppidum Epiri, vbi quingenti equi claſſi ſunt impoſiti. Inde itur Cor-

Corcyra vexata.

cyram, quæ vndique nauigiis & armatis exppoſitis infeſtatur. at munitio triremes nonnullas de-
mergit, & milites exeuntes non leuem impreſſionem faciunt in egreſſum hoſtem. multos truci-
dant. alios capiunt. alios cogunt turpiter ad naues refugere. Quæ dum geruntur variis in locis,
miſſa eſt legatio cum imperatorio diplomate Byzantio & mãdatis, quia Selimi animus plus ſatis vi-

Selimi imperium audax.

ctoria elatus fuerat, quo iubebatur Turcica claſſis Chriſtianam claſſem conuenire, demergere ex-
pugnatam, opprimere, capere, diſſipare, vti victoria maritima iam deuicta Salamina, omneſque
finitimas inſulas occupare, ac nemini obuio armato parcere. Nam eò excreuiſſe Turcarum inſo-
lentia apparuit, vt non in Dei arbitrio victoriam poſitam eſse cenſerent, ſed in virtute Turcicorum
armorum. non enim idem eſt multis cum imperio præeſse. & ſapientem eſse ſupra alios. Alis il-
lo accepto mandato Naupactum verſus nauigat vt ibi claſſis omnibus rebus neceſsariis inſtruere-
tur. cæterum vbi principes, ac tribuni, illuſtrioreſque principes fœderatorum ad comitia milita-
ria conueniſsent, inter quos fuerunt præter ſummos imperatores claſſium Ioannes Andreas Au-
ria, Aſcanius Cornienſis, Auguſtinus Barbadicus, Antonius Canalis, Marcus Quirinus, principes
Vrbinas & Farneſius, Paulus Iordanus Vrſinus, Marchio Sanctæ Crucis, & aliis partibus claſſium
præfecti, cœptum eſt agi de prælio ineundo. primum variæ exortæ ſunt controuerſiæ, cum qui-

Conſultatio de pugna de tractanda & rationes.

dam cenſerent multis de cauſis eſse rem protrahendam; primum quòd non minus detrimenti re-
bus Turcicis, quam Chriſtianis mora afferre videretur, cum ita Turcæ vt Chriſtiani per illud bel-
lum quotidie affligerentur. Deinde quod in mora conſeruatio certa locorum ſubditorum conſi-
ſtebat, at in pugna vno tempore fiebat periculum de vniuerſa Italia, quoniam deuictis armis fœ-
deratorum Turcæ iam mari ſine vlla controuerſia potirentur. Turcam, ſi victus fuiſset, poſse bre-
ui claſsem ingentem reficere, cum materiam habeat & opulentiam inſignem; atque inſularum
imperium illi tantum poſse adimi, à quibus vel ſi abſtineat, nihil tamen appareret eius potentia eſ-
ſe diminuta. at Chriſtianos, ſi victi ſint, vix poſse in multos annos tantam claſsem reficere. His
additum eſt Chriſtianam claſsem conſtare è tyronibus ferè totam, aut certè militibus parum ma-
ri aſsuetis, quod certè plurimi refert. quod ſi aliqui ſint veterani milites, eos in terreſtribus pręliis, at
non in maritimis eſse exercitatos. Ibi poſse fortunam belli paruo cum detrimẽto tentari, vbi ſi quis
ſemel victus ſit, poſſit tamen curſum hoſtis & impetũ victoriæ aliquo pacto obiectis munitionibus

Rõnes hortãtes ad pugnam.

refręnare. at alii contra cenſebant, multiſq; probabilibus rationibus demonſtrabant pugnam nullo
pacto eſse deuitandã. Aiebant enim tunc detrectandũ eſse pręlium & rem protrahendã, cum maius
põdus eſt iacturæ, quàm victoriæ. Nã vbi Ghiſius regnũ Neapolitanum inuaſit, ſi pugnauiſset ac vi
ctus fuiſset, nihil magnũ cõſequebat̃ Albanus: at ſi Albanus victus fuiſset, regnũ Neapolitanũ deui
ctis copiis in magno diſcrimine verſabat̃. protrahẽda res eſt etiã vbi hoſtis non põt diutius cõſiſtere

quod

quod accidit Carolo Quinto aduerſus Lantgrauium.aut cum vires hoſtium tantę ſunt,tamque
impares,vt bellica tatio deterrear minores à pugna.Nunc inquiunt nihil horum contingere,quo
niam quamuis magna foret Chrſtianis iactura,ſi claſſis amittatur, tamen non eſſet futura tanta,
neque principes fœderati tam ſunit afflicti,vt eam iacturam non poſſent reſarcire,cum præſertim
vel per victoriam tam debilis futura ſit hoſtium claſſis,vt inutilis propè ſit futura. nam futurum
vt vel per eam cladem fęderati ad defenſionē ſaltem iacturam rſarciant. At ſi fortuna belli arri-
ſiſſet,fieri poſſe aiebant vt ad famam victoriæ Græci populi imperium Chriſtianorum vltro ex-
poſcerent,& multa tempus ac felicitas incœpta aperiret,per quæ hoſtis non mediocritr turbare-
tur.neque enim vllam rationem apparere ſalua claſſe hoſtili, qua vexari hoſtis magnoper poſ-
ſit,qui neque diuturnitate ſumptuum,neque per diſcordiam ſponte poteſt debilitari aut immi-
nui, cum illud potius futurum ſit, ſi res protrahatur diutius,Chriſtianorum detrimentum.at-
que cum adeo validæ vires in vnum conuenerint,vt hoſtium claſſis non appareat magnopere for
midanda,ſibi videri non eſſe deuitandã pugnam. Quòd ſi tyrones ſunt plerique præſentes mi-
lites,paucique ſclopettis vtuntur,tamen additum eſt neque hoſtes valde eſſe peritos propter luē
ſuperioris anni,cum tot millia armatorum ſint etiam in Cypro. Quod ad nauigiorum rationē,
non facilè poſſe cognoſci inter ipſas claſſes magnam aut formidabilem eſſe differentiã,cum quin-
queremes poſſint haberi fortaſſe loco multorum minorum nauigiorum.Summam eſſe ſenten
tiæ,quando fortuna ſemper aliquam partem in rebus bellicis ſibi vendicat, vt aliquid eius arbi-
trio tribuatur & concedatur.adeundam eſſe Corcyram vel Brunduſium,vbi cognoſci poſſit quo
in ſtatu ſint res Turcarum,tunc enim ſapientius de tota re poſſe decerni.atqui niſi inopia anno-
næ eius loci aut alia ignota ratio repugnet,Corcyram aptiorem videri, cum ſit propinquior claſ
ſi in orientem redeunti. His ita habitis inquit Auſtriacus, quòd cum tam inſtructa, tanque am-
pla claſſis in vnum conueniſſet,æquiſſimum videbatur vt eam rempublicam iuuaret in tanta re-
rum difficultate,quamobrem ſe decreuiſſe,ſi alijs imperatoribus ita videretur,nauigare in orien-
tem ad illa negotia quæ ſalubria,quæ vtilia vniuerſis populis præſentibus,quę honorifica videten
tur. Quòd ſi accidiſſet vt hoſtis fieret obuius,fruerentur occaſione offerendi belli, & potiundæ
victoriæ,quæ à diuina bonitate eſſet ſperanda. cum pugnaretur pro religione etiam,ſicuti pro vi
ta & libertate ſingulorum. Illud æquum eſſe omnibus ſignificari, vt omnes res neceſſarias op-
portunè procurarent,ſcirentque ſibi eſſe diſcedendum, cum prima maris opportunitas, vento-
rumque ſe obtuliſſet.Illa ſententia fuit ab omnibus imperatoribus comprobata,& à reliquis pro
ceribus magna cum alacritate & ſignificatione lætitiæ.Auſtriacus deinde vt omnia egregie eſſent
inſtructa obtulit Veneto imperatori copiarum,commeatuum,apparatuum bellicorum quantũ
vellet in vſum claſſis,atque hortatus eſt vt tantũ ſumeret vt ſupereſſet potius,quàm vt deceſſet,
cum nuntiatum eſſet quædam in illa claſſe deeſſe. admiſit Venerius aliquantulũ commeatus &
apparatuum,& quatuor millia peditũ Italorum & Hiſpanorum, quibus rebus claſſis refecta eſt.
reliquæ copię ſunt in regiam claſſem & Genuenſem & Allobrogē diſtributæ,quæ fuit egregiè in
ſtructa. relicta ſunt ſex millia Germanorum & pauci Itali in onerarijs cum apparatibus & com
meatu,quantum non caperent ipſæ triremes.tanta verò in omnibus rebus vſus eſt diligentia Au
Claſsis fœderatę inſtructę ordo.
ſtriacus,vt prima diſceſſus opportunitas ne prętermitteretur, cũ nauigationis ratio,& claſsis or-
do,ita fuiſſet inſtituta.primum claſſis vniuerſa in quatuor partes diſtribuitur, atque prima data
eſt Ioanni Andræ Auriæ,cum quinquaginta & quatuor triremibus, cui fuit iniũctum vt ſemper
alios antecederet,atque ad ſex millia paſſuum in altum recederet,qui ſi pugnandum eſſet præeſ-
ſet dextro cornu. ſecundam partem ſibi reſeruauit, quę conſtabat è ſexaginta triremibus, quæ
procedebat ad duo millia paſſuum continentem verſus. Tertia data eſt Auguſtino Barbadico
Prouiſori ſummo Venetæ claſſis cum quinquaginta & quatuor triremibus, cui iniũctum eſt vt
nauigaret ſecundum continentem, atque in acie ſiniſtrum cornu ductaret. vltimam aciem con-
ceſſit Marchioni Sanctæ Crucis triginta triremium, cui imperatur vt terga clauderet nauigatio-
nis,ſubſidiarii vice fungeretur per occaſionem pugnæ. Sic igitur dextrum cornu Auria, ſiniſtrũ
Barbadicus ductabat,in medio procedebant tres claſſium imperatores,cum inter aciem mediam
& cornua ſatis aptum ſpatium intercederet. diſtributæ ſunt & decem ſubſidiarię per opportuni
tatem pugnæ præter Baciani ſubſidia,ita vt quatuor puppi prætoriæ aſſiſterent e cornibus,& duę
Regiæ,vt ea loca magis eſſent munita,atque opem ferrent vbicunque poſſent. Iuſſæ ſunt præter-
ea quædam triremes duce Ioanne Cardona,qui erat in acie Auriana,atque claudebat cornu dex-
trum Auſtriacum verſus,vt præcederet decem aut duodecim millia paſſuum ad explorandũ ho-
ſtis aduentum,quo viſo ſtatim recurreret, atque re patefacta ſeſe ad aſſignatum locum in cornu
reciperet. Deinde iuſſæ ſunt duæ quinqueremes dextræ,duæ ſiniſtræ,duę mediæ aciei pręcedere
tanquam aggeres aut potius propugnacula circiter ſex ſtadios diſtantes. Sed quoniam non ita
remis ob grauitatem impellerentur, neque remigii beneficio eſſent agiles vt triremes,iuſſæ ſunt
attrahi remulco,ſi ventus deficeret. Auſtriacus igitur media procedebat in acie, à dextra Colum
na,à ſiniſtra Venerii triremis.erant cũ Columna in triremi,quæ incedebat à dextra,Farneſius prin
ceps in prætoria Genuēſi.à lęua Venerii in prętoria Sabaudiēſi princeps Vrbinas.pręcedebat ro-
ſtrũ ſingularũ & pars nauigii pro dignitate,ne inferior nobiliori pręcederet.claudebat tergũ pręto
ria Hiſpana & aliæ ſubſidiariæ pro inſtituto.cornua quoq; ſuis ducibus vtrinq; erant communita:
nã in altera parte dextri erat Auria,in altera Cardona.in altera parte ſiniſtri Barbadicus,in altera
Quirinus. Collocatæ ſunt miſtim in quibusque aciebus nulla differētia Pontificię, Hiſpanæ, Ve
netę triremes, quamuis prętoria quęque diuerſa, & in diuerſis locis affixa geſtaret vexilla, cum

ſinguię prætoriarum inſignia ſequerentur.erat datum ſignum prelii vexillum rubrum ſi adiunge
retur Regio vexillo,quo viſo imperatur omnibus vt vna frons fieret ex acie media & vtriſque cor
nibus,omnesque procurarent vt ad mille paſſus quinqueremes pręcederēt, tā longinquę vt vni
uerſam frontem claſsis protegerent,quo per ſua bellica tormenta hoſtilē claſſem irruentem pro
fligarēt & cōquaſſarēt.decretū eſt vt hic ordo claſsis ſeruaretur,vt magis idoneus,quamuis mul-
ti alij per varias ſententias fuiſſent in mediū adducti. Sed quoniam nullus ordo ſatis validus eſſe
poteſt,cui non religio & Dei reuerentia moderetur,quæ maxime prodeſt etiam in bellicis rebus

**Religio imperata ī claſſe**

imperatum eſt cohortiū præfectis vt curarent vt milites ad diuini numinis reuerentiam ac religio
nem viuerent,perſuadereque miterentur iis,quibus præeſſent, bellum ſuſceptū aduerſus Turcas
pium & iuſtum eſſe & Deo acceptum;cum ſemper ſit plurimi ſi ſciatur cuique ſe pugnare pro iu
ſtitia & defenſione pietatis. iuſsi ſunt etiam accendere ad fortitudinem ſpe prędę opulentæ & glo
riæ.ſtatuitur vt curaretur ne quid ſpatii hoſti relinqueretur aut aditus inter triremes,cuius rei gra
tia periti homines iuſsi ſunt aciem recognoſcere in cataſcopiis,qui vtrumque latus ad pugnā in-
ſtruerent.imperatur vt quę ita inſtructę fuiſſent triremes paulatim in hoſtem incederent,cauere
turque per trierarchorum diligentiā ne vicisſim impingerent; neque latius procederent quinque
remes,quàm ſtatutum eſt,ne nulli cæteris eſſent adiumēto. Et quoniam accidit aliquando vt tor
menta parum opportunè diſploſa parum detrimenti hoſtibus importēt, imperatū eſt ne quis in
iuſſus ea,& niſi ſigno accepto diſpolderet.vt onerarię ſi apto vēto vti poſſent,offeraturque pugnā
di poteſtas hoſtem inuaderent ex ea parte vbi magis nocerent.ſin a vento eſſent deſtitutę,nullam
que facultatem nanciſcerentur pugnę,inſtructæ claſſem ſequerentur,mandatumque expectarēt.
Liburni vero & biremes ad puppes triremium nauigarent,quę inſtructę cum duobus maioribus

**Inſignia acierū varia.**

tormentis ac decem minoribus initio pugnæ minora nauigia inuaderent.datum eſt ſingulis trire
mibus vexillorum prætoriorum ac nationum differentiam cognoſcere,cū media acies cœruleū
dextrum cornu viride,ſiniſtrum flauum,extremum agmen ſubſidiarium album geſtaret. Impera-
tur vt legitimè viueretur in ſingulis triremibus pro omnium Chriſtianorū conſeruatione,neque
ſolùm precibus,ſed etiā recta vitæ ratione & moderatione, vt Deus placaretur. fruſtra enim orat̄
Deus cum ex altera parte vanæ ac ſimulatæ preces funduntur,atque ex altera nullum flagitiorū
genus deuitatur.Idcirco iubebat ſapienter Plato tum maximè Deum per ſacrificia & integritatē
coli,cum agebatur feliciter , vt is facilis & propitius per infortunia haberetur. Nam certe qui-
dam qui omnia naturæ ductu potius,quàm diuina prouidentia gubernari putat,ille indignus eſt
Dei optimi ac ſapientisſimi parentis beneficiis , quoniam autorem omnium bonorum non
agnoſcit,cui grata eſt in omni fortuna ſapientia mortalium, & animi moderatio. Cęterum
claſsis vbi è Meſſanæ,Mamertinorūq; portu ſoluiſſet, vt diximus, præmiſsis pridie onerarijs duce
Ioanne Aualo,quæ conſtabat è ducentis & nouem triremibus, ſex quinqueremibus , viginti &
quatuor onerarijs,quadraginta hemiolijs ſeu dicrotis liburnis , Lacinium promontorum ver-
ſus nauigat,vbi pridie nonas Septembris diſceſsiſſet. Selimus auditis tantis Chriſtianorum claſ-
ſicis apparatibus cępit paulatim ad timorem rerum futurarum reſpicere,putareque bellicam fe-

**Turcę ſuis ſacerdotib⁹ in dicūt ſupplicationes.**

licitatem non minus in diuina prouidentia,quam in armis pugnantium eſſe repoſitam,cum dif-
ficultates,& infortunia faciant ſapientiores.inſtituit itaque ad implorandam opem diuinam, &
ad conſeruandam,auguendaque præſentem felicitatē, vt ſupplicationes omnibus ordinibus ſuo
rum ſacerdotum indicerentur,qui precarētur pro claſsis victoria. Quæ dū fierent Byzantii, nun
tius Selimo felix & optatisſimus expugnatæ Salaminæ affertur , vniuerſiq; regni Cypri prorſus
ſubiugati.Dici non poteſt quāta apparuit in vultibus & animis Turcarū lętitia,quā certè eximiā
fuiſſe per multitudinem diſploſorum tormentorū & crebros ignes nocturnos in turribus & viis
omnibus accenſos ſignificarunt.Factæ ſunt vbique mutuæ gratulationes.parata conuiuia.dati cō
plexus.omnia denique immenſam lætitiā referebant. illud ipſum ſit in omnibus regnis Ottoma
nicis,& in Pannonia præſertim ad fines Chriſtianorū.Curtēſis purpuratus illud primus Cęſaris.
per nuntium ſignificauit.inde nuntiatur Venetias,quod prius credi non potuit,cū putaretur ſtra
tagema & figmentum Turcarū,donec Venetus orator per occultiores notas illud clam ſenatui
ſignificauit.eodem die,quo claſsis ſoluit,quod fuit pridie nonas Septembris,peruenit ad Zephya
rium promontorium,quem in locum nonnulli aquatum & lignatū exierunt. Deinde abnauiga-
runt iuxta Salentinum Laciniumque promontoria.Inde ad valleculā Crotonis,vbi cum fuiſſent
copiæ nonnullos dies ob reflantes ventos,onerarię diuerſum iter facere coactæ ſunt , vt Corcyrā
peterent.nuntiatur in claſſem Turcas multos dies Corcyrā inſulam ferro atque igni hoſtiliter
deuaſtaſſe,atque inde nauigaſſe orientem verſus. miſsi ſunt itaq; qui hoſtis iter explorarēt.vbi ve-
ro ſtationē haberet claſsis ad Laciniū,ne ocioſa multos dies ibi eſſe cogeretur,proponitur in con
ſultatione à Venetis eundum eſſe tranſuerſe Cephaleniā verſus,qua ratione iter hoſti intercedere

**Conſultatio alia.**

tur,ſi Crocyra diſceſsiſſet,ſeque reciperet in hyberna, vt putabatur facturus.at reſponſum eſt ab
Hiſpanis illud non videri commodum,quia venti nimis eſſent violenti,qui multam difficultatē
nanigationi eſſent allaturi,quibus accederet, quod in numeroſa claſſe, vt ſolet accidere, multę tri-
remes eſſent parum agiles,atque his venti fieri non poſſe vt reliquis reſponderēt omnes, omnes-
que vno tempore ad Cephaleniam accederent. fieri etiam poſſe vt hoſtis ignotus ac paratus oēs
ad pugnam inopinatos expectaret, qui poſſet tanto acrius nocere,quanto res magis confuſæ eſſēt
& ſolutę. videri igitur iter rectū Corcyrā verſus eſſe tutius & cōmodius, vbi per vltimos nūtios
hoſtis eſſe cognoſcebatur,qui niſi inuentus eſſet in ea inſula,iter in dies cognoſci poſſet,aciesq; cō
iunctę & ad pugnā paratę in omnē opportunitatem progredi poſsēt. Illud cōſiliū cū à pōtificio

imperatore probatum eſſet & a maiori numero comitiorum,captum eſt illud iter. at quoniam Tarenti quædam copiæ reſtabant regiæ claſſi imponendæ,iuſſus eſt Bacianus eas conuehere.cõceſſum eſt & Veneto imperatori vt mitteret ad conuehendas quaſdam cohortes per ſenatuſconſ. collectas in regno Neapolitano, & ad litus Anxæ conuenerant. captum eſt igitur iter ad portum Meneſthei,ibiq; expectatæ triremes,& pręmiſſus Ghildrandada denuo ad iter hoſtis explorandum. vbi ad Meneſtheum acceditur è miſſo catalcopio cognoſcitur hoſtilem claſſem Corcyra diſceſſiſſe, quare non ſunt expectatæ relictæ triremes, ſed cum præſentibus acceditur ad Corcyram miſsis qui Baciano & Canali ſignificarent vt claſſem ad inſulam Corcyram ſequerētur vbi primum copiæ conſcendiſſent.idem imperatũ eſt nauibus prius Tarentum accedere iuſsis:atq; nõ multo poſt & hæ copiæ conuenerũt.nec multo poſt nuntiatur claſsis hoſtilis in ſinũ Naupactium ſe recepiſſe,atq; vt Zacynthij ferebant,exierant è ſinu varijs temporibus plura ſexaginta nauigia,quæ orientem verſus nauigauerãt.peruentum eſt ad locum Corcyræ inſulæ Caſopum vocatum, vnde etiam miſsa ſunt nauigia exploratum vbi eſset hoſtis, & quid moliretur.iis acceptis nuntiis indicta ſunt militaria comitia, in quibus omnium vna fuit ſententia vt pugnaretur, ſi oblata eſset occaſio pugnæ; ſed de ratione eius occaſionis procurandæ,variæ fuerunt ſententiæ.alii enim dicebant eſse intra ſinum Adriaticum recedendum, ibique aliam expeditionem ſuſcipiendam,quam ſi hoſtis vellet impedire, poſset oppugnari. Alii pugnam in faucibus ſinus Naupactii offerendam eſse arbitrabantur, qua ratione maior exiſtimatio compararetur,quam alia quauis via:quoniam vel ſi hoſtis non exiret,tamen id eſset maioris dignitatis futurum,quam quæuis alia expeditio. Alii cenſebant,cum claſsis hoſtilis tam diu in inſula Corcyra fuiſset, quæ apud omnes opinionem excitaſset, quod fœderatos expectaret ad pugnam, non ita fore honorificum prælium, quoniam tot nauigiis eſset diminuta quot ferebantur; quare nullam exiſtimationem comparari poſse aiebant, cum res dilata eſset ob metum donec vires minuerentur,neq; auſi eſsent integras inuadere Corcyrę diu expectãtes hoſtium vires. eſse preterea non leuiter perpendendum, quid mutationũ anni ratio ſecum afferret,quia offerenda pugna in faucibus ſinus Naupactii, cum diſtarent à portu Petalæ inſulæ propinquiore ad quadraginta millia paſsuum per oẽm temporis mutationẽ parum aptã in maximo periculo ſalutis poſita erat claſsis, ſi oporteret reuerti.expectatio autem apti temporis apud ignaros huiuſce conſilii;& apud vel ipſum hoſtem,non parua erat dignitatis exiſtimationisq; diminutio, vt erat intra ſinũ Adriaticum ſe recipere,vel alio,quamuis conſilio ſuſcipiendę alicuius expeditionis, vel cũ hoſte pugnandi ſi fieri poſſet.his videbatur præſtare vt vlterius procederetur,trãſgrederenturq; Turcicã claſsem,tentareturq; Pylos aut Corone aut Methone aut alia vrbs magni põderis,quia ſi hoſtis abſtitiſset, palam fatebatur ſe a fœderatis non formidari.qm̃ illo a tergo relicto,atq; in eius conſpectu ſuæ munitiones expugnarentur,vt alliceretur ad pręliũ.neq; id dici poterat oblatam eſse facultatem pugnæ,vbi vires fuiſſent diminutæ.non fuit decretum in ijs comitijs,quę harum trium ſententiarum eſſet magis eligenda,priuſquam ad Cephaleniam perueniretur. propſitum eſt capitis ſupplicium ſiquis exiret è nauigiis. Impoſita ſunt maiora tormenta, & claſſis omnibus rebus neceſſarijs inſtructa. nec multo poſt Hiſpanæ triremes ad Benizzas,qui locus eſt inſulę Corcyrę, perueniunt, Venerius dum curat frumẽtum ad ſubſidium Salaminæ quinqueremibus imponi. Venerio poſtridie ad Leſchinium extremã partem inſulæ ad orientem aduentante vniuerſa claſſis appellit.hinc ad Gomenicias vocatas in portum perueniunt,vbi Auſtro detenti ſunt,atque Auſtriacus ſtatuit claſſicas copias cenſere, vt quæ vires adeſſent cognoſceretur.acceſſit per idem tempus prætoria Ghildrandadæ, & triremes Contareni ac Maripetri e Zacyntho & Cephalenia, qui nuntiarunt Turcicam claſſem in ſinum Corinthiacum eſſe ingreſſam, miſiſſeque Coronen quædam nauigia cum ægrotantibus,vt ſupplemẽtum pro illis in claſſem conueherent.at ſummi imperatores fęderatorum ſigillatim cum ſuis ducibus de rebus gerendis ſeorſum conſultãt, vt cum veniendum erit ad vniuerſa comitia facilius ſcirent de ſumma rerum diſſerere, ac decernere, donec omnes triremes relictæ in itinere conuenirent ad claſſem. allatæ ſunt literæ Venetis proceribus à ſenatu per illud tempus,atque aliæ rurſus eadem hora,quare reditur ad concilium.Illud mirum fuit ſane quod rumor diſsipatus eſt in claſſe de expugnatione Salaminæ, neque tamen a quopiam fuit allatus, cum omnia itinera clauſa tenerentur. habita ſunt colloquia paulopoſt occulta inter ſummos duces,quæ cum nemini fuiſſent cognita, nata eſt in animis multorum ſuſpicio ne Auſtriacus eſſet abiturus. Sed vt claſsis pro inſtituto ordine nauigaret præfecti ſunt vbique in viginti triremes duces,qui iſtud ipſum curarent,atque ita Ericuſam inſulam ſunt prætervecti. Ibi explicatis velis ad ſinum Ambracium peruenitur omnibus cum velis ad medium malum demiſſis antennis nauigantibus. Ita ſeruato ordine ventum eſt ad Cephaleniam. eo certus nuntius allatus eſt Pauli Contareni Zacynthi præfecti,quo ſignificabatur claſſem hoſtilem eſſe in ſinu Corinthiaco afflictam, cum Luzalis etiam quadraginta nauigiis Methonen adiiſset. allatæ ſunt & literæ à Marino Caballio præſide Cretæ, quibus nuntiabatur captam fuiſse Salaminam, quibus nuntiis habita denuo ſunt militaria comitia.& quoniam nata fuerat diſsenſio quædam propter temeritatem impudentium militum ſuſpendio necatorum, qui nulla habita Venerei ſummi imperatoris reuerentia in eius conſpectu in prætoria triremi quoſdam Venetos trucidarant, vel cõtra Venerii mandatum vt arma deponerent:iam Auſtriacus parum honorificè de Venerio loquebatur ac ſentiebat, quo animo erat etiam Columna. Illorum iudicationem & caſtigationem cenſebat Auſtriacus ad ſe pertinere,cuius ſtipendia merebantur, quod fortè æquum apparebat niſi tanti ducis præſentis mãdatum neglexiſsent,qui ſalua dignitate ſua conniuere aut cęcutire omnino non potuit,aut rẽ differre ad cæterorum exemplũ. Illa de cauſa miſsus eſt ad Columnã Auguſtinus Barbadicus vir conſilio,eloquentia,autoritate inſignis pro cõmuni Venetorũ conſilio,cuius per mirã dexteritatem

*Conſultatio militaris fœderatorum.*

*Rumor ſcor to autore diſſipatus.*

*Diſſẽſio Auſtriaci & Columnæ cum Venerio.*

teritatem Columna reconciliatus eſt,ita tamen nihil vt negotii ſibi eſſet in poſterum cum Venerio, atque ne priuata diſſenſio vniuerſam vtilitatem, rationemque publicam belli ſubuerteret, decernitur cum Barbadico communicare quæcunque caderent in conſultationem. Veneti acceptis his infelicibus nuntiis ſeorſum per maiorem partem noctis inter ſe conſultant de rebus tranſigendis, decernuntque arces Naupacti munitiſſimas Rhium & Anthirium videri inuadendas, vt diximus, quibus ſubiugatis hoſtilem claſſem in eo ſinu oportere adoriri. Deinde re denuo in vniuerſis comitiis propoſita negotium nimis apparet difficile & inutile: obtinetur tamen vt ad Petelam vocatam inſulam accederetur, atq; inde, ſi negotium videretur poſſe confici, claſſis accederet ad expugnationem, vt per eam opportunitatem hoſti fieret facultas de ſumma belli ſi vellet totis viribus dimicandi. ſin autem pugnam detrectaret, negotiumque videretur fruſtra tentari, recederetur, impoſitisque validis præſidiis in inſulis Zacyntho & Cephalenia & Creta in hyberna concederetur. nam agebatur menſis October, alioquin mari & claſſibus non ſatis tutum aut placidum anni tempus. Inde per magnam difficultatem, ægreq; reflantibus ventis ventum eſt ad Oxias & Echidnades inſulas, quas Curzolares vulgus nauigantium appellat, atq; inde præmiſſus eſt Ioannes Cardona cum ſuis octo triremibus præcedere iuſſis ad portum Petelæ explorandum. cum claſſis pedetentim progrederetur ad flumen extra inſulas quod in mare prorumpit, ad aquandum. præcedebant triremes dextri cornu, quæ prætoriam Auriæ ſequebantur, quæ vbi primum ex inſulis euaſit, cum ſol ad vnius horæ ſpatiũ eſſet elatus, proſpicit Turcicam claſſem è ſinu Naupactio velificantem, nauigantemque inſulas verſus. Ioannes Andreas Auria continuò equitem Andream Auriam ſignificatum mittit Auſtriaco ſe locum aſſignatum pugnæ ſeruaturum, reuocare in memoriã ne magnopere inſtaret triremibus vt in acie inſtruerentur, cum tempus concederetur commodum, atq; nimia feſtinatio poſſet aliquam perturbationem rerum afferre: cum nulla in re magis ſpes victoriæ ſibi videretur collocanda, quam in recto ordine ipſarum rerum. ſed paulo antequam Andreas Auria accederet proſpecta fuerat claſſis à regia triremi, quare & hoc nuntio accepto & viſa hoſtili claſſe Auſtriacus deſcendit in cataſcopium, inſtatque triremibus vt ad ſibi deſtinatum locum ſe reciperent in aciem. iuſſi ſunt hoc ipſum facere commendator Caſtellæ & Columna, atque moniti vt omnem perturbationem deuitarent. & quoniam per id tempus claſſis fęderatorum erat continenti propinqua vt ſacra celebrarentur, cępit Ioannes Andreas Auria in altum ſe recipere, ac ſitum capeſſere qui erat opportunus, inſtruendæ claſſi & aciebus, quæ per imperatorum induſtriam cito fuit inſtructa præmiſſis ſingulis aciebus ſuis binis quinqueremibus pro inſtituto Auſtraci. Sic igitur pedetentim in hoſtem proceditur. At Turcica claſſis iuxta ſinum Naupactium procedebat iam certior facta de fœderatorum aduentu, quia Turcicæ claſſis imperator huc illuc exploratores miſerat inueſtigatum quid fœderati molirentur. Mehemetus idcirco cum ſexaginta triremibus ad Cirram ſiue Aſpropitium locum aduectus ad res neceſſarias claſſi conuehẽdas decem Ianizzerorum, duo Spacchium millia triremibus impoſuerat, & duo illorum qui ſpe prędæ claſſem ſequebantur egregiè pugnandi cupidorum, preter bellicos apparatus & commeatum, cum quibus nauigarat ad claſſem. Caracoſa archipirata exploratum miſſus ipſe etiam, vt ab aliis ſignificatum fuerat, nuntiat Chriſtianam claſſem aduentare, ſed eſſe multo minorem numerum nauigiorum, quam erat re ipſa. nam vel quòd veheretur in myoparone, non potuit præ metu omnia oculis perluſtrare, vel quòd ſiniſtrum cornu non potuiſſet proſpicere, quod eſſet à tergo adhuc poſt inſulam. Sed enim quoniam alii retuliſſent magnum eſſe nauigiorum numerum, videbatur res habere non nihil difficultatis, multique dubitabant an prælium eſſet ineundum. Alis rerum maritimarum ſummus imperator & claſſicarum, quamuis putabat omnino eſſe pugnandum, cum quia ſibi videretur præſtare potentia, tum vt pareret Selimi Imperatoris mandato, tamen vt alii quoque idem ſentirent, quod plurimum conferebat ad alacritatem pugnæ, comitia indicit ſuis proceribus, vt de ſumma belli conſultaretur, antequam aduectæ copiæ claſſem aſcenderent. Vbi ad comitia ventum eſt, fit copia cuique dicendæ ſẽtẽtiæ, ac Mehemetus præſertim, cui ſententiæ Partaus, Sirocchus, Carabucchus, & ſeniores duces aſſentiebant, multis rationibus conabatur Alim ab inſtituto reuocare, cum res appareret coniici in magnum diſcrimen. Neque enim probabile ijs videri poterat vt claſſis Chriſtianorum tãtum proceſſiſſet, niſi ad conſilium & facultatem pugnæ: quæ certè non eſſet pugnatura niſi firmiſſimis viribus freta, cum poſſet per exploratores vires Turcarum cognouiſſe, quorum ſalus vniuerſa in ſalute claſſis conſiſteret. non enim rationi conuenire cenſebat vt ea claſſis, quæ è Sicilia nauigarit, per id tempus anni, per tantum maris ſpatium, aduerſus tot hoſtes, qui poſſunt intra ſuos portus rebus omnibus opportunè eſſe muniti & inſtructi, ad apertam cladem potius, quàm ad propè certam ſpem victoriæ conuolarit. neque credendum eſt adueniſſe vt refugeret, quod neque cum captiuis neq; cum ratione conſentit, ſed vt collatis ſignis dimicet. nihil poſſe non perſuadere hos non vnanimes & concordes aduentare, cum non minus de ſalute cuiuſq;, quàm de imperio ſociorum agatur. nullus ſanè ſtimulus eſſe poteſt acrior ad fœderationes, quam communitas periculorum: quippe cum eadem ratio quæ coniunxit, coniunctos etiam in amicitia retinere poſſit. omnium fœderationum detrimentum eſſe maximum, vbi multi ſint imperatores cum pari imperio, quod in claſſe Chriſtianorum non exiſtit, cum illud agi oporteat quod duobus ſaltem, ſi non omnibus viſum ſit. nihil æquè formidabile eſſe in rebus bellicis, quam ingenium habere aduerſarium gloriæ cupidum, quod præſertim in ætate iuuenili reperitur, cum rerum ſæpè iudex fiat fortuna, at non ſolum arma. Venetos habere & fortiſſimum & ſapientiſſimum quãuis ſenem claſſis imperatorem, & ſummopere cupidos eſſe pugnandi tum vt ſanguinem ſuorũ crudeliter necatorum per Turcarum vulnera & ſtragem vlciſcantur, tum etiam vti ſe perpetua alendę claſſis moleſtia, & inſtruendæ quotannis liberent, quorum varia loca noſtra claſſis per cædes, incendia, ra-

*Io. Andreæ Aurię pręclarus monitus.*

*Mehemeti ſententia de pugna detractanda.*

dia, rapinas deuaſtauit. at contra ſi ratio ipſarum rerum Turcicarum diligenter perſpecta ponderataque ſit, nihil aliud videbitur eſſe pugnam committere, quàm vniuerſam exiſtimationem & gloriam longis, difficilibuſque laboribus, ac multa induſtria comparatam in præcipiti collocare. quippe cum omnis bellica laus non tam in felici rerum euentis, quàm in optimis conſilijs cum ratione ac ſapienter ſuſceptis verè conſiſtat. neque enim vlla neceſſitas impellit Turcas è munitiſſimo loco, vbi claſſis validiſſimis propugnaculis duobus protegitur, vbi ſuppetit annonæ & rerum omnium copia, tot rebus præclarè geſtis, deuicto hoc anno opulentiſſimo Cypri regno, Creta maiori propè ex parte ſuccenſa, Epla, Zacyntho, Cephalenia non ignobilibus inſulis direptis, Corcyra plurimũ infeſtata, Vlcinio & Doclæa ſubiugatis, Butua direpta, Iaderẽſi agro ad mænia vſq; occupato, omnibus caſtellis Dalmatiæ mirum in modum vexatis, Metubarri & omnibus recuperatis, ad apertum periculum & fortunam belli tentandam. nam non ſemper putanda ſunt omnia feliciter ſucceſſura, cum maxime inter felicia fortuna timenda ſit. an non ſatis eſſe videntur hoc anno tot parta trophæa, tot triumphi, tot victorię? timenda eſt inconſtantia fortunę, quæ ſępe deludit inſatiabiles, præſertim cum magis conueniat tempore, quam armis rem experiri. ſi pugnetur, ambigua eſt victoria, ſi res differatur, certiſſima; quippe cum aduerſarij diuturnitatem & magnitudinem ſumptuum ferre non poſſint. Huc accedit quòd propter anni tempus claſſis in hoc mari diutius non poteſt conſiſtere, & Turcæ videbuntur magis cedere tempori, quàm viribus hoſtium. non minor eſt enim conſeruandis rebus, quàm acquirendis laus; cum in hoc fortunam comitem homines habebant; in illo, ſola mortalium ſapientia ſpectetur. Neque putandus eſt Selimus malle claſſem, quàm verbum amittere; vbi cognouerit quibus conſilijs res fuerit conſeruata, tot præſertim ſpolijs, tot captiuis, tanta opulentia donatus. ſibi ita faciendum eſſe videri inquit, vt claſſem inſtruerent in aciem in portu. ibi in tuto ſpectarentur hoſtium conſilia, pro quibus poſtmodo rectius decereneretur. fieri non poſſe vt diutius ibi conſiſtant, qui ſi portum conentur expugnare, Turcę potiore loco vterentur propugnaculorum & portus & anguſtiarum beneficio, quod locus ſemper plurimum valet tutior in re bellica. Tunc cognitis vere viribus hoſtium fore vt concederetur facultas defenſionis vel expugnationis pro libito. Quòd ſiqua arte conentur claſſem e portu, propugnaculorumque auxilio elicere, nihil conſeruationi Ottomanici imperij, aut exiſtimationi & gloriæ per tot victorias partæ eſſe anteferendum, cum ſemper turpe ſit & periculoſum facere iudicem hoſtem temporis pugnandi, ad eius arbitrium accipere imperium pugnæ. his ſubiungit non eſſe pugnam aduerſus imbelles & imperitas certandi nationes, cum ſępius cognitum ſit quantum in omni gloria militari præſtent. nam & in Chalcide Eubææ & Methones oppugnatione atque Corones arma Venetorum valde funeſta ſunt cognita victoribus. & tria millia defenſorum Rhodi ad centum millia Turcarum trucidarunt, neque tamen victi ſunt per vim armorum. & Melitæ oppugnatio docuit quanta ſit vis Chriſtianorum, & ad Metubarrim clades accepta, vt antiquiora exempla quæ multa ſunt relinquam. ſe tamen ad omne ſapientiorum virorum, & imperatoris in primis mandata complectenda promptiſſimum eſſe inquit. Hamſſamus contra Hariadeni Barbaruſſæ olim nobilis archipiratæ filius dextra pectori admota, flexoque capite honoris cauſa, qui mos eſt Turcarum, præfata dicendi venia, ſe grauiter ferre inquit illam tarditatem & dubitationem, quæ coorta eſt de inuadendo hoſte; cum hæc eadẽ ſit gẽs, eadẽ corda, idẽ animus, qui fuit patris ſui tempore, qui turpisſime fugati & attoniti propę neq; roſtra quidem nauium videre intrepide ſuſtinuerunt, vbi clamores militum Turcarum exaudiuiſsent. & tamen numerus nauigiorum illorum multò erat ſuperior. non eſt credenda inquit vlla eſse inter hos beneuolentia vel fides, cum alij aliorum regum valde inter ſe diſſidentium mandatis pareant, neque alter alteri obediat. nam vbi non vnus ſit imperator, non vna caſtra, non vna vtilitas, quis exercitus timeri debet? nemo enim pro alterius vtilitate vel ſalute libenter ſe periculis exponit. non eſse dubitandum inquit Turcicam claſsem vnanimem, inſtructiſsimam, &, quod maximum eſt in omni negotio, fortunatiſsimam de hoſtibus triumphaturam. nihil magis curandum eſse, quàm vt ſummi potentiſſimique imperatoris mandatis pareatur, cuius autoritas omni bellica ratione debet eſse præſtantior, præſertim cum non Alis arbitrio illud iudicium relictum ſit, ſed ſine vlla conditione imperatum. Luzalis Numidiæ præfectus non ſolum his rationibus confirmauit animos præſentium ducum ad pugnam vltro ineundam, ſed etiam perpendens vires vtriuſque claſſis conatus eſt demonſtrare non eſse committendum vt certiſſima victoria e manibus elaberetur, quibus addidit minas, iramque Selimi, & ſupplicia in re tanta mandatum negligentibus. iubet mandatum publice inter pręſentes recitari, cuius diplomatis ſumma erat vt deuicta, deuaſtata, delecta Chriſtiana claſse Turcæ victoria vterentur. Inſulas occuparent. ibi hyemarent. Aſcriuium obſiderent & expugnarent vt vere ineunte maiori conatu hoſtem inuaderent. nam præter purpuratos omnes, qui erant in prætoria triremi, circunſteterant puppim prætoriæ multæ nauiculæ & ſcaphæ in quibus trierarchi mandatum Selimi audirent. Smyrnæ præfectus ſubiunxit non eſse e dignitate eius imperatoris aut Ottomanici nominis committere vt Turcæ Chriſtianos timuiſse viderentur ac pugnam detrectaſse, qui ſemper inuicti ante illam ætatem extitiſsent. neque committendum vllo pacto vt tanta infamię nota Turcico nomini inuratur. glorioſius eſse & honorificentius vel fortiter mori, quàm turpiter fugere, cum ex altera parte imperatorium mandatum, ex altera decus & ſplendor & gloria milites ad bellum impellat. non eſse timendam multitudinem Chriſtianorum à minori numero ſæpe vinci ſolitam, vel multitudinem & bonitatem nauigiorum, quæ multò ſunt Turcicis inferiora. ſed quoniam multi pugnandum neceſsariò ſentiebant, penitus itum eſt ab omnibus in Alis ſententiam, qui mandato

Hamſſami ſẽtẽtia de p̃lio ineundo.

Luzalis ſententia eadẽ: Selimi mandatum.

Smyrnę pfecti ſententia eadem.

parendum

Turcarũ decretũ de pugna.

patendum eſſe dicebat. Decernitur itaque præſentem facultatem pugnæ non eſſe amittendam. diſtributis copijs igitur à Mehemeto aduectis in vniuerſam claſſem, & nonnllis qui viginti liburnis vehebantur, ferreæ manicæ iniunctæ ſunt captiuis remigibus, vt pugnæ eſſent inutiles, a quibus ſibi Turcæ timebant, quorum habebant circiter decem & octo millia in claſſe. cenſæ ſunt maritimæ copiæ. poſtea claſſis vniuerſa in quatuor acies diſtribuitur, recentibus copijs inferius amandatis, ne fierent impedimento propter frequentiam. Præficitur cornu ſiniſtro Mehemetus Sirochus præfectus Alexandriæ, quod conſtabat è quinquaginta & quinque triremibus. dextrum cornu ducebat Luzalis rex Iuliæ Cæſarienſis, quod habebat nonaginta & quatuor partim triremes partim biremes. in acie media nauigabat Alis cum nonaginta & ſex partim triremibus partim biremibus. In poſtrema erant nonnullæ triremes, & biremes, & liburni triginta. conſtabat enim Turcica claſſis triremibus ducentis & octo, quadraginta & ſeptem biremibus, viginti & octo liburnis, quæ ſic inſtructa ſingulari alacritate exierat è portu Corinthiaco, atque ad Galangea vocata alitora peruenerat, vbi ſtationem habuerat in ſequentem diem.

Turcicæ claſſis iſtructio.

Auguſtini Barbadici diligentia, & oratio.

Auguſtinus Barbadicus vir patriæ gloriæ & conſeruationis ſtudioſus atque in primis ſapiens vel ſua ſponte incitatum & cupidum gloriæ Auſtriacum ad ſpem victoriæ & laudis apud omnem poſteritatem memorabilis paulo ante inflammarat. hanc vnam eſſe opportunitatem inquiens rei præclarè gerendæ, perpetuitatisq; nominis acquirẽdi. non eſſe tam glorioſam, tam præclarã tam optabilẽ facultatem pugnæ quæ diuinitus oblata ſit, contemnendam. Non poſſe hoſtem ſine ſumma & ſempiterna omnium præſentium infamia deuitari, qui niſi nunc victus ſit, audacia & temeritate ſic efferetur, vt iam non inſulis ſolùm, ſed etiam toti Italiæ compedes intentet. ſe primam hoſtiam ad hoc tam gorioſum & pium ſacrificium pro Chriſtianorum conſeruatione offert, modo reliqui Chriſti vexillum, & Crucem Chriſtianæ fidei trophæum ſequantur. cæterum Auſtriacus vicinitate hoſtium cognita inſtructaque claſſe vexillum erigi iuſſit, quod erat ſignum futuri prælij. erecta eſt in naui prætoria Auſtriaci imago Chriſti cruci affixi, & in alio ſigno extenſo imago virginis Deiparæ. his ita ſtatutis Auſtriacus fulgentibus auratisque armis induitur. claſſem recognoſcens, Trierarchos hortatur vt fortiter pugnent. oſtendit paucis in hac pugna de religione, patria, facultatibus, liberis vita ac ſanguine ſingulorum dimicari. neceſſe eſſe vel fortiter cadere, vel fortiter vincere, cum reliqua omnia turpia ac miſera ſint. virtutem ferro viam ſæpius aperuiſſe. timori omnia calamitoſa eſſe coniuncta. vnam horam poſſe perpetuam gloriam & felicitatem omnibus afferre. Iſtud ipſum fit à Venetis proceribus, & à Barbadico in primis, qui non minus eloquentia, quam charitate erga patriam & ſapientia præſtabat. omnibus mirum in modum ad pugnam incenſis ſtudioſe nauigatur. Alis per alios exploratum miſſos poſt Caracoſam intelligit Chriſtianorum claſſem non ſolum inſtructam in acie, ſed etiam ſignis ad pugnam erectis ad ſe conueniendum contendere, illo nuntio plurimum conſternatur audito etiam numero nauigiorum, vt qui ſibi iamdiu perſuaſerat vel in portu hoſtem inuadere, non auſum proſpectare ora Turcarum. nonis igitur octobris, quo die Diuæ Iuſtinæ ſolennia celebrantur, claſſes inuicem propinquare incipiunt. Mira fit vtrobique alacritas & lætitia, cum omnes dicerent aduentaſſe diem qui afferret fines laborum, & quo imperium, Deus cui mallet, adiudicaret. parantur arma. fit expeditus locus epibatarum, vt aptior fieret ad pugnam. diuinum numen precibus imploratur. remiges & milites corpora curant, & cibo potuque liberius reficiunt. erat quaſi denſi nemoris proſpectus è longinquo multitudo malorum & rudentum, quæ procul aſpectabantur. fœderati paulatim in hoſtem procedunt, qui viſa claſſe tormentum diſplodit ad ſignum ſe accingendi ad prælium. & quoniam nulla bellica ratio perſuadere poterat, nullam eſſe aciem triremium hoſti ſubſidiariam, quæ nulla hactenus viſa fuerat, Auria mittit hortatum Auſtriacum vt mittat imperatum Baciano ne moueretur antequam certò ſciret hoſtem nullas habere triremes à tergo. quòd præſtaret illis ſeſe opponere, quam pati vt recentes in claſſem iam pugnando defeſſam impetum facerent. hoſtes vbi claſſem inſtruxiſſent, diſploſum eſt tormentum è prætoria Alis purpurati, quo requirebatur an omnes eſſent parati, quod ita eſſe reſponſum eſt per tormentum ab vtroque cornu. ſic his procedentibus aciebus diſploſum eſt denuo tormentum ex imperatoria ad inuitandum ad pugnam, cui reſponſum eſt alio tormento ex Auſtriaca. vbi propius ventum eſt, Turcæ maximis vociferationibus de more lætitiam ſignificant, at Chriſtiani claſſicis, lituis, tympanis, varijsque inſtrumentis incitantur ad bellum pro vocibus, quod fit etiam poſt à Turcis. Turcæ vbi vidiſſent hoſtem tanta alacritate tamque impigrè ad pugnam procedere roſtris in eos directis, & ſeruato ordine ſigna ſequi, & ipſi procedunt explicata claſſe in formam lunæ ſemiplenæ. Turcis victoriam promittere videbatur ſecundi venti fauor, qui non parui fieri poteſt in rebus maritimis, cũ ventus verè ſit maris tyrannus. Vt autem maiori alacritate ab omnibus pugnaretur, Chriſtiani libertate donarunt omnes, qui propter flagitia cathenati eſſent ad tranſtra. vnum incommodum non mediocriter claſſem Turcarum infeſtabat, quod nauigabant ſole aduerſo radijs illorum aciem oculorum infeſtantibus, quod maximopere deuitari oportet. erat locus ille, in quẽ claſſes ad pugnam conueniebant, propè ad theatri cuiuſdam formam fictus ab ipſa natura: ſi quidem vbique cingebatur ita continente vt pugna proſpici e terra poſſet. Eius ambitus ad ducenta & quinquaginta millia paſſuum continet. amplituto circiter viginti. Longitudo ad octoginta: ab Amphimaleo ſinu ſcilicet ad Naupactum. Clauditur latere Albaniæ, quod Natoliam vulgus appellat. ab oriente clauditur Peloponneſo, quæ ad Sextum & Abydum vſque terreſtri itinere protenditur. ad meridiem Zacynthum, ad occaſum Cephaleniam inſulam habet & ſinum Amphimaleum. in medio eius ſinus continentem verſus conſurgunt tres ſcopuli, qui Curcutes vocantur diſtantes à continente circi-

Io. auſtriaci oratio.

Venetorum promptitudo.

Dies pugnæ naualis.

Ventus maris tyrãnus.

Loci ad pugnã delecti deſcriptio.

te circiter mille paſſus. proceres quidam cognita fœderatorum alacritate hortabantur Alim vt
diligenter conſuleret, qui reſpondit neque tempus neque locum neque hoſtem iam concedere
aut admittere conſiliũ. opus eſſe armis non conſiliis ſuorũ. Tum ſuos ad bellũ. hortatur. docet ho
ſtes toties profligatos non eſſe timendos. proponit Solimani recentes victorias. in memoriam re
uocat clades Venetis acceptas per virtutem Turcarum, nihil eſſe formidabile illis, qui fortuna be
nigna vtantur. demonſtrat, quæ in omnibus ſemper ſe oſtendit Turcicis rebus propenſam. Pro
ponit ſegnibus ſupplicia, fortibus ingentia prẹmia pro virtute. poſtea rogat an magna eſſent na
uigia quinqueremes, quæ præcedere dicebatur, & quot bellica tormenta geſtarent. cum multa
dictum fuiſſet, viſus eſt aliquantulum ſubriſiſſe. Interea Aloyſius Cardona celocem ingreſſus om
nes triremes à puppe viſit. ad pugnam fortitudinemq́ue cohortatur, cum Chriſto duce certiſſi-
ma habenda ſit victoria. Tum Ieſuitẹ & eremitæ qui erant in claſse ſumptis imaginibus Chriſti
cruci affixi, pro huius fide ac religione pugnandum eſse inquiunt, qui expenſis brachiis videtur
ſuos ad ſtrenuitatem adhortari & precari; cum omnibus pro Chriſti honore cadentibus certiſſi-
mum prẹmium in cœlo ſit paratum. datis mutuis complexibus, priſtiniſque odiis & inimicitiis
obliteratis ad pugnam proceditur. Enimuro cum propinquaretur, cœpit Luzalis procurare vt
latus exterius Auriẹ occuparet, atque ad puppim perueniret, quòd ſane facile fieri poterat, quo-
niam non eſsent in acie fẹderatorum plures centum & ſeptuaginta ac ſeptẽ triremibus, hoſtiſq;
haberet ducenta & quinquaginta nauigia, neque poſset continentem verſus ſe magis explicare,
quam fœderati ſe explicauerant. nam prætoria Barbadici tam litori erat vicina, quam ratio pro-
funditatis patiebatur. ſic cogebantur, quæ plures eſsent hoſtiles, excludi à reliquo ordine. his ita
inter ſe coarctatis multo amplius ſpatium Luzali maris relinquebatur, quàm Auriæ, qui cogni-
Luzalis & Io. Andreæ Auriæ ars.
to aduerſarii conſilio, quod viſum eſset plurimi referri ſuam proram opponi aduerſum cor
nu ductanti, eadem quae ratione regitur, qua hoſtis qui opponebatur. at pars continenti propin
qua, dum inter hos duces arte certatur, cum multo minus eſset procedendum, nullaque via la
tus prẹripi poſset, ita propinquat vt quinqueremes inciperent hoſtilem claſsem aliquo pacto la-
befactare. Turcæ venti beneficio freti, quia ſic Io. Andreas Auria cum dextro cornu latius recede
re viſus eſset, putarentque illum de fuga cogitare, omnia felicia ſibi vaticinabantur. nam claſſis
erat tanquam corpus auis auolaturẹ, cuius alæ eſsent explicatæ ad volatum, cum corpus in me-
dio alarum expenſarum conſiſteret, cuius pro lata cauda erant nauigia ad ſubſidium deſtinata. vi-
ſus eſt idem rurſus Luzalis excogitaſse, cuius dextrum cornu idem fecerat. præcedebant quinque
remes tanquam natantia, præcedentiaque propugnacula, quæ quanto fierent propinquiores, tan
to maiore clade hoſtes afficiebant. nam vbi viſum eſt intereſse ſpatium idoneum machinis, ma-
gna globorum cathenis armatorum procella in hoſtes effunditur, tanto cum ſtrepitu, fulguri-
bus, clamore, fragore, vt omnia circum contremiſcere viderentur. idem paulo poſt acies media fa
cere cẹpit. cum verò videretur hoſti quanto citius prẹlium cominus conſeruiſset, tanto meliorẽ
conditionem ſe eſse habiturum, vt proras quinqueremium deuitaret, cœptum eſt continentem
verſus multa diligentia, ſtudio, alacritate confligere atque vt accidit in magnis claſſibus, cum aliẹ
promptiores, aliẹ tardiores eſsent naues, aliæ progreſsæ ſunt citiſſimæ vt magis expeditẹ, aliæ tar
dius iter faciebant, turmatimque accedebant ad prælium cum multa perturbatione. præter duo
cornua. mediẹ acies cẹperunt confligere, cum Auſtriacus imperatoriam inuaſiſset. eodem tẽpo-
rẹ cum Luzalis compertum haberet ob inſignem peritiam rerum bellicarum & iudicium Io. An
dreẹ Auriæ quod neque à tergo poſset circumuenire, neque latera impetere, decreuit proras inte
Virtus Auriẹ
rius cõuertere, quẽ ſecutæ ſunt triremes exterius nauigãtes. ea occaſione vſus Auria cũ duodecim
triremibus prætergreſsus, ſuaque quinqueremi a tergo relicta cũ hoſtis latus porrigeret, illud ita
inuadit vt vbique pugnaretur. non potuit diu propter fumum tormentorum & ſclopettorum
proſpici penes quos futura eſset victoria. illud mirum videri poſset, quod mare, quod antea le-
niter fauebat Turcicæ claſſi, paulatim tranquillum & pacatum factum fuerat, cum primum inſi-
Mirũ, quòd ventus in ipſo articulo tẽporis mutatus ſit.
gnia fœderationis & crucis ſunt explicata, vbi cœptum eſt pugnare, placidiſsimus ac ſuauis vẽtus
ſecundus fœderatis repente aſpirare cœpit. vniuerſa claſſis Turcarũ fumo inuoluebatur, in quã
ferebatur vento. atque vt paucis dicam, cum ſæpius repetendorum ictuum magiſtris tormento
rum per ventum conceſsum fuiſset, neque Turcæ poſsent longe proſpicere, plurimaque accipe-
rent damna, & iam diſsipatos ordines viderent, quia quinqueremes ſupra quam credi poſset mi-
rifica clade hoſtem affecerant, tamen incredibili fortitudine & animi conſtantia quinqueremes vi
remorum prætergreſſi, quamuis tarde ob reflantes ventos prẹtorias inuadunt fẹderatorũ per re
migum alacritatem. iam enim cathenæ, globi ferrei, fruſta ſaxorum, varia telorum genera è tor-
mentis exploſa magnã partẽ Turcarum profligarant, trucidarant, vulnerauerant ſed Turcæ qui
nollent cadere inulti reliqui magna virtute in fœderatos protumpunt vbi diſpoſa ſunt tormẽta
vtrinque tanta vi cõcurritur, vt roſtra prætoriarum vtrinque defracta cõciderint. certatur per ali
quod ſpatium dubio Marte, vt neſcireur vtram in partem inclinaret victoria. nã modo his, mo-
do illis fortuna belli videbatur fauere, cum primo congreſsu tabulata, antemnæ, mali, arma, fra-
gmenta hordm omnium per aera conuolarent. Mehemetus dextro cornu præfectus ad tantam
cladem deuitandam ab acie media ſuorum ſecedit, qui iuxta continentem ſiniſtro hoſtiũ proce-
debet obuiam. Auguſtinus Barbadicus huic fortiter occurrit, cui cum Marinus contarenus ſubſi-
dio acceſſiſset, initum eſt atrox ſane & horrendum certamen, vbi prætorianæ acies pugna primũ
commiſſiſsent bis diſploſa ſunt, aut ter tormenta, aut etiã ſæpius, ita vt hoſtes conſternarentur
diſſiparenturq; ante quã poſsent multa tormenta diſplodere, quæ etiã diſploſa ſunt, non valde
infeſta-

inſeſtabāt fęderatos,cum proræ ſublimiores eſſent, quàm vt tormenta rectà globos contorque-
rent,at fęderati ora tormentorum deflexiſſent.vt proprius ad pugnam itum eſt,ibi maxima ſagit-
tarum tempeſtas & ſclopettorum repente exoritur, multique milites ignes vtrinque conijciun-
tur. Turcicæ triremes cum Chriſtianorum viciſſim coglobantur. vbique pugnatur ſumma ani-
mi contentione. multæ triremes vtrinque ab hoſtibus conſcenſæ fuerunt, reſque non amplius
miſſilibus eminus,ſed cominus breuibus armis agebatur. multi cadunt trucidati. multi in mare
delabuntur ac ſuffocantur in aquis,cum tabulæ, inſtrumenta nauium,cadauera natantia paſſim
viderentur. Mehemetus expertus cornu Chriſtianorum ſiniſtrum fortiter pugnam inire, cum
latera triremium & antemnæ infringerentur,multique ſparſim & vbique perirent, conatur ſuos
in acie ſumma ope retinere.ſed illi in ſiccum conſultò impingentes in mare deſiliunt,ac fuga ſibi
ſalutem quærunt.natandi imperiti ſpem omnem vitę in clementia Chriſtianorum ponunt.Qui
rinus & Canalis ex altera parte non poſſunt ita extremo cornu hos perſtringere ne in mare deſi
lientes ſeruarentur, ſed certè nauigia omnia capta & direpta ſunt.nemini hoſti parcitur.cathena-
ti ad tranſtra arreptis Turcarū armis & ipſi in priſtinos dominos ſęuiunt. ceciderunt fortiter pu-
gnantes primo propè impetu Marinus Contarenus, Vincentius Quirinus, Andreas Barbadicus.

Auguſtini Barbadici cō ſtantia.

Auguſtinus Barbadicus accepto lętali vulnere in oculo ex ſagitta rogauit penes quos eſſet victoria
cum reſponſum eſſet penes Chriſtianos,ſe æquo animo ferre inquit;quando moriens patriam vi
ctricem & ab immani ſeruitio liberam relinqueret. deinde nihil amplius locutus, vir præclarus
& ſempiterna memoria dignus ob multa animi ornamenta,ſed in primis ob inſignem pietatem
in patriam,fatis conceſſit.dum Auria proſpectat per militarem prudētiā ne à Luzali circunueni
retur, Alis cum prætoria triremi vti diximus,prætoriam Auſtriaci inuadens acerrimum & maxi-
mè cruentum prælium committit,cum apud Alim eſsent quadringenti lectiſſimi ianizzeri atq;
apud Auſtriacum totidem veterani Hiſpani. erant præterea apud Alim inſignes proceres Hamſ-
ſamus terreſtrium copiarum præfectus, Malamutus Mytilenes, Mamut ianizzerorum, Caracoſa

Acre præliū circa Auſtriacum

Apollonię nobilis archipirata multarū palmarum, Muſtapha Celibi quęſtor, Amathus Teuthra
niæ eparchus, Aſſis Gaiga præſes Gallipolis, Solimanus Deli, Ghider Chij, Caſsambeius Rhodi,
præter multos alios.circum Auſtriacum erant Lopes Figueroa caſtrorum magiſter, Bernadinus
Cardona, Michael Moncada, Aloyſius Carillus,& alij. Auſtriacus ipſe armatus aſtabat ad vexil-
lum,apud quem erant Pliegus & Ludouicus Ferecij, Federicus Beneuidus, Ioannes Guzmanus,
Philippus Heredius, Ruidius Mēdocius nobiles Hiſpani.aderant & propinquæ triremes Colum
næ,& Venerij ſœderatorum imperatorum,& duorum prædictorum principum, & aliæ præto-
riæ inſigniter inſtructæ.Sebaſtianum Venerium iuſsę ſunt triremes Ioannis Lauredani & Catari
ni Maripetri ad puppem ſequi ſubſidij cauſa.Columnā aliæ duæ pariter ſequiuſsæ ſunt.hic atro-
ciſſimum omnium certamen gerebatur; vt pote quò fortiſſimi,& honeſtiſſimi duces vtrinque cō
fluxiſsēt,maximeque glorię cupidi.Turcę primùm prętoriam Auſtriaci triremem omni conatu
conſcendere ac ſumma vi conantur,ſed non ſemel virtute defenſorum repulſi ſunt: at ſuccreſcē
te Turcarum frequentia res in magno periculo conſtituitur.nam cum vniuerſam victoriam in il
la triremi potiunda repoſitam eſse proceres arbitrarentur,quamuis magnam cladem videbantur
accipere,tamen obſtinatiſſimè repetitis conatibus inuadunt.idcirco ſubierunt ſubſidiariæ trire-
mes.ibi acrius etiam pugnatur.vel vincere virtute neceſse ſit, vel cadere.nam quamuis Auſtria
cus in proram irruiſset,Columna in alterum, Venerius in alterum latus,cū prætoria Caſtellę &
Hiſpana etiam ſubſidio acceſſiſsent,tamen imperatoria Turca egregie fortiterque ſe tuebatur.in
dextro cornu multo maior erat numerus triremium,quare plus erat ibi negotij,cum hoſtes mul
ta damna intuliſsēt,cepiſsentque ad duodecim è fęderatorum triremibus. atqui Luzalis ſtatim
relicto loco,quem extremum occupabat,ſuis opem ferebat variis in locis,cum procuraret neque
in locum includeretur,vnde non poſset,cum vellet,effugere.acceſſit vel ad oppugnanres præto
riā Melitenſem,quæ ductabat aciem dextrum cornu verſus,quę poſt diuturnum certamen coa-

Io. Andreæ. Aurię virtus.

cta eſt ſe dedere.Io.Cardona & ipſe in magno periculo verſabatur cum illum Partaus inuaſiſset,
niſi omnis prope vis belli conuerſa eſset in Auſtriacum,qui coactus eſt relicta triremi in haliade
aufugere.Auria interea profligatis ijs triremibus,quę ad caput dextri cornu conſtiterant,cū decē
quę ſecutę ſunt,in puppim cæterarū impetū facit,tantaque clade affligit,vt hic quoque ſtatim vi
ctoria cognita ſit.ceciderunt fortiter pugnantes dū,Venerio ſubſidiū ferunt,glandibus icti Catari
nus Maripetrus & Io.Lauredanus.milites Turcicas triremes conſcendentes in vltionē Veneto-
rū trierarchorum cęſis defenſoribus illis potiuntur.nec minus fortitudinis in cęteris principibus
apparet,ſed ſupra omnes admirabilis virtus Venerii viſa eſt,qui cano capite,tyro inter arma,viri
diflorere iuuēta apparuit.nam vel vlneratus Hamſsami trireme potitur,cum aliam Columna de
uiciſset.enituit in ea pugna ſane & egregia ac memorabilis triremium Florentinorū equitū.Di
ui Stephani virtus,atque inſignis fortitudo,quamuis multis epibatis per vim armorū fuiſsēt or-
batæ quòd nullam frequentiam hoſtium,aut periculū vitantes in confertiſſimos irruperunt viā
ferro ſibi quacunque incederent aperientes.Auſtriacus cum bis ad malū vſq; cū armis hoſtis in
pretoriam inuaſiſset ac irruiſset non ſine inſigni clade,tamen repellitur à recentibus Turcarū
ſubſidiis.nam cum ducēti Turcæ ſubſidio accurriſsent ſuo imperatori miro impetu irrumpunt
in Chriſtianos.Bernardinus Cardona,cum ſcutum minoris globi ſmerilli ictum ob egregiū tēpe
ramentum ſuſtinuiſset,tamen tanta vi percutitur à ſcuto vt poſtridie expirarit.Auſtriacus ſuos
hortatur ſingulari fortitudine in recētia ſubſidia impreſſionē faciens duabus triremibus ſubiuga

Alis caſus.

tis,tertia quoq; prętoria potitur.Alis glāde trāfixus in eo certamine perriit,cui ſtatim caput de-

ciſum allatū eſt ad Auſtriacum, atq; illud haſtæ infigitur & extollitur tanquam trophæum. vbi cępe-
runt tenebrę & caligines vel nox tormentorum potius rareſcere cognitum eſt dextrùm cornu hoſti
le cōtinentem verſus multas triremes inuaſiſſe in latus, quę quoniam tam eſſent terræ propinquę,
magnaq; ſpes ſalutis in fuga eſſet repoſita, tam frigidè pugnarunt vt vel ab initio pugnæ cum profli
gati cęſiq; ſint pugnantes magnam trepidationem reliquis copijs iniecerint. quare pleriq; decer-
nunt in terram impingere rati fortunam non eſſe tentandam, neq; experiundas vires claſſium fæ-
deratorum. illud tanto metu cęterarum animos conſternauit vt ſtatim cornu ſiniſtri copiæ cogno-
uerint ſuam eſse victoriam. iam ſæpius conclamata fuerat victoria, ſed quoniam virtus hoſtium il-
lam dubiam faciebat, quorū illa eſset verè non apertè dignoſcebatur. Nunc verò vbi Turcæ iam ſe-
gniores ad defenſionem viderentur, penes Chriſtianos illam eſse palā creditū eſt. Auſtriacus pro ere
ptis Turcicis vexillis prætoriæ hoſtium triremi, docet illam crucem geſtare, quo tempore tota claſse
victoria conclamatur. Auſtriacus imperatoria potitus dextrum cornu verſus iuſſis quibuſdam trire-
mibus vicinioribus ſequi proficiſcitur vt Auriæ opem ferret, in quem magnum numerum hoſtiū
irruiſse cog nouerat, putabatque egere ſubſidijs. ſed vbi vidiſset cum tribus triremibus exiens eum
feliciter agentem non proficiſcitur vlterius. Auria non acceſſit ad regiam viſam, ſed proram con-
uertit in magnum numerum hoſtilium triremium quæ coniunctę erant adhuc occaſum verſus, cū
quibus erat Luzalis ad fugam vt diximus proſpectans, ijs iter capientibus iuxta continentem. Auria
ad quoddam promontorium, quà neceſsario erat tranſeundum cum Marchione Sanctæ Crucis
procurrit viam intercluſurus. iam ſex tantum aut ſeptem nauigia cum Luzali euaſerant, cum aliæ
in terram eò accedentes impegerunt ad triginta nimirum, atq; Luzalis noctis beneficio cum ſeptē
ſe ſeruauit Turcę illa vociferatione cōſternati, qui ſuperfuerant terga vertere incipiūt, ſed ab inſequē
tibus cęſi triremes & ſpolia in poteſtate fęderatorum reliquerūt. Caracoſa in hac pugna magna vir-
tute decertans interficitur, & multi proceres Turcę. ceciderunt, ex alia parte Hieronymus Venerius,
Franciſcus Bonus, Iacobus Dreſſanus trierarchi præter alios inſignes. Luzalis qui Auriæ conſi- Luzalis vir-
lia obſeruabat, cum triremes quædam ab alijs receſſiſſent ſumma celeritate has circunuenit. breuiſ- tus & fuga.
ſimo tēporis ſpatio duodecim capit trucidatis omnib. defenſoribus. ceciderūt in hac etiā pugna Ve-
neti inſignes Iacobus Medius, Georgius Cornarius, Benedictus Superantius, duo M. Antonij Lan-
dus & Paſqualigus, Hieronimus Contarenus. captus eſt Aloyſius Cipicus Tragurius vulneratus. at
que cum ſtrenuè dimicatum eſſet, ſingulariq; virtute vbiq; à Venetis multi etiam Turcę ceciderūt.
omnes propè milites ſunt vulnerati Ioannis Cardonę, cum quo multi erant proceres Hiſpani ac Si-
culi in prætoria Sicilię, inter quos fuit Diegus Henriques, Ioannes Oſorius, Henricus Cardona, Mar-
chio Abulenſis, cum fuiſſet obuius quindecim Turcicis iuſſus præcedere, atq; in cornu dextrum ſe
recipere. Petrus etiam Iuſtinianus dux Melitenſium triremium magnum ſubijt periculum, cuius cū
triremis poſt victoriam ex ordine receſſiſſet aduerſus cornu, cui pręerat Luzalis, à tribus triremibus
vndiq; mira virtute inuaditur, qua triremi propè potiti eſſent Turcę, niſi a duabus alijs inuaderētur.
ſed enim amiſſis præſtantioribus militibus in prima pugna facile cedunt recentibus auxilijs. Ioan-
nes Contarenus magna virtute Mehemetum demergit cum triremi quibuſdam alijs adiuuātibus.
Canalis multas vi expugnat. egregia virtus enituit & marchionis Sanctæ Crucis, qui multa pruden-
tia laborantibus partibus ſuccurrens victoriam non parum adiuuit cum ſtrenue dimicauiſſet vel ac
ceptis vulneribus. Enimuero Luzalis fuga & Mehemeti demerſio fecit vt certiſſima victoria crede-
retur eſſe penes fęderatos, cum inde poſtea ſecuta ſit magna Turcarum clades ſine vlla cæde fędera-
torum. vbi primū enim conclamata fuerat victoria, captiui cathenati vel ſolutis vel etiam fractis ca-
thenis præ lætitia quęcunque arma ſeſe obtuliſſent ſatis erant acuta ad acceptas plagas & iniurias
vlciſcendas. Vbi Turcica nauigia ſunt in poteſtatem Chriſtianorum redacta omnes ad ſpolia & Veneta naui
prædam accurrunt. non pauci cęſi ſunt cum deorſum deſcenderent a latentibus Turcis. multæ ortæ gia victoriā
ſunt inter Italos & Hiſpanos de pręda controuerſię. nam cum nulla re inferior virtus Itala fuiſ- pręcipue pe
ſet Hiſpana pugnando & ſubiugando hoſte, nitebantur Itali ne eſſe inferiores viderentur acquiren- par iunt.
dis & diripiendis ſpolijs ac reportandis inſignibus victorię. egregia virtus ſupra omnia nauigia fuit
ſex quinqueremiū, quæ prope autores uictoriæ iuſto nomine appellari poſsent, cū maiorem par- Victoria fœ-
tem claſſis hoſtilis profligaſſent, antequam aliæ pugnam commiſiſsent. Venerius è veſtigio poſt cer- deratorū cla
tam cognitam victoriam literas gratulationis plenas exarat ad ſenatū de felicibus ſucceſſibus, quas ſe Turcica ꝓ
dat Onfreo Iuſtinian o trierarcho, deinde accedit ad Auſtriacū. primùm gratias Deo agunt, deinde fligata.
mutuis vtuntur gratulationibus & complexibus, omniſque prioris diſſidij memoria obliteratur.
milites viciſſim laudant fortitudinem & conſtantiam. duces claſſium hanc victoriam in concione
Deo acceptam referunt; & milites Dei miniſtros laudant, gratiaſque agunt pro virtute, qua vſi ſunt
in tam formidabili certamine. conſolantur męſtos cęde affinium & amicorum. poſtea ad vulnera-
tos ſubleuandos omni diligentia ſtudiū conuertitur. deſiderata ſunt circiter tredecim millia Chri-
ſtianorum, qui fortiter pugnando ceciderunt, inter quos fuerunt inſignes Ioannes & Bernardinus
Cardonę Hiſpani, Horatius & Virginius Vrſini Romani. Veneti duo M. Antonij Landus & Paſ-
qualigus, Hieronymus & Marinus Contareni, Franciſcus Bonus, Andreas Barbadicus Ioannes Lau-
redanus, Vincentius Quirinus. & alij pleriq;. fuerunt enim ad quatuordecim trierarchi, & ad ſexa-
ginta equites ordinis diui Ioānnis. Vulnerati fuerunt ipſe Auſtriacus quamuis leui vulnere. Paulus
Iordanus, Sanctiflorius regulus, Troilus Sauellus, Marcus Molinus, Thomas Mediceus, atque alij,
quos longum eſset numerare cum plures octo millibus fuiſsent vulnerati. ex hoſtibus dicūtur cęſa
fuiſse circiter viginti & quinq; millia, cū multi eſsēt demerſi, & in vndis ſuffocati. capta ſunt quinq;
millia hoſtium, inter quos inſigniores erant Seinus & Malemetus Alis filij, & Malmetus præfectus

Eubæę, &

Eubææ,& Sirochus cum vxore muliere venuſtiſſima. Luzalis, Partaus, Muratus fugerunt ſoſpites, Genoueſius Caraperis archipirata in Cyprum adierat cum viginti roſtratis nauibus, quare huic bello non interſuerat. fugerunt initio pugnæ non nullæ in ſinum Naupactium redeuntes, inter quas oĩa nauigia fuerunt Iulię Cæſarienſis. reliqui omnes proceres Turcæ pugnantes fortiter ceciderunt. Soluta ſunt ad quindecim captiuorũ millia variarũ nationũ, qui in claſſe Turcica ad remigiũ fuerant cathenathi. captæ ſunt triremes centũ & decem ac ſeptem, dicrota tredecim, varij generis nauigia complura. idcirco quidam non inſulsè vt mihi quidem viſus eſt alludens ad belli magnitudinẽ, ita cecinit;

Numerus captiuorum & ſpolia.

*Quis furor hic? ardet ne fretum? tot fulmina cęlo*
*An ne cadunt? dormit Iupiter, an vigilat?*
*An magis inſanus mouit temeraria bella*
*Aequoreo fratri, cęruleisque Deis?*
*Sic Neptunus ait tumida emerſurus ab vnda,*
*Sed non inuenit quod fuit ante fretum.*
*Cęrula nauigijs velantur tergora ponti.*
*Et mare, Cęruleum quod fuit ante, rubet.*
*Fragmina remorum, tabulas, mortalia membra*
*Huc illuc crebro fulmine pulſa videt.*
*Ambigit an vigilet vel ſomniet; arma ferocis*
*Vt nouit Martis, quid tibi quæris ait?*
*Quiſue homicida tibi imperium conceſſit in vndas?*
*Cui Mars; Europæ litus id, hoc Aſiæ.*
*De vtroque imperio pugnatur. præmia bello*
*Nimirum magno grandia propoſita.*

Egregia virtus enituit inter cæteros Venetos proceres Franciſci Boni trierarchæ, qui tanta animi magnitudine certauit, vt inter confertiſſimos hoſtes cum lectiſſima trireme irrumpere non dubitarit. atque cum vulnus in faciem è glande plumbea accepiſſet, ſanguinem angulo vexilli ſiccauit, neque vel tantillum eo vulnere à fortitudine eſt retardatus. ſed cum magna vis hoſtium vndique irruiſſet, cæſi ſunt omnes ferè eius milites diuturno pugnæ labore potius & multa cęde hoſtium defatigati, quam vlla virtute hoſtili ſuperati: in qua pugna cecidit etiam ipſe Bonus. At verò cum magna vis belli eò poſtea fuiſſet conuerſa cęſis profligatisque Turcis, direptum eſt ab Hiſpanis eius triremis vexillum, & in Siciliam Meſſanam comportatum: quod vbi vidiſſet Placitus Ragazzonus ciuis gloriæ patrię ſuæ maximè cupidus à quodam Hiſpano diuenditum iri, recuperauit & ad coniunctos Boni Venetias tranſmiſit, tanquam monimentum eius virtutis ac fortitudinis, cum victrices, at non victæ Venetę fuiſſent triremes. Prætoria triremis Alis & operis magnificentia, & pulchritudine longe præſtabat ceteris nauigijs, quæ multos iam annos conſpecta ſint, cum eius puppis per ampla è nobili materia eſſet confecta, & quaſi ſegmentata varijs lineis in diuerſas hiſtorias formabatur. demerſa ſunt circiter octoginta nauigia varij generis, & quæ mare non abſorpſit, quædam vt inutilia deſerta ſunt aut etiam ſuccenſa. claſſis vbi in portum poſt victoriam perueniſſet, magna coorta eſt tempeſtas, vt fit plerunque poſt magnas clades, at ſoſpite tamen claſſe vniuerſa. Auſtriacus & ipſe ad Philippum Regem Lopem Figueroam miſit, & Pliegum ad Pontificem, Ferdinandum Mendocium ad Cęſarem, Petrum Zappatam ad Venetos eodem tempore quo Venerius, quę legationes victoriam ſignificarẽt & literas redderent, ac gratularentur pro rebus feliciter geſtis. poſt modo diuiſa eſt prȩda pro ratione ſumptuum, ſingulisque principibus fȩderatis diſtributa. pontifici triremes decem & nouem, biremes duæ, tormenta maiora decem & nouem, minora tria. duplex numerus Venetis, triplex Hiſpano Regi. Onfrei triremis ſumma vſa diligentia ad 14. Cal. Nouembris Venetias applicuit. quædam tormenta diſplodit. inſignia captiua trahit per mare; quę vbi viſa ſunt, cognitique ex habitu Turcæ remiges captiui, incredibilis fit ex omni parte vrbis concurſus. audita ſemel ab epibatis vbique victoria repetitur & conclamatur. poſt illam victoriam cupiebat Auſtriacus Naupacti expugnationem aggredi, ſed cum cenſæ fuiſſent claſſicæ copiæ, non ſunt inuenta plura octo millibus peditum, qui exponi poſſent, quæ copiæ omnibus nimis paruæ viſæ ſunt. inde ventum eſt Leucadem, quæ vrbs eſt Epiri, quę dicebatur eſſe facilior ad expugnandum, ſed diligentius recognita talis viſa eſt vt in opportunius tempus apparuerit reſeruanda. atque reditũ eſt Corcyrã. vbi redditę ſunt literæ primum ac ſenatui, magnitudoq; victorię cognita, repẽte ingẽs ſtrepitus ęris cãpani vbiq; exoritur. vulgus inſolẽtia victorię vbiq; debacchatur ad morẽ lymphaticorũ. Pontificis legatio Io. Antonius Fachinetus vir in omni genere laudis inſignis, multiſque honorũ gradib. clarus, & animi ornamẽtis ĩprimis pſtãs, & Ioãnes Griman⁹ patriarcha Aqleię gratulatũ ſenatui accedunt. quẽ & Principem cum paucis in templum auguſtius Diui Marci comitantur Deoque gratias agunt pro felicitate rerum geſtarum, cum vno prȩlio vniuerſa Italia fuiſſet ſeruata. nũtij tantę victorię mox ad alios principes mittuntur conueniunt vndiq; Venetias legationes gratulatũ. Onfręus equeſtri dignitate pro felici nũtio inſignitur, ac dignitati adiũcta ſunt munera. nocturni ignes accẽſi. tomẽtorũ multorũ bombo lętitia ſignificata. temeritate vulgi effractus carcer cũ graui multorũ, quibus debebatur, iactura. ſenatus decreto quidã liberati rei variorũ criminũ. dimiſſi qui pro leuioribus latrocinijs in carcere detinebantur. poſtridie aditur tẽplũ auguſtius ſolẽni cũ põpa. nec multo poſt celebratę ſunt, exequię illorũ, q fortiter in bello occubuiſsẽt. p demortuis alij ſuffecti ſunt trierarchi. Iacobus Superãtius eques p ſenatuſcõſultũ ſuccedit Barbadico. Põtifex accepto nũtio victoriæ per legationis ſuæ literas, & paulo poſt per Venetũ oratorem cũ patribus purpuratis ſacratis,

Legationes miſſæ victoriam ſignificantes.

Solẽnia per victoria Venetiis.

Iacobus Superãtius Barbadico ſuffectus.

cratis, qui erat in vrbe ac oratoribus principum confluentibus gratulatum, accedit in ſacellum Deo gratias agens omnis felicitatis autori. Legationes Auſtriaci quòd aduerſo vento eſſent vſæ ſerius Hidruntem perueniunt re iam vbique diuulgata, ſed tamen gratæ quòd vexilla captiua afferrent pro munere. Veneti Leonardum Contarenum equitem ad Auſtriacum gratulatum mittunt, qui & gratularetur vno tempore, & ageretur de rebus gerendis in annum ſequentem, atque literæ huiuſmodi ad illum miſſe ſunt à patribus. Quanti ſit ea victoria, quantunque vtilitatis allatura, quam feliciſſimo pontificis, & Philippi Regis nomine Deus per virtutem, bonitatem, fortitudinem ſublimitatis tuę Chriſtiano nomini conceſſit, facile ex te ipſo potes cognoſcere. Nam eo ipſo fortunatiſſimo victoriæ die non ſolùm infractæ ſunt vires tam perfidi, & ſæui hoſtis, quibus tot annos Chriſtianas nationes afflixerat, verum etiam patefacta eſt via Chriſtianis armis ad eius ruinam, & recuperandum imperium, cuius legitimus hæres erat pater tuus. Eius imperii recuperationem apparet Deus per tam ſublime principium, tamque illuſtria auſpicia ſuæ optimę in te voluntatis tibi reſeruaſſe. Adhoc diuinum negotium, ad amplitudinem, ad gloriam tanti, tamque præclari facinoris fidem, beneuolentiam, vires noſtras vniuerſas offerimus. nam dum ſtabit hæc ciuitas, nulla vnquam ętas memoriam noſtram tanti tui in nos beneficii obliterare poterit. nam illud eſt, vt re ipſa potius, quàm verbis hæc reſp. tibi deuincta ſit: Vt enim nos ſemper promptos in omnem opportunitatē reperies, ſic hilaritas in animis, vultibusque noſtris conſpicietur, ſiquando concedetur diuino conſilio, ut in hanc vrbem tantoperetui nomini deditam accedas. gratulamur ęquè participem eſſe Regē Hiſpanum tantæ felicitatis, cum eius regna, ſubditęque gentes ita liberatę ſint miſerabili prædatione. Sanè ſereniſſime princeps hęc initia tanta ſunt vt minus dolendum ſit ſanguine perfuſo Chriſtianorum, & iactura virorum illuſtrium, qui reſeruati ad tam glorioſam prouinciam tam honorificè animas immortalitati conſecrarunt, ſeruaruntque ſuos populos à tam impiis manibus. Nam & religionem ſeruauiſti, & auxiſti plurimum hoſtibus eius profligatis ac deuictis. Quòd ſi Chriſtus per tot ſecula prorogauit concedere tam glorioſam, & inſperatam victoriam populo ſuo, illam certè cumulatiorem omnibus bonis, & omni ſpe refertiſſimam conceſſit, vt per te ipſum expleatur, quam tot Reges, & imperatores, & prępotentes principes expetiuerunt, & digni cenſebantur. Videndum eſt itaque ſublimitati tuę quantum diuinæ bonitati debeas, atq; in hac Dei cauſa an tā fortunata initia perſequi conueniat, melioremque fortunam ſperare, cum Chriſtus palam te ſui nominis defenſorem acciuerit; quod patrocinium ſanè neque recuſare potes, neque non promptiſſime complecti, cum Regis etiam ipſius reuerentia ad hoc inuiteris. Tibi igitur omnia quam feliciſſima, & pro votis de tuis viribus, tibi defectionem multorum populorum ab hoſte crudeli, tibi aliorū potentium Chriſtianorum auxilia, tibi incitatorum iam principum arma pollicearis, tibi illorum qui excitantur tantę victoriæ magnitudine, & numinis afflatu. Nam profecto cum res feliciter tā ſuccedant numine ipſo in omnibus negotiis duce vteris, atque ſepulcrum Chriſti, & imperii nomē perpetuum poſteris veſtris comparabitur, quos in omni periculo potentiſſimum Dei brachium defendet, cui nunc militas, & qui gladium indignationis ſuę tibi dedit aduerſus eos, qui auare occuparunt. Enimuerò bella ſunt ea magnopere laudabilia, quę contra communes hoſtes geruntur, ipſarūque rerum ſtabilior poſſeſſio; atque laudes earum victoriarum digniores ſunt, magisque appetendę. Scimus autem hęc omnia, quę ſcribimus ſublimitati tuæ cognita eſſe, ſed tamē ęquo animo ferre debes vt tempori præſenti, officio debito, beneuolentiæ in te noſtræ ſatisfacere videamur, quem Deus conſeruet, & fortunet, ſicut optant omnes Chriſtiani. Poſtmodo fit decretum in eum, qui Docleam vrbem rebus omnibus munitam turpiter dediſſet animaduerteretur, cum ad dictam diē non affuiſſet in iudicio, & propoſitum certum pręmium capientibus. ademptum ius ſuffragii. facultates fiſco ſunt addictę, quibus ſuppliciis adiuncti ſunt conſiliorum ſocii, & miniſtri. edita ſunt primùm in claſſe per triduum ingentis ſigna lętitiæ, atq; rumore didito in omnibus Chriſtianorum prouinciis. Hanc victorię tamen magnitudinem duo non mediocriter minuebant, recēs Cypri iactura, & anni tempus, quod illam perſequi fęderatos non patiebatur. nam cū iam hyemaret, ac multi præter cæſos morerētur ex acceptis vulneribus, Auſtriacus ſtatuit ſibi Meſsanam neceſsariò redeundū eſse, omnesq; bellicos apparatus in annum ſequentem faciendū. Columna Romā profectus magna cū lætitia à pontifice excipitur: ac Philippo Hiſpaniarum Regi duo felicia vno tempore acciderūt, victoria naualis, & ꝙ filiolo Ferdinando auctus eſt. Selimo vbi nūtiata fuit clades, & claſſis iactura, magna ira inflammatur. neminem admittit in colloquium. erat omnes Chriſtianos intra ſuum imperium trucidaturus niſi prudentiorum conſilio ab innocentium cędibus fuiſset refrenatus. Byzantiū vrbs ampla lacrymis, & lamentationibus repletur, atque Selimus non tanti facit claſſis iacturam, quanti inſignium ducum, quibus cum educatus fuerat, quorunq; opera fidiſſima vtebatur. ſupra oēs cogitationes ea nota infamiæ torquebat, quæ ipſo imperatore inuſta fuerat nomini Ottomanico ſemp vincere ſolito; quam ignominiæ labem vt ſequenti anno per virtutem elueret conuocat ad comitia ſuos proceres. demonſtrat fortunę volubilitatem ęquo animo eſse ferendam, cum nullum bellum ſuſcipiatur, in quo omnia felicia contingant. iubet cum eſset adhuc Adrianopoli ſingulos pręfectos curare claſſis partem aliquam inſtrui in annum ſequentem. nauigia noua fieri, vetera refici imperat, & opportunè armari. imperatæ ſunt triremes prouinciarum pręfectis. Veneti ne ocioſæ triremes ſtationem haberent per ſinum ęteum nauigantes loca ad expugnationē explorant. nam Venerius vbi claſsem inſtauraſset triginta actuarias ad oppidum Margaritam mittit cum ſex millibus peditū Italorum, & Epirotarum, cui expeditioni præficit Paulum Vrſinum. oppidum ſex bellicis tormētis concuſsum inſtantibus Venetis acri obſidione per deditionem capitur. at Selimus ob cladis indignationē inſtantibus ſacerdotibus Turcicis vt dixi decreuerat oēs captiuos intra ſuos fines trucidare qui eſsent Hiſpanę aut Venetæ ditionis vnà cum Veneto oratore. ſed obſtitit Mahometi prudentia, qui

Literæ Venetorū ad Io. Auſtriacum.

Apparatus Turci in annū ſequētē.

Margherita opp. captū.

viſus eſt conſilium quidem probare imperatoris, ſed differendum eſſe inquit donec rediiſſet Byzantium, Ceſtriæ præſidia audita clade ſuorum vbi armatas cohortes ad oppidum accedere vident vel longinquas, excedunt. quoſdam Epirotas inſequẽtes trucidant. quà iter faciunt omnia ferro, & igni populãtur. Canalis cum Cretenſibus triremibus fit obuius Turcicis nauigiis Cypri ſpolia quædam in Peloponneſum conuehentibus, & multos captiuos, quibus captis, & direptis Turcas trucidat, illis libertatem reſtituit. Veneti quia ſcirent maximam eſſe Selimi potentiam, & non minorem indignationem ob acceptam cladem, quia verebantur cum terreſtibus copiis in annum proximum rem eſſe habendam, vt tantis viribus reſiſteretur, quantæ expectabantur in Dalmatiam, copias conſcribunt. habent delectum. iubent equitatum cenſeri, & eſſe in promptu. Pontifex & Philippus Rex ad bellicos apparatus & ipſi animum adiiciunt. atque ne Auſtriaci, & Venerii diſſenſio rebus bellicis ſequentis anni obeſse poſset, Patres Iacobo Foſcareno viro prudenti imperium claſſis deferũt, ea tamen lege nihil vt ageret inconſulto Venerio, ne illi qui tam præclarè in omni re bellica, & ſupra vel ætatem vel experientiam ſe geſſiſset, tantum fieret iniuriæ, aut aliquid adimeretur exiſtimationis. captiui multi miſſi ſunt Romam per hyemem, inter quos fuit filius Alis iunior, cum maior natu Neapoli mortuus eſſet vel captiuitatis tædio, vel iræ magnitudine.

Ceſtria deſerta.

Iacobus Foſcarenus ſũmus claſſis Venetæ imperator.

*LIBRI VIGESIMI SECVNDI FINIS.*

NATALIS

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS

## *LIBER VIGESIMVS TERTIVS.*

NIMVERO non mortalium armis, non ſtrenuitate militum, non ducum atque imperatorum ſapientia, non vlla humana opera denique ſuperiorem victoriam acquiſitam fuiſſe conſtabit, ſi quis rationes bellicas diligenter cognouerit, & ea quæ ſuperius explicata ſunt a nobis perpendat. niſi tamen quis ex inſtituto, reque militari fuiſſe contendat aduerſus potentiorem claſſem, quam proſperi euentus: glorioſæque victoriæ & multitudo ſpoliorum audaciorem fortioremque faciebant prælium ſuſcipere & conferre ſigna: aduerſus propenſam rebus hoſtilibus fortunam, omnibusq; illorum optatis arridentem, aduerſantibus etiam ventis, & parum conſentientibus inter ſe animis fœderatorum imperatorum. Neque illud etiam fuit ex inſtituto militari, vt qui ſine controuerſia vniuerſo mari Adriatico hactenus dominatus eſſet, qui de dot captiuis urbibus triumphaſſet, qui ciuitates atque inſulas, quæ non accepiſſent imperium miſerrimè diripuiſſet, ſuccendiſſet, ferro ac igni populatus eſſet, nunc vniuerſam prædam & gloriam temerè vel vento vel fortunæ inconſtantiæ crederet, cum nihil magis certum ſit in bello, quam in iactu taxillorum. præſertim cum anni tempus vniuerſam infamiæ notam ac ſordes ob frequentes pluuias & ſolitas tempeſtates poſſet diluere. Sed cum numini ita viſum eſt ad deprimendam arrogantiam, temeritatemque mortalium, omne humanum iudicium tollitur, ſubuertuntur conſilia, fiunt attoniti, & inſipientes, qui ſapientiſſimi antea putabantur, quoniam ingenium plerunque cum fortunæ felicitate cadit. Quòd autem illa victoria ſit diuinitus conceſſa, quia Deus nollet tantam perferre cladem Chriſtianorum, vt partim cognita ita iuſtitia diuina per ſuperiores calamitates, quæ ob ſcelera bellum illud exitarat, partim clementia, quæ imbecilliores protexerat, & cœlum & terra clariſſima indicia apud vtroſque populos oſtenderunt.

Victoriam diuinitus cōtigiſſe quibus argumētis conſtet.

Nam tanta temperies benignitasque aeris per illud tempus apparuit, vt neque ſoliti imbres, neque frigora neque venti ſerenum ſudumque cœlum infeſtarint. at tellus certè tantam variorum florum copiam per octobrem menſem effudit vt res viſa ſit incredibilis non modo audientibus, ſed etiam videntibus, cum ſibi ſomniare propè viderentur: atque ego niſi tunc vidiſsem, cum eſsem Venetiis, certe non facile credidiſsem. Nam arbores non modo flores tanquam verno tempore fuderunt, ſed etiam fructus frequentes, qui cum ad dimidium ferè ſolitæ magnitudinis excreuiſſent, mox ſuperueniente hyeme exaruerunt. Roſarum tanta fuit copia, vt figmento ſimile propè videri poſset, cum etiam physica ratio illud non videatur facile velle pati. nam conceptum nutrimentum per hyemem, per tempus autumni iam in frondes, flores & fructus abſumptum eſt, ac non denuo abundans eſt in venis, quæ ſupra terram inaniores ſunt, minùsque abundant genitali humore. illud cum multi per artem factum dicerent, quòd roſæ diligentia quorundam fuiſſent aſseruatæ, plantæ multæ venales, ac tota roſaria rubentia in cadis ſatis vili precio expoſita ſunt Venetiis in foris Diui Marci & Riui alti. Byzātii quidam affirmarunt cruces viſas eſse per idem tempus ſupra Turcarum templa aſtantes in altiore parte, per quas ſignificabatur ſolum Deum Chriſtianorum eſse verum Deum exercituum, Deum regnorum, Deum fortitudinis excelſam ſuam ſedem ſupra omnes creditos Deos collocaſse. Sed ſtupidi ſunt homines plerunque ad res diuinas, & multi præſertim, qui cum ſummo Imperio præſunt, qui cætera omnia leuia & tanquam ludrica puerorum arbitrantur, præter facultatem explendi deſiderii, atque præter

Portenta victoriæ.

facultatem dilatandi imperii, ac ſolum Dei nomen inane eſſe putant ad deterrendos ſimplicio-
res. Quis enim non vir bonus eſſe poſſet, qui credat Deum eſſe, & illi reddendam eſſe rationem
anteactæ viræ? Sed his ſi eſſet putant, parum res humanas curare arbitrantur. Inde fit vt mul
ti ad propriam potentiam imperent, at non ad paternam charitatem, felicitatemque populorum &
ſubditarum gentium. Selimus vbi primùm ſe collegit, iraq; deferbuit, animum adiecit ad faciendos
apparatus bellicos, vt diximus, inſtruendamque nouam claſſem. eius animum recreauit aliquantu-

Stratagema Luzalis.

lum Luzialis prudentia & calliditas, qui vbi primum à fuga ſubſiſtit, & in tutùm peruenit, iuſſit om
nia nauigia cuiuſuis generis, quæ eſſent vbique in partibus aut locis Ottomanico Imperio ſubditis
in mari mediterraneo in vnum ad ſe conuenire. cum multis dicrotis, liburnis, piraticis, reliquiis
claſſis collectis Byzantium contendit, quò cum conueniſſet ingens claſſis apparuit, plurimumque
conſolationis attulit multitudo diſploſorum tormentorum, & claſſicorum ſtrepitus, & vexilla ca
ptiuarum triremium per mare tracta, & captiui Chriſtiani, captiuaque nauigia, tanquam victrix,
at non victa claſſis & triumphans in portum aduentaſſet. poſt modo ad Selimum admiſſus ſe purga
uit quòd forti s viri officio non defuiſſet, cuius rei argumentum oſtendit captiua nauigia & homi-
nes. Deinde oſtendit cladem acceptam multo eſſe minorem, quàm vulgo creditum ſit. extollit Tur
cicarum victoriarum gloriam magnificentia verborum. Extenuat victoriam fœderatorum, vtpote
quæ per maximam iacturam parta ſit, cuius rei vel illud maximum argumentum facit quòd victo-
riam perſequi non potuerint, ut ratio bellica poſtulabat. Demonſtrat multo minorem eſſe victo-
riam, quàm acceptam cladem; cum ligna reſarciri, milites colligi, pecunia exigi, artifices acciri,
bellica inſtrumenta fundi facile poſſint à potentiſſimo præſertim & opulentiſſimo Imperatore,
quæ omnia magiſter rerum lucrum breui ſuppeditat, ſed regna & imperia nulla opulentia, nulla
potentia humana, nullo mortalium conſilio poſſe creari. Selimus his mitigatus ſummum impe-

Luzalis ſummus claſsis Imperator.

rium defert Luziali omnium rerum maritimarum, & claſſis, quæ iuſſa erat fieri. Muſtapham
pro diligentia, qua vſus fuerat ſubiuganda Cypro, creat purpuratum Portæ, quam dignita-
tem Bertæ purpu rato ademptam è pugna reduci huic conceſſit, at illi annuum cenſum honorifi-
cum aſſignat. quo tranquillam ſenectutem inpoſterum tranſigeret. Venerio, quoniam ætas il-
la iam laborum impatiens eſſe videretur, ſummum imperium ſinus Adriatici à Venetis defertur,

Sebaſt. Venerius ſinus Adriatici pfectus.

atque dictus eſt imperator claſſis Iacobus Foſcarenus ſenator non tantum ſpectatæ integritatis,
ſed etiam liberalitalis & animi magnificentiæ. Inierat iam Annus ſecundus poſt mille quingen-
tos & ſeptuaginta à partu virginis dum hæc fiunt Venetiis, cum Selimus Byzantii, dum bellicis ap-

1572.

paratibus inſtat, & iam omnia propè inſtructa non ad defenſionem modo, verum etiam ad infe-
ſtandos hoſtes viderentur, alium nuntium moleſtum accipit. Fortuna enim vbi ſemel declinaue-
rit, nunquam ferè vno tantum infortunio res labefactatas affligit, ſed multa congerit infelicia, cum
præſertim ampliſſimis finibus imperiorum multæ & ampliſſimæ ſollicitudines ſint comites, & li-
tes, & controuerſiæ. Nam magnus rex Æthiophiæ Dauid cuius Imperium ad vtrunque tropicum
fere ab æquinoctiali extenditur cum multos habeat ſubditos reges Memphim & vniuerſum agrum

Aethiopicũ bellum ob inũdationẽ. Ademum captum.

Turcicum finitimum cum multis vrbibus cœperat inundatione deuaſtare, & per Nili diluuium
miſerabiliter ſubmergere ac populari. Cauſa inundationis & eius controuerſiæ fuit, quia Selimus
tributum bienni debebat quadringenta nummum millia, cum ducenta quotannis ſoluat. Neque
enim loca ęgypti vel Aegypto finitima imbribus, aut niuibus, |cœleſtibuſue aquis iuuari ſolent
plerumque ad fertilitatem cum rariſſimè pluat, atque ſolum omnium ſit feraciſsimum: ſed tellus
reficitur vnda Nili, ac perplacida inundatione, cum aquæ pro arbitrio Regis Aethiopis vel placidæ
in agrum Memphiticum mitti poſsint ad irrigationem, vel proſciſsis quibuſdam anguſtiis agge-
rum vniuerſam regionem inundare & deuaſtare. Purpuratus quia nollet dare ordinarium tributum
& ipſe multis viribus collectis multam Arabiæ partem direptionibus populatur. Ademum vr-

Perſę Regis cum Aethiope res compoſitæ.

bem capit. Sabam vſque populabundus procurrit, quia putare videbatur purpuratus factis bel-
licis apparatibus inundationem per ferrum potius, quam per aurum debitum poſſe diuerti. colle-
git igitur multa millia armatorum Turcarum, Arabum, ac Maurorum, quos mittit ad illas angu
ſtias occupandas, ne penitus reſcinderentur. Aethiops cognitis his apparatibus, copias & ipſe col
ligit. ad ipſas anguſtias multos Memphiticos trucidat. Multos capit. reliquos in fugam vertit, at
qui nulla bellica ratione freti alienos fines inuaſiſsent. Vbi conqueſtus eſſet Memphiticus purpura
tus hæc ſe inſcio fieri, Aethiops facit certiorem per legationem niſi intra certum ſpatium ſibi tribu-
tum mittatur, fore vt Turcicos fines hoſtiliter popularetur. Illud factum fuiſſet ab Aethiope in præ
ſenti, ſed aliæ curæ non minores per idem ferè tempus regem ipſum inuaſerunt: quippe quod Perſa
rum rex ingentes copias parauiſſet, armaque importaret in Arabiam felicem propter controuer
ſiam ortam de finibus non procul a mari Erythręo, vbi Perſa regiones, ſtipendiarios, ſubditos po-
pulos Aethiopis regis ſubegerat. Sed ea tanta controuerſia collectis vtrinque non contemnendis

Turcæ ob fidem Chriſtianam necati.

copiis quorundam procerum prudentia conſopita eſt. Byzantii quoque res non parui faciēda conti
git per idem tempus, quam ſi Selimus neglexiſset, poterat paulatim vniuerſas vires Ottomanicas
labefactare ac funditus euertere, cùm penetraret ad intima vſque cordis penetralia. Nam cum re-
rum nouarum deſiderium innatum ſit multis, qui non commodè ſunt ſub ſuis principibus, tum
magna vis eſt vbique religionis, magna conſcientiæ, magna virtutis. maior ſi omnia ſimul coniun
gantur ac vires ceperint. Turcæ nonnulli igitur ita capti ſunt pietatis Chriſtianæ deſiderio, vt non
modo ipſi a cultu Mahometano ad Chriſtianum deficerent, verum etiam alios paulatim in ſuam
ſententiam traherēt. Illa res vbi fuit ad imperatorem delata, capitis condemnati ſunt quidā, quibus
vel in via Chriſtianam fidē ſolā veritatem continere clamātibus, ſolamq; verā religionē ꝓfitentibus

capita

capita ſunt abſciſsa vel antequam ad locum ſuppliciorum deueniretur. Illud eo grauius fuit viſum Selimo, quia poſt victoriam Chriſtianorum iuſserat interfici multos Græcos ſacerdotes, qui accuſati fuerant, quòd Deum pro chriſtianorum ſalute aduerſus Turcicam incolumitatem precati fuiſſet. Neque verò Byzantii tantum trucidatum eſt id genus hominum, ſed in Syria quoque, & in minore Aſia, & in alijs locis Ottomanici imperij vna literarum ſignificatione. Cohorta eſt etiam non contemnenda lues ac peſtilentia Byzantii, qua multi mortales fuerunt abſumpti: atqui vniuerſum hyemis tempus partim parandis rebus claſſicis abſumptum eſt, partim erigendis munitionibus, atq; ne chriſtiana claſſis repente Propontidem ingreſſa Byzantium inuaderet, multa armatorum millia accita ſunt in vrbem, & munitiones erectæ Sextus & Abydus, omnibusque rebus ad defenſionem neceſſarijs inſtructæ, refecteque in ora maris mediterranei, quaſcunque refici opus eſſe apparuit. multa millia armatorum miſſa ſunt ad tuenda litora. Omnes inſularum vrbes præſidiis & commeatu & omnibus bellicis apparatibus opportunè munitę. Sed quoniam poſt partam victoriam Auſtriacus conceſſerat ad preces filiorum Alis vt pedagogus adoleſcentum Byzantium proficiſceretur, atq; captiuitatem filiorum matri nuntiaret, ille remiſſus eſt cum muneribus à matre ad Pontificem, à quo honorificentiſſimè tractabantur, ut dictum fuit, omnes captiui. Selimus quoq; quoniam adoleſcens eſſet affinitate coniunctus cognita Auſtriaci humanitate illi honorifica munera miſit, ac mater ſupplices literas exarat, quibus precatur vt filio ſuo aliquantulo liberius Romæ eſſe liceat, atque latius ne anguſtioris aſperiorisque carceris tædio moriatur, donec conueniat de libertate cũ oratore, qui hac ipſa de cauſa decretus eſt ad Pontificem. Orator certè ad adoleſcentem Romam profectus his ferè adoleſcentem conſolatur; Potentiſſime princeps lumen & imago præſtantioris iudicis omnium viuentium, glorioſiſſimus Imperator me ad agendum de libertate ſublimitatis tuę miſit, cuius & in te amorem, & animi ſui magnificentiam omnes facile intelligent, ſi obtinebitur. Sin autem, iubet te moderatè ferre animi ſollicitudines certiſſima ſpe fretum, neq; ulla vel lacrymarum vel mæroris ſignificatione gloriam & amplitudinem Ottomanicæ familiæ deturpare. Ita vero tibi perſuadeas non ſolum mores auitos tibi eſſe imitandos, ſed etiam quòd pro tua libertate regna, principatus, coronam Imperii, & vel ipſum ſanguinem eſt profuſurus. Cæterum fœderati rem claſſicam & ipſi ſumma diligentia parare. tribunos mittere ad colligendas copias. remiges imperare. panem nauticum conficere. Veteres aut afflictas triremes inſtaurare. Sed præſertim hoc faciunt Veneti, qui iam claſſem ingentem inſtruxerant, vbi primùm per anni tempus apertum eſt mare nauigationibus. Iaderæ rurſus, & in omnibus Dalmatiæ finibus frequentes fiunt vtrinque incurſiones, ac minuta prælia. Sed Turcæ quòd Iaderam in primis capere optarent, vt certum propugnaculum haberent quò ſe reciperent, & vnde ſæpius poſſent infeſtare Iaderenſes, quandam munitionem excitant è gleba, ceſpitibus, faſciculis lignorum diſtantem ab vrbe Iadera circiter quinque millia paſſuum in finibus vinearum, atque in extrema parte, vbi magna erat copia ſarmentorum. Illud vbi Iaderenſibus eſſet nuntiatum, duo millia & quingenti pedites Itali exeunt ex vrbe iuſſi ſunt quadringenti turcico habitu induti Turcicæ etiam linguæ periti, qui accederent per noctem ad aggeres Turcarum. iuſſi ſunt etiam tres cohortium præfecti curare vt cum hi ad foſſas acceſſiſſent, ne quid prius conarentur, quàm ſequens acies hoſtem ad arma conclamare compuliſſet. Imperatum eſt vt vbi ventum eſſet ad leuia certamina, & ipſi ſimularent ſe adiuuare fouereque Turcicas partes aduerſus Iaderenſes pugnantes, ſed poſt ea opportunè immiſti cum Turcis intra munitionem ſe reciperent. Iſtud fieri commodè poſſe apparuit ſub auroram paulatim illuceſcente die. Imperatum eſt vbi primum intra aggeres fuiſſent ingreſſi vt in Turcas arma conuerterent, cum reliqui pollicerentur continuò ſe auxilium laturos. res ſucceſſit è ſententia pro inſtitutis, quare plures ſexcentis Turcis trucidati ſunt. capti trecenti, reliqui deſerta munitione fuga ſe ſeruarunt. munitio ipſa incepta ita diſiecta eſt & funditus euerſa. Quoniam verò ſinus Adriaticus frequentibus piraticis nauigiis vexabatur, neminique tuta nauigatio concedebatur, Hermolaus Teupolus Venetorum liburnorum prefectus tãtam Venetis illatam iniuriam & variis Chriſtianis calamitatem non ferens, cum multi quotidie in miſerrimam ſeruitutem caperentur & abducerentur, magna celeritate ad oras Italas nauigat. Archipiratam Recamatorem vocatum capit non procul ab Ancone virum Firmienſem, qui ad Turcicam à Chriſtiana fide ſpe prędæ deſcriuerat. Hic vbi cognouit ſe non poſſe amplius euadere per vim ferri, ad fraudes & artem conſilium conuertit. Induitur veſtibus cuiuſdam Chriſtiani captiui, atque carhenatus exit è nauigio, vbi à ſuis cognitus fuiſſet occiditur, qui dicti ſunt vereri ne multorum ſcelerum conſcij per quæſtiones ſi vixiſſet, patefierent. Recamator certè ipſe vel ita mortuus poſt quam diu tractus eſt per vrbem Anconem antemnæ ſuſpenditur & excoriatur. hoc ipſum paſſus eſt nauarchus, nam excoriatus fuit viuus propter ſuam priſtinam in captiuos Chriſtianos feritatem & immanitatẽ. Sed enim quia res Chriſtiana aliquantulum feliciter ſuecederet, cum nulla voluptas ſincera ac plane læta contingere ſoleat, ſemperque aliquid amari cum rebus dulcibus admiſceatur, non parum turbauit Chriſtianam felicitatem mors Pij Quinti ſummi Pont. principis magnę intergritatis & innocentiæ crediti, vbi diutius diſuria & calculo laboraſſet. Illud paſsus eſt, quia propter natiuum pudorem noluiſset illas partes præbere curandas, qui cum cal. Maij cum ſumma omnium propè męrore naturæ conceſſiſſet, ſtatim poſt exequias nullo propè die inter poſito, inuſitata celeritate, ſacrorum patrum purpuratorum conſenſu quarto idus Maij creatur Pont. cum ſumma omnium lætitia ob præclaram expectationem Vgo Boncompagnus Bononienſis Cardinal. Iuriſconſult. nobilis, eximieque cognitionis legum ciuilium. Non tamen ſimplex ratio viſa eſt ipſos patres impuliſse ad illum præcipue deligendum, cum electionem nõ dubiã facerent, ſed pro benemeritis de Chriſtiana Republica ꝓpè

Chriſtiani multi trucidati ob cladem à Turcis.

Turcicus apparatus vbique.

Fæderarorũ apparatus.

Stratagema.

Recamator pirata captus & cęſus.

Pij Quinti mors.

neceſſariam eximia eius animi ornamenta,& in primis egregia rerum multarum maximarumque cognitio,& præclara officia,quibus pro chriſtiana rep.in dignitatem pontificiam ſingulari ſtudio ſæpius vſus fuit,& integritas, atq; humanitas non vulgaris,quæ cum ſumma omnium Chriſtianũ laude p vniuerſum pontificatus tempus poſtea enituit.Hic vocatus eſt Gregorius Tertius decimus, qui vbi primum coronatus fuit,Philippum nepotem ſuo purpureo galero inſigniuit:atq; primum fuit omniũ negotiorum id,quòd literas dedit ad Chriſtianos principes, quibus fęderatos ad concordiã, ſocietatem,diligentiam defenſionis cohortatus eſt:reliquos ad fęderationem aduerſus hoſtem communem Chriſtiani nominis capeſſendam. Scripſit etiam ad Luſitanum regem vt fideratos iuuaret, ſuaq; claſſe adaugeret vires fęderatorum ad tutandos fines Italiæ.omnes Chriſtiani principes legationes de more miſerũt ad præſtandam obedientiam. idem Pontifex non multo ſpatio temporis interiecto decreuit vt pro Tridentinę ſynodi inſtitutis oẽs epiſcopi & ſacerdotes in ſuis diœceſibus reſiderent. Deceſſit per idem ferè tempus Sigiſmundus Polonię rex,& Barbara vxor Ducis Ferrarienſis Cęſaris ſoror ex Auſtriaca familia. Turcica claſſis interea,quæ ſuperiore anno vniuerſam propè vim victorię in bellicis tormentis, ſclopettariorumq; multitudine conſtitiſſe animaduerterat, exit in Aegeum mare cum ad centum & quinquaginta roſtratas naues collegiſſet,quas ſequebãtur decẽ mahonę,& quatuor grandiora nauigia ad res claſſi neceſſarias conuehendas. Luzalis quoniam Venetam claſſem nondum exiuiſſe intelligeret,quæ conſtabat è centum & viginti triremibus,ſex quinqueremibus,quæ varijs in locis adhuc erant diſperſę,ne tempus fruſtra abſumeretur,ſexaginta triremes mittit ad hoſtem infeſtandum, quæ obuia quæq; Chriſtianorum prædarentur. illæ ad inſulam Tenum profectę vniuerſam propè ferro ac igni populantur.inde ſoluentes ad Eplam inſulam perueniunt,quam & ipſam acriter infeſtant. Luzialis ipſe cum triginta triremibus loca, vrbesq; maritimas præſidijs diligenter & opportunè munit,& in Cretam vſque percurrens duos Cretẽſes liburnos capit,atq; Quirinum cogit fuga ſe ſeruare. nam Turca quidam habitu Græci ſacerdotis indutus prædam liburnis ſimulans ſe eſſe oſtenſurum, liburnos ipſos per fraudem in inſidias & in claſſem Turcarum adducit. Auſtriacus interea legationem mittit ad nouum pontificem,quæ prius gratularetur,deinde redderet rationem eorum,quæ per illam eſtatem facere ſtatuerat. Et quoniam rumor inter Chriſtianos erat diſſipatus quòd Chriſtiana claſſis Byzantium erat acceſſura, Selimus ne quod timoris indicium aut trepidationis ineſse Turcis videri poſset,cum neq; eſset ex Ottomanica potentia vel ſedem ipſam domiciliumque Imperatorium munire,quod ſemper contra cuiuslibet vires munitiſſimum facit Imperatoris ipſius præſentia,vbi rediiſset Adrianopoli Byzãtium, iubet funditus eueiti & ſolo ęquari munitionem,in cornu Byzantij extructam ſumma diligentia à purpuratis,in qua inerant collocata quadraginta bellica tormenta, eratque præualidum & munitiſſimum in inuaſuros Byzantium propugnaculum. atq; vt commodius bellicis rebus incumberet ad repellẽdas & propulſandas vires fęderatorum, conatur res Dardanię componere per quinquennales inducias, vbi bellum de finibus actum fuerat. Strigonia interim & Curta & oppida non nulla in iis finibus muniunt rebus omnibus neceſsariis,reficiunturq; vbi opus videretur eſse. Iacobus Superantius cum viginti & quinque triremibus Meſsanam proficiſcitur ad Auſtriacum Corcyram deducendũ, ſicuti Foſcarenus ſummus Venetę claſſis imperator mandauerat,qui Venerio iam vt liceret quieſcere & exautorari poſtulanti ſuffectus fuerat.Meſsanam profectus videt claſsem inungi dum Siculę triremes expectabantur,quę non multo poſt triginta & ſex duce marchione ſanctę crucis acceſsẽrũt cum multo peditatu ex Apulia.erant cum iis & onerariæ triginta. Vbi Superãtius Auſtriacum conuenit poſt ſalutationes & complexus,reſpõſum tulit futurum vti breui Corcyram omnes ſimul accederent. Sed tamen non multo poſt res agitur ſubfrigidè,quoniam Gallicum bellum inſtare putabatur,quando & Caſale maiori & in aliis finibus Gallicis ſubalpinis iam excreuiſse dicebatur circiter decem millia peditum cum multo equitatu, & ſeptem uexilla galeatorum equitum conſcripta fuerant Mediolani,& tribuni iuſſi fuerant colligere copias ad fines Sabaudienſes & Gallicos. Horũ tumultuum cauſa eſse dicebatur, quòd Amiras Gallus vir autoritate & potentia inſignis, prompto tamẽ callidoque ingenio copias in Belgicis & Inſubribus finibus colligebat,vt vno tempore vtroſq; principatus adoriretur:nã clam cognitus fuerat à Philippo Rege ad illos aſpirare, cũ neſciret Philippus Hiſpaniarum rex,quod conſilium Gallus eſset capturus qui profitebatur ſe Gallici Regis clam partes tueri,animum conuertit ad bellicos apparatus domeſticus in omnem euentum, & ad familiares calamitates propulſandas. Fit certior etiam pontifex Amirantem velle per ſimulationem ampliandi Regni Gallici,dilatandorumque finium plurimum roboris ſibi comparare ad nouam religionem confirmandam & ſtabiliendam.at ex altera parte Gallici proceres qui ęgrè ferebant & habebant ſuſpectam amirantis potentiam, ſi tantam adeptus eſset apud regem, quantam ſic videbatur aſsecuturus autoritatem illis principatibus ſibi adiectis, inter ſe queruntur,futurum vt amiras his viribus adiunctis non Gallię amplitudinem, ſed ſuam potentiam aucupetur, qua comparata vix Gallia vniuerſa contentus erit,nedum Belgio & Inſubria. Nam qui de religione tantopere diſsentiat, qui regnum affectare iam per arma viſus ſit non minus quàm Cõdeus, qui tot Regum ac principũ Germanorum viribus adiuuetur,qui rerum bellicarum ſit peritiſſimus, qui tot Gallicorum nobilium ac populorum beneuolentiam ſit aſsecutus,quo pacto auctus Inſubriæ & Belgii imperio contentus propè priuata vita ſub rege eſse poterit? ſatius eſse Gallorum Regi ſi modo Gallus rex conniueat aut etiam aſsentiat, præſenti ampliſſimo regno eſse contento, quàm maximum periculũ totius regni amittendi per dilatandorum finium cupiditatem ſubire. prеſertim cum arma non externa tantũ timẽda ſint, quæ certe facillime poſsent ad euerſionem regni cõuolare,quod ẽt non ſemel promptiſſimè feciſsent ſuperioribus temporibus per maximas Gallorum populorum calamitates.

Sed

Pontificis Gregorij. XIII. creatio

Reſidentia decreta Sacerdotum.

Turcicę claſſis numerus.

Tenos vexata.

Stratagema.

Munitio Byzantii iuſſa deuaſtari.

Copię auctę vtrinq; in Inſubribus.

Stratagema conſpirãtiũ in Amirantẽ Gallum. Oratio aduerſariorum Amiranti.

ſed quæ lateant iam intra ipſa mœnia, & intra domeſticos parietes. Fruſtra pœnitere omnes ſo-
lere amiſſarum opportunitatem, quæ ſolæ propè Reginæ ſunt rerum præclare conficiendarum.
Philippus Rex cognitis his motibus bellorum in Italia ſtatuit vt Auſtriacus ne diſcederet cum claſ-
ſe, militesque retineret in Italia, donec videret quò tenderent conſilia Gallorum, cum etiã in Bel-
gio res non frigidè ageretur, & graue prælium infeſtaret. erant ante hoc tempus res Belgicę ſatis
pacatæ, quia Medioli dux in Belgium expectabatur, qui ſucceſſurus erat Albano in eam præfectu-
ram. ſed Albanus cum ſibi uideretur omnes ſeditiones, & tumultus bellicos in ea regione ſedauiſ-
ſe, quia paruę tantum, eæque debiles reliquiæ eſſent in Fliſinga, & Zelanda regionibus inferioribus

Dux Medioli Belgio præfectus.

Belgii, quò multi hæretici è Gallia, Belgio, & Britannia confluxerant, qui piraticis tantum incurſio
nibus infeſtabant, decreuit ad perpetuam memoriam rerum à ſe geſtarum vt in arce Antuerpiæ cu-
prea ſtatua erigeretur, quæ ſub pedibus conculcaret Aurantium, Agamontium, & Horneum. illa
res adeo indigna, crudelis, arrogansque uiſa eſt illis populis, à quibus illi principes ſumma reueren
tia colebantur, ut merito appareret delendã eſſe ignominiã, & obliterandã ſempiternã memoriã il
lorum principum calamitatum. illud igitur factum non mediocriter irritauit animos multorum, &

Aerea ſtatua Albani Antuerpiæ erecta.

vniuerſorum populorum propè Belgarum in primis, quia uideri velle apparuit tyrannicè potius,
quàm paternè illis populis præfuiſſe, quod ſi ad gloriam faciebat, oportuit Regis potius illam ſta-
tuam erigi, quàm Albani, cuius nomine, & ſumptibus omnia bella geſta fuerant. enimuero nulla
natio, nulla gens, nullus populus tam eſt demiſſus & imbellis, vt æquo animo ferat ſibi obiici, & ex-
probari acceptas calamitates ab ipſarum prœſertim autoribus. illud factum non ſolum Belgis, ſed
etiam Germanis principibus, & catholicis Belgis, & vel Hiſpanis ipſis prudentioribus ac longius
proſpectantibus indecorum uiſum eſt, cum illatę iniurię, ſi fieri poſſit, ſempiternæ obliuioni ſint
mandandæ, at non gloriandum cuiquam quòd iudex, & autor multorum malorum cuipiam exti-
terit. neque enim quæ iuſtiſſimè inferuntur cuiuis ſupplicia non acerba accidunt, præſertim ſi ab ip
ſis iudicibus obiiciantur. ſed antequam diſcedat è Belgio Albanus, quoniam ſentiebat ſe non planè
triumphaſſe donec ſupereſſent vllæ reliquiæ, colligit duo millia Hiſpanorum peditum & tria Regi
menta vallonum, quos triginta nauibus onerariis imponit, atque iubet exponi in Fliſingam. ſed res
non poterat fieri ſine maxima difficultate, quia naucleri ac periti rerum maritimarum in Fliſingam
conuolauerant partim ſpe prędę, partim odio Hiſpanorum, partim etiam ut profugis potius quàm
Hiſpanis ſuam operam accommodarent. Aurantius ne prorſus triumphaſſe de Belgis exulibus, aut
ne uerè pro pacatis tumultibus ſtatua Albani erecta videri poſſet, magna calliditate collectis clam
multis copiis eius diſceſſum impedire ſtudet, atque oppida quædam Belgii tentat per proditionem.
Aſauus enim Aurantii frater cum multas proditiones machinatus eſſet, ita denique conuenit cum
Famenſi regulo vt ille ad ſtatutum tempus cum quibuſdam familiaribus, & cõiuratis arma capeſſe
ret, ad palatium Valentianæ per noctem accederet, atque claues portarũ ianitori per vim extorque-
ret. illis captis cæſo ianitore qui renitebatur porta Valentianæ patefacta eſt, & copiæ, quæ ad hoc ip-
ſum paratæ fuerant, ſunt intromiſſæ. diſploſa ſunt ad illum ſtrepitum multa tormenta ex arce, faci-
busque iniectis in domos arci finitimas, præſidia multa vrbana ædificia ſuccendunt. illud factum cũ

Valentiana capta per artem, Aurãtii.

repetitum eſſet à præſidiis ſub meridiem, non facile ſuccedit; quia Hiſpani cum malleolis egreſſi
ab hæreticis ad vnum trucidantur. Vbi conclamatum eſt in vrbe Aurantii nomen, plerique ciues
catholici in arcem confugiunt, quorum multos cum arcis præfectus excepiſſet ueritus nimiam eſſe
multitudinem, reliquos iubet abſcedere. at poſtridie Ludouicus Aurantii frater Montium vrbem
per quendam aſtum capit, quæ vrbs eſt Hannonię vocatę regionis ſiue prouinciæ ſuper colle eminẽ

Montii vrbis deſcriptio.

te ſita, acceſſu difficilis, natura & arte munitiſſima, habensque planitiem non valde diſtantem ferti
liſſimam rerum omnium, in qua capienda Ludouicus vſus fuit arte huiuſmodi; Deligit circiter ſe-
xaginta è ſuis fortiſſimos, & maxime ſtrenuos milites, quique maxime omnium Hiſpano nomini
eſſẽt inſenſi. imperat hos veſtes ruſticanas, & lacernas indui, ac paulatim in vrbẽ ingredi. carros iubet
nonnullos cum galeis, & ſclopettis tectis atque occultatis ſub palea diligentiſſimè ad nundinas ad-
duci in forum. Vbi conueniſſent milites arma corripiuntur è carris accedentibus. fit concurſus in fo
rum. conclamatur Aurantii nomen. populus tam repentina rerum nouitate ac motibus fit attoni-
tus. concurritur à quibuſdam ad capiendas portas. Ludouicus qui cum quingentis armatis propin-
quus latebat in inſidiis intromittitur; qui, vbi palatio potitus eſt, omniq; bellico apparatu, & armis,
magiſtratus vrbanos ad ſe acciri iubet. hos per humaniter excipit, & alloquitur. profitetur ſe non ad
eius vrbis deuaſtationem, neque ad ruinam finitimorum locorum acceſſiſſe, ſed ad patriæ ſuæ libe-
rationem, & defenſionem aduerſus Hiſpanam importunitatem. vt autem populus autoritatem, vi-
ctriciaque arma libentius conſequeretur, qui facile fortunę fit comes, profitetur breui affore è Gal-
lia potentiſſima auxilia, duodecim peditum millia ſcilicet, & quatuor equitum, qui ab Amirante clã

Montium captũ per artes Aurantii.

mittebantur. ea res Bruxellas nuntiata non minus infeſtauit Albani animum, quàm iactura Montii,
cum vix fieri poſſe videretur vt tantæ vires inſcio Rege è Gallia accederent. ac illo conſcio, & ferente
res certe in magno diſcrimine conſtituta eſſe apparebat. neque enim ſatis validas copias habebat Al
banus ad tantarum rerum molem ſuſtinendam, cum magnam partem virium diſtribuiſſet in loca
opportuna, miſiſſetque ad reſtinguenda Zelandę, Fliſingę, Batauorumque incendia. Aurantius
interea prius clam, deinde palam copias colligit in Germania, quas Valentianam proficiſci iubet ad
ſubſidia eius vrbis, atque opem illis ferendam qui vrbem occupauerant. Captum fuit etiam Rigiacũ
vrbs nobilis Attrebatum per artes eorundem hęreticorum, ingentesque bellorum motus vbiq; pul

Rigiacũ captum.

lulabant. Pontifex, quia verebatur ne Galliarum Rex hiſce motibus faueret, Saluiatum purpuratum
mittit ad eum Regem, qui pontificio nomine rogaret ne impediret per ſua diſſidia Hiſpani regis
auxilia,

auxilia, quę Venetis debebantur ad defenſionem Italię, & omnium Chriſtianorum. Quòd ſi alia de cauſa ſimultatem cum illo Rege exerceat, ſaltem ſua pontificis ipſius cauſa omnes inimicitias in præſenti deponeret. rogat ne obliuiſceretur ſe Regem eſſe Chriſtianiſſimum, & eum qui inter Gallicas calamitates, & armis & copiis & pecunia liberaliſſimè à pontifice ſit adiutus. Philippus Rex præterea, & Rex Luſitanus miſerunt legationes ad eundem Regem Galliarum, quę ſciſcitarentur Regium conſilium, quoniam vires hoſtium nimis viderentur ex ea parte ſucceſcere. Albanus quoniam non ſolum Montium, & Rigiacum, & Valentiana vrbes captę fuerant ab hoſtibus, & multa alia loca, Briella nimirum, & Vliſſinga, veteres aquę, Gouda, Dordracum, Haerlemum, Leida, Gorconium, ac Verenſe oppidum, ſed etiam Cameracum à Mommedio regulo, qui cũ ſeptem millibus peditum & quadringentis equitibus ingreſſus fuerat vrbem de ciuium ipſorum conſenſu, deinde Menſergeſum, & Inantium oppida occupauerat, ſtatuit maioribus viribus opus eſſe ad has copias profligandas, cum etiam Comes Palatinus, & Dux Saxonum circiter ſeptem millia equitum, & triginta peditum cohortes pro Aurantio collegiſſent. his viribus coniũctis Caſmirus Ducis Saxonum filius cum multis Germanis proceribus Rhenum traiicit cum vniuerſo equitatu, qui confluentibus vndique auxiliis excreuerat iam ad decem millia, cum eſſent ſeptem millia peditum, & quingenti. Ventum eſt poſtea ad Ombricum fluuium, quem vbi traieciſſet Caſmirus, vt caſtra cum Aurantio coniungeret, magnam alam equitum ac peditum reliquit ad cuſtodiam traiectus. Montio ſubſidia ſtatim miſſa ſunt, atq; vrbem quingenti equites & viginti ac quinque vexilla peditum ingrediuntur, attractaq; ſunt eo decem & ſeptem bellica tormenta. Albanus tribunos mittit in Germaniam ad colligendas copias, quod vt liceret impetrat Petrus Herenſtius Maſfeltius à Cęſare. iuſſi ſunt hi ſinguli tribuni mille & quingentos equites colligere; Petrus Maſfeltius, Antonius Schelemburgenſis, Otho Mulpurgenſis, & Boningenſis, Flanſius Vuillius, & Mechenabadenſis duo equitũ ac duo ſclopettariorum millia: quæ copię in Boemia, & in finibus Auſtrię iuſſę ſunt colligi. Albanus ipſe raitros Henrici Veſſonum ducis ad ſtipendia conuocat, qui ſunt equites cataphracti Germani ad morem Ferrarolorum ſclopettos geſtantes. iuſſi ſunt, & hi Regimenta peditũ viritim colligere, Eleoſtainus, Erbeſtainusque comites, & Polleuillius, Fronſpergenſis, Guenpenbergenſis. Sed quoniam ob exhauſtum ſuperioribus bellis ærarium pecunia non ſuppetebat in tot bellicos ſumptus, Albanus petit regio nomine à Magno Hetruriæ, & à cęteris quibuſdam Ducibus pecuniam, rogatq; ne ſe deſereret in tanta rerum difficultate. nam vniuerſa propè Zelanda ab Hiſpana regiaque obedientia defecera t ad beneuolentiam hæreticorum, cum Vgonotti excitatis munitionibus vbicunque opportunum videretur ſeſe ad defenſionem accingerent. Federicus Toletanus collectis nonnullis equitũ ac peditum Hiſpanorum millibus iuuenis ſpectatæ virtutis in Zelandam ingreſſus Fleſingam obſidet. præſidia egreſſa leue prælium committunt. pugnatur diu vtrinq; magna virtute ancipiti victoria. denique in eo certamine quingẽti Britanni, Galli, indigenæ ceciderunt. ex Hiſpanis circiter trecẽti. at Comes Erbeſtainus, & Franſpergenſis in Coloniam Vbiorum regionem accedentes ut collectas copias conſerent à copiis Palatini circumueniuntur. captus eſt Erbeſtainus cum in acatio Rhenum fluuium traiiceret, at Fronſpergenſis, incolumis euaſit. at copię ipſę certè diſſipatæ ſunt, quę iam conuenerant ad oppidum Sanctum Vechum in regionem Leucorum, & ad Quercherpenam Coloniæ pagum, a quibuſdam Ferrarolis. Batauorum quoque regio interea uniuerſa propè ab Hiſpano Rege defecerat præter Bugodinum, Rotredanum, & Auſtredanum, quę urbes in fide beneuolentiaque Regis perſtiterant, exiſtimantes tumultuaria arma, & quę variorum principum auxiliis niterentur, non valde eſſe duratura. In Zelanda quoniam vniuerſa illa regio videretur cum hoſtibus conſentire ſcribit Albanus vt præſidia ad deprimendos animos ciuium imponerentur quibuſlibet ciuitatibus, quo retinerentur in officio ſaltem metu præſidiorum. at Armonii, & Tumegheni, & Grauenę ciues apertè profitentur ſe fidem quidem incontaminatam Regi Hiſpano ſeruaturos, ſed nunquam fore vt Hiſpana præſidia volentes intra vrbes admittant, cum nullum ſit vel perfidiæ à ſe conſilium ſuſceptum, neque Rex iure de illorum fide & obſeruantia dubitare poſſit. in Batauis Boſſuenſis regulus præfectus Amiras pręclarius iudicans ciuitates leniter ad ſanitatem reuocare, quàm per acerbitatem medicamentorum perdere, ita rem compoſuit cum ciuibus Inchuſarum, vt Philippum Regem ſuum agnoſcerent. Vt contra illum neque ipſi arma capeſſerent, neque capeſſentibus opem ferrent, ſed magis pro viribus aduerſarentur. Pro illa erga Regem fide atq; obſeruantia conceſſum eſt iis ne Hiſpana præſidia mitterentur, & ne decumas ſoluerent, & vti Regiam gratiam cum abolitione omnium præteritorum delictorum conſequerentur. Nam certè quidem aliquando concedendę ſunt quædam vrbibus impunitates, quo & illę ſeruentur, & reliquę inuitentur illarum exemplis ad accipiendum imperium oblata ſpe Regiæ humanitatis, & clementię. Vt enim quędam concedenda ſunt conualeſcentibus corporibus aut nauſeantibus, non quia ſalubria ſint, ſed quia per hęc ſibi videantur quodammodo recreari, ſic male affectis ciuitatibus quędam cõceduntur vtiliter, vt alacriores poſtmodo ſint ad cætera munia exequenda. Philippus Hiſpaniarum Rex his tot motibus bellorum in Gallia Subalpina iam paratis, & in Belgio quotidie ſuccreſcentib. ſtatuit vt claſſis Hiſpana in Africam contenderet ad expugnationem Iulię Cęſareę, quo pacto fieri videbatur vt Gallię Ciſalpinę claſſis opem ferret ſi opus eſſet, cum per breuem maris traiectũ illuc poſſet conuolare, cum & Tuneto, & Maſſilię futura eſſet propinqua, & facile poſſe appareret aliquam regionem occupare ob diſiunctas vires effractasque Turcarum. iſtud ipſum negotium aliàs iniecerat in conſultationem, ſed minus opportunum tunc viſum eſt. at nunc apparuit vtrunq; vno tempore fieri poſſe, vt & res Inſubrum illis auxiliis ſubleuaretur, ſi res poſtularet; &, ſi non reuocaretur claſſis, illam expeditionem non fruſtra tentaret, cum aliunde copię in Inſubriam nõ commo-

dè poſſent

Cameracum captũ & Inãtium & Menſergeſum.

Copiæ Aurãtio accedẽtes.

Raitri qui ſint.

Federici Toletani virtus.

Inchuſarum ciuium pactiones.

dè poſſent acciri. futurum erat præterea vt Luſitana claſſis Aluarecio duce ad illam expeditionem accederet cum octo millibus peditum, quæ conſtabat è decem triremibus, viginti et quatuor onerariis, ſeptem hexeribus, quos Galeonos vocant. nam certè quidem illud non mediocriter inuitabat ad Africanam expeditionem, & Vticam præſertim expugnandam, certum piratarum receptaculum. his rationibus efficiebatur vt Auſtriaci diſceſſus tardior putaretur, qui etiam triremem miſerat in Hiſpaniam quoniam rumor peruaſerat Italiam Philippum Hiſpaniarum Regem laborare in extremis. Columna nihilominus inſtat cum Superantio. literas è Corcyra miſſas oſtēdit inſtantes nauigationi. ſignificant Turcicum claſſem inſtauratam ad Eplam inſulam appuliſſe, cui niſi maturè ſuccurratur, periculoſum eſſe ne veniat in poteſtatem hoſtium. inſtant vt certum reſponſum reddatur. precantur ne ſe tempus anni vtile fruſtra abſumere pateretur. demum reſpondet Auſtriacus Regē ſtatuiſſe ne cum claſſe hoc anno in orientem nauigaret, quia Tuneti expeditio eſſet decreta. ſe tamen omne genus auxiliorum pro viribus conceſſurum Venetis. ita res denique concluditur, vt Columna cum ſummo Imperio cum quatuordecim triremibus, & duobus millibus & quingentis peditibus in oriētem nauigaret. mittit Ghilandradam Hiſpanum cum viginti & duabus triremibus. iubet Columnam pro conditionibus fęderationis cæteris omnibus imperatoribus autoritate præſtare. mittit etiā Sarnenſem Comitem cum quinque millibus peditum, qui Hidrunte naues conſcenderent. claſſe itaque pridie Idus Quintilis Corcyram verſus ſoluente Auſtriacus Syracuſas verſus ſecundum vētum nactus iter capit. marchio ſanctæ crucis, qui cum triginta & ſex triremibus Corcyram appulerat cum multo peditatu conuecto ex Apulia, iubetur per literas Auſtriaci bellicos apparatus claſſi reponere, ſi quem expoſuiſſet, atque cum illis, & peditatu reuerti Meſſanam. Sed quoniam peditatus in Acram Iapygiam nondum conuenerat, miſſus eſt poſtea Corcyra Antonius Canalis Hidruntem cum quatuordecim triremibus ad peditatum conuehendum.

*Pontificis optimū conſilium.*

Pontifex qui Philippum Regem Africæ expeditionem decreuiſſe audiuerat, mittit rogatum ne illam hoc tempore ſuſciperet. Vtilius fore Chriſtianorum ſaluti, ſi reliquiæ claſſis Turcicæ opprimerentur antequam conualeſcerent, cum expeditio Tuneti, & Iuliæ Cæſareæ & Africæ ſic poſtmodo futurę ſint faciliores. Iſtud autem commodè fieri poſſe, quoniam Gallorum Rex non ſolùm multis verbis affirmauit ſe neque implicatū eſſe, neque fore his bellicis tumultibus, ſed etiam reuocauit ſub grauiſſimis pœnis quicunque è ſuis militarent in Belgio.

*Veneti obnuntiant pactiones ſibi non ſeruari ab Hiſpanis.*

Veneti cognito conſilio Regis Hiſpani per literas Iacobi Superantii, obnuntiant pontifici ſubſidia ab Hiſpano Rege ſibi promiſſa alieniſſimo tempore deficere, neque ſeruari ab ipſo Rege primo, quæ forent in conditionibus fęderationis contenta. importuniſſimo tempore ſuſcipi Africanam expeditionem, cum magis vtiliter liceret coniunctis viribus victoriam præteriti anni perſequi, atque reliquias claſſis hoſtilis opprimere, & inſulis potiri, magnamque facere impreſſionem in regiones Turcarum.

*Legationes Venetę ad Hiſp. & Gallum Reges.*

continuò mittunt Antonium Teupolum in Hiſpaniam citatis equis, & Ioannem Michaelium in Galliam, quorum hic quereretur apud Regem Hiſpanum Venetos contra pactiones fœderis deſeri in ipſo articulo temporis, qui nulla in re, neque fidei diligenter ſeruandæ, neque diligentiæ defuiſſent in rebus bellicis conficiendis magnis apparatibus, neque vllam omnino ſuſpicionem dediſſent animi parum amici. alter iuſſus eſt videre an verè arma Gallicana Regio nomine ſuſcepta eſſent aduerſus Regem Hiſpanum, quod ſi eſſet factum Regio conſilio, precaretur Regem ne per iram vniuerſorum Chriſtianorum ſalutem in tantum periculum coniiceret, in quantum per eas diſcordias erat illapſura. Sin autem ea confingi apparerent ab Hiſpanis, miſſus eſt eo conſilio ut liceret agi de conditionibus pacis, quas legationes eius Regis patribus alias obtuliſſent.

*Syndicatus Romę inſtitutus.*

Pontifex quòd intelligeret quanti referret Chriſtianos per expurgationem peccatorum Deo reconciliatos defenſionem Chriſtiani nominis implorare, primùm hortatur patres in purpuratorum comitiis vt piè ſancteque viuerent cum omnibus familiaribus. deinde ſtatuit vt ieiunia, & vota fierent pro ſalute Chriſtianorum, iubetque omnes magiſtratus ſyndicatui ſubiici. & quoniam multi ſumptus fierent in lites ac penè intolerabiles, ſiqua controuerſia naſceretur, habitus eſt ſermo de controuerſiis de iure reſcindendis, & approbanda Megalota, quę ſumptus omnes criminum, & ciuiliū cauſarum contineret, ac decerneretur, vt omnia neceſſaria in vnum volumen redigerentur.

*Agareni latrones in Parmenſi agro trucidati.*

In Germania quoniam Cæſar comitia indixerat Mocontiacum creandi Regis Pannoniæ, iam procuratores principum, & Electores conuenire incęperant; per quod ferè tempus ſceleſtum planè genus hominum ac deteſtandum Agareni, viuentes è fraudibus, inſidiis, latrociniis, nullam neque artem neque terræ cultum exercentes, huc illuc cum tota familia vagantes palatium quoddam in agro Parmenſi coemerant. ibi ſtabula ſubterranea excauant. ibi omnia furta, rapinaſque occultant cum deſcēſum ſtabulorum ceſpitibus occluſiſſent relictis tantum quibuſdam foraminibus. iam trecenti illuc conuenerant. vbi multa præda fuiſſet ibi occultata omniaque finitima tanquam hoſtes prædarentur, varię querelæ delatæ ſunt ad Parmenſem ſenatum. patres rati minime conuenire ſenatoriæ dignitati conniuere ad tot ſubditorum calamitates trecentos pedites ac totidem equites colligunt. in Agarenos impetum faciunt. omnes latrones trucidant. Illa re cognita ſenatus etiam Mediolanēſis per edictum illos eiicit ex omni agro Mediolanenſi, atque ex vniuerſo principatu.

*Mantuæ tempeſtas.*

at in agro Mantuano incredibilis exortus eſt aeris impetus, ac mira vis ventorum. ſiquidem tanta repente tempeſtas erupit, ut arbores perantiquæ, & multa ædificia ſint euerſa, tanquam venti veteres inimicitias cum arboribus exercerent.

*Norfolcio caput amputatum.*

in Scotia verò Thomæ Norfolcio Duci coniuncto Britannicæ regine caput fuit abſciſſum ob patefactam coniurationem, qui cum quibuſdam proceribus in caput Britannæ Reginę coniurauerat. coniurationis conſilium fuit, quòd Thomas captus amore Mariæ Scotiæ reginæ captiuæ omnium mulierum pulcherrimę in iis regionibus illam vxorem ducere ſtudebat. Maria ſe non eſſe ſui iuris reſpondit, neque ſecum vllum fieri aut contrahi poſſe matrimonium legitimum. quod

vero

vero pluris eſſet faciendum, & quod maxime omnium impediebat matrimoniũ eſſe dicebat, quòd ſibi reginæ non conueniebat, decorumve apparebat, alii quàm Regi nubere. Vnam reliquam tamen eſſe viam ad nuptias, quæ per ferrum, & virtutem aperienda ſit, ſi oppreſſa trucidataque regina Britanniæ ipſa ſolueretur libertati reſtituta, & regnum Britanniæ Scotiæ adiungeretur, cuius iuris ẽt antiquitus fuiſſet, cum Scotiæ regina Britanniæ quoque regina in Gallia fuiſſet conclamata, & promulgata. Norfolcius Dux; vt ſunt plerique leues ad illa quæ vtiliter proponuntur, parum conſiderantes exitus, adductus quadam inſulſa prophetię, diuinationiſque interpretatione, vt qui magnitudine deſiderii ad illud credendum impelleretur, cæpit cum legatione regni Scotenſis apud Britaniæ reginam agere de negotio, & cum Rodulpho, & Bacchere à ſecretis, & Beſfordio Candiſio, & Baillio, & Baniſtere, & aliis quibuſdam. Sed quia magnitudo deſiderii facit aliquando homines nõ modo immaturè negotia aggredi, ſed etiam minus cautos quam oporteret, res non tam occultè agitur, quàm periculi magnitudo, & negotii eius quod agebatur requirebat. Norfolcius vbi copias è ſuo principatu eſſet educturus, & cum catholicis coniuncturus vires, certiſſimam victoriam ſibi proponebat, ſi illud tantum eſſet conſecutus, ſed ad ſuſtinendos regiarum copiarum ingentes impetus vel poſt comparatam victoriam videbatur indigere externis auxiliis. cum verò ad neminem dare literas auderet, agit cum Hiſpana legatione vt literas intra ſuum faſciculum occultaret ad Albanum, quem certiorem faceret has eſſe literas Ducis Norfolcii. Albanus lectis literis, probataque ſententia Ducis pollicetur ſe cum Hiſpano Rege de hoc negotio acturum. hortatur Rodulphum, qui literas attulerat, vt properaret ad pontificem ad hoc tam pium opus ſuſcipiendum. Pontifex accepto nuntio pollicetur in annum ſequentem decem millia peditum ſe in Britanniam expoſiturum. iubet duodecim millia nummum Rodulpho ad illam expeditionem numerari. literę ſecretioribus notis conſcriptæ ſunt ad Norfolcium, quibus monebatur ut in ſententia perſiſteret, & pollicitationib. multis confirmabatur. totidem millia peditum promittit etiam Philippus Rex, quæ copiæ cum viribus Ducis Norfolcii coniunctæ turrim Londini expugnarent. eodem tempore decretum erat, vt Pembrocchius regulus reginam Scotiæ liberaret è cuſtodiis Saluſberi reguli, quam deduceret ad oppidum Lancaſtrum. ſed pecunia quæ Roma mittebatur cauſa fuit cur proditio omnis retegeretur, quippe quòd cum literis ad procuratorem reginæ Scotiæ miſſa. ad Northumbrienſes regulos deferenda, data eſt ignaro negotii homini, & incauto, qui eam deportaret, qui ſe plurimum auri deportare gloriebatur. ille cum triduum Londini moratus eſſet, in ſuſpicionemque veniſſet ob inuſitatũ auri pondus, magnitudinemque pecuniæ, omnia coactus eſt afferre ſupremo cancellario Regio viro propè Regiæ autoritatis. lectis literis à peritis occultiorum notarum totum facinus deprehenditur. Dux repente coniectus eſt in uincula, & eius à ſecretis, & alii multi; atque vniuerſa ſeries proditionis probata cognitaque eſt. Conuocata ſunt comitia iudicum, ad quos cauſa delata eſt. conuenerũt ad illud iudicium viginti & ſex è primariis proceribus delecti, atque præſente Stuardo vicario reginę Dux introductus eſt. Stuardus legi palam iubet capita criminationum, atque obiicit hæc crimina in reginam ſuſcepta. Primum quòd reginam Scotiæ liberare voluerit. deinde quòd populos ad arma aduerſus reginam Britanniæ concitare decreuerit. quòd principes externos acciuerit ad Britanniæ deuaſtationem, & occupationem. Quòd Britanniæ regnum adiungere Scotiæ tentauerit aduerſus maieſtatem regiam, & patriæ libertatem. quòd omnium rerum ſceleſtarum grauiſſimum propè cogitauit, quòd conſpirauit ſcilicet in caput, & ſanguinem reginæ ipſius Britannæ. at Norfolcius cõtra hæc reſpondit ſe non modo non tractaſſe, ſed neque excogitaſſe quidem quidquam, quod ſit contra ſalutem reginæ, quamuis legationis, & Baccheris proditionis non fuerit inſcius. denique poſt multas hinc inde habitas criminationes, & defenſiones viſus eſt omnibus iudicibus culpa proditionis, & ſtructarum inſidiarum Regiæ maieſtati non carere; quare Stuardus iubet eum Ducem auditis probationibus criminum, & defenſionibus ſe recipere, donec iudices quid legitimum viſum eſſet decernerent. iſtud autem fit menſe Februario circiter horam ſeptimam noctis. Vbi Dux receſſiſſet, iudiceſque horam ferè inter ſe collocuti eſſent de rebus propoſitis, omnibus ſententiis denique capitis condemnatur. illum poſtmodo ad ſe accitum rogant quibus rationibus vti poſſet, vt ſibi vita condonaretur, ad hæc ille attonitus obmutuit. Stuardus tuncaſſurgens hanc ſententiam publicè pronuntiat. Thomas Dux Norfolcii accuſatus proditionis, & inſidiarum in caput reginæ Britanniæ paratarum, atque in patriæ libertatem, in turrim Londini reducatur, vnde ſuper crate per vrbem ad Tiburnum ſuppliciorum locum trahatur. ibi ſuſpenſus pendeat, donec ſit ſemimortuus. tunc membrum virile illi abſcindatur, eoque vidente comburatur. Cędatur vtraque manus, & corpus in quatuor partes diuidatur, atque cadauer iaceat donec regina ſtatuerit quid faciendum ſit. Dux audita ea ſententia aliquantulum ſe colligit. ſe oblata morte contentum eſſe inquit, neque mortem deprecari à clementiſſima regina. Sed pro vita illud ſuppliciter petere, ſaltem ut innocentes filioli miſericordiã conſequantur, ſatiſque illis fieret, quorum æs alienum habuiſſet. at menſe Quintili tãtum de Duce ſumptum eſt ſupplicium. neque regina Scotiæ ſanè ſuſceptarum inſidiarum impunitatem conſecuta eſt, cuius cauſa, & criminatio delata eſt ad iudices è comitiis delectos Britannis. nam ſeptem comites, & ſeptem equites delecti ſunt ad hoc iudicium nobilitate, potentia, cognitione iuris, & legũ ciuilium præſtantes, qui & ipſi viſis probationibus inſidiarum illam condemnarunt capitis. deinde crimina inquiruntur in reliquos proceres cõiuratos, qui fuiſſent participes vel conſcii tanti ſceleris. Quæ dum inquiruntur in Britannia, Sebaſtianius Venerius & Sarra Martinengus cum ſummo imperio præfectus vniuerſis copiis Dalmatiæ, quoniam Caſtrum nouum vrbs non procul ab Aſeriuio in ora continentis paruis præſidiis munitum eſſe dicebatur, putauit opportunitatem eius ſubiugandi non eſſe negligendam. nam Selimus quingentos Ianizzeros ex illa vrbe Byzantium acciuerat. illuc cum

Norfolcii ducis inſidiæ in Britanniã reginam.

Pecunia cauſa patefactæ coniurationis.

Criminationes in Norfolcium.

Sentẽtia aduerſus Ducẽ Norfolciũ.

Regina Scotię capitis cõdemnata.

luc cum quadraginta triremibus aduolat collectis etiam aliis nauigiis. exponit ſex vexilla Italorum peditum quatuor Germanorum, tria Gallorum, Macedonum, Illyricorum, nemine repugnante. cõtinuo potitur ſuburbiis. tormenta in vrbem dirigit. magna diligentia diuerberat. & quoniam verebatur ne aduentarent ſubſidia armatis cohortibus omnes aditus, qui ferunt in vrbem occupat. Græciæ præfectus purpuratus, qui cum multis millibus armatorum equitum conſilia Chriſtianæ claſſis e ſpecula obſeruabat, non procul à Caſtro nouo citra Peloponneſum audita vrbis obſidione alam expeditiſſimam equitum mittit ad ferenda auxilia. conſtabat illa ala è quatuor millibus equitum, & nonnullis peditibus. Vbi ventum eſt ad anguſtias, fauceſque adituum, committitur minutũ prælium. certatur vtrinque magna virtute. ſed cum in caſtris Martinengi eſſent multi veterani milites Turcę ducentis è ſuis amiſſis coacti ſunt procul inde recedere. verumtamen vbi cognitum eſſet è captiuis plura viginti millibus Turcarum non procul abeſſe, qui omnes vnà cum reuerſis equitibus eſſent auxilio obſeſſis venturi, omnes Chriſtianę copiæ magna feſtinatione in claſſem redeunt, tormentaque contrahunt in nauigia. ſed illud turpe fuit, quòd tanquam impetus Turcarũ inſtaret, hoſtiſque à tergo magna vi inſequeretur, ſeſe in fugam magna celeritate conuertunt, atque ita vt quidam in mare detruſi ſuffocati fuerint. Turcæ poſtea cum illuc aduentaſſent munitionem in ora maris è gleba, & faſciculis lignorum concathenatis trabibus excitant, ad infeſtanda nauigia quæ illuc tranſirent, ſubſidiaque ferrent Aſcriuio. nam ſitum eſt Caſtrum nouum in faucibus ſinus Rizonici. Albanus audita captiuitate Valentianæ, vbi copiæ conueniſſent è Germania, ſtatuit ſubſidia. & illuc & ad reliquas vrbes vel conſeruandas vel recuperandas mittere. Valentianam mittit quinque vexilla galeatorum equitum, & multum delectum militum agreſtiũ, quæ copiæ oppidulum ingreſſæ, quod adhuc ab Hiſpanis præſidiis tenebatur, repente vrbem inuadunt. ſic vbi vires Regiæ iam numero, & virtute factæ eſſent ſuperiores Vgonottis nullo negotio illos in fugam vertunt. multi ciues trucidãtur vnà cum præſidiis, reliqui fugiẽtes Montium ſe recipiunt cum regulo Famenſi, atq; in oppida finitima. Catholici ab inſequendis hoſtibus in vrbem reuerſi Vgonottorum domos diripiunt. fœminas, & omnes vel impuberes immaniter trucidant, ſæuiuntque non ſolum in imbelle genus ſeminarum, & infantium, ſed etiam in animalia ratione, & cognitione rerum carentia. & quoniam verebatur Albanus ne vbique ſeditiones ſcaterent, qui nimis immaturè ſuam ſtatuam tanquam triumphaturus erexiſſet Antuerpiæ. mittit eò decem Hiſpanorum, & quinque vallonum peditum vexilla dux Medioli Albani ſucceſſor creatus in eam præfecturam, quam renuebat turbulentis adhuc rebus, cui perſuaſum fuerat res omnes in Belgio eſſe pacatas, cum quinquaginta nauigiis varii generis, & quatuor millibus Hiſpanorum peditum in Belgium appulit, ac decies cẽtum millibus nummum. huic fiunt obuia multa nauigia, nam ad centum accedere dicebantur, commiſſum eſt cum hoſtibus magnum prælium, & atrox cum Luſitana etiam Flota vna accederet cum viginti & vna nauibus onerariis. demerſæ ſunt vi tormentorum tres Hiſpanæ. duæ captę, direptæ, concrematæ. reliquæ vi ventorũ impulſę ſunt ad Fliſingam, per quod certamen facta eſt iactura ab Hiſpanis vicies centum millium nummum, cum varia & precioſa mercimonia in illis conueherentur. poſt vim acerbitatemq; ventorum dux Medioli Antuerpiam demum incolumis peruenit, cum tamen omnes domeſticos equos per tempeſtatem amiſiſſet. fama eſt autem didita naucleros Flotæ cum Vgonottis conſpiraſſe, qui cum Vliſpona diſcederent, parumque diſtarent à Fliſinga in ſiccum conſultò impegerint, quare piratæ exeuntes ex inſidiis, impetumque in immobilia nauigia facientes viginti & tria capiunt è Flota, cum alia varii generis præter onerarias ſequerentur. Pontifici interea munus allatum eſt honorarium pro regno Neapolitano annuum, ſeptem millia nummũ, & duo equi candidi, ſicuti mos fuit perantiquus Regum Neapolitanorum. Aurantius vbi copias collegiſſet tam validas, vt ſibi videretur Albani ducis vires poſſe non plurimi facere, non ſolùm armis, ſed etiam perſuaſionibus conatur populos Belgas ab Hiſpana obedientia reuocare, atque ſollicitare ad defectionem. literas igitur ſcribit huiuſmodi ad eos, qui arma pro Albano caperent, & pro Hiſpanorum imperio. Nos Guglielmus Aurantius, & Aloyſius Nanſienſis principes nobiles inferioris regionis cupientes libertatem inferiorum regionum declaramus, quòd ratione dignitatis, & loci quem tenemus in ipſis inferioribus regionibus, & amore Dei commoti ac deſiderio publicæ, & communis tranquillitatis ſemper vtrique pro virili procurauimus per blandas petitiones illud obtinere, quod nunc per arma neceſſario impetrare enitimur. hoc eſt rogauimus Deum, vt corda flecteret oppreſſorum, & tyrannorum ad æquitatem, cum eundem affectum animorum reperiri arbitraremur in iis, qui immaniter opprimerentur. id cum per preces fruſtra ſæpius tentauiſſemus, denique incolarum vtilitatis, & ſalutis deſiderio allecti, compulſi immanitate, & feritate prædictorum arma capere ſtatuimus, Deum atque homines teſtificantes quòd non priuatorum commodorum cauſa id facimus, ſed quia nos ita facere compulerunt barbaries, & intolerabiles leges impoſitæ populis Belgis. nam trigeſimæ, vigeſimę, decumæ, & alia huiuſmodi complura impoſita ſunt tributa ob Albani auaritiam contra leges, libertatem, priuilegia perantiqua, immunitateſque Belgarum. Decreuimus autem reuocare ac reducere populos ita Deo fauente ad natiuum principem, vt debemus à quo conſeruemur. Illud interim affirmamus quòd principes, duces, ac reſp. externæ, quæ ad hanc expeditionem vires, & auxilia ſubminiſtrant, nulla alia cauſa impelluntur, niſi ærumnarum miſeriarumq; noſtrarum miſericordia. omnibus autem perſuaſum eſſe volumus, quòd neque vita, neq; dignitas, neque facultates cuiuſquam infeſtabuntur, ac neque catholicorum quidem, quos amicè, & fraternè defendi volumus. Quòd ſi acciderit vrbibus vt potiamur, omnes liberos eſſe volumus ſi nobis opem tulerint. nam ſi patriam, ſi libertatem, ſi propriam ſalutem curant vel ſui ipſorum, vel vxorum ac filiorum ad commune omnium beneficium, nobis opem ferre ad tam felicem exitum properantibus in hanc expeditionẽ certè debent.

Munitio ad Aſcriuiũ Turcarum.

Valentianæ ſubſidia.

Catholicorũ crudelitas.

Pugna naualis in mari Belgico ſiue Britannico.

Tributum Pont. pro regno Neapolitano.

Aurantii literæ ad Belgas.

debent. nam Deus bellorum,& exercituum nobis fauebit in tanta cauſæ bonitate. huius enim vires magnopere excreuerant,cum poſt fuſas,vt diximus,Erbeſtaini,& Fronſpergenſis tribunorũ copias, proteſtantes octo millia equitum collegiſſent,& duo millia ſclopettariorum magna celeritate. Albanus ſuperatis multis difficultatibus tamen quinque Regimenta Germanorum,& octo raitrorum millia collegit. Poſt receptam Valentianam vel antequam copiæ auctæ eſſent, poſt Ducis Medioli aduentum mittit Federicum Toletanum cum magna ala equitum,& Hiſpano peditatu ad Montiũ obſidendum. Tentata res eſt primùm per inſidias,quo vrbs per fraudes capta per dolos quoq; recuperatur. Multi incolæ ſuam operam ad illam rem pollicentur,quo redirent poſtliminio cum extorres è patria profugiſſent. Multi itaq; milites monachorum habitu induti paulatim Montium ingrediuntur,qui cum nonnullis monachis clam ita conuenerant vti armati in cœnobia admitterentur, donec ad eum numerum excreuiſſent,vt poſſent portam ciuitatis trucidatis hoſtibus cuſtodibus occupare. Iſtud ipſum fit ẽt Hinantii. cum ad ſeptem cohortes ita paulatim ſub diuerſis habitibus conueniſſent,res Montii, illud eſt oppidum Hannoniæ, patefacta eſt per quandam fœminam. alii capti ſunt,alii circunuenti ac trucidati. quatuor cohortes peditum, quæ latebant in inſidiis ad hoc conſilium,vt accepto ſigno portam inuaderent,proditione arteq; patefacta recedunt. cognita eſt Hinãtii quoq; proditio per captiuos,qui & ibi capti ſuſpẽdio poſtmodo necantur. illud vbi non ſucceſſiſſet è ſententia Hiſpanis proceribus,vbi dux Medioli acceſſit cum Hiſpanis, miſſus eſt Federicus,& Cepinius Vitellius ad Montium palam obſidendum,& expugnandum. Albanus quoniam captiuos haberet nonnullos Vgonottos Gallos iubet viginti ex iis ſuſpẽdio publicè necari. illa re cognita Fliſſingenſes omnes captiuos Hiſpanos eodem ſupplicii genere afficiunt,neq; minus armis,quàm crudelitate,& rabie,& ſiti propè humani ſanguinis vtrinq; pugnatur. Nam Galli cum duas onerarias naues è Canariis inſulis cum multis aromatibus,& ſaccharo aduentantes cepiſſent, non paucos Hiſpani in illis inuentos trucidant,quam eandem fortunam ſubierunt duo alia nauigia, quibus Hiſpani commeatum ad vrbem Medelburgum conuehebant, cum ab obuiis hoſtibus demerſa ſint per crebros ictus tormentorum,& Hiſpani ad vnum crudeliter iugulati. Federicus Toletanus ad Montium caſtrametatus munitionem excitat,donec aliæ copiæ conuenirent. Montienſes exeuntes excitant minuta certamina. pugnatum eſt ſæpius modo his,modo illis fortuna arridente,alternanteque victoriam. at enim cum Montii obſidio videretur Vgonottis non negligenda, ſtatuunt mittere ſuppetias,quibus Toletanus decernit obuiam prodire, tum ne hoſtem timere videretur, tum etiam ne cogeretur vno tempore aduerſus duos exercitus pugnare,quod erat neceſſarium ſi apud vrbem conſidens a recentibus auxiliis hoſtium inuaderetur. his igitur obuius factus ad duodecimum lapidem ab vrbe Montio repente dimicatum eſt collatis ſignis. magna virtute primùm vtrinque pugnatur, neq; victoria in alterutram partem magis inclinabat. denique vbi pugnatum eſſet diu magna parte Vgonottorũ cęſa ob vim ſclopettariorum,reliqui ſe fugæ dederunt. Pauci Montiũ perueniunt,reliqui in proximas ſyluas diffugientes quicunque ab equitatu capti ſunt,vel trucidantur, vel necantur ſuſpendio præter nobiliores,quorum trecenti & quinquaginta ferè capti ſunt. nobiliores captiui q ad hæc ſubſidia è Gallia conuenerant,fuerunt, regulus Gianlis ſummus illarum copiarum imperator,& Filigneus Amirantis Galli gener,& Muyus,& Lamius, qui ſinguli duces erant quinquaginta equitum cataphractorũ in Gallia.& Rentius quindecim, Bellaus Creuillius vndecim cohortib. peditum præfecti. Aubrichenſis caſtrorum magiſter,& Giumellius, & Famæus, & Fontayneus, & alii multi. ceciderunt ex Hiſpanis circiter quingenti. multi vulnerati. Poſt eum felicem rerum Hiſpanarum ſucceſſum Albanus Bolueillerem tribunum mittit cum ſuo Regimento in caſtra ad vrbem Mõtium,quare Montii præfectus Ludouicus Aurantius cum videret ſuccreſcere in dies vires obſidentium,decernit fortunam belli potius experiri cum paucioribus,quàm cum pluribus vbi in vnum vndique conueniſſent. inſtructo igitur equitatu ac peditatu repente caſtra hoſtium obſidentium,Hiſpanaſque cohortes inuadit. magna fit impreſſio atque irruptio in caſtra inopinatorum,Germanorũ præſertim nihil tale expectantium. ſex Germanorum cohortes trucidantur,penituſq; delentur. quarum tribunus, & tres cohortium præfecti captiui in vrbem ſunt adducti. Quæ dum fierent in Hannonia prouincia, Aurantius cum regulo Bergenſi Menapiorum regionem ingreditur cum octo millibus equitum,& quinquaginta cohortibus peditum. ſimulat ſe procuratorem eſſe Regium. omnes ciuitates,in quas ingreditur,iubet iurare fidem incontaminatam Regi, & ſibi ſe eſſe ſeruaturas. ſic populos allicit,quibus inuiſa eſt Hiſpanorum conſuetudo propter morum,& linguæ varietatem. multis oppidis ita breui,multiſque vrbibus potitus ad Ruremondam vrbem Menapiorum opulentam, & populoſam caſtrametatur. illam vbi ſæpius fruſtra ſollicitauiſſet ad deditionem, ſtatuit per vim armorum omnino expugnare. ignem igitur congeſtis aridis faſciculis lignorum,aridaq; materia duabus portis iniicit,quibus concrematis conatur copias introducere. ſed catholici mira alacritate fortitudineq; reſiſtentes omni telorum genere vſi hos ſtrenuè reiiciunt. quater repetitur conatus, quater cum magna clade recedere neceſſe fit. atqui cum quindecim cohortes deniq; defeſſis recentes ſucceſſiſſent,collocato pręſertim equitatu à tergo peditum,qui vulneraret, & trucidaret pedites vel retrocedentes, vel parum ſtrenuè aut ſegniter pugnantes, vt vel vincere opus eſſe viderent vel mori, atrox omnino cruentumque vtrinque certamen committitur. pugnatur a defenſoribus ſingulari conſtantia incredibilique virtute. ſed admiſſis hoſtibus in vrbem ex altera parte per ſociorum perfidiam miſerabiliter circunueniuntur, fiuntque ambigui quam viam virtus aut fortuna patefaciat ad ſalutem. Paulatim in priuatas domos pugnando recedunt. pugnantur vicatim in vniuerſa ciuitate cum magna vtrorunque cæde ad octauam vſque horam noctis. trucidati ſunt omnes defenſores. nulli vel ſexui, vel ætati, vel dignitati parcitur. mira atque adeo inaudita feritate ſæuitum eſt in

Valentiana recuperata.

Montii proditio patefacta,& Hinantii.

Crudelitas vtrorumq;.

Federici Toletani victoria.

Sacerdotes omnis generis, tanquã cũ religione, at nõ cũ hominibus pugnaretur. Quod ſi noua religio, quã hi ſe ſequi profitebãtur, cędes, rapinas, ſtupra, ſacrilegia, feritatẽ, & crudelitatẽ exercere imperet, tanquam Mahometana aduerſus Chriſtianos. ſe à tigribus, & baſiliſcis crudeliſſimis, aut ab hæmorrhois legũlatorib. leges accepiſſe fateãtur neceſſe eſt, at nõ à mãſuetiſſimo Chriſto. nã alij quaſi per ludũ multis vulneribus captiuos cõfodiebãt, mutilaruntq; ſingulatim minutiorib. mẽbris, alij coniecti ſunt in Cacabos bullientis aquę viui & elixati, alij verubus viui trãsfixi, atq; toſti, alij vncis ex humo ſublati affixi, atq; ita in extremis pęnis morituri relicti. vrbs direpta eſt. ſacræ virgines fędiſſimè ac ſceleſtiſſimè cõſtupratę. omnia ſacra & profana inſolentiſſimè ab Aurãtij copijs & impudentiſſimè violata. Enimuero tot tãtaq; cõmiſſa sũt ſcelera ab Aurãtij copijs ĩ illa ciuitate, vt nulla natio vel ĩfeſtiſſima Chriſtianę religioni, vel q̃ ꝓprio odio ad bellũ impulſa ſit, tã crudelis, tã barbara, tã impia, tam profana in vllã vrbẽ vnquã apparuerit ad hæc vſq; tẽpora. ceciderũt in expugnatione ciuitatis cõplures ex anteſignanis Aurantij, quamobrẽ magna fit ſuorũ iactura in ea pugna. trucidati ſunt vna & multi Vgonotti, qui erãt in vrbe, ſeq; catholicos eſſe ſimulabãt, qui vltro Aurãtij depoſcebãt ac precabãtur accipere imperiũ. Illã fortunã tã horrẽdã, & ſupra omnẽ humanã credulitatẽ immitẽ veritæ nonnullæ ciuitates, ne tantũ crudelitatis & ipſæ experirẽtur, ſpõte ſe dedunt, inter quas fuit Anſterdanũ vrbs opulẽta & ampla Olandæ, & Ziricheſſa Zelãdæ. His ꝑ deditionẽ acceptis Aurãtius ad vrbẽ Menapiorũ Vendelã nobilẽ caſtrametatur, qua ratione videbatur vtrũq; cõſequi, vt & vrbẽ oppugnaret, & trãſitus copiarũ Germanarũ impediret in Belgiũ vno tpe. atq; cũ mille equites obuios Erbeſtanio comiti miſiſſet multis cęſis, multisq; vulneratis exhoſtibus, ac multis captis reliquos in fugã vertit. nec multo poſt Aurantianæ copiæ quatuor cohortes peditum & ſexcentos equites deleuerunt Electorum Colonienſis & Treuirorum. Quæ dum fierent in Belgio, frequentibus leuibus certaminibus pugnabatur ad Tragurium oppidũ in Dalmatia. Veneti tametſi multos ex hoſtibus ſæpius trucidauerãt ꝑ illas pugnas, tñ deniq; in inſidias trahuntur Turcarum, cum illi Turcę, qui palam prælĩũ inierant paulatim cederẽt; donec victores allexiſſent in inſidias. Turcis repente erumpẽtibus cõmittitur atrox prælium. ceciderũt tñ è Venetis circũuẽtis ducẽti & amplius pedites ac equites nonnulli. reliqui fuga ſe in oppidũ Traguriũ ſeruarũt, è Turcis ad triginta tantũ deſiderati ſunt in eo prælio, at multi vulnerati. Veneta claſſis vbi Corcyram cum pontificijs, regijsq; triremibus redijſſet, indicta ſunt procerum comitia, in quibus decretũ eſt vt iretur obuiã Turcicę claſſi, quæ Eplã inſulã obſidebat. eo igitur cõſilio claſſis Corcyra Eplã verſus nauigat, & ad Gomenicias peruenit. ibi Canalis aduentum expectat, qui Hidruntẽ acceſſerat cum quindecim triremibus ad pedites conuehendos, vti dictũ eſt. Aurãtius, vbi diu cõſediſſet in ijſdem caſtris, mille è ſuis ęquitibus mittit obuiã regulo Erbeſtaino, ꝗ cũ quinq; cohortib. peditũ accedere ſignificabat. cõmiſſo itaq; ꝑlio multi è Germanis cęſi sũt, alij vulnerati, alij ĩ fugã verſi diſſipãtur. arma & ĩpedimẽta diripiũtur. nec multo poſt ſexcenti equites & quatuor cohortes peditũ ab iiſdem copiis profligãtur. Aurãtius deinde Mechliniã profectus ciuibus perſuadet ſeſe illuc aduentaſſe vt vrbes à tyrannide Albani liberaret, tantũq; valuit dicẽdo, vt in vrbẽ demũ ſit admiſſus, vbi quadringẽtos equites, & totidẽ ſclopettarios reliquit ĩ præſidijs. inde Louaniũ profectus ad vrbẽ celebrem legationẽ mittit poſtulatũ vt trãſitus per illum agrum pateret, fieretq; annonę copia honeſto precio, quod à ſenatu ac populo negatum fuit. Aurãtius illo reſponſo bellicas machinas mænibus admouet. cũ ſine militũ præſidio Louanienſes ciues, & iuuenes diſciplinarum ſtudioſi ad defenſionem męniorum accurriſſent, eſt enim diſciplinarum Gymnaſium Louanium, tormenta vrbana diſploduntur in obſidentes, quibus multi ſunt laniati. atqui cũ porta quędam parũ eſſet munita, ac ſine bellicis tormẽtis, Aurãtij copię iniectis malleolis illã ſuccendũt, atq; per illã conãtur vi inuadentes irrũpere. Senatus ac populus cognito periculo, in quo vrbs Louaniũ verſabarur, legationes mittũt ad principẽ, rogant vt vrbẽ antiquã, & à qua nullã iniuriã accepiſſet, cõſeruatã velit, atq; viginti nummùm millia largiuntur. inde effectũ eſt vt nemini fieret iniuria, omniaq; honeſto ꝓcio tãquã ab amicis coemerẽtur. Aurãtius ita Louanio ſeruato Diſtũ, & lirã, & Alſtiũ, & Veneramondã & Bergaliũ oppida capit, quibus in fidẽ acceptis Montium verſus ſigna cõuellit ad profectionẽ. vt ſigna cõferret cũ Albani copiis ſi facultas concederetur. Nã Albanus collectis ſuis copiis, cõiũctiſq, virib. Montiũ ꝓfectus erat ĩ caſtra, cęperatq; multa diligẽtia vrbẽ concutere. Aurãtius circiter tria millia paſſuũ ab Albani caſtris ſigna defigit atq; cõſidet. inter vtraq; caſtra ĩterfluebat fluuius ignobilis, citra quẽ Aurãtius veſperi caſtrametatũ, poſtridie vero erat ad pugnã traiecturus, quo cõſilio illuc aduenerat. Albanus veſperi quadringentos galeatos equites, ac mille & quingẽtos ſclopettarios Hiſpanos, & cẽtũ vallones ꝑmittit, ꝗ vires animũq; hoſtiũ tẽtarẽt. pugnatũ eſt mira alacritate ab Albani copijs vbi ꝑ noctẽ fluuiũ traieciſsẽt, ĩ quo certamine ceciderũt ex Aurãtianis militib. circiter mille pedites, equiteſq; ſexcẽti. ex Hiſpanis paulo plures trecẽtis. Aurãtiꝰ viſa mane tãta ſuorũ ſtrage ſic animo cõcidit, vt mutato cõſilio pugnę ad ꝓfectionẽ inde reuerterit. Montiẽſes cognita fuga Aurãtianarũ copiarũ excidẽtes ex omni ſpe auxiliorũ, cęperũt agere de cõditionibꝰ deditionis, q̃ ita demũ cõcluſę ſunt. Vt Ludouicꝰ vrbis ꝓfectꝰ excederet incolumis cũ oĩbꝰ ſuis copijs, Vt arma & impedimẽta libera & intacta oĩbꝰ cõſeruarent, qđ ipsũ cõſequerent ciues. vt excedere volẽtes tutò cũ ꝓſidijs ad fines vſq, ſuorũ ꝑducerent. Gaſpar Amiras qm̃ poſt pacẽ ſupiorẽ Regẽ videret multa indicia beneuolẽtiæ innſitatæ in ſe & in quoſdã ꝓceres Vgonottos ꝓ ſe ferre, cũ & ipsũ & Regẽ Cãtabrorũ ſobrinos ſępiꝰ appellaret, q̃dãq; ut arcana cõicaret, quare ueriti sũt etiã pleriq; ne cũ illa factione clã cõſentiret, oẽ genus fidei Regi cupit oſtẽdere. reſtituit igit ante tẽpus munitiones de cõi Cõdæi & Cãtabri cõſilio, & in primis portũ Sãtonũ, vbi iuſſꝰ eſt eſſe Philippꝰ Strozza in ꝓſidijs cũ quatuor cohortibꝰ peditũ, cũ oẽs ciues eius vrbis Vgonotticã factionẽ ſeq̃rent. retẽtꝰ eſt tñ mons Albanus. Interea celox ad claſsẽ Venetorũ peruenerat, quæ nũtiauit Auſtriacũ Tunetanam

Cru delitas Aurantianorum.

Ruremondæ captiuitas.

Anſterdanũ & Ziricheſſa capta.

Mechlinia capta.

Louaniũ captum.

Montium recuperatum.

nā expeditionem in illud tempus opportunius diſtuliſſe, atque per triremem ex Hiſpania reducem ſignificatū eſſe velle Philippū Regē vt Auſtriacus ī oriētē nauigaret. Nā vbi cognitū eſt legationē in Galliā cōtēdiſſe, nō leuis coorta eſt ſuſpicio apud Hiſpanos, ꝙ Veneti vel iā ad pacē īclinarēt, vel certè aliqd noui molirent, qa nō poterāt coniectura cōplecti qd negotiorū Venetā legationē in Galliā hoc tpe acciuiſſet. vt aūt in fide ac ſpe detineretur, Philippus rex iubet Auſtriacū ſuas vires cū Venetis cōiūgere, qa iā diu etiā cognitū eſſet Gallorū Regē reb. Belgicis nō eſſe implicatū. Colūna neq; illo qdē nūtio accepto exiſtimauit eſſe expectādū, ne interim Epla īſula ī poteſtatē hoſtiū veniret. ſic igitur claſſis vniuerſa Chriſtianorū, q̄ cōſtabat è cētū quinquaginta & quinq; triremib. ſex quinqueremib. viginti & trib. onerarijs nauib. multiſq; minorib. nauigijs è Gomeniciarū ſtatione diſcedit, in qua vehebāt ſexdecim millia epibatarū. Dextrū cornu Supantio datū eſt. ſiniſtrū Canali. mediā aciē Colūna regebat cū Iacobo Foſcareno, & Ghilādrada Hiſpano. iuſſus eſt Quirinus cū ſex triremib. ꝓcedere ſemp ad hoſtē explorādū, atq; ſi pugnaret, ſubſidiorū mun⁹ expleret. ſic eo ordine ad Zacynthū nauigat. ide mittit Angel⁹ Sorian⁹ vir acri īgenio & ītrepid⁹ cū expeditiſſima triremi cū quo Romagas ēr ꝓficiſcit ad hoſtiū cōſilia explorāda. claſſis poſtmodo Zacyntho ſoluēs ſecūdis vētis ad īſulā Eplā ꝑuenit. Sorian⁹ eō reuectus vniuerſo Ægæo mari decurſo nūtiat Turcicā claſsē eſſe ad Nouebaſiā, ibiq; ſtationē hr̄e in anchoris, q̄ vrbs ampla diſtat ab Epla īſula circiter trigīta millia paſſuū. Dicebatur cōſtare claſſis Turcica è triremib. cētū ac ſeptuaginta, qb. accederēt & alia ſexaginta minora nauigia varij generis, q̄ oīa remis agebātur. His auditis Colūna iubet claſsē inſtrui ad pugnā diſploſo tormēto, cū claſſis hoſtilis exire è ſinu Maliaco poſtea dicta fuiſſet. ſed cū & hora iā eſſet tardior, & hoſtis nō ꝓceſſiſſet obuiā, & vētus onerarijs nauib. parū faueret, nihil agitur, & ad Eplā in portū denuo reditur. Sic hoſtis redit Nouēbaſiā. deinde itū eſt ad Dragonerias, vbi claſſis ꝑꝑ reflātes vētos & ad cōmoda onerariarū vniuerſa ſtetit in anchoris. claſſis hoſtilis rurſus cępit exire è ſinu Maliaco, quo tpe denuo Colūna omnē claſsē inſtrui iubet ad pugnā, quod fit nō ſine difficultate ob flatū Cæciæ, quo plurimū onerariæ infeſtabātur, vbi exitū eſt è Dragonerijs Auſter ſpirare cæpit vētus onerarijs commodus, quamobrē illis cōceſsū eſt vt ante triremes tanquā valida ꝓpugnacula inſtruerētur aduerſus hoſtē. Canalis cū cornu dextro ſecūdū cōtinētē iter facit in hoſtē cui duæ quinqueremes ꝓcedūt. Superātius mare verſus ad ſinū Maliacū alterū cornu dirigit. ſic acies media ſuccedit aduerſus hoſtē, cui⁹ claſſis īſtructa ad ſcopulos Ceruorū vocatos ꝓperabat. nā Luzalis vetus & pitus īperatordū maiora nauigia Chriſtianorū velificātur paulatim ſe recipit, quo ſecūdū ventū aucuparetur, donec fieret maris tranquillitas, qua efficeretur vt ſolæ triremes à quinqueremibus relictæ, cum illę ægrè ac vix remulco attraherētur, & ſeorſum ab onerarijs cogerētur pugnare. Auſtriacus deniq; vt paucis res intelligatur, & quid Philippus rex ſtatuiſſet, habebat in mādatis vt cum claſſe penetraret è Sicilia in oriētē, ac pſe ferebat deſideriū, vt dū cū claſſe fęderatorū ipſe cōiungeretur, ſummi imperatores ſeruata publica exiſtimatione ꝓſpectarēt impedirētq; oīa Turcarū cōſilia, q̄ ad deuaſtationē locorū Venetorū ſpectarēt. ſummi itaq; claſſiū ꝓfecti, q ſtationē habebāt Corcyræ ſummo cum deſiderio expectābāt armorū cōiūctionē, qa verebanē ne Luzalis ſine cōtrouerſia litus Cretę cū ſua claſſe popularetur, aut alias inſulas Venetæ ditionis. His accedebat nobilis qdā omniū feruor vt quā primùm totis viribus dimicaretur. procedunt igitur, & ad Eplam inſulam appellentes duæ triremes Venetæ & vna Melitenſis hac ipſa de cauſa præmiſſę quæ cognouerunt hoſtilē claſſem apud munitionē Nouembaſiæ vrbis conſiſtere, qui locus diſtat ad quadraginta millia paſſuum. Et quamuis intelligebatur quanti referret hoſtilis claſſis à munitione protegi, ſi apud illam iniretur præliū, decretū eſt tamen eſſe propinquandum, veniendumq; ad eius conſpectum, vt illa ratione hoſtis alliceretur ad pugnā optatā nō ſolū ab imperatorib. ob uim nauigiorū, vt cognitū fuit, ab hoſte formidatorū, ſed etiā ab omnib. copiis claſſicis ob certiſſimam creditam victoriam Chriſtianorum, quam erant cū immenſa lætitia excepturi. M. Antonius tamen Columna & Ghildandrada vel aliqua probabili, ſed cognita ipſis ratione vel ꝑꝑ Auſtriaci abſentiā, vt cupidi eius gloriæ, apparebāt nō valde alacri animo ſine Auſtriaco ꝓliū ꝓbaturi. Dū ita certū erat Chriſtianæ claſſi arripere opportunitatē pugnæ, ſignificatur ꝑ excubias e ſpeculis hoſtē cū cētū & ſexaginta triremib. quadragintaq; nauigijs varii generis nauigare Maliacū ſinū verſus, illud eſt nomē loci in Pelopōneſo. claſſis igitur mira celeritate inſtructa in acie præcedentib. quinqueremib. & onerarijs nauib. quæ ꝙ ſecundo vēto nō vterētur, attrahebantur remulco, procedit in hoſtem, qui inſulam Ceruorum vocatam verſus incedebat. vbi eò ventum eſt quamuis hoſtes putabantur velle inſtitutum iter perficere ad Mattapanium vocatum Pelopōneſi litus, tn̄ occaſum verſus ad Eplā inſulā declinauit á fronte Chriſtianæ claſſis cōſiſtēs, cui etiā ſimulauit ſe facultatē pugnæ facturā. ſic aūt propinquatū eſt vt multa vtrinq; diſploſa ſint tormēta. Fuit diuerſum tn̄ vtriuſq; claſſis cōſiliū, ꝙ Chriſtianis certiſſima erat ſentētia cū hoſte cōfligere, cū Turcis cōſiliū eſſet ꝑ fumi caliginē fugā occultare, ſeq; ſubtrahere aſpectui Chriſtianorū, vt poſtea compertū fuit. Apparebat Turcis receptio ꝑ illud artificiū facta nō valde cognoſci cū ēt remulco traherentur à tergo: at ea certe & tuta & honeſta q̄ fiebat ꝑ propinquitatē noctis ſi in altū ſe recepiſſent. Enimuero tametſi cēſuerūt ſummi imperatores ſe nō poſſe hoſtē ſequi ſine magno periculo ꝑꝑ magnitudinē claſſis grauis ob quinqueremes & onerarias, vt pote agilē & expeditū, tn̄ ne appareret receptio negligēter cōfirmari, & ipſi ꝑ illā noctē in alto pernoctarūt, at verò ꝑ noctē ne diſcedere putarētur, atq; vt illud etiā tutius facerēt nemine ſentiēte oīa cętera lumina extinguūt. nauigia quædā parua cū ignibus accēſis in laterna ſublimibus deſerūt, vt phanorū ſpeciē prę ſe è longinquo proſpectātibus oſtētarēt. Veneti rati ꝙ erat, aut certè ita fore ſuſpicātes ad recognoſcēda lumina mittūt cognita aſtutia Turcarū claſsē quidē inſequi volebāt, ſed cū ꝑ noctis obſcuritatē eius iter neſciri poſſet, cuius lumina iā videri ob lōgīqtatē deſtiterūt, nihil actū eſt. Data ē opera poſtridie vt hoſtis

denuo

Claſsis Venetæ magnitudo.

Angeli Soriani diligentia.

Turcicæ claſsis numerus.

Claſsis inſtructæ ordo.

Stratagema Turcarum.

Stratagema aliud.

denuo inueniretur, quod tm̃ fieri nō potuit niſi die tertio mane. Nā vbi ſignificatum eſt ꝙ ea exiret è
Mattapanio ſinu vocato, qui eſt Peloppõneſi, habitū eſt iter in hoſtē, atq; claſſis de more inſtructa
tres in acies, quinqueremes & onerarias præmiſit in Turcas. ſed quoniā in proras afflabat vētus vel
leuiſſimus, accidebat vt grauiora nauigia ſępe relinquerētur, & pp remulcū aciē aliquātū turbarēt.
Hoſtis ſua claſſe & ipſe in partes tres diſtributa ita procedebat vt duo cornua ab acie media ſeiūgerē-
tur, apparerētq; ꝑ formā lunæ ſemiplenæ velle cornua Chriſtianæ claſſis circūuenire, cū eſſet in la-
tus aut à tergo inuaſura. illa nouitate viſum eſt cęteris ſummis ducibus claſſiū habendū eſſe collo-
quiū de ſumma belli; quod cū M. Antonius Columna in cataſcopio claſsē percurrēs Iacobo Superā
tio dextro cornu p̄fecto ſignificaſſet, reſponſum accepit hoſtis vicinitatē & articulū tēporis ſine col-
loquio cõſulere quid cõſilij foret capiendum. id vnū eſſe cogitādum ne circunueniantur, cum non
agatur de re leui, ſed de vita, religione, laribus, patria vtriuſque ac ſalute omnium Chriſtianorum
illo reſponſo mirifice incitati ſunt animi omnium, cū non parui ponderis ſint ſemper in his oppor
tunitatibus verba ſummorū ducū. factus eſt vnus omniū pugnādi cõſenſus, ardor, ac deſideriū. Vbi
ad ictū tormēti hoſtilis acies propinquaſſet, hoc ipſum faciebāt cornua, quibus curæ erat ne circū-
uenirētur. iubet itaq; Superātius ſuos & proretas & nauclerū nihil aliud proſpicere quā roſtrū trire
mis p̄toriæ aduerſariæ, quæ quid cõſilij caperet diligēter proſpectabatur. Viſæ ſunt quindecim tri-
remes è cornu ſiniſtro Turcarū in altū ita ſecedere, vt eas pleriq; Chriſtianorū aufugere arbitraren-
tur. at Iacobus Superātius non ignarus rerū bellicarū & Turcicæ callidatis, ratus id, quod fiebat, poſt
longū ambitū illas triremes in ipſum vēturas proſpectabat euētū, roſtrūq; obuertēs hoſti ſemp eius
cõſiliū obſeruabat. Dū ita cõuoluitur, recedit aliquātulū eius cornu, quē quatuor tm̃ triremes intre
pido fortiq; animo cõſecutę ſunt. quarū nauarchi fuerūt Baptiſta Quirinus, Theodorus Balbus, Ioā
nes Bēbus, Angelus Sorianus, quę triremes ita propinquarūt Turcis, vt hoſtes putarētur pugnā nō
detrectare pp numerū nauigiorū. tormēta magno īpetu vtrinq; diſploſa ſunt in cõſpectu claſſiū. ſed
Turcæ vel quod ita eſſet imperatū, vel aliqua ignota de cauſa relicta pugna ſeſe recipiunt eò vnde di-
ſceſſerant. Hos Superantius aliquātis per inſecutus frequētibus globis infeſtat; quamobrē ad quadra
ginta triremes è reliqua claſſe in Superantiū progredi incipiūt. accitæ ſunt ſubſidio aliæ triremes, q̄
antequā cõueniſſent iā nõnullæ cū Turcicis fuerūt cõiunctæ, atq; facto agmine in Superātianas iter
capiūt. Superātius cõſiſtit aliquātulū, frequētiq; globorū procella hoſtē procul arcet, cui acceſſerunt
interim e ſuo cornu ſubſidiariæ viginti, & quinqueremes duę egregiè inſtructæ. His aucto auxilijs vi
ſum eſt Superātio in eundi prælij opportunitatē non eſſe negligēdā, antequā oīa hoſtiū nauigia in
vnū cõuenirēt: quippe cū multo facilius ſit aliquā partē hoſtiū ſeiunctā infringere, quā oēs ſimul vi
res vno tēpore labefactare. Procedit. multa tormēta diſplodit. frequētē glādiū plumbearū procellā
in hoſtē effundit. cõmiſſa eſt pugna tāta cū Turcarū clade vt primo īpetu ad tredecim triremes hoſti Iacobi Superātij virtus.
les cõquaſſatæ ſint cū miſerabili clade Turcarū. ita vero primo illo īpetu tā formidabili cõſternati ſūt
animi Turcarū ad memoriā etiā ſuperioris anni & fortitudinis Venetæ, vt in fugā tanta cū perturba
tione rerū omniū cõuerſi ſint, vt aliæ triremes ad harū exēplū cõtinuo terga verterint, ac proras ter
rę certiſſimā victoriā cõceſſuræ ſiquis eā capere ſapiēter ſciuiſſet; quā certe arripuiſſet Superātius ſi
ſatis firmas vires habuiſſet. ſed dū illa felicitate rerū inuitatus victoriā ſequitur, iā ſiniſtrū cornu &
Chriſtianā claſsē velificari ꝓſpicit, qđ tametſi ægrè tulit victoriā ſibi è manib. extorqueri, tn̄ cū reli-
qua claſse abnauigare neceſse fuit, ne cū paucis in aperto periculo relinqueretur. Hoſtis quamuis ꝑ
diſceſſum Chriſtianorū ſe in tutum recepit è certiſſimo periculo & excidio, liberiuſque reſpirauit,
tn̄ multo ſanguine Turcico aquā rubentē, multaq; tabulatorū ac remorū fragmēta natātia reliquit,
cū Iacobus ipſe vix vllū dānū acceperit, cui vna tm̃ triremis globo infeſtata fuit; q̄ tn̄ repētinis adhibi
tis remedijs vnà cū cæteris ſē ſeruauit. At Caroli Gallorū Regis animus nondū planè deferbuerat, Regiæ artes.
ſed interius ęſtuabat ad memoriā rerū ab Amirāte, reliquisq; ꝓcerib⁹ aduerſus ipſum Regē geſta
rū. ſed qm̃ vltio ſine magno rerū bellicarū apparatu ſuſcipi nõ poterat, certiſſimoq; exitio multorū
populorū ſubditorū, cępit cogitare cū Catherina Regina matre fęmina magnę prudētiæ & iudicij,
& cū qbuſdā fideliſſimis cõſultorib⁹ quo pacto id tutò fieri poſſet. interim multa humanitate & co-
mitate vel ꝑ literas Amirantē tractat, eiuſq; proceres humaniter excipit. cū regiū eſſe à pleriſq; cre-
dat ꝑ artē hoſtē fallere, ac fidē pro vtilitate ſeruare, atq; in ſubditos p̄ ſertim. Sic fiebat, vt q radices cõ
ſilij neſcire poſſet, illud è quadā beneuolētia verè recõciliati animi regii proficiſci arbitrarēt. Vt verò
magis ex animo res, ſinceritateq; cõcordię ꝓcedere appareret, Rex ꝓmittit Margheritā ſororē in ma
trimoniū regi Cātabrorū, cū ēt Cõdęū iuniorē ſe plurimi facere oſtētaret, quē frequēter grato noīe
Sobrinū appellabat. tāta vero fuit Regis & matris in vniuerſā illā factionē ſignificatio amoris ſæpi⁹,
vt pleriq; ſubmurmurarēt ꝙ vniuerſa aula regia factioſā religionē paulatim fuiſsēt cõplexi. cū verò
quatuor munitionū reſtituēdarū tēpus aduētaret, quas ſibi in bieniū Amiras reſeruarat, decreuit per
cõſiliū Cātabrorū Regis & Cõdęi, ante tēp⁹ illas reſtituere, vt ea humanitate regiū animū deliniret,
beneuolētiorēq; faceret. reſtitutę ſunt itaq; oēs, p̄ter portū Sātonicū tm̃ & Montē Albanū. at dein-
de port⁹ etiā Sātonicus, vbi Rex Philippū Strozzā cū quatuor cohortib⁹ peditū in p̄ſidiis eſſe iuſſit.
Auſtriacus interea Gorcyrā cū q̄nquaginta & quinq; triremib⁹ appulerat, ac triginta onerariis naui
bus, qđ cū Venetis nūtiatū eſſet. ſtatutū eſt Zacynthū eſſe redeūdū. ibi Auſtriacū expectāt fruſtra per
aliquot dies, cū Hiſpana claſsis nõ appareret, q̄ ad Venetā accederet. variis tationib⁹ diſputāt an ꝓce-
derēt obuiā Auſtriaco, qm̃ aliis illud inutiliter fieri videbāt, cū ne loca ſpoliata ꝓpè p̄ſidiis eſſe vide-
rent, q̄ in præſentia claſsis ſpē ſalutis ſuę repoſuerāt vicina claſſe Turcarū, tū ne dū tēpus ita īcõſultò
abſumerēt modo huc, modo illuc errādo, ſatis aptū tēpus hoſti cõcederēt ad omnia loca ſubiecta Ve
neto imperio cõcremāda, diripiēda, populāda, euertēda. Viſū eſt Colūnæ & Ghilādradæ parua fieri

tēporis iacturā, ſi cū expeditis actuariis tm̄, roſtratiſq́; triremibus obuiā iret Zacynthū vſq; relictis in
tuto quinqueremibus & onerariis nauibꝰ. Federicus Albani filius illa victoria potitus recta ad oppi-
dū Nardēſe Olādæ cōtēdit. oppidani territi felicibꝰ Hiſpanorū ſucceſsibꝰ ſe dedūt iis cōditionibus vt
vitā & facultates & honorē illæſū ſeruarēt. at ille ita ꝑ deditionē acceptis in fidē cōtra iura pactorū
& deditionis nulli neq; ætati neq; ſexui parcēs ad vnū trucidat, oppidūq; flāmis & ferro euerſū in ci-
neres cōuertit. at Veneti, qm̄ tota vis belli in acceſsione Hiſpanarū triremiū, ſecuritaſq́; vtriuſq; claſ
ſis cōſiſteret, ſi cōiunctis viribꝰ pugnarēt, qa certiſsima penes fęderatos ſic apparebat fore victoria, ſē
tiūt cū oībꝰ ꝓrſus actuariis & grauioribꝰ nauigiis illud eſſe faciendū, qa iā propinquus eſſet Auſtria
cus, neq; multū tēporis videbat abſumptū iri. huic rei illud etiā accedebat, ꝙ nō ſatis tutus aduētus
An Veneti ꝓcedāt obuiā Auſtriaco.
apparebat eſſe Auſtriaci obuiis hoſtibꝰ ſi occurrerēt: ac ſi dimicandū eſſet Venetis cū hoſte in itinere,
plurimū foret detractū Venetorū viribꝰ p̄ſtātioribus & validioribus nauigiis relictis. Pro Venetorū
ſentētia deniq; decernit, atq; ab Epla Zacynthū verſus nauigat. Vbi parū diſtarēt à Zacyntho, Melitē
ſis p̄toria occurrit exploratū miſſa cōſilia Venetorū, monitūq; Auſtriacū Corcyrā appuliſſe atq; in-
ungere. Colūna, cū illa p̄toria & Neapolitana poſtea triremis acceſsiſſet, Petrū Pardū virū Hiſpanū
mittit, qui de oībus rebus Auſtriacū faceret certiorē, qui cū quinquaginta & tribus triremibus ac tri
bus onerariis, vt diximus, acceſſerat Corcyrā. ſed enim cū Melitēſis & Neapolitana Zacynthū verſus
Corcyra, & Pardus cū p̄toria Ioanis Vaſquei Zacyntho Corcyrā verſus nauigarēt, ſeq́, inuicē nō pro
cul ab Aſtypalęa inſula proſpexiſſent. q̄ Corcyrā proficiſcebat ob imperitiā primū fugā arripit. at vbi
Vaſqueus apparet nō poſſe fugere illis ſuperuenientibus prorā cōuertit ad pugnā. cognitis amicis tri-
remibus vbi propius vētū eſt, vtriq; iter ceptū peragūt. vbi propinquā claſsē cōſpexiſsēt properantē
Zacynthū hoſtilē putātes vel viſis onerariis fugā arripiūt. at Liburnus Venetorū, qui vna nauigabat,
cognita ſuorū claſſe cū literis ꝓcedit, quē triremes lōginquę ſecutę ſunt. itū eſt obuiā poſtmodo Au
ſtriaco cal. Septēbris, quibus etiā viribus cōiunctis poſt factas de more ſalutationes, mutuoſq; cōple
xꝰ habita ſūt comitia, & in cōſultatione poſitū ꝙ eſset agendū. deinde redit ad Gomenicias, vbi aqua
Auſtriaci acceſſus ad Venetos.
tores & lignatores quidā trucidati, quidā capti ſūt cū finitima eſsēt q̄dā caſtella & pagi Turcarū. Au
ſtriacus cataſcopiū cōſcendēs primū vniuerſā claſsē explorat, q̄ cū ſatis inſtructa viſa eſset, nūtiare-
turq, hoſtis ad Pylū inſulā in tutiſsimo portu ſtationē habere nō procul ab vrbe Metone, ſtatuit illā
ad expugnationē cōuenire. Quę dū gerūtur ad Zacynthū & Pylō inſulas, in comitiis a Cęſare cōuo
catis creat Rex Pānoniæ Rodulphus Cæſaris filius, qui cū ſumma pōpæ magnificētia coronatus eſt
Poſsonii. acceſsit illuc Cæſar cū vxore ac Matthia & Maximiliano filiis vectus ſecūdo Danubio, atq;
Rodulphus Rex Pānonię creatꝰ & pōpa.
vrbē ꝑ noctē ingredit ad cereorū funaliū, remiſso in vrbē equitatu qui honoris gratia ꝑ diē obuius
fuerat. Poſtridie eius diei p̄dicti principes & Archiepiſcopus Vinūdrię Antonius Verātius cū multis
epiſcopis, vniuerſoq; equitatu Pānonicaq; nobilitate Rodulpho obuiā proceſsit accedenti. Treua cū
Herneſto fratre, multiſq; aliis principibꝰ. vbi propius ventū eſt cū magna humanitatis & obſeruātiæ
ſignificatione excipit a proceribꝰ Pānonibꝰ. at certè luculēta & breui oratione archiepiſcopus Vinū
driēſis vſus nomine totius regni fidē & obſeruantiā pollicet; qui etiā in eo principe deligēdo in Re
gē egregiè operā nauauerat; cuius autoritas nō tm̄ ob dignitatē, quantū ob ſapientiā & probitatē vi
tæ, plurima eſt in vniuerſa Pānonia. Rodulphus perhumaniter reſpondet, ſe ita facturū pro viribus
vt proceres ne pęniteret hūc Regem elegiſse. qui & ſalutem populorū, & regni ipſius conſeruatio-
nem diligenter ſit curaturus, & vti ciuium priuilegia integra ſeruentur. Inde proficiſcuntur ad vr-
bem præcedentibus tribus equitū millibus egregiè inſtructorū: quippe cū præter alia aurea & argē-
tea gemmata ornamēta, armaq; renidentia, multi pelles vrſorū aut tigridū geſtarēt ſuper humeris.
hos ſequebātur Caroli Archiducis, & cęterorū principū familia, quas Maximilianus iunior cū prin
cipe Menapiorū a ſiniſtra. hos Herneſtus, & Matthias à ſiniſtra princeps Norici & Ferdinadus à dex
tra. Rodulphus deinde dextrum habebat Carolū Archiducē, ſiniſtrū Gulielmū principem Norici.
hiſce ſuccedebat archiepiſcopus cū antiſtitibus, poſt Cæſarianæ cuſtodiæ qui erant equites ſclopetta
tarij. Vbi ad vrbem ventum eſt, magna fit tormētorū & ſclopettariorum ſalutatio, quorum circiter
quinq; millia prodierāt obuiā ad portā vrbis. quarto deinde die itum eſt ad templū egregiè aulęis &
auratis tapetibus ornatū, atq; è regione maioris altaris regius thronus erat apparatus. à dextra ſeor-
ſum Cęſaris & vxoris & Caroli Archiducis, ac cęterorum principū Gulielmi, Herneſti, Ferdinandi,
duorum iuniorum, & Menapij ſedes erant paratæ ex ordine. à ſiniſtra legationes principum pro di-
gnitate conſederunt. primus affertur Cæſar, quia laboraret & pedibus, quem vxor, poſt inſignia,
poſt legationes conſecutę ſunt. poſtmodo accedit Rodulphus cū principibus; Pannonica nobilitate
ac Boema comitante. cum reliqui ad paratas ſedes acceſſiſſent, ipſe à proceribus ſtatutis in ſacrariū
adducitur, vnde poſt pallio albo exit indutus, quæ veſtis fuit Stephani Pannoniæ Regis, cum nul
lum capiti ineſſet integumentum. huic præcedebant decem Pannones proceres cum decem vexil-
lis pro totidem regionibus eius regni, quæ ſunt; Pannonia, Dalmatia, Croatia, & Sclauonia ſiue Il
lyriū, Rama, Seruia, Galitia, Bulgaria, Boſnia, Lodomiria. Hos quinque alij ſequebantur, quorum
hic rotundum quiddam aureum geſtabat ad pacis ſignificationem, ille gladium cum argenteis orna
mentis, alius ſceptrum, alius mundum paruum aureum, alius coronam ad latus Rodulphi pro-
cedebat mareſciallus Pannoniæ cum enſe ſtricto, donec ad altare maius ventum eſt. ad medium tem
pli epiſcopi Vinundriæ & Siſopæ obuiam procedunt, qui ad archiepiſcopum comitantur, qui ſedēs
illum excipit, in genuaq; procidentem vngit, & conſecrat per ſolitas ceremonias. Poſt incępta ſacra,
& decantatam epiſtolam cingitur gladio ab epiſcopo, quem ter ipſe extrahit atque educit è vagina.
poſtmodo datur illi, qui attulerat. Tunc archiepiſcopus ter elata voce proceres interrogat an velint
hunc coronari ſuum Regem, cui toties omnes velle reclamatum eſt. His actis archiepiſcopus ſolitū
iuramen-

iuramentum accipit. eum coronat. ſceptrum offert. in thronum regium adducit ſemper ſex epiſco-
pis aſſiſtentibus. conſidet à dextra archiepiſcopus in eadem ſede, atq; pſalmus te Deũ laudamus de-
cantatur. Archiepiſcopus deinde cõſurgens ſacra peragit: quib. abſolutis illo ipſo habitu comitãtib
principibus, qui adduxerãt, rex incedit per vrbẽ ſuper tabulato parato ſubſtratis pannis rubris. inter
quod iter nouæ monetæ argenteæ & aureæ ſparguntur in populum ad letitiæ ſignificationem. in
ſculptũ erat in illis monetis, Rodulphus Archidux Auſtriæ coronatus eſt rex in Hungaria. deinde ad
templũ diui Franciſci profectus multos equeſtri dignitate inſigniuit. Poſtea ad ceremonias extra vr
bem accedit pro regni inſtitutis quamuis plueret. Tunc Cæſar & vxor poſt gratulationes oratorũ
in arcẽ domũ redeũt. ſubſequentibus poſtea diebus multa ludicra certamina ſunt inſtituta, multaq;
oblectamenta ad animos principũ & omniũ nobiliũ eorũ regnorũ, qui ad celebritatẽ conuenerant
oblectãdos, vt fieri ſolet ꝑ huiuſmodi ſolẽnitates, cũ & antra, & artes ĩuſitatę, & formę vel deorũ an
tiquorũ, vel herorũ, vel magorũ ſpectra multa tãq̃ ĩ ſcena referrent. ĩ Gallia verò lõge diuerſũ ludicro
rũ genus ſubtexebat, quia nõ deorũ antiquorũ formę, neq; paſtorũ actiones, neq; comędiæ ſtruebant
ſed acerbiſſimarũ tragędiarũ argumẽta. Nã Rex Gallorũ vbi ſibi viſi ſunt Amiras & Rex Cãtabrorũ
& Condæus & reliqui principes nouæ religionis ſatis valida iecisse fundamenta ſuæ ſecuritatis, om-
nẽq; memoriã ſuperiorũ temporũ ex animo Regis obliteratam fuiſſe arbitrari, iubet Margheritæ
ſororis nuptias publicè indici, ad quas Cantabrum fuerat hortatus, qui diu repugnauit quòd eſſet di
nerſæ religionis, neq; ſciret vnde tantũ humanitatis procederet. monet Rex Cantabrum vt amicos
ſuos inuitaret ad ſtatutum tempus. inuitatus eſt & Amiras qui omni metu depoſito acceſſit, cũ ſæ-
pius à Rege fuiſſet antea perbenignè exceptus. omnes illum hilari vultu complectebantur, præter
Andienſem ducem Regis fratrem, qui animo magis ſincero & ſine fuco erat, quàm parandis
inſidijs eſſet accommodatus. at vero rex vt magis etiam propenſo animo in Amirantem appa-
reret dum eſſet vrbs plena tot exteris principibus, ſecretum concilium conuocat, ad quod
conuocatus eſt etiam Amiras, quo rex plurimi illum facere videretur. Amiras in ijs comitijs
Gallicorum procerum proponit conſilium Regi tanquam vtile & ſalubre, vt vteretur præſenti op-
portunitate, quæ propè vocem emitteret, atq; inuitaret ipſum Regem ad dilatandum imperiũ per
maximas Philippi Regis occupationes, cum poſſet ob iura quæ habet in Belgium & in principatus
Italiæ facile Belgiũ & Inſubriã ſubiugare. offert ad illã expeditionẽ etiã triginta millia peditũ & duo-
decim equitũ, & vel ſe ipſum ſi opus ſit ad illã expeditionẽ exiturũ, oĩaq; ipſi Regi acquiſiturũ, cũ ẽt
multa auxilia Aurãtio tũc miſiſſet in Belgas. conatur probabilibus rationibus Regẽ ipsũ ad illã pro-
uinciã ſuſcipiẽdã adhortari ac propè impellere, quã dicebat nõ fore difficilẽ ꝑꝑ odiũ, quo oẽs popu-
li ꝓſequũtur Hiſpanũ nomẽ, & ꝑꝑ imbecillitatẽ viriũ Albani Ducis, q vix poſſet reſiſtere vel vni Au
rãtio Rex q̃a iã ſibi ꝑſuasũ eſſet Amirãtẽ ꝓpriã potẽtiã, at nõ regiã vtilitatẽ vel honorẽ ꝓcurare, rñ-
det, vel antequã Amiras orationẽ prorſus abſolueret, ſe neq; poſſe, neq; velle tñ ſcelus cõmittere,
q̃a iã fidẽ dediſſet Hiſpano Regi, ꝓmiſiſſetq; ſe incontaminatã amicitiã ſeruaturũ eſſe. His ſubiũxit
Hẽricus Andiẽſis Regis frater, ꝙ ſi Amiras ſua cõſilia cõſueuiſſet Regi, vt nunc fecerat, aperire, iure
optimo fidelis & amicus Regis cẽſeri poterat, exiſtimariq; regni & Regis ipſius ſalutẽ & amplitudi-
nẽ ꝓcurare. ſed cũ ageret quod in mentẽ veniret, vti fecerat nuper cũ eq̃tatũ & peditatũ miſiſset ad
Aurãtiũ incõſulto Rege, illud nõ recte fieri, atq; eſse p̃terea dignũ ſupplicio. ſe.n. tãquã p̃fectũ cũ sũ
mo imperio omniũ regiarũ copiarũ putare nõ leuẽ iniuriã accepiſse. Amiras indignationis impa-
tiẽs, quem magna potẽtia faciebat penè furoris plenũ, vt cui videretur Andiẽſis nimis cõtumelioſe
fuiſse locutus, ſe iſtud feciſse inquit ad regiã vtilitatẽ, & denuo eſse facturũ quoties opportunitas ſe
ſe obtulerit. Rex nequid grauius accideret ꝑ haſce cõtrouerſias & cõtumelias comitia dimiſit. multi
igitur ꝓceres eius ſectæ atq; factionis Vgonotticæ comitati ſunt Amirãtẽ cũ Rege ad palatiũ vſq; re
giũ die à celebratis nuptijs tertio; atq; Amirãti domũ redeũti q̃dã cũ literis in via p̃ſto fuit adaſſignatũ
locũ vt iis capiẽdis & legẽdis aliquãtulũ moraret. eas dũ capit glãde ſclopetti è domo cuiuſdã familia
ris Ghiſij vulneratur ita, vt deiecto pollice ſiniſtro glãs rectè ꝑ brachiũ ĩpulſa fuerit. fit cõcurſus ĩ eã — Amiras ictus ſclopetti glãde.
domũ, vnde ictus fuerat. nemo p̃ter ſclopettũ ibi inuenitur; quod vbi ad Regẽ delatũ eſt, rex ipſe &
regina mater & frater accedũt ad eũ viſendũ. vulnus quãuis erat graue, cũ glãs ꝑcurriſset ꝑ vniuerſũ
thorum brachij ab humero ad cubitũ, tñ nõ apparuit medicis lętale, q ſine dubitatione affirmabãt
Amirãtẽ eſse cõualiturũ. ſed magnũ murmur ĩterim quotidie ĩgraueſcebat, cũ autor vulneris parũ di
ligẽter inquireretur, quod fieri sũma ope Amiras a Rege precatus fuerat, cũ diceret nõ minus ad re
giã exiſtimationẽ, q̃ ad ſe illud ſpectare, cũ accepta fide regia Lutetiã aduenisſet. Querebatur paulo — Amirãtis minę.
poſt Amiras ſe ꝑ ſpeciẽ pacis ꝓdi. tutiorẽ eſse apertã inimicitiã, q̃ ſimulatã & plenã inſidiarũ cõcor
diã: quod ipsũ dictũ vbi ad ꝓceres nouæ religionis, & in vulgus emanaſset, res videbatur palã ſpecta-
re ad renouãdũ bellũ, vbi primũ Amiras cõualuiſset, atq; multi iã tumultuari cęperãt. rex q videret
palã rẽ ſpectare ad bellũ, cępit cõſiderare p̃ſentẽ opportunitatẽ opprimẽdi futuri hoſtis iacẽtis & ꝓ
pè ꝓſtrati nõ eſse negligẽdã. & qm̃ ſuas cuſtodias ad palatiũ Amirãtis aſſiſtere iuſserat, vt ille ſe tu-
tius domi eſse intelligeret, imperat Andiẽſi & Ghiſio duci vt collecta clã magna armatorũ manu ſe-
ditioſos & factioſos homines obtrnucarent; qui fidelioribus ſtatim collectis per noctem primũ ædes
Gaſparis Colignij Amirãtis inuadũt. irrũpitur vi in thalamũ. vt Amiras Rameliũ regulũ ingreſsũ vi
det, rogat vt ſenectæ rationẽ & canorũ habeat; cũ quo irrupit & Petrus Paulus Toſinghus Florẽti-
nus, q torquẽ & ſigillũ nouæ religionis cepit. Ramelius Amirãtẽ ſtricto pugione cõfodit, atq; interi
mit. tum itum eſt ad reliquorum Vgonottorum domicilia, quę iuſsa ſunt albis crucibus ꝑ noctem — Amirãtis cędes.
conſignari ab ijs ſacerdotibus vicatim, qui præeſsent rebus ſacris. in ita conſignatis domibus om-
nes vel puberes vel impuberes trucidati ſunt, neque vllius ſexus vel ætatis vel dignitatis habita

Vu ſ eſt ratio,

eſt ratio, cum vbique vis ferri dominaretur. fit magnus vbique armatorum concurſus Lutetiæ per vniuerſam vrbem. Non nulli etiam iugulati vel ſine Crucibus, vel quorũ inimici Cruces albas portis inſigniuiſſent, vt fit in tumultibus popularibus, quoniam furor, & impetus, & indignatio publicæ autoritati adiungebatur, neque res agebatur audita cauſa, ſed ſęuiebatur in quemuis pro arbitrio miniſtrorum & ſic ariorum quorundam. hiſce tumultibus vbique in vrbe excitatis Condęus & Gramutius regulus & Cantabrorum rex ad Gallorum Regem confugiũt in regium palatium, atque in genua procidentes regiam miſericordiam implorant. Rex quoniam indignatio nondum deferbuiſſet, hos iubet in carcerẽ detrudi. cęſi ſunt multi proceres opibus & nobilitate præſtãtes Amiras ſcilicet, Baueſius, Rocafocauius, & duo Pertilantij reguli, Rennellius marchio, & alij complures. nã circiter ſexaginta millia hominum varijs in locis per illud tempus trucidata fuiſſe dicta ſunt in Gallia, quorum bona direpta ſunt, aut fiſco addicta. enimuero calamitoſum eſt ad hęc tam acerba, tamque atrocia remedia ciuitatum oportere deuenire, cum ęgrotantia corporis membra per medicamẽta fouendo & lenitatem conſueuerint periti ad ſanitatem diligenter reuocare. extremum ferri & ignis remedium eſt vbi omnis ſpes ſalutis prorſus eſt conclamata, poſt omnia humanitatis officia: atque neque tunc quidem omnia membra deciduntur, ſed illa tantum extrema, quæ per contagiũ poſſent proxima quæque ad tabem compellere; cum extremis morbis extrema remedia ahibeãtur. illud certiſſimum eſt optimumque remedium in omnibus ciuilibus ſeditionibus, vt factioſi homines, qui ſe principes & duces ceterorum eſſe profitentur, deleantur omnino atque exterminentur, cum per horum ſupplicia reliqui vel deterreantur ab improbitate & audacia prorſus. vel certè plurimum refręnentur. illud certum eſt, calamitoſum eſſe ipſis quoque principibus ac regibus regna & vrbes vacuas poſſidere, quòd neceſſario contingit ijs, qui nimis ſeuerè animaduertunt vel in plebeculam & leue vulgus, quod facile huc illuc varijs rationibus impellitur. Mommedius regulus his auditis tumultibus ratus illud quod erat, multos ſuæ vitæ eſſe infeſtos, cum circiter octoginta hominibus ſuæ factionis, inter quos fuit Vidamus Sciartenſis fuga ſalutem ſibi comparauit. Ghiſius audita Mommedij fuga & Vmalius cum octoginta equitibus citatis equis inſectantur: ſed tanta fuit fugiẽtium diligentia vt confectis circiter centum milliaribus neceſſe fuerit ab inſequendo deſiſtere, cum illi longo interuallo anteceſſiſſent. Sequana fluuius ſepulchrum fuit omnium cæſorum. Amiras deciſis manibus, & capite deiectus, è feneſtra tractus eſt per vrbem ad Montem Falconium ſuppliciorum locum, ibique contumelioſè ſuſpenſus. Poſt modo rex omnes ſuos proceres ad comitia conuocat, in quibus demonſtrat ſe non illud feciſſe, quia leges pacis non putaret eſſe ſeruandas, ſed vt imminentia denuo pericula toti Galliæ deuitaret: quibus tamen accederet, quòd fides hæreticis nõ eſſet ſeruanda. cæterum Mommedius non prius á curſu ceſſauit, quàm in Armoricam peruentum ſit, & ad portum Santonum. ibi conuocatis magiſtratibus cædem Amirãtis, ac reliquorũ procerum explicauit, hortatusque eſt vt vniuerſus populus inſurgeret in regia præſidia, eaque trucidaret, ſeque à viribus catholicorum, dum liceret, tuerentur, quorum vires breui eſſent expectandę. vix vllum tempus eſt intermiſſum, cum repente ſumptis armis in vniuerſa ciuitate itum eſt ad inuadendas præſidiarias cohortes. tantus fit impetus popularis, vt maior pars præſidiorum trucidata ſit, pauci vix ſe fuga ſeruarunt. captus eſt Philippus Strozza præſidiorum regiorum præfectus. Mommedius vrbe ita recuperata magna celeritate traijcit in Britanniam ad informandam Reginam de rerum omnium ſucceſſibus, quæ ſtatim commeatum miſit in vrbem Santonicam, & bellicos appartus. Iuſſus eſt poſtea Ghiſius copias colligere, & portum Santonicum ac Montem Albanum obſidere, quò reliquiæ diffugientium hæreticorum ſe receperant. ſed illud bellum infeliciter geſtum eſt à Ghiſio, quoniam amiſſis pluribus quinquaginta millibus hominum in his obſidionibus & oppugnationibus tandem infecto negotio recedere neceſſe fuerit, cum hæretici contra in recedentes acies egreſſi multos trucidarint, atque exeuntes in apertum & vrbes & caſtella quædam finitima ceperint. Omnes catholici Cruces integumentis capitum adhibuerunt, vt ab hæreticis dignoſcerentur: ſed illud parum nonnullis profuit, cum catholici etiam multi per inimicitiam & odia & priuatas ſimultates ab inimicis crudeliter ſint trucidati. Fit regium edictum præterea vt quicunque ab hæretica prauitate ad regiam obedientiam redierit, veniam & abolitionem omnium commiſſorũ errorum conſequeretur, modo in poſterũ legitimè, piè, catholiceq; viueret. His ipſis conditionibus captiui principes ſunt in gratiam recepti & reconciliati ita concedente adhortanteq; pontifice. In Italia vero mortuus eſt per illud ferè tẽpus Aſcanius Cornieſis regulus vir in rebus bellicis in primis exercitatiſſimus, & non ignobilis ingenii, qui cũ magna pompa Roma in patriam ſuam pontificijs ſumptibus fuit deportatus, obuijs ex vrbibus & oppidis viciſſim ſacerdotum ordinibus honoris cauſa, in cuius laudem præter alia multa, hoc non inſulſum epigramma compoſitum fuit;

*Allobrogum poſt bella Ducum, poſt Saxonis arma,*
*Perruptasque acies ter Solimane tuas,*
*Occidit Aſcanius Peruſinæ gloria gentis.*
*Quem Mars non potuit ſternere, morte cadit.*

At claſſis fęderatorũ inſtructa ĩ aciẽ ab Auſtriaco recognita, vt dictũ fuit, cõſtabat è triremib. ducẽtis & decẽ. ſex Venetis & duab. Florẽtinis quinqueremib. onerarijs triginta & duab. Pręficitur cornu dextro marchio Sãctæ Crucis, cũ illud quinquaginta & quatuor cõſiſteret, ſiniſtro Superãtius cũ totidẽ triremib. ſubſidiorũ mun' ĩpoſitũ eſt Io. Cardonę Siculorũ triremiũ pfecto cũ triginta triremib. Prætoria Meliteſis cũ ſex præcedere iuſſa eſt. reliqua nauigia ſummos imperatores in acie ſequebantur ſic inſtructa acie proceſſum eſt eo die, neq; tamen longe ab inſula receditur. Deinde per noctẽ vẽtũ eſt ad Strophades inſulas. hinc Metonem verſus nauigatur, acceditur que ad Pylon. vbi dies illuxiſſet,

non

Clades & cædes magna Lutetiæ & totius Gallię.

Amirãtis cadauer tractum.

Ghiſij copiarum clades.

Põtificis clementia.

Aſcanij cornienſi mors.

Claſſis fęderatæ magnitudo.

Claſſis inſtructæ ordo.

non defuerũt tamen qui multo ante illud conſilium fuiſſe ſuſceptum de cõmuni multorum prin-
cipum ſententia ſint arbitrati, quoniam Amirantis illud fuiſſe conſilium iamdiu cognitum fuiſſet,
vt regem Gallum impelleret ad arma in Italiam importanda, nam putabat ita fore vt Mediolano
poſt deuictos Belgas potiretur, & Neapolitano deinde regno, q̃bus auctus viribus poterat & cæteros
principes, & ipſum Gallum regem facile cõtemnere. Illud cum ad aures Pont. & Hiſpani regis per-
ueniſſet, quoniam alter hoſtem acerrimũ catholicæ religionis, ſic erant finitimum in Italia habitu-
rus, alter videret ſua regna in maximo periculo verſari, ſi Gallus aſſenſiſſet, dicuntur hortati fuiſſe
regem per literas vt proſpiceret quorſum tenderent conſilia Amirantis : nam qui ſine vllo inſigni
principatu vix Galliæ regno eſſet tolerabilis, qualis futurus erat erga regem ſi tantas vires, quan-
tas ſibi propoſuerat, adiunxiſſet? quibus tantis periculis vniuerſarum gentium conſideratis cæterorũ
regum etiam impulſu dicitur Gallus illud genus cædis excogitaſſe viſæ, ſunt nonnullæ triremes ſu
pra Metonen. ad has & claſſem recognoſcendã Columna & Quirinus & Melitenſis præfectus pro-
perant, & ad pugnam excitare conantur. diſploſa ſunt hinc inde quædam bellica tormenta. Sed ho-
ſtis nullo pacto poteſt è portu allici ad pugnam. cognita Turcarum conſtantia imperatum eſt chri-
ſtianis triremibus, cũ in acie per totum diem conſtitiſſent, vt ſe paulatim in portum Sfragiæ inſulæ — Sfragiæ de-
reciperent, quæ ſita eſt è regione Metones, parum ab illa vrbe diſtans, deſerti planè ſcopuli cum — ſcriptio.
neque arbores ibi naſcantur, neque vlla ſint ędificia, ſed portus tantum eſt ampliſſimus, & cui vis vel
maximæ claſſi per accommodatus. Turcæ vbi cognouiſſent fœderatorum claſsem abſcedere, emit-
tunt ſeptuaginta è ſuis triremibus in poſtremam aciem, atque non nullas poſt ſcopulos Sfragiæ
tanquam in inſidijs collocant. ab his commiſsum eſt minutum præliũ eminus, pugnatumque belli-
cis tormentis. iuſsæ ſunt fœderatæ inſtructæ Metonen verſus iter capere ad alliciendum euocan-
dumque hoſtem: ſed noctis aduentu pugna dirempta eſt, atque in altum receditur. deinde captum
eſt iter interius Metonen verſus vbi dies illuxiſset, vniuerſaque claſſis inſtructa eſt, ſed ob anguſtias
locorum non potuit explicari. Bacianns ad ſcopulum Sfragiæ iter habet, Superantij cornu ipſum per
ſe aciem facit, atque poſt aciem pro regiam ſuccedit. Subſidia Baciani dextro ſuccedunt cornu, qui
bus omnibus præcedebant pro propugnaculis quinqueremes. illo ordine munitioni Metones pro
pinquatur, vt Sfragiæ portus adiretur. diſploſa ſunt non nulla tormenta in claſsem chriſtianam ex
Albo monte, & è ſcopulo diui Bernardini, quæ in portum sfragiæ vſque globos contorquerent. Po-
ſtea cum per noctem claſsis nauigãs mane ad fauces portus Sfragię appuliſset, Turcicæ triremes po
ſtremam partem inuadunt, ſed his conuerſis illæ diffugiunt. ſic itur in portum. apud Metonen vero
ciuitatem angulus quidam & cubitus continentis in mare protenditur Sfragiam verſus, vbi Turcæ
ſex bellica tormenta longiora, vti diximus, collocauerant ad infeſtandam claſsem chriſtianam. ſed
tanta vis erat globorum vt illęſa claſse vltra Sfragiam ferrentur. hoc fit à Turcis non tam ad offendẽ
dam claſsem, quàm ad vrbis ſuæ defenſionem. Quòd ſi ille ſcopulus fuiſset occupatus, & capta tor-
menta, inde poterat illorum claſsis & Metone facile concuti per claſsem fœderatorum. id autẽ non
valde erat difficile, quia nullis corbibus gleba plenis tormenta eſsent munita, nulliſque reparationi
bus ob anguſtiam temporis. cum poſtea ad portum Pyli claſsis aquatum acceſſiſset, circiter quatuor
millia peditum Turcatum & pauci equites non procul caſtra metantur. hi per montes ad claſsem
proxime accedunt, atque magnopere infeſtare conantur denſa glandium plumbearum procella.
exeunt è claſse Columna, Parmenſis princeps, Paulus Iordanus Vrſinus, alij tribuni complures cum
ſex millibus peditum. initur tribus in locis leue certamen. ceciderunt centum è Turcis, è claſſiariis
militibus pauci; ſed quidam Tudertani ad Turcarum fidem refugerunt, qui nuper ad chriſtianam
fidem conuenerant. Turcæ quia viderent claſsem fęderatorum aquari ad Phylum, decidunt alueos
fluuiorum, qui ad portum defluebant. vt autem fœderati abſtinerent ab ea regione, detererentur-
que metu præſentium copiarum, multa tentoria erigunt in planitie. Auſtriacus vbi tentoria conſpe
xiſset, copias educit, tormentaque triremium in illa diſplodi imperat. Turcæ metu deterioris fortu-
næ tentoria conuellunt, qui in vallem quandam vltra montem ſe recipiunt, vbi reliquæ copiæ con-
ſederant. Sed quoniam Luzalis dicebatur cum ſex millibus peditum & duobus equitum ſubſidia
ſuis eſse laturus, exit Auſtriacus cum heſternis proceribus & decem millibus peditum. Montem oc
cupat. hoſtem expectat ad pugnam. ſed id fruſtra facit. deinde cognitum eſt per transfugas claſsem
Turcarum conſtare è centum triremibus & quadraginta prædatonijs, cum reliqua nauigia partim
in ſinu Oeteo, partim Nouembaſię relicta ſit propter luem cum multi mortui eſsent, partim etiam
quædam Byzantium remiſsa: quæ claſſis ſi ad iuſtum numerum reducatur, vix accederet ad vires cẽ-
tum triremium. nam multi aſſiduè vi morbi & fame moriebantur. dicebantur periti rerum milita-
rium in ſingulis prætorianis eſse circiter centum & viginti, reliqua turba imperita eſse rerum belli
carum. fœderati quoniam conſtituunt communi ſententia claſsem Turcarum eſse expugnandam,
iã viginti triremes miſerãt ad onerarias Zacyntho accerſendas. iubent ita monente & excitante quo
dam architecto quandam machinam extrui adducendam ad munitionem Metones ad claſsem di
uerberandam: nam tametſi duæ machinæ fieri iuſsæ ſunt, tamen anguſtia temporis unam tantum
fieri patiebatur. duæ Venetæ triremes illi machinæ ſubſternũtur. profectis nauibus nihil aliud vide
batur reſtare niſi vti procederetur ad pugnam. ſed Turcæ vt cognitum eſt è captiuis extractis circi-
ter ſexaginta grandioribus tormentis, vt referebant etiam exploratores, ſupra montem Album, illa — Machinaquę-
& ibi & in vrbe collocant, vbi & ipſi & claſſis validiſſimis aggeribus & uallis & foſſis ductis protege — dam à vene-
bantur. Nam cum in arce & ſuper mœnibus vrbis maxima eſset tormentorum frequentia, illa ma- — tis in Turcas
china inutilis viſa eſt. at machina certè in hunc modum fuit extructa. Coniunctæ ſunt firmiſſimæ — extructa.
duæ triremes, quibus æquè terra oppletis impoſita ſunt ſex bellica tormenta. facti ſunt aggeres e tra-

bibus

bibus terra oppleti, contra quos aggeres erant vaſa vinaria gleba plena ad æquum pondus nauigiorum. Sed quoniam illud ad æquitatem ponderis non accederet vacua vaſa vinaria exterius ad machinam alligantur qua parte erant aggeres, vt illa ponderi ſuſtinendo opem ferrent. veruntamen machina videbatur valde periculoſa dū remulco attrahitur. poſtea calendis octobribus ne fruſtra tanta claſſis illuc aduentaſſe videretur, inſtat Foſcarenus, atque ex eius conſilio decernitur communi om

Pylos tẽtata.

nium imperatorum conſenſu vti Pylos expugnaretur, cuius expeditionis ſummum imperium Parmenſi principi defertur. princeps præmittit qui explorarent ad expugnationem, qui reuerſi nuntiāt negotium eſſe bidui. Poſtridie deſcenſiones facit cum tribus millibus peditum maiori ex parte Hi

Moretus calaber & Raphael Raſponus tribuni.

ſpanorum, & quingentis pōtificijs duce Pompeio Columna. exeunt deinde Moretus Calaber, & Raphael Raſponus Rauennas tribuni cognitione rerum bellicarum & fortitudine inſignes, & multi alij milites, ita vt caſtra aſſiduè augerentur. attracta ſunt & duodecim muralia tormēta, quibus oppidum cæptum eſt concuti Auſtrum verſus. ſed quoniam longe diſtarent, iſtud efficiebatur parūa cum Turcarum iactura. deinde inita eſt leuis pugna cum magna vtrinque clade. nec ita multo poſt ſubſidia in oppidum ingrediuntur, quia copiæ Parmenſis non ſatis diligenter tranſitus cuſtodirent, cum cenſerent haud fieri poſſe vt equitatus per illas crepidines accederet, montemque, in quo ſitum eſt oppidum, aſcenderet. Illo errore cognito Turcę cum equitatu & peditatu adeunt oppidum. dum tranſit peditatus, equitatus chriſtianos infeſtat leui prælio ne res ſentiretur. Moretus Calaber

Parmenſis principis error.

Parmenſi cognitum errorem patefacit, quare iuſſus eſt tranſitus occupari. cum ingens pluuia illum diem ſecuta ſit, nihil actum eſt. illa tamen nocte quatuor bellica tormenta directa ſunt non procul à męnibus, quod quia factum eſt ſine vllo reparationum genere nullis erectis aut repletis corbibus, proſtrata ſunt diſruptis rotis duo bellica tormenta, & tormentorum magiſter laniatus ab oppidanis machinis, quæ quoniam parum ordinatè, parumque è militari ſcientia fieri viderentur, decernitur quarto die obſidionem eſſe ſoluendam. Iſtud factum fuiſſe quidam dixerunt, quia ſignificatum fuiſſet per exploratores quatuor equitum, ſexdecim peditum Turcarum millia non procul abeſſe, quę ſubſidio obſeſſis aduentarent. erant in oppido circiter quinquaginta cannones & ſemicannones & tres colubrinæ eximiæ longitudinis. ridiculum ſanè fuit tantam claſſem ad tam ignobilem munitionem acceſſiſſe, idque fruſtra, quia mus non eſt dignus ira Leonis. nam ſi res bellica ratione tractata eſſet, omnesque acceſſus ſubſidiorum occluſi, quod fieri poterat vel à quingentis ſclopetarijs, intra biduum res nimirum fuiſſet confecta. Sed & nuda tormenta periculis ſunt expoſita, & hoſtium vires neglectæ, cum ratio bellica poſtulet nullum vt hoſtem tam imbecillum exiſtimemus, nihil vt inde malorum timeatur. atqui Deus idem, qui tantam victoriam ſuperiore anno conceſſerat, ita cognoſci voluit nihil per vires humanas glorioſum poſſe comparari, cum etiam pro gratiarum actione multa conuiuia, & tripudia, & laſciuia apparuerint, cum Deus per ſolam pietatem, ſanctitatem vitæ, innocentiam, charitatem & placetur, & propitius retineatur. Interea cum nauis Byzantio veniēs nauigaret, triremes complures expeditiores exeunt è portu Metones ad illam expugnandam. Claſſis Chriſtianorum exit in has è portu Pyli. ſed quia timebatur aliquod ſtratagema, ſubſiſtunt donec tota exiret. cum non exirent omnes triremes, expeditiores chriſtianorum in Turcicas cum impetu feruntur. illæ his viſis exeuntibus ſeſe in portum ad Sfragiam recipiunt, ac onerariam relinquunt. prętoria Mitylenes, quæ prima ad nauim contenderat, quia non poſſet opportune aufugere paruo negotio a prætoria Neapolitana Baciani Aluari capitur. præerat illi Mahamutus nepos Barbaruſſæ ac Draguti gener præfectus Mitylenes, qui ſtatim cęſus eſt à captiuis ob eximiam ſuam crudelitatem. claſſis poſtridie Zacynthum nauigat. hinc ad Viſcardū inſulam. hinc per multas difficultates ob aſſiduam temēpeſtat ad Gomenicias acceditur. adierat illuc Io. Andreas Auria & Sueſſanus dux cum tredecim triremibus ad Auſtriacum in Siciliam comitandum: atque hi omnes ſalutato Veneto Imperatore Siciliam verſus in hyberna iter capiunt, ac Turcæ ſuas triremes Byzantium reducunt, præter relictas quaſdam Metonæ ob difficultatem remulci. In Belgio verò Albanus Montio per dedi

Montium recuperatum, & Meclinia derepta.

tionem potitus firmis præſidijs munito Mecliniam verſus caſtra mouet, qua facilè potitur. nam cū præfectus illam direpturus eſſet & fugiturus Aurantio Germaniam verſus iter faciente, ciues portas occupant, & Hiſpanos intromittunt. res autem alium habuit exitum quam ciues opinati fuerant, trucidatis præſidijs, quoniam defectio conſulto facta fuiſſet, at neceſſaria deditio, Albanus vrbem militibus conceſſit diripiendam. illud rapidiſſimè fit, omniaque vrbana bona miſerrimè ab antiquis ad recentes dominos viliſſimo precio transferuntur. quæ auferri non potuerunt diſrupta, euerſa, laniataque ſunt neque minus in catholicorū, virorumque bonorum & innocentium, quàm in ſceleſtorū domos irrupit militaris crudelitas & auaritia. nec profuit Meclinialibus ciuibus, quòd cum magna obſeruantiæ ſignificatione omnes ſacri ordines cum ſacris inſignibus obuiam proceſſiſſent cum putarent fieri, ut ita placarent Albani indignationem, quam conceperat, quia principem in urbem admiſiſſent. neque ſolum ſęuitum eſt in facultates, ſed in pudicitiam etiam honeſtarum fęminarum ac virginum violenter & in explicabili impudentia, cum multi etiam ſint miſerrime trucidati. multa poſtea loca capta ſunt ab Albani copijs per deditionem, atque diffugientibus vel certe cędentibus hoſtibus magna pars copiarum dimittitur. expugnata eſt tamen per uim armorum & direpta Zutphania, vrbs paludibus vbique circundata. quia vis frigoris regias copias adiuuiſſet. ibi inuenta eſt multa moneta plumbea & ſtamna, quæ cuſſa fuerat iuſſu comitis Borgenſis vbi oppidum poſſideret. Nardenſis vrbis item per deditionem capta & incenſa contra Federici promiſſa; quare ciues illata ui exacerbati ſunt. illa Nardenſium cęde factum eſt, vt animi Belgarum pertinacius in ſententia defectionis perſtiterint. Albanus aliquot dies ibi moratus Ruremondam verſus caſtra

Ruremonda capta.

mouet, qua & non nullis oppidis per deditionem potitus in hyberna concedit, quia iam acriter hyemaret.

maret. nam tanta fuit vis frigorum hoc anno, vt glacies nunquam ſoluta ſit à cal. Octobris ad initiũ Martii, cum multa plauſtra onuſta ſupra Padum tranſierint. in Dardania vero ſiue Ruſſia regione cum perpetuũ ferè bellum ſit inter ibi finitimos populos, qui parent vel Sytharũ vel Ruſſiæ regibus ob aſſidua gẽtiũ latrocinia, fiebãt hinc inde incurſiones ac populationes nullo habito delectu vel hoſtiũ vel amicorum, quocunq; ſpes aliqua prædæ acciuerit. retardabat auaros vnũ frenum, metus ſupplicioru & armorum, quare magnum & atrox commiſſum eſt prælium, in quo ad quadraginta millia Scytharum cæſa trucidataque eſſe dicuntur, & filius Scythę regis à Dardanicis populis captus. at res Venetorum ſubfrigidè iam agebatur, ſiquidem tribuni iuſſi copias colligere, miſſique vt nouos milites ad ſigna in annum ſequentem conuocarent, partim non valde ſollicitabantur, partim qui copias iam collegerant, in pagis vrbi Venetijs propinquioribus ſtationem habent ſegnius omnino quàm tanti belli magnitudo requirebat. Iuſſi fuerant copias colligere hi præſertim tribuni; Brunorus Zampeſcus, Aſcanius Andriaſius, Oſius Cremonenſis, Ottho Matelicenſis, Frãciſcus Gonzaga, Petrus Carrius, Pompeius Catellinius, Stumenus Heluetius. atque cũ deeſſent iam remiges, Veneti ne ſuas villas deſertas relinquerent miſſis toties recentibus colonis ad remigium, ſtatuunt ne ab exilio reuocarẽtur, vti fiebat antea, qui è ſubditis ciuitatibus, remiges obtuliſſent pro redemptione, ſed qui alienigenas acciuiſſent. acciti ſunt concedente Cæſare quatuor millia & quingenti è Boemia duce Paulo Percico equite Portulenſi Iſtriæ viro non paruæ exiſtimationis apud eas nationes, & rerum bellicarum cognitione claro. Vbi Sebaſtianus Venerius ſummus Venetæ claſſis expeditionem Mæagri ſiue caſtri noui oppidi tentauit, Turcæ vt anguſtias Rizonici ſinus, ac lacunæ, quæ eò deducit occuparent, ſtatuerunt munitionem in faucibus eius ſinus, vt diximus, in opportuno loco excitare, quam & fore propugnaculum quodam modo Mæagri cenſebant, & valde accommodatam ad obſidendum Aſcriuium vrbem Venetorum munitiſſimam, ſitum in extrema & intima parte ſinus Rizonici in continente, quæ finibus Turcicis vndique circundatur. Sic enim apparebat vrbs neque ſubſidia aliunde poſſe accipere, neque per ſinum ita clauſum, quare putabatur per breuem obſidionem neceſſariò in poteſtatem Turcarum eſſe ventura, cum ita fieret quaſi ſemiuiua, ac membrum propè à reliquo corpore ſeparatum. Illo conſilio Turcæ locum explorant ad munitionem, quibus Varbagnus vocatus aptior viſus eſt, vbi ex ea parte, in qua ſitum eſt Mæagrum lacuna vel ſinus Rizonicus dilatatur ad trecentos paſſus tantùm, parumque diſtat ab ore lacunæ, quo poſſet illa munitio & Mæagro, & alijs è locis finitimis opportuna ſubſidia, ſi opus eſſet, accire. forma munitionis facta eſt quadrata, cuius ambitus ad centum & quinquaginta paſſus extenditur, latitudo ad decem & ſeptem pedum. Circa hãc, & ad radices ipſius munitionis excauatæ ſunt foſſæ profundæ, cum ipſa munitio è tenaci materia conſtaret, quæ coniungebatur faſciculis lignorum, texebaturque denſiſſime, cuius concathenatio ingentibus clauis firmabatur. Huius pars exterior muniebatur denſiſſimis trabibus multo ferro coniunctis pro mœnibus. Erat in ſingulis angulis platea ſatis ampla, quæ fungebatur officio propugnaculi, vnde milites propugnabãt, ad quorum tutelam corbes terra oppleti ad hominis ſtaturam frequentes erãt erecti, atque acceſſus interius vndequaque erat occultus ad mutua auxilia laborantibus clam ſubmittenda, ſicuti ſanguis per occultas venas ad partes corporis indigentes tranſmittitur. Illam munitionem ita inſtructam, præſidijsque & bellicis tormẽtis & rebus omnibus ad defenſionem neceſſariis Turcæ muniunt: quam grauiter ferens ſenatus Venetus cum, vt ſolueretur tam moleſta Aſcriuii obſidio, tum vt alijs non leuibus de cauſis, iubet Iacobum Superantiũ cum ala claſſis, & aliquo numero copiarum è portu Corcyræo, nam reliqua claſſis, & ſubſidiariæ copiæ erant in Cretam traijciendæ, ad euertendam munitionem conuolare. Ille delectis viginti expeditiſſimis triremibus cum tribus millibus peditum cum Paulo Vrſino, Proſpero Columna, Moreto Calabro, primariæ autoritatis proceribus, ac rebus neceſſarijs non ſatis pacato cœlo corcyra ſoluit. Apparuit non multo poſt vel cælum ipſum ita fauiſſe ſuſcepto negotio, vt ventus etiam ſecundus proximè ad munitionem paucis horis hanc claſſem appulerit, cum diſtaret Corcyra a munitione trecenta ferè millia paſſuum. Cum huius ſuſcepti conſilij nullus neque nuntius, neq; ſuſpicio ad Turcas peruenire potuiſſet, nulla commoditas illis auxiliorum conceſſa eſt conuocandorum. Tantum valet in rebus bellicis celeritas & occultatio cõſiliorum. Vbi Superantius munitioni propinquaret, habuit obuiũ Zachariam Salamonium præfectum Aſcriuii, & prouiſorem ſinus Adriatici, illud eſt præfecturæ nomen apud Venetos, cum quibuſdam triremibus, qui per ipſam expeditionẽ & affuerunt & paruerunt Superantio. Diſtributis itaque pro tempore terra marique bellicis muniis, expoſitaque bona parte peditum, Superantius expeditus ſeſe offert faucibus Rizonici ſinus. Perſpecto periculo quod vlterius progredientibus ſe offerebat è regione tormentorum munitionis nimirum, tamen quod vtile fore videbatur ſi aliqua pars claſſis e ſuperiore parte ſinus Aſcriuium verſus munitionem impeteret, eaque pluribus è partibus vno tempore oppugnaretur, ſtatuit illuc eſſe accedendum, quod cum noctu ageretur, poſſetque lunæ occaſus expectari, voluit tamẽ ad maiorem hoſtis contemptum, claſſisque per clarum lumen lunę pertranſire, quod factum eſt eximia celeritate cum dux idem eſſet negotii, qui etiam imperator. Diſploſa ſunt tormẽta munitionis multa in triremes, quorum tamen globi in vlteriorem ripam ſinus ſine vlla claſſis offenſione defigebantur. Superantius vt hoſti ſignificaret ſe incolumem euaſiſſe, atque vt animi Turcarum ad illud ſpectaculum cõuerſi minus proſpectarent ſubſequentes deinde triremes quo tutius euaderent, iubet ſolita lumina in ſua prætoria laterna accendi. Imperat proram ſuæ triremis ac cæterarum quæ tranſierant in hoſtem conuerti, & tormenta diſplodi: atque cum Turcæ in has triremes eſſent intenti, non potuerũt tranſeuntes triremes infeſtare. vbi claſſis ita fortiter ac tutò pertranſiſſet, iubet denuo munitionem explorari ad expugnationem, omnes acceſſus occupari nulla vt ſubſidia terra mariue ſubmitti poſſent.

Frigoris vis.

Scytharum clades.

Paulus Percicus eques remiges è Boemia adducit.

Varbagni munitionis deſcriptio.

ſent.quamquã quæ auxilia rei tam ignotæ, tamq; repẽtinæ eadẽ noctę poſſent acciri?Vbi copiæ fecerunt deſcenſionẽ, directaq; ſunt tormẽta ad ſexaginta paſſus à munitione. totũ quod fuit noctis abſumptum eſt concutienda munitione.Vbi dies illuxiſſet quia cognitum fuit tormenta parum proficere, quòd globi vel fruſtra in terram defigebantur, vel reijciebantur ſine offenſione munitionis, vt retulerunt exploratum miſſi,decretum eſt verberationem eſſe mutandam,quare Superantius iubet etiam ſuæ triremis eò conuerſæ maius tormentum in munitionem diſplodi, quod fit fortunatiſſime cum tormentum Turcicum in os percuſſum ſit,factumque inutile,quod erat vnum è præſtantioribus munitionis. Turcę qui partem illam protegebant coacti ſunt latus illud tanquam inerme deſerrere,quamobrem magna celeritate quædam cohortes cum parua ſuorum iactura illuc conſcendunt,vbi pro Turcicis Superantiana defixa ſunt vexilla.ſic munitio ſuperantibus Chriſtianorum copijs cum omnibus tormentis,annona,bellicis apparatibus venit in poteſtatem Superantij trucidatis ad vnum defenſoribus. Inuenta ſunt decem & ſeptem bellica tormenta cum inſignibus variorum principum, quibus per ſuperiora bella fuerant erepta. capta munitio data eſt operis demolienda, quæ cum difficillimè deuaſtaretur, ſubiecti denique ſunt cuniculi,ac varijs modis euerſa, ſoloque fuit æquata. ſic Rizonicus ſinus liber relictus eſt, & obſidio Aſcriuij ſoluta, ac porta ferrea munitionis ad ſempiternam memoriam Superantianæ virtutis in loco publico pro tropheo ſuſpenſa. Captæ ſunt etiam ſeptem prædatoriæ nauiculæ, quæ varijs incurſionibus Chriſtianorum nauigia prædabantur, quæad patrocinium munitionis ſe recipiebant.

Virtute Iacobi Superantij munitio Varbagni capta & euerſa.

res agebantur ſegniter,quia per Gallicam & Venetam legationes agitari cęptum erat de pacis conditionibus Byzantij, à qua non abhorrere animus patrum apparebat propter ſuperioris anni difficultates. Inierat enim iam annus ſalutis noſtrę tertius ſupra mille quingentos & ſeptuaginta, cum multa magis magiſque cœperunt compellere venetos, & non ſolum adhortari ad accipiendas pacis conditiones, ſi modo tolerabiles offerentur. atque præter cætera, quæ multa occurrebant, res Belgica difficiliora promittebat auxilia in ſequentem annum, cum ibi negotia parum feliciter ſuccederent Hiſpano Regi. cum enim copiæ Albani aliquantulum reſpiraſſe a laboribus viſæ ſunt, ad Ademum vrbem munitiſſimam Belgarum caſtrametatur. ibi aggeres & foſſæ militares fieri cœperunt, & caſtra vallari,omniaque parari ad obſidionem & expugnationem. at vrbana præſidia repente egreſſa cum magnus ineſſet numerus ſclopettariorum veteranorum & equitum, minutum prælium committunt. Pluribus ſuccreſcentibus vrbanis auxiliis acerrimè & magna virtute vtrinque pugnatur. Sed Hiſpani denique coacti cedere in munitiſſimum oppidum Amſterdanum ſe recipiunt pluribus ducibus & ſigniferis & ſtrenuis militibus amiſſis.

1573

Ademũ obſeſſum.

His accedebant intolerabiles ſumptus, quos Veneti vel ſupra vires & portionem ſuam facere cogebantur. Nam tametſi Veneti amœniſſimas vrbes habent, è quibus magnos prouentus capiunt, tamen cum vbique finitimas habeant variorum principum munitiones & vrbes, non mediocres ſumptus facere coguntur præſidiis vbique terra marique alendis. illa de cauſa cum multa tributa ordinaria ſubditis populis neceſſario imponantur, multa etiam extra ordinaria iniungere cogebantur. erat enim periculoſum ne populi deſperatione capti relictis auitis poſſeſſionibus ac laribus diffugerent. iſtud facillime futurum erat, quòd omnis conditionis homines ad extremam miſeriam paulatim delabebantur; cum opulenti frequentia decumarum,opifices & mercatores ocio, ciues caritate rerum omnium & lucri inopia afflictarentur. agreſtes partim quia deligerentur quotidie ad remigium, partim metu delectus ſolum vertebant, iam ſegnius ager imperij Veneti coli cœperat, vnde ſuccreſcebat annonæ penuria. Dalmatiæ quoque vrbes & Illyrii ſubditæ imperio veneto præter incommoda propter ſublata cõmercia mirum in modum vexabantur difficultate importandi commeatus, affligebanturque aſſiduis hoſtium incurſionibus & incendiis, quare paulatim cęperant deuaſtari. His tot tantiſque difficultatibus nulla ſpes affulgebat rei præclarè gerendæ, quia magis excreuerant hoſtium vires, quàm ut tutò armis Venetis tantùm retundi ac labefactari poſſent,aut externa auxilia & tarda præſertim expectare. Nam ſi tot tantoſque ſumptus, tot ruinas populorum, tot deuaſtationes Veneti ſolam defenſionem ſuſtinentes diutius paſſi fuiſſent, quis non intelligat & ſuam ipſorum ſalutem, & totius Italiæ in magno periculo verſari, nam certè quidem negotia, quæ fruſtra ſuſcipiuntur, breui defatigant. at quæ cum aliquo detrimento, præſentes etiam facultates comminuunt, ac denique ſubuertunt.

Difficultates impellentes Venetos ad pacem.

atqui tametſi iuſtis neceſſariiſque de cauſis Hiſpana claſſis retardabatur metu familiariũ, intimorumque bellorum, tamen cum parum accuratè conditiones fœderationis ſeruarentur, res Veneta parum his rationibus ſubleuabatur, quarum munitiones & inſulæ primæ ſe offerunt tanquam obijces exeuntibus Turcicis claſſibus; quoniam vbi armis decertandum eſt, ibi non ſufficiunt rationes. Veneti igitur rati ſuis rebus maturè conſulendum eſſe, antequam omnia funditus per tarditatem auxiliorum euerterentur, poſt centum & quadraginta millia librarum auri & amplius, cũ ſingulæ libræ centum aureos nummos continerent, in bellicos ſumptus inutiliter profuſa, poſt graues ſuorum populationes, Cypri regni & hominum plurimorum iacturam, per ſubditarum omnium ciuitatum lamentationes & ruinas. cum magna propè omnium, quibus inuiſa eſt Turcica tyrannis, aut certè imperitorum rerum bellicarum conuiciis & contumeliis rem cum Selimo componere coguntur.

Cõditiones fœderationis parum accuratè ſeruatę impulerunt Venetos ad pacem.

Pax venetorum cum Selimo.

Tunc omnes de Venetis queri propter eam pacem, neque ſolum exteri, quia contra pactiones, conditioneſque fęderum inſciis fęderatis pacem cum communi hoſte ſoli feciſſent, quamuis ſuus eſſet locus ſociis etiam capeſſere volentibus intra certum tempus reſeruatus, ſed etiam ciues ipſi Veneti, præter paucos, ægre ferebant illam pacem, cum bellici apparatus iam facti eſſent inſignes, & ſumptus bellici ſuperioribus illis præteritorum annorum multo maiores, & omnia, quæ ſpectarent ad validiſſimum bellum iam eſſent in promptu. Sed viſum eſt

clam

clam illud fieri oportere, ne res diuulgata difficiliores conditiones faceret, excitarenturque impedimenta obſcure, atque arripienda fuit occaſio dum ſuſpicio rerum Perſicarum nondum ſtabilita re ad illud conſilium Turcas impelleret. Hæc erat leuioris vulgi vbique indignatio, quæ animos quoque nonnullorum principum inuaſerat. At patres Nicolaum Pontium deligunt ad Pontificem ſenem octoginta & quatuor annorum ad eum informandum de rebus omnibus, qui Pontius vbi ſe excuſare propter ætatem faciendis longis itineribus ineptam & periculoſam voluiſſet, non potuit illud obtinere à patribus, cum neminem huic tanto, tamque neceſſario negotio ſe habere aptiorem ciuem dicerent. quippe cuius prudentiam & dexteritatem in multis in vrbe & extra vrbem prefecturis, & apud primarios principes legationibus cognouerant. Quin etiam ſumma celeritate vſus eſt vti & deſiderio ſenatus fieret ſatis; ac neque toto quidem biduo interpoſito diſcedit Venetiis, quia Pontifex Venetum oratorem nollet eſſe amplius Romæ, nedum ſuam ad præſentiam non admittere. Tanta igitur celeritate citatis equis iter facit ſenex, quanta vix iuuenis robuſtiſſimus vti poſſet, ſexto die nimirum trecentis & amplius millibus paſſuum difficilibus confectis Romam aduolat. ad Pontificem admiſſus mirifica oratione, copia, grauitate, explicatione neceſſitatis vſus ita Pontificis animum per eloquentiam, atque ſapientiam ſedauit, vt non modo equo animo tulerit, ſed etiam laudauerit pacem Venetorum tanquam ſociis non inſalubrem, ſed ipſi reipublicæ certè perneceſſariam. Philippus item Rex audita Venetorum legatione expurgatum miſſa non modo nihil grauius in Venetos reſpondit, verum etiam conſilium patrum vt perneceſſarium collaudauit, omnemque prius conceptam iram & indignationem depoſuit. Interea cum nuntius de pace Byzantii compoſita Venetias acceſſiſſet, omnes oratores gratulatum ſenatui acceſſerunt; quibus reſpondit Princeps, quod vbi viſum eſſet Turcarum Imperatori anno ſexageſimo nono ſupra mille & quingentos ſalutis humanæ arma Venetis finibus hoſtiliter inferre, ad quod bellum tametſi propter eximiam caritatem rei frumentariæ, aliaque incommoda Veneti parum erant parati, tamen ad dignitatem, atque defenſionem Chriſtiani nominis arma ſumpſerunt, qua celeritate atque alacritate cognitum fuit. Anno deinde ſequenti ait ſenatum cum Pontifice atque Hiſpano Rege fœderationem, ſocietatemque armorum coniunxiſſe, vnde conſecuta eſt naualis victoria Chriſtianorum, & clades inſignis Turcarum, per quam maior pars Græciæ ſubiugari poterat armis Chriſtianorum, ſi tam ſapienter vti ſciuiſſent victoria, quam feliciter à Deo conceſſa fuerat. Illis ſubiunxit miſſa fuiſſe à ſenatu etiam plura nauigia & maiores copias, quam per fœderationis conditiones tenebatur, ſed omnia facta eſſe inutilia propter tarditatem ſociorum auxiliorum. Cum igitur Turcarum Imperator ad propriam Venetorum euerſionem terra marique aſpiraret comparata iam ingenti claſſe, cuius miniſtri Venetum oratorem Byzantii ad pacem vltro inuitarent, apparuiſſe inquit rem non aſpernandam, quare concluſa eſt pax, de qua ſe certiores facere oratores inquit, vt ad ſuos principes poſſent perſcribere. His auditis reſpondit legatio pontificia, faxit Deus vt iſta pax in Italiæ & omnium Chriſtianorum ſalutem redundet. At Hiſpanus orator ſubiunxit quòd Rex vbi intellexit arma Turcica hoſtiliter mota fuiſſe finibus Venetorum ſtatim miſit quinquaginta triremes ſubſidio optime inſtructas, atque facta fœderatione vires illas miſit in orientem, quæ viſæ ſunt ad conſeruationem reipublicæ accommodatæ. ea ſi poſſit ſine bello conſeruari, ſumptus & incommoda iure deuitari apparere, quæ Rex ipſe ſubire hac ipſa de cauſa & perpeti cogebatur. Sed timendam eſſe inquit non parum ſemper Turcarum perfidiam. Carolus Galliarum Rex tametſi aliquam partem Vgonotticæ factionis extinxerat, tamen intelligebat non minus malorum vniuerſo regno in poſterum imminere, niſi penitus ea factio de medio ſublata fuiſſet: quippe cum multæ reliquæ eſſent munitiones in Gallia, quæ præſidiis illorum cuſtodirentur, eſſentque domicilium & tutiſſimum receptaculum eiuſdem hominum factionis. nam cum bellum ſibi imminere à Rege arbitrarentur, quia pauci eſſent milites mercenarii, Galli ipſi Vgonotti alii ad præſidia portus Santonici ingrediuntur, alii montem Albanum, nec multo poſt alii erumpentes Nimes in Tectoſatibus vrbem natura munitam occupant, in ea prouincia quam regnum Galli appellant, quam diligenter exploratam ad muniendum & aggeribus & foſſis & omni genere defenſionum & commeatu ad futurum bellum, expectandamque obſidionem inſtruunt. cœptum eſt incurſionibus & populationibus ac latrociniis proxima quæque vexare, omneque genus commeatus inuenti in vrbem importatum, vbi erant ad mille pedites inquilini ac totidem equites eius factionis. Hi tumultus ſuſpenſum habebant animum Artomicenſis Cardinalis Auenii præfecti, qui ad auxit vrbis præſidia, cum ab Auenio non plus diſtet Nimes viginti & quinque millibus paſſuum. Cum etiam pleriſque in locis eius ditionis res ſubeſſent turbulentæ. Andienſis, qui cenſebat cæſo Amirante Regem Cantabrorum & Gondæum ad priſtinam religionem redituros cum Rex ſæpius illis Catholicas conciones haberi iuſſiſſet, arbitratus eſt oportere omnino ad euellenda prorſus ſemina diſſenſionum ex eo regno, expugnandas eſſe illas munitiones. Colligit itaque multas cohortes exterorum militum, & Regimenta Heluetiorum, cum prius fruſtra ad deditionem ſollicitauiſſet. At Cantabrorum Rex Sororius & Condæus ſobrinus vbi diu inſtitiſſet Rex & Regina mater, vt omnes alias rerum ſacrarum explicationes vanas putarent & adulterinas, quæ ſanctis & incontaminatis traditionibus apoſtolicis repugnarent, quas illi ad poſteros reliquiſſent, aut quæ diſſentirent ab interpretationibus Orthodoxorum patrum, denique veram religionem complexi ſunt, atque omnem priſtinam dogmatum hereticorum abiurantes exuerunt: quę res fecit vt Andienſi multo facilior expeditio ſuſcipienda poſſet videri cum tantis tamque potentibus hoſtibus caruiſſet. Per quod ferè tempus Maximilianus Imperator multis iiſque iuſtiſſimis & non leuibus de cauſis Gulielmum Mantuæ Ducem coniunctum ac Sororium principem decreuit clariore dignitate afficere,

Nicolaij Pontij legatio.

Principis Venetorũ oro.

Reſpõſa oratorum principum de pace.

Loca munita ab Vgonottis.

Mõs Ferrat. Ducatus efficitur.

cere, vt duorum principatum Dux eſſet. Nam cum antea Montis Ferrati titulus eſſet Marchionis, decreuit vt in poſterum Ducatus intelligeretur atque eſſet, quare non ſolùm Mantuæ, ſed etiam Montis Ferrati Dux Gulielmus fuit appellatus. Illud autem factum eſt à Cæſare ob multas & præclaras virtutes ipſius Gulielmi, qui non ſolùm planè adæquat, ſed etiam ſuperat auitas virtutes & gloriam ſuorum maiorum, qui non ſemel præclara obſequia Imperatoribus Romanis præſtitit, quoties ſe obtulit occaſio, illaque in rebus maximis. Idcirco additum eſt ad maiorem rei expreſſionem vt inſignia etiam Ducatus Montis Ferrati deferantur & coniungantur cum inſignibus ipſius Ducis: vt appareat & vtrunque principatum quaſi vnum corpus effici, cui præſit Princeps tanquàm caput. Addita ſunt & alia multa priuilegia, quæ longum eſſet recenſere, cum nihil prætermiſſum ſit in eo diplomate, quod ad dignitatem eius Ducis corroborandam & ornandam pertineret, aut ad ſignificationem ſingularis beneuolentiæ.

Ducis Mantuani dignitas adaucta.

*LIBRI VIGESIMI TERTII FINIS.*

NATALIS

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS

## *LIBER VIGESIMVS QVARTVS.*

AT quoniam intelligebant Hiſpani poſtmodo pacatis reb. Venetorũ, ſolutaq́; fęderatione ac ſocietate belli, quę cõibus opibus, cõiq́; conſilio potẽtiſſimas claſſes tanquam firmos obiices Turcicis furoribus opponeret, quominus vltra fauces Adriatici ſinus, & Hidruntem Corcyramq́; inſulam penetrarent, quanti referret illa coniunctio armorum, nam ſine Venetis viribus non apparet res Turcica maritimo bello poſſe magnopere labefactari, cęperũt illã pacem quotidie ferre grauius. Nam plurimum ſane cõferebat non Hiſpanis ſolùm rebus, maritimæq́; ſecuritati Italiæ tam potens illá fęderatio, ſed etiã vniuerſorum ſaluti, & conſeruationi Chriſtianorum: qm̃ nihil eſt tam neceſſarium reprimendis moleſtiis Turcarum a rebus Italicis, quàm maximam, inſtructiſſimamq́; claſſem habere. Italia namq; longiſſimis ſpatiis hinc Adriatico ſinu ab Hidrunte Anconam & Rauennã & Foſſam clodiã, & Venetias vſq; terminatur atq; alluitur, inde mari Tyrrheno ab Hidrunte Neapolim vſq;, in quo ſpatio longiſſima ſunt Apuliæ, Calabriæq́; litora, quæ Melitã & Siciliã, & Cyrnũ, & Sardiniã, & Iluã inſulas quaſi extrema membra Italici imperii, proſpiciũt. Hiſpani ſanè multò tutius, & minorib. ſumptib. ſuã claſsẽ alebant, q̃ poſtea alere cogebantur, cũ claſſis nihilominus eſſet alenda, & habenda præſidia in oĩb. maritimis munitionib. & equitatus pręterea, q oĩa litora percurrens protegeret à prædationib. Turcarum. Atq; vt vno verbo concludã, coacta ſunt oĩa loca mari propinqua, quæ Hiſpanorũ parent ditioni, poſt illã pacẽ Venetorũ in magnũ periculũ reponi. Illud cũ ſenſiſſent Hiſpani, intelligerentq́; quantæ vtilitatis ſibi fuiſſet coniunctio, & societas Venetorũ armorũ, callidè rumorẽ diſſipari procurant ꝙ Selimus Turcarũ Imperator diẽ ſuum obiiſſet anteq̃ pacis conditiones ſubſcriptione Venetis confirmaſſet. Sic. n. terrorem Venetis iniectũ iri putabant, per quẽ fieri poſſet, vt illi deſperata concordia c nouo Imperatore ob ſolutam iam ſocietatẽ fœderatorũ Chriſtianorũ denuò compellerentur vel ad honeſtiores conditiones nouæ fęderationis, quæ proponebantur, vel ẽt magis neceſſarias amplecterentur, ſi vellent ſuis reb. maritimis, quæ in magno periculo verſabantur, maturè conſulere, ac non tanq̃ à rapidiſſimo flumine deuolui quocunq; furor, & impetus Turcarum deſerret. Veneti tñ vt quibus cognitę vel ſuſpectę eſſent artes mortalium, quibus plenæ ſunt res Imperiorũ, nullis rumorib. abduci poſſunt quominus promiſſa; vel hoſti ſeruarent. Nollunt igitur fidem ſemel datã fallere, ſed ſumma vigilantia quaſi ex altiſſima quadam ſpecula proſpectant quem finem res eſſet habitura. Non enim apparebat patribus ita temerè recedendum eſſe ab eo quod paulo ante probauiſſent nulla præſertim oblata certa nouitate rerũ. Videbantur adiuuare non nihil Venetorũ conſiliũ, eoſq́; ad certã propè ſpẽ pacis cũ nouo ẽt imperatore confirmare, variæ moleſtiæ, quæ Turcicas res infeſtaturæ quotidie pullulabant, atq; in primis vis inſignis aquarum, & eximia facta Byzantii inundatio, quæ tanta fuit, vt poſſet non parũ conſternatos animos Turcarum ſuperioribus cladib. ab oĩ non modo deſiderio, ſed ẽt cogitatione rerũ nouarum deterrere, atq; ad curam ſollicitudinemq; reficiendarum rerum domeſticarum reuocare; cũ his accederet quoq; non leue incommodum nondum bene confirmati imperii. nam multis domibus, variisque ædificiis propter inſignem copiam aquarum collapſis, cœlum nihil placidum aut fauſtum Turcis promittebat, cum præter inauditum incrementum aquarum ad Byzanti deuaſtationem incredibilis propè facta ſit effuſarum pluuiarum magnitudo. Enimuero dum ita ſuſpenſos animos Venetorum habet rumor de morte Selimi, quem callide fouent Hiſpani, vt ad nouam fœderationem illos reducerent, Pontifexque illos magnopere hortatur, fortuna rerum

Italiæ deſcriptio.

Stratagema Hiſpanorũ.

Inundatio Byzantii.

Italicarum magnos & periculoſos motus, & quaſi ingentis belli incendium extauit in Vmbria. Nã neque parui neque contemnendi erant omnino, cum maximarum calamitatem iacta fuiſſent fundamenta, niſi prudentia principis Vrbinatis neceſſaria, opportunaque remedia tantis rebus adhibuiſſet, ac ciues promptè acquieuiſſent, &, quod æquum erat, fuiſſent alacriter complexi. Cauſa illarum perturbationum fuit quòd Guidobaldus Vrbini Dux exigua quædam & tolerabilia tributa neceſſariis de cauſis & aſſentiente Pontifice per breue tempus eſſet exacturus tam ab Vrbino ciuitate, quàm ab vniuerſo ſuo principatu. Vrbinates ciues vel parum percepta principis ſententia, ꝙ intellexiſſent perpetua futura, vel quòd diffiderent promiſſis, magnos tumultus in vrbe excitarũt, per quos facile magnarum calamitatum ſemina in reliquas partes Italiæ poterant diffundi, niſi bonitas principis & antiqua multorum ſubditorum obſeruantia erga ſuum principem rem ſedauiſſet, obtemperauiſſentque principis uoluntati. Secuta ſunt tamen neceſſariò ad res placandas, non nullorum in illa vrbe ſupplicia & exilia & bonorum fiſco addictio, cum cæteris ciuibus, qui non fuiſſent participes, autoreſue ſeditionum, venia publicè conceſſa ſit, ac poſtmodo humaniſſimè tractati. Quæ dum geruntur in Italia ad extinguenda ſemina incendiorum, non leuis erat controuerſia inter Polonos proceres de creando nouo Rege mortuo Sigiſmundo rege Polonorum ſine filiis in ſenili ætate anno ſuperiore. Fuit Sigismundus princeps ſingularis ingenii & virtutis nõ vulgaris: quippe qui regnum Poloniæ vel inter multas difficultates ab iniuriis & armis potentiſſimorum principũ non ſemel protexerit, & illæſum fortiſſime cõſeruauerit. Erat inter illũ & Daniæ regẽ diuturna ſimultas & odiũ regiũ, quare oẽs cogitationes ad illum ꝑcipuè debellãdũ cõuerterat. Hoc cõſilio, ꝗa videbat Daucionũ ſiuę Daniæ regẽ maritimis copiis maxime poſſe affligi, conſtituit ingẽtẽ claſſem in mari occiduo & in ocerno Gottico ſiue ſeptentrionali inſtruere, quę inuſitatis & nunꝗ antea viſis nauigijs in illo mari conſtaret, potentia, virtute militari, & aſpectu formidabilibus, quinqueremibus nimirum & triremibus, & maioribus nauigijs Galeonis vocatis ad morem Venetorum nauigiorum. Putabat enim fore ob rei nouitatem vt non ſolùm claſſis plurimum conferet ad defenſionem maritimarum locorum Sarmatiæ ac Liuoniæ, verum etiam ad Daniæ populos & Gottos & quæcunque libuiſſet loca maritima ſubiuganda, quæ omnia non mediocriter hac ipſa ratione poſſet infeſtarre. Vt autem ſuſceptum tantarum rerum conſilium ſtatim perficeretur, iubet Antonium Angelum familiarem, eſt Angela familia non ſolùm Venetijs, ſed etiam in alijs Italiæ ciuitatibus perantiqua & in primis honeſta, quam citiſſimè Venetias conuolare, ac nomine Regio magiſtros prædictorum nauigiorum impetrare à ſenatu, vt liceret peritiſſimos è Veneto nauali liberalibus ſtipendijs in Poloniam accire. Viſa fuerat vrbs Dancica ad illud nauale inſtituendum peraccommodata cum ſit in litore maris oceani ſeptentrionalis ſiue Liuonici ſita, & propinqua habeat nemora decidendis ſatis proceris & craſſis roboribus, & lignis cuiuis ingenti claſſi extruendæ accommodata, cum non deſint etiam in ea regione res aliæ claſſicis vſibus neceſſariæ. impetrati ſunt magiſtri à ſenatu, qui Dancicam ſunt profecti, initiaq; iacta ſunt inſignium nauigiorũ, quo tempore pro tanta ſenatus humanitate, & quia plurimum rebus ſuis conferre amicitiam Venetorum rex ille exiſtimabat, remittit Antonium mortua iam Catherina Auſtriaca vxore, qui Regio nomine expeteret in matrimonium vnam è virginibus patricijs, quæ ſibi ſenatus nomine concederetur, tanquam filiã eius reip. Antonius his acceptis mandatis per acerrimam hyemem & acerbiſſima frigora difficiliſſimis itineribus nempe menſe ianuario, relictis etiam quibuſdam comitibus in itinere è Polonia Venetias ægre profectus paucis diebus & ipſe & reliqui comites itineris propter vim ſuperiorum frigorum deceſſerunt, antequam negotium tractari inciperet. Deinde breui mortuo etiam Rege vtrunque negotium imperfectum eſt relictum. Natæ ſunt in Polonia ob mortem ipſius regis multæ ſtatim ſuſpiciones bellorum partim ob finitimorum principum veteres inimicitias, partim ob diſſenſiones ipſorum procerum, quę excitatæ ſunt cum alijs de cauſis, tum propter diſſidia de religione. Res per varias diſſenſiones protracta eſt in mẽſem maium præſentis anni, quo tempore habita ſunt comitia Louicii, is locus eſt principatus Maſſouiæ ad multa imminentia mala auertenda. Imperatũ eſt nobilitati ut eſſet in armis, ut refrenarentur mutuæ infeſtationes. Habita ſunt propria comitia uarijs in locis: ac poſt multas cõtrouerſias multorum comitiorum, poſt varios quorundam labores, cũ alii aliorum neſcirent conſilia, cum regnum lue etiam non nihil vexaretur, pronuntiatur publicè Varſouiam fore locum electionis noui regis. erant armati aſſiduè proceres ob domeſticas ſimultates, quare neglecto iam regum exterorum metu vexabantur trepidatione bellorum ciuilium. Decretum eſt tamen vt in aperto nõ procul a Varſouia vltra Viſlam fluuium res fieret: vbi oblata ſunt duo ſcripta ſenatui, quæ ab omnibus ſubſcriptione confirmarentur. horum alteri quidam aſſentiri conſtãter renuerũt, quia repugnaret Catholicæ fidei crudelitati, in altero cõtinebantur nomina candidatorum Poloniæ regnum ſibi deferri expetentium. vt autem manifeſtum ſit rerum Polonarum ignaris, non leue eſſe, quod tanta contentione à tot potentibus principibus expetebatur, non erit fortaſſe iniucundum ſi quanta fieri poſſit orationis breuitate Poloniæ amplitudinem & opulẽtiam deſcribemus. Eſt autem Polonia ampliſſima regio, quę ad orientem habet Moſchouiã & Myſiam ſuperiorem, cũ Myſia pareat imperio Turcarum. Moſchouitæ ſemper ferè nunc Poloniã, nunc Turcas variis incurſionibus vexant. ad occaſum habet Iſburgios & Boemos. ad meridiem Maruingos & Lituaniam. ad ſeptentionem Sarmaticum oceanum. Nam Illyrii, qui Scythæ olim uocabantur è ſuis finibus egreſſi conſtiterunt ad Cimmerium Boſporum, unde bifariam diuiſi, alii traiicientes Iſtrum fluuium vniuerſam regionem ad Dalmatiæ fines vſque occuparunt, quam vbi in vnam regionem redegiſſent, Seruiam nominarunt. Alii vlterius profecti ibi conſtiterunt, vbi nunc Polonia & Boemia dicitur, quarum regionum alterã Zechius Boemiam ſcilicet, quæ prius erat Ducatus, quam poſtea Henri-

Tumultus Vrbinates.

Mors Sigiſmundi regis Poloniæ.

Conſilium regis Poloni.

Poloniæ deſcriptio.

ſtea Henricus V. Imperator anno 1086. regnum eſſe, conſtituit Duce Vladiſlao, cui Sleſiam Maruingos populos & Marcomanos ſiue Morauiam & Luſatiam adiunxit, alteram Laches frater Poloniã nimirum occupauit, quare Illyrico idiomate Poloni nunc etiã vtuntur. regio eſt tota plana, vnde Polonia dicta eſt, cum pole ab Illyriis planities vocetur. Sunt multæ paludes & ſyluæ in Polonia non ignobiles, quæ præbent copiam multorum lignorum. non eſt vini ferax ob frigus, ſed pabulorum feraciſſima & frumenti & piſcium & cicurum animalium, & mellis in arboribus naſcẽtis. Habet tauros & equos ſyluestres & biſontes in Hercynia. multos equos alit, vbi ſunt etiam æris, argenti, aurique fodinæ. Metropolis eſt regni Carrodunũ in ripa Viſtulæ fluminis ſita, quod per Varſouiã præterlabens influit in mare Oceanum. illa vrbs & regis domicilio & celebritate gymnaſij eſt nobiliſſima. Habet multa ædificia non ignobilia è lateribus, ſed arcem in primis inſignem ob picturas & teſtudines & marmora, multiſque ſtatuis ornatam. Habet hoc regnum multas vrbes & caſtella & pagos, ſed paucas munitiones pro regni amplitudine. Sunt multi fluuii ampliſſimi præter Viſtulã, qui per hyemem conglaciati ab armatis aciebus ob frigus acutiſſimum tranſeuntur. nobiliores ſua caſtella habitant immunes ab omni tributo, qui belli tempore tenentur numerum equitum colligere pro facultatibus ac proprio ſumptu regi militare. Sunt Poloni aduenarum amici. mores Italos ꝓ viribus imitantur, quorũ regnum diuiſum eſt in quatuor regiones, atque in ſingulis rex tres menſes morari tenetur, quo tpe indigenæ oĩa victui neceſſaria ſuppeditant. Paret Dardania Poloniæ regno, quæ trifariam diuidit, in Albã ſuperiorẽ, inferiorem, & Podoliã vbi fœnũ creſcit ad hoĩs ſtaturã, quæ cũ finitima ſit Moſchouitis, ac Valodimera metropolis vix diſtet quatuordecim milliaribus à Moſcho flumine, propè deſerta eſt ob frequẽtes incurſiones Moſchouitarũ. Paret & Liuonia Polono regi, cuius ſunt vrbes inſigniores Riga & Riualia & Prutenorũ pleriq;; & Mazouia, cuius metropolis eſt Varſouia; & Lituania, cuius Vilna metropolis eſt, & à Polonia flumine Iaſonica diuidiĩ, q̃ multis paludibus & ſyluis quaſi aggeribus ab hoſte defenditur. Colonorũ victus eſt ex pane parũ ſuaui, melle, lacte, carniũ copia: q Eugenij Quarti Pont. tpe idolatriã amplectebãtur, colebãtq; ſerpẽtes, aĩalia, & cætera hmõi deliramenta. Faciebant diuortiũ. Mulieres multos amicos habebãt, quos mariti vocabant adiutores oneris iugalis. Sed miſſis viris bonis, qui Chri leges explicarent, hi vltimi fuerũt oĩum populorũ Europæ, qui leges ipſas imbiberint. Res ad regni gubernationem ſpectãtes decernũtur in comitiis, ſine q̃bus rex neque bellũ, neque pacem põt legitimè gerere. Accedunt ad ipſa comitia duo archiepi, nouẽ epiſcopi Poloniæ, & quatuor Lituaniæ. p̃fectus arcis Carroduni, quatuordecim Palatini Poloniæ. ſeptem palatini Lituaniæ, & oẽs arciũ præfecti, & prouinciarũ legationes cũ ipſo rege. His accedunt ſcriba, proſcriba, quæſtor, proquæſtor regni. Quod decernitur in his maiore parte ſuffragiorum, id ratũ eſt, neq; rex põt vllo pacto impedire. Vires Poloni regni ſunt ampliſſimę cum poſſint colligi centum & quinquaginta millia equitũ. Erat Dux at nõ rex Poloniæ ante Othonem, atque primus Otho Boleslaum inſignibus & titulo regio ornauit ob eximiam Ducis virtutẽ. Prouentus Poloniæ, qui colligitur è fodinis, melle, cera, ſale, alijsq; mercibus excedit duodecies cẽtena nummum millia, cũ in præſidia & munitiones regnũ ipſum ſumptus faciat, at non rex. Hoc Poloniæ regnum cũ cenſeatur tam potens, tam amplũ, tam opulentũ, multi inſignes principes illud ſibi deferri certatim expetiuerunt qui ẽt legationes miſerunt ad illa comitia, per quas petebant ſe Reges creari oblatis a nonnullis vtiliorib. illi regno certatim, honorificẽtioribusq; cõditionib. Fuerũt ſeptẽ regnũ illud ſibi deferri poſtulãtes; Herneſtus, Ferdinandus Dux Prutenorũ, rex Sueuorũ, dux Moſchouitarum, Henricus Gallus, ſoror defuncti Sigiſmundi, & quidam regnicola. Propoſita ſunt cõmoda quæ in eligendo Rege expetebãtur, & à quibus oportebat eſſe alienũ. acceſſerunt ad ſenatũ variæ legationes pro candidatis precaturæ. & quoniã metuebatur bellũ ciuile, ſtatutũ eſt, ne quis ſenator plures quinquaginta equitibus, eoſque inermes ſecũ adduceret, nobiles viginti: erecta ſunt tẽtoria ſubdio, & tñ multi armati conuenerunt, quare multus erat metus. Fit diſſenſio inter oratores de præcedentia. decernitur vt qui primi veniſſent, primi audirenĩ. Primę itaq; acceſſerunt Prutenæ legationes orãtes pro ſuo duce. Põtificię deinde hortãtur vt virum bonũ & catholicũ eligãt. oratio ꝓ Sueuo Rege habita eſt p̃clara cũ magna eius principis laudatione. venerunt à Duce Moſchouitarum literæ per id tempus, quæ multos animos propenſos ab eius electione alienarunt. Continebatur in ijs ipſum ducẽ intelligere ꝙ vel ipsũ uel filiũ erant electuri. Filiũ nolle concedere. ipſum eligerẽt ſi vellent: ſed ea conditione vti regnũ fieret hr̃ditariũ, at non amplius rex eligeretur. addidit ſe Poloniã velle adiũgere Moſchouię, ac velle appellari imperatorẽ Moſchouium, & regẽ Polonorũ eſſe duo genera credulitatis, ſuũ Græcũ & catholicum. priuilegia libera eſſe. quæ audita fecerũt vt eius electio reijceretur ad ſeruandã auitam liberratem. ſoror Regis & regnicola facile reiecti ſunt, cũ nõ pateretur æmulatio inter pares quenquã eligere. nã quãuis probabilius ſit illũ notis moribus & ingenijs maiore charitate & amare poſſe, & moderari, tamẽ proceres mallunt principẽ externũ, quã parẽ, imperare: fortaſſe quia q nõ habet affinitates & cõmercia iuſtius & melius iudicat. reliqui fuerunt tres candidati, Herneſtus Maximiliani Imperatoris filius, Henricus Andienſis Princeps Caroli Noni Gallorum Regis frater, Federicus rex Sueuorum. Hi omnes principes enixe Polonorũ procerum animos, electoreſque regios non ſolum ampliſſimis & honorificis cõditionibus ſigillatim ſollicitant vt Reges eligerentur, ſed etiam ſuſtentabantur gratia & autoritate potentiſſimorũ principum, multiſque ipſorum regũ cõiunctorũ precibus. Fulciebãt primum Sueui regis petitionẽ amicitię peruet eres cũ multis Polonis ꝓceribus, & ꝓpria autoritas ac potẽtia, & regionis ipſius vicinitas, q̃ plurimũ valere ĩ cõſeruãdis imperiis ſemper à ſapiẽtibus fuit iudicata. Nã ſic apparebat fieri poſſe vt piũctis ĩ vnũ viribus duorũ potẽtiũ regnorũ Poloniæ regnũ p ſe ſatis potẽs & amplũ, & muniret aduerſus iniurias hoſtiũ, & plurimũ poſſet ſuos fines dilatare, in quã partẽ p illatas iniurias via fuiſſet

Moſchouitæ Ducis petitio elata.

à finitimis regibus patefacta. Hæ iure optimo videbātur eſſe non leues rationes ad impellendos animos omnium Polonorum ad hunc Regem præferendum, & eligendum. Herneſtum plurima adiuuabant ad hanc petitionem, neq; videri poterat vlla re cęteris candidatis inferior, nam & propinquitas paterni imperii, vnde poſſent auxilia opportunè acciri, ſi illis opus eſſet, & autoritas patris imperatoris, qui promittebat omne portorium vini ac cæterarum rerum in vniuerſa Germania obliteratum iri, & Cæſareis ſumptibus centum Polonos alere in primariis Gymnaſiis diſciplinarum, quam commendationem adiuuarunt legationes electorum imperii multa pro illo permittentes, & ſempiternam amicitiam, qua firmatis nemo externus princeps erat timendus. id confirmarunt ēt Boemæ legationes, & Moſchouitæ, q Cæſarianas partes fouit, ex quo ipſe cecidit de ſpe regni, & Gallicas impugnabat. adiuuabat etiam non parum Philippi Hiſpaniarum Regis potentia & autoritas, qui negotium non ſegniter procurabat. Adiuuabat Henricum Andienſem ſummis opibus Carolus frater Galliarum Rex, & Henrici ipſius virtus ab oratoribus ita commendata in comitiis ac tanta vi orationis, vt appareret ab omnibus experi. adiuuabat illum præter exiſtimationem per multas clariſſimas victorias comparatam Selimi etiam imperatoris autoritas, & potentia, quæ cum maxima ſit in vniuerſa Aſia, tum certè permagna eſt in illis finibus, cum ſemper habeat prompta multa millia armatorum.

Literæ Selimi ad Polonos.

Selimus enim impulſu, precibusq; Galli Regis ſollicitatus pro vetere amicittia, quæ auita intercedit regibus Gallorum cum imperatoribus Turcarum literas ſcripſit ad comitia Polonorum partim humanitatis, partim etiam minarum plenas, quibus petebatur, vt Henricus Andienſis princeps Galliarum Regis frater crearetur rex eius regni. quod ſi fieret, demonſtrabat rem ſibi gratiſſimam fore, vt qui maximè conſeruationem, & felicitatem eius regni cuperet. ſe enim non minus de regni Poloniæ tranquillitate ac quiete, quam de propriis ſubditis eſſe ſollicitum, quam ſumma diligentia, omnique charitate ſemper pro viribus procuraſſet, & tutaretur; cum non modo amicorū, & cariſſimorum, ſed etiam omnium finitimorum perturbationes animos principum non leuiter ob proxima pericula infeſtent, ſollicitosq; habeāt. Quòd ſi parum vel æquitas ipſarum præſentium literarum, vel imperatoris ipſius autoritas apud ipſos proceres valuerit, ſe non poſſe pro vetere amicitia deeſſe Henrico fratri Gallorum Regis, neq; ob propriam quietem paſſurum vllo pacto, vt quiſquam eſſet in illo tegno ſibi rex infenſus. Præſtare vniuerſis populis, vt pacem & concordiam, & potentium amicitias ſequerentur, quàm vt hiſce debilium principum patrocinia, & ſeditiones ac bellū anteferrent. Nam cum vtiliſſimum ac propè neceſſarium ſit imperatori Turcarum multis de cauſis amicitiam exercere cum aliquo principe Chriſtiano, Regem Gallorum ad amicitiam ſibi potiſſimū delegit, cuius regnum vel ſi maxime cuperet neq; claſſe neq; terreſtribus copiis propter longinquitatem poſſet offendere, ne ſibi turpe ſit parcere finitimo, aut aliqua fieri iactura videretur ſi abſtineret à quopiam, cui poſſet obeſſe, aut qui propter autoritatem non parum poſſet apud reliquos principes Chriſtianos. Enimuero ex altera parte literæ Selimi minarum plenæ cum ad Henricum Regē eligendum impellerent proceres, quibus non mediocriter animi Polonorum ſunt commoti, ex altera allicerent ingentia Galli Regis promiſſa, maxime videbantur in eam partem inclinare. Miſit.n. Carolus Rex Monluchium epiſcopum ad comitia Varſouium, vt & ſingulatim proceres ad eligendum Henricum ſollicitaret, & vniuerſis comitiis haſce conditiones publicè proponeret, quæ ſpectarent ad conſeruationem, incrementum, atq; ornamentum ipſius regni.

Cōditiones Henrici Regis oblatæ Polonis.

Quòd Henricus breui diſſoluet omne æs alienum, numerabitque omnem pecuniam, quę Regio nomine, & àb ipſo Poloniæ regno publico nomine debetur. Quòd Henricus Poloniæ rex propriis ſumptibus, ac ſine vllis Polonorum tributis ſuſtētabit illud bellū, quod iam antea fuiſſet Moſchouitæ Duci indictum, recuperabitque omnia loca, quæ per diuturna bella ſuperioribus temporibus adempta fuiſent Poloniæ regno. Quòd omnes prouentus, redditus, vectigalia, pecuniam, quæ multa foret è ſuis Gallicis principatibus collectam conferet atque erogabit ad ornandam, & excolendam Poloniam. Quòd ędificabit atque inſtruet ingentem claſem in mari oceano ad impediendos mercatores Germanos quominus nauigent in regionem Moſchouitarū, quo prorſus illis commercia cum Germania tollātur. Quòd colet perpetuam pacem cum Selimo Turcarum imperatore ad tranquillitatem, felicitatemque regni, a quo etiam impetrabit Myſiam ſuperiorem tanquam hæreditariam eius regni, quę ſine dubio concedetur. Quòd ad maiorem quietem, & ſecuritatem regni amicitiam exercebit etiam cū Daniæ, Sueuorūq; regibus finitimis ipſi regno Polonię. Quòd ad maiorem etiam beneuolentiæ ſignificationem erga proceres eius regni atque honeſtatem, & decus Polonorum, alet propriis ſumptib. centū iuuenes nobiles Polonos in Gallia inter regios aulicos, & quinquaginta pręterea in publicis gymnaſiis artium liberalium. Quòd multos præſtantes artifices adducet in Poloniam è Gallia comata ad ipſam Poloniam excolendam. Quòd ex Italia, Gallia, Germania, aliis prouinciis multos doctiſſimos homines propoſitis liberaliſſimis primiis conuocabit Carrodunum ad eam vrbem, academiamque Carrodunenſem quibuſuis facultatibus inſtaurandam. Sic enim apparebat regnum Poloniæ, ut pleroſque principatus, ſuffragiaque Polonorum procerum pro vtilitate, & preciis coemi. Iuſsæ ſunt legationes poſt multas contentiones ad triginta millia paſsuum abſiſtere à comitiis, quo liberior fieri poſset electio. Poſtea magni tumultus excitati ſunt aduerſus Henrici electionem, & arma ſumpta, & tormenta directa. ſed res conſilio ſapientiorum patrum fuit conſopita. Carolus Gallorum Rex interea poſt illam ſtragem, quæ facta fuit cum Amirante Lutetiæ Pariſiorum, & in omnibus propè Gallicis ciuitatibus, ubi cæſa fuiſse dicuntur plura ſexaginta millibus hominum factionis Vgonotticæ, nouæque religionis, decreuit, vt diximus eas munitiones per vim armorum eſse expugnandas, quę eſsent in finibus Galliæ, quas per artem, multaque ſtratagemata, & falllacias ſuorum ducum nunquam antea capere potuiſset, atque in pri-

mis

mis Santonum portum, quam vrbem vulgus Rocellam vocant. Eſt ea vrbs ſita in litore Santonico, alluiturq́; ſeptentrionali oceano neq; valde amplo ſpatio Britanniam inſulam ad occaſum proſpectat. nam quamuis rerum bellicarum vir peritiſſimus regulus Bironius illam per varias artes ſuperioribus temporibus tentauerat, & Philippus Strozza vir prompto, acriq; ingenio conatus ſit illã per inſidias occupare modo ſimulato itinere ad nouas Indias, modo ad fines Belgarũ, qui claſſe illuc non ſemel appulerat, tamen per diligentiam ciuium oẽs conatus vani atq; irriti fuerunt. Eſt aũt Santonum portus vrbs, vt dicebamus, in litore maris oceani ſita natura, & arte munitiſſima, ac prope humana vi inexpugnabilis credita. nam hinc portum hẽt, qua parte oceanum reſpicit, & ab vndis maris Britãnici alluitur, duasq́; hẽt turres munitiſſimas, quibus portus protegitur. cathena ẽt valde craſſa vtrinq; ab ipſis turrib. continetur ita, vt aditus ad vrbem nemini pateat inuitis ciuibus. concluditur & cingitur vrbs vbiq; cęnoſis paludibus ſatis profundis, per quas neq; lintribus ob paruam aquam, neq; peditibus ob profundum limum eſt acceſſibilis. Foſſas hẽt profundas aqua marina plenas, quæ nulla ratione deduci poteſt. Męnia ſunt valde craſſa, quæ interius ẽt craſſos ac denſos habent aggeres vetuſtate condenſatos ac ſtabilitos, & propugnacula quædam ſatis valida. vnus eſt tantum aditus à terra, neq; ille quidem ſatis amplus: quippe qui ſuper aggeræ terrę illuc comportate, ac manu & opera hominum factus ſit, at non ab ipſa loci natura. Emporiũ eſt percelebre, quò multa nauigia è Britannia appellunt, & Iuernia, & Thule, & Irlanda, cæterisq; inſulis ac nationibus oceani occidui cum omni genere mercium, & commeatuum. eius vrbis incolæ viri ſunt bellicoſi, ſtrenui, nullum vel laborem vel periculum bellicum deuitantes, quò conueniunt tanquam ad commune totius Galliæ aſylum ſiue receptaculum quicunque Regię catholicęq́; factioni aduerſantur, aut qui ſupplicia pro ſuſceptis flagitiis aufugiunt. Erant per hoc tempus in vrbe circiter quinq; millia lectiſſimorum ſclopettariorum, & equites circiter ſexcenti pugnaciſſimi. Carolus rex poſt ſuperiorem Vgonottorum, Amirantisq; cladẽ continuo iuſſit vt Philippus Strozza, & regulus Bironius collectis magnis copiis equitum ac peditum illam vrbem terra vndiq; obſiderent, atq; expugnare conarentur. Pręfectus etiã cum ſummo imperio Gallicæ claſſi iuſſus eſt iſtud ipſum cum ingenti claſſe mari efficere multis triremibus ac variis nauigiis Maſſilia accitis, quo urbs vno tempore terra mariq; obſideretur, atq; omni prorſus ſpe auxiliorum deſtituta compelleretur deniq; ad deditionem. copiis igitur ad vrbem caſtrametatis ſępe per diem ac noctem eruptionem in hoſtes obſeſſi facientes, ſingulariq; virtute atq; alacritate pugnantes perraro ſine ſtrage, & ſpoliis Gallorum obſidentinm redibant in vrbem. Claſſis Gallicę præfectus vbi primùm ad conſpectum vrbis nauigauit, obſeruauitq; ſitum ratus eſt omnem obſidionis rationem maritimæ in duobus conſiſtere, vel ut vi impedirentur auxilia, ſiqua contendere illuc eniterentur, vel, ſi maiora eſſent, quàm vti poſsent præſentibus viribus impediri, per aliquam artem acceſsus illis in vrbem occluderetur. ſtatuit igitur magnam onerariam nauim per noctem demergere vna cum quibuſdam aliis nauigiis in ea parte maris, qua communior, & commodior eſset acceſsus. excitat præterea duas munitiones in mari è comportata materia, vnde portus & vrbs commode poſset diuerberari. Neque ita multo poſt acceſſit in caſtra cum multis millibus armatorum terreſtri itinere Henricus Andienſis regulus, qui Polonis propoſitus fuerat ut rex eligeretur quem multi illuſtres proceres Galli comitabantur, inter quos pręcipuæ autoritatis fuerunt rex Cantabrorum, & Alenconius frater, ac Condæus reguli, cnm ſummum imperium rei militaris eſset penes ipſum Henricum. Galli enim nobiles ſummam gloriam in rebus bellicis tantum conſiſtere credunt, quare nulla vnquã ſuſcipitur expeditio, quin multi Regi militent propriis ſumptibus vel apud ipſum Regem, ſi exeat ad bellum, vel apud ſummum regiarum copiarum imperatorem, ſi Rex ipſe non exeat. Accedebant omnes hę copiæ, quæ ad eius vrbis expugnationem conuenerant, ad ſeptuaginta millia armatorum cum multis bellicis tormentis, multoq; bellico apparatu, & inſigni globo equitum. Vbi copię omnes in caſtra regia conueniſsent, cęptum eſt non ſolum obſidione vrbem infeſtare, cum caſtra foſſis, & aggeribus fuiſsẽt munita, ſed etiam interclufus eſt vndique commeatus, & omne genus ſubſidiorum ſublatum. Nec multo poſt incipitur foſſis militaribus, & vallis atq; aggeribus excitatis vrbi propinquare, multaq; bellica tormenta directa ſunt in vrbem inter corbes vimineos terra oppletos ad grandiorem ſtaturam hominis, quo magiſtri tormentorum, & ipſa tormenta ab vrbanis propugnaculis protegerentur. ſic portus Santonum cępit breui ſingulari Henrici Andienſis diligentia terra mariq; diuerberari. proſtrata deiectaq; ſunt breui tẽporis ſpatio duo propugnacula, & ſatis amplum ſpatium muri ad inuadendnm apertum. certatum eſt etiam non ſemel profundiſſimis cuniculis, quibus ignis iniectus non nihil euertit męniorum: ſed tanta erat virtus, diligentia, fortitudo, alacritas defenſorum excitandis reparationibus aduerſus vim oppugnantium, vt vanus, & inanis prorſus efficeretur omnis impetus tormentorum, & tantarum, ſtrenuiſſimarumque copiarum labor, cum nemo eſset in vrbe cuiuſuis ętatis vel ſexus vel conditionis ac dignitatis, qui pro viribus ſtudioſe non ſuccurreret communi omnium ciuium ſaluti, & quacunque poſset ratione non opem ferret reip. laboranti.

Gallorum procerũ ſtudium belli.

Quę dum fierent in Santonum litore ad portum Santonum expugnandum, Mommedius regulus audita huius vrbis obſidione ſtatuit illam aliquo pacto à Regiis moleſtiis, & ab obſidionis periculo ſubleuare. Nam ſi vrbs illa fuiſset vi copiarum regiarum expugnata, facile fore apparebat non modo vt Vgonotticæ vires plurimum affligerentur, liberareturque Gallia ab hominum nonæ religionis moleſtiis, verum etiam vt Britanniæ regnum cuius auxiliis Gallia fuiſset plurimum vexata, de propria ſalute breui dimicare cum victricibus copiis cogeretur, cuius Santonum portus, & loca quæ haberentur in citeriore litore oceani eſsent quaſi quędam eius regni propugnacula ad retardandos hoſtes, cum tota vis belli in vnius ciuitatis expugnatione conſiſtere putaretur. Comparata igitur ſatis ingenti claſse in Britannia, quæ conſtabat

Portus Santonnm tẽtatus pugna.

ex octoginta nauibus onerariis inſignis magnitudinis, multiſque aliis nauigiis varii generis, quãtum anguſtia temporis ferebat, illaq; rebus omnibus ad pugnam neceſſariis inſtructa, Mommedius nauigat litus Santonicum verſus, atque omnia nauigia ita iubet in acie iter facere, ac ſi ſemper cum obuio hoſte eſſet dimicandum. Hi Britannici apparatus vel quòd eſſent ſuſpecti Henrico, vel quòd per exploratores illos cognouiſſet, quia verebatur fore vt ſua conſilia vi hoſtilium auxiliorum impedirentur ex illa parte quæ mare proſpectaret, atque ſubſidia maritima in vrbem admitterentur, multa bellica tormenta in locis opportunis in litore diſpoſuit, vnde claſſis hoſtium commode in latus impeteretur, ſi inuaſiſſet claſſem Regiam. iubet præterea multos nobiles Gallos claſſem Gallicam conſcendere, ſeq; accingere ad naualem pugnam ſi hoſtis aliqua ratione pugnãdi facultatẽ faceret. At Mommedius cognitis per captiuos, & per exploratores, quos habebat diligentiſſimos his Gallicis conſiliis & omnibus apparatibus hoſtium partim, & ipſe vt obtunderet retardaretq; Gallicã alacritatem illorum, qui vrbem obſidebant, partim etiam vt confirmaret animos obſeſſorum, neque tamen rem vniuerſam fortunæ belli vna hora committeret, cum vniuerſa claſſe in acie ſeſe Gallicis triremibus atque vrbi oſtentat. Equitatus Gallicus per illud tempus conſtitit in acie in litore, diſpoſitaque ſunt in Mommedianam claſſem quædam tormenta bellica ad hoſtes deterrendos, ne vel claſſem vel caſtra Gallicana repente adorirentur: ſed ſuſpenſis animis Britãni ſubſiſterent, quamuis & numero nauium, & venti fauore, & manu propugnatorum Britannica res multo eſſet ſuperior. Sic effectum eſt nihil vt Mommedius tentare auſus ſit, ſed integro negotio receſſerit in Britanniam, Gallique intenſius obſidere, & oppugnare vrbem terra mariq; perrexerint. Enimuero non ſolùm verberationibus tormentorum, vt dictum eſt, res agi cęperat, ſed etiam cuniculis, cum Galli conarentur omnibus bellicis rationibus ſibi viam ad expugnationem vrbis, & ad ingreſſum aperire. ſed partim fiebat vana vis tormentorum, partim nimis citę fiebant ab obſeſſis reparationes, partim etiã cuniculi fieri non poterant, aut fiebant irriti, aut in pernitiem cladem que ipſorum Gallorum, & artifi cum in caput erumpebant. Non ceſſatum eſt tamen vel per has difficultates quò minus Galli ſtrenuiſſimè ſingularique virtute ſæpius vrbem inuaderent, cum ad illam oppugnationem nobiles Galli, principeſque omnes alacriter accederent. ſed tanta fuit pertinacia, conſtantia, fortitudoque obſeſſorum ſemper vt maxima cum vtriuſque factionis clade pugnaretur. ſed afflixit, conſternauitq; non parum Gallorum animos fortuna atque adeo felicitas obſeſſorum, quia cum cęptum eſſet in vrbe inopia pulueris tormentarii, & bellicorum omnium apparatuum laborare, repentina vis tempeſtatis tanta exorta eſt in mari Britannico, tamque ſecunda rebus Britannorum vt ventis, & aquis ad illorum felicitatem conſpirantibus, nauimque onerariam onuſtam apparatibus bellicis impellentibus nullo pacto reſiſti potuerit à Gallis quo minus portum intrauerit. Galli tamen neque ita auctis viribus obſeſſorum omni genere auxiliorum deterriti ſunt ne ſcalas vrbi admoueret, qui deinde magna clade accepta recedere coacti ſunt, niſi omnes trucidari mallent, multis inſignioribus proceribus vel cæſis, vel non leuiter vulneratis. Deinde vbi Mommediana claſsis ſe denuo vrbi oſtentaſſet non ſatis tutum viſum eſt Gallis conſilium diuturnioris obſidionis, & oppugnationis non ſemel accepta inſigni clade, viribusque diminutis ac non parum afflictis, auctis contra præſertim, & erectis animis obſeſſorum, ne forte hinc inde vno tempore circumuenti poſtmodo de propria ſalute pugnare cogerẽtur. Nam facile fieri poterat vt Mommedius Britannicæ claſſis imperator, qui cum integris viribus adhuc, & alacribus copiis Gallorũ cõfligere deuitauerat, illud eo conſilio fecerit vt afflictiores, & obtuſiores in vrbis munitiſſimæ, ac validiſſimæ oppugnatione poſtea faciliorem victoriam nacturam ſperans aggreſſurus eſſet, nam tanta uis erat, tantaque alacritas primum vtrinque pugnantium, ut Henricus proprius periculo acceſſerit non ſemel ne glandibus plumbeis transfigeretur, quamuis leuiter tantum bis fuiſſet percuſſus. Eſt enim ea Gallorum natura ut ſummus ſit illorum ardor, formidabileſque ſint præcipuẽ initio bellorum, ſed hæc acies facile retunditur ſi virtutem, & conſtantiam aduerſariorum inueniat. Hiſpanorum contra magna uis poſt initia ſuccreſcit, ſed tamen quodam tenus. Turcarum impetus diuturnior eſt, quorum vires ſi intactæ primum relinquantur, difficulter retunduntur, ac vix denique infringuntur, ſed vbi inclinare cęperint in pernitiem totæ prolabuntur. Heluetii contra reſurgunt, vt ita dixerim, vel profligati, cum facile aciem inſtaurent. Itali magis in medio ſunt formidabiles. Germani vix in principiis ferri poſſunt ob ſtrenuitatem, at paulatim frigeſcunt ob incommoda, cum non facile perferant. illa dum fierent ad portum Santonum, Poloni proceres quia videretur nimis ampla eſſe in ſuo regno regum Polonorum autoritas, leges quaſdam ſanciunt in comitiis Varſouienſibus, per quas comitiorum ipſorum autoritas augeretur, & coarctaretur minueretur que Regia poteſtas. vbi conditiones, quæ proceribus Polonis Henrici nomine oblatæ fuerant, diligenter in iiſdem comitiis fuiſſent conſideratæ, viſę ſunt vtiliſſimæ, plurimumque conferre non ſolùm illi regno ad defenſionem, ſed etiam ad ſplendorem, magnificentiam, amplificationemque Polonæ gloriæ, quæ placuerunt omnibus ſupra alias ab aliis principibus oblatas. Permouit tamen non nihil animos Polonorum ad eum cęteris principibus præferendum, quòd ab iis qui adiuuabant Henrici partes propoſita amplificataque fuit illuſtri oratione gloria, & celebritas nominis, & virtus ipſius Henrici, qui plurimum exiſtimationis per multas ſuperiores victorias aduerſus nouæ religionis copias ſibi in Gallicis præliis comparauerat. His omnibus permoti Poloni Henricum Andienſem regulum Caroli Noni Valeſii Gallorum Regis fratrem cum magna omnium Polonorum lætitia ſedatis contentionibus omnibus propè ſuffragiis Varſouiæ Regem Poloniæ declarant. Nec ita multo poſt miſſę ſunt legationes in Galliam viri duodecim primarii, qui nouo Regi gratularentur, ipſumque Regem rogarent vt quanto citius fieri poſſet incredibili Polonorum deſiderio videndi ſui Regis faceret ſatis. Actæ ſunt Deo gratiæ à Polonis Carroduni ob electionem. Hic nuntius

Ingenia Gallorũ, & quarundam nationum.

Hẽricus Rex Polonię electus.

vbi primum venit in Galliam,quod quidem factum eſt magna celeritate,edita ſunt in vniuerſo Galliæ regno ſigna ingentis lætitiæ, & in primis Lutetiæ Pariſiorum. nam & tormenta bellica vbique ſunt diſploſa,& ignes nocturni accenſi ſuper ſacris turribus, & ingens tinnitus æris campani vbique exauditus.& inuſitata indicia lætitiæ in vniuerſa Gallia oſtentata. Hic nuntius paulo poſt peruenit in caſtra,quòd ſummus copiarum imperator Henricus delectus eſſet Rex Poloniæ,qui cum rem difficillimam eſſe cognoſceret vrbem Santonicam expugnare, & Gallicas vires iam propter aſſiduos labores bellicos,frequenteſque clades factas eſſe non ſolum obtuſiores ſed etiam debiliores,decreuerat ab illa oppugnatione eſſe recedendum, cum vires etiam maritimæ hoſtium non parum in dies ſuccreſcerent,maioreſque fierent. Retrahit igitur copias ab obſidione, à qua recedentes magna vi erumpentibus obſeſſis in poſtremum agmen multi Galli trucidati ſunt,atque Henricus ipſe glande plumbea quamuis leuiter vulneratus.itum eſt totis caſtris igitur ad inſulam Olorū,quæ diſtat a portu Santonum circiter duodecim millia paſſuum, vbi expectatæ ſunt Regiæ literæ de deſerenda expeditione,ac petendo regno Poloniæ, quoniam ſcripſerat ad Regem fratrem Henricus quo in ſtatu eſſet res Santonica,quamque difficile eſſet afflictis viribus Gallorum vrbem expugnare, quæ firmiſſimis ſtrenuiſſimiſque præſidiis,fauente bellorum fortuna, munitiſſimaq; natura loci defenderetur. Atqui cum literæ allatæ fuiſſent poſtea de deſerendo negotio pro rerum opportunitate captum eſt iter Lutetiam verſus Pariſiorum. Britanni Mommedianæque copiæ ad vrbem Santonici portus ꝑfectæ, ſine vlla controuerſia magnam manum militum exponunt, coniunctiſque viribus cum vrbanis præſidiis ad iuſtam penè formam exercitus accedunt.Fit magna irruptio in fines Regios.agros populantur.deuaſtant.abigunt armenta.coloni trucidantur.vbique ferro,& igni ſæuitur. multa munitiſſima caſtella partim vi armorum, partim per deditionem capiuntur, inter quæ fuit mons Albanus natura & arte munitiſſimus.deſiderata ſunt ad quinquaginta millia Gallorum per hanc expeditionem,atque obſeſſi victores cum multa præda ad portum Santonum redeunt. At in finibus Belgarum variis in locis ab Hiſpanis, & Belgicis copiis pugnabatur,cum etiam ſub finē anni præteriti munitio Sparendamum per vim armorum capta fuiſſet, quam nouæ religionis principes erexerant in litore maris oceani in finibus Batauorum non procul ab Haerlemo.illuc vbi nauigia quædam cum ſubſidiis,& bellico apparatu commeatuque mitterentur,ita ſunt non procul à munitione conglaciata,vt milites propter glaciem exire iam opportunè non potuiſſent. Ea res cognita à Regiis copiis effecit ut nauigia non multa difficultate ſint expugnata,ac priuata munitio omni ſpe ſubſidiorum. itum eſt igitur poſt ſubiugata, & direpta nauigia ad expugnationem munitionis cōſilio regulorum Boſſuenſis, & Neucarmenſis, & Federici Zapatæ, in quo prælio tanta alacritate hinc à Regiis copiis pugnatum eſt ob ſuperiorem victoriam, inde tanta trepidatione ob iacturam amiſſorum ſubſidiorum vt munitio quoque non multo labore in poteſtatem victorum venerit:quamuis Zapata læuam manum amiſit in illa expugnatione per ictum campeſtris tormenti.cæſis igitur, trucidatis, direptis omnibus qui eſſent in munitione Numenſis regulus ſummus dux illarum copiarum venit in poteſtatem hoſtium,cui cæſæ ſunt tres cohortes,quæ erant in munitione, & multa bellica tormenta capta. Per illud ferè tempus,quo hæc agebantur,ingreſſi ſunt Haerlemum claſſe aduecti octingenti lectiſſimi pedites, quæ ſubſidia non mediocriter confirmarunt animos præſidiorum ad ſuperiores regiorum victorias non parum conſternatos, & iam in horas expectantium obſidionem. Eſt autem Haerlemum vrbs ampla, & nobilis Batauorum, & opulenta atq; amæna: quippe quæ multa intus & foris habeat præclara ædificia, & vbique circum amæniſſima prata, & ſyluam iucundiſſimam nō procul aſpiciat,& habeat aerem ſaluberrimum,cum etiam circa ſe multos pagos, & caſtella proſpectet ac munitiones. Eſt autem hæc ciuitas omnium ampliſſima inter Batauos, & prima fortaſſe iure cenſeri poſſet, quamuis ſecunda ſit credita dignitate. Memorabilis eſſe poteſt hæc vrbs ob diuinum prope inuentum imprimendorum librorum, quod fuit Ioannis Gutembergii primùm excogitatū anno ſalutis noſtræ. 1453. qui cum rudem quandam rationem prius inueniſſet, vti ſunt res prope omnes recens ortæ,habuit famulum ſatis callidum,& artis domini obſeruantem. Famulus mortuo Ioanne vbi Mocontiacum adiiſſet artem ad meliorem rationem perduxit,atque inde didita eſt fama quòd eius vrbis fuit inuentum. Federicus Toletanus antequàm caſtra ad vrbem poneret, caduceatorem mittit, qui Haerlemenſes ciues ad deditionem hortaretur, ſed ciues ad Nardenſe exemplum ſuſpectam habentes fidem Federici,glorioſius ꝓ patriæ defenſione mori decernunt,quā ſuſpectæ hoſtis fidei vitam,& pudicitiam vxorum ac filiarum committere, quare neque aures quidem præbere adhortationibus volunt. Decernunt ſumma contentione vrbem defendere, omniaque pericula per fortitudinem militarem propulſare. Hiſpanæ igitur copiæ poſt expugnatam munitionem ſuperioribus etiam victoriis elatæ magna alacritate Toletani iuſſu totis viribus contendunt ad obſidendā vrbem Haerlemum.non procul ab vrbe poſitis caſtris erecti ſunt corbes terra pleni. ducti aggeres.excauatæ foſſæ militares.tormenta inter corbes locata,& in vrbem directa.vrbs recognita ad concutiēdum,& inſtituta verberatio, quo per ruinas verberationis via pateſieret diſruptis mœnibus ad inuadendum.omnia quæ pertinerent ad obſidionem expugnationemque vrbis ab Hiſpanis copiis diligēter procurata ſunt,& coordinata.ſed non minor erat induſtria præſidiorum, quæ erant validiſſima, & pugnaciſſima,cum ineſſent quinque millia exercitatorum militum, ciuium octo millia,cum multis ex Olandæ locis eſſent accita, cum irrita facerent omnia Hiſpanorum cōſilia.Nam quamuis vrbs neq; natura,neq; arte valde eſſet munita,tamē inexpugnabilē illam faciebat virtus præſidiorum,cū tantundem vel etiam plus longarum noctium beneficio, & frequentia hominum reficeretur,quantum vis tormentorum diurnorum deuaſtarat,cum etiam foſſæ altiſſimæ ac late,& validiſſimæ reparationes interitus excitarentur. obſidentes quia uiderent tantum per noctem refici, quantum per diem

Sparendamū captum.

Haerlemi deſcriptio.

Imprimēdi ars inuenta.

Haerlemi obſidio.

diem tormenta deuaſtarent, decernunt eſſe deueniendum ad vim ligonum, quæ via quamuis ſit lõgior, tamen ſecurior apparebat. ſic igitur per vim foſſarum propinquandum eſſe vrbi Federico Toletano ſummo eius expeditionis imperatori viſum eſt. Cępta res eſt ita agi. occupata eſt nõ multo poſt longum certamen ſine tormentis, in quo prælio ceciderunt è defenſoribus plures centum, & quinquaginta, ex oppugnantibus etiam plures. Sic igitur mœnibus propinquatum eſt. Nec ita multo poſt Hiſpanæ copiæ locum alium munitiorem occupant, qui erat elatus ad ſtaturam duplicem hominis, quæ cum feliciter ſuccedere obſeſſoribus ægre ferrent præſidiarii milites decernunt illam felicitatem aliqua inſigni clade rependere. inſtructi itaque ad mille & quingenti pedites, & pauci equites magna diligentia ac virtute egreſſi in Germanos impetum faciunt. pugnatur ab egreſſis multa alacritate. non nullæ cohortes Germanorum in morem pecudum trucidantur. capta ſunt ſex vexilla, & totidem bellica tormenta. His vbi opem ferret cohors vallonum, & ipſi miſerabiliter cęſi ſunt. Sed enim cum totis caſtris conclamatum eſſet ad arma, omneſque copiæ conceſſo ſpatio inſtruendi conuenirent ſubſidio multis vallonibus, & Hiſpanis accedentibus accurrentibuſque ad clamorem è caſtris, magna fit impreſſio in egreſſos, qui tantum numerum pugnatorum iam ſuſtinere non poterant. multis itaque amiſſis è ſuis reiecti ſunt ad portas vſque ciuitatis. Dum frequentibus minutis præliis, & omni genere oppugnationum ac defenſionum certatur ad vrbem Batauorum Haerlemũ, Boſſuenſis regulus ſummus imperator Hiſpanæ claſſis in mari Britannico fit obuius hoſtili claſſi, quæ conſtabat è quinquaginta nauigiis varii generis. habebat Boſſuenſis quadraginta & quinque naues onerarias egregiè ad pugnam inſtructas, & quatuor actuarias. veruntamen cum vellet hoſtẽ cogere ad pugnam, illud obtinere non potuit, qui cum ſecũdus ventus aſpiraret deuitata pugna prius in tutum ſe recepit, quam illam Boſſuenſis poſſet comprehendere. Ex alia parte Batauorum principes quidam factionis nouæ religionis, quoniam putarent ſe poſſe per repentinum conatum Medelburgo potiri, nihil tale opinantibus Medelburgenſibus præſidiis, quòd illa vrbs apparebat remota eſſe procul ab omni bellica ſuſpicione, ad quinque millia peditum, & nonnullos equites clã, repenteque colligunt. illis cohortibus properè ad exequendum ſuſceptum conſilium properantibus clam per noctem repente admotis ſcalis vrbem adoriuntur, Remechinumque oppidulum conantur eodem conatu occupare. Trepidatum eſt non parum tota vrbe, quoniam & res repentina, & obſcuritas noctis terrorem adaugebant: veruntamen Hiſpana præſidia cum non ſegniter omnia, ſed vigilantiſſimè cuſtodirent, non modo his nocturnis inſidiis fortiſſime reſiſtunt, ſed etiam tanta virtute, & alacritate animi pugnarũt, vt inſigni clade inuadentes affecerint. ſed enim quòd obſidio Haerlemi diu fuiſſet protracta inter varia leuia certamina, decretum eſt vt auxilia in Belgium ab Hiſpanis mitterentur, quia caſtra Regia iam morbo & ferro multis cadentibus eſſent debilitata, quo iuſſa ſunt octo Sequanorum Regimẽta conuenire, cenſaque ſunt in agro Cremonenſi Italiæ quindecim millia peditum Italorum, cum nonnullæ etiam cohortes Hiſpanorum iter iam cepiſſent in Belgas. Interea moleſtiſſime ferebant vniuerſæ Zelandæ vrbes, & Olandæ nouam religionem complexæ Haerlemenſes in tanto miſeriarum cumulo, rerumque omnium penuria, & in extremæ vitæ periculo poſitos, nullis auxiliis ab Aurantio principe ſubleuari, præſertim cum ipſi pecuniam, & commeatum, & alia neceſſaria obſeſſis pleraque contuliſſent. Idcirco Aurantius inſtructis nonnullis nauigiis, & terreſtribus copiis ad quingentos carros ſecum adducens cum armis, commeatu, apparatu bellico, & tormentis primum irrumpit in caſtra Germanorum, quæ ad nemus vrbi propinquum conſtiterunt. eorum excubias obtruncat, quod vbi à Regiis copiis cognitum eſt, vbique ac totis caſtris concurſum eſt ad arma, & cum hoſtibus dimicatum. certatum eſt ſane primũ acriter vtrinque, ſed Aurantiani pugnantibus ſtrenuè Germanis, & Sequanis denique impetum ſuſtinere non poſſunt, quare coguntur ſe in fugam vertere. cæſi ſunt ad mille & ſexcenti in illo certamine, quorum capta ſunt quatuordecim ſigna militaria, & decem tormenta, & trecenti ferè currus, quare omni ſpe ſubſidiorũ Haerlemenſes ſunt deſtituti. per quod tempus obſeſſi vrbem ſubleuandam eſſe rati imbellibus illis, qui tamen annonam abſumerent, neque poſſent ſuſtinere munia vel difficultates militares, pueros & fęminas, & ſenes multos ex vrbe emittunt. illam vrbis obſeſſæ ſubleuationem non æquo animo ferentes obſeſſores Hiſpani cum multis eiulatibus, & lacrymis in vrbem repellunt. cæterum Harlemi præſidia poſt multas verberationes vrbis Hiſpanorumque conatus cum ſe fortiter defendiſſent, auditis his tot auxiliis, quæ in caſtra Hiſpanorum propediem ventura intelligebantur, cum etiã cõmeatus vndique intercluderetur, veriti ne ſi collectas vires expectarent non poſſent poſtmodo reſiſtere iam diuturnitate defenſionis defeſſi, cum multi in frequentibus præliis cecidiſſent, atq; eadẽ multorum munia paucis incumberent, ſeptimo obſidionis menſe denique ſtatuunt ſe fidei, clementiæ, humanitati, miſericordiæ Hiſpanarum copiarum ſummi imperatoris dedere. Res ita denique conuenit vt præſidiis Haerlemi exire licitum eſſet incolumnibus quocunque liberet cum impedimentis. qui quoniam rogauerunt ciues ne paterent direptionibus militumque auaritiæ, iuſſi ſunt diſſoluere quantum ſua ſuppellectilia fuiſſent æſtimata. atque cum ex altera parte excederent præſidia, ex altera ingreſſus eſt, qui illuc conuenerat Boſſuenſis regulus cum decem cohortibus peditum. Fererici iuſſu necata ſunt partim fame, partim ſuffocata in aquis partim cæſa circiter duo millia hominum ab Hiſpanis ex Haerlemi ciuibus. mirum eſt quanta conſtantia obſidionem tulerint, cũ nullum animal uiuum in urbe poſt deditionem inuentum ſit, nulla radix herbarum interra vel foliũ in arboribus, cum id accidiſſet menſe Iulio. Albanus deinde cum cędiſſet ob odium ab omnibus parcum fieri, ne vniuerſam exiſtimationem vno tempore amitteret, forte in Hiſpaniam è Belgio cũ multa præda recedit, cuius in locum ſuffectus eſt Ludouicus Requeſenius regulus. At vero reiectis illis copiis, quæ Medelburgum inuaſerant, cognitum eſt illam vrbem nõ fuiſſe tentatam ſine aliqua ſpe

Medelburgũ tentatum.

Haerlemi deditio.

proditio-

proditionis: nam ſtatutum fuerat vti commiſſo leui prælio, ſi ita contigiſſet, cum primis copiis, alia porta à coniuratis, conſpirantibusque ciuibus occuparetur, vnde effectum eſt vt copiæ quæ conuenerant è Fleſinga, totum negotium in magnam trepidationem coniecerint. Hoſtibus ita per virtutem præſidiorum, vigilantiamq; reiectis cum ciues importunè ac nimis immaturè vel ante tempus tumultuari apparuiſſent rem patefecerint, quorum circiter triginta capti ſunt, & in vincula coniecti, feceruntque vt diligentius inuigilaretur. Atqui dum res ita turbulentæ ſurſum deorſum agitantur in Belgio, neque res Turcica quidem ſine aliqua moleſtia tranſigitur; nam multa nauigia Turcarum repentina vis tempeſtatis demergit vnà cum mercimoniis in eo mari nauigantia, quod inter Byzantium ac Mitylenen interiacet, cum multi etiam mortales vna cum nauigiis intercidiſſent. Neque valde pacatæ res erant Polonorum, quoniam Scythæ perpetuis latrociniis aſſueti collectis mul tis armatorum millibus, cum etiam perpetua ſint odia inter illas nationes, ſeſe accingebant ad Poloniam ferro ignique populandam. At Poloni contra collectis, & ipſi magnis copiis ad defenſionem conuulſis ſignis ad profectionem obuiam hoſti procedunt. vbi propius ventum eſt, pugnatum eſt totis viribus. poſt multas hinc inde impreſſiones, fortuna belli modo hos, modo illos ad ſpem victoriæ erigente magna virtus in vtriſque pugnatoribus enituit, quæ cognita eſt per inſignē vtriuſque exercitus cladem. victoria tamen fuit penes Polonos cum cæſa ſint ad quadraginta millia Scytharum, quorum vel rex ipſe cecidit in acie, quæ clades imperatori Turcarum ſanè accidit per quã moleſta. Byzantii tamen nulla diligentia deerat, quæ comparandis ingentibus claſſibus neceſſaria videretur, cum ſeptuaginta triremes Byzantii, quadraginta & tres in mari Euxino, viginti & duæ in Helleſponto, ac duodecim quinqueremes præterea dicerentur eſſe exædificatæ, quo additæ ſeruatis à Luzali triremibus ſatis formidabilem claſſem poſſent efficere. At Selimus Turcarum imperator quoniam Cypri regnum paulo ante ſub Venetis florentiſſimum per crudelitatem immanitatemque ſuperiorum bellorum propè fuiſſet deſertum, vel certe miſerabiliter deuaſtatum cæſis vel in ſeruitutem adductis colonis, vel etiam ad montoſa loca propter metum ſecuritatis cauſa profugientibus, ne tam opulentum tamque amplum regnum vaſta relinqueretur eſſe ſolitudo, iubet promulgari edictum, per quod libera facultas omnibus profugis Cypriis ad ſua redeundi proponebatur, qui inſulam vellent habitare. illo edicto montanis hominibus tam ſalubri effectum eſt, vt inſula rurſus habitari cœperit, cum nihil tam prouincias repleat colonis, quam clementia principis, quæ tamen coniuncta ſit cum iuſtitia. refectæ, inſtauratæq; ſunt munitiones per rabiem bellorum deuaſtatæ cum multi confluxiſſent è Cilicia quoque, & Pamphylia, & Cappadocia ad ipſam inſulam habitandam. conceſſum eſt etiam Cypriis colonis vt ad arbitrium pro ſuis legibus, auitiſque ritibus viuerent, haberentque formam propè reip. modo in illis quæ ſpectarent ad principem parerent præfectis imperatoriis, ordinariaque tributa, & vectigalia viritim imperatoriis miniſtris diſſoluerent. ſic effectum eſt vt inſula, quæ prius ad vltimum excidium propè fuerat perducta, per Selimi prudentiã ex parte priſtinum ſplendorem recuperauerit. Eadem ratione intercedente Gallo oratore cõceſſum eſt Chiis ciuibus, vt in patriam redirent, patrioſque magiſtratus inſtituerent, ac ius dicerent ciuibus, ſed Turcici tamē præfecti poſſent appellari tanquam ſupremus magiſtratus: per quod ferè tempus rumor ingens per vniuerſas oras maritimas peruaſerat, qui afferebatur Byzantio ducenta & octoginta nauigia bellica Turcarum exiuiſſe nauigantia in mari Metapontino, atque apparuiſſe nõ procul ab Apeneſte, quæ accederent ad deuaſtationem Apuliæ. Illo nuntio Pontifex duos tribunos militum cum Adriano Balleono mittit Anconam, qui & eius vrbis ſaluti, & vniuerſorum populorum agri Piceni incolumitati conſuleret. Vbi omnia fuiſſent ſatis apte ad defenſionem comparata & inſtructa, ſummaque diligentia proſpectaretur conſilium tantæ claſſis, non multo poſt cognitum fuit ad quinquaginta roſtrata nauigia tantum iuxta Præcutinorum Samnitumque litora nauigare, cum ſæpe Turcæ exirent ad latrocinia. atque quamuis peſtis, & annonæ penuria tantum numerum nauigiorum Turcicorum exire non pati poſſe videbatur, quantus dicebatur, quæ calamitates non Byzantium vrbem ſolum, ſed etiam multas orientis regiones occupauerant, tamen trepidatum eſt, & creditum illa nauigia præmiſſa fuiſſe à reliqua claſſe ad explorandos apparatus, & conſilia Chriſtianorum. Henricus auditis comitiorum Varſouienſium legationibus, acceptiſque literis, & diplomate de regno ſibi delato, cognitoque deſiderio procerum, quia multis precibus inuitabatur in Poloniam, primùm iurauit in conditiones ab oratoribus ſenatus nomine oblatas, ſine præiudicio ſucceſſionis Gallici, regni ſiquando ad ipſum perueniret, deinde multos magiſtratus diuendit in Gallia de conſenſu reginæ matris ad colligendam pecuniam, omnique ratione qua poteſt nummos comparat, quo ſatis conditionibus faceret per Monluchium epiſcopum oblatis in comitiis. Nam vel ante iam cœptum erat pecuniæ ad nutum magiſtatus, hoc eſt populorũ ſubditorum gubernationes plus offerentibus deferre, cum tamen honores, & magiſtratus, & adminiſtrationes ſubditarum gentium rectius prudentiæ, & paternę charitati, quam auaritiæ ſint committendæ. facta eſt tamen pecunia magiſtratuum mortaliumque omnium regina. collecta ſunt vicies centena millia nummum, & amplius, quibus ita comparatis rex nouus ad iter ſe accingit. comitata eſt Henricum regina mater cũ quingentis equitibus Canodurum vſque, cum multi etiam Galli proceres, & magna nobilium manus amicorum, quæ vndique confluebat, nouum Regem in regnum proficiſcentem comitaretur. proceſſerunt obuiam honoris gratia nouo Regi multi proceres Poloni, qui antequam Hēricus iter capeſſeret in Galliam vſque peruenerant. At Germani principes, & Saxones in primis cognita tanta multitudine comitantium, quæ ad iuſti exercitus formam propè accedebat, veriti nequid inſidiarum forte ſub his lateret, ſuſpicatique ne per fallacias opportunitas rerum nouarum quęretur ſimulata beneuolentia, & ſocietate noui Regis multos equites, & pedites ad ſigna vocant, magnaque diligentia

Scytharũ clades inſignis.

Cyprus inſtauratur.

Chios inſtaurata.

Iuramētum Henrici Regis.

ligentia copias vbique conſcribunt. Henricus auditis his tantis Germanorum principum bellicis apparatibus dubio fit animo an per Germaniam in Poloniam ſibi eſſet accedendum, vel alia via capeſſenda. Et iam rumor exierat quòd cęperat mutare de via conſilium, qui a vellet abſtinere ab illo itinere. Germani principes cognita per nuntios Regis ipſius dubitatione, legationes vltro mittunt ad Regem, quæ ſignificarent, docerentque Germanorum apparatus factos eſſe tantos ad tollendas ſuſpiciones ſubditorum populorum, retinendoſque animos illarum gentium in beneuolentia, quæ ſe prodi ac deſeri querebantur ſi tot exterorum copiis ipſi inermes fuiſſent expoſitę.

Callidum dictum Germanorum.

Non enim hæc videri poſſe vllo pacto parari aduerſus illum Regem, qui ſibi nullarum iniuriarum in Germanos principes fuiſſet conſcius. ſeſe tanquam principes Germanos, hoc eſt fidei & iuſtitiæ ſeruantiſſimos non ſolum omnem ſecuritatem & pacem & amicitiam Regi polliceri, ſed etiam omne genus humanitatis, hoſpitii, benignitatis, modo per amicam regionem tranſire ne vereretur, ſi ſibi cōmodum ſit. Harum legationum oratione, fideque accepta confirmatus Henricus Polonię Rex cum omni comitatu peruenit ad fines Intuergorum. Fuerunt inter comites multos qui vna cum Hērico iter faciebant præcipuæ nobilitatis, & autoritatis ſacer purpuratus Lotaringiæ, & Auguſtonometenſis, & Alenconius frater Regis, & Ghiſius & Condæus & Laſchus reguli, & oratores Poloni, pręter alios multos. Henrico fit obuius ad fines ſui principatus filius comitii Intuergorum honoris gratia cum quadringentis equitibus, multiſque peditibus ſclopettariis, quem ad vrbem profectum cum magnificentiſſima pompa, & apparatu Comes ipſe in hoſpitium accepit. Carolus Gallorū rex quia morbillis laboraret in finibus Sequanorum, quamuis ingentem lætitiam cepiſſet e regno fratri delato, tamen propter valetudinem his rebus intereſſe non potuit. Cęterum Hiſpani quòd ægerrime ferrent ſolutionem fęderationis, vt diximus, armorumque Venetorum diuiſionem, & quòd Pontifex plurimum illud cenſeret referre ad ſecuritatem totius Italiæ, rurſus renouat Romæ de ſocietate belli, nouaque fęderatione cum Venetis ineunda colloquium, & de dandis obſidibus ſiue pignorib. ad confirmationem & obſeruantiam pactionum, quia dicebatur Selimus aures occluſiſſe ad iuſtiſſimas petitiones Venetorum, neque uoluiſſe audire illorum legationem, cum ſemper audientiam differendo illorum ſpem fruſtraretur, cui ſatis eſſet tum potentem hoſtium fœderatorum ſocietatem diſiunxiſſe. Neque vero Venetum oratorem ſolum ita ſuſpenſo ſollicitoque animo tenebat Turcarum imperator ad expectationem rerum futurarum, ſed etiam cum Cęſareo differebat inducias ſæpius tergiuerſando, qui petebat illarum confirmationem Byzantii, quia tempus ſuperiorum induciarum dum procurat audiri, fuiſſet prope delapſum. Iſtud fiebat à Selimo de purpuratorum conſilio tum quia meliores conditiones ab vtriſque per ipſam difficultatem rerum videretur poſſe extorquere, tum etiam quia barbaræ mentes in difficultatibus rerum, colloquiorum, negotiorum multū grauitatis, & exiſtimationis ineſſe putant, quibus quæ facilia ſunt per humanitatem, videntur ſordeſcere, & eſſe leuia, cum tamen reipſa aſperitas ingeniorum, & impudens arrogantia certiſſimum ſignum inſcitiæ, & abiecti animi ſit ſemper à ſapientibus iudicatum.

Aſtutia Turcarum in negotiis.

nam qui ſe nimis difficilem in rebus tranſigendis prębeat, & in primis ſupplici, niſi contra ęquitatem quidpiam expetatur, qui vir bonus & prudens, ac nō inhumanus, & ruſticus planè eſſe poteſt? ut enim nobiliores arbores melioris ſucci fructus producunt, ita nobiliores ſunt mores ac mitiores nobiliorum animorum. & quoniam per illam opportunitatem lapſarum per tarditatem Selimi induciarum ab auariſſimis inhumaniſq; Turcis crebræ fiebant incurſiones & prædationes, vt dictum eſt, in fines Cæſarianos, Cæſar ad refrænandum latrocinia immanium finitimorum atque auiditatem, iubet in ſuis finibus munitionem in Pannonia excitari, quæ eſſet tāquam agger vel propugnaculum aduerſus barbaricas irruptiones, ne vlterius in fines Cæſarianos excurri poſſe tutò arbitrarentur, atque cogerentur vlterius progreſſi de reditu eſſe ſolliciti, purpurati Turcæ, qui erant cum imperio in illis finibus, finitimiſque regionib. cognito Cæſarianorum conſilio collectis repente multis cohortibus militum exeunt in apertū, quibus turpe, & damnoſum apparebat ſi æquis animis paterentur munitionem in illis finibus excitari,

Munitio Cæſarianorū capta.

vnde poſtmodo non ſolùm aggerem eſſent habituri vltra quem tutò excurrere non poſſent, ſed etiam vnde eruptiones Cęſarianorum hoſtium in agrum Turcicum breui forent expectandę. Turcæ itaque multis copiis undique collectis è proximis quibuſque regionibus, quę vires conſtabant è viginti & quatuor ferè millibus armatorum, quarum maior pars erant pedites, repente munitionem inuadunt. Hę copię cum minime omnium illo tempore expectarentur poſt breue repentinumque certamen omnes operas & milites in munitione inuentos trucidant miſerabiliter, quorum cæſa ſunt ad quatuor millia. munitionem euertunt. tormenta & bellicos apparatus, & impedimenta, & omnia inuenta diripiunt & auferunt. Quæ dum gerebantur in finibus Pannoniæ, Ioannes Auſtriacus nihil minus conuenire ingenuis animis quam ocium & deſidiam ratus, certiſſimum excidium omnium nobilium ingeniorum, cenſuit rebus Siculis, & Italicis optimè conſultum fore ad ſecuritatem & ſalutem ſi quantum poſſet per anni tempus in Africa, vlterioreque litore Numidarum, quæ regio oppoſita eſt Italiæ, locorum occuparet; quo facto videbatur ab Italiæ cogitatione Turcarum conſilia ad propriam curam defenſionis conuertere, qui magna ex Africæ parte fuiſſent excluſi, ſi qua memorabilis impreſſio in illa loca facta fuiſſet, quæ expeditio ſanè fuiſſet vtilis, ſi tam fortiter ſuſtentata, quàm ſapienter ſuſcepta, fuiſſet. Eo conſilio ingenti claſſe vndique in Siciliam accita, omnibuſque rebus neceſſariis egregiè inſtructa comparatis circiter octoginta triremibus, multiſque nauigiis varii generis vbi tempus nauigationis apparuit cum vniuerſa claſſe, multiſque armatorum millibus in Africam traiecit. Putabat enim fore Auſtriacus, vt deiecto è regno Luzali Tunetano Rege Selimi amico, alioque Rege in illud regnum ſibi amico ſubrogato, Numidarum animi ad amicitiam, beneuolentiam, obedientiam Philippi Regis accurrerent, aut ſaltem

fierent ali quo pacto magis propenſi. Sed populi, genteſque omnes, & in primis Numidę, maximè leues vergunt in quam partem fortuna magis ſecunda aſpirarit, cum pauci omnino amici perſtent cum infortuniis. nam omnes propè mortales amici ſunt potentiæ, ſiue victricis fortunæ, cum nulla vere mortalium ſit potentia niſi magna lædendi poteſtas; quia vera potentia eſt ſolius Dei, benefaciendi ſcilicet facultas. homines enim vt potentes ſint, indigent etiam multorum opera ad citam euerſionem rerum optimè conſtitutarum, cum ſolus Deus ſine adiutoribus euerſa ſtatim poſſit excitare.

Potentia hominum qualis.

Inuitauerant Auſtriacum ad illam expeditionē præter ſuperius dicta conſilia, frequentes preces, & adhortationes illius Amidæ, qui patrem Muleaſſem tam crudeliter per ſummam perfidiam, & impietatem, & regno, & oculis priuauerat, qui & ipſe à Luzali eiectus è regno ad Galatæ aſylum confugerat, & in priuata domo multos annos cum duobus filiis puberibus habitauerat. Hic propter eximiam cupiditatem recuperandi regni paterni per arma Chriſtianorum, cum ægerrimè ferret vitam priuatam pro regia magnificentia, (nam cæteris imperare, & poſſe voluptates explere, pleriſq; inſulſis omnium rerum humanarum feliciſſimum iudicatur, quod alii cenſent pauciſſimis indigere,) ſæpe ſollicitauerat arma Chriſtianorum per literas, inuitaueratque ad illam expeditionem alacriter ſuſcipiendam, ad quam profitebatur ſe magnum numerum equitum ac peditum eſſe habiturum illorum amicorum qui Amidanas partes tuerentur, & aduerſus Luzalis auaritiam, & crudelitatem illas ſequerentur. Pollicebatur præterea magnam commeatus, & rerum omnium expeditioni neceſſariarum copiam, modo Chriſtianorum arma ſeſe tantum illis finibus oſtentaſſent. ſic partim ſpe confirmandæ Italicę tranquillitatis, partim etiam ſpe dilatandi imperii in Africa, Hiſpana claſſis ſoluens è Sicilia vbi diu ſtetiſſet in anchoris propter tempeſtatem felici deinde vento vſa breui peruenit ad Africę litora, quæ diſtant à Siciliæ promontorio Pachino minus centum miliaribus, non ſatis amplo maris ſpatio interiecto. Vbi claſſis illuc applicuiſſet, epibatæque feciſſent deſcenſionem, Hiſpani primo conatu Tuneto vrbe nemine repugnante potiuntur. Eſt enim Tunetum vrbs Africæ nobilis, & ampla ac metropolis illarum regionum non procul à mari ſita, ſed parum munita aduerſus externas vires hoſtium, quę tamen non aliunde apparebant imminere quàm ex mari, cū Chriſtiana etiam claſſis videretur parum pertimeſcenda, vbi præſertim tot millibus ſubditorum eſſet vrbs circumuallata. Habet Tunetum Vticam ad meridiem vrbem celebrem morte alterius Catonis. ad ſeptentrionem proſpicit mare Mediterraneum, & Sardiniam, & Cyrnum inſulas non multo traiectu maris. ad orientem non valde amplo ſpatio diſtat à Meninge ſiue Lotophagite. ad occaſum Iuliam Cæſarienſem, & Buyzam Coloniam ad Columnas Herculis, exterioremque oceanum nauigantibus proſpicere licet.

Tuneti deſcriptio.

Hæc vrbs vbi primo ac propè repentino Chriſtianorum conatu capta eſt, diripitur, atque Rex in ſeruitutem ab Hiſpanis copiis capitur, neq; vlla propè fit cædes Tunetanorum ciuium. Amida, qui magna equitum ac peditum auxilia pollicitus fuerat ad illam expeditionem, non modo nihil præſtitit quo putari poſſet ſollicitaſſe auxilia amicorum, ſed etiam vbi primū claſſis applicuit multis, & non dubiis de cauſis venit in ſuſpicionem ambiguæ fidei, quia putaret nō ſibi, ſed Mahometto fratri regnum recuperari, quare cum duabus triremibus, & ipſe & filii ſunt in Siciliam tranſmiſſi. Nam cum Mahomettus Muleaſſis filius, fraterque Amidæ diceretur cum claſſe Hiſpana proficiſci in Africam, vt per arma Chriſtianorum rex crearetur regni paterni, quem Amida odio incredibili proſequebatur, voluit Amida ſe è triremi in mare præcipitare, ſed retentus cōfirmatuſque fuit à filio Amida, qui patri demonſtrauit miram ſemper fuiſſe fortunę volubilitatem, neq; quidquam optabilius aut magis ad uoluptatem, ſecuritatemq; regni poſſe Mahometto, cæteriſque inimicis contingere quàm vt ſuos inimicos videāt iacentes, & cruētatos & propriis armis cōfoſſos, neque potuiſſe fortunæ incōſtantiam ob imbecillitatem animi expectare. omnes populos primum ſequi ſolere victricis fortunę obſequia, & proſperos euentus ab inclinata vel iacente deſciſcentes, ſed tamen nihil in rebus humanis ſempiternum eſſe, ac neq; diuturnum quidem. oportere meminiſſe propriam & peculiarem atq; contubernalem plantam Numidiæ eſſe perfidiam, cum illa natio per raro ſuis ciuibus fidem ſeruet, nedum externis, & diſſentientibus longiſſimo ſpatio de religione, & moribus. Fieri non poſſe vt res Africanę diu tranquillæ ſint ſub Hiſpanorum imperio, cum Ioanes Auſtriacus rectè, ſapienterq; conſiderantibus conſilia Turcarum, amplitudinemq; imperatoris Selimi, rectius videri poſſit in Africam nauigaſſe ad irritandos crabrones in annum ſequentem, quàm ad acquirendum, & confirmandum regnum Numidiæ. non eſſe in rebus aduerſis nimis triſtādum, neque nimis lætandum in proſperis, quorum alterum qui faciat, non poſſe cenſeri ſapientē. Poſſe facile contingere ut Numidę pertęſi harum tot, tamque calamitoſarum mutationum vltro natiuos & acutos Reges inuitent ad imperium Numidiæ. Qui vtranque fortunam fortiter perferre nō poſſit, non ſolum non eſſe Regio ſed neque forti quidem dignum nomine, cum Regium ſit ſapere ſupra alios, & eſſe animo inuicto ac celſiore, quam plebs ſit & vulgus ignobile. Non eſſe primū Amidam è regno deiectum, qui poſſit ad illud recuperandum, & ad meliorem fortunam aſpirare per ſtudia ſubditorum. certiſſima clariſſimaque exempla multa recitat inconſtantiæ rerum humanarum, & eorum principum, qui amiſſa regna reciperarunt. atque vt vitam ſeruet addit preces, & lacrymas. His partim commotus, partim etiam confirmatus Amida ſtatuit fortunæ mutationē aliquanto mitius perferre. Auſtriacus his rebus feliciter ſuccedentibus Mahomettum Regem dicit, quem gratum fore illis populis ſperabat, ac tributarium Philippo Regi inſtituit, cuius de fide amicitiaque ſeruanda accepit iuramentum. ſic omnia ſuccedunt è ſententia Auſtriaco ſine puluere & ſudore. ſed enim quę loca facile capiuntur, facile amittuntur, vbi maiores vires acceſſerint, niſi muniantur rebus omnibus neceſſariis ad defenſionem. patet igitur neque potentiores claſſes, neque præpotentes exercitus eſſe iniuriis laceſſendos, cum tamen aduerſus hæc omnia defenſio nunquam non maxime ſit ꝓbabilis.

Amidæ filii oratio.

babilis. at enim vbi difficillima ſint ſubſidia ob amplū maris interuallum, ibi præualeat is plerunq; neceſſe eſt, qui claſſicis viribus præſtiterit, quamobrem qui relinquuntur in præſidiis huiuſmodi locorum, quò auxilia ſubmitti non poſſint, arbitrio fortunæ vel hoſtium relinqui cenſendi ſunt. Hoc conſilio Auſtriacus quamuis iuberetur ſententiam exequi Hiſpani conſilii, hoc eſt hominum lōgiſſime diſtantium, atq; vtinam non imperitorum rei bellicæ, tamen non expectato mandato ex Hiſpania ſtatuit illud regnum quacunque poſſet ratione in obſeruantia regia ſtabilire. verumtamen ne ſolus autor huiuſmodi conſilii fuiſſe appareret, cōuocat omnes inſigniores proceres ad comitia militaria, viroſque præcipuæ autoritatis, inter quos fuerunt Paulus Iordanus Vrſinus ſummus imperator peditatus. Marchio ſanctæ crucis præfectus triremium Neapolitanarū. Ioannes Cardona præſes claſſis Siculę. Io. Andreas Auria præfectus Genueſium triremium. Gabriel Serbellonus Mediolanēſis præfectus tormentario negotio. octauius Gonzaga Mantuanus, & alii per multi. Propoſitum fuit in illis comitiis quid magis opportunum videretur ad ſtabiliendum illud regnum ſi forte Turcica claſſis illuc anno ſequenti appelleret, quoniam Selimus non putabatur ęquiſſimo animo laturus, vt in ſuis regnis pro arbitrio Regis Hiſpani Reges amici Selimo in Africa eiicerentur è regno, & infenſi ac hoſtes Selimi ſubrogarentur. Aliis igitur placebat Vticæ, aliis Tuneti, aliis munitiones alibi excitari, firmaq; pręſidia imponere, quæ ſatis validè poſſent impetus hoſtiū ſuſtinere. præſertim amico Rege Tunetano nomini Hiſpano, & plurimis, maximiſq; beneficiis aſtricto, omniq; Numidarū multitudine obligata, quæ non apparebat admodum hoſtiliter ſuperioribus temporibus ab Hiſpanis finitimis fuiſſe tractata. Aliis, quibus ſuſpecta erant ingenia leuiſſimorum Numidarum, non ſatis hæc habere firmamenti videbantur, ſed iudicabant rem confirmandam ſtabiliendamq; eſſe aliqua validiore ratione, quam eſſet fides Numidarum, Afrorumq; ingeniorum. Re igitur in vtranque partem diſputata placuit, quoniam ſi Turcica claſſis illuc ſequenti anno aduentaſſet, diutius in iis finib. morari non poſſet, quippe quæ propter longinquitatem tardiſſimè neceſſario accederet prope ſub initium hyemis, munitionem aliquam excitare, quæ vires Turcarum obtūderet, quoniam præſidia ob perfidiam Numidarum in maximo periculo poſſent relinqui, vtpote Turcis, & Numidis vno tēpore expoſita. Exploratus eſt, & delectus locus ad illam munitionem excitandam apud lacum inter Tunetum, & Galathā interiacēs, qui diſtabat à Galathę circiter decem millia paſſum, à Tuneto paulò minus. Præfecti ſunt ſingulis munitionis partibus ac propugnaculis ſinguli duces, qui etiam nomina illis indiderunt, ac ſummus imperator operi perficiūdo præfectus eſt Gabriel Serbellonus cū tribus millibus Italorum peditum, & Montagnanus Salazarus cum totidem millibus Hiſpanorū, ambo viri rerum bellicarum cognitione clari, & munitionum excitandarum peritiſſimi. Illud obtineri apparebat per illam munitionem, vt pręſidia agro proximo imminerent, populique finitimi tenerentur in fide populationum metu, & Galathea tutior fieret ob vicinitatem, cū per lacum facilè poſſet dare & accipere ſubſidia ad omnem opportunitatem. iuſſi ſunt igitur circiter mille Numidæ ſemper eſſe in opere vbi primum deſignata circumſcriptaq; fuit area munitionis, & ſexcēti Itali, qui nullo tempore intermiſſo neq; per diem neque per noctem ſumma induſtria aſſiduè illa excitanda exercebantur. Serbellonus enim, reliquiq; proceres ſummo ſtudio operi inſtabant. His rebus eo conſilio ſtabilitis, vbi nonnihil commeatus, & neceſſariorum apparatuum perficiendę munitioni Auſtriacus reliquiſſet, multaq; promiſiſſet ſe breui miſſurum, rebus è ſētētia feliciter geſtis cum captiuo Tunetano Rege in Siciliam nauigat. Reliquit tamen, & pecuniam in ſtipendia, & bellica tormenta ad defenſionem. Non timebantur magnæ vires hoſtium hoc anno cum longiſſima ſit Byzantio nauigatio in Africam, quamuis nuntiata res fuiſſet Selimo, qm̄ tps anni neque ingentem claſſem parari patiebatur, neque ſi parata acceſſiſſet in Africam, poterat ibi conſiſtere diutius ad obſidionē, cum hæc agi cepta ſint menſe Septembri. Huc accedit quòd tempus ſatis commodum concedebatur Hiſpanis copiis perficiendæ munitioni ante aduentum hoſtium, quia terra poterat conſolidari, & condenſari aggeres, & loca terra plena ſtabiliri vetuſtate, quamuis non valde frequentes fiunt imbres in illis regionibus, qui plurimum conferunt condenſandis, aſtringendis, firmandiſq; aggeribus & propugnaculis è gleba congeſtis, ſi aptam ſtructuram conſecuta ſint: cum noua contra recentiaque opera è terra facile detrahantur, niſi etiam ſæpe ſuapte natura corruant. Ea dum fiunt in Mauritania ad propulſandas in annum ſequentem vires Turcarum, non leuis controuerſia nata eſt Mediolani inter Carolum Boromæum Card. archiepiſcopum eius ciuitatis virum inſignis probitatis, & ingenii, & pręfectum Mediolani cum poteſtate proregia, alioſque nonnullos Regios miniſtros. cauſa diſſenſionis fuit, quia cum aliquot annos archiepiſcopus in vrbe non reſediſſet iudices laici multis in cauſis iura eccleſiaſtica ſibi vendicarant, quę cum Card. iure ſui muneris ad priſtinum ſtatum, eccleſiaſticumq; libertatem vellet quaſi poſtliminio reuocare, iubet vicario munere fungentes Ioā. Baptiſtam Caſtellum Bononienſem, & Io. Iacobum Panicum Maceratenſem pro ſacris ſynodorum & canonum decretis cauſas agere forenſes, neque vllam vel a ſenatu, vel ab aliquo magiſtratu laico aſciſcere ſiue reſpicere facultatem, quicunque ſe ius habere putarit in lites eccleſiaſticas, cum rerum ſacrarum cognitio iure optimo ſpectet ad ſacros iudices. cæptum eſt igitur agi indiſtinctè nulla facta ſignificatione laicis iudicibus. Imperatum eſt etiam ſacris hominibus ut ſiquid controuerſiæ cū laicis haberent, illis diem dici curarent apud iudicem eccleſiaſticum. Nam præter iura ſacrarum canonum inualuit Mediolani perantiqua conſuetudo, vt quamuis actor eſſet ſacerdos, qui alibi ſequi conſueuit forum rei, tamen laicum reum ad eccleſiaſticum iudicem protraheret. Inſtituit præterea Boromęus decem ſatellites cum ſuo duce, qui iuſſi ſunt intrepide exequi quæcunq; fuiſſent iniuncta, ſpectarentq; ad cauſas, & tribunal eccleſiaſticum. Illud cum multis Regiis miniſtris diſplicuiſſet, partim quòd omnes occaſiones aucupabantur, per quas poſſent videri rerū regiarū ſtudioſi,

Munitio erecta in Africa.

Diſſentio inter archiepiſ. Mediolani & miniſtros regios.

dioſi, partim etiam quòd eſſent capti odio Boromaicæ amplitudinis, cęperunt perſuadere duci Al-
berquecio pręfecto Mediolani cum poteſtate proregia paulatim iura regia à Boromęo vſurpari, lai
cumq; forum paulatim per ſacros iudices vaſtam & inuſitatam Mediolani fieri fortitudinem. Inde
iniunctum eſt ſenatus præſidi, & præfecto iuſtitiæ, quem vulgus Capitaneum Iuſtitiæ vocat, vt vide-
rent ne Boromęus importunè ius exerceret in laicos, neq; haberet proprium ſatellitium, ſtatutum
que eſt vt animaduerteretur in omnes, qui in iuſſu præfecti vrbis armati incederent tamque in ſatel
lites Archiepiſcopi, ſicut animaduertebatur in cęteros laicos. Multa pręterea inſtituta ſunt aduerſus
illam libertatem eccleſiaſticam. atq; ſatellitij dux vbi exequeretur quædã de ſententia ſuorum domi
norũ captus eſt pręſidis ſenatus & pręfecti iuſtitię iuſſu ac ſupremi ſcribę, quod etiã eſt inſignis ma
giſtratus nomen, publicèq; funi alligatus & ter cõcuſſus. At Boromęus quia nulla habita eſſet ratio
ſuæ amplitudinis, & quia ſi hoc æquo animo tuliſſet, plurimũ detrahi ſuæ exiſtimationi apparebat,
ſeq; ludibrio fore omnibus, declarat omnes prædictos proceres, & alios quoſdã prætere a miniſtros
eius iniuſtitię incidiſſe in pœnam dirarum imprecationum, quibus omnibus & ſacris & colloquio
cum alijs interdicitur. Fit iuſtitium neceſſario per aliquot dies, donec Pontificis iuſſu per conceſſam
veniam pontificiam in magno Mediolanenſis populi conuentu ac celebritate publicè ſunt abſoluti,
& pro Boromęi ipſius arbitrio pœna pœnitentibus iniuncta, cum non paruo Boromaicæ exiſtima-
tionis incremento. Illa re confirmatus Boromæus, eiusque iudices magno animo quaſi reuocata
ab exilio in patriam eccleſiaſtica libertate, immunitates ac priuilegia tẽplorum ad priſtinam dignita
tem perducit. Sęuitur in omnes impuros adulteros. immundi mœchi exagitantur. Hæreticæ pra-
uitatis pernitioſa ſemina, ſi qua pullularent, euelluntur. omne flagitiorum genus pro viribus è clari-
ſſima & populoſiſſima vrbe exterminatur. Neque illud erat difficilè propter amplitudinem aut fre-
quentiam ciuitatis, quoniam nulla eſt vrbs tanta, tam ampla, tam populoſa, in qua plebs & numerus
ſceleratorum non facilè vel minuatur ſupplicijs pertinacibus, vel fuga exteris indicta, vel temperan-
tia ciuibus neceſſaria: cum omnis tranquillitas ciuitatum conſiſtat in ſapientia & charitate gubernã-
tium; nam ſi parua fiat iactura paucorum improborum, repugnantiumque parere legibus, reliqui ci
ues impuri facilè ad obſeruantiã legum perducuntur. Sed quoniam cum mutationibus principum,
qui ſunt quaſi ſpeculum ad vitã priuatorum, mores etiã ciuitatum facilè mutantur, ſi tantum princi
pes cõniueant, ſolaq; ſtabilia ſunt bona, quæ à ſtabilibus magiſtratibus conſeruantur, impetratũ eſt
à ſummo Põtifice vt ſacer cętus, qui ſupremus eſſet magiſtratus rerũ ſacrarum Mediolani inſtituere
tur ad Romanæ congregationis imitationem. Delecti ſunt iudices huiuſce cõgregationis, qui rebus
omnibus intereſſent ipſe Carolus Boromęus. Quęſitor hęreticæ prauitatis in vniuerſo Mediolanẽſi
principatu. Duo vicarij Boromęi. Sex theologi variorũ ordinum præſtantiores. vnus è ſenatu. duo fi
ſci regij. fiſcus Archiepiſcopi. duo ſcribę. quatuor iuriſc. è collegio Mediolanẽſi, in qua cõgregatione
propriũ munus iniunctũ eſt. Io. Iacobo Panico vt delatas cauſas ac propoſitas pronuntiaret. Atq; cũ
ibi de omnibus rebus ad ſacrã quæſitionẽ ſpectãtibus decideretur, accuſatus eſt pręter cęteros Cidus
vir Hiſpanus ſummus regiæ pecuniæ quæſtor in eo principatu, qui in carcerẽ coniectus ante cogni-
tã cauſam naturæ cõceſſit, cũ tamen omnes Catholicæ integritatis ritus ante mortẽ ſeruaſſet. Enim
uero Gregorius XIII. Pont. Max. vt demonſtraret ſe plurimi facere bonitatem Germanorum inge-
niorum, erga quos erat optimo animo affectus tanquam pater omnium Chriſtianorum erga filios,
collegium inſtituit liberaliſſimè Germanorum in vrbe Roma, quod auxit tãtis annuis prouentibus,
vt centum & amplius Germani adoleſcentes qui dent operam diſciplinis poſſint honeſte ſuſtentari.
nam illi prouentus accedunt ad decem millia nummum. fuit enim Pontificis optimi conſiliũ vt eru
diti ibi adoleſcentes & pietatis & eruditionis & integritatis vitæ poſſint eſſe exemplo clariſſimo cæte
ris Germanis, quæ ſanè animi propenſio in Germanos debet cuiq; iure optimo videri maximè lau-
dabilis. At in finibus Belgarum quamuis ad pacem ſpectare, vt ſuperius dictum eſt, res videbatur, ta-
men quia conuenire nullo pacto poterat de conditionibus pacis, quę proponebantur, pluribus in lo
cis pugnabatur. Sed non ſatis feliciter pugna ſuccedit Hiſpano Regi, quoniam acies Hiſpanæ cõmiſſo
prælio cum copijs Vgonotticis accepta non leui clade fuſæ profligatæq; fuerunt. Sed enim non ſolũ
illa calamitate affectæ ſunt res Hiſpanæ, cũ claſſis etiam quæ nauigabat in mari Britãnico profligata
& capta ſit à Britannis. nam claſſis, quæ Flota vocatur, quæ conſtabat e multis armatis nauigijs par-
tim regijs, partim variorum mercatorum Barcinone nauigans in Belgium cum per exploratores ſi-
gnificata fuiſſet Britannis, collectus eſt magnus numerus nauium Britannarum onerariarum, quæ
epibatis & rebus omnibus neceſſariis ad pugnam egregiè ſunt inſtructæ. mox Britanni Hiſpanæ claſ
ſi obuiam progreſſi planè atrocem & cruentam pugnam committunt in Oceano. Certatur vtrinq;
magna virtute crebris bellicis tormentibus & miſſilibus ignibus & omni telorum genere: ſed Hiſpa
na claſſis & numero nauigiorum & magnitudine ac multitudine tormẽtorum & propugnatorum
inferior euerſa atque profligata in poteſtatem Britannorum denique peruenit, cuius imperator ca-
ptiuus aduectus eſt in Britanniam. capta ſunt multa precioſa ſpolia, & tormenta, & nauigia, & diuer
ſa mercimonia, quæ in illis vehebantur. Sed neque in Morinis tantum aut in Menapiis aut in cæ-
teris Belgarum regionibus vexabantur animi mortalium moleſtia præſentium malorum, verum
etiam variis terroribus futurorum ſolliciti tenebantur, atque in primis iniectus eſt Italiæ metus &
expectatio multarum ac grauium calamitatum, quæ videbantur imminere in annum ſequentem,
cum luna viſa eſſet per noctem ſereno cęlo repente propè deficere, totaq; fieri obſcura. Non enim
ſine aliqua diuinæ voluntatis ſignificatione fieri videri poſſunt, quæ inſitata cœlitus eueniunt. In-
ierat iam annus alter, qui fuit quartus ſupra mille quingentos & ſeptuaginta à natiuitate Redem- 1574
ptoris noſtri Ieſu Chriſti, cum Cæſar propter pertinaciam ac tarditatem confirmandarum inducia-

Vrbes populoſæ vt regẽdæ.

Cõgregatio Mediolani inſtituta.

Flota Hiſpana capta à Britannis.

rum veritus periculum imminentis belli in annum commodiorem educendis copiis, quæ magnæ in finibus Pannoniæ parari & expectari dicebantur, indixit comitia Inutrium omnibus Germanis principibus ac proceribus Imperij, in quibus decerneretur vel de certa pace, vel de certo bello ſuſcipiendo. Nam profectò non ipſi ſolum Imperatori, verum etiam omnibus proceribus ac Germanis principibus periniquum ac moleſtum videbatur conſilium barbarorum, quo vexabantur fines Cæſariani. Apparebat illud tyrannicum planè, quod Selimus nulla laceſſitus iniuria, nulla iuſta, nulla manifeſta cauſa commotus, ſed ſola compulſus auaritia & auiditate occupandi alienos fines ſemper opportunitatem aucuparetur vexandæ Germaniæ & finium Imperii. Quod ſemper parum humano conſilio differret induciarum confirmationem. Quod per illud tempus quod ſua culpa interponebatur inter inducias pateretur tot incurſiones, totque latrocinia fieri a ſuis copiis in finibus Pannoniæ. Quod comprobaret etiam latrocinia quæ à ſuis ducibus præter omnem æquitatem fuiſſent commiſſa. At qui dum proceres imperij ad illorum comitiorum iter ſe accingunt, Henricus nouus Poloniæ Rex poſt multos honores à Germanis principibus acceptos, multamque magnificentiam conuiuiorum atque apparatum comitum proximè ad vrbem Carrodunum deni que accedit, quæ metropolis eſt regni Poloniæ, Regumque ipſorum domicilium, ad locum quendam diſtantem ab vrbe circiter quinque millia paſſuum. Ibi per aliquod ſpatium diei commoratur ad excipiendos proceres & ordines eius regni, atque vrbis ipſius magiſtratus. Et quoniam innumerabilis multitudo effuſa eſt ex vrbe ad ſpectaculum noui Regis, imperatum eſt his à prandio ſtatim vt omnes in vrbem procederent. Habitæ ſunt duæ orationes altera ſenatus, altera vniuerſorum ciuium nomine ſub quadam teſtudine ibi conſulto excitata, quibus vtrique ordines pro fauſto feli cique aduentu gratulabantur, fidemque & obedientiam & obſeruantiam promittebant. Multitudo, quæ prius honoris gratia ex vrbe effuſa fuerat, ea nunc in vrbem redit, atque octo fere millia equitum vrbem verſus iter capiunt, quamobrem acies equitum procerumque ipſius regni permotæ ſunt ad iter, omnes de more equitum leuiorum armatæ, præter mille & quingentos cataphractos. Lanceæ, arma, equi, pueri, multo auro & argento ac gemmis ornabantur, omniſque mirificè arte phrygionica erant picturata. Permultus ſtrepitus tubarum, lituorum, tympanorum, quæ reſonabant in morem Turcicarum pulſationum, cum diuerſis modis Galli, Itali, Germani Turcæ pulſent tympana, neque eandem ſeruent rationem, quæ à peritis vel ex auditu facilè dignoſcuntur. Alij cannas Indicas geſtabant pro lanceis, alii pharetras & arcus. Ante primam aciem armatorum præcedebant ad ſexaginta equites luporum pellibus induti, quorum capita pendebant vtrinque ad aures equorum: at caudæ de pectoribus equitum pendebant, ſic luporum crura priora vtrinque porrecta equorum colla complectebantur. Inter hos procedebant centum & viginti famuli galeati, purpureis induti, cannas Indicas geſtantes. Poſt hos trecenti equites & annulatis interulis & torquibus inſigniti, & lanceis picturatorum vexillorum. Subſequebantur Scythæ & quidam, quaſi tropheum geſtantes cum captiui ſuper plauſtris veherentur, qui latrocinia & incurſiones exercuerant aduerſus Polonorum tranquillitatem, qui profligati fuerant. Secuti ſunt poſtmodo ducenti equites armati de more leuiorum equitum cum interulis contextis è paruis annulis ferreis. Deinde alii centum & triginta. Deinde equi manu ducebantur, inter quos vnus erat candidus villis cincinnatis tanquam agnus. Erant alteri equo alæ iniunctæ & roſtrum & vngues vt ſpectantibus hippogryphus appareret. Hi omnes ordines armatorum pulcherrimis, plurimiſque ornabantur criſtis magnificè induti. Præcedebant his multi induti de more ſeruorum Moſchouitarum galeati cum cannis Indicis, quos ſequebantur centum & ipſi & equi tecti pellibus leopardorum. Poſt ſecuti ſunt pedites armati, & inter hos tympaniſta ac tibicen alter vt aper, alter vt veruex cum mira ſuauitate ſpectantium. Nam innumera propè multitudo non ſolum ex vniuerſo regno Poloniæ, ſed etiam ex omnibus finitimis & longinquis regionibus ad illius celebritatem, magnificentiamque ſpectaculi confluxerat. Succedebant multi cum habitu Pannonum equitum & Triballorum & Myſorum atque hinc ad octoginta nobiles induti pannis argenteis ac ſericis picturatis, qui ſuper humeris ac dorſis geſtabant pelles thoum. hinc ducenti cataphracti cum totidem pueris armati de more Italorum. hinc centum cataphracti armati cum lanceis & breuibus ſclopettis pendentibus ex ephippiis, quorum equi gemmis multis ornabantur. Multi ordines poſtea ſecuti ſunt, acieſque multæ nobilium multis precioſis gemmis ac pellibus inſignitorum, quæ gemmæ in florum formam erant conſtructæ. Vt vero paucis concludam, ad triginta millia equitum precioſis pellibus & equis & gemmis & operibus atque arte inſignitorum procedebant. nam ſucceſſerunt multi cum ſuſpenſis acinacibus de ingentibus aureis cathenis, quorum alij clauas argenteas cum arcubus geſtabant, multos que habebāt pedites magnificè indutos. Et quoniam Rex propinquabat, neque dies vnus capax erat tantæ pompæ, tantorumque ſpectaculorum, multi ordines iuſſi ſunt ſecundum mœnia vrbis procedere ad illam portam, qua exitur in Pannoniam inferiorem, quamobrem ſenatus ſub crepuſculum cum primariis proceribus regiis miſtus cœpit ingredi Carrodunum. At hora ſecunda noctis ingreſſus eſt Henricus Poloniæ Rex, quo tempore tanta fuit lychnorum, funalium, nocturnorumque luminum frequẽtia, vt nox victa ſplendore, eiectaque ex vrbe facilè ceſſerit. Non tamen illud exilium prorſus æquo animo tuliſse viſa eſt, quoniam non eſt paſsa omnem magnificẽtiam cognoſci, quia colores & gẽmarum mirabilitatem magna ex parte occultauit, cum nox ſit grauiſſima in omni nocturno iudicio harũ rerum aduerſaria. nã Poloni proceres & omnis conditionis ciues vt videri poſſent ceteras nationes ſplẽdore & magnificentia apparatuũ antecellere, certatim ſeruos etiam gẽmatis ac precioſis veſtibus induerant, cũ frena quoq; & ſtapedes argẽteos, at nõ ferreos feciſsent, & oẽs ornatus equorũ, & aurũ & argentũ ſub pedibus equorũ, & clauos ex auro adhibuiſsẽt. Ad ingreſſũ

Regis

Henrici Regis acceſſus in Poloniã.

Nox aduerſaria colorũ & gẽmarũ.

Regis multus tormentorum ſtrepitus & clangor militarium inſtrumentorum exauditus eſt. Tum Rex multis præcedentibus & ſtipantibus Heluetiis alabardiferis ac Sequanis ſclopettariis precioſis & ipſe ornatus gemmis ſub vmbella ad templum auguſtius ciuitatis accedit, vbi gratiis Deo actis pro felici aduentu, proq; cōceſſa diuinitus ſibi omni felicitate ad palatium regium procedit. Tertio deinde die auditis legationibus ad ſalutandum profectis, ad Caſmiram, illud eſt nomen pagi parum diſtantis à Carroduno accedit, vbi iurauit de more in leges eius regni, pollicitusq; eſt cum iuramento ſe fore iuſtum & equum principem omnibus. Seruatur enim vbiq; illud inſtitutum vt delecti reges hanc ipſam iuſtitiam profiteantur, quæ ſola eſt anima ciuitatum & diuinum, ſempiternumque vinculum ſocietatum, cum nulla ſit vrbs tam barbara quæ palam ſe iniquam eſſe fateatur, cum omnes magiſtratus aſtringantur iuramento ſeruare leges ſiue iuſtitiam, quod tamen pleriſque in locis ſeruatur tantum verbo tenus. vbi aduenisſet tempus coronationis, Rex acceſſit ad templum auguſtius comitantibus legationibus Pontificia, Cæſarea, Gallica, Pannonica, Suena, Veneta, Electoris Sennonis, Magni Ducis Hetruriæ, tribus Ducis Ferrariæ, duabus Ducis Veſſonum, tribus Marchionis Sennonum, & Ducis Buguntorum ac Prutenorum, & inferioris Pannoniæ. Celebrata ſunt ſacra ſolennia cum magna pompa, atque Rex ipſe vnctus ab Archiepiſcopo Gneſſenſi primario antiſtite eius regni, viroque magnæ authoritatis. Dum Euangelium ſublimi voce pronuntiatur, Rex ſtrictum tenet gladium ſublimem. Deinde vbi ſibi ſiniſtrum humerum ille attigiſſet in vaginam intruſit. Quatuor poſtmodo è primariis proceribus inſignia regia attulerunt, mundum, ſceptrum, coronam, ſtatuta regni. Sed cum hæretici quædam ſibi concedi per iuramentum expetiuiſſent, neque Rex illis voluiſſet aſſentiri, propius periculo fuit ne magnus tumultus excitaretur, resque miſerrima fieret tragoedia. Veruntamen cum multo potentior eſſet factio catholica, Rex de more ſuperiorum Regum tantum iurauit, protectusque fuit à potentioribus ciuibus. Allata poſtea corona populus de more conſulitur an Rex coronandus videretur, quod cum omnes aſſenſiſſent, conclamatusque eſſet Rex ab omnibus vnanimiter, tabulatum conſcendit conſultò ibi extructum, multosque nobiles viros Polonos equeſtri dignitate inſigniuit. hæc tametſi videntur eſſe ſcripta præter inſtitutum, tamen non inutile aut inſuaue aliquando cenſemus fore poſteris legentibus præſtantiorum Principum ritus coronationum vel exequiarum cognoſcere. Sed enim quoniam res Cæſariana in Pannonia apparebat potius ſpectare ad bellum quam ad pacem, quòd induciæ Byzātii ſemper differebantur, comperendinabāturque per varia figmenta, decretum eſt in comitiis Inutrienſibus, quæ indicta fuerant hac ipſa de cauſa, vt palam ac liberè vel certa pax expeteretur, vel ſuſciperetur certum & apertum bellum, quia minus detrimenti apparebat allaturum apertum bellum, quàm pax dubia illorum populorum finitimorum, qui rapinas & latrocinia & fallacias pro fide & amicitia ſibi propoſuerunt. Diditus eſt etiam rumor non obſcurus aut frigidus quòd Dux Ferrariæ foret electus ſummus Dux Cæſarianarum copiarum, ſi modo bellum eſſet ſuſcipiendum, vt qui poſſet autoritate & cognitione rerum bellicarum illud onus ſuſtinere. Quæ dum excogitantur ad arcendas iniurias, decernunturque in Germania, Veneti quoniam res cum Turcarum imperatore non ſatis ſtabilitæ apparerent, colligunt & conſcribunt circiter duodecim millia peditum, quorum ſummum imperium deferunt Sfortiæ Pallauicino, quas copias iubent traiici in Cretam ad defenſionem inſulæ. Dum ſenatus Venetus variis bellorum cognitationibus diſtineretur, magnæ, periculoſæque perturbationes natæ ſunt Brixiæ. Eſt autem Brixia ciuitas nobilis & ampla & opulenta ac florens multis viris illuſtribus, quæ ob ſuperbiam fidiſſimam comitem omnis propè opulentiæ fuerat eò deducta vt diuiſa eſſet in varias factiones. Illarum factionum multi erant principes opibus & clientelis florentes ob ſplendorem familiarum, & diligentiam augendi numeri ſtipantium, quod plurimum ſuſpicionis inuicem auxerat. Deinde non contenti numero ciuium ſtipantium, ſimulata vitę defenſione propter vim aduerſariorum multos externos ſicarios in vrbem introducūt, qui pro accepta pecunia vel aliis commodis armati principes factioſorum ſequebantur. At verò tanto magis ſuccreſcebat ſuſpicio, quanto magis numerus ſicariorum ſuccreſceret, ita vt res nullum finem niſi calamitoſum appareret eſſe habitura. Erat introductus per has artes in vrbem magnus numerus hominum impurorum & ad omne genus ſcelerum promptorū, qui nobilibus propè dominabantur, à quibus fuerant in vrbem acciti. nam illorum ædes & facultates iam præda facta erat ſicariorum, qui ſemper inſolentiores vniuerſam vrbem cædibus & latrociniis & omni genere flagitiorum repleuerant. Nam tametſi magiſtratus nullum officium prætermittebat, quod quidem ad res ſedandas conueniret, tamen cum propter numerum & licentiam per vim armorum vſurpatam inſolentiores fierent, Decemuiri, qui ſupremus eſt magiſtratus Venetiis, ac ſolet in rebus præſertim turbulentiſſimis appellari, decernunt omnem ſupremam autoritatem quam habet, vtro alicui delecto conferre, qui poſſet & ſapientia, & autoritate Brixienſi incolumitati conſulere. delectus eſt itaque ad hoc munus Iacobus Superantius, qui pridie quam diſcederet miſſæ ſunt è Brixia publicè legationes, quæ tantorum malorum remedium à Senatu impetrarent. Cognito conſilio patrum, & autoritate Superantio conceſſa vnà cum illo profectæ ſunt legationes. Vbi propinquaretur vrbi ſtatuit Superantius vt quatuor ciues e præſtantioribus deligerentur in ſuum aduentum, quibuſcum agi poſſet, qui accitis duodecim alabardiferis tantum ad corporis cuſtodiam mox obuiam habuit vniuerſam nobilitatem atque populum ad ſpectaculum vndique cōfluentem, quem maxima cum lætitia omnes tanquam Deum aliquem ſalutatem illi vrbi exceperunt, & ad palatium vſque cum magno applauſu comitati ſunt. Eò vbi perueniſſet, cognoſcit è quatuor delectis quo in ſtatu ſint res vrbanæ, iubetque per noctem in magis conſpicuis vrbis locis furcas erigi, atque fieri mane edictum publicè per præconem ſub poena grauiſſimorum ſuppliciorum, aut etiam

Solennia coronationis Poloniæ.

Brixiēſes tumultus à Superātio ſedati.

ſuſpendii vt omnes exteri intra viginti & quatuor horarum ſpatium excedant ex vrbe, qui nullam
artem exercerent. Exierunt vno die ad octo millia armatorum, tantus metus iniectus eſt his ob auto
ritatem a decemuiris conceſſam, & ad memoriam cæterarum rerum ab illo præclarè geſtarū. Vrbs
itaq; tam breui liberata eſt à tanto periculo. ſecuta ſunt paucorum exilia eorum, qui cum ſicariis cō
ſpiraſſent ad deterrendos reliquos in poſterum, quorum alii perpetui exilii ſunt condemnati, alii ad
ſtatutum tempus in exilium eiecti, alii Venetias relegati. vix de vno ſumptum eſt ſupplicium, qui la
tens cōtra edictum fallere conatus eſt. ſic vrbs priſtinæ tranquillitati & obſeruantiæ legum eſt reſti
tuta. conſumpti ſunt pauci dies vrbanis legibus reformandis, atque non multo poſt accitus eſt Vene
tias, cui datum eſt ſummum imperium claſſis à patribus quæ magna diligentia Venetiis inſtrueba-
tur, quem iubent ad protegendos fines Veneti imperii ex vrbe abnauigare. omnia terra mariq; ſum
ma diligentia parantur à patribus, quæ ſpectarent ad bellum. nam dicebatur ingens claſſis ſingulari
ſtudio inſtrui Byzantii, quæ conſtaret è quingentis nauigiis, inter quę trecentæ eſſe dicebantur trire
mes, & dicrota, & liburni, & celoces, & onerarię multæ, & hemioliæ. huius tātæ expectationis vel po
tius ſollicitudinis non leue argumentum viſum eſt, quòd trepidatio non vana eſſet futura, quia quin
quaginta roſtratę naues primùm exierant per Ægęum in Chalcidem Eubææ ad comparandum cō
meatum, vt ferebatur, in vſum claſſis, donec totus numerus exiret armatorum nauigiorum ad inſti-
tutam expeditionem. Vexauit non nihil etiam animos Venetorum repentinum incendium augu-
ſtioris palatii Sancti Marci, cuius bona pars & ornatiſſima egregiis picturis præſtantiſſimorum arti-
ficum conflagrauit: quod accidit per annuam opportunitatem conuiuii, quo die electus fuit prin-
ceps, ad lętitię ſignificationem. Afflixit etiam non leuiter ciuitatem illam nundinarum incendium,
quæ fiunt per celebritatem Aſcenſionis Chriſti pleriſque calamitoſum, quod impellente vi vento-
rum breuiſſimo tempore multa mercimonia cum ligneis tabernis miſerabiliter abſumpſit, quæ ta-
bernæ fieri quotannis per nundinas ſolent in foro. Nam tot mercimonia conflagrarunt intra dua-
rum horarum ſpatium & citius, vt accederent ad precium ſexcentorum millium nummum. hoc eo
magis ſollicitam habuit illā ciuitatem, quia ſæpè cōſueuerat calamitoſum eſſe ſuperioribus tempo-
ribus incendii portētum ac funeſtum illi vrbi, cum raro acciderit inſigne incēdium, ſine futurorum
bellorum indicio vel imminentium diuinitus calamitatum. Alphonſus Ferrariæ Dux per illud ferè
tempus acceſſerat Inutrium citatis equis ad comitia, quo abſente Ferraria denuo terræmotu concuſ
ſa eſt, plurimumq; trepidatione repleta ad memoriam ſuperiorum calamitatū per alios motus ter-
ræ acceptarū. Non tamen magis præſentia mala infeſtabant, quæ per motus terræ ſentiebantur, quā
abſentia eius. Ducis vexata eſt regio quędā Italiæ à quodā exule Veneto viro obſcuro per auaritiā &
propè crudelitatē, ſed qui tamē per calliditatem eximiā ingētes ſibi opes comparauit. cumq; pluribus
rebus præeſſet eius regionis, plurimumque haberet autoritatis. Hic tantum valuit ſubtilitate inge-
nii, & ratione colligendæ pecuniæ, vt breui per ſingularem aſtutiam ſe in gratiam principis intruſe-
rit. Et quoniā Principes, priuatiq; omnes ſtudioſi ſunt in primis propriæ vtilitatis, cępit demonſtra
re nimis leuia eſſe omnia propè vectigalia in agro eius regionis, quæ poſt modo nō leuiter sūt aucta.
atq; quia rebus tantum maioribus vectigalia eſſent impoſita, oſtendit magnam vtilitatem è leuiſſi
mis quoq; capi poſſe, cum multæ eſſent huiuſmodi: proinde nemo ex agris, nemo ex itinere, nemo
ex aliis vrbibus tam leue quippiam in vrbem importare cępit. de quo certum vectigal non eſſet exi-
gendum. deinde omne genus annonæ ſtudio & pecunia eius coemi cępit, publicèq; eius nomine di
uendi. cautum eſt formidabili edicto eiuſdem ne quis per vllā opportunitatem quidquā mutuo da-
ret aut acciperet, quo omnes ad emendas eius merces compellerentur. Vetitum quid cuiquam lar-
giri vel mutuo dare, & calceos aut indumenta extra agrum Ferrarienſem emere impoſitum vecti-
gal pecuniam mutuo dantibus, & accipientibus, & nuptiis. matrimonia opulentorum ad eius nutū
fieri cępta. impoſita mulcta extra territorium vxorem ducētibus. Propoſita pęna bonorum fiſco ad
dicendorum ſi quis ob has moleſtias ex vrbe vel agro fugiens deprehenſus eſſet. nihil poſſidentibus
ſupplicium fugiētibus propoſitum. Multæ deinde condemnationes criminum in mulctā ſunt con-
uerſæ, cum minima quæq; condemnatio accederet ſaltem ad quingentos aureos nummos. Propoſi
ta pęna capitis aues vel feras necantibus ſylueſtres, vel condemnatio ad tranſtra; res eò deducta eſt vt
vno verbo dicam inſcio & abſente Duce, vt vrbs appareret neceſſariò à ciuibus deſerenda, qui tantā
acerbitatem perferre non poſſent. multi inſtituti ſunt exploratores, qui ciuium nomina deferrent,
ſi qui paulo liberius de præſentibus ærumnis ingemuiſſent. huius tam horrendæ adminiſtrationis
metu tam territi ſunt plerique, vt multa millia hominum dicantur breui ex agro & vrbe profugiſſe;
quare non ſemel excitatæ ſunt in eum coniurationes, ſed vel fortuna vel Deus aliqua occulta de cau
ſa illum protexit. multæ querelæ fuiſſent delatæ à ciuibus quòd auarè & crudeliter omnia fuiſſent
adminiſtrata, niſi cognitum eſſet quia ſuſpectæ ſunt hominum fallaciæ eorum præſertim qui aulas
principum ſectantur, cum multi ſint qui per de aliis maledicta & inuidiam in gratiam ſtudeant ad-
mitti. Dicitur hic reliquiſſe filios patri prorſus diſsimiles, qui cum amplo patrimonio ingenuam
educationem aſſecuti, mox & corporis & animi nobilitatem obtinuerunt per magnam integritatē
& innocentiam & cognitionem omnium ingenuarum artium. Philippus quia res parum feliciter
ſuccederent Albano Duci, qui per nimiam ſęueritatem irritauerat potius, quam extinxerat vlla ex
parte incendia bellorum Belgicorum, cenſet eum eſse ex illis finibus reuocādum, quod ſemper ma
iora odia in eum ſuccreſcerent, cui ſuffectus eſt in eam præfecturam vir è nobiliſsima familia Du-
cum Ceſę Ludouicus Requeſenius magiſter ordinis equitum diui Iacobi, qui quamuis eſset vir ma
gno ingenio, tamen infelix initium ſortitus eſt ſuæ præfecturę. nam cum claſsis profligata fuiſset ab
Aurantianis, non potuit ferre ſubſidia Medelburgo obſeſso ab Aurantianis copiis vrbi amplæ &
opulen-

Incendiū palatij Veneti.

Incendium nūdinarum,

Terræmotus Ferrariæ.

opulentæ: quæ paulo poſt deſperatis prorſus auxiliis venit per deditionem in Aurantii poteſtatem. poſtea Requeſenius dedit operam vt multæ cohortes Germanorum & Hiſpanorum colligerentur, quo poſſet tãtorum bellorum magnitudini reſiſtere. atq, vt oſtenderet Regem non magis ad arma quam ad pacem & clementiam eſſe propenſum Bruxellas profectus proponit Regio nomine obliuionem & veniam omnium delictorum, modo ad auitam religionem ac regiam obedientiam rediretur. interea Ludouicus Nanſienſis Gulielmi fratris Aurãtiani Principis caſtra aucturus multis cohortibus Germanorum accedit in Belgium. eius itinere cognito per exploratores, miſſæ ſunt obuiæ quędam cohortes Hiſpanorum, atq; commiſſo prçlio ex itinere ad Moocherden locum pugnatum eſt diu ſingulari vtrinq; fortitudine, tantaq; animorũ contentione vt victoria apud ambos futura appareret. ſed propter numerũ Hiſpanarum copiarũ Germani deniq; victi profligatiq; ſunt, atq; victoria fuit penes Hiſpanos. Cęſi ſunt pleriq; inſignes duces vtrinq;, ſed plures è Nãſienſibus inter quos Ludouic⁹ ipſe & Henricus frater, & Chriſtophor⁹ filius Electoris Palatini. At regio Belgarũ interea non multo feliciore fortuna fruebatur, cũ aliæ vrbes modo inteſtinis armis propter diſſenſionem de religione vexarentur, modo affligerentur ab exteris, mutuaſq; rapinas, incurſiones, cædes incendia, populationes paterentur; aliæq; variis modis vexarentur, perferrentq; multa atrocia præſertim ab Hiſpanis copiis.

Belgarũ moleſtiæ ab Hiſpanis.

Nam cum multa ſtipendia deberentur Hiſpanis à Philippo Rege ob exhauſtum regium ærarium per diuturnitatem bellorum multorum annorum ex ordine aſſiduorum, cęprum eſt laborare ſumma inopia rei pecuniarię in illis regionibus. Hiſpani cum non haberent vnde neceſſaria victui coemerent, coacti ſunt ad miſerrimam optionẽ, vel vt inedia atq; inopia rerum omnium neceſſariarum perirent, vel caperent victum pro arbitrio vbicunq; contingeret, alerenturq; in priuatis domibus propriis ſumptibus Belgarum. Sic cępit neceſſitas viam patefacere audacię, audacia libidini, cum poſt depulſam famem ſucceſſerit libido & auaritia in animos Hiſpanorũ hoſpitum, qui non amplius poterant eſſe contenti rebus neceſſariis. Illa res fecit vt quicunq; prius æquiſſimis animis partes regias complectebantur, breui pertęſi Hiſpanorum non ſeruauerint eãdem erga Regem beneuolẽtiam, maximeq; cupiuerint Hiſpana moleſtia liberari. Nam profectò nihil eſt tam efficax, tamq; potens ad alienãdos animos ſubditorum à Principe, quàm ſi militibus, hoc eſt effrænatę multitudini maleficorum hominum, & auarorum, cuiuſmodi plurimi confluunt in caſtra ad ſpem prædæ, concedatur facultas vt illis pro arbitrio vtãtur, quod neſcio an vtiliter in rebelles populos, & in hoſtes ſubditos ſit permittendum. Nam tametſi opulenta eſt omnis prouincia Belgarum, tamẽ diuturnis moleſtiis & ſumptibus & populationibus ita erat afflicta vt has moleſtias amplius perferre nõ poſſet.

Deſcriptio Belgicæ regionis.

Eſt enim Belgica regio omnium propè regionum Europæ amęniſſima, & antiqua gloria rerum bellicarũ non ignobilis, quę ſita eſt ita vt ad Septentrionem Batauos & Buſateros cum Oceano terminantes habeat. ad meridiem Leucos ſiue iis finitimam Lotharingiam & Hannones, qui Cãpania & Vermanduis terminãtur. Ad Orientem ſunt Menapii, qui ad Rhenum pertingunt & Ambiuariti ſiue Tongri, qui clauduntur Moſa flumine. ad occaſum reſpicit mare Oceanum, & eam partem Atrebatum ſiue Arteſiæ quæ ſpectat ad Morinos. atq; vt paucis concludam continetur Belgica regio partim intra clima per Riphæos, partim per Boryſthenen, cuius longitudo eſt ad ſeptem graduum cum dimidio, latitudo ferè quinq;, quibus altiſſimus dies ad ſexaginta gradus cum dimidio extollitur ſupra orizontem. ſunt in ipſa regione Belgarum loca męnibus cincta circiter trecenta & viginti, at pagorum plura duodecim millibus, multiq; fluuii ampliſſimi, quorũ principatum tenent Rhenus & Moſa & Schelda & Amaſis celeberrimi. Multis præterea ſyluis egregiis nobilitatur, quæ nauigiis & ædificiis accõmodatam materiã ſuggerunt, vt Arduẽna Carbonariaq; vocata & Faignea. naſcuntur paucæ lauri aut cypariſſi nullęq; pinus vel abietes, cum magna ſit copia tiliarum. aer eſt ſalubris quamuis craſſior & humidior, generationiq; rerum aptiſſimus. abeſt hinc immoderatorum calorũ moleſtia, exulatq; frequentium muſcarum aut culicum copia ex hac regione, cum parua etiã tonitrua fiant, & vix vlla fulmina. Hyemes contra ſunt frigidæ & longæ & pluuioſę omnis propè regio plana eſt & frumenti, cęterarũq; frugum fertilis, cum fructibus arborum & multis etia optimis piſcibus abundet. paucæ herbæ lętiferæ ibi naſcuntur, vt flãmula pratenſis & Lycoctonus & ſolanũ & cicuta. Animalia venenata nulla ibi ſunt, niſi fiant inuſitati calores, ac neq; tunc quidẽ venenum habẽt acutũ. abundat regio omni genere domeſticorũ animalium ob copiam pabulorũ, cum verueces ſint & magnitudine & bonitate egregii, atq; oues ter aut etiã quater quotannis pariant. magna eſt præterea inſignium equorum bellicis vſibus aptorum copia, & paucæ fodinæ, illæque viliorum metallorum. homines ſunt ſtatura ſatis grandi, primique omnium Gallorum aut Germanorum Chriſtianam fidem complexi fuiſſe dicuntur, quam etiam poſtmodo magna obſeruantia coluerunt. huiuſce rei præclarum ſunt argumentum inſignes multorum cęnobiorum & abbatiarum prouentus, ac magnifica ædificia, quæ vbiq; in tota regione Belgarum viſuntur. Sunt Belgæ viri terra marique fortiſſimi, cum maris & ventorum minas ac vim per peritiam rerum maritimarum facile contemnant. præſtant Belgæ in multis rebus artificio ac diligentia, qui laborioſi ſunt & induſtrii, atque ingenio valent ſupra mediocritatem, & prudentia plurimum in perferenda vtraque fortuna. ſunt homines vrbani, ſinceri, manſueti, neque valde libidini dediti aut inuidiæ aut ſuperbiæ, ſed auari tamen plerique, ne dicam auidos, & ad omnem ſuſpicionem credulitatemque faciles, neque minus acceptorum beneficiorum quàm iniuriarum facilè obliuiſcuntur. Cæterum Ludouicus Requeſenius regulus Belgii præfectus, vt diximus, qui ſucceſſit Albano inglorio recedenti ex ea præfectura turbulenta, quam prope pacatam inuenerat, primũ omnium edictum promulgandum curauit, per quod veniã omnium delictorũ proponebatur iis, qui ad regiam obedientiã reuerſi denuo catholicã Romanã religionem cõplecterentur. ſed cum illud parum profuiſſe videretur, copiæq; Aurantianę

ad obſidendum Medelburgum Zelandiæ Metropolim conſediſſent, collectis & ipſe regijs viribus opem ferre obſeſſis contendit. Sed commiſſo atroci prælio Hiſpani ac Vallones profligantur, quare Requeſenius mæſtus Antuerpiam contendit. at Medelburgenſes poſt grauem, diuturnamque obſidionem Mondragoneo vrbis & Zelandæ gubernatore, ſeſe Aurantianis copijs deniq; dedunt. Nec multo poſt idem Requeſenius conuocatis ordinibus ſtatuum eandem veniam regio nomine proponit. at deinde cum fama increbuiſſet Aurantianas copias in dies inualeſcere, Ludouicusq; Nanſienſis Comes ſuppetias adduceret, cum quo erat Henricus frater, & Chriſtophorus Palatini Electoris filius, collocatæ ſunt inſidiæ in amplo ericeto Mochenſi à Requeſenio; commiſſoque prælio pugnatum eſt acriter, ac victoria deniq; fuit penes Hiſpanos. ceciderũt multi vtrinque in ea pugna, ſed in primis Ludouicus Nanſienſis & Henricus Comites, & Chriſtophorus Palatinus. Per idem ferè tempus Coſmus magnus Dux Hetruriæ primus Princeps ſingulari animi præſtantia, diuinoq; propè ingenio naturæ conceſſit cum diu fuiſſet valetudinarius. celebratæ ſunt eius exequię multa cum magnificentia Franciſci primogeniti ac ſucceſſoris iuſſu, quæ propter eximiam & inuſitatam pompam viſæ ſunt non eſſe ſilentio tranſmittendæ. Vbi Coſmus igitur Magnus Dux Hetruriæ diem ſuũ obijſſet, pièq; & religioſè vitam concluſiſset, cõtinuò palatium, fornicesq; inferiores ſpoliatæ ſunt aulæis, pro quibus omnia atris pannis ſunt tecta. lotum eſt de more cadauer & opobalſamo perunctum, ac totum armatum præter caput & manus armis fulgẽtibus, quo habitu regia corona fuerat inſignitus Magnus Dux à Pio V. Pont. Max. quare tunica talari & corona ornatus eſt, & ſceptrum in dextra poſitum, & accinctus gladius. collum Toſonius torques & humerũ ſub oppoſitum brachiũ decurrens ornabat, cum minor tanquam magiſtro equitum ordinis Diui Stephani de collo penderet cum cruce è precioſis lapillis rubentibus. paratus fuit lectus ſub vmbella eminens cum aureo operimento, cuius in integumento erant pilæ picturatæ arte Phrygia, quæ ſunt inſignia Mediceæ familiæ. in eo lecto poſitum fuit corpus magni Ducis, ad cuius pedes habitus equeſtris, quem ſolẽnibus diebus ſolebat geſtare. aderant & ordines inſignium candelabrorum a dextra & ſiniſtra, inter quæ Crux magna argentea ita collocata vt ſupra caput mortui principis conſiſteret. Adſtabant Germanæ cuſtodiæ armatæ extra quoſdam cancellos, qui diſtabant aliquantulum ab ipſis gradibus tanquam clatris. intra hos carceres multi erãt ſacerdotes pro Magno Duce Deũ precantes. Erant apud ipſum corpus duodecim pueri lugubribus veſtibus prælongis induti, qui ſerica vexilla tenuia pro flabellis vtebantur, exaudiebaturq; multus tinnitus æris campani è ſacris turribus, atq; cum omnibus pateret acceſsus ad mortuũ Ducem, cognitus eſt vniuerſi populi mœror è lacrymis & querelis pro priſtina obſeruãtia, quæ vera in mortuum principem, at non ſimulata in viuum tunc apparuit. nam facile fit vt viuentibus multi ſint quaſi ſimiæ morum regalium, cum nihil difficilius ſit viuo principi quam virum bonum & verum amicum inuenire. nam qui ſit extra periculum amor, ſolus eſt ſincerus, nemo enim infelici aut mortuo adulatur. hunc plerique patrem patriæ appellabant, prædicabantq; fuiſse iuſtitiæ, pacis, abundantiæ autorem, & cõmunem patrem omnium ſubditorum. Vbi diu ita conclamatus eſset, equites Diui Stephani per noctem ſtipantibus hinc inde armatis Germanis, comitãtibusq; omnibus aulicis cum multis luminibus in ſacrarium diui Laurentij corpus in feretro deferunt. Eſt enim templum illud magnificentiſſimum picturis & ſtatuis & inſignibus ducũ ornatum proprium Medicee familie. Depoſitum eſt in arca poſtea cum multis precibus. at pompa exequiarum prorogata eſt in decimum ſextum calen. Iunii, cum obiiſset decimo cal. Maii, quo ſatis aptum tempus haberetur parandæ magnificẽtiæ, quæ ſanè ob inuſitatam regiamq; amplitudinem viſæ ſunt memorabiles. Præfecti ſunt primum huic pompæ inſtituendæ viri quatuor iudicio prudentiaq; clari, quibus conceſsa eſt ſumma autoritas totius negotii. Princeps horum fuit Vincentius Borghinus antiſtes iudicio & prudentia præſtanti, & exquiſita multarum maximarumq; rerum cognitione. huic additi ſunt comites & adiutores viri & ipſi iudicio clari Thomas Luſitanus Eques Iacobi Medicei filius, Angelus Guicciardinus, Iulius Nobilis. His tametſi plurimum iniunctum erat negotii vt res funebres inſtituerent, tamen reuocabantur aliquando ad alia negotia, & in primis ad varias controuerſias naſcentes quotidie de præcedentia inter variarum ciuitatum, oppidorum, ſeu datariorumq; legationes. neceſse fuit igitur ad has res mitigandas ſupremum magiſtratum conſiliariorum appellare, per quem fit edictum vt nullo ſeruato ordine præcededendi per illam pompam omnes ſine præiudicio cæterorum procedere intelligerentur, quo ordine fuiſset à pręfectis imperatum. vbi dies pompæ deſtinatus illuxit, conuenerunt omnes legationes, congregatique ſunt omnes coniuncti Principis & magiſtratus & proceres & feudatarii, quique pompæ erant inter futuri in aulam palatii, atque intra fornicem inferiorem & exteriorem, quorum in medio ſedebat Franciſcus filius in loco ſublimiore. ſita eſt Magni Ducis imago affabre facta in ornatiſſimo feretro ſub vmbella propinqua portæ palatii, quo tẽpore Io. Bap. Adrianus vir eloquens habuit luculentã orationem cum illuſtri commemoratione rerum ab illo geſtarum. Tubicines vrbani interea initium pompæ fecerunt iuſſi procedere, qui rubris veſtibus erant induti, ſed tubæ tegebantur atris velaminibus, habebantque nigra vexilla & capitum velata integumenta. Sequebantur hos cum vexillo auguſtioris templi & cruce diui Laurentii multi ſacerdotes cum accenſis cereis albis, quos centum ſtapedarii lugubribus induti ſtipabant, qui medium vexillum & crucem tenebant, qui etiam procedebant cum accenſis cereis. Succedebant ſacerdotibus omnes ordines monachorum & clericorum cum accenſis luminibus, quorũ erant ad duo millia, quibus ordo canonicorum ſuccedebat & Archiepiſcopus Cæſariẽſis cum ſolẽni habitu. huic tredecim ordines drapellonorũ vulgo vocatorũ, quorũ erat habitus picturatus in inſignia Ducis, qui ſolẽt in iis regionibus ſuſpẽdi in tẽplis ſepulchrorũ ad memoriã defuncti principis, qui à totidẽ primarijs magiſtratibus fuerãt donati, quos bini cerei ſingula

Coſmi Magni Ducis exequiæ.

Pompa exequiarum Magni Ducis.

tim ſtipabant, quibus antecedebant miniſtri ipſorum magiſtratuū. ſuccedebant quatuor dende ordines propriorum vexillorum ipſius Magni Ducis, quæ trini cerei ſingulatim comitabantur, quibus præcedebant quatuor miniſtri conſiliariorum. Proximi erant his centum inopes lugubribus induti, ſed nondum planè conſutis veſtibus, at ſutura tantum adumbrata, quos ſequebantur viginti & nouem tympaniſtæ inconcinne pulſantes pro totidem tribunatibus deſcriptorum peditum. Nam præter delectum Florentiæ, Piſtorij, Senarum cum territorijs, ac montanorum locorum, copiæ delectæ Magni Ducis accedunt ad triginta & ſex millia peditum. trahebantur humi deinde à ſigniferis totidem peditū vexilla, qui trini erant in ſingulis ordinibus. ex inſignioribus vrbibus aliæ binas, aliæ trinas legationes miſerant, atque ſingulis datus eſt locus pro dignitate, cum dignior ſit locus principi vicinior, quæ lugubribus veſtibus & cum quadratis capitum integumentis velatis incedebant præcedentibus proprijs miniſtris ipſarum vrbium cum ſuis inſignibus, qui trini vel bini procedebant, vt iuſſi fuerant. ſubſequebantur omnes magiſtratus Florentini integumenta capitum inferius habentes velata & faciem cum lugubribus veſtibus, ſed inuſitatæ formæ præcedētibus ſolitis miniſtris & inſignibus magiſtratuum. hinc octo tubicines non inflantes tubas. Poſt vexillum maritimum purpureum è ſubtiliſſimo panno ſerico, in quo erat inſigne perantiquum Magni Ducis cū ex altera parte ineſſent duæ anchoræ, quibus ſubſcribebatur; inſani feriant ſine. inferius, curſus ſecūdos dabit. geſtabat vexillum Matthæus Seriacopus armatus ſine galea, quā puer geſtabat. hinc quatuor famuli lugubribus induti. geſtabat poſtea vexillū ordinis diui Stephani candidum cum cruce rubra Raphael Medices in equo panno ſerico indutus, quem & ipſum totidē famuli ſequebantur. ſuccedebat vexillum Piſarum cum cruce candida, & candidum Senenſe cum lupa præbente vbera paruis gemellis, quam lupam puer equitabat geſtans in paruo vexillo album & atrum inſigne vrbis cum corona Magni Ducis. ſuccedebat album vexillum Florentiæ cum rubro lilio & conſimili corona. hæc tria vexilla tres vrbes metropoles ferebant, ſignificabantq; domicilia archiepiſcoporum, quę parent imperio Magni Ducis. ſecutum eſt vexillum magni principatus Hetruriæ cum inſignibus Magni Ducis & aureo torque Toſonio, regiaque corona à Pio Quinto donata, quod geſtabatur à Petro Antonio Bardio præfecto equeſtrium cuſtodiarum recentis Magni Ducis. Hinc rector Piſanæ academiæ, & omnes doctores præcedentibus inſignibus & miniſtris. Hinc collegium Florentinorum doctorum. hinc præfectus vrbis, quem ſtipabant auditores Rotę nullis mutatis veſtibus. hinc quatuor tubicines, hinc quatuor vexilla leuiorum equitum trahebantur, hinc quatuor tubicines, hinc quatuor vexilla cataphractorū. ſubſecuti ſunt aulici mortui ducis lugubribus induti, & ſex equi vſui Ducis olim deſtinati trahentes nigra operimenta ſerica villoſa, qui criſtis inſignibus ornabantur. ſequebantur hos arma aurata Magni Ducis præter galeam & ferreas chirothecas, quæ a nobiliſſimis pueris geſtabantur. Hinc quatuor epiſcopi primarij ſolennibus induti. hinc centū pueri nobiles Magni ducis procedebant cum accenſis cereis, quos ſequebatur prædictum ſimulacrum in ipſo feretro, quod tegebatur aureo panno inter Germanas cuſtodias armis fulgentibus indutum. geſtabatur feretrū ab equitibus Diui Stephani indutis habitu ordinis albo & rubro ſcilicet. inter cęteros, qui multi certe fuerunt nobiliſſimi, procedebat Iulius filius Alexandri Medices Ducis ſpurius, & Sigiſmundus Rubeus comes diui Secundi equites eius ordinis. Portabatur vmbella a iuuenibus nobiliſſimis Florentinis viciſſim, qui delecti fuerant quinquaginta è primarijs familijs, & a pleriſq; feudatarijs, quod erat tectum panno aureo. reliqui equites feretrū non geſtantes bini procedebant, qui fuerūt centū & ſeptuaginta. ſequebātur hos multi cū longioribus cappis vocatis, quodgenus eſt pallij in Italia. Hinc Magnus Dux Franciſcus filius ſtipantibus ſuis cuſtodijs Germanorum prælongam veſtem trahens lugubrem, cuius caput eadem tegebatur, quam ſuſtentabat a tergo Pādolphus Bardius. ſtipabant a dextra Magnum ducem Pontificia legatio, a ſiniſtra Lucenſis, quia Ferrarienſis ob valetudinē adeſſe non potuit. Præcedebat illi interiecto probabili ſpatio globus illuſtriū virorū interquos fuit Marius Sfortia eques ordinis diui Michaelis, & Mōtacutus Mōtacuti Comes, & Bartolus Montius, & Io. Paulus Baleonus, & Sfortia Appianus Aragonius, & Alexāder Bentiuolius, & alij complures nullo dignitatis ordine ſeruato. ſequebatur Magnum Ducem Petrus Medices frater inter duas legationes Lucenſium extraordinarias cum eodem habitu, deinde Paulus Iordanus Vrſinus inter duos oratores Bononienſes. Princeps Populonij inter epiſcopos montis Politiani & Feſularū, ac multi alij proceres eodem ordine, quos longum eſſet referre. Poſt hos vicarius Magni Ducis & cōſiliarij cum luccis, illud eſt habituum genus: ſunt enim Florētinæ veſtes, quæ interius panno cyaneo teguntur, quibus præcedentes miniſtri aditum patefaciebant inter multitudinem ſpectantium. nā infinita propè multitudo mortalium ad tam magnificum ſpectaculum confluxerat, cum nullius Magni Ducis aut Regis Hetruriæ vnquam exequiæ auditæ ſint in Italia. ſequebatur ſenatus, qui cōſtabat è quadraginta & octo viris lectiſſimis totius ciuitatis cum ſolitis habitibus, qui tamen veſtem aliquantulum trahebant. Hinc quatuor oratores Senenſes, quibus præcedebant miniſtri, capitumq; integumena velabantur. Inde Rector Gymnaſij Senenſis quo more proceſſerat Piſanus. tum ſex oratores vrbium Senenſium cum miniſtris & inſignibus. hinc omnes auditores Florentinorum magiſtratuum, quibus ſuccedebant centum equites cataphracti Florentini & Senenſes miſti cum vexillo & galeis auratis velatis, ac cæteris nigris. hinc magnus globus peditum cum Laurentio Guicciardino & Iulio Medices præfectis delectuum cum duobus vexillis erectis ſed inuolutis. Alij ex his erāt ſelopetrarij, alij loricati cum ſariſſis, ſed omnes atro colore induebantur. Tum centum equites leuiores cum erecto vexillo inuoluto omnibus reliquis nigris. vt autem omnia ordinate procederēt, neque quid perturbationis in tanta multitudine ſuboriretur, delecti fuerunt a quatuor præſidibus duo de viginti primarij iuuenes Florentini, qui in equis huc, illuc percurrentes iſtud ipſum curarēt,

Copiæ Magni Ducis.

Poſtlon-

Poſt longos anfractus, viarumq; ambages peruentum eſt ad templum Diui Laurentij, cuius frons
vniuerſa à ſummo ad imum atris velaminibus obtegebatur, cum ſupra tres portas præcipuas inſi-
gnia Magni Ducis viſerentur multo artificio depicta cum multis ornamentis. Templum etiam in-
terius totum ſimilibus velaminibus obtegebatur, cum mors varijs modis pluribus in locis eſſet pi-
cta, quæ in omnibus męſta & demiſſis oculis apparebat, quòd intelligeret ſe non poſſe prorſus illũ
principem delere, cuius gloria & fama rerum geſtarum nullam obliuionem aut finem eſſet habitu-

*Medicea familia bonorum parens.*

ra; cum præſertim Coſmus ipſe & vniuerſa Medicea familia ab incunabulis per omnem ętatem faue
rit viris in quauis nobili facultate præſtantibus. inter ipſas Mortis formas pingebantur in atrioribus
picturis vmbroſis multa clariora Magni ducis facta vel ad religionem, vel ad reliquas regias virtutes
ſpectantia. in ipſo templo, vbi peruentum eſt, octo ſublimes columnę inſignem pyramidem ſuſti-
nebant, ſub qua erat eminens tabulatum deſtinatum feretro, quæ vniuerſa accenſis luminibus conte
gebatur, erantque columnę tam altę vt proſpectum ne impedirent. Pingebantur quinque inſignia
in ipſa pyramidæ, quorum medium tenebat Mediceum. a dextra vrbis Florentiæ erat inſigne cum li
lio rubro. à ſiniſtra lupa Senenſis. apud Florentinum crux candida Piſarum. apud lupam equitum
Diui Stephani cum cruce rubra. ſub inſigni Mediceo regiaque corona hęc inſcriptio, quę ſunt ver-
ba Pij Quinti ipſius Pont. Max. Pius. V. Pont. Max. ob eximiam dilectionem & catholicæ religionis
Zelum, præcipuumque iuſtitię ſtudium donauit. alijs inſignibus aliæ inerant ſubſcriptiones, quæ
promptos animos erga ipſum principem ciuitatum ſignificabant. erat infinitus numerus propè ac
cenſorum cereorum vbique cum maritima terreſtriaq; vexilla vbique penderent captiua, quæ per
multas victorias fuerant parta. feretrum ſub pyramide poſitum eſt in templo ita inſtructo, atque ar-
chiepiſcopus Cæſarienſis aſſiſtentibus quatuor epiſcopis multiſque ſacerdotibus ceremonias exe-
quiarum peregit, quibus abſolutis Petrus victorius vir clariſſimus & præſentis ætatis doctiſſimus
orationem habuit funebrem, quę antequam inciperetur, omnia prædicta vexilla circa feretrum po-
ſita ſũt. poſt legationes & magiſtratus & familię duorũ Ducũ poſitis de more habitibus vnà cũ eqtib.
morę ſũt ad iter, eodẽq; ordine cũ nouo Magno Duce, quo vẽtũ erat, exeũt è tẽplo. ſtatutũ fuerat à Ma
gno Duce eſſe redeũdũ cũ eadẽ męroris ſignificatione, ſed vniuerſus populus, q plurimus cõfluxerat
egreſsũ Franciſcũ multa cũ lętitia ob perſpectas iã virtutes Magnũ Ducem conclamat. quare expli-
catis vexillis à tympaniſtis & tubicinibus cum magno gaudio reſponſũ eſt, neque vlla ratione mili-
tes à ſuis tribunis, cohortiumue præfectis cohiberi, potuerunt, quo minus diſploſiis ſclopettis mili-
tarem ſignificationem facerent, cum omnes felicitatem, diuturnitatem vitæ, virtutem dignam pa-

*Coſmi Magni Ducis virtutes.*

tre tam eximij principis ſucceſſori filio magnis clamoribus à Deo precarentur. Nam profecto
fuit Coſmus ſingulare exemplar ſuę ætatis omnis ęquitatis, ſapientiæ, humanitatis, liberalitatis, ma
gnificentiæ: quippe qui ad Dei cultum animum nõ frigide intenderit, cum templa excitarit, Xeno
dochia inſtituerit, inſtituta inſtaurarit vel ampliarit. Idem ad ſalutem multorum hominum natus
iure videri potuit cum ingentibus ſumptibus paludes exiccarit, vias refecerit, flumina corre-
xerit, ſalubreque accolis iter docuerit, vrbes à fundamentis condiderit, lapidum ac metallorum
fodinas aperuerit, agros ad culturam perduxerit, archiuium ſiue tabularium ab omni fraude morta
lium tutum inſtituerit, vrbem Florentiam multis ornamentis & ſtatuis ac picturis præſtantibus de
corauerit, cum omnium præſtantium artificum mirificè fautor fuiſſet. Neque conſeruauit modo,
poliuit, excoluit quantum principatum acceperat a maioribus, ſed etiam per regias & excellentes ar
tes plurimum dilatauit. nouos adeptus eſt titulos. affinitates maximorum principum contraxit. claſ-
ſem ornatiſſimam inſtruxit. loca opportuna muniuit. ſubditos populos rem bellicam docuit, & ad
defenſionem rerum ſuarum inſtruxit. diuina prope prudentia ſurgentes dfficultates ſuperauit. ciuiũ
ſceleſtorum multas clandeſtinas cõiurationes oppreſſit. Atqui cum magni ſit animi in principe prę
ſertim, qui poſſit vlciſci, condonare iniurias, in eo quoq; genere viſus eſt magnificentiſſimus: quip
pe qui non modo pepercerit multis rebellibus, ſed etiam vna cum patria reſtituerit magiſtratus &
primarios honores, cum illos poſſet trucidare. Eius verò fortitudinis teſtes ſunt Turcicæ copiæ claſ-
ſicæ, quæ ad Populonium occupandum vbi deſcendiſſent, fuſæ trucidatęque ſunt à veterano dele-
ctu, & Hetruſco equitatu in conſpectu vniuerſæ claſſis Turcicæ. nam profligati Turcæ reliquerunt
captiuum vexillũ imperatorium pro tropheo virtuti Hetruſcæ, qui coacti ſunt ad naues citato cur
ſu refugere. Per hunc pax, per hũc ſecuritas, per hunc cõcordia in vniuerſa Hetruria ſucceſſit. Huius
dexteritate conſopitæ ſunt & deletæ omnes Florentinæ & Senenſes diſcordiæ, quæ toties ac tãdiu
vniuerſam Hetruriam vexauerant. Quare niſi prorſus deſipiant Hetruſcæ ciuitates facile dixerint
diuinam eſſe antiquorum ſententiam, quòd felicitas ſub vno principe à Deo inſtituto rectius po-
teſt inueniri, reuocatis in memoriam contentionibus & iniurijs & crudelitate atque auaritia ſupe-
riorum temporum. Illud ſanè omnium ſuperiorum certiſſimum indicium eius principis ſapientię
duxerim, quòd cenſuerit omnia humana eſſe caduca, atque a ſe conſtituta breui lapſura, niſi eadem
lege ſeruentur, qua fuerunt inſtituta; quare ad principatũ vel potius regnum Hetruriæ conſeruan-
dum maxime omnium neceſſarium duxit Franciſcum filium paternis regijſque artibus erudire iu-
uenem ad omnia magna negotia ſuopte ingenio accommodatum. Nam cui regnum relinquebat,
æquum erat artem quoque regnandi relinquere. vt enim aquilas filios aiunt experiri an intentis
oculis ſolem poſſint intueri, ſic Coſmus viuens filij ingenium exacuit, voluitque experiri an pater
nas artes imbibiſſet, quare illi rerum publicarum adminiſtrationem multos annos conceſſit, a quo
rationes etiam gubernationis aliquando repetebat. at certe in filio tanta breui cognita eſt bonitas
ingenij, tam mirabilis prudentia, tanta moderatio animi, vt ſubditi apparerent carere ęquo animo
paterna gubernatione, & quietem patri iam ſeni atque inualido concedere. Illud certe non facile di-

erim, maior ne fuerit patris in filium amor, an filij in patrem obſeruantia: tam concorditer omnia gubernabantur. multa carmina conſcripta ſunt in laudem magni Ducis, inter quæ & hæc viſa ſunt memoratu digna;

*Si bene pro meritis debentur præmia claris*
*Principibus: ſuperi ſi pia facta vident,*
*Auxiſti numerum Diuorum Coſme: frequentas.*
*Lucida cum ſuperis atria celſa Dei.*
*Nec piget Hetruſcam nato liquiſſe coronam.*
*Clarior in cęlo eſt altera parta tibi.*

Cæterum Franciſcus filius Magnus Dux ſecundus vbi primùm in throno paterno conſedit, conuenerunt omnes magiſtratus ad ſtatutum diem, legationeſque ſubditarum ciuitatum obedientiam de more cęterorum ducum promittentes & gratulantes pro nuper ſuſcepto imperio, quæ ſe triſtari quidem morte ſapientiſſimi Magni Ducis dicerent, ſed tamen plurimum conſolationis & lætitię capere, quia certò ſcirent virtutes ſplendere in filio, qui non minus paternæ ſapientiæ, quam paterni principatus ſit hæres. Magnus Dux perhumana oratione reſpondit ſe vel diligentia vel armis ſi opus fuerit defenſurum eſſe iuſtitiam, cum profiteretur ſe pro viribus acerrimum fore quietis, pacis, tranquillitatis patriæ ſuæ defenſorem. Hortatus eſt ipſos magiſtratus ac ciues ad legum obſeruantiam, ad equitatem, ad mutuam beneuolentiam, quibus artibus ſolis vrbis felicitas conſeruari poſſet.

Caroli Regis Gallorum mors.

Deceſſit per idem tempus ferè Carolus nonus Gallorum Rex in Gallia tranſalpina, cum regnum turbulentiſſimum, multarumque ſeditionum plenum reliquiſſet ob teneram ætatem & inualidam tantis rebus ſuſtinendis.

Vrbinatis Ducis Guido baldi mors.

Nec ita multo poſt obijt & Guidobaldus Dux Vrbini, princeps multis egregijs animi dotibus ornatus, & in primis peritia rei bellicæ clarus, cuius exequiæ magna cum pompa celebratæ ſunt. huic ſucceſſit Franciſcus Maria filius, & iuuenis multis pręſtantibus virtutibus inſignitus, ac multarum rerum cognitionis non ignarus, &, quod rarum eſt in principibus huius ętatis, non mediocriter diſciplinarum & artium liberalium ſcientia ornatus.

Frãciſcus Maria Dux Vrbini.

hic vbi primum inſignia principatumque cum maxima populorum omnium lætitia ſubditorum ac totius Vmbriæ cepit, antiquauit, ſuſtulit, aboleuit omnia vectigalia, quæ ab auo Franciſco Maria ad hæc vſque tempora impoſita fuerant. admiſit, reuocauitque in patriam omnes ciues Vrbinates, qui, per ſuperiores tumultus fuerant eiecti. bona, quæ fiſco addicta fuerant per ſeditionem Vrbinatem, ſuis dominis vna cum prouentibus reſtituit. qui alijs de cauſis fuerant in exilium propulſi admiſſi ſunt per bonitatem, benignitatemque principis ſine vllis ſumptibus, ſi tantum pacem & cõcordiam ab aduerſarijs fuiſſent aſſecuti. multos magiſtratus abdicat, viroſq; ſummæ integritatis, & ſapiẽtię ſubrogat. Publicã audiẽtiam quotidie cõcedit. Decernit vt omnes qui vellent aliquid impetrare ipſi præſentes agerent, at non per primarios proceres, cum gratiam primariorum apud ſe nullius ponderis fore pro ſupplicibus profiteretur; cum nollet videri potius per aliorum preces, quàm per propriam bonitatem quidquam concedere. Nam non minus pauperum & omnium ſubditorum, quam procerum & potentiorum ſe patrem eſſe princeps profiteri debet, quòd inopes magis opem principum vt protegantur deſiderent.

Ducis Vrbini mira prudentia.

Multos ſumptus ſuperuacaneos ſuſtulit, per quos ſubditos ipſos affligi cenſeret, quia non æquum eſſe illi videbatur vt per vim extorquerentur à ſubditis, quæ nulli adiumento principi eſſe poſſent. præſtat enim principi beneuolentiam populorum per virtutes regias ad ſecuritatem principatus comparare, quàm ſuperuacaneas diuitias; cum arma, vita, facultates omnes ſubditorum maxime paratæ ſint ad protegendum per omnes opportunitates gratum & bene de populis meritum principem. hęc tanta nouitas Ducis, totque laudabiles in principe virtutes, quæ tam raræ noſtra tempeſtate inueniuntur, quę initio ſuſcepti principatus claruerunt in conſpectu omnium ſubditarum gentium, ita allexerunt animos omnium ſubditorum, exterorumq; populorum, vt mirabili charitate & amore omnes illum proſequerentur. populo enim princeps debet vti tanquam equo, cui non eſt danda opportunitas calcitrandi. Hiſpani ita per inopiam ſtipendiorum craſſati in Belgas, vt diximus ſuperius, obliterata prorſus ex animo omni vel honeſtate, vel moderatione ita latè irruunt in facultates ſubditorum Regis, vt neque vrbibus quidem pepercerint. nam in vrbem Antuerpiam præter arcem ingreſſi, quadraginta millia nummum a ciuibus extorquent. omnia ſurſum deorſum pro libidine miſcent: ciues maximis ſumptibus vexant alendorum militum hoſpitum. itum eſt non multo poſt ſuperiorem Requeſenij victoriam ad obſidendum Lugdunum Batauorum vrbem nobilem & amplam, quod cũ diuturnã obſidionem pertuliſſet, machiniſque bellicis, & propugnaculis, & omni genere oppugnationis tentatũ fuiſſet per multas vtrinque clades ac vndique Hiſpanis copijs cingeretur, Aurantiani maris ęſtu adiuuante duce Boſſoto obſeſſos commeatu, & omni genere auxiliorum reficiunt, quoniam maris acceſſus impediri non potuit. Hiſpani illa re cognita, cum præfixa fuiſſent malis capita Hiſpanorum paulo ante quorundam captiuorum, hoſteſque forti animo accedere viderent, rati priora duo propugnacula mari vicina fuiſſe expugnata, obſidionem ſoluunt, atque ignobili fuga per medias vndas dilabuntur. Henricus Poloniæ rex quia factus eſſet certior per literas reginę matris, ac ſenatus & primariorũ procerũ Gallorũ de morte Caroli Regis Gallorum fratris, cępit clam ſecum cogitare quid conſilij eſſet capiendum in tanta rerum nouitate. communicat cum amicis Polonis. ob acceptos magnus honores pollicetur expectare quatuor menſes dum habeantur comitia. ſed cum res differri diceretur, cogitat qua ratione tutius fieri poſſet vt abſcederet, & in Galliam rediret. Decerniſecum in animo relinquere regnũ Polonię & ad Gallũ conuolare vt auitum & opulentius ac dignius, quod ad ſe iure hęreditario quo-

niam

Hērici Regis Poloniæ fuga.

niam neque honorificum neque tutum fore apparebat, vt tam cito poſt acceptum regnum per tot
difficultates, perque tot maximorum principum contentiones & gratiam, poſt tot honores à Polo
nis acceptos diffugeret, ac videretur illos proceres & vniuerſum regnum, & adiutores obtinendi re-
gni deluſiſſe, cum tot alij principes autoritate potentiaque præſtantes in petitione regni propter ip
ſum repulſam tuliſſent, quorum Poloni indignationem ægrè ferrent, vel propter Gallum timeret,
aut ſe fore ludibrio arbitrarentur, cenſuit ad illam fugam, quam in animo audita morte fratris ſibi
propoſuerat, aliqua arte opus eſſe. Decernit igitur fideliorum & chariorum, quos habebat in Polo-
nia conuenticulum fieri, vt ſtatueretur quid appareret agendum. Viſum eſt illi ſeriem totius Galli-
ci negotij illis comitijs eſſe explicandam, & neceſſitatem regiæ profectionis eſſe aperiendam Polo-
nis. conuocat igitur proceres nonnullos Henricus Carroduni, quibus ſignificat ſe velle conuocare
comitia, à quibus veniam peteret abeundi, quia neceſſariò ſibi eſſet eundum in Galliam per aliquos
dies. At enim cum poſtea factus eſſet certior à quibuſdam Polonos tarde conuenturos eſſe ad comi-
tia, vt parum de eius profectione ſollicitos, cæpit clam res precioſiores emittere inter ſupellectilia
Gallici oratoris & quorundam nobilium Gallorum cum orator abſoluta legatione per mortem re
gis petiiſſet vt ſibi liceret abſcedere. Vt autem ratio & conſilium ac neceſſitas ſuæ profectionis à

Literæ Poloni Regis relictæ.

ſenatoribus & proceribus cognoſceretur, literas ſua manu ſcriptas in ſuo cubiculo relinquit, quibus
continebatur ſe magnopere diſcruciari quod comitia eius regni expectare non poſſet, quod in re-
gnum Galliæ neceſſario eſſet eundum legitimè & iure hæreditario ad ſe perueniens. Quòd propter
accepta beneficia vitam vna cum Polonis tranſigere ſuam decreuerat, atque commendata regni cu-
ra matri comitia erat expectaturus, cuiuſce rei Deum teſtem aduocabat, ſicuti cū proceribus fuerat
ratiocinatus. Quòd plane rationem ac mandatum dederat vt comitia Gallica de gubernando re-
gno haberentur, qua de re ad fratrem Alenconium, ad Henricum Cantabrorum Regem, & ad
alios proceres, primarioſque Gallorum perſcripſerat: ſed regina mater, alijque proceres reſponde-
runt neceſſarium eſſe ſuum aduentum in Galliam, quamobrem citatis equis quam citiſſime conuo
laret, niſi mallet omnia per abſentiam ſuam funditus euerti. Non enim poſſe regnum conſeruari,
niſi ipſe eſſet Pariſijs vel ſaltem in illis finibus. Quòd reipſa tanta profectionis neceſſitas in illis lite
ris cognoſcebatur, vt omnes poſſent iudicare illud maxime fieri oportere, quod etiam in cauſa fuit
cur iter acceleraret. Et quoniam per loca non ſatis tuta eſſet tranſeundum, opus eſſe celeritate rumo
rem anteuenire. Hortabatur interim ſenatum ac proceres vt conſeruarent ſuam in ipſum Regem
beneuolentiam, ſicut ipſe perpetuò in illos erat conſeruaturus. commendabat dignitatem ſuam &
regnum dum abeſſet, ad quod regnum breui certè pro viribus eſſet rediturus, neque vnquam illi
defendendo & ornando defuturus. reſcripſit per eundem tabellarium literas ad reginam matrem,
quem citiſſime remiſit, quibus ſignificabat ſe in Galliam quam citiſſime eſſe venturum. illas literas
ſuperiores vbi in cubiculo reliquiſſet ſuper parua menſa, exijt per obſcuritatem noctis per exiguam
portam Carroduni, cuius ipſe clauem habebat ad eam opportunitatem, vt ignotus pro arbitrio
poſſet exire venatum. ſecuti ſunt illum tres comites tantum, atque ex vrbe egreſſus ne diſceſſus im-
pediretur à Polonis ſi res fuiſſet diuulgata, non prius alicubi moratur, quam extra fines Polono-
rum per aſſiduum curſum peruentum ſit. vbi Iuliobonæ propinquare, obuios habuit cum magna
pompa Maximiliani filios, cui Cæſar quoque ipſe mox obuiam proceſſit. hinc ſcripſit & ad ſena-
tum Polonorum, quibus ſignificabat neceſſitatem ſuæ profectionis. ſcripſit & ad ſenatum Vene-
tum alias, quibus ſignificabat patribus ſe habere in animo per illorum fines iter facere, atque acce-
dere Venetias. patres auditis lubentiſſimis animis regia voluntate continuo Aloyſium Bonri-
cium à ſecretis mittunt, qui Regem hortaretur vt in ea ſententia tam grata ſenatui & optatiſſima
perſiſteret. ipſi interim animos conuertunt ad omnem apparatus magnificentiam tam in vrbe,
quam extra vrbem. Iubentur leuiores equites & cataphracti eſſe inſtructi vt obuiam Regi proce-
derent. Imperatur & ſinus Adriatici & Cretenſium triremium præfectis vt cum triremibus ad op-
portuna loca conueniant. Delecti ſunt quatuor oratores ad Regem, Andreas Badoarius, Io. Mi-
chaelius, Io. Superantius, Iacobus Foſcarenus, cum quibus legationibus iuſſus eſt vniuerſus equi-
tatus procedere. Delecti ſunt quadraginta iuuenes patricij ordinis, qui magnificè induti cubicu-

Venetorum magnificētia erga Regem Gallum.

lo regio aſſiſterent. delecti ſunt & ſexaginta patres è Senatu, ſiue vt vocant, concilio rogatorum,
qui ipſum Regem comitarentur. omnes artificum ordines nauigia ſingulatim magnificè inſtruūt.
parata eſt & tragædia. omnes hi, alijque apparatus facti ſunt Venetijs in aduentum Regis, ita vt
bona pars hominum eſſet in opere. Henricus Iuliobona profectus exceptus eſt etiam à Carolo ar-
chiduce cum regia magnificentia dum per fines Auſtriæ pertranſiret. Vbi peruentum eſt ad fo-
rum Iulij, Hieronymus Mocenicus cum quingentis nobilibus octingentiſque peditibus egregie ar-
matis fit obuius. Nec ita multo poſt Ludouicus Gonzaga Dux Auguſtonometēſis fit obuius Re-
gi, ac Veneti poſtea oratores pedites cum literis Senatus, quibus inuitabatur vt tam lætè quam
tutò accederet. illas literas ipſe legere voluit, cum cęteras vel è Gallia miſſas audire tantum conſue
uiſſet. Baduarius perhumanis verbis illum in hoſpitium inuitat, qui Gallico ſermone reſpondit
ſe libenter in eius reip. complexum accedere, quæ non minus humanitate erga amicos princi-
pes, quam ſapientia, & omni genere virtutum ſemper cum ſumma laude, omniumque admira-
tione floruiſſet. Rhedam deinde aſcendens iter capit. Nec procul à Tiliauento flumine, Spi-
limbergoque oppido & Diui Danielis apud pontem tumultuarium ibi conſulto excitatum fit ob-
uius Dux Ferrariæ, vnde quarto hoſpitio Taruiſium acceditur. Proceſſit obuiam Bartholamæus
Lippomanus Taruiſij præfectus cum multis peditibus & equitibus nobilibus Alphonſo Portio
& Ænea Pio ducibus. accenſi ſunt paſſim ignes nocturni, & multa lætitiæ ſigna edita. Inde ad

pagum

pagum Margheram extremum ſitum in litore lacunæ Taruiſium verſus ventum eſt, vbi ſexaginta patrcij illum exceperunt & comitati ſunt. acceſſerant illuc tres parui lintres Regio apparatu inſtructi, quod genus paruarum nauicularum Veneti Gondolas vocant, quorum in vno Rex & Ferrarienſis Auguſtanometanusque duces Muranum verſus iter capiunt: illud eſt ſuburbium Venetiarum diſtans ad duos ſtadios ab ipſa vrbe, vbi cultiſſima quædam ſunt viridaria. ibi datum eſt primum Regi hoſpitium, multorumque alabardiferorum cuſtodiæ corporis adiunctæ, quarum dux erat Scipio Conſtantius. at rex celeberrimæ vrbis videndæ deſiderio impulſus non potuit ſe intra hoſpitium continere, ſed paulo poſt ignotus exijt cum duce Ferrarienſi ad ſitum Venetæ vrbis recognoſcendum. Vitus Doribergenſis Cæſareus, & Renaldus Ferrerius regius Gallus oratores ordinarij apud Venetos, viri ſingulari bonitate ac prudentia, omneſque aliæ legationes principum ad ſalutandum Regem accedunt, gratulandumque pro felici aduentu. Thalamagus interea tractus remulco fuerat ad templum Diui Nicolai litoris vocati; at liburni, reliquaque armata nauigia ad Diui Seruoli perducta. Dux & Senatus, & principum legationes deinde triremem Superantij egregiè inſtructam conſcendunt, quam ſecutæ ſunt triremes quatuordecim, & prædatoriæ nauiculæ, & multa alia nauigia varij generis. Vbi Senatus Muranum acceſſiſſet, fit deſcenſio ad palatium regium, rex obuiam procedit. Mutuæ fiunt vtrinque ſalutationes. Vbi dux egiſſet gratias Deo quòd contigerit ætate ſua tantus vt rex Venetias acceſſerit, rex perhumaniter reſpondit ſe remp. propter eximias virtutes ſemper coluiſſe, at nunc præſentem etiam complecti. Poſt breue colloquiũ triremis cõſcẽditur, in quã ſedes erat regia, ad quã ꝑ tres gadus aſcendebatur à dextra ſedebat legatio põtificia & Card. Diui. Siſti. à ſiniſtra dux Venetorũ. Vbi puẽtũ eſt ad Litus, quę parua & ignobilis eſt inſula Venetijs ferè cõiũcta, õia nauigia ab Antonio Canale inſtructa cũ magna bellicorum tormentorum ſalutatione Regem excipiũt. qui exiens ſub vmbella à ſex Procuratoribus portata ſub fornice affabre facta in templum peruenit. Antonius Canalis redeunti oſtenditur tanquam omnium mortalium peritiſſimus rerum maritimarum, quem rex magnopere collaudatum equeſtri dignitate inſigniuit. Mox conſcenditur thalamagus, quem alia diuerſa nauigia cum ingenti tormentorum ſtrepitu ſequuntur. nauigia item à diuerſis ordinibus artificum miris modis ad voluptatem ſpectantium inſtructa ſunt, cum à monſtris marinis trahi viderentur, veherenturque in illis Dij etiam marini. Thalamagus ad palatium Regi paratum peruenit, quod erat ampliſſimæ ornatiſſimæque ædes Foſcarorũ, illi ſunt patricij Veneti, è quo Dux & Senatus Regem in ſuum vſque cubiculum comitatur. tanta erat, tamque frequens vbique vrbana multitudo, vt Venetæ magnificentiæ ignaris, aut etiam inuidentibus Venetæ felicitati, vniuerſa Italia ad tam inuſitatum ſpectaculum confluxiſſe videretur. ſplendebat vbique per totam noctem accenſæ faces & lampades & funalia luminum in varias figuras formatorum. multa fiebant in vrbe mutua conuiuia. acceſſit Venetias Emanuel Philibertus Dux Allobrogum, qui nouæ pompæ occaſionem dediſſet, niſi pro ſua prudentia illud fieri recuſaſſet, patreſque monuiſſet ſe nolle fieri vllum apparatum ob ſuum aduentum. Dux ad viſendum Regem deinde profectus ad conuium in diem ſequentem inuitarit, quod parabatur in aula maioris concilij ſingulari magnificentia. parata erat ibi ſedes eminentior ſub aurea vmbella, & abacus opulentiſſimus, vbi thronus Ducis eſſe alias conſueuit plurimis argenteis & aureis vaſis conſpicuus. Erant tot, tamque longæ paratæ menſæ vt tria millia mortalium & amplius poſſent accumberę, cum in ornatiſſimis cubiculis multi magnifici lecti fuiſſent ſubſtrati. Parata fuit tragędia, & multa genera acroamatum. Poſtridie vbi Dux Venetus Regem adduceret ad Palatium in thalamago, multum ſpatium loci fuit eximie inſtructum, & pons ex aſſeribus purpureis pannis ſubſtratis, precioſiſque aulęis vtrinque indutis, tanquam paries in mare per quoddam ſpatium promines excitatus. In extrema parte duæ erant pyramides, quæ portæ ſpeciem præ ſe ferebant. rex exijt ſub vmbella quæ à Thoma Contareno, Sebaſtiano Venerio, Nicolao Pontio, M. Antonio Barbaro, Octauiano Grimano, Hieronymo Contareno viris primarijs ciuitatis geſtabatur. Præcedebat Regi Dux Allobrogum, & Ferrariæ, & Auguſtonometi. ſtipabat ex altera parte Regem legatio pontificia & Card. ex altera Dux Venetus, quos vtrinque ſtipabant alabardiferi. itum eſt poſtea ad templum Diui Marci, hinc ad conuiuium. Pranſis armamentarium Decemuirum oſtenditur ob varietatem præſtantiamque armorum admirabile. mox recitata eſt tragoedia, & ignes facti ſuper aqua varij generis. hinc vicus vænalium mercium eximiè inſtructus viſus, ac palatium Germanorum. Dum die tertio rex cum Ferrerio ſuo oratore pranſus ſine pompa ad principem accedit. hinc ad viſenda multa rerum antiquarum monumenta & ſtatuas & numiſmata, quæ ſunt apud Io. Grimanum Patriarcham Aquileiæ virum bonum & rebus huiuſmodi colligendis magno precio aſsuetum. aditur & Concilium, in quo ad beneuolentiæ ſignum creatus eſt nobilis, Venetaque vrbe donatus & ipſe & dux Allobrogum. Dux Mantuanus & ipſe accedit ad Regem, qui omnes poſt viſum deinde nauale poſt ſequentium dierum choreas in maiori concilij aula, & varia ludicra, datis multis muneribus & nobilibus & popularibus Venetis Patauium verſus iter capit, quem Dux & Senatus comitatur ad tria millia paſsuum. Itum eſt deinde Ferrariam, vbi cum multa magnificentia fuit exceptus, quò acceſſit etiam Dux Vrbini. ibi quoque cum nõnullos dies moratus eſſet inter magnificos apparatus, multaq; ludicra certamina, & varia acroamata eius ducis; nam & dux ille multa vſus eſt magnificentia faciendis omnis generis apparatibus, quod etiam fecit Dux Mantuanus paulopoſt. Interea rumor de morte Regis Gallorum, & fuga Poloni Regis non modo vniuerſam Poloniam, ſed etiam Germaniam & Italiam peruagatus fuerat, & in maxime longinquas regiones penetrauerat. conquerebantur, ægerrimeque ferebant Poloni proceres quod etiam per literas à Senatu, equeſtri ordine, & magni ducatus Lituaniæ ſignificatum Querelæ Polonorum de fuga Regis.

fuit ſe

fuit ſe fini timis principibus potentiſſimis longinquum in eligendo Rege præpoſuiſſe, qui tam parui poſtmodo viſus eſt regnum illud & vniuerſam Polonam nobilitatem feciſſe, quando neglecto præſenti regno potente, tranquillo, & omni genere auxiliorum communito, in quod vix per amicitiam & obſeruantiam ſummi Imperatoris Turcarum fuiſſet admiſſus, confugerit in regnum Galliæ diuturnis bellorum tumultibus exinanitum & pene funditus euerſum per inteſtinas ſeditiones fluctuantibus adhuc potentioribus bellorum motibus: nam omnia Gallica arma multo magis quam antea ſæuire in tota Gallia nuntiabantur. Alijs apparebat his ipſis de cauſis in contemptum profugi Regis continuo indicenda eſſe comitia noui Regis creandi. Alijs per iniquum videbatur, ſi tantum iniuriæ fieret illi Regi qui neminem vnquam affeciſſet iniuria, & cuius vita omni ex parte innocens & integra apparuiſſet, ſi inaudita cauſa rex ſufficeretur, cum omnibus priuatis defenſio iure ſit concedenda in quauis cauſa, nedum ipſis regibus, quorum vix vlla putanda ſunt delira conſilia. Decretum eſt his varijs rationibus permotis proceribus eius regni vt mitteretur legatio, quæ Polonorum nomine de fuga ipſius Regis quereretur, eũq; hortaretur vt quanto citius fieri poſſet in Poloniam rediret, quia Poloni non poſſent omnino æquis animis carere ſuo Rege finitimis pręſertim tam acribus tamque potentibus hoſtibus illi regno Moſchouitas & Scythis & Turcis. Acceſſit Ferrariam dum agerentur ludicra illa legatio, quæ Regem conuenit, conqueſtaque eſt quòd inſcijs Polonis proceribus tam amantibus profugiſſet ex eo regno, in quod modo tam propenſis animis, tantaque cum omnium Polonorum lætitia fuiſſet exceptus. obnuntiat niſi ad ſtatutum diem redeat, abdicatum iri ab illo regno, & comitia creandi noui Regis eſſe indicenda. Henricus his legationibus auditis non parum commotus eſt, quoniam ſi ex altera parte à regno Galliæ turbulentiſſimo factionibus & armis Gallorum præpotentibus excluderetur ac reijceretur, ex altera è regno Poloniæ per indignationem Polonorum fuiſſet excluſus, videbat rem exiſtimationemque ſuam in maximo periculo verſari.

Reſponſum callidum Hērici Regis.

Reſponſum itaque fuit vtriſque rebus peraccommodatum excogitatum quo vtraſque nationes in officio retineret, efficeretque vt neque hi probabiliter, neque illi iure queri poſſe appareret, & quod ſibi cōmodius eſſe poſſet, obtineret. reſpondet legationi breui fore vt in regnū Poloniæ rediret. ſe nulla ratione regnū tā nobile, tam opulētum, tam ſibi beneuolum in primis reliquiſſe, quod expetiuiſſet per tot contentiones variorum principum, ſed tantum voluiſſe conuolare ad res Gallicas & patrias componendas, quæ certe per alium neminem componi poſſent. atque niſi aditus iam pridem fuiſſet occluſus accedentibus in Galliam cuncta tenentibus armatis, ſe iam diu iturū fuiſſe. Nō fuiſſe in Italia vel tātillū cōmoraturum, niſi dum animi vtriuſque factionis per communes amicos placarentur vel mitigarentur vt ab armis recederent. addidit etiam literas & preces vt Poloni proceres æquis animis aliquantulum perferrent ipſius Regis abſentiam pernecesſariam. Deinde cum adijſſet Auguſtam Taurinorum literas huius ſententiæ

Literæ Regis Poloni.

ſcripſit ad ipſos pro ceres, quibus & hortabatur ad fidem & electionem ſeruandam, quàm tam honorificā feciſſent; Hēricus Galliarum & Poloniæ Rex. Pręſtantiſſimi, illuſtres, magnifici nobis dilecti nobiles & generoſi equites. Et ſi poſt eas, quas nuper Ferrariæ ad vos literas dedimus, nihil accidit huiuſmodi, quod ſcire veſtra magnopere intereſſet, tamen vt intelligatis de priſtina noſtra erga vos beneuolentia nihil eſſe immutatum aut imminutum, ſed ad eam magnum in dies cumulum accedere, ſic planè in animum inducimus nullam etiam ſine argumento ſcribendi ad vos occaſionem prętermittere. Illud eò libentius facturi ſumus, quòd quam cupide, quantaque cum obſeruantia, quæ à nobis ad vos perferuntur excipiatis, nequaquam ſumus neſcij. ac quidem licet vos officij veſtri erga nos admonendos eſse minime putemus, nec ſecus de vobis exiſtimemus, ac de bonis & præſtantiſſimis viris, quorum ſingularem fidem perſpectam & cognitam habemus, tamen cum ea ſit horum temporum ratio & iniquitas, vt leuia interdum & fluxa putentur, quæ ſacroſancta inter homines eſse debent, cumque acerbius nobis accidere nihil poſſit, quam ſi humano errore vel nonnullorum parum honeſtis artibus à vobis quidquam aduerſus priſtinam noſtram laudem & gloriam peccetur, cogimur pro officio noſtro & ſingulari qua uos beneuolentia proſequimur animum veſtrum conteſtari & apertè per crebras literas de rebus noſtris iudicium aperire, quod in ſumma eſt huiuſmodi nequid noui in his conuentibus, quos ad Cal. Octobris indictos eſse accepimus, proponi, tractari, aut decerni patiamini, omniaque ex autoritate noſtra, vt æquum eſt, ſtatuatis: quo omnes Europæ principes intelligant vos eſse eos, qui & præſente & abſente Rege veſtro ipſius dignitatem, & maieſtatem præcipuè tueri ſciatis. nam ſi aliter fiat, non modo Rempublicam veſtram in maxima pericula conijcietis, ſed etiam vix vllis vnquam poſtea temporibus tranquillitatis fœlicitatem, quam nacti eſtis, & cuius conſeruandæ occaſionem omnes ſemper complexi ſumus, recuperabitis: quam quantum in nobis fuerit, procurabimus. nam ſimul atque in Galliam venerimus, præſtantem aliquem & egregium virum ad vos cum mandatis allegabimus, viciſſimque audiemus libenter, quæ ad nos à legatis veſtris perferenda curabitis. Bene valete. Taurini, non longe a noſtris Allobrogum finibus. die 30. Auguſti. Henricus Rex. Has literas plerique proceres ægro animo tulerunt, quę regno Poloniæ minari viderentur, cum tamen valde longinquæ & turbulentiſſimæ eſsent vires Gallorum, & propinqua promptaque auxilia illorum principum Polonis, qui per vim armorum vel volentem reuerti cum exercitu in regnum excluſiſsent, modo id æquis animis tuliſsent proceres. cenſebant etiam plerique prudentiores non eſse præſentium calamitatum vt rex cum magna pompa per Italiam penetraret, tempuſque inter ludicra abſumeret, quia vbi ardet tugurium, non eſt tempus iocorum, ſed extinguendi ignis. nam præclaram oblatam eſse occaſionem prædicabant componendæ rei Gallicæ, ſi vniuerſam cogitationem eò conuertiſset, ſcripſiſsetque ad principes

aduerſariæ factionis, ſe primùm fratris Regis imperio non potuiſſe non parere, atque duxiſſe copias aduerſus quoſcunque iuſſus eſſet, at nunc cum Deus ipſum ad regnum afflictum, & deuaſtatũ per ſuperiores ſeditiones aduocauerit, ſe velle eſſe patrem omnium ſubditorum, nihilq; antiquius habere in animo, quàm ſubditorum pacem, concordiam, tranquillitatem, felicitatem, quæ certe ſine religione, & æquitate nullibi poſſunt conſiſtere. præſtare ſic placidas in Galliam, quam ſic minaces in Poloniam literas mittere. nam omnia terroris trepidationiſque plena erant in Gallia, paſſimque per mortem Regis tumultus pullulare, omnia fluctuare bellorum motibus videbantur, cum arma nouæ religionis Vgonottica repente multis in locis aduerſus catholicos inualuiſſent. multæ fiebant vbique catholicorum cædes, multæ rapinæ, multę prædationes. At regina mater hos tantos tumultus, qui ſemper recentiores, nouique fieri apparebant, conatur quoquomodo poſſet opprimere aut ſaltem placare, quamobrem legationem mittit ad Condæum principem eius factionis, qui cæſo Cõdæo ſucceſſerat, non ſolum in hæreditatem bonorum, ſed etiam opinionis de religione, & ad alios proceres, qui Vgonotticas partes ſequerentur, quę obnuntiet ſub pœna capitis, & perduellionis aut indignationis noui Regis futuri, vt arma deponerent, neque vlla bella illo abſente excitarent, populos vexarent, vel aliquo pacto regnum infeſtarent. nam Vgonotti propè interregnum nacti omnia rapinis, cędibus, populationibus, vt dictum eſt, repleuerant, cum vniuerſa Gallia cogeretur eſſe in armis ad ſuam defenſionem. reſpondit Condæus ad hanc legationem, non eſſe munus reginæ imperare ſubditis, vt illa arma deponerent, quæ ſint ad Regis ipſius defenſionem ſuſcepta, ſi quis eum vellet impedire quominus in regnum accederet: cum profiteretur ſe aduerſus hoſtes Regios, at nõ aduerſus ipſum Regem arma ſumpſiſſe. Quæ dum in Gallia, & Polonia aguntur, Cyprus inſula, quæ per ſuperiorum bellorum rabiem deſerta fuerat, factaque ampla ſolitudo vel trucidatis vel fugatis colonis, ac per edictum Selimi ne plane deſereretur propè libertatem nacta fuerat inſulanorum, cęperat tam crebris habitatoribus repleri, vt penè oblita ſuperiorum calamitatum videri poſſet. Sed quoniam per raro ſolet accidere ſimplex infortunium, vt ſignificarunt antiqui per fabuloſum Furiarum ortum, quæ ſæpe omnes diuinitus expectandæ ſunt ab impiis, & nimis auaris, & libidinoſis ciuitatibus, tanta exorta eſt vis peſtilentiæ in illa inſula, tamque atrox morbus, vt omnes prope Cilices, Pamphylii, Cappadoces coloni, qui ad habitandum multi traiecerant, vt etiam Cypris homines perierint, qui è montoſis locis ad ſuas poſſeſſiones conuenerant. Turcica claſſis, quæ maxima, optimeque inſtructa ad Tunetanam expeditionem erat nauigatura. cępit eodem morbo laborare, quãobrem multis quotidie morientibus, & in aquam deiectis, iam tardior ad iter ſuſceptum efficiebatur. nam quia turpe apparebat ſi potentiſſimus imperator Turcarum, qui vniuerſæ ferè Aſiæ imperaret, magnæque parti Africæ, & multis locis Europæ, paſſus fuiſſet Ioannem Auſtriacum adoleſcentem, aut Philippum Regem per ſummam iniuriam, & contemptum Selimi amicos Reges pro arbitrio è regnis eiicere in Africa, aut in regna pro deiectis ſubrogare pateretur, iuſſerat per hyemem, vt diximus, claſſem quam maximam parari Byzantij in ver proximum, quæ vbi fuiſſet multa diligentia rebus omnibus opportunè inſtructa iuſſa eſt ad illam expeditionem properare, funditusque euertere quæcunque Philippus Hiſpanorum Rex in Africa poſſideret. Scriptæ ſunt literæ, & miſſa diplomata ad Africæ finitimos proceres, quibus ſignificabatur, vt auxilia requiſita cum imperatoriis copiis coniungerent pro viribus vbi opus eſſet, quibus copiis omnia neceſſaria ſubminiſtrarent. cæterum vniuerſis illis apparatibus ſumma diligentia confectis ad Numidicam expeditionem pręfectus eſt cum ſummo imperio Sinamus purpuratus vir callidus, & rerum bellicarum non ignarus, qui cum centum & ſexaginta longis nauibus noſtratis, onerariis, & mahonis triginta, multiſque aliis diuerſis nauigiis, nauigaret, quibus commeatus, tela, cętera exercitibus neceſſaria conueherentur, per Aegæum, & Ionium ſinum mox nauigat, Cyprumque, & Rhodum, & Peloponneſum, & Corcyram inſulam, & Hidruntem prætervectus felici vſus nauigatione ad litora Punica deque peruenit. Sed antequam claſſicę vires accederent, quę menſe quintili ſe primum oſtentarunt, terreſtres copię in vnum conuenire uiſę ſunt, quę Tripoli, & Caruano, & Iulia Cęſarea, & è Meninge inſula, & Conſtantina acceſſerunt, cum quibus viribus erant coniuncti omnes Numidæ ac Mauri, qui Turcicis partibus ſtudebant, & Alarbi uocati, qui uniuerſo agro Aegyptio potiuntur cum duobus Ianizzerorum, & quatuor hebręorum millibus, quę omnes copię ad Galathę expugnationem confluxerunt. accedebant ad quadraginta millia armatorum, qui ſic uniuerſum agrum ab vrbe excluſerunt, nihil ut Tunetum ingredi poſſet, vel antequam illæ copię ſe vrbi oſtentarent. at quoniam Serbellonus de omnibus Turcicis apparatibus, & de claſſis magnitudine factus eſſet certior, Petrum Carreram uirum Hiſpanum Galathæ præfectum conuenit. tranſigit cum eo quid ad defenſionem Galathę, & munitionis agendum eſſet. Et quoniam aggeres Galathę parrum uiderentur eſſe elati, glebaque minus apta eſſet operi perficiundo, decernitur ad militum ſecuritatem, vt plateæ interiores ad duos palmos excauarentur, ut ſic extollerentur aggeres continentem verſus, & antiqua męnia. ad celeritatem uerò operis promittit Serbellonus ſe multos magiſtros cum inſtrumentis Tuneto miſſurum, quod etiam ſtatim fecit. nihil denique prętermiſſum eſt, quod ad defenſionem ſecuritatemque Galathę pertinerent, ſed omnia diligenter ſtudio, & ingenio Serbelloni viri clariſſimi ſunt inſtituta. Sed quoniam murus foſſæ munitionis ſtagnum uerſus ad rectam lineam eſſet perductus, neque in medio flecteretur exterius ad accipiendam duorum propugnaculorum defenſionem, quę uia patebat etiam hoſti per foſſas militares vrbi propinquaturo, ſtatutum eſt, vt triangularis figurę membrum adderetur, quod protegeretur à munitione ſuper eadem lacuna. munitio tamen, quam dicebamus ſuperius fuiſſe inſtitutam conſilio communi Hiſpanorum procerum, nondum erat perfecta. Conſtabat ea è terra partim inter duos craſſos

Condæi calliduͤ reſpõſũ.

Peſtis Cypri.

Peſtis claſſis Turcicæ.

Claſsis ad Galathæ expeditionem.

Copię ad Galathę pfectę.

aſſeres craſſiores incluſa de more Numidarum, partim è faſciculis geniſtarum & terra, atq; ita pars in ima, vt exterior tollebatur, quo hoſtes poſſet caſtrametatos deſpectare. erant latera Tunetum verſus, & oppoſita humiliora, & depreſſiora quam fieri oportebat, & multo etiam magis pars quæ ſtagnum proſpectaret, cum foſſæ nullæ adhuc eſſent excauatæ. nulla igitur in parte aggeres munitionis ad protegendum fuerant excitati. at foſſarum profunditas, & amplitudo planitiem verſus erat deſignata, & incepta tantum, ac non finita: cum plurimum temporis eſſet conſumptum explanandis multis & magnis locis eminentioribus ne munitionem deſpectarent. elata ſunt duo ingentia propugnacula. inſtitutæ cellæ commeatuum, & apparatuum bellicorum, & caſæ militum, & molendina, & ciſternæ multæ aqua dulci repleræ aliunde comportata. multa materia in munitionem illata. nam cum multa facienda eſſent per idem tempus, non potuit opus omnino abſolui propter vel paucitatem, vel negligentiam, & tarditatem Hiſpanam, vix enim ſub finem Martii menſis magiſtri, inſtrumenta, materia ad opus acceſſerunt, cum menſe Octobre præterito Hiſpana claſſis ab Africæ expeditione receſſiſſet, quo tempore omnia neceſſaria Serbellono promiſſa fuerant. Significatum erat fore, ut quadraginta triremes accederent, quarum remiges per aliquod tempus opus adiuuarēt, diruerentque Tunetana mœnia munitionem verſus, & murum Alcazauæ. nihil tamen horum obſeruatum aut conceſſum eſt, quòd paucæ triremes acceſſerunt Duce Bernardino Velaſco, qui cito diſceſſit. non ceſſauit tamen militum diligentia, qui nullis laboribus pepercerunt uel ſumma rerũ neceſſariarum inopia laborantes, quamuis multæ naſcerentur, ut par eſt, ægritudines. debilitatæ ſunt præterea vires multis dimiſſis militibus, cum imperatum eſſet, vt duo Hiſpanorum, & duo Italorũ militum millia eſſent in munitione: at Galathæ duo millia Hiſpanorum, ſi tot adeſſent, ſin autem pro Hiſpanis Itali. iuſſæ ſunt omnes reliquę copiæ dimitti cum iis, qui eſſent inepti rei bellicæ, atque Vtica deſerta eſt. Sic multis ægris dimiſſis minor etiam numerus eſt retentus. his omnibus rebus effectum eſt, vt facilius res Hiſpana poſſet labefactari uel propter imperitiam vel propter negligentiam, vt dicebam, miniſtrorum. ſed enim ubi claſſis poſtea Galathæ ſe oſtentaſſet, fuiſſetque illam noctem in anchoris non procul à Carthagine, poſtridie eius diei. & copiæ deſcenſionem fecerunt, & extracta ſunt tormenta, & aggeres, foſſæque militares aduerſus Galathen inceptæ, per quas vrbi propinquaretur. Sinamus iubet ut copiæ, quæ terreſtres acceſſerant, ad expugnationem Tuneti omnes vno tempore proficiſcerentur, quibus adiunxit quatuor millia militum claſſiariorum, ſummum imperium eius expugnationis datum eſt Aydari purpurato Caruano cum ſexdecim bellicis tormentis. Aydar nullo ſpatio temporis interiecto in ſuburbiis Tunetanis caſtrametatur, cęptumque eſt urbem concutere magna diligentia. Serbellonus cognito hoſtium conſilio & virtute copiarum poſt primum conatum à verberatione, quarum paulo ante periculum factum fuerat, cenſuit omnes ſuos eſſe intra munitionem contrahendos, quare Tunetum vrbem relinquit arbitrio hoſtium. facta eſt è ſententia receptio, cum neminem è ſuis deſiderauit, vel inter duplicem inſidiarum Maurorum numerum tantis præſertim copiis hoſtium oppugnantibus. Nec ita multo poſt ſe receperunt in munitionem incolumes, qui turrim Morabitim defendebant. copię Turcicæ, quę ad Galatham deſcenderant excitatis foſſis & aggeribus, per illaſque vrbi propinquantes multa tormenta muralia inter corbes dirigunt, Galathenque ab ea parte, quæ reſpicit Carthaginem magna diligentia concutiunt. at ex ea parte quę illi verberationi opponebatur, Turcę foſſam conantur excauare. nam cum propinquaſſent ipſi foſſę, ſarmenta, uariamque materiam ad implendum deiecerunt ad propugnaculum Diui Petri è regione verberationis. Carrera non ſemel ſollicitauit Serbellonum ut ſibi ſuppetias mitteret, cum proponeret periculum in quo Galatha erat conſtituta, qui ante pręſidia Italorum renuerat, ne Itali gloriam pręriperent defenſionis Hiſpanis, aut communicarent. illud cum uarii nuntii Serbellono ſignificaſſent, reſpondit denique Galatham munitiſſimum locum poſſe facilius defendi ſuis pręſidiis, quam cętera loca, ſi vires illorum minuantur, quibus captis omnes uires hoſtium ad illam urbem euertendam coniunctę eſſent expectandę. imperatum fuerat, uel ante Turcarum aduentum, ut Ioannes Senoghera inſulę ſtagnique pręfectus Carrerę in omnem opportunitatem inſeruiret cum quibuſdam paruis lintribus. ſed enim cum in petitione auxiliorum Carrera perſeueraret, neque conſilio Serbelloni acquieſceret, vt in maiorem opportunitatem non de futura auxilia reſeruaret, miſſę ſunt duę Hiſpanorum, & duę Italorum cohortes, quas lintres per ſtagnum traiecerunt ducibus Petro Manuellio, Ioanne Figueroa, Lelio Caualertana, Tiberio Boccafoſca, qui erant ſexcenti & quinquaginta pedites. Vbi Serbellonus intra munitionem ſe recepiſſet, cępit denuo magna diligentia reparationes excitare, quo tempore hoſtes in duobus locis proximis caſtrametati octo bellica tormenta utrobique erexerunt ad portas, & domos, & defenſiones Chriſtianorum euertendas. Vt uerò obtunderetur hoſtilis audacia, neque tam feroces hoſtes eſſent contemptis uiribus obſeſſorum, ſępe modo hinc, modo illinc exitum eſt in hoſtem, multiſque ſemper trucidatis in morem pecudum ad tormenta uſque, denſioreſque acies, obſeſſi inſecuti multis cũ ſpoliis redeunt in munitionē. ſed ne antequam rediretur, intercluderetur iter ab hoſtibus, certus locus ſtatutus eſt, ulta quem progredi non liceret. conuenerant Iulia Cęſarea Ramadanus purpuratus cum ſex millibus armatorum, & cum his multi Numidę, & Alarbi, qui ad aggeres foſſaſque diruendas acceſſerunt, unde breui ob moleſtiam obſeſſorum, cladeſque frequenter acceptas copias retraxerunt. tormenta poſtmodo tracta ſunt propius ad munitionem, & per foſſas militares occultis viis munitionis propinquatur, ripiſque foſſarum pluribus in locis. cum inſignem aggerem tranſuerſe in foſſa excitaſſent, cœptum eſt ligonibus detrahi acumen propugnaculi Auriæ: nam propugnacula à conditoribus, vel præfectis plerunque nomina ſortiuntur. illud obtinebatur aggeris beneficio vt propugnaculum qđ erat nō aſpernādæ amplitudinis & craſſū Diui Ioannis

Aidar Tunetũ expugnat

Tunetum deſertum.

ni Ioannis neque videre quidem hoſtes,nedum non offendere poſſent. Serbellonus contra inſignẽ puteum excauari iubet, ne forte ibi fieret cuniculus, omneque genus impedimentorum, & ignium excogitat ad illos deterrendos.at ex altera parte cum ſenſiſſent recentia auxilia ſtagni beneficio Galathen eſſe ingreſſa, in utraque ripa fluminis hoſtes tormenta collocant. varia genera nauigiorum in ſtagnum introducunt,aggerem excitant,per quem ad lacunam tecti peruenirẽt, vbi lacunam ipſam ducto aggere claudunt,nequis uel per noctem egredi poſſet, aut ingredi. neque à Turcica claſse quidem ceſsabatur,cum eam Galathæ partem,quę mare proſpectat, multa globorum frequentia diuerberaret, ac pōtibus factis ex antennis non ſemel occupare conata ſit,in quibus conatibus multi utrinque ceciderunt.at Carrera per literas noua auxilia petit. munitionem illam in magno periculo uerſari inquit. Serbellonus omnes prętantiores proceres conuocat. literas Cardinalis Granuellii de dandis auxiliis, & literas Carreræ petentis aperit.proponit difficultatem negotii.verebantur,niſi miſiſset,ne ſua cauſa Galathe amiſsa eſse videretur: ſi miſiſset, caruiſse iudicio, qui munitionem temerè exinanierit. profitetur ſe vna cum ſubſidiis iturum ad obſeſsos confirmandos. cum de ſuo diſceſſu reclamatum fuiſset ab omnibus cognita imbecillitate munitionis,cum reparationes nō eſsent ad aptam altitudinem perductæ, multaque deeſsent perficiendæ, conſideratis viribus hoſtium, qui ad oras vſque foſsarum conſediſsent, magnaque ex parte acumine propugnaculi potirentur, cum Galathę præſidia ob uim,& aſſiduitatem oppugnantium prope eſsent conſternata, decernit tamen noua ſubſidia mittere. Sed quoniam nulla tormenta ad infeſtandos hoſtes, niſi ad neceſſarium defenſionem,è Galatha diſploderentur,in qua erant ad ſeptingenta cuprea varii generis,Antonius Caraſa arcis præfectus dictus eſt Carreram reprehendiſse,quòd ea tarditas repugnaret Regiæ ſeruituti, Carreræ iuſsu dicitur in ſaccum uinctus fuiſse,& in mare deiectus.miſsus eſt igitur Martinus Cugneus, & Diegus Maldonatus cum ſuis cohortibus Hiſpanorum, & Hercules Piſanus cum cohorte Itala, quibus alii ſunt additi, ita ut ducenti ingreſſi ſint Galatham, cum quibus Petrus Boadilia, Aluarus Sandæus, & alii ſtrenui proceres profecti ſunt.iniunctum eſt Boadiliæ, vt habita colloquia Carreræ nuntiaret, & res munitionis quo in ſtatu eſsent, & quòd ſubſidia ſine maximo periculo non poſsẽt mitti,& quòd eſsent munitioni maximè neceſsarii ſui milites. Quòd non poſset quis Galathæ ad mille paſsus propinquare ob acceſsus ab hoſtibus occluſos, cum illum tenus à militibus eſset in aqua accedendum. Fore vtriſque commodum ſi pręſentibus copiis ſe Galathe ſuſtentaſset, & Carrera virtute potius pręſentium militum, quam numero abſentium niteretur.cum nullibi poſset præſertim à multis uno tempore offendi, niſi qua parte urbs fuiſset concuſsa apud propugnaculum Diui Petri vbi foſsa fuiſset induſtria hoſtium exiccata. ſe tamen nulla ratione eius defenſioni pro viribus defuturum.acceſserunt viginti tormentorum magiſtri in celoce quadam per obſcuritatem noctis, cum multi dilaniati à Turcicis tormentis cecidiſsent. ſuſtentarunt etiam non nihil Carreræ uires propè languidas duæ onerarię, quę qngentos pedites per noctem Galathę expoſuerunt, fefelleruntque cuſtodias Turcarum, cum inſignia, & habitus Turcicos ſumpſiſsent, multoſque conueherent,qui Turcico idiomate prompte loquerentur. at enim cum hoſtis poſtea urbem inuaſiſset poſt diuturnam uerberationem a ſingulari fortitudine defenſorum accepta inſigni clade, & non leui data reiectus eſt. Miſsus eſt idcirco nuntius ad Serbellonum, qui cęſorum numerum ſignificaret, & recentia auxilia quam citiſſime impetraret,alioquin actum eſse diceret de ſalutę Galathæ.decretum eſt rurſus communi procerum conſilio vt Garzia Toletanus,Montagna Salazarus, Ioannes Quintana cum ſuis cohortibus mitterentur,multiſque aliis ſponte accedentibus, & Strabo, & Scipio Mazuca cum cohortibus Italis, qui omnes hilari animo lintribus ad ſuetum locum conuehuntur, noctiſque beneficio Galathen ingrediuntur.ſed quoniam magna difficultas in expugnatione Galathæ ineſse hoſtibus ſentiebatur,fruſtraque tempus apparebat abſumi in vna Galathe tentanda, ſi propter anguſtias temporis vel illa expugnata, munitio tamen relinqueretur multis cęſis in illa oppugnatione,miſsus eſt nuntius cum literis ad purpuratum, accitaque ſunt recenti auxilio multa millia armatorum Iulia Cęſarea. Et quamuis ferè quingenti pręſtantiſſimi pedites Galatham nuper ingreſſi ſunt incolumes, tanta tamen fuit uis Turcarum in extremo conatu multis millibus armatorum priſtinis copiis adiunctis,ut diu magna fortitudine cum pugnatum eſset accepta magna vtrinq; clade,victoria tamen fuerit penes Turcas ob multitudinem, cum ſemper recentes pugnatores defatigatis ſuccederent. Cæſi ſunt ferè omnes qui eſsent Galathę,pręter paucos quibus pepercit furor belli, qui capti ſunt,& in miſerrimam ſeruitutem abducti. Nō caruit ſuſpicione proditionis Carrera, quia nunquam leuia pręlia committi paſsus eſt,neque explodi tormenta in hoſtes; ſed ſi proditionis,inſcitię militaris, & arrogantię certe culpa carere non potuit, qui nullis opportunis reparationibus excitatis aduerſus hoſtem non cognouerit rationem defenſionis, ſpretiſque ante obſidionem Italis peditibus ne pręriperent gloriam Hiſpano nomini, vel communicarent,munitiſſimam urbem amiſerit multo Chriſtianorum ſanguine, multis laboribus, multis ſumptibus, & magno iudicio Caroli Quinti felicis memorię Imperatoris partam, quę erat quaſi quoddam Sicilię propugnaculum ad arcendas moleſtias Turcarum,& piratarum.ſed quoniam aquationes in primis neceſsarię ſunt exercitibus,ſine quibus non minus obſidentur, quàm obſident copię, poſt captam Galathen confluentibus totis uiribus ad expugnationem munitionis,cruētum ſanè, & atrox certamen commiſsum eſt apud turrim quandam,quę imminebat aquantibus non procul a munitione, quam turrim Hiſpani prius occupauerant. pugnatum eſt acerrimè vtrinque cominus, & eminus omni telorum genere, & modo virtute,modo dolis. Turcę ad extremū quamuis multi è ſuis deſideratis turre,& aquatione potiuntur. Nam tanta confluxit vndique multitudo ex vniuerſis Mauritaniæ Africæque nationibus ad illud bellum, vt plura certum millibus armatorum eſſent in caſtris Turcicis, præter copias

Antonius Caraſa in mare deiectus.

Galathe à Turcis capta.

Patri Carreræ inſcitia.

Turris aquationis capta à Turcis.

claſſes aduectas. omnes enim illi populi Numidiæ ac Mauritaniæ victricia, præpotentiaque arma Turcarum ſequebantur, qui prius ad Regis Hiſpani vota apparebant maximè propenſi. Carrera tametſi dictus eſt pactus eſſe pro precio proditionis præfecturam Cypri, tamen captus eſt, & in ſeruitutem adductus. Inuenta ſunt à Turcis Galathæ tot bellica tormenta, quot diximus, cum multo bellico apparatu, atque vrbs ipſa ferro, cuniculis, igni funditus euerſa deuaſtataque eſt. Turcæ diligentia ſtuduerant prius vires munitionis à Galathes ſeiungere, quare coegerant eius præſidia de propria ſalute eſſe ſollicita, ad quam oppugnandam, & deuaſtandam detrahendamque lintres in lacum importarant, vt nauigantes ex inſula impedirent, ex hisque frequentibus ſclopettis impeterentur, quicunque apparerent ad defenſionem. ipſi ſaccis lana humida plenis aduerſus tormenta munitionis protegebantur. nam lintres ita propius accedebant cum ſarculis, vt non facile poſſent impediri quominus latera munitionis detraherent, quod fiebat facilius propter nouitatem operis. Serbellonus cognita Galethæ expugnatione omnia inſtituit defenſioni neceſſaria. erant in munitione mille & quingenti milites, cum alii vel Galathen miſſi fuiſſent, vel cæſi in minutis prælijs, vel etiam in caſtra Turcarum confugiſſent. Poſt captam euerſamque Galathen vires vniuerſæ Turcarum Sinami, & Luzalis conſilio conuerſæ ſunt ad munitionis expugnationem, quia Sinamus ſumma vi negotio inſtaret. addita ſunt quatuor bellica tormenta muralia concutiendæ munitioni, quę cępit tribus in locis diuerberari. acceditur propius per foſſas militares. concuſſum eſt multis tormentis propugnaculum Serbellonium, quæ res tanto ſtudio è lacuſtri parte, tanto impetu, tantis viribus, tam acri, tamque aſſidua cura gerebatur, ſicut à parte terræ coniuncta, vt nulla ſtudia Serbelloni tantis, tamque aſſiduis laboribus poſſent reſiſtere. Tentata res eſt & per cuniculos. cępta multis in locis Auria, & Diui Ioannis propugnacula detrahi. Auria duobus in locis ſcilicet in latere Diui Ioannis. nam Turcæ aduerſus omnem vim Chriſtianorum magnum, craſſum, ſublimem aggerem in foſſa tranſuerſe ſingulis propugnaculis oppoſuerant, ne latera propugnaculorũ offenderent. excitatus eſt & monticulus, qui plateam Auriæ deſpectaret, & aggerem viæ, vt omnia munitionis loca eſſent conſpicua. nunquam ceſſabatur ab offendendis obſeſſis, quos & glandes ſclopettorum ex aggeribus hoſtilibus, & ſarcula, & tormenta aſſiduè vexabant aut trucidabant. Nunc iſta, nunc illa pars munitionis impetebatur. at obſeſſi quod fieri per diem non licebat, id reparationum faciebant per noctem. Serbellonus nuntium mittit in Siciliam, qui captiuitatem, euerſionemque Galathæ ſignificaret, & quo in ſtatu eſſent res munitionis. Turcæ nullũ tempus vacuum pretermittere. foſſas aggereſque militares altiores excitare. dilatare vias. aggeres factos extollere, quorum beneficio ad detrahendas reparationes obſeſſorum protegerentur. nam hoſtis detrahendo, debilitandis reparationibus, faciendis cuniculis, verberando, multis artibus excogitandis ſumma vtebatur diligentia. Tormenta quoque multis in locis viam ad conatus facile aperiebant ob teneram materiam recentis operis, quæ nullo propè labore multorum globorũ impetu differebatur. nec multo poſt diuturnam è pluribus partibus verberationem munitio tribus in locis inuaditur, ſed cum eximia virtus defenſorum enituiſſet, Turcæ cum magna ſuorum clade pręcipites per ruinas armis Chriſtianorum reiiciuntur. cuniculus qui ad Serbellonium propugnaculum ignem concepit quo tempore pugna erat ineunda, cum in Turcas magis quàm in obſeſſos erupiſſet, plures ex hoſtibus quam ex Chriſtianis offendit. multæ ſcalæ adhæſerunt tribus propugnaculis. ter inſtauratum fuit prælium. Sed Turcæ poſt cladem ſuorum relictis ſcalis ad reparationes, & priſtinos labores redierunt. Sinamus quoniã magnam virtutem, & fortitudinem non poſſe vinci ſine ſumma contentione, magnoq; periculo intelligit, cum ſemper minui numerum Chriſtianorum per certamina animaduerteret, quibus nulla poſſent accedere auxilia, decernit ſummis viribus, omniq; conatu negotium eſſe tentandum. iubet ſuos parari denuo ad inuadendam munitionem totis viribus ac ſumma contentione. vt autem alacres ad negotium magis accederent primum ſuos hortatur ad ſtrenuitatem. Proponit breuitatem temporis, & difficultatem atque incommoda obſeſſorum, quos credibile eſt non poſſe diutius perferre vim belli cum ad paruum numerum ſint redacti. cum aſſiduis laboribus ſatis eſſe non poſſint. cum nulla auxilia illis ſint expectanda. cum omnes propè pertæſos eſſe laborum tantorum par ſit, cuius rei eſt clariſſimum argumentum quòd multi in caſtra Turcica transfugerint. horum virtutem non eſſe inſuperabilem docet recens Galathæ excidium, in qua trucidata ſint omnia præſidia quæ fuerant illuc miſſa è munitione. ſe arbitrari nemini iucundã eſſe poſſe Hiſpanorum amicitiam, nõ modo quia plurimum à Numidis moribus, & religione diſſentiant, ſed etiam quia vicinitas Hiſpanorum nemini vel Chriſtiano ſoleat eſſe grata, quorum auaritiæ, & ſuperbiæ poſſũt eſſe teſtes omnes finitimi populi Mauritaniæ. oportere huiuſmodi inſolentiæ radices omnino ex Africa conuellere, quod certe fieri poteſt paruo labore in vnius munitionis expugnatione. poſt Sinami adhortationem cum animi militum alacres promptique apparuiſſent, munitio acriter inuaditur. certatur vtrinque magna virtute, quoniã obſeſſi ſuperiore victoria confirmati faciebant res Turcicas parui. ſed & nunc magna clade data, & accepta Turcę cogunt in caſtra poſt longũ certamen redire. iã tam paruus erat numerus defenſorũ multis cæſis in frequentib. prælijs, ut reliquæ oẽs partes munitionis, quę nõ infeſtabantur ab hoſte nullos haberent defenſores pter excubias. erãt centum armati tm̃ in ſingulis propugnaculis, cum reliqui eſſent deſtinati ſubſidio cęterarum partium munitionis, ſiqua laboraret. Erant in munitione tria propugnacula, Serbellonium, Auria, Diui Ioannis, quorum ſingulis ſeptingenti milites requirebant. erant & ſex latera, quæ vulgo cortinę vocãtur, & totus ambitus propè duplex Galathę. nec multos poſt dies munitio uno tpe è quinq; partib. repente inuaditur tanta ui, tã crebris telorũ grandinib. tanta multitudine pugnantiũ, tanto clamore, ſtrepitu, contentione ut diu pugnatũ ſit ſingulari virtute, & mirifice ſuſtentatus conatus Turcarũ. pugnatum eſt diu ancipiti victoria.

Sinami adhortatio ad pugnam.

ctoria. res agebatur propè in planitie, quoniam nihil protegebat obſeſſos præter aggerem paruum
terræ latum in imo, tenuemque in ſublimi, qui cum ad ſtaturam hominis tantum accederet,
ab hoſtibus detrahebatur atque explanabatur. vbi reditum eſt in caſtra negotio nunc quoque fru-
ſtra tentato, non multo poſt rurſus vndique inuaditur munitio. Serbellonus, qui Auriam defen-
debat, vbi multos hoſtes per Serbellonium ingreſſos eſſe ſenſit per cuniculum euerſum hortatur
Diegum Oſorium cum Hiſpanis, & Antonium Taſſum, & Italos vt coniunctis viribus hoſtem a-
gant præcipitem è munitione. hi facto impetu Turcas omnes ingreſſos è munitione repellunt,
ac reparatio inſtauratur. vbi ad ſuos in Auriam rediiſſet, illos profligatos fuſoſque videt: nam cum
certatum eſſet diu vbique ancipiti victoria, Turcæ denique poſt diuturnum, & cruentum præ-
lium trucidatis fere omnibus reliquiis præſidiorum munitione per vim ferri potiuntur. Serbel-
lonus vir rerum bellicarum peritiſſimus, &, vt ex eius conſuetudine cognoui in bello Senenſi, ma-
ximè intrepidus in defenſione propugnaculi Auriæ vulneratus barba captus per contemptum at-
tractus eſt in poteſtatem Sinami. Trucidati ſunt paulo poſt Vticæ, & Tuneti, & in vniuerſa Mau
ritana qui Regias partes complexi fuerant, fauerantque Hiſpanorum rebus adiuuantibus ad illas Munitio ca-
cędes omnibus Numidis, & indigenis, qui à iacente in Africa fortuna Hiſpanorum ad florentem, pta.
& victricem, & glorioſam Selimi transfugerant. Sinamus his rebus feliciter, & è ſententia geſtis
Galathe, & munitione funditus euerſis ac ſolo adæquatis, multis trucidatis hoſtibus, regione fa-
uentibus Hiſpanorum rebus expurgata, captis multis tormentis, & bellicis apparatibus, Serbello-
no, Carrera, aliiſque ducibus Chriſtianis raſis, & ad tranſtra cathenatis, triumphans, lætus, glo-
rioſus cum victrice claſſe ſubacta, & pacata vniuerſa Numidia Byzantium verſus iter capit. Quæ
dum geruntur in Mauritania, non paruam calamitatem attulit Venetæ vrbi inſignis, & ante illud Venetiarum
tempus inaudita in vrbe inundatio. nam tanta exorta eſt uis ventorum, tanta aquarum copia e ma- inundatio.
ri Adriatico diſruptis aggeribus impulſa eſt in illam vrbem, vt vniuerſa lintribus, & pontonibus
non minus quam mare fuerit nauigabilis. maxima damna uariis hominibus tulit illa inundatio,
cum cellę complures mercimoniorum ſub aquis latuerint, merceſque ipſæ vel ſalſedine corruptæ
ſint, vel diuturna humiditate ſalſarum aquarum labefactatæ. fuit multo maius cognitum illud de-
trimentum in dies, quam primum fuerat exiſtimatum: nam creditum eſt exceſſiſſe quindecies cen
tena nummum millia. Sinamus victor rediens cum claſse ab Africana expeditione partem claſſis
mittit in Pylum in hyberna, quia iam tardius eſſet anni tempus, cum reliqua claſſe ipſe infeſtanti-
bus ventis Byzantium properat. Vbi ad inſulam Corcyram ventum eſt, claſſis præſens bifariam di-
uiditur, atque altera pars ad alteram oram Corcyrę, altera ad alteram applicuit, tanquam omnia
Veneta nauigia, & inſulam ipſam interceptura. Eſt autem Corcyra inſulæ, & vrbis nomen in
mari Mediterraneo, quæ Melæna ſiue nigra vocata eſt prius, è regione Naronis fluminis ſitæ. hanc
habitatam fuiſſe primum ab iis Colchis quidam antiquorum voluerunt, qui Iaſonem, & Medeam Corcyræ de-
fruſtra inſecuti non auſi ſunt ad Aeætam vacuis manibus redire. Deinde aiunt Cherſocratem vnum ſcriptio.
è Bacchiadibus expulſis Colchis vrbem condidiſſe, atque cum Phæacia prius à Phæace Neptuni,
& Amphitrites filio diceretur, mox à Corcyra nympha Bacchiadum principe ibi ſepulta, vocauiſ-
ſe Corcyram, quam tamen ita nominatam fuiſſe quidam maluerunt ex quo tempore Neptunus cũ
illa nympha congreſſus ſit in inſula. Non defuerunt tamen qui vrbem a Cnidiis ædificatam fuiſſe
contenderint, cum potius inſtauratores euerſę propè vrbis, quam conditores Cnidii ſint appel-
landi. Eſt autem Corcyra optimum ac firmiſſimum, & propè inexpugnabile Italiæ propugnacu-
lum ſi recte cuſtodiatur, aduerſus impetum barbararum claſſium, quęcunque ab oriente immi-
neant, & non ſemel à Turcicis furoribus fruſtra tentatum. atque vt pauca de Corcyra pertingam,
cum variæ ſint de nomine opiniones, alii à ſummis collibus illam dictam fuiſſe mallunt, in quibus
collocatæ ſint munitiones, cum ſit Coryphe cacumen ac ſummitas à Græcis vocata. erat enim Cor
cyra vrbs antiquitus ſita apud Paleopolim ad mille & quingentos paſſus diſtans ab his munitioni-
bus, vbi magna eſt nunc etiam copia optimarum aquarum, atque ſitus vrbis erat natura munitiſ-
ſimus aduerſus omnem vim maritimam. habebat portum ducentarum triremium capacem vtrin-
que, quæ nunc piſcoſa tantum ſunt, & grandioribus nauigiis inacceſſu vada. vrbs ipſa à barbaris
deuaſtata, & euerſa aliquandiu permanſit, è cuius ruinis extructę ſunt munitiones Michaelis An-
geli Byzantini imperatoris iuſſu, qui etiam Butrotum oppidum, & vrbem Dyrrhachium inſtaura-
uit, & Votriciam intra ſinum Ambracium condidit. Fuerunt in magna exiſtimatione Corcyręi ci
ues vbi Græcia imperio, & gloria rerum geſtarum maxime omnium gentium floreret, cum pluri-
mum valerent virtute bellica, & triremes plures centum & viginti egregie inſtructas emitterent. Corcyreorũ
nam cum plurimum cognitione rerum maritimarum præſtarent, multos annos principatum ma- vis antiqua.
ris ſine controuerſia tenuerunt, qui tamen poſtea per ciuiles diſcordias, mutuaſque diſſenſiones
debilitati, & afflicti facile in poteſtatem Pyrrhi Epirotarum Regis venerunt, quorum claſſe, & vir-
tute ad vrbem Tarentum traiiciens vſus eſt pro Tarentinis aduerſus Romanos. eius vrbis ſitus per
quam accommodatus eſt ad Italiam, & Græciam protegendam ob multorum portum commodita
tem, & aquarum copiam, quas prouincias habet vtrinq; vicinas. Hæc inſula una cum Dyrrachio di-
ſiuncta fuit ab imperio Byzantino dotis nomine, quę anno ſalutis noſtrę. 1385. venit in poteſtatem
Venetorũ. inſula ſuapte natura fertilis eſt multarũ rerũ humano victui vtiliũ, ſed in primis olei lau-
datiſſimi ac præſtantiſſimorũ vinorũ. frumenti non eſt valde ferax, neq; multa hẽt animalia ob fre-
quentes incurſiones barbarorũ, cum ẽt ædificia multis in locis ſint deuaſtata. Producit tñ inficiendis
ſericis, & laneis pannis utilẽ granã, & Valloniã Italicè vocatã, cuius inſulę ciuiũ tres ſunt ordines, cũ
alii ſint feudatarii, alii ſimplr̃ ciues, alii populares. eius ĩſulæ ꝯciliũ è duob. primis ordinib. eligitr̃ latis

 ſuffragiis.

ſuffragiis præſente vrbis præfecto ſenatus Veneti nomine ad omnes functiones, legationes, & vrbana
munia. Sinamus ita claſſem diuiſerat ad intercipiendum inſulam, quia vellet experiri animos Cor-
cyręorum an conſternati eſſent rebus ſuis ſuperius feliciter geſtis. Et profectò iniecta eſt primum
non leuis trepidatio omnibus Corcyręis ac metus ſeruitutis, quoniam Veneti per fidem à Selimo
acceptam omnes reliquas cuſtodias Corcyrę dimiſerant præter ducentos pedites, vt grauiſſimis diu-
turnis ſumptibus ſubleuarentur. videbatur ſanè difficile eſſe vrbem ſine præſidiis tantis copiis victri
cibus Turcarum poſſe reſiſtere, ſed tamen multi Turcæ amico animo egreſſi è triremibus in vrbem
viſi ſunt conuenire inermes ad emenda neceſſaria. Alii ſicuti ſolet euenire in magna multitudine
vel amicorum, nedum diſſidentium de religione & imperio, minoreſque vires negligentium, inſo-
lentes, infręnes, palantes ac prædabundi per inſulam vagabantur. Inſulani minime æquis animis
tantam inſolentiam paſſi ſumptis armis ad rerum ſuarum defenſionem occurrunt. Pugnatur mul-
tis in locis inſulæ. plerique Turcæ repelluntur virtute inſulanorum. multi inſolentiores ab inſula-
nis trucidantur. delatæ ſunt querelæ de Corcyræis ad Sinamum, qui cum nollet æquitatem cauſæ
cognoſcere, aut audire temeritatem ſuorum, vt qui elatus ſecunda fortuna putaret omnia in omnes
ſibi licere, magnopere Corcyręis ſuccenſuit. Corcyręi contra quamuis multa paſſi fuiſſent præter
æquitatem à gregariis militibus, tamen æquiſſimis animis erant in reliquos Turcas proceres, & in
Sinamum, quia cenſerent omnia ſcelera committi contra ſapientis & boni imperatoris volunta-
tem, & in amicos pręſertim. Munera igitur mittunt de more, quibus amicitiæ, & obſeruantiæ ver
ba adiungunt, quæ munera quamuis eſſent magnifica, & ſolita dari cæteris claſſium imperatoribus,
tamen vt vilia, & tanto imperatori domitori Africæ, tamque proſperæ fortunæ, parum conuenien-
tia ab ipſo Sinamo arrogantiſſimè reiiciuntur. Nam profectò non minus eſt ſapientis proſperam
fortunam moderatè ferre, quæ ebrios plerunque facit inſipientes, quam res aduerſas fortiter, & con
ſtanter ſuſtinere, cum in vtraque fortuna pro arbitrio ventorum, vt ita dixerim, impelli ſtulti ſit, pa
rumque futura proſpicientis. Sinamus per illam Corcyręorum liberalitatem, & obſeruantiã non
mitigatur quidem, ſed magis irę, ſuperbia, temeritate inflammatur. Iubet ad terrendos animos præ-
Sinami arrogantia. ſentium Serbellonum, Carreram, alioſque Chriſtianos proceres, qui fuerant in Numidia, captiuos
adduci. percunctatur Corcyræos an hos cognoſcerent: quibus abnuentibus rogat Serbellonum in-
tra quot dies Galathen, & nuntionem cepiſset. reſponſum intra triginta & ſex. ſubiunxit Sinamus
multo citius Corcyram captum iri, omneſque Corcyręos pœnas daturos, quando tam audacter in
homines Selimi imperatoris auſi eſſent inſurgere. Non potuit ferre æquo animo Serbellonus tan-
tam hominis dementiam atque inſolentiam barbaricam, quare non ſine aliquo periculo reſpon-
dit Corcyram fortaſſe peritiores, conſtantioreſque defenſores eſſe habituram. Sinamus indigna-
tus eum calce petiit. legationes Corcyræorum, quæ venerant cum muneribus, tanta ſuperbia homi-
nis felicitate rerum nimium tumeſcentis commotæ non amplius continere intra ſe poſſunt magni
Corcyræorũ nobile reſpõſum. tudinem indignationis, ſed inquiunt Turcas quando neglecta fide ad amicorum etiam exitium per
ſummam iniuriam, & auaritiam proruerent, quorum præfecti ad ſcelera priuatorum conniuerent,
virtutem & fortitudinem vnà cum æquitate cauſæ apud Venetos eſſe inuenturos. Quòd ſiquid in-
iuriarum cuipiam factum eſſe cenſeatur, æquitatem ac iura ciuitatis nemini deeſſe. neque debet vi-
deri mirum antiquam Gręciæ gloriam, & magnitudinem animi etiamnũ vigere in animis quorũ
dam Gręcorum, quia tametſi Græcia ſæpe barbarorum accepit colonias, vt Peloponneſus Phry-
gum, qui Pelopem ſecuti ſunt, & Aegyptiorum, qui ſecuti ſunt Danaum; Attica Thracum accepit,
qui venerunt cum Eumolpo; Thebe Phænicum qui cum Cadmo; Bæotia Aonum qui Tembicum,
Græciæ Colonię. & Hyantum ſunt ſecuti, tamen uis regionis facit vt ingenia, & virtus animi vigeat, quamuis poten-
tia, & imperium ſit ademptum. Sinamus iratus ſpretis Corcyræorum muneribus quoniam hyems
infeſtaret cum vniuerſa pręſente claſſe, quę rurſus in vnum conuenerat, nauigat Byzantium proſpe
ctis multis, & auditis vndique ſignis lætitię propter victoriam. Veneti quia minarum plena, & non
paruifacienda viſa eſſet Sinami purpurati indignatio, & quia ſæpe cognitum eſſet fidem Turcarum
pro utilitate, & commodis plerunque ſtare, & quia ſcirent quanti eſset Corcyram ſeruare, & quia
cognouiſſent illorum potentiam in regionibus pręſertim finitimis, & qui arbitrarentur nullam ſa
tis tutam cenſeri oportere illorum amicitiam, qui ſibi lucrum per rapinas pro honeſto propoſuiſ-
ſent, ut ſunt plerique Turcę miniſtri, cum etiam maximi ponderis futuram apud imperatorem, vel
iniuſtam orationem Sinami victoris Africę crederent, qui cognitus eſſet non ſemel ad illam expedi
tionem aſpirare, maturè rebus Corcyręis conſulendum eſse decernunt. videbant proceres ſępe hor
tari Reges ad bellum, uel ut ipſi, vel coniuncti habeant militares pręfecturas, cum pax ſolis regibus
Corcyræ muniendæ cã. ſeruet imperia, at bellum proceribus etiam illa impartiri cogat. Tenebat prętèrea ſuſpenſos ani-
mos, & indignatos Venetorum Turcarum auaritia, quòd Liburniam omnem, agrumque Iaderen-
ſem ad męnia uſque ciuitatis occupauiſsent, neque vlla ratione adduci poterant ut reſtituerent. con
tendebant Turcę quòd quouſque penetrauerant ungulę equorum atque occupauiſsent per capitis
periculum pugnantes, illud antiquo iure bellorum non minus eſset ſuum, quàm ſi propria pecu-
nia fuiſset coemptum. Hęc ratio ſanè non minus eſse poſset latronum, & craſsatorum publicarum
viarum, quam regum, & imperatorum militum, ſi nulla ęquitatis, & iuſtitię ratio ſit habenda. Ad-
bant illud agrum ſiquis vellet, oportere de recentibus dominis emere, cum multa capta ſint in eo ca
ſtella munita, quę agrum, & ipſa neceſsario requirebant. Iuſsus eſt orator Venetus Byzantium pro-
ficiſci ad ipſius agri petitionem, qui profectus multa diligentia inſtabat, vt reſtitueretur. addebantur
munera precibus, & non leuibus rationibus Venetorũ, quę certe iuſtiſſimę apud moderatum prin-
cipem videri poſsent, quòd ager iure optimo eſt eius principis, cuius in poteſtate ſit ipſa ciuitas, cu-
ius eſt

ius eſt ager: cum membra ſequantur corpus, cum neque ciuitas ſtare ſine territorio poſſit, neq; pax tranquillè poſſit ſeruari cum finitimis direptoribus. illam veram pacem videri, per quam amicorū vita in certiſſimum periculum non coniiciatur: at vbi per pacem neceſſe ſit vel fame perire, vel vrbes fieri extorres quæ arctiſſimè obſidentur, multo acerbiorem, calamitoſioremque eſſe pacē, quàm bellum fuerit, par eſt. Illud euenturum eſſe miſerrimis Iaderenſibus, niſi res per ipſos proceres, & imperatoris moderationem capiat, vt per huiuſmodi pacem ciues Iaderenſes omnino decidant de omni ſpe ſuorum bonorum. Sæpius acta res eſt cum purpuratis per multa honorifica munera ſollicitatis ad iudicationem cauſæ, & ad honeſtos fines territorii ſtatuendos. extorta ſunt tantum ac reportata placida reſponſa: futurum vt viri boni ſapientes, & periti rerum huiuſmodi illuc accederent, & de communi ſententia probabiles atque conuenientes rationi fines Iaderenſibus ſtatuerent. Miſſus eſt etiam Feratbeius Turca Myſię ſuperioris præfectus ad illud negotium tranſigendum cum Venetis patribus ad hoc miſſis, qui poſt multas contentiones agrum vniuerſum Selimi iuribus adiudicauit, & è multis priuatis prædiis diuenditis multam pecuniam collegit. id cum moleſtum accidiſſet patribus, vt per auaritiam præfecti contra omnem æquitatem factum, ſemperque negotium prorogaretur, tarditatem illam certam eſſe repulſam rati, ac certam Iaderæ obſidionem cœperunt cogitare illud conſultò fieri à Turcis vt Veneti defatigati diuturnitate petitionis ab ipſo negotio ſponte deſiſterent, vel quòd Turcæ parum amicum animum erga Venetos haberent, qui tamen alia negotia maiora proſpectarent, atque idcirco differendo rem protraherent. His aliiſque rationibus, & cogitationibus permoti patres vt maturè pararentur res ad defenſionem nouam neceſſariæ, & ad bellum, ſi inferretur, quod erant non inuiti ſuſcepturi, iubent edictum promulgari ſub grauiſſimis pœnis, per quod omnes Venetiis habitantes iubebantur apud magiſtratum ſine fraude profiteri quæcunque bona poſſiderent, vt pro facultatibus decumæ ac tributa exigi poſſent in bellicos ſumptus, ſi ita contingeret. fit ſenatuſconſultum per quod decernitur vt Sfortia Pallauicinus, Iulius Sauornianus, Moretus Calaber Corcyram accedant, communi conſilio quàm diligentiſſime recognoſcant ſiquid in illa inſula munienda peccatum aut prætermiſſum ſit, vt omnis error, ſiquis eſſet, opportunè corrigatur. ſiquid autem rectiſsimæ rationi muniendæ inſulæ adiungi aliquo pacto poſsit, imperatum eſt vt omni magnitudine ſumptuum neglecta adiungeretur. Hi dum ſe accingunt ad iter iam rumor vniuerſam propè Aſiam peruaſerat bellum parari ad Cretam occupandam. & iam panis nauticus parabatur vbique in vſum claſſis, Venetiſque onerariis imperatoris Selimi nomine vela adempta fuerant, & gubernacula, ne poſsent abnauigare, quamuis Mocenica nauis altero velo meliore occultato, factoque gubernaculo per noctem ſub auroram ſoluit è Syria, Turciſq; deluſis Venetias aufugit. at vero multæ difficultates Byzantii de reſtituendo agro Iaderenſi oriebantur, quia Feratbeius hoſtis Veneti nominis perſcripſerat ad Selimum, agrum à ſe partum plurimi eſſe momenti, cuius etiam ſententia gratia Mehemetti purpurati patrui ſuſtentabatur. eius Feratbeii ingenium vbi notum eſſet e diuturna conſuetudine Vincentio Alexandrio ciui Veneto à ſecretis eius ſenatus, viſum eſt opportunum remedium tantarum controuerſiarum ſi per dexteritatem Vincentii mitigaretur, quare iuſsus eſt in Myſiam ſuperiorem ad illud negotium conuolare, quo per eius prudentiam mitiore reddito, aliquanto mitius negotium effectum eſt. interea fama per vniuerſas Chriſtianorum regiones didita fuerat de illorum clade, & captiuitate, qui infeliciter in Africa pugnauerant, quare non parum ſuſpicionis exortum eſt quòd negligentia potius Hiſpanorum, quam virtute Turcarū omnia loca Numidiæ ſint amiſſa. Et quoniam cum rebus felicibus ſtat omnis honor, laus, exiſtimatio, gloria mortalium, ſapienteſque cenſentur non ſolùm qui ſapienter agant, ſed multo magis quibus multa feliciter ſuccedant, cum infortunia ſtultos & parum cordatos homines videri faciant, nō ſolum aduerſus duces Numidicæ defenſionis multa parum honorifica dicebantur, ſed Philippus ēt rex accuſabatur quòd pleroſque imperitos, & timidos, & Carreras rebus bellicis præficeret, cū omnia quæ haberet in Africa per tot maiorum ſuorum labores virtutemque comparata amiſiſset, Auſtriacumque miſiſſet ad ea capienda, quæ poſtea per magnum Chriſtianorum detrimentum conſeruare non poſset. carpebatur ab aliis tarditas Hiſpani concilii, quòd non curaſset opportunè rebus regiis prouidere, cum conſiliarii illi paſſi ſint iacturam Africanam fieri dum conſultatur in Hiſpania de rebus quæ fierent in Africa. ad hanc rem carpendam dicitur parata fuiſse Pariſiis ſcena comica, vnde exiit hiſtrio, qui pollicitus eſt in prologo res admirabiles recitatum iri. Deinde paulo poſt fit murmur ob tarditatem. exit alter, rogat vt patienter moram perferrent. nondum omnes hiſtriones conuenisſe cum multi ſint. repetito murmure ob tarditatem, nuntiatur non poſse hiſtriones de primo loco conuenire, cum omnes vellent primi recitare. miſsam eſse legationem ad concilium in Hiſpaniam, quæ foret expectanda. Alii ad deplorandam & Africę, & præſentium temporū calamitatem, cum res Chriſtiana vbique tantum detrimentum capiat per diſsenſiones, & ſocordiam Chriſtianorum, feminam introductam in ſcenam fuiſse dixerunt, quam Fidem Chriſtianam appellarunt. erat ea habitu honeſto, vultu venerabili, voce ſuaui, ſed tamen lacera & mæſta, quā Pietas hinc, inde Charitas ſtipabant. ſequebantur pro ancillis Iuſtitia, Prudentia, Miſericordia, Verecundia, Fortitudo, & quædam multitudo honeſtarum matronarum, quæ ſcenam ingreſsa cępit primùm omnium vitiorum ocium, & ignauiam deteſtari, tanquam parentes, & fontes certiſsimos omnium ſcelerum, omniumque miſeriarum, vnde manant omnes cogitationes, quæ humana diuinaque iura proſternunt, quibus nulla eſt illi grauior aduerſaria. His etiam ſubiunxit ſe plurimas calamitates per Chriſtianorum negligentiam paſsam fuiſſe, quæ ne nimis antiqua repeteret, ſe in memoriam reuocare dicebat recentia penè Pannoniæ exempla, & Peloponneſi, Cilicię, Cappadocię, Macedoniæ, Pamphyliæ, Byzantii, Rhodi, & vniuerſi penè orientis, & poſtremarum optimarum inſularum Cypri & Chii, quæ

Corcyræ muniendæ recognitio.

Figmēta ob amiſſam Galathen.

reſidentibus armis Chriſtianorum, atque ad mutua excidia concitatis in poteſtatem barbarorum venerunt, cum nemo rogatus arma auxiliaria oppreſſis oſtentaſſet, aut certe tardius quam oportebat. addebantur his varia; ſciſmata, quæ rem Chriſtianam debilitarent. commemorabat antiquorum, recentiumque tyrannorum ſupplicia, quæ ſanctis, piis, innocentibus hominibus fuiſſent illata: quibus memorandis ſequebatur verba non parua uis lacrymarum, & aliqui ſingultus. poſtea vbi paulum conquieuiſſet, proceſſit Spes quę hanc ſequebatur, matrona & ipſa venerabilis, vultu hilari, oculis nitentibus, quæ ſubridens ait; an neſcis honeſtiſſima, & integerrima mater nihil eſſe vere tranquillum aut ſincerum in rebus humanis? ignoras ne quam multa, & mihi & cęteris his matronis, quę te ſequuntur infeſta ſint? at oportet contra difficultates fortiorem inſurgere. non conuenit animum demittere, ſed erigi ad meliora expectanda, cum virtus, & laus, & gloria, & fidei perfectio non poſſit niſi in arduis, difficillimiſque rebus inueniri. Quid enim glorioſum accidit cuiquam per fruitionem commodorum, cum virtus in ſuperandis difficultatibus laudabiliter conſiſtat? oportere inquit Fidem Chriſtianam ad rerum diuinarum cogitationem mentem ſuam referre, non ad motiones ſenſuum, quos ſemper ſancti homines pro fide neglexerunt, hoc eſt pro credulitate Chriſtiana. duo eſſe perfugia, & ſolatia omnium miſeriarum; alterum conſolationem aſſeclarum matronarum, cum nihil ſit iucundius in omnibus calamitatibus, quam recordatio & memoria rectorum conſiliorum, quæ ſola intrepidam faciant ad omnia difficilia perferenda: alterum potentiam Chriſtianorum principum, qui poſſunt vel per arma à quibuſuis barbarorum iniuriis protegere. Fides his auditis ſe multo ante hæc omnia, ſed fruſtra, tentauiſſet reſpondit; ac nuper vix per ſummam importunitatem à cubiculariis fuiſſe ad Pontificem admiſſam, cuius cum auxilium peteret, bonitatem, promptitudinem, pietatem mirificam cognouiſſe ex eius reſponſo, qui ſe nihil aliud curare inquit, quam vt fidem Chriſti incontaminatam, inuiolatamque conſeruaret: ad quod munus, & animum, & corpus, & omnes vires ſemper paratiſſimas haberet. Sed tamen illas eſse pertenues, cum plurimi, maximique prouentus, quibus alerentur copiæ in hoſtes Chriſtiani nominis per fraudes, & auaritiam hęreticorum per ſimulationem nouę religionis direpti, vſurpatique ſint. eſſe tamen non pontificis munus per arma, ſed imperatoris catholicam Eccleſiam, & fidem Chriſtianam, & pontificem ipſum protegere, à quo facile poſſent neceſſaria auxilia impetrari. Deinde inquit ſe ab ipſo quoque imperatore fuiſſe perhumaniter auditam, vt Chriſtiano verè principe, & catholicæ pietatis ſtudioſo, ſed nihil neceſſarium potuiſſe impetrari, quia diceret ſibi magnam partem imperii fuiſſe à Turcis vſurpatam, nihil habere in proprio ærario, multos habere filios, omne genus auxilii ſibi quoque expectandum eſſe à comitiis Germanis, quorum plerique diſſentiant ab inſtitutis pontificiis, Catholicaque Romana Eccleſia, quod certe obtineri non niſi difficillime poſset. Illud certiſsimum eſse perfugium ſi ad Philippum Regem Hiſpaniarum accedat, qui & ipſe integerrimę mentis ſit princeps, & Catholicorum principum opulentiſſimus, cum Gallorum Rex de auito regno exhauſtus contendat propter diſsenſionem de religione. illa ſe ad Philippum quoque acceſſiſse inquit, omneque genus auxiliorum liberaliter fuiſse promiſsum, ſed tamen oportere rem ad concilium Hiſpaniæ deferri. Tantam autem fuiſse tarditatem conſultantium, vt loca interim Chriſtianorum in poteſtatem hoſtium Chriſtiani nominis expugnata peruenerint. ſpes tametſi grauia ea videbantur, cœpit grauiſſimis rationibus ad conſtantiam, & futurorum expectationem erigere, cum nauiculæ Petri fluctuare, at non mergi, permiſsum ſit. reuocat in memoriam præteritorum temporum calamitates ac ſupplicia illorum, qui primi ipſam fidem complexi ſunt, quorum laus, & gloria non in ferendis tantum, ſed patienter ferendis ſuppliciis à tyrannis inique illatis conſiſtit pro Chriſtiana pietate: cum ipſe autor ſalutis noſtrę frigora, calores, inediam, vigilias, contumelias pro peccatis aliorum tulerit; & . quod nemo noſtrum faceret, pro inimicis. Fore cum Deus voluerit, vt arma perfidarum nationum quieſcant, aut vltro conueniant ad Chriſtianam fidem. vetus eſse exemplum, dum Romæ conſultatur, Saguntum expugnatur. At victoria Turcarum Byzantii nuntiata per celocem ſtatim ad imperatorem miſsum, vbi claſſis conueniſset viſis captiuis vexillis, & hominibus, diffuſa eſt vndique viſendi ſtudio ingens multitudo ad illud ſpectaculum. atque propinquante claſse vrbi omnia bellica tormenta ſunt diſploſa. litui, tubæ, claſſica, tympana cum ingenti ſtrepitu ſunt exaudita. reſponſum eſt omnibus vrbanis inſtrumentis ad maiorem lætitiæ ſignificationem. Selimus ex illa tam facili, tamque breui parta victoria, cœpit præclare de Sinami conſilio ac virtute ſentire, atque in in animo multa ſecum volutare, venireque in ſpem rerum maximarum in annum ſequentem.

*Lætitia Byzãtii ob victoria.*

Nam perſuaſerat imperatori Sinamus rebus proſperis nimium elatus nullam expeditionem aduerſus Chriſtianas vires eſse valde difficilem, cum munitionem tamen cepiſset imperfectam, diſiunctam à Chriſtianorum auxiliis interiecto ſatis amplo mari, poſitam inter infeſtiſſimas, & perfidas nationes, ac parum etiam præſidiis firmatam. nam de Galathæ proditione vel imperitia nihil amplius dicendum videtur, idcirco putabat omnia reliqua loca eadem facilitate captum iri; neque intelligebat difficilius ſanari morbos, qui procul abſint à ſubſidio primariarum partium, quam qui primariis ſint propinqui. iubet itaque Mahomettum, & omnes primariæ autoritatis purpuratos res claſſicas, & maritimos apparatus quam diligentiſſime curare. mittit legationem Epidaurum, quæ onerarias naues impetraret, præter Venetas, quas diſtineri iuſſerat in ver proximum ad tela, copias, commeatum, res oēs neceſſarias cum claſſe cuehendas, quocunq; nauigandum eſset, quib. ſe naulum ſoluturum eſſe profitebatur. Epidaurii ciues cognito Selimi conſilio, qui palam apparebat exitium Chriſtianorum ſaluti machinari, maritimiſque locis incendia, & captiuitatem minitari, neque poſſunt vel audent palam aduerſari propter tyranni potentiam, vicinitatem, ſuperbiam intolera-

intolerabilem Turcarum, ne forte libertatem amitterent ſi recuſaſſent, neque rurſus poſſunt æquis animis arma ſuggerere barbaris nationibus ad exitium, & populationem Chriſtianorum, clam legationem mittunt ad Pontificem, quæ aperiret excuſationem neceſſitatis vt cognoſceretur Epidaurios non ſponte neque libenter illud facere, ſed inuitos, & coactos, ſi modo id facere cogerentur; quę doceret probabilem timorem Epidauriorum niſi paruiſſent, quæ peteret conſilium ſiquod appareret in tantis rerum difficultatibus, quæ peteret auxilium etiam ſiquod tutò iuuare poſſet. At quoniam vana ſunt omnia mortalium conſilia, nullaque humana felicitas eſt diuturna, cuius radices prius areſcunt, quam ad maturitatem perueniat, niſi diuina prouidentia iſtud confirmauerit, omnes hæ in annum ſequentem ſuſceptæ cogitationes repente conciderunt. Nam quo tempore Selimus ſe prima fundamenta ſatis firma felicitatis ieciſſe ſibi viſus eſt, repentino propè morbo correptus vitam cum morte commutauit. ſic numen propter nimiam arrogantiam totum negotium Turcarum ſubuertit, qui breui Chriſtianis infeſti erant futuri, antequam tanti illi apparatus bellici in vnum conueniſſent, Deo potentiore Chriſtianorum rebus placidius conſulente.

Epidauriorũ nobile conſilium.

Selimi imparatoris mors.

LIBRI VIGESIMI QVARTI FINIS.

# NATALIS COMITIS

## HISTORIARVM SVI TEMPORIS

## *LIBER VIGESIMVS QVINTVS.*

1575 INitio anni ſequentis,qui fuit quintus ſupra mille quingentos & ſeptuaginta à partu virginis, conclamatus eſt imperator Turcarum Amuratus Selimi filius, qui tunc agebat annum ætatis ſuæ vigeſimum ſeptimum cum magna omnium Ianizzerorum,Byzantinorumq; ciuium lætitia, quia magna ſpes, & non vulgaris expectatio de illo fuerat in animis omnium excitata ob eximias virtutes,ornamentaque animi,quæ præ ſe ferebat. Ille tametſi multos bellicos apparatus factos fuiſſe à patre in ver proximum inuenit,tamen quia nouus eſſet & adhuc imperitus regnandi, nihil in præſenti anno ſibi innouandum eſſe cenſuit, ſed vniuerſum ſtudium ac diligentiam conuertit ad confirmandum, ſtabiliendumque imperium atque in primis quinque fratres impuberes de more Ottomanicorum imperatorum iugulandos curauit, nequas inſidias domeſticas timeret, quoniam infida eſt plerunque affinitas barbarorum principum, quorum vel affinem naſci eſt maximopere periculoſum. Nec ita multo poſt animum conuertit ad apparatus maritimos, quare acciuit, & inuitauit liberaliſſimis ſtipendiis faciendorum nauigiorum magiſtros & miniſtros, iuſſitque præeſſe ædificandæ atq; inſtruendæ maximæ claſſi viros cognitione rerum maritimarum claros,primariæque autoritatis purpuratos Mahomettum, & Luzalim, & alios pleroſque inſigniores. imperauit vbique fieri in annum ſequentem maximos apparatus ad bellum. & quoniam profligata claſſe ſuperiore Venetorum victoria omnes ferè peritos proceres rerum maritimarum Selimus amiſerat, curauit vt ſuæ copiæ mari aſsueſcerent, quæ vno tempore & hoſtem vexarent exeuntes ad prædam,& peritiam maris ac nauigationum acquirerent;quoniam interiecto vbique mari Mediterraneo non poteſt terreſtibus viribus Italiam aut rem Chriſtianam magnopere vexare,niſi per ſummas difficultates,quæ non contēnendo maris tractu diuiſa eſt ab Aſia, & Africæ litoribus. Nam cum mare Atlanticum ad Herculis columnas per anguſtias longo tractu intret in ſinum,qui factus eſt Mediterraneus relinquens à ſiniſtra Luſitaniam, & Hiſpaniā donec è regione Balearium dilatatur,à dextra relinquuntur Mauritaniæ Tingitanæ, & Numidiæ litora Buyzam coloniam vſque, ubi fit amplius mare atque ita ſemper à ſiniſtra Gallia, & Italia proſpicitur, cum dextra Iuliæ Cæſarienſis,& Tuneti regna,& litora Aegyptiaca Berythū uſque ſe oſtentent,quę certe omnia à dextra imperio Turcarum parent,uel directè,uel per amicitiam,at a ſiniſtra ab Apollonia Mygdonia,vt Peloponneſus,& Pamphylia Olchinium uſque,& uniuerſa litora maris Aegæi. Non poteſt itaque Turcarum imperator niſi claſse,eaque præpotenti Chriſtianorum litora longinqua vexare,quæ multis,& egregiis præſidiis equitum ac peditum plerunque ſunt cuſtodita. Pontifex quia verebatur ne Amuratus paternorum conſiliorum,& Sinamicæ perſuaſionis ſiue potius arrogantię impulſu ad hæc bella aſpiraret,eſsetque hæres paternę cupiditatis ſicut imperii & bellicorum apparatuum,qui cenſebantur fieri ad occupandos fines Italiæ,iubet Latinum Vrſinum virum rerum bellicarum peritum omnes munitiones, quę parent imperio Pontificio recoguoſcere, Anconamque vrbem multa diligentia munire. Eſt autem Ancona emporium celeberrimum Picentum ab iis Syracuſanis ciuibus condita,qui cum Dionyſii tyrannidem perferre non poſſent,in eum ſinum Adriatici maris aufugerunt,qui portum haberet accommodatum accipiendæ claſſi, atque vrbem in litore ædificarunt in intima parte ſinus non procul à Fano fortunæ, vnde commodæ liceret in uarias regiones orientis mercaturæ cauſa nauigare. Impoſita ſunt etiam tributa omnibus ciuitatibus pro-

Amuratus creatus imperator.

Anconæ deſcriptio, & munitio.

uinciæ

uinciæ Æmyliæ in ſumptus eius munitionis, quarum Ancona factum eſt propugnaculum, cui in-
ſtruendæ præfectus eſt . . . . Paciotus Vrbinas eques Luſitani ordinis, qui curauit prævalidũ
propugnaculum in vrbe fieri, quo portus in formam hemicycli perductus defenderetur, atq; claſſes
hoſtiles magno impetu tormentorum diuerberari, demergique poſſent. refecta ſunt vrbis mœnia ꝓ-
pè vetuſtate labefactata. & ne terreſtres copiæ propinquum collem occuparent, ſi qua fieret ab hoſti
bus deſcenſio, imperatum eſt vt collis ipſe excinderetur, cuius terra ad aggeres vrbanos eſt compor-
tata, munitioque valida in ipſo collis explanati loco excitata, vnde etiam portus protegeretur. Datũ
eſt ſummum imperium rerum militarium Iacobo Boncompagno Bononienſi Pontificis filio, qui
iuſsus eſt habere copias paratas, & munitiones pontificias recognoſcere, omniaque inſtruere ad re- Iacobus Bõcompagnus ſummus imperator Põt.
pellendam vim hoſtium ſi accederent, qui omnia quàm accuratiſſimè ſingularique ſtudio inſtruxit
vt oportebat. At quoniam bellici apparatus illi Turcarum videbantur omnibus Chriſtianis prin-
cipibus, at non vni tantum minitari, qui loca maritima poſſiderent, & in primis inſulas, quarum au-
xilia eſsent difficiliora, ſummus magiſter militiæ Melitenſis iubet viros munitionum peritiſſimos di
ligenter explorare ſiquid abſoluendis perficiendiſque planè Melitenſibus munitionibus videri poſ-
ſet deeſse, omniaque parat neceſſaria defenſioni in proximum ver. at verò cum maritimę vrbes ita
eſſent ſollicitæ, ſeque pararent ad defenſionem, principes nonnulli propter longinquitatem maris
nihil à claſſibus timentes non minore fortaſſe ambitionis ſtimulo vexabantur, quòd vidiſsent Ma-
gnum Hetruriæ Ducem titulis, & dignitate noua inſignitum, qui propter præſtantiſſimum, & am-
plum principatum ac propè regnum in vmbilico Italiæ, propter maximos prouẽtus ob fertilitatem
& amplitudinẽ regni, propter præclara merita de omni Chriſtiana rep. propter ſingularia obſequia
erga pontifices, fuerat Regia corona in aula regum coronatus Romæ, & ad euitandam inuidiam Ma
gnus dux tantum, at nõ Rex, vt oportebat, appellatus. illi ut titulis etiam nouis augerẽtur tranſmiſso
tantum Magni nomine, de quo contendebatur, iuſserunt per publicum decretum in omnibus ſuis
vrbibus, caſtellis, pagis promulgari per præconem, ut Sereniſſimorum, ac ſublimitatis titulis coho-
neſtarentur, atque cęperant etiam quidam principes his uti titulis, & purpurati antiſtites, niſi miſsæ
fuiſsent literæ à Cæſare ad concilium ſacrorum patrum de ſententia Electorum imperii, in quibus
continebatur Cæſarem ipſum eſse ſolum quæſtorem titulorum, & dignitatum, neque conuenire, vt
præter auitam conſuetudinem, & voluntatem Cæſaris hi tituli concederentur. ſe rogare patres vt ab
his abſtineant, qui non aliò ſpectare apparerent, quam vt ſimultatibus iis, quæ inter quoſdam prin-
cipes vigebant maius etiam fomentũ adderetur, non ſine aliquo graui periculo quietis, & tranquil-
litatis Italicæ turbandæ. Nam cum rerum omnium caritate, & preciis concreuerat non modo prin-
cipum ambitio in Italia, ſed etiam priuatorum omnium ſuperbia, & temeritas, atque vſque adeo, ut
priores tituli iam ducibus non conuenirent, cum magnifici dicerentur lenones, tonſores, hiſtriones,
fartores, cupediarii, & id genus hominum. Qui paulo cultiores ſunt, illuſtres, clarisſimi, qui titulum
aliquem dignitatis habent, illuſtriſſimi, excellentisſimi. quare inter hanc titulorum tantam vilitatem
Serenisſimi iam Duces uidebantur poſse iure appellari. cęterum Veneti quòd intelligerent ingentẽ
claſsem parari Byzantii, & ipſi magna diligentia inſtant magiſtris, ut multæ triremes inſtruerentur,
remque non frigide neque negligenter agunt. Deſignata eſt munitio inſignis Ferdinando Vitellio
architecto, quæ defenſioni Corcyrææ adderetur, atque ſuburbia omnia ſunt intra munitionem acce
pta. refecta ſunt, & addita quædam ſuperiori munitioni urbanæ. res eo perducta eſt, ut humanis viri-
bus inſula uideatur quibuſdam propè inexpugnabilis. in Gallia uero Tranſalpina propius periculo Italiæ ſuperbia.
acceſſit, ne vniuerſum regnum flammis ac ferro vaſtarentur certantib. hinc inde copiis variis in locis
potius cędib. & rapinis, & incendiis ac populationib. q̃ ęquo marte, aut ullo memorabili prelio, cũ
multę urbes diuturnis bellorum calamitatib. iam propè eſsent euerſę. cęptum eſt agi de pacis con-
ditionib. Viſum eſt Regi tolerabilius eſse reb. pręſentibus per patientiã aliquo pacto conſulere, quã
per ſeueritatem, priorisq; conſilii tenacitatem omnia funditus euertere. Propoſitę ſunt ab illis qui
de pace agebant hę conditiones ab ipſo Rege confirmandę, quę requirebantur ab Vgonotticę factio
nis principibus. 1 Nequid Vgonotti facere cogerentur quod attinerent ad religionem, pręter arbi-
trium in quibuſdam urbibus eius regni. 2 Vt qui haberent ſubditos, poſsent concedere conciones
in vno tantum oppido ſuę ditionis, quod oppidum diſtaret ſex milliaria a primariis vrbibus ac locis,
in quibus domicilium habent præfecti Regii, uel gubernatores ciuitatum ac prouinciarũ, à cæteris Pax Gallorũ & conditiones.
tria, a Pariſiis triginta, ab ipſo Rege ſex, exceptis tñ vrbib. reginæ matris & fratris Alenconij. 3 Vt rex
quatuor urbes concederet in triennium pro delectu illorum, præter iam occupatas, quarũ reſtituen
darum vades ſint Condęus, Mareſciallus Anuillæ, ac viginti pręterea nominandi, qui iuro affirmẽt
tranſacto ſtatuto tpe ſe illas reſtituturos. 4 Vt concedatur locus męnib. cinctus ac munitus in omni
adminiſtratione ſiue præfectura, vbi noua religio exerceri poſſit, quod ipſum fieri licitum ſit in Re-
giis urbib. ab ipſis captis, exceptis Foſſis Papyrianis, ſiue Aqua Mortua, & Boauauti. 5 Vt ſententiæ,
quę lata fuit aduerſus Amirantem, & ſocios, moderatio adhibeatur, nec illorũ lędatur memoria, vel
eorũ poſteris ignominiæ nota inuratur, quib. oĩbus bona reſtituantur, Condæusq; accipiat oĩa mu-
nia, & principatus, quod ipſum faciant & reliqui principes: neq; demolitiones fiant in poſterum uel
libelli criminoſi, deuaſtataq; reſtituantur refecta quibus debentur. 6 Ne vlla tributa extraordinaria
impoſita ab initio tumultuum ſoluantur, aut exigantur non ſoluta. 7 Vt omnia munia in vniuerſo
regno, quę vacauerint, concedantur hominibus utriuſq; religionis ſine iuro ſeruiẽdi fideliter Regi,
atq; certum tp̃s reſignandis beneficiis eccleſiaſticis concedatur. 8. Vt leges publicę, & feſti dies ſeruẽ
tur, ac decumę ſoluantur eccleſiis. 9. Vt in omnib. comitiis Vgonotti quatuor cõſiliarios ſuſpectos
pronuntiare poſſint, pro quibus quatuor illorum factionis admittantur, atq; rex comitia exciret in

Nitiobrigibus ſub Toloſa Colonia, quæ conſtent è viginti partim præſidibus, partim conſignatorib. in quibus comitiis controuerſiæ decidantur hominū vtriusq; factionis. reſeruata tñ Regi ipſi cognitione cārum maximarum. Illa dum tractātur de pace, componendiſq; præſentib. moleſtiis in Gallia, cęperunt multæ vrbes Italæ miſerrimè uexari peſtilentia, ſed in primis Tridentū urbs ſita ad Alpes quibus ex Italia acceditur in Germaniā. Nam oēs propè habitantes in illa vrbe extincti ſunt. Byzantij cum magnus numerus nauigiorum interea fuiſſet exædificatus, dictus eſt ſummus claſſis imperator Luzalis vir acri ingenio, qui dum inſtaret magiſtris triremiū, curauit fieri nauigiū inuſitatæ magnitudinis, & pulchritudinis, quod hēbat triginta & ſex tranſtra, atq; ſingulis remis quinq; homines pp magnitudinē adiungebant. Amuratus qm̄ mirificam eſſe, & inauditam machinam audiuiſſet profectus eſt ad turrim vſq; cuſtodiarum ad illud uidendum cum multis Turcis proceribus per lacunam Galatham, quæ turris ſita eſt ad fauces lacunę. vbi rediret Byzantiū, multa bellica tormenta ſunt diſploſa, inter quę vnum diſruptum circiter triginta Turcas dr̄ laniauiſſe non ſine aliquo imperatoris periculo ſi maioris fuiſſet ſtaturę. Sed quoniam omnes humani apparatus infringuntur, concidunt, atque euaneſcunt niſi annuerit diuina prouidentia conſiliis hominum, inde accidit, ut & omnes bellici apparatus facti per hyemem Selimi iuſſu Byzantii intermiſſi ſint per mortem veteris imperatoris, & qui fuerant inſtituti diligentia recentis tranſmiſſi, depoſitique ſint diuino conſilio. nam Turcę rarò aſpirare apparuerunt ad regnum Italię ſine morte imperatoris aut ſine clade exercitibus diuinitus illata. Nam res duę, quæ grauiſſimę omnium imperiis poſſunt accidere, hæ ambæ vno tempore rem Turcicam afflixerunt, fames, & peſtilentia, quę quoniam cenſuit Amuratus non niſi diuinitus euenire, uiſum eſt numen eſſe placandum, & negotium bellicum in aliud tempus magis commodum eſſe differendum. at enim cum putaret Deum poſſe potius per optimarum legum obſeruatiam, & bonitatem morum, quam per ſolas preces impurorum conſceleratorumque hominum placari, vniuerſum conſilium ſuum conuertit ad Deum per bonitatem inſtitutorum, & emendatiores mores ſubditorum populorum mitigandum, proponi iubet igitur ſalubre, maximeq; laudabile decretum in vniuerſo ſuo imperio ſub grauiſſimis pœnis nequis prępoſtera abhominanda uenere vteretur, quod vitium peculiare propè eſſet illarum nationum. Vetitum eſt rurſus ſalubri decreto nequis Deum blaſphemaret. Vetitum multas vxores habere, ſeptum imperatorium aperiri iubet, vnde quingentæ mulieres formoſę ac puellę proſtitutæ libidini imperatoriæ, dimiſsæ ſunt. inde effectū eſt vt ad principis vitam ſubditis cæteris mores ſuos dirigentibus, quę eſt tanq̃ ſpeculum in ciuitate, Turcarum nefanda libido multam acceperit moderationem. nam ſi populi mali, iniqui, immoderatiq; extiterint, malos, & iniquos, & immoderatos principes illorum non falſo credemus, cum populi oēs vel ſponte vel inuiti corrigātur, qui ēt magis vitam principis quā leges complectūt ad imitationē. Sed qm̄ ciuium Byzantinorum auaritia eo uſq; creuerat, quę præcipuè in ampliſſimis ciuitatib. dominat, vt fierent multarum rerū monopolia ad euerſionē pauperū, & impotētiorū, cum ēt magna eſſet caritas, & penuria annonæ in vrbe alioquin abundantiſſima, Amuratus ipſe popularib veſtibus indutus forū rerū venalium explorat. ſimulat ſe velle multa emere pro purpurato iter facturo. comperit pauca exponi, ac multa latere in cellis penuariis. deinde accitos caritatis monopolii, ac fraudum autores iubet illico ſuſpendio necari; quo facto magna viſa eſt in vrbe rerū oīum, quæ latuerant, copia. Philippus Hiſpaniarū Rex, quia bellū Belgarū iam moleſtiſſimū appareret pp difficultatem, ac maximos ſumptus, diuturnoſq;, cępit aſſentiri ut pacis conditiones illis ſtatib. proponerent, cognoſcereq; verū eſſe qđ ſcriberetur ab antiquis de Belgarū ferocia, qui tanq̃ Antæus fortiores reſurgerēt. propoſitæ ſunt conditiones in comitiis Bredenſibus, ad quæ cōuenerūt delecti proceres ab ipſo Philippo, & principes nonnulli inferiorum ſtatuum, cum tñ Batavi, ſiue Olandę, & Zelandę populi ſtipendia militibus diſſoluerent, ſumptuſq; ſuppeditarent ad alendas cuſtodias, ac nauigiorum opera vterentur commeatibus in opportuna loca diſtribuendis. ſic igitur pax alibi tractatur in Belgis, alibi fiunt apparatus ad bellum, ne per illam opportunitatem rebus conſopitis mox imparati repente inuadereutur. At qm̄ Henricus Poloniæ Rex iamdiu fuiſset in Gallia, neq; quidquam de ſuo reditu in Poloniam audiretur, cęperunt proceres Poloni cogitare aliud conſilium eſſe capiendum, ne regnū tam amplum, tamq; opulentum, & inuidioſum finitimis principibus diutius eſſet ſine Rege. cęptū eſt agi inter Polonos de nouo Rege creando: quæ conſilia procerum cum fuiſsent ad Henricum Regem Polonorum, & Gallorum delata, expetiuit prorogationē creandi noui Regis, qm̄ ad certum tpſ ſe reditur ū eſſe pollicebatur, aut liberam facultatem electionis conceſsurum. Amuratus contra, qa ad ipſum quoq; delata eſsent Polonorum cōſilia, eoſq; cognouiſſet in varias partes diſtrahi, neq; ad vnum oēs conſpirare, oēſq; illos, qui proponebantur ſciret parū amicos eſſe nomini Ottomanico, ꝙ alii ad Auſtriacos principes, alii ad Moſchouitā magis eſsent propenſi, magnopere commotus eſt. Sciebat. n. quanti referret non ſolū priuatarū rerū, ſed ēt publicarum parum amicū habere vicinū, indignationis plenas literas dedit ad proceres Scytharum, & ſuperioris, inferiorisq; Myſiæ prefectos, quibus ſignificauit, ut copias colligerent, parataſq; haberent, ut ſi Poloni Regem ſibi infeſtum eligerent, continuò vires ſuas conuerterent ad deuaſtationem populationemq; Polonię. Interea mortuo Selimo, ut diximus, Turcarum imperatore paulo poſt concluſam pacem cum rep. Veneta, ut eadē pax ab Amurato filio, & ſucceſsore confirmaretur miſſus eſt orator, atq; ut ageretur denuo de reſtituendis agris quorundam locorum Dalmatię, & Illyrii, quę occupata fuerant à Turcis per occaſionē ſuperioris belli, ut narrauimus, & quæ Feratbeius Myſiæ ſuperioris prefectus per aliud mandatum imperatorium, & colloquium cum miniſtris reip. non ſolum noluerat reſtituere, ſed etiam imperatori adiudicauerat, eſt enim imperatorium mandatum apud Turcas imperatum ſiue decretum imperatoris in diplomate contentum, in quo imperator aliquid iubet eſſe faciendū aut omittendū.

Tridenti peſtis.

Amurati edicta pręclara.

Comitia Bredenſia.

Quin etiam Feratbeius idem cum fines imperii poſuiſſet nonnullam partem agri ſubditis im-
peratorijs vendiderat,& variis modis alienauerat. Senatus idcirco cenſuit legationem neceſſariò ad
Amuratum eſſe mittendã,quæ ageret de illis finibus.Viſus eſt Iacobo Superantio nemo accõmoda
tior patribus huic tanto negotio qui tunc deſtinatus fuerat orator ad Põtificem,quare illum ad hoc
negotium deligunt.Sed q̃m paulo ante,vt dictum fuit,Superantius Turcicã claſſem propè profliga-
uerat,vel certè fugauerat,multa loca Turcarum infeſtauerat,munitionem Varbaguẽſem ſingulari
virtute euerterat,ipſe ſecum perpendere cœpit quantum periculum inter barbaras nationes eſſet ſu
biturus.eo conſilio propoſuit in ſenatu quòd ipſe,qui aliàs Solimano & Selimo Imperatoribus gra
tus fuiſſet,periculoſum erat ne noui principis oculis inter inſolentiſſimas nationes foret inſuauiſſi-
mus,quibus rebus accederet quòd ſi quid inſolentius in oratorẽ actum eſſet,illud non poterat non
in publicam indignitatem redundare. Sed cum ſenatus intelligeret prudentiam & dexteritatem Su
perantij prædictas omnes difficultates poſſe ſuperare,qui tantum negotium ad optatum finem per
duceret,decreuit omnino vt accederet Byzantium.Enimuero tanta vis eſt virtutis vel in animis bar-
barorum,tantus ſplendor fortitudinis vbiq;, vt honorificentiſſimè & præter conſuetudinem alacri
ter fuerit exceptus,cui honoris gratia obuiam itum eſt,omneſq; tanquam admirabilem hominem
viſuri vndiq; accurrerẽt.Pax igitur breui confirmatur & ſtabilitur.Atqui dum Superantius prędictũ — *Iacobus Superantius recuperat agrũ Iaderæ.*
mandatum imperatoriũ poſtularet,inſtabant Cæſaris oratores conſimile mandatum flagitantes ad
reſtitutionem quatuor oppidorum cum agro, quæ induciarum tempore capta fuerãt in Pannonia
à finitimis Turcis per iniuriam & contra pactiones induciarum,obtinuit tamen optatiſſimum man
datum imperatorium,cum quo Venetias rediens procuratoria dignitate abſens vel ante vſitatã ęta
tem inſignitur.vbi Iaderã appuliſſet,reperit ſenatuſcõſultum, quo iubebatur venire in colloquium
cũ Feratbeio de reſtituendis territorijs:q̃m incolæ priuati fructibus agrorũ,deq; omni recuperando-
rum prædiorum ſpe decidentes cęperant cum familijs in alias regiones cõmigrare. Illo ſenatuſcon-
ſulto Superãtius magnis ac periculoſis ſuperatis difficultatibus multa calliditate cum purpurato Fe
ratbeio negotium tranſigit.Nam cum iuſſu purpurati allatum fuiſſet ſubdolum mãdatum & ſimu-
latum recentius legitimo per eundem nuntium,qui verum attulerat primũ Byzantio, Superantius — *Fallaciæ Turcarum.*
illud vt falſum conſtanter reiecit. multaque minatus eſt nuntio fallaciarum, ac ſimulauit ſe Byzan-
tium rediturum.ſic per metum re patefacta & cognita fraude ampliati ſunt poſtulati fines,ac popu-
li illi magna cũ lætitia placato mox & delinito Feratbeio per Superantium ſua bona ſunt aſſecuti.Illi
fines poſt modo cum magna poſſidentium tranquillitate ſtabiliti fuerunt.hoc ſanè tanto fuit admi-
rabilius,quia nullum extat Turcarum exemplum ad hanc vſq; diem, qui ſponte quidquam reſtitue
rint per bellum occupatum. In Gallia verò dum agitur de pacis conditionibus ad probabilem æqui- — *Stratagema.*
tatem perducendis portus Santonum penè captus eſt per artem Philippi Strozzę,qui iuſſit quatuor
onerarias naues ad litus Santonicum appellere,quę ſimulauerant ſe cum multis mercimonijs mul-
toq; commeatu illuc è Britannia nauigare. erant in vrbe ingentibus muneribus ſollicitati, Strozzea
næque factioni fauentes conſcij & adiutores proditionis nonnulli, multique armati latebant in ip-
ſis onerariis inferius. Conſtitutum erat vt porta vrbis vi armatorum occuparetur à primis admiſſis,
quòd auxilia ad ſtatutum tempus adeſſent. Sed res per vnum è conſciis delata ad præfectos vrbis,
& præter ſpem omnium ante maturitatem patefacta multis captis conſciis fuit exitio. Dum res Cæ
ſarianæ & induciæ ſunt adhuc dubiæ, pugnatur hinc inde frequentibus inſidiis & paruis præliis in
finibus Pannoniæ, in quibus Aronſper vir fortis tribunus Cæſarianarum cohortium interceptus
trucidatusq; fuit, vt cuius iter cognitum fuiſſet ab hoſtibus per diligentiſſimos exploratores. Aronſ-
per enim quòd intelligeret Erberam oppidum magno in periculo eſſe poſitum ne ab hoſte circum
ueniretur,cum quingentis peditibus & paucis equitibus ad illam muniendam & defendendam con
tendit. at Turcæ cognito harum copiarum aduentu vel antequam iter capeſſerent, collectis ferè
quinque millibus armatorum clam inſidias in quadam ſylua collocant, Chriſtianorumque copias
præſtolantur. Vbi ventum eſt ad eum locum, Turcæ vndique repente exeunt ex inſidiis. pugna-
tur acerrimè vtrinque, ſingularique virtute, cum illi numero bellatorum, hi propria virtute ma-
gis niterentur. Aronſper demum à multis ſclopettariis circumuentus vnà cum multis è ſuis viris
fortibus trucidatur per magnam hoſtium ſtragem & cladem. Cœptum eſt modo pugnare incur-
ſionibus,atque Turcæ prædabundi populabundique Lubianam vſque hilares procurrunt. Vbi ve-
ro latius ſerperet quam par erat horum ferocitas & inſolentia, exeunt in illos ad refrænanda latro-
cinia ſexcenti equites Caroli Archiducis, qui nacti palantes atque diſſipatos Turcas ac multa præ-
da impeditos, vt nihil contrarium amplius timentes,miſerabili atque cruenta cæde in morem pecu-
dum trucidant. Sed enim cum ad ſtrepitum pugnæ circiter vndecim millia Turcarum è propin- — *Clades Turcarum.*
quis locis ſubſidio laborantibus ſuis in vnum accurriſſent, ſanè atrox & cruentum prælium com
mittitur. equites Caroli Archiducis conſpecto tanto numero hoſtium armatorum arbitrantur
maturè ſuis rebus conſulendum eſſe, quare paulatim ab ipſa pugna ſe recipiunt impetum atque
vires Turcarum interim ſingulari virtute ſuſtinentes. ad extremum omnes propè Chriſtiani ob in-
gentem numerum circumuenti miſerrimè trucidantur. Differebat Amuratus inducias, vt diximus, — *Clades Chriſtianorum in Pannonia.*
callido conſilio, quia non putabat ante ſtabilitum imperium arma principum Chriſtianorum eſſe
irritanda, neque per pacem rurſus occaſionem rei præclarè gerendæ ac dilatandi imperii eſſe occlu-
dendam,ſi viderentur arma eſſe mouenda poſt ſtabilitum imperium. At Veneti quia rumor iam an
tea exierat Byzantio quod ingẽs claſſis inſtruebatur,cum nihil firmum aut ſtabilitũ Venetias adhuc
acceſſiſſet de pacis conditionibus à nouo imperatore confirmatis,nã hæc acta ſunt ante acceſſum Ia
cobi Superãtii,decernunt & ipſi ſuis rebus maturè conſulere,cum incertũ eſſet conſilium Turcarũ.

Aaa Tribunos

Tribunos itaque mittunt ad colligendas copias, quæ in Cretam Corcyram, Aſcriuiũ, & in alias maritimas muniriones vbicunque præſidia eſſent adaugenda diſtribuerentur, præſertim cum ſuperioris anni copiæ fuiſſent non nihil imminutæ. Miſſus eſt Tiberius Cerutus Mantuanus, Sebaſtianus Aſculanus, Calcagnus Tifernenſis, Io. Antonius Placentius Cremenſis, Annibal Solza Bergomẽſis, Io. Maria Carrucius Veronenſis, Io. Iuſtinopolitanus, Angelus Gairus Oriuetenſis, qui ſinguli quingẽtos pedites colligerent. præfectus eſt Aſcriuio defendendo Raphael Ruſponus Rauennas tribunus cum quingentis peditibus vir rerum bellicarum peritus. Corcyrę præſidijs præfectus eſt cum octingentis lectiſſimis militibus recentibus præter ordinaria præſidia: . . . . reliquæ copiæ traiectę ſunt in Cretam ad illam inſulam aduerſus vires Turcarum, ſi opus eſſet, defendendam. Dum ita rapinis & paruis præliis certatur in Pãnonia intra fines Cęſarianos & Turcicos, dũ res Gallica & Belgica videtur ſpectare ad pacem regibus vtrinque diuturnitate bellicorum ſumptuum defatigatis, vel etiam cõmotis miſericordia, quia tot populationibus, cędibus, incendijs ſubditarum gẽtium ciuitates iam propè eſſent exinanitæ: dum Chriſtianorum conſilia vertuntur ad apparatus faciendos ad defenſionem aduerſus vires Turcarum; dum Veneti ſummo ſtudio loca maritima muniunt, claſſes inſtruunt, copias in opportuna loca traijciunt; dum oẽs maritimæ munitiones proſpectant quò tanti belli moles eſſet irruptura, non leuis perturbatio, ſed maximorum, acerrimorumque bellorum incendium propè exarſit in finibus Liguriæ, quo tota Italia demum conflagraſſet, inteſtiniſque cladibus fuiſſet deuaſtata, accitis vndique armis exterorum regum ad mutua excidia, niſi bonitas Pontificis & prudentia ſummorum principũ, opportuna remedia tantis rebus adhibuiſſet, Genuenſesque ipſi rationi potius & conſeruationi patrię, quàm proprio vltionis deſiderio obtemperaſſent.

Genuæ deſcriptio.

Eſt autem Genua vrbs opulentiſſima, antiquitate potentiaque nobiliſſima, & non vltima inter clariſſimas Italiæ ciuitates, q̃ diutiſſimè tenuit imperium nõ ſolum Ligurum populi Italiæ ſanè antiqua gloria rerum bellicarum celebris inter Varũ & Macram fluuios, ſed etiam multorum aliorum populorum, ſita ad radices altiſſimi montis Apennini. Præſtat hęc vrbs nobilitate ædificiorum, & antiquiſſima gloria rerum geſtarum, cũ ſemper floruerit viris in omni genere laudis pręſtãtibus. Ita ſita eſt in litore maris Liguſtici vt ad meridiẽ totã cõuerſa mare deſpiciat attingẽs radices mõtis, ac terga obuerterit frigoribus Septentrionis, quibus mõtes habet altiſſimos tãquam aggeres obiectos. Tanta eſt vrbis antiquitas, vt alij à Genua filia Promethei, alij à Iano antequam imperium Latij ſuſciperet, fundamenta eius iacta fuiſſe contendant. Alij Genuam dictam fuiſſe maluerunt corrupta ditione, quòd ea porta quædam ſit Italiæ, cum etiam non longa nauigatione Maſſilia Barcinoneque ad iri poſſit. huius ciuitatis longe ampliſſima fuit autoritas non ſolũm omnis orę maritimę propinquæ, ſed etiam longinquæ, proptetea quòd cum naues plurimas longas & onerarias Genuẽſes haberẽt, q̃bus ad ĩſulas & litora vniuerſi maris Mediterranei nauigarẽt ſciẽtia & vſu rerũ maritimarũ cæteros omnes mortales antecelluerunt. Inde accidit vt Genuenſes antiquitus latum imperium in oriẽtis regionibus habuerint deuictis armis maritimarum gentium, quorum vrbs regina maris fuit vocata. Horum virtute non ſemel potentiſſimi prius Reges in maximas calamitates delapſi antiquitus ſuſtentati fuerunt. ſunt Genuenſes ſuapte natura viri induſtrij, prudentes, magnifici, humani, ad maxima quæque negotia nati, mercaturamque pręcipue grandiorem ſine fraude exercẽt, qua re apud pleroſque illorum magna auri copia reperitur. Non ſunt tamen tam mercaturæ intenti, vt nobiles artes, diſciplinarũq; ſtudia cõtemnãt, nã illud eſſet nimis plebeiũ ac ſordidũ: atq; non minus rerũ honorificarũ quã vtiliũ ſunt appetentes. Non potuit clariſſimæ nationis virtus ambitionis ſtimulos deuitare, quibus reliqua Italię ora vexata eſt, cum per factioſas rixas, ciuileſque ſeditiones diſtraheretur, atque alii alios ciues propellerent; & nunc hi, nunc illi fiereut ſuperiores. nã non ſolum vigebant in animis hominum occulta quædam ſemina diſcordiarum antiquarum, quæ vniuerſam vrbem ſępius afflictauerant ob Guelphorum ac Gebellinorum nomina; & Fregoſorum atque Adornorum; & Garaſcorum ac Mutaldorum; ſed etiam vrbs vniuerſa fluctuabat recentioribus ſeditionibus nobilium ac popularium, quæ res non paruas aut ignotas perturbationes ciuitati illi, & omnibus principibus attulit. Sed quoniam res pleręque Genuenſium ignotę ſunt adhuc multis mortalium, at quæ nondum in hiſtorijs multorum annorum ſint conſcriptę, non erit abſurdum ſi ſummatim initia ac radices, ut ita dicam, Genuenſium tumultuum attigero; quippe quòd principiis rerum ignoratis in multas dubitationes incidere animos legentium hiſtoriam neceſſe eſt: cum ẽt ſit poſteris perutile cognitis rerũ moleſtis principiis per aliorũ vel calamitates uel picula vel errores poſſe ſapiẽter rebus ſuis moderari. Genua itaque varijs temporibus à varijs magiſtratibus gubernata fuit, cum mõ præeſſent Cõſules vocati, mõ Poteſtas, mõ Capitaneus, & mõ ab externis, mõ ab indignis gubernaretur, cum aliter interſe conuenire non poſſent. conſueuit etiam ciuitas aliquando ad tutelã exterorũ prĩcipũ cõfugere, vt nõ multos annos accidit cũ ciues a Carolo Octauo, Ludouico vndecimo, Frãciſco primo Gallorũ regibus protegerẽtur, & à Galeazzio ac Ludouico Sfortiis Ducib. Mediolani, quod callide fiebat, vt reprimerẽt plebis inſolẽtiã in plures partes diuiſæ. Crearũt aliquando quoſdam ex ipſis ciuibus, qui ob tyrãnicã autoritatẽ dicti fuerũt Capellacii, q̃ nonnunquã cõacti ſunt cũ princib. quib. omnibus vrbis imperiũ per leges vrbanas ſalua libertate urbis cõmittebatur, ſalua ẽt electione ſuperiorũ & inferiorũ magiſtratuũ, qui deferantur ad ſuffragia, votaq; ciuiũ. ſic vbi ptæſũ eſſet eius adminiſtrationis, facile fuit illã mutare. Nũquã n. q̃squã princeps ꝑ proprias vires ſine aliqua factione vrbi imperauit, aut ẽt niſi ab vniuerſa ciuitate fuiſſet accitus. Ita verò ꝓprie virtuti vrbs fidebat, vt nullo tẽpore portæ clauderẽtur, viueretur q; in aperta vrbe, quæ tã mari quã terra patebat. Enimuero cũ ciuitas alicuius principis auxilijs niteretur, palatiũ tñ & ſocietas emptionũ Diui Georgij, quæ tanquã ſpiritus vitalis eſt in humano corpore, ſemper libera fuit, neq; vlli ſubiecta,

Genua vrbs maris Regina.

Genienſium natura.

Antiqua Genuæ gubernatio.

ſubiecta, qui in communi palatio imperaret, gubernataque fuit à ciuibus participibus ipſarũ emptionum; è quibus patet duas reſp. fuiſſe vno tempore in eadem ciuitate, quod vix apparet fieri poſſe, & quaſi duas animas in eodem corpore. creabantur in ea ſocietate, quam Caſam etiam vulgo vocarũt, pro legib. Protectores, magiſtratus, publica cõcilia ad eius cõſeruationẽ, q res p multos annos perdurauit. ita vero Cyrnus inſula, & Sarzanę imperiũ, & Ligurũ montes, & alia loca quę parẽt Genuenſibus, vt Lerice, Leuantum, Albium Intemelium, cum omnibus ditionibus ac pagis in litore maris Tyrrheni tam orientem verſus quàm occaſum ab illa Caſa gubernabãtur, donec viſum eſt eius Caſę proceribus imperium dictorum locorum ad remp. conferre, ſeruata ipſius Caſæ libera & incontaminata libertate. ſępius tamen variata eſt ratio adminiſtrationis in rep. propter ciuiles diſſenſiones. nam ab anno 1498. Ad annum vſque 1528. mutata variataque eſt duodecies. cum igitur ſuperioribus temporibus vrbs gubernaretur a magiſtratibus, qui annui eligebantur, ita cõtinuata dimidij popularium, quam etiam nobilium electione, populus quoque bifariam diuidebatur, cum altera pars pinguium, hoc eſt mercatorum diceretur, altera leuiorum vt artificum. illud etiam ſpectabatur vt haberetur ratio antecedentis factionis, vt dimidium magiſtratuum Guelphis, & dimidium Gebellinis concederetur, quod ſæpe fuit publicis decretis confirmatum per pactiones vrbanas inter factiones, & per prædictos Reges ac principes. cęterũ cum fortuna ciuitatis iam in ſeruitutem prope eſſet delapſa, illud ciuibus virtute præditis moleſtiſſimum videbatur, & iam colloquia modeſta, ac cętus fieri cęperãt de cõcordia anno 1519. & poſtero conniuente Octauiano Fregoſo, vt alii cenſuerunt, ob propriã virtutem multis in rebus cognitam, vt vero alij, ob propriã cauſam, quia videret res Gallorũ, pro quibus p ræerat in Inſubribus, ad deteriorem fortunam declinare. veruntamen illa conuenticula fuerunt interdicta ac vetita à Federico Archiepiſcopo Salernitano fratre Octauiani. illa conſimiliter ab Antonioto Adorno, qui in principatũ ab exercitu fęderationis perductus fuerat, inſtaurata ſunt ab iiſdem ciuibus anno. 1525. quo tempore Franciſcus Gallorũ rex cũ exercitu Ticinũ obſidebat, quibus aſſentiente Adorno eo cõſilio vt ſi victoria eſſet penes Gallũ, vti prius fecerat Fregoſus, cum eo conueniret vt vrbis eſſet gubernator, ſicut etiam cum Cæſare per Gatinaram ſummum ſcribam trãſegerat. Fortuna igitur Gallũ captiuũ deſerente Adornus mutauit ſententiã, atq; ea conuenticula rurſus interdicuntur. at enim anno 1527. electis Adornis factio Fregoſorũ in vrbem redierat ſub Gallica adminiſtratione, gubernatore Theodoro Triultio, eadem colloquia repetita ſunt per conſenſum Triultij ut creditũ fuit, re cognita etiam Regi. nã cũ ageretur de reſtituẽdis duobus filiis Galli Regis obſidibus datis Cæſari per diſceſſum patris ex Hiſpania agebatur in cõditionibus, quæ inter principes duos tractabantur, vt omnes munitiones & loca in eo ſtatu redderentur, in quo erant, cum duo principes inter ſe conuenerunt. & quia ſi res ita concluderetur, Genua erat reſtituenda adminiſtrationi Adornorum, magis conducebat Gallis, vt vrbs concors & libera perſtaret, quàm vt Adorno redderetur faventi partibus Cæſarianis. cũ igitur illud negotiũ nõ fuiſſet finem aſſecutum, vetuit Triultius agi amplius de concordia. Andreas Auria per iſtud tempus priuatus ciuis Genuenſis, qui ſemper bellicam laudem ſecutus fuerat, cum variis temporibus diuerſa ſtipendia meruiſſet, præfectus fuit gubernatore Octauiano Fregoſo multos annos duabus triremibus vrbanis, cum quibus multa præclara facinora edidit, atque non vulgare ſpecimen ſuæ virtutis. ſic itaque fecit per virtutem bellicam vt triremes factæ ſint ſuæ è ſpoliis hoſtium, quæ prius erant vrbis. his potitus Prouinciam verſus nauigauit cum multis nobilibus & proceribus factionis Fregoſæ, ac Regi Gallorum militauit, modo dux, modo ſummus Imperator claſſis eius Regis: cum tamen inter quædam bella Clementis etiam Septimi Pont. ſtipendia meruerit ſummus claſſis Imperator, poſt quæ ad Gallica ſtipendia rediit. Per idem tempus Aurantinum principem ex Hiſpania cum Phaſello venientem in Italiam cepit, quem petenti Gallo Regi dedit, cum ſibi promiſſa fuiſſent redemptionis nomine viginti nummum millia; quæ pecunia ſępius petita, nunquam accepta fuit. Militabat tunc quoque Regi Auria cum Galli potiti ſunt ciuitate, ad quem etiam miſſa ſunt inſignia ordinis Diui Michaelis vbi de concordia ageretur ſub Triultio. Illam interturbatam fuiſſe inter cæteros ægre tulit Auria; cui rei acceſſit quòd Memorantius magnus Coneſtablius Galliæ impetrauerat à Rege ad perſuaſiones Sabbatienſium præfecturam Sabbatiæ, qui multos annos procurauerant ab imperio Genuenſium exautorari. Nam putabat Memorantius ſex centum millia nummum quotannis exacturum cum ex alis vectigalibus, tum è lacunis quod multis de cauſis fuit Genuenſibus moleſtum. illud cum plurimum animos ciuium infeſtaret, procuratum fuit remedium apud Regem, ſed omnia fiebant irrita propter Memorantii autoritatem: nam principes plerique eo laborant vitio, vt quos ament, omnia vera conſilia credant ſuggerere, nihilque loqui ad propriã vtilitatem. Illa re augebatur timor & indignatio ciuium Genuenſium, ſed præſertim Auriæ, quem omnes appellabant, cum illud maximè eius conſilio aduerſaretur. exarſit non multo poſt bellum pro regno Neapolitano, quò Lotrechius Gallicas copias adduxit, quò etiam iuſſus eſt Auria mittere ſuas triremes cum ſeptem Gallicis, quæ omnes ſub imperio Philippini Auriæ acceſſerunt. Pugnatum eſt cum Vgone Moncada ſummo Cæſarianæ claſſis imperatore in regno Neapolitano: cum pari numero triremium, & multis nauigiis varij generis. Vbi Aurianæ triremes ſubſidia illi regno è Sicilia intercluderent, adimerentque facultatem commeatus, exiit Moncada è portu Neapolitano. committit prælium cum Aurianis. pugnatum eſt acriter. victoria tamen fuit penes Auriam. capti ſunt multi proceres, inter quos fuerunt præcipuæ dignitatis Iſtonienſis Marchio, & Aſcanius Columna, & Galleacius Iuſtinianus, qui cum eſſet Genuenſis ſine precio redemptionis dimiſſus fuit. alii adducti ſunt in oppidum Lericem ad Andream Auriam, quò ille ſeſe non ſine aliqua animi perturbatione

Andreas Auria pfectus è duarum triremium.

Auria eques Diui Michaelis.

Victoria Auriæ.

receperat non ſolum propter metum peſtilentiæ, ſed etiam quia Gallorum inſidias deuitabat, cum regiũ eſſet mandatum vt caperetur, quia Galli verebantur ne multis de cauſis Auria eſſet iam à Gallica factione aĩo alieno. Petitũ eſt ab eo nõ frigidè regio nomine vt duos captiuos Regi daret, quod nulla ratione potuit obtineri, cũ Auria conſtanter renueret, atq; principes illos captiuos quam liberaliſſimè tractaret. natum eſt colloquium idcirco de Auria ad Cæſarianam gratiã transferẽdo, quod ſanè non difficile fuit animo præſertim tot cauſis, tamque grauibus alienato. illa optima opportunitas viſa eſt Auriæ capeſſendi excogitati cõſilij, quod erat vt Galli eijcerentur è ſua patria, quã in libertatẽ vendicaret, quod promiſſum fuerat à captiuis principibus ſi Auria relicto Rege Cæſarianas partes amplecteretur. His habitis ſermonibus, rebusq; verbo tenus ſtabilitis, miſſus eſt Eraſmus Auria in Hiſpaniam ad rem confirmandam. ſtabilitum eſt itaq; his conditionibus, vt Cæſar & Imperator & rex Hiſpaniarum ac ſucceſſores omnes illam remp. in libertate incontaminata atq; integra cõſeruarẽt. primũ petitur à ſua Cæſarea Maieſtate vt ſi Dei gratia cõceſſum fuerit, vt Genua è ſeruitute hoſtium vendicetur; ea libertati reſtituatur, concedaturq; perduci ad formam reip. in qua liberè viuatur; cui reddatur integrum vniuerſum imperium, & in primis reſtituatur Sabbatia. Huius autẽ reip. conſeruationem ac protectionẽ promittat ſine aliquo vel onere vel precio, niſi tamen quantũ vrbs ſponte pro ſua liberalitate erogare voluerit: atq; idem imperet omnibus ſuis ducibus in Italia, vt eã libertatẽ protegant & conſeruent ab omni vi exterorũ, qui illam perturbare voluerint. Illa conditio mox ita ſubſcriptione Hiſpani idiomatis fuit confirmata; Super hoc capite placet ſuæ Maieſtati vt habeatur in bona & ampla & ſicura forma, cum reſeruatione imperatoriæ autoritatis. Petitur conſimiliter vt ciuibus Genuenſibus licitum ſit liberè negotiari in omni regno, vrbe, Locis ſubditis ſuæ Maieſtati, ſicuti licet ſubditis ſuis, qui gratijs, priuilegijsq; perfruantur conceſſis ſubditis proprijs, præter eos qui hoſtiles partes ſequuntur. quæ conditio eodẽ idiomate Hiſpano ita cõprobata eſt; Quòd ad ſecundũ caput placet ſuæ Maieſtati declarando, vt hæ gratiæ priuilegiaq; intelligantur tanquam ſubditorum naturalium ſuę Maieſtatis ſiue vt habeãtur commercia & negotientur in omnibus ſuis regnis ac prouinciis, gaudeantq; illis ac plene perfruãtur in bona & ampla & ſicura forma; quod imperabit ſua Maieſtas ſeruari in omnibus locis ac ditionib. ſibi ſubiectis alias cõditiones pretermitto.

Cõditiones Auriæ cũ Carolo.V. ante liberatã Genuã à Gallis.

Cõditiones Cęſaris cum Auria de libertate Genuenſium.

Quibus rebus ita cõpoſitis trãſacto Gallici ſtipẽdij tẽpore, illa nõ amplius vel magna cõtẽtione quæſitus mereri voluit, vel adhortante Clemente Pontifice; quamobrẽ ſtatuit cum ſuis triremibus in regnum Neapolitanum accedere cum albis vexillis, quo pacto fuit aliquot dies in illis litoribus fauẽs ſenſim partibus Cæſarianis, cum Cæſariani miniſtri etiam niterentur illi perſuadere, quibuſ ſuis oblatis conditionibus vt eas partes amplexaretur. Deinde acceptis literis à Cæſare, quibus ſignificabat ſe illum complecti, creareq; ſummum imperatorem Cæſarianæ claſſis, ereta ſunt vexilla imperatoria cum magna expeditionis felicitate. nam vbi copiæ Gallicę cito fuiſſent labefactatæ, ſtatim Auria cũ claſſe Genuam verſus nauigauit inſecutus Gallicas triremes, quę cum multis Venetis in mari Neapolitano velificabantur, illæ diſiunctæ ſunt cum Auriam Venetas non inſecuturum eſſe ſperarent. Detentus eſt tempeſtate, varijsq; euentis in ſinu Populonij diutius quam oportuit, quare duobus tantum triremibus potitur. Genuam deinde profectus vbi duabus in partibus propinquaſſet extra portum, Malpaga & Sarzano facientibus deſcẽſionem claſſiarijs copiis libertas cõclamata eſt & Diuus Georgius, cum vrbs eſſet vacua ciuibus, qui pauci erant reliqui adiutores. nam facile fuerat etiã Gallis ciuilibus diſſenſionibus ſuperioribus excogitatã & afflictã remp. Genuẽſem poſt diuturna, bella, quæ varijs in locis aduerſus varias nationes & ſeipſam geſſerat, modo datis, modo acceptis inſignib. cladibus ad deditionem compellere, quod factum fuit à Rege Gallo anno. 1527. Cum etiam diu laboratum eſſet in vrbe mira caritate annonæ, vel potius inſigni penuria. Idcirco mox Galli collectis ingentibus copijs illam obſiderunt, & prępotentibus fęderatorum exercitibus cũ interim arma amica Hiſpanorum vndiq; vexarentur, ceperunt; quod ſecuta eſt poſtea grauiſſima & inaudita prius illi vrbs peſtilentia, quæ exinanitis vtriſq; litoribus ad extremum propè excidium rem Genuenſem perduxit, multis millibus mortaliũ miſerabili lue extinctis. Vbi Aurianę copię vrbẽ inuaſiſsẽt Triultius gubernator ſe recepit in oppidum, quare Auria liberè vrbe potitur, vendicatq; in libertatẽ. Conuocatis itaq; ciuibus in plateam Auriam vocatam, quorum pleriq; ruſticabantur adhuc ob peſtẽ, quæ diuinitus ab eo die prorſus extincta eſt, liberũ imperiũ patriæ permiſit. neq; id valde difficile ſanè fuit mortuo Lotrecho Imperatore Gallicarum copiarum in Neapolitana obſidione, plurimum iq; afflicto & penè labefactato Gallico exercitu, omniq; vi Gallica nõ ſolum deferueſcente in Italia, ſed propè iam extincta. ſic igitur Gallos aduerſa fortuna iam conſternatos ex vrbe facile eiecit. Non defuerunt priuati ciues qui Auriã hortarentur vt imperiũ ſuſciperet vrbis dũ viueret, pro qua recuperanda vitam ſuam periculis expoſuiſſet, ſed is non ſine aliqua indignatione conſiliũ reiecit, quòd Auria vir bonus cenſuerit maiorẽ eſſe gloriã poſſe patrẽ ac liberatorẽ, quã tyrãnũ patrię apellari, pręſtabiliusq; multo dignum eſſe imperio, quam imperare, quod etiam ſtulti aſſequuntur. liberum igitur integrũ & incontaminatũ imperiũ ſuis ciuibus reliquit, pro quo beneficio ad ſempiternã poſterorũ memoriã illi ſtatua fuit erecta, multaq; dona, & illuſtria priuilegia Auriæ familię conceſſa. Perſuaſit deinde vt duodecim ciues in vniuerſo urbis cõcilio deligerentur cũ autoritate reformandi, inſtaurãdi, inſtituendi nouas leges reip. Delecti ſunt itaq; ex utraq; factione pares, è nouis atq; ex antiquis familijs, Baptiſta Spinola, Auguſtinus Pallauicinus, Stephanus Iuſtinianus, Frãcus Phliſcus, Simo Cẽturio, Auguſtinus Lomellinus Philippus Cataneus, Hieronymus Auria, Vincẽtius Rapalius. Io. Baptiſta Moneglius, Ioannes Dauagnus, Nicolaus Grimaldus Ceba, uiri doctrina & rerum multarum cognitione inſignes, qui Reformatores ſunt uocati. illa dum ciues delecti exequerentur, agerentque de reformatione, repentina exorta eſt perturbatio in Liguria: nam regulus Diui Pauli Gallus

Genua capta à Gallis.

Genua ab Auria recuperata.

Mirifica Andreæ Auriæ integritas.

cũm magna manu equitum ac peditum peruenerat in vallem Porciferam, & iam propinquabat vrbi, in qua erant pauci ciues ac nulla propè præſidia, cum etiam arx Genuæ ſtaret pro Gallis. Auria animo intrepido, quem ciuium concordia ſequebatur, mittit manum militum cum quibuſdam iuuenibus nobilibus magnæ virtutis, addiditque ducentos Turcas captiuos è triremibus, quibus promiſſa fuit libertas & arma conceſſa ad ipſam vallem. Inito leui prælio magna virtute coacti ſunt Galli in Inſubriã ſe recipere, quibus etiam nulla erat copia cõmeatus. Gratijs Deo actis Reformatores cõmiſsũ ſibi negotiũ exequũtur, q plurimũ vbi laboraſſent ſtatuẽdis legibus, cũ primùm potuerunt, promulgari iuſſerũt ac ſanciri nouas leges, reſeruata ſibi facultate intra paucos mẽſes addẽdi ſuis decretis quod viſum eſſet neceſſariũ, vt in ipſis legibus impreſſis patuit. Inter cęteras decretũ eſt vt reſp. gubernaretur ab vno tantũ ordine ciuiũ deſcriptorũ ſublato è rep. omni factioſo nomine, quod ad an nũ vſq; præſentẽ in vrbe & vbiq; in imperio Genuẽſi viguerat, extinctaq; populariũ nominatione ac nobiliũ, atq; præcipua cura adminiſtrationis eſſet penes illos, qui ob dignitatẽ vitæ, integritatẽ morũ, antiquitateq; maiorũ habitationis iure alijs preferrẽtur; atq; aſcriberetur nobilitati ille numerus, q teſtimonio publico boni nominis id mereri videretur. Voluerũt vt Dux crearetur & octo gubernatores, quibus lege iniunctũ eſt, ne vlla de re graui deliberarent quæ propoſita eſſet eodem die: ſed iudiciũ reſeruaretur in diem poſterũ. His etiã fuit adiunctũ quòd cũ varietas tẽporũ ſecũ afferat varietatẽ ſtatutorũ, vt dux, gubernatores, & procuratores poſſent variare, reformare, & noua condere inſtituta; ea tamen cõditione ne per res correctas aut variatas vlla ijs augeretur vis vel autoritas. Ad p ducendã igitur ciuitatẽ ad verã cõcordiã, exterminãdaſq; priſtinas ſimultates & inuidiã, quę maxime omnium viget in rep. vbi multi ad eoſdẽ honores aſpirant, decretum eſt vt poſſent initio cuiuſque anni aggregari decẽ ciues veteri nobilitati, ſeptem urbani nimirum, & tres ex ora maritima, cũ ſeptẽ electio ſolis gubernatoribus eſt permiſſa, illud eſt iniunctũ vt diſquireretur an eſſent boni nominis & nati è legitimo matrimonio, neq; poſt aſcriptionẽ acceptamq; nobilitatẽ licitũ eſſet vllam artẽ mechanicã exercere. aſſignata eſt & triũ electio iiſdẽ gubernatoribus, ſed additus Dux. deinde ſalubri cõſilio decernitur vt vniuerſa recẽtiũ familiarũ multitudo in numerũ viginti & octo antiquarũ referretur, & aggregaretur, omneſq; recentes illarũ cognomina pro arbitrio aſciſcerẽt pro ſuis, quæ omnes nobiles dicerentur nulla habita differentia. cõmuni igitur omniũ Reformatorũ decreto ad cẽtũ & quadraginta familiæ in numerum illarum ſunt aſcitæ, cum tot viderentur addendæ ad ſupplemẽtum patriciorum, interquas fuerunt quatuordecim antiquorum nobilium hæ aggregatæ. Marocelli & Panzani Marinis, Ceba Grimaldis, Carmendini & Squarzafici Cicadis, Serræ & Camilli Lercaris, Falęmonici Gẽtilibus, Venti Cataneis, Crancanæ & Robores Aurijs, Picamilij Caluis, Mari Vſodimaris, Domini Paſſani Lomellinis. Decretum eſt igitur vt certi ciues ex his quotannis in numerum nobiliũ admitterẽtur, atq; hi noui ciues dicti ſunt, atq; idcirco aggregati quia cognomina priſtinarum nobilium familiarum aſſumerent. In illis viginti & octo familijs nobilibus numerata fuit Iuſtiniana, Saula, Francha, Prementora, Fornara, quæ antea in electionibus magiſtratuum habebantur populares, vt alijs accidebat familijs popularis factionis, quæ fuerunt additæ, quamuis & hæ quinque propter virtutem multorum, opulentiam, aſſiduitatem magiſtratuum iam videri poſſent iure antiq uam nobilitatem adeptæ. Fuit tamen Vbertus Lazarenſis primus Dux electus à Reformatoribus vir bonitate ac virtute ſingulari popularis factionis, dimidiumque gubernatorum, & Procuratorum fuit veterum, dimidiũ nouorũ. atq; nouorũ altera pars fuit mercatorum, altera artificum pro ordine qui multos annos ante reformationem ſeruabatur. ſic igitur non modo libertatem, ſed etiam Cæſaris & regum Hiſpaniæ defenſionem, protectionemque patriæ comparauit, verum etiam leges & conſeruationem Andreas Auria vir glorioſus, & propter prudentiam atque integritatẽ nunquam ſatis laudatus. at ipſa reſp. ad oſtentandum gratum animum, cum quinque Syndici annui per leges creati ſint ſupremi, qui negotia reip. recognoſcant, & cęterorum magiſtratuum, vnus perpetuus creatus eſt Auria dum viueret, cui & vniuerſæ eius familiæ conceſsa eſt immunitas vectigalium & omnium tributorum imponendorum. Deinde multis muneribus à patria & amoris ſignis a Cæſare acceptis & ordinis aurei velleris inſignibus Melphitico principatu fuit inſignitus. procedebatur per illud tempus Genuæ non neceſſitate legum, ſed pura ac libera voluntate in electione magiſtratuum vel voce vel ſuffragijs, vt accidebat, licebatque cuique nominare aut concedere ſuffragium cui mallet. Illud viſum eſt initio conducere reformatoribus ac ſuccedentibus vt omnibus fieret ſatis, cũ tempus & experiẽtia optima ſit rerum moderatrix; quoniam ſiquid accidiſset inter ciues, ſenatus illud poſset corrigere. ſic rebus procedentibus cęptũ eſt ſequentibus temporibus audiri quòd cum eligerentur maſtratus, & præſertim Dux & gubernatores, ſuum cuiq; non daretur tam mercatoribus quàm artificibus, quod ęgre ferebant, ac palam dictitabant res nõ eſse ſubuertẽdas, cũ eſset veterũ nobiliũ munus electioni & rebus huiuſmodi moderari. Et quoniã maius cõciliũ quadringẽtorũ ſorte eligebatur, in qua electione cũ eſset minor numerus veterũ nobiliũ, minor pars concilij ad eos ſpectabat, ita fiebat ut rarò accederent ad tertiam partẽ cõcilij. ſic fieri non poterat vt iure dicerẽtur retẽturi ęquabilitatem factionis, aut electionẽ facturi, cum multa etiam inter diuerſas familias diſſidia intercederent, & inter quoſdam eiuſdem familiæ. Atqui cum Dux & Gubernatores mittebantur eligẽdi certo numero ad conciliũ, ſemper eligendi miſti ſunt è quoque ordine, & illud præcipuè primo electionis die Gubernatorum. nam cum biduo fieret electio, poſt primum res coarctabatur, non per legem quidem, ſed per virtutem, rationemque perſonarum, ad quas ratio electionem transferebat. ſic igitur omnis electio uidetur iure facta fuiſse cenſeri ab eo numero, qui maiorem partem habebat in concilio, cum maior pars ſuffragiorum haberet electionem, atque maiori numero ſemper debebatur honor ac munus electionis. Enimuero

Reformatorum leges.

Aggregati q̃ ſint dicti.

Syndicorum autoritas ſuprema.

deſcripti nobiles ad gubernationem vſque Triultij multi fuerunt, ſed multi perierunt per peſtem, quare a duodecim Reformatoribus multi additi ſunt, atque omnes qui cogniti ſunt in vrbe eius conditionis, quæ a legibus requirebatur. contra illarum etiam formam plurimi addicti ſunt a collegiis & deinde alij præter numerum, & decem quotannis initio anni legibus permiſſus numerus. ſic igitur factum eſt vt nouorum numerus longe fieret maximus, p ræſertim cum in electione patrũ perpenderetur ratio in legibus requiſita, neque artes mechanicę nobilibus interdictæ ſpectarentur. multa clam aduerſus remp. ab illis dicebantur, qui fidebant beneficio prolabentis temporis.

Adminiſtratio popularis qualis.

nam cũ periculoſa ſit omnis multorum gubernatio, ne in ciuiles diſſenſiones ac bella denique inteſtina prorumpat, tum tanto eſt periculoſior, quanto numeroſior; & iſtud in primis, ſi vulgus & inſolens turba popularis in partem imperii admittatur; cum vulgus plerunque manus & ventrem habeat ſine capite. neque enim vlla vera eſſe poteſt aut ſincera concordia, vbi contenditur de honoribus & magiſtratibus & imperio, ad quæ multi aſpirent. aut ſi ſit, periculoſa eſt ne conſpiret ad diripiendas facultates ſubditorũ; niſi plane viri boni multi in illa ciuitate fuerint, quod ſanè inuẽtu eſt ꝑdifficile. quã minimum igitur autoritatis relinquendum eſt vulgo ciuitatũ, ꝓcurandũ. eſt ne deſit iuſtitia, coercendaque eſt caritas annonæ, quod aptius eſt parere quam imperare. ſunt etiam nobiliores legibus ſeuere coercẽdi, ſi plures ſint imperãtes, alioquin exquiſita libido, vel auaritia vel ſuperbia & crudelitas & arrogantia certiſſimæ peſtes rerum pub. quamque ciuitatẽ inuadunt, cũ felicitatẽ moderatius ferre non poſſint, quod facile colligitur non ſolum ex ratione, ſed etiam ex rerum præteritarum exemplis.

Tarentinorũ libido.

Tarentini enim cum plurimum virium adepti eſsent ad reip. formam viuentes, in tantam inſolentiam proruperunt, vt Carbinam vrbem amplam Iapygum extorrem fecerint, virgineſque & pueros & vigentes ętate mulieres in ſacra Carbinatarum ſepta intrudentes nuda corpora per diem omnibus ſpectanda prębuerint. quicunque autem velllet Tarentinus in infelicem gregem inſiliens pro libidine vtebatur. At tanta Deorum & finitimarum gentium ex eo exorta eſt indignatio, vt cũ Tarentum ſæpe de cælo fuiſset tactum, plurimęque domus igni cæleſti conflagraſsent, mox finitimorum armis funditus ſit euerſum.

Iapygũ inſolentia.

Iapyges rurſus ad reip. modum & ipſi viuẽtes, diuque patrię imperio potiti, in tantum inſolẽtiæ venerũt, vt nõ homines ſolum, ſed etiam Deos iniurijs & cõtumelijs afficerent. nam quaſi quodam furore felicitatis perciti Deorum imagines è templis eiecerũt atque infregerunt, cum dicerent debiles potentibus, mortuos viuis cedere oportere. At paulo poſt de cęlo percu ſſi & ardentes eorum plerique acerrimas pęnas ſuę inſanię luentes potentiora eſse Deorum arma ſenſerunt.

Mileſiorum auaritia.

Mileſij quoque multa infortunia ob auaritiam ſibi architectati ſunt, cum ciuiles inimicitiæ præſertim ob potentiorum in debiliores rapinas natę eſsent. nam Gergithę pauperes apud illos vocati, popularis turba nimirum, cum rapinas potentiorum diutius ferre non poſsent arreptis armis illos ex vrbe eiecerunt, profugorumq; filios vinctos in areis ſternentes conculcarũt, boueſq, peſsundare tanquam triturantes coegerunt. Diuites profugi collectis copijs contra in patriã reuerſi, ac victoriam de Gergithis adepti captos viuos combuſserũt, atque ſic reſp. mutuis vulneribus ob auaritiam confoſsa facile venit in exterorum poteſtatem.

Scytharũ temeritas.

Scythæ in tantam inſolentiam propter potentiam venerunt & ipſi ad reip. formã viuentes, vt quaſi per ludum naribus mutilatos omnes demmitterent, ad quos armati peruenisſent, vt ſciretur, vt aiebant, quouſque arma Scytharum penetraſsent. Inde effectum eſt vt finitimi captis armis ad illos opprimendos, tanquam ad extinguẽdum commune incendium vndique confluxerint. Epheſia, Ionia, Colophonia, Byzantina, Vmbra, Theſsala, Sybarita, Cumęa, Chia, Zacynthia, Crotoniata, Ætola, Arycandęa reſp. nimis antiquę ſunt, & pleriſque incognitę, ſed tamen omnes per proprias ſimultates, aut ſimiles errores, concidiſse cõſtat.

Athenienſiũ auaritia.

Athenienſes non tã iniqui interſe fuerunt denique, quam Medi aut aſsyrij, qui vbi firmum imperium habere ſibi viſi ſunt, Samios, Leſbios, alioſque populos contra fęderis ęquitatem per auaritiam & ambitionem conculcarunt, qui ubi aliquantulum ſic uiguiſsent, mox finitimis populis ad illorum excidium conſpirantibus, ſoluti ſunt. Lacedęmones ad Cretenſium Perięcorum imitationem ubi prius fuerant Siritæ non ſolum in Helotas crudeles fuerunt, ſed etiam in finitimos ſęuire auſi uel potẽriores nõ multũtp̃s ĩperarũt. Quid Locrorũ potẽtiã ſoluit, niſi Locrorum auaritia? Fuerũt multę in Italia noſtris penè tẽporib. reip. quę oẽs per inteſtina diſſidia, mutuaſq; iniurias ſunt euerſę. nam Cluſini, Caſalenſes, Piſani Mediolanenſes, Florentini, Senenſes tametſi dilatarunt imperiũ aliquãdiu in Italia, tamen per mutuas iniurias ob auaritiam uel ambitionẽ breui conciderunt. Quid magis ſubleuauit afflictas Romanorum uires, quam aduerſaria Barchinæ factio Cathaginenſium? iure igitur ab Athenienſibus introductus fuit oſtraciſmus ad deprimendam uel auaritiam uel ambitionem ciuiũ, uel potius ad ſeruand ãconcordiã, quę magis ſtat cum ęquabilitate. quia periculoſum eſt ne reſp. ad unũ uel ad paucos delabatur, Neq; .n. uitia ſolũ ſed ẽt uirtutes ciuiũ ſũt in rep. inuidioſę, quare Herculẽ fabulati ſũt antiq ob eximiã uirtutẽ cõſultò ab Argonautis fuiſse relictũ, ne eius gloria omnẽ reliquorũ heroũ laudẽ obſcuraret. ſic ꝑiculoſę ſũt reſp niſi optimis legib. & diligẽti legũ optimarũ obſeruatione muniãtur. nõ caruit prorſus his ꝑiculis Genuẽſis reſp. quãuis ad excidiũ nõ ſit perducta, quia nõ modo interſe diſſiderũt ciues, ſed etiã cũ exteris aliquãdo ad vrbis-excidiũ ꝗdã cõſpirarũt. nã nõ modo Valcerca cẽturione vexata eſt Genua repẽtinis incurſionibus anno. 1536. dũ Cæſar eſſet in Prouincia, ſed etiã Cagninus Gonzaga partes Gallicas amplexus aſſentiẽtibus quibuſdã nouis ciuibus ſimulato itinere ad Italiam Tauricã proprius acceſſit ad męnia Genuę, quam

Genua inuaditur nouis aſsẽtiẽtibus.

admotis ſcalis adortus eſt, ſed à ciuibus & ſubſidiarijs Antonij Auriæ è claſſe, & à peditatu Auguſtini ſpinolæ Taſſarolenſis reiectus eſt, qui Antonius a Cæſare ſumma diligentia fuerat miſsus. Aliæ paratæ ſunt inſidiæ frequentibus temporibus per multas artes, eæque repetitæ per Cęſarem Fregoſum adiuuantibus ſemper nouis, cum Petrus etiam Strozza ſimulato tranſitu in

Galliam

Galliam Ciſalpinam per inducias duorum principum propius ad vrbem acceſſerit aſſentiente Comite Io. Aloyſio Phliſco. Sed cum eadem hora triremes ex Hiſpania cum multis peditibus in portum applicuiſſent, nihil viſum eſt eſſe innouandum; quare copiæ Strozzeanæ paulum progreſſæ ſolutæ, dimiſſæque fuerunt. Deinde cum initio anni 1545. Dux creandus eſſet non vi legum quidem, ſed inueteratæ conſuetudinis. è nobilibus veteribus procurata eſt electio palam à quibuſdam ciuibus rerum nouarum cupidis viginti & octo electorum nouorum, pręter vnum, à quibus electi ſunt quatuor nobiles noui, cum tot per leges eſſent eligendi, in qua re multa acerba interceſſerunt dicteria & ſales. à primis viginti octo delecti ſunt ſecundi viginti & octo eodem conſilio atque re ad concilium denique tranſmiſſa delectus eſt Dux Io. Baptiſta Fornarius vir clarus magnique iudicii, cuiuſque electio à nemine improbari poterat, ſi ſeruatis ritibus illud factum fuiſſet, ac niſi per fraudes actum eſſet. Quamuis enim vir bonus eſſet creditus, tamen non nihil ſuſpicionis attulit quòd per amicitias principum, multosque clientes aliquid in animo ad propriam vtilitatem contra ius reipublicæ excogitaſſet, atq; conſpiraſſet cum Gallis, quare coniectus eſt in carcerem poſt principatum, ac per multam gratiam deinde vita donatus, ſed relegatus in Belgium, vbi etiam vitam finiuit. eius Ducis cum moleſta omnibus electio illis accidiſſet, qui ordinem & quietem eſſe in rebus publicis optabant, delatæ ſunt querelæ à variis ciuibus ad Auriam, qui vel amiciſſimus Fornario tamen electionem improbauit; cęptumque eſt excogitare rationem, quæ per leges reprimeret hominum audaciũ temeritatem poſt tranſactum tempus principatus Fornarii. cum nouus Dux itaque eſſet eligendus initio anni 1547. ſucceſſit coniuratio Aloyſii Fliſci, multis popularibus & nouis adiunctis cum exteris militibus, vt dictum fuit. Hic tam impius in patriam, cui omnis charitas debetur, ciuis Auriæ magnificentiæ aduerſarius non inuito nomine ſatis condignas pęnas luit ſui ſceleris, cuius aſſeclæ partim ſunt in exilium eiecti, partim perduellionis rei acti, qui tamen nimis apertè proſecuti ſunt partes Phliſcanas. nam mitius actum eſt fortaſſe in quoſdam quam oportebat. Collectæ ſunt etiam copiæ à ſenatu, quarum ſummus Dux creatus eſt Auguſtinus Spinola Taſſarolenſis, qui bona Phliſci diriperet, & præſertim oppidum Mõtobium, quod factum eſt tum quia ius ciuitatis ita requirebat, tum etiam ne Cæſar cum ſuo exercitu intraret in regionem ad vlciſcendas iniurias, quia propè claſſem deleuiſſet, atque Italiæ quietem interturbaſſet. Nec ita multo poſt noua audita eſt coniuratio Iulii Ciboi Marchionis Maſſæ, cui paulo ante Auria neptem dederat in matrimonium, in qua coniuratione per aſſenſum quorundam nobilium nouorum, & quorundam ſuperſtitum Phliſcanorum rebellium exulum pertractatum eſt de inuadendo palatio, trucidandoque Duce & Gubernatoribus & Auria. Illa patefacta captus eſt Pontremoli Iulius præfecti Mediolanenſis iuſſu, Mediolanumque adductus Cæſaris iuſſu capitis eſt condemnatus, atque nonnulli etiam Genuæ capite mulctati, cum alii eiecti ſint in exilium. His tot difficultatibus in vrbe coortis breui tempore, & primarii ciues, & Auria princeps, & omnes qui tranquillitatem vrbis, ſtabilimentumque reipu. cupiebant, commoti ſunt non leuiter, quibus apparuit neceſſariò aliqua ratione ſuccurrendum eſſe reip. quæ poſſet inquietos animos intra cancellos legum coercere. Adaucta eſt & locupletata ea neceſſitas illis motibus, quos Cæſarei miniſtri faciebant in Italia, & in primis Ferrandus Gonzaga ſummus imperator rerum Cęſarianarum in Italia, qui erat in Mediolanenſi præfectura, qui palam per literas & nũtios querebatur non videri eſſe ex Italicæ quietis, vt Genua tot motibus rerum nouarum fluctuaret, pullularetue ſeditionum ſeminibus, cum plurimum vexarent rem Mediolanenſem ob vicinitatem. Illæ obteſtationes tantum potuerunt in animo Cæſaris, quæ ad ipſum vndique afferebantur, vt multæ rationes ab eo pertractatæ ſint de rebus Genuenſibus. Sed tamen quia per pactiones cum Auria promiſſum fuerat quod libertas reip. ſemper foret incontaminata, noluit vrbem ſubiugare, ſed procurauit vt res ita innouarẽtur vt tutus & quietus eſſet ab illis tumultibus. verebatur tamen ne ſi illud tardius fieret, vrbsque foret ab aliis violata, ſerus & inanis locus relinqueretur pœnitentiæ. Perſuadet itaque Auriæ vt oppidulum fieret in vrbe, quod præſidiis, auxiliisque Cęſarianis muniretur, quo & ipſe ſecurus eſſet, & leges ab improbis ciuibus metu ſupplicii ſeruarentur. illo conſilio & aliis de cauſis miſit Ducem Albanum Genuam, modo Granuelium ad perſuadendum principi, cui cuperet fieri ſatis. Primo aſpectu quidam ciues, quibus Auria negotium patefecit, non diſſentiebãt propter rerum ſuperiorum perturbationes: ſed re diligentius cõſiderata diſplicuit & Auriæ, & aliis ciuibus quibuſdam primariis, cum illa arx non minus libertati bonorum, quam malorum temeritati immineret. Suo itaque & aliorum ciuium iudicio impulſus modo Adamum centurionem, & modo Frãciſcum Grimaldum mittit ad Cæſarem in Germaniam, qui perſuaderent fore vt ſine oppidulo res Genuenſis reformaretur, viuereturque Genuæ pro legibus, & vrbanæ cuſtodiæ ad ſecuritatem quietis adaugerentur Germanarum copiarum. Futurum enim vt non eſſet in poteſtate paucorum ſeditioſorum res vrbanas ſubuertere per contemptum legum cum magna perturbatione rerum Cæſarianarum. His promiſſis, aliisque non leuibus rationibus impetratum eſt per Auriam vt Cæſar ab eo conſilio deſtiterit; quæ legationes vbi Genuam rediiſſent, delecti ſunt octo è primariis ciuibus, qui conſilio Auriæ additi perpẽderent reformationem legum, & reip. ſecuritatem, quæ poſtea referrẽtur ad ſenatum, atq; quatuor denuo ſunt adiuncti priori numero, duo è collegio procuratorum, ac duo Dominorum, quo res denuo perpenderetur. res cum omnibus qui iudicio præſtare apparebant, cõmunicata eſt, & delata rurſus ad ſenatum, atque à Duce & collegiis cum Auria & octo delectis prioribus pro facultate ſibi conceſſa in legibus anni 1528. promulgata eſt anno 1547. ea lex, quę rerum nouarum cupidis ciuibus Garibettum vocatum fuit: in qua lege continebatur vt ſicuti vniuerſum concilium quadringentorum ſortitò eligebatur, & viginti & octo electores Ducis & gubernatorum nominabantur à quinq; è collegio ſorte electis & nominatis, qui conſtituebantur per ſuf-

fragia

Varię cõiurationes, quæ cogunt fieri Garibettum.

Garibettum quid ſit.

fragia concilii, ita numerus maioris concilii eſſet trecentorum ſortitò delectorum, alii centum ſuffragiis deligerentur. ex his ita delectis & coniunctis ſtatutum eſt vt centum per ſuffragia deligerētur quod eſſet minus concilium, conſultatio ordinaria ſenatus in rebus neceſſariis. ſic igitur è primis cētum aſciſcendis maiori concilio, & è ſecundis exemptis è numero quadringentorum prius electorum, duo fierent collegia additis octo Protectoribus è magiſtratu Diui Georgii, quinq; ſyndicis ſupremis, & ſeptem ex extraordinario magiſtratu, ita vt viginti alii adderentur cum collegiis. Decretū eſt poſtea vt centum ſic quotannis delecti eſſent electores viginti & octo nominatorum in ſuperioribus legibus ad Ducem & gubernatores nominandos, qui viciſſim eligerentur. Illa forma electionis cum nemini ius eripuiſſet, fuit in vſu poſita, quæ perdurauit ab anno 1547. ad annum vſq; 1575. deinde cęperunt denuo ſerpere paulatim in animis Ligurum ſimultates & clādeſtina diſſidia, quæ ſuccreſcente deinde cupiditate, ambitioneque hominum, florentibusque diuitiis ita exarſerunt, vt natæ ſint è nimia felicitate ciuiles ſeditiones, cum ſemper ferè elatio animi ſit comes opulentiæ. floruit igitur per illam tranquillitatem obſeruantiamque legum & pacem Genuenſis reſp. opulentia, quiete, & omnium bonorum cumulo. Sed poſt mortem principis Auriæ, quæ accidit, quo tempore ſcriptum fuit, cum non nulli ægrè ferrent ſe aſcitos eſſe in numeroſas familias, quòd vbi certaretur de adipiſcendis magiſtratibus, veteres apparerent nouis excellere, triſtabantur ſua conditione, neq; intelligebant quantum noui & aggregati paruis familiis præſtarent veteribus ipſarum familiarum, cum quidam illarum nullum prorſus ad magiſtratum fuiſſent admiſſi à tempore aggregationis.

Radices diſſenſionū ciuilium.

Neque tamen illud ſolùm veteres per recentem numerum patiebantur, vt per rationem paruarum familiarum ad gubernationem conuenirent, ſed etiam aures illorum non infrequens murmur infeſtabat, quòd alii querebantur quod noui ciues dicerentur, alii ægrè ferebant aggregationem ipſam cupientes ad priſtinam rationem redire, quare duo cognomina vſurpabant prioris familiæ ſuæ, & eius, cui fuiſſent aggregati. Veteres ad tollendos errores id ipſum etiam fecerunt, cum tamen aduerſus hanc nouitatem factum ſit decretum anno 1559. per quod ſub grauiſſimis pœnis vetitum erat, & ſcribis publicis in primis ne aliā familiam, quam cui aſcriptus quis fuiſſet, nominarent: quod ſanè parum curatum eſt à nouis his acceſſit quod nulla familiaritas vel matrimoniorū coniunctio inter ipſos ciues contrahebatur, quæ res non parum illorum animos infeſtabat, qui altius intuebantur rerum euentus, quibus res apparebat non poſſe diutius in eo ſtatu commorari, cum præſertim affinitates cum non aſcriptis potius pro conditionibus contraherentur vtrorumque. Hę res, alięque conſimiles agi palam cęperunt anno 1570. quæ germina diſſidiorum per quietem reip. repullularunt poſt ſumptus & difficultates belli Cyrnenſis, alique cœperunt domi Iacobi Baſadonæ, quo multi primarii e nouis ciuibus conueniebant, qui magnopere inuectus eſt in modum adminiſtrationis. Eius oratio tametſi per conuenticula apparebat ſeditionē poſſe in vrbe excitare, tamen non modo non obtinuit ſuppliciū, ſed neq; reprehenſionē quidē à ſenatu, de qua re aliquādo pertractatum fuit. ſub finem anni deinde ſequentis electus eſt Dux de more Ianottus Lomellinus, qui conniuens ad ea quę corrigi oportebat, inuectus eſt in Mattheum Senaregam à ſecretis virum prompti ingenii, callidique, quod Ducis conſilium apparebat honeſtum & reip. debitum, cum curauerit vt literæ & magna negotia de rep. à Duce & vno gubernatorum recognoſcerentur, cum prius ab vno à ſecretis iſtud fieret. Illam controuerſiam ſuſcepit Dux non ſuo tantum conſilio, ſed impulſu aliorum ſcribarum, qui ægrè ferebant illud nomen Secretarii, quod factum eſſe aiebant contra leges reformatorum. Illud cum rigidius ageretur, quam par erat, Matthæus etiam tulit grauius quam oportebat, cum magis propriæ, quam publicæ dignitatis rationem habuerit. receſſit à rep. primum, deinde propter eloquentiā & exquiſitam legum vrbanarum cognitionē creditus eſt indignatus fouiſſe perturbationum ſemina, quæ poſtmodo eruperunt, quamuis probabili excuſatione eſt vſus. Adauxit ſegetem perturbationum, quam fortuna reip. frequentem excitabat, quod accidit anno 1572. in Hiſpania. nam Baltheſar Rotulus aggregatus familiæ Pallauicinæ propter æs alienum ibi coniectus eſt in carcerem, qui cum vellet per leges regni libertati reſtitui, tanquā nobiles ob debita priuata non poſſent diſtineri, obtinuit à ſenatu teſtimonium ſuæ nobilitatis cum declaratione, quòd Franciſcus pater dum vixit fuit nobilis, & dictæ familiæ aſcriptus. Illud cum quidā veteres grauiter ferrent ob proprium incōmodum, petierunt à ſenatu vt explicaretur quòd Franciſcus fuiſſet aſcriptus anno 1528. at non prius. Id ægrè ferentibus Rotuli coniunctis cauſa publica fit è priuata, & non ſine multa cōtentione agitata in ſenatu; non tamen vllum adhibitum remedium. His tot diſſenſionum principis

Alia ſemina diſsēſionum Genuēſium.

ærarii diui Georgii, aliorūq; pertinerent ad poſteritatem nobiliū veterum in dotes filiarū. aliasq; res acceſſit illud etiam, quòd cum eſſet in legibus Reformatorum anni 1528. explicatum, vt prouētus neceſſarias, quæ nulla ratione ſpect ab āt adſcriptitios ciues, quædam familiæ originem ſuorū maiorum in arboris formam depingi curarunt vt ſuæ indēnitati conſulerent, in quibus poſteri eſſent tanquam rami à trunco prodeuntes, curatumq; eſt vt arbores publica autoritate comprobarentur, ne temporis obſcuritas vllum afferret poſteris præiudiciū. Idcirco familia Lomellina, quæ multos magnosq; prouentus habebat, procurauit vt arbor coniunctionis approbaretur à ſenatu, cū eſſent adhibitę legitimę probationes, quod tamen multis aſcriptitiis repugnantibus obtineri non potuit, neq; in ſenatu neq; alibi. nullo addito remedio his rebus perſiſtebatur in ea rerum perturbatione. Inuentæ ſunt deinde multæ difficultates in ſenatu cum ageretur aliis de rebus, quamobrem dicebantur à ſapientioribus illæ arbores niſi conuellerentur, aliquādo acerbos fructus in remp. producturæ. nam profectò nullum eſt tam paruum malum in rep. quod neglectū non latius ſerpat, niſi diligentes ac ſeueros habeat magiſtratus in patricios præſertim, quorum obſeruantia legum & morum bonitas ſit lex ineuitabilis cęteris ſubditis. ſic per Lomellinā contentionem & electiones magiſtrarum de-

uentum

uentum eſt in controuerſiã, vt in contentionibus palam noui & veteres audirētur in ſenatu. cum appareret periculoſa illa ciuium diſſenſio reip. propoſitum eſt in ſenatu vt numerus optimorum ciuiũ deligeretur ad inueniendum nouam legum reformationem, ad reprimendas turbas, quòd à nouis reprobatum eſt, quia contenderent quod ſi ad parem numerum veterum ac nouorum veniretur, noui ſemper iura haberent inferiora. Sed enim cum æger animus nullam rationem admitteret, triremesque ex Hiſpania quædam acceſſiſſent Sabbatiam cum copijs, quæ traiciebantur in Italiam, rumor di ditus eſt à rerum nouarum cupidis, quòd milites externi clam fuiſſent à veteribus in vrbem acciti: ad quam famam multi populares & aggregati miſerunt obnuntiatum ſenatui, niſi occurreretur, ſe opportunum remedium adhibituros. cognitum eſt paulo poſt illum rumorem fuiſſe à ſeditioſis ciuibus concitatum. Io. And. Auria cognitis controuerſijs hiſce ciuilibus, quæ quotidie in eligendis magiſtratibus oriebantur è Sicilia nauigat Genuam, qui cum parum obtemperantes animos ciuium reperiſſet, nihil memorabile facere potuit. renouatus eſt ſermo de electione ad reformationẽ; ſed fruſtra. exortæ ſunt denuo contentiones de electione magiſtratuum, ac poſt multas difficultates electus eſt Dux Iacobus Grimaldus Duratius ciuis ob bonitatem, virtutes, egregia animi ornamenta omnibus gratus, qui creditus eſt vrbanę quietis ſtudioſiſſimus. At per horum tumultuum rumorẽ Philippus Hiſpaniarum Rex continuata protectionę vrbis legationem miſit ad res ſedandas Io. Idiaquecium equitem, vt ego cognoui, magnę prudentię & eloquentiæ, qui niteretur eam remp. placare per regiã obſeruantiam, atque in concordia retinere. hic in ſenatu habitis verbis efficacibus regio nomine nullam concordiam potuit excitare, neque certum habere reſponſum. Idiaquecius deinde cum Sancio Padilia ordinario oratore collocutus, & cum quibuſdam nouis omnem vrbanam perturbationem planè percepit. cum vero paulo poſt per electiones magiſtratuum quidã è veteribus numerum quẽdam ſubditorum in vrbem ad ſui domorumque tutelam introduxiſſent, iniecta eſt nouis & popularibus cauſa trepidationis, quare inter varia de magiſtratibus decreta ſtatutũ eſt vt exteri introducti dimitterentur, cum veteres liberati eſſent ſuſpicione ne excluderentur à magiſtratibus concilio ſorte delecto, & noui intelligerent nihil ſe præiudicij eſſe capturos, neq; timerẽt rapinas ac direptiones vt prius officinarum. anno deinde ſequenti qui fuit 1574. apparebat vrbis ſtatus fore quietus, ſed tamen noui cœperunt denuo tumultuari, qui optabant ad ſortem perduci electionem magiſtratuum quia cum plures eſſent, maiorem partem ad ſe prouenturam arbitrabantur. conabantur itaq; perſuadere reliquis ciuibus nequam rem comprobarent, publicam aut nouam vel optimam reformationẽ admitterent, quæ propoſita fuerat à M. Antonio Caretto principe Melphitano. Vbi ſenatus delegiſſet quatuor ſenatores, qui formam propoſitam perpenderent, & alias quaſuis rationes ad tranquillitatem ciuitatis, noui pleriq; profitentur ſe nullam rationem admiſſuros ſine obliteratione Garibetti, ac niſi ſeruaretur lex anni 1528. at popularium principes quidam petiuerunt à ſenatu quendã numerum popularium cum nobilibus aggregari, qui de rep. benemeriti eſſe viderentur. vbi & eſſe contra leges reſponſum eſſet, & ſeditioſos eſſe caſtigandos, viſa eſt nouis non aſpernanda occaſio adiungendi ſibi auxilij, neq; quidquã deinde actum incõſultis popularibus. Petitũ eſt audacius vt antiquaretur Garibettum, & popularibus adiutoribus promiſſa à nouis, quæ petebatur, aggregatio. Delectis per fraudes quibuſdam magiſtratibus, agitatum eſt de concordia, inter principes ambarum factionum, & de coniunctione animorum, ſed cum inferiorum proponerentur, coacti ſunt principes nouorum ne ab vtriſque excluderentur, à conſilio concordiæ recedere. ſic vrbs in tres partes diuiſa eſt, ac veteres vocati ſunt Porticus Diui Lucæ, noui Porticus Diui Petri, tertia factio fuit popularium & non aggregatorum ciuium. propoſita eſt in ſenatu popularium aggregatio. Sed repugnantibus quibuſdam ſuffragijs nihil actum, quæ res auxit populi indignationem in veteres, cum ſedulo fieret etiam à nouis; noui tamen ex altera parte inſtabant vt repeteretur eadẽ aggregatio. Erant principes popularium Sebaſtianus Setonius & Bartholomæus Montobius recentes ciues, qui nitebantur potius nouorum auxiliis, quam vlla vel antiquitate vel propria autoritate. hi viſi ſunt apti imprimendis multis rebus vanis propter facilitatem verborum in animis plebis ſuapte natura cupidæ rerum nouarum. ab his excitabantur frequentes tumultus in illa ciuitate, bellaq; demum ciuilia, per quæ ventum eſt eo vt omnes ferè Italiæ principes ex illis initijs miſerabile exitium illi reip. imminere proſpicerent, atq; atrox & calamitoſum bellum, quodq; non facilè extingui poſſet vaticinarētur. Inuitabant vel potius impellebant animos popularium vel ſua ſponte rerum nouarum cupidos frequentes horum ſeditioſorum ciuium pollicitationes & gratia & ſpes melioris reip. quos noui clam ad iſtud impellebant, & inſtruebant. Nam ab his proponebatur populo noua quædam & liberalior ratio adminiſtrationis, quia futurum eſſe dicebant vt multa tributa excuterentur. Vt augerentur mercedes omnium operarum. Vt munia iuſtitiæ rectius tranſigerentur, cum leges ęquum patrocinium omnibus polliceantur, prȩter prædictam aggregationem. facilè fuit igitur per hæc promiſſa & vilitatem præterea annonæ incautos excitare, quibus perſuaſum eſt nihil horum fieri poſſe, niſi Garibettum abrogaretur. accedebantur etiam metu imminentium malorum ſi qui fuiſſent ad ea promiſſa tardiores, aut ſi quam fraudem ſubeſſe promiſſis ſuſpicarentur, cum rumor deditus eſſet inclinare animos veterũ ad introducendos Hiſpanos in vrbem, patriamq; in ſeruitutem reducendã. deteſtabãtur veterum ſuperbiam, qui multos ſumptus, parumq; honeſtos mores introduxiſſent, quorũ cauſa nulla eſſet in vrbe iuſtitia. ceptum eſt igitur aduerſus veteres patricios conſpirare, multaq; habita ſunt in priuatis domibus hiſce de rebus conuenticula. deinde tanquam in caſtris omne genus armorum die nocteque in vrbe geſtari. magna eſſe delictorum impunitas. Magiſtratus veterum patriciorum deludi. miniſtri concuti. haberi excubiæ & vigiliæ tanquam in bello. ſæpe per tumultus vanos tabernæ artificum repente claudi. viæ cathenis tranſuerſis aut trabibus occludi. portæ vrbis ab armatis

capi.

Io. Idiaquecius orator Regis.

Petitiones populariũ.

Factiones Genuenſes.

capi.publica tormenta à priuatis occupari.frequenter ad arma tota vrbe conclamari. factus concur-
ſus ad ſenatum,expetitumq; per minas vt ſuccenderetur Garibettum. Veteres per hos tumultus ni-
hil noui ipſi molientes domos cuſtodiebant, procurabantq; vt per ſenatum opportuna remedia tã
tis malis adhiberentur.multæ in ſenatu propoſitę ſunt ſententiæ, atq; nonnulli hortati ſunt patres
vt obliterata omni propriarum rationũ memoria publica & autoritate & viribus vterentur.Id quo-
niam maturiore iudicio indigeret,decernitur vt vrbana præſidia adaugerentur,eijcerentur exteri,&
ne quis armatus incederet poſt horam noctis ſecundam.petentibus nouis denuò abrogationem Ga
ribetti magna contentione,reſponſum eſt à patribus grauibus verbis,quibus demonſtrabant abuſus
ſecutos poſt legem anni 1528. contra ipſam legem.probabant vt ex vtraq; lege quod æquum eſſet
viſum ſapientibus & bonis viris exciperetur,proponebantq; Garibettum factum eſſe conſultò à ſe-
natu non ob ciuiles controuerſias, neq; ad gratiam alicuius factionis, ſed ad reip.ſtabilimentum, &
non minus neceſſitate quam electione ad euellendam ſuſpicionem ex animo Cæſaris, ad diuerten-
dumque illum à ſuſcepta cogitatione,vt ſecuros haberet principatus Italiæ.His addiderunt,quod ſi
res inter ipſos conuenire non poſſent, erant commiſſuri controuerſias iudicio & arbitrio quorun-
dam exterorum principum ſalua publica libertate,nominarũtq; Pont.& Philippum Regem, qui de
iure & facto iudicarent tam de ratione æqui quam honeſti,& ſtatuum atq; gubernationum,qui ani
mo ab omni propria cupiditate remoto ciuiles diſſenſiones deciderent. Noui renuebant hoc iudi-
cium,qui poſtulabant vt maiori concilio controuerſia committeretur, quod non placuit veteribus
numero multo inferioribus.oblatæ formæ vt tertia quædam ratio inueniretur,ſed à nouis non ad-

Io. Andreæ Auriæ hortatio ad artifices.

miſſæ.rogatus eſt Io. And. Auria vt hæres principis autoris libertatis reip. vt dux nobilitatis eam pro
tegeret,qui cõſulturus pro viribus vrbanæ quieti, exempturusq; ſuſpiciones impreſſas in animis po
pularium præfectos artificum ad ſe accerſiri iuſſit.illos profectos hortatur neutram vt in partẽ ſint
magis propenſi. Vt ad vrbis,ſuiq; ipſorum defenſionem eſſent intenti,ſi quis vellet offendere.Reuo
cat in memoriam quã multa. quamq; præclara beneficia ab ipſis veteribus & à maioribus in popu-
lum,vniuerſamq; patriam tum publicè tum priuatim ſint profecta.commemorat quanta liberalita
te & magnificentia animi vrbs fuerit à principe Auria in libertatem vendicata,cum etiã labores pro
patria ſupra ætatem pertulerit,Cyrno inſula ex imperio Turcarum & Gallorum recuperãda.Propo
nit commoda Xenodochiorum,cæterorumq; locorum à veteribus ad vrbanas commoditates inſti
tutorum.Docet non oportere faciles aures præbere fallacibus verbis,quæ proponerentur aduerſus
certam liberalitatem & beneuolẽtiam veterum,cum ad omnia honeſta vota eſſent promptiſſimam
nobilitatem habituri. Sed quoniam memoria acceptorum beneficiorum planta eſt facilè areſcẽs in
animis ſordidorum hominum,quamuis omnia placida fore tunc promiſſum eſt, nihil fuit ſeruatũ:
quoniam facilè erat leues animos ſeditioſorum fluctibus exagitari; cum alii minis & metu periculo
rum deterrerentur. Nobiles veteres quòd intelligerent hæc omnia ab ingratis ciuibus aduerſus ſe
fieri.cogebantur eſſe domi armati cum multis militibus,quos è ſubditis locis maritimis ſubſidio ac

Io. Idiaquetij hortatio.

ciuerant non ſine vitæ periculo vt inter ingentes populares tumultus.Idiaquecius Regius orator vir
ſummo ingenio,multarumq; rerum cognitione clarus ob metum alicuius ruinæ,ac plurimarũ ca-
lamitatum demonſtrat fieri non poſſe, ſi diutius in ea controuerſia perſiſteretur,quin vniuerſa ciui
tas maximum acciperet detrimẽtum.nullam peſtem poſſe calamitoſiorem contingere ciuitatibus,
quàm ſi per ciuile diſſidium mutuum eſſet euerſionis patriæ deſiderium, quamuis aduerſariam fa-
ctionem tantum reſpicere appareat. Quod omnis reſp. in qua hæc planta peſtifera pullulauit,niſi ra
dicitus euellatur,omnibus bonis conſiliis obeſſe conſueuit,quę ab infeſtis animis non imbibuntur.
Nam quoniam intelligebatur quantum periculum aſportarent hi tumultus vniuerſæ Italicæ quieti
contra voluntatem regiam, oratores conabantur illos quauis ratione reprimere.ſæpius repetita eſt
aggregatio à popularibus,à nouis vt exteri denuo emitterentur ex vrbe, vt ius redderetur petẽtibus
aggregationem, vt Garibettum abrogaretur, quibus reſponſum eſt vt confirmaretur edictum depo
nendi arma,vt concederetur ſenatui reſumere debitam autoritatẽ, vt ſeuerè in facinoroſos animad-
uerteretur,quo tractaretur diligenter reformatio adminiſtrationis. Sic nihil in tanta animorũ con
tentione ſtatuitur.Sed cũ arma vbiq; obſtreperẽt,neceſſario ſuſpicio & timor excitatur,cęptumque
eſt quaſi quodam furore cum armis per vrbem diſcurrere.arma vbiq; ad defenſionẽ ſumpta.cogni-
tum eſt veteres inferiores numero eſſe nouis,ſed multo ſuperiores multarũ rerum peritia, & aptio-
res militaribus pręfecturis. Multa Idiaquecii dexteritate & eloquentia demum effectum eſt vt ambę
factiones Regio nomine promiſerũ it oratori ſe arma eſſe depoſituras per triginta dies. Verũtamen
populus nulla ratione adduci potuit vt fieret inermis.quin etiam illi ipſi,qui ſibi ſuſceperãt prouin
ciam vt arma deponerentur, ſubminiſtrabãt arma popularibus furoribus. Veteres & arma depoſue-
runt,& dimiſerunt exteros,& ſignificatum miſerunt accedentibus copiis ne accederent. allata ſunt
in ſenatum ſcripta induciarum ab oratore, quæ ſubſcriptionibus delectorũ ab vtraq; factione ſunt
comprobata.Sed cum poſitis armis a veteribus temeritas & audacia & importunitas multorum vel
ambitione aucta vel deſiderio rei ignotæ atq; alieno impulſu,viſum eſt tẽpus ſeditioſis non amittẽ
dum,quare forum occupatum eſt ab armatis & munitum vaſis vinariis terra plenis.capta tormenta
quæ erant ad Molum vocatum cum Germanis cuſtodiis.magna multitudo plebis ad arma conuo-
cata ab iis,qui ſe libertatem tueri conclamabant.vbi tormenta palatiũ verſus trahi fingerentur,quia
præfectus Germanorum & tribunus Italorum peditum facilè in eam partem inclinarent,copiæque
cum tormentis eſſent motæ,quidam adeunt patres,qui totam noctem fuerant in ſenatu, multi no

Furor popularis Genuę.

ui,& vel ex iis,qui apud oratorem ſubſcripſerant,conqueruntur, exclamant, obteſtantur, rogant vt
Garibettum antiquaretur,quia nullum aliud eſſet remedium refręnandorum illorum,qui vel cum

tormen-

tormentis eſſent acceſſuri. variæ ortæ ſunt opiniones in ſenatu,quod aliis aliud eſſe capiendum cō-
ſilium videretur.at Io. Baptiſta Lercarus cum adeſſent ſuaſores ſcelerum vir magnæ autoritatis,elo
quentiæ,bonitatis graui oratione conqueſtus eſt de fortuna reip. quod propter diſcordiam inſcitiā-
que rerum gerendarum illa patria iam propè eſſet eo redacta vt pro imperio eſſet ſeruitutem admiſ
ſura;cum fruſtra remedium cōtrouerſiarum,aut reformatio legum poſtulabitur,vbi libertas ſemel
fuerit amiſſa.nihil periculoſius libertati videri,quam vulgus infræne armatum,quod præſertim im
pulſu ſeditioſorum,tanquam mare ventis exagitatum fluctuet.ſed tamen poſſe rem accipere adhuc
moderationem,ſi ſenatus autoritas ſolita concedatur.eodem ferè temporis momento præfecti po-
pularis factionis,& delecti nouorum nomine inſtant vt Garibettum abrogetur.aiunt populum ex-
plicatis vexillis cum tormentis accedere,qui portas ciuitatis iam occupauerat. Huc difficultatum vē
tum eſt,quia neglecta fuiſſent a ſenatu initia diſcordiarum.& quoniam è patribus alii erant imbecil
lo animo,alii inopes conſilii,alii proprio conſilio vrgebantur, abrogata eſt lex Garibettum non aſ- Garibettum per vim abrogatum.
ſentiente Franco Lercaro,Nicolao Catto,Lazaro Grimaldo,qui palam profitebantur ſe malle quid
uis pati, quam tantum indignitatis committere. Populus quia nihil per illam abrogationem ſe aſſe
qui intelligeret,ſed fuiſſe ludibrio,ac pro nouis tantum laborauiſſe,petit à ſenatu vt trecenti popula
res aſcriberentur,vt vectigal vini minutim diuenditi deleretur,vt mercedes quibuſdam artibus adau
gerentur,vt omnium delictorum venia cuiuis concederetur, Sed cum ſenatus in tanta eſſet rerū tre
pidatione,nihil,vt vno verbo dicam,non conceſſit. Io. Baptiſta Lercarus profitetur apud oratorem
regium & Archiepiſcopum honeſtos homines præſentibus à ſecretis & vicario, quod ipſe non aſ-
ſentiebat abrogationi factæ per vim & metum contra formam legum vrbanarum,tanquam vnus è
patribus.& quoniam quæ fiunt illegitimè,aut contra æquitatem obtinentur,nō afferunt ſincerum
gaudium,ſed cum metu permiſtū, veriti ſunt noui ne res per arma repeteretur, quare miſſus eſt qui-
dam commiſſarii nomine à præfectis nouorum, qui excitaret ad arma incolas Porciferę ne quas pa-
terentur copias è iugis deſcendere,quæ dicebantur ad vrbem conuenire. Veruntamē actum eſt ope
ra regiorum oratorum & delectorum à veteribus ad ſedandam plebem timentem aliquid rerū no-
uarū ab exteris principibus, vt Baptiſta Spinola regulus Serrauallis colligeret quoſdā è ſubditis,qui
erant in ſuburbiis auditis his tumultibus. Mediolani præfectus id fieri iubet ab Alexandriæ guberna
tore, qui cum equitatu ac peditatu ad Serrauallem acceſſerat. veteres tumultum popularē ſucceſce
re ſemper intuiti,auditiſque contumelioſis ac minacibus vocibus,cum in publicum tuto iam exire
non poſſent,ſemperq; domi eſſe inter ſeditiones genus erat quoddam acerrimæ obſidionis,putarūt
ſatius eſſe ſuæ libertati ac dignitati conſulere,quare in proximas villas ſe recipiunt.cēſebant quidam
Sabbatiam eſſe occupandum vt commodus locus à veteribus haberetur:aliis apparebat nihil eſſe in
nouandum,ne via concordiæ occluderetur,& ne animus Regis offenderetur,ſi illo incōſulto arma
mota eſſent in Italia. at qui ex altera parte non eſſe è publica vtilitate exiſtimabant rem armis ad pa-
trum excidiū experiri,vt qui multa aliis tēporibus beneficia contuliſſent,vectigalia minuiſſent,mul-
tam pecuniam ſæpius erogaſſent ad patriæ pauperumq; ſuſtentationem, multis obſequiorum gene
ribus vſi fuiſſent,primos egreſſos multi quotidie ſequuntur.Noui reuocant per publicum præconē
ad certū diem eos qui erant in magiſtratu pro veteribus, qui cum ad ſtatutū tempus non affuiſſent,
pro illis creati ſunt noui magiſtratus. cum digreſſus multis pacis cupidis diſplicuiſſet, delecti ſunt à
ſenatu ſex ciues,qui conarentur adhortati veteres reliquos ne excederent,quod etiam ſuadebant no
ui promittentes fore vt populus arma deponeret,ſenatui adderētur noua præſidia,ageretur pacatius
de reformatione,ſed res priſtinæ omnem fidem ſubuertebant.digreſſis veteribus noui ſolēnibus ſa-
cris initiati promittunt palam ſe legem anni 1528.vniuerſæ ciuitati ſeruaturos,cuius beneficio ciui
tas illis eſſet reſtituta. Per eandē legem magiſtratus & populares gubernatores creāt.his actis viſum Nouorū apparatus.
eſt nihil magis opportunum,quam imperium nuper è manibus veterum extortū aliqua ratione ſta-
bilire.Fit decretum vt certa ſupplicia ſeditioſis ciuibus infligantur,& iis qui dixerint genus illud ad-
miniſtrationis non eſſe legitimum.copias conſcribunt. in caſtella Genuenſis ditionis præſidia mit-
tunt. magnum numerum militum conuocant in vrbem. omnia parant muniuntq; aduerſus arma
exterorum,ſi qua hoſtiliter importarentur.nam communis multorum erat opinio quod hi ad Gal
lorum,illi ad Hiſpanorum defenſionem confugerent:cum tamen omnes ſaluā eſſe oportere patriæ
libertatem arbitrarentur,atq; diſſenſio eſſet ſolùm de ratione gubernandi. Pontifex auditis his moti-
bus Genuenſibus vt reip.libertatis & quietis percupidus iubet Io. Franciſcum Canobium ſignificare
Genuenſibus,qui nuntius erat pontificius,legati Pontificii aduentum ad res componendas,qui erat
Ioannes Moronus Card. ille Genuam profectus controuerſiarum cognoſcit radices,cum populus
aaggregationem,noui legem ſeruari anni 1528.expoſcerēt.delecti ſunt tributim populares, qui ple
bem congregarunt in templa ad audienda ſacra Spiritus ſancti,& adhortationes ad ſeruandam legē
prędictam,& omnem aliam reformationem recuſandam,quæ à legato vel ab aliis proponeretur.id
archiepiſcopum & nuntium turbauit,quoniam ſacra loca diuino cultui dicata non erant accommo
data his rixarum adhortationibus.vt acceſſit legatus,exceptuſq; fuiſſet honorificè,delecti ſunt ſex ci
ues vtrinq; ad res pertractādas. legatus initiatus ſacris indicit in triduum ſupplicationes.petitum eſt
a quibuſdam vt omnia arbitrio legati committerentur,atq; reſponſum eſt plurimum fiduciæ ſitum
eſſe in bonitate & prudentia legati, ſed tamen obſequium & rationem regiæ obſeruantiæ non pati
vt Rex qui tandiu remp. protexerit ita negligatur præſentibus etiam eius oratoribus.noui his nō aſ-
ſentiunt,quibus ſtultum apparebat id arbitrio cuiuſquam committere,quod ſe ſperabāt fuiſſe aſſe-
cutos.illi ſuperiores bellorum apparatus cum ſpectare ad bellum veteribus viſi eſſent,ne intercipe-
rentur alii ad Finale,alii in alia loca Cæſareæ ditionis ſe recipiunt. vbi aduentaſſet tempus creando-
rum

rum exterorum magiſtratuum reipub. non parua nata eſt contentio in ſenatu an pro Garibetto illi
crearentur, vel pro lege 1528. res ad legatum defertur, qui decreuit ad nouorum gratiam vt pro le-
ge 1528. crearentur contra vota veterum. deinde cum fallaciæ nonnullæ nouorũ de proditione Sab-
batiæ diſſipatæ fuiſſent, populꝰ cœpit cogitare cõducere ciuitati vt veteres tanquã patres eius patriæ
in vrbem reuocarentur, resq; reformarentur ad omnium tranquillitatem. Sed noui recentem cau-
ſam excogitant turbandi negotii, cum accuſarint quoſdam impulſu veterum adiiſſe legatum, & con
tra decretum multa petiiſſe. coacti ſunt ita reliqui veteres diffugere ex vrbe. Decretum eſt in Hiſpa-
nia, aliiſq; in locis regiis ne Genuenſibus ſors diſſolueretur, ſed tantum prouentus, quò facilius co-
gerentur ad pacem. Miſſus eſt Nicolaus Auria ad Pontificem à veteribus, qui rationes Matthæi Gen
tilis à nouis miſſi refutaret, cum etiam plurimum cupere videretur vt arma conquieſcerent in Ita-
lia, cum quia magnos ſumptus feciſſet per bella aduerſus Vgonottos, qui eum vexabant in Prouin-
cia, tũ quia timebatur ne eius vrbis diſſidia excitarẽt graue incendium bellorũ inter ipſos principes
Italos, ex quibus non ſolùm grauiſſimi ſumptus ſequerentur, ſed etiã neceſſitas ob factionum perfi
diam vt accirentur in Italiam, qui populos ipſos adulterina religione contaminarent. poſt modo re
diſputata vtrinq;, multaq; copia orationis amplificatis rationibus, potiora viſa ſunt Põtifici iura no-
uorum. Legatus cognito diſceſſu plurimorum veterum, perturbationeque rerum ciuilium Odiſcal
cus obtinuit, vt duo mitterentur è primariis Io. Baptiſta Lercarus. & Stephanus Marius cum ampla
autoritate ad agendum cum oratoribus & legato. Hi Genuam profecti nihil ſe magis cupere quam
concordiam & rectam patriæ adminiſtrationem profitentur: quare ſe vel ſingulorum principum
oratoribus, vel amborum ſimul arbitrio omnem controuerſiam commiſſuros de iure & facto, tam
decidendi ratione iuſti & honeſti, quam iure ſtatuum & gubernationum, cum facultate mutãdi, in-
nouandi, minuendi, reformandi vt opportunum apparebit, ſalua ſemper libertate reip. Sed monen-
tur vt excedant ad deuitandas inſidias, quod vix à legato impetratum eſt. His ita reuerſis omni ſpe
concordiæ deſtituti veteres cœperunt ad arma reſpicere, quare mittunt rogatum Auriam, multiſq;
rationibus conantur perſuadere vt ſummum imperium terra mariq; rerum omnium veterum ſu-
ſcipiat, qui ait ſe non poſſe illud facere inconſulto Rege, cui militaret. Confirmatum eſt Genuæ de-
cretum vt trecenti populares aggregarentur nobilitati, quod fit magis ad obſequium, quam vt edi-
ctum exequerentur, cum res ſemper differretur, vt ſpe potius quam præmio plebs in officio retinere
tur. non apparebat nouis vtiliter tantus numerus adhiberi ad magiſtratus, ne remp. inducerent ad
popularem adminiſtrationem. vt tamen allicerentur populares decernitur à delectis nouorum vt
Populares aggregati. qui cenſerent ſe iure aggregandos nomina profiterentur apud Bartholamæũ Coronatum, qui mo
do illecebris, modo pecuniola inter pauperes diuiſa plurimum autoritatis apud plebem ſibi compa
rauerat: quæ propè omnis in veteres conuerſa eſt per cædem fratris ob fraudes ſeditioſorum. miſſæ
ſunt ad Cæſarem legationes ab vtriſq;, quę factionum nomine quererentur, & auxilium ac defenſio
nem ſi opus eſſet impetrarent. nam non parui referebat etiam ipſius Cæſaris vt res Genuenſis ſe
daretur, quia non commode poterat ad hoc negotium reſpicere, quod maxime ad ſe pertinere pu-
tabat, cum ab hoc cogitatio & ſtudium adipiſcẽdi regni Poloniæ illum auocaret, cum per maximos
ſumptus regnicolarum animos ad ſe allicere conaretur, intelligeretq; ſe poſſe parum adiumenti ab
iis principibus accipere, qui in propriis difficultatibus eſſent occupati. delectus eſt à nouis Frãciſcus
Taliacarnius ad Philippum Regem in Hiſpaniam, qui accuſationes oratoris veterum dilueret, doce
retq; remp. eum amorem & obſeruantiam ſeruare erga Regem, qua ſemper illum coluiſſet, nihilq;
quod attinet ad ipſum cultum regium eſſe immutatum. Miſſæ ſunt & ad reliquos principes Italiæ
legationes, quę de ciuium antiquorum iniuriis quererentur, docerentq; iuſtas & neceſſarias conten
tiones aduerſus illos eſſe ſuſceptas. Delectus eſt à Rege rurſus ad res componendas Marchio Vel-
leius, qui cum ægrotaret Catalauniæ, ſuffectus eſt Carolus Borgius Dux Gandiæ vir prudẽtia & bo-
nitate clarus, qui cum & ipſe laboraret ex pedibus, tardius acceſſit quàm tantæ rei magnitudo poſtu
labat. collectæ ſunt in Italia magnæ Italorum Hiſpanorumq; copiæ, quæ dicebantur modo ad Nu-
midicam expeditionem parari, modo ad Apulię Calabrięque litora aduerſus incurſiones Turcicas
protegenda: cum tamen non defuerint qui ſuſpicarentur illud impulſu & ſumptibus veterum fieri
vt vrbs tuta ſeruaretur ab inſidiis exterorum. Quidam miniſtros etiã regios ſollicitaſſe Regem per
literas inquiunt vt tam præclaram opportunitatem capiendæ vrbis ne prætermitteret, quibus Rex
aures præbere noluit. Scripſit etiam Philippus ad Cæſarem vti liceret quaſdã Germanorum cohor-
tes ad ſuos fines tuendos aduerſus Turcas colligere. Conceſſit Cæſar vt Felix Lodronius & Ioannes
Manriques viritim tria millia peditum Germanorum colligerent, quæ copiæ habitæ ſunt Mediola
ni. Veneti conſiliorum regiorum ignari, vel aliquam artem ſub his latere veriti, adaugent & ipſi prę
ſidia in ſuis finibus, quod ipſum faciunt omnes Itali finitimi principes, proſpectantes quò tanti belli
ac rerum nouarum moles incumberet. conſcripta ſunt multa millia Italici peditatus à miniſtris re-
giis. detenta nauigia Genuenſium in Siciliam vel Neapolim frumentatum miſſa, vt ad Africanam ex
peditionem. qui apparatus non ſolum conferebant propulſandis Turcarum iniuriis, ſed etiam tenẽ
dis animis Genuenſium in ſuſpicione, vt proniores fierẽt ad pacem per metum regiarum copiarum,
quibus etiam deterrebantur exteri ne Genuam occuparent, vel ſi ipſi ciues vltro ad illud faciendum
acciuiſſent, cum ſcirent omnes illuc non niſi per vim armorum eſſe penetrandum. Miſſus eſt à Phi
lippo Rege Ioãnes Auſtriacus per idem tempus, & iuſſus ad nauigation ẽ Numidicam cum magna
ala triremium ac multo peditatu, vt rem etiam Genuenſem in tuto collocaret. ille vbi ad litora Li-
guſtica applicuiſſet magnam ſuſpicionem in vrbe concitauit; quare noui vt magis etiam ſibi conci
liarent animos populares curarunt rumorem diſſipari, quòd Auſtriacus veterum impulſu ad occu

pan iam vrbem accederet, quod inde creditum eſt, quia veteres ſex oratores miſiſſent, qui rem fortunamque ſuam demonſtrarent atque cauſam commendarent, qui perhumaniter reſpondit ſibi curæ fore, vt in patriam redirent pro Regis conſilio. populus tumultus excitare. palam profiteri ſe nolle excipi Auſtriacum, ne per amicitiam proderentur, cum ſenatus tamen ne parum amicam opinionem de vrbe conciperet, legationes miſerit quæ omnia commoda offerrent, ſi cum tribus aut quatuor triremibus accederet: quia ſi cum omnibus id moleſtum eſſet populo tumultuanti. Illa tamen nouitas Auſtriaco moleſta fuit. actum eſt ab Auria cum Auſtriaco & Aymontio Mediolani præfecto Marchione conſilium eſſe veterum ſi non poſſint per honeſtam formam reformationis concorditer, velle omnino per vim fieri in patriam redire, quod erant facturi propriis ſumptibus, quod tamen non fieret ſine Regia licentia, & niſi conceſſum eſſet Auriæ patriæ militare. Miſſus eſt hac de cauſa Oſcouedus in Hiſpaniam, dum Auſtriacus Neapolim nauigaret relicto Auria cum ſuis & priuatorum Genuenſium triremibus in eo mari. at Maximilianus Imperator, qui iam ab initio horum tumultuum Chriſtophorum Sigiſmundum Remerium equitem virum bonum ad res componendas conuolare iuſſerat, atque cognitis literis reuocauerat iam accinctum ad iter & ocreatum, quibus ſignificatum eſſet deinde omnia pacata eſſe Genuæ, ciueſque concorditer viuere, vbi denuò cognouiſſet per certum nuntium tumultus maximè vigere, delegit ad res placandas Petrum Faunum Coſtacciarium principem imperii epiſcopum Aquenſem, & Vitum Dorimbergenſem ordinarium oratorem ſuum apud ſenatum Venetum, virum prudentia atque omni laudum genere clariſſimum, ambos Cæſareos conſiliarios: qui iuſſi ſunt magna diligentia Genuam conuolare. Sed quoniam non apparebat eſſe imperatoriæ dignitatis, vt oratores ſingulatim in vrbem ingrederentur, Vitus peruenit ad oppidum Aquas ad epiſcopum. Illud fecit Cæſar quod omnia cognouiſſet ex Auguſtino Spinola, qui fortè erat Iuliobonæ partim commotus imperii autoritate, partim etiam deſiderio quietis Chriſtianorum, cum alii principes iam legationes miſiſſent. mox ambobus oratoribus Genuam accedentibus fiunt obuii duo procuratores. Illi ſunt Ducis dignitate olim inſigniti, cum Dux creetur ad certum tempus apud Genuenſes. Effuſa eſt obuiam magna nobilium multitudo Genuenſium, & Germani alabardiferi, qui longo ordine vtrinque ſtipabant. ad ſcalarum aſcenſum quatuor ſenatores illos exceperunt, qui vbi ſcalas aſcendiſſent habuerunt obuium Ducem cum multis ſenatoribus per multum ſtrepitum bellicorum tormentorum. In ſenatum admiſſi in hunc modum locutus eſt Dorimbergenſis; Sacra Cæſarea Maieſtas benigniſſimus atque clementiſſimus princeps tanquam princeps ſacri Romani Imperii pro ſua multa prudentia, exactiſſimaque vigilantia, cum diuina Maieſtas ſuis humeris impoſuerit grauiſſimum onus imperii Romani, ſæpe ſolet proſpicere atque videre tanquam prudentiſſimus paterfamilias principatus, regna, prouincias ſuas vt paternè omnis conditionis homines gubernare poſſit, quorum ſalus ſuæ diligentiæ innititur. Inde effectum eſt vt cum per multos nuntios cognouerit hanc ciuitatem obſeruantiſſimam ſemper Maieſtatis ſuæ, ſacrique imperii Romani factam eſſe languidam atque infirmam propter diſcordias, diſſenſioneſque ciuiles, quibus diſtrahitur ac plane perturbatur magno cum ciuium periculo & æquitatis atque inueteratæ fruitionis libertatis, adminiſtrationiſque pacatæ, quietæ, atque tutæ ſingulorum membrorum, quæ illi ſubiiciuntur, ſua Maieſtas mirificè doluit tanquam pater, qui fert moleſtè dilectorum filiorum offenſiones. Commotus itaque pio deſiderio, quo ſolet anima vitalem ſpiritum membris infundere præcipuæ dignitatis, continuò benignum & gratiæ plenum oculum retorſit ad huius afflictæ & infirmæ ciuitatis corporis curationem, & recuperationem ſanitatis, atque imperauit Chriſtophoro Sigiſmundo Remerio equiti viro bono atque prudenti miniſtro ſuo & in primis perito negotiorum vt Genuam accederet, cognoſceretque res omnes, & conaretur perſuadere, hortari, monere ciues vt depoſitis ſimultatibus, quæ inſtituta iuſtitiamque euertunt, qua pace concordiaque conuenit viueretur. Diuerſi Maieſtati ſuæ reſponderunt quod hæc ciuitas quietè, pacatè, concorditerque viueret, quod cum Cæſar credidiſſet maximum gaudium cepit. Sed non multo poſt factus certior per alios nuntios radices malorum non exaruiſſe, atque eiuſdem ruinæ vigere periculum, ſua Maieſtas cupiens accenſum ignem penitus extinguere continuo nouos miniſtros creauit, qui Genuam profecti cognita veritate hortarentur ad pacem & concordiam & pacatam iuſtamque coniunctè adminiſtrationem. Repetitum eſt per literas vanos eſſe rumores, vrbemque ipſam eſſe tranquillam, quare non ſunt miſſi miniſtri. Perſcriptum eſt denique & pro re certa confirmatum quòd hæc vrbs in magna diſsenſione verſaretur, conſtitutaque eſset in euidentiſſimo ruinæ periculo, quod cum ita eſse fuiſset cognitum, principeſque alii ſuas legationes miſiſsent, ſua Maieſtas intelligens ad ſe præcipuè, & ſupra omnes alios principes ſpectare, vt protegeret filios, & membra ſacri Romani Imperii, cum non poſset æquo animo tantam ruinam pati, primùm ne ſua dignitas, ſupremaque autoritas minueretur, deinde ne fieret id cum ipſius reipub. excidio, ac ne porta aperiretur vt ita dixerim ad ruinas, & cladem multis rationibus totius Chriſtiani nominis, vt pater benigniſſimus, & omnium æquè princeps, & preſertim animo in hanc rempub. propenſo, nobis ſuis commiſsariis impoſuit vt citò Genuam conuolaremus, ſuoque nomine moneremus vt obliteratis prorſus odiis offenſiſque & propriis rationibus poſthabitis concordes & coniuncti eſsetis; ſeruatiſque iis quæ debentur ſupremæ dignitati, & autoritati Cæſareæ libertatem conſeruaretis, haberetiſque quietam & pacatam adminiſtrationem, & omnis conditionis hominibus tutam. Vt autem hoc fiat alacrius ſua Maieſtas vobis reuocat in memoriam quòd omnes ciuitates, principatus, prouinciæ, regna, ob ciuium concordiam diutiſſimè conſeruata ſunt.

Diffidentia Genuenſiũ.

Procuratores Genuenſiũ qui ſint.

Viti Dorimbergẽſis oratio.

ſunt, ſæpeque dilatata etiam & aucta: at contra ob ciuiles diſsenſiones facta ſunt debilia & minora, vel in ruinas & ſeruitutem collapſa. Sua Maieſtas igitur quæ nullo proprio commodo ducitur, ſed ſolo deſiderio defendendæ libertatis & quietæ tutæque adminiſtrationis huiuſce ciuitatis vos hortatur vt quiſque veſtrum ad omnium beneficium alienum potius exemplum ad conſeruationẽ veſtram, filiorumque poſterorumque omnium aſſumat, quam ad poſteros fędum exemplum ruinæ, calamitatumque veſtrarum tranſmittat. Tanquam filiis igitur ad beneficium, & ſtabilimentum veræ concordiæ & pacis offert omne genus defenſionis. nobis autem commiſſariis poteſtis commodè impartire negotii ipſius rationem vt pro inſtitutis concordiam procurare poſſimus, atque commune beneficium. nam cum delecti fuerint ad pacem viri, non ceſſabimus cum ipſis agere, & quibuſcunque exiſtimabimus opus eſſe ad hoc negotium tranſigendum inuigilare, vt quam citiſſime fauillæ extinguantur eius incendij, quod per moram ita poſſet excreſcere, vt neq; multorum quidem prudentia illud poſſet extinguere. Noſtræ erũt partes vt certiorem faciamus Cæſaream Maeſtatem de omnibus rebus, & in primis de humanitate, qua nox excepiſtis & tractatis, vt ea in miniſtros Cæſaris à Cæſare ipſo laudetur, pro qua immortales vobis gratias agimus. Patres his auditis verba pleniſſima obſequii erga Cæſarem reſponderunt, cui gratiæ actæ ſunt à Principe pro optima erga ciuitatem voluntate & beneficentia. Non eſſe tantas tamen reipublicæ perturbationes addidit, quantæ fortaſſe fuiſſent delatæ cum nihil ſanguinis ex alterutra parte ſit profuſum. Plena fuit oratio indignationis in veteres ciues. Conqueſti ſunt etiam Cæſaris oratores quod actum eſſet de controuerſia principibus committenda, nulla facta Cæſaris mentione, cui res illa maximè conueniebat, quibus reſponſum eſt à Duce pro ſenatu neminem fuiſſe in vrbe pro Cæſare. actum eſſe cum iis qui aderant. Sed tamen rempublicam & eſſe & fore ſemper obſequentiſſimam ſacro Romano imperio. Vbi delata fuiſſet ad veteres nouorum accuſatio & ipſi magnopere conqueſti ſunt per legationes de iniuriis nouorum, qui in ipſis orationibus vtriq; ſæpius Cæſarem ſupremum Dominum vocarunt, & vrbem amborum patriam quaſi membrum imperij. Plena fuit item veterum oratio odii in nouos ciues. mitigati ſunt tamen animi vbi dicerent commiſſarii Cæſarem eſſe adiuturum & conſeruaturum quos viros bonos eſſe intelligeret & propriis viribus & pro amicitiis cæterorum principum, cum tamen habeat vires & animo & autoritati pares, quæ omnes eſſent ad tuendam æquitatem conuertendæ. Nec ita multo poſt Vitus Dorimbergenſis in moleſtiſſimam febrem incidit, quare cum rebus intereſſe non poſſet, propter magnitudinem ingenii ac peritiam multarum rerum, nihil tamen illo inconſulto Aquenſis epiſcopus agebat. Sed quoniam commiſſarii nomen moleſtiſſimum accidiſſet vniuerſæ ciuitati, quia timebatur ne illud nomen repugnaret libertati, petitum eſt ab oratoribus diploma, & illud datum quatuor iuriſconſ. perpendendum. additi ſunt exploratores familiaribus oratorum, qui niterentur elicere quid commiſſarii haberent in mandatis. Vbi diploma fuiſſet diligenter conſideratum, miſſi ſunt duo gubernatores & duo procuratores qui tarditatem reſponſi excuſarent ob multas occupationes, gratiaſque rurſus egerunt Cæſari. illud nomen quod pleriſque videretur moleſtum, quia commiſſarii niſi ad ſubditos non mitterentur, Moronus & Idiaquecius nitebantur perſuadere non eſse grauiter ferendum. Illa Genuenſium ſuſpicio cum delata fuiſset ad Cæſarem per literas oratorum, perſcripſit ad ſenatum ſe nihil aliud cupere ſeruata dignitate & autoritate ſupremæ poteſtatis imperatoriæ, quam illam rempublicam protegere & defendere; neque vnquam cogitauiſse opprimere vel obſcurare libertatem Genuenſium, quam vellet potius vendicare ab omnibus oppreſsuris. Dum Gandiæ Dux podagra & febre laborans in extremo litore Hiſpaniæ moratur per literas ſe excuſat apud Regem cur tardior accederet ad negotium pacis. oratores quoque ipſi, qui nitebantur paulo ante perſuadere Genuenſibus leue eſse nomen commiſsariorum cum & ipſi ſuſpenſo eſsent animo, ac de illa re ad ſuos principes ſcripſiſsent, frigidius quam antea cum his negotiabantur. Noui interim ne videri poſsent palam paci repugnare, vel inuiti ob principum reuerentiam duos viros deligunt, qui de componendis rebus tractarent, cum tamen omnia pararent defenſioni neceſsaria, pecuniamque & commeatum & copias colligerent. & quia verebantur ne vires Hiſpanæ ad veterum defenſionem inclinarent, oculos conuerterant ad Cæſaris gratiã promereri ſtudentes & literas huiuſmodi conſcripſerunt; S. C. M. Iam diu, ſicuti ad Maieſtatem tuam delatum eſse arbitramur hęc reſpublica ciuilibus diſsenſionibus vexatur. atque dum animos aduerſariorum noſtrorum putauimus non tam differre à noſtris, & ab æquitate ſimul vt ruina ſequi poſſet, ſed potius vt forma breui inueniretur ad quietem & omnium communem voluntatem, non eſt viſum conueniens aut neceſsarium noſtris iuſtis querelis Maieſtatem tuam infeſtare. Sed cum appareant nunc res eò perductæ, vt cum iniquitate atque violentia, qua in nos vtuntur immineat excidium reipublicæ, quod poteſt contrahere alia maiora incommoda in Italiam, vniuerſumque Chriſtianum nomen, viſum fuit noſtrarum partium Maieſtatem tuam certiorem facere, vt ad quem rerum noſtrarum tutela maximè ſpectet. Sic iniunctum eſt ciui noſtro Auguſtino Spinolę vt omnium nomine hoc fungatur officio. ſupplicitei petimus à Maieſtate tua vt gratam audientiam præſtet, & eam credulitatem, quam nobis ipſis præſtaret, atque cauſam noſtram coniungat cum ſuo largo atque benigno fauore vti ſuæ benignitati & amplitudini confidimus, debeturque noſtræ deuotioni erga ſuam Cæſaream coronam, quam Deum fortunare rogamus & extollat, ſicut Chriſtianum nomen indiget, & nos ardenter optamus. Cæſar his literis acceptis veterum ciuium perſcripſit ad ſuos commiſsarios vt pari charitate veteres atque nouos ciues complecterentur, cum oratores ipſos miſiſset Genuam vt contentiones componerent, quæ inter Genuẽſes vigerent. Illud ita fieri oportere ne qua ſuſpicio nouis ſuboriri poſset qđ Cæſaris voluntas in hanc partem magis quã in illam eſset propenſa; quod omniũ ciuiũ ęquè eſſet pater, cum

Commiſſarij nomen inuiſum.

Literę veterũ ad Cæſ.

cum omnibus æque iuſtus & bonus princeps & pater eſſe ac videri vellet. ſcriptæ ſunt etiam literæ ad nouos ciues, quibus eos Cæſar hortabatur ad cōcordiam. Multi ſermones interea Finali inter veteres agitabātur, quòd variæ eſſent ſententię. Nā aliis apparebat quouis modo rē cum nouis oportere componi. alijs videbatur parcendum eſſe pecuniæ, neq; rem per arma & ſumptus eſſe tentādam. Aliis, quibus honor & exiſtimatio apparebat precioſior rebus omnibus, videbatur turpiſſimum ſi illud exiliū æquo animo paterentur, neq; per omnem glorioſam occaſionē reditum in patriam ſibi aperirēt, recuperarentq; per vim armorū illā libertatem, quam à maioribus per tot pericula & ſumptus partā accepiſſent: idq; facerent imperatore aliquo ſuorum ciuium, vt illuſtraretur fama propè obſcurata per ſuperiores ſucceſſus, ac cæteri deterrerentur in poſterum ab omni inſolentia. Sed quoniam iſtud fieri ſine concordia & coniunctione animorum ob multos bellicos ſumptus alii ægrè ferebant aliorum tarditatem, atq; in primis id videbatur moleſtum Auriæ, quia non multi apparerēt aſſentiri, quod erat vt rempublicam conſeruaret in eo ſtatu, in quo fuerat à principe Auria relicta, nobilibusque antiquis ſua dignitas conſeruaretur inuiolata aduerſus ingratos ciues: quamobrem omnes timidiores ad coniunctionem animorum cohortatur, & ad arma capeſſenda vnicum remedium redeundi per honeſtas artes in patriam. Tanra efficacia verborum fuit, vt omnium animi impulſi ſint ad illam expeditionem ſuſcipiendam aut adiuuandam, quare decernitur negotium eſſe aggrediendum. Noui item per hoc ferè tempus collegerunt quoſdam Germanos ad vrbis cuſtodiam, quibus cum iter à Remerio fuiſſet interdictum, commiſſarii literas dederunt, vt illis aperiretur flagitantes. At quoniam eſſet auditum plurimos Turcas periiſſe Byzantii per magnam vim peſtilentiæ, claſſemque Turcarum hoc anno vel nullam exituram, vel certè non valde formidabilem, iam rumor inter Chriſtianos diſſipatus fuerat eſſe Hiſpani Regis conſilium vt quam maxima claſſis ad Africæ deuaſtationem nauigaret, ad expugnandamque Iuliam Cæſaream, ad recuperandam munitionem, quam Turcæ poſt diſceſſum Hiſpanorum dicti ſunt muniuiſſe, & ad vrbem Tunetum ſolo æquandam, quo munitio omnibus commodis deſtituta neceſſariò veniret in poteſtatem Chriſtianorum, ad Vticamq; vrbem diligenter muniendam, & ad portum Farinam vocatum, ne claſſis Turcica in poſterum ad Africæ litus appellens, poſſet illi portui propinquare. Illo conſilio dicta ſunt tria laternarum, octo falcium millia parata fuiſſe ad decidēdas arbores partim Neapoli, partim Mediolani: & batilli præterea, & præacuti vnicornesque ligones, & ſcalæ multæ, & ferrea triangula ad retardandum iter equitatus ac peditatus, & lignei pontes, & tabulata, quorum beneficio protecti milites mœnibus propinquarent.

Apparat⁹ Hiſpani ad Africā expugnādam.

Copiæ quæ in agro Laudipompeiano & Mediolani erant in æſtiuis ſuſpicionem excitabant in Italia occultæ cuiuſpiam expeditionis, timebaturque ne veterum impulſu ad Genuæ expugnationem verterentur. Ioannes Auſtriacus per illud tempus cum quinquaginta triremibus nauigans in mari Tyrrheno Neapolim verſus è longinquo ſe vrbi Genuæ cum claſſe oſtentat. Genuenſes veriti claſſem Hiſpanam ad occupandam vrbem conuenire magna trepidatione repleti ſunt, atque ad arma vbique conclamarunt. magnus fit armatorum concurſus cum ad triginta millia mortalium eſſent in armis. portus ac mœnia armatis complentur. nam ſignificatum fuerat per ſeditioſos pleriſque primariis Genuenſibus Auſtriacum veterum perſuaſionibus & illecebris allectum impatientem priuatæ conditionis ad eius vrbis prinripatum aſpirare, cum ita impelleretur deſiderio imperandi vt non intelligeret verba Genuenſium plurimum differre ab eorum voluntate. Nam Genuenſes profugi illi blandiebantur quo protegerentur eius armis, quæ tunc plurimum poterant. at Auſtriacus propria vtilitate ita captus fuit, vt nimis etiam ſe ferri deſiderio paſſus ſit, quare in aliquam regiam indignationem prolabitur. Cæterum vbi Neapolim cum claſſe acceſſiſſet, excipitur cum magno totius vrbis applauſu. At non multo poſt conuocatis vrbanis magiſtratibus Regis nomine petiit bellica tormenta, quæ ſunt populi ad Diuum Laurentium in vſum claſſis, quibus populus ad ſuam defenſionem vti conſueuit. Petiit pro ſingulis focis vt ſinguli Philippæi diſſoluerentur. Vt proceres ternos ſaltem Philippæos in ſingula centena ſemel tantum ad regiam defenſionem Regi aduerſus vires Turcarum, & Belgicas ſeditiones de religione erogarent.

Neapolitanorum reſponſum ad Auſtriacum.

Huic reſponſum eſt tormenta nullo pacto videri à populo petenda, ne metu quæſitionis excitaretur. Poſſe fieri alia tormenta, pro quibus populus diſſolueret pecuniam. Neapolitanos maximas largitiones Regi concedere quo ſint liberi, & immunitates conſeruentur. Proceres ob largitiones & præfectos regios, quos ſuſtentarent, eſſe exhauſtos. Regi ſufficere quod ad omnia mandata eos promptiſſimos haberet. ſe rogare Auſtriacum vt precaretur Regem vt aliquam rationem haberet illorum miſeriarum, cum optimè ſciat quantopere ab vniuerſo regno colatur & obſeruetur. Interea tumultus, diſcordiæque Genuenſium omnes ferè Chriſtianos principes ad expectationem rerum nouarum in Italia erexerant, atque alii timebant Italicæ tranquillitati, alii putabant eos tumultus radices tetendiſſe, per quas accirent exteri principes ad vrbis defenſionē, quod hi putarent Hiſpanas, illi Gallicas partes promptis animis complexuri. Idcirco effectum eſt vt cum Pontifex, Cæſar, Rex Hiſpanus oratores ſuos eò miſiſſent, Henricus quoque Rex eius vrbis quietis cupidus, quoniam Liguriam ſciebat aliquando fuiſſe Regum Gallorum, optabatque libertatem vrbis conſeruari, Marium Biragum & Galeazzium Fregoſum miſerit cum duabus triremibus vel dubius an orator admitteretur, qui Regis & Reginæ matris nomine omne genus auxiliorum offerrent, & vel Regem ipſum ſi opus ſit venturum ad defenſionem. Marius magnificè hilariterque exceptus admiſſus in ſenatum vſus eſt officio ſanè quod ad Regem ipſum attinet perbenigno & humanitatis pleno; ſed vt inter præſentes ſeditiones planè turbulento & pleno ſuſpicionis, nam copias, pecuniam, commeatum abundantem è prouincia Narbonenſi pollicebatur, & omne genus auxilii, atque Regem ipſum ſi opus ſit venturum. plurimum illi Regi diſplicuiſſe illas differentias, atque

Orator Galli Regis.

vrbanas contentiones cum ipſam rempublicam proſequatur magna beneuolentia: Birago ingentes gratiæ pro Rege actæ ſunt à ſenatu cum explicatione optimæ eius vrbis erga Regem voluntatis. Non defuerunt qui optimum Regis officium in malam partem acceperint, arbitratique ſint illud proceſſiſſe potius è magnitudine deſiderij ipſius vrbis, quam ex vllo iure beneuolentiæ, quamuis regiæ vires eſſent imbecillæ ob diuturnos Gallicos tumultus. At Fregoſus ſuperioribus annis exilio eiectus ob ambiguam fidem patribus ſuſpectam, reliquique Galli Regis miniſtri, dicti ſunt infenſi Hiſpano nomini curaſſe pro viribus odioſum facere commiſſariorum nomen, quod eſſet contra libertatem, multa contra aliorum principum miniſtros effutiſſe, conatique eſſe reddere inuiſos Cæſarem & Hiſpanum Regem, vt qui libertati eius vrbis per ſimulatam beneuolentiam inſidiarentur. Gallus orator tametſi poſt octauum diem ex vrbe exceſſit partim placidis verbis, partim moleſtis acceptis, tamen res illa non paruam ſuſpicionem attulit cæteris principibus. verebantur enim plerique ne popularis adminiſtratio Gallos in vrbē introduceret, quod veteribus non parum profuit, qui euidentibus rationibus Regi Hiſpano & miniſtris regijs proponebant pericula reipublicæ. Nam quamuis Saolus ordinarius orator apud Regem conaretur ab illa ſuſpicione deinde reuocare, qui demonſtrabat rempublicam ſeruaturam in ipſum Regem obſeruantiam, tamen non potuit prorſus ſuſpicionem delere. Regij miniſtri ex altera parte copias collectas ad fines agri Genuenſis perducunt, & in ſtationes diſtribuunt: quæ vbi eſſent cognita in vrbe à nouis, præfecti ſunt quinque viri cum ſumma autoritate rebus bellicis, quorum princeps fuit Coronatus ob autoritatem, qui omnia defenſioni neceſſaria compararent. miſſi ſunt ducenti pedites in oppidulum Sabbatiæ, ac totidem Nouium. multi finitimi Genuæ milites vrbem ingrediuntur, qui vnà cum ciuibus commiſti excubarent & militaria munia exercerent. Cognita deinde ſuſpicione Regis Hiſpani per literas Saoli, atque vt accuſationes veterum dilueret delectus iuſſus eſt celeriter in Hiſpaniam accedere, qui doceret Regem veteres non vi eiectos fuiſſe, ſed exceſſiſſe ſponte propriaque ambitione, qui cum multo eſſent pauciores, tamen non poſſent parem æquitatem ferre cum cæteris ciuibus, odioſaque nomina nouorum & veterum alerent in vrbe per Garibettum nuper abrogatum. recreauit non nihil animos nouorum inter hos metus humanitas Auſtriaci qui conceſſis duabus onerariis frumentatum miſſis in Siciliam, vt onuſtæ Genuā nauigarent, cum prius fuiſſent detentæ. non enim apparebat bellum minitari, qui iuuaret commeatu. atq; legationes nouorum apud Cæſarem rurſus non carebāt aliqua ſuſpicione cum tractarentur humaniter, cum viderent Spinolam ab eodem Cæſare frequenter & placidè audiri. diuerſæ erant tamen opiniones in vrbe, quia noui timebāt bellum, quod vndiq; parari audiebatur; at ſeditioſi plebis moderatores timebant pacem, per quā & per concordiam nullā autoritatē erant habituri. at Gallorum Rex auditis copijs, quæ ad fines Genuenſium conceſſerant, non tulit illud æquiſſimo animo, ſed palam profeſſus eſt ſe fore quietum ſtante libertate; ſed ſi quis eam vellet opprimere aut violare, ſe omnino eſſe defenſurum propter iura quę habet in illam ciuitatē, rebus Gallicis interim quoquo modo cōpoſitis. & iam Sauilianū Pinarolumq; oppida Allobrogum Duci aſſignata retardata fuerant, quod moleſtum fuit Regi Hiſpano. ſed qm̄ plurimi ſumptus bellici iam fiebāt vtrinq; in præſidia, & copias quæ alebantur, ne illi oēs in detrimentum nouorum tātum redundarent, veteresq; forent immunes, proponitur publicè edictū Genuæ vt veteres profugi oēs cum familiis redirent in vrbē ſub pęna omnium extraordinariorū ſumptuū, qui fiūt à rep. ad ſui defenſionē per abſentiam ciuium. Veteres contra ne præſentes ſumptibus aſſentire videātur ſub pęna iacturę omniū bonorum & capitis, euocant reliquos oēs ciues veteres qui eſſent in vrbe, quare oēs ferè puberes exeunt. Heluetii quoq; auditis his rerū Genuenſium perturbationibus legationes ſtatim miſerunt, quæ quinq; millia peditū Heluetiorū offerrent per quinquenniū propriis Heluetiorū ſtipendiis militatura, ſi tm̄ perpetuum fędus cū Heluetiis inirent. actę ſunt gratiæ, ſed nihil cōcluſum. oratores de pace modo cum his, modo cum illis agunt, ſed nihil concluditur, quia res inter illos cōuenire nullo pacto poterat. Erat contentionis ſumma inter hos ꝙ veteres ita reip. adminiſtrationē inſtitui oportere ipſa dicebāt, vt pares vires haberēt, totidēq; ſuffragia ad ipſos, quot ad nouos peruenirēt. Verebantur enim ne multitudine nouorū ſuffragiorū omnis ſua potētia & autoritas in rep. obruereī: at nouis hoc videbatur indignū vt multo plures parē haberent tm̄ numerum ſuffragiorū, cum lex anni 1528. oēs ſcriptos in libro ciuitatis vnius ordinis eſſe iubeat. cōfirmabātur vtriq; in ſentētia multis rationibus. Veteres ꝙ eſſent opulenti. quod amicæ copiæ non contēnendę eſsent ad fines. quod vetuſtate nobilitatis eſsēt ſtabiliti & autores nobilitatis cæteris, ad quā antiquā magis apparerent animi principū ſemper debere eſse propēſiores. Noui, ꝙ vrbē haberent in poteſtate egregiè munitā, quod legē Reformatorū propitiā, quod populū & oēs ſubditos fauentes. ꝙ bellicos apparatus permultos, quibus ſperarēt ſe poſse ab omni externa iniuria defendere. at quia bellorū incendia paulatim apparerēt in Italia conſurgere noui iubent oratorē miſsum in Hiſpaniā præter res prædictas excuſationē afferre de trāſitu Auſtriaci, docereq; ꝙ res nō eſset armis, ſed poti⁹ iure decidenda. Veteres cognito abſceſsu Taliacarnii decernunt legationes & ipſi mittere ad Regē, deligūt itaq; Stephanū Marium & Balthesarē Lomellinū, qui tanta diligentia triremi vecti ſunt, vt prius auditi ſint quam Taliacarnius, qui biduum ante acceſserat. Procurauit Saolus ne tanquam legationes exciperentur, qui tamen eo nomine fuerunt humaniter excepti. deinde expoſuerunt veterum iura, & dixerunt æquum videri vt qui per ſummam iniuriam eiecti è patria à ſubditis fuiſsent, iidem per leges & arma iuſtorum principū in patriam reuocarentur. non eſse tam fędū exemplum ad exteras nationes & ad poſteros trāſmittendū vt ea ciuitas, quę potētiſſimos principes ſanctiſſimè coluiſset, quę oībus officiis pro viribus ipſum Regē proſecuta fuiſset, quæ obſequentiſſima patri Philippi Regis fuiſſet, neq; alia de cauſa calamitates domeſticas pateretur, niſi ob nimiam liberalitatem & benefi

Edicta nouorum.

Heluetiorū legationes.

Contētionis Genuēſis ſūma.

Veterū legationum oratio.

centiam in ſuos ciues, nunc nullis auxilijs ſubleuaretur vbi nulla aduerſaria timenda eſt potentia,
cum neminem præterea habeant illi ciues, in quo rerum omnium ſuarum ſpem collocarint. his ad-
did erunt ciues ob immoderatam nouorum inſolentiam exiuiſſe neceſſariò ex vrbe poſt abrogatio-
nem Garibetti, quæ per vim armorum facta eſt contra fidem oratori Regio datam. Se procurauiſſe
aſſiduè omni honeſta ratione res vrbanas ſedare & componere, quo honeſtè ac tutò omnes patriæ
tranquillitate perfruerentur. quod etiam poſt diſceſſum factum eſt, vt redire poſſent, quod ni-
hil profuit vel per miniſtros principum. additæ ſunt & multæ aliæ rationes, ſed illa in primis, quòd
cum nullum remedium inueniſſent ciuile, & honore, & amore patriæ impulſi cupiebant vt per Re-
gem liceret illud vi armorum experiri, quare flagitabant vt Ioanni Andreæ Auriæ liceret cum ſuis
& factionis veterum triremibus ſuſcipere ſummum imperium eius tam iuſtæ, tamque neceſſa-
riæ expeditionis, vtque liceret milites colligere, & commeatum ac bellicos apparatus è locis regijs
conuehere. demonſtrabant quòd plurimum conferebat ad conſeruationem regiorum principatuū
in Italia vrbem illam habere obſequentiſſimam, cum Genua quaſi porta ſit Italiæ ad nauigantibus
ex Hiſpania, quam vrbem multi exteri principes ſi poſſent quauis neglecta difficultate occuparent.
quod non videbatur poſſe ſperari eadem obſeruantia erga Regem dum præeſſent populares, qui ſua
ptè natura ſunt inſtabiles, & in Gallicam factionem magis propenſi, cuiuſce rei non leue eſſe argu-
mentū quod etiam Rex Gallorum legationem miſerit de offerēdis auxilijs, & trepidationē propter
Ioannis Auſtriaci aduentum, cum tota vrbe ad arma eſſet conclamatum, quod haberent ſuſpectam
& parum amicā fidem Hiſpanam. nouos ciues per multos annos vel poſt Garibettum tacuiſſe quā-
uis eſſent plures, dum floruit recens Auriȩ principis beneficij memoria, prȩbuiſſeq; debitam veteri
bus & benemeritis reuerētiam, quod factum eſt donec potuit plus in eis vel ratio æquitatis vel ſimu
latio, quā cupiditas imperandi. Sed his omnibus poſtea virtutibus reiectis cognitas fuiſſe multas con
iurationes aduerſus remp. quarum principes fuerūt vel noui vel populares etiam ſimul miſti, vt Cæ
ſar Fregoſus, & Calcagninus, & Fliſcus, & Iulius Maſſa, & Volacera, Granura, Fornarius Dux, quod
certè nulla alia de cauſa factum fuit, niſi vt veteres per inſidias nouorum ab adminiſtratione exclu-
derentur. facilè eſſe vrbem capere, ſuiſq; veteribus dominis reſtituere, cum populus ſit ſuoptè inge-
nio inſtabilis ac leuis, qui defertur deſiderio rerum nouarum propter lucrum tanquam nauis ſine
nauclero quocunq; aura lucri aſpirauerit, ac non mediocriter pertæſus ſit nouorū magiſtratuū, qui
etiam ſit per arma reditum veterum adiuturus. nam veteres ſi minus potētem, ſuam tamen habere
in vrbe factionem, cum etiam è nouis non omnes ſint ingrati. niſi cogantur per metum aliorum
nihil eſſe difficilius quam vt noua auxilia nouis accedant. Inuitare ipſum Regem ad hanc tam iu-
ſtam prouinciam adiuuandam propriam vtilitatem, quoniam imperātibus veteribus poſset carere
non modo periculo, ſed etiam ſuſpicione ob antiqnam obſeruantiam, & propriam ſingulorum vti
litatem, quā percipiunt è principatibus regijs. at contra Taliacarnius procurabat accuſationes diluo
re, animum Regis à veteribus alienare, demonſtrare nihil diferre illi abeſsent ne vel adeſsent in vr-
be, quæ erat quieta, rectiſſimèq; gubernabatur. veteres digniores eſse eo exilio, quod ſibi ſponte ele
giſsent, quam regijs auxilijs, ſine quibus certè neq; auderēt neq; poſsent arma mouere, ſed quieuiſ-
ſent, ac redijſsent deniq; in vrbem. Illud maximum eſse argumentum quod omnia legitime guber-
nentur, quod ſubditi ſpontè parēt ſolitis magiſtratibus. Rogant ipſum Regem vti perſeueraret pro
tegenda rep. & ſenatu, at non priuatis, quos potius à ſe repellere conueniret, ſi ſine ſenatus autorita-
te de rep, tractare conarentur, cum lege vetitum ſit illud, quod non Genuam ſolum, ſed vniuerſam
Italiā & omnes vrbes Chriſtianorum vexare poſset. Quod autem probabilè ſit vrbē in antiqua er-
ga Regem obſeruantia perſiſtere multa eſse poſsunt argumento, ſed in primis ratio acceptorum be
neficiorū, deinde neceſſitas. Illud maximum eſse beneficium quod libertas inſtituta eſset felici, Caro
li Quinti Imp. Max. patris ipſius regis auſpicio, à quo toties defenſa eſt per validiſſimas copias ab in
ſidijs conantium illā opprimere. Deinde tantum incrementum per illum cum acceperit, fieri non
poſse inquiunt vt non plurimum Regi debeāt, niſi ingrata vrbs & immemor beneficiorum dici ve
lit, quod ſi cōmittatur, indigni ſunt Genuēſes qui homines ſint, ne dum qui ſint liberi. Quod ſi nul
la in ijs eſset humanitas, tamen vel inuitos neceſſitas ad illud poſset impellere; quoniam qui incum
bunt gubernaculo reip. tot habent, tantaq; negotia in regnis ac principatibus regijs, quot & quanta
qui patriā reliquerunt. atq; illud patet in primis quod cōuectio lanarum ex Hiſpania, ſerici è regno
Neapolitano, frumentatio è Sicilia fit ex illorum facultatibus, cum multa nūmum millia quotānis
eò transferant, præter Mediolani, Anuerpiæ, reliquorumq; locorū ac regionū negotia. atq; vt omit
tatur, quod hȩc locupletāt regia vectigalia, nemo prȩeſt reip. qui nō habeat tanquā aſſiduos obſides
filium vel fratrē vel affinem in ipſis locis. Nā nequid horum per perfidiā amittatur, quis non videat
neceſsario in officio eſse perſiſtendū? Poteſt quiſq; illū putare ſibi verè omnē felicitatem optare, cū
quo ſalus & opes & amplitudo cōſiſtat vel cadat. His additur vanos eſse rumores, qui de Gallis diſſi-
pati ſunt, cum Gallus eodem propè die audientiam & abeundi veniam acceperit: cum Gallos ad-
mittere nihil aliud eſset, quàm perdere libertatem, pro qua nemo vitam ſanæ mentis profundere
dubitauerit. cum etiam Gallorum amicitia poſset polluere incontaminatam religionem per aduē
tum Vgonottorum, atque nimis difficiles eſse ciuiles controuerſias, ne dum diſceptationem de re-
ligione adiungere. Illorum cauſam, nec iuſtam nec honeſtam eſse patere qui vrbem reliquerunt,
quoniam defenſio repugnat ipſius vrbis inſtitutis, & diuinis atque politicis legibus, & naturæ ra-
tioni. Aiunt veteres oportere ſe eſse ſuperiores in reipublicæ adminiſtratione, atque omne ius ad-
miniſtrationis habere cum ipſi ſint vix quadringenti, at noui plures mille & centum aſſiduè in
vrbe habitantes. Illis, cum dimidium ſuffragiorum poſtulent, non venit in mentem quod omne

regnum in ſe diuiſum deſtruetur, cum Deus Apoſtolos pares eſſe voluerit. ac leges eodem modo. Hi in ordine optimatum iſtud vituperant, quòd remp. corrumpat. leges Genuenſes deteſtantur. laudāt ſeditiones, ad quas euellendas anno 1528. reformata fuit adminiſtratio. Nam tota vrbs octo ciues veteres, & quatuor nouos elegit, qui omnes vno conſenſu leges vrbis inſtituerunt, omnesque nobiles in vnum coniuncti ſunt, & veterum ac nouorum ciuium, & factionum nomina deleta, vt omnes haberentur pari dignitate & conditione, vt apparet è conditionibus ſuarum rationum. Perſpicuum eſt quòd petitur contra leges vt vrbs diuiſa ſit. Vt impares ſint ciues. Vt dimidium ſuffragiorum pauciores ciues aſſequantur. Tam autem legum latores cupiuerunt euellere diſſenſiones & vnum corpus efficere, vt cum eſſent plures centum & quadraginta familię, illas perduxerint ad viginti & octo. Non quòd hæ forent nobiliores, antiquioresve cæteris, ſed quod plures domus eſſent apertæ in vrbes, atque in has familias deſcripti ſunt Aggregati. Patet igitur illud non eſſe verum, quod Aggregati non tam antiqui nobiles ſint quam reliqui, cum illud lex teſtetur. Hoc accidit quod fuerunt aggregatæ circiter duodecim familiæ veterum nobilium antiquorum vocatorum, vt Camilla, Serra, Maria, & aliæ, quæ antea fuerunt nobiles, & tanquam aliæ antiquæ. Manifeſtum eſt & in aliis vt Fregoſa, Adorna, quæ aggregatæ ſunt inrer viginti & octo, & ſunt recentioris factionis, quæ quamuis ſine titulo, tamen multos annos rem Genuenſem adminiſtrarunt, multosq; viros illuſtres habuerūt: qui cum ſint aggregati, non minus idcirco ſunt antiqui, aut quouis nobiles. Quo pacto igitur hi pauci imperium in alios ſibi depoſcunt, qui patriam vexant, cum lex ab illis facta inquiat, quod omnes nobiles deſcripti vno ordine ſint pares dignitate & conditione & coniuncti, at non diuiſi? Docent hanc reip. adminiſtrationem conſtitutam eſſe à duodecim legumlatoribus ab vrbe vniuerſa delectis, qui vnius eſſe ordinis iuſſi ſunt. Hoc niſi ſit, poſſent principatum inter ſe diuidere, quod planè eſſet abſurdum. Sed nonne abſurdius eſt quod priuati ſe ius habere in publicas res arbitrantur? illud etiam monſtro ſimile videri poſſet, ſi reſp. ſit vt corpus, gubernatores vt caput, ſi noui & veteres diuiſi gubernent. Nam ſi res diuidatur, aut corpus erit ſine capite, aut vni corpori duo erunt capita, quod eſt ridiculum. oportet igitur ad gubernandam rempublicam omnes concorditer conſpirare, quæ æquabilitas eſt vera ſalutis ratio. Quod dicunt ſibi deberi iure, non probant, niſi longo vſu & decreto Garibetti, contra quæ leges ſunt antiquæ reipublicæ & lex anni 1528. Sed poſſeſſio inualida eſt vt ſæpè vexata ſine aliquo titulo vel bona fide, & contra leges. Neque tam diuturna eſt, vti volunt; quæ ſi non eſſet interrupta, nihil iuuaret, quia ſuprema iura non poſſunt acquiri hac ratione, & multo minus à priuatis ciuibus contra patriam, quæ neminem habet ſuperiorem. Neque enim præſcriptio vel conſuetudo contra rempublicam aut leges afferri poteſt. neque prodeſt lex anni 1547. quæ neque coniunctum ordinem ſeparat, nec variat æquabilitatem. nam cum abolita ſit legitimè, at non vi, vt aiunt, non eſt opus differre in alium diem ſolennitatem deliberationis, quod hoc agitur cum de abrogandis legibus tractatur anni 1528. at non de ſenatuſcon. quod nunquā ſeruatum eſt aliter. Neque erat abolenda vt inualida, illegitimè lata, ſiue autoritate iuriſcon. ſicut aliæ leges, vt ex ijs patet. Nec obeſt quod aiunt veteres approbatam fuiſſe tacitè à maiore concilio per annos viginti & quinque ab anno 1547. ad annum vſque 1573. cum ratio ſit illegitima, quia concilium nullam cognitionem legis habuit. Quod enim neſcitur, non poteſt dici tacitè comprobari. Neque poteſt concilium quidquam tacitè probare, quin deroget legi anni 1528. vt eſt Garibettum, cum in lege ſit illius anni, quod ſi concilium voluerit cuipiam rei derogare in illa contētæ, debet proponi conſultanda in eodem, neq; poſſit eodem die decerni: ſed reiiciatur in alium diem, quod certè in taciturnitate dici non poteſt. Reuocandum eſt igitur Garibettum tanquam illegitimè factum & inualidum. Neq; debent propter opes aut titulos nolle eſſe pares, nec numero non ſuperari, quia ſi creuerint opes. nolent eſſe domini reip. Illud validum eſt moderationis nouorum argumentum, quod nihil tale moliantur, quia ſine Garibetto viuebatur in vrbe vſq; ad annum 1547. & tamen magiſtratus ad viros bonos veteres pro virtute deferebātur, quamuis multo plures eſſent noui. Suppliciter petunt à Rege vt de more remp. protegeret, priuatosq; conantes patriam infeſtare à ſua præſentia repelleret. Arbitraretur eandem eſſe ac fore perpetuam vrbis obſeruantiam tot beneficiis deuinctæ. Profugos niſi exteris auxiliis iuuentur, cito ſuum errorem eſſe cognituros. Italorum principum arma non eſſe magnopere timenda, ſi Regis defenſio concedatur, cum nullus Italorum principum ob æquitatem cauſæ debeat timeri, quam omnes ſint complexuri. Hęc dicta eſſe cenſeri, ſi per aduerſariorum pertinaciam non poſſit obtinerj illa concordia & reconciliatio & æquitas conditionum, quam ſenatus & vniuerſa ciuitas cupit, quæ omni honeſta, probabiliq; ratione fieri poſſit, ſalua coniunctione & æquabilitate ciuium, quæ cum legibus vrbanis conſentit. ſic inter hos cōtendebatur de gubernatione ſubditorum, quam honores & libertatem appellabant, cum vera libertas ſit

Libertas q̄d ſit.

ita ſub patrocinio bonarum legum viuere, nemo vt alteri impunè ſit iniurius, & vitā atq; omnia ſua libera habeat ab iniuriis aliorum: quæ libertas communis eſt omnium bene inſtitutorum principatuum. cum honores qui à populo deferuntur. ſint tanquā picturæ pixidum, quę prius areſcunt, quā ad intima penetrent, ijq; rectius magiſtratus & imperia quam honores ſunt appellādi, cum ſolus ſit honor qui debetur ſapientiæ & virtuti. Philippus non ſolùm æquitate rei perſpecta, ſed etiam conſiderato periculo in quod res Itala erat illapſura, ſi armis decertaretur, & niſi copiæ retraherentur, reſpondit facillima eſse initia bellorum, at non tam faciles exitus plerunque inueniri. Fore omnino vt res placidè componerentur, quæ ratio eſset & vtilior & humanior inter ciues præcipuè eiuſdem ciuitatis. Nam erat periculoſum ne Itali quidam principes, quibus ob nimiam potentiam inuiſum eſt nomen Hiſpanum, & Rex Gallorum in primis oblata hac opportunitate arma mouerent; cum multi ſint amici cum felicitate, qui cum fortuna mutantur, nihilque timen

dum

dum magis ſit diu felicibus quàm hæc ipſa mutatio. videbatur periculoſum ne Belgæ magnis virib. auctis in Morinis aut Batauis ex alia parte Genuenſe negotium iuuarent præterea, ex alia Turcicæ copiæ perceptis diſſenſionibus Chriſtianorum, vel etiam precibus non nullorum allectæ ad excidium rerum Hiſpanarum ingentes conuolarent captata opportunitate. Fit publicum decretum in vrbe poſtulantibus oratoribus ne vlla pęna infligatur illis, qui dicerent ęquum eſſe Garibettum, at malam legem anni 1528. ſtatuiturque vt liceat Silueſtro Cataneo & Nicolao Pallauicino delectis à veteribus, vel cuiuis ciui hac ipſa de cauſa ad tractandum negotium pacis in vrbem conuenire. Non tamen ceſſabatur Romę demonſtrari pontifici per Card. Lomellinum & clericum Spinolam veteres voluiſſe principum arbitrio rem committere, cum noui contra parui vel autoritatem legati feciſſent. & quam periculoſum eſſet ne reſp. funditus euerteretur cum maximo detrimento rerum Italicarum, ſi diutius in ijs perturbationibus perſiſteretur, ac niſi veteres antiquæ dignitati reſtituerentur. Auguſtinus item Spinola conabatur apud Gæſarem oſtendere nullam in vrbe habitam eſſe rationem Cęſarianorum miniſtrorum, qui non eſſent grati: quare conueuire Cæſareæ autoritati eas controuerſias decidere ad retinendum obſequium imperio hactenus præſtitum, quo omnes ciues quietè ac tutò ſuis bonis fruerentur. Sata ſunt & ſemina ſuſcipionum in animis principum, quibus etiam magis inflammarentur ad res componendas, cum noui hæc omnia reſtringere per cardinalem Iuſtinianum conarentur Romæ, & per Georgium apud Cæſarem.

LIBRI VIGESIMI QVINTI FINIS.

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS

## LIBER VIGESIMVS SEXTVS.

MVLTIS ſanè rationibus diſputatum eſt ab antiquis ſapientibus prę̃ſtaret ne ad felicitatem ſubditorum vnius, an plurium; & paucorum ne an multorũ imperium ſiue gubernatio, quã in rẽ quique varias propriaſque rationes adduxerunt, quibus addebantur exempla, quæ certe ingenia hominum, at non probationes ſunt putanda. Alij parum numerum gubernantium referre exiſtimabant, ſed totam rationem ac differentiam collocabant in bonitate imperantium, qui apparebãt vnius imperiũ multis præferre, cũ vnus vir bonus facilius reperiatur, quam multi viri boni. Alij cenſebãt multorũ adminiſtrationem debere præferri, quoniam ſic malus magiſtratus facile mutatur, quo pacto inſcitia peritiæ præferebatur. Alij idcirco multos deligebant, quia crederent in multis poſſe facilius aliquos bonos inueniri, qui malorum nequitiæ reſiſterent, quàm in vno neceſſario per hæreditatem in regnum ſuccedente, qui dominaretur pro libidine. Id facile concedi poſſet ſi aut boni tantum imperarent, aut ſi mali bonorum conſil io acquieſcerent ac res non potius per numerum, quam per bonitatem uotorum gubernarentur. & niſi ſtulti ſapientibus natura aduerſarentur, cogerenturque ſapientiores pati ſe impetu quodam quaſi popularis fluminis deferri. Non defuerunt qui crediderint vel malam rem p. vnius mediocris bonitatis imperio eſſe præferendam, quòd ea ſemper vel iuſtum vel iuſti ſpeciem quandam præ ſe ferat, neq; ęmulatio præeſſe p libidinẽ patiatur. illud verbo quidem conuenit rationi, re aduerſatur. quia nemo malus iuſtum habet propoſitum; aut qui habet, non eſt malus: ſed mali putandi ſunt qui conſpirãt clam ad excidium direptioneſque ſubditorum, cum alter ad alterius iniquitatem conniueat. Quis

Reſp. omniũ Gubernariorũ optima, & peſſima.

tamen, non facile conceſſerit omnium regnorũ optimam eſſe remp. ſi bona ſit, & legitimè in ea viuatur, quæ ſi mala ſit, & in ea negligantur leges, iure cenſebitur peſſima omnium ad miniſtrationum, in qua omnis conditionis homines varijs iniurijs ſunt expoſiti. his accedit ꝙ nõ poteſt facile cũ felicitate ſubditorum dominari, qui nullis regiis artibus à teneris ſit imbutus, atque rudis p lanè homo ad gubernaculum rerum pub. accedat. Mediocrem autem remp. vix eſſe tolerabilem argumento eſt breuitas vitę multarum rerump. quę antequam adoleuiſsent, extinctę ſunt. Veruntamen ſi ab vno ad plures imperium ſit transferendum, quod neſcio an iure debeat, tanto melius id fiet, quanto ad pauciores præſtantioreſq; deferetur, quod genus antiqui ariſtocratiam iure appellarunt, ſiue imperium optimorum. at quanto ad plures imperium defertur, tanto fit deterius, cum ad ignaros imperandi & faciles in quouis motus animorum deferatur. cauendũ enim vbi pauci ſint, ne multi aſciſcantur in partem imperii, qui poſtea in munificos inſurgant. & ne nimia autoritas plebi concedatur, cui procuranda eſt vilitas annonæ ac panis pręcipue & iuſtitia ne deſit. Illud ſignificarũt antiqui per Actæonis fabulã, quem finxerunt laniatũ ab ijs canibus, quos ſui s ſumptibus educauerat, quia beneficia apud ingratos homines collocata in benefactoris pernitiem ſæpe vertuntur. Illa dum tractantur in finibus Ligurum, regnum Poloniæ magna diligentia à varijs principibus expetebatur, quamobrem indicta ſunt comitia de nouo Rege creando, quoniam omnis ſpes reditus Henrici per

Coronatio Hẽrici Regis Galli.

eius coronationem fuerat ſublata. Nam initio huius anni præcedentibus omnibus magiſtratibus & Ghiſio Duce & Chernenſi regulo ſub vmbella Reinſi, illud eſt vrbis nomen, dictus eſt Henricus cũ multa magnificentia proceſſiſse ad templum auguſtius, ſequentibus Cantabrorum Rege & Alenconio fratre, & Maineſi, alioq; Ghiſio ducibus, cũ Ghiſius Card. in tẽplo præſtolaretur. poſt ceremonias Rex obtulit nauiculã aureã de more, deinde ad ſuũ domiciliũ tẽplo uicinũ ſe recipit. Poſtridie

à pecca-

à peccatis expurgatus miſit quatuor proceres ad templum Diui Remigij vt ampulla ſacri olei per abbatem aſportaretur, qui promitterent ſe ad eundem locum mox comitaturos. Mirum eſt quod de oleo dicitur, quòd angelus illud cęlitus ad diuum Remigium archiepiſcopum detulit, quo tempore baptizatus fuit Clodoueus primus Gallorum rex Chriſtianus. Nam dicuntur quator Reges tantum vngi antiquitus conſueuiſſe, Galliarum, Hiemſalemi, Britãniæ, Siciliæ. At ampulla olei ſacri ſemper plena eſt, neque illud vnquam deficit, cum multis ſub clauibus ſeruetur. minuitur tamen ęgrotante Rege, ſed vel mortuo, vel conualeſcente ampulla diuinitus repletur. Alij dicunt columbam illam ampulam olei detuliſſe, ſed omnes tamen diuinitus miſſam fuiſſe confitentur. atqui ampulla delata eſt ſub vmbella in auguſtius tẽplũ in tabernaculo, quã proceres cũ lanceis ſunt comitati. Rex deinde comitantibus epiſcopis in templũ accedit, vbi parati ſunt duodecim Pares vocati, ij ſunt magiſtratus ac principes, qui autoritatem & nomina principatuum referrent. Erant propria tabulata principibus & oratoribus parata, & proprium cum regali throno in medio templi Regi magnificentiſſimè inſtructum. omnis ſacerdotum ordo fit obuius ampullæ, quæ Regi oſtenſa eſt, & ſuper altare impoſita. Rex iurauit apud Card. archiepiſcopũ vſitatũ iuramentum ſe iuſtitiam & eccleſias conſeruaturum. conſulitur populus an velit eum Regem, qui mox ab omnibus eſt rex conclamatus. iurauit pacem, iuſtitiam, ęquitatem ſibi cordi fore, perſecuturumque pro viribus hęreticos. mox inducti ſunt cothurni & calcaria, quæ ſtatim ſunt erepta, & præmiſſis precibus gladius accinctus, hinc altari impoſitus, hinc datus Regi, hinc coneſtablio. oleum ampullæ deinde & chriſmatis miſtum, quo caput Regis cum precibus vnctum eſt & pectus & dorſum & paulo poſt Spatulæ. hinc palmæ manuum & additæ chirothecæ. poſt toga regali indutus, & annulus & ſceptrum dextræ impoſitum. Deinde corona a duodecim Paribus, quę ſuſtentabatur dum preces finirentur, capiti impoſita. poſt in tabulato maiore ſedẽs Rex dũ preces peragantur, rex ab omnibus ſalutatur, atq; araldus alta voce ęxclamat, viuat rex Hẽricus tertius Chriſtianiſſimus, glorioſiſſimus ĩuictisſimus Gallorũ rex. deinde cæptis ſacris deſcendit ad altare præcedentibus proceribus, quorũ alius vas è conchis margharitarũ vino plenum geſtat, alius panem argenteum, alius loculum cum tredecim aureis nummis, quę paulo poſt per ipſum Regem oblata ſunt. His actis Rex ſumpta euchariſtia ampliſſimumque conuiuium exhibet principibus & conuocatis oratoribus. Sed quoniam cognitum eſſet per exploratores ac literas claſſem Turcarum, vt dictum eſt, Byzantio non adeo formidabilem eſſe exituram, vt putabatur, decretumque eſſet per eos rumores Sardiniam Italis præſidijs eſſe tutandam, petierat à ſenatu Idiaquecius vt liceret Hiſpano Regi copias illas per agrum Genuenſem claſſibus imponendas ad mare perducere, & quibuſdam portubus vti reip. nam ſtatuerant Hiſpani his copijs claſſi impoſitis vniuerſum illud mare percurrere, & piratas profligare quicunque in ijs inſulis fuiſſent inuenti. res in cõſultatione poſita eſt à patribus, atque alijs periculoſum videbatur in rebus turbulẽtis eum Regem, qui putaretur fauere aduerſæ factioni intra tecta admittere, ne portus per hancartem occuparẽtur. alijs apparebat oratoris regij fidem non eſſe habendam dubiam, ne Regis tam potentis, tamque amici ipſi reip. fidei non credidiſſe viderentur, quare decretum eſt vt tranſitus copijs, & portus claſſi regio nomine cõcederẽtur. Interea veterum delecti ſiue Deputati vt vocant, nitebantur magnam copiam pecuniæ Finali colligere, quæ vt liberius cõferretur, Auria multos nũmos contulit, cuius liberalitatẽ multi alii ciues ſecuti ſũt, cũ alij quinq; nũmũ millia, alij vel ad quĩdecim viritim cõtulerint, atq; eadẽ ratione numeraturos ſe eſſe pollicebantur vbi opus eſset. Electi ſunt tres quæſtores huius pecunię Auguſtinus Grimaldus, Antonietus Cataneus, Philippus Lomellinus. at quoniam prorogabatur aduentus Ducis Gandiæ, vetereſque peroptabant aliquo debili principio tentare rei euentum, qui ante licentiam regiam non audebant arma palam mouere. Clam igitur decernunt vt Ambroſius Lomellinus & Scipio Campora exules rei capitis vallem Porciferam verſus regionem inuaderent cum quadringentis peditibus, & Franciſcus Viualdas Ligurũ montes verſus, illud eſt quoque nomen regionis cum totidem militibus ſimulatione exulum id ipſum faceret: quia vbi palam res ageretur facilius erat Nouium, & Segeſtã Tiguliorũ repente capere, vt oblatum fuerat, quibus ita actis omnia repleta ſunt trepidatione. Sed enim vbi apparuiſsent triremes Ducis Gandiæ, Imperatum eſt Viualdo & Lomellino vt copias dimitterent. oratores interea nullum officij genus prætermittunt vt res cõponeretur. Dux Candiæ exceptus eſt magna cum lætitiæ ſignificatione, multis honoris cauſa obuiam procedentibus, qui vbi primum admiſsus eſt in ſenatum magna cũ regię beneuolẽtię ſignificatione locutus eſt. Viſus; e ſt aliquãtulũ grauiter tuliſse Regis noĩe quod Gallus orator fuiſset admiſſus. hortatus eſt ſenatum ad pacem, docuit regium eſse conſilium in eo ſtatu remp. conſeruare, in quo à fel. mem. Imperatore patre & domino conſtituta, ſeruataque fuerat: quam regiam voluntatem ex aſſiduis officijs, regijſque auxilijs variorũ temporum reſp. cognoſcere potuit. obtulit regiam defenſionem. multis rationibus demonſtrauit illã pacẽ vrbi ſalubrem ac Regi gratisſimam fore. Quæ vbi cognita fuiſsent a veteribus, deligunt quatuor oratores ad Ducem, qui & informarent, & expeditionem negotij precarentur. Inuitauerat veteres ad hoc Ducis reſponſum, quod fuit Ducis vrbani, non potuiſse non admitti Gallũ oratorẽ, ſed cito dimiſſum fuiſse. gratias omnes agere Regi, quoniam ſemper reip. fauerit, & nunc etiam idem faciat, cum nihil magis optarent, quam vt cognoſcerentur perſeuerare in antiqua regia obſeruantia, quod ẽt ſemper ſint facturi. ſibi pergratas fuiſſe regias admonitiones, vt in dies cognoſcetur, quibus multa addita ſunt in veteres. At delecti veterum cognito tam diligenti oratorum principum officio, vt omnes diſcordiæ illorum arbitrio committerentur petunt ſiue principibus, qui corrigerent, emendarentque leges Genuenſes, vel nouas conderent ſine exceptione. noui hanc facultatem omnino nolunt concedere. non defuerunt qui parum confiderent quibuſdam miniſtris, & in primis in-

Oleũ ſacrũ Regis Gallorum.

Liberalitas Genuẽſiũ veterum.

Ducis Gandiæ oratio.

mis integerrimo Card. Morono, quem arbitrabantur non curare res inter ciues componere, ſed potius differre vt ea reſp. ſub pontificium imperium illaberetur, qua via ſibi iter pararet ad maiorem dignitatem. cauſa diuturnitatis diſcordiæ fuit re ipſa durities & pertinacia nouorum: quare pontifex, qui erat animo ſincero & ab omni illegitima cupiditate alieno, cum propenſior appareret nouis, quod eorum rationibus aſſentiret, audita pertinacia literas ſcripſit indignationis plenas

Literæ Pont. ad nouos.

in hunc modum; Eędem cauſæ, quæ nos primum impulerunt vt ad vos daremus literas ac legatum poſtea mitteremus, nunc impellunt vt etiam ſcribamus, hoc eſt ſummum deſiderium, quo angimur tranquillitatis reip. ueſtræ, & periculum in quo eſtis, quodque omnibus eſt conſpicuum, quamuis vos qui in medio incendio verſamini, illud non ſentiatis, aut certe ſentire diſſimulatis: hac de cauſa cum legatus vel turbulentioribus multo componendis accommodatus nihil facere potuerit propter diſcordias pertinaciamque veſtram, denuo vos ad pacem cohortamur, vel ſaltem diſſenſiones arbitrio virorum bonorum committendas. Nam veteres hoc ſuum conſilium oratoribus committebant, & legato in ſcriptis obtulerunt. Aymontius item Mediolani præfectus literas iræ plenas ad nouos miſerat. his rationibus effectum eſt vt his tanquam irratis noui planè non conſiderent. at quoniam per illud arbitrium videbantur oratoribus Cæſareis ſocij admitti in iura Cæſaris, ſi collegæ iudicationis principes acceſſiſſent, ad quos nihil illa res pertinere Cæſari videbatur, commſſarij Cæſarem conſulunt per literas quid ſibi agendum eſſet, ſi ad arbitrium veniretur. his reſponſum eſt, quòd ſi reſp. voluerit etiam intereſſe principum illorum legatos, nihil id videretur præiudicij facere imperatoriæ dignitati, cum tractetur ſolum de partibus ad amicitiam concorditer perducendis, quod non repugnat ipſius Cæſaris in eam remp. beneuolentiæ ac deſiderio pacis. Miſſus eſt etiam Lucas Fornarius à nouis qui gratias ageret Cæſari pro miſſis commiſſarijs, & pro tot in eam remp. beneficijs, cum plurimũ etiam Cæſareæ benignitati cõfiderent. initur paulo poſt ſermo cũ miniſtris principum de concordia, atq; regij miniſtri libentius cum pontificio quã cũ Cęſarianis conueniebant, quòd denuo ob murmuratum ſit in nomen commiſſariorum, quod multo inferius legatione cenſebatur. Commiſſarij hac de cauſa ſcripſerunt ad Cæſarem, atque reſcriptæ ſunt literæ, in quibus continebatur, miſſos fuiſſe epiſcopum Aquenſem & Vitum Doriumbergenſem & commiſſariorum & oratorum nomine, cum orator etiam minori ſit dignitate quàm cõmiſſarius. At enim vbi Eſcouedus redijſſet ex Hiſpania cognitum eſt clam ab Auria vniuerſum negotium bellicum commiſſum eſſe arbitrio Ioannis Auſtriaci, qui promiſerat ſe facultatem conceſſurum, ſi ſibi committeretur. decernit contendere itaque Neapolim cum claſse vt res bello neceſſarias procuraret, quia locus paci non inueniretur, cum literas ad ſenatum fruſtra ſcripſiſset, quibus patres hortabatur ad concordiam, & ad amplexandas honeſtas reip. rationes. Sed quoniam non potuerat colligi quanta pecunia opus eſset ad bellum, reuocatur ante diſceſsum ad Finale, ac præſens cohortatus eſt frigidiores ad recuperandam exiſtimationem & iura & patriam, quæ certe omni vel maximę pecuniæ ſunt præferenda. Eius orationis hæc ſumma fuit; quod arbitrabatur diuina prouidentia effici vt diligentia Pont. & duorum ſummorum principum per ſuos miniſtros vana fuerit in rebus Genuenſibus componendis: quoniam Deus, cui omnia præſentia ſunt, velit vlcera patriæ, quę leniori vnguento ſanari non poſsunt, ferro & aſperitate ſanari, cum ferrum & arma ſupremum ſit huiuſce morbi remedium: nam per bellum recuperanda apparet amiſsa patria. Quod ſi bellum illud iuſtum eſt, quod eſt neceſsarium; ſi illa arma ſunt probabilia, in quibus vltima ſpes remedij collocata eſt, quod fuit vnquam vel probabilius vel magis neceſsarium, quam illud, per quod repetitur antiqua hæreditas, quæ diutiſſime poſseſsa eſt? per quod procuratur vt id ſeruetur quod poſitum eſt in periculo? per quod omnia per vim extorta, iure extorqueantur? Quæ reliqua ſpes eſt ſalutis niſi in bello, cum omnia fruſtra ſint pro pace exantlata ſtudia? ad hanc cogitationẽ, ad hoc remedium, ad hoc negotium omnis mens eſt conuertenda, in qua vna re ſpes tota collocanda eſt vt à præſentibus moleſtijs recedatur. partim igitur patriæ deſiderio, partim honore, quia nobilibus omni vitæ pręferendus eſt, ſuas eſſe partes cenſere inquit ante oculos proponere illorum miſerias, & periculoſum reip. ſtatum, atq; ſuggerere, quod munus ſit ſingulorum illa ſubleuãda. Illud autem facillime ſuſceptum iri abijs, qui perpenderint quãtopere maiores impulſi, inflammatiq; ſint proprio honore ad illam ſubleuandam, quorum qui ſe legitimos hæredes eſſe profitentur, debent eſſe imitatores, quando exempla ipſa inuitant, ſi alia nõ pateat, ad viam ferro aperiendam, qua dignitas hęreditaria acquiratur. Nemini dubium eſse oportere, ſi tam honorificam prouinciam complexi ſint veteres, apud illos victoriam futuram, quamuis aduerſarij viribus & cõſilio & cauſa inferiores profiteantur ſe in eodem ſtatu poſſe conſeruari. ſperandum eſſe vt honorifica indignatione & ęquitate cauſæ compulſis Deus iuſtiſſimus faueat, atq; vires & animos infringat eorum qui iniquitatem tuentur, non eſſe timendum ne victoria penes ipſos non ſit, ſi animi concordes & prompti & liberales in hac re fuerint. Quod ſi quid aduerſi acciderit, patriaq; ſit amittenda, tamen neq; officio virorum bonorum, neque honori deeſſe oportet. ad hoc conſilium inuitare inquit patrię amorem propriamq; & ipſorum & filiorũ vtilitatem, & honorẽ animorũ omni re precioſiorẽ. negotiũ tam honorificũ intrepidis animis eſſe capeſſendũ, quoniam turpiſſimũ eſſet diutius alienam perferre pertinaciam, quòd omnes iure arbitrari poſſent in illis extinctam eſſe virtutẽ & gloriã, qua maiores familias ſuas illuſtrarũt; maioremq; vim habere in animis præſentium auaritiã & auri ſitim, quam ſplendorem honoris; quod certe in nobiles animos cadere nõ poteſt. Profitetur deniq; ſe & facultatibus & vita expeditionem adiuturum, vt prius profeſsus fuerat, neq; vnquam defatigatum iri, vt res geſtę per opportunitatem teſtabuntur. his ſubiũgit non defuturos rerum bellicarum peritos duces, non claſsem neceſsariam huic expeditioni, non regiam veniam, quæ videtur fuiſse promiſsa, non peditatum &

Commiſſarij nomen.

Io. Andreæ Auriæ oratio.

tum & equitatum, qui facile colligetur; ſolam deeſſe pecuniam certiſſimos neruos belli, quæ tamen abunde ſuppetet, ſi, vt ſuperius factum eſt, concorditer ad tam piam, neceſſariam, honorificam expeditionem contulerint. vti oportere inquit ea magnificentia, quam zelus, honor ciuium, amor patriæ requirit, neque committendum eſſe vt ij fructus non percipiantur per virtutem, qui non poſſunt niſi per dedecus & maximas calamitates atque ignominiam amitti. His rationibus res pecuniaria perducta eſt eò, quò optabatur: quare Auria paulopoſt cum viginti triremibus Neapolim accedit. miſſæ ſunt cum eo legationes ad Auſtriacum Georgius Auria & Io. Baptiſta Spinola. Putabat Auria fieri non poſſe omnino vt alia ratione quam per metũ armorũ noui ad aliquam honeſtam pacis cõditionẽ flecteretur ab ipſa iã cõcep ta duritie & pertinacia cũ poſſent ẽt ſuſpicari arma nõ niſi per conſenſũ Regis fuiſſe mota, quo cõſilio nauigauit ad Auſtriacũ. nõ defuerũt q auſi ſint Auriã ſuſpectũ, habere affectati Genuæ principatus, qui rumor ab initio ſeditionũ fuit diditus; & quòd portum vrbis cũ quibuſdã armatis occupare tẽtauerit, quo tempore inquiunt vrbẽ fortuna potius quã cõſilio fuiſſe ſeruatã. Senatus interea cognitis conſilijs veterum tria millia peditũ Larſanam mittunt, quorum bona pars erat Florentinorũ varijs de cauſis condemnatorũ lectiſſimorũ, & quingentos Lucẽſes. Deſcripta eſt vniuerſa annona, quæ eſſet Genuę: cũ Auſtriacus petiuiſſet à Magno Duce vt arma, puluerẽ tormentariũ, ſalnitrũ, pilas ferreas, frumentum diuẽdi nouis Genuẽſibus ne pateretur, cui reſponſum fuerat, quòd ex imperio ipſius principis nullo pacto illa exportari ſineretur. at quod ad pilas & frumentum, ſe neſcire qua probabili ratione poſſet illi petitioni ſatisfieri, quia cum vtilitas ferrearum venarum poſita ſit in exterorũ mercatorũ contractibus, nõ poſſent excindi cõmercia niſi cũ maximo ſubditorum pauperũ detrimento vel potius ruina, qui victũ ſuarum familiarũ ex illa exercitatione percipiunt. Quod ad frumentũ, nimis ingens incommodũ ad ſubditos redundare, qui quoniam per libertatem erogandi maius preciũ offerentibus commodius ita poſſent ſuis rebus conſulere: cum illud præterea maximum etiam ipſius principis rebus detrimentũ afferret, qui per illas exportationes ſuos prouentus faceret multo vberiores. Genuenſes cũ intelligerẽt exportationem cõmeatuũ ex Hetruria ſibi patere, magnã ſpei ſuę partẽ in ijs collocarũt, quę poſſẽt inde exportari. Sed quoniã negotiũ de cõcordia renouatũ eſt cũ Duce Gandiæ, veteres ſcripſerũt ad Cataneũ & Pallauicinũ procuratores apud miniſtros vt quam faciliorem expeditioremq; viam cognoſcerẽt eã admitterent, quòd eſſent omnẽ honeſtã rationẽ pacis amplexuri, repetẽtes quæ ſępius obtulerant. At contrà, quibus datũ erat id munus in vrbe, parum curabant vt res liberè componerentur, cũ dicerent præſtare vt miniſtri in mediũ afferrẽt aliquã nouã reformationẽ, quã procurarẽt admitti à populo. non eſſe è reip. cõmittere adminiſtrationis reformationẽ exteris principibus ad gratiã paucorũ ciuiũ, quod reſponſũ valde diſplicuit miniſtris. Veteres cognita volũtate nouorum antequam arma mouerentur, ſtatuunt certiores facere de ſuo conſilio omnes principes, & in primis finitimos & de iuſtitia expoſtulationis ſuæ. literas etiam ſcribunt ad ſenatũ Genuenſem, quibus hortãtur vt rẽ arbitrio miniſtrorum committant: quod etiam populo per alias literas vbiq; in triuijs parietum angulis appoſitas ſignificarũt, vt pax & trãquillitas & libertas patriæ cõmunis poſſet pacatè conſeruari. ſed hæ miſſæ ad populũ repente ſunt direptæ & ſupreſſę p eos, q nihil minus quã pacẽ cupiebãt. Auria illo conſilio vt vrbẽ ad pacẽ compelleret impetrat ab Auſtriaco vt ſuis & priuatorum Genuenſium triremibus duos menſes pro arbitrio vteretur, quòd Africæ negotium frigidius agebatur. Accepta ſunt ab Alexandria viginti bellica tormenta, & multi bellici apparatus, & epibatę claſſi impoſiti. Vt autem aliquo pacto fieret ſatis miniſtris, noui obtulerunt rem ſe arbitrio committere, ſed tot conditionibus reſeruatis vt neq; à miniſtris quidem res fuerit admiſſa. Inde res ad bellum palam proſpectare cępit. Propoſitũ fuit a veteribus Finali diſquirendum an Dux & magiſtratus crearentur: ſed tamen viſum eſt pleriſque Deputatorum nomine cauſam eſſe agendam, cum illud nomen eſſet modeſtius. & quoniã Deputatis poſtea clam ſignificatum fuit per diſceſſum Auriæ conſilium fuiſſe nouorum vt veteres è Sabbatia cataſcopijs & peditibus & copijs Vallis Cugianæ vocatæ inuaderentur, delerenturq; per cędes & captiuitatem multorum. decretum eſt Caſtrum Francum bellicis tormentis & præſidiis eſſe muniendum, quare conuocati ſunt ducenti pedites Itali & centum Germani ad cuſtodiam maritimorum, quo facto conſilium Genuę conceptum euanuit. & quia non putarent veteres re ipſa armis quidquã tentaturos omnis miniſtrorũ opera ludebatur, cũ palã dictitarẽt nũquã principes cõceſſuros arma moueri, & in primis Regẽ Hiſpanum, nihilq; factũ iri ſine auxilijs & claſſe Aurię. cęterũ Auria ita inſtructus celeri vſus nauigatione cum viginti triremibus redit in ſinum Liguſticũ relicto Marcello Auria Neapoli cũ quinq; triremibus Mediolanũ ab Auſtriaco conceſſis, qui collectis mille peditib. & ſcalis curribusq; tormẽtorũ, aliiſq; rebus neceſſarijs captis in eundem ſinũ mox nauigaret. ob tã repẽtinũ Auriæ aduẽtũ creditũ eſt Genuæ nihil fuiſſe impetratum, quare omnis ſpes pacis in vrbe euanuit. Et quia dies aduẽtarat, citra quẽ veteres decreuerãt rẽ cõcludi oportere, cõmonefaciũt deputatos per literas vt excedãt ex vrbe, quod ęgre tulerũt miniſtri, cũ nemo eſſet qui cũ negotiari poſſet, carpẽteſq; vrbanã pertinaciã minati ſunt ciuib. miſſus eſt Odeſcalcus cũ alio ſenatuſc. ſed tã implicato difficultatib. nihil vt cõcluſum ſit. Auria in mare Liguſticũ profectus mittit ad Aymontiũ Andreã Lercarũ qui doceat cõſiliũ Auſtriaci Neapoli ſuſceptũ, rogetq; vt omnia acceleret, & cũ dimittẽdæ eſſẽt copię, quæ ad expeditionẽ Numidicã in agro Mediolanẽſi ſtationẽ habebãt, iuberet tribunos peditũ Italorũ Sigiſmũdũ Gonzagã & Hectorẽ Spinolã cũ ſuis cohortib. ꝓficiſci ſinũ Segeſtã Tiguliorũ verſus, curaretq; vt duo Regimẽta Germanorũ mererẽtur veterũ ſtipẽdia, quibus Aymontius facile annuit. datũ eſt ſummũ imperiũ rerũ terreſtriũ ac maritimarũ cum diplomate ſupremæ autoritatis ſeruata libertate reip. Io Andreæ Auriæ, cui declarata ſunt ſtipẽdia triremiũ & ciuiũ per vniuerſum belli tẽpus. Decretũ vt multi Itali pedites colligerẽtur, inter quos

Deputati q ſint.

Io. Andreas Auria ſummus imperator veterum.

quos duo millia ſclopettariorum in viginti centurias diſtributorum, quibus ſingulis centurijs præerant centuriones Genuenſes, qui nemini niſi ſummo imperatori parerent, aut quem illo abſente, ipſi copiarum illarum delegiſſent. cenſi ſunt per Antonium Serram Mediolani Germani pedites, qui fuerunt quinque millia & quingenti, quamuis ſex millia militare Regi dicerentur, quibus datum eſt iuramentum vt militarent Regi, vbi opus eſſet. copiæ Gonzagæ & Spinolæ dimiſſæ ſunt Aymontij nomine, quæ volentes ad ſtipendia veterum acceſſerunt per Andream Auriam, cum noletes ſit dimiſſi. Vt autem res initium caperet Auria erigi iubet in ſua triremi prętoria vexillum reip. tanquam veræ ac liberæ reip. Genuenſis. mittit etiam Philippum è dominis Paſſani cum tribus triremibus tribuſque cohortibus peditum ad occupandum oppidum & arcem portus Lunæ ſiue vt nunc vocant Portum Veneris. Ille eo profectus modo lenitate verborum ſi ſe dederent, modo minis vſus oppidum per deditionem accepit. arx aliquantulum obſtitit, cum nonnulli globi in obſidentes eſſent contortiac diſploſi ſclopetti, ſed cum intentaretur periculum quod per vim armorum ageretur negotium, arx quoque venit in poteſtatem Philippi. Magnus Dux quoniam omnia finitima loca plena erant armatis, cum etiam non contemnenda claſſis eſſet in maritimis, colligerat ad decem millia peditum præter ordinaria præſidia ad ſuorum locorum defenſionem, omniaque opportunè munierat multo commeatu & apparatu bellico. nam cum Vrbatelli, Telamonij, portus Herculis. aucta eſſent regia præſidia, quæ ſigillatim ad tria millia peditum vbique excreuerant, non defuerunt multorum rumores quòd Auſtriacus non placido eſſet animo erga Magni Ducis principatum, qui tamen reipſa nullam vnquam vel tenuem huiuſce rei ſuſpicionem præbuit, cum etiam ſemper munitiſſima ſint propugnacula eius principis, accuratiſſimeque cuſtodiantur non minus pacis quam belli tempore, cuius ita paratæ ſunt vſque copiæ vt ad omnem nutum quouis expeditiſſimè poſſint conuenire. expoſita ſunt etiam in Iluam tria millia lectiſſimorum peditum, quòd illa inſula non negligenda Hetruriæ principi videtur. miſit etiam Genuam duas onerarias & maius nauigium frumento onuſtas ita rogante Pontifice, quo facto vniuerſa vis protectionis è paterna charitate manare viſa eſt Genuenſibus. cæterum reiecta electione arbitrorum Genuæ propoſitum eſt à patribus ſibi pergratum fore ſiqua probabilis ratio concordiæ inueniretur. habita ſunt comitia oratorum apud Moronum, in quibus decretum eſt vt peteretur facultas videndarum legum, & abolendi, condendi, reformandi illas ad conſeruationem & amplicationem rei publicę. Fit ſenatuſc. per quod conceſſum eſt ſalua libertate & iuſtitia vt miniſtri principum plena & ampla facultate vterentur renouandis, purgandis, corrigendis, ampliandis, coarctandis abolendis, condendis legibus, decretis, ſtatutis, conſuetudine ciuitatis, in quo ſenatuſc. nominatus eſt Philippus proprius & peculiaris reip. defenſor & protector. quod quoniam Vito Dorimbergenſi viſum eſt Cæſari propriè conuenire, reclamatum eſt quòd iura imperii ſic paulatim vſurparentur. aliud factum eſt ſenatuſc. ad euitandum Cæſaris indignationem in hunc modum; Dux, gubernatores, procuratores reip. Genuenſis. cum ſciamus nos hodierna die decretum feciſſe, per quod data eſt facultas componendi ciuiles diſcordias Pont. Maieſtati. Cæſ. Hiſpaniarumque Maieſtati regiæ, hoc eſt pro Pont. Illuſtriſſimo Card. Morono legato, pro Maieſtate Cæſ. Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo epiſcopo Aquenſi comiti ac principi Imperij, & domino Vito à Dorimbergo equiti oratorique Cæſareo ordinario Venetijs, pro Catholica Maieſtate Eccelentiſſimo Duci Gandiæ, & Illuſtriſſimo Ioanni Idiaquecio oratori Catholico in hac vrbe, per hoc præſens decretum ſuffragijs obtentum declaramus quòd nemo ſenſit velle facere præiudicium aliquod Maieſtati Cæſ. aut reip. Genuenſi, ſed cenſent omnia iura illæſa, conſeruataque ſint, & in eodem ſtatu intelligantur in quo fuerant, aut ſunt, ſine vlla innouatione. ad cuius rei fidem ſtatutum eſt vt hoc fieret, & obſignaretur ſolito ſigillo, atque ab intraſcripto Cancellario ſubſcriberetur. datum in palatio die 20. Septembris 1575. Sed enim quia nouitatem decreti paulo poſt ægre ferrent Genuenſes, timerentque indignationem Regis, cum ęquè ad eum defenſio pertineret, quia carolus Quintus & imperator eſſet & rex Hiſpaniarum, & Philippus eſſet filius & ſucceſſor, & quia nollent videri prorſus obliti beneficiorum acceptorum, cum planè grata & ſuapte natura magnifica in benemeritos ea reſp. fit eodem die inſciis oratoribus Cæſareis huiuſmodi dicretum; prædicta duo collegia prouidè conſiderantia decretum baliæ paulo ante conceſſæ liberum eſſe, & abſque vlla penitus reſeruatione, & nullum protectionis ac defenſionis Maieſtatis Seriniſſimi Regis Hiſpaniarum Catholici mentionem habitam fuiſſe, quę talis ac tãta hactenus fuit, vt merito deceat remp. Genuenſem de ea particularem memoriam habere, quare ne vllo vnquam tempore hæſitatio aliqua inde oriri poſſet, vnanimiter omnium votis decreuerunt & expreſsè declarauerunt per dictam baliam ſeſe decretum protectioni ac defenſioni Maieſtati, Catholici Regis prędicti derogatum, nec minus præiudicatum fore nec eſſe; ſed omnino ſemper eam reſeruatam cenſeri debere. Baliam appellant facultatem decreto conceſsam Auria vbi primum arma mota ſunt, duas triremes nouorum inſecutus eſt, quæ per validos remiges, & peritos nauarchos euaſerunt. deinde vetuit ne vllum nauigium intraret in portum, quo ſic vrbs obſideretur. Deinde iubet quingentos pedites deſcenſionē facere duce Io. Baptiſta Auria Antonij filio vt Specia oppido potiretur, in quo erat commiſsarius Andreas Centurio cum quadringentis peditibus certatum eſt multis leuibus prælijs. Auria deinde mittit ſollicitatum ad deditionem munitionem diuæ Mariæ & Lericæ, & deinde arcis Finoi portus, ſed cum non haberet quibus inſtrumentis extraheret tormenta grauiora, nihil obtinetur. Nauigat deinde ad oppidum Clauarium, in quod priore nocte ingreſsus fuerat Hieronymus Iuſtinianus Greghetus miſsus eò commiſsarius Genua cum mille & quingentis peditibus è finitimis pagis collectis, qui cum oppidanis ſeſe cingebant ad defenſionem. Auria illuc appellens miſit petitum

Portus Lunę captus à veteribus.

Primum decretum ſenatus.

Secundũ decretum.

Tertium decretum.

oppidum, ſed Iuſtinianus conatur Auriæ conſilium impedire. Auria iubet peditatum e claſſe deſcēdere cum ſcalis & faſculis. Procedebant in acie mænia verſus anteſignani viri pleriq; nobiles Genuēſes, inter quos præcipuæ dignitatis fuerunt Io. Baptiſta Auria, Auguſtinus Grimaldus, Hector Spinola, Io. Iacobus & Franciſcus Grimaldi, Antonius & Philippus ex dominis Paſſani, Sebaſtianus & Federicus centuriones, præter alios. Illo aſpectu conſternati oppidani cum ēt tormenta domos è triremibus concuterent, non enim poterant mænia ob altitudinem arenæ, ſe dedunt Auriç nomine veteris ac verę reip. Genuenſis. relictus eſt Io. Baptiſta Auria cum ſexcentis peditibus, cui magnum fuit negotium cum accolis, qui clauſis vbiq; acceſſib. oppidum propè obſidebant. Captum eſt & Seſtriū per deditionem. capta ſunt & multa nauigia variis rebus onuſta. empta neceſſaria. reliqua dominis reddita, ſed iuſſa abſiſtere ab vrbe. noui auditis his bellorum tumultibus & progreſſibus Auriæ, queruntur per nuntium apud oratores ꝙ ſimulatione pacis, & rerum componendarum ſic repente inuaderentur, cum longe diſtent res quæ geruntur, ab ea concordia quæ per verba expetitur. cōqueſti ſunt & procuratores, ꝙ ita per ſpem pacis reſp. populusq; Genuenſis infeſtaretur, cū vix credi poſſit ſine regiis armis auſos fuiſſe veteres remp. hoſtiliter inuadere. videri fallacias oīb. conſpicuas, cū portus, quos reſp. ad regios vſus conceſſerat, occupati ſint. Dux Gandiæ ſe nihil horum ſcire reſpondit. hortatur vt rem cognoſcant, quia remedia adhiberentur. veruntamen miniſtri queruntur per literas apud Auriam, quia bellum eſſet inceptum contra voluntatem principum Italiæq; tranquillitatē, & concluſionē concordię. Senatus querebatur ꝙ Idiaquecius tranſitū Regiis copiis poſtulauerat Segeſtā tiguliorū verſus, cū tñ hoſtib. militarent, qui ſe cōſilii Auſtriaci non fuiſſe participem aſſirmabat. Scripſit ad Auriam Dux Gandiæ hoc non eſſe Regis conſilium vt res armis definiretur. non eſſe negotia de pace, quę tractantur, ſic armis ꝑturbanda contra Regiam voluntatē. Queſti ſunt noui apud Pontificem per literas ſe ꝑ eius promiſſa, qđ foret vt res componerentur, neq; res neceſſarias cōparaſſe, neq; pſidiis opportunis vrbē firmaſſe. Quòd ſi libertatē eſſent amiſſuri ꝓteſtentur ſe dedere Pōtificię defenſioni, quam tñ libertatē vt ſuſpenſam defendent fortiter contra oppreſſuros. Pontifex vt de tantis reb. conſuleret, conuocat Card. abſentes. At Hiſpanæ factionis principes, q erant Romę, veriti partim Moroni conſilium, partim ne Pontifex iratus illos defenderet vel per arma obnuntiāt palam Pontifici ne procuret deuaſtationem Italiæ, & ne arma capiat, ſed vt cōis pater reb. amicè conſulat. Interea noui Aurelium Fregoſum ſummum imperatorem ſuarum copiarum creant, qñ Iordanus Vrſinus ita iubente pontifice oīa munia militaria Genuenſium renuerat. inuitant liberalibus ſtipendiis Petrum Maluecium, qui paulo ante duo millia peditum obtulerat. Auguſtino Satio, & Hieronymo Adorno datis ſtipēdiis copias colligere imperant, qui ſinguli duo millia armatorum ſe adducturos promiſerant. collecta fuerant de ciuib. ſponte ad patriæ defenſionē deferentibus ad ducēta millia nummum: cum & è domo diui Georgii collata ſint, & impoſitū vt unum in ſingula centena quæ poſſidebantur diſſolueretur. at copiæ à duob. tribunis colligi nulla diligentia potuerunt in Gallia ſubalpina, & Inſubrib. & vniuerſa propè Italia, qa vetitum eſſet copias colligere. id vt liceret, & vti rerum ſuarum rōnem redderent noui, legationes miſerunt ad oēs Italos principes, ad Io. Auſtriacū, Gregorius Barbarinus ad Regem, & ad Magnum Ducem, cuius exiſtimatio erat maxima apud vtranque factionem cum ob propinquitatem, tum ob opulentiam, & potentiam & numerum armatorū egregiè in re militari eruditorum. oēs magna contentione nitebantur hunc principem ad ſuam defenſionem allicere. quare noui Io. Baptiſtam Gentilem, veteres Io. Baptiſtā Auriam miſerunt. iuſſę ſunt legationes nouorum expoſtulare, & auxilia petere: at veterum queri ꝙ per iniquitatem è patria fuiſſent eiecti, cum noui ita eſſent ſnīæ ꝑtinaces vt neq; trib. quidem primariis principib. Chriſtianorum ſuas controuerſias vellent committere. Noui Montacutū à Magno duce petierunt ſummū ducem, ne quis externus, vt dicebant, princeps Genuam occuparet. Dati ſunt mille pedites deinde Iulio Salio, & imperium delectus agri Genuenſis. Miſſi ſunt oratores ad Pont. Cæſarem, & Regē, qui quererentur de illato bello, & annonæ copiā ac rerū neceſſariarum procurarent. Sed qm̃ acerrimū bellū apparebat paulatim in Italia conſurgere, ſi his aut illis auxilia alicunde acceſſiſſent, odiaq; non inter Genuenſes ſolùm, ſed inter Italos principes ēt diuerſas partes ſequentes exarſiſſent, Philippus Rex hortatus eſt ꝑ lrās nouos, vt negotium arbitrio miniſtrorū committeret. ſcripſit ad principes Italos ne iuuarent arma Genuenſium, q̄ nulla rōne conceſſa forent moueri, niſi ad eliciendā à maiore cōcilio Baliæ confirmationē, ſine qua inualidū erat ſenatuſc. Pontifex hortatur, & ipſe nouos ad concordiam, conceditq; facultatē commeatus. Cæſar & ſenatum ꝑ lrās hortatur ad pacem, & ſcribit ad miniſtros vti curent ſeruari libertatē reip. atq; Rex vt pacem laudauit, ita viſus eſt reprehēdere autores diſcordiarum. Auſtriacus item rñdit Regem nihil magis cupere quam pacem & quietem Italiæ. ſed ſi perſiſterent pertinaciter vtriq; in pſequendis iurib. nullam poſſe aptiorem viam inueniri, q̄ vt ſeſe viciſſim caſtigarent. futurū. n. vt alterutri defeſſi aliqñ viā paci concedant. Querit ſenatus apud Cęſareos miniſtros ꝙ Germani aduerſus vrbem militent, qui erant Regi conceſſi tm̃ contra Mauritanos, quare factum eſt ut Cæſar ſcripſerit ad Mariquē tribunū Germanorū, vt recederet ab illa militia. Mariques ꝙ arbitraretur Cæſarem rem non cognouiſſe, & ꝙ ſtipendia iam acceperat, & ꝙ iurauerat, habita ratione Germanę fidei ac decoris decreuit perſiſtere in officio, neq; vlli paruit vel adhortationi vel edicto: cum paulopoſt per veterum legationes obtentum ſit vt perſeueraret. Serauallem interea, vbi fiebant bellici apparatus, annonaq; colligebatur, conueniebant copiæ Italæ, cum Io. Bap. regulus oppidū obtuliſſet, ut Spinolæ finitima. Fungebatur vicario munere Spinola vltra montes, cui iniunctū eſt vt vias tutas cuiuis externo eſſe curaret. Vt cōmeatū in vrbē importari ne pateretur. Vt res ſacræ inuiolatæ relinquerentur. Vt fœminarum ne cui fieret iniuria. Vt milites neceſſaria coemerent. Vt ſi mercimonia ciuiū caperent, deponerent in loco tuto. Et qm̃ cohortes Serauallē cito conuenerunt,

Clauarii deditio & Seſtrii.

Literæ Ducis Gandiæ ad Auriam.

runt, decreuit Spinola molendinum Nouii occupare, ut illud commodum oppido adimeretur,
quod facile obtinetur. At Magnus Dux quòd ægrè ferret finitimum & periculoſum bellum eſſe
motum in iis finibus, vt qui neutram in partem magis eſſet propenſus, ſed ad communem quietem
Italiæ rerumque ſuarum ſecuritatem arma deteſtabatur, & qui ſemper Regias partes in Italia plu-
rimum iuuiſſet, cupiebat controuerſiam amicè componi, quare & vtranque factionem ad concor-
Literæ Magni Ducis ad Auriam.
diam hortabatur, ad quod negotium omnem ſuam operam offerebat, & ad Auriam literas ſcripſit,
quibus deteſtabatur ſuſcepti belli pericula, & eum hortabatur ad arma deponenda, quarum litera-
rum hæc ſumma fuit; quòd Magnus Dux plurimum moleſtiæ cepiſſet è Genuenſibus diſſenſioni-
bus ob ſuam in eam rempub. beneuolentiam cum maximè cupidus ſit omnis eius felicitatis & tran-
quillitatis. Quòd nulli ſtudio parceret ſi fieri poſſet vt pax componeretur, neque tanquam bonus
princeps & Chriſtianus vlli deeſſet officio, cum maximè cupidus ſit eorum libertatis & quietis Ita-
licæ. Quòd cum nulla de re ſit factus certior, atque pro defendenda autoritate principibus com-
ponendarum rerum intelligat ipſum Auriam bellum excitaſſe, atq; quotidie loca reipublicæ capere
non poteſt non ægrè ferre cum ob vicinitatem maximè omnium plurimi ſua interſit. Et quoniam
profitetur ſe libertatis deſiderio motum fuiſſe, quietisque rerum Genuenſium, par eſſe vt ipſe quo-
que conquieſcat, & admittat quod tot miniſtrorum laboribus ferè in tutum perductum fuit. Quòd
ſi viderit eum in armis perſeuerare, ſibi neceſse eſse & ad ſecuritatem, & ad rerum regiarum defen-
ſionem, cum paries proximus ardeat, vt ita dixerim, rebus ſuis conſulere, & armatum eſse, ne Gal-
li per hanc opportunitatem ad aliquid aſpirarent. Sed quoniam arbitrabatur Auriam maiorem ra
tionem publici, quam priuati fortaſse beneficii habiturum, neque iis rebus viam aperiturum, quæ
poſsent Regem plurimum, & vniuerſos Chriſtianos infeſtare, ſatis fore vt conſilium voluntatem-
que cognouerit pro ea beneuolentia, qua ſemper illum Magnus Dux eſt proſecutus. rogat Auriam
vt ſuos hortetur, & obſecret vt omnes diſcordias principibus committant, cum probabile ſit omni
honeſta ratione ab iis ſatisfactum iri. nam periculoſum eſse ne Galli aut Turcæ hac captata occaſio-
ne, & Regis, & cęterorum principum regna vexent. hortatur ut ipſe tanquam princeps veterũ hoc
negotium pacis ſuſcipiat, neque procuret vt autor ſit ruinæ totius Italiæ. hoc pro certiſſimo affir-
mat quòd tam promptus ſemper reperietur ad quietem, & coniunctionem illorum omniũ, quam
ad propulſanda omnia conſilia parum conuenientia & obſcura. Pontifex quod Genuenſes ante-
quam arma ſumerent ſummum copiarum imperatorem expetiuerant, imperat Mar. Antonio Co-
lumnæ, Paulo Vrſino, aliiſque proceribus Romanis ne cui factioni Genuenſi militarent, quod ip-
ſum vetat per edictum in vniuerſo imperio Pontificio. Dux item Mantuanus vetat ſub pęna per-
petui exilii & bonorum fiſco addicendorum nequis militet Genuenſibus. Miniſtri qui omnem di-
ligentiam adhibebant ut res componerent. Ioan. Leonardum Fratinam ad Finale mittunt, qui impe
traret à veteribus etiam ut confirmaretur facultas condendarum legum. ut arma deponerent, capta
relaxarent, mitterent Deputatos, quibus cum legitimè agi poſset. Scriptæ ſunt literæ ad Auriam ut
ab armis recederetur, atque ipſe his aſsentiret, quo res tranquillè procederet, vt principes cupiebãt.
noui queruntur apud commiſsarios quòd tribuni militent priuatis ciuibus contra remp. quòd con
tra uoluntatem Cæſaris pugnantes morentur Finali, qui locus eſt Cæſaris. quòd copiæ ſubditorum
Cęſaris militent veteribus vel prȩſentibus commiſsariis tractantibus de pace, niſi tamen ſit occultũ
Cæſaris conſilium per hæc figmenta iuuare Hiſpanum Regem ad vrbem occupandam, ſine cuius
conſenſu arma mota eſse non poſsunt cenſeri. Spinola vbi molendinum Nouii occupaſset impelle
batur nonnullorum ſuaſionibus vt Nouium cum copiis accederet, quod facile caperetur per dedi-
tionem, at quoniam paruas copias Spinola haberet ſine tormentis, non cenſuit illud eſse tentandũ.
veruntamen cum audiuiſset ſubſidia Genua expectari, ne poſset accuſari negligentię, decernit cum
prȩſentibus copiis rem experiri. cum duobus itaque cãpeſtribus tormentis oppido propinquat. mit
tit inuitatum ad deditionem. minatur ſi Germanas copias & tormenta expectent. ſed oppidani petũt
horas viginti & quatuor ad reſponſum, qui cum non poſsent cogi, conceſsæ ſunt. at Spinola per no
ctem ſe ab illa expeditione recepit, quòd putaret cum tam paruis copiis non eſse tutum eſse in aper
to. his rebus cognitis Baptiſta Ferrarius commiſsarius nouorum Gauii cum delectu oppidi Nouiũ
per noctem ingreditur, cui acceſſit Stephanus Figarola cum quadringentis peditibus ex vrbe. itum
eſt eadem nocte cum peditatu & tormentis ad recuperandum molendinũ, quod cum Galeotus Spi-
nola Caſsani cognouiſset, vbi erat cum cohorte Seriuiam fluuium vadatur, atq; atrox leue prȩlium
committit. Audito eo ſtrepitu ex arce Serauallis Baptiſta Spinola exit cum ſuis copiis molendinum
verſus, cognoſcitque Figarolam occultatis tormẽtis in quadam vinea ſe recepiſse, quæ ob noctis ob-
ſcuritatẽ videri non potuerunt. certabatur frequentibus præliis inter Gauii & Nouii prȩſidia, agerq;
direptionibus vtrinque vexabatur, quæ prȩda cum foret rixarum cauſa inter milites, vetitum eſt ne-
quis exiret ad prædam. Veteres interea ne apparerent paci repugnare, mittunt ſignificatũ oratoribus
ſe vel ſingulis autoritatẽ cõcedere, vel vt duo, vel oẽs ſimul leges condant, abſoluantq; legitimè, vel
per gratiam ab oĩbus criminib. vel perduellionis ab anno. 1573. quod fiat vna vel plurib. ſententiis,
licitũq; ſit reformare magiſtratus iuſtitiæ ciuilis & criminũ. & ne multa hic aſcribã ꝓpoſitæ ſunt à ve
terib. pacis ꝯdõnes cõplures, inter quas erat ut dũ tractant trãſiguntq; ꝯdõnes, veteres haberẽt pro
domicilio locũ cõmodũ & capacẽ & tutũ Sabbatiã vrbẽ, ſ. & oppidulũ, q̃ ꝓmitterent ꝯtinuò reſtitui
poſt ſnĩam, declõnẽq; miniſtrorũ, qcunq; habituri ſint ſummã adminiſtrationis reip. noui ciues quia
ſubiratos ſibi duos principes iudicauiſsẽt, maximeq; Cæſari, vt dictũ eſt, cõfiderẽt, minime oĩum duo
bus cẽſuerũt cõmittẽdũ, nec duob. Auſtriacis ſimul cõfidũt, quare ꝯdõnes oblatas reiiciũt. Põtifex q̃a
nũtiatũ eſset Cęſaris oratores quaſdã difficultates iniecıſse, q̃a nollẽt collegas iudicatioris, neq; Re-

gem

gem peculiarem protectorem eius reipub. appellari. literas ſcripſit ad ipſos, quibus hortabatur ad charitatem & pium officium ſumendum conciliandorum animorum Genuenſium, cum pax & concordia vna ſit è rebus deo gratiſſimis, & Cæſari non iniucunda futura. Sed enim quia ſuperius cõditiones pacis à nouis ciuibus fuiſſent reiectæ, oratores ſedulo incumbentes negotio Francũ Spinolam remittunt ad veteres vt illos in ſententia confirmaret, hortareturq; vt inuicto eſſent animo, neque ſuſceptum negotium ob primam repulſam deſererent. Non hoc primum eſſe negotium quod initia habeat difficilia, cum omnia propè magna, vtilia, honorifica maiorem difficultatem habeant in initiis, quæ laboribus ac ſudoribus ſunt circumſepta. iuſſus eſt eos hortari ad res componẽdas. proponere quamuis non valde iniucundæ appareant radices bellorum, fructus tamen ſolere eſſe acerbiſſimos. oſtendere quam incerta ſit omnibus victoria, & quantum in periculum ſi diutius principes irritauerint, libertas patriæ coniiciatur. demonſtrare officium bonorum ciuium, patriæq; amantium. aperire certam felicitatem eſſe in pace, & illam quidem omni felicitate bellorum contra patriam præſertim multo laudabiliorem. Poſt adhortationes iuſſus eſt etiam oratorum conditiones quaſdam offerre. Amuratus dum hæc geruntur in finibus Ligurum, audito diſceſſu Galli Regis è regno Poloniæ, & coronatione Gallorum, comitiiſque indictis creandi noui Regis Poloniæ ſcripſit literas huiuſmodi ad comitia, quibus petebat vt ſibi amicum Regem eligerent, niſi cuperent omnia contentionibus, & diſcordiis repleri. Illuſtribus potentibus ſenatoribus conuenienti gratia, Amuratus Deus terræ, gubernator mundi vniuerſi, nuntius Dei, fidus ſeruus magni prophetę Mahometti. nemini dubium eſt Illuſtres ac potentes ſenatores noſtros anteceſſores magnam coniunctionem tenuiſſe cum regno Poloniæ ac immortales, & ſanctas pactiones multos annos. Idcirco nobis viſum eſt iuſtum & honeſtum, ut uobis in memoriam reuocaremus hoc antiquitatis, & amicitiæ vinculum, quoniam ſcimus regnum veſtrum hiſce diebus relictum eſſe ob diſceſſum Henrici illuſtris ſanguinis Galliæ amici noſtri coronati Regis, qui è veſtro regno ob malam exiſtimationem inobedientiamque veſtram erga tantum Regem abiit, neque ſanè amplius rediturus eſt in Poloniam. Quare vt ad nos defertur, quod an verum ſit neſcimus, inter vos agitur de creando nouo Rege tranſmiſſo coronato Henrico, & præcipuè de Maximiliano imperatore aut Duce Moſchouita deligendo, viris inconſtantibus, nobiſque magnopere inuiſis. Nam profectò poteſtis cognoſcere non ſolùm cuiuis veſtrum eos fore infenſos, ſed nobis etiam: quare cauete ne decipiamini, & videte ne veſtra fœdera, & pactiones non poſſint per eorum virtutem diutius ſtabiliri. atque idcirco proſpicite magna pericula, & damna in quę poſſetis incidere, quæ vobis proponere nobis viſum eſt. curate igitur ne veſtrę reipub. res grauiores contingant. ſcimus autem inter uos eſſe viros nobiles, & ſapientes, qui utilius imperare poſſent, quòd ſi forte neminem veſtræ nationis eligere placet, nõ longe diſtat à vobis Stephanus Battor Tranſyluaniæ princeps maximæ & dignitatis & virtutis, cuius opera atque ingenio pacem, & regni veſtri tranquillitatem conſequi poſſetis. Quòd ſi aliter feceretis ueſtrum Deum, & ſeruum eius magnum prophetam obteſtamur quòd per nos deſtruentur, ſubiicienturque regno noſtro omnes facultates, & bona veſtra, quæ vna vobiſcum, & cum filiis veſtris atque vxoribus concedentur in prædam, & ſeruitutem militibus noſtris, & præſtantiores ciuitates veſtræ Cracouiæ, & Leperis. neque hoc dicimus tamen quia vel tantillum de fide, & de conſtãtia veſtra erga nos dubitemus. quod reliquum eſt, mandata dedimus Soldano oratori, à ſecretiſque noſtro quæ ore tenus dicere placuit, cui vt credatis vos precamur. Byzantio die vltimo Septembris anno natiuitatis Mahometti prophetę. 983. imperii noſtri verò primo. Ioan. Andreas Auria lectis literis Magni Ducis Hetruriæ deſiderii quietis, & Italicæ tranquillitatis plenis, propriæque ſecuritatis, & conſeruationis rerum regiarum in Italia, reſpondit hæc per literas, ſe coactum fuiſſe arma capere propter turbulentas res patriæ, cognouiſſeque nullam redditam eſſe rationem rerum Genuenſium ipſi Magno Duci, qui tamen poteſt exiſtimare Auriam ſemper habere ante oculos, & proprium, & familiæ ſplendorem, & patriæ libertatem, quorum nihil in oppugnanda patria poſſet conſiſtere. Sibi moleſtum eſſe quòd ipſe rationem non reddiderit, ſed hoc accidiſſe quòd ſperaretur in dies res compoſitum iri. Deinde ſibi non conueniens iudicauiſſe inquit patriæ indecora omnia patefacere. Sed tamen neque hoc non facturum fuiſſe ſi fortunatiorem reliquis principibus in hoc negotio Magnum Ducem iudicauiſſet. Suum ſemper fuiſſe conſilium tot tantiſque perturbationibus quieta & pacata remedia adhibere, quod hactenus factitatum eſt. rogat Magnum Ducem vt in memoriam reuocet libertatem vrbis Genuæ originem cepiſſe ab Auria familia, quæ ſemper illam tutata eſt aduerſus oppreſſuros, quod pro facultatibus, & ſanguine factum eſt, & quòd tenetur imitari maiorum uirtutem, cum qua ſola ſtare poteſt conſeruatio honorum, & glorię à maioribus relictæ. neque res geſtas ipſius tam eſſe obſcuras, ut ex iis cognoſci non poſſit non minus eum eſſe hęredem uoluntatis, quàm facultatum principis Auriæ. quę ſi conſiderata ſint patebit ipſi Magno Duci nullum conſilium obſcurum aut patum conueniens priuatum in animum ipſius Aurię poſſe cadere, ſed ſolum zelum Chriſtiani verè hominis & boni ciuis, & hęredis liberatoris patrię libertatis. Patebit item arma ſumpta poſt multos menſes non aduerſus patriam potius, quam aduerſus patrię quietis perturbatores fuiſſe. nam ſi animi poſſeſſorum vere affecti ſint ad complectendam pacem, quod attinet ad egreſſos, neque horam quidem negotium differetur: quod quidem non fieret niſi exquiſita eſſet ciuium nouorum obſtinatio, cuius certiſſimum eſt argumentum illud decretum, quod poſtremum factum eſt. nam nihil eſſe quod certiores facere poſſit veteres ſententiam à nouis acceptum iri, quia verentur ne ſemel decepti per fidem datam vel Regio nomini nunciterum fallantur. multa in pacis conditionibus adiungi ad dilationem potius, quàm ad ſinceritatem & veram concordiam. Commodum domicilium vel in vrbe, vel

Literæ Amurati ad Polonos.

Literæ Ioan. Andreæ Auriæ ad Magnũ Ducem.

be, vel in ditione negari ueteribus donec feratur ſententia vel oblatis obſidibus, certum eſt indicium non optimè affectę voluntatis. Illud magis credi conuenit illorũ eſſe conſiliũ, tot viros nobiles & bene de patria meritos velle è repub. per tyrannidem, & impietatem eiicere, neque tamen minorem eſſe in vrbem violentiam, cum omnia ſint à viris bonis relicta, ſolique pernitioſi, & ſeditioſi ciues rebus priuatis, & publicis dominentur, quibus magiſtratus coguntur parere. Quæ cum ita ſint, ſe non poſſe deeſſe inquit boni ciuis officio, & imitandis reb. geſtis Aurię principis, aut ſuſceptam prouinciam deſerere reprimendæ tantæ violentiæ ac tyrannidis, donec peruentum ſit eo, vt tutum, & commodum domicilium concedatur veteribus, iuſtitiaque iura ſua ſortiatur, atque oſtendatur uerum pacis & concordię deſiderium, principatusque ſtabilimentum ac libertatis reipub. quę cauſa cum tam iuſta, piaque ſit, non modo nulla ſe reprehenſione dignum eſſe inquit, aut qui autor fuiſſe perturbationis Italiæ cenſeatur, ſed qui auxiliis, & gratia ab ipſo Magno Duce & ab omni bono principe iuuetur, ſi illis opus fuerit. Harum autem rerum geſtarum iudicium ad Regem ſpectare, pro cuius prudentia, autoritate, amplitudine ſe maximam laudem putat relaturum. Suppliciter petit ab ipſo Magno Duce vt ipſum habeat in numero ſeruorum, ſicut fuit ſemper eius sereniſſimę familiæ, & ipſe & ſui maiores, neque in animum incidere patiatur quidquam quod ſit aut tanto patrocinio aut ipſo Auria indignum. in primis autem ſibi perſuadeat quòd vita ab ipſo minoris fiet quàm conſeruatio reipub. libertatis, tanquam decus, & ornamentum principis Aurię. cum igitur ad aliquam honeſtatem cum veteribus eiectis deuentum fuerit, idem temporis momentum per me efficietur inquit vt pacem compoſitam ſentiat. illud reſtat perpendendum, quòd tametſi controuerſiæ concredentur inter ipſas factiones de forma adminiſtrationis reipub. non tamen intelligendum eſt in diſputatione poſitum vtrum eiecti debeant redire, nec ne; quoniam perſpicuum eſt eos tutò redire oportere, vel ſaltem habere domicilium tutum & capax intra fines ditionis, quoniam id moris eſt vbi controuerſiæ concredantur, vt res ad priſtinum ſtatum perducantur. At in finibus Pannonię res non ſegniter agebatur, quamuis potius frequentibus inſidiis, & direptionibus certabatur, quam vllo aperto marte. nam cum ad quatuor millia armatorum Turcarum in vnum clam cõueniſſent, & admiſti agreſtes oppida quędam vt diximus occupauerant repentino aduentu, quæ erãt Cæſaris, omneſque oppidanos vel miſerabiliter trucidauerant; vel ceperant & abduxerant. deinde rapinis & incendiis multa finitima ſunt deuaſtata, quare Cæſariani coacti ſunt quaſdam copias colligere ad regionis defenſionem. atque cum illa oppida fuiſſent ab Amurato per Cæſaris oratores Byzantii repetita, tanquam ſubdolè capta & contra fidem per occaſionem induciarũ, tamen obtineri non potuerunt, quia Turcę raro rationi parent vbi arma fuerint inferiora, quippe quibus notum eſt quod omne imperium propè incœperit à rapina. atque cum periculoſum videretur ne Cæſariani per arma repeterent, quod per æquitatem Turcicam impetrare non poſſent, quia Turcicum fieri diceretur ab iis quodcunque vngula Turcicorum equorum conculcaſſet, ſcripſit Amuratus ad purpuratum Curtenſem vt nulla ratione pateretur caſtella capi à Cęſarianis. at Cęſaris miniſtri interea queruntur apud purpuratum per verba plena æquitatis quòd iniquum ſit & ab omni humanitate alienum nulla accepta iniuria per ſolam auaritiam repente in illum inſurgere, cum quo multos annos aſſiduam amicitiam quis execuerit. Eſſe probabile iniurias propulſare, & in perfidũ etiam amicum ſęuire, ſed in obſeruantem amicitię nullam iuſtam aut ſatis honeſtam videri rationem, niſi ſi qui principes omnium ferarum ſint immaniores, qui certe vindicem iniquitatis Deum mox experiuntur. reſponſum eſt à purpurato oppida ſumptibus, & copiis imperatoris capta non poſſe iniuſſu imperatoris reſtitui, cum ipſe acquirendi, at non reddendi ſit miniſter. ſe perſcripturum diligenter, & amicè ad Amuratum de his reſtituendis. reſcripſit Amuratus bello parta ab imperatore iure belli legitimè poſſideri. vteretur opera viginti millium armatorum ſi opus eſſet, quos erat miſſurus, nec vlla ratione pateretur per vim armorum Cæſarianorum caſtella recuperari: donec ipſe cum ſexaginta millibus equitum & octoginta peditum Scytharum accederet, qui proxima hyeme futurus erat in hybernis in illis locis vt promptior ineunte vere exiret ad Iuliobonæ expugnationem. ſic enim fore putabat vt animi Cęſarianorum perculſi metu ingentis belli ad conſiderationem bellicorum apparatuum ab omni cogitatione recuperandorum oppidorum reuocarentur, arbitrarenturque præclarè ſecum agi ſi præſentem iacturam tantum feciſſent. hortatur purpuratum vt Papa & Riſpia potiri aliqua ratione niteretur, quo maxime liber acceſſus pateret copiis quocunque eſſent perducendę. Cæſar, vt cui cognitę eſſent per longam experientiam artes Turcarum, quique cognouiſſet cupiditatem regnandi vna cum rebus felicibus & imperii amplitudine ſuccreſcere, non reformidat immania hoſtis conſilia, quę obnuntiabantur, quæque dicebantur ſpectare ad Iuliobonam, & omnes Pannoniæ fines occupandos, ſed cenſet quod erat, hanc artem ſpectare ad vſitatam Turcarum auaritiam. Veruntamen ne prudentis imperatoris officio defuiſſe appareat, cui maximè conuenit proſpicere ſubditorum ſaluti, nulloſque vel vanos rumores de maximis rebus negligere, ſignificat per literas omnibus Chriſtianis principibus periculum in quo res Chriſtiana foret conſtituta, quoniam de ſalute omnium ageretur. Amuratus quo magis etiam ſollicitum animum Cæſaris teneret, melioreſque conditiones extorqueret induciarum, ſignificat per literas ſe velle tributum ab ipſo Cęſare & à fratribus Archiducibus propter principatus, quos poſſiderent. minatur etiam inſolenter ſi vel ſuo ipſius, vel alterius principis nomine ſollicitaret Polonos ad aliquem Regem eligendum. Cęſar vel inter has minas de ſpe induciarum non deciderat, neque Iuliobonam tanta diligentia munit, quanta rei magnitudo, ſi rumor fuiſſet verus, flagitabat, neque cętera oppida quæ erant in finibus, quoniam ſciebat tantum negotium ſpectare ad auiditatem, & meliores conditiones induciarum, quòd omnia conſilia, & res Turcarum vænales, & ad vtilitatem ſpectantia

Pãnonię res turbulentæ.

Stratagema Turcarum.

ſunt

ant apud auariſſimum & barbarum genus hominum. mittit igitur legationem de pace tractanda, atque nihil innouari à ſuis copiis imperat ante reditum legationis. At in Belgio, quoniam res conuenire nullo pacto poterat, cœptum eſt pluribus in locis pugnare. nam cum Hierges regulus ſummus imperator regiarum copiarum haberet in caſtris multa millia peditum atque equitum, decreuit omni qua poſſet diligentia inferioris Belgii regiones ſubiugare, quo conſilio ad aquas Auguſtas primum caſtrametatur, omnibuſque rebus ad expugnationem vſitatis ſtudens magna diligentia oppidum concutit. nec multo poſt repetitis conatibus illud inuadit, atque per vim armorum expugnat. ſeuitur in omnes incolas oppidi, cum non pauci Hiſpani in ea pugna cecidiſſent, nulloque habito delectu vniuerſi coloni deleti ſunt. itum eſt deinde poſt illam cruentam victoriam ad vrbem Scohouē in litore maris Oceani ſitam. poſitis caſtris ac de more foſſis, & aggeribus circumuallatis cępit vrbem multis muralibus tormentis magno ſtudio diuerberare. Scohouenenſes ut uim hoſtium procul à ſe dimouerent quoſdam aggeres incidunt, per quam artem fit vt ad duo milliaria proxima quæque vrbi ſub vndis occultarentur, omniſque ager in ſtagni morem ſub aquis tegeretur. neceſſe fuit igitur obſidentibus mutare conſilium, atque deſerta verberatione vrbis tormenta per magnam difficultatem retrahere, ſeque procul ab vrbe recipere. nō tamen minus arctè ſic à Regiis copiis obſidebatur, quoniam ab equitatu & peditatu omnes aditus ita erant intercluſi, nihil vt commeatus in vrbem ingredi poſſet. at quoniam vires Aurantianæ multo maiores Regiis eſſent in Oceano, decreuit Aurantius ſi terra non poſſet, mari certe ſubſidia Scohoueni obſeſſæ vrbi ſubmittere. Inſtruit vndecim nauigia rebus omnibus ad pugnam neceſſariis, quæ trecentos pedites, & commeatum, & apparatus bellicos obſeſſis conueherent. Illo conſilio ab Hiſpanis per diligentiſſimos exploratores cognito itum eſt obuiam cum viginti & octo nauigiis uarii generis, omnibus tamen eximiè ad pugnam inſtructis. Vbi propius uentum eſt pugnatur vtrinque ſingulari virtute. Sed poſt acre prælium, in quo demerſa ſunt duo Aurantiana nauigia tria tantum capta ſunt: reliqua fuga & virtute nauclerorum ſe ſeruarunt. ceciderunt ex Aurantianis militibus ad centum & quinquaginta, è Regiis paulo plures quadraginta. Vrbana præſidia cognita clade ſuorum, iacturaque expectatorum ſubſidiorum deciderunt prorſus de omni ſpe recentium auxiliorum, quare ciues Scohouenſes quòd uiderent præſidia non eſſe tanta, quanta poſſent urbem aduerſus tantas vires hoſtium defendere, ſi inuaderetur, neque quanta poſſent reſiſtere conſilio ciuium ſi uellent ſe dedere, conſilium vt in ea difficultate rerum ſalubre ac propè neceſſarium capiunt. decernunt præſtare ſaluti conſeruationique ciuitatis ſe dedere, atque cedere potentiori fortunæ dum res eſſet integra, quàm expectare vt conquaſſati, afflictique rebus labefactatis in poteſtatem hoſtium inuiti peioribus conditionibus venire cogantur. Præſidia nouæ religionis cognitis his ciuium conſiliis, perceptaque populi voluntate, & vrbanæ multitudinis, quę ab ipſis diſſentiret, quam tamen in officio vel ſi maxime vellent retinere non poſſent, putant rebus ſuis maturè eſſe conſulendum. Idcirco vna cum ciuibus conſentiunt vti fiat deditio, ſi honeſtæ conditiones inueniantur. Poſt multas propoſitas conditiones res ita demum compoſita eſt, atque his conditionibus paciſcuntur; Vt liceat incolumibus militibus præſidiariis cum armis, & impedimentis & vexillis ad profectionem erectis ad ſonitum tympanorum excedere intra certū tempus. Vt ad oppidum Vuordunum in tutum deducantur, quod eſt natura & arte munitum, & aquis ſatis profundis ac latis undique circundatum. Vt res omnes, apparatuſque bellici illæſi in urbe relinquantur. his conditionibus utrinque ſubſcriptionibos cōfirmatis Hierges mittit equitatum pro data fide qui egreſſa præſidia illęſa in tutum comitaretur, quibus ex vrbe digredientibus ingreſſæ ſunt urbem tres cohortes Hiſpanorum, qui placide & magna humanitate populum ciuitatis tractarunt, ſicuti facere iuſſi fuerant, quo ciues reliquorum locorum illa clementia, iuſtitia, bonitate victorum inuitarentur ad deditionem. Illa uictoria quoniam viſa eſſet magni momenti ad res bellicas, edita ſunt Antuerpiæ & in multis ciuitatibus Belgicis catholicorum multa ſigna lætitiæ. Poſt ita captam vrbem Scohouen excitata eſt munitio in parua inſula quæ terra Anuatſpalti uocatur, vnde poſſent proxima quæque ab eius munitionis præſidiis infeſtari, qua ratione diu vexata apparebāt facilius poſtmodo poſſe expugnari. Aurantius cognita Scohouenis iactura adauget Dordrechti præſidia quingentis peditibus & equitibus ducentis. remouet ſuſpectos ciues ad Scohouenis exemplū, quod ipſum fit in aliis etiam locis ac munitionibus. neque minus erat certamen circa Annuater vrbem amplam & opulentam poſt captum Scohouen, quoniam illuc totis caſtris itum eſt ad urbis expugnationem. Hierges pręconem mittit ad ciues Annuaterenſes qui eos hortaretur ad deditionem eius vrbis, quę ipſo iure eſſet Regis, at non principis Aurantii. iubet proponere honeſtas conditiones deditionis, quæ poſſent apud ipſum imperatorem Regiarum copiarum facile inueniri, ſi iſtud opportunè fiat, cum pertinaces, & obſtinati perrarò humaniter tractari conſueuerint. reſponſum eſt virorum fortium virtutem armis, at non minis poſſe infringi. duces ac milites præſidiorum non eſſe arbitros aut iudices ęquitatis principum, ſed tantum cuſtodes ac defenſores rerum ſuę fidei commiſſarum. Illo reſponſo accepto mota ſunt caſtra & ad vrbis expugnationem itum. cęptū eſt aggeres erigere, caſtra munire, foſſas excauare, areas tormentorum parare, ac tabulata ſubſterni. tormenta inter corbes vimineos terra plenos dirigere. defenſiones vrbis proſternere. męnia ad conatus concutere. nam cum triginta & duo muralia tormenta magno ſtudio & impetu vrbem diuerberarent, non ſegniter ab obſeſſis interius fiebant reparationes aduerſus conatus hoſtium, ſi paulo poſt vrbs inuaderetur. ignes elaborati in proximos conatus magna diligentia parari. aggeres, & latera interius ſtrui aduerſus factas verberationes. cuniculi in inuaſuros excauari. nihil operis aut induſtrię ad pręualidam maximeque cruentam defenſionem relinqui. obſeſſi vt videri poſſent etiam magis obſidentium copias, vireſque contemnere facinus ſceleris, dementię, & furoris plenum excogitant.

Clades Aurātii maritima.

Scohouenis deditio.

Reſponſum Annuaterenſium nobile

Annuaterenſiũ Iconoclaſtarum facinus.

excogitant. Imagines ſanctorum & innocentium hominum rapiunt è templis magno impetu. Illas tanquam captiuas vna cum reliquis templorum ornamentis ad mœnia protrahunt.in locis eminentioribus mœniorũ, unde facile ab obſidentibus proſpici poſſent, multis contumeliis afficiunt in contemptum catholicorum: quaſi cum imaginibus, & ſtatuis, & picturis diuorum acerrimum bellum eſſet gerendum. Vbi exaturatus eſt furor, exantlataque dementia dicendis contumeliis, omniſque vis verborum in has abſumpta, multaque illata ignominia, neque ipſæ ſtatuæ dicta refelliſſent, imagines ipſæ atque ornamenta templorum in conſpectu omnium concremantur. Tanta inde nata eſt indignatio omnium obſidentium aduerſus illam inſolentiam, vt in minutis certaminibus, quæ multa certe commiſſa ſunt, nemo caperetur, ſed omnes in morem acerbioris ſæuiorisque belli trucidarentur. cum uero poſt diuturnam verberationem vrbs ab obſidentibus copijs in acie instructis inuaderetur, defenſores fortiſſime armis reſiſtunt. pugnatur acerrime, & ſingulari virtute ignibus miſſibus, & omni genere telorum, quoniam hos ira, & indignatio ob contemptum ſanctorum impellebat ad pugnam, illos faciebat fortes, acuebatque ad defenſionem magnitudo periculi, quia certiſſimum excidium ſibi imminere videbant, quod nulla alia ratione niſi per ſtrenuitatem ac fortitudinem, & vim ferri deuitari poterat, quare magna futura erat clades vtrinque, niſi uis numinis meliorem partem adiuuiſſet, eſt enim durum certamen, quod cum iis, qui ſpem vitę abiecerint, committitur. Cum ignis igitur iniectus fuiſſet cuniculis, tanta uis venti repente exoritur in obſeſſos, ut omnẽ vim, impetumque flammarum deferret in defenſores, qui maiorem cladem per ignem diuinitus acceperunt, quam per arma hoſtium uictricia. Multis Annuaterenſibus abſumptis per repentinam felicitatem inuadentium, vrbs priuata defenſoribus facile capta eſt, & in omne genus animantiũ ferro immaniter ſæuitum. Cæſi trucidatique ſunt non modo conſcii ſceleris, & omnes puberes, ſed et ignari ac prorſus omnes in vrbe inuenti, neque habita eſt ratio vllius ætatis vel ſexus vel dignitatis, ſed quod ridiculum videri poſſet, bruta etiam furorem victricium copiarum perſenſerunt, quæ ſuo ſanguine coacta ſunt luere dementiam dominorum. pugnatum eſt tamen fortiſſime à ſeptingentis Gallis ad extremum vſque, quod prelium ſanè fuit non minus victoribus, quàm victis funeſtũ. nam pleriq; primarii duces, & ſigniferi, & primipili anteſignanique milites in eo certamine ceciderunt. uulnerati ſunt ferè quingenti. Vrbs certe poſt cruentam victoriam direpta, & ſuccenſa eſt, ac prope funditus euerſa in ultionem ſacrarum ſtatuarum, & picturarum concrematarum.

Annuaterca ptũ & euerſum.

Neque minore virtute utriuſque factionis pugnatum eſt in mari Oceano, quãuis multo ſuperiores eſſent vires Aurantianæ: nam cum in Vaurlatii, Hoornæ, Eincuſæ regionibus rumor eſſet diſſipatus quòd Robles regulus præfectus Buſaterorum nouam claſſem triginta ferè nauigiorum uarii generis inſtrueret, vt Texellam inſulam parum ab Eincuſa diſtantem adoriretur, Aurantiani collecta & ipſi ingenti claſſe, quam habebãt in uariis locis diſperſam, quę conſtabat è pluribus ſeptuaginta nauigiis, inter quæ nonnullę erant triremes, eaque rebus omnibus egregiè inſtructa, his occurrunt. vbi propius ventum eſt, committitur pręlium ſanè cruentum, & atrox, tanto ſtrepitu, tantoque bombo tormentorum, vt omnia circum tremere, & cœlum fumo flammiſque inuolui videretur. ad extremum uictoria fuit penes Aurantianos, qui multis captis nauigiis Hiſpanis cum inſigni clade Hiſpanorum leti, & gloriabundi è pugna diſcedunt.

Pugna naualis in Oceano occiduo.

Veruntamen non arma tantum mortalium ſæuiebant his in locis, cõuertebanturque ad pernitiem populorum, ſed etiam indignatio numinis magnam peſtilentiam in Olanda, Menapiis, Tongris, atque Ambiuaritis excitauit, quę etiam Artobrigæ Vindelicię exarſit, per quam multa millia mortalium miſerabili lue interciderunt.

Peſtis Belgarum.

At in Gallia comata quoniã eſset auditum res Belgis non ſatis feliciter ſuccedere, quia vrbes ibi paulatim virtute regiarum copiarum ſubiugabantur, Condeus ne facilius poſtea opprimeretur in Gallia deuictis Belgis à duobus regibus ad euellendum radicitus nouam religionem conſpirantibus, cum ſibi plurimum conferret vires, ut Regiæ diſtraherentur, neque poſsent ſe mutuis auxiliis iuuare, cum quadraginta cohortibus lectiſſimorum ac veteranorum peditum, & ſex millibus equitum Maſtrichium verſus iter facit, vt his viribus cum Aurantianis coniunctis ingenti ui armorum res affligeret Regias. Huius aduentu ab Hiſpanis audito motus eſt Hiſpanus peditatus, & vallones qui erant in Olanda, vt acceſsum horum auxiliorum impedirent, à quibus quoniam ſtipendia ſex menſium deberentur, vix per prefectum Ioã. Baptiſtam Montium, & Bernardinum Mendocium obtineri potuit vt ad fluuium Moſam ad impediendum hoſtilium copiarum, & Condæi traiectum accederent. Sciatilioneus & ipſe cum duobus millibus equitum Germanorum Lotaringiam ingreſsus Condei aduentum expectabat, ut una progrederetur. Maſfeltius Comes ex altera parte Leucos verſus iubet arbores ubiq; decidi, quo ſic iter Eburones verſus à Gallicis uiribus occupatur. Quæ dum hinc inde geruntur in finibus Gallorum & Belgii, Amſterdamum vrbs ampla, & opulenta penè capta eſt per artem Hiſpanorum. Eſt autem Amſterdamum urbs nobilis Batauorum tota fundata ſuper craſſis arboribus, & vallis condenſatis magna ui defixis, quę habet multa, & priuata, & publica ędificia magnifica. eſt in ea incredibilis opulentia, & multitudo ciuium permagna, eſtque natura, & arte munitiſſima ac propè inexpugnabilis. poteſt enim aqua ita a ciuibus in proximum agrum tranſmitti, ut latiſſimè ſtagnet ad formam maris. habet & multas lacunas peramplas, & profundas, per quas accedũt frequentia nauigia mercimoniis onuſta è Gallia, Britannia, Hiſpania, Luſitania, Germania, Polonia, Liuonia, Noruegia, Oſtarlante, Suetia, aliiſque locis ſeptentrioni proximis, atq; ut uno uerbo dicã, ex uniuerſa Europa Septẽtrionali. nã illud accidit bisquotãnis, vt trecẽta aut quingẽta nauigia cũ mercimoniis ſimul ꝯueniãt, atq; tanta eſt ciuiũ opulentia, vt oĩa intra ſpatiũ quinq; aut ſex dierum à ciuibus emantur, & exportẽtur. accedunt ſæpius, & nauigia Olandenſium, quas illi Vlchas appellant. obtinet primum dignitatis gradum hæc ciuitas in Belgio poſt Antuerpiam, cum ſit nobiliſſimum emporium, plurimumq; abũdet

Amſterdami deſcriptio.

omni

omni genere mercaturæ. Cæterum Hiſpani ſpe huius vrbis occupandæ per inſidias allecti lintres quoſdam ita inſtruunt, vt lignis, & fœno onuſti apparerent, ſub quibus concinne coordinatis latebāt armati milites. conuenerant per clandeſtina colloquia ciues nonnulli, vt viſis his lintribus continuò portam vrbis aperirent. Sed res immaturè, & ante tempus per vnum è conſciis patefacta ſubuertit negotium Hiſpanorum, irritaq; fecit omnia illorum conſilia, atque multis ciuibus cauſa fuit ſuſpendii. Aurantii interea vicarius Olandam, & Zelandam inſulas non vulgari ſtudio munit, quo illas tutas ab Antuerpia, & Tergouce redderet, quoniam felices Hiſpanorum ſucceſſus non ſatis profunde dormire patiebantur. duo nauigia eximiæ amplitudinis ad formam quinqueremiū inſtruit. tormenta bellica ex vrbibus Bruxellis, & Grudiis ſiue Louanio extrahit, quibus illæ aduerſus hoſtes inuaſuros munirentur. Nec ita multo poſt Hierges Caſandrecho portu per vim armorum potitur, qui parum diſtat à Dodrechio, atq; vniuerſæ propè illæ regiones metu ac trepidatione replentur. Sed quoniam Vuater, quod oppidum ſitum eſt inter Vtrechium, & Goruinum, ea ſunt nomina oppidorum Belgicorum, commeatus cōuectionem impedire putaretur quominus poſſet in caſtra comportari, in quo oppido erant quatuor Gallorum cohortes, itum eſt totis caſtris ad illius expugnationem. at quia duæ munitiones prius fuerant excitatæ ab Hiſpanis non procul ab Vuatere ac poſtea deſertæ, atque ab hoſtibus occupatæ decertatum eſt prius de illis non ſine inſigni vtrorunque clade. veruntamen ad extremum obtruncatis omnibus præſidiis virtute Hiſpanorum illæ munitiones ſunt recuratæ. Neque in Gallia quidem res conquieſcere vllo pacto poterant, quia radices diſſenſionum ac malorum non prorſus fuerant ex animis hominum conuulſæ: nam modo huc, modo illuc fluctuēt neceſſe eſt, qui ſemel à recto tramite prudentiæ, & æquitatis declinauerint. cauſa perturbationū fuit quia non ſatis firmi erant animi illorum, qui à catholica religione, auitoque cultu Dei deſciuerant, quòd errorem inſignem commiſſum fuiſſe à pleriſque cognoſceretur. His motibus atque adeo fluctibus nouarum ſeditionum cognitis ab Alenconio principe, neceſſe fuit ut ad res ſedandas ad oppidum Drox vocatum quam citiſſimè contenderet cum multo peditatu & equitatu, ut oppidanos, & finitima caſtella metu præſentium virium in fide atque in officio retineret. Iſtud ipſum facere coguntur Dux Auguſtonometanus, & magnus Prior, illud eſt dignitatis nomen, qui cū aliis copiis Carnuntum ad vrbem eadem de cauſa proficiſcuntur. Ghiſius vt rem catholicam pro viribus ſuſtentaret, opemque ferret ad auitam religionem redire cupientibus collecta magna manu militū commiſſo ex itinere ingenti prælio cum copiis nouæ religionis duo raitrorum millia & quingentos equites Gallos inuadit. Fit atrox ſanè, & cruentum certamen. pugnatur acriter vtrinque. victoria denique fuit penes Ghiſium, quamuis plumbea glande nares traiectus fuit. Sed quoniam maioribus viribus opus eſſe appareret principibus nouæ religionis, ſi res magis ardeſceret, indicta ſunt illorum comitia Argentoratum, vt conſilium caperetur de omni re bellica, quò multi proceres conuenerunt. præcipuæ autoritatis fuerunt præter cæteros duo Gaſparis Amirantis cæſi filii, Andelottus, Dux Dupontius, fratres Mareſcialli Anuillæ, in quibus comitiis decretum fuit, ut Alenconius princeps iuuaretur duodecim millibus armatorum, & octo muralibus tormentis, quæ ab urbe Argentorato ſunt impetrata, pro quibus reſtituendis dati ſunt obſides Amirantis filii. Filius item comitis Palatini vbi reconciliatus fuiſſet patri, à quo diſſenſerat, obtinuit ut liceret militare contra Gallos, quod prius obtinere non potuerat. At regina mater, cui grauiſſimæ videbantur tot Galliæ ruinæ, cædes, deuaſtationes, incendia, populationes, omni ſtudio procurat, vt res ad firmam tranquillitatem perducerentur, quo conſilio ad vrbem Bleſiacum contendit, ut cum filio Alenconio ueniret in colloquium. ubi multis rationibus conata eſſet filio demonſtrare non conuenire viro bono, nedum bono principi, patriam populari, auitam, & incontaminatam religionem oppugnare, regionem in qua natus educatuſque ſit euertere, regna deuaſtare, acceptorum beneficiorum obliuiſci, plus iræ, & cupiditati, quam rationi tribuere; reſponſum tulit neque par deſiderio ſuo, neque valde repugnans. Sibi non videri conuenienſ, vt principes priuatorum munia, neque ut priuati principum arripiant. æquum uideri ut magnus cancellarius, & Mareſciallus Gondius præfectus peditum abdicentur, ſibique concedatur illud imperium. neque mirum uideri debere ſi iniquitas per vim repellatur: cum crudelitas non ſemper humanitate retundi poſſit, neque auaritia liberalitatem aduerſariam magnopere formidet. Profitetur ſe non leuiter aut imprudenter à fraterna obedientia receſſiſſe, ſed maxime neceſſariis de cauſis, atque in primis ne vniuerſæ Galliç ruinam, & deuaſtationem per obſeruantiam fraternam videret. his ſubiunxit ſe velle catholicorum ſed uere bonorum ęquè, ac nouæ religionis hominum, & totius regni Galliæ ſuſcipere defenſionem, donec res ad priorem ſtatum, primamque tranquillitatem ſint perductę. Mittit etiam legationem ad Pontificem placandum, per quam profitetur ſe velle eſſe filium obedientem ſanctę catholicę Romanæ eccleſię, cum non aduerſus religionem arma ſumpſerit, ſed aduerſus Gallicæ libertatis oppreſſores ac perturbatores patriæ. rogat ipſum pontificem, vt tātarum calamitatum illorum populorum aliquod ſalubre remedium inueniat, miſereaturque regni ad extremum excidium labentis. Docet ſe arma ſumpſiſſe ad eiiciendos exteros miniſtros è regno, & ad excutienda extraordinaria, nimiſque grauia tributa. His Alenconii legationibus data eſt audientia prȩſentibus purpuratis patribus, atque reſponſum facile poſſe omnium miſeriarum Gallicarum remedia inueniri, ſi tantum Alenconius ad fraternam obedientiam rediret. Neque vero ſolum Gallia, & Belgium inter ſeditiones de religione fluctuabat, ſed etiam comitis Palatini vniuerſus propè principatus variarum hęreſium ſemina paulatim conceperat: nam non vnū genus erat erroris, quod illi populi complectebantur, ſed alii Martini, alii Caluini, alii aliorum hęreſiarcharum dogmata ſtudioſius ſectabantur, quod antequam latius ſerperet Comes Palatinus ad exterminandam hanç varietatem religionum colligit duo millia equitum ac nouem peditum, imperatque per prçconem in vni-

Amſterdamum per inſidias tentatum.

Bellici tumultus Gallici.

Reginæ matris hortatio

Seditiones in principatu Palatini.

in vniuerſo ſuo principatu, vt Martini ritus ad religionem ſpectantes exterminentur, ac ne populi inſurgerent, copias in opportuna loca diſtribuit. Pontifex quoniam intelligeret Gallorum Regem mirificè laborare penuria rei pecuniariæ propter diuturnitatem bellorum, decernit ſtipendia perſol uere quatuor Heluetiorum millibus. Significat legato per literas, vt conuocatis primariæ autoritatis ſacerdotibus ſignificaret uoluntatem eſſe pontificiam, vt rex centum millibus nummum quotannis iuuetur per huiuſmodi opportunitatem. concedit ut prouentus tantùm eccleſiaſtici poſſint aliena-ri ad certum tempus. nam Heluetii quoni am nummorum inopia laboraretur in Gallia, ſibique de-berentur ſtipendia ſex menſium, dimiſſi ſunt à Rege, quibus tertia pars æris tantum fuit numerata. Tribuni Heluetiorum plurimum æris alieni quoniam deberent in Gallia per ſpem ſtipendiorum, queruntur ſe non poſſe vel dimidium diſſoluere. Idcirco obnuntiant fore, vt fruſtra rex illorum ope ra poſt egeat. non enim ſe in poſterum fore tam promptos. at Turcæ auditis apparatibus Hiſpanorũ non amplius in Africam ituris, ueriti ne claſſis aliquem locum tamen maritimum occuparet, colle ctis fere triginta millibus armatorum ad Aſcriuium conueniunt, quibus copiis præerant tres purpu rati Sanzachi uocati. Timebant enim ne Caſtrum nouum repente à claſſiariis copiis caperetur, & diriperetur: atque quamuis ingentes apparatus bellici Byzantii fieri dicebantur, tamẽ omnis vis eius imperatoris retuſa eſt, quoniam tanta erat iis peſtilentiæ, tantaque impetu illa craſſata eſt, vt multas hominum domos exinanierit, cum etiam maioris excidii metum excitarit incendium, quo abſum-ptum eſt Achmeti purpurati ſeptum. afflixit etiam non parum inſignis inopia rei frumentariæ, qua re non ſimplici calamitate res Turcica vexabatur. Luzalis tamen nihil diligentiæ in nauali tranſmit tit, ſed magno ſtudio inſtat inſtruendę claſſi ueteri, exædificandæque nouæ ornatiſſimæ, quæ quin-gentorum nauigiorum ſequenti anno exitura eſſe dicebatur. imperatur in omnibus maritimis vrbi bus parari panis nauticus in vſum claſſis. omnia replentur metu, & expectatione in annum ſequen tem. Maximilianus imperator, quoniam moleſtum eſſet inducias tandiu differri per ruinas, & cladẽ ſuorum ſubditorum indixerat comitia Artobrigam principibus imperii, quò cũ legationes, & prin cipes conuenire cœpiſſent, & ipſe proficiſcitur, vt de rebus bellicis ageretur, & de parandis copiis ad ſuſtinendas vires Turcarum, quæ dicebantur expectari in Pannoniam. Quę dum aguntur tot in lo-cis ad motus bellorũ, Bononiæ optimum, & ſaluberrimum conſilium adiuuante pontifice ſuſceptũ eſt ab illis ciuibus, & charitatis plenum, & quod vel vnum poſſet eſſe argumentum eximiæ bonitatis ingeniorum Bononienſium. Eſt enim Bononia urbs nobiliſſima & ampla ac populoſa Aemyliæ, clariſſimaque diſciplinarum officina in Italia, cum uiros habeat ſemper in omni genere diſciplinarũ prętantes, quas publicè profitentur. cenſuerunt hi ciues conſulendum eſſe vno tempore concordiæ mutuæque beneuolentiæ ciuium, & eorundem facultatibus, quę afflictantur aliquando per freque tes mercedes patronorum & iudicum, & diſpendia litigantium, cum certiſſimum ſit iudicium ma-le inſtitutæ ciuitatis, atque improbitatis ciuium multitudo litigiorum, nam uiri boni non magnope re indigent iudice, niſi ab improbis uexentur, & qua in vrbe lites iuſtè ſapienterque iudicantur, non valde audent improbi in iudicium accedere. at vbi inſcitè & iniquè iudicatur pro lucro ſportularũ, ibi nutriuntur multi in malignis contentionibus, qui alunt controuerſias forenſes. Bononienſes ne latrocinia fierent pro iure, atque ut omnia ciuium conſeruarentur, creant nouum magiſtratum, cuius eſſet munus diligenter inueſtigatos litigantes hortari ad arbitria amicorum, & ſumptus litiũ deuitandos. at quoniam quidam tam ſunt pertinaces ſuę opinionis tamque defixo animo in litibus, nulla vt ratione à ſubſelliis abduci poſſint, data eſt autoritas magiſtratui per pontificem vt vel inui-tos ſub grauibus pęnis ad ipſa arbitria poſſet compellere. non enim vir bonus eſt aut amans patriæ, qui pereuntes per litigia ciuium ſuorum facultates negligat, neque nitatur pro virili ipſos ciues in-columes & integros adhuc perducere ad concordiam. Cognitis ſuperioribus veterum ciuium pro greſſibus Genuæ cum multa neceſſaria in vrbe deficerent, ac multi ciues ſuapte natura eſſent ad pa-cem propenſi, ad quam etiam quidem propriæ rei deſiderio ob promiſſa impellebantur, pleriq; ſe-natum ſollicitarunt vt arbitrio miniſtrorum rem committerent, vt toties fuerant expetitum. id autẽ renuebatur à veteribus, niſi Sabbatia, & arx ſibi concederetur pro domicilio donec perficeret quod fuiſſet à miniſtris decretum. cum vero bellum non ceſſaret, & à miniſtris & à nouis literæ ſcribeban-tur ad principes veterum, & ad principes Italiæ querelarum plenæ, atque perturbatores libertatis reip. veteres in iis dicebantur, & Italicæ quietis, petebantque auxilia, ſed principes reſponderunt cum ſit bellum ciuile nolle ſe immiſceri. ipſi pacis rationem inueniant, quod facile erit ſi conſilio mini-ſtrorum paruerint. at quoniam vires veterum magis excreuerant quam antea creditum fuiſſet, mul-ti prius autores diſcordiarum nunc hortantur ad pacem, quia verebantur ne per bella ciuilia reſp. ve niret in ſeruitutem exterorum per vires veterum iam formidabiles, cum præſertim conſilium, appa ratus, humanitas, amor nouorum ciuium in remp. deſideraretur. nam magiſtratus neglectis pręſtan tioribus indignis deferebantur, qua peſte nulla eſt perniculoſior, aut quæ magis concitet odia in rep. niſi reſp. ſit omnium æquè improborum. cenſebant quidam Sabbatiam eſſe concedendam, ſed arcẽ ſeruandam præſidiis miniſtrorum. quę dum tractantur Genuæ ſeditioſi populares, quibus moleſtũ erat concordiæ nomen, vulgus impellunt, qui queruntur apud Card. inſolentiſſimis verbis, omnia prodi per ſimulationem placandæ ciuitatis, quia fraudes excogitarentur per rebelles ciues aduerſus remp. qui vellent patriam redigere in ſeruitutem Hiſpanorum. minantur ſe flammis in eum ſæuitu ros, in quem nulla habita dignitatis reuerentia multa conuicia, & contumeliæ coniiciuntur. neq; pa rum periculi imminere apparebat regiis miniſtris, tanta eſt plebis inſolentia, & audacia niſi ſurgens acriter refrænetur in rep. furor ille humanitate Card. & decreto ſenatus mitigatur, qui iuſſit publice pronuntiari per pręconem, quod non erant veterum conditiones amplexuri. alebantur hæ contro-uerſię

Pontifex iuuat Gallum Regem.

Peſtis & annonæ penuria Byzantii.

Bononiæ decretum ſalubre.

Genuenſis vulgi inſolētia.

uerſiæ variis conſiliis aut ab iis qui ſolam felicitatem putabant vrbana diſſidia, per quæ autoritatem
obtinebant,alioquin abiecti futuri,aut ab iis qui differebant ęs alienum,aut ab iis qui cupiebant no-
men nobilitatis penitus deleri,aut ab iis qui pręter dignitatem vſurparant ſibi autoritatem magiſtra
tuum:quare miniſtri decidunt de ſpe concordię. Veteres cum rei bellicæ aſſidue incumberent,quo
tidie nouis copiis caſtra adaugebant,quare cum Nouium oppidum ſit abundans omnium rerum vi-
ctui neceſſariarum, cuius iactura plurimum incommodi poſſet nouis apportare, iuſſus eſt regulus
Serauallis ſuſcipere prouinciam eius expugnādi: cum interim mille & quingenti Germani iuſſi ſint
Sabbatiam conuenire quò triremes,& Auria acceſſit, & accitus eſt peditatus Italus ad vrbem occu-
pandam. itum tamen eſt ad Nouium,quæ expeditio non inconſulto variabatur, quia veteres nole-
bant Genuenſis agrum ditionis deuaſtare, cum re ipſa nihil aliud cuperent niſi vt res conceſſa libe-
rè arbitrio miniſtrorum ad æquam concordiam perduceretur,ipſique cum dignitate in vrbem redi-
rent. Miſſus eſt Georgius Auria Alexandriam Paleariam vt͏̈ inſtaret bellicorum tormentorum cō-
uectioni,quæ emptionis nomine ab Aymontio petebantur, qui perſuaſionibus Auriæ & precibus
Franci Lercari illa conceſſit.ea ſunt attracta Nouium cum ingētibus cuſtodiis. caſtra poſita ſunt ab
vniuerſis copiis in vnum coniunctis in agro Nouienſi.erant in caſtris decem millia peditum,& mul-
ti ſclopettarii equites,quę copiæ erant lectiſſimæ.miſſus eſt tympaniſta ſollicitatum ad deditionem,
quem non ſunt paſſi propius accedere. Sed iam Io.Manriques neglectis literis oratorum oppidum

**Ponſeuera capta.**

Porciferam ceperat ac diripuerat. oppidana præſidia & ciues partim ceperat, partim vulnerarat,qua-
re repetitę ſunt literæ minaces miniſtrorum.hortantur marchionem Maſſæ vt à ſuſcepta prouincia
deſiſteret,ſciretque Genuam eſſe membrum imperii, quam ſpectet ad Cæſarem protegere. Patres
quia pluribus in locis Genuenſe imperium ab armatis vexaretur, iubent clam multas copias ſubdi-
torum reip.Ligurum in vnum cōuenire. vbi ad quatuor millia conueniſſent repentino conatu Cā-

**Campium captum.**

pium oppidum veterum partem ſecutum inuadunt,capiunt,diripiunt, reſiſtentes vulnerant,armē-
ta abigunt.miniſtris de hoc queſtis reſpondet ſenatus illud fieri à ſubditis inconſulto ſenatu,ſed for
taſſe neceſſariò ad propulſandas iniurias.ſe tamen cauſam cogniturum & caſtigaturum, qui pecca-
uerint,qui contra queruntur ciues quoſdam Campii copias palam ductare aduerſus remp. Moro-
nus cognitis ſuperioribus tumultibus, & mala opinione, quam de ipſo populus conceperat, petit
per literas à Pōtifice vt liceat inde diſcedere,quia propter inſolentiam plebis miniſtri magno eſſent
in periculo. Pontifex his literis,& minacibus vocibus populi plurimum detraxit illi optimę ſenten
tię, quam de nouis conceperat, tamen reſcribit ad Moronum ne deſerat negotium. ſe paſſurum vt
populus Genuenſis det pœnas Auriæ ſuæ temeritatis & audaciæ. Et quoniam miniſtri poſt condi-
tiones a veteribus oblatas alias ipſi excogitauerant,rogati ſunt vt illas miniſtrorum admitterēt,quę
ad Auriam quoque ſunt miſſæ,& ad Cæſarem a commiſſariis,qui ſcripſerunt niſi hæ admitterētur,
ſe non uidere quid amplius in hoc genere fieri poſſit, cum pontificia legatio profiteatur palā ſe vel-
le abire. Senatus omnia fieri per ambages Cæſaris ad h c conuiuentis arbitratus magna cum indi-
gnatione illas conditiones reiecit. Cæſar & de populi opinione & de ſenatus querelis ac iudicio fa-
ctus certior,ſuæque integritatis conſcius literas ſcripſit ad Philippum Regem,quibus continebatur
ſuum ſemper fuiſse conſilium vt per miniſtros controuerſiæ Genuenſes componerentur,idemque

**Literę Cęſa. ad Philippū.**

putaſse pontificis & Regis ipſius fuiſse. Sed nunc cognouiſse Auriam collectis quibuſdam triremi
bus rem perturbare,omnemque ſpem pacis per indignationem nouorum ſubuertere, quare de hac
re voluiſse certiorem facere prius ipſum Regem pro affinitate,& amicitia: deinde ſcripſiſse ad Au-
riam,regioſque oratores,& Mediolani præfectum,quibus literis illos hortabatur vt humana,& pla-
cida potius,quam crudelia & violenta conſilia ſequerentur.copiis, quæ ſint collectæ è Germania,
conceſsum eſse Regi contra Turcas tantum militare,quare ſub grauiſſimis pœnis & indignationis
Cęſareæ edicto illis fuiſse interdictum ne ſe Genuenſi negotio implicarent. hortabatur Regem vt
opportuna remedia adhiberet,& ad eoſdem perſcriberet vt arma deponerentur,quæ ſolent excitare
diſcordiam,at non extinguere. Quòd ſi rex pacem ita procurauerit, poterit videri non Genuenſem
ſolum concordiam ac felicitatem,ſed etiam tranquillitatem totius Italiæ procuraſse, idque ſibi om-
nium fore gratiſſimum. non enim defuit bonitas Cæſaris omnibus ducibus qui arma ſumpſerant
hortandis & deterrendis vt ea deponerent. Auria queſtus acriores literas ad Cæſarem ſcriptas fuiſse,
quàm par erat,reſpondit conditionum miniſtrorum,quæ ſibi eſsent delatæ, quaſdam remedio indi
gere,aliis quibuſdam eſse addenda ad maiorem omnium quietem. cum uero finis negotii optare-
tur, creati ſunt vtrinque Deputati legitime, quibus cum agi poſset. At qui nuntius gratiſſimus in-
terea peruenit ad ſenatum & populum Genuenſem de literis ad Regem,& Regis miniſtros perſcri
ptis à Cęſare, qui popularem auxit obſeruantiam cum viſus eſset ſincero animo pacem & quietem
ciuitatis procurare,at non ſubdolè vt plerique crediderant. ea dum fortuna variis bellorum tumul-

**Rodulphus Rex Romanorum.**

tib. tot in locis excitat,creatus eſt & deinde coronatus Rex Boemię in comitiis Caſurgii Rodulphus
Maximiliani filius,nec multo poſt in comitiis Auguſtę Vindeliciæ electus & coronatus eſt Rex Ro
manorum à quinque electoribus tātùm, cum abeſſet Palatinus elector primarię dignitatis, propter
quaſdam ſimultates.nam Palatinus fauebat partibus Io.Federici Saxonum Ducis,eius inquam Fede
rici,qui victus in pugna à Carolo Quinto ad Albim fluuium, poſtea imperatoria electione fuit pri-
uatus,qui filius captiuus à Maximiliano etiam tenebatur.illam electionem vbi Carolus Mauritio de
tuliſset,mortuo Mauritio Auguſtus Saxonum Dux tanquam hęres fratris accepit, qui dicitur par-
tim vt haberet affinitates quibus ſubleuaretur à moleſtia Io. Federici repetentis electionem, partim
vt filiam honorificentiſſimo in matrimonio collocaret, fuiſse inuitatus a Cęſare vt filiam daret nu-
ptui Rodulpho Cęſaris filio.res vbi verbo tenus conueniſset,quamuis marchio Sennonum religio-

nem Palatini complectebatur, tamen poſt multas tergiuerſationes quòd importunè Rex Romanorum crearetur, ſpe nuptiarum allectus cum Auguſto conſenſit, quod ipſum faciunt Treuirorũ Moguntiacuſque Electores, & Palatinus, & Coloniæ Agrippinnenſis: quamuis Palatinus ob controuerſiam cum electore Saxone ad comitia ipſe noluit accedere, ſed miſit Ludouicum primogenitũ Ducem Neoburgi. vix eam electionem peregerant cum ſtatim eos pęnituit, non quidem electi imperatoris, cum omnibus egregiis animi dotibus ſit ornatus, neque vlli cedat ſuorũ, quippe qui & imperatoria magnificentia, & religionis obſeruantia nemini cedat ſuorum maiorum, ſed quia propter mutuas diſſenſiones partim de religione, partim de præſtantia ſamiliarum, non habuerant propria de hac ipſa re comitia, cum Treuirorum, & Vbiorum principes Romanum ritum ſequantur, at palatinus, & Saxonum, & Senonum Duces confeſſionis Auguſtanæ. ex his facile colligere licet diuino potius quam humano conſilio Rodulphum catholicæ religionis obſeruantiſſimũ electum fuiſſe Romanorum Regem. Vbi Genuenſium veterum copiæ Nouium conueniſſent, poſitaque fuiſſent caſtra, exploratus eſt locus ad expugnationem, tormentaque ſunt in partem oppidi arci finitimam directa. Eſt autem Nouium oppidum amplum ſitum in finibus agri Mediolanenſis, & Genuenſis ditionis, quod partim in planitie poſitum eſt, partim in loco accliui; non tamen ita munitũ, ut aduerſus validiores verberationes poſſet defendi. Sed cũ eſſent in præſidiis trecenti Cyrnenſes & quingenti Itali per quoddam tempus magis uirtute præſidiorum, quàm natura loci fortiſſimè eſt defenſum. erant interius excitatæ munitiones & foſſæ, & aggeres militares, omneſque arbores deciſæ extra ciuitatem, quæ poſſent proſpectum è męnibus impedire, atque in vrbem in vſum aggerum, & reparationum comportatæ. Sed enim cum parum tormenta proficerent, miſſus eſt Galeottus Spinola qui oppidanos hortaretur ad deditionem, quod Figarola profeſſus eſt ſe velle defendere. cum verò tormenta in aliam partem eſſent transferenda illud tardius ſit ab inuitis, quia ſi oppidum captũ fuiſſet per vim armorum, illud fieri non poterat ſine multis cędibus, & rapinis & maximo loci excidio: atque conſilium erat Auriæ & veterum vt quanto minore fieri poſſet cũ damno res bellica traſigeretur. dum tormenta transferuntur in debiliorem locum, foſſæ militares excauantur, ingreſſi sũt centum & quinquaginta milites cum ſacculis pulueris tormentarij, quod nuntiaturi exploratores impediti ſunt per quoddam ſpatium a Germanis, quod fit per obſcuritatem noctis. fugati etiam fuerant trecenti pedites qui Gauio Nouium erant ingreſſuri. Vbi Nouij pręſidia ſe copijs hoſtium obſideri ſentiunt primum, ſæpe facta eſt eruptio cum magna clade obſidentium. nuntiatum eſt Gauii colligi copias ad Nouium ſubleuandum, ſed ala equitum exploratum miſſa, neminem viſum eſſe nuntiauit. nec ita multo poſt Gauium verſus viſa triginta, & duo vexilla peditum ducibus Stephano Inurea, Petro Antonio Chieſa, Marco Fornario, quorum erant fere quinque millia: trucidatæ ſunt primæ excubiæ, quæ procul diſtabant à caſtris. at Nouij copiæ cognitis his ſubſidiis exeuntes ex arce impetum faciunt in obſidẽtes, quibus Leonardus Plaſtifer Felicis Lodronii Signifer collectis ſuis militibus magna virtute reſiſtit. Felix cognita percuſſione tympanorum, quæ excitabat ad arma cum cohorte irrumpit in hoſtem, qui cum Germanis pugnabat. Conſternati ſunt eius aduentu Nouienſes rati vniuerſas copias inſtructas aduentare, quare non diſſimilis propè fugæ fit receptio. Felix ratus ſimulatam fugam ſubſiſtit, inſtatque cohortibus vicinioribus vt properarent. Motus eſt Manriques cum quingentis ſclopettariis, quod fecit & Spinola cum hoſtes iam eſſent in fugam verſi. Illud accidiſſe dicitur quia Taſſus dux alta voce clamauerit oportere vertere faciem, quam vocem timidi & imperiti rei bellicæ rati ſunt ſpectare ad fugam. cum neque equitatus adeſſet, neque peditatus ſit inſecutus, incolumes euaſerunt. oppidani & ipſi eggreſſi omnem vim in tormenta conuerterant, ſed cum Georgius Auria multis cuſtodiis muniuiſſet, non ſine cæde ſunt repulſi. ceciderũt Spinola & Hieronymus Lomellinus ob ardorem animi ad mœnia vſque procurrentes glãdibus ex oppido transfixi. è fugatis multi perierunt vel abiectis armis labore fugæ nemine inſequente, quod pauci eſſent mercenarii, ſed collectitii, genus hominum vmbratile, minimeque aſſuetum rebus bellicis. Poſt eam fugam concuſſum eſt Nouium in qua parte eſt porta, proſtrataque parte mœniorum videbatur locus iam periculoſam pugnam facere; quare & ne ager deuaſtaretur diuturnitate obſidionis, & ne fortunam belli expectarent, oppidani apparent ad petitiones obſidentium eſſe propenſi: atque Cyrnenſes, qui erant in præſidiis, perſtiterantque in ſententia defenſionis, quod ſenatus nomine breui promiſſa fuerant ſubſidia, cognita illa clade ſuorum & ipſi iam ad deditionem conſentiunt. miſſi ſunt itaque tres è primariis in caſtra ad Spinolam vt conditiones confirmaret, quæ cito ſunt admiſſe; Vt Figarola poſtridie cum militibus excederet, tranſiretque armatus per media caſtra, abirentque liberi & incolumes quocunque voluerint. Vt Nouienſibus confirmarentur priuilegia quibus vtebantur ſub rep. ſeruatis facultatibus honore ac vita cuiuſque. vt tormenta eſſent in poteſtate victorum. Vt centum & quinquaginta muli frumentatum miſſi concederentur arbitrio Spinolæ. Hæc omnia conceſſa ſunt Auriæ & veterum conſilio, ne locus opulentus auaritiæ, & rapinis militum dederetur, cum veteres non odio vel auaritia, ſed pacis deſiderio arma ſumpſiſſent. multi etiam redditi ſunt ſuis dominis præter vigintiquinque qui donati ſunt tribuno Germanorum. ingreſſus eſt oppidum peditatus Italus digreſſo Figarola, ac deinde Vuada oppidum per deditionem item captum. ſollicitatum eſt fruſtra Gauium, quare bona pars copiarum Nouio cum Georgio Auria, & tribuno Germanorũ mota eſt, caſtraque poſuit non procul ab oppido, quamuis tormenta plurimum infeſtarent. Ferrarius præfectus relicto oppido arbitrio ciuium in arcem ſe recipit, qui poſt contentionem plebis præſidia veterum acceperunt. reliqui pagi finitimi ſtatim ad fidem Spinolæ confugerunt. relictus eſt Nouii Carolus Spinola cum quadringentis peditibus, & Franciſcus Spinola cum totidem Gauii, qui frequentibus minutis præliis pugnabant cum arcis præſidiis, quæ ſemper cum aliqua clade repellebantur, ſed

Nouii deſcriptio.

Nouii deditio.

Gauium captum.

tur. ſed arx cum eſſet in prærupta crepidine non poterat paruis copiis refrænare præſidia quominus
prædabunda in agrum excurrerent.at quoniam tp̄s in rebus leuibus abſumi videbatur, decretū eſt
caſtra eſſe mouenda aduerſus vrbem, tentandumq; an tumultus in vrbe excitarentur,qui compelle-
rent ad concordiam,cum putaretur diſcordia eſſe in vrbe ob fugam copiarum,& tot capta oppida: nā
tanta erat ea in perturbatione ut ſupellex,& filii & fęminæ in ſacra loca eſſent perductæ, petebantq;
nonnulli à magiſtratu bellico vt liceret ex vrbe excedere,ꝙ putarent vrbem armis Philippi Regis cir
cunueniri.Quidam timebant ne per eas diſcordias ad memoriam præteritorum temporum Dux tā
quam tyrannus cum ſupremo excidio reip.crearetur.Spinolæ nimis arduum, & non præſentiū co-
piarum negotium eſſe apparebat cum præualida in vrbe eſſent præſidia,& multi milites eſſent relin
quendi in præſidiis,& loca nonnulla à tergo eſſent hoſtilia. non enim apparebat eſſe eius dignitatis
ſi cogeretur à fruſtra tentato negotio recedere. neq; apparebat eſſe è rep. vt noui cogerentur forte
decernere ꝑꝑ odia ciuilia cum aliquo externo principe conuenire,& conditiones accipere, vti clam
exaudiebatur in conuentibus ciuium,& ex interceptis literis cognoſcebatur, qui querebantur de ad-
miniſtratione vrbana.dum expectatur Marcellus Auria cum copiis Io. Andrea Auria ad Finale cum
claſſe accedit vt de ſumma rerum conſuleretur.ex itinere Borgheto,Petra,Nolo oppidis finitimis Fi
nali potitur,Voragine quoq; potiturus niſi uis venti conſilium abſtuliſſet. Deinde cū Sabbatiæ præ
fectus cognouiſſet triremes Auriæ ad Vadum pagū ꝑꝑ tempeſtatem maris ſtationē habere, exit cū
octo cohortibus peditum,delectuq; vallis Cunigianæ & quatuor tormentis ut triremes concuteret.
Auria eius conſilio per exploratores cognito decernit vt Franciſcus Grimaldus & Philippus è dn̄is
Paſſani educto numero militum,qui uidebatur neceſſarius, domos oppidi occuparent.ſub auroram
educti ſunt quingenti ſclopettarii,quib.cognitis præſidia oppidū relinquūt.Inde Grimaldus & Paſ-
ſanius ductis foſſis & aggerib.militarib.oppidū & triremes in tuto collocāt.nō tn̄ ceſſatū eſt a leuib.
ꝓliis ſanè frequentib.& calamitoſis cū præſidiis Sabbatiæ,belliciq; apparatus fiebant ēt in vrbe cum
Montacutus cū lectiſſimis quadringentis peditib.Hetruſcis vir pudēs & rerū bellicarū peritus eſſet
in vrbe,qui vel ab initio horum motuum Italicorum veniā militandi à Magno Duce impetrauerat.
interea morabāt Finali Auria,ꝙ aſſiduè agebāt de concordia,cū Vadi multa leuia certamina cōmit-
terent.idcirco Philippus Paſsanius Auriæ iuſsu cū quadringentis ſclopettariis Tinorā verſus profi
ciſcit.oppidū Altum capit.munit acceſsus aduerſus milites Sabatiæ & vallis Culienæ. cius conſiliū
cū mille & quingenti pedites eſsent impedituri pugnatū eſt ad ſex horas non ſine clade vtinq; leui
ꝓlio.relictis rebus ibi neceſsariis reditur Vadū. Pontifex qđ delata eſsent colloquia nouorū de vrbe
cuiuis potius concedenda,quam veteribus iubet Moronum inſtare,vt res arbitrio committatur, ac
fiat cōpromiſsum,ſimulatq; ſe indignari,qa veteres non aſsentirent decreto compromiſſi.at Nico-
laus Auria orator apud Pontificem demonſtrat vim decreti fuiſse fallacē. veteres promptos eſse ad-
mittere ſi liberū ſit,& a ſenatu & concilio cōmiſsū, itaq; vt certū ſit viuendum eſse pro legib.à mini
ſtris coordinatis.eſse conſilium nouorum vt appareāt potius,quam vt ſint ad pacē,& ad æquitatem
animo propenſo, cum ſic rerum oīum potiuntur.offert obſides viginti quinq; admittendi liberi cō
promiſſi,ſi fiat.Pontifex obtinuit interea ab Auſtriaco vt fierent induciæ in quindecim dies dum res
commodius componerentur,quare antiſtitem Canobium,Hiſpanus orator Romæ ordinarius vnū
è ſuis familiarib.mittit,qui illud Auriæ ſignificarent,iuberentq; ad Diuum Petrum Arenæ conueni
re. Auria illuc cum quatuor Deputatis à veterib. vehit̄ triremi,vt cum oratorib. de pace tractaret.&
quia pontifex ægerrimè ferret illud bellū in Italia, profitetur ſe alterā partem adiuturum ſiqui nol-
lent pacem admittere.Cæterum Poloni proceres & equites Regis Henrici aduentu fruſtra hactenus
expectatio frequentes ad oppidum Steſiciam conueniunt, qđ ſitum eſt vbi Vieper fluuius cum Vi-
ſtula commiſcetur, cōiq; alueo in mare Gotticum ad Septentrionem decurrit.eo.n.indicta fuerunt
comitia creādi noui Regis.protracta res eſt diu ob varias ſenatorum ſn̄ias, atq; deniq; re imperfecta
parū fuit qn Maximilianus imperator Rex pronūtiaret. ſed paulopoſt indicta ſunt rurſus comitia
Varſouiā.ꝓpoſitæ ſunt à veterib.rurſus cōdōnes p̄nte Auria à Deputatis, qb.multa obiiciebant̄ à na
uis,ꝙ dicta eſſent ambiguè,aut quę afferrent nō cōtēnēdas difficultates. multę deniq; ꝓpoſitę ſunt
vtrinq; cōditiones,quas longū eſſet referre,vt pacis negotiū paulatim rectā formā capeſſeret,& vt vo
lūtates vtrorūq; ciuiū paulatim ſic elicerent̄.Epiſcopus Aquenſis & Idiaquecius ad Finale profecti
has cōditiones pacis deniq; reportarūt,quę fuerūt poſtmodo ab oībus cōprobatæ.nā quæ videbant̄
cōcordi oīum cōſilio cōprobari poſse recognita & notata ſunt poſtea ab ipſis miniſtris. quę erāt in
difficultate, perducta ſunt ad aptū tēperamētū,iuſtāq; & honeſtā formā cōpoſitionis, & neceſsariā
quieti reip. ac tranquillitati totius Italiæ quæ probabilibus rationibus vtriſq; diſceptantibus perſua
derent̄. res idcirco magnā capiebat difficultatē, quia timebat̄ ne veteres cū Hiſpanis ob vicinitatē &
propriā vtilitatē conſentirent. fuerunt autē hæ conditiones à veteribus propoſitæ vtrinq; demū cō
probatę. 1. Primùm ꝙ admittit̄ remiſſio facta à maiore concilio pridie idus Octobris oratoribus cū
his,quę dicent̄ conditionibus. 2 Vt oratores exeant ex agro ditioneq; Genuenſi,indicentq; vbicūq; Conditiones
ſibi cōmodū viſum fuerit citra diem vigeſimum quintum præſentis menſis. 3. Vt intra quatriduum pacis Genuē
à diſceſsu nominent uiginti obſides utrinq;, qui conueniant intra octo dies à notitia quò ſtatutum ſis.
fuerit,ibiq; ſint mandata oratorū expectantes tam ad uadimonium exequendę iudicationis, quā reli
quorum omnium quæ continentur in hoc ſyngrapho. 4. Vt licitum ſit miniſtris vnam, pluresve
ſententias facere intra menſem Nouembrem proximum, atq; libera ſit controuerſantibus facultas
prorogandi temporis, ſi opus fuerit. 5. Vt neutri arma tractent per tempus iudicationis, aut inuicē
ſint infenſi. 6. Vt nullum genus bellicorū apparatuum per ipſum tempus introduci in vrbem poſſit
vel in alium locum ditionis,aut copiæ, aut res bellicas, aut noua fieri expeditio. poſset tamen omne
genus

genus commeatus ab vtriſque quouis comportari. 6. Vt intra octo dies liceat vtriſque, qui incipiant die tertio huius menſis, traiicere copias & commeatum ex alio in alium locum reip. 7. Vt intra tp̄s iudicationis ciues, eorumque procuratores liberè agere poſſint, & abire, accedere, morari in vrbe, aut vbiuis ditionis Genuenſis non obſtante quouis inſtituto repugnante, exulibus excluſis. 8. Vt poſtulantibus miniſtris detur venia omnibus reis vel perduellionis tam in vrbe tunc exiſtentibus, quàm extra, à cal. Ianuari. 1573. ad hoc vſque tempus, reuocenturque exules, & bona fiſco addicta reſtituantur, ac dimittantur è carcere omnes qui ſunt ob has diſcordias eo inruſi vbique locorum, atque rerum dubiarum explicatio ſpectet ad miniſtros. 9. Vt omnes capti per has diſſenſiones dimittantur. 10. Vt miniſtri quam primum poſt ſententiam procurent executionem illi conſimilem intra tres menſes ad ſummum. 11. Vt iudicationis tempore nobiles veteres teneant omnia loca, vrbes, oppida quæ poſſident cum pertinentibus, quæ gubernent & cuſtodiant. 12. Vt, quia multi ſumptus fiunt ſine neceſſaria cauſa reip. omnes facti à veteribus ſibi facti ſint, quorum præfectis liceat diſtribuere & exigere tam ab ipſis abſentibus quam præſentibus, ac veteres rurſus immunes ſint ab impoſito aut imponendo tributo in vrbe hac ipſa de cauſa. 13. Vt populus & reſpub. & domus Diui Georgii ſint immunes ab extraordinariis ſumptibus factis à nouis ciuibus. 14. Vt petatur ſuppliciter à Pont. Cæſ. Rege Catholico vt curent ſeruari quod iudicatum fuerit à miniſtris, quoniam optatur obſeruantia, & executio iudiciorum, qui ſuas vires conuertant in minus obedientes: at obedientibus concedatur vt capiant res perſonaſque intra ſua regna uel principatus, oratoreſque promittāt ſuorum principum nomine per ſyngraphum quod ita exequendum curabunt. 15. Vt Auriæ pro ſuis ciuiumque triremibus licitum ſit vti portubus reipub. ſi opus fuerit cum eo numero militum, qui declarabitur à miniſtris dum iudicetur, eritque imperfecta adhuc executio rerum iudicatarum. 16. Vt Auriæ, eiuſque familiæ, & ſucceſſoribus ſeruentur gratiæ, immunitates, priuilegia à Reformatoribus conceſſa, vt poſſidet ac poſſedit. 17. Vt ſi conditiones non admittantur á duobus collegiis, miniſtri teſtentur inſcriptis qui fuerint autores quominus res publicæ componerentur. 18. Vt ſiqua orietur dubitatio in verbis iudicationis, intra quatuor menſes miniſtris licitum ſit explicare. 19. Vt omnia prædicta ſint rata, ſi intra tempus quo exierint miniſtri, admiſſa fuerint ab ipſis collegiis, alioquin vana ſint & irrita. His ſtabilitis, datiſque obſidibus dabitur opera vt principes, miniſtri, populus, & omnes homines intelligant apertius, ſiqui dubii ſint, quòd finis, qui nos impulit ad arma ſuſcipienda fuit, vt vna forma, ſempiternaque pax haberetur reipub. & nobis, non autem quòd in ea vellemus plus habere, quam iudicatum eſſet conueniens & iuſtum, & vtile, & aptum conſeruandæ reipub. pro qua vt omnes voluntatem promptam habemus, ſic erūt vires promptiſſimæ, & cum cæteris ciuibus coniunctæ. Datum Finali die 17. Octobris. 1575. Ioan. Baptiſta Lercarus, Nicolaus Auria, Benedictus Spinola, Iacobus Niger, Stephanus Pinelus, Ioan. Baptiſta Pallauicinus, Bartholamæus Lomellinus, Ioan. Baptiſta Spinola, Lucas Grimaldus delecti à nobilibus veteribus Genuæ. Hæ conditiones vbi a nouis fuiſſent admiſſæ, mox hæc ab illis addita ſunt ad prædictorū confirmationem.

Addita conditionib. ueterum à nouis ciuibus.

Dux, gubernatores, procuratores reipub. Genuenſis, ne precibus oratorum nolle facere ſatis videamur, in uirtute noſtrarum præſentium ſuffragiis decretarum pro legibus & ordinibus reipub. noſtræ concedimus, & ſtatuimus quæ infra continentur. 1. Vt miniſtris liceat viginti obſides utrinque nominare, & locum, & tempus illis ſtatuere, qui tamen rogantur non niſi neceſſariò moleſtiam ciuibus afferre, aut quanto minorem potuerint. 2. Vt quarum rerum habent facultatem, vnam vel plures declarationes facere poſſint, & quotquot uoluerint decreta. 3. Vt intra quatuor menſes declarare poſſint, ſiqua dubitatio oriatur è verbis decretorum, quod tempus incipiat a publicatione. 4. Vt liceat eligere magiſtratum cum autoritate diſtribuendi ſumptus factos a ueteribus obligatis dictis ſumptibus, qui cogantur erogare quod debent. & quia quidam cenſent ſe eſſe immunes ab uno in ſingula centena, videant oratores pro æquitate an iure ſint immunes. 5. Vt liceat ciuibus tractare, venire, abire, morari in urbe, uel ubique in principatu Genuenſi, exceptis exulibus. 6. Vt factis ſtatutis & decretis oratorum de rebus ſpectantibus ad datam ſibi facultatem concedatur publica uenia reis tam perduellionis a cal. Ianuarii anni. 1573. ad hanc vſque diem, reuocenturque exules hac de cauſa, & bona fiſco addicta reſtituantur, ſoluanturq; è carcere quiuis, & vbiuis ob has diſcordias capti. 7. Vt omnes captiui per has controuerſias dimittantur. 8. Ne arma tractentur a veteribus tempore Baliæ, neque ullo pacto offendant remp. neque rurſus hi ullos ciues. 9. Vt modo ueteres ab armis recedant non liceat tempore Baliæ introducere in vrbem vel in principatum milites, res, apparatus bellicos, neque facere nouas expeditiones, liceatque intra octo dies poſt accepta hæc decreta copias & apparatus bellicos traiicere ex alio in alium locum reip. & pariter commeatū. 10. Vt liceat ueteribus dum fiāt leges & decreta, retinere loca, vrbes, oppida occupata quæ factis decretis relaxentur libere reip. quæ dum tractentur, liceat præſidia habere quanta uiſum fuerit oratoribus. 11. Vt Auriæ dum fiunt inducię pro ſuis ciuiumque triremibus cum iuſto onere licitum ſit uti portubus reip. ſi opus fuerit pro arbitrio, modo triremes habeant vſitatum numerum militum, qui pro arbitrio miniſtrorum concedatur. 12. Vt eidem Auriæ, & ſuæ familię conſeruentur gratię, priuilegia, immunitates cōceſſæ a duodecim Reformatorib. quod ad nos, in eo ſtatu & gradu, in quo fuerunt & ſunt. 13. Vt petatur ſuppliciter a Pont. Cæſ. Catholico Rege vt præſtent fauorem, ſi opus fuerit, & protectionem reip. contra quoſuis ut leges & decreta a ſuis miniſtris facta admittātur atq; introducantur, quæ protectio uigeat per triennium, ſalua libertate reipub. 14. Vt omnes prædictæ conceſſiones atque ſtatuta ualeant modo intra ſex dies proximos admittantur, alioquin ſint irritæ. in noſtro Ducali palatio die 24. Octobris. 1575. Antonius Iuſtinianus cancellarius. Inuenta eſt facilius uia rerum componendarum, & concordiæ, quoniam nō ſolum noui uoluntate principum

ad con-

ad concordiam impellebantur & ſuperioribus difficultatibus, ſed etiam veteres; nam his acceſſerat ambobus moleſtiſſimus nuntius, quòd rex acerbiſſimo decreto interdixerat omnibus aſſignationibus & prouentibus Genuenſium, ſtatueratque vt rationes quindecim proximè præteritorum annorum ex ordine recognoſcerentur, vnde inaudita perturbatio exoriebatur. Illud cum tanto diſpendio pertinebat ad veteres, vt interdicta pecunia putaretur accedere ad centies & quinquagies centena nummum millia, hoc eſt quindecim milliones auri vt vocant, cum vno tempore & patria & facultates eſſent ereptæ. nam tam animos nunnullorum ea res conſternauit, vt putarent cedere opportere fortunæ, & ſuſceptam expeditionem deſerere. In tanta rerum perturbatione Auria regio & inuincto animo hortatus eſt veteres vt rem ſapienter ac fortiter perferrent, aliquid vtilis conſilij caperent, neque conciderent, atque profiteur ſe ipſum, facultates, claſſem ad eorum ſalutem conferre. Deinde conuocatis primarijs Io. Baptiſta Lercarus eos ad fortiter ſuſtinendam fortunæ mutationem confirmat, cum diceret quod ſæpe cognitæ ſunt vires fortunæ in exemplis antiquorum, at nunc experiendæ ſunt proprio exemplo, non tamen eſſe effęminatè animis concidendum. neque videri opus eſſe verbis perſequi, an obſeruantia & officia erga Regem perſuadere poſſent vt per id tempus inter tantas miſerias tanta rerum nouitas expectaretur. Sed quoniam illa acciderat, nullum eſſe remedium, neque tamen ſi eſſet, rerum anguſtias & breuitatem temporis requiri ab ipſo Rege concedere. nihil vel turpius vel calamitoſius poſſe contingere, quàm animo deſpondere, ac cedere difficultatibus, cum virtus ſola laudabilis in arduis ac difficilibus ſuperandis ſit conſtituta. oportere tam iuſtam, tamque gloriæ maiorum debitam expeditionem non detrectare, ne ſibi ac poſteris defuiſſe accuſentur. Deum ſemper fore æquitatis defenſorem, qui non pateretur iuſtam cauſam perire. ijs verbis inflammati veteres decreuerant legationes mittere ad Regem, quæ peterent trecenta millia nummum cum ratione iuſtarum aſſignationum, tum ſtipendiorum triremium priuatarum Genuenſium, ad cuius pecunię cautionem omnes requiſiti obligarentur: cum tamen neque ſic quidquam fuiſſent impetraturi. Decretum fuerat idcirco vt omnes redditus Romæ ac Venetijs diuenderentur aut potius darentur pignori, vnde multa collecta fuerat pecunia, & argentum vel aurum priuatorum conceſſum, quibus omnibus dati ſunt vades. non tamen fuit minor alacritas matronarum, quæ promptiſſimo animo omnem mundum muliebrem ad communem defenſionem, patriæque recuperationem obtulerant, & dotes præterea vt diuenderentur, omnia denique in medium erant allaturæ, quod etiam partim fecerant, niſi patres in magis opportunum tempus ea ſe reſeruare ſignificaſſent. at per promptitudinem Franchi Lercari & Io. Baptiſtæ Spinolę cognomine Valentiæ multa pecunia collecta eſt, quam liberalitatem multis ſecutis omne aurum & argentum viris, & mundus muliebris matronis reſtitutus fuit. & quoniam res componi non apparebant poſſe ſine autoritate Bartholamęi Coronati, cuius maxima erat exiſtimatio per id tēpus, illi promiſſa ſunt tria millia nummū quotannis dum viueret, ſi negotiū adiuuaret. quod factum eſt clam à miniſtris, ne res cognita tumultū excitaret. His rebus vt dictū eſt vtrinq; legitimè comprobatis & à maiore concilio, oratores accepta venia à Duce Mantuano ad vrbē Caſale Montis ferrati acceſſerunr ad condendas leges, at Cæſarei oratores queſti ſunt apud ſenatū quòd fere quingenti pedites reip. cum tympanis & vexillis explicatis auſi ſint ingredi fines Campij, qui locus eſt imperij, atque inde captiuos & prædam abigere, quod commiſſum eſt contra Maieſtatē imperatoriā. repetūt captiuos. iubēt prædā dominis reſtitui, q̄ multa diligentia ſunt cōfecta. Poſtea Vitus Dorimbergenſis cum aliquantulum conualuiſſet Venetias rediit. Aquenſis epiſcopus profectus eſt ad condendas leges vnà cum reliquis miniſtris. Dimiſſę ſunt vtrinque copię. relicta tantum certa præſidia ad noua vſq; inſtituta & in vrbe, & vbi neceſſariū apparuit. Auria Lucam vrbē petiuit vbi habebat familiā & domiciliū, dum ratio gubernationis ſtatueretur. delecti ſunt ſex à veteribus qui Caſale mitterentur cū omni autoritate vt cū miniſtris cōuenirent de omnib. controuerſiis publicis, Io. Baptiſta Letcarus, Siluester Cattus Dominicus Auria, Baptiſta Grimaldus, Philippus Spinola, Angelus Lomellinus. Genuę rurſus delecti ſunt ad idem munus Dauid Vacca, Hieronymus Caneualis, Petrus Ioſephus Iuſtinianus, Ioannes Senarega Io. Franciſcus Cepulina ſiue Balbus Hieronymus Axeretus viri non vulgari prudentia & rerum multarum cognitione. miſſi ſunt obſides nominati continuo a veteribus, at a nouis tardius ob ſeditioſos, qui auſi ſunt dicere in ſenatu miniſtros aliud per eos quam leges reſpicere, & pręterea eſſe turpe obſides dari arbitrio principum in libera ciuitate natos, quibus rationibus vt arrogātibus reiectis per grauiſſimū Senatuſc. miſſi ſunt, ac alij Mediolani, alij Alexandrię, alij Finali iuſſi eſſe cum magnis vadimoniis. Rebus Genuenſibus per hūc modū cōpoſitis prudētia ſtudioq; triū optimorū principū, cōditionibuſq; per publicū ſcribā ſtabilitis, edita ſunt vbiq; multa ſigna lętitię. Actę Deo gratię. accēſi nocturni ignes. ęris campani tinnitu & frequēti tormētorum bombo lętitię. magnitudo in vniuerſo imperio Genuēſi ſignificata, quod ipſum demonſtrarunt mutuæ ciuium gratulationes & complexus & oſcula, cum paſſim depoſitis ſimultatibus ob diuturnam pacem in rep. ſtabilitam omnes hilares eſſe viderentur. Sed quoniam prouentus Genuenſium poſtmodo dicti ſunt in regnis Philippi fuiſſe intercepti, quòd rex magnopere inopia ſtipendiorū laboraret, neq; poſſet ſufficere tantis ſumptibus exhauſto iam ęrario, vt iuuaretur in rebus Belgicis, multi querebantur multiplices eſſe factos nuper regios prouentus, quòd ſi rationes exactorum recognoſcerentur, non eſſet opus exterorum auxilijs. Hęc dum fluctuarent in Italia res bellica Byzantij neque frigidè neque ſegniter in annum ſequentem tractabatur, cum plurimus commeatus per mare Euxinum in opportuna loca adueheretur. Sed apparuit numen non modo immiſſa peſtilentia & inuſitata illis regionibus annonæ penuria vires Turcicas auerſari, quæ in Chriſtianum nomen parabantur, verum etiam non pati impune conuectionem

Pecunię interdictæ Genuēſibus magnitudo.

Io. Baptiſtæ Lercari oratio.

Matronarū Genuēſium magnificentia.

Apparatus Turcici.

*Declaratio conceſſionis Magni Ducis à Cæſare.*

apparatuum bellicorum,qui aliunde importabātur.Nam tanta,tam formidabilis,tam repentina tēpeſtas nauigia Turcica commeatus vehentia inuaſit,vt ducenta ferè varij generis perierint, ac triremes viginti cuſtodes nauigiorum ſint exquaſſatę, ac decem demerſę. Perierunt ad mille homines,& inter hos nonnulli magnæ autoritatis. Interea Magni Ducis miniſter in comitijs Artobrigenſibus multis,ijſq; præclaris argumentis demonſtrat conuenire omni iuſta ratione vt titulus Magni Ducis Hetruriæ principi cōcederetur:quæ res vt apertius ignaris eius negotij innoteſcat,putaui non fore iniucundū regaliū rerū ſtudioſis ſi paulo altius ſeries totius negotij repetatur.Coſmus Hetruriæ Dux,vbi magni Ducis titulum à ſummo Pontifice obtinuit,cognouitque quàm moleſta fuit ea coronatio Maximiliano Imperatori ac Philippo Hiſpaniarum Regi, quod apertè patuit è Romæ factis per illos obteſtationibus,vniuerſum animum,mentem,cogitationem conuertit ad eos principes per omne obſequiorum genus placandos,quinetiam nitebatur modeſtiſſimè oſtendere illud iure fieri licuiſſe.In ea tamen ſententia perſiſtebat,nulla vt vi hunc honorē ſibi præripi aut extorqueri paſſurus eſſet:nam multas vias, multaque peritiſſimorum hominum conſilia requiſiuit, neque vllum prætermiſit induſtriæ genus,quod ad ducem ſpectaret,qui eſſet eorum principum obſeruantiſſimus.ſed neq; huius principis,neque Pij Quinti,neq; poſtea Gregorij. XIII. Succeſſoris Pontificis Maximi obteſtationes vlla ex parte proficiebant,atque in dies timebatur ne fieret hoc negotiū in Italia petra Scandali. Cæſar enim cum arbitraretur ſe ius habere in Florentinum principatum, ad cuius comprobationem afferebat Caroli Quinti decreta,quę facta fuerant Alexandro & Coſmo ſucceſſiuè ducibus,viſus fuerat Pontifex falcem in alienam meſſem,vt ita dicam, intuliſſe: cui etiam apparebat Dux ille tanquam ſubditus imperio princeps neq; debere, neq; poſſe titulos in eū principatū,niſi ab Imperatoria manu accipere. His ipſis rationibus Catholicus rex fulcire ſuas obteſtationes conabatur, quod attinet ad Senenſem principatum. At Magnus Dux libertatem Florentinæ vrbis contra in medium afferebat, qui aduerſus decreta etiam multa dabat reſponſa non inualida. his ita habitis periculoſum omnibus eſſe videbatur nequod in Italia bellorum excitaretur incendiū cum ob firmiſſimā Coſmi ſententiam nolentis ſe ab eo titulo,vt expetebatur, vlla tatione abdicare, tū ob indignationē Cæſaris,qui decreuerat omnino ſuam dignitatem retinere,ad quod quotidie ſermonibus etiam quorundam inflammabatur.huc accedebat quòd Pontifex ex altera parte apparebat & factum ratum habere,& velle exiſtimationem Apoſtolicæ ſedis defendere,vnde ſuperioribus tēporibus vel regij tituli manaſſent tam in liberos principes,quam ſubditos Imperio. Magnus Dux, vt cui nota eſſent maledicta inuidorum apud vtrunque principem, non ceſſabat ſuppliciter petere a Cæſare vt res componeretur,quæ apparebat difficillima,quia Cæſar nullam conditionem proponeret.Princeps Hetruſcus aſſeuerabat nullam aliā viā reperiri,niſi ſi Cæſarea quoq; benignitas eūdem titulum cōcederet. Deniq; ſiue fuit ipſius principis inuentum, ſiue allatum ſit è Germania,illud certe conſtat,quòd vir clariſſimus Scipio Archuenſis Comes Cæſareus orator Romę aſſiduus, cui plurimum fuit negotij vt ab ea coronatione Magnum Ducem renocaret,quiq; ingentibus promiſſis Cæſaris nomine ſollicitauerat vt deſiſteret, quòd Cęſar nō modo nō egrè titulum,ſed etiam vltro priuilegium concederet,cōmunicauit cū quibuſdam Card. ſtudentibus partibus vtriuſq; principis,quòd cū Cæſar omne ſuum ius in verbis ſtatuat & in clauſulis prædictorum decretorū, negotium fieri poſſet capax honeſtæ formę,& a voluntate diſceptantium minime diſſentientis,cum Magnus Dux negaret vllo pacto diminutam eſse libertatem in Florentinum principatum. Forma autem erat huiuſmodi,vt Magnus Dux eundem titulum a Cęſare capeſseret,ſed ijſdem verbis & clauſulis antedictorum decretorum; cum diceret Archuenſis Cæſarem quod vellet ita eſse conſecuturū cum ad conſeruationem iurium Cęſarianorum ſeruarentur decreta, in quibus continebatur quodcunque ius haberet imperium,ſi modo quod haberet. Magno Duci eadem ratione neq, adimebatur, neq; dabatur ius præter æquitatem, atq; ita quiſq; prædictorum principum fieri poſset voti ſui compos.cum viſum eſset Coſmo ab hoc cōſilio nō eſse recedēdum,quod apparebat Cæſari quoq; non poſse diſplicere, curauit vt tanquam a Cæſareo oratore excogitatum Romæ proponeretur, & vti probabile. Auditum eſt attētè,ſed nihil tamen tunc admiſsum,quia Cæſar vellet vel Philippi Regis ſententiā elicere,vel etiam quia Cæſareos electores vellet conſulere. ſed enim cum nihil ex Hiſpania afferretur,quamuis per crebras literas inſtaretur negotio, per Volphāgum Romſium Regis Pānoniæ cubicularium deniq; miſsum illuc a Cęſare,& rerū Belgicarū & negotij de titulo cauſa curatum eſt vt Rex per ſuas legationes cognoſceretur probaturus quidquid Cęſar ſtatuiſset. Verūtamen cum literas Cæſar optaret poſt multos annos ab incępto negotio allectus electorū cōmoditate, qui cōuenerāt Artobrigā ad comitia eligendi Romanorū Regis,quę fuerant indicta,atq; impulſus diligēti ſtudio Hetruſcarum legationum,ad quartum Non.Nouembris anno 1575.Sentētiā tulit,q̄ data eſt oratori Hetruſco p̱ vicecancellariū ita ſe habēs; Sacra Cæſarea Maieſtas.dominus noſter clemētiſsimus benignè ſcit quòt cum Cæſ. Maieſtate ſua iā ab aliquot annis p̱ Illuſtriſſimos & Excellentiſſimos principes Dn̄um Coſmū de Medicis,eoq; defuncto filiū & ſucceſsorē ſuū D. Frāciſcum de Medicis Duces Florentiæ, ac eorundē nomine de Magno Hetruriæ ducatu actū ſit,atq; inſuper animo repetit tum fidelia & vtilia obſequia hactenus Maieſtati ſuæ pręſtita,eiuſq; anteceſsoribus alacri ſemper promptiſſimoq; ſtudio pręſtita,tum arctiſſimam affinitatis neceſſitudinem, quæ Maieſtati ſuæ cum iiſdem intercedit,ac proinde re hac cū ſacri imperii principibus electoribus in maturā deliberationē adducta decreuit ipſi Illuſtriſsimo Duci Florētiæ cōferre titulū Magni Ducis in Hetruria eorū locorū q̄ immediatè ibidē poſſidet, neq; alteri cuipiā ſubiecta ſunt, in eadē forma,& ſub ijſdē clauſulis,quæ Illuſtriſsimi Alexandri de Medicis a Diuo olim imderatore Carolo.V. Auguſtę memoriæ in Ducem creati erectione continentur. Ita tamen quod huiuſmodi conceſſio Cæſareæ

*Pontifices regum titulorū datores.*

*Sententia Cęſaris de titulo Magni Ducis.*

Maieſtatis

Maieſtatis ſuæ ſacrique imperij, ac cuiuſcunq; alterius iuribus præiudicare minime debeat. id quod Cęſarea Maieſtas ſua præfati Illuſtriſſimi Ducis Florentię oratori ſignificari vehementer iuſſit. eidē quod reliquum eſt, Cæſaream ſuam gratiam benignè deferens. Decretum Ratis bonæ die 11. Mēſis Nouembris anno domini 1575. Sed enim cum Ioanni Baptiſtæ Concino negotiatori appareret parum honorificum ſuo principi illud diploma, reſtituit, quia proſpiceret quòd per illa verba fidelia, Cęſar innueret illum eſſe ſubditum. in alijs item, quę ibidem immeditate poſſidet, neque alteri cuipiam ſubiecta ſunt, videbatur aſtringere & coarctare titulum in Florentinum principatum, at non Senenſem includere. atque cum perpenderent, reſeruationem, ne cuiuſquam iuribus fieret prę iudicium, apparebat, titulus ille Magni Ducis ridiculus eſſe potius, quam vllius ponderis. quibus accedebat, quod ſi verba, in Hetruria, ponderarentur, videbantur eſſe alij principes in Hetruriæ regionibus. conqueſtus eſt igitur acriter cum proſcriba Concinus. qui reſpondit non concedi tempus renouandi negotij cum Cęſar poſtridie mane Iuliobonam eſſet abiturus: ſe tamen ante diſceſſum procuraturum vt aliqua reformentur ſi fieri poſſet, cum ſit etiam alijs de rebus magnis verba facturus. Quod ad Senenſem rem, non videri eſſe tractandum, neque de præiudicio cęterorum principum. Sed enim mane allatum eſt ſecundum decretum, in quo non amplius fidelia, ſed luculēta ſcriptum erat. & immediatè ſublatum. at illud relictum erat, neque alteri cuipiam ſubiecta, quibus Senenſis principatus coarctatio continebatur. Enimuero cum denuo Hetruſcus orator queſtus eſſet, quod ſuus princeps in anguſtum cogeretur, diſceditur non ſine animi perturbatione. Veruntamen ne Cæſar, aut eius miniſtri ſuſpicari poſſent quanto deſiderio magnus Dux arderet negotii ad finem perducendi, quòd ſæpe res difficilius conceduntur ardentius optantibus, vel certe anguſtioribus conditionibus, non modo Concinus nullas literas dedit proprio tabellario de hac re ad ſuum principem, vt tantum negotium requirere videbatur, ſed neque ordinario quidem eius hebdomadis, ne maiores difficultates per id ſtudium princeps haberet. Claudius Comes Triultius interea à Rege Romanorum Romam miſſus ad Pont. ad ſignificandam electionem, hoc ſecundum decretum ad Hiſpanum oratorem & ad Card. Granuelium attulerat, quod miſſum fuerat etiam ab Hiſpano oratore ad Regem per eundem tabellarium, qui nuntium electionis afferebat. illud cognitum eſt Concino per Cæſarianos miniſtros. erat timor Concino ne decreto per Italiam diuulgato principes ęmuli excitarentur ad impediendum quo minus negotium perficeretur: atque res Hiſpana videbatur propè inſuperabilis, nedum difficilis vt componeretur ſcriptum de principatu Senenſi. atqui quod miſſum eſſet exemplū decreti videbatur innuere ſore omnino vt ſtaret formula, quę fuerat inſtituta. inde effectū eſt vt orator Hetruſcus omni ſtudio niteretur validiores, efficacioreſque rationes Cæſari in medium afferre, vt remouerentur hæc omnia impedimenta, ſi obijciantur. Claudius vbi Romam acceſſit diditum eſt per vniuerſam Italiam ſecūdum decretum, fiebantq; varia de ſucceſſu iudicia, cum plerique in eam ſententiam conuenirent nihil vt factū eſſet. nam qui animū Magni Ducis, & dignū Coſmo patre & verè regium eſſe cognoſcebant iam tum habebant pro comperto quod non admitteretur, cum ineſſent tot coarctationes. alij erant dubij. non adhorrebant ab hac opinione vel illi, qui erant ęmuli, quamuis ſe iam in tuto poſitos eſſe arbitrarentur ob tot reſeruationes, tamq; anguſtas conditiones. At Concinus his variorum principum Italorum iudicijs fretus fecit vt crederetur inter aulicos Magnus Dux à ſuſcepto negotio deſtitiſſe, quo cęteris oratoribus ſic obdormitantibus difficultates poſtea deuitaret, ne illi ad Cæſarem querentes accurrerent, aditumque occluderent Magno Duci. vbi Iuliobonam ventum eſt paucis diebus interiectis denuo queſtus eſt apud Cæſarem Concinus, quòd pro vbere Cæſarea gratia res tam fuiſſet ſuo principi coarctata vt cogeretur illam refutare. oſtēdit quam moleſtum fieri potuiſſet Magno Duci ſi formula miſſa fuiſſet, in qua percepiſſet nimis anguſtas in ſe cōquiri cautiones. ſe noluiſſe mittere antequā melius ſit explicata, benigniuſque decretum, ne princeps tantū moleſtię perciperet, quia vbi prorſus de gratia Cæſarea deſperaſſet, cogebatur putare hanc ſententiam altiores radices, atque alios fines proſpectare. repetit deniq; ꝙ ſi ſententia eſſet Cæſaris vt cōprehenderet per hāc erectionē loca, quę nemini alij ſubijciuntur, & ne cuiuſuis iuribus fieret, præiudicium, illa eſſet ſanctiſſima & honeſtiſſima, hoc eſt excipere eos principatus, qui non ſpectant ad Magnum Ducem. ſed quia modus eſt ambiguus, ſe ſuppliciter petere inquit vt in clauſula reſeruante fieret, vbi inſerendum eſt, ne hęc cōceſſio præiudiciū faciat locis ab alijs poſſeſſis, illud eximatur vt ſuperuacaneum, neq; cuipiā alteri ſubiecta ſunt. Quod ſi velit reſeruare cęterorū imperia, illud fieri commode poterat ſi additum eſſet in ipſa clauſula, ſine præiudicio ſuperioritatis Sacri Imperij, vel alterius cuiuſquam. ſin ea eſſet ſententia, quæ colligebatur ex verbis, ne Senenſis principatus includeretur, ne Rex Hiſpanus ægrè ferret, id certe fatendum erat fruſtra Cęſ. tot annos reſponſum ex Hiſpania expectaſſe, ſi tamen ſolus decerneret tanquam non decreuiſſet, ac ſine Hiſpano vel Regis cauſa imperfectam gratiam cōcederet, vel aliquo propriū conſilio. ſibi videri neq; hoc quidem ſilentio prætermittendum, quod per hanc reſeruationem ſibi minuebat ſupremam autoritatem Imperatoriam, quod attinet ad Senas: quia ſic videbatur clam fateri ſe nullum ius habere, cum iura ſua contrà corroborari poſſent. Neque Regi ſanè fiebat præiudicium, quia titulus Magni Ducis, qui complectitur omnia ab ipſo poſſeſſa, non adderet plura iura quam habeat. atque cum ſit ſolius nomen dignitatis, fiebant meliores Hiſpanæ conditiones, ſi forte ad illos peruenirent, vt nobilitatæ & inſigniores his ſubiungit quod Cæſar ipſe optime ſciebat præiudicium fieri exiſtimatū fuiſſe a Rege in erectione Magni Ducis a Pio. V. quia cū Senæ ſpectent ad imperiū, Pontifex nō poterat ſe intrudere, quare per ipſum Cæſarē re tranſacta ceſſaret præiudicium. Hæc ſola eſſe, quę a Rege obijciebantur. non videri Regem moleſte ferre cum nullum in ipſum detrimentum redundet, qui vt princeps iuſtiſſimus nō poterat conqueri de re ſibi

Secundum decretum.

Io. Baptiſtæ Concini oratio.

non damnoſa, quæ in maximum beneficium ſui obſeruantiſſimi Ducis redundaret. ſe audiuiſſe ex ipſo Cęſare aiebat quòd Regio nomine Petrus Iaxardus inſtiterat vt negotium decideretur, quia rex eſſet probaturus quidquid fuiſſet actum. eſſe præclarũ argumentũ quod rex ſenſerit comprobandũ de principatu Senenſi, quòd ad alios Hetruriæ principatus, qui ab Hiſpano nomine nõ proueniũt, non requiſitus eſt eius conſenſus. perpendendum eſſe quam difficulter rex ſit probaturus, ſi exciperetur ſtatus Senenſis, propter ſuſpicionẽ, quæ iure poſſet cõcipi, quod factũ eſſet ſedulo, vt Magnus Dux putaret qdqd diceret Hiſpani ſe feciſſe apud Cæſarẽ ꝓ ipſo, id tãtũ feciſſe ne defuiſſe viderent, quare noluiſſe odia Hetrurię ĩ regẽ cõcitare. Videret ne vniuerſã accuſationẽ ĩ ſe cõuerteret, q̃ ĩ alios cæteroquin eſſet redundatura. Cæſar, qui huius tituli cauſa omnia ſurſum deorſũ verterat, verebatur ex altera parte ne cum non poſſet demonſtrare per ſcripta Hiſpanos ſibi inſtitiſſe, exiſtimationẽ in periculo poneret hac dignitate largè cõcedenda, ex altera cum ita impelleretur, timebat neſi tam coniuncto principi, tamq; benemerito nõ obſequeretur, prorſus abalienaret, quare dubio animo reſpondit Deũ opt. max. eſſe teſtẽ, quod animi ſui deſiderium eſt ſincerum. ſe nolle id tacere, ꝙ regius orator exemplum acceperat decreti iam in Hiſpaniam miſſi, veruntamen ſe inſpecturum quid fieri poſſit in eo negotio, atq; breui finẽ habiturũ. Progreſſum eſt à Cõcino oratore ad aliam cauſam

Altera Concinij oratio.

pertractandam, quæ excipiebat indefinitè præiudicium iurium cuiuſque, per quod non ſolum dubitari poterat quod ſoſpes relinqueretur contentio de præcedentia cũ repugnãtibus, ſedẽt cuiuis anſa porrigeretur nouæ controuerſiæ. Quod ſi præiudiciũ, quod excipitur, ſimplices duces reſpiceret, eſſe conquerendum, cũ hic gradus Magni Ducis ab ea Maieſtate ſolum requirebatur vt in ordinẽ ſuperiorem accederet, quo omnis ducũ contentio deniq; excluderetur. eſſe illam maiorũ naturã vt minoribus vbiq; præſtẽt. Quod Comes Allobrogum ſuperioribus temporibus creatus fuit Dux, quod accidit etiam Menapiorum duci, & Boemię ac Polonię ducibus qui ſunt prouecti ad regiam dignitatẽ, qui ob proprij gradus rationes omnibus & comitibus & Ducibus erant ſuperiores, quibus ratione temporis forent inferiores. hoc autem niſi ita ſit, fieret præiudicium accipienti gradũ, at nõ in primo remanẽti, cui nihil adimitur; hic nimirum maiorem priſtina prę eminentiã acquirit. his ſubiungit Concinus ſe pro comperto habere ꝙ ſua Maieſtas non aſpirat vt adimeretur prerogatiua ſuperioribus erga inferiores, quia neq; princeps ſuus pateretur vt tanquam monſtro ſimilis partus in lucem prodiret. Idcirco ſuppliciter petit ad tollendas ęmulis, alijſq; omnibus occaſiones cõtrouerſiæ, vt pateretur hanc clauſulam adimi, quo tanta gratia liberè & aperte perfrui poſſet, ſicuti à Cęſarea bonitate benignitateq; expectabatur. cui vel apertè negare, vel planè concedere, patefacta liberali

Tertium decretum.

tatis & candoris plena manu per imperatoriam magnificentiam conueniret. Extortum eſt demum breui actũ iri, ac tertio poſt die tertiũ fit decretũ, in quo verba incipientia ita tamen, ſic reformantur; ita tamen quod huiuſmodi conceſſio minime debeat pręiudicare iuribus cuiuſcunq; prætendentis dominiũ ſuper dictis locis, & vt porro ſalua ſit ſuperioritas S. C. M. Sacriq; Imperij, ac iura cuiuſcũque alterius, Quę poſtrema reſeruatio quãuis intelligi poteſt de iuribus ſuperioritatis quàm rex vel alij putarent ſe habere in principatum Magni Ducis, tamen quia videbatur Hetruſco ineſſe ſcrupulus, dubio erat animo an illud admitteret. ſed cũ ſignificatũ eſſet non amplius infeſtandum eſſe Cæſarem ante quã Magnus Dux haberet notitiã, qui forte non inijceret tot ſcrupulos, tunc ſilendum fuit. Nam his addebant fieri poſſe vt Cæſar aliquid reſeruet ad petitionem dę priuilegio Magni Ducis, in quo omnia ad votum Concini accõmodabuntur, eximenturq; illa verba ad maiorẽ rei claritatẽ, cũ Cæſaris ſit animus vt hic gradus ſit omnibus numeris planè abſolutus, at non diminutus. Iſtud poſtea factũ eſt quamuis maximo negotio, ac fortaſſe maiore quam hactenus factitatum fuerat. Cauſa difficultatum fuit quia recuſabantur illæ clauſulæ, quæ erant in decreto Ducis Alexandri, qua in re tam laborauit orator, vt Cæſar implicatus rebus Polonis, quæ maximè illi erãt cordi, minime potuerit abnuere. nã nolebat Cęſar hũc principẽ à ſe alienare, a quo magna cõmoda & adiumẽta ſperabat, atq; verebat ne gratiæ tarditas, & difficultates quas iniciecibat, detraherẽt aliqd obſeruãtię, quod accederet Hiſpano. Inſtabat tanto acrius orator, cui notum erat hoc Cęſaris conſilium, vtebaturque occaſione. Petiuit huius etiam capitis alacritatem vt putarentur omnia ab eo profecta, quare captata prius à ſuo concilio informatione de debilitate ſuarũ prętenſionũ contentus fuit tacitè cedere, quod ſanè fit apertè cum non poſuerit in priuilegio illa verba & clauſulas, quę erant in decretis Alexandri & Coſmi, & in quibus putabatur tota vis iurium conſiſtere, quę cenſebat habere imperium in principatum Florentinum, quę tanta contentione requirebantur prius à Cęſare in omnibus his tribus decretis, quæque proponebantur a Magno Duce tanquam vnica uia conueniẽdi cum Maximiliano. Veruntamen vt aliqua ex parte verum videretur, quòd inſcriberentur, ſtatuit ſaltem vt ea adhiberentur quę in ipſo decreto Alexandri Mediceę familię fauerent. Ita vero actum eſt de extenſione, vt ad tollendam omnem difficultatem vel cuiuſuis Ducis controuerſiam, impetratum ſit vt Cęſar obliteraret reſeruationem iurium cuiuſuis, ac fecerit vt dilataretur & declararetur ita priuilegium vt è gradu Ducis ad ſublimiorem reipſa ſit elatus, & in alia eaque digniore claſſe conſtitutus cum omnibus prerogatiuis, quę pertinerent ad Magnos Duces non ſolùm iure, ſed etiam vſu. atque vt hac ratione approbatus videretur a Cęſare vſus introductus dandę ſublimitatis & Serenitatis huic principi, ſtatim atque creatus eſt Magnus Dux a Pio. V. perpeſſus eſt Cęſar & voluit vt a ſuo concilio & fratribus id concederetur: in qua re apparet, quã intercedere differẽtiam cenſeat inter hunc & ſimplices duces, de quibus tam perturbatè ad Pontificẽ & ad Card. ſcripſerat, quòd vſurparentur tituli ſublimitatis & ſerenitatis, qui eximerenturè priuilegijs Cæſareis, per quę magnis & maximis Ducibus imperij adęquabantur. illa autẽ orator in hoc negotio pertractando vſus eſt prudentia, atq; in extẽſione priuilegij, vt habita ratione pariter dignitatis ſedis

Magno duci ſublimitas & ſerenitas conceſſa.

apoſtolicę,

apoſtolicę, à qua Magnus Dux fuerat ipſe inſignitus, cui ſtatuerat ſe nolle immemorem acceptorũ videri, vt curarit nequod verbum insereretur, per quod vel indirectè inferretur, quòd Pontifex non poſſet vel huic, vel alijs principibus titulos conferre. Maxima ſanè fuit, vt ex his patuit Io. Baptiſtæ Cõcini prudentia & dexteritas, qui tã arduũ negotiũ, totq; difficultatibus implicatum ad optatum finẽ tamen perduxerit: quod tamen nõ debet mirum videri, ſiquis cognouit patris eius virtutem & nobilitatem ſanguinis, quæ certè, ſi cũ virtute ſit coniuncta, plurimi ſemper facienda eſt. natus eſt Io. Baptiſta eo patre, qui ſua tempeſtate paucos pares virtute, at ſuperiorem certe, vt puto, neminem habuit. nam Bartholomæus Concinus huius pater fuit ex antiquiſſima & illuſtri comitum oppidi Pennæ familia oriundus, è Talla domo quondam Aretij florentiſſima cũ eſſent etiam Cathenarię & Bagnenę oppidorũ reguli. fuit ex ea familia Concinus nomine Iacobi Pennæ comitis filius, vir ſanè ſtrenuus & gloria rerũ bellicarũ clarus, qui fuit vnus ex ijs Gebellinis, qui vnà cũ Pactijs anno 1302. Caſtrum planitiei vallis Arni occuparunt intra Vineam Florentinæ ditionis. ex huius Concini nomine propter egregias virtutes inditum eſt cognomen poſtea huic familię, à quo Concino per longam poſterorũ ſeriẽ ducto genere natus eſt Bartholomæus vir, qui ob ſingulares virtutes & diuina propè animi ornamenta, multaque pręclara facinora maxime claruit. illo enim tempore, vt pauca memoria repetam, quo Populonij regulo adhæſit, fideli ſalubriq; conſilio in Caroli. V. obſequio & Florentini Ducis amicitia retinuit, deterruitq; à fęderatione Gallorũ, ad quam apparebat propenſior ob metum Barbaruſſæ non procul abijs litoribus cum ingenti claſſe nauigantis. Idem poſtea cum Coſmi Medices ſeruitio ſeſe addixiſſet, euidentiſſime comprobauit Carolo Imperatori Theonuillę, copias Hiſpanorum eiectas à Senenſibus fuiſſe non quidem Elorentini Ducis negligentia, ſed Diegi Mendocij culpa; Bruxellisq; deinde cũ Cęſare ſui principis nomine de bello Senenſi pertractauit, curauitque vt marchio Marinianius ſummus imperator eius expeditionis crearetur, ac principis iuſſu fuit aſſidu' ĩ caſtris, quo totũ belli negotiũ diligẽti' & fidelius trãſigeretur, ꝓcurauitq; ſępius ne Marinianius, abdicaretur cũ maximo rerũ omniũ detrimẽto egregiã vero fidẽ & prudentiſſimũ cõſiliũ eius enituit vbi Toletanæ Eleonoræ fęminæ lectiſſimæ Coſmi Ducis vxori perſuaſit, eamq, propè impulit vt contenderet à Cæſare vt viro ſuo Senenſem ditionẽ cõcederet. Idẽ Neapolim proficiſcẽs cũ Albano Duce de bello aduerſus Paulũ Quartũ ſuſcepto collocuturus captus in itinere Romãq; adductus multis artibus & excuſationibus quæſitores adeo fefellit vt cũ nullis cruciatibus cogi potuiſſet ad arcana ſui principis patefacienda, amicitiam etiam inter vtroſq; principes cõſeruauit, quę vel ob illud diſſolutũ iri cẽſebatur. nuptias Lucretię Mediceę cũ principe Ferrariẽſi paciſq; cõditiones inter eius patrẽ & Philippũ Hiſpaniarũ Regẽ in Belgiũ à Coſmo Duce miſſus cõcluſit. Hic pręter Card. opinionẽ cũ maxima Florẽtini Ducis exiſtimatione vt Card. Mediceus poſtea pius quartus appellatus ſummus Pontifex crearetur feliciter tractauit. à quo diſcedens impetrauit vt ordo equitũ Diui Stephani inſtitueretur, atq; ab eodem poeſta obtinuit vt Ioãnes & eo defuncto Ferdinãdus Coſmi filij ĩ ordinẽ Card. cooptarentur. Iſtud ipsũ poſtmõ ĩpetrauit ꝓ Frãciſco Paccecho fretus ſui principis autoritate ac propria prudẽtia, qui mortuo Pio Quarto p interregnũ id ꝑſtitit vt qui parũ amicus ſuo principi videbatur quãtuis maximo multorũ Card. ſtudio iuuabatur, ad pontificiã dignitatẽ omnino ſpe ſit deluſus. ſuffecto deinde Pontifice diuina prouidẽtia pio. V. Card. Aleãdrino vocato, nõ modo impetrauit perpetuas decumas in vſum Piſanę Academię, ſed etiã egit cũ eodẽ de Titulo Magni Ducis, quod ea ſedulitate factũ eſt, eaq; taciturnitate, vt ante perfecta, quã tractata res cognita ſit. Poſtremo rurſus a principe Romã miſſus vt faueret Boncompagni partib. id quoq; trãiegit ex voto. huius tãti viri ego ꝑſens cognoui diuinitatẽ ingenij, quare nõ miror. Io. Baptiſtã filiũ. & hæredẽ nõ minus paternarũ virtutũ quam patrimonij, hoc tam arduũ negotiũ ad optatũ finem apud Cæſarẽ feliciter perduxiſſe. At in Belgio qm̃ res Hiſpanis feliciter ſuccedere apparerẽt, cõmẽdator maior, illud eſt dignitatis nomen, decernit expeditionẽ inſulæ Sericę expugnãdæ eſſe ſuſcipiẽdãs cũ haberet in caſtris ad ſeptẽ millia armatorũ. verũtñ cũ annus eſſet iã tardior, neq; videretur paſſurus in illis regionibus bellũ fore diuturnũ, quia repẽte facti ſunt magni imbres & multa ceni profunditas, neceſſe fuit ab inceptis deſiſtere, quod eſſet recedẽdũ in hyberna. dimiſſæ itaq; ſoluteq; ſunt copiæ, q̃ militabãt in Olãda. impoſita tñ ſunt præſidia in quibuſdã munitionibus, q̃ circa Iuordunũ fuerãt excitatæ vt p obſidionẽ, annonęq; penuriã cõpelleretur ad deditionẽ. Hiſpani qui diu ſtipẽdiorũ inopia laborauerãt, viſi ſibi ſunt aliquãtulũ reſpirare, ꝙ magnũ auri põdus cõportatũ eſt ex Indijs in Hiſpaniã, & q̃dã pars eius in Belgiũ trãſmiſſa. nã rex antequã illud aurum aduẽtaſſet, coactus fuerat multas gẽmas diuẽdere in ſtipẽdia militũ, quod preciũ acceſſit ad quinquagies cẽtena nũmũ millia cũ ẽt multa copijs Belgicis deberẽtur. Hierges ob permagnã vim imbriũ cũ ęgrotaret grauiora tormẽta mittit Bruxellas, ipſe in hyberna cõcedit. Cælum interea nihil placidũ mortalibus promittere videbatur, ſed animos multorũ ad metũ ſequẽtis anni excitare, expectationẽq; multarũ calamitatũ. nam dictus eſt Romæ apparuiſſe in aere ignitus draco, quæ res multis magno fuit terrori, cum res huiuſmodi ruinæ plerunque & cædes & prouinciarum deuaſtationes ſequi putẽtur. Nã cũ Lacedęmonij Græciæ imperium amiſerunt anno 1012. Viſa eſt turris ignea multo cũ ſtrepitu cadere è cęlo. vbi Turcę Solymorũ regionẽ occuparũt anno 1098. Ignis plurimus in cęlo ardere viſus eſt, quẽ ſecuta eſt inſignis peſtilẽtia; quamobrem dictũ eſt ab eo poeta; Nunquã futilibus excãduit ignibus æer. vt multa exẽpla pręteritorum tẽporum pręteremittam. Apparuit etiam in Itali hoc anno ſub finem in Amylia regione præſertim hora tertia noctis in noui Iunio occaſum verſus ardere cœlum, tantuſque fuit rubor & ſplendor in ea parte vt è plurimo igne ſubiecto appareret fieri, atque vt literæ legerentur. in Belgarum regione dum Hiſpani pugnarent in inſula Duuelantia cum plurimi fuiſſent vtrinque trucidati, dicitur viſum fuiſſe quiddam aquilę ſimile ignem ex ore profundens.

Cõcinorum nobilitas & antiquitas.

Bartholomęi concini res ſapienter geſtę.

Prodigia ignium cęleſtium quid ſignificent.

At vero vbi conueniſsent frequentes Varſouiã Poloni proceres ad comitia creandi noui Regis,quę indicta fuiſſe ſuperius memorauimus, vbi ſoluta ſunt propter diſſidia Steficienſia, affuerunt & candidati,qui poſtulabant illud regnum ſibi deferri.nam quamuis plerique Poloni cupierunt candidatos duos Polonos nobiles,eosq: hortabantur vt regnum ſibi deferri paterentur, Ioannem Coſtcam Palatinum Sendomiriæ,& Andream comitem Tecinij Palatinum Belſenſem, tamen nulla ratione adduci potuerunt, nulliſq; precibus amicorum nobilium , vt illud oneris ſibi imponi æquo animo paterentur. vniuerſa igitur ratio conuerſa eſt neceſſariò ad alios candidatos,qui fuerunt,Maximilianus Secundus Romanorum imperator, Hermeſtus eius filius, Ferdinandus frater Archiduces Auſtriæ.Io ãnes Tertius rex Suetiæ,Sigiſmundus eius filius Dux Finlandiæ.Stephanus Battor princeps Tranſyluaniæ,Alphonſus Ateſtinus Dux Ferrariæ,Ioannes Baſilij magnus Dux Moſchorum, cum legationes præterea Varſouiam conueniſſent,Gregorij tertij decimi ſummi pontificis, & Amurati Turcarum imperatoris. Polonorũ vota in varias ſententias,vt par eſt in tantis rebus, tantorumque principum amicitijs, diſtrahebantur,cum pauci eſſent candidati, ad quos non aliqua pars ſuffragiorum inclinaret.ſed Iacobus Vchanius Archiepiſcopus Gneſnenſis inſtante magna parte ſenatus Maximilianum imperatorem renuntiat & proclamat Regem Poloniæ,cui poſtmodum reclamatum eſt quod non eſſet neq; in loco vallato,neq; deſignato illi electioni,quæ fiebat in campis Varſouienſibus . erat Vchanius in acie inſtructa militum exterorum vir primariæ autoritatis in eo regno, qui collegerat ad comitiorum cuſtodiã nonnullas copias,& in aperto fuerat caſtrametatas diſpoſitis etiã tormentis.ea renũtiatio viſa eſt reliquis Polonis proceribus nobilibus & equitibus nimis violẽta,vt quæ nõ vſitato more,ſed quę ad opprimẽdã libertatẽ electionis Polonorũ ſpectaret,quare qdã pars ſenatus & vniuerſa nobilitas illud cœpit ægerrime ferre.miſſi ſunt itaq; oratores ad Cæſarẽ,quæ illũ rogarẽt,vt animũ ab ea cogitatione reuocaret,neq; vellet oppugnare aut fouere diſtractũ regnũ per magnã omniũ offenſionẽ ob iacturã prope certã libertatis , quod illud plurimũ cõferret nõ ſolũm ad conſeruationem regni Poloni & pacẽ ac trãquillitatẽ,ſed ẽt ad quietẽ totius Chriſtiani nominis. interim facta eſt optio denuo ijs Polonis,qui regnũ ſuperius abnuerant. rogantur vna omniũ Polonorum voce vt alter illorũ ſe Regẽ creari pateretur ad oẽs cõtrouerſias exterorũ ſedãdas.ſed animũ bene cõpoſitũ neq; popularis ambitio,neq; regiæ opes,neq; omnia quę vulgo apparẽt admirabilia vel potius diuinis patria, vel tantillũ dimouere poſsunt;quare ſe omnia reip.& patriæ bonorũ ciuiũ officia offerre inquiunt,& vel ſalutẽ, vitamq; ipſam,hac vna in re excepta, vt præſint ſuis ciuibus.ſic illi , qui fauerant Cæſari,oratores miſerunt qui & regnum deferrẽt,& gratularentur,& rogarent vt quàm citiſſime in regnum illud conuolaret, quod promptiſſimis animis Polonorum ſibi deferebatur.at equites & nobiliores,qui illam electionem Cęſaris nõ ſatis æquis animis acceperãt, quibusq; viſus fuerat Archiepiſcopus præoccupare libertatẽ creãdorũ regũ, cęperunt nullo prope tempore interiecto cogitare quo pacto tantam iacturam poſſent inſtaurare,& propè collapſam libertatẽ Polonã erigere.atq; ne qua inuidia inter candidatos exoriretur ſiquis cæteris fuiſſet prælatus, elegerunt poſt biduũ a cõclamato Cæſare Annam principem ex antiquiſſima ſtirpe regum Iagelloniorũ optime de Polona rep.meritorum reginam Poloniæ. addita conditione ſuſcipiendi regni vt coniugem caperet Stephanum Battorem Palatinum Tranſyluaniæ,ac nullum alium.illum hac ipſa conditione vt Annam vxorẽ duceret Regem Poloniæ creant,& Ducẽ Lituaniæ,cęterarũq; ditionũ regni Poloniæ.hoc aũt fit ad tertiũ idus decembris in loco electioni deſtinato ac preſcripto,quare literæ ſunt ad Cæſarem ita à ſenatu & comitijs perſcriptæ;ſacra ac Sereniſſima Cæſ.Maieſtas Domine clementiſſime. officia & obſequia noſtra Maieſtati veſtræ commendamus,Deumque opt.max. precamur ut illam diu incolumẽ conſeruet ad vtilitatem totius reip.Chriſtianæ.In hac reip.noſtræ orbitate cũ creandi Regis cauſa comitia à nobis hoc tempore haberẽtur, ſenatus pars,& vniuerſa ferè nobilitas Regem ex genere & ſanguine noſtro creandum cenſuit. fuere etiam pauci de nobilitate, & ſenatores quidem Poloniæ,& Lituaniæ,qui Maieſtatem veſtram ad hoc onus ſuſcipiendum aduocandam putabant;quod eorum conſilium ordines reſpuebant,non eam ob cauſam quòd illis nõ ſit optimè perſuaſum de pietate,ſapientia,ac ſumma iuſtitia veſtrę.Cęſ.Maieſtatis,verum vt aliquem regni ciuẽ Regem expoſcerent, efficiebat inſitus omnibus hominibus a natura bene informatis erga genus & nationem ſuam amor,& quod ei omnibus partibus expeditiorem regni adminiſtrationem ob communem linguam,conditionemque morum ac legum,& diſciplinę noſtræ putabant.qua de re cum amplius è nobis deliberaretur , Archiepiſcopus Gneſnenſis de loco , in quo commune conſilium habeatur, receſſit cum quibuſdam, qui cum eo ſentiebant , & cum ex ſuo conſilio ad nos quoſdam miſiſſet, prius quam à nobis ij internuntij receſſiſſent , non modo non conſentiente, verum inſcia omni propè nobilitate,& magna parte ſenatus Maieſtatem veſtram Regem Polonię appellauit contra leges noſtras,quibus ne rex,niſi omnibus conſentientibus pronuntiaretur,cautum eſt. Quod illius factum vt liberos homines decebat, ægre moleſteque tulimus; & ne hoc exemplo in poſterum pauci inuitata repius Regis creandi nobilitati eriperent,alio ſtudia noſtra conuertenda putauimus. Itaque pro noſtra erga domum Iagelloniam pietate Sereniſſ. principem Annam Polonię reginam declarauimus,ea conditione vt Illuſtriſ. principi Stephano Tranſyluanię Palatino nubat, quem cũ hac conditione matrimonij Regem noſtrum creauimus.ſcimus M.veſtram pro ſua ſumma prudẽtia omnem ſuam dignitatem,omneſque fortunas in reip.Chriſtianę tranquillitate collocare,itaq ue non dubitamus hęc paucorum ſuffragia Maieſtatem veſtram non facturam tanti,vt ijs freta non modo regnum noſtrum,verum etiam vniuerſam Chriſtianitatem in extremum diſcrimen velit conijcere. Etenim nobis conſtitutum eſt,ita libertatem iuraque noſtra tueri,vt incendium,quod hęc pauca ſuffragia quorundam noſtrorũ ciuium excitarent,non niſi ruina regni noſtri extingui poſſit,quam

Cõdidati Poloniæ regnũ petentes.

Maximilianus rex Polonię dictus.

Stephanus Battor ex Polonię elect.

Literæ partis ſenatus Polonorum ad Cęſarem.

reliquorum

reliquorum etiam regnorum Chriſtianorum interitus ſubſequeretur. verum de moderato animo Maieſtatis veſtrę, ita perſuaſi ſumus, vt eam rem Chriſtianitatis eo non deducturum confidamus. bene diuque valere Maieſtatem veſtram optamus. Datæ ad Varſouiam ex comitiis Regis creandi cauſa habitis, ſub ſigillis & ſubſcriptionibus Palatinorum Cracouienſis, Lublinenſis, Bellenſis, ac mareſcialli totius nobilitatis ad hunc actum electionis cōmunem creatorum & commiſſione ordinum. Die XV. Decembris anno Domini MDLXXV. Hæ literæ de communi conſenſu perſcriptæ ſunt ad Cæſarem, eorum qui Reginam & Battorem elegerant, cum illi contra, qui elegerāt Cæſarem per ſcripſiſſent ad Battorem & ipſi literas, legationesque miſerint Iacobum Voronecium, quibus ſignificabāt, quod cum certo Dei conſilio Reges ad eam ſublimitatem prouehantur, non debet ægrè ferre, quod ſenatus commotus ſit vt conſilium illi regno feliciſſimum & vtiliſſimum complecteretur quod fuit vt princeps potentiſſimus & Chriſtianiſſimus Maximilianus ſecundus imperator crearetur Rex Poloniæ, & magnus Dux Lituaniæ, de qua electione iam facti ſunt certiores omnes principes Chriſtiani. ſe putare Battorem principem ſapientiſſimum nullam ex ea re percepturum moleſtiam, vt qui in propria virtute potius ſuam gloriam, quam in inuidia alienorum bonorum collocarit. hæc idcirco ſe ſcribere, quia nonnulli è ſenatoribus & nobilibus facta ſeceſſione, cōtra quod paulo ante de communi ordinum regni, & conſenſu Lituanię, voluntateq; & arbitrio decretum fuerat, facto quodā impetu ipſum Battorem Regem conclamarūt. Illud cum priuata autoritate, ac nō modo inſcio ſenatu factum ſit, ita debere accipi, vt filiorum peccata à patribus, qui per indulgentiam conantur eos in officio retinere. ſe petere ab eo principe ne priuatam voluntatem, tanquam publicam autoritatem & grauitatem cōſilii accipiat, cui ſatis apparere debet quod cognita ſit multorum procerum Polonorum in ſe beneuolentia & obſeruantia in eo regno. Illud tamen quod ſpectat ad regni incolumitatem & ſalutem omnium Polonorum, & quietem ac tranquillitatem vniuerſæ reip. Chriſtianæ, non oportere pro priuata beneuolentia metiri, ſed pro iudicio, fide, publica autoritate. ſe non dubitare pro ſumma prudentia & ſapientia ſuæ præſtantię ingenii ita factum iri à principe viro bono, qui laudem quærit ex ijs, vnde vera laus poſſit proficiſci, at non ex imagine quadam adulterinæ gloriæ. Illud eſſe in memoriam repetendum, quod non ſemel ab ipſius principis legationibus dictitatū eſt ſe ſemper primum locum ac dignitatem Cæſari, celeberrimæq, familiæ Auſtriacæ debere ac tribuere. profitentur ſe pro beneuolentia in Cæſarem & officio in cauſa iuſta, & cōſeruatione patriæ, tuendaq; regni & Regis electi dignitate, nullam vnquam intermiſſuros eſſe operam, fidem, diligentiam, daturosq, operam vt contra ius & fas ſuſcepta à quibuſuis conſilia inanes & vanos euentus habeant. ſe non putare, ac per comperto habere, ipſum Battorem non ſecuturum conſilia quæ non modo Poloniam, ſed vniuerſam rempu. Chriſtianam perturbare poſſent. at vero comitia ipſa, antequam Varſouienſi ex agro diſcederetur, oratores ad Reges delectos deſignarunt, atq; ad Cæſarem legationum princeps erat Albertus Laſcus Palatinus Siradiæ, cum eſſent nouem collegæ. miſſus eſt in Tranſyluaniā Ioannes Tarlo Palatinus Lublinēſis cum duodecim collegis. atq; vt firma, rataq; foret Stephani Battoris principis electio Battorianis partibus fauentes vniuerſarum ciuium comitia indicunt ius ſuffragiorum habentium ad diem tertium decimum Ianuarij anni ſequentis ad oppidum Andreouiam.

Literæ comitiorum Polonorū partis ad Battorem.

*LIBRI VIGESIMI SEXTI FINIS.*

NATALIS

# NATALIS COMITIS
## HISTORIARVM
## SVI TEMPORIS
### *LIBER VIGESIMVS SEPTIMVS.*

SI principes homines, & illi qui cum imperio præſunt omnibus regnis aut
prouinciis, prudenti animo proſpicerent omnia ſua facta, dicta, cogitata agi
quaſi in ampliſſimo theatro non modo viuentium, ſed etiam poſterorum
omnium; omniaque ſua conſilia, quę occulta ipſi eſſe arbitrãtur, omnibus
patere, cum oculi omnium mortalium in ipſos ſint conuerſi, nihilque re-
gium poſſe latere; profectò à multis impuris conſiliis abſtinerent, ſæpiusq;
in conſilium adhiberent rationem pro appetentia, neq; ſibi licere putarent
quodcunque veniret in mentem, omniaque ſua negotia ad poſteritatis iudi
cium dirigerent nam qui parum moderatè imperãt, aut qui per ſocordiam
obſequũtur parum cordatorum cõſiliariorum iudicio, illi ſciant oportet ſe
in theatro poſterorum omnium certiſſimos accuſatores habituros hiſtoria
rum ſcriptores; Iudices autem rerum ſcriptarum non ſubditos aut coniunctos, ſed omnes auditores
poſteros, à quibus ſemper nouis ſententiis vel perpetuæ inſaniæ condemnabũtur, vel ſempiternam
laudem pro rebus geſtis reportabunt. nulla enim vel crudelitas vel maieſtas & amplitudo imperij
poteſt vllum principem ab hoc iudicio liberare. Non potuit crudelitas Neronis abſterrere ſcriptores
ab accuſatione, neq; poſteros à iudicio quo minus belua quædam & immanis fera potius quàm ho
mo iudicetur. Heliogabalo cum multa adeſſet collecta & vel è fimo pecunia, ſordes & auaritiæ pro-
priæ adiudicabuntur in perpetuum, quas nullum tempus abluet, quamuis nullum pecuniæ extet ve
ſtigium. Non potuit regnum Sardanapalum à iudicio retrahere quo minus libidinoſus & impurus
ac propè ſus immundus ab omnibus poſteris ſit iudicatus. Noti ſunt omnibus præſentibus, eruntq;
poſteris vel Herculis, vel Alexandri Macedonum Regis errores, neque huius tantæ vires, illius tanti
imperij amplitudo potuit ſcriptores abſterrere ab eorum accuſationibus. atque niſi eximiæ eorun-
dem virtutes, & celſitudo animorum, & in multos mortales beneficentia per eoſdem ſcriptores pa-
tuiſſent, profectò vana fuiſſet vis & totius orbis imperium ad deuitandam infamiam. Sed & libidi-
nem & ebrietatem, & immoderatam iram, & cætera naturæ vitia ſingulares virtutes, multaque eo-
rundem animorum ornamenta ſic obſcurarũt, nihil vt non magnificum & laudabile & glorioſum
appareat, atque ipſa vitia iam quædam animi etiam magnitudo videantur. Sed iam inierat annus al
1576 ter, cum principes Polonorum procerum frequentes conuenerunt ad comitia, quę ſub finem anni
præteriti ad oppidum Andreouiam fuerant indicta: atque ne qua vis ab iis, qui fauebant Cæſarianis
partibus, comitiis inferretur, collecta ſunt ad decem millia armatorum equitum. conuenit eò & Ma
ximiliani legatio ad hortandos proceres, vt ſua ſuffragia ijs adiungerent, qui Cæſarem delegiſſent,
qua vna ratione conſuli poſſet paci & ocio & ſui regni tranquillitati, ſi electioni diuinitus factæ om
nes acquieſcerent. reſponſum eſt legationi præter alia Cæſarem poſſe æquo animo ferre Annę prin
cipi delatam eſſe illam regiam dignitatem cum & ipſius conſanguinea ſit, & inter mores ac leges Po
lonorum nata & educata, quæ Stephano Tranſyluaniæ Palatino ſit deſponſata, quam nunc poſt ele
ctionem volũtariam deſerere. & eius dignitatem leuiter prodere, nimis eſſet inhumanum, quod cer
tè ſaluo officio virorum bonorum ac pietate facere non licet, ſicuti neq; Cæſari conuenit honorem
coniunctæ, & bene de regno meritæ fœminæ grauiter ferre. his iuſſis etiam per legationes ad Cæſa-
rem omnibus perferri, & de ſucceſſibus diligenter informari ſoluta ſunt comitia, vbi ea de Anna &
Battore communi ſententia & omnibus ſuffragijs decreta fuiſſent. nam in communibus omnium
comitiis

comitijs comprobata ſun,t quæ fuerant de ea re vbique concorditer decreta, & illæ perſcriptæ ſunt ad comitia ab iis, qui intereſſe non potuerunt ſententiæ recitatæ, cum omnia collaudarent defenſionem ſuſceptam à comitiis tuendæ Polonæ libertatis, ad quæ comitia nemo certè illorum qui Cæſarianas partes complexi fuerant, conuenerunt. Sic patuit ad conſeruationem potius legum & libertatis & iuris ſuffragii, quam quòd de Maximiliano Imperatore non optimè ſentirent, Polonos illam electionem reieciſſe, cum Archiepiſcopus nimis propere, ac nondum maturos fructus conaretur Maximiliano decerpere. Iam oratores Poloni Iuliobonam ac in Tranſyluaniam peruenerant, regnumq; ad vtrunque principem detulerant, ſed neuter illud ſuſcipere volebat, quod videretur exitus comitiorum Andreouienſium expectandus, quorum de firma & conſtanti erga ſe fide, & de magna Polonorum procerum beneuolentia factus certior Stephanus Battor, regnum Poloniæ in vrbe Megeſſi, quæ eſt Tranſyluaniç, ab oratoribus oblatum accepit, quod factum eſt cum magna pompa & omnium populorum lætitia ad ſextum idus Februarii. At Maximilianus quia nihil temerè faciendum eſſe videretur per diſſenſiones illorum populorum adhibita longa deliberatione, atque explorata ſententia ipſorum comitiorum, tandem decernit ad octauum cal. Aprilis regnum oblatum ſuſcipere, tandiu enim oratores Iuliobonæ detinuerat. in æde igitur Diui Auguſtini ſacra ſuſcipit, atque Polonis oratoribus iurat de more delectorum regum ſe pro legibus ac inſtitutis Polonorum in eo regno gubernaturum. Sed quoniam videbat illud regnum, quod per multos ſumptus, magnasque contentiones & candidatorum & Polonorum procerum ſibi delatum fuerat, non carere nunc etiam controuerſiis, apparebat non eſſe ita temerè accedendum. apparebant verò ſuboriri cõtentiones nõ ſolùm propter Polonos aduerſariæ factionis & principem Battorem, verum etiam propter nonnullos competitores, qui ægrè ferebant electionem ipſius Cæſaris, ſi tantum virium incrementum Auſtriacæ familiæ acceſſiſſet, quia ſic appareret facilè ad totius Europæ imperium aſpirare poſſe. Hoc autem videbatur grauius etiam Amurato, qui multas poſſideret Chriſtianorum imperiique regiones per vim occupatas; quæ putabantur, ſi auctę eſſent vires imperii, & Auſtriacæ familię, cum qua ſemper contenderat Ottomanica, quarum altera Europæ, altera Aſiæ imperium affectare putabatur, eſſe per vim armorum repetendæ. Idcirco ſcripſerat Amuratus hoc conſilio literas ad principes Scytharum, & ad omnes finitimos amicos, & ad ſuos purpuratos, quibus imperabat vt quantaſcunq; poſſent copias equitum ac peditum pararent, quibus ſtatim Poloniæ regnum adorirentur, ſi Polonos non pœniteret electionis Cæſaris, atq; illum coronare niterẽtur. at Maximilianus cognitis his tot principum & Polonorum conſiliis ad euerſionem Poloniæ conſpirantium, cum omnia viderentur ad arma & ad acerrimum bellum contra ſe ſpectare, quia cenſeret fieri non poſſe vt inermis aut cum paruis viribus accederet, indicit comitia Artobrigam proceribus imperii, in quibus de apparatibus aduerſus vires Turcarum ageretur, & de Poloniæ regno ineundo. at in Gallia Tranſalpina, quoniam propoſitæ cõditiones pacis, de qua diu tractatum fuerat à principibus nouæ religionis, nullo pacto per regiam exiſtimationem videbantur poſſe confirmari; quia Rex per eas accipere potius, quam dare leges ſubditis appareret, multis in locis frequentibus minutis præliis certabatur. Sic res vbique affictabantur, nemo vt eſſet in tota Gallia qui non ſuſpicaretur certiſſimum exitium imminere illi regno ſi res diutius ita protraheretur. Sed quoniam non minus de religionis Catholicæ obſeruantia, quam de regno Galliæ decertabetur, Pontifex liberali, magnificoque animo cenſuit rebus parum feliciter ſuccedentibus eſſe conſulendum, cum modo res ad pacem inclinaret, modo bellum penè extinctum reuiuiſceret. vt igitur laborãtibus rebus regiis & Catholicis opem ferret imponit tributum vniuerſis vrbibus ditionis Pontificię, quoniam ęquum eſſet labanti religioni ſuccurrere, quo Regem iuuaret. Collecta ſunt breui quadringenta millia nummum & ſex decumę è ſacris prouẽtibus imperatæ, vnde magna auri copia miſſa eſt ſubſidio Regi Gallorum, collectę ſunt etiam copiæ in Italia & in Galliam tranſmiſſæ, quæ Regias res tuerentur aduerſus nouam religionem. Italia tamen vniuerſa magna tranquillitate perfruebatur extinctis ſuperioribus tumultibus, cum neq; intimis ſeditionibus vexaretur, neque piratarum latrocinia intra ſinum Adriaticum aut Galliam togatam infeſtarent per pactiones Venetorum cum Imperatore Turcarum. Turbata eſt tamen Æmylia regio non nihil metu recentiorum præfectorum & indignationis Pontificiæ, qui apparebant fore indignati ob magnitudinem rei, quæ Rauennæ contigerat, quę in ſeſe cõuertit ad expectationem nouarum rerum oculos omnium propè Italorũ. Cauſa eius perturbationis fuit Hieronymi Raſponi indignatio viri alioquin in omni genere laudis clari, & opibus, autoritate, gratia facilè inter principes eius vicinitatis. nam Raſpona familia iam diu floruit & nunc etiam floret multis amicitiis Italorum principum, vt alii quidam Rauennates, & gloria rerum geſtarum. cum enim Hieronymus inſignem iniuriam quarundam mulierum affinium cauſa ſe à Bernardino Diedo equite accepiſſe cenſeret, adoleſcente nobili ingenio & non inurbanis moribus cæteroquin, & cuius pater ac frater canonicus, & omnes domeſtici partes protegerent, cuius Bernardini domus multa & adiumenta & ornamenta à Ludouico equite Hieronymi patre acceperat, incredibili ira exarſit. nam perindignum illi videbatur quod inde contemptus manaret & iniuriæ, vnde obſequia eſſent expectanda. his acceſſerunt conſceleratorum & malignorum occulta maledicta, qui ſimulatione beneuolentiæ hinc inde verba moleſtiſſima deferebant ad incitandos animos ad vltionem, cum etiam animis exulceratis omnia leuiſſima moleſta ſint. Illuc autem impulſus eſt Hieronymus vt per opinionem accepti dedecoris in atrox vltionis genus proruperit. multis itaq; ſicariis ſibi adiunctis, quorum abundans eſt illa regio ob fines variorum principum, & varias diſſenſiones, quæ quotidie accidunt in variis finibus, qui facilè Hieronymum ob magnificentiam ſequebantur, per noctem è Sauarna ſuo pago ad vrbẽ cum armatis contendit. apparebat afferre negotio non nihil facilitatis quòd Lactantius Gallię

togatæ

togatę pręſes è nobiliſſima familia Lactantia Oriuetana creatus erat epiſcopus Piſtorii,quem opor
tebat breui è præfectura pro inſtitutis Tridentinæ ſynodi excedere,neque erat futurus iudex eorum
quæ tunc committebantur,cum etiam rumor de creando nouo præſide Roma aduolaſſet. Sic appa
rebat res agi poſt depoſitam ferè Lactantii, ante ſuſceptam ſucceſſoris præfecturam . conſcendit ſu-
pra męnia cum portæ vrbis iam eſſent clauſæ diſpoſitis cuſtodiis in Diedorum domum facilè admit
titur per domeſticorum incuriam, qui fores facilè patefaciunt. ſequentibus quibuſdam aſſeclis vltio
nem aggreditur. Ludouicus arrepto telo fortiter obſiſtit. duos è ſicariis grauiter vulnerat. reliqui il
la pugna irritati,factiq ue ferociores,non modo in Ludouicum,ſed etiam in Suſanam neptem Hie-

Hieronymi Raſponi faci nus.

ronymi prægantem iamiam parituram arma conuertunt, & in eius patrem ac ſororem, qui omnes
miſerrimè ſunt trucidati . Bernardinus è feneſtris ad ſtrepitum ſclopettorum deſiliens cæſus eſt in
via. Sæuitum eſt in omnem ſexum vel ætatem domi repertorum. vnus è Diegis accepto graui vulne
re ſupra tectum ſe ſeruauit. nam quamuis vltionis deſiderio impulſus eſt Hieronymus ad iſtud faci
nus,quod auxit furor Satellitum vulneratorum & vis tenebrarum,tamen digreſſus eſt è ſtrage qua
ſi diuinæ iuſtitiæ ſcintillis quibuſdam excitatus,quæ clam ardent in animis omnium mortalium, &
quamuis non ſine difficultate Antonium & Bellinum Bernardini fratres, atque infantem cum nu-
trice ſeruauit. ſic è domo Hieronymus & ſicarii digrediuntur, qui cum magno impetu quiduis ob-
ſtans vocibus minacibus dimouere nitebantur. Per ipſam ferocitatem fugæ transfixus eſt Chriſto-
phorus Moriſius ſenex præter volũtatem Hieronymi,cuius erat amicus. Nam ſicarii omnem ſpem
fugæ in armorum horrore,effrenataque animorum crudelitate collocauerant. at quoniam in rebus
repentinis nulla tanta eſſe poteſt mortalium prudentia quæ opportnnum remedium repente inue
niat, neque multum non conſternetur in rebus huiuſmodi ; vniuerſa ciuitas repleta eſt tumultu ac

Numerus Rauẽnatum q̄d ſit.

trepidatione ad illum ſtrepitum nocturnum. conclamatum eſt paulo poſt ad arma tota vrbe. Ciues
aſcriptitii, qui delecti ſunt è tota ciuitate ad res turbulentas inter ciues ſedandas & componendas fe
rè trecenti,qui ad diſſenſionem cum armis accurrant,quorum cum certus ſit numerus,ordo quoq;
ipſe Numerus vocatur, ad tinnitũ cãpani æris de more ſunt conuocati. Lactantius præſes vir pruden
tia & multis inſignibus præfecturis clarus in tam repentino,tamque atroci tumultu nullum reme-
dium adhibere potuit,cum nulla firma vel certa haberet præſidia,& pauci ex Numero cum armis ad
ignotum & trepidationis plenum ſtrepitum accurriſſent ; & omne prætorium ſatellitium neceſſa-
riis de cauſis tunc fortè abeſſet. Iubet tamen paulo poſt præfectum audiendis criminibus trucidatos
videre,omniaq; diligenter ſcribere. deinde dies dicta eſt publicè per præconem autoribus, conſciis,
adiutoribus illarum cædium, propoſitaque præmia cum impunitate cæteros principes tam atrocis
ſceleris patefacientibus. nam res prorſus adhuc neſciebatur. Illa clades Romam nuntiata,& ad Pon-
tificem per literas præfectorum,ac per purpuratos patres ſtudioſos quietis & ſalutis Aemyliæ diligẽ
ter explicata fuit . Non enim conniuendum eſſe apparebat illis, qui animos parum concordes illo-
rum populorum cognouiſſent,& magis metu ſuppliciorum,quam vllo recto conſilio, aut vera con
cordia à mutuis cędibus abſtinentium. Non deficiebat materia accuſationum patribus aduerſus Ra
ſponum, cum etiam quidam parum amico animo per ſchedulas ſine ſubſcriptionibus vbique ſug-
gererent,atque in memoriam præfectis reuocarent ſi qui errores commiſſi fuiſſent à Raſponis pro
ceribus ab incunabulis eius familiæ ad hoc vſque tempus, quarum ſchedularum delatio poſt modo
obiecta eſt proceribus ignaris tanti ſceleris. captus eſt pater & frater Suſanę cęſę,& alii nonnulli tan
quam cædium illarum conſcii , ſed nulla re extorta poſt diuturnam quęſtionum & carceris mole-
ſtiam libertati ſunt reſtituti. at Romæ apud Pontificem patres qui ſalutem & quietem Æmyliæ pro-
curabant, quiq, fauebant aduerſantibus Hieronymo partibus , conquerebãtur nullam habitam eſſe
neque ſacerdotum rationem,neque infantes intra aggeres vteri materni fuiſſe tutos. non poſſe ſecu
rè habitari in vrbibus Galliæ togatæ niſi magnitudine pontificiæ indignationis reliqui ſubditi à cæ-
dibus deterreantur. proponunt forè breui vt vrbes cædibus repleantur ad tam immane exemplum,
cum illa prouincia plena ſit clandeſtinis ſimultatibus in animis multorum ſopitis metu ſuppli-
ciorum,at non extinctis per veram concordiam. opus eſſe per legum obſeruãtiam eos populos ma
ximè frænari. Pontifex his auditis , ſuperioribusque cædibus perceptis vel ante cognitam cauſam ad
deterrendos cæteros à cædibus decernit vt Franciſcus Diui Georgii Blandratæque Comes Caſalen-
ſis vir bonus & prudens,qui deſignatus fuerat præſes biduum ante cędes nuntiatas,ſtatim in prouin
ciam conuolaret: qui paulo poſt citatis equis Rauennam cum mandatis pontificiis properat alieniſ
ſimo tempore, per aſſiduos imbres difficillimaque & lubrica & cænoſa itinera. Rauẽnam profectus
præfectura accepta iubet Ioannem Baptiſtam Mengolum Iuriſconſ. nobilem in cuſtodias tradi,qui
princeps erat Numeri,quoniam viſus eſſet negligentius ordinem conuocaſſe ad vrbis defenſionem;
qui cum probaſſet ſe ſuo muneri non defuiſſe,liberatur . Iuſſi ſunt poſt conuenire cum armis dele-
ctus omnis Galliæ togatæ & Numeri finitimarum vrbium,& ducẽti magiſtri domorum extruenda-
rum è variis locis, quibus Rauennam ingreſſis forum ab armatis occupatur vt in magno tumultu :
diſpoſita ſunt tormenta,& directa in omnes fori acceſſus, illaq; data armatis cuſtodienda. Iuſſę ſunt
copię partim forum occupare,partim męnia vrbis cuſtodire,partim etiam palatium Hieronymi in-
ſignis amplitudinis, atque vnicum propè ornamentum eius vrbis,quamuis nondum perfectum cir
cumuenire. imperatum Raſponis proceribus eſſe in palatio præſidis, compulſique ſunt ad vadimo-
nia ne quid damni vrbi ab iis inferretur. Illud apparebat acerbiſſimum pleriſq; quòd innocentes ve-
xarentur pro alienis criminibus,cogerenturque ſatiſdare,cum facinus accidiſſet contra illorum volũ
tatem. hoc autem fiebat quòd propter autoritatem potentiamque vnius familiæ res vrbana non ſa-
tis tuta fore à quibuſdam cenſebatur . Illud Raſponis apparebat acerbius quia per facinoroſos clam

persua-

perſuaſum fuerat præfectis omnes Raſponos eſſe factioſos, crudeles, pertinaciſſimos vltores iniu-
riarum,qui multos haberẽt ſtipatores. Periculoſum eſſe ne ad nutum Raſponorum vniuerſa Æmy
lia ad arma ſuſcipienda excitaretur;quæ omnia ſpectabant ad euertendam illorum potentiam.iuſſi
ſunt igitur domorum magiſtri præſidijs vbique diſtributis Hieronymi palatium demoliri,quod fa-
ctum eſt per triduum magna diligentia multis alijs adiuuantibus.erant enim plures quingentis qui
demoliebantur.Raſponi non prius dimiſſi ſunt vel datis vadibus, quam palatium funditus ſit euer-
ſum,vel potius ad tantam altitudinem,quantam ruinæ fieri patiebantur. at vbi prius exijt ad Raſpo
nos rumor de euertendis ædificijs,ipſi profeſſi ſunt apud præſidem ſe proprijs manibus demolitu-
ros ſi Pontifex ita iuberet,vel ſumptibus Hieronymi,modo ab illa ignominia conuocandorum fini-
timorum abſtineretur,cum illa familia ſemper fuiſſet Pontificis obſeruantiſſima,vt quæ non ſemel
vrbem Pontifici aduerſus hoſtes propriis armis protexiſſet. at quia ſic in mandatis habebatur diſie-
ctæ,euerſæque ſunt pulcherrimæ turres ipſius Hieronymi in pago Sauarna, vbi cultiſſima ameniſſi
maq; habebat prædia,quæ omnia bona fiſco ſunt addicta,cum ipſe per literas ſignificaſſet ne ſæuire
tur in innocentes,ſe autorem cædium fuiſſe & vltorem multarum iniuriarum. Cęſar Raſponus vir
inſignis bonitatis,autoritatis,prudentiæ vel ſenio confectus incredibili promptitudine cognitis dif-
ficultatibus,in quibus res Reſpona poſita erat,citatis equis conuolat Romam. ad Põtificem admiſ
ſus deplorat Raſponę familię calamitates,cum nihil ſceleris ab ipſis proceribus commiſſum fuiſſet.
Docet quibus officiis illa familia ſemper ſummos Pontifices coluerit. oſtendit cauſas neque tam
leues neque tam tolerabiles iuueni præſertim,quæ Hieronymum in tãtum facinus impuliſſent.ape
rit multa præter eius voluntatem fuiſſe commiſſa,cuiuſce rei argumentum facit cędes amicorum,&
quoſdam vix ſeruari per ipſum potuiſſe.explicat bona,quæ fiſco addicta ſint,non eſſe Hieronymi,ne
que quæ fuerunt euerſa,ſed matris Lucretiæ,cui relictus ſit vſuſfructus à viro,eaque eſſe emphyteo
tica,multiſque ſacerdotum iuribus obligata. Proponit ante oculos ingentem Hieronymi ſqualo-
rem & lacrymas,qui pœnitentia ductus, cognitoque errore, in quem per iram incurrerat nullo in-
termiſſo tempore querebatur tantum malorum per ſe commiſſum fuiſſe. Pontifex bonus & ſapiẽs
pro paterna charitate,vt qui intelligeret nullum facinus eſſe tam atrox,quod non poſſet penitentia
leniri, quæ genus eſt quoddam intimi ſupplicij,cum non minor ſit laus in clementia, quàm in ſæue
ritate,cognita pœnitentia Hieronymi magnam partem indignationis deponit,atq; vt poſſit frui ſa-
crorum beneficio,diras imprecationes,quibus addictus fuerat ob cædem ſacerdotis,clementer abo-
let.deinde donata materia ędificiorum ipſi Cęſari ſtatuit vt addictio bonorum pro legibus ciuilibus
decidatur,ne cui innocenti fiat iniuria ob alterius peccatum. Quæ dum Romæ ac Rauennæ gerun-
tur,Ioannes Moronus Cardinalis à Pontifice, Petrus Coſtachiarius à Cæſare, Carolus Borgia Dux
Gandiæ & Ioannes Idiaquecius à Philippo Rege Italiæ quieti ac tranquillitati ſedulò cõſulentibus
principibus delecti,viri inſignis ſapientię ac iudicij cenſuerunt res Genuenſes & diſſidia,vt diximus,
eſſe componenda,occurrendumque pullulantibus Italicis tumultibus.His principum ipſorum con
ſenſu, & reipublicæ voluntate ac decretis,quoniam conceſſa fuerat facultas vt rempublicam refor-
marent,optimiſque legibus ac inſtitutis ſtabilirent,vt propè labantem ſalubribus decretis fulcirent,
& egregia alioquin Ligurum ingenia,ſed nimis nunc ob diuturnam felicitatem luxuriantia, vt fit
plerunque in rebus humanis,ad certam moderationem perducerent,multas ſalubres leges pruden-
ter ſanxerunt. Harum legum ſumma fuit,vt odioſa nomina ſeditionum, locorum, ordinum ſem- Leges late Genueſibus.
piterna obliuione inuoluerentur,abolerentur,delerentur ad exemplum Athenienſium, vbi ciuitas
illa poſt ciuiles ſeditiones ad concordiam fuiſſet perducta,neque vlli ciues noui aut veteres diceren-
tur,aut aggregati,aut populares,ſed omnes vnius & eſſent ordinis & haberẽtur.Et quoniam ocium
eſt quaſi caries omnium ciuitatum, quibus illud ineſt, quæ nobiliſſima quæque præſertim corrodit
ingenia,decretum eſt quaſdam artes nihil obeſſe cenſeri nobilitati,cum ignobiliſſima ſit omnium ar
tium ſocordia & inertia ſiue deſidia. Decretum eſt etiam mercaturam grandiorem inter ingenuas
exercitationes iure poſſe annumerari,quæ multa & publicè & priuatim commoda ſecum affert.at-
que quod acutiſſimum eſt calcar ad omnem virtutẽ laus & gloria & honores, qui virtutibus tribuũ
tur,quo magis accederentur animi ciuiũ ad optima quæq; conſilia,propoſita eſt nobilitas viris egre
gijs,vt omnes illa ſpe traherentur ad bene de republica merendum;cum nihil faciat illuſtriorem glo
rioſioremue remp.quam multitudo egregiorum ciuium.Sic omnes reſp. quæ quidem gloria inter
mortales aliqua inſigni floruerunt,acceptis præſtantibus viris primũ creuerunt & conſeruatę ſunt,
quę mox excluſa virtute exterorum labefactatę ſunt,ſenioue euerſę,aut per ſegnitiem ſuorum ciuiũ
virtutẽ exterorum non timentium conciderunt.Vt daretur non cuiuis nobilitas,ſed præſtãtioribus
virtute tantum hominibus,& conditio & ordo eligendorum inſtitutus eſt,& ſordidæ artes interdi-
ctæ.Delectus eſt è toto corpore reip.ſenatus,hoc eſt viri prudentia, virtute,rerum experientia, meri-
tis in patriam clariores,atq; ex his factum ſeminarium quoddam,è quo deligerentur maiores magi
ſtratus,qui conſilio & ſapientia moderarẽtur rebus publicis,prouiſumq; eſt ne his deligendis ac ſub
ſtituendis in locum demortuorum fraus vlla committeretur. at cõtra, ſancitum eſt vt indigni,ſi qui
poſtea viſi ſint,eijciantur. Latæ ſunt leges de eligendis ſingulis magiſtratibus maioribus & minori-
bus,vt omnia temperanter,moderatẽq; procederent, controuerſiarumq; occaſiones per recentes le
ges penitus ſunt ſublatę.decretũ eſt quo pacto Dux reip.ſit eligendus.quo pacto rationes rerum ge
ſtarum à ſingulis magiſtratibus reddendę ſint:quoniam vbi ſyndici conniuent ad magiſtratuum er-
rores,neq; ratio diligẽter redditur an res pro legibus ſint trãſactę,ibi inanes ſunt & veterno oppreſ-
ſę leges,vniuerſamq; vim reip.languere neceſſe eſt.Et quoniã ſubiectę reip. ciuitates ſunt quaſi mẽ
bra ipſius reipu.non ſunt negligendi magiſtratus,qui cum imperio mittuntur in ipſas ciuitates,ſed
proſpi-

proſpiciendum vt uiri boni ſint, & prudentes, & apti gubernationibus, alioquin omnia ſunt in magno denique periculo poſita, tanquam membra languentia, quæ ſi neglecta ſint, totius corporis ruinam ſecum trahunt. atque quia ſani felicisque corporis felicitate omnia membra frui debent, decreta ſunt etiam munia quę conferrentur in ordinem popularem, cum felicē eſſe par ſit ex aliqua parte etiam populum felicis reipub. Hæc omnia quo tranquille & quiete ſeruari poſſent, delectus eſt ordo ciuium, qui niterentur coniungere & ſtabilire inter ſe animos ciuium non ſolùm amicitia, ſed etiam ſanguinis coniunctione & matrimoniis, quibus etiam iniunctum eſt vt rixas & ſimultates ſiquę pullularent inquirentes radicitus euellerent. additi ſunt & qui leges ſeruandas curarent, quoniam nihil differt non haberi leges & non ſeruari leges in ciuitate. ſtatutum eſt etiam ne nouæ leges quotidie fierent, quæ veteribus derogarent, quoniam cum lex ſit vnicum fundamentum rerum pub. turpe eſt & puerile in rep. delirare, ebrioſorumque more modo huc, modo illuc fluctuare, aut ſæpius tanquam ab inferis mortuam legem per præconem reuocare frequentibus promulgationibus: ſed conuenit legem ab initio ante promulgationem diligenter conſideratam mox fieri ciuibus cōtubernalem, non minus in animis & conſuetudine ciuium, quam in libris publicis ſtabilitam. eſt enim clariſſimum male inſtitutæ ciuitatis indicium, ſi leges ſæpe repetantur, quod certè nō fieret, ſi à ſapientibus latæ eſſent priores, ac ſemel latæ iuberentur, vt conuenit, ſeruari. Et quoniam pecunia eſt regina animorum ignobilium, maximeque auidi ſunt in ciuitatibus ſordidiſſimi quique opifices, & illi in primis, qui diuendunt edulia, latæ ſunt leges, quibus vtantur præfecti aduerſus fraudes, vetitumque eſt ſub grauibus pœnis ne ipſi participes ſint eius mercaturæ. Sublata eſt perpetuis legibus omnis ſeditioſorum, ſicariorumque conſuetudo, vetitaq, conuenticula, & vrbanę quieti diligenter conſultum. Ne vero vlla memoria ſpoliorum aut inimicitiarum alicubi extaret, quæ poſſet renouare priſtina odia, ſancitum eſt vt omnia per ſeditionem direpta vbiq; reſtituantur, ſeruata ſemper libertate reipublicæ incontaminata. vt autem iuſtitia integrè ſeruaretur, quæ diuinum eſt vinculum familiarum, ciuitatum, regnorumque omnium, inſtitutus eſt magiſtratus trium exterorum iudicum ad cauſas criminum audiendas, qui magiſtratus Rota eſt appellatus, qui neque amicitia neque odio ignotorum ciuium á recto iudicio deflecterentur: quia qua in vrbe ratio perſonarum potius habetur, quàm negotiorum, ibi æquitas non poteſt habere domicilium. Multis præterea legibus ſtabilitus eſt hic magiſtratus, vt iudices eſſent tuti ab iniuriis atque inſidiis ciuium, quoniam non omnibus grata eſt iuſtitia, & præſertim ſi ea in exitium aut infamiam vel propriam coniunctorum redundauerit. Inſtituta eſt etiam ratio gubernationis ipſius Rotæ, & autoritas, & auaritia miniſtrorum certis legibus coarctata, quæ ſi permittatur nullos habebit terminos. & ſyndici inſtituti, vt omnia fierent iure. Prouiſum eſt ne in carcere detentis fiat iniuria, ac præter meritum opprimantur diuturnitate captiuitatis, ſed quàm citiſſimè illorum cauſæ diiudicentur. Interea quia rumor increbuerat non ſolùm ingentem claſſem Turcarum in præſentem annum multa diligentia Byzantii fuiſſe ædificatam, ſed etiam iamiam ad exitium Chriſtianorum eſſe exituram, omnia loca maritima multo ſtudio muniebantur, vt dictum eſt, & præſidia vbique comparabantur, ſed in primis inſula Melita multis præſidiis firmabatur. Collecta ſunt magiſtri eius ordinis & equitum Melitenſium ſumptibus circiter ſex millia peditum ad inſulæ defenſionem, cum totidem Pontificis & Regis Hiſpani ſtipendiis alerentur per quoddam ſtatutum tempus. Continuò ſi quidem auditis Turcicis apparatibus tot præſidia ſunt decreta, cum illa inſula ſit alterum propugnaculum Italiæ aduerſus maritimas vires barbarorum, ac difficile captu ob eximias munitiones. difficillima eſſet etiam barbaris ad ſeruādum propter longinquitatem, ac vicinitatem Italiæ, quæ poſſet per hyemem expugnari omni prorſus ſpe auxiliorum deſtituta. Magiſter ordinis, quod intelligeret vtile eſſe diuturnæ obſidioni, quę expectabatur, vt imbelles homines, prorſusque inutiles rebus militaribus excederent è munitionibus, aut vt non neceſſaria iumenta dimitterentur, ne annona ac pabulum & fruſtra & citius abſumeretur, omnibus & hominibus & iumentis inutilibus exonerat munitiones. Sed enim quia periculoſum videbatur ne Italiæ quoque litora de repente inuaderentur à Turcicis copiis, aut aliæ inſulæ, quæ ſunt in mari Siculo ſiue Libyco; ne palantes Turcæ ac liberi toto mari vagarentur, ſublata omni hoſtium ſuſpicione, claſſis Hiſpanorum vbique in locis Hiſpani Regis comparabatur, colligebanturque multa præſidia ad tutanda litora Italiæ, & equitatus ad reprimendas incurſiones Turcarum, ſicubi deſcenſionem feciſſent. His tot apparatibus quia neceſſaria erant multa ſtipendia, miſſa ſunt trecenta millia nummum ex Hiſpania, quæ ſex triremes conuehebant. Has inopina maris Libyci tempeſtas, & vis ventorum repentina tanta inuaſit vt procella illidens has in loca aſpera & occultos ſcopulos omnes ad Villam Francam infregerit ac demerſerit, cum pecunia tamen paulo poſt fuerit recuperata. At in Gallia tranſalpina quoniam res maxima eſſent in perturbatione, neque apparerent per ſuperiores conditiones vllo pacto poſſe conuenire, omniaque viderentur cædes, rapinas, incendia, grauiſſimumque exitium Gallorum regno minitari, cum victores vtrinque ad Galliæ deuaſtationem irruerent, res mitius agi cœpta eſt ob interuentum Reginæ matris. Propoſitæ ſunt ad pacem tranquillitatemque Gallicarum gentium res huiuſmodi à Rege Andegauenſis ſiue Alenconii Ducis oratori, quæ monitu matris non interſerentur quidem edicto de pace, ſed inuiolabiliter ſeruari iuberentur ab vtriſque factionis præfectis: primum quod Rex iuramento affirmabit in priuato concilio, vt in publicis comitiis, quę vulgo Parlamentum vocantur, quod hę conditiones pacis ſeruabuntur, cuiuſce rei vades, adpromiſſoresque erunt cum iuramento Regina mater, principes cognati, Mareſciallus Gallię, & alii proceres priuati concilii, atque imperabitur pacis pręfectis vt hę res in album referantur. Quòd concedetur Auenionis gentibus ſub archiepiſcopatu, vt in iis regionibus conſcientię libertate vtantur, ſeruenturque ritus religionis permiſſos ſubditis à Rege, atque

Promulgatio legū frequēs qualis.

Melitēſis apparatus.

Naufragium Hiſpanorū.

Gallicę pacis cōditiones.

Rex

Rex perſcribet ad Pontificem, procurabitque vt illis aliquo pacto ſatisfiat. 3. Vt in omni curia, foroque concilii ſtatuatur pars iudicum, aut habentium munia publica, altera catholicorum, altera recentioris religionis. 4. Vt, ſi vacauerint munia ipſius religionis, concedantur illis per Regem qui vel profitentur publicè, vel profeſſi ſunt ipſam religionem. 5. Vt omnes religioſi, qui titulares remanſerunt beneficiorum teneantur illa aſſignare ante ſex menſes, viris catholicis: atque qui polliciti fuerint penſiones ſuper dictis beneficiis, illæ in poſterum diſſoluantur. 6. Vt Rex libertati reſtituat unum ex filiis Caſtillonis Amirantis Galliæ, qui iam triennium ferè fuerat in carcere. 7. Vt iudices eligantur controuerſiarum inter catholicos, & nouæ religionis homines de cupetandis hæreditatibus, & poſſeſſionibus. 8. Vt ſubditi nouę religionis ſuis bonis perfruantur in comitatu Auenionis. 9. Vt pecunia debita pro ſolutione Raitris præſentis, præteritique temporis æquè ſubditis Regiis imperetur. 10. Vt miniſtri Regii, & alii habitantes in vrbe Santonum, quam Rochellam vocant, ſeruentur in priuilegiis, & iuriſdictionibus antiquis, neque alium habeant gubernatorem, quam Siniſcalchum. 11. Vt Rex conſeruet Condæum in ſua præfectura Veromanduorum ſiue populorum Picardiæ in omnibus prærogatiuis, præeminentiis, autoritatibus ad ipſum ſpectantibus, cui detur pro domicilio urbs, & oppidulum Peronnæ, ubi gubernatorem illi liceat inſtituere, qui ſibi pareat. 12. Vt mille & ducenti pedites habeantur Regiis ſtipendiis per conſenſum catholicorum & nouę religionis hominum, qui in octo urbibus ſtatuantur, quæ his relinquuntur: neque Regi alium gubernatorem, aut alia præſidia licitum ſit imponere. 13. Vt vrbs Lharice per biennium concedatur Alenconio, vbi gubernatorem cum duodecim militibus poſſit imponere ad eius cuſtodiam ſine aliis pręſidiis, qui teneatur illam poſt biennium nulla re mutata Regi reſtituere. 14. Vt Rex prouideat ac ſignificet præfectis ſuarum prouinciarum ne quam controuerſiæ opportunitatem prędſtent tranſeuntibus hominibus nouæ religionis ad ſibi conceſſas vrbes, aut vbicunque loca cuſtodiantur à catholicis præſidiis. 15. Quod attinet ad petitam fieri reformationem in ſtatu eccleſiaſtico, quòd rex dabit operam nihil ut magis cupere intelligatur, quam videre in Eccleſia bonam ac ſanctam reformationem. 16. Quòd Rex inſtabit omnibus ſuis ſubditis cuiuſuis religionis, ne quiſquam interrogetur de rebus ad conſcientiam ſpectantibus, neque ut ſubiiciantur quæſitioni: ſed liberum ſit accedere, morari, abire, negotiari per ipſum Regem, quod etiam in Italia, Hiſpania, aliiſque regionibus conſimiliter fieri liceat. 17. Vt Alenconius frater, Rex Cantabrorum, princeps Condæus, Mareſciallus Anuillæ, exteri, alii proceres & nobiles, omnes ſubditi Regii promittant iuramentoque ſtabiliant obſeruatum iri edictum, ubi factum fuerit. 18. Vt Alenconius intra quindecim dies à publicatione edicti reſtituat Regi urbes depoſiti nomine conceſſas, Molinſium, Deſiram, Saucarium, Diuum Ioann. Angelum, Nyorthum, Cognatium. Quæ dum tractantur in Gallia de rebus componendis, acerbiſſima uis peſtilentię multis in ciuitatibus Italiæ craſſari cœpit. Nam Mantua multis ciuibus priuata eſt, & Tridentum ad extremam propè ſolitudinem per vim morbis redactum: quę urbes olim populoſę, & opulentæ eſſe conſueuerunt. Verona, Patauium, Ticinium, Brixia, Vincentia conſimili vi morbi valde ſunt vexatæ, qui miſerabiliter etiam Apuliæ, Calabrięque fines, & Siciliam infeſtauit. nam in una Siciliæ ciuitate Meſſana celebri & ampla non procul a Peloro promontorio ſita, quę non longo interuallo Italiam proſpicit, ad ſexaginta millia mortalium dicuntur intercidiſſe. Vexauit idem malum multas etiam regiones Turcarum cum incredibili caritate annonę. Sed tamen nulla tanta eſſe potuit peſtilentia, nulla tanta tamque frequens lues, nulla tanta penuria uictus apud Turcas, quæ potuerit auaritiam, & auiditatem prædæ Turcarum retardare, aut illos prorſus à claſſicis apparatibus reuocare. Non enim terrentur peſtilentia illæ nationes, quibus perſuaſum eſt omnia neceſſariò, & fatali quodam decreto, atque irreuocabili lege gubernari, & trahi, vel impelli, quod certe non poteſt ſine riſu a ſapientibus audiri, cum diuina ſapientia nihil fruſtra agat: quod ſi illa opinio vera ſit, omniaque ſint neceſſaria, quis erit vſus induſtriæ, quis prudentiæ, quis rationis hominum? at hæc maxima ſunt & præſtantiſſima in rebus humanis. nam certe quidem nulla in re diuina prouidentia poteſt obdormitare, cum omnia ſint ſapientiſſime a Deo optimo maximo facta, tum certe in rebus maximis illud cenſeri minime omnium conuenit. maximam autem rem eſſe ratiocinationem quis poteſt dubitare? Sed neſcio maior ne fuerit Chriſtianorum trepidatio propter diſſipatos rumores de ingentibus apparatibus Turcarum, an Turcarum propter apparatus Chriſtianorum factos ad defenſionem, quos illi ad expugnanda ſua loca mari finitima conuenturos eſſe arbitrabantur. ita fiebat vt qui vellent aliena rapere, cogerentur de ſuis magnopere eſſe ſolliciti & propè ad defenſionē conuerti. Dicebantur enim naues longæ roſtratæ centum & triginta exiuiſſe Byzantio, quibus acceſſiſſent circiter ſeptuaginta minora nauigia, quæ claſſis eſſet eximie propugnatoribus, & remigibus inſtructa. exiit tamen non formidabilis: atque non aſpernanda Hiſpanorum aduerſus eas uires inſtruebatur. Serixia interea, quæ copiis catholicorum premebatur, vbi obſidionem diu ſuſtentaſſet, iiſdem conditionibus uenit in poteſtatem Regis, quibus captum fuerat Midelburgum vrbs nobilis Silandæ, quæ fuerunt huiuſmodi, vt noningenti milites, qui inerant in pręſidiis, exeant incolumes cum armis, extinctis funiculis ſclopettorum, vexillis inuolutis, vt efferrent tantum, quod ſub brachio geſtare poſſent. vt vrbs diſſoluat ducenta millia florenorum, quinquaginta nunc, quinquaginta intra dies quadraginta, reliqua pro arbitrio præfecti copiarum. At in Gallia quoniam res ad pacem ſpectare apparebat, Rex vt grauisſimis ſumptibus ſubleuaretur nonnullam partem copiarum dimittit, quas Condæus conuocat ad ſtipendia, vt rebus Belgicis laborantibus opem ferret, cũ quibus conſpirarat.

Italiæ peſtis.

Serixia capta.

Cæſar conuocatis comitiis, vt dictum fuit, quoniam dicerentur magnæ Turcarum copiæ breui venturæ in fines Pannonię, petit auxilia ad rerum ſuarum defenſionem. narrat ut Poloniæ Rex fuerit declaratus. vt iura habeat in Dardaniam, Lituaniamque regiones, quæ nunc factæ ſunt membra imperii. Sed quoniam plurimum conferebat huic negotio ne uires Germanæ diſtraherentur, multa etiam verba fecit de iuſtitia Germanię, hortatusque eſt proceres ad eam in primis ſeruandam, & ad concordiam, ſine qua inter ciues neque vlla felicitas publica, neque conſeruatio regnorum, neque Dei ipſius clementia haberi poteſt, hortatus quoque eſt principes imperii ne milites è Germania exire paterentur, cum ita uellet rem catholicam iuuare. At Battor Vlpiano per Myſiam ſuperiorem profectus ad Sniatinum oppidum in fines regni Poloniæ initio Aprilis peruenit, vbi exceptus fuit ab omnibus finitimis populis honorificentiſſime cum magno regnicolarum concurſu. Tandem per Leopolim, & Præmiſliam ciuitates Dardaniæ profectus Carrodunum regni Metropolim, ac regum domicilium cum duobus millibus peditum, & mille & quingentis equitibus Pannonibus ad nonum calen. Maii ingreditur, cum magna pompa, & lætitia uniuerſi regni. huic profecta ſunt obuiam honoris gratia tria equitum, & duo Polonorum peditum millia, qui non multo poſt inunctus coronatusque eſt cum magno applauſu à Staniſlao Crancouio epiſcopo, Vladiſlauienſi in magna mortalium celebritate & conuentu. abfuit ab iis ceremoniis Gneſnenſis Archiepiſcopus, ad quem ius coronandi Reges Polonorum pręcipue ſpectat, quia partibus Cæſarianis, ut diximus, faueret. iunctus eſt in matrimonio cum Anna Iagellonia, quæ calen. Maii coronata item eſt regina. at uero Laſco Palatino uni è primariis proceribus Polonorum, quia nollet electioni aſſentiri, neq; nouo Regi præſtare de more obedientiā uiſum eſt neceſſe eſſe ſolū vertere, qui confugit in Italiam. nec multo poſt omnes ferè qui partibus Ceſarianis fauerant, perſtiteruntque in ſententia uſque ad mortem Cæſaris, profugerunt è regno Poloniæ. Battor ubi primum regnum eſt adeptus legationem miſit ad Cæſarem, qua illum hortabatur, ut quoniam ipſe per tot principum inuidiam, factioſorumque ciuium regnum illud aſſequi non potuiſset, æquo animo pateretur illud ad amicum & ſibi deditiſſimum Regem peruenire, cum tam humaniter multorum mortalium ſaluti fuiſſet conſultum. Cæſar reſpondet id fieri non poſſe honorificè, ut Polonos tam leuiter pęniteret electionis nulla oblata probabili cauſa, neque ſe paſſurum eſſe vllo pacto vt id regnum occuparetur, in quod ipſe legitime fuiſſet electus. Moſchouitarum Dux quoniam repulſam tuliſſet, ad neminem patiebatur æquo animo regnum illud peruenire, & quia putaret Cæſarem illam electionem ægrè tuliſſe, miſit legationes quę de accepta iniuria quererentur, & omne genus auxilii, ſi uellet regnum per uim armorum inuadere, promitterent. Itum eſt obuiam honoris gratia legationibus, quæ cum pręclaris muneribus Iuliobonam acceſſerunt. Ad Cæſaris audientiam admiſſæ Ducis literas in aurea tela inuolutas in amplo uaſe argenteo obtulerunt, quod aureo panno tam longo tegebatur, ut terram utrinque attingeret. Cæſar lectis literis gratias agit Duci pro oblatis auxiliis, atque eius principis humanitatem ſe complecti inquit, ſed in magis opportunum tempus reſeruare. per iſtud ferè tempus Camillus Valengus Florentiam acceſſit Romam profecturus miſſus a ſuo Duce, atque inde ad ſalutandum magnum Ducem ad Poggium, illud eſt cultiſſimi & ameniſſimi pagi nomen. petit inter colloquia vt ſuum Ducem Sereniſſimi, & ſublimitatis titulis cohoneſtaret. at Hetruſcus in omnibus aliis ſe gratificaturum ait illi principi, ſed nolle Cæſari illud videri moleſtum, vel ſupremis principibus aliis: quibus ſolis conuenit titulos extollere. cum repeteretur non poſſe hac ratione retardari, quia ſit princeps liber, reſponſum eſt denuo ſe nolle tantum ſibi arrogare, ut honores ac dignitates diſtribuat. ſic res eſt ſilentio inuoluta. Ceterum Battor Poloniæ Rex creatus ſtatim legationes ad magnum Moſchouitarum Ducem miſit, in quem uſus eſt omni genere humanitatis, quo facile pateret, nihil ab eo Rege prætermiſſum eſſe, quod pertineret ad Chriſtiani, & optimi principis officium, & ad conſtituendam cum illo Duce concordiam: cum primum indictæ ſint utrinque inducię. miſſi ſunt ad eum Ducem viri ampliſſimi, qui & gratularentur pro nuper delata Regi amico dignitate, & amicitię iura inter illos principes confirmarent. fuerunt Regis legationes Staniſlaus Criſchius Maſouiæ Palatinus, Nicolaus Saipha Palatinus Minſcenſis, Theodorus Schumis Curię Lituaniæ theſaurarius. Sed Moſchus una cum natu maiore filio nulla facta obnuntiatione induciarum ſpretarum, neque indicto bello, barbarico quodam furore Liuoniam repente inuadit, ferroque & flammis in obuia quæque uel animalia uel homines vel ędificia ſęuiſſime debacchatur. arces per inſidias capit. nullum pręterittit crudelitatis genus vel trucidandis hominibus cuiuſque conditionis vel barbaris cruciatibus torquendis, vel turpiſſime vexandis honeſtis fœminis. quamobrem iniunctum eſt legationibus, ut res ablatas per iniuriam pro pace repeterentur. at Moſchouita indignatus ad repetitionem ſuperbe reſpondet non modo res ablatas, ſed & Lituaniam & Polonię regnum ad ſe pertinere, quę niſi ad certum tempus darentur, profitebatur ſe uelle per arma acerbiſſime recuperare. Concluſę tamen ſunt denuo ad certum tempus inducię, in quibus non intelligeretur Liuonia, cum omnino Liuoniam, & Ducatum Curlandię, & quidquid ad fines vſque Prutenorum pertingit, ſuum eſſe contenderet, e quibus Regem oporteret cedere. miſſus eſt rurſus ante quam legationes inde diſcederent Petrus Haraburda, qui niteretur unà cū aliis legationibus pacem componere, doceretq; omnes prouincias eſſe intra pacem comprehendendas, neque enim conuenire, vt inter duos principes bellum, & pax iurata ſit eodem tempore, cum ſanctiſſimo concordiæ, & amicitię vinculo odiū atque hoſtilis animus colligari non poſſit. at Moſchouita, ut ſolent, ſolū lucrum ſibi proponentes, qui omnem non modo equitatem, ſed etiam humanitatem exuant neceſſe eſt, vel iam miſſis in Poloniam legatis arcem, & Vendam pręcipuè in finibus Liuonię collectis repente copijs oppugnat. bis cū magna

Concordiæ nis.

Stephanus Battor coronatus rex Poloniæ.

Literæ Moſchouiticæ.

Moſchorum immanitas.

Inducię Moſchi & Poloni.

magna ſuorum clade vrbem fruſtra inuadit. at Liuones collectis & ipſi non negligendis copiis cum Sueuis auxiliis commiſſo repēte prẹlio omnes copias Moſchouiticas penitus deleuerūt. capta ſunt, & tormenta, quibus arx concutiebatur. interea legationes Ducis Carrodunum profectæ honorificè exceptæ, & ad audientiam admiſſæ nihil ſignificarūt, præter inſignem faſtum, & arrogantiam, neque dixerunt cur veniſſent, ſed receſſerunt nulla re certa prolata, nedum tentata.

Perfidia, & clades Moſchouitarū.

rebus ita Liuonibus ſuccedentibus Dux per miſſas denuo legationes poſtulauit, vt rex inducias illas ſuperius à ſe propoſitas iuraret, cui reſponſum eſt non apparere æquum, neque poſſe regem contra iuramentum delati ſibi regni illud facere; quare Dux indignatus cœpit non modo Liuoniam aſſiduis direptionibus infeſtare, ſed etiam finibus Vitepſcenſcibus, qui ditionis ſunt Lituaniæ, bellum inferre. propugnacula erigere. homines trucidare. proxima quæque diripere. atque quo magis vires adaugeret, acciuit multos delectus armatorum. rex idcirco per literas, & nuntios Ducis Curlandiæ, & ricenſium, & præfectorum præſidiorum Liuoniæ ſollicitabatur, vt res tanquam aduerſus iniurias acerrimi, & immaniſſimi hoſtis propulſandas ſuſciperetur, quæ non poſſet diutius vlla iuſta de cauſa differri. remiſsis igitur in Moſchouiam ſuis iniuſtis petitionibus non modo iuſtum, ſed etiam ob moleſtiam hoſtis neceſſarium bellum illi indicit, cum maximas copias ad Pleſcouiam Dux iam paratas haberet.

Pleſcouiæ deſcriptio.

Eſt autem Pleſcouia vrbs parandis colligendisq; copiis viſa cōmoda cum ſit vrs Moſchouiæ ampla atq; vna cincta muro ex omnibus Moſcouiticis, cum reliquæ ligneis muris ac trabibus ſæpiantur. defluit per mediam fluuius eiuſdem nominis, quæ vrbs cum ſit in quatuor parres diuiſa, ac ſingulę muris circundentur, locum dedit opinioni imperitorum loci, quòd quadruplici ordine murorum ſit præcincta. fuit hæc reſp. & ampliſsima vrbs, quæ ſuis legibus vtebatur, ſed per ſacerdotis cuiuſdam proditionem anno nono poſt mille, & quingentos fuit à Ioanne Baſilio Moſchorum Duce occupata, & in ſeruitutem adducta, atque Campanum ęs, cuius ad ſonitum conueniebat magiſtratus, auectum, & abducti ciues in alias regiones, pro quibus colonia Moſchouitarum fuit immiſſa, vbi pro mirifica integritate, & fide, & ſimplicitate, mores deprauati, & perfidia omnis fuit introducta. diſtat Pleſcouia à Nouogardia ad triginta, & ſex milliaria, ad quadraginta à Vielichuluco, per quam iter eſt è Moſchouia aut Nouogardia in Oricum metropolim Liuoniæ, quæ diſtat à Pleſcouia ad ſexaginta millia paſſuum. Rex cognita voluntate atque copiis iam collectis Moſchouitarum, & ipſe bellicos apparatus faciendos eſſe cenſet ad regionis defenſionem. oratores quamuis poſſent exploratorum potius, quam oratorum loco haberi, cum nulla mandata Ducis expoſuiſſent, neque attuliſſent literas, tamen Rex ne quo pacto dici poſſet violaſſe ius gentium, illos honorifice dimittit. Henricus Gallorum rex, quoniam res in tuto iam eſſent collocatæ, quæ ſpectarent ad pacem, & quietem Gallicorum populorum, quoniam maxima inopia rei nummariæ premeretur petit ſuppliciter à Pontificè per epiſcopum Pariſienſem, vt liceat tot alienare, è quibus colligi poſſent centum, & quinquaginta mummum millia, quo ſit ſoluendo quæ rebellibus promiſiſſet. Pontifex decernit, vt in comitiis purpuratorum patrum deligerentur qui hoc negotium curarent. Delecti ſunt Vrſinus, Cornarius, Comenſis, Cæſius, & diui Siſti purpurati, qui viam negotii cum dignitate conficiendi inuenirent, quoniam videbatur ęquum eſſe, & regio deſiderio vno tempore facere ſatis, & tot populorum ſaluti ac tranquillitati paternè conſulere. iniunctum, eſt etiam ijſdem patribus, vt rationem inuenirent adiuuandi Luſitani regis aduerſus Mauros Indiarum. Conceſſa ſunt denique Gallo regi ducenta, & quinquaginta millia nummum. Turcica claſsis, quæ magis neceſsitate, & rumore Hiſpanorum apparatuum, quam vllo proprio conſilio exierat, aliquandiu intra ſuos fines conſiſtit. nam rumor Byzantium fuerat allatus, quòd ingens claſsis Hiſpanorum inſtructa in Sicilia iamiam ſubditis imperio Amurati vrbibus immineret. iſtud acciderat, quia marchio ſanctæ crucis cum triginta, & ſex trirēmib. trigintaq; nauigiis varii generis, ac ſeptuaginta equitibus Melitenſib. multaq; annona, & tormentis, & ſcalis Melitam profectus e Sicilia ad inſulas Mauritaniæ Suſam, & Alcherchenen ſoluerat. Luzalis ſummus Turcicę claſsis imperator per mare Aegæum nauigans Cycladasque inſulas prętereuectus expeditiſsimam triremem mittit, ac iubet trierarchum in Siciliam appellere, & per captiuos explorare apparatus atque conſilia Hiſpanorum, quod fieri cæptum eſt ab iis magna celeritate,

Triremis transfuga.

Erat adoleſcens in ea triremi Neapolitanus captiuus ſpectatiſsimę pulchritudinis, quem trierarchus plurimum amabat, habebatque in delitiis, ac plurimum illi fidebat, neque vir ſtupidus intelligebat libertatem ac pudicitiam ingenuis animis eſſe precioſiorem rebus omnibus, ut qui omnia pro voluptate metiebatur. Hic vbi propius acceſsit ad inſulam Siciliam clam conuenit cum captiuis vt trierarchum dormientem, cæterosque Turcas, qui pauci erant, trucidarent. Tam demū ſenſit p ſua vulnera trierarchus, illud verum eſſe, quòd errores, qui ab aliquo remigum committitur aut nautarum, facile emendatur; & tanto facilius quanto humilior fuerit peccans; at qui errores cōmittuntur à gubernatorib. & ſummę rerum præfectis, nō poſſunt cōmitti ſine magno multorum periculo vel etiam certo exitio ſubditorum. Cęterum captiui chriſtiani libertate, & trireme per inſcitiam, & cædem Turcarum potiti Neapolim accedunt. Nuntiant conſilium eſſe Turcarum, ſicut auditum fuerat in claſſe, Melitam inſulam repente adoriri: quo nuntio mille, & quingenti lectiſſimi pedites pro regis Neapolitani iuſſu continuò in inſulam ſunt tranſuecti, & additi primis præſidijs. Deinde quia ſtultum eſt aliena appetere, atque illa quæ ſunt in tuto fortunæ arbitrio committere, Hiſpani audito aduentu Turcicæ claſſis mutant conſilium de africana expeditione, quam ſuſcipere clam decreuerant. reuocatur marchio ſanctæ crucis ex itinere ad regiorum locorum defenſionem. Zacynthi quoque præfectus, quæ inſula eſt Venetæ ditionis in

Zacynthi de ſcriptio.

mari mediterraneo, proſpicitque ad orientem Peloponneſum, ad occaſum Corcyram, ad ſeptentrionem Macedoniam non valde amplis ſpatijs, ad meridiem latius ſpatium maris mediterranei; mittit triremem ad Turcicam claſſem explorandam. Hinc renuntiatum eſt exiuiſſe circiter ſexaginta triremes tantùm, & eas non ſatis aptè claſsiariis copiis inſtructas cum ſummo imperatore Luzali, quæ nulli difficili expeditioni poſſit exitium minari. conſilium illud eſſe Turcarum, vt ſuſpectos atque ſuſpenſos tenerent animos aduerſariorum, exercerentque remiges, & propugnatores, & omnem turbam nauticam, vt aſſueſcerent rebus maritimis, & docerent ſuos claſſiarios artem prædandi ac latrocinia, quo redeuntes in patriam opulentiores cæteris prædæ auidis eſſent exemplo, vt alacrius ad expeditiones accurrerent. Luzalis vbi triremem in Siciliam exploratum miſſam diu fruſtra expectaſſet, ratus quod erat eam veniſſe in poteſtatem hoſtium, mittit duas biremes in Calabriam ad ipſa conſilia Hiſpanorum per captiuos inueſtiganda: quæ vbi ad claſſem rediſſent cognitum eſt Hiſpanam claſſem reuocatam eſſe ex itinere, quæ fuerat inſtructa ad Africæ expeditionem. Cæſaris interea petitionibus fauentes, qui erant in comitiis Artobrigenſibus ordinaria auxilia proponunt. Boemi in ſuis comitiis præter ordinaria ſubſidia mille, & quingentos equites adpromittunt Pannones, trecentos ferrarolos, quadringentos equites ſclopettarios ſuis ſumptibus. Maruingi ſiue Sleſia ſexcentos equites, centum ferrarolos, octingentos equites ſclopettarios decernunt. Fiunt etiam in Treuiris comitia, ad quæ multi Germani principes conueniunt, quorum commiſſarijs res propoſitæ fuerant. habita ſunt comitia etiam in Saxonia, ad quæ Rex Daniæ, & Saxonum, Boiorum, Bugontorum, Sennonumq; Duces acceſſerunt, qui omnes certa auxilia aduerſus Turcas ad imperij, Poloniæq; regni defenſionem pollicentur. concluſa eſt denique fœderatio, & perpetua ſocietas belli inter hos principes, qui ægrè ferrent Cæſaris iniuriam, electionem Battoris, & Amurati in hac re ſtudium atque indignationem, hoc eſt inter Cæſarem, Daniæ, Sueuię Reges, & Moſchouitarum, Saxonum, Bugontorum Duces, quoniam verebantur ne Battor ſi arma eorum principum mouerentur ad gratiam Cæſaris, Amurati auxilia acciret, cuius etiam gratia non nihil ſemper fuiſſet ſuffultus, apud quem principem potentiſſimum plurimum poſſet. at in Belgio Hiſpani, quoniam ſibi deberentur ſtipendia intolerabili inſolentia in præfectos, & in omnes Belgas vtuntur, quorum animus cum nullis ducum tribunorūve precibus potuiſſent placari aut mitigari, quominus hoſtiliter in omnes obuios ſæuirent, multaq; prædarentur, rebelles, & per duellionis rei publicè Bruxellis ſunt pronuntiati. omnia igitur in armis eſſe cœperunt, cum prius res bellica aliquantulum deferbuiſſet. hoc ipſum faciunt vallones qui erant Serixiæ, niſi etiam immaniores viſi ſint Hiſpanis: nam tribunum Mondragonium capiunt, & Nauarettum quęſtorem, qui eò ſe contulerat illo conſilio, vt res componeretur numerata quadam parte ſtipendiorum. neque Olandæ milites bellum diutius perferre poſſunt, cum rerum bellicarum iam eſſet pertæſum. atqui tametſi ſtatus paulopoſt Hiſpanis ſtipendia obtulerunt, vt abſtinerent ab ijs iniuriis, nihil tamen eſt impetratum, donec multitudine armatorum Belgarum circumuenti plerique illorum ſunt trucidati. Nam cum audiuiſſet ſenatus Bruxellenſis Alofti agrum ob Hiſpanorum feritatem hoſtiliter vbique tractari, cum habeat illa vrbs ad ducentos, & ſeptuaginta pagos, per quod oppidum Tenera fluuius decurrit, diſtatque à Teneremonda, & Bruxellis, & Mechlinia, non ita multo ſpatio, quod eſt amæniſſimum, ſtatuit vt equitatus ac peditatus in hos colligeretur. cœperunt hę copię collectę Hiſpanos trucidare, & præcipuè leuiores equites nuper collecti. trucidati fuiſſent omnes, ac penitus deleti, niſi Sancius Abulenſis prælium diremiſſet, eoſque protexiſſet. nam cenſebant regij miniſtri rebus Hiſpanis minimè conferre, vt hi cæderentur, quia ſic Aurantius non ſolùm ſuas vires ſeruaſſet illęſas, ſed alias etiam aſſumpſiſſet. At Polonię rex, vbi cognitum fuiſſet multos Cęſarianas partes complexos, metu noui Regis e regno diffugiſſe, cuius electioni palam fuiſſent aduerſati, iubet edictum publicè pronuntiari, per quod concedebatur venia omnibus qui antea cum eſſent liberi Regi repugnaſſent, modo nunc ad præſtandam obedientiam, & fidem accederent, iurarentque in poſterum quod patriam, & patrię leges pro viribus tuebuntur. Quòd ſi pertinaciter in ſententia, quam aduerſus communē patrię libertatem ceperunt, perſtitiſſent, omne genus ſupplicii indicitur tanquam rebellibus patriæ, & regię autoritati repugnantibus, & quidquid huiuſmodi factioſis hominibus à iuſto Rege debetur. vtitur in præſentes proceres Polonos omni genere humanitatis, quos hortatur, vt prompti, paratique ſint cum armis, ſi opus fuerit, ad patrię defenſionem. nam bellici apparatus, qui fieri dicebantur à fœderatis principibus, illi non erant obſcuri, qui per exploratores afferebantur, & amicorum literas. at quoniam his rebus cognitis timebatur à Cęſare ne ſua conſilia Amurato etiam cognita conuerteret vniuerſas vires Turcarum in fines Pannonię, magis etiam ira incenſus eſt, quia verebatur pro regem rem fuiſſe Amurato ſignificatam. iubet itaque legationes Poloni Regis in vincula coniici in vrbe Aredate. imperat multos Polonos proceres, vel Cæſarianas partes complexos deduci in carcerem, qui metu noui Regis Iuliobonam diffugerant. omnia indicia quæ poſſent cognoſci magnæ indignationis palam oſtendit. non tamen ſimplex cauſa ſe ſe illi obtulit indignationis, ſed etiam maximopere ſuccenſuit comitijs, quia cum quædam ad religionē ſpectantia petiuiſſent comitia ab eo ſibi concedi, nihil impetrarunt, quibus reſpondit non opus eſſe de his mentionem facere ob varietatem ſectarum, cum nō vna eſſet religio, ne facte ad arma veniretur, cum ſibi illud accideret moleſtiſſimum, Germanicæ calamitotum, ac præſentibus, temporibus parum conueniens. Cauendum eſſe ne non poſſent poſtea opportune pœnitere. in Treuirorū comitijs aut à Saxonib. cum nihil præter verba impetraretur Cæ-

Auxilia Cęſari decreta.

Fœderatio Saxoniæ.

Hiſpanorum ſeditio i bel gio.

Polonorum fuga.

Bonitas Regis Poloni.

ſar

ſar cogitur auxilia petere per literas à reliquis chriſtianis principibus ad imperij chriſtiani conſeruationem, quoniam Turcæ parari in finibus vbique exaudirentur. Equites Teutonici ordinis ſe ipſos ad illam expeditionem ituros eſſe pollicentur, ſi reſtituantur ſibi bona, quæ forent ab hæreticis occupata. Captum eſt ab Hiſpanis hoc ferè tempore hoſtiliter Traiectum ſuperius, omneſq; defenſores miſerabili clade trucidtati, omni prorſus obliterata humanitatis memoria, omniaq; bona ciuiũ ſunt a militibus victoribuis direpta. Dancica quoniam imperij magis partes, quam Regis complecteretur, perſtitit pertinaciter in ſententia, neque voluit Battoris electioni aſſentiri, quare ſumptis armis ad defenſionem ciuitatis, quam ſeruabant Cæſari, ſe accingunt. rex auditis his motibus, atque adeo hac inſania ciuium Daucicorum, qui auderent arroganter regno vniuerſo leges imponere, colligit multa milla armatorum ad illam vrbem obſidendam atque expugnandam. Cæſar, quod & calculos grauiſſimos pateretur, & cordis palpitationem non leuem inter has ſollicitudines animi paucos poſt dies vitam cum morte commutauit: quo mortuò omnis de regno Poloniæ, & Lituaniæ ducatu controuerſia ſimul extincta eſt. Battorique res quietæ ab imperio, & tranquillæ ſunt relictæ. ad hunc poſtea literæ perſcriptæ ſunt à Pontifice, quibus regem hortabatur ad Sanctæ Romanæ catholicæ eccleſiæ obedientiam, & obſeruandam catholicam religionem, quæ dum geruntur in Germania, & in regno Poloniæ, Scythæ prædabundi ac populabundi Moſchouitarum regiogionem percurrunt. at Dux Moſchorum collectis repente multis millibus equitum in hos nihil tale opinantes impetum facit. ad quadraginta millia trucidat. reliquis vtile fuit eſſe quam expeditiſſimis ad fugam. Byzantij neque vis peſtilentiæ, neque fames eſt impedimento quominus in nauali aut in mari Euxino claſſis ingens in annum ſequentem ex ædificaretur: nam & triremes, & hippagogæ, & mahonæ parabantur. fiebat panis nauticus in vſum claſſis, & puluis tormentarius. deſtinabantur epibatæ, & remiges. omnia inſtruendæ neceſſaria iubebantur eſſe in promptu. Et quoniam multi magiſtri perierant lue, vel in ipſo nauali, multi tranſmiſſi ſunt Hiſpani magiſtri nauigionum aut è regno Neapolitano a Rege Iuliæ Cæſarienſis. At perſarum Rex dicebatur Byzantij ſeſe accingere ad iter cum multis millibus armatorum, quòd eſſet acceſſurus Babylonem ad vſitatas cerimonias, cum noui Reges ibi gladium accingere conſueuerint, quæ res non paruam ſuſpitionem excitauit in animo Amurati, ne per huiuſmodi figmenta vellet repente loca ab auo amiſſa per vim armorum recuperare; quamobrem ſtatuit & ipſe copias colligere. Præmittit ad eos fines duo millia equitum. Sed cum Perſa palam profiteretur ſe nolle bellum excitare, ſed tantum fines ſui regni recognoſcere, cæptum eſt rem agi frigidius ab Amurato. Mortuo Maximiliano chriſtianorum imperatore principe optimo, & catholicæ religionis obſeruantiſſimo, & eius exequijs cum magna pompa de more celebratis, ſuffectus eſt Imperator Rodulphus eius filius nõ minus paternarum auitarumq; virtutum hæres, quam ſucceſſor imperij, creatus in comitijs Artobrigenſibus, qui præclarum indicium dedit initio eius dignitatis, quod eſſet ſanctæ catholicæ Romanæ religionis obſeruantiſsimus, cum ſignificauiſſet omnibus ſibi pergratum fore ſi ritus Romanæ eccleſiæ ſeruarentur. atque quoniam primum omnium bonorum humanorum pax eſt, & tranquilitas populorum, quam principes in primis debent procurare, mittit legationem ad Amuratum, quæ munus ſecum afferret, & gratularetur pro delata ſibi dignitate, & inducias impetraret, ſicuti cũ patre fieri conſueuiſſent. iſtud autem non difficulter obtinetur, partim quia timerentur vires Perſarum, partim etiam quia cognouiſſet Amuratus in comitijs Germanis, quo tempore laborabat in extremis Maximilianus, decretum fuiſſe vt intra ſexaginta menſes octingenta millia librarum auri cõcederentur vt bellum & his, & reliquorum chriſtianorum principum auxilijs aduerſus ipſum Amuratum multos annos ſuſtentaretur. His inducijs ita in octẽnium confirmatis cum nouo imperatore, fit edictum in omnibus Turcarũ finibus ne ſubditi aut fines Cæſaris infeſtentur ſub pœna capitis. dimiſſæ ſunt Poloni Regis legationes è carcere Aredatæ, & omnes Poloni, qui viuo Maximiliano capti fuerant, vbi primùm nouus imperator in illa vrbe publicè fuit pronuntiatus. In Belgio vero pluribus in locis vno tempore pugnabatur, cum ſtatus vires non aſpernandas collegiſſent. nam qa pertæſum eſſet illarum moleſtiarum, quæ à ſeditioſis, & rebellibus pronuntiatis Hiſpani inferebantur, conuenerunt inter ſe principes regionum Brabantiæ, & Arteſiæ, & Attrebatum, & Flandriæ, & multarum vrbium qui ita conſpirarunt, vt communibus armis Hiſpani qui ſeditiones in Belgio excitarant, per vim ferri eijcerentur, conditioneſque per delectos ſiue Deputatos pacificationis conſtituerunt, quibus omnes illæ regiones inter ſe concordia, & mutuis auxilijs coniungerentur. Reddebantur rationes in his cur ita conuenuiſſent, quod cum Belgicæ regiones in multas miſerias inciderint per bella inteſtina excitata, ob ſuperbiam, rigidamque dominationem Hiſpanorũ, multaque latrocinia, prędationes, inſolentiam multiplicem, decretũ eſt à ſtatib. vt ſanguinolenti tumultus ac miſeriæ regionis ſedarẽtur p firmã pacificationẽ. Idcirco etiam conuenerant Bredam Regii cõmiſſarii, & Aurãtii ac ſtatuũ Olandæ, & Zelandæ, & cõiũctorũ: ſed cũ multæ honeſtæ cõditiones fuiſſent ad pacificationẽ ꝓpoſitæ, nihil boni vt ſperabatur, obtinebãt, ſed res longe diuerſæ, cũ ꝓ clemẽtia benignitateq; Regia Hiſpani magis in dies conarent opprimere, deuaſtare, in perpetuã ſeruitutẽ impellere miſeros ſubditos cũ variis modis ſeditiones militares excitarẽt, minarẽturq; principib. ac ciuitatib. ſe hoſtiliter inuaſuros, p̃daturos, direpturos, concrematuros omnia. illi vbi fuiſſent hoſtes Regis à præfectis Regiorum declarati, & aduerſarii publicæ quietis ac tranquillitatis, coacti ſunt ſtatus per conſenſum præfectorum arma capere ne ruina vlterius progrederetur, pacemq; perpetuam componere, vt incolæ inferiorum regionum concordes cum tuta inter ſe pacificatione eijcerent Hiſpanos cum aſſeclis deuaſtatores regionum, vereſque ciues ad ſua bona in patriam poſtliminio reuocarent, & ad iura, priuilégia, conſuetudines, immunitates, libertatem, quo repeterentur

*Maximiliani Imperatoris mors.*

*Perſarũ Regum mos.*

*Rodulphus creatus Imperator.*

*Induciç Turcarum cum Cæſ.*

*Gandanenſis Pacificatio.*

Ece 3 negotia.

Vrbes conſpirantes ad pacẽ Gandaui.

negotia, quæ ſequitur proſperitas rerum omnium. inde effectum eſt vt per interuentum præfectorum regionum ſecutorum pacificationem Bredæ incæptum decretus ſit hic tractatus de pace ad honorem Dei, & obſeruantiam ſuæ Maieſtatis inter antiſtites, vrbes, membra Brabantię, Flandrię, Arteſiæ, Attrebatum ſiue Hainaulti, Valentianæ, Lillæ, Catuaci, Namurrii, Bagani, Neruiorum, Traiecti, Mechliniæ, cum referant ſtatus ipſorum regionum, & principis Aurantij, & ſtatus atque vrbes Zelandæ, & Olandæ cum adiunctis delecti commiſſarii, ſicut Deputati ex altera parte, qui curent, vt firma & perpetua pax, & coniunctio, & vnio conſeruetur cum conditionibus, pactis, & conuentionibus ſequentibus. 1. Primum vt omnes offenſiones, iniuriæ, damna, quæ acciderunt per hos tumultus inter habitatores prouinciarum contentarum in præſenti tractatu vbi uis factæ, & quouis modo, mandentur ſempiternæ obliuioni, obliterenturque prorſus, tanquàm nunquam accidiſſent, neque vlla vnquàm de his fiat mentio, neque propter has quiſquam infeſtetur. 2. Idcirco ſtatus Brabantiæ, Flandriæ, Arteſiæ, Attebatum, Valentianæ, Lillæ, Catuaci, Namurrii, Bagani, Neruiorum, Traiecti, Mechliniæ cum principibus ſtatuum Olandæ, & Zelandæ, & coniunctorum, promittunt ſe ſeruaturos in poſterum ſincere ac ſine fraude, curaturoſque vt ſeruetur ab habitantibus regiones firma, & inuiolabilis pax, concordia, & amicitia, qui ſeſe mutuis auxiliis ſuſtentabunt ſemper, & per omnem occaſionem conſiliis, & uerbo & re, exponentque omnes facultates, & vel vitam ipſam præcipuè, ut Hiſpani milites eiiciantur, & alii exteri, arceanturque a regionibus cum præter omnem ęquitatem conati ſint trucidare principes ac nobiles, & potiri opibus Belgicis, omniaque ad perpetuam ſeruitutem redigere. ad quarum rerum, & omnium requiſitarum executionem, vt obſiſtatur repugnaturis, omnes fæderati pollicentur ſe paratos promptoſque fore ad omnia neceſſaria ac probabilia conferenda. 3. Deinde conuenerunt vt ſtatim atque Hiſpani cum aſſeclis receſſerint; rebus omnibus pacatis, & iam ſtabilitis atque in tuto poſitis ambæ factiones procurent vt, conueniant ſtatus generales ea forma, qua conuenerunt tempore felicis. mem. Caroli. V. Imperatoris, vbi ceſſit principatus Belgarum Philippo Regi, vt de omnibus rebus conſulatur, ac de propriis tam religionis, & præſidiorum Olandæ, & Zelandæ, ac Bommelis, finitimorumque locorum, quam reſtitutionis munitionum, tormentorum, nauium, aliarumque rerum ad Regem pertinentium, quæ per tumultus capta ſunt per ciues Olandę, & Zelandæ, vel aliter vt apparebit conuenire Regiæ vtilitati concordięque regionum. Hoc autem nulla ratione ab alterutris poſſit impediri, differri, vel prorogari tam obſeruatis inſtitutis, declarationibus, decretiſque quæ fient, & offerentur, quam executionibus vbi fient querelæ, quod ambę factiones planè obſeruatum iri pollicentur. 4 Vt ſubditi cuiuſuis conditionis vtrinque poſſint in poſterum eſſe vbique, tranſire, morari, negotiari, mercari, vel alia legitima libere facere: ita tamen vt nemini Olandæ, vel Zelandæ, vel alii cuiuſlibet conditionis licitũ ſit quidquam tentare extra regionem Olandæ, & Zelandæ vel coniunctorum locorum contra quietem, & pacem publicam, & in primis contra religionem catholicam Romanam, eiuſque ritus, neque hac cauſa irritare, aut iniuriis afficere quenquam uel uerbo uel re, neque imitando irridere ſub pœna caſtigationis ad cœterorum exemplum, tanquam perturbatorum publicę tranquillitatis. 5. Atq; nequis in accuſationes vel pericula uel carcerem facile incurrat, omnia placita prius facta, & publicata eius formæ, atque inſtituta criminum per Albanum Ducem decreta reſcindantur, & in ſuſpenſo habeantur, donec aliud fuerit a ſtatibus generalibus decretum: ita tamen nequod ſcandalum incidat, ut dictum eſt. 6. Vt princeps ſit Amiras ſupremus rerum maritimarum, fungaturque uicario munere Regis Olandę, Zelandę, Bommelis, coniunctorumque locorum cum autoritate imperandi ubique ut nunc imperat; cum illis ipſis iudicibus, miniſtris, magiſtratibus, nulla facta innonatione prę-ter eius uoluntatem. atque hoc quod attinet ad urbes & loca, quę nunc ſpectant ad eius exercitationem, donec aliud fuerit decretum a ſtatibus generalibus poſt digreſſos Hiſpanos. 7. Quod ad urbes, & loca in ejus regia commiſſione contenta, quę nunc illi non obediunt, ea pars erit in ſuſpenſo, donec illę urbes & loca cum hac unione coniunctę fuerint, & fœdere cum aliis ſtatibus contentę extiterint ſua exercitatione per illa, quę illarum interſint tam ob exercitationem religionis, quam ob aliam rationem, ne prouincię diſtrahantur, omniſque diſſenſio, & diſcordia deuitetur. 8. Interim uero nullę citationes, uel pręcepta, uel actiones aut negotia iuſtitię locũ habeant in ipſis regionibus Regiis, quę ab ipſo principe gubernantur, pręter illas, quę declarabuntur, & approbabantur per ipſum, uel concilium, uel magiſtratus, ſine præiudicio maioris concilii Regis. 9. Decernitur item ut omnes captiui præteritorum tumultuũ cauſa, & in primis Comes Boſſuenſis, dimittantur immunes ſine precio redemptionis, neque ſumptus carceris ſoluatur, niſi tamen ſolutæ ſint redemptiones ante publicationem harum conditionum, uel factæ ſint pactiones. 10. Decretum eſt rurſus ut ipſi principi, & omnibus Regulis, equitibus, nobilibus, ac ſubditis cuiuſuis cõditionis, & viduis, vel filiis, vel hæredibus vtriuſq; factionis reſtituantur priſtina bona, fama, honor, qui poterunt poſſidere omnia bona, principatus, prærogatiuas, iura, credita, quę non fuerint diuendita aut alienata, ut ipſa bona nunc reperiuntur. hac ipſa de cauſa omnes condemnationes, ſententiæ, iudicia, oppignerationes, executiones ab initio tumultuum anni. 1566. tam religionis cauſa, quam armorum, cum omnibus ſecutis reſcindantur, reuocentur, obliterentur, extinguantur cum omnibus actis, ſcriptis, notatis, quæ nullius habeantur ponderis, eximanturq; è tabulariis nullo alio expectato mandato præter pręſentem tractatum, nullis obſtantibus rationibus, iuribus, conſuetudinibus, priuilegiis, pręſcriptionib. tam legalibus quam cõuentionalibus, vel locorum, vel alia quauis exceptione, quæ repugnaret, quæ in hoc negotio, & in aliis comprehendentibus tumultus ceſſabunt, neque locum habebunt, quorũ omnium omnino decernitur abrogatio vniuerſa, cum nullam etiam propriam valere velimus. 11. Vt præcipue comprehendatur, fruaturque præſenti beneficio Comes Palatina vidua olim vxor Bre-

derodenſis

derodenſis in omnibus ad Vianen, & alia loca ſpectantibus, in quæ illa uel ab illa ius ſumentes ha-
beant. 12. Comprehendatur item comes Buranus, & hoc in iis quæ ſpectant ad vrbes, caſtella, regio
nes Burę, ut dictus Comes ſe recipiens in hyberna tanquam in ſua propria ipſis perfruatur. 13. intrin
gentur, proſternentur, comminuentur ſtatuæ, columnæ, trophęa, tituli, monumenta omnia, quę Al
banus erexit in contumeliam ac dedecus tam prædictorum, quam cæterorum omnium. 14. Quod
ad prouentus bonorum principatuum ac priuatorum, dotium, vſusfructus, cenſus, & redditus aſſi-
gnatos tam ſuper Regem, quam regiones inferiores, & ciuitates, qui ante hanc publicationē ad ma-
turitatem peruenerint, non tamen ſint exacti aut accepti per Regem aut miniſtros, his liceat reſpe-
ctiue frui, & ex his vtilitatem percipere. 15. Ita tamen ut quodcunque bonorum aut vectigalium fi-
ſco addictum ſit à die diui Ioannis anni. 1576. ſit ad illorum commoda, qui in illud habent iura, nō
obſtante quòd accipientes confiſcationes aut alios quidquam acceptum ſit, quoniam hæc reſtituen-
tur. 16. Sed ſi aliqui prouentus ſtabilium bonorum aut vectigalium confiſcationis nomine oppigne
rati ſint per Regem, quiſque erit per tot prouentus immunis ac liber, eritq; immunis à Regiis one
ribus vel pignore ſuper bonis aſſignatis, ut erunt utrinque liberi ab omnibus uectigalibus aſſinatis
ſuper bonis aut prædiis, quibus bonis quis non potuit perfrui per tumultus bellicos, atque hoc pro
ratione temporis, & impedimenti prædictæ occaſionis. 17. Quod ad ſupellectilia, & uaſa domeſti-
ca, aliaque conſimilia, quæ direpta ſunt utrinque aut diuendita, uel alio quouis modo alienata, ni-
hil reſtituetur, aut rependetur cuipiam. 18. Quod ad bona ſtabilia, prædia, domos, vectigalia, quę cō
fiſcationis nomine ſunt diuendita, & alienata, dicti ſtatus generales inſtituent commiſſarios ubique
& in ſingulis prouinciis, qui informentur de omnibus difficultatibus, ſiquæ orientur, quo fiat ſatis
probabiliter, & antiquis dominis, & emptoribus ac uenditoribus bonorum, & vectigalium prædi-
ctorum pro illorum iuribus, & contractibus bonorum legitimè emptorum. 19. Iſtud ipſum fiet de
bonis, uectigalibus, & obligationibus perſonarum, deque prętenſionibus, & querelis, quas illi, quo-
rum de re actum eſt, per prędictos tumultus uolent vtrinque tentare, aut quouis modo experiri. 20.
Vt omnes antiſtites, & eccleſiaſtici homines, abbatięque, quarum diœceſes, fundatiores, reſidentię
ſunt extra Olandam, & Zelandam, atque in ipſis regionibus habent bona, denuo recognoſcant, fruā
turque ſuis, ut dictum eſt de ſecularibus. 21. Quod attinet tamen ad ſacros, & eccleſiaſticos, qui pro-
feſſi ſunt in dictis duabus prouinciis, & locis coniunctis, vbi conſecrati ſunt, atque inde receſſerunt,
vel ab iis abſiſtunt, quoniam pleraque bona ſunt alienara, aſſignabuntur probabilia alimenta vna cū
iis qui remanſerunt, vel ſuis bonis frui permittetur, pro arbitrio tamen ſtatuum, donec à ſtatibus ge
neralibus prouideatur rebus omnibus opportunè. 22. Prętetea decretum eſt ut omnes donationes,
priuationeſq; hęreditatum, & alię diſpoſitiones vel inter uiuos vel cauſa mortis per priuatos factę,
vnde veri hęredes cauſa prędictorum tumultuum expulſi ſunt, priuatique hęreditate, & legitima ſuc
ceſſione, uirtute pręſentium caſſabuntur, nulliuſque fient autoritatis. 23. Atque quoniam Olandę,
& Zelandę habitatores, & coloni quo melius ſufficiant ſumptibus bellicis auxerunt precium mone
tarum aurearum & argentearum, quę non poſſent diſtribui ſine magna iactura, ſtatuitur ut deputa-
ti ſtatuum generalium quanto citius fieri poterit perpendant, firmamque rationem uniuerſis ſtabi-
liant, quo monetæ probabili precio procedant, ut hęc unio & communia commercia utrinque reti-
neantur. 24. Deinde quòd decretum fuit à prędictis ſtatibus Olandę, & Zelandę, ut omnes regiones
inferiores uellent ſibi recipere omne æs alienum diſſoluendum contractum ab ipſo principe duarū
expeditionum, & ingentium claſſium cauſa, atque ut tam Olandę, & Zelandę, quam prouincię, &
vrbes in ſua ultima expeditione ſe obligatum iri promiſerunt, hoc arbitrio, & iudicio generalium ſta
tuum prędictorum relinquetur, ad quos rebus iam pacatis, & ad tranquillitatem perductis omnia
deferentur, plenaque dabitur informatio, quo res planè cognoſcantur. 25. In hac communi pacifi-
catione, & concordia non comprehendentur, neque perfruentur tali beneficio regiones, principa-
tus, urbes, quę aduerſarias partes ſequentur, donec re ipſa non fuerint coniunctę in hac fęderatione,
quod tamen facere illis licitum ſit quandocunque uoluerint. hos tractatus pacificationis poſt dela-
tiones, vnionem, conſenſus tam prefectorum regionum, & illorum ſtatuū, quam principis ſtatuū,
Olandę, & Zelandæ & coniunctorum locorum in omnibus punctis & articulis prædictis, & in om-
nibus pariter, quæ à ſtatibus decernentur aut concludentur, promiſerunt dicti Deputati pro autori-
tate ſibi conceſſa ſe rata habituros, ac iurarunt, & pollicentur ſe obſeruaturos, rata habituros, & in-
uiolabiliter impleturos, facturoſque vti ratificentur, iurentur, ſignentur, ſigillentur ab antiſtibus,
nobilibus, vrbibus, aliiſque membris dictarum regionum, & præſertim ab ipſo principe tam in gene
re quam proprie intra menſem proxime uenturum, ad quarum rerum comprobationem Deputati
hęc ſubſcriptionibus comprobabunt. In domo ſenatorum Gandaui die octauo menſis Nouembris
anno. 1576. Atque hæc omnia non multo poſt fuerunt ab Auſtriaco in Belgium cum autoritate
proregia profecto comprobata. At enim quoniam moleſta eſſent proximis quibuſque locis Gan-
dauenſis arcis præſidia, cęptum eſt multa diligentia arcem illam obſideri. Aurantius per idem ferè
tempus Bruxellas profectus vt vires animoſque Belgarum, & conſiliis, & ratione, & apparatibus bel
licis confirmaret, eam fęderationem cum Bruxellēſibus iniuit, ut ad certum vadimonium, fidem-
que Bruxellenſium ſtabiliendam, ſibi Nieuportum, Bruges, Gandauum, Oſtendè oppida concede-
rentur, illa tamen conditione vt catholica fides Romana, ac Regia obedientia ſeruaretur, modo ſer-
uarentur Belgica priuilegia ab ipſo Rege, qui Hiſpanos emitteret è Belgicis finibus, qui ſeſe Aloſti,
Liræ, in oppido Diui Bartholamæi, & in aliis locis muniuerant, omnique contentione conati fue-
rant vrbes & regiones Belgicas deuaſtare, proxima quæque cędibus, rapinis, incendiis populantes.
Dum arx Gandaui à copiis ſtatuum obſidetur, Aurantius his initis cōditionibus pacificationis, mit-
tit ſubſidio

tit ſubſidio ſtatibus octo cohortes Britannorum & Gallorum peditum veteranorum, & quædã muralia tormenta, quo negotium alacrius & ſtudioſius aduerſus Hiſpanos tranſigeretur. at Hiſpani antequam copiæ ad obſidionem conuenirent, rati fore quod accidit, undique e locis finitimis cogunt commeatum, atque ne vires multis locis defendendis diſtraherentur, multas munitiones in Olanda ac Zelanda deſerunt. acceſſerunt ſtatibus è Gallia mille ſclopettarii equites, & duo millia peditum, atque Alenconius legationes miſit ad ſtatus per quas offert copias, & ſeipſum, ſi opus ſit, ad illam expeditionem uenturum. At regina Britanniȩ his cognitis legationibus profitetur omnia auxilia neceſſaria tuendæ Belgicæ libertati ſe eſſe miſſuram, hortaturq; ſtatus vt abnuerent Gallica auxilia.

Literȩ Philippi Regis ad Henricũ regẽ Gallorũ.

Philippus Hiſpaniarum rex quoniam nuntiatum eſſet Gallicanas copias in Belgium acceſſiſſe, literas ad Gallum Regem ſcripſit, quibus querebatur quòd nulla accepta iniuria Gallia tam facile ad Hiſpanarum rerum euerſionem in Belgium conuolaret. Percunctatur an Regis ipſius eſſet conſilium vt Alenconius princeps cum ſtatibus conſpiraret ad Regia loca expugnanda. Huic reſponſum eſt à Gallo, ſe non eſſe inimicitiam ipſius Hiſpani Regis ſuſcepturum, niſi iniuriis prouocaretur. quòd ad tollendam omnem ſuſpicionem vetuerat Regio edicto nequis ſuorum rebellibus militaret, ſed ꝙ ab Alenconii viribus eũ non poſſet protegere. Antuerpiæ popularis turba, quia res vbique eſſet turbulenta in Belgio, impetum facit repente in Regios conſiliarios, inter quos fuerunt præcipuæ autoritatis Ariſcotenſis, & Haurenſis & Meghenius, & Barlaimontius, & Carolus Masfeltius reguli, qui capti ſunt, & in cuſtodias traditi illa ſimulatione, quòd dicerent uelle ſibi priuilegia ſeruari. Interea

Requeſenii mors.

Requeſenius per Diui Annæ ac Philippi inſulas in Duuelandiam cum exercitu noctu per vada traducto arcem Bomæneam uocatam copiis admotis repente expugnat, atque deinde ad obſidendam Zirizæam ſigna conuertit. nec multos dies Requeſenius ad illam moratur cum ardentiſſima febre correptus paulo poſt naturæ conceſſit. deuoluta eſt neceſſario rerum bellicarum adminiſtratio per repentinam eius mortem ad delectos proceres conſilii ſtatus, dum à Philippo Rege alius in eã præfecturam ſufficeretur. peruenit denique Zirizæa in poteſtatem Hiſpanorum, quo tempore ferè Aurantius Crimponiam oppidum in ſuam poteſtatem redegit. cum verò ad Hiſpanorum Regem frequentes tumultus, & ruinȩ, & clades peruenirent, nihilque turbulentius audiri poſſe videretur, putauit eſse neceſſarium, vt vel ipſe ad eas res ſedandas accederet, vel aliquem mitteret magnȩ autoritatis, ad cuius prȩſentiam facilius negotium poſſet componi. Imperat igitur marchioni Haurenſi, qui paulo poſt fuerat miſſus, ut Bruxellas cum Regiis mandatis accederet, hortareturque proceres Belgarum ad pacem & concordiam, atque exponeret mandata Regia, quorum ſumma erat, eſse Regis deſiderium ſummum, vt concilium Tongrorum, & omnes tumultus Belgici ſedarentur, exirentque è Belgio pro Belgarum votis omnes exteri milites, modo illæſa catholica Romana religio ſeruaretur, & Regia obedientia, quod vt commodius fieri poſſet ad negotii celeritatem, & ad procurandam rem pecuniariam, inquit Regem illuc mittere ſtatuiſſe Ioannem Auſtriacum, qui rerum Belgicarũ deſtinatus erat gubernator. Interea ſtatus munitionem non procul ab Antuerpia excitarant, vt commeatum Hiſpanis intercluderent, quod cum plurimum ſuis rebus obeſſe cognoſcerent Hiſpani in eam impetum faciunt, atque euertere conantur. initur atrox prælium. pugnatur fortiter vtrinque. Hiſpani pluribus trecentis è ſuis amiſſis, multiſque vulneratis recedere denique coguntur. itum eſt poſtea ad Vtrechii obſidionem, quod ab Hiſpanis tenebatur. deinde captum eſt non multo negotio a copiis ſtatuum per deditionem Friſlantiũ, vbi captus eſt Robles gubernator vir Hiſpanus, qui vel à

Frieslantiũ captum.

Carolo Quinto fuerat illi loco prȩfectus: atque cum per multas iniurias pecuniam a populis extorſiſſet, iuſſus eſt ab Aurantio ducẽta millia nummum pro redemptione diſſoluere. Dum ita uariis in locis res Chriſtiana bellorum motibus fluctuaret, Turcica claſſis quoniam reuocatam fuiſſe Hiſpanam ex itinere perſenſerat, ſeſe litoribus Italiæ oſtentat, ac prædabũda proximum litus Apuliæ percurrit. iuſſus eſt equitatus eo nuntio a prorege Neapolitano litora tutari ab incurſionibus Turcarũ, miſſæque ſunt duæ peditum cohortes Brunduſium, quæ ibi eſſent in prȩſidiis. His rebus auditis Iacobus Boncompagnus ſummus Pontificiarum copiarum imperator iubet reuocari milites vix ex vrbe Ancona digreſſos, qui iam dimiſſi fuerant, ac ſtatim ad præſidium Anconæ ad rumorem Turcicorũ apparatuum collecti. Dimiſſi tamen ſunt denuo paulo poſt, vbi cognitum fuit hoſtilem claſſem non eſſe magnopere formidabilem, imperatum fuerat vt omnia ad defenſionem vrbis compararentur, ſi forte barbari in eam partem Italiæ irrumpere eſſent conati. Quæ dum parabantur adhuc Anconæ & in agro Picentum aduerſus latrocinia Turcarum, Turcæ frequentes in Calabriam egreſſi è claſſe proxima quæque obuia non procul ab oppido Cordono, quod eſt principis Beſſignani flammis ac ferro populantur. captos homines in ſeruitutem abducunt. prædam auferunt. armenta ad naues abigunt. princeps audita calamitate ac trepidatione ſuorum vir magnȩ virtutis, & peritiæ rerum bellicarum cum ſexaginta equitibus, quibus ſingulis erant aſſeſsores à tergo, ac trecẽtis ſclopettariis in Tur-

Principis Beſſignani uictoria.

cas palantes, & populabundos magna alacritate impetum facit. Turcæ quamuis res accidiſset prȩter omnem expectationem, tamen magna virtute ineunt leue prȩlium, nec timide cedunt repentinȩ rerum mutationi. pugnatur diu ancipiti victoria ob ſummam pertinaciam, & virtutem vtrorunque propugnatorum. Sed Turcæ demum amiſſis è ſuis pluribus centum & quinquaginta, captis etiã ad quadraginta coguntur magno metu & celeritate ob ſuccreſcentes Beſſignani copias citato curſu relicta prȩda ad triremes refugere. At qm̃ Meſsana ꝓꝑ vim peſtilentiȩ propè deſerta eſset ab hominibus, neq; poſset defendi, ſi forte claſſis illuc appuliſset, ne forte Turcȩ nihil luem timentes illam urbem cum magno periculo totius Siciliæ occuparent, cum portum habeat ampliſſimum, & accipiendȩ cuiuis magnæ claſſi accommodatum, neve Turcȩ illo poſtea vterentur propugnaculo aduerſus totius inſulæ libertatem, prorex Siciliȩ magnum numerum equitum ac peditum colligit, iubetque

copias

copias non procul ab vrbe Meſſana caſtrametari, vt eſſent vrbi præſidio, ſi hoſtis illam vel occupare, vel ſuccendere conaretur. His præſidiis per exploratores, & captiuos cognitis neq; attingere quidem illam partem inſulæ antea debiliſſimam Turcæ auſi ſunt. at qm̃ fama increbuerat vbiq; peſtẽ in pluribus partib. Italiæ graſſari, vt in Inſubria, Apulia, Sicilia, & in primis Venetiis, & inter Euganeos populos, ſublata ſunt vbiq; commercia cum exteris nationib. ob metum contagii, cum morbus non cœlitus immiſſus, ſed per rerum conuectionem accidere putaretur. in Gallia comata poſt multas hinc inde habitas controuerſias de pacis conditionib. in has pactiones deniq; ventum eſt; Vt Alenconius frater Henrici Regis Gallorum autoritate proregia vtatur, fungatur vicario munere, cui cõceſſus ſit principatus Alenconius, & Andii, & Turonum. Vt præfectura Veromanduorum detur Condeo regulo, cui licitum ſit habere Boloniam ad ſuam tutelam, & quaſi pacis vadimonium. Vt præfectura Toloſatum ac Tectoſatum, & Volcorum ſit reguli Anuillę, cui liceat quamlibet munitionem iure tenere ad ſuam tutelam præter Toloſam. Vt quiſq; domi ſuę pro cõſcientia viuat, neq; licitũ ſit hac de cã in quenq̃ animaduertere. Vt nemo teneat dies feſtos obſeruare, modo clauſę ſint tabernę. Vt nouę religionis conciones vbiq; haberi poſſint, præterq̃ ubi rex fuerit cum aulicis, & p̃terq̃ Lutetiæ Pariſiorum, atq; Rex diſſoluat duodecim nummûm millia cõcionatorib. Vt in oĩb. comitiis ſiue curiis Regiis concilium fiat ſiue camera, vt vocant, nona, in quam pari numero catholici & nouæ religionis homines admittantur. Vt rex det ſex obſides primarios è ſuis, per quos affirmet fore vt exteri miniſtri exeant è regno. His conditionib. q̃uis parum gratis, tñ præſtare viſum eſt ſapiẽter conſulere Henrico Regi Gallicorum populorum conſeruationi & ſaluti, q̃ per Regiam ſeueritatẽ, & ptinaciã vniuerſam Galliã prorſus euertere. atq; ꝙ intelligeret ſapientis eſſe principis non modo facere quæ recta ſunt, temporiq; accommodata, verum ẽt conari vt oẽs intelligãt recta rõne ac neceſſario illud conſilium fuiſſe ſuſceptum ita inſtantib. catholicis & eccleſiaſticis ſtatib. cõuocat oẽs ordines, & nobiles Gallos ad comitia Bleſiacum, quò ubi conueniſſent & ipſe acceſſit cũ Pontificio & Veneto oratorib. Vbi oẽs conueniſſent rex ipſe in comitiis præter uſitatam regum conſuetudinem orationem habuit illuſtrem, cum alioquin ſupremus ſcriba pro Rege loqui conſueuerit. eius orationis ſumma fuit, ꝙ cum eſſet paruæ autoritatis, & Dux tñ Andienſis vel per multos labores, & pericula ꝑpetuã pacem procurauerat, atq; ipſum regnum in concordiæ firmitate, tranquillitateq; retinere. Quòd eo conſilio ad pacis concluſionem peruenerat, ad cuius obſeruationẽ comitia ẽt conuocauerat vt prudenter & moderate in regni gubernatione procederetur. hortatus eſt oes ad ipſam pacem æquo animo complectendã, quæ ſi abiit, regnũ Gallorũ exteris nationib. olim formidabile, oĩb. ferè ludibrio ac leuiſſimę autoritatis relinquet, cum nihil æquè affligat vllũ imperiũ, q̃ ciuiles diſcordię & bella inteſtina vbi rex peroraſſet, reſponſũ eſt ſtatuũ nomine, quia æquũ erat ſub vno rege vnã eſſe religionẽ catholicã Romanam, atq; vt oẽs aliæ conuellerẽtur, ad quam rem vitam & facultates oẽs alacri animo pollicentur. Henricus ſe nihil aliud magis optare inquit q̃ & illam religionem, & obedientiã Regiæ Maieſtati debitam, cum ea religio antiquiſſima ſit eius regni: ſed tũ ſapientis eſſe cedere tpi, & reb. p̃ntib. vti pro opportunitate. at catholici, & eccleſiaſtici ſtatus ſe propriis ſumptib. bellũ aduerſus Vgonotticã factionẽ ſuſtentaturos pollicẽtur. decernitur rurſus ut arma aduerſus factioſos Gallos alacriter ſumerentur ita dimiſſis comitiis, quod nata erat controuerſia inter Ghiſium, & Mõpenſierum regulos de præcedentia in illis comitiis, decretum eſt à Rege vti Monpenſierus p̃cederet. illã ſnĩam viſus eſt Ghiſius æquiſſimo animo tuliſſe, ꝙ reſpondit ſua nihil intereſſe, vel potius parũ differe ꝙ paulo longius diſtet, mõ gratus ſit Regi, & qm̃ Perſarũ rex magnas copias equitũ ac peditũ colligere dicebatur, animi Turcarum illuc fere oẽs ſunt conuerſi & reuocati ab oĩ priſtino cõſilio, quare nautici apparatus cęperunt fieri paulo ſegniores. Interea Tamnaſus Perſarum rex princeps ſingulari humanitate, & prudentia naturæ conceſſit, relicto regno Caidari Miriſæ tertiogenito, qui vel ante paternam mortem regnum ipſum gubernauerat. eius imperiũ ubi ſoror ac multi proceres ægrè ferrent, eximũt è carcere Iſmaelem ſecundogenitum, vbi diu detentus fuit à patre, ad quem deferũt regnum. at Caidari Miriſæ caput amputatur. Iſmael vbi regnum ſuſcepit, cępit animum adiicere ad regnum ſtabiliendum, & ad dignoſcendos animos procerum, quorum conſilio tandiu a patre detẽtus fuiſſet in cuſtodiis, facinus callidum & miræ aſtutiæ plenum excogitat. atq; qm̃ plenæ ſunt aulæ regum adulatorum, oẽſq; videri cupiunt ſimię principum, ut ita dixerim, liberiuſq; de mortuis cõtumeliæ, & animi ſignificationes audiuntur, Iſmael abſtinet per aliquot dies ab hominum conſpectu, iubetq; rumorẽ ab intimis diſſipari ꝙ rex deceſſiſſet: cuius mortis oẽs ſignificationes fieri iubet, quo res ab oĩb. verè crederetur, ut poſſent animi cuiuſq; notari. ea res credita facit ut multi occulta odia patefecerint, quæ ſunt ad Regem per clandeſtinos exploratores delata. vbi poſtea ſanus prodiiſſet, multos capi iubet. multi ſibi conſcii delictorum fuga ſe ſeruarunt ad fines regni profugientes. rex collectis repente multo equitatu hos ad fines regni perſequitur, quare Turcæ in finibus cognitis his motibus armorum, qui erant in præſidiis veriti in ſe arma capi, ad defenſionẽ ſe accingunt. id ipſum faciunt Perſę in finib. quare ad arma res vbiq; proſpectabat atq; cũ animi iã eſſent Perſarũ ad vlciſcẽdas iniurias à Turcis acceptas propenſi, cęptum eſt hinc inde incurſionib. fines vexare, cum tñ maiora damna à Turcis inferrentur, ut qui primi & iam paratiores arma ſumpſiſſent. illud vbi ad Perſarum Regis aures perueniſſet ęgerrime tulit, cognouitq; non fuiſſe uanam aut importunam Venetorum adhortationem ut arma potius coniuncte, ut impellebatur à Vincentio Alexandrio a ſecretis eius ſenatus quam ſolus aduerſus cõem & parum fidei obſeruantem hoſtem ſumeret, cuius auiditas dilatandi imperii quacunq; poſſet ratione memini eſſe poſſet obſcura. at vero anteq̃ arma publice, caperet, ne cogeretur ad patrias ſeditiones reſpicere, trucidari iubet intra fines regni quotquot potuit è procerib. ſuſpectis, & è fratribus, à quib. ſoror perſuaſa illũ veneno de medio clam ſuſtulit, cum regnaſſet

Peſtis Italię.

Pacis Gallicæ conditiones.

Oratio Regis Gallorũ.

Mompenſerius Ghiſio præcedit.

Iſmael perſarum rex.

Stratagema.

gnoſſet ſex menſes tantum ſucceſſit in regnum Cudabendes primogenitus Tamnaſi filius, qui tametſi parum erat bellicoſus, tamen cum Emircanum Miriſem filium haberet primogenitum glorię cupidum & elato ingenio bellum à Turcis inceptum non detrectauit, quod etiam Iſmael ſuſcipere decreuerat. delato igitur ſummo imperio rerum bellicarum Emircano magna diligentia conuertitur ad faciendos bellicos apparatus omnis generis: qui nuntius vbi peruenißet Byzantium, quòd Cudabendes cum magnis copiis Babylonem contenderet ad cingendum gladio de more Perſarum regum, magna ſuſpicio exorta eſt in animo Amurati, qui cępit ſubuereri ne omnia quæ fuiſſent regni Perſarũ per arma eſſet repetiturus. cępit igitur copias colligere, quas mittit ad eos fines. Perſa publicè pronuntiat ſe ad fines tantum recognoſcendos, at non ad bellum acceſſiſſe, quare bellici apparatus Turcarum non parũ fueruut retardati. Mediolani quia vis peſtilentiæ craſſari latius cępiſſet, multa incõmoda illã vrbem inuaſerunt: nam cum craſſiora corpora grauiores morbi inuadãt, ſic quanto populoſior frequentiorq́; eſt quæq; ciuitas, tanto maiores difficultates per res turbulẽtas concipit. Enimuero quia cęptum eſſet ad conuellenda ſemina peſtis & contagii omnem ſupellectilem flammis abſumere, qui morbo fuiſſent correpti, ne cęteros contagium & rerum tranſlatio corrumperet, multi ne illud detrimentum acciperent, cogitarũt optime conſultũ fore ſuis reb. ſi potius vitam, quã rem amitterent, hoc eſt ſi rem ipſam occultarent, nemineq́; ſentiente mortuos domi clã ſepelirent. ſic per illam optatam ſupellectilis conſeruationem oẽs vna in multis domibus extinguebantur, atq; uis morbi iam latius cępit ſerpere, & proxima quæq; occupare. artes paulatim omittebãtur, q̃ neceſſarium fuit multis ubiq; extinctis. lucrum paulatim & mercimonia & negotia mercenariorum ceſſare, oẽs conqueri pauperes, ac fortunam ſuam deplorare cęperunt, & quoquo mõ poſsẽt conari illã calamitatem patienter ferre. Sed ubi res diutius protraheretur, nõ ſolũ querelæ, ſed ẽt minę multorũ exaudiebant, cum eſsent in vrbe ad octoginta millia mercenariorũ artificũ, qui palã profitebantur ſe victũ uel vi, ſi alia rõne non poſsent vbicunq́; inuenirẽt potius rapturos, q̃ paſsuros vt oẽs vel morbo vel inedia morerentur. Cępit igitur res Mediolanenſis in magno eſse periculo ne peſtilentia, & cædib. & fame vno tpe affligeretur. Sed patres, & primates ciuitatis tot calamitatib. pauperum opportune ſuccurrentes rem non mediocriter mitigarunt, & in primis magnitudo animi & charitas Caroli Boromæi Card. apertiſſimè enituit, qui nullis neq; propriis facultatib. neq; laborib. aut periculis pepercit, ſed oẽs pauperes pro uirib. in tantis ærumnis adiuuando, monendo, conſolando confirmauit. At quia propriæ facultates cuiuſquã q̃uis ampliſſimę nullæ tantæ eſse poſsent, quę tantæ multitudini laborantium poſsent ſufficere, impetrat à Pontifice ut licitum ſit tributum centũ millium nummum clericis imponere ad has calamitates leniendas. Erat ſanè acerrima vis morbi, q̃m illo correpti primum inſania mentis, & quaſi furore quodã corripiebantur. inuadebat dolor capitis intolerabilis, atq; nonnulli anteq̃ diſtineri poſsent ſe præcipites è feneſtris nulla habita ratione altitudinis deiiciebant. Per harũ rerũ nuntios, qui diditi ſunt in proximas quaſque regiones ſublata ſunt vbiq; mutua cõmercia Inſubrum, neq; licebat ex alterius urbis agro in alterius territoriũ accedere, quæ res effecit ut Modoetię ciues fame compulſi ſint pleriq; hoſtilẽ in modũ in ꝓxima quæq; incurrere, atq; obuia prędari, niſi mallent perire inedia. Parmẽſes ciues cognitis his Mediolanenſiũ difficultatib. q̃a videbatur nimis in humanum ac barbaricum quiddam & ab oĩ Chriſtiana charitate maximè alienum oĩa prorſus adiumenta Chriſtianis hominib. & amicis & finitimis Mediolanenſib. denegare, nedum neſcire quæ fierent in illis finib. neq; commercia prorſus conceſserunt ad ſecuritatem, neque prorſus ad charitatẽ ſuſtulerunt. Clatros igitur geminos tanto interuallo inter ſe diſtantes excitant, vt qui eſsent citra hos facile exaudire poſsent qui eſsent ultra illos, ſi modo altiore voce loquerentur. ſic lr̃æ inde legebant, hinc ſcribebantur iiſdẽ verbis, & ad deſtinatos homines cũ inſcriptionib. ſine ullo metu morbi tranſmittebantur. atqui eadem peſtilentia multas Italię ciuitates uno propè tpe afflixit, multaque ſtrages mortaliũ pleriſq; in locis edita eſt. Nã Meſsanę ad ſexaginta millia, ut diximus, interciderunt, & oĩa Calabriæ Apuliæq; litora graui peſtilentia ſunt afflictata, & non parũ trepidatũ eſt Romæ ꝑꝑ vicinitatẽ contagii. Nulla tñ fuit Italicarum vrbium Tridento excepto, quæ grauius aut miſerabilius Venetiis afflictata ſit, cum urbs illa maximam internecionem ſenſerit, in qua una fere centum millia mortalium dicũtur periiſse. Nam cum ſemina morbi illuc paulatim irrepſiſsent, multiq; quotidie morerentur, poſt aliquod ſpatium per diligentiam ſanitati vrbanę prę fectorum poſt quoddam ſpatium morbus extinctus apparuit. Tum paulopoſt commercia quæ fuerant metu morbi ſublata cum magno omnium finitimorum populorum periculo Venetis ſunt reſtituta, cum ſit illa vrbs clariſſimum, celeberrimum, commodiſſimumq; emporium, & opulentiſſimum non modo totius Italiæ, ſed propè auſim dicere totius orbis terrę. Nam ubi per uernum tempus peſtilentia, quæ per hyemem latuerat, repullulaſset, magna ac miſerabilis ſtrages edita eſt Venetiis ubi primùm peſtis illuc per ignotas uias irrepſiſset, & quaſi cõniuente numine. patres præfectis conſeruandæ urbanæ ſanitati nullum genus induſtriæ prætermittere, ut ea ſemina quam primum conuellerentur. ægros ad locum extra urbem Lazaretum uocatum mittere, quibus omne genus miniſterii ad recuperandam ſanitatem ſuppeditaretur. ſupellectilia flammis abſumere, ne in vulgus diderentur, quæ diſsoluerentur quanti fuiſsent æſtimata è publico ærario. omnia iubere auferri per noctem, ne vrbs metu conſternaretur. Sed cum ſucreſcente in dies ęgrotantiũ multitudine nimius fieret ſumptus publicus in combuſta ſupellectilia, reiq; lue infectæ à conſceleratis hominibus conſulto in vrbe diſpergerentur, ſic furari cupientibus per auferendarum rerum occaſionem, fit ſenatuſconſultum, & decretum ut miniſtri non exercerent niſi per diem munus auferendarum rerum vel hominum, quo lux furtorum, & ſcelerum eſset teſtis: neq; præter lectos quidquam combureretur. iuſsa eſt in locis finitimis ſupellex aeri ac ſoli extendi expurganda, quę diligentia cum apparuiſſet

paulisper

Card. Boromæi bonitas.

Venetiarum peſtis.

paulisper vim morbi extinxiſse, deinde paulopoſt tanquam alter Antęus acrior uiolentiorq; ſurrexit, atque vrbem magna clade ac trepidatione repleuit. Præfecti ſanitati vetant ſub grauibus pœnis nequis intra vndecimum diem in domum alterius ingrederetur, & ne mulieres, vel pueri exirent è ſuis vicis: vt mutua conſuetudine ciuium ſublata contagij opportunitas tolleretur. Sæuitum eſt in omnes canes, & feles vrbanos, ne per huiuſmodi quoque animalia peſtis ex alia in aliam domum inferretur. Et quoniam res medica in magna cœpit eſſe coutrouerſia quòd alij aliud genus morbi medicabilis eſſe iudicarent, alij acerrima lue atque peſtilentia omnes extingui contenderent, cęptum eſt per vel inſcitiam vel auaritiam quorundam medicorum omne genus morbi cenſeri lues contagioſa, quare nemo reperiebatur, qui vellet medicam manum adhibere languentibus aliis morbis, vel magnis præmiis inuitatus, compertum tamen fuit ab ijs, qui diligentiore obſeruatione rem inſpexerunt illud genus luis fœminis inopibus plerunque contingere, cum pauciſſimi mares prius corriperentur, & ij tamen pueri aut adoleſcētuli. erant antrhaces, qui naſcebātur, nigræ puſtulæ ſcilicet, ſiue tumores, quos vulgo carbones vocāt in ſpatulis aut inguinibus plerunque, aut ſub alis; quæ mala quamuis non negabantur poſſe è contagioſa lue procedere, tamen dicebantur poſſe in plerisque etiam ſponte naſci: aut contagioſa fieri poſſe dicebantur male ad illa affectis, vt ſunt fœminæ, & pueri humidiores ac debiliores. Alij tamen ſpe lucri omni periculo contempto, vel quòd non dignoſcerent peſtilentiam à cæteris morbis, miſerabiliter vt nimis audaces ſunt extincti. ita fiebat, vt non modo nullum malorum remedium inueniretur, ſed etiam, quod grauius eſt, inter miſerias, & erumnas plurimi languentes ab amicis, & affinibus prorſus deſererentur omnibus auxilijs, omnique conſolatione priuati: neque vllum genus erat mali tam paruum, quod non omnes à ſe alienaret. patres, vt qui miſericordia languentis populi, tantæque multitudinis pereuntium capti eſſent, quo in tantis, tamque turbulentis rebus vrbanis omnia diligentius, magisque ordinatè procederēt, maioreque reuerentia magiſtratus decreta ſeruarent̄ adhibent præfectis vrbanæ ſanitati tuēdę duos è primariis ſenatoribus, qui ſtatim atque magiſtratum inierunt, putarunt non modo Venetorum medicorum iudicium de re tanta eſſe audiendum, ſed etiam conſulendos externos medicos, ſiqui cognitione ac doctrina cæteris præſtare putarētur. Accerſunt igitur Patauio ad iudicium vrbanorum morborum, quia Veneti medici inter ſe non conſentirent, viros in omni medica facultate pręſtātes creditos, atque in primis Hieronymum Mercurialem, & Hieronymum Capouaccam, illud eſt nomen Patauinæ familię nobilis, qui cum ſumma laude & omnium admiratione theoricam medicinæ in Patauina academia diu fuerant profeſsi. Hi ad principem admiſſi palàm profitentur ſe cognoſcere hanc non eſse contagioſam peſtilentiam, ſed malignos quoſdam morbos, qui tamen facile poſsent per ægrotantium incuriam in peſtilentiam commutari. atque, quòd non eſset vis contagij nitebantnr perſuadere, quare ſe domos languentium ingreſsuros, & curaturos pollicebantur. atqui fieri poteſt, vt initio non eſsent ſemina peſtilentiæ ex aëris impreſsione conceptæ, ſed poſtea multis morientibus è contagio quaſi fermentum corruptionis aër conceperit ex humatorum exhalatione. initium enim morbi, ſiue ob vim occultam ſuperiorum corporū huc inferius tranſmitteretur, ſiue diuinitus ad corrigendam iniquitatem pręſentium temporum, cæpit primùm in oriente, atq; vrbes, & regiones multis colonis priuauit. Naſcebantur prius tumores in femore aut ſub alis, aut in brachiis, qui vbi excreuiſsent intra quatriduum necabant ſubſequentibus malignis febribus. Poſtea natę ſunt glandulæ in coxis peſtiferæ, è quibus plurimi ſanari cæperunt. propoſita eſt igitur ſententia duorum medicorum, quæ cum declararet hanc non eſse peſtilentiam, facile credita eſt, vt res optatæ facilius pleræque creduntur. Diſsentiebant Veneti medici plerique ab hac opinione, ſed nouis, & fœliciora promittentibus plerunque facilius creditur. profitentur acciti medici opus eſse quibuſdam remediis, neque tamen ſe poſse omnibus ſufficere ſolos arbitrantur, ſed oportere medicos adiutores adhiberi, qui tamen à propoſita ratione curandi non diſsentirent; quoniam diſcordia, & ambitio, & impatientia ſociorum non nunc primum res in contrarium ſolet diſtrahere, omniaque recta conſilia ſubuertere. iſtud niſi fideliter et amanter fiat poſse præſens negotium labefactare, & adaugere mortuorum nomina. Hi cęperunt curare ægrotantes quantum vis temporis, & longitudo dierum concedebat, quoniam immortalem gloriam è tā prælato certamine ſe reportaturos exiſtimabant, ſi tantum malorum ex vrbe conuulſiſsent. Nam non ſolùm ope medica, ſed etiam pecunia afflictos, & pauperes aliquando iuuabant: quare non tanquam peritiſsimi medici, ſed tanquam Dei, aut Aeſculapii, aut verę artis medicinę inuentores à pleriſque laudabantur, & colebantur. Sed quoniam vna cum fortuna floret & areſcit omnis laus & gloria mortalium, cum morbus nihil remitteret, reſque in peius quotidie laberetur, inuaderer [illegible]rque ſani tanquam à flammis ſicca, & vncta materia, quia illis credentes ſimul verſantes luem [illegible]trahebant, conuerſa eſt omnis laus medicorum, in lamentationes, & maledicta ab iis qui languerēt. mortuis quibuſdam etiā miniſtris medicorum, cum illi apparerent ſiue vlla ſpe vrbanæ ſalutis in magnum periculum vitam, & exiſtimationem ſuam conieciſse, petunt vt Patauium redire liceret. Sic his diſcedentibus omnia Venetorum cōmercia mutua paulatim intermittuntur. fit iuſtitium. recluduntur carceres. Deſeruntur ſacra munia. omnes conuentus ſunt ſublati. Merces veteres vetitæ diuendi, cum non ſolùm colloquia, & congreſsus, ſed etiam tractatio ſupellectilium id malum imprimat. Artifices omnes artes aut opera incępta intermittere. exteri diffugere. cęptum eſt ob metum mutua auxilia, vel coniunctiſsimis denegare. Plerique igitur omnibus aliis curis omiſsis ſoli vitę ſuę conſulendum eſse cenſuerunt, qd̄ videbatur poſſe obtineri ſi ſeſe ab omni iniucundo vrbis aſpectu ac męrore ſubtraxiſſent, quare in loca tuta liberiora, & apertiora recedentes genio indulgere cęperunt. Alij ſolam moderationem victus eſſe remedium horum malorum putabant, alii ſobrietatem, & temperantiam animi, & corporis. ſic

ris. ſic alii ſuffitus, & odores, & flores, & herbas odoratas geſtãtes ſępe naribus admouebant, aut aromata, quibus videbatur vnicum eſſe remedium aſpectum vrbis, & cadauerum elatorum frequentiam deuitare, quibus tanquam lignis nullo ordine coniectis albi lintres vbique onerabantur, hi patriam, & ędes & res & cariſſimas in urbe deſerentes rus diffugerant, qui tametſi multi ita luem ſe deuitare putarunt, tamen ruri etiam interciderunt. cępit in urbe uideri uaſta ſolitudo, & qui remanſerunt in urbe propè deſperata ſalute conuerſi ſunt ad expiationem animarum, & ad condenda teſtamenta, cum omnes certam mortem ſibi imminere putarent. opifices & mercenarii inopia rerum neceſſariarum magnopere laborabant, cum & lucrum deficeret, & nihil vænale in urbem importaretur Pontifex quia pleriſq; ſine uſu ſacerdotum mori neceſſe erat multis clericis per luem extinctis, concedit liberalem ueniam illorum animabus, quos verè præteritorum peccatorum pęniteret. ſed cum morbus mirificè ubique inualeſceret, cępit ſub oriri magna multitudo nigrorum morbillorũ, quas Petecchias uocant, è qua lue nemo prorſus euadebat, cum omnes illa correpti perirent. Nulla quies dabatur dealbatis lintribus à conuehendis defunctorum cadaueribus ad Lazaretum uetus vbi comburebantur, quorum copia iam tanta erat ut & humari periculoſum eſſet & laborioſum. totũ tempus uel diſtribuendis ſupellectilibus in loca aſſignata, uel ſanis poſt quadrageſimum diem in vrbem reuehendis, vel languentibus auferendis abſumebatur. ingens trepidatio didita eſt in finitimas regiones, & non modo mercimoniorum aut hominum acceſſus ſub pœna capitis vbique fuit interdictus, ſed etiam vſus tabellariorum, & literarum. cępit deinde tantopere ſæuire vis morbi, ut quidam per noctem præſertim tanquam furore perciti quocunque impetus ferret cum maximis vociferationibus diſcurrerent, nullumque vel aquæ vel præcipitis loci periculum deuitarent. iam tantopere excreuerat per illam luem contaminatorum multitudo, vt Lazaretum nouum, & vetus non eſſent capacia, cum plura decem millibus hominum eo fuiſſent comportata. inſtituta ſunt idcirco xenodochia duo, alterum Diui Lazari, alterum Diui Clementis vocatæ inſulæ. alia complura tentoria facta ſunt in locis propinquis priuatarum familiarum. vſum etiam tentoriorum præbuerunt cõplura nauigia inermia è nauali educta, & lintres in vſum pauperiorum, cum omnes pro virib. multitudinem deuitarent. Cum propter copiam mortuorum cadauera nõ poſſent omnia auferri, & vel triduum in domibus relinquerentur, cępit fetor in vrbe vicinis eſſe moleſtus, quare multi cogebantur vrbem relinquere. excauatæ ſunt foſſæ ampliſſimæ ubi corpora multis ordinibus calce & terra tegebantur donec foſſæ eſſent repletæ, qua ratione putabantur facile abſumi. & quia ſupellectilibus aſſignata loca non ſufficerent, multaque putreſcerent per inopiam explicantium, conceſſum eſt iis, qui purgatas domos haberent à lue ut ſua explicarent. Patres tametſi conati ſunt omni officio, ſumma diligentia, incredibili ſumptu languentibus ciuibus ſubuenire, tamen tantæ multitudini, in tanta rerum perturbatione facere ſatis in omnibus non poſſunt: quare pręter inſtitutos magiſtratus delecti ſunt tres è ſingulis tribubus, cum in ſex vrbs diuidatur, qui præeſſent in ſua quique tribu procurandis rebus urbanę ſaluti neceſſariis. Delecti ſunt & in ſingulis uicis duo patricii ac totidem populares, qui vicinorum curam ſuſciperent, omniaque ad tribunos deferrent, iuberentque extinctorum domos cuſtodiri, ne contaminata ſupellex diriperetur, cum plurima ſemper copia ſit furum ac latronum in illam urbem confluentium, ſi tantum magiſtratus conniueant. Propoſitæ pœnę ſiquis furatus eſſet quid, aut aſportaſſet, aut occultaſſet è Lazaretis, ſiue locis languentibus aſſignatis, propoſitaque ſunt præmia indicibus, aut è domibus ſequeſtribus, vel ſi è ſequeſtri exiretur, quæ pęnæ ſunt etiam propoſitæ conſciis, niſi ad magiſtratum detuliſſent. imperatum ut è ueſtigio languentes patefierent, neque domus mutaretur. vetitum nequis languentes inuiſeret præter medicos, & coniunctos primo aut ſecũdo affinitatis gradu. ſtatutum ut conſcriberentur qui conualuiſſent. decretum vt omnia languentium ſymptomata ad vnguem explicarentur. nemo ut ingrederetur domum intra quatriduum in qua quis deceſſiſſet, neque domeſtici cum aliis citra diem octauum à funere verſarentur. decretum ut ſi languens cum aliis uerſari comprehenſus ſit, capitis cõdemnaretur, cuius bona tenerentur inſtaurare damna aliorum, quibus nocuiſſet. Sancitum vt qui tumores in aliqua parte corporis haberent domi eſſent, neque vllo pacto exirent. nequis domum mutet vel ſine ſupellectile. nequis inuentas res alicubi ſuſcipiat quæ ſit ſeruandæ lui apta. nequis res domi occultet, aut cuipiam det ſeruandas, quarum rerum conſcii taciti iiſdem ſuppliciis addicantur. imperatum ut ſiquid cuipiam eſſet ſurreptum è Lazaretis aut domibus ſequeſtribus, illud diligenter magiſtratui ſignificaret. nequid ad Lazaretum ituri occultent, vel alio tranſmittant. ut ſequeſtri ſignificent ſiquid citra octauum diem tranſmiſiſſent. ut diſquiratur unde irruperit lues in recentes domos, qui ſi ſponte patefecerint, leuiorib. pœnis ſubiiciantur, qui deliquerint. uetitum eſt res ueteres alio tranſferri iniuſſu magiſtratus, aut dare pignori, iuſſique ſunt miniſtri coquendi panis abſiſtere ex omnibus domib, interdictum oẽ genus immundorũ mendicorũ. imperatum nequis exiret ex vrbe inconſulto magiſtratu. interdicta gymnaſia puerorum, & res ueteres colligentes, & varias merces vicatim exclamantes. vetitum quiſquilias in vias aut in aquas deiicere. iuſſæ ſunt uiæ expurgari omni genere ſordium, & putei publicarum arearum. uetitum quidquam per noctem expurgari aut importari per vias inuſitatas. vetitum templa vel alia loca publica per ſolennitates aulæis aut rebus conſimilibus ornari. Omnia vetera vetitum vendere vel emi, clauſæque ſunt omnes veterinariorum tabernæ. Iuſſa ſunt omnia claudi, vbi exportandæ forent res lue infectæ, ante quæ foret tranſeundum. interdicti publici conuentus. curatum ne edulia ad putredinem vergentia diuenderentur. ne cellarum uinariarum magiſtri, aut conſimilium artium pignora caperent, vel ibi pictis tabellis luderetur. vetitum ne mendici, vel monachi domos ingrederentur, quibus omnibus uel certum ſupplicium propoſitum fuit, vel pro arbitrio magiſtratuum tuendę ſanitati præfectorum. Vetitum eſt poſt

horam

horam noctis ſecundam domo exire. Datum eſt munus auferendorum cadauerum, & reliqua huiuſmodi miniſteria erronibus, ocioſis, condemnatis ad tranſtra, & maleficis è carcere emiſſis, & pro præmio promiſſa impunitas præteritorum ſcelerum, ſi per quoddam ſpatium temporis illud diligēter exequerentur. Sed & ex his tot ceciderunt ob luem vt cadauera vel per quatriduum putreſcentia in domibus relinquerentur, antequam poſſent efferri, quare miniſtri quoque ipſi nauſea & fœtore vexati auferendo peribant in lintribus. Fit edictum idcirco in omnibus vrbibus & oppidis Venetæ ditionis, per quod propoſita ſunt magna præmia illis, qui hæc miniſteria ſuſtinuiſſent, ad quæ multi alacres confluxerunt, multique ſunt in opportuna loca diſtributi. Alij Patauium miſſi, cum illa quoque vrbs non leuiter hoc morbo laboraret. Impoſita ſunt tributa pro precio locatarum conductarumque domorum vltra certum numerum paruum pars vigeſima quarta ſcilicet, vt inopes per illa ſubleuarentur, cum priuati etiam ſpontè ſuis facultatibus nonnullos vicinos iuuarent. Nam cū artes omnes ceſſauiſſent, neque quid vendi poſſet præter metalla, multi inedia ceperunt vexari. Multi patribus diuerſa remedia temerè offerebant, qui pollicebantur intra breue ſpatium per illa ciuitatem liberatum iri, ſed à patribus reijciebantur, cum illa omnia vana eſſent, & ad extorquendam pecuniam tantum excogitata. nam ſemper magna petentium turba eſt circa principem, ſi paulo facilior apparuerit. Tum lucri auidi medici & aromatarii plerique ad morem circumforaneorum præſeruantia pharmaca palam ſe vendere profiteri, ſed in caput artificum fraus citò vertebatur, cum pharmaca illa doloſis dominis nullum auxilium vellent afferre. Pauci etiam medici luem deuitarunt. Dum autem vis morbi in vulgus ignobile ac vilem plebeculam adhuc tantùm ſæuiret, tanquam in pauperes propriam aream omnium miſeriarum, res apparebat ferri æquiore animo. at vbi in atria patriciorum, potentiorumque ædes penetrauit, omniaque humana auxilia fruſtra ſunt abſumpta, cęptum eſt non mediocriter trepidare, illam luem non aliunde, quàm ex diuino conſilio propter peccata mortalium contingere. Nam plerique cuiuſuis conditionis homines, vt fit in magnis vrbibus, omni religionis & cultus Dei & legum ciuilium neglecta reuerentia ad ſolius congerendæ pecunię ſtudium animum conuerterant, in qua cenſebant omnia conſiſtere auxilia, omnemque felicitatem, cum illa magis ſit omnium ſcelerum adiutrix & miniſtra. Cępit vis morbi denique ſic incrudeſcere, vt omnes ægritudines quæcunque eſſe cœpiſſent mox in hunc lætiferum conuerterentur, cum ſcabies & vulnera & quæuis vlcera fricando concepta fierent peſtilentia. Alios tam repentina vis veneni necabat vt neque vllum ſignum natura poſſet emitere vel poſt mortem, cum intra breuiſſimum ſpatium expirarent. Aloyſius Mocenicus Princeps Venetorum vnà cum patribus ratus diuina conſilia non poſſe niſi per pœnitentiam præteritorum peccatorum mutari, neque vlla ratione iram numinis placari poſſe, Illuſtri luculentaque oratione in templo auguſtiore Diui Marci patres & populum præſentem primùm confirmare cœpit ad ſpem diuinæ clementiæ; cum Deus facilè placetur precibus, ſi certo conſilio futuræ innocentiæ priſtina vitia exuantur. Hortatus eſt omnes ad integritatem & iuſtitiam ſibi in poſterum proponendam, cum grauiſſimum ſit Deo, & auguſtiſſimum templum pectus, mortalium pro aulæis & aureis vaſis, fide, pietate, cæteriſque Chriſtianis virtutibus excultum. nam nihil magis poteſt Deum reuocare ab inſtitutis & imminentibus vbique calamitatibus, quàm hæc in animis omninm ciuium propoſita, atque ſtabilita integritatis ratio. Atque vt omnes intelligant patres & ſibi pietatem indixiſſe, & cæteros ciues ad eandem pro viribus inuitare, concipit votum ſenatus nomine ad ſempiternam memoriam diuinæ clementiæ tanto periculo depulſo excitandi templi, quod Redemptoris appellaretur. erant pauci ciues præſentes vt in tanta, tamque populoſa vrbe, quæ erat etiam ob ſuſpicionem contagii in duas partes diuiſa. Nam & impoſitæ fuerant cuſtodiæ, & vetitum ne hinc inde traijceretur quiſpiam in alteram partem vrbis, cum vlterior pars cœpiſset conualeſcere, at citerior etiam magis laboraret. Impoſitæ ſunt terreſtres atque maritimæ cuſtodiæ, & clatri ſuper ponte Riuialti, neque tranſitus cuipiam concedebatur, niſi per ſyngraphum eſset conceſsus. nam cum vrbs in arcus inflexi morem intercurrente ampliore lacuna marina diuidatur ſatis ampla, imperatum eſt nequis intra octo dies domo exiret in citeriore parte, atque conceſsa eſt annonæ copia vicatim iuſto precio, & ſex aſses viritim ex publico pauperibus dari ſunt quotidie ad victum. Multi etiam vbi è Lazaretis rediiſsent omni ſupellectile priuati, ob victus penuriam omnem operam nauabant ob mercedem vel rebus, vel nominibus laborantibus: quare cœpit miniſtrorum copia non deſiderari. nam paupertas in duriſſima quæque vel timidiſſimos impellit. Maximè omnium tamen ſubueniſse viſi ſunt duodecim Rhæti, qui intra biduum aut quatriduum ad ſummum res contagioſas expurgabant: quod qua ratione fieret à multis ſedulo inquirentibus cognoſci non potuit. Vtebantur variis atque denſiſſimis, efficacibuſque ſuffimentis, qui ſine vllo detrimento in pleriſque domibus verſati ſunt, atque purgatas res illæſis dominis reſtituerunt. Alii incluſam ſub aquis ſupellectilem per quinque dies tenentes purgatam reddiderunt, cum veſtes lineas in cacabos bullientis aquæ demergentes atque aliquandiu ita tenentes expurgarent. Sic peſtis viſa eſt aliquantulum priſtinam ſæuitiem remiſiſse. Deinde menſe Octobre cum reſumpſiſset vires, creditum eſt illud accidere, quia multi morbo mederentur domi vt facto iam domeſtico, & non amplius formidabili, quare iuſſi ſunt languentes vel vi auferri ex vrbe, atque res diligenter domi conſcribi per delectos ciues, ne quid contagioſum ſurriperetur. Sed cœpit vel ab ipſis miniſtris magiſtratus omne ius diuinum atque humanum contemni quamcunque in domum ingrederentur, atque mulieribus pudiciiam violenter, & precioſiora quæque rapiebant. Delatæ ſunt querelæ ad præfectos vrbanæ ſanitatis, & de quibuſdam impuris latronibus ſupplicium ſumptum. Nullum defuit opportunum

Oratio Aloyſij Mocenici.

remedium per ipſos magiſtratus qui omni ſtudio vſi ſunt donec res cœpiſſet demum deferueſcere. Sed certè mirum fuit, tam breui vrbem, quæ opulentia, nobilitate, frequentia ciuium omnes propè Italiæ ciuitates anteibat, videre tam breui priuatam propè ciuibus, priuatã colonis, exinanitam, clauſis tabernis artificum, & vaſtam factam eſſe ſolitudinem. Sic facilè patuit quàm in lubrico poſita ſit omnis felicitas mortalium, & humana potentia, niſi diuina ope ſuſtentetur. Vulgus tamen & imperitorum multitudo nihil horum diuinitus fieri rata, ſed cæco tantum & incerto fortunæ ductu, ad priſtina ſtudia pecuniæ obliterata ex animo omni ſuperioris periculi memoria rediit. cum multi artifices periiſſent, multique mercenarii omnis generis, viſa eſt ſuperſtitibus non aſpernanda opportunitas oſtentandæ auaritiæ & cupiditatis immenſæ pecuniarum; quare cœperunt dupla ferè precia rebus omnibus & operis imponere, & quaſi prædam ſibi relictos eſſe ciues pro arbitrio diripiendam. Sic pro Dei cultu & charitate & iuſtitia; iniquitas, & crudelitas, & Dei contemptus ſubſecutus eſt præteritas calamitates. Confluxit in vrbem ad famam caritatis omnium rerum multa artificum & viliſſimæ plebeculę multitudo, tanquam ad opimam prędam, quare ſic maior auaritia in dies ſuccreuit, quæ quotidie adhuc accipit incrementum nullum finem lætum habitura. Patres qui tantam plebeculæ auaritiam vel potius ingluuiem perferre æquo animo non poſſent, vt quorum intereſt vrbem paternè gubernare, neceſſariò multas res legibus coercuere, ſtatueruntq; precia, & mercedem certam quibuſdam operariis. ſtatutum eſt poſtmodo vt iacerentur fundamenta templi votiui in ea parte vrbis, quæ Iudaica vocatur. atque vt omnes ſciret vrbem liberam eſſe à priſtina lue, nemo cum periiſſet per quoddam tempus, promulgatur edictum publicè per præconem vt liceret omnibus ad vrbem Dei gratia liberam accedere, reſtituerenturque commercia illis, qui non venirent è locis contagioſis. Sic ad integram ſanitatem peruentum eſt. Ea dum agerentur Venetiis ad depellendam peſtilentiam, tantę cladis rumor ad principes & magiſtratus & pręfectos finitimorum populorum delatus omnes ingenti trepidatione repleuit, excitauitque mirificam quandam diligentiam apud omnes arcendæ à ſuis finibus tam atrocium morborum colonię. atq; in primis Franciſcus Blandratę Diuiq; Georgij Comes Aemyliæ præſes, quæ prouincia maiori ex parte mari Adriatico alluit lõgo tractu, nec procul diſtat à finibus Venetorum, cum ſolæ interſint ſolitudines & ſabuloſa aut glabra regio, in tanta rerum magnitudine non obdormitandum ratus vt ſubditorum populorum ſaluti proſpiceret, primùm ſuſtulit omnem literarum ac rerum conuectionem, quæ per Venetos tabellarios importabãtur. ſuſtulit omne genus commerciorum cum ſubditis Venetorum, aut acceſſum eorundem. Nullas literas Romam afferri permittit, niſi quæ ad Pontificem eiusue nepotes mitterentur, & ad Venetum oratorem: ſi tamen ſine cera & lineis vinculis eſſent conſignatæ, quæ tamen neque ſic mittebantur niſi poſt diligentem ſuffumigationem. Cum enim vel in tenuiſſima & exigua materia vis acutiſſima morbi poſſit latere, nulla poteſt eſſe diligentia in tantis rebus præſertim non magnopere laudabilis. Nam profectò ſimplicitas illa, quæ in priuatis rebus non eſt magnopere reprehenſibilis, quòd indicat integritatem & bonitatem morum, nullo pacto toleranda eſt in publicis, quia nullus error poteſt committi à magiſtratibus ſine exitio multorum. Nec ita multo poſt interdictus eſt prorſus ſtabili edicto omnis literarum, tabellariorumq; acceſſus, vt omnis penitus ſuſpicio tolleretur, ſępiusque fruſtra miſſa ſunt cataſcopia Venetiis cum literis ad litora Æmyliæ. Ciues præterea, oppidani, coloni, res, animalia iuſſa ſunt abſiſtere ab vniuerſa Æmylia, aut quidquid poſſet accedere è locis contagioſis vel ſuſpectis vndeuis ſub pęna capitis. At quoniam plurima poſſent terreſtri & maritimo itinere importari, vtrunque iter morbo ſalubribus inſtitutis eſt occluſum. atque ne contagium, vt periculoſum erat, a diffugientibus Venetis per loca maritima importaretur, iuſſa ſunt omnia nauigia cuiuſuis generis in altum recedere, propoſitumq; capitis ſuppliciũ naucleris ſi qui ad litus applicuiſſent. Impoſitę ſunt publicis ciuitatum ſumptibus peditum & equitum cuſtodiæ, quæ loca mari vicina percurrentes exteros arcerent a litoribus. Clauſi ſunt portus omnes. nemini conceſſum vel è ſanis locis maritimum commercium. Propoſita pęna capitis deſcẽſionem facientibus, aut res exportantibus, aut id facientes intuitis, niſi ad magiſtratus continuò detuliſſent. Vetiti naucleri in alias regiones merces exportare aut omnino abnauigare, ſub pęna perpetui exilii. Imperatum ne fructus inſalubres humores gignentes in tota Æmylia diuenderentur, cum non minus quam externa mala intimorum & familiarium ſemina ſint arcenda. Procuratur ne ſalubritas aeris per rerum ſordidarum exhalationem in vrbe corrumperetur. iuſſæ ſunt itaque domus, viæ, angiportus purgari & ſordes auferri. omne genus immundarum meretricularum iuſſum eſt claudere impuras tabernas, & mendici de medio recedere. extructi ſunt clatri non procul ab vrbibus, quibus acceſsus in vrbes occuderentur, quibus additi ſunt cuſtodes. Delecti ſunt ciues vbique, qui præeſsent tuendæ ſanitati, atque alii iuſſi ſunt viciſſim portas vrbium cuſtodire, & percunctari ingreſsuros, ac pro arbitrio vel admittere vel excludere. Sublata ſunt diuerſoria, & vetita exterorum hoſpitia procul ab vrbibus, propoſitaque pœna tam in agro, quam in vrbe ſi quis iniuſſus in hoſpitium quempiam excepiſset. ſublatus eſt vſus lintrium, qui trans padi flumina conuehebant. additę ſunt cuſtodiæ in finibus, quæ non admitterent in territorium, niſi qui viderentur admittendi. atque ne quis ſubdolè in territorium irrumperet, propoſitum eſt ſupplicium cuiuis per loca deuia iter facienti. iniunctum eſt vt accedentes è finitimis vrbibus per impreſsas tantum ſchedulas admitterentur, quibus contineretur ſcripta ætas, ſtatura, propria cuiuſque ſigna, vel ſi quæ ineſſent cicatrices, vt omnia exprimerentur, & quaſi penicillo aut characteribus quibuſdam ſub oculis ponerentur inſignitę tam res & iumenta, quam homines, & quidquid importaretur. Si quis extra regionem profectus eſset, non patebat reditus in patriam ſine patriæ relata ſchedula, vt conſtaret temporis & locorum ratio è varijs ſubſcriptionibus, per quæ tranſiuiſſet. ac neq; è villa quidem patebat

Veneti ſanitati reſtituti.

Apparat⁹ exterorũ ad arcẽdam Luẽ.

aditus

aditus in vrbem, niſi per parochorum ruſticorum chirographa, vt ſciretur ratio & tempus ruſticationis. Hæc omnia cum ſalubriter ſapienterque fuiſſent à Franciſco præſide Galliæ togatæ & à ciuibus Rauennatibus communi conſilio inſtituta, plurimumq; conferrent ad ſeruandam regionis incolumitatem, multi finitimarum vrbium magiſtratus imitati ſunt. Hęc eadem diligentia propè adhibebatur in omnibus regionibus, in quas viſa eſt Venetorũ lues terra mariue poſſe penetrare. Interea Perſarũ Rex collectis ferè octoginta millibus equitũ cępit finibus Turcicis propinquare, quod intelligeret res Turcicas peſte ac fame vexari.

Perſę apparatus.

Amuratus partim quod Chriſtianorum arma timeret & fęderanem eorum, de quibus per Poloniæ Regem perſcriptum fuerat, partim quòd populi finitimi ſaguerent, nõ potuit eum numerum copiarum mittere ad fines, quem decreuerat. Antuerpiæ interea res in magno diſcrimine erat conſtituta, cum validæ vires vtrinq; iam eſſent comparatæ & propinquę. Nam cum magna præſidia eſſent in arce, viderenturq́, ciues Antuerpiæ auxilia ſtatuum aduerſus Hiſpanos admiſſuri, iam arcis præſidia indignatione capta bellica tormenta in vrbem diſplodere cęperant, multæque ruinæ addebantur.

Antuerpiæ diſſenſiones cum arce.

Factæ ſunt tamen induciæ in triduum per Germanos tribunos, qui rem componere placidè nitebantur, atq; ſuas copias habebant extra vrbem. Poſt multas hinc inde natas controuerſias de conditionibus, res ita compoſita fuit ac iuràmento ſtabilita aſſentientibus gubernatore & magiſtratu; vt vrbs Regi ſeruaretur, neque admitterentur ſtatuum vel principis Aurantii copiæ, donec aliud à Rege decerneretur. Iurarunt pręterea ciues ſe nullo pacto eſſe paſſuros vt Hiſpani ad vrbis cuſtodiam ingrederentur. Nam per hęc, & propter munitionem apparebat Antuerpia iam pacem fuiſſe conſecuta, quia ſtatus per arma non putabantur munitione poſſe potiri. Neq; alia ratione illud fieri poſſe cenſebatur Maſtrichio præſertim deuicto. Habebat Antuerpia ex altera parte arcem, ex altera quatuor millia peditum Germanorum præfecto Comite Oureſtemo. Fuerat Focchari Pamsbergenſis & Polſeuillii opera conſtituta concordia, & iuramento ſtabilita, ne quis illorum nouas copias introduceret in eas regiones, quoniam hi procurabant ne Hiſpani vrbem diriperent per diſſenſiones, diſſidiaque præfectorum: Illi ne hi cum ſtatibus conſpirarent, ſed omnes concorditer ad ſalutem defenſionemque rerum ſuarum reſpicerent, & ad vtilitatem Philippi Regis. odium tamen & contentio de præſtantia inter eos principes rixas & controuerſias excitarunt, parumque firmam amicitiam timor & ſuſpicio quam quiſque de altero conceperat ne circumueniretur, faciebat: cùm nulla ſinceritas animi putaretur firmam concordiam peperiſſe. Inde effectum eſt vt prima commoditas quæ ſeſe obtulit, cauſa fuerit cur neque promiſſis neque iuramento ſtaretur, aut ea putarentur eſſe alicuius rationis, quæ inter illos interceſſerant. Nam cum Aures regulus primogenitus Agamontii, & Capres, & alii quidam proceres cum quatuor millibus peditum ſub viginti vexillis & mille equitibus ſe Antuerpię & indigenis ſtatuum nomine oſtentaſſent vt in vrbem admitterentur, quamuis primo die ab Oureſtemo & Ciampagno tribunis reſiſteretur, tamen poſtri die cum magno ciuium applauſu ſunt admiſſi, qui ſtatim magna ciuium multitudine ſibi adiuncta ad arcem contenderunt. Cęptum eſt cum magno populorum concurſu vnà cum ipſis copiis ſaccos lana plenos comparare, & alteram foſſam excauare ad partem diui Georgii, alteram ad diui Michaelis. Inter has foſſas reliquerunt muros viridariorum pro reparationibus, & muros Xenodochii ſine alia vallatione. Tanta verò diligentia res agebatur, tamque inſtabatur operi vt poſtridie agger & vallus vterq; perductus eſſet ad conuenientem rationem defenſionis. Quæ dum fierent Antuerpiæ, exeunt Hiſpani qui erant Aloſti, quod oppidũ non procul abeſt à Bruxellis & Mechlinia & Teneremonda, quod Tenera fluuio alluitur, ſub cuius ditione ſunt multi pagi, vt diximus. Illis Hiſpanis conceſſus eſt tranſitus ab hiis Germanis, qui erant Determondæ in præſidiis, qui Antuerpiam verſus cõtendunt, quod ipſum fit ab aliis copiis à Maſtrichii expugnatione. Exiuerunt etiam è Lira, quod oppidum eſt & ipſum à fluuio Nethe irrigatũ diſtans à Mechlinia & Antuerpia pari propè ſpatio, hoc eſt ſex millia paſſuũ, multi è præſidiis, quibus viribus acceſſerunt duæ cohortes Germanorum Frötbergæ. Sic variis è locis conuocata ſunt conueneruntque clam ad quinque millia armatorum, cum tria eſsent Hiſpanorum millia, mille Germani, & propè mille varii pedites alii. His apparatibus bellicis poſtea cognitis principes ſtatuum, quod hoſtes viſi eſsent etiam, ſed neq; quis numerus, neq; ex quibus nationibus vires conſtarent cognitum eſset, iubent maiorem partem equitatus & è ſingulis cohortibus viginti pedites delectos tam Germanorum quàm vallonum exire, atq; hoſtem recognoſcere. Delecti ſunt equites octingenti ac totidem pedites. Imperatum eſt his viribus non modo hoſtilem rem explorare, ſed etiam acceſsum in arcem vrbis impedire. Sed enim cum res parum diligenter fuiſset explorata, hæ copiæ parum profecerunt: quoniam quo tempore hi exierunt, illi in arcẽ ſunt ingreſſi. Hiſpani per ſuam diligẽtiam ſic auctis viribus è multorum finitimorum præſidiorum congreſſu cęperũt vires vrbanas paruifacere. Nec ita multo poſt egreſſi ex arce, & in acie inſtructi repente facto impetu duos aggeres inuadũt, quos pulſis cuſtodibus cum ob paucitatem defenſorum, tum ob inexpectatum conatum nullo propè negotio ſuperant. eam victoriã eadem fauente fortuna belli ſecuti facillimè vrbe quoq; potiuntur. Vbi ventum eſt ad palatium iuſtitiæ inuentus eſt confertiſſimus armatorũ globus, qui cõſtabat fere è decem millibus hominum. Pugnatur acriter circa forum. Hiſpani palatium iniectis malleolis vnà cum multis domibus propinquis ſuccẽdunt. Vbi diu & magna virtute vtrinque pugnatum eſset, victoria fuit penes Hiſpanos, in quo prælio ceciderunt circiter quatuor millia vrbanorum hominum partim Germanorum, partim vallonum. Ciues ipſi partim armati trucidati ſunt, partim in domibus inuenti miſerabiliter cæduntur. ceciderunt ex Hiſpanis paulo plures ducentis. vrbs certè ipſa capta atque direpta eſt, & poſt pugnam in omne genus ciuium ſæuitum nulla habita ſexus, ætatis, aut dignitatis ratione. Debacchatum eſt ab Hiſpanis in omnium mulierum pudicitiam, atq; cæſa ſunt in ea vrbe plura nouem millibus hominum.

Antuerpia capta & direpta.

num. Sed cum labora retur mirificè inopia rei pecuniariæ mercimonia paruo precio à quibuſdam,
quibus belli fortuna pepercit, redempta ſunt. Facta eſt iactura bonorum, direptaq; ſunt in illa vrbe
circiter decies centena nummum millia, cum non minus etiam damni attulerit incendium. Capti
ſunt Capres & Gognius reguli, cum Oureſtemus & alij quidam proceres cecidiſſent. ea tanta Hiſpa-
norum inſolentia ita exarſit ordinum in nomen Hiſpanum omnium Belgarum, nihil vt magis cu-
perent quã ſe eorum tyrannide liberare. Aures & Ciampagnus fuga ad Aurantij naues ſe ſeruarunt,
quæ parum diſtabant. Nec ita mnito tempore interiecto ſatis feliciter pugnatum eſt ex altera parte à
copiis ſtatuum, quę Gandaui arcem & Madritum & Valentianam per dedionem ceperunt. Deditio
nis conditiones fuerunt vt vrbes intra certum ſpatium eorum poteſtati relinquerentur. Vt res belli
cæ ſinerentur integræ. Vt liceret Hiſpanis incolumibus quocunq; vellent accedere. Vallones Mon-
dragonij interea mille & quingenti ad expugnationem Rupelmondæ contendunt, qui facientes im
petum repente vrbem illam ſuccendunt, ſed cum in arcem irruiſſent facilè virtute defenſorum acce

*Io. Auſtriac⁹ properat in Belgium.*

p ta etiam non leui clade reiecti ſunt. Io. Auſtriacus, quem dicebamus ſuperius deſignatum ſuiſſe à
Rege. gubernatorem Belgii, ſummumq; imperatorem omnium rerũ regiarum in illis ſtatibus, cum
Octauio Gonzaga & ſex Hiſpanis tantum ex Italia compoſitis iam rebus Genuenſium properat in
Belgium ad res ibi componendas. Sed quoniam nõ quoduis iter tutum aut apertum videretur pro-
pter metũ Vgonottorum, ad Leucos populos peruenit, atq; per Galliã profectus ignotus, vbi etiam
Lutetiæ Regem prandentem vidiſſet, ad Auguſtam Romanduorum cõuolat. ibi citius adeſſe cogni
tus eſt, quam oĩno iter cepiſſe. cæterum vbi primum veniſſet in Belgium, miſit ſignificatum ſtatuum
ordinibus ſe ęgrè ferre caſum ac direptionem Antuerpiæ, omnium tamẽ miſeriarum atq, calamita
tum Belgicarũ finem aduentaſſe, ſi Belgæ ipſi ęquitatẽ & rationem complexi cõmunem quietem &
tranquillitatẽ patriæ propriis, parumq: honeſtis deſideriis quorundam anteferre voluerint. Sed ta-
men ſi omni honeſtate reiecta pertinaciam pro conſtantia, temeritatem pro fortitudine, licentiam
pro libertate patriæ obſtinatè tueri malint, ſe non minus ad bellum, quam ad pacem fuiſſe miſſum.
vtrum malint ſe facere poteſtatem capiendi. gratius tamen fore Regi & ipſi concordiam & felicita-
tẽ Belgii videre quàm populationes, ruinas, incendia, quæ omnia mala ipſi ciues, quorum illa regio
eſt patria, omni honeſta ratione deuitare ac propulſare debent. Veruntamen ne ſe omnino fortunę
arbitrio, & Belgarum poteſtati cõmitteret interim, imperat Annibali Comiti Amaſienſi Auguſtam
Romãduorum cum viginti cohortibus Germanorũ properare. præſtolatur etiam regulum Ciuriũ
cum quatuor millibus Sequanorũ. nam miſerat tribunos ad colligenda viginti millia peditũ, & duo
equitũ. Principes ſtatuum Belgicorũ auditis his apparatibus Auſtriaci, & ipſi multas copias colligũt
ne repẽte opprimerentur, quæ cõuenerunt inter Louanium & Mechliniã vti reſiſteretur viribus re
giis, ne omnia ab illis nullo negotio occuparẽtur. Enimuero cum apparatus bellicos non contẽnen
dos magno ſtudio fieri à ſtatibus Auſtriacus cognoſceret, totumq; negotiũ ſpectare ad inſtaurandũ
non leue bellnm, cępit animũ ad res Belgicas placidè componendas conuertere. Propoſuit itaq, poſt
multas difficultates de conditionibus pacis edictum, quod à Philippo Rege fuit confirmatũ, in quo
continebatur quod Rex ipſe concedebat priuilegia, iura, omniaq; ad illa ſpectãtia, atq; obliuionem
omnium præteritorũ, modo pax perpetua fieret, vtq; omnes Hiſpani excederent ex omni Belgica re
gione, in qua vna re totum negotii diſſidiũ apparebat conſiſtere, vt petebatur pro pace Gandauenſi.
Atq; qm̃ pacem & bellũ tractari vno tempore non conueniret, primũ petitæ ſunt inducię paucorũ
dierũ ab Auſtriaco, per quod ſpatium arma ſtatuum & Hiſpanorum ceſsarent. Illę cum fruſtra fuiſ-
ſent pręterlapſæ, nihilq; actum per primos dies, denuo petit Auſtriacus à ſtatibus confirmationem
ſiue prorogationem induciarum dum moratur Auguſtæ. reſponſum eſt tempus ita fruſtra abſum-
ptũ certiſſimum eſſe iudiciũ, quia per has ambages tempus expeteretur & cõmoditas rerũ ſuarum
muniendarũ, faciendorumq; apparatuũ, & colligendi inſignes copias, vt Hiſpani acerbiſſimi tyrãni
eius regionis retinerentur in Belgio, quos cum eſſent eiecturi, nullo pacto ferrent eſſe intra illos fi-
nes, cũ habeant validiſſimas copias cẽtum & triginta vexilla peditum nimirum, & tria millia equitũ
cũ multo bellico apparatu, atq; agro potiantur. ridiculũ quippe fore ſi vel his viribus freti ab inceptis
nulla probabili cauſa oblata deſiſterent, cũ potius Antuerpiam & Maſtrichiũ, ſiue Traiectũ Moſę ac
Lirã armis obſidere & expugnare conueniret, atq; Hiſpanos per vim ferri eiicere, cũ iam etiam Gru
ninghen ſiue Friſielantium captum eſſet, cuius gubernator captiuus ad Aurantium ſit miſſus. nam
ſuſpicio & murmur multorum Belgarum paſſim increbuerat hanc eſſe artem Hiſpanam incautos
homines, & nimis ſimpliciter fidentes fallere. Nunc ſimulare pacem & veniam præteritorum deli-
ctorum, ſed poſtea in pacata regione, qua Rex pro arbitrio vteretur, nemine iam amplius repugnan-
te de multis ſupplicium ſumptum iri, quamobrem clandeſtina conſilia aduerſus Auſtriacum à mul
tis principibus Belgarum inibantur. deferebantur hæc clam ad Auſtriacum, quæ quo vana eſſe crede
rentur datus eſt pręfectus cuſtodiarum corporis Dux Ariſcotenſis cum octoginta ſclopettariis ab ip
ſis ſtatibus, hoc eſt à ſupremis magiſtratibus regionis, quibus præſidiis cõfirmatus primum Namu

*Hiſpani iuſsi exire è Belgio.*

rium, deinde Louanium ſe recipit. Ibi commoratus, vt qui ſummus eſſet imperator cum poteſtate
proregia, imperat pro petitis conditionibus vt omnes Hiſpani, Itali, Sequani qui erant Antuerpiæ in
præſidiis aut in arce eius vrbis, aut in aliis Belgarum munitionibus, ad certum diem excedant, ſtatuit
que arbitrio & fidei indigenarum ipſas munitiones & vrbes credere, vt à ſtatibus Belgarum fuerat ex
petitum. Vt reſtituantur in eum ſtatum in quo erant ſub Carolo V. Vt Antuerpia per decennium
ſit immunis ab omni genere tributorum. Vt vna ſit religio Catholica, in quã pacem videbantur om
nes principes Belgarum conſpirare, præter Olandam & Zelandam. Promiſit etiam fore vt bona, di-
gnitates, tituli, honores, quæ fiſco fuiſſent addicta dominis reſtituerentur, & Aurantio pręcipuè, cu-

us filius libertati in Hiſpania reſtituatur. Sed quoniam ſtatus polliciti fuerant ſe ſtipendia omnibus militibus erogaturos, modo emitterentur è Belgio, & prædam Antuerpienſem relinquerēt, hoc eſt ſexcenta florenorum millia, Auſtriacus è ſua pecunia exituris præſidiis diſſoluit, cum ſtatus tunc nihil enumeraſſent. Veruntamen quoniam vel ſic parum confiderent Auſtriaco, dicuntur illi clam inſidiæ paratæ fuiſſe per quoſdam primarios proceres non procul à Louanio, quæ vbi cognitæ fuiſſent nulla re perpetrata euanuerunt. Veneti auditis ingētibus apparatibus Turcarum, quamuis nulla ratione ſibi timendum eſſe cenſebant, tamen quia ratio regnorum ita requirit, ne qua regio ſine cuſtodibus armatis vel amicis obiiciatur, viginti & quinque nauarchos creant in annum ſequētem. mittunt etiam cum imperio qui alias triremes procurent in Creta inſtrui remigibus & epibatis. iubent colligi tria millia & quadringentos pedites per hos tribunos, qui in Cretam traiicerentur. Sfortiam Pallauicinum, cui dati ſunt octingenti. quadringenti Marchioni Rangonio, & totidem Iacobo Malateſtę, ſexcenti ſingulatim Thomæ Conſtantio, Germanico Sauorniano, & equiti Sbarrę. Moretus Calaber miſſus eſt Gubernator Cretæ. Quæ dum in finibus Belgarum & in Italia geruntur, tametſi grauia eſſe videbantur propter bellicos ſumptus, & metum imminentium calamitatum, cum orientis vires apparuiſſent ob eximios apparatus magnopere pertimeſcendæ, tamen magis replebant trepidatione inuſitata quædam prodigia, quæ ſub finem anni præſentis accidentia multas ærūnas in annum ſubſecuturum portendere apparebant, excitabantq; mentes mortalium ad maiorum malorum expectationem. Dictus eſt enim ignis in aere Romæ apparuiſſe conuolui ad formam vaſis ingētis vinarij, qui ſupra portam Populeam vocatam ingreſſus ad arcem Diui Angeli acceſſerit; vbi cum ſuper angelo in ſuprema parte arcis conſediſſet per quoddam ſpatium, mox ad palatium Diui Petri eſt conuolutus, atque ibi euanuit. At in Gallia togata tantus ignis in cęlo hora ferè tertia noctis menſe Nouembri illuxit, tantusq; ſplendor apparuit, vt literæ legi ſub dio per illud lumen facilè poſſent: cum tamen noctes obſcuræ ſine luna per illud tempus eſſe ſoleant ob denſiorem vmbram terræ. Facta ſunt etiam præter naturæ rationem ingentia tonitrua, quæ certè fieri non conſueuerunt niſi ex ardoribus ſeparatis è calenti materia, cum vapores cæteroquin huiuſce temporis, vel nullum vel certę imbecillum habeant calorem, quod factum eſt nonis Decembribus.

Prodigia.

*LIBRI VIGESIMI SEPTIMI FINIS.*

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS

## *LIBER VIGESIMVS OCTAVVS.*

SI ad regnorum, imperiorumque faſtigia ſpectata virtus potius inter bonos, & animi moderatio, quam largitiones & opum maieſtas & affinitates aut clientelæ principes homines proueheret, ſanè multò ſapientiores principes haberemus, & Reges ipſos verè paſtores populorum, vt appellabant antiqui. qui ſupra omnia felicitatem & pacem & quietem omniũ ſubditorum procurarent, at nõ metu propriæ iacturæ, ſed ſtudio felicitatis, quæ certè ſine iuſtitia nulla eſſe poteſt, & huius ſorore concordia. Sunt enim certa principis, ſunt & certa ſubditorum officia, in quibus ſi alter horũ peccauerit, & alterum aut peccare, aut præſentem felicitatem amittere neceſſe eſt. Neuter ſi quidem felix ſine alterius felicitate eſſe poteſt. At vbi regna facta ſunt hæreditaria, rectaq; regnandi ratio & auita virtus non peruenit àd hęredes, aut vbi etiam ſortitò traduntur imperia vel per vim occupantur, omnia recta officia plerunque hinc inde corruunt, quod hi neceſſarium ſeruitutis iugum ferunt nulla proſecuti principem beneuolentia ſolis viris bonis & ſapientibus debita, ille quia per flagitia & auaritiam & crudelitatem ſe nõ poſſe amittere imperium exiſtimet, quod tanquam fręnum firmiſſimè teneat, nihil curat oderint, dum metuant. Sic fit vt pleriq; principes facillimè rebus omnibus pro libidine moderẽtur, cum difficillimum ſit in magna & diuturna felicitate ſapere. Ita fit vt populi à Regibus, Reges à populis ſubditis aliquando plurimum diſſideant cum maximo vtrorumque excidio. Sed opus eſt vt ad felicitatem modo ſubditi principis voluntati tanquam patris obtemperent, modo principes tanquam filiis aliqua peccata ſubditis condonẽt, neque vtrique pertinaciam erroris tanquam conſtantiam amplectantur: quoniam hæc deliramenta Regum ac populorum varias regiones deuaſtarunt, multiſ-
1577 que mortalibus trucidatis exinaniuerunt, cum omnes per ſapientiam nullo propè negotio poſſent ad rectam rationem ſine alterius excidio perduci. Initio anni ſequentis, qui fuit ſeptimus ſupra mille quingentos & ſeptuaginta à partu Virginis, cum Belgici ſtatus parum fidentes Auſtriaci promiſſis in priſtina ſententia perſiſterent regionis militari virtute tuendæ, curarunt vt ad eas vires quæ erant in Belgio, Caſmirus quinque millia equitum conſcriberet. non tamen quidquam re-
Belgici apparatus. rum nouarum interim moliuntur. Sed tantum ſe ad vnum illud communi conſilio conſpirare fatentur ne plures vna religione eſſent in regionibus Belgicis, Catholica nimirum. Sed tamen quia audiretur Auſtriacus clam facere bellicos apparatus, quaſdam cohortes etiam & equitatum è Gallia, quæ iam pacata eſſe videbatur, ſubſidio accient, quæ fingebantur aduerſus Caſmirum proficiſci ne irrumperet in Galliam, multaſque alias copias aliunde per tribunos conuocant, quare non nihil trepidatum eſt à Catholicis. Miſsæ ſunt legationes etiam in Galliam ad proceres Gallorum, ad Regem Cantabrorum ſcilicet, & Condæum, & Annuillium qui hoc conſilium complecterentur, hortarenturque ad ſuſcipiendam caſtigationem illorum, qui reliquorum perſuaſionibus in eam neceſſitatem perueniſsent vt digni eſsent ſupplicio, cum omnibus legitime viuere volentibus & ſtatuũ & Regis nomine ſecuritas promitteretur. Dancicæ, quæ vna eſt vrbs Poloniæ cũ Regẽ vt dictum eſt admittere noluiſset, ſeptingentis ferrarolis duce Carolo Masfeltio aucta ſunt præſidia, quare aduerſus Regẽ pertinacius etiam armabatur. Interea in Toloſatibus & Allobrogibus collectis repentinis copiis nouę religionis multa caſtella inuaduntur, capiuntur, diripiuntur, ſuccẽduntur, aut occupantur. Regina Britanniæ quòd ęgrè ferret pacem Belgarum nequid incõmodi in ipſam Britanniã pacatis rebus Gallis & Belgicis redundaret, mittit ſubſidio ſex millia peditum

Britanno-

Britannorũ. Hi cum copiis ſtatutũ coniuncti Germanos & Hiſpanos obſident, qui erant in præſidijs Traiecti ſuperioris quã etiam munitionẽ fortiter inuaſerunt cũ magna præſidiorum clade. præterea eadẽ Regina offert ſtatibus trecenta millia Angelotorũ, illud eſt monetę aureæ genus ad bellorũ ſubdiũ, ſed petit vt ſibi Grauelingha cõcedatur, quæ non procul diſtat à Cęſoniaco nauali, vt in ſuſpicione Regem Gallum Caleſium poſſidentem ſiue ipſum nauale Cęſoniacum teneret. Auſtriacus quoque vt maiori cum dignitate de conditionibus pacis ageretur, curat ne quinque millia equitum colligantur. Quę dum aguntur in Belgio, maximo terræ motu Cyprus inſula concutitur, corrueruntq; multi & priuati & publici muri cum domus pleræque funditus ſint euerſæ ſoloque adęquatæ, & in primis Leucoſiæ, Salaminæ, Curij ſiue Aidatuſiæ. Tantus fuit inſulanorum ac Turcarum terror

Terręmotus Cypri.

per illum motum terræ, vt Turcę dicerẽt hæc fieri in vltionem à Deo Chriſtianorum. Sed quoniam vna in re videbatur difficultas pacis componendæ in Belgio conſiſtere, vt Hiſpani exirent è regione, illud ab Auſtriaco impetratũ eſt vt omnes copiæ per vnionem vocatam pacem Bruxellis concluſam initio propè anni præſentis, dimitterentur vtrinque. ſignificat igitur ſtatibus Auſtriacus vt claſſis paretur quæ Hiſpanos conuehat in Hiſpaniam. Illud cum ſignificatum eſſet per literas Aurantio principi, quòd erant naues in Olanda ac Zelanda conſcenſuri, reſpondet ſe nolle iſtud facere, cum in ijs maritimis regionibus præeſſet, ac maritimis viribus eſſet ſuperior, niſi noua religio ſibi cõcederetur, in qua erant ſententia omnes populi illarum regionum, qui ſicut cęteri ſtatus Catholicæ non aſſentirent, qui Bruxellis congregati fuerant. Veruntamen quia non videbatur cõmodum omnino vel cęteris ſtatibus Belgij cedentibus arma in Belgium aliunde comportare, nullum ſtudium prætermittitur vt Aurantius quoque aſſentiat conditionibus pacis, quare hæ conditiones poſt multas difficultates Auſtriaci & Aurantij & ſtatutum ſubſcriptionibus confirmatæ ſunt per conſenſum Regis, & Bruxellis publicè pronuntiatæ non multo poſt vnionem vocatam. Primùm, 1. Vt omnes offenſiones, iniurię, damna vbique illata per haſce diſcordias & tumultus contentioneſque Belgicas ab incolis inferiorum regionum vbique tam publicè quam priuatim & quouis modo, ceſſent, obliuioniq; ſempiternę mandentur, cenſeanturque numquam accidiſſe, de quibus nulla vnquam fiat mentio in poſterum, nedum inquiſitio.

Edictum perpetuum Bruxellis confirmatum.

2. Et quoniam nos epiſcopi, abbates, & alij antiſtites atque eccleſiaſtici homines dictarum noſtrarum inferiorum regionum, quique theologiam & iuris peritiam Louanij profitentur per patentes literas monuerunt quo in ſtatu res tunc eſſent Belgii, cum tractatus pacificationis concluſus & confirmatus fuiſſet in noſtra vrbe Gandaui die 8. Nouembris proxime elapſi inter ipſos ſtatus ex vna, & noſtrum Sobrinum Gulielmum Nanſienſem aurei velleris noſtri ordinis equitem Aurantium ac regiones noſtras Olandæ & Zelandæ cum adiunctis ex altera, & quia nihil tractatus contineret quod aduerſaretur noſtræ ſanctę fidei aut religioni Catholicæ apoſtolicæ Romanæ; ſed contra omnia eſſent ad eius fauorem conuerſa. cum etiam monuiſſent nos conſiliarii noſtri ſtatus nihil ibidem contineri quod prędiudicium inferret noſtrę vel autorirati vel obedientię, quæ debetur à regionibus inferioribus: cum præterea oratores Cæſaris & Ducis ipilliers delegati teſtificati ſint his ipſis conſentanea, quę ab epiſcopis, abbatibus & aliis antiſtitibus atque eccleſiaſticis ſcribebantur, quare noſtri conſiliarii ſtatus libenter aſſenſerunt, probarunt, ratificarunt tractatum, nos quoque libenter aſſentimus, probamus, ratificamus, per præſentes illam pacificationem in omnibus ſuis punctis & articulis promittentes pro verbo ac fide regia in omnibus q̃ ad nos ſpectare poſſent nos ſemper ſeruaturos, curaturoſque vt omnes ad quos pertinebit ſeruent. ad hoc ipſum ſtatuimus vt fiant comitia & vnio ſtatuum generalium noſtrarum regionum inferiorum nominatarum in tertio articulo dictæ pacificationis in omni modo & forma, & omni pacto, quod plenius in ipſo articulo continetur 3. Edicimus, decernimus, ſtatuimuſque præterea vt omnes noſtri milites Hiſpani, Germani, Itali, Sequani, alijq; exteri tam equites quam pedites, qui nũc ſũt in noſtris inferioribus regionibus liberè excedãt è Belgicis finibus ac ſine vlla perturbatione vel impedimento terreſtri itinere, quò non licitum ſit reuerti aut reuocari ab alijs, niſi bellũ nobis ab externis inferatur; & niſi nobis neceſſitas reuocandi palam exorta fuerit probata à ſtatibus generalibus inferiorum regionum 4. Quod ad tempus excedendi ſpectat copiis exituris ſtatutum, decernimus & iubemus vt omnes Hiſpani, Itali, Sequani, excedant intra viginti dies poſtquam à fratre noſtro ijs, ſignificatum fuerit, ex omnibus noſtris oppidis & vrbe Antuerpia, omnibuſque caſtellis & vrbibus & munitionibus inferiorum regionum, quæ tenent nunc, & vbi ſunat, excedãt, & pręſertim è noſtro Ducatu Leucorum intra alios viginti dies, vel quanto citius fieri poterit, qua in re frater noſter omni diligentia vtetur pro viribus, atque intra prædictos quadraginta dies nemini licitũ ſit impune noſtrorum militum prædari, vel damna inferre, vel quouis modo vexare noſtras regiones inferiores vel finitimas, aut earum habitationes, ſed vbiq; honeſtè pacateque viuatur 5. Quod ad tempus, intra quod debent excedere noſtri milites Germani, illud fiet ſtatim atque conuenerint cum ſtatibus de ijs, quæ inferius in articulo decimo quinto noſtrarum literarum patentium planius explicabuntur, atque vt rationes fuerint expletæ, ac pro æquitate factum ſatis 6. Relinquent autem noſtri milites Hiſpani, Germani, Itali, Sequani, vel alij quiuis noſtra ſtipendia merentes vbi exibunt è noſtris caſtellis, vrbibus, locis omnem annonam, tormenta, apparatus bellicos, quę noſtra caſtella & vrbes vnà cum annona & tormentis & apparatibus pro concilij noſtri ſtatus monitis concredentur fidei procerum indigenarum Belgii, qui ſint conditionis pro priuilegiis inferiorum regionum, & quibus magis in præſenti placuerit ipſis ſtatibus 7. Quod attinet ad iniurias illatas à quouis noſtrorum militum dum fuerunt in his inferioribus regionibus, curabitur vt reddatur ratio, atque iuſtitia ita procedet vt pro omni æquitate conueniet, curabiturque vt quam citiſſime exequantur, inſtituetúrque informatio tam de principibus militum, quam de quouis alio militari, qui vel in regionibus in-

bus inferioribus vel in finitimis peccauerit,aut inique verſatus ſit,curabiturque vt pro iure ac iuſti-
tia noſtrorum locorum inferiorum, vel regnorum Hiſpaniarum,vel vbi magis conueniet ea res iu-
dicetur. 8. Decernimus item edicimus ac ſtatuimus vt omnes captiui prædictorum tumultuum &
diſſenſionum cauſa vtrinque libere & ſine redemptione dimittantur. ita tamen vt ad dimittẽdum
in noſtras regiones inferiores noſtrum Sobrinum Philippum, Gulielmum Naſſienſem, Comitem
Buranum prouideamus & curemus vt ipſe Comes libere remittatur ſtatim atque princeps quoque
ipſe Aurantianus executus fuerit pro virili,quę decernentur in comitijs ſtatuum generalium finita
vnione & cõſultatione ipſorũ ſtatuũ. 9. Edicimus rurſus decernimus ſtatuimus vt cõtrouerſia de re-
ſtituẽdis procerib. quibuſdã in principatus aut pfecturas aut magiſtratus, aut de munijs reddẽdis,q-
bus priuati ſunt propter diſcordias ac tumultus prædictos,habeatur in ſuſpenſo, donec comitia ſta-
tuum conuenerint, quia tunc illa controuerſia committetur primariis conſiliariis, aut aliis iudici-
bus noſtrarum regionũ inferiorum, vt cognita pro iure decidatur. 10. Promittimus præterea pro
noſtro principis verbo ac fide regia nos eſſe ſeruaturos & curaturos vt ſeruẽtur ab ipſo fratre noſtro
& quibuſuis tam vniuerſorum,quam propriorum locorum gubernatoribus,qui à nobis vel ſucceſ-
ſoribus noſtris inſtituentur in inferioribus regionibus,omnia antiqua priuilegia, mores, conſuetu-
dines regionum;neque fore vt alij adhibeantur in conſilium ad iuſtam & adminiſtrationem publi
cam,quam inquilini ſiue indigenę ipſarum noſtrarum regionum inferiorum. 11. Promiſerunt cõ
tra ipſi ſtatus, obteſtatique ſunt Deum & homines quòd ſeruabunt integrè & incontaminatè no-
ſtram ſanctam fidem Catholicam apoſtolicam Romanam, & autoritatem atque obedientiam,
nobis debitam, quibus nunquam aduerſabuntur. 12. Promiſerunt item dicti ſtatus ſe reiectu-
ros & obnuntiaturos omnibus fęderationibus initis cum exteris ad tutelam & defenſionem ſe-
curitatemùe patriæ poſt excitatos tumultus. 13. Promiſerunt pariter ipſi ſtatus dimittere extra re-
giones inferiores omne genus militum conuocatorum, qui impedient nequis alius in ipſas regio-
nes ingrediatur. 14. Ad ſignificationem vero ſinceræ ſuæ in nos beneuolentiæ & obſeruantiæ libe
raliter prompteque obtulerunt ſexies centena millia librarum,cum ſingulę libræ cõtineant quadra
ginta groſſos, vt vocant monetæ Belgicę. Huius omnis pecuniæ aſſignabunt dimidium oratoribus
Cæſareis & delegatis à Duce Iuilliers, qui fratri noſtro aſſignabunt, aut cui videbitur, pro illo, ipſis
oratoribus,vt noſtri milites Hiſpani,Itali,Sequani,& alij exteri exeant è noſtris caſtellis & vrbe An-
tuerpia,& ex omni alio caſtello, vrbe, munitione præter Germanos,donec habitæ & expletę fuerint
cum illis rationes,vt dicetur paulo inferius.alterum verò dimidium pecuniæ per literas aptas iubea-
tur numerari Genuę cui fratris noſtri autoritas illud fieri decreuerit intra duos menſes poſtea quam
Hiſpani,Itali,Sequani,exceſſerint è noſtris caſtellis & vrbe Antuerpia. 15. His de rebus ſtatus ipſi, vt
dictum eſt,ſibi receperunt diſſoluere noſtris militibus Germanis ſua ſtipendia,ita vt abſolutis ratio
nibus præteritorũ temporum,decretiſque quæ apparebunt pro ęquitate illis deberi; planè ſatisfiat,
quamobrem nos & frater noſter promittimus adiuuare ipſos ſtatus pro omnibus viribus & auto-
ritate noſtra tam cum rationum libros habentibus vt eos exhibeant, quam cum ipſis Germanis vt
acquieſcant rationi poſtulanti, cum etiam oratores Cæſarei & delegati Ducis ſponte ſe obtulerint
vſuros bono officio erga Germanos,ac ſuppliciter petituros à Cæſare vt ſuam autoritatem hac ipſa
de cauſa cõuertat in Germanos. At vero dum ſatis Germanis fiat, poterunt pacatè morari in noſtris
regionibus inferioribus,quæ per noſtrũ conciliũ ſtatus ad protectionẽ & ſecuritatẽ noſtrã ac ſtatuũ
illis aſſignabuntur. 16. Promiſerunt conſimiliter ſtatus prædicto modo, vbi exirent Hiſpani, Itali,
Sequani, ex ipſis noſtris regionibus, ſe accepturos fratrem noſtrum pro literis patẽtibus noſtris pro
curatoriis,qua ratione conuenit huic negotio,admiſſurosque iuramentum,cui aſſiſtent,ſeſe exhibe-
bunt,ac ſeruabunt cætera ſolennia debita,quæ ſeruantur in rebus ſimilibus,quæ admiſſa ſunt & ob-
ſeruata erga gubernatores noſtros, Vicarios, proreges noſtros in regionibus noſtris inferioribus;
cui præſtari conuenit omne obſequium, deberurque honor & obedientia, permanente interim in
omni ſuo robore & vi tractatu pacificationis Gandauenſis, vt ſuperius dictum eſt,cum omnibus ab
illa manantibus & annexis. 17. Statuimus item & decernimus vt noſtri ſucceſſores in ingreſſu, &
frater noſter, & quiuis pro nobis gubernatores, qui admittentur in regiones inferiores tam rebus
vniuerſis,quam proprijs præfecti, vel quilibet è noſtris præſidibus, conſiliarijs, miniſtris,iudicibus,
ante quam ineant adminiſtrationem ac munia, vel attingant gubernaculum locorum, ſolenniter iu
rent ſe ad ſeruaturos, & curaturos pro viribus vt ſeruentur ſtatuta & pacta præſentia. 18. Proba
mus denique & confirmamus omnes conſtitutiones de vectigalibus, penſionibus, obligationibus,
& vadimonia,quę ſtatus conceſſerunt aut concedent cuiuis,qui opem tulerit,atque adiuuerit pecu-
nia per occaſionem dictorum tumultuum, & in primis ea quę ſpectant ad digniſſimã & potentiſ-
ſimam principem noſtram cariſſimam ſororem reginam Britanniæ. 19. Vt verò conditiones prę
dictas & articulos omnes reipſa ſeruent, impleant, exequantur, & quantum in noſtris lite
ris patentibus continetur ratum ſtabileque ſit, quæ omnia inuiolata ſemper debent perſiſtere, ſta-
tuimus vt noſtris patentibus noſtrum ſigillum adhibeatur, iuſſimusque ex altera parte fratrem no-
ſtrum ſubſcriptione confirmare, ex altera ſtatus iuſſerunt ſigillum ſtatuum adhiberi ducatus & re-
gionis noſtræ Ambiuaritarum ita petentibus iis ſtatibus, vti ſubſcriberetur ab omnibus alijs ſtati-
bus,& præcipuo illorum mandato conſignaretur manu nobis dilecti Cornelij Vueellemarſi ſcribę
dictorum ſtatuum Ambiuaritarum. ſubſcripſerunt ad preces noſtras, & fratris noſtri Cæſarei ora-
tores,& delegati Ducis Iuilliers. Datum in noſtra vrbe Bruxellis die, 17. Februarij 1577. Anno
regnorum noſtrorum Hiſpaniæ & Siciliæ, &c. 23. Neapolis vero &c. 25. At Henricus Gallorum
rex quia commodius appareret vnam eamq; auitam religionẽ eſſe in Gallia, quàm multas; cũ etiã
omne

Gallica res denuo turbatur.

omne genus auxiliorū in Bleſiacis comitijs eſſet promiſſum, profitetur palā ſe velle omnes Catholicos ritus ſacrorum in regno Galliæ ſeruare, atque pro hoſtibus habiturum, quicunque tam honeſto decreto aduerſaretur. eius prouinciæ cum ſummum imperium Alenconio eſſet delatum, vt regiam voluntatem exequeretur, multas copias equitum ac peditum colligit. iniunctum eſt munus Bironio, & Mompenſerio, & Memorantio regulis, vt Cantabrorum Regi & Condæo perſuaderent vt regiæ voluntati obtemperarent, ſed cum illud obtineri non potuiſſet, Henricus inſtat vt in comitijs Bleſiacis promiſſa ſeruarentur. At nouæ religionis principes auditis regijs apparatibus multa loca muniunt. ad augent Ciaritę vrbis, cæterorumque locorum pręſidia. mittunt pecuniam ad Caſmirum vt pedeſtres equeſtreſque copias colligat. regina Britanniæ his recentibus bellorum motibus perceptis ſignificatum mittit Henrico vt ab huiuſmodi tumultibus, populorumque perturbatione abſtineret, alioquin profitetur ſe illorum defenſionem ſuſcepturam. Nec multo poſt Ghiſius collectis multis millibus armatorum cum viginti muralibus tormentis ad vrbem Ciaritam contendit. ſollicitat hos per pręconem vti regiæ fidei ſe dederent, quòd honeſtas conditiones eſſent inuenturi, ſi iſtud opportunè facerent. reſponſum eſt ciues malle libertatem cum vita defendere, aut vtrunque vno tempore amittere, cum alterum horum non ſit magnopere fortibus expetendum. At quoniam Rodulphus creatus fuerat nouus Imperator decretum eſt in ijſdem comitijs vt quæ promiſſa fuerant mortuo Cæſari, nouo diſſoluerentur, quingenta millia nummum ſcilicet, quibus in omnem opportunitatem vteretur. non enim prorſus quietę erant res eius regionis cum latrocinia Turcarum non ceſſarent, & bellum non contemnendum eſſet in finibus Liuonię, cuius iam alteram partem, quæ reliqua erat, Moſchouitarum Dux occupauerat neglectis viribus Polonorum. cęterum cū pax ijs conditionibus, quas diximus, fuiſſet per Cæſareos commiſſarios propè concluſa, additum eſt poſtea vt Aurantius Olandæ & Zelandæ regius gubernator relinqueretur, & Buranus Comes intra certum ſpatium ex Hiſpania liberaretur. His ita ſtabilitis promiſſum eſt arma vbique depoſitum iri. copijs itaque dimiſſis ab Auſtriaco Lotharingiam verſus iter capeſſentibus, ipſe Louanio Bruxellas proficiſcitur, quò à principibus & ſtatibus Belgarum inuitabatur. Magna cum pompa & vniuerſi populi Bruxellenſis applauſu vrbem ingreſſus eſt, quem hinc Pontificia legatio, inde epiſopus Leodij & Cæſareus orator ſtipabant. ſequebantur multi oratores & proceres & principes inferiorum regionum cum ad tria equitum millia accederent egregiè inſtructorum. comitabantur ipſum & præcedebant ferè ſex millia armatorum partim peditum, partim equitum. Fiebant interim multa ludicra, atq; inter cętera plauſtrum à duobus equis aureo panno tectis auratum trahebatur, in quo erat Abundantia, multaque arma infracta cum inſignibus pictis decem & ſeptem regionum, quibus ſignificabatur arma eſſe depoſita, pacemque ab omnibus flagitari. Erat & triremis cum Turcis cathenatis pro nauali victoria: & columnæ Herculis vltra quas noui orbis imperium à Carolo. V. patre comparatum ſignificabatur. Vndiq; è feneſtris flores, ferta, coronę regiæ à virginibus deiiciebantur, tanta cum voluptate ac frequentia, vt omnem credulitatem ſuperarent. Nam tormentorum ſtrepitum, muſicorumque iuſtrumentorum concentum & harmoniam vt nimis vulgaria & in omnibus ſolennibus vſitata ſilentio prætermitto. Neque ita multo poſt Auſtriacus per multa ſtatuū ſolennia adminiſtrationem & imperium ſuſcepit, ſed antequam hæc fierent, atque res Bruxellenſis componeretur petiuerat has proprias conditiones ab ipſis ſtatibus; Vt ad ſeruandum decus & autoritatem maiorum liceret habere cuſtodias, quæ conuenire viderentur opportunitati, ſicuti fęminæ ac præſides harum regionum ſuperioribus temporibus habuerunt, at non indigenarum tantum, licitumque ſit quocunque vellet proficiſci. Ne vlli eſſent proprij pręfecti aut gubernatores ciuitatū, niſi vbi prius eſſe conſueuerant. Vt omnes præſides, tribuni, milites præſtò ſint acciti, pareantque illi tanquam ſummo imperatori. Vt tanquam ſummus imperator omnia ſolita munia & officia poſſit conferre, quę paci ac priuilegijs regionum non repugnent. Vt nomina illorum, qui putantur digni qui aſciſcantur in comitia, quàm citiſſimè ad ipſum deferantur, ut cognoſcat an quis ſit ſuſpectę fidei vel praui ingenij. Vt ſi Aurantius aut Batauí ſiue Olanda ac Zelanda paci atque concordiæ prædictę noluerint aſſentiri, reliqui ſtatus nullum cum illis habeant commercium: ſed potius coniunctis viribus pacem ipſam tueantur. Poſt ea ſolennia celebrata ſunt ſacra Bruxellis in ſacello regij palatij, & ſacra pompa ducta: nam plurimi populi vndique ad ſpectaculum confluxerant ſperantes diſſidia rerum Belgicarum & religionis compoſitum iri. Paucos poſt dies ſuſcepta adminiſtratione cępit Auſtriacus animum conuertere ad res inſtituendas, placandas, & componendas, quo in negotio multa patientia, moderatione, liberalitate animis omniū placandis vtebatur. Actum eſt primum de conuocandis comitijs, in quibus ageretur ſtatuereturque de religione & cultu diuino, & de regia obedientia, ac de tributis diſſolueudis: Quæ dum tractantur in Belgio, Caniſę quod oppidum eſt Pannonię, magna ruina repente exorta eſt. nam cum fulmen in bellicos apparatus forte incidiſſet tā ta ruina maurorum atque arcis facta eſt, vt non ſolum totus apparatus exarſerit, ſed etiam ad ſeptuaginta milites perierint cum præfecto oppidi ruinis oppreſſi. at verò ne locus à Turcis repentino conatu caperetur, miſſa ſunt pręſidia & res neceſſariæ defenſioni, & operę preterea, quę illud reficerent. Scythę ex altera parte prædabundi in regnum Polonię incurrunt collectis ferè quinquaginta millibus hominum, interquos multi erat Turcę & Agareni. villas proximas aut obuias quaſque ſuccēdunt, atque multis Polonis cęſis & multis captis in patriā cum pręda reuertuntur. At Cudabendes Perſarum rex cum diuturnum, ne dicam perpetuum, diſſidium cum ijs hominibus haberet, qui viridia capitum geſtant integumenta, qui legibus & ritibus ſacrorum plurimum differunt, cum aliter illi Mahometi decreta interpretentur, cum illis fędus componit, eoſque accipit in ſocietatem belli, quod aduerſus Amuratum erat geſturus. atque ne à fratribus regnum interim occuparetur, dum

Bruxellarum pōpa ob aduentum Auſtriaci.

Conditiones propriæ Auſtriaci.

Scytharū latrocinia.

Perſę crudelitas.

ipſe in

ipſe in Turcas militaret vniuerſos apparatus bellicos in tres fratres conuertit, qui veriti fraternas inſidias ab ipſius Regis aula ad fines vſque Turcarum profugerant. Rex vbi per vim armorum hos aſſequi non poſſet, ſimulat per communes amicos omne odium, omnemque ſimultatem depoſuiſſe, atque his non modo regiam gratiam pollicetur, ſed etiam imperium & adminiſtrationes. Illi cũ regiæ & fraternæ fidei ſe vltro tradidiſſent, iuſſu Regis comprehenſi crudeliter ſunt necati: quippe cum regnandi rabies apud barbaras nationes multo plus poſſit, quàm fides, aut promiſſa, aut vis religionis, & coniunctio naturæ. Neque verò ſoli ſuperius commemorati homines diſſentiẽtes de religione in Perſæ ſocietatẽ belli acceſſerunt, ſed Turcæ etiam quidam non paruæ autoritatis de religione à Turcis & ipſi plurimum diſſentientes, quare multis collectis vndique viribus palam bellum aduerſus Turcas Perſa ſuſcipit. At quoniam Magni Ducis lectiſſimæ quædam triremes magna damna Turcicis & Hebræis nauigiis vel in orientis mari inferrrent, Amuratus vt ea moleſtia liberaretur, & quia multa præclarè de Magno Duce Hetruriæ ſenſerat intercedentibns quibuſdam purpuratis literas humanitatis plenas ſcripſit ad Magnum Ducem, quibus illi amicitiam pollicebatur, quibus inuitatus Magnus Dux ad cõmodum & beneficiũ ſuorũ ſubditorũ cępit ad remittẽdo Bailo Byzãtium, deque inſtaurando commercio laneorum & ſericorum pannorum, è quo plurimum ſuperioribus temporiburibus vtilitaris in vrbem Florentiam redundabat. poſt aliquot menſes ſtabilitę ſunt conditiones, inter quas fuerunt vt ttiremibus religionis Diui Stephani exire liceret ad regias expeditiones quæ contra hoſtes Chriſtianorum ſuſciperentur: vtque quoties cum pontificiis aut regijs cõiungerentur, liceret exercere piraticam aduerſus hoſtes Chriſtiani nominis. his conditionibus ſtabilitis miſſus eſt eques Bongiannes Ginafiliaccius qui formulam à Magno Duce confectam afferret, atque accepta altera à Turca nouum Bailum adduceret Iacobum Mormoraium. ſed enim vbi acceſſiſſent, omnia turbulenta, vt creditum eſt Gallorum opera inuenerunt, aut certè illorum impulſu, qui felicitati eius nationis inuidebant. Inde Giriafiliaccius in patriam rediit; at Mormoraius valetudine impeditus remanſit, quo tempore imperatoris miniſtri tentarunt renouare negotium primis prope conditionibus. ſed Magnus Dux princeps inuicto nobilique animo impatiens barbaræ leuitatis illum reuocauit, iuſſitque non amplius præbere aures negotio, Quinetiam Mahometo purpurato ipſum denuo inuitanti literas indignationis, elatique animi plenas ſcripſit huiuſmodi; Iacobus Mormoraius iſtuc decretus Bailus, vbi rediit literas tuas mihi reddidit, ex quibus, vt ex ipſo cognoui, quem animum in me reſque meas conſerues, cuius cum periculum fecerim, quantum mihi de te polliceri poſſum, abſtinebo in poſterum ne tibi moleſtus ſim, quando mihi vel illud denegatum eſt, quod Imperator per ſuas literas obtulerat atq; compertum habeo iſtic facilius eſſe auaritiam & inuidiam, quam vllam ſinceritatẽ atque fidem inuenire. Illud profectò dabo operam vt opportunè intelligatur meã petitionẽ plus beneficij ſubditis ſuæ Maieſtatis, quã meis fuiſſe allaturam. quòd autem iſta porta cuiuis pateat, vix credi poteſt, quando tam facile claudi conſueuit, abundetque perfidia ob auaritiam & contentiones miniſtrorum potius, quam vllo imperatoris conſilio, qui pro illorum hortatu gubernat. Rodulphus Imperator auditis denique Marchionis Finalis rationib. decernit vt in poſſeſſionẽ vrbis reducatur, ſed vt munitio permaneat in poteſtate Hiſpanorũ miniſtrorum, ad quã ſententiã exequendam delectus eſt Vitus Dorimbergenſis deſtinatus orator ordinarius apud Pontificem antequam accederet Romam. At Aurantius non modo arma non deponit pro pacis cõditionibus, ſed etiam nouas vires colligit cum ſe portui Santonum auxilia laturum eſſe palam profiteretur. Miſſæ ſunt igitur ſtatuum ad illum & legationes & Ariſcotenſis regulus, qui hortarentur vt arma deponeret, & pacis conditiones ſeruaret. reſponſum eſt his non poſſe hoc obtineri niſi euerſa arce Antuerpiæ & munitionibus locorum Belgicorum, quæ ſunt contra leges regionis excitatæ, ac niſi emiſſi ſint Germani, & Buranus ex Hiſpania re miſſus. Nã Humenius regulus Amboiſa, quæ vrbs eſt Turonum caſtra mouerat cum multis millibus armatorum ad Santonici portus expugnationem; atque Alenconius in Tectoſates cum copiis properabat, quòd ſperaret eos populos per gratiam Annuillij ad regiam fidem ſe eſſe perducturum. Pontifex auditis nouis tumultibus Gallorum, vt Catholicam religionem pro viribus iuuaret, decernit ſtipẽdia quatuor millibus peditum duce Paulo Sforria, & trecentis equitibus duce Io. Cęſarino, qui ſubſidio accedant Regi Gallorum donec Gallicum bellum perdurabit. at rex audita Pontificia liberalitate, petit vt pecunia potius, quam equites aut pedites mittatur, quod ſibi commodius foret. Principes ac proceres Belgarum quia ſuſpicari cęperant fore vt rationes multorum ab Auſtriaco recognoſcerentur, cęperunt procurare vt nonnulli remouerentur è concilio ſtatus, tumultuſque excitare ante vltimam cõcluſionem pacis. Hoc fiebat conſilio & impulſu Aurantij aliorumque nobilium, qui monebant proſpiciendum eſſe & conſulendũ futuris periculis, ne tardè pęniteret omnes commiſſi erroris, quoniã Auſtriacus per multas artes palam cognoſceretur animos multorum primariorũ ſibi allicere, quorum autoritate ſuffultus poſſet cęteris Belgis pro arbitrio dominari. Iſtud non difficile fuit perſuaſu, quoniam mentes Belgarum iam hoc ipſum complexæ fuerant. cum igitur in arce Antuerpienſi Ducis Areſcotenſis filius vicario munere fungeretur, clam actum eſt cum ducibus militum & militibus eorum factionis qui erant in illis præſidijs, vt ſtatuto tempore aduerſariæ factionis milites eximerentur, ſuæq; ſubſtituerentur. arrepta ſunt arma repente à popularibus ad eijciendos ex vrbe Germanos. quibus quadraginta nummum millia oblata ſunt pro ſtipendiis capto Ariſcotenſi ſunt Vicario. cum igitur contenderent Germani ſibi multo plura deberi, ſine ſtipendiis & ſine puluere eiecti. alij igitur in locis finitimis morantur, alii in Germaniam redeunt, alij Bergam proficiſcũtur, vbi erat Carolus Fucarus tribunus in præſidiis. cum ſtatuum verò & Aurantij copiæ in hos impetum feciſſent, ſeſe in Bergam incluſerunt, qui poſtea circumuenti per multarum copiarum obſidionem,

Literę Magni Pacis ad Mahometum.

Berga capta.

dionem,ſeſe vltro dediderunt.cum tribunus nulla ratione vellet deditioni aſſentiri,captus eſt à ſuis militibus & hoſti datus in poteſtatem,ac Bruxellas miſſus. ſic illęſi Germani ex oppido exceſſernnt. His ſuſpicionibus & monitionibus procerum animis in Auſtriacum parum propēſis Bruxellenſiū cœptum eſt vniuerſam obſeruantiam debitam ac prius præſtitam in contumelias,& minas,& verba parum ſummo imperatori conuenientia conuerti,cum inſidiæ etiam ſtrui dicerentur.Vbi in dies cō tumeliæ excreſcerent ſtatuit Auſtriacus præſtare vt Bruxellis diſcederet,antequam indecorum quid poſtea committeretur, quare Mechliniam repente ſe contulit ſimulata quadam opportunitate negotiorum.Verum cum neque ſatis tuto ibi ſe eſſe intelligeret,quòd Aurantij eſſet conſilium in Belgas transmiſſum non poſſe planè libertatem Belgarum ab ipſis ſtatibus obtineri, niſi per captiuitatem Auſtriaci,Mechlinia quoque diſcedit.dedit opportunitatem diſceſſus regina Vindenenſis,quæ ad balnea Belgica in regionem Eburonum ad Spa pagum proficiſcebatur, cum illi obuiam honoris gratia Namurium vſque proceſſiſſet,cum ob amicitiam,tum ob coniunctionem,quæ intercedit inter duos Reges.Per idem tēpus literę dicuntur ſine ſubſcriptione miſſæ fuiſſe ad Auſtriacū dū exiſſet ad venationem, quibus continebatur non procul abeſſe quadringentos pedites, quorum conſilium eſſet illum captiuum Fliſinghenum adducere;quibus lectis ſtatim in arcem Namurij ſe contulit.ea re cum Areſcotenſi & alijs proceribus communicata,nihil præter admirationem cognouit.Dicuntur per idem fere tempus Auſtriaci literæ interceptæ fuiſſe per Regem Cantabrorum,quæ ſcribebantur ad Philippum Regem,quibus continebatur quòd animis illorum ſtatuum ſibi conciliatis & ſtabilitis per ſupplicia multorum rebellium vniuerſas eas regiones refrēnaſſet,& ad rerum propriarum ſollicitudinem conuerteret.Hæ literę captæ miſſæ ſunt ad Aurantium & per illum ad ſtatuum ordines,quare decretum eſt & initum fœdus cum Rege Cantabrorum,& Britanniæ regina, & proteſtātibus,ac alijs principibus vt Auſtriacus caperetur,qui poſſet cum Burano comite permutari.ſic res acta eſt in comitiis Bruxellenſibus inter principes Belgarum . Auſtriacus contra ſignificatū mittit comitijs vt Aurantio ſignificent vti ſtet promiſſis. facit certiores de inſidijs ſibi parefactis.his addidit ſibi delata eſſe cōſilia clandeſtina aduerſus ipſum ſuſcepta,quare in arcem Namurji ſe denuo recepiſſet,qui profiteretur palam,Deumque obteſtaretur & homines ſe nolle pacis conditiones infringere,ſed amplificare & obſeruare.ſe cognouiſſe non poſſe eſſe Bruxellis ſalua regia & ſua dignitate,nam denuo per literas comitiorum illuc reuocabatur, neque rediturum eſſe ſine firmis cuſtodijs,& poſitis armis à ſtatibus, & abdicatis omnibus alijs gubernatoribus; quod niſi ſponte fiat omnino eſſe faciendum, cum gubernaturus at non gubernandus in Belgium miſſus ſit.his allatis ſtatus legationes miſerunt, per quas ſe excuſabant quòd nihil de inſidijs cognouiſſent. omni diligentia ſe vſuros obtulerunt vt autor literarum inueniretur,& animaduerteretur in conſcios illarum iniuriarum.indicta ſunt comitia ſub pæna perduellionis omnibus militibus indigenis vt in vnum locum ad ſtatutum tempus conuenirent vt vltimum reſponſum Auſtriaci de pace audiretur, & ferrentur ſuffragia. accitus eſt Namurio dux Areſcotenſis, & alij proceres concilij ſtatus, qui Auſtriacum ſequebantur,qui iuſſi ſunt tanquam captiui domum pro carcere habere. Enimuero vbi Namurium Auſtriacus ſe recepiſſet,cęptum eſt ſtatuum nomine clam ſollicitare arcis præſidia, illiſque perſuadere quòd Auſtriaci ingreſſus eſſet aperti belli ſignificatio,atq, ita factum eſt vt captus ſit Trelonius & cæſi quidam qui factum nō probarent.miſit literas & nuntium Comes Lalaigenſis vt in inſidias Auſtriacus traheretur,quib.ſignificabat ſe maximis de reb.velle cū Auſtriaco cōicare, quamobrem diem ſignificaret quo eſſet Bruxellas vel Mechliniam rediturus.reſcriptum eſt neſciri tempus.ſed ſi vellet gratificari Namurium ipſe accederet. Erant multis in locis finitimis clam diſperſi milites, & in vrbe præcipuè, qui ſtatim arrepto ſigno poſſent in vnum conuenire; ſed cognito conſilio Auſtriaci,qui non ſatis fideret Belgarum promiſſis ne res dimiſſis copijs pateficeret diditus eſt rumor cō ſulto quòd Ghiſius & Billyus reguli impulſu & conſilio Auſtriaci copias ad Belgij deuaſtationem collegiſſent.illa res vbi ad aures principum Belgarum fuiſset delata, miſsæ ſunt legationes Namuriū quæ apud Auſtriacum quererentur ſibi grauiſſimum videri quòd ex altera parte pacem & quietem prouinciæ proponeret,ex altera hoſtes Belgarum ad illorum euerſionem aduocaret.Auſtriacus hiſce legationibus reſpondit nihil horum verum eſse;ſed malignorum hominum figmenta,conqueſtuſque eſt contra ſibi delatas eſse certas inſidias & coniurationes multorum Belgarum, quare ſe in arcem Namurij ad tutelam corporis neceſsario recepiſse.ſe promptum eſse ſeruare ad vnguem quę promiſiſset,pacique regionis ſtudioſiſſimè conſulturum . Quòd ſi ipſi quoque principes Belgarū iuramentum & promiſsa de Catholica religione & obedientia regia ſeruarent, illud facturos eſſe quod ſuis partibus conueniret. Non ceſsabant interea arma Belgica cum loca quædam capta ſint a copiis ſtatuum regias partes complexa,deuictorumque facultates direptæ,multique mortales euerſis domibus capti.inter hos tumultus Belgicos,cum neque proceres Namurium, neque Auſtriacus Bruxellas accedere tutum exiſtimarent, quòd alter alteri diffideret, neque poſsent ſimul negotiari, cęptum eſt agi de ſecuritate. Auſtriacus vt ſatis omnium Belgarum deſiderijs faceret,ſi nulla ratione fieri poteſt vt ipſi confidant , ſe contentum eſſe inquit , quamuis illud nulla ratione laudabiliter fieri poterat, vt proceres deligantur ad Regem,qui alium eiuſdē ſanguinis rerum Belgicarum gubernatorem petāt. Miſit quoque ipſe literas, quibus flagitabat vt alius gubernator in Belgiū deſtinaretur : quæ dum hinc inde tractantur & Auſtriaci & Belgarum vires clam adaugebātur. atque dum regium reſponſum expectaretur,petit Auſtriacus vt ceſsaret arma, negotia, incurſiones, copiæque omnes vtrinque dimitterentur; cum ipſe interim pro pace eſset gubernaturus regio nomine cum aptis corporis cuſtodijs vbicunque vellet aſſiſtentibus conſulibus ſtatuum ac priuati concilij : atque decerneretur vbi ſtatus per illud tempus habitarent ad beneficium locorum, ſi nollent eſse Na-

Literæ Auſtriaci interceptæ.

Inſidiæ & ſtratagema.

eſſe Namurij. Vt ab omni hoſtili negotio abſtineretur ſine fraude. Vt copiæ dimitterentur. Vt darentur obſides vtrinque epiſcopo Leodij, qui neutram in partem magis inclinaret. His addidit inſidias non ſemel ſibi paratas eſſe, quare ſe in arcem Namurij neceſſariò recepiſſe. Quod ſi tam honeſtæ conditiones non admitterentur, ſe non poſſe illud ęquo animo ferre. His petionibus non modo nullum datum eſt reſponſum, ſed communi procerum Belgarum conſilio Gandaui, Antuerpiæ, Vtrechtij, aliorumque munitorum locorum arces & mœnia diruta ſunt, quoniam contra pactiones Caroli Quinti imperatoris facta eſſe dicebantur. Nam cum Eſcouedus à ſecretis Auſtriaci miſſus ad Regem fuiſſet, literæ regiæ ſcriptæ ſunt ad Aymontium, qui erat in præfectura Mediolanenſi, quibus iubebantur Hiſpani, qui ſtationes habebant adhuc in agro Cremonenſi redire in Belgium cũ magno numerò equitum Mediolanenſium. iuſſæ ſunt Italæ & Germanæ copiæ colligi, cum cataphractis equitibus regni Neapolitani, & multa tormenta parari. Principes Belgarum his rebus cognitis, decreuerant vt omnes munitiones Belgicæ funditus euerterentur, præter eas quæ eſſent in finibus. copias colligunt, omniaque neceſſaria ad futurum bellum parant. Aurantius ad claſſicos quoque apparatus ad ſexaginta nauigia retinet, quæ varijs è locis in Zelandam applicuerant. Habita ſunt caſtra à copijs ſtatuum ad Gemblourſam, quod eſt oppidum diſtans à Namurio circiter decem millia paſſuum, eo conſilio, vt ferebatur, vt Auſtriacus obſideretur cum interciperetur commeatus ibi, qui per Moſam ſecundo fluuio prius deferebatur Namurium. In Gallia vero, & ad mare

**Broaggium obſeſſum.**

oceanum res neque ſegniter, neque timidè agebatur: nam dux Humenius collectis millibus armatorum Brouaggium vrbem terra marique obſidebat, ac multis bellicis tormentis diuerberabat. eius vrbis virtus nõ minor in defenſione, quã Gallorũ in oppugnatione apparuit. Incurrit tamen in nõ leue periculum Dux Humenius, quia obſeſſi virum quẽdam intrepidum, & mortis contemptorem nacti ex vrbe certo precio propoſito emiſerunt ad illum necandum: qui cum ſclopettum fruſtra diſplodere conatus eſſet, captus fuit, & ab equis diſceptus. Miſſa ſunt auxilia per idem ferè tempus in portum Santonum, tres cohortes peditum, quę Marano exierãt: ſed pręſidia portus verita inſidias, ne forte per artem Catholicorum hoſtes introducerentur, noluerunt illos admittere, quam rem cũ regiæ copiæ ſenſiſſent commiſſo cũ his redeuntibus prælio in conſpectu præſidiorũ ad vnum trucidarunt. Mittebantur autem à Condæo, qui ſeſe in munitionem Laternæ receperat. Lanſacius iunior rerum claſſicarum ſummus imperator vir Gallus collectis duabus biremibus, duodecim onerariis. multiſque nauigijs varij generis, omnia loca percurrit, quibus ſe poſſe hoſtem conuenire arbitraretur. at Britannica & Aurantij nauigia per id tempus munitionem Salinarum in inſula Broaggij ſubſidiis iuuant, cum quædam eſſent onerariæ & epibatis & tormentis non ſegniter inſtructa. vbi proprius ventum eſt ad inſulam, ſingula nauigia ſingula tormenta diſplodunt, vt obſeſſorum

**Victoria naualis Lanſacij.**

animi erigerentur ad ſpem ſubſidiorum. apparuit repente Lanſacii regia claſſis ad pugnam inſtructa, qui tanta virtute hoſtem inuadit, vt ceſſante vento prius Britannis. ſecundo paucis horis victoriam reportarit, capta maiori parte nauigiorum, & prętoria in primis, & duabus onerariis ingentibus. ceciderunt plures ſexcentis Vgonottis. capti etiam plures, qui condemnati ſunt ad tranſtra præter primarios deſtinatos ad ſuſpendium. Enimuero dum claſſes collatis ſignis decertarent, obſeſſi ſpe ſubſidiorum ad mare procurrunt, vt eorum vires augerentur, ſed Humenius conuerſa illuc maiori parte ſui exercitus aduerſus claſſem hoſtilem ne fieret deſcenſio. mittit turmam equitum, qui iter egreſſis intercluderent, qui omnes fuſi trucidatique ſunt, Cęſo etiam Serale illorum duce. capta ſunt vndecim nauigia à Lanſacio, multaque bellica tormenta, quorum pleraque è portu Santonum fuerant exportata. Poſt cladem harum copiarum cum Salinarum munitio ſubdijs Condęi iuuari non potuiſſet, capta eſt ab Humenio per deditionem, cuius fuerunt conditiones, Vt ſaluis armis

**Salinę captę à Gallis.**

& ſupellectile præſidia incolumia dimitterentur. Vt obſides vtrinque de fide ſeruanda darentur. Vt liceret bellicum tormentum ſecum abducere. Vt egreſſi ad portum Santonum adducerentur, vel quocunq; maluerint. quibus ita tranſactis Humenius copias in finitimas regiones contrahit, vt corpora curarent, quæ multum per obſidionem quatuor menſium paſſa fuerant. At quoniam Caſmirus cum nouem millibus equitum, magnoq; peditum numero in regios fines irrupturus eſſe dicebatur, qui partes Vgonottorũ tueretur & auxilijs iuuaret, iuſſus eſt Alenconius Burdigalam & Ghiſius cum viginti millibus peditum & circiter ſex equitum obuiam procedere, atque iter impedire. Dancicanis, quoniam Cæſarianas partes tuerentur aduerſus Poloniæ Regem recentiorem, acceſſerunt auxilio ferè duo millia peditum ex iis locis maritimis, quæ in litore oceani ſeptentrionalis Cæſaris parent imperio: quibus auxilijs aucti regia caſtra repente adoriuntur, atq; cęſis trecentis fere ex hoſtibus victores in vrbem redeunt, captis duobus bellicis tormentis. Cæterum in Belgio proponebatur à ſtatib. Io. Auſtriaco tanquam via vnica ad pacem vt Namurium, Carlomontium, quod oppidum eſt à Carolo. V. à fundamentis excitatum, anno 1555. Mariæburgum, Sampſonum, Thiryum, & quædam alia loca relaxarentur, atq; Auſtriacus Auguſtam interim ſe reciperet, vtque conciliũ ſtatus pro ſuo ipſorũ arbitrio inſtitueretur. illis locis conceſſis abdicati ſunt continuo magiſtratus non pauci, qui regias partes tuebantur; atque multa hoſtilia ſigna edebantur, cum Regis mandatum ad Aymontium ad eorum aures perueniſset. Accerſitus eſt etiam Aurantius & gubernator in comitiis Ambiuaritarum & Tongrorum ſiue Brabantiæ. quę tametſi Auſtriacus ęgerrimè ferebat, tamen nihil faciendum putauit quod paci repugnaret, aut quod parum moderati animi indicium eſse poſset, dum Auguſtæ Romanduorum miſsarum literarum reſponſum expectat. Redditæ

**Literæ Philippi Regis ad Belgas.**

ſunt literæ regiæ denique, in quibus continebatur Regem velle pacem ſanctiſſimè ſeruari, modo ſeruentur promiſsa & iurata, armaque a ſtatibus deponerentur, quæ ſumpta fuiſsent iniuſsu regio, quæ ad ipſum ſolum, ſiue eius imperatorem iure ſpectarent. His addebatur vt ceſſaretur ab

omni hoſtili turba & vexationib. quæ fiebant Aurantii impulſu, cuius miniſtris aut fautorib. nō eſſet
adhærendum, cū ille palam profiteatur ſe eſſe & Regis, & Hiſpani nominis acerrimū hoſtē, qui non
modo pacem promulgari in Olanda, & Zelanda noluit, verunetiam quauis ratione pacem Gandaui
impugnat. iubet, vt qui magiſtratus aut bellica munia accepiſſent, ea deponerent, eaq; exercerent qui
regio nomine fuiſſent ad illa delecti. Vt populi poſitis armis priſtinas artes reſumerent. Vt captiui di
mitterentur, & inter hos Trelonius regulus, & Carolus Foccher, omniaq; ad tranquillam pacē per-
ducerentur. His Regiis literis oſtenſis Auſtriacus oēs ad pacem, & quietem cohortatur, profiteturq;
ſe non fore autorē calamitatum Belgicarum, ſiquæ per populorum pertinaciam ſuborirentur. om-
nia incommoda facile poſſe deuitari, ſi copiæ acceptis ſtipendiis dimitterentur, ſtatuſque domū ſuā
ſe reciperent, donec fierent vniuerſorum comitia, quæ cito ſint habenda, atq; omnia ad quietum, &
pacatum ſtatum prouinciarum perducantur. iſtud ſi fieret promittebatur fore, vt oēs Regiæ copię
tam externæ, q̃ aliæ dimitterentur, quæ iam iter in Belgium ceperant. His niſi breui reſponſum eſſet,
minatur ſe opportuna, & apta remedia adhibiturū. Status his acceptis literis reſpondent ſe nō poſſe
libertati, & quieti Belgarū ac patriæ deeſſe, cū tot iniqua per auaritiā, & crudelitatē regiorū miniſtro
rū paſſi ſint, quib. ēt literis contumeliæ ſunt additę, ac tabellarii Auſtriaci vt minaces in carcerē con-
iecti. Atqui dū hinc inde tot ambagib. negotiū de ſubrogando gubernatore Regio nomine tractatur,
viſum eſt principib. ſtatuū non peſſimè conſultū fore reb. Belgicis ſi cū reginam Britannię, & poten
tiſſimos Gallos proceres, & multōs principes Germanos fautores haberēt, Auſtriacā familiā quoq;
ad ſuas partes retorquerent, quę imperiū hēt inter Germanos, quo pacto res Hiſpana multo fieri vi
debatur debilior. Hæc aūt facile adduci poſſe videbatur ad defenſionē Belgarū, vel ꝙ Philippus Rex
ad ſobrini cōmoda conniueret, vel ꝙ Cæſar ęquiſſimo animo acciperet eā dignitatē fratri deferri, q̃
ſibi ēt nō paruo eſſet ornamento. Dum Auſtriacus igitur per literas regias ſtatib. ſignificat per Eſco-
uedum allatas ſe oēs munitiones ſtatib. cōmiſſurū, Regemq; oīa promiſſa ſeruaturum vel poſt tot
perturbationes, modo religio catholica ſeruetur, fit decretū ab ipſis comitiis clam vt Archidux Mat-
thias Auſtria Cæſaris frater iuuenis acri ingenio, & ad oīa magna negotia prompto acciretur eo cō-
ſilio, vt ille pręeſſet prouinciæ cū ſummo imperio, Belgiumq; tueretur aduerſus Hiſpanos, ſi Belgas
denuo inuadere conarentur. Matthias acceptis literis ſtatuum, & non leuibus rationibus perſuaſus
clam per noctē exit Iuliobona inſcio Cæſare, citatiſq; equis longiſſimis itinerib. conuolat in Belgiū.
Cæſar ægerrimè tulit eius diſceſſū. literas dedit ad Electores ac principes imperii, vt detineretur. ſcri-
pſit etiam literas, & nuntium miſit ad ipſum Matthiam ut rediret Iuliobonam, neque ſeſe illi nego
tio implicaret: cæterum Matthias vbi ad Lierā oppidum acceſſiſſet, monitus eſt vt ibi moraretur, do
nec conditiones, quibus regiones gubernaret, communi conſilio per delectos proceres ſtabilirētur,
quę ſic fuerunt non multo poſt illi oblatæ. Multos iam annos hęc Germania inferior multis calami
tatibus vexatur, plurimis damnis, multis oppreſſionibus, atque ita vt leges, mores, priuilegia antiqui
tus prouinciis conceſſa ab anteceſſorib. Regiæ Maieſtatis, & vel ab ipſo Rege cōfirmata, iuramento-
que ſtabilita infringantur. illa aūt probari poſſunt vel per literas regia manu conſcriptas eſſe confir-
mata. ſed Hiſpani miniſtri demum ſic cum extremo exitio harum prouinciarum infregerunt, atque
armata manu violarunt & ſibi vſurparūt, vt præſentes & præteriti tumultus neceſſario excitati ſint.
Nam ipſæ prouinciæ per vltimum contractum pacis, quæ Gandaui fuit concluſa, & per Io. Auſtriaci
aduentum non paruam ſpem conceperant fore, vt in integrum reſtituerentur atq; ad priſtinū ſtatū
perducerentur priuilegia, mores, leges, inſtituta, & oīa Belgarum, vt Auſtriacus iurauit eo tpe, atque
initio ſuæ adminiſtrationis ſimulauit ſe velle ſeruare. Ea ſpes cum nos prorſus fefeliſſet, cum ille ſe
recepiſſet Namurium priuati gubernatore, vt cuiuis patet, cum Auſtriaco nullum conſilium fuerit
reſtituendorum priuilegiorum vi vſurpatorum, ſed ēt per datam fidem opprimere, atque omnino
ſubiugare, nobis neceſſe fuit arma capere ad rerum noſtrarum defenſionem. illud verò cū fieri non
poſſe commode intelligamus, niſi hæ prouincię ſummæ autoritatis gubernatorem habeant, qui na
tus ſit è Regio ſanguine, vt noſtra antiqua inſtituta decernunt, vt rex eiuſmodi hominem nobis pol
licitus fuerat, decreuimus legationes mittere ad Sereniſſimum Matthiam Archiducem Auſtriæ Cæ-
ſareæ Maieſtatis fratrem, quæ ipſū rogarent, vt, ſicuti aliàs ſeſe obtulit ad hāc adminiſtrationē Regio
nomine accederet harū prouinciarū, nequis alius vicinus princeps ꝑ horū tumultuū occaſionē illas
occupaſſet, qđ poſſet excitare magnā diſſenſionē inter catholicę religionis, & obediētię regię obſer
uantes, & nouę religionis aſſeclas. Et qm̄ ob pręteritas calamitates, ęrumnas, miſerias, fraudes, dolos
vniuerſus populus territus conſternatuſque eſt, cuius in animo multę ſunt probabiles, & maximæ
ſuſpiciones, vt hę eximantur nobis viſum eſt probabiliter eſſe reb. prouidendum. cenſemus itaq; ne-
ceſſarium Sereniſſimo Archiduci Matthię has conditiones, & inſtituta proponere ad harum ꝓuin-
ciarum adminiſtrationem ſpectantia, eumque obſecrari vt antequam illa admittat, promittat ea ob-
ſeruatum iri, idemque fieri a reliquis curare, neque cōſentiat ut uel ab ipſo ullo pacto uiolentur. ſic
igitur promittat, & ꝓmiſſa iurō confirmet ac Pmū ut ille has ꝓuincias gubernet cōſilio ſtatuū, qđ
conciliū cōſtet è uiris ſtatibus gratis uniuerſis, indigenis, q̄ uacent oī ambitionis, & auaritiæ uitio, ad
quos nec minima qdem ſuſpicio ꝑueniat aut præſentium aut pręteritorū motuū, qui periti ſint tā
politicarum, q̃ bellicarū rerū, in quo cōcilio oīa negotia tractabuntur, neq; pręter illud ullū priuatū
conciliū concedatur. Vt ſiquis è conſiliariis, uel alius habens dignitatē uel inſigne munus, illud non
adminiſtret, uti cōuenit uiro bono, abdicet pro arbitrio uniuerſorū ſtatuū, atq; in locū abdicati uel
mortui quidā a ſtatib. uniuerſis deligentur, è qb. gubernator unū admittet. Vt neq; gubernator neq;
concilium ſtatuta tractet, aut aliquid decernat, quod ad oēs pertineat, ut ſunt noua tributa, & rōnes
colligendæ pecuniæ, vel res bellicæ, vel pax, vel fęderationes cum externis principibus ſine voluntate

Matthias Archidux in Belgium accitus.

Cōditiones Matthiæ propoſitæ.

& conſenſu vniuerſorum comitiorū,idemq; intelligatur de publicatione, nouis edictis,aut ſimilib.
nouis inſtitutis,quæ comitia antequam concludant,teneantur nobilib. ſignificare,& ciuitatibus hu-
iuſmodi negotia, vt quod ad oēs pertinet, ſicuti par eſt, ab omnib. approbetur. nam illud conuenit.
conſpiratq; cum antiquis morib. ac priuilegiis Belgarum. Vt in omnib. negotiis demum dum legiti-
mus,qui eſt Tongrorum dux conſulat Tongrorum comitia, remq; ad gubernatorē delatam deferat
ad vniuerſa comitia. Vt literas nullas poſſit accipere, quæ agāt de publicis negotiis prouinciarū,quas
non communicet cum prędicto concilio, Vt cōuocatis conſiliariis decernatur quidquid de illo nego
tio viſum fuerit. Vt nihil in concilio agatur ſine maiori parte conſiliariorū. Vt id ſolum perſiciatur,
qđ in tali concilio fuerit cōcluſum. Vt gubernator inſtauret,atq; in priſtinū ſtatū quaſi poſtliminio
reuocet antiqua priuilegia.& inſtituta q̄ vſurpata fuiſſe cōpererit. Vt delecti à ſtatib. tandiu congre-
gati perſiſtant,vt abſolutè appareat oēs controuerſias expeditas fuiſſe,ibidemq; congregari poſſint,
quoties viſum fuerit expedire. Vt quoties ſtatus alicuius prouinciæ congregabuntur ob aliquod ne-
gotium magnum,aliarum quoque prouinciarum ſtatus teneantur conuenire, quamuis conueniēdi
facultatem à gubernatore non petierint. Vt ſtatus cuiuſq; prouinciæ poſſint congregari quoties libe-
bit. Vt tractatus pacis Gandaui concluſę in omnib. ſuis conditionib. validus ſit ac ſtabilitus, neq; vllo
pacto illi aduerſari, aut vlli parti repugnare liceat. Vt, ne error vllus aut damnum ſequatur ob inter
pretationes ipſius pacificationis,quæ cauillosè adduci poſſent, decernitur vt quoties hac de cā orie-
tur diſputatio,illa interpretatio per vniuerſa comitia declaretur hac ipſa de cauſa conuocata. Ne gu-
bernator requirat vel habere poſſit vicarium,niſi vti pro opportunitate temporum ſtatibus neceſſa
rium apparebit. Vt gubernatori,atq; cōſiliariis ne licitum ſit accire tribunos aut huiuſmodi bellico
rum magiſtratuum homines tam maritimorum,q̄ terreſtrium ſine conſenſu vniuerſorum comi-
tiorum. Vt ne licitum ſit congregare aut ad ſtipendia accire milites vel equites, vel præſidia alicubi
imponere ſine conſenſu ſtatuum,atq; prius auditis rationibus ipſorum locorum,in quibus erūt im-
ponenda,ne illorum priuilegia infringantur. Vt nequis ab eo creetur gubernator prouinciarū ſine
comitiorum approbatione,qui gratus ſit ſtatibus eius prouinciæ,habitetq; in prouincia, vel aliquā
ſaltem habeat prȩſtantem dignitatem. Vt belli tempore vtatur ſolo iudicio & decretis concilii bellici
à comitiis uniuerſis delecti. Vt ipſe gubernator iuret Regi tanquam ſupremo domino ac legitimo
harum prouinciarum,& conſimiliter iuret ſtatibus vt defenſoribus,& conſeruatoribus patrię liber-
tatis. Vt hoc ipſum faciant reliqui gubernatores vrbium ac prouinciarum. Vt tribuni ac milites, &
munia militaria exercentes iurent Regi ac ſtatibus ad conſeruationem patriæ. Qui omnes prædictis
conditionibus ſeſe addicent ad obſeruationem præcipuè, reſtitutionem atq; inuiolabilem continua
tionem cuiuſq; priuilegii dictarum prouinciarum, vt tenentur omnes,& ſinguli comitiorum vniuer
uerſorum. Vt diſtributio decretorum ad bellicos vſus neceſſarios ab illis adminiſtretur,qui a ſtatibus
inſtituti fuerint,atque huic ne rei conſulatur infinita grauamina,& innumera pecunia externa, qua
obligantur,& opprimuntur regiones Regiæ,& hæ prouinciæ. Vt ſtatibus licitum ſit admittere quę
a regibus aut prouinciis offerentur quantum apparebit neceſſarium, & in primis ad reſiſtendum in-
ſtantibus bellicis viribus,quæ oblata iam admiſſa aut admittenda approbari debent à gubernatore,
& conſeruari. Vt iuridicè in illos animaduertatur qui arma ſumpſerunt, & cum Auſtriaco ſunt de-
uincti in his vltimis tumultibus aduerſus patriā, Vt iuſtitia in hoc ſuum locum nimirum obtineat,
cuius executio non retardetur aut impediatur, vt reliqui homines in poſterum caueant patriæ quie-
tem perturbare. Vt gubernator iuret ꝙ ſi qua in parte harum conditionum aduerſabitur vllo tēpo-
re, ſtatus ne teneantur illi amplius parere,atq; ſiquid vi obtinere noluerit vt obediatur, ſtatus conti-
nuo arma capiant ad ſuam defenſionem. Vt munitiones quæ nondum ſunt euerſæ,ſi tamen euertē
dæ ſunt,continuò euertantur ſine contradictione. de cęteris munitionibus vnde damnū patriæ im-
minere videatur, decernatur quod vniuerſis comitiis vtile ac neceſſarium viſum fuerit. Vt nulla de-
mum ſubſequatur quæſitio eorum, quæ euenerūt in præteritis tumultibus,iis tn̄ exceptis qui arma
Auſtriaci ſecuti ſunt ex quo tpe Namurium ſe contulit Auſtriacus,quod a gubernatore approbetur,
habeaturq; ratum. hæc dum aguntur in Belgio ab Auſtriaco per ſpem pacis,Hiſpani in territoriū Ge
nuenſe ingreſſi vt in Belgas traiicerentur,quamuis claſſis iā eſſet parata, tn̄ diu in illis finib. morātur.
Genuenſium ſuſpicio. at Genuenſes magnā ſuſpicionem capiunt, ne quod ſit Hiſpanorum cōſilium,cū fauorem veterum
ob ſuperiores diſſenſiones haberent, vrbē capere ſine controuerſia,atq; excitare munitionē. Idcirco
ſignificatum mittunt Regiis miniſtris,& Mediolani præfecto, obteſtanturq; cum multa inſolenter
ab Hiſpanis cōmitterentur, ſe vbi ferre non potuerint Hiſpanam inſolentiā, illos trucidaturos, niſi
emittantur ex agro Genuenſi. Hoc aūt probabilius apparebat,quia rumor erat diditus ꝙ Belgę nullū
alium principem q̄ Regem ipſum erant paſſuri, cū ad eius obſeruantiā publice per præconem indi-
cta ſit pęna capitis Antuerpiæ niſi quis vixerit pro religione catholica Romana. atq; vt appareāt er
rores commiſſi fuiſſe cauſa ipſius Auſtriaci capti ſunt multi tribuni primarii,qui cenſebātur dicturi
ſe conſilio Auſtriaci egiſſe vt Germani in arcem Antuerpiæ,& alias euerſas munitiones ingrederen
tur, expellerentq; ſtatuum milites,eaſq; tenerent regio nomine,quia eſſet infenſus Belgis quod nō
eſſet in magna apud illos exiſtimatione. cum eſſet etiam informationem per teſtes formaturus, &
miſſurus in Hiſpaniam,quo impetraret alium gubernatorem. dicebatur etiam ſubieciſſe ſyndicatui
iudices criminum,qui coniurationem aduerſus ipſum inquiſiuerant. His rumoribus non parum
ſuſpenſi erant animi Genuenſium,oculoſq; conuertebant ad omnia Hiſpanorum conſilia. ea dū ve
xāt animos Ligurum,non multo quietior erat animus Venetorum, qm̄ magnæ copiæ iam collectæ
fuerant à Turcis,& ad Caſtrum nouum conuenerant,cū etiam trecentæ triremes dicerentur Byzan
tii eſſe inſtructæ, quæ mox ad excidium Chriſtianorum eſſent exituræ. Patres auditis his tam ingen-
tibus

tibus apparatibus & ipſi magno ſtudio copias colligũt, claſſem inſtruunt, oĩa ad defenſionẽ parant. Peridem fere tempus redibat Romam marchio Sorianus Ducis Allobrogum orator, atque cum ad viſendũ Magnum Ducem Florentiam acceſſiſſet, perduxit colloquium ad ſermonem de titulo, in quo percurrebat quam moleſtum eſſe poſſet ſuo Duci, quòd orator Hetruſcus in ſacello Cæſareo locum obtinuiſſet, idque præſertim cum magnus Dux Coſmus ad Allobrogem ſcripſiſſet ſe nolle vllum facere præiudicium. reſponſum eſt, quòd cum orator de ſua tantum ſententia, at non de principis conſilio hæc narret, nihil eſſet reſpondendum. veruntamen cum ſit viri boni non ſolum culpa carere, ſed etiam omni perfidię ſuſpicione, quando res parum cognitas haberet, velle illum errorẽ ex animo euellere. multis igitur rationibus demonſtratum eſt, quòd ſi pater vllam ſpem excitauerat, illud certe quod ad ipſum pertinebat, fieri poterat, & ratione tituli à Pontifice impetrati. ſed cum eius animi intentio non poſſet diffundi in res filii proprias, non videbatur Dux ille vir prudentiſſimus de ipſo iure queri poſſe, cum præſertim honores filii nouis priuilegiis niterentur a Maieſtate Cęſaris impetratis. Nimis grandem iniuriam autoritati liberalitatique Cęſareæ factum iri, ſi illam tam faceret parui, ac minueret tam præclara dona illa ita ſponte refutando. his ſubiunxit Allobrogũ Ducem de ſe ipſo tantum queri poſſe, cui nullum factum ſit præiudicium, ſi obtentum ſit à Cęſare vt ſedeatur ſtatim poſt Venetos oratores, ſibi ipſi feciſſe præiudicium, qui de præcedentia contendentes poſt hanc Cæſaris gratiam in Gallia ceſſiſſent. Quòd ſi Cæſari placuiſſet ipſum cohoneſtare tam amplè ſuis priuilegiis, ſe non intelligere inquit cur illud ſuo Duci debeat eſſe moleſtum, cum in illum principem pręcipuè collatum ſit, qui nunquam vel inuideret vel impediret vllam eius amplitudinem. Quòd has prærogatiuas ab eo acceperat, qui vel maiores titulos poſſet conferre, vt fecerant ſuperiores imperatores Allobrogi, quem ad ducatum prouexerunt. At Poloniæ Rex, qui cenſeret temeritatem, & pertinaciam Dancicorum ciuium eſſe omnino refrænandam, qui auderent vel aduerſus vniuerſum Polonię regnum inſurgere, atque irrita putare comitiorum ſuffragia vbi primum tempus anni patitur copias exire ad bellum ingentes vires Polonorum colligit ad eius vrbis expugnationem: quæ res certe apparebat difficilis propter pręſidia exterorum, defenſorum virtutem, & vrbis munitionem propè inexpugnabilem. vbi quædam pars regiarum copiarum Derſauiam conueniſſent ad obſidionem conuentura ducibus Ioanne Sborouio regulo Gneſnenſi, & Andrea Firleio Lublinenſi, viris magnę autoritatis. Ioannes Colonienſis exiit è ciuitate Dancica illo nuntio ad euellenda ſemina virium regiarum cum octo millibus ac trecentis peditibus, mille fortunam belli ſequentibus, ac ſeptingentis equitibus, & varii generis tormentis compluribus & bellicis apparatibus. Sed enim quo primo die egreſſus eſt cum exercitu ex vrbe, tanta vi pluuiarum, ventorum, ac tonitruum cępit infeſtari, vt plerique è ſuis in fluuium è ponte deciderint, ac fuerint ſuffocati. Equus etiam ſub ipſo Ioanne Colonienſi præfecto Dancicarum copiarum ita cęcidit, vix vt à ſuis fuerit morti ſubtractus. illo tam inopinato omine rediit in ciuitatem, ne forte inuito genio egrederetur. Conatus eſt non multo poſt excurſiones facere in copias Regias, quæ per beneuolos ciues de omnibus Colonienſis conſiliis fiebant certiores diligenter. nuntiabatur quotidie vrbanas copias parari, neſciri tamen quando eſſent exituræ. at non multo poſt Roſenburgum accedunt, vbi caſtra poſuerunt per noctem, cum multi aſſidue in caſtra Dancicana conuenirent. interea Regię copiæ ad viginti Caſacos leuioris armaturæ equites nimirum præmittunt, qui hoſtes à ſomno reuocarẽt, metuque replerent, & mox ad ſuos Derſauiam recurrerent. miſſi ſunt & paulopoſt, qui inuitarẽt ad pugnam, ſed nihil tamen efficitur. & quoniam Colonienſis erat conſilium, vt Derſauiæ initia copiarum regiarum obſideret atque opprimeret, nulli ad eam rem deerant apparatus, cum ſcalę, & globi, & omnia neceſſaria expugnationi conueherentur. at Regii duces, comperto hoſtis conſilio relictis Derſauię, quæ diſtat a Dancica fere ſexdecim itala milliaria ſatis firmis p̄ſidiis, qm̃ nõ videbãt ferendũ eſſe vt in vno loco includerent, exeũt equites mille & ducẽti, & ſeptingenti pedites ad mille paſſus a Derſauia lacum Lubieſſeuium verſus, atque in loco tuto caſtrametantur, hoſtem auidè expectantes. at vniuerſum conſilium erat Colonienſis cum longe numero armatorum præſtaret, vt Regios circunueniret, quare iuſſerat aliquot vexilla ſuorum curare vt eos à tergo adoriri niterentur. at quoniam agger quidam ſublimis erat tranſeundus, miſſus eſt Iemrucus cum quinquaginta equitibus, qui tranſitum prohiberet ſiqua is pateret, eoſque retardaret. Sed quoniam in confertum agmen armatorum incidit, non potuit prohibere, niſi alii equites ſubſidio accurriſſent. at verò cum acies propinquaſſent, neque tamen Regii circunuenirentur, ſed contra hoſtes diuiſos ita eſſe proſpicerent, iubent ſuos in aciem deſcendere. cęptum eſt prælium primum ab equitibus, atque quamuis Dancici ſtrenue pugnarent, tamen haſtis regiorum turbati ac diſtracti cedere coguntur. Pedites Regis per idem tempus in tormenta impetum facientes, circa illa maxime cruentam, atrociſſimamque pugnam committunt, quibus pluribus ex hoſtibus trucidatis denique potiuntur. ea victoria regiorum duobus in locis cognita animus totus concidit Dancicis copiis, quare continuo terga vertere cæperunt. alii in aquas, alii in paludes, alii in montes profugerunt, quos Regii non prius inſequi, & trucidare deſtiterunt quam equi, & uires ad inſequendum defecerint, vt ii, qui ab equitatu Iemruci detinebantur quo minus à tergo regios adorirentur, vt victos ſuos viderunt, fuſum ac propè deletum peditatum, & capta tormenta, & ipſi terga verterunt, quorum multi ſunt trucidati. cæſa ſunt ad ſex millia Dancicorum, multique viri capti, cum etiam multi in lacu, & in paludibus periiſſent, vix ſexcenti incolumes in vrbem redierunt, præfectus tamen copiarum fuga ſe ſeruauit. perierunt quidam tribuni militum, & primarii ciues. è regiis vix quadraginta ſunt deſiderati. cæterum Regiæ copiæ vbi poſt illam victoriam fuiſſent adauctæ, ad vrbis obſidionẽ cũ ſuis ducibus Ioanne Sborouio, & Andrea Firleio vt inſtitutũ fuerat contendunt. Dancicorũ cladei.

Dancicæ præſidia contra ex vrbe egreſſa caſtra regia repente inuadunt, quæ amiſſis pluribus trecentis è ſuis a regiis copiis in vrbem includuntur. Nec multo poſt maioribus cum viribus egreſſi ſingulari virtute caſtra regia denuò adoriuntur. pugnatur acriter vtrinque, ſed tamen victoria viſa eſt denique penes egreſſos fuiſſe, quoniam non multo pluribus ducentis è ſuis amiſſis cæſis pluribus Polonorum alacres in vrbem redierunt. Rex illa clade accepta cępit non præclarè de ſuis Polonis ſuſpicari, cum etiam Conſtantinus dux crederetur per conſenſum Polonorum à Turcis, & Scythis, & Agarenis ſuperiora damna accepiſſe. ſed tamen perſiſtit in obſidione, iuberque aggeres aduerſus vrbem altius extolli, atque equitatum agrum vniuerſum percurrere ac videre nequid commeatus in vrbem importaretur. iuſſa ſunt etiam tormenta diligentius vrbem concutere, quæ cum obſeſſi viderent ad arctiſſimam, & diuturnam obſidionem ſpectare, præſidia paulatim minui, nulla poſſe auxilia expectari, ſtatuerunt ſatius eſſe honeſtas deditionis conditiones complecti, quàm acerbiſſimum finem belli expectare poſt multas acceptas per bellum calamitates;. res autem poſt multas controuerſias ita compoſita eſt, nequis per triduum domo exiret, intra quod tempus ſeptem capita conditionum ſunt propoſita, ſed quatuor tantum promulgata. Vt populus Dancicæ teneatur diſſoluere omne æs alienum contractum a Sigiſmundo ſecundo Poloniæ Rege. Vt dentur regi duodecim bellica tormenta quæcunque eligere placuerit. Vt promptæ ſint ad regium nutum quædam turmæ cataphractorum equitum. Vt munitio euertatur quæ fluuium proſpicit. Veneti, quia multos pedites colligi iuſſiſſent ob Turcicos apparatus, vt dicebamus, iuſſerunt copias in Cretam traiici tria millia nimirum, at duo in inſulam Corcyram: atque pręter viginti & quinque nauarchos recentes iuſſæ ſunt quinquaginta triremes inſtrui in Creta, quæ vires reliquis ſinus Adriatici cuſtodiis adiungerentur ad defenſionem Venetarum munitionum. Miſſæ ſunt quædam Hiſpanorum cohortes Amiternum, quæ litora tutarentur, cum non parum auxiſſent ſuſpicionem Regiam induciæ cum Cæſare factæ in octennium, qui forte verebatur ne ſi Regem Hiſpanum infeſtaret, res Turcica pluribus è partibus uno tempore vexaretur. ſollicitabatur non mediocriter principum Gallorum animus, quòd ex altera parte clam accerſebantur ad defenſionem Belgii, cum verba dediſſent dubitationis plena donec haberetur comitia, ex altera ipſos oporteret ad ſuam defenſionem inuigilare, cum conſilio & opera Ghiſii proditio, & parata cędes Regi Cantabrorum, & Condęo fratri fuiſſet patefacta, & de coniuratis ſumptum ſupplicium. At qui cum iam diu Tamnaſus Perſarum rex diem ſuum obiiſſet, eiusque filius Cudabenches poſtremum in regnum ſucceſsiſſet, vt diximus, cępit Amuratus rem claſsicam frigidius tractare, & oculos cogitationemque fere omnem ad Perſę Regis conſilia conuertere. Non enim ſola indignatio Perſæ in mentem Amurato veniebat, quem putabat fore indignatum ob multas auitas vrbes, & regiones Turcicis armis occupatas, cum Tamnaſus pater fuiſſet ab omni bellica confideratione alienus, ne populationes, & excidia ſubditorum, ut dicere ſolebat, videret, ſed etiam quia recens indicium parum amici animi datum fuerat, quia nullas legationes gratulatum Byzantium de more cæterorum regum Cudabenches miſiſſet, quia neque Amuratus gratulatum miſerat ubi creatus fuit imperator. Primum omnium negotiorum fuit Cudabenchę vbi creatus eſt rex Perſarum, copias paternas, & ſubditos aptos rei bellicę recognoſcere, vniuerſamque rem bellicam inſtruere. nam infeſtabat animum Perſę præter cætera amiſſorum locorum memoria, & gloria rerum quæ feliciter apparebant pro præſentibus viribus poſſe fieri, & maximè deſiderium recuperãdorum locorum quæ membra regni Perſici fuerant, ſed per auaritiam & iniuriam Turcarum & patientiam patris occupata. ſollicitabat in primis Bagadetę ue Babylonię nobiliſsimæ ciuitatis, antiquiſsimæque dignitas, qua in vrbe Perſarum reges antiquitus conſueuerant gladium accingere. Sed quoniam Perſarum regio & vires ignotę ſunt pleriſque mortalium vt nimis longinquæ à nobis, putaui non fore iniucundum auditoribus ſi pauca prius de illis populis dixero, quæ pertineant ad illuſtrandam hiſtoriam, vt appareat quibus viribus fretus Perſarum rex tantum imperium affligere, & labefactare prope potuerit, quantum eſt imperium Amurati Turcarum imperatoris omnibus nationibus formidabile. Illæ autem facile cognoſci poſſunt ex iis quę retulit ad Senatum Venetum Vincentius Alexandrius à ſecretis eius ſenatus, vir magni ingenii, & multæ rerum experientiæ, quem etiam ſuperius diximus miſſum fuiſse belli tempore à Venetis ad ſollicitandum animum Perſę in Turcicam immanitatem. Creditus eſt eſſe Tamnaſus Perſarum rex è familia Seida, vt altius rem repetam, quæ nobilitate & antiquitate præſtans ab Ali genero Mahometti crediti prophetę illarum gentium per ſeriem. 990. ferè annorum deducitur. Fuit hic Iſmaelis primi filius, cuius pater nominatus eſt Seida Caidar, vir bonus & ſapiens, ſed parum fortunatus, qui cum alia multa verè prædixiſſet, tum etiam illud quòd Iſmael filius futurus erat rex. Iſmael deinde quamuis iuramento affirmaſſet ſe regnum ſuæ fideicommiſſum nepoti Vſuncaſſani ſeruaturum, tamen quia regnandi cupido nulli vel metui Dei, vel rationi paret, non modo datam fidem fefellit, ſed etiam addidit ſceleri ſcelus, nam adoleſcentulo, ad quem regnum iure perueniebat, iuſſit caput amputari, vt ſibi hunc ſtimulum ex animo, & è conſcientia euelleret. Sed tanta feritas, & iniuria paulopoſt Deum habuit vltorem, quia parum quietum regnum per imperatores Turcarum poſſedit, priorque fuit qui regum Perſarum amplitudinem imminuit. Nam Selimus Solimani pater vrbem amplam, & frequentem Syrię Zorigã ſiue Caramithũ rerumque omnium neceſſariarum abundantem vi armorum ſubiugauit, quæ cum eſſet in optimo ſitu nunc Ottomanica induſtria facta eſt munitiſsima. Sunt ſub Zorigæ ditione multę aliæ urbes, & oppida, & pagi in regione Meſopotamia vocata, vt Mordiuum, Vrſa, Birrha, Ertingia, Tocatum. Habuit Iſmael filios Tamnaſum natu maiorem, & Eliam, & Samum, & Bairamum. cum verò Tamnaſus patri in regnum ſucceſsiſſet, ſuſcepiſſetq; imperiũ Elias vir acri ingenio & a bellica gloria

non

Dancica res compoſita.

Cudabenches rex Perſarũ creatus.

Perſicarum rerũ ampla deſcriptio.

non alieno cepit vi armorum Burcanum Siruani regem, omnemq; ipſius regionem ampliſsimam
occupauit ad ripas vſque maris Caſpii, eamque fraterno imperio adiecit. Sed cum Tamnaſus de-
inde parum memor tanti beneficii apparuiſſet, Elias ægrè ferens ad fratris excidium cum principi-
bus Ottomanis conſpirauit, inſtititq; Solimano ut collectis magnis copiis fraternum regnum ado-
riretur. Capta eſt perampla regio per illud tempus à Turcicis aciebus, & Vanum præſertim no-
biliſſima munitio Perſarum, quę diſtat ab vrbe Tigranaana iter ſex dierum, quæ cum fruſtra diu
fuiſſet diuerberata, monitu Ramonii Galli oratoris mutata verberatione in debiliorem partem vr-
bis paruo negotio mox capta fuit. At rex Perſa non ſolum Eliam fratrem per munera trucidandum
curauit, ſed etiam Samum eandem fortunam ab illo veritus. cum autem Bairamus naturæ conceſ
ſiſſet relicto filio impubere, qui regnabat in India, rex filiam adoleſcenti in matrimonium pollice-
Caidar Rex Perſarū Cæſus.
tur, hortaturque ut ad ſe veniat, ſed non tulerunt populi vt accederet Caſbinum veriti patruorum
fortunam. Habuit Tamnaſus poſtremus Perſarum rex eius nominis vndecim filios, & inter hos
maiorem natu Cudabenchem, quod nomen Deodatum apud Perſas ſignificat. Secundum Iſmae-
lem, qui cum pater deceſſit agebat annum quadrageſimum tertium. Cæterum Tamnaſus vbi de-
cederet reliquit hæredem teſtamento Caidarem adoleſcentem decem & ſeptem annorum, qui fuit
Iſmaelis per ſę ingenium acre.
à fratribus, cum tantam nouitatem rei perferre non poſſent, ut minor ſuccederet, trucidatus breuiſ-
ſimè. Succeſſit huic Iſmael uir acri, promptoque ingenio, rerumque bellicarum maximè ſtudio-
ſus & peritus & non parum fortunatus, & quem fraterna cędes cautiorem facere poterat, & quem
omnes regem iam tunc optabant, quem coactus fuerat pater multos annos habere in cuſtodiis,
quia ter vel pacis tempore collectis magnis copiis Turcarum purpuratos non ſolùm ab inferendis
iniuriis repreſſit, ſed etiam omnes propè illorum copias fortiſſime deleuit. Sed & hic parum ui-
xit, creditusq; eſt impulſu fratrum a ſorore fuiſſe veneno necatus, cum tres etiam fœminas Tamna-
ſus è diuerſis mulieribus reliquiſſet. Huic ſucceſſit Cudabenches vir non tardo quidem ingenio,
ſed quietiore Iſmaele, atque prudentia nemine ſuorum inferior. at quoniam rex vtitur conſilio pe-
Gubernatio Perſarum.
ritorum adminiſtrationis rerū publicarum, non poteſt res Perſica non plurimum iuuari. Haben-
tur comitia ferè quotidie, niſi cum rex ad balnea accedit, qui præſes eſt comitiorum, aut quo die
vngues ſibi detondet, quæ comitia ab hora vigeſima ſecunda pro magnitudine rerum propoſitarū
protrahuntur. Admittuntur in hæc comitia duodecim Sultani vocati, qui præſides ſunt prouin-
ciarum, nam rex pro miniſtrorum diligentia vel præfecturas defert, vel pecunias. at pecunias dat
non ſimpliciter, ſed mutuo in decem aut viginti annos, cui opus eſt decem quotannis fœnus in
ſingula centena diſſoluere. Illi dant mutuò exeuntibus in præfecturas, & quinquaginta aut octo-
ginta fęnus accipiunt in ſingula centena. Dat autem aliis viginti, aliis triginta, aliis quinquaginta
nummum millia. Quòd ſi fœnus ſtatuto tempore non diſſoluatur, nullo expectato iudicio præ-
dia obligata mox à creditoribus occupantur. Sunt etiam aulicis propoſitæ vel militares vel prouin
ciarum pręfecturæ. Quod in comitiis memoria dignum proponitur à conſiliariis vel ſcribæ vel
rex ipſe ſcribit, qui in paulo altiore throno ſedet, cuius a tergo filii ſi ſint, apud patrem. E re-
gione ſedent conſiliarii præſentes, & ſiqui prouinciarum præſides affuerint. Poſitæ ſunt cuſtodiæ
trecentorum armatorum dum fiunt comitia, qui tamen etiam poſt comitia ad tutelam regis perſi-
ſtunt. Eſt autem Perſia regnum ampliſſimum, quod ab Oriente India, & Gange atque Indo flu-
Perſiæ deſcriptio.
uiis terminatur, ab occaſu Tigri fluuio, qui Perſiam a Meſopotamia diſterminat, quæ nunc Dier-
becha nominatur, qui ad fines Babylonios decurrens in Eufratem ingreditur, communique alueo
delatus in mare Perſicum per Teredonē ad meridiem decurrit, atque cum Armuzia coniungitur,
peruenitque ad litus maris Perſici. Ad Septentrionem, vbi ſcatet ipſe Tigris, eſt Armenia mi-
nor, quæ vocatur Turcomania, terminaturque mari Caſpio, quod dicitur Bacù, & Scythia, quæ
regiones a Turcarum imperatore poſſidentur. In illis regionibus hæc regna poſſidentur a Rege;
Regna poſſeſſa à Perſarum Rege.
Siruanum, quod fuit regnum Medorum. Aràs quod fuit Parthorum. Armenia maior. Curaſ-
ſanum, Chieſſen, Cherium, Diargumethum, Gillarum. Sunt in Perſia regione quinquaginta
& duæ vrbes, quarum Metropolis eſt Tigranaana vocata ac totius regni, proximæ dignitate ſunt
Caſbinum, Curaſſanum, Nacſiuanum, Samachium, quæ omnes ſunt ſine mænibus, cum vires
regni non in męnibus aut lateribus, ſed in virtute armatorum ſitæ eſſe cenſeantur. Domus Per-
ſarum fiunt è luto, & palea ſine vlla iucunditate aſpectus, cum ſitus alioquin regionis ſit amæniſſi-
mus. Magna eſt frumenti copia plerunque, quamuis rarò pluit, cum pro imbribus vtantur flu-
uiorum irrigatione. magna eſt copia animalium, & veruecum in primis, qui tam fiunt pingues,
Perſiæ fertilitas.
vt caudarum pondus nonnullarum ad quadraginta libras accedat. Eſt tamen magna carnium ca-
ritas ob nationis voracitatem, cum quater quotidie ſaturi fiant ſenes, nedum iuuenes. Sunt pau-
peres coloni, nullis vtentes ornamentis, cum humi dormientes decumbant, quamuis opulentio-
ribus ſtrata ſunt ſuper tapetibus. Fœminæ Perſarum colore ſunt ſubfuſco, utunturque multis mar
gharitis, quę apud illas nationes paulo ante non erant in vſu. atqui cum omnium rerum inutilium
ſtultiſſima ſit emptio, tum margharitarum in primis videtur abſurda, cum à ſtultis hominibus mul
ta millia nummum per has inutiliter profundantur, quę vtilius conſeruarentur vel in domeſticos
vel in publicos principum vſus. at leues homines coguntur fęminis parere. Summa eſt omnium
ſubditorum populorum in Regem Perſam obſeruantia & cultus, cui multi languentes aut in pe-
riculis poſiti tanquam Deo vota faciunt, qui etiam ſi liberentur conueniunt ad oſculandas val-
Perſarum reuerentia erga regem.
uas palatii, tanquam ad quoddam ſacellum, in quo habitet Deus, putaturque fortunata domus,
quę aliquid è regia ſupellectile habeat, vel aquam qua lauerit manus, tanq̃ illud ſit præſens remediū
multorū morborū. tanta eſt reuerentia, ne dicā dementiā, ut quidā putent mortuos etiā poſſe à Re-

ge ab inferis in vitam reuocari, omniaque futura tanquam præſentia proſpici. Conſueuit Perſarum rex in vrbe Tigranaanam habere ordinarium domicilium, ſed vel quia non tam reuerentur coleretur, vel quia formidabiles eſſent ibi ciuiles diſſenſiones, Casbinum ſedem tranſtulit, ibique habitare decreuit. Eſt autem Tigranaanam vrbis in planitie ſita parum diſtans à quibuſdam collibus, cuius vrbis ambitus accedit ad quindecim milliaria. Formam habet ob longam. ſunt intra vrbem multa viridaria, quæ, cum multos habeat vicos, in ſingulis fiunt nundinæ, quaſi multa emporia multarum rerum abundantiſſima, & præcipue multorum eduliorum. atqui cum aeris temperies ſit feliciſſima, & regio nulla alia inferior regione iucunditate aſpectus, multa mercimonia illuc ex vniuerſo regno conuehuntur. fiunt in Perſia panni ſerici & villoſi & raſi bonitate & pulchritudine nullis externis inferiores.

Perſarum prouētus regii.

Nullæ ſunt apud illos populos auri aut argenti aut æris fodinæ, ſed ferri tantum. Quod ad prouentus attinet, nulla impoſita ſunt certa vectigalia, ſed pars ſeptima omnium mercium, & fructuum Regios prouentus facit. eſt tamen certa pecunia imperata in numerum pratorum, & in priuatorum domos, & in Chriſtianos in Perſia negotiantes, cum & in pecudes, & in vaccas certa exigatur. Tanta vero eſt harum rerum copia, vt tricies centena millia nummum prouentus excedere credatur. ſumptus perpauci ſunt, cum quinque millia militum tantum reges alere teneantur ad ſui corporis cuſtodiam: quibus tamen neque ipſis erogant pecuniam in ſtipendia, ſed dant ueſtimenra & equos quo precio ſibi placuerit.

Militia regis Perſarum.

Habet rex ad quinquaginta tribunos, qui Sultani vocantur, in tot enim partes regnum diſtributum eſt. Subiiciuntur ſingulis præfecturis à quingentis ad tria millia equitum, quibus ſigillatim tantum prouentū ex aſſignatis regionibus præfecturarum relinquitur, quantum ſatis ſit alendo equitatui, qui ſæpe à præfectis motus & leges bellicas edocetur. cum igitur inſtat bellum vnus eſt labor regius mittere nuntios ad Sultanos paulo ante, qui cum ſemper ſint parati ad ſtatutum locum breui conueniunt. Sunt circiter centum millia equitum robuſtorum, & non ſegniter armatorum, qui ſunt ingenio feroci ac pugnaces. arma illorum ſunt thoraces, & ſcuta, & galeæ & enſes vel acinaces præter lanceas, cum alii ſagittis etiam vtantur, & plerique longis ſclopettis atque optimi temperamenti, accommodatiſſimique ſunt omnium propè hominum vſui ſclopettorum. Equi optimi ſunt in Perſia, ex quo tempore Baiazettus penetrauit in Perſiam cum multis equis Cilicibus, & equabus Arabibus præſtātibus.

Baiazetti clades & fuga.

ille enim vbi fuit a Tamnaſo trucidatus ferè decem millia equorum in Perſia remanſerunt, vnde optima, & pulcherrima proles nata eſt, cum egregia etiam tormenta à Baiazetto ſint relicta. Baiazettus enim anno. 1558. ob ſuſpicionem de ſucceſſione in imperium Turcarum coactus eſt cum Selimo fratre Roſſę filio ſigna conferre. atque cum totis caſtris dimicatum eſſet, uictoriaque fuiſſet penes Selimum, cuius partibus mater fauebat, coactus eſt ſe in Perſiam cum viginti millibus armatorum recipere ita Perſa Rege concedente. vnde poſt mortem Baiazetti, & ſpolia, & duodecim millia hominum per legationes Selimi poſtea ſunt repetita. Vtitur Perſa pro munitionibus ſolitudine regionum, cum ad fines Turcarum ſeptem aut octo dierum iter omnia inculta deſertaque ſint, & oppida funditus euerſa, & ædificia quæque ſuccenſa. Vt autem bellorum præſentium cauſæ & ſimultatis cum Ottomanis imperatoribus appareant, Reges ſe iura habere cenſent aduerſus Ottomanicam ingluuiem ob ereptam Babyloniam, & Chilorthum, & Ergas, & Adilgeum, Bergherium, & Caſſanum, & Chieſam, & Eſrunum, & Vanum vrbes magnæ dignitatis præter multa caſtella, & pagos, quę per ſegnitiem Tamnaſi fuerant occupata. Illa regio ab Eufrate incipit Babyloniam vſque, & ab occaſu Armenia minore, & ſupra Meſopotamiæ regionem extenditur. Exercet amicitiam, & propè fœderationem Rex Perſarum cū quodam principe Chriſtiano Leuenthbeghio uocato principe Georgianorum, qui Regi tributi nomine viginti millia nummum quotannis perſoluit, cuius principatus eſt Caſpio mari finitimus, qui habet in armis prompta in omnes euentus ad decem millia egregiorum equitum, & multum peditatum.

Georgiani qui ſint.

Fęderationes Perſæ.

His accedunt non nulli principes Turcarum cum Rege Perſarum conſpirantes, qui habitantes in montibus Armeniæ minoris, poſſunt colligere octo millia ſtrenuorum equitum. Amuratus, vt cui cognitum eſſet ingenium pręſtantiſſimi Regis, & vires Perſarum non negligendæ, cępit nonnihil de ſuis rebus eſſe ſollicitus. omnes propè bellicos apparatus a claſſe in fines ſui imperii aduerſus Perſam conuertit. Iubet quinquaginta triremes tantum exire ad ſuorum locorum maritimorum defenſionem. Miſſa ſunt primum duo millia Ianizzerorum ad eos fines, multaque millia Spachium ad illud bellum vndique cientur. atque cum Scythæ quaſdam conditiones fœderationis à Turcarum Imperatore petiuiſſent, reiecti ad ſtipendia Perſarum confugerunt. cæterum Perſa collectis ferè centum millibus armatorum Turcicos fines repente inuadit, tantaque alacritate vt obuia quæque facillime cederent. Multi Turcæ, Finericique populi in caſtra Perſarum, vt ab inclinata ad victricem fortunam transfugiunt. nam Perſa, & ſtipendiis, & munerib. & omni humanitatis genere pręſtantes quoſq; duces ac milites ad ſe allicit. In Britannia quoq; interea magni fiebant bellici apparatus, cū claſſes inſtruerentur, militesque vocarētur ad ſigna, qui apparatus dicebantur fieri ad Caleſum ſiue Ceſoniacū nauale expugnandū. Hoc aūt faciebat, quia Gallorum Rex collectis multis copiis in Tectoſatibus, & Volcis populis Galliæ, multa oppida, quę ab Vgonottis occupabantur, conabatur ut dictum eſt vi armatorum expugnare, aut ad deditionem compellere. Idcirco dicebantur magnæ vires colligi in Germania altrice prouincia omnium propè bellorum, cum ſola Germania ſedes propè, & diſciplinarum omnium, & virtutis bellicæ noſtris temporibus inter Chriſtianos appareat. Nullum enim geritur bellum ſine viribus Germanis. Diſceſſerat Maſſilia iam Magnus prior frater Regis cum tribus millibus peditum & ſeptingentis equitibus ac decem muralibus tormentis & multo bellico apparatu, ut cum aliis copiis Regiis coniungeretur. cęptum eſt per uiginti dies Minerbam munitionem nobilem obſidere; atque

tribus

tribus è partibus concutere, ſed uniuerſa uis tormentorum fiebat uana, quoniam munitio ſuper firmiſſima petra eſt firmata, & egregiè terra aggeres interius muniti. Veruntamen cum aquę penuria intra munitionem laboraretur, peruentum eſt ad conditiones deditionis, quæ fuerunt vt liceret copiis Minerbenſibus armatis excedere cum impedimentis. Vt obſides vtrinque darentur. Vt dies octo ad migrationem concederentur. Præmiſſi ſunt in alias regiones vulnerati rebuſque bellicis inutiles, atque cum repente ſubſidia accepiſſent cum bellico apparatu nihil tale hoſtibus opinantibus captis multis nobilibus Gallis, qui iam familiariter vna verſabantur, alios milites intra vrbem repente miſerabili cæde trucidarunt. Regii proceres cognita perfidia, & crudelitate Minerbenſium cœperunt magna contentione oppidulum, quod eſt extra vrbem diuerberare. Facta tanta verberatione, vt vix duo ſimul per ruinas ingredi poſſent, cum eſſet etiam altitudo ad ſtaturam duorum hominum aſcendenda ter repetitis conatibus eodem die oppidulum inuaditur. Galli tamen ob anguſtias loci reiecti ſunt magna data & accepta clade. pugnatum eſt enim miſſilibus ignibus, & omni telorum genere. concuſſum eſt denuo oppidulum tredecim tormentis, atque ne per idem tempus ſubſidia ingredi poſſent, excitatæ ſunt tres præualidæ munitiones ad portas è gleba & faſciculis lignorum magna arte inter ſe trabibus conchatenatis. Ex altera parte Maregentia vrbem amplam, & populoſam Nitiobrigum Peſſulum ſeu Mompolerium multos iam dies cum multis armatorum millibus obſidebat. Vgonotti collectis, & ipſi Mompoleriū obſeſſū.
ad eius urbis ſubſidia duobus millibus peditum & quingentis lectiſſimis equitibus cum quadraginta iumentis farina onuſtis vrbi ſe oſtentant. Initur leue prælium ſanè atrox, & cruentum. ſed inter pugnandam ſubſidia ex altera parte in vrbem ſunt ingreſſa. ceciderunt in illa pugna mille ferè ex Vgonottis, è Gallis paulo plures trecentis. Vgonotti contra quo vires Regias ab inferendis moleſtiis ad rerum ſuarum defenſionem reuocarent collectis non contemnendis armatorum copiis caſtella quædam Regia in finibus eius regionis adoriuntur. oppidum Diui Pauli ui ferri expugnāt, atque ad unum milites Regios trucidant. Dum ita uariis in locis orbis terrę fortuna res mortalium vexat, conceſſit naturæ Aloyſius Mocenicus Venetorum Dux, cuius in locum ſuffectus eſt inuſitato patrum fauore omnibus ſuffragiis Sebaſtianus Venerius uir non ſolùm integritate uitæ & prudentia clarus, & quem multi magiſtratus rei pub. præclarè geſti illuſtrem demonſtrarunt, ſed quem rerum bellicarum etiam gloria maximè illuſtrauit, & in primis naualis victoria quaſi propria virtutis Venetæ, per quam vniuerſa res Chriſtiana à ſeruitute, & captiuitate barbarorum fuit liberata. Aloyſii Mocenici mors. Sebaſtianus Veneri⁹ dux creatus.
Turcicę triremes quinquaginta, quę exierant Byzantio, Venetorum virtutis periculum facere volentes, quos fortunæ potius, quàm propriæ virtuti confidere fortaſſe exiſtimauerant, eum in Cretam applicuiſſent, iubentur turbæ nauticæ facere deſcenſionem, ibique aquari & lignari. at Cretēſes qui Sfacioti uocātur ſumptis armis magna uirtute, & alacritate uetant facere deſcenſionem. Turcæ profitentur ſe tanquam amicos, atque in uſum amicę claſcis tantum velle lignari. reſponſum eſt nullū eſſe ſignum amicitię fructiferas arbores excidere, cum in inſula non ſint ſyluæ aut arbores ſteriles. At quoniam Rodulphus Cęſar non miſerat munus honorarium, ut appellant Amurato, captus eſt eius orator Byzantii & in cuſtodias traditus. Polonus Rex Dancicis rebus vti dictum eſt compoſitis, acceptis promiſſis de mittendis copiis aduerſus Moſchouitam, qui ſeſe in Liuoniam per illud tempus recepit abducto captiuo Magno Regis Danię fratre, paulatim ad bellum ſe accingebat, quoniam Moſchus in magna trepidatione reliquerat Lituaniam ob multas incurſiones, quibus proxima quęque hoſtiliter vaſtauerat. Turcę tametſi res cum Cęſare, ut diximus, Byzantii compoſitæ fuerant, & imperatorio decreto ſancitum ut à mutuis iniuriis abſtineretur, tamen in finibus non ceſſabant omne genus inſidiarum, fallaciarumque ſtruere: cum in illa parte Illyrii, quam Croatiam uocant, duo caſtella ceperint. his incurſionibus auditis collecti ſunt circiter quingenti equites Cęſarei non procul ab Alba regali, cum in quodam oppido etiam Turcarum proditio ſtrueretur. ſed re per puerum patefacta repente in itinere hi à Turcis ex inſidiis inuaduntur. pugnatum eſt diu magna virtute. Cęſarei equites ad extremum multitudine hoſtium ſuperati cęſis pluribus centum, multis captis in ſeruitutem, reliqui fuga ſe ſeruarunt. Veneti, quoniam Acroceraunii ſiue Vſcochi piraticam in omne genus hominum exercentes maxime Turcica nauigia infeſtarent, quatuor triremes aduerſus illos miſerunt, quia Turcæ querebantur ſua nauigia vbique diripi, cum ipſi pacem ſanctiſsime, & promiſſa ſeruarent, neque piratas ingredi ſinum Adriaticum paterentur. nam niſi illud fieret, profitebantur ſe neceſsario ad ſuorum defenſionem intra ſinum eſſe nauigaturos. & iam biremes quædam hoc conſilio ſtruebantur Naronę. illud vbi cognitum eſset Byzantii deſiſtitur ab inceptis apparatibus. Perſa factis ingentibus apparatibus non ſolùm propter ſuas vires felicibus ſucceſsibus utitur, ſed etiam propter imbecillitatem hoſtis, qui peſtilentia affligeretur. Vexarunt animum Amurati etiam Perſicę triremes in mari Euxiuo, quę coniunctis viribus cum Scythis multa caſtella Turcicę ditionis capiunt, vniuerſamque regionem finitimam magna trepidatione replent. Auſtriacus cognito Matthię aduentu & comitiis Belgarum, in quibus decreta erant ad bellum in ſingulos menſes, quę ad bellum ſpectabant, quadringenta nummum millia, & ad excutiendum Regium imperium, cum ſtatus acciuiſſent Caſmirum cum tribus millibus equitum, & quinque Reggimentis peditum Germanorum, & Comitem Suartzemburgenſem cum quinq; millibus peditum Britannorum, & Scotenſium, Aurantiuſque dictus eſſet Tongrorum, & Bolduchi gubernator, quibus copiis ſtatutum erat Namurium expugnare, & Norſam fluuium occupare, quo acceſſus Hiſpanis occluderetur, moratur Auguſtę Vermanduorum, inſtatque copiis imperatis à Rege vt quam citiſsimè veniant. Atque cum mille & quingenti pedites iam accederent, a copiis ſtatuum in itinere ex inſidiis circumuenti, cęſi, profligatique ſunt, quorum tribuno in caſtra adducto

caput

caput eſt amputatum. Auſtriacus obnuntiat per legationes principibus Belgarum fore contra iuramentum, & pacem, & Maieſtatem Regiam ſi declarent Matthiam Archiducem illarum prouinciarum ſine regio diplomate, qui parui nuntios faciunt. verum vt res honeſtior appareret, miſſæ ſunt legationes in Hiſpaniam, quæ multis efficacibus rationibus niterentur confirmationem impetrare, cum ipſe etiam Matthias literas ad Regem vna cum ſtatibus exarauiſſet. Pontifex his recentibus motibus bellorum, qui præter omnium expectationem ſuboriebantur, vt regiam rem pro viribus iuuaret, exigit à clericis quatuor decumas in vſus bellicos ad defenſionem catholicæ religionis, tum Parmenſis princeps accitus in Belgium ab Auſtriaco citatis equis cum duobus comitibus Heluetio habitu incolumis in Belgium euadit. His bellicis apparatibus in Gallia, & in Belgio auditis Britanniæ regina mittit quatuor millia equitum & ſex peditum datis ſtipendiis in Belgium præfecto Milorto Regio conſiliario, penes quem ſummum erat imperium. vt Gallos deterreret, iam munitionem Ceſoniaco nauali vicinam petiuerat. & quoniam cognitum fuerat in Luſitania quoque rem bellicam clam parari, venit in ſuſpicionem Luſitanos, & Hiſpanos apparatus fieri in Britannos, quare ad ſecuritatem ſui regni conducere putauit, vt omnes catholicos Britannos vno tempore trucidaret, ne viſis armis, & inſignibus duorum regum in cæteros Britannos de religione diſſentientes inſurgerent. Sed ſequenti nocte tantopere vexata eſt, vt nunquam ſomnum capere potuerit, quare verita Dei voluntatem tantam nequitiam auerſari, & ne illud factum parum è ſententia ſuccederet, mutauit conſilium. Aurantius audita Matthiæ electione continuo ad illum conuolat, cum quo ſæpe plurimumque eſt, cui & inſtructiſſimam claſſem oſtentat, & multis ſpoliis hoſtium in naualibus prælijs partis ornatiſſimam, & docet munitiones optimè eſſe inſtructas. nam vbi primum creatus fuit Aurantius Olandæ, & Zelandæ gubernator vel per pacem Gandaui cœpit munitiones recognoſcere, ac ſiquid perficiundo operi deeſſe appareret, illud magna diligentia adhibere. ſtatuit ut Spaerendamum, Thuys, Terarthum, Grimpen, Teuemberga, Clundertum, Niegaſtelum munitiones abſoluerentur, quæ ſunt in finibus Tongrorum. Illud autem ſe facere profitebatur ut opportune ad regiam voluntatem promptus haberet, parataſque munitiones. Deinde ſub quibuſdam figmentis euerſa ſunt multa templa, & præcipuè Franciſcanorum monachorum, materiaque templorum, & cenobiorum diuendita atque in profanos vſus conuerſa, & ſacri prouentus Aurantii iuſſu abalienati. Hęc eo ſpectabant, vt noua Caluiniſtarum factio introduceretur in quaſdam vrbes, quæ hoc ipſo conſilio ſeſe Aurantio ſubiecerant, quamuis neque his conditiones fuerunt ſeruatę. Inde Aurantii, & Olandæ, Zelandęque procerũ conſilio miſſi ſunt miniſtri concionatores in regionem Tongrorum & Menapiorum, & Buſaterorum qui per occulta conuenticula pacem ſubuerterent. Ghiſius interea cum multis millibus peditum & equitum ad fines Belgarum peruenerat, vbi per aliquot dies ſtationem habuit dum inſidiæ ac prodicio Argentorati ſtrueretur, per quod ferè tempus initum eſt leue prælium ab Hiſpanis copiis & militibus ſtatuum apud Namurium. pugnatum eſt vtrinque magna virtute. Cecidit in eo prelio regulus Barlemontius, & multi è Belgis, ſed plures ex Hiſpanis. Neque ſolum terreſtribus prælijs cęperunt res denuo vexari, ſed etiam naualibus: nam quamuis miſerabili lue in Britannia laboraretur, vt Aureliæ, & in aliis locis, tamen ita mare clauſum tenebatur ab altera parte Britanniæ, vt tranſitus nemini pateret præter quam Luſitanis nauigiis, quod ipſum fiebat ab Aurantio in Olanda, & Zelanda, qui nullum nauigium ad Ooſtlandam vel alio ad partes ſeptentrionis exire patiebatur. ſtatus non paruas vires vbi collegiſſent à variis principibus exierunt in apertum, cęperuntque parum regios apparatus formidare. Miſſa autem ſunt illis auxilia, quoniam cum cępiſſent aſpirare ad inſtaurandum bellum, conqueſti ſunt per legationes apud omnes amicos principes quę quererentur, ac docerent ſtatus iniuriis, & auaritia, & crudelitate Hiſpanorũ coactos fuiſſe arma capere, ſub quorum immani imperio neque priuilegia ſeruarentur, neque facultates per ſimulationem religionis, cum nihil prorſus ab eorum nequitia tutum eſſe poſſet. Idem periculum omnibus ipſis principibus imminere deuicto Belgio, quod certe ob diuturnitatem bellorum habeat arma debilia, niſi virorum bonorum, & amicorum principum auxiliis ſuſtententur. obſecrantur ne Hiſpanæ crudelitati, & auaritię obiectos eſſe patiantur. Aurantius interea multa iura regia occupat. tributa & vectigalia exigit. tribunos mittit ad copias colligendas. multi vallones è caſtris regiis ui pecuniæ in Aurantiana, & ſtatuum alliciuntur. Diditus eſt rumor voluntatem eſſe regiam vt Hiſpani perpetuò ſint in Belgio, quare Belgarum animi magis etiam ſollicitabantur. Interea legationes variorum principum gratulatum Venetis patribus acceſſerunt pro liberata vrbe a ſuperiore peſtilentia, quo tempore Senatus per equitem Guſſonium Florentiam miſſum, Magnum Hetruriæ Ducem, & ſublimitatis, & Sereniſſimi titulis cohoneſtauit, quòd iam res Cæſareo decreto fuiſſet comprobata. Nec ita multo poſt exarſit formidabili incendio Venetum palatium, quo magna copia nobilium picturarum antiquarum, & ſcriptorum priuatorum ac publicorum conflagrauit non ſine magna totius vrbis trepidatione, magna vi ventorum ſollicitante incendium. Capta eſt platea diui Marci vbique ab armatis, & capitis pęna impoſita tranſeuntibus. quæ calamitates tametſi vbique animos mortalium maximopere vexabant, tamen non minus curarum ac trepidationis attulit crinita ſtella, quæ inauditæ magnitudinis inter circulum arcticum, & tropicum Cancri in nouilunio apparuit. Nam, cum inter Aream, & Aquilam, ea ſunt ſigna cęleſtia vbi polus ad quadraginta & quinque gradus eleuatur, arderet, ita erat incenſa, vt Aquilam comburere videretur, & flammas ſiue comam in Auſtrum conijceret, quæ ad tropicum Cancri vſque protendebatur. Apparuit ignis primum quaſi ampliſſimæ fornacis, ſed cum luna ſuccreuiſſet, factus eſt languidior, & ordinariis cometis ſimilis. Deinde cum Saturni

Incendium palatii Veneti.

Comera inſignis.

turni ſtella coniungebatur, eratque eiuſdem propè coloris. viſus eſt idem cometa inſignis magnitudinis etiam Byzantii, & non diſsimilis illi, qui Pharaoni, & Gomorrę calamitates prędixit, qui tamen non tanto erat colore. Amuratus hoc prodigio territus conſulit peritos, & ſacerdotes Turcicę religionis, qui cum infauſtum quidquam imperatori ſignificare deuitent, nuntiant proſperitatem, regnorumque acquiſitionem in partibus occidentis portendere, cum Matthię acceſſus in Belgium, Chriſtianorumque diſcordiæ certisſima ſit ratio, diuinitusque excitata Turcici imperii ampliandi. Sed quia iam hyemabat, neque in partibus inferioris Germaniæ commodè ſub dio copię eſſe poterant, principes ſuos contraxerunt in hyberna, ſoliſque incurſionibus certabatur, fiebantque apparatus in annum ſequentem.

*LIBRI VIGESIMI OCTAVI FINIS.*

# NATALIS COMITIS
## HISTORIARVM
## SVI TEMPORIS
## *LIBER VIGESIMVS NONVS.*

1578. INierat iam annus alter à partu Virginis,qui fuit octauus ſupra mille quingẽtos & ſeptuaginta, cum fortuna rerum humanarum tantos ſtimulos in animis mortalium excitauit, vt nulla ratione opportunum tempus exeundi ex hybernis copiæ expectarint, ſed initio ipſius anni arma vix poſita reſumpſerint, & in Belgarum finibus præſertim. Nam cum multæ copiæ vtrinque fuiſſent collectę, vt diximus,in Belgio, multæque cohortes in Germania ad ſigna ſtatuum nomine conuocarentur, Auſtriacus non cunctandum eſſe ratus per Hiergem regulum ſubſidia mittit Ruremōdæ diuturna ſtatuum obſidione afflictæ. Habebat enim in ſtatiuis non contemnendas vires in Marchia, & in finibus Leucorum, quæ diutius ibi eſſe non poterant ob ſterilitatem regionis. At quoniam fiebat certior multis è locis varias cohortes in caſtra Belgarum procerum eſſe venturas, quæ ſi conueniſſent, poſſent Moſæ fluminis traiectum impedire, & multa alia bellica negotia, decreuit fluuium quam primum traiicere, quo poſſet commodius pro tempore, proque conſiliis hoſtium ſtatuere de ſumma rerum. Atque ne videri poſſet per arma potius quam per æquitatem,& humanitatem quæ iuſta ſint velle extorquere,curat denuo primum edictum promulgari regio nomine, per quod venia, & obliuio præteritorum omnium proponebatur cum omnibus priuilegiis antiquis, modo pro iuramento catholicam religionem, & regiam obedientiam complecterentur. His ita vbique promulgatis iuſſæ ſunt acies proficiſci,atque ipſe Auſtriacus cum Parmenſi principe Namurium properat relictis à tergo peditibus, & equitatu Hiſpano. Erant in caſtris Auſtriaci ſexdecim millia peditum Italorum,Sequanorum,Germanorum,Gallorum,& duo millia equitum Hiſpanorum, & Italorum, quibus viribus coniunctis hoſtem erat inuaſurus ſiqua opportunitas concederetur, ſin aũt,curabat vt ad pugnam alliceret. Idcirco Bouines oppidum ad Ripā Moſę fluminis ſitum expugnare conſtituit; cum eſſet alterutrum omnino obtenturus, vel vt fieret facultas ſigna conferendi, antequam maiores vires ſe addidiſſent, vel ſi hoſtis abſtineret à pugna, oppido potiretur, cuius beneficio pateret acceſſus commeatibus per Moſam fluuium. Eſt ſiquidem Bouines oppidum perantiquum in ſiniſtra ripa Moſæ fluuii ſitum, olim florens, & populoſum,ſed nunc propè euerſum, cum ad eius expugnationem Henricus ſecundus Gallorum rex caſtrametatus cum magno exercitu acerrimè ſæuiiſſet potitus. at nunc poſt res Galli compoſitas per longam pacem aliquantulum eſt inſtauratum. Illo caſtello ſubiugato Auſtriacus non ſolo Moſæ fluuii commodis erat potiturus, ſed etiam nullo negotio prope regione inter Sumblam vocatam, & Moſam rerum omnium abundante fruiturus, cum etiam ad commoda copiarum vlterius progredi liceret. Poſita erant caſtra hoſtium ad pagum Diui Martini circiter ſeptem millia paſſuum à Namurio ad latus Burgi,qui & ipſe pagus eſt apud Iſelam fluuium. Intercedebat regio inter Burgũ & hoſtẽ uallibus, & collibus munita, & propter ſyluas equitatui difficilis,cum parua planities quibuſdam in locis tantum equitatui commoda inueniretur. Caſtra hoſtium frontem habebant eminentiorem, atque ſyluam à ſiniſtro latere. à dextra pagus erat prædictus. inter Burgum, & frontẽ hoſtilium caſtrorum duo erant ſitus natura munitiſſimi, vixque vlla vi expugnabiles.Erant in caſtris Belgarum quinquaginta & ſex vexilla peditum. quatuor cataphractorum equitum, quadringenti ferraroli. duæ cohortes equitum ſclopettariorum, quę copiæ à Gugnio caſtrorum magiſtro ducta-bantur, cum quo erat Vaillius, & Hebreus reguli, & Lalainius Comes.iuſſa eſt igitur cohors equitum ſclo-

Bouines op.

tum ſclopettariorum, cui præerat Mutius Paganus exire ad explorandum per captiuos, quæ proxima erat in hybernis. Nec ita multo poſt exiit Auſtriacus cum principe Parmenſi ad recognoſcenda caſtra hoſtium pluribus ſclopettariis in inſidiis collocatis. At quoniam per captiuos, & mercenarios exploratores nuntiabatur conſilium eſſe hoſtium per noctem caſtra mouere, conuulſisque ſignis ſe in tutum recipere, miſſa ſunt ſex bellica tomēta ſub gallicinium ad Gibluum, qui paruus eſt pagus in finibus Ambiuaritorum, vbi ab hoſtibus cella rerum neceſſariarum erat deſtinata, vbique ſtatuerant conſiſtere, atque omnia conſilia Auſtriaci ſubuertere. Motus eſt cum peditibus Hiſpanis Sequanis, & vallonib. ac mille equitibus, vt hoſtis terga infeſtaret. decreuit vt pars Sequani peditatus quoſdam tranſitus locorum occuparet, quo facilius equitatus protegeretur: nā pridie eius diei Hernandum Acoſtenſem, Antonium Oliueram, Petrum Valleium, & quoſdam alios præmiſerat ad vias, quibus hoſtes erant abituri, explorandas. cum igitur dies iam illuceſceret, hoſtes ſuccenſis omnibus caſtris iubent pedites iter capere phalangem ſcilicet, & poſtremam aciem. iuſſus eſt equitatus terga protegere, peditatuique hoſtium reſiſtere ſi vellent infeſtare. Auſtriacus quòd videret hos cum dignitate ſe velle recipere, decreuit inſequi vt infeſtaret ſiquo pacto concederetur, atque vt ſe reciperent coacti. imperat peditatum, qui poſſet acciri, atque quatuor turmas equitum in tres globos diſtribuit, cum reliquum equitatum apud ſe retineret ad opportuna ſubſidia. acceſſerunt & multæ ſclopettariorum cohortes qui ad mille accedebant, & ducenti loricati cum ſariſſis. iuſſus eſt Hernandus Acoſtenſis ante diem eſſe in inſidiis in primo ſitu duorum prædictorum locorum vltra Burgum. cum noningentis militibus Sequanis, Hiſpanis, Germanis. cum primo globo equitum vbi erant alę Hernandi Toletani, & Aurelij Panormitani, & ſclopettarii Oliueræ ac Mutii Pagani, Auſtriacus miſit Oliueram. cum reliquis duabus ſubſtitit Octauius Gonzaga magiſter equitum. Oliuera primum ſitum tranſiuit, qui vbi accederet ad ſecundum, coactus eſt ad dextram deflectere, vt cōmodum tranſitum veſtigaret, cum inuentus in ea via anguſtus eſſet ac difficilis. hūc ſecutus eſt Octauius Gonzaga, vtque ſubito ferè copias coniunxerunt, qui formatis nouis globis aduerſus hoſtem vlterius procedunt. iam peditatus paulatim ad primum ſitum peruenerat, & cum aliis copiis propinquabat Auſtriacus, cum in omni ſitu commodi eſſent eminentes colles, & ad proſpiciendū hoſtem, & ad mandata à ſuis accipienda. Iuſſus eſt per nuntium Auſtriaci Gonzaga ſuſtinere. Hoſtis cū parte equitatus in loco edito ſubſtitit, qui ad latus nemus habebat, atque frontem copiis Auſtriaci oſtentabat. cęptum eſt ab hiſce ſe recipere, ab his inſequi, initumq; eſt leue certamen, atque Hiſpani vlterius pugnando propellentes hoſtem tranſmiſſo loco accliui venerunt in planitiem. rurſus alium accliuem tranſmittunt pugnantes non procul a primo ſitu, relicto Hiſpano peditatu qui terga tueretur. Iuſſa manus ſclopettariorum ad ſiniſtram incedere vt equitatui opem ferret. Parmenſis princeps interea profectus erat vlterius ſingulari alacritate, propiuſq; venit ad hoſtē, qui cū riuum paruū, ſed difficilem eſſet traiecturus, non parū Parmenſis moleſtia fuit retardatus. Auſtriacus per illud tps in nemus aſcendit, qđ Hiſpano peditatu muniuit, qui terga tuebatur. Iuſſæ ſunt copiæ progredi, quę in ſecundo ſitu fuerant firmatę. cępit cōe eſſe conſiliū procerū vt iniretur præliū, qm̄ hoſtis defeſſus, & perturbatus eſſe uideretur. non prætermittendā eſſe aiebāt præſentē occaſionē. iuſſus eſt Reglius regulus hoſtem recognoſcere, cuius profectio vtiliſſima fuit, qm̄ cum poſtrema turma equitum impedimento fuit quominus quædā Gallicæ cohortes à ſiniſtra ſitum commodū occuparent cum graui damno Hiſpanorum. Octauius Gonzaga cognito commodo ſitus, & alacritate militum, ne prælium ſine ordine committeretur, cum iis cōiunctè impetum facit in hoſtem multa virtute. cęptum eſt ita pugnare vt multi caderēt ex hoſtib. nam primum poſtremis hoſtib. propinquatum eſt ita vt ſola via intereſſet inter vtraſq; copias, quæ ſæpē ſatis raram habebat, quā hoſtes plurib. tormentis cāpeſtrib. munierant, quæ parū cōmodè fuerant diſpoſita ob anguſtias locorū. cum verò Parmenſis princeps proprius acceſſiſſet ad rē melius explorandā, cognouit Octauiū Gonzagā, & Madragonium tribunū tam proceſſiſſe vt ſine manifeſto periculo ſuū equitatum retrahere non poſſent, Illa re perſpecta, & conſilio hoſtium, qui dubio erant animo quid ſibi eſſet agendum, cum ēt non nihil acies viderētur ordinem non ſeruare, decreuit in eos impetū facere cum cohorte, quā viciniorē a ſiniſtra aciei habebat, neglecto periculo pro ſingulari virtute bellica, & fortitudine. ſecutæ ſunt eius conſilium ambæ turmæ equitum. nam conuenerāt iam hęc vexilla equitatus Bernardini Mendocii, Curtii Martinenghi, Fernandi Toletani, Camilli, & Ioānis Baptiſtę Montiorum, Alonſii Vargæ, Georgii Macutæ, & Acoſtenſis, & Oliuerę, & Antonii Auali, & Falconeti, & cuſtodiæ Auſtriaci. Hoſtes impetum acierū Auſtriacarum non ſuſtinentes in fugam vertuntur, atq; per ſuum peditatum irrumpentes obuium quenque conculcantes, qui in poſtrema acie incedebat, ſuas copias propè ſine hoſtilibus armis profligarunt. Fama eſt comitem Heleinenſem quatuor millibus equitum ſtatuum præfectum, cum Auſtriaci conſilium clam ſequeretur, ſe in fugam vertiſse, atque Monſdenaum verſus contendiſse, illum quoque locum Auſtriaci nomine occupaturum ſi res ſucceſſiſset è ſententia. Erant Auraniianæ copiæ ex his nationibus collectæ diuerſis, tres erant cohortes Gallorum, decem Scotenſium, tredecim Britannorum, nouem Germanorum, circiter triginta & ſex Belgarum, equitum ad tria millia. illa res repentinam prope dedit victoriam equitatus ſcilicet hoſtium, cum acies facillime diſſiparentur. cęſa ſunt, & capta circiter octo millia hominum ab Hiſpanis tanquam pecudes nulla edita virtutis militaris ſignificatione, cum ſtatim fugam arripuiſsent, neque vel tantillum impetum ſuſtinuiſsent. Venerunt in poteſtatem Auſtriaci triginta vexilla peditum, & tria equitum, ac vnum raitrorum, quæ relicta ſunt ob metum, cum totus equitatus ſe ſeruaſset. Captus eſt regulus Gognius magiſter caſtrorum, qui ad Auſtriacum perductus ſignum obſeruantiæ edidit, a quo tantum verbū acerbum audiuit, quod Deus facit vt magnæ copiæ impiæ a paruis copiis vincantur, capti ſunt ferè

Victoria Auſtriaci.

ſexcenti

ſexcenti milites, qui omnes in vrbē adducti mox ſuſpendio necantur, quoniam illæ copiæ primum omnibus Auſtriacis militibus, quos capiebant, magna & barbarica crudelitate aures, & nares, & digitos manuum præcidebant. Illa victoria potitus Auſtriacus ad oppidum Gibluum caſtra mouet, quod ab hoſtibus tenebatur, quod diſtat ad millia decem paſſuum a Namurio, qua itur Bruxellas. cœptum eſt leuibus præliis dimicare, quoniam eo ſe ſeruaſſent reliquiæ ſuperioris cladis. Auſtriacus vbi ad abbatiam Argentoniam caſtrametatus eſſet poſtridie iubet quatuor bellica tormenta trahi ad oppidum diuerberandum, atque à ſiniſtra Orticium cum duabus cohortibus Hiſpanorum, à dextra quoſdam vallones, & galeatos equites, & ſclopettarios miſtim iubet aſſiſtere. hoſtes viſis his copiis partim in oppidum ſe recipiunt, partim Bruxellas verſus fuga contendunt, quorum plerique ſunt ab inſequentibus trucidati, donec nox reliquorum ſaluti conſuluit. Sed quia tubicini miſſo ad illos ſollicitandos ad deditionem paulo ſuperbius reſponſum eſſet, cępta ſunt dirigi tormenta, quibus viſis fit ab oppidanis deditio, qui ſe clementiæ, miſericordiæque Auſtriaci commiſerunt. milites ita in fidem ſunt accepti vt liceret inermibus liberis abire accepto iuramento in annum exteris, indigenis quòd nunquam amplius aduerſus Philippum Regem militarent. Capti ſunt quidam primarii tanquam obſides, & multa bellica tormenta cum multo commeatu, & apparatibus bellicis. Nec multo poſt obſidibus quoque libertas conceſſa eſt. his ita tranſactis relicta eſt ibi inuenta annona in ſex menſes cum quatuor millibus peditum. reliquæ copiæ ad populanda loca finitima ſunt ab Auſtriaco eductæ, quoniam plurimum conferebat rebus Hiſpanis dum hoſtis eſſet profligatus, facileque erat id facere, illum inſequi. nam cæſa ſunt, & profligata ad ſummum per hanc victoriam ferè decem millia peditum à duobus equitum, cum vix decem è militibus Auſtriaci ſint deſiderati. ita fit aliquando vt cum in rebus bellicis res in alterutram partem inclinauerit, totum negotium in illam partem corruat, cum res maxime fragilis ſit vel armatus exercitus. Poſtea Octauius ab Auſtriaco ob virtutem prudētiamq; collaudatus miſſus eſt cum equitatu ad exploranda hoſtium conſilia, & ad Louanium ad deditionem compellendum. ille ex itinere Cydoniam oppidum cepit. atque Hiſpani ſuperiore victoria elati per perturbationem equitatus ſtatuum populabundi Louanium vſque procurrunt, omniaque obuia ferro, & igni populantur, atque Octauius Louanium denique in ſuam poteſtatem redegit. Auſtriacus oēm operā virib. colligēdis ad Namurium nauat, multoſq; pagos direptionibus, & rapinis deuaſtat. nam qm̄ animi magnitudo ſtat aliqn̄ vel cadit cum facultatibus & euentib. rerum, vbi primum arma victricia Hiſpanorum ſe oſtentarunt Louanienſib. veriti virtutem Hiſpanam acceptis conditionib. deditionis vrbem in fidem Auſtriaci dedunt. conceſſum eſt duab. cohortibus Scotenſium militum, qui erant in præſidiis, vt incolumes quò vellent excederent. Neq; tn̄ principum Belgarum animi pro ſus erant deſides, quorum ſtudia conuerſa erant partim ad faciendos bellicos apparatus, partim præſentib. virib. vtebant ad hoſtes quoquo modo poſſent infeſtandos: quare intra fines inferiorum Saxonum pro Auſtriaco, & pro ſtatibus colligebantur equites & pedites, cum ēt Byzantii nō amplius ſtudium inſtruendę claſſis exaudiretur, ſed vniuerſi Turcarū animi eſſent conuerſi ad obſeruanda noui Regis Perſarū conſilia. cum nihil magis curaretur, q̄ vt ingentes copiæ aduerſus Perſas in caſtra conuenirent, quod certe non fiebat ſine difficultate. iuſſi ſunt Ianizzerorū duo millia & quingenti Bogdanū in principatum Myſiæ ſuperioris inducere, quod fecerunt vna cū aliis copiis paruo quidē negotio, & ſine clade ſubditorū, cū nemo auſus eſſet vel contra vim Turcarū, vel contra ipſum nouū Regē ad propulſandū eius imperiū arma ſuſcipere. Illa victoria Hiſpanorū acquiſita in Belgio, atq; adeo vrbis ampliſſimę, & nobiliſſimę Leuacorū deditio apparebat ieciſſe in magnū periculū multarū finitimarum vrbiū ac gentiū ſalutē, atque in primis Mechliniæ vrbis, & ipſius nobilis, & amplę, quę quaſi in medio figuræ trium ęquorum laterum poſita proſpicit hinc Louonium, inde Bruxellas, inde Antuerpiam pro angulis, per medium cuius vrbis decurrit Dela fluuius in regione Ambiuaritarū. erat ibi diſſenſio non contēnenda inter ciues, cū alii nollent, alii maxime cuperent admittere præſidia, ſine quibus omnino vrbs non apparebat ſatis validè poſſe defendi. Miſſus eſt idcirco à ſtatib. Belgarum, & ab Aurantio Boſſuēſis regulus, qui tam prudenter, tantaq; dexteritate negotiorum tranſegit, vt copiæ palatium ſenſim forumq; occuparint, atq; nonnulli è primariis, quia viderentur ſtatib. aduerſari, in carcerem ſint coiecti. Miſſi ſunt ēt huc Antuerpia ſubſidiarii ciues mille armati, cū decem e ſingulis cohortib. fuiſſet delecti, & quadraginta è cohorte iuuenum, & duæ præterea cohortes Scotenſium. Iuſſi ſunt præterea trecenti pedites eſſe Liræ in præſidiis, quod oppidum non eſt negligendum in ripa Nethæ fluminis ſitum natura & arte munitum. Hiſpani cognita diſſenſione ac debilitate ciuium Mechlinenſium cęperunt aſpirare ad eius vrbis expugnationem, atq; vix poſt ſecundā horam ex quo ſubſidia ingreſſa fuerant ſexcentos equites mittunt cū totidem ſclopettariis à tergo, qui eò vſq; procurrerent, ſeque vrbi oſtentarent, & animos ciuiū experirentur. Sed vbi propinquaſſent, frequenti plumbearū glandiū procella, & globis minorū tormentorū ab vrbis pſpectu recedere cogunt. His ciuitatibus variis vbiq; bellorū motib. fluctuātib. multa oppida Belgarū muniebant, atq; in primis Bruxellæ vrbs pampla id ipſum multo ſtudio faciebat, cū Aurantius princeps, & Mathias Archidux eò iampridē conueniſſent hoc ipſo conſilio, vt illa vrbs aduerſus vires hoſtium, ſiquæ acceſſiſſent, fortiter poſſet reſiſtere. ſed cum apparuiſſent Bruxellenſes nihil vel laboris vel diligentiæ prætermiſiſſe Aurantius cognitam induſtriam Bruxellenſium non ſolum laudauit, ſed etiam profeſſus eſt ſe vna cum illis omnem vim, & fortunam belli ęquiſſimo animo perlaturum, ſummoq; ſtudio ciuitatem defenſurum ſi ita contingat, quod faciebat vt animos ciuium confirmaret. Actæ ſunt gratiæ ingentes pro tanta animi promptitudine, ſed reſponſum iſtud fieri poſſe ſemper opportunè, ſed tamen vtilius, & commodius fore vniuerſis ciuibus ſi abſens rebus omnibus conſuleret, quàm ſi unum in locum pateretur ſe includi.

Gibluum ceptum per deditionem.

Louanii deditio.

Bogdanus in principatum reſtitutus.

ſe includi. Nam vt anima non poteſt vtiliter negligere vniuerſum corpus, ſi in alicuius partis corporis officio præcipuè ſit occupata, ſic princeps & imperator inutiliter & ſtulte in obſeſſum locum patitur ſe concludi. Ne tamen vrbs ſine perito duce, atque imperatore rerum bellicarum relinqueretur, ſi forte hoſtis illam inuaderet, Boſſuenſis id munus tuendæ vrbis ab hoſtibus ſibi depopoſcit cum ineſſent in vrbe validiſſima præſidia, viginti & quinque cohortes peditum nimirum; atque Comes Aleinenſis vir magnæ autoritatis & peritię caſtra poſuiſſet in pago Genuola cum non aſpernandis copijs, quibus & regionem protegebat, & curabat exercitum ſtatuum in dies inſtaurari. Decretum enim fuerat communi Aurantij & Villuardij & Bruxellenſium conſilio vt veterani omnes copiarum duces copias ſtudioſe colligerent, conuocarentque pro opportunitate Olandæ & Zelande pręſidia. collecta ſunt in Buſateris tria reggimenta peditum. acceſſit & Senchius regulus cum quingentis equitibus. Iuſſus eſt Comes Suarzemburgenſis ſummo ſtudio colligere tria equitum, atque cum duodecim vexilla peditum nuper ex Olanda acceſſiſſent, aucti ſunt animi principum nouæ religionis, qui prius felicibus Hiſpanorum ſucceſſibus propè erant conſternati, didituſque eſt rumor quòd breui futurum erat vt ſtatus Belgici haberent in caſtris plura triginta peditum, ac decem equitum millibus, pręter ordinaria præſidia variorum locorum ſatis valida, vnde poſſent in omnē opportuuitatē multa millia hominum in caſtra commode acciri. erant enim multę copię in varias ciuitates diſtributę dum illę munirentur, cum Antuerpię mille ineſſent equites, ac decem millia peditum. nam curę erat ſexdecim cohortibus mœnia tueri per noctem, cum alię interim plateas & acceſſus vrbis interius occupauiſſent. Duo millia operarum erant occupata muniendis Bruxellis, vbi inerant octoginta cohortes peditum, quę ſingulę continebant centum & quinquaginta pedites, ineratque cohors ducentorum lectiſſimorum iuuenum. Erant & Gandaui in pręſidijs tria millia peditū, & ſex cohortes in oppido Guldera quę omnes copię magna diligentia, inuſitatoque ordine à ſuis pręfectis regebantur, cum ſingulę decades ſuum haberent prefectum, & tribunis additus eſſet magiſtratus, qui vocabatur Superintelligens. Poterant, vt vno verbo dicam, vel citra medium diem nullo prope negotio colligi ad quatuordecim millia armatorum ex his locis ſine vllo incommodo. ſed enim quia ſalus & conſeruatio ciuitatum non in ſolis externis auxilijs aſciſcendis conſiſtit, ſed etiam vexandis hoſtibus quo quomodo, & intimis domeſticiſque incommodis ac periculis repellendis, neque ſufficit perito medico emplaſtra adhibere vlceribus, niſi prius eliciat malignos humores, multa decreta ſunt ſalubriter Antuerpiæ vel ad impediendos hoſtium acceſſus vel ad ſuſpectos ciues eijciendos. nam viæ primum omnes cathenis ferreis multiplicibus muniuntur. deinde Itali & Hiſpani mercatores coguntur excedere ex vrbe, quia populo eſſent ſuſpecti, qui Coloniam Agrippinenſem accedunt. promulgatur edictum vt omnes exteri arma ſua deferant ad præfectum iuuenum, quibus enſes & pugiones tantum relicti ſunt. Iuſſi ſunt errones intra viginti & quatuor horarum ſpatium ex vrbe & ex omni agro Bruxellenſi excedere ſub grauiſſimis pęnis. omnia mercimoniorum inuolucra ad portas vrbis explorantur ne efferatur pecunia, vel res exeant bellicis vſibus neceſſariæ. imperatum eſt ſub grauiſſimis pęnis ne viri bellicis rebus apti exeant è ciuitatibus, cum etiam Londini magna diligentia colligerentur & conſerentur copiæ, quæ ſtatibus ſubſidio mitterentur in Belgium. Enimuero quamuis magnam trepidationem pluribus Belgarum vrbibus victoria Hiſpanorum iniecerat, tamen nihil amplius fecit, quam vt maiores apparatus bellici fierent a Belgis ad eius famam, atque vt Hiſpani captis quibuſdam caſtellis tutius, ſineque vllo impedimento Bruxellas vſque ad portas incurrerent, cum nemo ex hoſtibus fieret obuius: Octauius enim Gonzaga cum quingētis equitibus ad portas vſque ciuitatis procurrit. nam non modo Louanium vt diximus, ſed etiam Giola & Lilemona capta fuerant oppida, cum Lilemona diſtet ad viginti milliaria à Bruxellis. Carolus item Maſfeltius cum quatuor millibus Gallorum & tribus Sequanorum peditum Bouinam magna diligentia concutiens iamiam erat inuaſurus. ciues veriti ſi diutius fortunam belli expectauiſſent ſe vel peiores deditionis conditiones inuenturos, vel per vim armorum victum iri, paciſcuntur cum Maſfeltio vt iiſdem conditionibus ſe dederent, quæ Giblæ antea conceſſę fuerant.

Bouina capta pèr deditionem.

Erant in præſidijs octingenti pedites, qui cum iurauiſſent ſe non amplius aduerſus Regem Hiſpanum militaturos, liberi quidem ſunt dimiſſi, ſed tamen inermes ac ſine capitis integumento, quibus ad ignominiam viritim datus eſt baculus. Capti ſunt ſeptuaginta primariæ dignitatis ciues ex ijs qui erant in vrbe. Nam poſt illam victoriam cum neque tormenta Auſtriacus haberet, neque ſi habuiſſet poſſent attrahi propter pondus per cęnum, & pontes nimis longi expeterentur, neque operas haberet, neque temporis acerbitas ſub dio eſſe & in aperto diu pateretur, non putauit Bruxellas vrbem eſſe tentandam, vbi eſſent in præſidiis plura ſexdecim millibus armatorum. cum vero in oceano Britannico nauigia quædam multo auro precioſiſque mercibus onuſta ex Indijs expectarentur, quę rebus regijs afflictis inopia ſtipendiorum opem ferrent, multæ naues Brrtannicæ egregie epibatis inſtructæ & ad pugnam paratiſſimę obuiam procedunt, nauigiorumque iter diligenter veſtigant ac præſtolantur. Illa cum non apparuiſſent, multaque alia nauigia Philippi Regis ad Numidicam expeditionem, vt fama erat, inſtituerentur, Aurantiana claſſis quæ ad fines vſque Luſitanos procurrebat, & ad Herculis columnarum anguſtias quædam iuuenta bellicis apparatibus onuſta expugnat, & in Belgium adducit. Quę dum fiunt in Belgio & in oceano ad occaſum, in finibus Liuoniæ res erant omnino turbulentæ ac propter frequentia damna, quæ aſſiduè Liuonis à Moſchouita inferebantur, plenæ calamitatum. ſed multo magis infeſtabant rumores uarij, qui de Scythis in Poloniam ferebantur trepidationis pleni, quia dicebatur Moſchouita collectis multis millibus armatorum Liuoniam uerſus iter cepiſſe facere, principeſque Scytharum ſollicitaſſe ut rapinis & populationibus uno tempore ex altera parte

Liuoniam infeſtarent, cum iam triginta millia Scytharum collecta eſſe ad hoc ipſum conſilium dicerentur. augebantur quotidie vires Moſchouiticæ, periculoſumque erat ne vniuerſa Liuonia veniret in poteſtatem hoſtis, niſi ſubſidia mitterentur, quare miſsæ ſunt legationes ad Regem vt tantis motibus, tamque periculoſis bellorum conſuleret. Indicta ſunt itaque comitia bellica Varſouium, in quibus decerneretur de bellicis apparatibus à Rege & principibus Liuonum, & de prouincia ab hoſte defendenda, cum hoſti interea fuiſſet impedimento magnitudo niuium quo minus cum ſuis copijs in Liuoniam penetraſſet. Quæ dum parantur ad defenſionem in Liuonia, Scander Myſiæ ſuperioris princeps, qui ſub finem anni ſuperioris è principatu fuerat deiectus, magnis vocibus & contentione populorum, in principatum reuocabatur, parumque de fuit quin ad arma ventum ſit, ciuileſque diſſenſiones ſint excitatæ inter eos, qui diuerſas partes ſequebantur. cauſa fuit cur Scander Deſpota Myſiæ fuerit è regno deiectus, quia cum Turcarum cuſtodias corporis acciuiſſet, illi facti ſunt ita inſolentes vt omnino ferri non poſſent vel ab ipſo deſpota, nedum à ſubditis. idcirco illæ cuſtodiæ neceſſariò ſunt dimiſſæ. Erat Bogdanus frater captiuus Hierapoli, qui aſſiduè expetebat per munera, quorum maxima eſt autoritas apud Turcas, vt deiecto fratre in principatum ipſe admitteretur, de quo vel ante captiuitatem cum fratre Scandere contenderat: cum frater parum amico animo in Turcas apparuiſſet. Turcę quoque dimiſſi multas accuſationes in Scanderum confingunt, quibus etiam plurimum cauſa Bogdani iuuabatur, atque vicerunt tandem munera & accuſationes & preces. his contentionibus de principatu cognitis Scander partim ad diluẽdas criminationes Byzantium contendit, partim etiam ad ſuperanda munera captiui, ſed cum Byzantio cum muneribus propinquaret cum tympanis ad lætitiæ ſignificationem, miſſi ſunt obuiam Turcæ qui tympana infregerint, munera ceperint, Scanderum in cuſtodias tradiderint, atque ſic per gratiam Mahometi Bogdanus frater miſſus eſt cum imperio in Myſiam, vbi purpuratus interea fuerat præfectus accito Scandero ad diluendas accuſationes.

Scander è regno à fratre deiectus.

Muſtapha purpuratus, quòd ex altera parte fines imperij Turcici maxime formidabili bello Perſarum Regis principis ſtrenui infeſtarentur, qui non frigide res agere videbatur, ex altera quòd ingentes apparatus bellicos & claſſem maximam inſtrui à Philippo Hiſpaniarum Rege audiebat, qui dicebatur cum multis millibus armatorum aſpirare ad ſubiugandam Africam, veritus ne vis Ottomanica tantam rerum molem vno tempore ſuſtinere non poſſet, neque duorum tam potentum regum arma tam diſiuncta propulſare, cum & peſtilentia & caritate annonæ vbique in ijs finibus laboraretur; cępit cum Hiſpanis miniſtris callide de inducijs in certum tempus verba facere, quę fama apparebat animos etiam Perſarum non nihil perturbare. cenſebat enim fore vt Hiſpaniarum rex non magnopere ab illis inducijs abhorreret, vel quòd iam diu Belgicis ſumptibus eſſet defatigatus, vel etiam quòd omiſſis maritimis apparatibus iam liberius poſſet ad ſubiugandos Belgas ſe conuertere. cœptum eſt igitur agi de inducijs, reſque variis ſermonibus in multos menſes eſt hinc inde protracta, atque negotium denique inter difficultates conſenuit, Ioannis Auſtriaci copię ratæ non eſſe amittendum tempus dum animi finitimorum Belgarum ad famam recentioris cladis adhuc eſſent conſternati, Sichenam oppidum expugnare aggrediuntur, vbi certatur per aliquot dies frequentibus & acribus minutis prælijs.

Sichena opp. captum.

Sed enim cum defenſores poſt validam diuerberationem ſe fortiter defendiſſent, primumque conatum Hiſpanorum magna virtute repuliſſent, tamen quia illis videretur fortuna belli periculoſa, quæ non erat expectanda afflictis præſertim noua clade ſtatibus, à quibus non eſſent tam citò expectanda auxilia, cum locus etiam non eſſet ſatis natura munitus, & parua ineſſent præſidia, per certas conditiones veniunt in poteſtatem Auſtriaci. Sed Hiſpani nulla habita conditionum ratione, nullaque ſeruata fide oppidum ingreſſi ad vnum inuentos milites trucidarunt, duceſque ipſos ſuſpendio necarunt, qui parum fidentes Hiſpanis promiſſis ſe in priuatis domibus cum quibuſdam agricolis à militibus deſtituti munierant. Iſtud factum fuiſſe quidam dixerunt, quia plures quadringentis Hiſpanis trucidati fuiſſent in vnius oppiduli debilis oppugnatione.

Dieſtum captum ab Hiſpanis.

Dieſtum quoque oppidum ſitum ad Demeram fluuium captum eſt eodem die per deditionem, in quo oppido ducenti inerant pedites ſtatuum, quos etiam ex oppido digreſſos Hiſpanus equitatus inſecutus & in quadam planitie comprehendens coegit contra pactam libertatem iurare, niſi mallent trucidari, ſe fideliter Auſtriaco in hoc bello militaturos. Spiæ oppidi magiſtratus, vbi clam conſpiraſſet cum Hiſpanis ob metum illarum calamitatum, quæ imminere videbantur, vt introducerentur in oppidum, coniectus eſt in carcerem, quia populus illo cognito conſilio clam auxilia Gandauo accerſiuit, vnde miſſi ſunt magna celeritate ſexcenti pedites, atque hi per obſcuritatem noctis conſpirantibus præſidijs accepto ſigno ciuitatis admotis ſcalis conſcendunt. ita captus eſt magiſtratus & acceptis auxiliis ſecuritatis oppidi iacta ſunt fundamenta. illud conſilium cum irritum accidiſset Hiſpanis animus aliò conuerſus eſt, & de capiendo oppido Niuella cogitatum per repentinum conatum duce Carolo Masfeltio, quod diſtat ab vrbe Bruxellis ad viginti millia paſsuum, copiæ igitur magna celeritate ac taciturnitate vſę nemine ſentiente ad oppidum accedunt. Illud repente inuadunt. Sed virtute & vigilantia oppidanorum coactus eſt Masfeltius fuga ſe Namurium ſeruare nulla memorabili re edita, ſed etiam non paucis è ſuis Hiſpanis amiſſis. Nam cum multi Hiſpani & tormentorum globis & glandibus ſclopettorum fuiſsent transfixi è mœnibus, tum oppidani audacter egreſſi Masfeltianas copias fortiſſime inuaſerunt, duoq; vexilla Hiſpanorum peditum è manu ſigniferorum extorta, ſigniferis etiam trucidatis Bruxellas miſerunt. Auſtriacus ipſe interea Louanij morabatur, circa quod ad decẽ millia paſsuũ copiæ caſtrametatæ fuerant; qui iubet edictum promulgari, per quod iubebantur omnes profugi domum redire ſub pęna bonorũ fiſco addicendorum. iubet omnes bellicos apparatus, omnemque

commeatum

commeatum Namurium comportari, vbi duæ tantum cohortes Germanorum & ſexcenti equites erant in præſidijs. Et quoniam dicebatur Aurantius princeps omnia futuro ingenti bello neceſſaria ſumma digentia comparare, Caſmirumque cum multis millibus armatorum accerſire, & alios tribunos cum Saxonibus & Germanis equitibus, & ipſe Auſtriacus animum adiecit ad ſuas vires adaugendas, Nam ſtatus poſt cladem non ſolum apparatus maiores fieri oportere decreuerunt, ſed etiam ſtatuerunt vt ſemper conſiliarij ſtatuum rebus bellicis intereſſent, nequid fieret inconſultis, atque omnis ratio bellica ordinatius procederet. Britanniæ regina quoniam fruſtra per legationes ſollicitauerat Auſtriacum vt à vexandis Belgarum finibus amicorum populorum deſiſteret, iuſſit legationes ipſas palam profiteri, ſi illud impetrare non poſſent, reginam non poſſe vllum genus auxiliorum Belgis populis, & Belgarum principibus amicis atque reginæ ipſius obſeuantibus in tantis præſertim patriæ calamitatibus denegare: quare promittit duodecim millia armatorum illis ſubſidio eſſe miſſuram, cum iam duo millia peditum & mille equites acceſſiſſent ſtatibus ad Valentianam. Auſtriacus iratus legationum dictis reſpondit fieri poſſe vt aliquando reginam pœniteat ſubditos Regis contra ſuum Regem iuuiſſe. vt vero bellicum negotium diligentius tranſigeretur, cum magnum fundamentum, & quaſi nerui rerum bellicarum ſit pecunia, impoſitum eſt tributum Antuerpiæ, & trecenta nummum millia Caſmiro in ſtipendia equitum tranſmiſſa. Nec ita multo poſt Auſtriacus audito Ducis Ioannis Caſmiri aduentu, veritus, ne ſi tantæ vires coniungerentur poſtmodo non amplius poſſet libero agro potiri, quod plurimum conferebat ad obſidendas vrbes & ad copiam commeatus, iubet Hiſſium regulum, & quoſdam alios tribunos cum ſuis copijs obuiam ad impediendum iter procedere. Sed vbi cogintum eſt eſſe octo millia equitum & quatuor peditum Heluetiorum ac Sequanorum præter multos alios pedites qui ſtatibus acedebant, viſæ ſunt multo maiores copiæ, quàm vt præſentibus viribus poſſent impediri, quippe quæ iam Moſam traieciſſent, & ad Zaffer pagum conueniſſent, quare ſeſe in ſua caſtra receperunt. Ne tamen tempus fruſtra in ocio abſumeretur, cum nihil æquè infringat vires exercituum, quam deſidia & ſegnities, decernit Auſtriacus Hocſtrattem & Villuordium oppida diuerberari ad expugnationem, quæ ſunt inter Bruxellas & Mechliniam, quo tempore aucta ſunt etiam caſtra Auſtriaci multis copijs. Nam ſtatus ac principes Belgarum copias ingentes ad Bolduchium colligebant, quo conuenire iuſſa ſunt octo equitum, quatuor peditum millia Caſmiri, & Comes Suarzemburgenſis, Iulius Branſuiccenſis, & Schenchenius regulus, qui viritim iuſſi fuerant mille & quingentos equites Saxones & Germanos colligere. conuenerunt & alij multi tribuni cum multis vexillis peditum ita vt exercitus uniuerſus ſtatuum conſtaret fere è viginti millibus peditum præter præſidia, & duodecim equitum. attracta ſunt Bolduchium & quatuordecim muralia tormenta, & multa campeſtria, & cum magis etiam vires augere cuperent ſtatus, omneſque Hiſpanas vires prorſus delere, legationem mittunt ad Herculem Ducem Alenconium, quæ hortaretur vt earum prouinciarum defenſionem ſuſciperet, quæ ſemper illum mira obſeruantia coluiſſent, & quæ per iniurias regiorum miniſtrorum atque per auaritiam non ſolum priuilegijs auitis, quod ipſum non ferendum eſſet, ſed facultatibus & laribus & patria iamiam ſine externis auxiliis eſſent priuandæ: cum etiam plurimi interſit Gallorum regni amicos potius principes Belgarum habere, quam Hiſpanos nimis potentes, ac ſemper ad rerum nouitatem, felicioreſque progreſſus aſpirantes. vt autem non ſolum precibus & miſericordia eorum populorum impelleretur ad ferenda auxilia, adiunctum eſt precium precibus, promiſſaque ſunt ſtipendia omnibus copiis ſolutum iri, & centum millia nummum ipſi duci quotannis præterea. decretum eſt vt corona aurea conficeretur, cuius precium ad centum millia nummum accederet: atque ad harum rerum obſeruationem tanquam obſides promiſſæ ſunt tres munitiones Morinorum ſiue Attrebatum Landreſium in ripa Sambre fluminis ſitum, oppidum nobile propter virtutem, que enituit aduerſus Carolum Quintum anno 1543. cum multis millibus armatorum fortiſſime reſtitiſſet. Vaprames, Chenaum. at Aurantius quia videret tot principes magnæ nobilitatis, autoritatis, potentiæ acciri ad Belgii defenſionem cepit ſubuereri ne ſua exiſtimatio paulatim obſoleſceret, quare ſermonem inter principes paulatim excitat quòd non eſſet pecunia, quæ tot ſtipendiis poſſet ſufficere, vt is etiam ad aures Alenconij perueniret. Mornus interea ſtatuum centurio non procul à Bolduchio leue prælium committit cum Hiſpanis quibuſdam, atque poſt diuturnam pugnam cęſis pluribus ducentis Hiſpanis eos cogit in tutum ſe recipere. at Auſtriacus cum haberet in caſtris ad decem equitum, trigintaque peditum millia primum Limburgum ad Vueſer fluuium ſitam vrbem, poſtea Dalem oppidum per deditionem capit, quæ loca diſtant à Batoduro ad quindecim millia paſſuum, at à Leodio, hoc decem, illud viginti. Miſſa eſt & pars copiarum Maſtrichium, ſed patefacta proditione, tribuſq; è primarijs & præfecto vrbis in vincula coniectis infecto negotio redire neceſse fit, quod ipſum accidit in Attrebatibus, vbi tamen Dapames oppidum ab ingreſſis Hiſpanis duodecim horas fuit retentum, ſed poſtea ſumptis armis vbique popularibus multis Hiſpanis trucidatis à ciuibus recuperatum fuit breui. Auſtriaci exercitus tametſi ad illum numerum, quem diximus, excreuerat, tamen quia ventris profluuio multi infeſtabantur ac moriebantur, fiebat aliquanto inualidior, minuſque ad bellica negotia promptus, cum etiam quidam proceres non mediocris autotitatis perijſsent. Antuerpienſes eiectis, vt diximus, omnibus exteris è munitionibus, & Italis præcipuè æquiſſimis annis pecuniam in ſtipendia militum erogabant, cum vnus eſset omnium ſermo ſe malle Olandam & Zelandam inſulas ſubiicere imperio reginę Britannię, quam perpeti imperium Hiſpanorũ, quia iam nullis cõditionibus fideret. Auſtriacus motis caſtris adauctis iã viribus vt dictũ eſt ad oppidũ Niuellam caſtrametatur, quod omni genere oppugnationũ, multaq; diligentia expugnare conatur.

Alenconius in Belgiũ accitus.

Limburgum captum.

natur. ſtatus quia putarent oppidum non poſſe diutius reſiſtere tantis viribus, neque tamen cenſerent tam leui de cauſa collatis ſignis totis caſtris eſſe dimicandum, antequam aliæ copiæ, quæ propediem expectabantur, conueniſſent. literas dederunt ad duces præſidiorum, erant enim quinque cohortes peditum, & pauci raitri, quibus ſignificabant locum eſſe deſerendum, iubebantque vt in tutum & ſe & res precioſiores reciperent. ſed enim cum literæ tardius propter difficultatem importandi fuiſſent allatæ, quòd oppidum vndique cinctum eſſet obſidone, non potuerunt reddi. Niuellæ tamen præſidia, quòd omnis ſpes ſubſidiorum ac ſalutis poſita eſſe in virtute armorum & in fortitudiſie videretur, quæ certe ſine concordia & mutua ciuium conſpiratione debilis eſt exiſtimanda, coniurarunt vnà cum ciuibus, magnoque iuramento affirmarunt ſe pro viribus aduerſus communem hoſtem oppidum eſſe defenſuros, neque vllum laborem deuitaturos pro communi omnium ſalute. At Auſtriacus directis tormentis oppidum magna vi concutere. Germani poſt diuturnam uerberationem per ruinas murorum adoriri. cęſis pluribus octingentis Germanis reliquæ copiæ præcipites per ruinas virtute defenſorum recedere coguntur. cęſi ſunt ad ſexaginta ex oppidanis & vulnerati. cum vero ſæpius repetitæ verberationes, ac ſæpe reuocati conatus fuiſſent, ſæpius Auſtriacæ copiæ accepta magna clade virtute defenſorum reiectæ ſunt. Sed cum pertinaciter & obſtinatè oppidum oppugnaretur, & fortiſſime defenderetur cum clade etiam defenſornm, oppidani denique virtute, pertinacia, numero Auſtriacorum ſuperantur. Hiſpani oppido per vim ferri potiti omni miſericordiæ vel humanitatis memoria obliterata omnes inuentos in oppido miſerabiliter trucidant. Montium ex altera parte non contemnendi Hiſpanorum copijs oppugnabatur, ad quam oppugnationem inuitauerat ciuium quorundam Montienſium perfidia, qui cum proceribus copiarum Hiſpanarum conſpirauerant, ſed re patefactata & illi capti ſunt in vincula, & conſilia Hiſpanorum fecerunt irrita cum vrbem munitiſſimam natura non eſſent auſi aggredi. eſt enim vrbs Hannoniæ Montium in amœniſſimo colle ſita vnde plures fontes ſcatent qui Trullam fluuium conficiunt per vrbem ipſam defluentem, quoniam fieri poteſt ciuium induſtria magna vt pars regionis ſtagnet circa vrbem, atque præter ſitum natura munitum, mœnia habet præualida cum triplici ordine foſſarum profundarum, ac interius oppidulum. Habet multa pulchra ædificia & priuata & publica, præſtatque opulentia ob multa mercimonia, per quam multi limpidiſſimi fontium riuuli delabuntur. Philippus Hiſpaniarum rex quia factus eſſet certior per literas Auſtriaci de conſilio & multis auxilijs Britannæ reginæ, quæ ſtationis vndique ſubmittebantur, videbatque acerrimum & maximè calamitoſum bellum in illis regionibus parari, legationem mittit in Britanniam, quæ rogaret illam reginam vt deſiſteret ab inceptus, & ab adiuuandis ſubditis, qui arma contra ſuum principem ſumpſiſſent, nulla prætertim ipſa accepta iniuria. eam legationem regina magnificè hilarique vultu excepit, cuius petitioni reſpondit ſe neutram in partem magis eſſe propenſam. ſcripſit præterea literas ad Regem & ad ſtatus Belgarum, quibus ſignificabat ſe magnopere cupere & hortari, vt res ſi quo pacto fieri poſſet, componeretur. Nam eodem ferè tempore Laudenſis epiſcopus nuntium miſit ad principes & ſtatus Belgarum, per quem ſignificabat eſſe Regi in animo vt pax & quies Belgicæ regioni concederetur, quamobrem ſe velle de pace cum illis agere, ſi velint. ſtatus neque hac quidem ratione bellicos apparatus ſegnius faciunt, ſed omnia tanquam ad bellum diligenter procurant. Et quoniam Rex Hiſpaniarum Africanam expeditionem decreuiſſet, Magnus Dux Hetruriæ Montacutum & alios tribunos colligere iubet tria millia & ſeptingentos pedites, qui paratæ iam claſſi imponerentur, traijcerenturque vnà cum alijs copijs in Africam. Vexabantur interea Cæſariani etiam fines, & Polonorum Regis, quoniam in his repentinis Turcarum incurſionibus pagi quidam non procul à Canuſſa direpti ſunt, in illos Scythę repente incurrentes multos captiuos abduxerunt, multamque prædam abegerunt. Idcirco comitia vt indicta fuerant de rebus bellicis, habita ſunt Varſouij, quæ vrbs eſt ampla Liuoniæ. nam vel ante plurimum trepidationis finibus Liuoniæ ac Lituaniæ fuerat iniectum, quia dicebatur Moſchouita cum multis millibus armatorum eſſe in aperto. Decretum eſt in illis comitiis vt colligerentur quindecim millia Polonorum, decem Lituanorum, tria Germanorum millia, ac tria Aidulchorum, quibus breui collectis iretur obuiam copiis hoſtium, ne liberè per regionem vagarentur, atque omnia pro arbitrio deuaſtarent. Erat exercitus Moſchouitæ bifariam diuiſus, cum altera pars ad ſubiugandam Liuoniam contenderet, altera Prutenorum fines eſſet hoſtiliter inuaſura. Nam centum ferè millia armatorum conuenerant in caſtra Moſchouitæ. conceſſum eſt præterea Poloniæ Regi in iiſdem comitiis Varſouienſibus vicies centena millia florenorum intra decennium ab bellum Moſchouiticum, quod geratur in Liuonia, atque ea auxilia, præter nobilitatem, quæ Regem ipſum ſequi conſueuerunt, intelligantur. Byzantij præterea quoniam Perſarum bellum quotidie magis apparebat incrudeſcere, vireſque hoſtis ſucreſcere, diditus eſt rumor quòd Amuratus ipſe exiturus eſſet Hierapolim vſque cum magnis copijs, quare duo vexilla imperatoria erecta ſunt Byzantij, quæ ſolent erigi cum imperator exit ad bellum. Iuſſi ſunt duo purpurati cum quinque millibus Ianizzerorum ſingulatim Byzantium conuenire. imperantur multa nauigia tormentis & bellico apparatu omnis generis onerari, qui in Syriam conueheretur, quia Amuratus dicebatur fore in Syria donec exercitus inſtrueretur, poſtea rediturus Byzantium. Nam Perſæ multa damna inferebant quotidie finibus Turcarum, cum illorum copiæ pluribus ſemper accedentibus in caſtra magnopere excreuiſſent, valdeq; apparerent iam formidabiles. In primis verò Perſę Vanum vrbem amplam

Niuella capta ab Hiſpanis.

Decreta comitiorũ Varſouij.

& populoſam poſitam in finibus Armeniæ vi armorum capiunt, Turcasque inuentos omnes trucidant. mœnia vrbis proſternunt. vrbem diripiunt, atque in omnes reſiſtentes ſæuiunt. Turcę cum frequentibus certaminibus pugnarent pluribus in locis, multique vtrinque caderent, vt aliqua trepidatione ob tunderetur acumen & alacritas Perſarum, iubent multa capita cæſorum Turcarum deradi de more eius nationis, atque clam per noctem in caſtra Perſarum deportari, vt appareret multos Perſas trucidatos fuiſſe. ſed irritum fuit illud conſilium, quia cognitum fuit ab ijs quibus Turcica calliditas non eſt obſcura. atqui cum alijs in locis acriter pugnaretur, tum ad Eſdrum præcipue acerrime decertatum eſt, vbi multa millia Turcarum trucidata ſunt, & multi capti. Neque tantum armis affligebatur tamen res Turcica, ſed etiam fortunæ felicitas, quæ in cæteris bellis plerunque aſpirare conſueuerat, apparebat terga vertiſſe, cum amicitiæ quarundam nationum à iacente felicitate quaſique areſcente Turcarum ad Perſarum florentem deſciſcerent. Nam multi populi in illis finibus vltro accipiunt Perſarum imperium gloria rerum geſtarum, & multis victorijs illuſtratum. atque ita fines Regis Perſarum partim per vim armorum, partim etiam per accurrentes populos vltro ob metum dilatantur. Et quoniam apparebant conſternati animi non ſolum militum Turcarum, ſed etiam illorum populorum, qui erant Byzantij, & in omnibus reliquis ciuitatibus Turcici imperij, conuecta ſunt Byzantium multa capita & aures & naſci cæſorum Turcarum decisi, qui dicebantur eſſe Perſarum, quo populi ad illud bellum alacrius accederent. (Stratagema.) cęterum Auſtriacus quòd vbique magnos fieri apparatus à ſtatibus intelligeret, atque ingens bellum inſtaurari, petit à Pontifice ſeptem millia peditum, qui militent pontificijs ſtipendijs, quando etiam de religione aduerſus impias gentes contendebatur. atque Magnus Dux mittit tria millia peditum proprijs ſtipendijs. ſed quoniam verbum de pace ab Hiſpano Rege iniectum fuerat, Pontifex eius maximopere cupidus pio paternoque animo Cardinalem Moronum mittit in Belgium, virum prudentia & dexteritate eximia, & in rebus maximis ſæpe verſatum, qui res componi diligenter curaret. Dum Auſtriaci copiæ Grauelingha per Motteum regulum præfectum, & Doncherche per deditionem oppidis potiuntur, non nihil trepidatum eſt in Illyrio ob frequentes ac repentinas Turcarum incurſiones. (Graueling. & Doncherche capta oppida.) nam Turcæ collectis repente quibuſdam peditum & equitum millibus prædabundi in fines Croatiæ populabundique procurrunt. Rapiz oppidum non procul à Neuporto Caroli Archiducis improuiſo conatu capiunt omnibus oppidanis & præſidijs vel trucidatis, vel in miſerrimam ſeruitutem abductis. (Rappizum opp.) Illa re audita Carolus Archidux collectis fere duodecim millibus armatorum ipſe cum omnibus copiis ad oppidum recuperandum contendit, cuius repentinus aduentus ita Turcarum animos conſternauit nihil tale opinantium, vt primo conatu captum ſit, omneſque inuenti Turcæ tanquam pecudes trucidati. his ſucceſſibus auditis Turcæ cum ſeptem millibus equitum ac totidem peditum exeunt in apertum. Archidux quòd ſuum recuperaſſet, quòd hoſtes iam nimium excreuiſſent, quòd nollet videri apertum bellum excitaſſe, ſed tantum reſtitiſſe latrocinijs vſitatis Turcarum in finibus aduerſus finitimos, vbi reparationes in oppido inſtituiſſet, & magna ex parte fuiſſent excitatæ, oppidumque omnibus rebus neceſſarijs ad defenſionem inſtruxiſſet, ſeſe intra ſuos fines recepit. Quæ dum geruntur varijs in locis ad inferendum & ad propulſandum bellicas moleſtias, Ioanna Auſtriaca vxor Magni Ducis cum per nouē dies aſſiduos laboraſſet difficultate pariendi, atque infans octimeſtris mortuus extractus eſſet è corpore cum maximo omnium mœrore & lacrymis ſubditorum naturę conceſſit: (Ioannæ Auſtriacę mors.) mulier vel ęterna vel certè longiſſima vita digniſſima ac ſingulare ornamentum fœminarum ſuæ ætatis, vt in qua eximia religio & pietas erga Deum enituerit, in afflictos miſericordia, in pauperes liberalitas, in omnes humanitas inaudita cum maieſtate coniūcta: nullaque erat regia virtus, quæ in illa clariſſimè non eluceſceret. Philippus rex cum ex altera parte haberet proceres qui principum Belgarum animos hortarentur ad pacem, ex altera cenſeret metu ingentium apparatum regiorum eſſe impellendos: ſimulat igitur ſe velle facere eos quam maximos, vt partim ſpe tranquillitatis, partim metu grauiorum ęrumnarum pacem amplecti cogerentur. Diditus eſt itaque rumor quòd Petrus Mediceus Magni Ducis frater præfectus decem millibus peditum Italorum iuberetur cum ſuis copijs in Belgium proficiſci, (Stratagema.) atque hi ſinguli iuſſi ſunt tria millia peditum ad Belgicam expeditionem in Italia pro Rege colligere, Comes Somaiæ Mediolanenſis, Vincentius Caraſa Neapolitanus, Prior Vngarię, Stephanus Mutinus Romanus. addita ſunt etiam munia ad credulitatem, ſi quidem dictus eſt Paulus Sforza fore ſummus imperator Itali peditatus, & Proſper Columna magiſter Italorum caſtrorum. neque vero in caſtris ſolum regiis aſtute & callidè res agebatur, ſed etiam in caſtris Turcarum, hic ad terrendos animos hoſtium, illic ad animos ſuorum excitandos. Nam Muſtapha purpuratus quod multis morientibus in caſtris & morbo & inopia annonæ & ferro Perſarum in frequentibus prælijs intelligebat, atque ita ſuas vires debilitari, cum iam neque poſſet præſentes Turcas mole ęrumnarum conſternatos vllis vel minis vel promiſſis impellere vt alacriter pugnarent, neque ad horum exemplum ſupplementa facile capere, cum omnes bellum id vt funeſtum Turcis deuitarent, excogitat conſilium facilitatis plenum. procurat rumorem & in caſtris & Byzantij & in finibus Perſarum diſſipari quòd Cudabendes diem ſuum obijſſet. Deinde paucis diebus poſt non modo eius interitus fuit repetitus, ſed etiam additum quòd frater cęcus creatus fuiſſet rex, & ad probabilitatem quòd metu veneni ſororem cędi iuſſerat. His adiungebatur illum eſſe pacis & quietis cupidum, quare aſſerebatur bellum non eſſe amplius aduerſus Perſas, ſed aduerſus Georgianos, populos, in quos Amuratus vellet animaduertere, quòd ad fidē Perſarum ab ipſo imperatore deſciuiſſent. ſic enim per hanc famam fieri poſſe putabat vt Turcæ alacrius conuenirent in caſtra. Dicebatur

batur etiam Luzalis claſſem inſtruere nõ ad oras quidem maris Euxini, ſed ad ſedandas res Cyprias, cum per extraordinarias extorſiones ac tributa, quæ Ancomatus purpuratus excitauerat, fuiſſet Salaminæ vel à ſuis Ianizzeris trucidatus.

Sebaſtiani Venerii mors.

Per idem ferè tempus mortuo Sebaſtiano Venerio, principe Venetorum, viro prudentia, bonitate, gloria rerum geſtarum clariſſimo, ſuffectus eſt frequentibus patrum ſuffragijs Nicolaus Pontius procurator Diui Marci, vir omni genere laudis inſignis, ac multis rebus pro patria ſapienter feliciterque geſtis per pacem clarus: multis præfecturis, multis primarijs in vrbe magiſtratibus, multis legationibus apud primarios Chriſtianorum principes pro.rep. functus, non ſine ipſorum principum magna vel laude vel etiam beneuolentia.

Nicolaus Põtius princeps Venetorũ creatus.

Illud non facile dixerim maior ne fuerit ipſius principis lætitia ob acceptam, an patrum ob delatam tam iuſtè, dignitatem. Illud certe quidem affirmare poſſum huius electionis nuntium cum maximo applauſu ab vniuerſa ciuitate exceptum fuiſſe. Nam niſi tanto ſucceſſiſſet, non parua redundatura erat moleſtia in omnes ciues e recenti memoria optimi principis, & qui incredibile deſiderium ſui in omnium ciuium animis reliquiſſet. Pontius vbi primum inſignia principatus accepit, demonſtrauit per egregiam magnificentiam ſe magis Regia, quàm priuata vita eſſe dignum; quoniam quæ priuatus per eloquentiam exteris principibus conuenire demonſtrauerat, ea pro viribus exercere cępit; iuſtitiam, charitatem, liberalitatem, & omnes regias virtutes. ea dum ita ſurſum deorſum varijs in locis agitantur, patefacta eſt ciuium quorundam Florentinum coniuratio in Magnum Ducem, & in duos eius fratres vno tempore. coniurationis principes fuerunt, qui maiora beneficia acceperant, & qui maiorem beneuolentiam Magni Ducis fuerant conſecuti.

Coniuratio in Magnum Ducem.

Sed cum in varias regiones patefacta proditione profugiſſent, cum ob iniquitatem facinoris, tum ob omnium principum in Magnum Ducem beneuolentiam & in cuſtodias & in poteſtatem illius ſunt traditi, & condignis ſupplicijs affecti. Eſt enim graue legibus & æquitati parere illis, qui cęteris per vim & libidinem dominari conſueuerunt, atque illud eo magis, ſi per autoritatem boni principis cogantur; cum plerique legibus parere ſeruire appellent, at libertatem ſubditis abuti pro arbitrio. ſed omni antiqua adminiſtratione reip. Florentinæ magis laudabilis eſt præſentis adminiſtrationis ratio.

Gubernatio Florentina.

Præſunt enim vbique ciues Florentini, creanturque in ſenatu omnes ferè vrbani & ditionis magiſtratus ad reip. formam, principem tantùm habent, qui obſeruat ne qua iudicia fiant auarè vel ſubdolè, cum caſtiget iniquos. Illud ſane fit in pleriſque Italię locis, vt, qui præſunt, ad nutum pecuniæ potius & munerum, quam ad vllam paternam charitatem ſententias ferant, præſintque cæteris, cum ſe non honores & gloriæ facultatem a principibus accepiſſe iudicent, ſed licentiam furtorum tutorumque latrocinorum. Plerique enim exploratores ſunt & accuſatores & tortores ac quæſitores criminum & iudices: quibus magis cordi eſt pecuniam, quam crimina per tormenta extorquere, vnde fit vt legum aliquando parua habeatur ratio. Qui pecunioſas controuerſias audiunt item plerunque ſportulas reſpiciunt neglecta cauſæ æquitate: Idcirco ſapienter decretum eſt Florentiæ vt omnis munerum & largitionum ratio exulet ex omnibus magiſtratibus, quæ interdicta ſunt prorſus omnibus publicis miniſtris, atque pro his moderati & tolerabiles ſumptus litiũ ſunt inſtituti, ne quis a petendo iuſto magnitudine ſumptuum deterratur aut coerceretur. atque ne viri boni pręter dignitatem a conſceleratis impune infeſtentur, quod plurimum facit ad quietem ciuitatum, propoſita eſt pęna talionis vocata falſis ac ſubdolis accuſatoribus. veridicis autem delatoribus conceſſa ſunt præmia pro ſceleribus; quia praui homines tanquam malæ plantæ ſunt è bonis frugibus conuellendi, arque exterminandi, ne bonas infeſtent. Quæ dum varijs in locis fiunt, dum in Illyrio, Liuonia, Belgio, finibus Perſarum pugnatur, neque Africa quidem antiqua mater bellorum ſuit quieta, cum in illa ingens maximeq; memorabile bellum trium regũ cęde, multiſque copiis deletis exarſerit. ad illud explicandum videtur altius repetendum quæ cauſa compulerit Luſitanum Regem longe ab Africa diſiunctum, magnoque maris interuallo, vt arma hoſtiliter importarit vel contra Philippi Regis conſilium, cum quo hac ipſa de cauſa venerat in colloquium, illis Numidarum nationibus, a quibus nulla iniuria fuerat laceſſitus, nullaque cum illis exercuerat inimicitias.

Cauſa belli Regis Luſitani cum Numidis.

Poſſidebat itaque tria regna Serifi, Marochi, & Tamuſigæ Mauritanniæ Tirgitanæ ſiue Feſſæ quæ ſunt in Numidia in ſexto climate, vbi quis extra columnas Herculis nauigarit equinoctium verſus ad ſiniſtram per oceanum occiduum. Emonuchi frater tertius, Moluchus nomine, cum regnum ad Emonuchum potius perueniret, vt qui ætate eſſet ſuperior. Emonuchus qui patienter regnare fratrẽ ferebat, non poterat etiã ocium perferre, quare ſtatuit varias orbis regiones rerum nouarum viſendarum ſtudio peragrare. vbi Byzantium ad Selimum Turcarum imperatorem perueniſſet, Byzantijque moratur, nuntiatum eſt fratrem Regem diem ſuum obijſſe, quare diſcedit Byzantio vt in regna iure ad ſe ſpectantia ſuccederet. Vbi Iuliam Cæſareã aduentaſſet a regno Tamuſigę filius mortui Regis Spurius Moluchi Sarites abſente auunculo per mortem patris curauit coronari, tanquam legitimus ſucceſſor contia inſtituta regnorum. itaque aduentu Emonuchi mittit ſignificatum ne proficiſcatur vlterius, niſi velit in capitis diſcrimen incurrere. Emonuchus auditis minis nepotis denuo Byzantium reuertitur. narrat cauſam Selimo, & quæ iura habeat in ea regna. oſtendit quam iniquè ſit ex auitis regnis per ſummam iniuriam nepotis excluſus. Rogat pauca quædam auxilia, quibus regnum ſibi iure optimo debitum acquirat. Profitetur ſe fore ſemper pro tanto beneficio ad omnem nutum ipſius imperatoris obſequentiſſimum. accidit forte vt eodem tempore duæ legationes miſſæ ſint Byzantium a nepote gratulatum pro noua Regis dignitate; a quibus Selimus multa contentione poſtulauit vti rex contentus eſſet regno Tamuſigę quamuis neq; id ad ſe perueniret, ac reliqua auunculo reſtitueret. quæ petitio quoniam ab æquitate non abhorrere videbatur, addidit Selimus ad hortationi minas; profeſſus

que eſt

que eſt niſi illud fieret ſe cum omnibus viribus terra marique venturum ad illum omni principatu priuandum. Profectis deinde legationibus & ipſe Emonuchus diſcedit Byzantio cum quindecim tri remibus & mandato ſiue diplomate imperatorio ad Rhadamanum proregē Iuliæ Cæſarienſis, quo iubebatur ſex equttum & decem peditum millia concedere ad omnem Eumonuchi petitionem. nā cum tot copiis ſe regna poſſe recuperare profitebatur. Legationes reuerſæ narrant Selimi voluntatem, resque per nuntios eò adducta eſt, vt Emonuchus regno Tamuſiga fuerit contentus, quod ſine vlla nouitate rerum per triennium poſſedit. Quarto deinde anno cum Aſſamus in regnum Iuliæ Cæſarienſis amicus Emonuchi ſucceſſiſſet Rhadamano, viſum eſt Emonucho non amplius eſſe cun ctandum, ſed arripiendam opportunitatem auxiliorum amici proregis, demonſtrandumque eſſe illum animum ac deſiderium regnorum, quod non ratione, ſed vi & neceſſitate frænabatur. Cœpit igitur communicato conſilio cum Aſſamo nepotem denuò infeſtare, cum diceret illa duo regna ad ſe pertinere, quæ vel à ſponte concedente omnino eſſent recuperanda, vel vi armorum extorquenda ab inuito. Rex Sariſes audita tam minaci, tamque elata Emonuchi petitione reſpondit, ſi velit per arma ad illa accipienda properaret. Emonuchus itaq; conſentiente & adiuuante Aſſamo comparatis ingentibus copiis ad eam expeditionem contendit, qua re cognita Seriſes cum tantis viribus ſe non poſſe reſiſtere arbitraretur, coactus eſt aufugere relictis tricies centenis millibus nummum. cōfugit itaque ad Luſitanum Regem, à quo ſuppliciter petiuit vt ab auunculo Regis è duobus regnis deiecti miſereretur, cum illud factum ſit contra pactiones, quia Tamaſigę regno accepto per triennium & amplius Emonuchus acquieuiſſet. Plurimi referre ad ipſius Luſitani regni vtilitatem & dignitatem non ſolum vt Regem finitimum in vlteriore litore maris habeant amicum Luſitanæ munitiones, ſed etiam per hāc opportunitatem poſſe Regem Luſitanum ſuos fines in Africa dilatare, cum ſuum futurum ſit quidquid in Numidia acquiſiuerit, verum etiam Regem ipſum Sariſem ad omnia vota maximè propenſum. Luſitanus his rebus ita perceptis cum Philippo Rege Hiſpaniarum venit in colloquium, à quo & conſilium & auxilium expetiuit, erat enim Luſitanus viginti & duorū annorum. Philippus Rex & iniquum & periculoſum eſſe conſilium inquit Luſitani, cum & contra tam potentes principes ſit belligeraturus, & in ea regione, quæ prorſus diſiuncta ſit à ſuis viribus, & vbi neminem habeat amicum, & pro illo ad quem regnum non legitimè perueniat. auxilia verò dari non poſſe ob infinitos propè ſumptus in Belgicos tumultus perneceſſarios. Luſitanus qui iam in animo conceperat magnam vtilitatem inde poſſe redundare, vt ſunt ingenia eius ætatis ardentia gloriæ deſiderio, ſtatuit omnino occaſionem tantam non eſſe negligendam. acuebant impellebantque ingenium Regis plus ſatis ſua ſponte incitatum Ieſuitarum ſacerdotum ſermo & adhortatio & cōſilia, qui dicebant præclaram opportunitatem eſſe oblatam Regi ampliandæ inter Numidicas nationes Chriſtianam fidem, quam prouinciam & pietas & gloria non contemnenda vel apud poſteros, & amplitudo regni Luſitani conſequebatur. Vnum eſſe præclarum ſtudium inter mortales ad cultum Chriſti cęteros homines deliros reuocare, pro qua charitate nullum laborem, nullumq; periculum vtile quiſpiam vir bonus deuitauerit. His perſuaſionibus impulſus atque inflammatus Rex Luſitanus decernit eam expeditionem omnino eſſe ſuſcipiendam, quare animū ad cogendam claſſem, & ad faciendos bellicos apparatus conuertit. atque primum omnium ſuas copias quas haberet in regno Luſitano cenſeri iubet, vt ſciret quibus viribus rem aggredi poſſet. inuenta ſunt, quæ ſcribi poſſent, vt retulit Odoardus illorum ſtatuum Coneſtablius, cētum & viginti millia peditum, & viginti equitum. Et qm̄ controuerſia quędam de finibus inter Ferrarię Ducem & Bononienſes ciues intercedebat, quæ adhuc erat Romæ ſub iudice, Dux aggerem quēdam in illis finibus excitari iubet, multosque imperat eſſe in opere; quod factum propè bellum ciuile inter Ferrarienſes & Bononienſes excitauit. Pyrrhus Maluecius vir inter Bononienſes primarię autoritatis collectis multis armatis ciuibus, quia ſibi periniquum eſſe videbatur vt Dux fines pro arbitrio deſignaret, re nondum iudicata, magna alacritate in aggerem impetum facit. operas in fugam vertit. aggerem demolitur. fęnum ſuccidit. auehit multis carris accitis quod poteſt, reliquum ſuccēdit. Dux illam iniuriam æquo animo non eſſe ferēdam ratus, vt quod ſuū eſſet, & adhuc ſub iudice adiudicaretur ſic Bononiēſibus, colligit repente ad quatuor millia peditum & equites quingentos. Iubet pontem tumultuarium ſupra Padum excitari. ad trecentos carros, multosque meſſores ſecum adducit. imperat frumentum ſtatim atque ſucciſum eſſet auferri. auectum eſt quantum frumenti à duobus millibus carrorum potuit auehi, quibus actis copias intra ſuos fines reducit. at Pyrrhus rurſus conuocatis ferè ſex millibus peditum traiecto Pado flumine prædabundus in agrum Ducis incurrit. ad octingenta capita iumentorum abigit. Quæ cum ad bellum paulatim excitandum inter Pontificios ac Ferrarienſes ſubditos in Italia ſpectare viderentur, iuſſus eſt vniuerſus delectus Pontificius cum armis eſſe promptus, donec res per prudentiam Pontificis conſopita eſt. In Cypro quoque inſula omnis controuerſia Ianizzerorum per Amurati prudentiam conſopita eſt; nam cum multa ſtipendia purpuratus præfectus Cypri munitionum cuſtodijs deberet, cœptum eſt tumultuari. decidi iuſſit aures & nares quibuſdam illorum, quare à Ianizzeris oblitis eius dignitatis trucidatus eſt. Amuratus cognita illa cæde iubet alium purpuratum cum decem triremibus ac multis militibus in Cyprum nauigare. diſſipat rumorem, quod iure cæſus videretur, qui mercedem Ianizzeris ſubtraheret imperatori is cuſtodibus munitionum. ſed tamen clam iubet eius nefarij facti participes repente trucidari. illud Amurati conſilium cum per amicos Ianizzerorum fuiſset in Cyprum delatum, Ianizzeri cum claſſiariis ſimulant amicitiam, ac primi nihil tale opinantes claſſiarios trucidant in morem pecudum, & triremibus ipſis potiuntur. Amuratus quia maximè rebus Perſarum vexaretur, coactus eſt iram diſſimulare, atque omnibus veniam delictorum ad res ſedandas conceſſit. nam per idem ferè tempus citra

Cōſilium datū Luſitano Regi.

Diſſenſio inter Ducē Ferrariæ & Bononienſes.

Babyloniam Ottomanicę copiæ parum feliciter pugnarāt cum Perſis, in quo certamine, vt diximus,
cecidiſſe creduntur ad ſeptuaginta millia Turcarum. Vexauit etiam nō nihil Turcarum animos Cur
tæ infortunium, quod quaſi prodigium futurarum calamitatum apparuit, quia cum bellicus appa-
ratus fuiſſet tactus de cęlo, tanta vis flammarum, tantaque ruina exarſit, vt non modo ipſa munitio
concrepuerit, ſed etiam multæ priuatæ domus. Enimuero quoniam Hercules Dux Alenconius vi-
ſus eſſet ſtatuum conditiones non eſſe contempturus, miſſæ ſunt legationes principum Belgarum
ac ſtatuum nomine, quæ proponerent has conditiones; vt Hercules Dux Alenconius ſe intra fines
Romaduorum cum ſuis copijs recipiat, atque ſtatus per tres menſes illi diſſoluant ſtipendia in duo-

Conditiones ſtatuum cum Alenconio.

decim equitum, ac decem peditum millia. Vt quodcunque acquiretur citra Moſam fluuium id to-
tum ſtatuum efficiatur, at quod vltra, ſit Alenconij. Vt elapſo Auguſto menſe ſtatus ne vlli paci au-
res præbeant ſine aſſenſu & conſilio Britannæ Reginæ & Alenconij. Vt ſi opus ſit dominum muta-
re, eorumque populorum electio ſortiatur, ſemper Alenconius ſit & nominetur primus defenſor,
habeatque illum titulum. vt ſi intra Auguſtum menſem pax fiat inter ſtatus & Auſtriacum, intelli-
gatur cum conditionibus Gandauenſibus. Vt lapſo menſe Auguſto omnes prædictæ cōditiones va
næ intelligantur. Vt ad harum rerum confirmationem prædicta loca concedantur. At Reginæ duæ
mater altera, altera Cantabrorum conantur multis verbis Alēconium ab illa expeditione reuocare,
quod parum honeſta, parumq; vtilis Gallorum regno videretur, ſi ſubditi ac rebelles populi aduer-
ſus ſuum principem protegerentur. Alenconius quod eadem fuiſſent à multis ſæpius repetita chiro
graphum ad diluendas illas criminationes confecit, in quo cōtinebatur, quòd cum a principibus ſta

Rationes Alēconij, ſiue proteſtatio.

tuum Belgarum inuitatus ac rogatus fuiſſet ne illam prouinciam in tantis calamitatibus deſereret
Hiſpanorum libidini & crudelitati, nullis neq; matris Reginæ precibus, neque aliorum principum
diſſuaſionibus dimoueri potuit, quominus proficiſceretur in Belgium, neque potuit ab illo cōſilio
tam honeſto reuocari, cum honeſtati rei ſatis etiam honeſtæ conditiones à ſtatibus oblatæ fuiſsent.
& quoniam dicebatur rebelles protegere, profitetur ſe proficiſci in Belgiū vt boni principis officio
fungeretur, quod erat vt pacem concordiamque ſtatuum conſeruaret, cum optaret omnia per iniu-
rias infelicium temporum euerſa in priſtinum ſplendorem perducere, cum abuſuum reformatione
& obſeruantia iuſtitiæ, vt populi ſubleuentur tot extraordinariis oneribus, atq; vt omnino ſeruen-
tur antiqua priuilegia. His ſubiunxit quod bellum Belgicū ſine controuerſia non poteſt eſse non ho
norificum & vtile Gallorum regno ad acquirendam quietē, cum pateat per hāc viam bellum, quod
tam diu fuit in viſceribus & corde, vt ita dixerim, eius regni diuerti in alias regiones. Quibus accedit
quod Belgica regio antiquitus Gallico imperio, & coronæ Gallicæ erat annexa, cui data fuit maior
pars priuilegiorum à Gallorum Regibus, quæ habent, & quorum cauſa ſtatus eius regionis in illam
controuerſiam venerunt. Patere dicebat itaque quòd non ſolùm naturales obligationes in quibus
verſaretur vt bonus princeps, ſed etiam vtilitas & commodum ipſius regni impellit vt occurrat im-
pediatq; nequid patiatur inique fieri aduerſus eas nationes, ſed tyrannidem in ea regione plātatam
euellat. Idcirco inquit cum oppreſsos populos eſse pateat, & in eam neceſſitatem adductos vt pro-
pè iugum intolerabile ſuſcepturi videantur, veluti principes regionum ſignificarunt, ſibique ante
oculos propoſuerunt, æquitate poſtulationis ſuæ, quamuis regio euerſa ſit ab Hiſpanis, ſe cōſtituiſ-
ſe prædictis optimè conſideratis, ſuo muneri ſatisfacere: atq; cum princeps ſit è regio ſanguine Gal
lorum omnibus rationibus ac viribus, quæ ſibi à Deo conceſsæ ſunt, opem ferre oppreſſis, ac defen-
dere ipſos ſtatus, vt tam iuſtam cauſam tueatur contra omnes, qui vellent opprimere præter iura il
lorum ac priuilegia. ſe profiteri inquit, ac Deū obteſtari quod nihil horum faciat vel auaritia vel am
bitione impulſus, neq; deſiderio conuellendi cuiuſquā imperij, cum omnes qui ſibi ſuppetias tule-
rint ad tam præclarum facinus, participes futuri ſint eiuſdem honoris & gloriæ, quam ſperat ſe Dei
munere relaturum, cum etiam præmia pro meritis ſint ab ipſo accepturi. Caſmirus interea peruene
rat intra fines Menapiorum cum ſuis copiis, atque alibi quoq; magni fiebant apparatus cum in Mo
rinis copiæ Gallorum cenſetentur, & alibi raitri Branſuicenſis, qui cum tribus millibus equitum ac
duo cohortibus erant coniungendi cum copijs ſtatuum, quæ conſtabant è ſeptem millibus raitro-
rum, & octoginta vexillis peditum. Vt autem ſtipendia tot copiis diſsoluerentur Britanna legatio at
tulit octingēta & ſexaginta nummum millia. Iuſsus eſt & Belegnius pro ſtatibus colligere viginti
cohortes peditum, cum iam Boſsuenſis regulus vicarius Alenconij collegiſset ad ſeptem millia ar-
matorum partim peditum, partim equitū. Cum accreuiſsent copiæ Caſmiri, ille ratus tempus non
eſse per deſidiam amittendum ad oppidum Dieſtum ab Auſtriaco prius occupatum cōtendit, cum
haberet in caſtris ad ſeptem equitum, viginti peditum millia. Primum itaq; caſtra ipſa de more foſ-

Dieſtum captū ab Vgonottis.

ſis & aggeribus cingit, deinde pluribus octingentis carris arena onuſtis atq; concathenatis caſtra ip-
ſa concludit, ac bellica tormēta inter corbes vimineos ſubſtratis tabulatis ad recurſum dirigit ad ver
berationem, nec multo negotio oppidum recuperat. Sed quoniam multorum ſermone carpebatur
quod aſpiraret vel ipſe ad opprimendos populos Belgarum, vel ad delenda regia iura, cum per ſimu
lationem auxiliorum maiora quædam conſilia in animo verſaret, qui non eſset putandus tam faci-
lè ad populorum defenſionem accurriſse, qui arma ſumpſerant non modo contra auitam religio-
nem, ſed etiam contra naturalem principem. Aduerſus has tam acres accuſationes chirographum

Caſmiri rationes defenſionum.

edidit Germano idiomate conſcriptum, in quo continebatur ſe veniſse tantùm ad cōculcandam ty-
rannidem miniſtrorum regiorum, qui auaro crudelique animo principes Belgarum vel contra re-
giam voluntatem opprimere conantur, cum Regis conſilium verè integerrimum ſit, neque ab vlla
æquitate, humanitate, rectiſſima gubernandi ratione diſsentiat. Nam certè quidem ſi Rex auara &
inhumana inquit ſuorum miniſtrorum conſilia poſset cognoſcere, non quidem in iniurias detra-

ctantes

ctantes,ſed in inferre conantes vniuerſam molem indignationis conuerteret:cum difficillimum ſit
omnium principi cognoſcere deliria miniſtrorum, qui ſemper exploratores aduenientium habent
apud principem, & defenſores vel cubicularios vel à ſecretis largitionibus corruptos apud eun-
dem,qui abſentium cauſam tueantur.multa præconia ipſius Regis, multaque laus bonitatis in eo-
dem chirographo continebantur.Cæterum Auſtriacus cognitis copijs hoſtium,quæ plurimum vbi
que excreuiſſent,atque in dies ſuccreſcerent,nititur omnes ſuas copias coniungere,multaq; loca de
bilia accitis in caſtra præſidijs deſerit, at exercitus ſtatuum relictis primis caſtris ad decem milliaria
procul à Louanio caſtrametatur, illorum aduentu Auſtriacus Namurium ſe recipit relictis trigin-
ta peditū & duodecim equitum cohortibus Louanij,quem locum iubet diligētiſſime muniri, cum
omnem quem potuit è locis deſertis commeatum illuc comportari curauiſſet.Neq; ſtatus quidem
parum diligenter curāt commeatum in regionem varijs è locis comportari, qui cum mari Britanni
co & vniuerſo Oceano ad occaſum libero potirentur,multa nauigia frumentatum miſerunt,quę &
frumento & varij generis apparatu bellico onuſta ad ea litora appulerunt.At Dux Alençonius qui
pollicitus fuerat ſe breui in finibus Belgarum futurum citatis equis cum duodecim comitibus Mon
tium conuolat repentè,quæ vrbs eſt Attrebatum vt diximus munitiſſima. Hunc ſecutus eſt Nuen-
ſis regulus vir magnæ autoritatis & peritiæ rei militaris,ſummusque imperator vniuerſi peditatus
eſt creatus.Deinde diditus eſt rumor quòd breui habiturus eſſet in caſtris viginti peditum, ſex equi-
tum millia. Alençonii aduentus vbi nunciatus eſſet ſtatibus ac principibus Belgarum, magnopere — Alençonius in Belgium.
erecti ſunt omnium animi ad rerum magnarum expectationem,atq; miſſus eſt Ariſcotēſis,qui prin
cipum & ſtatuum nomine gratularetur pro felici aduentu, cui titulum Protectoris Attrebatum &
Neeriorum,Hainaulti,& Arteſię attribueret.Declaratus eſt eius vicarius princeps Aurantius & Pro
tector Olandæ ac Zelandæ.Annibal Amaſienſis Comes cum intelligeret ad decem & ſeptem Gallo — Annibalis Amaſienſis victoria.
rum cohortes in Belgium aduentare ipſe cum tribus ferè millibus peditum ac ſeptingentis equiti-
bus fit obuius.commiſſo primùm leui prælio pugnatum eſt,ſed poſtea totis viribus.victoria fuit pe-
nes Amaſiēſem,qui fuſis profligatisq; Gallis ab Hiſpanis decem vexilla capta miſit ad Auſtriacum.
At ex altera parte Galli cognita horum clade coniunctis viribus dum Alençonius moratur Montii,
accedunt in fines Neruiorum & Attrebatum tria equitum ſcilicet,quatuor peditū millia.quidquid
occupatum fuerat ab Hiſpanis recuperant.Caſmirus item dum altera pars copiarum ad Ruremon
dam caſtrametatur,cum altera parte oppidum Deuenter obſidet in finibus Menapiorum, quod eſt
opulentum & amplum ditionis Tranſiſelanæ ſiue vt vocant Oueriſelæ. Auſtriacus quod ita diuiſas
vires Caſmiri poſſe facilè infringi putaret, ſi repentè nihilque tale opinantes inuaderentur,decernit
aliquod memorabile factum edere.Simulat igitur ſe velle omnes qui erant in præſidiis Louanii,Fie
næ,cæterorumq; locorum, vt in ſtatutū locum inter Louanium & Dieſtum duas horas ante lucem
conuenirent,quod erat caſtra hoſtium repente inuaſurus.at copiæ Caſmiri certiores factæ de omni
conſilio Auſtriaci, conſiſtunt in acie expectantes quid conſilii hoſtis caperet,directisque tormentis
in opportuna loca,diſpoſitisq; vigiliis,hoſtem præſtolātur.eò vbi acceſſiſſet Auſtriacus cum magna
manu equitum ac peditum hoſtem in acie inſtructum reperit, qui pluribus tormentis repēte diſplo
ſis ſeptingentos ferè Hiſpanos miſerabiliter laniat.pugnatum eſt per totū diem minutis pręliis cum
non leui vtrorumq; clade.Hiſpanis deniq; ſe recipere neceſſe fuit,cum maximè omnium virtus Bri
tannorum & Scotenſium in iis certaminibus enituiſſet. ceciderunt in ea pugna mille fere Hiſpani,
at ex militibus Boſſuenſis ſummi peditum ducis paulo plures quadringentis, cum duæ tantum rai-
trorum cohortes pugnarint & Scotenſes ac Britāni.Capti ſunt Itali nonnulli & Germani à Britan-
nis.Neq, ſtatuum quidem copiæ ocioſę ac deſides in caſtris morabantur,quoniā mille equites cum
ſingulis ſclopettariis à tergo repente Ariſcotum oppidū adoriuntur, potiuntur,duas Germanorum — Ariſcot op. & Deuanter capta.
cohortes & turmam equitum præſidiariorum trucidant.Io.Caſmirus capto Deuātere copias & tor
menta cum bellico apparatu ad expugnationem Ruremondæ proficiſcitur. eò vbi aduentaſſet Mat-
thias Archidux venit in caſtra vt copias illas videret, Caſmirumq; ſalutaret, quo inſpectāte non mul
tò poſt cenſa ſunt decem peditum,& ſex equitum millia.factaq; inſignis militaris ſalutatio. Neque
nulla tamen erat de religione contentio inter Belgas, quippe cum multæ eſſent ſectæ non modo à
catholica religione,ſed à noua plurimum inter ſe diſſentientes, nam Caluiniſtæ petiuerunt à Mat-
thia Archiduce qui nullam nouam religionem fuerat complexus, vt liceret pro Caluiniſtis dogma
tis conciones habere,Caluiniſtarumque inſtituta patefacere, quod quia indignum Matthiæ videre-
tur,qui nollet concedere,neque tamen negare prorſus auderet, vniuerſum hoc iudicium ad decem
& ſeptem Belgarum prouincias defert.Gādaui etiam templa & cęnobia & imagines ſanctorum om
nium per idem ferè tempus ſunt euerſæ,prçter templum Diui Ioannis,omnesq; ſacerdotes ſunt eie
cti,quod ipſum factum eſt Bermontere & Anternato & in aliis oppidis Gandauo finitimis. atq; in
ſtipendia copiarum Caſmiri, cum paulò poſt laboraretur inopia pecuniæ, ſtatus omne ſacrum au-
rum & argentum & cruces & calices,& argentum nobiliorum in pecuniam cudunt.Quæ dum fiūt
in Belgio,In Illyrio latrociniis potius, quam vlla bellorum ratione fines infeſtabantur. Nam Chiſi-
linter ſummus copiarum Dux Caroli Archiducis multis millibus armatorum collectis non procul
à Gruppa & Caſtegnouizza & Bicha oppidis Turcarum conſilia hoſtium proſpectabat, qui & ipſi
multa millia armatorum habebāt in iis finibus. Secuta eſt etiam aliqua clades Turcarum,qui nimis
audacter palantes ac prædabundi in fines Caroli principis incurrebant. Cæptum eſt poſtea leuibus
certaminibus ſæpe pugnare in Illyrio per biduum, cum Turcæ fingerent ſe velle illos fines atq; co-
pias infeſtare,ſed tamen cum ad octo millia equitum tantum eſſent in caſtris, quouis vel leuiſſimo
impetu Chriſtianorum recedebant.omnia oppida quæ capta fuerāt facilè recuperantur Turcis præ

ſidiariis

ſidiarijs diffugientibus. Sed quoniam in caſtris Chiſilinteris inopia commeatus laboraretur, neceſſe fuit intra ſuos fines per vnius diei iter ſe recipere. Turcæ fluuio traiecto non procul à Gruppa & Caſtegnouizza magnum terrorem ijs finibus iniiciunt. Dum ita Liuonia, Belgium, Syria, Dalmatia variis bellorum motibus vexantur, Sebaſtianus Luſitaniæ Rex factis iam ingentibus apparatibus bellicis, vt diximus, comparatis ingentibus copiis, inſtructa claſſe quingentorum nauigiorum varii generis cum quatuor millibus equitum ac triginta & ſex peditum ab Arara vrbe Luſitaniæ ſoluit. vbi regio vexillo in auguſtiore templo benedictum eſſet, inſcriptumque & in cæteris, pro lege, pro Rege. Nec ita multo poſt magna tēpeſtate maris orta claſſis non parum affligatur. deniq; trans anguſtias maris Libyci ad Herculis columnas traiecit, ac ſine controuerſia fecit deſcenſionem cum vniuerſis copiis appellens, Luſitanaq; nobilitate, ac Rege Marocchi. Itum eſt primū ad Cacarquir, ea eſt vrbs ad decem & ſeptem millia paſſuum diſtans à litore, parū munita mœnibus antiquis & vetuſtate collapſis aut corroſis. diſtat à Xilia ſiue ab Arzila & Alcacare circiter triginta milliarib⁹, & viginti quinque à Feſleſo, quod iter eſt valde planum. Inde prima caſtra poſita ſunt quinque milliaribus a Xilia flumini dulcis aquæ propinqua. Poſtridie eius diei proceditur ad quinq; millia paſſuum cum tardè & prudenter vt in ignota & prorſus hoſtili regione procederetur. accedunt quingenti equites miſſi ad exploranda Luſitana caſtra, qui primum profitebantur ſe velle Regi Luſitano militare. Sed enim cum intelligerent ſuam fidem eſſe ſuſpectam, vt cui cognitæ eſſent fraudes Pœnorum, continuò terga vertunt. confectis poſt triduum quindecim milliaribus itur ad ripam Figuigonam vocatam, quo die nemo viſus eſt ex hoſtibus. at die quinto cōfectis decem millibus paſſuum peruentum eſt ad pōtem vſq; Alcacaris, vbi cum duo millia equitum Maurorum leue certamen iniiſſent antequam pōs pertranſiretur, apparuit tranſitus non eſſe tentandus per vim armorū, poſitaq; ſunt caſtra non procul à vado, quo fluuius facilius tranſiretur poſt confecta quinq; millia paſsuum. Vbi dies poſterior illuxiſſet, traiiciūt vniuerſæ copiæ, plurimaq; pars diei abſumpta eſt bellicis tormētis & impedimentis ttaiiciendis, quare neceſse fuit apud fluuium caſtrametari. non enim tutum eſt in aliena & hoſtili præſertim regione, & haud ſcio ſatis in ſua cuiquam duci, tam tardè caſtrametari, vt non aptum tempus concedatur ante noctē caſtra foſſis militaribus & aggeribus cingendi. Apparuit eodem die cum ſuis copiis Emonuchus Rex, qui habebat in caſtris viginti & duo equitum millia, & duodecim peditum, & viginti & quatuor bellica tormēta. Ne videretur pugnam detractare fecit poteſtatē Luſitano ſi velit omnibus copiis dimicādi, quod fecit vt animum & audaciā Luſitani Regis experiretur, cum hora eſſet diei iam tardior, quā vt tanto negotio perficiundo tempus appareret ſufficere. Sed enim cum Luſitanus exiiſſet ad pugnam inſtructis aciebus, ſtatim Emonuchus ſuas copias retraxit. cenſebat Emonuchus per illam timoris ſimulationē fore vt Luſitani vlterius imprudenter allicerētur in apertiorem, planioremq; locum, cum equitatu ipſe plurimum valeret. ſic ille dies per has ambages elabitur. at Luſitanus poſtridie cognita fuga hoſtium accitis mane militaribus comitiis decernit proferre caſtra Alcacar verſus, quòd ibi diceretur hoſtis eſſe caſtrametatus, atq; ita iter inſtructis in aciē copiis captum eſt. Sic autem copiæ inſtructæ procedebant. Præerat primæ aciei Duartes Mendocius caſtrorum magiſter, cum Rex Luſitanus in ſequenti acie procederet in frequenti phalange.

Acies Luſitanæ.

Dextra acies ductabatur à Rege Tamuſigæ, ſiniſtra ab Aloyſio Anuillia, cum vtrinq; præcederet equitatus ac bellica tormenta in opportuna loca acierum in hoſtem conuerſa traherentur, quæ ſequebātur à tergo ſingula ſui bellici apparatus. Emonuchus contra & ipſe cum ſuis copiis obuiam proceſſit, qui in quatuor acies ſuos diſtribuerat. Primam aciem ductabat Meneſes caſtrorum magiſter, cum in ſequenti præeſset Rex ipſe. dextrum cornu ductabat Xeriſes cum ſuis copiis equeſtribus: ſiniſtrū Dux Auero cum reliquo equitatu. Sic igitur iter fiebat ab vtriſq; exercitibus. Vbi propius ventum eſt, fit magnus impetus à Numidico equitatu in Luſitanos, qui tamen fortiſſimè ac tanta virtute ſuſtinetur vt cęſis multis Afris Numidæ coacti ſint recedere. repetitus eſt paulò poſt impetus ſuccedētibus ſubſidiariis Maurorum copiis tanta vi, vt Luſitani non poſsent multitudinē ſuſtinere, quare coacti ſunt ſe ad turmas peditum recipere cum magna vtrorumq; clade. Sed enim cum repetito denuò conatu impetum feciſsent atq; magnā impreſſionem poſtmodo in equitatū, neceſse fuit peditatui pugnam inire, cuius virtus eximia apparuit cū magna ſtrage Numidarum. cum verò Pœnus peditatus ab equitatu in formam lunę inſtructo mox à tergo ſuſtineretur, & à lateribus, neceſse fuit Luſitanis flectere, quæ res à Mauris cognita mirificè auxit audaciam. tanta igitur vi in flexam aciem irrūpunt, vt breui omnes copias fregerint ac verterint in fugā. Edita eſt incredibilis ſtrages. cæſus eſt ter equus Regis Luſitani. ex vniuerſis copiis Regis Luſitani, quæ conſtabant, vt diximus, è pluribus viginti & duobus millibus armatorum, cum multos etiam reliquiſſet in claſſe, vix centum homines ſuperſtites fuerūt. pugnatum eſt acriter præcipuè circa Emonuchum à duobus Regibus, quo cæſo in ea pugna magnus ſit impetus in Luſitaniæ & Tamuſigę Reges, ac tanta vi vt labefactata ſit & deleta Luſitana acies, & ambo Reges obtruncati nulla habita reuerētia. omnes enim propè victi trucidati ſunt, pauci capti in ſeruitutem. ſecuti fuerant fortunā Luſitani Regis quatuor millia & amplius Germanorum, Italorum, Hiſpanorum, & Luſitanorum equitum, qui ad vnum ſunt trucidati.

Cędes Luſitani, Tamuſigæ, Serifi Regum.

Capti ſunt viri inſigniores Antonius filius ſucceſsoris Regis, qui poſtmodo ſexaginta nummis aureis popularis creditus fuit redemptus. Dux Riuolcius, Duartes caſtrorum magiſter, Ferdinādus Caſtrenſis & Diegus filius, Aloyſius Silua, Dux Aures. ceciderūt præter tres Reges Dux Auerius, Damianus Doalius, Diegus Moneſer, Georgius Silua, Laurentius Almeida, Alpoueres Tauara, filius Obicoſi Luſitani.

Amule' Rex creatus.

Mauri poſt cędē illorū Regum, qui de regnis cōtenderāt, Amuleū Ametum Sariſæ germanū Regē aſciuerunt, atq; cum reliquiis ſuperiorum copiarum collectis etiam viribus itum eſt ad Xiliæ expugnationem. In Belgio quoniam vires ſtatuū ſuccreuiſsent pluribus in locis, non frigide agebant de

pace

pace qui ad hoc negotium illuc miſſi fuerant, à qua principes Belgarum non apparebant valde abhorrere, niſi conditiones propoſitæ fuiſſent, quæ parum cum verbis & volũtate regia conſentire apparuiſſent. propoſitæ ſunt enim à ſtatibus huiuſmodi, quæ confirmarentur; vt Matthias Archidux omnino ſummus imperator ſiue gubernator ſit Belgicarum regionum, neq; quidquam fieri poſſit ſine ſtatuum conſenſu. Vt Auſtriacus rata faciat omnia illa, quæ facta ſunt à ſtatibus ex quo tempore ſe Namurium recepit. Vt Auſtriacus reſtituat omnes munitiones, caſtella, pagos, & omnia, vt vno verbo dicam, quæ ſtatuum tenentur cum omnibus bellicis tormentis & bellicis apparatibus, qui diſcedat ante exactum mẽſem ſextilem cum omnibus ſuis copiis, exceptis militibus indigenis. Quòd ſtatus volunt ſeruari nouam religionem in omnibus prouincijs, ita tamen vt non habeãtur conciones, quod procurabũt pro viribus. Vt ſtatus, cuſtodiæ, omnes ſubditi regionum pareant Regi Hiſpano, qui tamen volunt omnino a Rege priuilegia & iura ſibi quæuis ſeruari. Vt omnia quæ trã ſacta ſunt in hoc Bello Belgico vtrinq; ſempiterna obliuione obruãtur. Vt omnes captiui liberi relaxentur ab vtriſq;. Vt in hac pace comprehendatur Gallorum Rex, Britanniæ Regina, Duces Alenconius & Caſmirus. nam tametſi hæ conditiones nimis elatæ videbãtur, tamen quòd omnia rudia primùm naſci ſolent, deinde diligentia vel naturæ vel artis perficiuntur, viſæ ſunt non nihil ſpei ad pacem de diſſe ſi fuiſſent ex aliqua parte mitigatæ, quare res aliquanto frigidius agebatur, quia cęptum erat in caſtris etiam ſtatuum non nihil morbo & interitu nonnullorum res labefactari.

Conditiones à ſtatibus Belgicis petitæ.

*LIBRI VIGESIMI NONI FINIS.*

# NATALIS COMITIS HISTORIARVM SVI TEMPORIS

## *LIBER TRICESIMVS.*

PRæclarè ſanè inſtitutum fuit à maioribus vt ad regiam dignitatem ac celſitudinem, ſummumq; rerum humanarum faſtigium non opes, non amicitiæ, non affinitates homines proueherēt, ſed ſpectata inter bonos virtus, aut gloria rerum multarum feliciter ſapienterq; ex ordine geſtarum, quæ certè vel in teneros annos, vel parum cordatos homines plerunq; non ſolent contingere. nā qui cęteris hominibus autoritate & potentia pręſtant, illis turpè eſt ſi prudentia & ſimplicitate animi inutili rebus gerēdis vulgo adæquentur. Nam certè quidem qui honoribus & magiſtratibus & dignitate cęteros antecellunt, & autoritate ac potentia, niſi præſtent etiam ingenio & prudentia & reliquis Regiis virtutibus, illi multarum, maximarumq; ærumnarum ſuis ſubditis ſunt autores neceſſe eſt; qui in certiſſimum excidium ſuos inducunt. Illud Troianum excidium ita eſſe nobis ante oculos proponit, & recens Luſitana clades, quamuis conſilium eſſet diuerſum, cum pax quæ certè ſine iuſtitia conſiſtere non poteſt, rebus omnibus à bono & ſapiente principe ſit præferenda, quem decet non modo non facilè arma mouere ad inferēdas iniurias, ſed etiam conniuere quoad fieri poteſt ad acceptas, cum nihil aliud ſit verè arma mouere ad bellum, quam omnes qui poſſunt ad latrocinia, incendia, populationes, cædes ſuorum inuitare; quod quam bono principi conueniat nemini obſcurum eſt. Quæ cum cognouiſſet, Philippus Hiſpaniarum Rex princeps animo integerrimo, & vt ego quidē arbitror, ab omni crudelitate vel auaritia alieniſſimo, cępit, vt diximus, velle conſopire vel potius delere omnia per miniſtrorum auaritiam & immanitatem patrata, quando reuocari omnino non poterant. Et quoniam animi Belgarum apparebant ab ipſa pace non abhorrere, cœptum eſt ab omnibus ſummis principibus, quibus & grata eſt & magnę curæ tranquillitas Chriſtianorum legationes ad res componendas mittere, quare Colonia Agrippina viſa eſt vrbs ſatis commoda ad hoc negotium pertractandum. Miſsæ ſunt etiam legationes è Gallia & Britannia & ab aliis principibus ad Auſtriacum ad pacis negotium pertractandum, quorum Auſtriacus colloquium hac de re deuitat cum diceret ſibi conceſsam eſse facultatem cum ſolo oratore Cæſareo Suarzemburgio hac ipſa de re agendi. Idcirco Britannus orator vel inſalutato Auſtriaco Mechliniam diſcedit, neque reuocatus omnino redire voluit. Decreti ſunt & ab aliis principibus viri prudentia, bonitate, rerum multarum cognitione & peritia clari, qui ad hanc pacem tractādam proficiſcerentur Coloniam. Quę dum variis in locis cogitantur ad pacem, vterque exercitus, ne ſpe pacis deluderetur, & illecebris tranquillitatis, nō manet omnino ocioſus. nam Auſtriacus cum ſuis copiis ex Abbatia Plintere ſigna conuellit ad profectionem, quod intelligeret hoſtem non procul abeſse, vt collatis ſignis obuius factus dimicaret. ſed vbi ad quindecim millia paſsuum proceſſiſset, illum inuenit aggeribus & foſſis militaribus circundatum in ſitu natura munito, cui obtulit facultatem non ſemel ſi velit totis viribus dimicandi. cum hoſtis non poſset ad arbitrium Auſtriaci adduci ad pugnam, milites pugnandi cupidi aggeres tranſgrediuntur. pugnatur acriter in caſtris. ceciderunt denique ex Auſtriaci militibus ad viginti tantum, ad quinquaginta vulnerati, ex hoſtibus plures trecentis ceciderunt. His ita actis Auſtriacus Namurium redit cum ſuis copiis, caſtraq; de more profundioribus foſſis, altioribusq; aggeribus munit. At Comes Boſsuenſis ſummus imperator copiarum ſtatuum, cum vellet perpetua Louanij moleſtia liberari, illud ipſe explorat ad expugnationem cū magna manu militum ſecum adduxiſset. defenſores multa & tormenta & ſclopettos è mœnibus diſplodunt, atque Boſsuenſis ictus fuit in crure quamuis leuiſſime glāde plumbea. Exiuit ad pugnam

multus equitatus cum eſſent in pręſidijs viginti & quinq; vexilla peditum & ſex equitum. Comiſſo leui prælio cum parua Boſſuenſium clade trucidati ſunt plures quadringentis præſidiarijs. Deinde conuerſa eſt omnis vis copiarū ſtatuum & Caſmiri in primis ad oppida ſubiuganda, quibus poſſent facultatem commeatum Auſtriaci copijs intercludere, quæ partim vi ferri, partim per deditionem ſunt capta. Interea cum ceſſaret Auſtriacus, quod negotium de pace diligentius agi videretur Pont. & Cæſ. & Philippi Regis iuſſu literas ſcripſit Auſtriacus ad Archiducem Matthiam & ad Cæſaris oratorem, quibus petebat ne paterentur copias vlterius progredi cum expectaretur commiſſarij de tractanda & concludenda pace. nam conficiendæ pacis negotium Io. Auſtriaco fuit ademptum & omnis poteſtas Cęſari tamq; amico vtriuſq; factionis demandatum, qui Coloniam comitia indixit. reſponſum eſt non videri poſſe illum pacem ſpectare, qui de pace miſſas legationes audire noluiſſet. Nec ita multò poſt Auſtriacus febre laborare cœpit, ex qua etiam nō multò poſt interiit. Et quoniam maxima ſtipendiorum penuria in vtriſq; caſtris laborabatur, ſtatus ad viginti vexilla peditum dimittunt, quibus multa debebantur, at nulla ſoluta ſunt ſtipendia. vallones contendunt illa omnino ſe velle, quare in quadam munitione non procul ab Anuerduſo pago conſiſtunt. Gandauenſes veriti ne agrum latrocinijs & incurſionibus infeſtarent mittunt tria millia peditum & equites quingentos, qui iuberent omnino ex agro Gandauenſi diſcedere. Niuella oppidum interea vbi copiæ ſtatuum propius acceſſiſſent, & iam paratę forētad expugnationem, venit in poteſtatem ſtatuum per quaſdam conditiones, inter quas fuerunt vt liberi cum armis excederent Germani & Sequani, ſed tympana & vexilla in oppido integra relinquerētur victoribus cum oppido, & omnia bellica inſtrumenta atque apparatus cæterum Amuleus Ametus dum Xiliam magna vi oppugnat duo nepotes fratres alter in Seriſi, alter in Marocchi regno arma excitauerant, qui regna illa ad ſe pertinere contendebant. Sed vi deniq; ac potentia Regis Amulei coacti ſunt è regione aufugere. habebat octo fratres Amuleus, quorum inſidias veritus, ne fortè ipſum regnare æquo animo non paterentur, iuſſit eos omnes de more plerunq; barbararum gentium iugulari: nam pleriq; barbari in imperio conſtituti, omnem ſuorum prolem trucidant, ſi quem ſuſpicentur poſſe ad regnum per vim aſpirare. Neque fines quidem Isburgiorum aut Boemiæ aut Auſtriæ ſatis tuti eſſe videbantur per idem tempus, quoniam per conſenſum Curtenſis purpurati, vel etiam impulſum, conuenerant multi latrones & malefici homines, vt ſceleſtum planè genus Agarenorum, qui coniurauerant ſe per eos fines incurſuros, omniaque obuia latrocinijs, flammis, populationibus, cædibus impleturos. Sed illorum conſilio ab earum regionum populis cognito ſumpta ſunt arma. pugnatum eſt acriter. multi latrones armis popularibus ſunt trucidati, capti plures ſexcentis, qui omnes nō procul ab Vlmizza & Arſieua extremis ſuppliciis ſunt affecti. Sed quoniam annus iam vergeret ad hyemem, quæ in illis pręſertim regionibus moleſtiſſima eſt & inhabilis rebus bellicis ob ingentia frigora, profunditatemq; cœni & frequētiam ac magnitudinem pluuiarum, cum etiam ſtatus qui vitam & facultates ſe velle profundere profitebantur ad ſuſtentandum bellum pro libertate Belgij, vix poſſent per multa impoſita tributa tot ſumptus, tot copiarum, tam variarum nationum ſuſtinere. Caſmirus apparebat cupere ſe ab illo bello iam exautorari. Alenconius etiam tria millia Gallorum peditum dimittit, qui per Sequanorum regionem reuerſi multa damna inferunt, quare neceſsè fuit Sequanis qui Regi militabant relictis caſtris contendere ad patriæ defenſionem. ſic cœptum eſt potius in Belgio paruis quibuſdam prælijs, quam vlla vi copiarum decertare: cum vallones etiam modo cum Belgis eius regionis, quæ Flandreſia vocatur coniunctis viribus Butonam oppidum inter Yprum & Ruſelam repentino conatu adorti, diripuerint, ſuccenderint, omnes inuētos nulla habita ſexus aut dignitatis ratione trucidarint, modo cum Gallis coniuncti Martaynum capiunt oppidum nō procul à Valentiana, quo fit vt ripa Gandauenſes non commodè potiantur. Neque Gallia omnis prorſus tamen erat quieta, quando & ibi variis in locis incurſionibus potius & latrociniis, quam vllo iuſto Marte cōtenderetur. Captum eſt Binſium, quod oppidum eſt inter Mariæburgum & philippes vrbem à Gallis per deditionem, cuius præſidiariæ nouem cohortes peditum ſpoliantur, quæ vix ab iratis Gallis fuerunt dimiſsæ, quia duces quoſdam trucidauerant. In Prouincia quoque, quæ pars eſt Narbonenſis Galliæ, Comes Carzenſis vt regulum Suſæ frænaret copias colligit. caſtella capit. munitiones excitat. multos per incurſiones trucidat. Idcirco Card. Sciatilioneus petit à Rege vt his tumultibus per maiores vires reſiſtatur. Et quoniam dicebatur Xilia noui Regis Numidiæ copiis obſideri atque oppugnari, qua expugnata in magno periculo omnes reliquæ eius regni munitiones poſitæ erant, declaratusque fuerat Rex Henricus Cardinalis frater iam ſenex Regis Luſitani mortuo ſucceſsore in Africana clade, quamuis non apparebat habilis ad procreandum, primum inſtant Luſitani proceres vt vxorem ducat. Sed cum id ab eo impetrare propter ætatem non potuiſsent, rogant ſaltem vt ſucceſsorem declararet, qui poſset regiis rebus opportunè cōſulere, & occurrere Numidicis moleſtiis. Indicta ſunt itaq; comitia, in quibus de his rebus omnibus decerneretur. At quoniam Regis Poloni exercitus ad multa millia armatorum excreuiſset, qui conſtabat è Liuonibus & Lituanis & Sueuis ac Polonis, itum erat ad vrbem Vendam, quæ ſita eſt in finibus Liuoniæ, quam Moſchouitæ frequentibus tormentorum ictibus concutiebant, & premebant obſidione, ſollicitabantq; ad deditionem. Moſchouitæ cum haberent in caſtris ad viginti millia armatorum prælium cum regiis copiis propinquantibus audacter committunt. Certatur primum magna virtute. Sed Moſchouitæ fortitudine regiarum copiarum omnes cæſi demum profligatique ſunt præter paucos inſigniores captos. non multi fuga ſe ſeruarunt. Capta ſunt viginti & quatuor muralia tormenta. Res vbi Polono Regi feliciter ſucceſſiſſent, quoniam Scytharum etiam non pauci fuiſſent à Polonis copiis poſtmodo trucidati, cœperunt principes Scytæ ac Moſchouitæ de pace cogitare, quamobrem miſsæ ſunt illorum

Io. Auſtriaci mors.

Niuella recuperata à ſtatibus.

Cędes Numidarum iuuenū fratrū Regis.

Butona dirępta & incenſa.

Henrici Car. Rex Luſitaniæ.

Polonorum victoria.

legationes Leopolim, qui prius ad regni Poloni excidium coniurarant : Illi tamen ita pacem ex-
perebant vt magis offerre quàm expetere poſſent videri : cum maximè vellent vel inter calamita-
tes & iacturam ſuorū,tamen nō demiſſo aut parum elato animo videri.offerebat pacē Moſchouita
illa cōditione vt quidquid ſuus Dux cepiſſet in Lituania ſibi perpetuo decreto adiudicaretur.at Scy
tha expetebat hanc fore conditionē pacis,quā offerebat,vt proxima æſtate captos incurſionibus reti
nere liceret,à quibus preciū redemptionis pro arbitrio Scytharū extorqueretur, vel Rex ipſe preciū
redēptionis diſſolueret.acceſſerāt hi oratores,quos ſingulatim trecēti equites ſūt ſecuti.Neq; Isbur
gii etiā res ſatis tuta à latrociniis fore videbatur,ꝙ eā regionem quadringēti Turcę habitu Pānonico
induti explorarāt ad prędā, qui ſimulata profectione ad Cæſarē cū ad viginti milliaria proceſſiſſent,
cognitiq; fuiſſent à quibuſdā Isburgiēſibus mox redierūt in Pannoniā.In Belgio rurſus cū ſummę
rerū bellicarū præeſſet Parmenſis princeps Alexāder Farneſius,qui ſuffectus fuerat Io. Auſtriaco cū
poteſtate proregia aucti ſunt animi, Hiſpanorum aduentu Pouillerii equitis , qui tribus raitrorum
millibus & quatuordecim vexillis peditum auxit Hiſpana caſtra,quæ afflicta, languidaque erant in-
teritu duodecim milliūm hominum vel ventris profluuio, vel aliis huiuſmodi morbis. nam multa
millia mortalium hoc anno in illis regionibus perierunt,atq; cum numerus mortuorum eſſet inue-
ſtigatus variis de cauſis hoc anno in quibuſdam locis cognita ſunt in regione Flandreſia vocata inter
cidiſſe quadraginta millia hominum,& multa millia equorum . Louanii viginti, Bruxellis ſexde-
cim, Mechliniæ octo millia hominum.Hiſpani illis auxiliis aucti prædabundi Antuerpiam vſq; pro
currunt, cum ſtatuum copiæ iam Bruxellas verſus iter cepiſſent, quia Caſmiri etiam copiæ domum
diſcederent. per illam opportunitatem populi illi Belgarum qui ſunt in finibus Neruiorum & At-
trebatum,quos Malcontentos vocant , & vallones prædabundi in fines Gandauenſium incurrunt,
multamque regionem deuaſtant,quod plurimum conferebat rebus Hiſpanis . Nihil eſt enim tam
optabile cuiquam ſapienti, quam vt diſcordia & contentio & rixæ in hoſtilibus caſtris oriātur,quod
omni vel precio vel induſtria tentandum eſt, cum non modo prouinciæ ſuis viribus infringantur
per bella ciuilia,ſed etiam ſponte plerunque veniant in poteſtatem oppugnantium . Erant enim
Malcontenti. prius Malcontenti neutram in partem magis propenſi,cum neque Hiſpanas,neque Belgicas partes
iam amplecterentur.ſed poſtea per quaſdam oblatas conditiones ab Auſttiaco allecti inſurrexerunt
aduerſus ſtatus Belgarum . nam per hanc Belgarum populorum diſcordiam putabat Auſtriacus ſe
poſſe Belgium facilius ſubiugare.Vallones & Malcōtenti itaq; in Flandreſia regione copias Ganda-
uenſes cōiunctis viribus inuadunt.ad duo millia peditum equitesq; octingentos cōmiſſo prelio tru
cidāt,quāobrem vbi Caſmirus fuiſſet dimiſſus à ſtatibus, eū Gandauenſes ſummum Imperatorē &
ſuarū copiarum & omniū Flandreſiarū creant,decernuntq; habere in aperto ad euitādas moleſtias,
quæ inferebantur,& ad vexandū hoſtem duo equitū,duo raitrorum,decē peditum millia. nā illum
Ducē ſtatus dimiſerant quia iam res ad pacē appareret inclinare, & quia iam recedendū eſſet in hy-
berna,ꝙ tempus anni non amplius pateretur copias eſſe ſub dio.Pōtifex enim iam antea vbi primū
iniectū eſt verbum de pace Baptiſtā Caſtagnam antiſtitē ſummi ingenii ad res Belgicas ad pacē ſolli
citādas miſerat.at ex altera parte Hiſpaniæ populi querebātur ſe nimis grauibus tributis infeſtari,cū
nuper decumæ omnibus quę vēderentur aut emerētur hoc eſt decē in ſingula cētena eſsent impoſi
tæ in bellicos ſumptus.Philippus Hiſpaniarū Rex vt citius & ſine vllo impedimento negotiū de pa-
ce trāſigi poſset,vniuerſam quā poteſt autoritatē Cęſari per literas cōcedit,quib⁹ ſignificauit vt quo
Cęſarei com miſſarij. quo modo poſset pacē cōcluderet, ꝙ omnia quę facta per ipſum Cęſarē fuiſsent ipſe eſset æquiſſi-
mo & libētiſſimo animo cōprobaturus. Cęſar igitur prōptiſſimus arbitros & cōmiſsarios creat Ele
ctores ac principes imperii Iacobū Treuerensē,Gebhardum Colonienſem archiepiſcopos. Iuliū epi
ſcopū Herbipolis Ducē Franconię,Wernherū Gymnicū Ducis Iuliacēſis, Cliuiæ,& Bergæ nomine.
Comitē Otthonē Henricū.Comitē Suartzēbergū,regulū Hohenlāſpergū.ꝓ Philippo Rege acceſ-
ſit Carolus Aragonius princeps Caſtri Vetrani dux idē Terręnouę & Marchio Auolę,Comesq; Ber
gedii,& Roſanius antiſtes.Sed qm̄ res tutò ſic trāſigi nō poſse apparebat,vt res legitimè procederet
atq; Cęſar ad negotiū admitteret,ſcripſit ad principes Belgarū vt legitimos ꝓcuratores mitterēt,qui
bus darēt ptās tractādæ & cōcludēdæ pacis.delecti ſunt itaq; ad comitia Coloniēſia Dux Areſcotēſis
Philipp⁹, Io. Abbas,Sāctę Getrudis,Federicus Abbas Marolles,cōſiliarii ſtat⁹.Bucho Aytha Sācti Ba-
nonis prępoſit⁹,Gaſpar Schetz eques,regulus Grobendōck.Weſemàel, Frāciſcus Oygnies,regulus
Beaurepar, Adolphus Meet kerken ſcutifer rerū ſtatus cōſiliarius,Adrianus Vāder,Milē Iuriſc.Olā-
dę cōſiliarius, Bernardus Mēden regulus Rumē,Adolph⁹ Goer,regulus Kaldēbroak.Aggęus Alba
da iuriſc.cū ampliſſima autoritate.Per idē tēpus fere Lucas Podoſchi⁹ miſsus eſt à Polono Rege Ca
ſurgiū ad fędera inter ipſos principes cōfirmāda,& vt peteret à Cęſare facultatē colligendarū copia
rū aduerſus Moſchouitā in locis imperio ſubditis: nā Moſchouitę legatio qa nō viderēt ſibi eſse ex-
cepta à Rege,qua cōuenire putabat magnificētia,nullo expectato reſpōſo à Rege in patriā repēte di
ſcedit.Moſchouita.n.nō ſolū aduerſus Polonū bellū gerebat, verū etiā vt parū curare vires Polono
rū viderēt magnū numerū illorū populorū dictus eſt miſiſse ſubſidio Turcicis copiis aduerſus regē
Perſarū,q habitāt apud paludē Męotidē.nā purpuratus Gręcię iuſsus.fuerat initio anni ſequētis cū
oīb⁹ ſuis copiis vrbē Tibiſcā ſiue Soffiā vocatā Męſię inferioris verſus iter facere.Sed qm̄ inflabat iā
tēpus comitiorū,q indicta fuerāt in Luſitania de nomināndo ſucceſsore Regis. miſs⁹ eſt ab Hiſpano
Rege Paccechus Cardinalis cū quibuſdā iuriſc.qui Regis ipſius iura ſucceſſionis oſtēderēt, q habe-
ret potiora in illud regū,cū inſtaret ex altera parte Antoni⁹ Aloyſii filius Henrici Regis fratris, q plu
rimū poterat gr̄a autoritateq; apud illos pp̄los,penes quos īuisū erat ob nōnullorū inſolētiā Hiſpa
num nomē.Sed.n. Henricus Rex vt cognoſceretur æquitati petitionis velle ſatisfacere, vel illū exclu

dit, qui ſatis probabilibus ac legitimis titulis ad illud regnum aſpiraret per communem etiam populorum conſenſum. Delecti ſunt itaq; vndecim iudices è primariis iuriſconſultis, qui ipſi iura cenſentium illud regnum ad ſe pertinere cognoſcerent, dijudicarent, ac deciderent, cum ius petentibus vel let Rex omnino ſatisfieri. ad hos vndecim deligendos, qui vnà cum Rege ſucceſſionem regiam iudicarent, conuocati ſunt viginti & quatuor communi eorum ſtatuum conſenſu viri delecti ex omni procerum numero præſtantiſſimi, vt ex his Rex vndecim eligeret. atque quoniam rumor erat Regem ipſum Henricum ad Hiſpanas partes inclinare, Philippumq; Regem procurare largitionibus aut promiſſis animos multorum ſibi deuincire, alienati ſunt non nihil animi Luſitanorum, proceresq; palam profitebantur ſe non eſſe paſſuros vt regnum per ſanguinem & virtutem maiorum partum in externum Regem transferretur, vel in alium illegitimum. Henricus Rex profitetur ſe neutram in partem magis inclinare, ſed ab ipſis proceribus petere, vt eum Regem exciperent, ad quem legitime iudicatum fuiſſet regiam ſucceſſionem peruenire, cum ſe niſi quod legitimum, æquumq; eſſet, nihil cupere palam dictitaret. Quòd ſi ante cauſam per vndecim iudices deciſam ipſe naturæ conceſſiſſet, omnes hortabatur vt iudicationi acquieſcerent. & quoniam proceres populuſque cenſebat ad ſe ſpectare nominationem & creationem Regis pro antiqua populorum conſuetudine, illud neq; aſſentiens neq; prorſus negans Rex aſſumpſit ad deciſionem, concluſionemq; cauſæ predictos vndecim. Sed paulopost moriturus reliquit Polum Card. vnum ex vndecim ſucceſſorem in teſtamento ſua manu ſcripto, ſuoque Regio ſigillo conſignato in auguſtiore templo Diui Dominici Vliſponæ, vt eius ſententiæ acquieſcerent regnum petentes, iuraque prætendentes. Sed antequam iſtud accideret Luſitani Regem rogarunt, vt ante ſententiam, quæ differri diutius videbatur, ſeptem gubernatores defenſoresque ſtatuum nominaret, qui per interregnum rebus præeſſent, regnumq; tuerentur. at Rex cum tres tantum appareret nominaturus, quinq; tamen delegit, qui vel ante mortem Regis magiſtratum inierunt, qui gubernarunt vel poſt mortem Regis cum multa pace & tranquillitate ſubditorum. Mortuo Henrico Luſitaniæ Rege vt finis imponeretur controuerſiæ putantium iura in regnum ſe habere, quo iudices ſententiam pronuntiarent, ſignificarentque ad quem legitima & debita ſucceſſio ſtatuũ illorum pertineret, quod fieret per pacem & quietem animorum iura ſe habere putãtium, ac ſubditorum. Gubernatores interea duos oratores ad Philippum Regem mittere decreuerunt Combæ Epiſcopum Comitem Arganili, & Emanuelem Comitem Milli Capocacciam vnum è primariis proceribus eius regni, qui percunctarentur an ſententiæ iudicum eſſet acquieturus electorum; quòd omnes reliqui illum Regem acciperent & iurarent ſi Rex fuiſſet declaratus. at ſi aliter fuiſſet à iudicibus pronuntiatum, vt illud æquo animo ferret. Se obnuntiare Luſitanos nullam vim eſſe paſſuros, neque violentum pro legitimo Rege eſſe accepturos, cum adpromitterent fore vt magna ſinceritate rei incumberetur, neque minori diligentia ſe eius iura curaturos, quàm ſi eſſent vel nunc ſui ſubditi. Veruntamen non ſimplex erat inter regnum appetentes altercatio, ſed etiam plurimum diſſentiebant inter ſe Luſitani quod qui Luſitanas partes tuebantur, contendebant electionem ad Luſitanos ſpectare pro veteri iure illorum populorum, de qua diu actum fuit cum Henrico Rege defuncto, quare negotium nominandi noui Regis ſucceſſoris diſtrahebatur. & prorogabatur. Nam multos iam annos, atque ad eo ab initio propè Regum Luſitanorum Henricum habuerunt anno. 108. deinde Alphonſum eius primogenitum, qui quinque Reges Mauros ſubiugauit, eorumque regnis potitus eſt. Eum Luſitani populi elegerunt ac iurarunt Regem, ex quo tempore ſemper vel hæreditarios Reges ac rectè ſucceſſores habuerunt, vel per populorum electionem, communemque omnium conſenſum: atque cum vnus eorum Regum fuiſſet Sancius anno. 1213. qui non ſatis æquabiliter gubernaret, aut per regias virtutes rebus præeſſet, illo etiam viuo Regem dixerunt & iurarunt Alphonſum eius fratrem tunc Ducem Caleſiorum populorum, quem è Caleto aduocarunt in Luſitaniam; atq; is & viuo & mortuo fratre multos annos regnauit, quod accidit Pontifice Innocentio IIII. Nec multopoſt cum Ioannes primus eſſet ſpurius, eum elegerunt, qui Alyben ſiue Ceutã vrbem Mauritaniæ ſubegit, glorioſamq; victoriam illam cõſecutus eſt Algibarottę ex Rege Ioanne primo Caſtellę, vt etiã accidit Emanueli patri nuper mortui Henrici, atq; ipſi Henrico per mortem Sebaſtiani, quem populi elegerunt & iurarunt Regem. his rationibus Luſitanas partes tuentes nitebantur demõſtrare populos pro veteri conſuetudine ad iura ſui Regis eligendi poſſe aſpirare. at qui partes Hiſpanas tuebantur has rationes conabantur refellere, qui cõtendebant quòd tametſi Alphonſo ob eximiã virtutem regnum delatum eſt, tamen id accidiſſe propter ingentia merita vt Rex cõclamaretur ab vniuerſo populo Luſitano, cum alioquin vt heres Henrico Duci erat ſucceſſurus. at alij dicebant non aliqua legitima autoritate fuiſſe ſuffectum, ſed populari potẽtia, cum oẽs Reges ignaui & inepti aut etiam ſubditis calamitoſi ſic poſſint ex imperio deijci: quare viuo Sancio nullũ titulum habuiſſe dicitur Alphõſus, niſi gubernatoris, cui mortuo frater in regnũ fratri ſucceſſit. His addebatur quòd ſponte ſe abdicauerãt priuilegijs, vbi aſſenſiſſent vt iudices deligerentur, cum poſſent illud facere per priuilegiũ, quod per iudicium aſſequi nituntur. Atq; cũ vniuerſæ multitudinis Luſitanorum tres ſunt ordines, alii ſiquidẽ ſunt principes ac nobiles quos ipſi Fidalghos vocãt, alii antiſtites, alii populares. inter antiſtites rurſus alii populares ſunt, alii Fidalghi; vniuerſus populus abhorrebat ab Hiſpanorũ miniſtrorũ gubernatione. è nobilib⁹ rurſus alii alias partes ſequebantur, cũ pleriq; fauerẽt partibus Hiſpanis blãditiis & pollicitationib⁹, vt dicebatur, permoti. nã populus cẽſebat Hiſpanã gubernationẽ plurimũ ab vſitata ſuorũ Regum differre, cũ Reges Luſitani ita cõſueuerint humaniter reb⁹ præeſſe, nihil vt metu à Luſitanis fieret, ſed omnia per honorem molirentur: à quibus Rex tanquam pater patriæ, ſalutiſque defenſor cenſeri ſolet omniumque pacis & tranquillitatis procurator, quippe qui pro rebus bene geſtis hono-

Gubernatores Luſitani electi.

Henrici Luſitani mors.

Electio antiqua Luſitanorum Regum.

Ordines Luſitanorũ populorum.

res & præmia diſtribuat, omnesque ad res honorificas propoſitis dignitatibus & titulis inuitet. Solitus eſt Rex amantibus monitis potius, quam vllo metu vel caſtigatione ad optima quæque adhortari; cum ignobilibus & conſceleratis & deperditis tantum animis, plagæ, verbera, cathenæ, cruces ſint pro fręno à flagitiis proponendæ, cum nobilia ingenia manſuetudine potius & honoris ſtimulo ad honorifica quæque impellantur. Nam apud Luſitanos Reges omnia vel rebus paruis vel magnis condigna præmia cenſuerunt eſſe propoſita, cum præ ſe ferrent multum amorem & humanitatem in omnes ſubditos cuiuſuis conditionis. Nam multos nobiles in Regio palatio Rex habet adoleſcentes, de quorum eductione eſt ſollicitus, cum ciuitas talis futura ſit, qualis fuerit adoleſcentulorum educatio. Cum ciuibus tanquam amicis multa familiariter communicat, & tanquam pater cum filiis amanter loquitur. lites componit. carpit opportunè. placidè hortatur. non opprimit Luſitanos populos auarè aut crudeliter magnitudine vel frequentia tributorum neque vectigalium, cum multa etiam ſint priuilegia & immunitates benemeritis familiis, per quarum virtutem regnum Luſitanorum ad Orientis vſque Indiam, & Sinas, & Iapaniam regionem extenditur. at quoniam leuia tributa & vectigalia impoſita ſunt Luſitanis, multæque immunitates, pro pecunia, quam plerique inſulſe appellant neruum belli, ſuccedit populorum beneuolentia & ſtudia & alacritas promptitudoque in res bellicas pro Regis & patriæ defenſione, cum legibus etiam Luſitanis ſancitum ſit, & in antiqua eius regni conſuetudine poſitum, atque in recenti vſu obſeruatum, vt Luſitani teneantur arma capere vbicunque opus fuerit ad omnem ſignificationem. Sic enim magni in illis regionibus inſtituti ſunt delectus militum. neque parui faciendæ copiæ colliguntur in Luſitania, niſi Sebaſtiani Regis calamitas tantum cladis nuper illi regno rebus militaribus attuliſſet & afflixiſſet, cum plura viginti & duobus millibus hominum bellatorum in Africa fuiſſent trucidata. nam diutiſſimè Luſitaniæ regnum vel vbi eſſet Ducatus per longiſſimam quingentorum annorum ſeriem aſperrimum atrociſſimumque bellum cum Africæ populis aſſiduè geſſit, quos Saracenos vocant. Nam vel ab Henrico primo Pannoniæ, qui ſub titulo Ducis Luſitaniæ imperauit ad hæc vſque tempora ſemper ſumma fuit inter hos populos contentio, qualem Alphonſus primus cum quinque Regibus Mauris habuit. is enim primus fuit qui per vim armorum Luſitanorum parta glorioſa victoria de hoſtibus cæruleam crucem inſigne Luſitaniæ inſtituit in argentea planitie. Inde ampliato regno Luſitaniæ per frequentes victorias, ſubactis inſulis Madera, Gorgonibus ſiue Arſinario vocatis, Diuo Thoma, Minna, Angola, Monzabique in ſinu Guineæ, deinde omnes propè Reges Luſitani cum Mauris ad Sebaſtianum vſque extremum bella geſſerunt. neque aliud eſt regnum Luſitanum, niſi per hoc genus militiæ vrbes & prouinciæ, quæ variis temporibus Mauris fuerunt ereptæ. cum Alphonſo Rege vrbs Scyria, Arronches, Santaren, Sinthia, Vliſippo, Porreſuedras, Eluas, Morera, Tierpa, Alcacedoſa, Eccora, Pieſa, Palonella, Secimbra, & vt paucis abſoluam Algarue & Commarea vt vocant, venerint in poteſtatem Luntanorum. nam tametſi maris mediterranei anguſtiæ inter Mauritaniæ partem ad columnas Herculis & Luſitanos intercedunt, tamen tam accommodati ſunt nauigationibus Luſitani, vt in ea nemini cedant mortalium. hic igitur enixe aduerſus nobiliores contendebatur, regnum per ſanguinem & virtutem maiorum partum & ampliatum, non eſſe ad exteros transferendum, à quorum miniſtrorum diſciplina & gubernatione præſertim tantopere differrent, cum eſſent etiam peritores regni, qui eiuſdem eſſent ſanguinis, & inter mores ipſius regni educati. Neque Gallia quidem protſus erat quieta dum res Luſitana ita fluctuaret, ſed & ipſa aliqua ex parte bellorum motibus vexabatur, cum in vrbem nobilem Bellonacorum, quæ Beauuois vulgo appellatur, ingreſſus eſſet cum quingentis equitibus & multo bellico apparatu regulus Sciatilioneus Gaſparis olim Amirantis filius, quem Mareſciallus Anuillæ non potuit impedire, vt cupiebat, quo minus vrbi ferret ſuppetias, cum iuſſiſſet eſſe in vrbe mille pedites, cum quibus ciues quotidie certabant, atq; illi ſic vrbe omnino ſe potituros arbitrabantur. repetebatur etiā Minerba, quæ diuturnam obſidionem pertulerat, quare habita ſunt comitia de finitimarum regionum trāquillitate. Henricus Gallorum Rex vt Gallicam nobilitatem dignitate quadam noua, quam ſibi in animo propoſuerat, inſigniret, atque in plures regiam liberalitatem exerceret, quos beneficiis ſibi coniunctos fideliſſimos defenſores fore arbitraretur, decreuit nouum ordinem equitum ſancti Spiritus in Gallia inſtituere. Et quoniam religio & Dei reuerētia eſt quaſi firmiſſimum vinculum omnis ſocietatis, quod magis etiam aſtringit vtilitas & honor, petit per legationem Henricus à Pont. vt ſibi beneficia non cōciſtorialia, & monaſteria, & commendas, & prioratus, ea ſunt dignitatum eccleſiaſticarum nomina, cōcedat ad remunerationem benemeritorum Catholicorum in ſuperioribus bellis pro religione, qui prouentus accederent ad quadringenta nummum millia. per illud ferè tempus accedit Poloni Regis orator ad præſtandam de more obedientiam. at Gallus orator inſtat ne admittatur tanquam orator regius ob iura Galli Regis in regnum Poloniæ, quod cum Pont. iniquum videretur, & vellet tamen aliqua ex parte Gallo ſatisfacere, pollicetur ſe in publicis ceremoniis additurū ſine præiudicio Galli Regis. celebratę ſunt Romę per idē tempus exequię Regis Luſitani, atq; cum tabulatū ſublime multis luminibus tectū fuiſset, omnes inſcripti ſunt tituli Luſitani Regis hoc pacto; Sebaſtiano primo Portugalli, Algarb. Regi Auguſto, Africo, Æthiopico. Arabico, Perſico, Indico, Braſilico, omnium Orientem verſus per Oceanum inſularum domino. Ioannis Regis fratris nepoti piiſſimo. Henricus Rex ſanctiſſimæ memoriæ filius. At vero qm̄ iam languidior apparebat fieri res Belgica per diuturnos ſumptus & labores, multiq; pertęſi diuturnarum moleſtiarum ac periculorum, ita demum cōpoſita eſt res Gandauēſis, vbi magna fuerat cōtentio inter Catholicos & principes nouę religionis, vt quinq; templa Catholicis relinquerentur, atq; captiui qui ſunt Gandaui, dimitterentur à ſtatibus neq; verò armis

Regum Luſitanorum adminiſtratio.

Inſigne Luſitanorum.

Equites ſancti Spirit' expetiti.

Luſitani Regis tituli.

rò armis

rò armis ſolùm, ſed etiam illecebris & blanditiis pugnabatur in Belgio, quare Caprenſis regulus profitetur apud Parmenſem ſe Attrebatibus eſſe perſuaſurum vt ad regiam obedientiam peruenirent, ſi tantum ipſe gubernator eius prouinciæ crearetur. Sed enim vbi Attrebatum gubernator illuc acceſſiſſet, illique ingreſſuro Caprenſis partibus fauentes reſtitiſſent, vt Caprenſem admitterent, excitatus eſt tumultus: quare neceſſe fuit Caprenſi nulla re memorabili edita abſcedere. At quoniam frigora iam tam acerba eſſe cœperant, vt ſubdio perferri omnino non poſſent, neceſſe fuit regijs copiis, quæ ad oppugnationem Maſtricchii acceſſerāt obſidionem ſoluere, quare Alenconius Dux etiam petit à ſtatibus vt quoniam acciretur in Galliam, neque res magnopere ſua præſentia indigeret, liceret abſcedere, quod eſſet auxilia miſſurus, & vel ipſe venturus ad illorum defenſionem, quoties ita res poſtularet, atque accitus fuiſſet. Miſſæ ſunt legationes, & venia conceſſa, & immortales gratiæ actæ, pro regia animi magnificentia, At Parmenſis quòd copiæ in hyberna eſsent mittendæ, ne illæ inopia rerum omnium affligerentur, legationem mittit Coloniam Agrippinenſem, quæ tranſitum & commeatum peteret pro precio, quòd eſset ad oppidum Cherpanum obſidendum acceſsurus; illa enim ratione ſibi videbatur commodè hybernare poſse in Menapiis & in finibus agri Colonienſis, cum in finibus Caucorum non ſatis commodè eſse poſset. Illud verò tametſi intelligebatur à præfectis vrbanis potius ad copiam cōmeatus, quàm ad expugnationem oppidi per id tempus poſtulari, tamen conceſsum fuit. In Gallia quoque vbi decertatum eſset diu magnis contentionibus de reſtituenda Minerba, quam copiæ Catholicorum fruſtra per decem & ſeptem menſes, ſexdecim millia armatorum nimirum obſediſsent, diuerberaſsentq; quatuordecim bellicis tormentis, Vgonotti ſponte excedunt è munitione rebus omnibus vel in annum munita. Eſt autem Minerba vrbs non valde ampla in edito loco ſuper ſaxo ſita, quæ neque cuniculis, neque vlla vi bellica, niſi diuturna obſidione, & inopia rerum bellicarum poterat expugnari. quæ dum geruntur in Belgio & in Gallia, non ſegniter res bellica agebatur in finibus Armeniæ maioris. nam Muſtapha Scythas Ottomanicis partibus propēſos iuſserat collectis magnis viribus in fines Perſarum ad Derbentum irrumpere, ac ſibi obuiam per ingentes populationes procedere. ipſe cum ſuis copiis in acie procedit ad inuadendū regnum Siruanum vocatum, quod eſt Regis Perſarum. vbi ad eos fines peruenitset, Georgiani populi Armeniæ, qui ſunt ab Hyrcano mari ad Mœotidem paludem vſque in tam ampla regione, vt viginti & ſex illorum idiomata fuiſse dicantur; multis cum beneuolentiæ ſignificationibus ac muneribus purpuratum excipiunt. Pōtem etiam ſuper amplum fluuium excitāt ad traiiciendas copias in finibus Curdonum. at Muſtapha vbi traieciſset ad triginta millia armatorum ad pōtis cuſtodia relinquit. ne vel reditus, vel iter commeatibus in caſtra intercluderetur: qua ratione viſus eſt parum fidere illis populis, quos arbitraretur ad gratiam Perſarum magis eſse propenſos. Ipſe cum reliquo exercitu populabundus ad Sammachium vſque metropolim eius regni procurrit nemine inuento qui vel tantillum reſiſteret. Sammachio vrbe occupata munitionem è gleba mira diligentia & peritia excitat, factis validiſſimis aggeribus, ac diſpoſitis centum & quinquaginta bellicis tormentis varii generis. ibi reliquit Achmetum Eunuchum purpuratum cum viginti & quinque millibus hominum, ipſe cum iam propè hyemaret cum ſuis copiis paulatim in Armeniam contendit. At Perſæ, quibus ſignificatus fuerat aduētus Scytharum cum magna ala copiarum illis repentè fiunt obuij, commiſsoq; prælio omnes trucidant præter paucos, qui fuga ſe ſeruarunt, reliqui Perſæ qui Turcicas copias & caſtra Muſtaphæ ſectabantur, magna vtuntur celeritate, atque illas denique comprehendunt. Vbi conſtitiſsent Turcæ intra aggeres foſsaſque militares, ne prorſus fugere hoſtem viderentur, Perſæ ad pugnam prouocant. Sed Turcę quia non veniſset in caſtra imperator, palam profitentur ſe nolle fortunam belli experiri. interim non paucis aut leuibus Perſarum contumeliis vexabantur, cum timidi & ſegnes & imbelles à Perſis vocarentur, & qui non in propria virtute hominum, ſed in aggeribus & bellicis tormentis omnem ſpem ſalutis collocarent, vbi fortes hoſtes & non fugientes inuenirent: quare tanquam fœminæ intra ſepta virginalia, mulierbreſque thalamos, laterent ita intra reparationes & aggeres ad pugnam & fortitudinem prorſus inepti. nam conſternati fuerant animi Turcarum multis calamitatibus & cladibus acceptis vel initio huius belli. at Turcæ impatientes aſſiduarum contumeliarum & conuitiorum, quæ ex Perſis aſſidue exaudiebantur, oblatam ſine tormentis pugnæ arripiunt facultatem, cum vellent demonſtrare Turcicam virtutem non in aggeribus aut machinis, ſed in brachiis & vigore animi atque in acinacibus fortiſſimorum hominum, conſiſtere. arripiunt igitur pugnam. inſtruuntur vtrinque acies. pugnatur acriter. victoria tamen fuit apud Perſas. Georgiani ex altera parte cognito aduentu Perſarum, quoniam ægrè tuliſsent cuſtodias pontis tanquam certiſſimum argumentum animi purpurati parum amici, copias repentè colligunt & ipſi, magnoque impetu illas trucidant, per quam cladem Turcarum & pons & regio Georgianorum fuit Turcicis terroribus liberata. ac pons reſciſsus. cæſa ſunt per eam Perſarum victoriam ad octoginta millia Turcarum, omneſque proceres vel trucidati ūel capti; at è Perſis ceciderunt ad quadraginta & quatuor millia. reliquis Perſis ad vrbem Sammachium reuerſis vbi ſe non poſse reſiſtere eunuchus cognouiſset, tantis præſertim ac victricibus copiis Derbentum verſus profugit, quaſque potuit cuſtodias ſeruauit. reliqui eius milites ſunt à Perſis trucidati, capta ſunt cum vrbe tormenta, & omnes à Muſtapha relicti bellici apparatus. Illam ſuorum cladem vbi Amuratus cognouiſset, ad confirmandos tamen animos ſuorum iubet in vniuerſo imperio edi ſigne ingentis lætitiæ, quia trucidata eſſent multa millia Perſarum. Capta ſunt multa tormenta, & bellici apparatus, & precioſa impedimenta, cum multa ſpolia Turcarum in poteſtatem Perſarum peruenerint. At Pontifex quia maximam cladem pluribus in vrbibus Italiæ acceptam fuiſſe per res aliūde importatas ſuperioreſq; propè totius Italiæ calamitates,

Minerba vrbs relicta Regi.

Turcarū clades inſignis.

cognouerat,& quia verebatur ne lues Anconam importaretur, cum multa undique nauigia cum
Lazarettum Anconę. mercimoniis illuc appellerent,decreuit ad ſecuritatem totius Piceni & Aemyliæ finitimę ſanitatis Lazaretum vocatum inſtituere,qui eſſet locus , vbi res eò aduectæ prius quam in urbem introducerentur,exponerentur aeri expurgandæ . Vt autem ſumptus colligi poſſet in mercedem miniſtrorũ exponentium,proponit unum in ſingula centena. Res nemini ulla eſt neque grauis nimis , neque iniqua , ſed ſoli Epidaurij, quòd illud decretum ſibi graue videretur ſuperbo conſilio decernũt per ſenatuſconſultum ne quod nauigiũ Epidauriũ ad loca Pontificia adnauigaret, neq; Hierapoli onus caperet ad Pontificiorum ſubditorum cõmoda. Pontifex ſuperbiam ciuium admiratus, nonnullam indignationis ſignificationem dedit,pecuniæque Romæ per quoddam tempus apud menſarios fuit interdictũ. At Venetiis quoniam obliuio ad exceſſum priuatorum ſumptuum redierat, qui comes eſt multorum ſcelerum ; ( nam cum priuata parſimonia domicilium habet omnis honeſtas, & religio & animi moderatio) ſaluberrimo cõſilio præfectorum moderandis ſumptibus ciuilibus factum
Veneta decreta ſũptuaria. eſt decretum,quod vtinam tam moderatè ſeruetur,quàm prudenter factum fuit, per quod & veſtitus & conuiuiorum ſumptus,& partuum certa ratione coarctabatur intra clatros modeſtiæ. Sublatus eſt omnis vſus artis Phrygionicæ,& vel verarũ & fictarum margharitarum, quarum ſimplex ordo tantũ cõceſſum eſt collo pro monili. pelles precioſæ vetitæ. auri picturati vſus in omni parte veſtium ſublatus,& aurea manubria flabellis. vetitum meretricibus gemmas, aurum, argentum, ſericas veſtes geſtare. interdicta aulæa. Propoſita grauis mulcta non modo aliquid vetitum geſtantibus, ſed etiam artificibus ſi quid horum elaborauiſſent. atq; non modo per partuum occaſionem intolerabilis ſumptus ſalubri lege ſublatus eſt, ſed etiam vetitus acceſſus , niſi eſſent viſuræ in certo gradu affinitatis coniuncti. Quod vt fieret ſine fraude, iuſſæ ſunt obſtetrices editum partum intra triduum magiſtratui ſignificare . Vetitus vſus margharitarum in infantibus qui ad ſacrum lauacrum deferrentur . Addita certa lex gulæ intemprrantium ciuium. conuiuia nimis lauta intra certos fines modeſtiæ coarctata . Nam pauones, phaſiani, perdices , & cætera huiuſmodi animalia, quæ in precio gula helluonum eſſe voluit, & nobiliſsimi piſces, & ludicra dulciaria ſapienti decreto è menſis helluonum exularunt . vetitus etiam fieri in eodem conuiuio geminus vſus carnium & piſcium, quoniam fiunt pleraque conuiuia, ad quæ non viri nobiles & moderati , ſed vel mendici famelici , vel etiam lupi iure poſſent conuocari, cum plerique in multitudine, varietate, precio ferculorum honorificentiam ineſſe putent . omnes coqui & gulæ miniſtri iuſſi ſunt profiteri apud magiſtratum nomina illorum, à quibus fuiſſent acciti ad paranda conuiuia, deinde ordinem conuiuiorum explicare. legibus cautum eſt ne qui exirent in præfecturas nimios ſumptus facerent in veſtimenta, aut ſeruos , aut domeſtica ſupellectilia, quoniam moderatio horum quaſi quoddam eſt frænum ad coercendos homines ab omni iniquitate. At vbi pro arbitrio priuatorum viuitur nullis ſeruatis legibus, ibi contentio de magnificentia ſuboriatur neceſſe eſt, ac multi per ſcelera & fraudes contendant opulentioribus adæquari: quod certè ſine latrociniis vix fieri poteſt vel priuatis vel publicis. Idcirco pœnæ condignæ propoſitæ ſunt omnibus , qui tam ſalubria tamque honeſta patrum decreta non obſeruaſſent . Nam nihil prodeſt vrbi bonas habere leges , niſi bonos habeat etiam ciues, qui libenter obtemperent; aut etiam magiſtratus ſeueriores, qui ſunt cuſtodes & ſatellites ipſarum legum . Interea Matthias Archidux legationem & ipſe miſerat ad Cæſarem vt ageretur de pace, quam ſtatus per tres menſes etiam ſe expectaturos profitebantur , ad quos Cæſar ſcripſit ſe de illa eſſe acturum, à qua videbatur etiam Aurantius non abhorrere . Quæ dum fiunt Venetijs, Melilla vrbs Africæ ad centum millia paſſuum omni ex parte concuſſa eſt terræmotibus tantis, vt antiqua mœnia collapſa ſint, ac noua diſrupta, multæque domus corruerint cum maxima omnium trepidatione , qui cenſebant extremum mundi diem aduentaſſe. Boccar etiam oppidum quod eſt in finibus Serifi, corruerat cum ſcopulo vbi erat extructum , & quod viſum eſt mirum, multa nauigia , quæ erant in portu pene conquaſſata ſunt, quo tempore natus eſt puer in agro Caſurgienſi cum duobus capitibus . At
Equites Sancti Spirit' inſtituti. Henricus Gallorum Rex ordinem equitum Sancti Spiritus in hunc modum inſtituit ad defenſionem Catholicæ religionis ; poſt veſpertinas preces in templo monachorum Auguſtinianorum ab Araldo accitus ante aram maiorem in genua procubuit manu epiſcopi adductus, atque accepto ordine religionis dictus eſt ſummus magiſter, vbi talarem tunicam induiſſet, ſumpſiſſetque torquem & crucem croceam ad pectus . Tum conſedit in throno aureo panno ornato vbi tamen iuraſſet ſe vitam & regnum pro Catholica fide ac defenſione Chriſtianæ religionis expoſiturum. acceſſerunt & candidati eius ordinis ſingulatim tela argentea induti, qui acceptis inſignibus ordinis iurarunt ſe promptos fore ad Catholicę Romanę fidei defenſionem, neque arma contra Regem eſse capturos. Illi ſic talari induebantur , torquem accipientes , quibus pro munere datus eſt viritim ſacer libellus cum aureo integumento. erant equites viginti & ſex, præſentes fuerunt oratores Scotiæ & Venetiarum, atq; inter eos equites inſigniores erant Dux Auguſtonometanus, Mareſciallus Rhenſius, Philippus Strozza, Comes Phliſcus, regulus capellæ, quinq; magiſtri inſtruendarum acierum; atq; ita diſceſſum eſt vt præcederent Heluetiæ & Germanæ cuſtodiæ, poſt quas ducenti nobiles, poſt hos Araldi cum tympanis & tubis, poſt hos aulici equites, & magiſtri inſtruendarum acierum, deinde viginti & ſex equites bini cum torquibus & crucibus, quorum veſtes in aurea lilia erant picturatæ , quos Rex ſubſequebatur, quem plurimi principes ac nobiles Galli . Pontifex quidem vt ordo inſtitueretur, iuſſerat vt Bandinus nũtius aſſiſteret ceremoniis, qui tamẽ alienationẽ ſuper beneficiis ad
1579 cõmendas equitum negauit. Sed iam inierat annus alter cum rumor inualuit, non parumq; vexauit animos multorum, quòd Ducionum, Cimbrorumq; Rex cõparata ingenti claſſe, multiſq; terreſtribus copiis adiutore Saxone eſſet ad recuperandas Menapiorum & Buſaterorum regiones iturus, ob

iura

iura quę habebat. qu are nō vnū bellū apparebat fore inter Belgas & Hiſpanos, ſed etiā cū alijs, & illis quidē valde potentibus nationibus eſſe pugnandū. Belgæ tametſi neq; ratio tēporis, neq; induciarū opportunitas bellum gerere patiebatur, tamen non prorſus ignaui deſident, ſed maturè proſpiciunt omnibus, tanquam fieri poſſit vt pax ea non ſequatur, procurantque ne repente opprimantur poſt modo nullis rebus neceſſarijs communiti. Animum igitur intendunt ad bellicos apparatus, & ad recognoſcendas munitiones, ad cenſendas copias quæ eſſent in præſidijs, & ad omnia pro opportunitate inſtauranda vel inſtruenda, in primiſque Muenſis regulus Cameracum cum copijs ingreſſus ita iubentibus ſtatibus vallones præſidiarios eximit, quòd illis parum fiderent, quoniam oppida quędam Malcontentis reſtituerant. Interea Neruij & Attrebates quia parum æquo animo Hiſpanorū amicitiam complecterentur, apparebantque fore debiles ſi ſeiungerentur à Belgis, quamuis non diſſentirent ab Hiſpanis de religione, tamen cenſebant tutius eſſe ad ſuam defenſionem cum patria & cum finitimis populis contentire, quam cum Hiſpanis populatoribus eius prouinciæ. Decernunt itaque vires fortunamque ſuam cum ſtatibus coniungere præter paucos; quod cum ad aures principis Parmenſis perueniſſet quaſdam conditiones, easque perplacidas ad hos miſit populos, vt illos ab inſtituto reuocaret, & ad gratiam Philippi Regis retraheret. At Neruij tamen conditiones quas expetebant fęderationis miſerunt ad principes Belgarum, in quibus præter alia continebatur quòd nollent ab vltima pacificatione Gandaui recedere, neque ab obſeruantia ſuæ religionis Catholicæ Romanæ. Quòd ſi ſtatus nolunt illam religionem ſeruari, ſed nouam pro auita ſuggerere, decreuerunt omnino meliorem fortunam ſequi, atque rem cum Hiſpanis componere. Illud conſiliū multę vrbes præterea apparebant conſecuturæ. ad hoc munus, atque vt pateat certa ratione promiſſa ſeruatum iri miſſus eſt Attrebatum & Neruiorum nominè Comes Lalainus, qui videret ne nouam religionem illæ prouinciæ admittere cogerentur. At enim ſtatus quia nullo pacto induciæ obtineri per multas petitiones non potuiſſent, resque ad acerrimum bellum potius quam ad vllam pacem ſpectare videretur, ob frequentes moleſtias Hiſpanorum ſummum peditum ducem creant regulū Montegnium, qui cum omnium delictorum venia ſibi à Moteo Regis nomine proponeretur, non ſolum non admiſit, ſed etiam in eum impetum faciens multos milites trucidauit, atque conditiones ſunt hę petitæ ab ordinibus Artheſiæ, Hannoniæ, inſularum Duaci & Orchiarum ad reconciliationem & pacificationem cum Philippo Rege, quæ à Parmenſi principe fuerunt confirmatæ. Hiſpani ſi quidem ad Moſam fluuium caſtrametati decreuerant oppidum Vendē amplum obſidere, vbi erant in præſidijs duæ cohortes militum ſtatuum parum cum oppidanis conſentientes. Illud vbi ſtatus cognouiſſent, miſſi ſunt ſubſidio quingenti pedites ipſis cohortibus, quorum aduentu cognito ab Hiſpanis per exploratores, iubent partem copiarum obuiam procedere, quare commiſſo prælio ſubſidiariæ copiæ profligatę deletæque ſunt, quo tempore Ioannes Nanſienſis cum decem vexillis peditum morabatur Meniene opem laturus ſi opus eſſet. Nec parum moleſta ſanè erant Louanij prędidia etiam Bruxellenſibus, aut quibuſuis locis finitimis, cum omnia incurſionibus latrocinijs & cędibus infeſtarent. idcirco principes Belgarum tributa omnibus ſubditis imperant ad apparatus bellicos. Bruxellenſes audito nomine tributorum legationes mittunt ad ſtatus, quæ ſignificarent ſe nō poſſe tot rebus vno tempore facere ſatis, quia plus ſatis haberent negotij propulſandis iniurijs Louanenſium præſidiorum. non poſſe tributa ſoluere, quæ in defenſionem abſumerentur, niſi ſuſcipiatur expugnandi Louanij expeditio. Nam Hiſpani ſumma vigilantia, induſtria, cura vtebantur cum caſtra ſtatuum eſſent diminuta ſub finem ſuperioris anni multis caſtellis occupandis, quare Vueſt vrbem repentino propè conatu capiunt, atque oppidulo per vim armorbm nō multo poſt potiuntur, ac ſeptuaginta milites, qui erant in præſidijs ſuſpendio necarunt. Itum eſt deinde ad oppidum Endouenam, & minutum pręlium cum præſidijs commiſſum, in quo multi ſtrenui milites vtrinq; ceciderunt, victoria tamen fuit denique penes Hiſpanos cum plures cecidiſſent ex prędidiarijs, atque quidam fuiſſent capti. His Hiſpanorum ſucceſſibus ſtatus animum conuertunt ad copias colligendas, & parandas res bellicas. Parmenſis quia res ſuccederent è ſententia, cępit in animo cogitare de expugnādo Maſtrichio, quare nō procul ab illa vrbe tres pontes ſupra fluuiū Moſam iubet excitari, partemque copiarum tranſmittit Ruremondam verſus, quæ in Menapiorum regionem intraret, omniaque hoſtilem iu modum popularetur, cuius conſilio cognito Nanſienſis à principibus Belgarum auxilia per legationes ad hoc impediendum poſtulat. ipſe Parmenſis ad Maſtrichium ſiue traiectum Moſę ſuperius obſidendum cum reliquis copijs proficiſcitur. Eſt autem Maſtrichium vrbs ampla & nobilis in ripa Moſæ fluminis ſita, per quam Moſa delabitur natura & arte munita, multiſque nobilibus ędificijs inſignis. vbi Parmenſis caſtra non procul ab vrbe poſuiſſet, eaque circundediſſet foſſis & aggeribus militaribus de more caſtrorum, occupauit non multo poſt occultum iter Bruxellanę portę erigit propè propugnaculum editam planitiem, qua impediuntur milites ne illo vtantur. cępit tormenta in tres partes vrbis dirigere, quæ prius fuerant exploratæ ad verberationem. cum etiam vterius propugnaculi vnà cum turriculis paterum ad proſternenda latera defenſionis quaereretur. cęptum eſt & leuibus prælijs interdiu decertare. Sed enim cum tormenta viderentur viam ad ingreſſum ſatis amplam aperuiſſe, inſtructę ſunt acies ad inuadendum, vbi datum eſt pugnę ſignum, tympanaque frequentioribus ictibus pulſarentur, itum eſt magna alacritate per ruinas murorum. ſed defenſores minime cedentes inuadentium virtuti fortiſſime reſiſtunt. pugnatur acerrime ſummaque pertinacia vtrinque. ad extremum Hiſpani cum magna ſuorum clade recedere coguntur. cum repetitus fuiſſet conatus paulopoſt, rurſus apparuit ſingularis virtus defenſorum, qui tamen cognita promptitudine & pertinacia inuadendum cum ſemper fierent pauciores modo in quibuſdam conatibus trucidatis mittunt qui peterent ſuppetias ab Aurantio: atque cum tria raitrorum mil-

*Vueſt captū.*

*Maſtrichi deſcriptio.*

rum millia nuper ad ſtipendia fuiſſent conuocata, decreuit ſecum illos ſubſidio obſeſſis eſſe mittendos. Non ceſſabat tamen Hiſpanarum copiarum induſtria, quæ conatibus, verberationibus, cuniculis, omni genere oppugnationis vrbem capere nitebantur; ſed omnia fiebant vana propter vim defenſorum, nam plura tribus millibus hominum è regijs copijs trucidata ſunt in ipſis conatibus. atq; quoniam pauca tormenta eſſent attracta ad tam amplæ vrbis oppugnationem, in qua ſatis ingentia eſſent præſidia, quæ aduerſus vel paruas vel tardas verberationes poſſent præualidas reparationes interius excitare, petita ſunt viginti bellica tormenta à Leodienſibus. Iuſſa ſunt præſidia finitimarũ munitionum paucis exceptis in caſtra conuenire, quo totis viribus vrbs inuaderetur. miſſa ſunt Leodio non ſolum tormenta, ſed etiam quatuor millia operarum cum multo bellico apparatu, quibus viribus auctus Parmenſis, cum neque cuniculis, neque conatibus defenſorum vires poſſet infringere, ſtatuit montem è gleba excitare, vnde domos deſuper vrbanas poſſet proſternere, idque prætertim quòd ſtatus nullum apparatum faciebant, quamuis dicebantur parare tormenta, & centum vexilla peditum colligere, quæ accederent tribus illis millibus raitrorum, & ſexcentis equitibus, qui iam erant in caſtris. erat inſula quædam exigua, quam fluuius Moſa faciebat non procul à Maſtrichio, quæ opportuna viſa fuit Hiſpanis ſi occuparetur ad vrbem infeſtandam, in quam expoſiti ſunt quidam Hiſpani. ſed tanta fit ex vrbe ferreorum globorum procella vt multis miſerabiliter laniatis neceſſe fuerit recedere. Poſt attracta vero Leodio tormenta vbi facta eſſent magno impetu ampliora ſpatia ad inuadendum, tanta vi, tanta virtute, tanta alacritate Hiſpani rurſus vrbem inuadunt, vt poſt diuturnum & cruentum prælium vrbe ſint demum potiti. Cæſi ſunt omnes qui armati erant in vrbe, & multi præterea ciues, cum reliqui etiam atrocitatem victoriæ ſenſerint. Hiſpani ſic vrbe per vim ferri potiti nonnullos vies Maſtrichij morantur dum reficerentur partes deuaſtatæ, muniretur que vrbs aduerſus hoſtes, ſiquis fieret impetus à copiis ſtatuum. Interea Poloniæ Rex Varſouia diſcedit, acceditque in Liuoniam, vt illum principatum inuiſeret, quem nunquam antea vidiſſet. Magno cum apparatu exceptus fuit à Lithuaniẹ proceribus, qui obuiam proceſſerunt cum florentiſſimo equitatu ac peditatu. Nec ita multo ſanè poſt vbi cognouiſſet iura & priuilegia ac inſtituta Lituanorum petitum eſt ſuppliciter à Lituanis, idque magna contentione vt bellum publicè indiceretur Hamaxabio ſiue Moſchouitæ, propter aſſiduas moleſtias quæ illis finibus inferebat. Profitentur ſe propriis ſumptibus multa millia armatorum hominũ ad illam expeditionem eſſe collecturos. Rex vt cui cognitum eſſet multa loca Poloniæ regni per iniuriam & auaritiam Moſchouitẹ ſuperioribus annis fuiſſe occupata, qui tamen non contentus illis aſſiduè regnum Poloniẹ aliqua ex parte cum coniuratis infeſtabat, neque vllum finem eſſet habiturus dum rapinæ ſpes allexiſſet, re maturè conſiderata decernit denique voluntati procerum eſſe aſſentiẽdum ad eius regionis, principa uſque ſubleuationem, & ad arcendas miſerias ſubditorum populorum; quare conſilium totũ conuerſum eſt ad copias colligendas. At in Gallia videbantur magni tumultus excitari, quoniam cum rex quædam tributa Galliæ populis ad ſoluendum æs alienum, quod ſe ſuperiora bella contractum fuerat, impoſuiſſet, Sequani & Biducenſes palam profitebantur ſe nolle illa diſſoluere, neque quæ ab Aloyſio vndecimo ad hæc vſque tempora. Profitebantur tamen contractum ęs propter Italos velle diſſoluere, cum nimis dulcis amor ſit pecuniæ, neque ſemel impoſita populis tributa facile obliterentur. Rex id ægre ferens nonnullas equitum ac peditum cohortes mittit in Biducenſes & Sequanos ad ſedandos illos tumultus. Quæ dum geruntur in Gallia, Antonius Luſitani Aloyſii filius, qui ſe ius habere ſucceſſionis in regnum Luſitanum arbitrabatur, ſua iura tanquam legitimus ſucceſſor colligit, atque cum obiiceretur quòd eſſet ſpurius & inhabilis ſucceſſioni, multos teſtes producit interrogandos per quos conatur probare ſe ex legitimo matrimonio fuiſſe procreatum. colligit ſua iura & Dux Bragantiæ, quare non multo poſt cum obiectum fuiſſet falſos teſtes fuiſſe productos, & Antonius & Bragantię Dux in exilium à Rege ſunt eiecti, & bona fiſco addicta. Philippus rex quoniam comitia de nominando Luſitano Rege iam cepiſſent conuenire, mittit Ducem in Luſitaniam qui ſua iura tuerentur. Indicta fuerant comitia proceribus etiam Boemię per idem tempus de bellicis apparatibus aduerſus Turcas faciendis, ſi forte opus eſſet, à quibus Cęſar petebat quadragies centena millia nummum, ad cuius gratiam decretum eſt vt certa tributa domibus & ceruiſię & vino & equis exeuntibus è regione & Iudæis & exteris imponerentur, quæ tributa ſi ad illum numerum pecuniarum non accederent, ſtatutum eſt vt res vel in quartum annum exigatur. In Italia vero cum Dux Ferrarienſis vxorem eſſet ducturus honeſtiſſimam Virginem filiam Ducis Mantuani, iubet multa magnificentia memorabilem thalamagum confici, in quo multi nauigiorum magiſtri duos menſes & amplius extruendo coſumpſerunt. Habebat ille thalamagus cubiculum prope ad formam oppiduli cum tribus feneſtris, vnam temonem verſus vtrinque cum clariſſimis ac limpidiſſimis vitris. habebat & duo oſtia ad exitum & acceſſum. ſupra thalamum platea erat cum paucis columnis & lateribus vbique cuius in medio erat mẽſa. tegebatur platea tanquam puppis triremium cum phano criſtallino, vbi erant quinque funaliorum loca. Erat & aula vndiq; feneſtrata, ſupra quã erat platea cũ paruis colũnis & lateribus, inter quas erãt aquilę argenteæ cũ vexillis ſericis auro picturatis. aſcendebatur in aulam per duas ſcalas cochleatas alteram à puppe, alteram a prora, quę columnis & lateribus claudebãtur, in qua erat cubiculum cum aurato lacunare & pulcherrimis aulęis. in eo thalamago ſponſa cum multa magnificentia Ferrariam fuit aduecta. Cęterum quoniam conueniſſent Coloniam Agrippinenſem legationes principum, Baptiſta Caſtagna Pontificis nomine, & Cęſare commiſſarii & Regis Philippi ac principum Belgarum, vbi gratias egiſſent ſtatuum legationes ſingulatim commiſſarij, quia negotium ſuſcepiſſent, oſtenderunt quam pacem cupiant. quid habeant in mandatis. atque poſt quaſdam diſputationes propoſitę fuerunt de-

Maſtrichũ captum.

Tributa à Gallis reiecta:

Petentes Luſitanum regnum.

Thalamagus Ducis Ferrarienſis.

mum con-

Conditiones pacis Colonienſis propoſitæ.

mum conditiones pacis, cum alij alias confinxiſſent, quæ in vniuerſo Belgio ad tranquillitatem prouinciæ in poſterum ſeruarent, quæ fuerunt huiuſmodi; 1. Primum pacificatio anno 1576. die. 8. Nouembris Gandaui inita & inſtructa; vnio quoque Brullis 9. Ianuarij 1577. ſubſecuta. Edictum inſuper perpetuum Bruxellis 17. Februarii eodem anno publicatum vna cum approbatione regia in omnibus ſuis punctis & articulis ſeruabuntur, & executioni mandabuntur. 2. Et quia præterea, quæ à tempore primorum motuum acciderunt, poſt viam tractatus pacificationis Gandauẽſis, vnionis. & edicti perpetui vltro citroq; varia facta, dicta, & admiſſa fuerunt tam in generali, quã in particulari, hac præſenti quoque pacificatione non minus. poſteriorum iſtorum factorum & dictorum, quam eorum quæ ante contigerunt; perpetua obliuio conſtituatur, ita vt eorum nulla amplius fiat mentio, exprobratio, aut inquiſitio, quaſi ea nunquam accidiſſent, idque ſub pęna exemplaris correctionis ſubditis contrauenientibus tanquam perturbatoribus tranquillitatis publicę infligenda. 3. Rex catholicus vaſallis, ſubditiſque ſuis ſeruabit, manutenebit, & ſi opus videbitur etiam de nouo confirmabit omnia & ſingula iura, vſus, conſuetudines, immunitates, exemptiones, & priuilegia quarumlibet prouinciarum, ciuitatũ, oppidorum, communitatum, aliorumùe priuatorum omnium cum in genere, tum in ſpecie, quemadmodum in edicto perpetuo articulo decimo, & cũ prouincijs Belgicis inauguratus extitit, promiſit, & iurauit. 4. Omnes milites extranei vt pote Hiſpani, Itali, Germani, Galli, Burgundi, Angli, Scoti, ac cæteri omnes peregrini, qui propter hoſce motus vtrinq; accerſiti ſunt prouincijs Belgicis ab hac pace promulgata intra terminum communi conſtituendum ſimul excedant & eodem tempore. 5. Quod vero attinet ad alios milites non extraneos, etiam ad pleniorem exonerationem afflictorum ſubditorum mandabit Rex militem tam terra, quam mari eodem quoque tempore exautoritati & dimitti, vt nimirum deinceps ſibi priuatim viuant in tranquillitate ordinarijs tantum præſidijs retentis ac ſuffectuis, vt ſubditi quoque ciues & incolæ omnes citra cunctationem redeant ad mercaturas, opificia, & negotia pacis, quibus ſe, vxores, liberoſque citra iniuriam proximi honeſte ſuſtentare valeanr, & à publico armorum vſu antea non conſecuto & pacis tempori non conuenienti deſiſtant & abſtineant. 6. Vniuerſæ exactiones' impoſitiones, ceteraque inuſitata vectigalia & onera præſentium turbarum occaſione quomodolibet indicta, penitus ceſſabunt ac tollentur: ita tamen qnòd ſi certorum onerũ continuatio adhuc fore ex vſu publico iudicabitur, ſimul atque ordines ſtatuum eiuſmodi quid demonſtratum fuerit, rex haud grauatim ſe ordinum conſilijs iuxta ac deſiderio accommodabit. 7. Pręterea reſtaurabitur libertas commerciorum, & tranſitus vbiuis locorum per vrbes, pontes, portus earundem prouinciarum non minus terra quam mari, perque fluuios & flumina prout factitatum fuit ante præſentes hoſce tumultus. nouis autem vectigalibus atque impoſitioſitionibus abſque Regis autoritate eatũ tenus per hos motus de facto inſtitutis in continenti ceſſaturis. 8. Et ne qua ſemina altercationum aut querelarum relinquantur, omnes Eccleſiaſtici, nec non omnes ſęculares tam intranei, quam extranei recuperabunt pacificè bona ſua ſęcularia & Eccleſiaſtica reſpectiuè mobilia, extãtia, & omnia immobilia, titulos, debita, actiones, iiſque ſtatim vti ac frui poterunt in eo nimirum ſtatu & qualitate quibus in præſentiarum illa ipſa reperientur, idque omni dolo ac fraude ſemotis, non obſtante vlla hypothecatione aut quauis alienatione à tempore pacificationis Gandauẽſis facta in cõtrarium, quę vero ante pacificationem Gandauenſem acciderunt, eiuſdem diſpoſitioni relinquantur. 9. Similiter quoque ſubditorum quilibet hinc inde etiam redintegrabitur in ſuis honoribus, dignitatibus, beneficijs, gubernaculis, muneribus, functionibus, officijs, plane ad inſtar prout tempore edicti perpetui (illis quæ ante edictum contingere eiuſdem diſpoſitioni relictis) exterit. Exceptis tantum ijs, quibus contra libertatem, iurataq; ac priuilegia patriæ de vlla funtione proſpectum fuiſſe demonſtrabitur. Prouiſo tamen quod eiuſmodi dignitatibus ſpoliati denuo redintegrandi tenebantur pręſtare iuſiurandum cuius in proximo ſequenti articulo fit mentio, prout facturi, quoque ſunt cęteri ad nouas functiones & officia in poſterum cooptandi, caſſando, anullando quidquid hinc inde factum, decretum, pronunciatumùe fuerit in contrarium. 10. Nulli admittentur ad vlla gubernacula prouinciarum, ciuitatum, caſtrorum, fortalium, capitaneatus aut pręfecturas militum, nec ad conſilium rerum ſtatus priuatum, financiarum, aliaque officia maioris momenti, præter naturales harum prouinciarum ſub gubernaculis generalibus comprehenſarum: qui etiam ante receptionem vltra antiqua & ſolita iuramenta Regi tanquàm eorum principi naturali præſtari ſolita, in hos articulos Regi & ordinibus ſolenniter iurabunt; & promittent fideliter, ſincereque ſeruare ſub pęna periurij, & tanquam tales puniendi. 11. Captiui vtriuſque partis omnes qui ob dictos tumultus adhuc dum detinentur ſtatim & abſque vllo precio relaxabuntur, niſi iam antea de eo aliud inter eos fuerit conuentum & concordatum. 12. Comes Buranus ſuæ libertati & patrię intra tres menſes, poſtquam princeps Aurantius illa quę cum ipſo tractabuntur, impleuerit, reſtituetur. 13. Decreta, diſpoſitiones, ordinationes per D. Archiducem Matthiam, quoſque collaterales & principes ſtatuum a tempore vltimarum turbarum nomine Regis èmanatę, pro legitimis & validis habebuntur, ſuoſque debitos ſortientur effectus quod ad beneficia, dignitates, officia, aut alias quaſpiam res, quæ ſolent eſſe poteſtatis ac depoſitionis ordinarię illorum, qui tenent locum gubernatoris dictarum prouinciarum, non autem in iis, quę proprię perſonæ Regis reſeruantur, aut ſi quę factę ſint contra iura, priuilegia, & immunitates patrias tam in generali qdam in particulari, vel aliqui in vllius iniuriam ſeu detrimentum redundarint. 13. Pariter etiam quarumlibet vrbium & locorum magiſtratus ſeu officiati ſuis functionibns deſtituti alia via ac ratione quam iuris ordine legitime ſeruato, aut alias contra priuilegia dictorum vrbium aut præter ordinarios, conſuetoſque modos cum primis reſtituentur & redintegrabuntur in dignitates, officiaque ſua, nec nõ ad eorum creationem

futuris

futuris temporibus procederetur, prout olim & ſicut ex iuribus, moribus, priuilegijs cuiuſque patriæ, vrbis, & loci decet, ne cui facta toleretur iniuria. 15. Quæ concernunt religionem, quæ omnibus principibus vere Chriſtianis iure debet eſſe commendatiſſima, haud poteſt Rex vllatenus prçterire, quin veſtigijs Regum catholicorum ſuorum maiorum inhærendo præcipiat ac mandet in prouincijs ſuis patrimonialibus retineri ſeruarique religionem catholicam apoſtolicam Romanã ab omni æuo non ſolum ibidem receptam, ſed etiam ſub qua earundẽ prouinciarum ſubditi olim tantopere floruere, & in qua tam dictum Regem, quam cęteros ſuos prædeceſſores olim prouincijs inauguratos mediãte ſolẽni iuramẽto in principes ſuos naturales receptos fuiſſe notoriè conſtat. q̃ quidẽ ſupradicta religio, excluſa quauis alia, libere pacificè & abſq; vllo impedimẽto p̃ prouincias Belgicas poſt hac tractetur & exercebitur, pro ut ordines ẽt iã antea in vnione generali ſe ipſos mutuò ac ſolẽniter obligarũt, & in edicto quoq; perpetuo ac literis frequẽtib. Regi nõ minus poſt, quã ante turbas præſentes ſe paſſuros & procuraturos addixerũt, & ſicut ẽt iã pridẽ ſcripſere ad S.M. Imperialem, vſque adeo quod abſq; graui nota, vt non dicatur confuſione vniuerſi ſtatus politici, haud poſſint in re tanti momenti proprijs ſcriptis vlla ex parte contrauenire. 16. Quod verò ad Olandam & Zelandam & oppidum Bommel attinet diſpoſitioni pacificationis Gandauẽſis relinquatur. ita tamen quod interea temporis in ijs ciuitatibus ac locis dictarum prouinciarum religio catholica Romana reſtituetur, in quibus tempore dicti tractatus ibidem exercebatur. 14. Subditis qui in reliquis prouincijs Belgicis in hac tractatione comprehenſis à catholica Romana religione receſſerũt Rex catholicus præſentem Belgij ſtatum reſpiciens per regium ſuum commiſſarium concedit, vt ijs liceat in prouincijs iſtis ſine aliqua coerctione aut moleſtia occaſione placitorum religionis eo vſq; ſuſpendendorum, degere & manere, donec conſilio ordinum legitimè ac debitè in loco tuto, vbi ſuffragia libera eſſe queant per Regẽ, ſeu eius gubernatorem generalem congregandorum, aliter diſpoſitum fuerit ſuper placitorũ moderatione. prouiſo tamen quod interea temporis eiuſmodi ſubditi à ſcandalis rerumque perturbatione ac omni vſu & exercitio alterius quam Romanæ religionis prorſus abſtineant. & interim etiam liberrimè fruentur omnibus ſuis bonis tam mobilibus quam immobilibus, iuribus, actionibusque, & poterunt ea ipſa qualiacunque fuerint etiam alio transferre ſeu vendere & alienare prout eis videbitur: & quatenus bona ſua retinere malint, poterunt etiam abſentes ad eorundem bonorum regimen adminiſtrationem & receptionem in prouincijs ſibi eligere quæſtores catholicos quoſcunque volent. Præterea toties, quoties voluerint ad prouincias iteratò redire victuri tamen catholicè, ijsq; ritibus ac moribus, quos perſonas catholicas decet, eritque huiuſmodi reditus ac facultas bona adminiſtrandi per ſe cuilibet bona fide permiſſus, ſtatim atque paſtoribus, officiatis, & magiſtratibus locorum, ad quæ redire cupient talis intentio ac voluntas inſinuata fuerit. Ex qua quidem regali indulgentia nulli non perquam manifeſtum redditur quòd Rex nihil minus quam bonorum confiſcationes, ruinam, ac pernitiem ſuorum ſubditorum appetat, nec etiam quod rigore ſuperiorum placitorum ipſos perſtringere conſtituerit cum paratiſſimus quoque ſit ea ipſa placita cum conſilio ordinum ſtatuum competenter temperare ac moderari, omniaque facere, quæ ad Dei opt. Max. cultum, prouinciarumq; quietem ac tranquillitatem pertinent, ac benignum, amantiſſimum, Chriſtianumque principem decent. 18. Autoritas & obedientia Regi à ſubditis cum primis reſtituetur & ſeruabitur, qualis merito iuxta prçſcriptum diuini & humani iuris, nec non priuilegia, vſus, & conſuetudines patrias, nec non pacificationem Gandauenſem, vnionemque ſubſecutam, edictum perpetuum, & præſentem tractatum eſſe debet, qualiſque olim ſeruata eſt, vt rectè nimirum adminiſtretur iuſtitia. ſubditi regantur in omni ratione, æquitate, quiete, obedientia, idque ad eam formam modumque quo factum eſt ab omni memoria tam defuncti imperatoris Caroli V. eiuſque prædeceſſorum, quàm etiam Regis tempore vſque ad harum turbarum initia, ſine cuius autoritatis inſtauratione, ac ſubditorum obedientia nequaquam poſſibile eſt populum in vnione, concordia, rectaque iuſtitia, quiete, tranquillitate manuteneri. 13. Supereſt de gubernaculis generalibus ſupradictarum prouinciarum, quarum occaſione Rex eliget principem de ſanguine, qui quęue rerum experientia pollens habeat dotes & qualitates ad eius generis arduum munus cum primis neceſſarias, & de quo, ſeu qua ſubditi rectam cauſam ſatiſfactionis ſint habituri. Gubernabit autem cum omni iuſtitia & ęquitate, præſertim vero ſecundum vſus, iura, conſuetudines, priuilegia dictarum prouinciarum, etiam comprehenſis pacificationibus ſupradictis, & hoc præſentis reconciliationis edicto, quod tenebitur promittere ac iurare. 20. Ad cuius quidem gubernationis generalis munus citra vlteriorem hęſitationem plane ac integre tradẽtur omnes & ſingulæ ciuitates, vrbes, fortalitia, & alia loca quæ ab vna alteraue parte quocunque titulo aut prætextu modo tenentur vna cum patrimonio ad Regem pertinente, tormentiſque bellicis, munitionibus, commeatibus, armis, ac nauibus, vt nimirum ea loca quæ ab omni memoria prçſidium habuerunt, conſilio concilij ſtatus naturalibus Belgis aſtringendis iureiurando quo vltra antiqua & conſueta iuramenta Regi tanquam earum principi naturali præſtari ſolita, de his articulis ſeruandis Regi & ordinibus ſeſe obligabunt, cuſtodienda committat, aliaſque de illis diſponat ſicuti ſeruitio Regis ſimul & commodis ac ſecuritati prouinciarum expedire arbitrabitur, & alias prout fieri debet, factumque fuit ante motus præſentes. 21. Promittente nihilominus Rege, & quidem merè in huius reconciliationis gratiam vt quod hactenus ex eius patrimonio ſeu populi ſubſidijs de ſumptum & collectum fuit, id ita collectum receptumque maneat abſque vlteriore perſecutione ſeu vexatione cuipiam mortalium eatenus inferenda. ita tamen vt in poſterum ab eiuſmodi detentionibus, occupationibus, & collectis deſiſtatur. 22. Pacificatione Gandauenſi, vnione generali ſtatuum ſecuta, & edicto perpetuo Bruxellenſi ſupra ab initio poſitis ſaluis ordines ſtatuum renun

tiabunt

tiabunt alij omnibus fœderibus, pactis, mutuiſq; ſponſionibus contractis occaſione dictorum tumultuum tam intra, quam extra prouincias. 23. Comprehendentur hoc tractatu regina Angliæ, & Dux Andegauenſis. De cęteris concernentibus expeditionem, confirmationem, publicationem, perpetuamque & firmam obſeruationem huius pacificationis, poſtea agendum erit cum omnia fuerint concordata & concluſa. Datum Coloniæ die. 18. Iulij. 1579. Miſſa ſunt exempla harum conditionum ad triginta & duas ciuitates Belgij. quę conditiones è multis propoſitis fuerunt in comitijs Colonienſibus comprobatæ, pro quibus commiſſarij ſtatuum gratias egerunt, quia proxime ad eorum mentem accederent; ſed comprobare tamen noluerunt, quòd eam non haberent in mandatis plenam autoritatem. illæ conditiones vbi ad ſtatus miſſæ fuiſſent, habita ſunt frequentia principum Belgarum comitia, in quibus pręſentibus Matthia & Aurantio actum eſt de admittendis, cum miſſæ fuiſſent ab electoribus & à commiſſarijs, & ab omnibus Colonienſibus comitijs. poſt multas cōtentiones, diuerſaſque ſententias nihil concluditur. Acceſſit non multo poſt Colonia Agrippinenſi regulus Mulierenſis cum literis, in quibus continebatur quod Carolus Dux terræ nouæ profitebatur ſe moderationem adhibiturum conditioni de religione, quo negotium ſit facilius, venireturque ad concluſionem pacis, in qua vna re omnis difficultas verſabatur. at Nouiomagenſes lectas ſuas conditiones tam ęgre tulerunt, & præſertim de religione, vt in contemptum autorũ, tanquam latrones de furca ſuſpenderint. Quæ dum geruntur in Belgio, Stephanus Battor Polonię rex iuſſerat bellum in vniuerſo Poloniæ regno publicè aduerſus Ruthenorum Ducem ſiue Moſchouitam promulgari, quare intra trium menſium ſpatium collectis quadraginta equitum, & ſexaginta peditum millibus; quorum plerique ſponte ad bellum acceſſerant, accedit paulatim ad fines Moſchouitarũ. atq; rex quãuis ſummũ imperium copiarum detulerat palatino Podoliæ, voluit tamen & ipſe adeſſe, vt qui rerum bellicarum egregiè eſſet peritus. cum decretum eſſet igitur in comitiis Vilnenſibus atrocius & firmius bellum, rex primum Vilna excedit, ea eſt metropolis Lithuaniæ, Suirum ad ſuas copias recenſendas, vbi etiam initum eſt conſilium de ſumma belli, & quæ pars prius hoſtilis agri, quęue vtilius eſſet inuadenda. viſum eſt militaribus comitijs Polociam vrbem eſſe expugnandam, quod ea & Lithuaniæ & Vilnę ſeruitutem in primis minaretur, cum nulla eſſet alia interiecta vel arx vel firma munitio, quo etiam efficiebatur vt hoſtis per eam ciuitatem captam procul à finibus ſubmoueretur, his locis antiqui iuris regni Poloni recuperatis. at quoniam in illis locis maxima pars anni abſumitur vel aſſiduis imbribus militię infeſtis, vel grauiſſimis frigoribus, cum etiam vaſtitates & ſolitudines ſint nō paruæ, decretum eſt propinquiorem aliquam ſedem, quàm ſit Vilna hoſti eſſe habendã. vnde integer & recens miles poſſet minore negotio in hoſtẽ ſe transferre: atq; ad illud Suirum deligitur. Præmiſſus eſt Suiro primum Nicolaus Radiuilus palatinus Vilnenſis cum quibuſdam equitum peditumque Lithuanorum copijs & Pannonibus, & cum Gaſpare Bebes Polociam ad occupanda itinera, ne præſidia in illam vrbem à Moſchouita ſubmitterentur, cum tamen biduo ante nonnulli pedites, & equites fuiſſent ingreſſi. Adhibita tamen eſt à Vilnenſi diligentia nequid fieret acceſſionis. Rex paulo poſt cum exercitu & tormentis bellicis atque impedimentis ſubſequitur, tardius quidem ob difficultatem itineris quod factum erat difficile propter imbres & naturam cęni, cum interea Craſna, Sithna, Coſiana oppida à præcedẽtibus copijs capta, direpta, ſuccenſa, deletaq; ſint. caſtrametatur denique ad Polociam, vrbſque obſidione tribus è partibus cincta, atque eodem die in omnibus locis munitiones & foſſæ militares proprius hoſti ſunt excitatæ. Poſtridie regiæ copiæ vrbẽ inua lẽtes aggere & propugnaculis muris denſis munitam ac præſidijs firmam ſuccedunt, paucisque horis delent quod à propiore acceſſu arcis prohiberet. munitionibus deinde ad ipſas portas vſq; arcis perductis omnis vis belli conuerſa eſt ad arcis expugnationem. nihil ardoris vel per iniquitatem pluuiarum, vel per altiſſimum lutum remiſſum eſt à Regiis copiis cum operę Moſchouitarum non nihil impedirentur ijs ipſis pluuijs. obſeſſi acerrimis animis tamen & vi tormentorum ita propugnabant aduerſus conatus regiorum, tantaque pertinacia vim & flammas illatas repellebant, vt vel regijs armis ſe offerre non dubitarent: cum alij ſemper cadentibus aut ſuccumbentibus auxilio accurrerent, atque demonſtrarent Moſchouitas per virtutem militarem nemini cedere mortalium defendendis munitionibus. at ceſſantibus pluuiis, qui primus dies ſerenus apparuit, mirificam vidit Polonarum acierum alacritatem & promptitudinem in rebus bellicis, quando milites ſtatim in foſſas ſe demiſerunt ſuperato Polotta flumine & arduo cliuo, cui erat impoſitum propugnaculum, interque crebra & infeſtiſſima tela hoſtium ignẽ intulerunt. Illud incendiũ cum vehementer exarſiſſet, nam omnia propè eius regionis lignea ſunt ędificia, patefactus eſt aditus anterioris munitionis. Tantus fuit ardor regiorum militum vt vel per ipſas flammas irrumperent, hoſtemque vulnerarent. ſed tamen vi flammarum & virtute obſeſſorum cedere neceſſe fuit cum cecidiſſent ad triginta è regiis, multique fuiſſent vulnerati cum clade ducentorum defenſorum. oblata eſt vel potius ſimulata ſpes deditionis eo die ab obſeſſis, qui tamen tam altè flammas excitarunt vt perſpctus impediretur, quo tutius poſſent munitiones interius erigere. ſed cum rex nihil aliud conceſſionem quietis eſſe cenſeret, quàm conceſſam facultatem hoſti ſe muniendi firmius, cępit vexare illũ nulla facta intermiſſione oppugnationis. Poſtridie miles in aliã partẽ munitionis ignem infert, vbi erant equites, qui relictis equis ad pugnam deſcenderant. rurſus quędam pars muri lignei deleta eſt malleolis, ac miles regius cliuum tenuit, in quo erat propugnaculum antea igni abſumptum. deinde deleta illa parte foſſatum hoſtilium ac munitionum quæ erat ad latus, quæ factę fuerant tumultuario opere, hoſtis denique peruenit in poteſtatem Regis per vim armorum. Polocia ita capta Buna fluuius tutus factus eſt, & cum magna Lithuanorum vtilitate nauigabilis. Vrbe ita per arma, virtutemque militum Polonorum & munitione ſubiugatis cum maximus imber illo die fuiſſet ſecutus,

Nouiomagẽſium factũ.

Polocia obſeſſa.

Polocia capta.

cutus, non ſolum aqua, ſed etiam ſanguine cęſorum hominum riuuli rubentes fluerent. ſequenti die cognita ſunt duodecim millia hominum Polocicorum fuiſſe trucidata in eius vrbis expugnatione. deinde cū ſuperſtites multi milites Moſchouitæ fuiſſent, promulgatū eſt publicū edictū Regis nomine vt abſtineretur nō ſolum à cędibus, ſed etiam ab omni vi in miſeras mulierculas & pueros, quibus conceſſa eſt facultas quocunque vellent ſe tutò recipiendi. multæ itaque ad coniunctos ſe in Moſchouiam amiſſis maritis receperunt, at milites vel Regis humanitate allecti, à quo ſeruati fuerant, vel veriti crudelitatem tyrannidemque Moſchouitæ decreuerunt ſalutem patriæ eſſe anteponendam, quare ſuppliciter petunt vt in ea vrbe manere licitum ſit, quibus fuit & id conceſſum, & regia ſtipendia volentibus oblata. cæterum vrbe ita per virtutem armorum recuperata, quæ fuerat diu occupata à Moſchouita, in qua quatuor millia bellatorum amiſerat, rex decernit illam cum ſuis principibus recognoſcere, omniaq; deuaſtata diligenter reficere. ſed quoniam omnis felicitas a Deo concedi putanda eſt, rex in primis acceſſit ad templum vrbis Auguſtius Diuæ Sophiæ conſecratum poſt cognitam ſtatim victoriam, vbi pro illa gratias Deo egit. poſtridie cum ſederet in aula palatii iubet captiuos quoſdam proceres, qui ſibi fuerunt infeſti, adduci ſigillatim: qui omnes libenter ad ſalutandum Regem acceſſerunt, cuius probitatis nomen plurimum erat apud illas nationes, præter Cyprianum archiepiſcopum Velicolucēſem Græci ritus, qui regium aſpectum deuitauit. vna inuenta eſt mulier inuſitatæ pulchritudinis, quæ cum viro manere in vrbe voluit cęteris omnibus recedētibus in Moſchouiam. Ea voluit Regem pro mariti libertate rogare, ſed rex ob egregiam formā auditam illam videre noluit, at liberum tamen maritum ſicuti poſtulabatur ab illa, cōceſſit. Magna auri & argenti & rerum precioſarum in illa vrbe copia inuenta eſt, quæ omnia ſunt militibus conceſſa. inuentus & globorum ferreorum & tormentorum, & pulueris tormentarii tanta copia, quanta vix in vlla arce Chriſtianorum vnquam reperta eſt. moratus eſt in vrbe rex per aliquot dies cum aliquot armatorū millibus donec inſtaurarentur vrbis partes vi tormentorum deuaſtatę, quam vbi omnibus rebus defenſioni neceſſariis muniuiſſet, reliquum exercitum in partes tres diuiſit. maiorē partem dedit ſummo imperatori, aliam Palatino Chiouię, aliam regulo Vilnēſi, quo hi cum ſuis copiis varias regiones eius prouinciæ vno tempore occuparent, ac reliquas munitiones quæ fuiſſent Lithuaniæ. Illa victoria cum reginæ per literas regias Carroduni fuiſſet ſignificata, gratiæ actæ ſunt Deo, & ingentia lætitię ſigna edita. capta Polocia quoniam tres arces ſupererant expugnandæ in ditione Polocenſi, quas in poteſtate hoſtis relinquere neque erat è bellica ratione, neque è dignitate regia, neque è ſecuritate captæ vrbis, viſum eſt hæc etiam caſtella oportere expugnari. diſtabat Turoulia oppidum quatuor milliaribus, quod erat ſupra Polociam, quod ſitum eſt ad fluuium Dounā, quod etiam illo alluitur. nec multum diſtat alius fluuius ignobilis, atque Turoulia ita ſita eſt vt maxima ex parte confluxu duorum fluuiorum comprehendatur, quę qua parte patet in continentem, locum habet tranſuerſum tanquam obiicem quendam inter ripas vtriuſq; defluentis fluuij. at enim excluſum eſt iter commeatui Turouliæ facillime a regiis copiis vel vbi primum poſita ſunt caſtra ad Polociam, cum ſit Turoulia inter Polociam & Vlam & Vitepiſciū, & alias ciuitates ſitas altius in ſuperiore ripa Dounæ fluminis, quæ ſemper fuerunt in poteſtate Regis Polonorum, cum poſſet commeatus è locis ſuperioribus importari, niſi a Turoulia fuiſſet excluſus. illa cauſa fuit cur in caſtris regiis inopia commeatus aliquando laboraretur. miſſus eſt igitur vbi primum Polocia cępit obſideri Franciſcus Zucus a Nicolao Radiuilo Palatino Vilnenſi cum quibuſdam copiis celerrime ad Turouliam expugnandam: ſed cum firmis pręſidiis ac diligentibus defenderetur, Zucuſque pauca minora tormenta ſecum traxiſſet, nihil perfici potuit. Diſtabat etiam Socola caſtellum ad quinq; millia paſſuum a Polocia, qua via recta itur Pleſcouiam vrbem olim ampliſſimā & liberā, ſed quæ prodita p ſacerdotes Io. Baſilio moxque ab eo deformata anno 1509. ſolā celebritatē nōis retinuit. Illa Socola duorū itē cōfluētiū fluuiorū Dryſſę Niſcięq; cōplexu ītercipit, ī qua p̄terue tera p̄ſidia, q̄ ſemp valida inerāt ad tuēdū acceſſū Polocię, tūc īerat Theodorus Daſilij Seremetus, Boriſſus Seimus, Andreas Palecius, Michael Lychus, Baſilius Criuoborſius viri clari cū nobilitate Moſcouitę Ducis, tū reb. præclarè geſtis, cū magno numero Moſchouiticæ nobilitatis & egregiorū ſclopettariorum. Illi vbi primum per regiam obſidionem ab vrbe Polocia ſe prohibitos aditu ſenſerunt, & ante Regem à Palatino Vilnenſi, illud ægerrimè tulerunt. acceſſerat huc etiam ad vires Regias Georgius Bullahacus cum duobus millibus ſclopettariorum partim Dounenſium, partim Volienſium, qui incolunt ad paludes & fontes illorum fluuiorum, vſu bellico & arte iaculandi pręſtantes ob aſſiduas dimicationes cum Scythis. Hæ copiæ quoniam caſtris regiis imminerent, incommoda ferentes obſidentibus Polociam, Lithuanicæ quædam copiæ primum Ioanne Volimaſcio, deinde Chriſtophoro Radiuilio ducibus dimicandi ſtudio Socolam vſque procurrunt. At enim quòd hoſtis arce & munitionibus extructis propè arcem ſe contineret, aut tormentorum beneficio ſe in tutò teneret, res eſt inter velites tantum acta nonnullis vtrinque deſideratis. Rex vtrunq; caſtellum expugnandum ratus poſt captam Polociam mittit Nicolaum Mielecium palatinum Podoliæ cum Polono equitatu mercenario, Polonoque peditatu & quibuſdam cohortibus Germanorum ad expugnationem Socolę. Iubet copias Pannonum Turouliam accedere, cum non appareret eſse è Regia dignitate vt Rex ipſe ad caſtellorum expugnationem accederet; cum Rex, vt diximus, refectis partibus deuaſtatis vrbis, pręfectoque arci Nicolao Dorohoſtaiſcio cum ſuis validis præſidiis, Polocia diſceſſerit. dum miles vaſa colligit ad Socolę & Turoulię expugnationem voluit Palatinus Vilnenſis quid hoſti fiducię relictum eſſet in rebus infeliciter geſtis aduerſus Regem experiri; miſſus eſt igitur Conſtantinus Lucomſcius Vilnenſis cum ala equitū leuis armaturæ, quos illi Coſacos vocant, ad ineundum leue certamen. at Turouliæ præſidia alam illam conſpicati, quia pauor maiorē quendam nu-

*Poloni Regis temperātia.*

*Pleſcouia olim libera.*

*Coſaci equites leuiores.*

dam numerum, ſpeciemq; maiorum copiarum videri fecerat, vix enim vlla eſt inſignis animi perturbatio, quæ ſenſuum facultatem non hebetet, vniuerſum exercitum adeſſe rati omnes per auerſam portam deſertis ſuis proceribus properè effugiunt. at illi caſtellum non omnino deſerendũ eſſe arbitrati vel ſoli perſtiterunt, qui non multo poſt cum caſtello, commeatu, bellicis tormentis omnibus in poteſtatem Regis peruenerunt.

Turoulia capta.

relicti ſunt in præſidiis iidẽ qui caſtellum ceperant milites. Sed dum tormenta diſploderentur ad ſignificationem lætitiæ incendio inter lignea ædificia temere excitato non minore celeritate deleta eſt arx, quam capta fuerat. illud incendium moleſtiſſimum accidit Regi, quia Suſsa, quæ prępſidio hoſtili adhuc tenebatur, per captiuitatem Turouliæ poterat priuari ſic omni ſpe commeatus. at Palatinus Podoliæ Socolam accedit cum copiis, vnde Dounenſes cohortes ad famam aduentantis exercitus contra imperium prępfectorum profugerāt in Moſchouiam, ignarum plane genus hominum ac inſolens rei bellicæ, qui excitato ponte ſubitario Pryſſam fluuium abundantem multa copia aquarum ex aſſiduis imbribus tranſmittunt. Vbi propinquarum eſt nemine repugnante in aduerſa ripa obequitans palatinus audiebat clarè ſciſcitantes ad eſsent ne Caſanorum, & Aſtracanorum copię, quas quidam adeſse contendebant. Palatinus ſuperato flumine propius ad hoſtem accedit. at enim quà acceſserat non ita magno ſpatio inter vtrũque fluuiũ cũ adeſset ſylua, iubet in eam maximam partem equitatus proficiſci, imperatque peditatui vt munitiones, in quibus verſarentur, & vbi tormẽta dirigerent, excitarent, foſsaſque & aggeres de more caſtrorum conficerent. has Poloni ſecundum Niſiam fluuium, Germani iuxta Dryſsā ita in caſtellum producunt, vt cum per iuſtum ſpatium abeſsent tranſuerſe hinc inde promouerentur, operaque vtriuſque nationis coniungeretur. vltra Niſciam minerem fluuium iuſſus eſt conſiſtere Ioannes Pbaraſius palatinus Braslauienſis, quà patebat hoſti fuga, atque illam partem curare. Excitatis munitionibus, directiſque tormentis cum dies declinaret decernunt magiſtri tormentorum experiri per globos in arcem cadentes expugnationem loci. ita vero tertius globus animos defenſorum conſternauit, cum & alii cadentes in aridam materiam incendium excitaſſent, vt præſidiariis deſperationem defenſionis attulerit. omnibus itaque trepidatione repletis, ac fllamma ſe latius diffundente defenſores facto agmine confertim erumpunt è porta, quę Niſciam proſpectat. Poloni his viſis impigrè occurrunt ex munitionibus, atque Germanæ cohortes ſublato ſigno multos ſclopettarios in hos educunt. ſic præſidia exceſſura ne recedant impedita in arcem & in flammā repelluntur. reiecti ita defenſores dabant ex arce ſigna deditionis tum armis tum etiam vocibus, ſed cũ Germani eius ſermonis eſſent ignari, ac memores cladis acceptæ ad Polociam, cum prępſidia in multos Germanos captiuos ante expugnationem ſæuiiſſent, nulla habita eſt humanitatis ratio. hoſtis quia tantum ſalutis ſibi adeſſe cerneret quantum vis ferri & fortitudo largiretur, totis viribus in aduerſas copias irrumpit, ac dimicat. cuſtodiæ quæ erant ſupra portam, cataractam portæ imminentẽ è turri in copias Regias irrumpentes deiiciunt, qua ratioone alios a receptione, alios à ſubſidio ferẽ do excludunt. committitur intra caſtellum pugna atrociſſima, cum ęqua eſset vtrunque clementię hoſtilis deſperatio & ſalutis ob vim incendii, quod vndiq; circum ſe diffuderat; quod vndiq; circum ſe diffuderat, quo pari clade victores & victi extinguebantur. euaſeruut tamen nonnulli per oſtiũ, quod fuit a dextra arcis permunitiones. Qui excluſi fuerant magna vi cataractam portæ infringere nituntur, atque ea diſrupta via patefacta, qui ſuperfuerunt vſtulati & vulnerati vna cum hoſtib. miſti erumpunt. alii prędationis cupidi eo ſe intrudunt. magna pars oppidanorũ incidit in munitiones, ſtationeſq; Germanorũ, qui ob inſcitiā linguæ per militarẽ indignationẽ miſerabili clade fuerunt trucidati, atq; inter hos fuerũt inſigniores Baſilius Criuoborſius, Michael Lycus, Boiſsus Seinus, Andreas Palecius.

Socola capta, & vſta.

q in Polonos inciderunt peritos idiomatis ſeruati ſunt maiori ex parte edito nomine, vel ſpe munerũ, vel ob nobilitatẽ ac celebritatẽ rerũ geſtarũ. arx ipſa, cũ incendiũ extingui non poſset, tota conflagrauit. cæſa ſunt ad quatuor millia præſidiariorum militum, qui erant è lectiſſimis prætorianis ducis, quod cognitum eſt cum è captiuis tum è proceritate corporum cæſorum, & ex animorũ magnitudine, difficultateq; victoriæ, & ex precioſa prępda pecunię, veſtiũ, ac cæterorum ornamentorũ, quę certe non ſolent eſse gregariorũ militum. Sed qm̃ reliqua erat Suſsa caſtellũ munitiſſimum Moſchouitarum, pp anni tpſ nõ apparuit Regi tentandam eſſe expugnationem ob multas difficultates. nā & magna vis imbrium imminebat, aut pro illis ſi ſerenum eſſet, acerbiſſima frigora, & oppidum ſitum eſt in lacu peramplo ac ſpacioſo, quod circũ habet loca paluſtria, & miles multis iam incommodis erat affectus, quibus accedebat quòd ipſum oppidum Suſſam Lithuaniam verſus ſitam ab omni ſubſidio ac ſpe commeatus ſuorum excluſum facile ad deditionem venturā exiſtimabat. Præſidia itaq; in ſtatiuà diſtributa ſunt omni ex parte, quæ Moſchouitarum acceſſum in caſtellum intercluderent. at dux veritus ne Suſſa cum omni ſupellectile militari veniret in poteſtatem Regis expugnatis ſuperioribus locis, facit certiorem per literas & nuntios Petrum Coliceum palatinum Suſſenſem ac milites præſidiarios, vt defoſſis rebus ſacris, ne venirent in poteſtatem hoſtium & oppidum, & tormenta, & bellicum apparatum igni abſumerent, deuaſtarent omnia, & quoquomodo poſsent ſuę ſaluti conſulerent, vbi plures miſſi fuiſſent nuntii vnus venit in poteſtatem palatini Podolię cum literis. ex altera parte prępfectus Polocię per idem tempus literas mittit Suſſam, quibus ſignificat ſe partem habere exercitus. ſibi iniunctum eſse a rege nequid hoſtile relinqueret in prouincia.

Literæ Podolis ad deditione hortantes.

Regem principem eſse maximæ humanitatis, & clementię, quippe qui vel ab initio belli profeſsus ſit, in qua ſententia nunc etiam perſiſtit, vt quantum fieri poſſit conſulatur Chriſtianorum ſaluti. Non eſse Regis indignationem aduerſus ſubditos ducis, qui vel inuiti tamen coguntur parere iniquis mandatis, ſed aduerſus Ducem ipſum omnium iniuriarũ autorẽ. ſolos eſse dignos ſupplicio qui ſponte ſe pertinaciſſimos iniuriarũ defenſores pfiteātur.

rur. ſeſe hortari vt ſponte ex alieno caſtello excedant incolumes cum regia venia potius, quàm vt
indignationem Regiam ac fortunam belli per vim ferri & capitis diſcrimen infeliciter experiantur.
His rationibus ob excluſa & deſperata ſubſidia, per mandata ducis, & adhortationes Palatini effectū
eſt vt rebus maturè conſideratis Suſsæ præſidia deniq; caſtellū dediderint accepta conditione auferendi
quidquid vellent, ſeruatis in oppido reb. bellicis & commeatu Regiæ poteſtati. Philotenta
Orſanenſis per illud tempus cum magna ala equitum & quibuſdam cohortib. mercenariorum peditum,
quos collegerat, multaq; nobilitate, & magna manu accolarum prædabundus, & populabūdus
in agrum Moſchouitarum incurrit. multa loca deuaſtat. circiter duo pagorum millia ſuccendit.
Smolenſciæ ſuburbia concremat. magnum numerum hominū & animalium captiuorum abigit.
nemine reſiſtente intra ſuos fines incolumis redit. nec multo poſt Conſtantinus Dux Oſtrogiæ cū
Michaele Viſniouecio, filioq; Ianuſio populabundus in Moſchouitarum regionem incurrit Boriſthenē
fluuium tranſgreſsus. prēmittuntur ab his expeditiſſimæ Turmę equitum Scytharum, quibus
imperatur vt longe lateq; agrum hoſtilem deuaſtent ac populentur, cum ipſe Conſtantinus cū
reliquis copiis ad Czernihouiam acceſserit. ibi caſtrametatus ciuitatem incendio delet. tum omnis
induſtria conuertitur ad arcis expugnationem, quæ quòd firmiſſimis præſidiis teneretur, nihilque
deeſset quod pertineret ad defenſionem, paucæque adeſsent copiæ Regiæ ad tantum negotiū, omiſſa
obſidione loca omnia circa arcem diripiuntur, totaque ditione Siuarienſi populationibus deuaſtata
vbi ad Starodubam, Rhadohoſtiam, Podezoponiamq; incurſum eſset à leuioribus equitibus
abacta ingenti prēda diſceditur. Eandem fortunam Iaroſlaua, & pagi complures experti ſunt per
Meciſsauiæ prēfectum. Rex his munitionibus, & Suſsa paulo poſt potitus omnem prouinciā Po-

Suſſæ deditio.

locenſem anno decimo octauo poſteaquam capta fuit a Moſchouita per egregiam cognitionē rerum
bellicarum recuperauit, quę mira fertilitate agrorum prædita eſt, cum multa etiam flumina illam
rebus omnibus commodam faciant, multarumque rerum vtilium feraciſſimam. his reb. ſapiēter
feliciterq, geſtis vbi Polociam & eos fines rex firmis prēſidiis firmaſset, inde diſcedit, quando vtendi
victoria ſtudiū ac ſequēdi curſus felicitatis multa impedirent. Nā quamuis conſternati eſsent
animi hoſtiū, tñ reuocabatur rex ab expeditione, ꝙ afflicti eſsēt milites laborib. multis & pluuiis, ꝙ
multi equi interiiſsent, quòd in dies ingraueſcerent autumni tempora, ſed in primis quòd parum
temporis luci, ac multum nocti eſset tribuendum, cum frigora eſsent etiam intolerabilia ſub dio.
omnem igitur curam ad cogenda comitia ordinum reip. conuertit; de quibus vel è caſtris literas
dederat ad regni ſenatores vbi rediret in Lithuaniam, quæ indicta fuerant Varſouiam ſub finem Nouembris,
in quibus decerneretur de bello adminiſtrando. hortabantur Regem vel potius impellebant
Ducis literę ad ipſa comitia indicenda, quæ ſunt allatæ à duabus legationibus Ioanne Meciſlauienſi
Duce Nouogardiæ, & Michita Romanouicio Sacharino ad Nicolaum Radiuilium Palatinū
Vilnenſem, & Euſtachium Volouicium arcis præfectum, quæ ſcriptæ erant Pleſcouiæ. in iis continebatur
quòd offenſiones duorum principum eo progreſsę ſunt vt arma vterque ſumpſerit. atque
cum rex Polociam expugnarit, ducem decreuiſse illud factum vlciſci, ſed cum nobilitas Moſcouitica
ad pedes Ducis ſe abieciſset, orauiſsetque vt parceretur ſaluti Chriſtianorum, habuiſse locū preces,
atque à ſtudio belli reuocauiſse. Dandam itaque eſse operam vt iſtud ipſum apud Regē fieret,
vt curſus bellicus ſiſteretur, & pax cum Duce componeretur, tam in regno Poloniæ, quā in magno
ducatu Lithuanię ac Liuoniæ in primis orandum eſse vt in ſuam regiam ſe recipiat, imperetq; ſuis
copiis in omnibus finib. vt abſtineant ab iniuriis in Moſchouitas, quoniam illud ipſum Dux in ſuis
finibus eſset facturus. oportere interim dare operam vt principes miſſis oratoribus vtilem omnib.
concordiam concilient. Et quoniam Baſilius Lopatinſcius contra ius gentium, miſsus legatus ni-

Literę Moſchouitæ.

mirum a rege cum literis ante expeditionem vt bellum legitimè indiceret, in Moſchouia detinebatur,
promittebatur breui fore vt cum mandatis ſui principis de pace ad Regem mitteretur. Miſsa
ſunt ēt mandata a Magno Duce Moſchouita ad Palatinum Smolenſcianū ne Regiis finibus vllam
moleſtiam vel iniuriam inferret, qui Philonem ēt Chminam Orſacenſem hortabatur vt iſtud ipſū
faceret. Rex lectis his literis quæ vndique conſimiles mittebantur, oēm deliberationem ad comitia
deferendam eſse ſtatuit, quæ habenda erant Varſouiæ. ſic capta eſt per regiam virtutem, vel potius
recuperata regio quę extenditur ad centum & quinquaginta millia paſsuum in longitudinem, atq;
dilatatur amplius centum. actū eſt poſtmodo vbi cōueniſsent proceres ad comitia de bello, ſi opus
ſit, ſuſtentando. de ſtabilienda pace cum finitimis. Vt dos ſtabiliatur reginæ Regis vxori. de Gardeleſis
qui nolunt integrum tributum erogare, aliiſque iudiciis publicis, quæ derogare viderentur
autoritati Regię. De iudicibus ſupremę inſtantię, qui apparebant derogare Regiæ vtilitati. De
differentia nobilitatis cum Regiis gubernatoribus tribus è partibus profectis. De expedienda legatione
Regis Daniæ, quæ petebat Regio nomine fęderationem aduerſus Moſchouitam, ac de expediendo
oratore magiſtri Germani. At vero in finibus Belgarum tametſi pax tractabatur, vt diximus
in comitiis Colonienſibus, tamen quod intelligebantur res ad religionem ſpectantes non
poſse prorſus pro Belgarum ſententia obtineri, ſpectabatur clam ad bellum, cum pluribus in locis
fierent apparatus. ſtatus itaque ſignificarunt per nuntios omnibus prouinciis vti legationes
mitterent cum ampla autoritate ad ea quæ neceſsaria forent pertractanda. Apparebat enim vniuerſum
Belgium non mediocriter commotum expugnatione Maſtrichii, quod nuntium tanta
cum omnium indignatione exceptum eſt, vt ſtatim ad arma animi ſint conuerſi. Decretum eſt
in maioribus comitiis Aurantii ducenta millia nummùm mitti in Menapios in ſtipendia raitrorum
ac peditum, qui iuberentur conuenire Antuerpiam, diſtribuerenturq; Mechliniam, & Bruxellas,
& in alias vrbes quæ apparerent illa pſidia expetere. Decretū eſt Antuerpiæ ne iuriſconſulti

aut

aut literati comitia de rebus bellicis ingrederentur, quia res ſegnius agi & indoctus apparebant quam opus fuiſſet. pro his iuſſi ac delecti ſunt ſoli viginti & quatuor rerum bellicarum periti, quorum decreta rata firmaque forent ſine controuerſia, quia non conuenit vt iuriſconſulti de rebus bellicis conſulantur. Illa comitia viginti & quatuor belli peritorum vbi primum conueniſſent Antuerpiæ, ſanxerunt vt promulgaretur edictum ſtatuum nomine, vt omnes arbores & ædificia circa vrbem ad certum ſpatium loci intra quindecim dies excinderentur ac deuaſtarentur, quo ſpatio temporis elapſo omnia erant ſuccēdenda, ne hoſtes aut ædificiis vtantur pro domiciliis, aut impediretur proſpectus quo minus tormenta poſſent hoſtes diuerberare. miſſa ſunt ſex vexilla peditum Scotenſium ſtatuum nomine in æſtiua Liram & Verborden, & in alia quædam oppida; quoniam quinque cohortes Gandauenſium paulo ante profligatæ fuerant ab Hiſpanis commiſſo prælio non procul à Gandauo. præterea ad maiorem ipſarum prouinciarum ſecuritatem ac defenſionem, quoniam concordia certiſſimum, validiſſimumque eſt propugnaculum omnium regnorum ac imperiorum, inita eſt fęderatio, & ſocietas belli in comitiis, quæ hac ipſa de cauſa in dicta fuerant Vtrechium ab ipſis prouinciis. Quæ conſpirarunt ad mutuam defenſionem fuerunt, Olanda & Zelanda, Buſateri, Menapii, Antuerpia, Gandauum, & aliæ plæræque vrbes Ambiuaritorum ac Tongrorum, & cæterorum Belgarum, cum poſitum ſit in illis comitiis, vt Zelanda, & Olanda ſuis ſumptibus alerent ſexaginta cohortes peditum. Antuerpia nouem millia, & mille equites, ac ſex onerarias naues. aliç prouinciæ centum & quinquaginta vexilla peditum. Sed tamen poſtea concluditur, vt Olanda, & Zelanda octoginta, Menapii, & Buſateri ducenta, reliquæ vrbes octoginta millia nummûm ſingulis menſibus in ſtipendia militum per vniuerſum belli tempus aduerſus Hiſpanos erogarent. *Vtrechii fęderatio.* Et quoniam plurimi vbique res Belgarum euerti Aurantii incuria querebantur, cum nimis negligenter aduerſus acerrimum, diligentiſſimumque hoſtem pugnaretur, Aurantius per literas impreſſas ſignificari ſtatibus curauit quòd res non ſua vel culpa vel negligentia parum feliciter ſucceſſiſſent, ſed propter varietatem opinionum, cum alii aliud ſenſiſſent. Quòd ſi gubernator creetur, proteget, vt etiam ſemper fideliter protexit rempub. & ſalutem ac libertatem populorum. Neque gubernatio Matthiæ quidem Archiducis viſa eſt plane ſtatibus facere ſatis, cum plerique de illo tanquam frigido, & agendis tantis rebus parum apto quererentur in tanta præſertim rerum opportunitate, cuius etiam familiæ nonnulla pars eſt dimiſſa. *Aurantii defenſio.* Philippus Hiſpaniarum rex etſi iuris peritos ad comitia Luſitana miſerat, qui ſua iura tuerentur, darentque operam vt in nominatione Regis cæteris præferretur, cum potiora ceteris iura in ipſum regnum haberet, atque bellicos apparatus eò ſpectare plerique cenſebant, quamuis in Africam expeditionem fieri dicerentur, cum omnes acceſſus in regnum Luſitanum terra marique occupati eſſent ab armatis. nam Philippus cum multi iam tribuni eſſent cum armatis in illis finibus, imperat Hiſpanis proceribus vt ad omne mandatum parati ſint, cum etiam munitionibus neceſſaria omnia eſſent comparata. Iubet Ducem Medioli eſſe in promptu, quod ipſum imperatur Alberquecio, & Francæ villæ Ducibus, & aliis item proceribus vt ad illud bellum ſe accingant, quia non eſſet ſua iura deſerturus, quamuis Gallus, & Britanna regina ſe & iura habere, & promptos eſſe ad defenſionem Luſitanorum profiterentur. iubet rationes Siuiliæ recognoſci, & marchionis Annonii miniſtrorum ærarii Regii, ſimulque accipi omnem pecuniam ex Indiis aduectam, & ſeptuaginta cohortes peditum conſcribi. At Henricus Rex Luſitanus vel antequam decederet, quia videbat magnam eſſe controuerſiam de ſucceſſore, cum multi principes de ſucceſſione inter ſe contenderent, decreuerat vt quidam è primariis eius regni Philippi, aliorumque principum iura cognoſcerent, & quod legitimum eſſet diiudicarent. at ne res Luſitanæ interim vel per imbecillitatem ipſius Regis collaberentur, vel ne quis poſt ipſum temerè in regnum irrueret, decreuit Henricus vt vniuerſi regni gubernationem Archiepiſcopus Vliſponenſis, & quatuor è primariis proceribus ſuſciperent, quibus datum eſt iuramentum quòd fideliter, & legitimè gubernabunt. *Controuerſia de regno Luſitaniæ.* Atqui cum rex Luſitanus, & pro eius voluntate concilium nobiliorum Philippum Regis nepotem Hiſpaniarum Regem legitimum eſſe ſucceſſorem pronuntiaſſet, populus non aſſenſit, quia diceret oportere ad electionem, non ad nominationem venire, cum maxime propenſus ad Antonii fauorem videretur, quem rex inhabilem ad ſucceſſionem, & plerique conſiliarii, vt ſpurium pronuntiauerant. at vero non ſolum in Luſitania propoſita fuerat controuerſia de ſucceſſore, ſed etiam in aliis prouinciis peritiſſimi quique conſulebantur vtrum ad Philippum Regem, vel ad Mariam & Catherinam filias Odoardi Regis è linea fœmina perueniret. variæ fuerunt variorum ſententiæ iuriſconſul. Omnibus iuribus, & conſtitutionibus Caſtellæ Regni, quæ fuerunt à regibus decreta, conſideratis concluditur quòd filiæ excludant Philippum, at Maria mater principis Parmenſis excludat Catherinam ſecundogenitam. At verò ingentes fiunt apparatus in mari etiam mediterraneo ab Hiſpano Rege, quoniam in Tiburtina regione iuſsus eſt Hieronymus Lodronius colligere octo millia peditum. Petrus Medices creatus eſt ſummus imperator decem millium Italorum, qui & ipſe, & Proſper Columna iuſsus eſt eſse in promptu cum ſuis copiis, atque alii præterea militares tribuni. Comparatæ ſunt & inſtructæ centum & quinque triremes, octoginta onerariæ naues, duę quinqueremes, & Galeonus, cum etiam ſemper nauigia varij generis ſuccreſcerent. ſummum claſſis imperium delatũ eſt Neapolitano proregi. nominantur & alii præterea tribuni ad turbãdos animos Maurorũ, cum ẽt Neapoli multę rotæ tormentorũ pararentur, quæ imponerentur nauigiis, atq; vt facilius copiæ ad expugnationẽ Numidarum colligerentur, põtifex impunitatẽ proponit exulib. imperii eccleſiaſtici ſi Petro Mediceo militent, qđ ipsũ ꝓponit ꝑrex Neapolitanus, exceptis tñ rebellib. ac monetariis. accipit ẽt

magnum pondus auri mutuò Philippus rex à Magno duce Hetruriæ, qua de re conqueſti ſunt poſtea grauiſſimè apud Gallum Regem Luſitani quidam proceres. Dicebantur accedere ad Iuliæ Cæſarienſis expugnationem ad quadraginta millia peditum, & quindecim equitum, qui breui ab vniuerſa claſſe eſſent traiiciendi. His tantis apparatibus bellorum qui fiebant è regione Africæ auditis à Mauritanis, cęptum eſt Iuliam Cæſaream magna diligentia munire. res precioſiores nauigiis impoſitæ in tutum tranſmittuntur. omnia parantur ad ſuſtentandam oppugnationem Hiſpanorum. Quæ quoniam apparerent expeditionem difficiliorem factura, diditus eſt rumor quòd panis nauticus Panormi diuenderetur, tanquam duces ſuſceptæ expeditionis iam pænituiſſet. Amuratus idcirco tantam bellorum molem ne vno tempore ſuſtinere non poſſet veritus, cum & bello Perſico eſſet vehementer implicatus, & magnæ copię eſſent parandæ ad defenſionem Mauritaniæ, vtitur prudenti conſilio vt ex altera parte per induciarum occaſionem Hiſpanam tempeſtatem auerteret ab illis litoribus, ex altera, ſi non poſſet, amicos Reges ad arma hoſtilia arcenda in Numidia excitaret. mittit igitur legationem cum munerib. ad regem Tamuſigę, rogatq; eum Regem, ſi opus ſit, vt ferat ſuppetias Iulię Cæſarienſi. quod quidem putabatur non difficulter poſſe obtineri, quando Tamuſigæ regnum & recuperatum à legitimo rege, & conſeruatum per arma Turcica ſuperioribus bellis fuiſſet. Deinde Mahometti conſilio cęptū eſt agi de induciis cum Philippo Rege faciendis. apparebat Turcis rex ipſe non magnopere poſſe abhorrere propter diuturnos atque grauiſſimos ſumptus bellorum Belgicorum, qui non commodè poſſet etiam potentiſſimam claſſem diu inſtructam habere, in quam maximi & intolerabiles propè fierent ſumptus. Rex & hiſce cauſis commotus, & vt liberius poſſet ad bella quę inſtare plurima pluribus è partibus apparebant, eſſe paratus, poſt multas difficultates in biennium inducias complectitur, quæ actæ ſunt per Alexandrum quendam Crucium Byzantii, & poſtea nuntium in Hiſpaniam miſſum. Sed enim quoniam auiditas & auaritia immenſa eſt priuatorum, quibus nullus finis eſt propoſitus modeſtiæ aut æquitatis, qui vellent caritatem annonæ quotannis ad ſummum peruenire, niſi moderatio principis tanquam communis patris pauperiorum obſtiterit, per hanc occaſionem bellicorum apparatuum excreuerat plus æquo precium frumenti pluribus in locis Italię. ad eam caritatem pleriſque principibus conniuentibus Pontifex illud non ferendum ratus quatuor purpuratos ſacros patres deligit, quibus illud curæ demandatur vti videant, ne pauperes auaritia opulentiorum & caritate annonę opprimantur. delecti ſunt ad illud munus Vrſinus, Mapheus, Cæſius, Sfortia. at in finibus Perſarum non ſolum frequentibus præliis hinc inde funeſtis, & vtriſque calamitoſis pugnabatur, ſed etiam maximum, & memorabile damnum illatum eſt Turcis ab aciebus Perſarum. Nam cum Turcę in ampliſſima planitie ad viginti & quinque millia equorum, & ſeptem camelorum miſiſſent cum præſidiis triginta millium Turcarum, vt fieri ſolet per ęſtatem, ad pabulum adultarum herbarum, quamuis id tardius feciſſent, tentoria poſita ſunt in planitie à Turcis cuſtodibus illorum iumentorum. Perſæ cum diſtarent ad quatuor dierum iter recognita per exploratores deligunt viginti millia equitum, qui vbi propinquaſſent, decem millia lectiſſimorum primum inuadere iubentur, reliquis paulo longius abſiſtentibus, quod factum eſt prima vigilia. Turcæ cum nihil tale opinantes inuaderentur cæſi ſunt in morem pecudum mirum in modum conſternati ac territi, nullo memorabili exemplo virtutis aut fortitudinis edito. direpta ſunt omnia tentoria. illi ad vnum trucidati. equi multi & cameli capti & in caſtra Perſarum abducti. Succreſcunt aſſiduè nouis auxilijs Perſarum caſtra, quæ opulentiora faciebant multi felices rerum ſucceſſus. cum Perſæ iam Regem ipſum etiam ex vrbe Tauris vocata expectarent cum multo equitatu. Sed enim quia tot cladibus iam acceptis conſternati eſſent animi Turcarum, Muſtapha vt eos alacriores faceret ad res bellicas multis & largitionibus & promiſſis ſollicitat Ianizzeros ad ſtrenuitatem. proponit his pro rebus fortiter geſtis ingentia præmia, quorum conferendorum ſupremam habet autoritatem & omnis remunerationis. Sed tamen nullis rationibus illi adduci poſſunt vt dicto obedientes ſint, cum plus valeat ſtimulus naturæ in animis hominum, quam vlla mortalium promiſſa. Amuratus cognita imbecillitate ſuorum magnā ſpem reponit in auxilijs Scytharum, quare legationem ad illorum principes & munera mittit, rogatque vt in tanta opportunitate rerum multa millia hominum mittant in caſtra. vt autem facilior conuectio rerum neceſſariarum fieret in caſtra Turcarum, quæ mari Byzantio comportari poterant ad litora maris Euxini, vnde in omnia finitima loca è claſſe facile diderentur, Luzalis vir magni ingenij munitionem erigendam curat in regione Mengrelia vocata in litore maris, quæ fieret quaſi portus tutus & domicilium rerum Byzantio aduectarum. Illa cœpta eſt fieri è regione Villachij è trabibus & gleba & faſciculis lignorum magna diligentia, quę ex altera parte mare ampliſſimum haberet pro foſſa, ex altera parte aggeres & propugnacula erigit ad arcendos hoſtes ſi quis fieret illorum impetus multis directis in inuaſuros tormentis. Cæterum vbi munitionem illam ad probabilem rationem perduxiſſet, putauit non fore inutile ſi in altera parte litoris quaſi aliud propugnaculum, aliam munitionem excitaret, quæ ſeſe mutuo auxilio protegerent, quare literas hac de re ſcripſit ad Amuratum. Sed quoniam plurimum poteſt gratia & adulatio & inuidia in aulis principum, & opinio de ſingulis concepta, omnis cogitatio conuerſa eſt Amurati ad ſummum imperatorem Perſicæ expeditionis mutandum, quoniam parum feliciter res cum Perſis agebatur. nam vbi claſſis diſceſſiſſet, munitio capta eſt à Perſis & euerſa. Suffectus eſt igitur Sinamus ille, qui victor ab Africa expeditione, & expugnatione Galathæ redierat, vir magnopere moderationis in vtranque fortunam ignarus & qui putaret omnia ſibi pro votis ſucceſſura, at Muſtapha è caſtris Byzantium reuocatus. Vt autem Georgianorum vires a Perſis diſiungerentur, Turcæ munitionem illam in finibus

Induciæ Regis Hiſpani cum Turcis.

Cõgregatio ob caritatẽ annonę Romæ iſtituta.

finibus maioris Armeniæ excitarant, cum non parum fauere Perſarum rebus Georgiani aſſiduè viderentur, qui etiam Scytharum incurſiones reprimebant, ne prędabundi in Perſarum fines, palan teſque vagarentur. At Perſæ cognito Turcarum conſilio vniuerſas copias in duas partes diuidũt, altera pars munitionem magno impetu inuadit, qua poſt diuturnum certamen potita omnes inuentos Turcas trucidat. altera pars Vanum oppidum in finibus Babyloniç ſitum magna virtute oppugnat. Miſſę ſunt etiam triremes quinquaginta ad eam munitionem quæ in ora maris Euxini ſtruebatur, Carſique vocata eſt cum multis ferramentis, & bellicis apparatibus, quò iam multæ copiæ & operæ conuenerant; cum non vna calamitate affligeretur vno tempore res Turcica, ſed bello & annonę penuria & peſtilentia multorum locorum, atque in primis Byzantii adderetur. Iis calamitatibus laborabatur etiam in caſtris Turcarum, quare Perſę in magnam ſpem veniunt propinquarũ munitionum ſine prælio capiendarum. auxit ſpem Perſarum nonnihil Bogodanus vir magnæ autoritatis in iiſdem, finibus qui ad fidem Regis Perſæ cum multis millibus mortalium ſe contulerat, & Arabum incurſiones, qui Syriam multis prædationibus infeſtabant. cępit peſtis violenter craſſari in vniuerſa Peloponneſo, & in aliis vrbibus Turcicis, atque vel in vna vrbe Hieropoli plura ſeptuaginta millibus mortalium interciderunt. Turcę cũ magna moleſtia afficerentur à Perſis quominus munitionem Carſi excitarent, conſilium capiunt artis & fallaciç plenum. curant rumorem diſſipari quòd ſexaginta Scytharum millia Turcis ſubſidio accederent, quę vires ne cum Turcicis coniungerentur veriti Perſę quadraginta millia equitum in Scythas proficiſci iubent. Turcæ per horum diſceſſum magno ſtudio ſine hoſtium moleſtia munitionem perficiunt, atque cum Perſę neminem inueniſſent, quaſi deluſi paulo poſt in caſtra reuertuntur. Neque mirum cuipiam videri debet vires Perſarum tam eſſe potentes vt cum Ottomanis Imperatoribus bellum ſuſcipere non dubitent, cum ſemper arma Perſica maximę fuerint exiſtimationis cum ob numerum, tam ob bonitatem equitatus. nam facile poteſt colligere Perſarum rex multa millia equitum & peditum vt diximus, cum ſemper Perſia multo equitatu abundauerit. nam Perſa Darius Xerxis pater dictus eſt ſexcenta millia equitum aliquando habuiſſe in caſtris. Xerxes filius totidem. Cyrus ad ſubiugandam Scythiam dicitur ducenta millia collegiſſe & amplius. Sunt autem optimi equi Perſę, ſublimes, pleni, feroces aſpectu, robuſti, aſſueti bellicis vſibus, qui vtuntur frontis operimentis ferreis, & integumentis ex corio coсto ad vſum Italę armaturę, quæ ipſi congerunt è coniunctis congeſtiſq; ſimul laminis. vtuntur & veſtibus condenſatis bambaſio, ita vt quemuis armorum ictum facile ſuſtineant. at cataphracti thoracas habent ſquammoſos, & ferrea ventris integumẽta, & galeas, quarum ferrum ad tegendam faciem demittitur, ſcutiſque vtuntur circularibus firmiſſimis, ac lanceis præualidis, & acinacibus, & clauis ferratis. Sagittarii item Perſæ præualidi ſunt pedites, qui arcus geſtant latos & præduros cum præualidis neruis, ita vt ſagittas validiſſimas emittant ad morem Scytharum, cum multi etiam ſint equites. eorum virtutis & fortitudinis prȩclarum eſt indicium, quòd Selimus Ottomanus Solimani pater cum in Iſmaelem patrem Tamnaſi copias duxiſſet, octoginta equitum, & ſexaginta peditum millia nimirum, tanta fuit virtus Perſarum, cum eſſent in eorum caſtris triginta equitum millia tantum, vt cum diu pugnatum eſſet atrociter & ancipiti victoria, vel potius certiſſima Iſmaelis, quamuis adiudicata ſit demum Selimo, vt ipſe Selimus ſe fortuna, & per tormentorum dolum viciſſe fateretur, at non per virtutem ſuorum. nam cęſa ſunt triginta millia Turcarum & amplius, ita vt infauſtum nomẽ agrorum Calderanorum Turcis in poſterum fuerit, atque triſtis prope Allia. Turcæ verò cum tempus conceſſum fuiſſet excitandæ munitionis tanta induſtria vſi ſunt, vt vel purpuratus ipſe materiam comportaret, quo cæteri ad opus alacrius accederent. nam cum Turcæ ignes nocturnos accendiſſent, ac multa edidiſſent lætitiæ ſigna propter aduentum vt dicebatur auxiliorum Scythicorum, res facile a Perſis credita fuit. in finibus autem Belgarum certabatur vbique frequentibus quidem prælíis & incurſionibus vbique, cum modo in has, modo in illas partes fortuna belli aſpiraret propenſior. Nam Agamontius Comes cum mille & quingentis peditibus partim vallonibus, partim Malcotentis, ac duabus cohortibus Raitrorum pene occupauit Bruxellas per conſpirationem quorundam; atque ſi gubernator paulo magis fuiſſet credulus, illud iam aſſecutus fuerat, qui tamen porta potitus popularibus armis ac militaribus reiectus eſt nonnullis qui portæ defenſionem ſuſceperant trucidatis. illud vbi cognitum fuiſſet a ſtatibus Belgarum, miſſę ſunt non nullæ cohortes præſidio in ciuitatem. Nec ita multo poſt per catholicorum conſenſum clam acceſſitus eſt Mechliniam idem Agamontius, quam vrbem ingreſſus omnes Vgonottos trucidat. Hiſpani rebus his ita ſuccedentibus cum nullus iam metus virium Belgicarum infeſtaret, omnes ſuas copias in partes tres diuidunt ad facilitatem commeatus, & ad plures res vno tempore tranſigendas. cum vna harum partium habet ſtationem Maſtrichii princeps Parmenſis. alia pars Louanii moratur, alia in regione Menapiorum. Bruxellenſes, qui viderent animos Hiſpanorum felicibus hiſce rerum ſucceſſibus non parum elatos, quoniam ſemper ſuſpecta eſt felicitas aduerſariorum, arbitrati ſunt illos præſenti fortuna minime contentos ad vrbis Bruxellarum expugnationem eſſe venturos, cum vel alioquin Hiſpanorum vicinitas illis non parum eſſet inſuauis. illo conſilio commoti legationes mittunt ad principes Belgarum. rogant vt auxilia mittant ſi forte Hiſpani adirent ad eam obſidionem. ſtatus quia non contemnendum periculum cenſerent, cum non facile poſſet vrbs capere ſubſidia niſi ex ea parte, quę proſpicit Flandreſiam regionem, mittunt decem & ſeptem vexilla Scotenſium & Britannorum peditum, quibus copiis auctis præſidiis vrbs iam cępit parui Hiſpanorum vires facere. At Nuenſis regulus, qui cenſeret non ſolùm in præſentibus amicitiis conſeruandis, ſed etiam in externis acquirendis conſiſtere omnem firmitatem conſeruationem, atque incolumitatem omnium & regnorum, &

Vanum oppugnatum à Perſis.

Stratagema Turcarum.

Mechlinia ab Agamontio capta.

commoda imperiorum cępit cogitare ſecum & agere de Malcoltentis ad ſuam fidem & amicitiam ſollicitandis, & multis pollicitationibus inuitandis vt opem ferant Bruxellenſibus, ſi opus ſit. Agit etiam cum Attrebatibus & Neruiis, eoſque conatur ad ſuam amicitiam perducere, quorum populorum coniunctionem plurimum conferre ſtatibus cenſebat, quòd horum abſceſſu res Hiſpana nõ parum foret imminuta. Sed princeps Parmenſis his rebus clam cognitis, quia iam primæ pactionis cũ illis populis tẽps ad extremũ peruenerat, nititur illos multo melioribus conditionibus in amicitia denuo cõfirmare. Huic per nonas conditiones & prædicti populi facile aſſenſerũt, & Inſula ſiue Lilla, & Catuaci qui Douai vocantur, & alia oppida atq; vrbes nonnullæ. Harum conditionum hoc eſt exemplum. 1. Principio decernimus vti tractatus pacificationis Gandauenſis, Vnio, Edictum perpetuum & ratificatio ex noſtra parte ſubſecuta, maneant in ſua vi & pleno robore, vtque re ipſa in omnibus ſuis punctis & articulis effectui mandentur. 2. Et vt melius reſtituatur confidentia noſtrorum ſubditorum, & mutetur in bonam vnionem & concordiam ad honorem Dei, cõſeruationem religionis catholicæ Apoſtolicæ Romanę, obedientiam nobis debitam, ſimul etiam pro vtilitate & tranquillitate noſtrarum ditionum conceſſimus & concedimus obliuionem omnium eorum quę poſſunt eſſe dicta vel facta, quocunque modo, ratione, aut caſu a tempore primorum motuum, & illorum cauſa: ita vt nulli iudici aut procuratori fiſci, nec aliis liceat deinceps vlli ea exprobare, aut in aliquem ob ea inquirere, non magis quam ſi nunquam accidiſſent, ordinando vt in hunc finem omnes ſententiæ, decreta, & arreſta, pronuntiata, tam in his ditionibus, quam quibuſcunque aliis, quæ ſub noſtra iuriſditione ſitæ ſunt cauſa motuum præteritorum aboleantur, & extinguantur radicitus ex regiſtris ad exonerationem abſolutionemque omnium eorum, quæ adhæſerint vni aut alteri parti contrahenti ad quem finẽ interdiximus & inhibuimus, interdicimus & inhibemus omnibus indifferenter cuiuſcunque gradus, qualitatis, aut conditionis ne quid exprobrent ſibi mutuò occaſione præteritorum. in qua obliuione non ſunt comprehenſi communes inimici noſtri, & dictarum reconciliatarum prouinciarum Banniti, relegati, vel in ius vocati, quòd conſpirauerint in aliquam ciuitatem. 3. Ratum quoque habemus, ratumque habuimus quidquid in dictis prouinciis reconciliatis prouiſum, collatum, & conceſſum eſt à fratre & nepote noſtro Archiduce Matthia, ordinibus & concilio ſtatus quouſque ſcilicet poteſtas ordinaria noſtrorum gubernatorum, & locorum tenentium generalium in Belgio noſtro ſeſe in hunc diem extendit. Et quantum ad prouiſiones nobis ſpecialiter reſeruatas ad inſtantem requiſitionem, & ſupplicationem dictorum ſtatuum, eas ſimiliter confirmauimus, & confirmamus pro hac vice, niſi nobis conſtiterit perſonas eas, quibus prouiſio facta eſt non eſſe catholicas, & vt decet qualificatas ad obtinendum dictas prouiſiones, & munera exercendum. ea tamen lege, niſi repugnet pacificationi Gandauenſi, Vnioni, Edicto perpetuo, iuribus, priuilegiis, & libertatibus prouinciarum tam in genere quam in ſpecie reſeruatis nihilominus omnibus prouiſionibus quę forte factæ fuerint a 17. die Maij vltimo elapſo quæ habebuntur pro nullis, non comprehenſis etiam prouiſionibus conciliorũ ſtatus ſecreti financiarum. 4. Neque inquiremus, vel inquiri curabimus in quenque ob demolitionem arcium, & fortulitiorum, eæque arces, & fortalitia non poterunt in prouincijs reconciliatis denuo ædificari, aut noua erigi, ſine expreſſo conſenſu ſtatuum cuiuſcunque prouinciæ ſpecialiter. 5. Item concedimus, ſtatuimus, & ordinamus vt omnes & ſinguli noſtri milites Hiſpani, Itali, Albani, Burgundiones, & alii quicunque extranei non grati ſtatibus hunc præſentem tractatum acceptantibus diſcedant e noſtris inferioribus ditionibus ſiue Belgio, præſertim ex ducatu Lucemburgico intra ſex hebdomadas proximas ab horum publicatione, aut citius ſi corpus exercitus, de quo infra dicetur, prius confici & erigi poterit, & quæ ad diſceſſum eorum requiruntur, prius parata fuerint. certe vt in omnem euentum diſcedant intra dictas ſex hebdomanas, quando quidem dicti ſtatus promiſerunt nobis diligentiſſime cum delegatis noſtris ſine fraude curaturos vti dictus exercitus paratus ſit in diem diſceſſus exterorum præfinitum, & intra ſex alteras hebdomadas ſequentes ex ducatu Burgundiæ, ita vt reuertendi in dictas prouincias inferiores aut Belgium ipſis poteſtas adimatur, aut vlli alii induci poſſint, quam diu extraneo bello vacamus, & generaliter niſi opus ſit, & vrgeat neceſſitas præfatis ſtatibus nota & probata. quemadmodum etiam dicti ſtatus curabunt educi omnes Frãcos, Anglos, Scotos, & alios extraneos, vt in quos imperium & autoritatem habent. 6. Dicti quoque milites Hiſpani, Germani, Itali, Burgundiones, & alii quicunq; exeuntes ex arcibus & oppidis, cogentur relinquere omnem commeatum, tormẽta bellica, & munitiones ibidem exiſtentia. & quantum ad tormenta bellica ex arcibus ſumpta, reddentur, & reſtituentur prima opportunitate in locũ vnde deſumpta ſunt, præcluſa omni licentia auehendi eam, quamquam extra prouincias, eaſque arces & oppida cum dicto commeatu, & munitionibus ibidem exiſtentibus, nos committemus: illas quidem quę ſunt ſub gubernatore Hannoniæ intra viginti dies à publicatione huius, reliqua verò vbicunque ſita ſunt, intra alios proximos viginti dies hominibus indigenis inferiorum prouinciarum ſiue Belgii qualificatis ſecundum earum priuilegia gratis ſtatibus prouinciarum reconciliatarum reſpectiuè. 7. Quo tempore diſceſſus & abitus præfatorum extraneorum pendente, nos cum dictis prouinciis reconciliatis noſtris ſumptibus & expenſis cõficiemus corpus quoddam militum ex indigenis prouinciarum & aliis gratis nobiis, ac iiſdem prouinciis, ea tamen conditione, quòd præfatæ prouincię nos ſuo ſubſidio iuuabunt iuxta articulum. xx. ſubſequentem ad manutenendã religionem catolicam Rom. & debitam nobis obedientiam, ex forma pacificationis Gandauenſis, Vnionis, Edicti perpetui, & huius pręſentis tractatus in omnibus ſuis articulis. 8. Mandamus quoque ſtatibus & gubernatoribus tam generalibus quam particularibus, conciliis, & magiſtratibus Luzemburgicis & Burgundicis manutenere, & non pati diminui aut præiudicari in re vlla, Edicto

Articuli pacis, & recõciliationis ſtatuum Arteſię Hannoniæ inſularum cum Rege.

perpetuo

perpetuo, & huic tractatui in vllis ſuis punctis & articulis. item non permittere vllis militibus tranſitum aut ingreſſum in præiudicium harum prouinciarum, & de his omnibus pręſtare iuſiurandũ & inſtrumentum publicum idoneum, & ſufficiens, quemadmodum etiam ſtatus reciprocum ex ſua parte facient ſuum debitum officium, ad eundem finem vt commercia, & communicationes ſint tuta & libera inter dictas prouincias, ſicuti fuerunt præteritis temporibus cum omni ſecuritate. 9. Vt omnes captiui vtrinque liberentur ſtatim poſt promulgationem præſentium, quatenus erunt in ipſorum poteſtate, ſine vllo redemptionis precio. 10. Quantum ad bona detenta arreſtata & contrectata hinc inde à pacificationẽ Gandauenſium in inferioribus noſtris prouinciis, quam in Burgundia & alibi, quilibet redibit ſtatim in ſua bona immobilia. in mobilia verò quilibet etiã redibit quatenus non fuerint alienata autoritate & mãdato iudiciali, vel per magiſtratus ad id coactos tumultu populari, in quibus comprehendentur bona captiuorum, detentorum à Gandauenſibus & aliis factionibus eorum. Quo ad reditus & onera ſuper iiſdem bonis, obſeruabuntur, & quæ diſpoſita ſunt. 14. & 16. articulis pacificationis Gandauenſis, habito reſpectu ad diem natiuitatis S. Io. Baptiſtę anni. 1579. 11. Manutenuimus etiam & manutenemus omnes gubernatores modernos prouinciarum, vrbium, locorum, & caſtellorum reconciliatorum conſtitutos ante diſceſſum quondam noſtri dilectiſſimi & Cariſſimi fratris D. Io. in oppidum Namurenſe, vti etiam illos, quibus prouiſum eſt de gubernatoribus per mortem vacantibus. ſed quoniam ad gubernationes conſtitutas per modum prouiſionis propter captiuitatem & detentionem quorundam dominorum, illi commiſſi ad huiuſmodi gubernatores continuabuntur vſque ad reſtitutionem & reditum dictorum Dominorum captiuorum, ita tamen vt ſi dicti captiui forte moriantur, tum prouideatur iuxta articulum. 18. promittimusque nullos ex his deſtituere, quatenus ſecuti fuerint partes ordinum durantibus his motibus & manutenuerint religionem Catholicam Rom. iuxta formam pacificationis Gandauenſis, Vnionis poſtea inſecutæ, & edicti perpetui, nec faciant poſt hac quidquam quod præiudicium afferat huic præſenti tractationi & reconciliationi. 12. Et ad maiorem ſecuritatem ordinauimus & ordinamus iuxta formam xi. articuli edicti perpetui, vt ſtatus prouinciarum reconciliatarum omnes cõſtituti in dignitatibus gubernatores, magiſtratus, ciues & incolæ ciuitatum & pagorũ vbi erunt in præſidio milites, ſimiliterque iis milites, ac etiam incolæ ciuitatum & pagorum vbi non eſt præſidium, denique omnes alii in functionibus aliquibus, munere vel officio militari aut alio verſantes, præſtent iuſiurandum ſe conſeruaturos religionem Catholicam Romanam, & debitam nobis obedientiam iuxta dictam pacificationem, vnionem poſtea ſubſecutam, Edictum perpetuum, & hunc præſentem tractatum, & quòd non recipient, mutabũt, vel admittent reſpectiuè pręſidium abſque ſcitu gubernatoris generalis & prouincialis, & qualis ſtatus cuiuſque prouinciæ, aut ipſorum delegatorum, ſic quidem vt neceſſitate repentina ac graui vrgente dictus gubernator prouincialis prouideat fortalitiis, vbi ſolet haberi præſidium militare, ita tamẽ vt milites nobis ſint ſacramento deuincti, nobiſque militent in qualibet prouincia. 13. Promittimus quoque non grauare, nec grauari facere ciuitates aut agros dictarum prouinciarum reconciliatarum aliquo milite extraneo vel intraneo, niſi ipſimet incolæ id expetant belli aut periculi alicuius cauſa, aut ſolitum ſit ibidem eſſe ab omni tempore, quo caſu erit præſidium ex indigenis Belgii ſtatibus reſpectiuè gratis. 14. Volumus & ſtatuimus vt in omnibus ciuitatibus & pagis, vbi magiſtratus extraordinariè renouati ſunt ab exordio motuum, reſtituantur in integrum ſecundũ conſuetudinem & priuilegia cuiuſque loci obſeruata tempore quondam inclytæ & glorioſę memorię imper. Caroli domini & patris noſtri, item vt res ita conſtituantur, vt dictis magiſtratibus ſua conſtet autoritas, illisque pareatur, vti decet, ne recidatur in noua denuo pericula. 15. Promittimus etiã nos ſemper præfecturos gubernationi generali Belgii noſtri principem vel principiſſam noſtri ſanguinis, qui quęve dotes & qualitates ad tam arduum munus neceſſarias, & de quo vel qua ſubditi iuſtam cauſam ſatisfactionis ſint habituri, vel ex omni ratione contentos ſe præbere debeant. gubernabit cum omni iuſtitia & æquitate ſecundum iura & conſuetudines dictarum prouinciarum, iurabitque ſolenniter ſe manutenturum pacificationem Gandauenſem, vnionem poſtea ſubſecutã, Edictum perpetuum, & hunc præſentem tractatum in omnibus ſuis punctis & articulis, & notanter religionem Catholicam Rom. nobiſque debitam obedientiam; pręſignificabimusque dictis ſtatibus, vti ſoliti ſumus aliquo tempore ante creationem dicti gubernatoris, quem elegerimus. volumus autem vt nepos noſter princeps Parmenſis pro ſummo voto quod habemus ante omnia procurandi quietem & ſecuritatem noſtrorum ſubditorum omni officio, & induſtria permoueat & executioni mandet diſceſſum extraneorũ, & reſtitutionem locorum, vtq; eodem tempore admittatur & recipiatur in gubernatorem generalem. Belgii noſtri ad tempus ſex menſium obſeruatis ſolennibus conſuetis, & pro maiori ſatisfactione & confidentia noſtrorum ſtatuum & ſubditorum habeat pro ſuis domeſticis indigenas prouinciarum, & quàm minimum poterit extraneorum, & quo magis illis gratificemur, cupimus vt numerus dictorum ſeruorum extraneorum non excedat 25. vel. 30. quibus etiam extraneis non conferetur aliqua adminiſtratio negotiorum publicorũ harum prouinciarum. habiturus tamen eſt talem corporis cuſtodiam, quam alij gubernatores, principes vel principiſſæ noſtri ſanguinis habere ſoliti ſunt, arcuariorum nempe & alabardiferorum indigenarum ad id qualificatorum, cum quo nempe aoſtro dicti ſtatus ex hoc tempore mutuam communicationem habebunt, ipſique ſignificabunt omnia quæ agentur & pertinebunt ad executionẽ eiuſdem tractatus, & quæ inde dependent. fient quoque omnia edicta, mãdata, prouiſiones per nos & noſtro ſolummodo nomine, finitiſque præfatis ſex menſibus, caſu quo non prouiderimus dictę gubernationi in perſonam eiuſdem principis Parmenſis, aut alterius, qui qualitatibus ſupradictis

præditus

præditus ſit, eadem gubernatio, nequis tumultus aut confuſio oriatur, adminiſtrabitur per concilium ſtatuum interea , dum expectabitur dicta noua prouiſio. 16. Quod quidem concilium ſtatus conſtituetur a nobis ex duodecim viris noſtro arbitrio eligendis tam proceribus & nobilibus, quam togatis vt moris fuit naturalibus harum prouinciarum , ex quibus duæ tertiæ gratæ ſint ordinibus dictarum prouinciarum, & adhæſerint ipſorum partibus ab exordio motuum vſque ad finẽ . quarũ duarum tertiarum quinque habebunt à nobis commiſſionem more ſolito, & tres reliqui ſimplicẽ prouiſionem pro termino trium menſium, quibus elapſis eos poterimus, ſi ita nobis videbitur cõtinuare aut eligere ac cõſtituere alios qualificatos, vt ſupra, vt locus apertus relinquatur prouinciis adhuc conciliandis. 17. Ex ſententia vero & concluſione maioris partis dictorum conſiliariorum, qui tenebuntur præſtare id ipſum iuſiurandum, quòd iam ante diximus, omnia expedientur vti tẽpore dicti honoratiſſimi Domini & patris noſtri Imperat. Caroli, & peculiari nota ſignabuntur ab vno aliquo dictorum conſiliariorum, vt obuiam eatur malis ſæpius deprehenſis. 18. omnibus gubernationibus quas deinceps ad ſex uſque annos proximos continget vacare in dictis prouinciis reconciliatis præcipuè præfecturæ militum admouebimus naturales noſtrarum inferiorum prouinciarum, aut extraneos tam vnos quàm alteros ſtatibus dictarum prouinciarum reſpectiuè gratos, capaces, idoneos & qualificatos ſecundum earum priuilegia . quantum verò ad concilia noſtra, ſecretum financiorum & alia officia magni momenti attinet, ſimiliter promouebimus naturales dictarum prouinciarum, aut certè alios non naturales dictis ſtatibus gratos & acceptos, qui antequã recipiantur, tenebuntur iurare ſolenniter in verba huius tractatus, & medio iureiurando promittere, caſu quo deprehendant agi quidquam in eius præiudicium, de eo facere certiores ſtatus prouinciarum, ſub pęna periurij & infamiæ. 19. Ratificauimus quoque & ratificamus omnes conſtitutiones redditum annuorum, penſiones, & alias obligationes, ſecuritates & impoſitiones , quas dicti ſtatus ex conſenſu ſingularum prouinciarum conſtituerunt & contraxerunt, conſtituent & contrahent in eorum commodum, qui illis auxilio fuerunt, vel pecuniam numerarunt neceſſariis, & ſoluenda debita contracta cauſa belli & motuum præteritorum, iuxta articulum. 18. edicti perpetui. 20. Nec onerabuntur in futurum vllis gabellis, contributionibus, & impoſitionibus, aliter aut alia forma & ratione, quam onerabantur tempore & imperio quondam Domini & patris noſtri Caroli. V. & ex conſenſu ſtatuum cuiuſcunque prouinciæ reſpectiuè. 21. omnia & ſingula priuilegia, vſus, conſuetudines tam in genere quàm in ſpecie manutenebuntur, & ſiqna violata ſunt, reparabuntur & reſtituentur. 22. Dictæ prouinciæ reconciliatæ tenebuntur renuntiare omnibus obligationibus & fęderibus factis à principio mutationum & motuum præteritorum. 23. & quia ſtatus ſentiunt ſe obligatos chariſſimæ ſorori noſtrę Sereniſſimæ reginæ Anglię & illuſtriſſimo Andegauenſium duci Regis Chriſtianiſſ. fratri ob ſuppetias ab iiſdem acceptas, nos mittemus intra duos menſes proximos ex eo tempore quo nepos noſter princeps Parmenſis & Placentiæ ingreſſus fuerit gubernationem generalem perſonam quandam idoneam ad eos, ad præſtanda omnia humanitatis officia, continuabiturq; confœderatio, & priſtina amicitia cum dicta ſorore noſtra reciprocè. 24. & ad augendum affectum & beneuolentiam quam principes debent ſubditis, & contra vt ſubditi magis inclinent ad venerationem & debitam obedientiam principi ſuo naturali, dicti ſtatus humillimè a nobis petierunt & ſupplicarunt, vti prima occaſione & primo quoq; tempore mittamus in Belgium vnum ex liberis noſtris, quem veriſimile ſit nobis ſucceſſurum in noſtras prouincias, vt ibi educetur & inſtituatur iuxta morem ipſorum, in omni pietate & virtute conuenienti, quà in re habebimus eum, quem oportet, reſpectum. 25. conſentimus etiam vt omnes prouincię, caſtellanię, ciuitates & perſonæ particulares noſtri Belgii, qui volent reconciliari nobiſcum iuxta formam & coniectionem huius præſentis tractatus, à nobis ad id admittentur & gaudebunt eodem beneficio, quo dictæ prouincię reconciliatę, modo voluntarie eò deſcendant intra tres menſes post realẽ diſceſſum Hiſpanorum ex toto Belgio. 26. conceſſimus quoque & concedimus dictis ſtatibus, vt poſſint ſupplicare ſuę Sanctitati noſtro cariſſimo ac dilectiſſimo fratri nepoti & cognato nr̃o Imperatori, archiepiſcopis Colonienſi & Treuerenſi, ac duci Cliuenſi, tanquam Zelatoribus & tranquillitatis reipub. Chriſtianæ vt placeat eis operam dare vt tractatus iſte & pactum conuentum in omnibus ſuis punctis ad effectum perducatur, impleatur, & ſine vlla violatione obſeruetur. 27. ſi vero in executione & conſummatione huius pacificationis, & quòd ab eo pendet, oriatur aliqua difficultas & controuerſia definienda poſt publicationem eius, nos & ſtatus dictarum prouinciarum recõciliatorum deputabimus reſpectiuè commiſſarios, qui omnia intelligant, componant, & excutioni mandent. interea hoc obſeruandum eſt, quòd per verba, grati ſtatibus &c. poſita in multis articulis huius tractatus, non excludentur naturales Belgii, qui adhæſerint vni aut alteri parti contrahentiũ. 28. Vt autem omnia & ſingula puncta & articuli ſupraſcripti facti & concluſi in dicta noſtra ciuitate Attrebatenſi. 17. die Maii vltimi pręteriti, illuſtrati, repurgati & reſoluti in noſtro oppido Montenſi. 12. die Septembris anno. 1579. bene & realiter obſeruentur, compleantur, & executioni mandentur, & vt omnia iiſdem articulis contenta ſint rata, firma, perpetuò permanentia & inuiolabilia, iuſſimus hunc præſentem tractatum ſignari per noſtrum cariſſimum & fidelem cognatum comitẽ à Mansfeldt & alios delegatos noſtros ſupra nominatos ex vna parte, ac per gubernatores ac delegatos dictarum prouinciarum & alios confœderatos ex altera parte, promittentes ratificare omnia literis noſtris patentibus in debita & conſueta forma intra tres menſes ab hodierno die. datum in noſtro oppido Montenſi. 12. die dicti menſis Septembris. 1579 Nec ita multo poſt Hiſpani exeũt Louanio, vbi ſoli Sequani in præſidiis ſunt relicti. Hiſce conditionibus confirmata Malcontentorum amicitia Comes Agamontius adiunctis ſibi viribus Malcontẽtorum ad vrbem Bruxellas vſq;

magnoque

magnoque ſtudio contendit ad impediendas vel copias vel apparatus bellicos, ne qui Bruxellas ingrediantur. Mechlinia quoniam denuo cum malcontentis per certas conditiones conſpiraret, ꝙ in vrbe ſumma inopia annonę laboraretur, Malcontenti quinquaginta carros commeatu multo onuſtos mittunt Mechliniam cum ducentis equitibus,& peditibus quadringentis. Illa res vbi per exploratores ad Nuenſem regulum fuiſſet delata, procedit obuiam cum mille ferè peditibus, atque equitibus quingentis. commiſſo prælio apud Alſtum oppidum omnes Malcontentorum cuſtodiæ fuſæ, profligatæque ſunt, non tamen ſine victoris clade, atque carri captiui omnes Bruxellas ſunt adducti. Nec ita multo poſt natum eſt nonnihil controuerſiæ in animis illorum populorum, qui deſciuerant à cęteris Belgis,& cum Hiſpanis conſpirauerunt, à quorum commiſſariis miſſus eſt comes Masfeltius & regulus Reſius ad Parmenſem, qui flagitarent vt ſeruaretur conditio primæ pactionis, quod erat vt Hiſpani excederent è regione Flādreſia, ac darent munitiones illis populis pro pacificatione Gandauenſi. illud niſi fieret, profitebantur ſe velle cum ſtatibus conuenire. Sed enim cum Louanii & Dieſti ac Maſtrichii peſtilentia laboraretur, apparebant Hiſpani velle ſe accingere ad iter, cum tamen reipſa peſtem eſſent deuitaturi. res igitur cum ab Hiſpanis ſubfrigidè ageretur commiſſarii Neruiorum & Attrebatum cum quatuor principibus è regione Flandreſia accedunt Bourges ad principes ſtatuum vbi erat Aurantius ad res cum illis componendas. cauſam componendarum cum illis rerum declarant,& cur ad illorum fidem confugerint, ꝙ a Parmenſi principe conditiones illis prouinciis non ſeruarētur. propoſitæ etiam ſunt compoſitionis cōditiones. quod fit antequam conditiones ſtabilirentur. at ſtatus quia viderent Hiſpanos è Belgio omnino non eſſe exituros, quamuis diſceſſum ſimularent, milites conuocant ad ſigna in Olanda, Zelanda, Menapiis, & Ambiuaritis. copias, quæ iam collectę fuerant, cenſent. miſſi ſunt & qui raitros ad ſtipendia conuocarent; cum interea Nuenſis cum quadringentis equitibus in agrum vrbium Hiſpanis partibus fauentium procurrens omnia ferro atque igni prędabundus popularetur. Gandauenſes,& prouinciæ finitimæ ad trecenta millia florenorum concedunt Aurantio in bellicos ſumptus vt copiæ ad defenſionem colligerentur. neque ita multo poſt quia copiæ ſtatuum ſuccreuiſſent, Niuellaque in eorum poteſtate eſſet Hannut & Zenum caſtella propinqua malcontentorum capiunt per deditionem, per quod ferè tempus Hiſpani Villebruchum deſerunt, quia non videbatur commodum, vt tantopere vires dilatarentur. illud cum viſum fuiſſet commodum ſtatibus, quod per illud oppidum liber fiebat tranſitus Bruxellenſibus, acceſſit eo Aurantius, ac locum recognitum iubet magna diligentia muniri. Parmenſis princeps ꝙ intelligeret Villebruchi ſitum plurimum conferre ad impediendam conuectionem commeatuum Mechliniæ, illud facinus ægerrimè tulit, quare minatur Hiſpanis, niſi quod per inſcitiam amiſerint, per virtutem ac fortitudinem militarem recuperēt: quod poſtmodo difficilius apparebat ob nouas reparationes. interea, ut ſunt res humanę, quæ in quā partem propenſę eſſe ceperint, facile prolabuntur, Valentiana & Baganum & alia loca Attrebatum legationes mittunt, quæ Matthię Archiduci tanquam ſummo ſtatuū gubernatori, & Aurantio eius vicario obedientiam offerant. Matthias quia cognouiſſet perfidiam Mechliniēſium, qui ſponte ab obedientia ſtatuum ad Hiſpanorum amicitiam deſciuiſſent, proponit per publicum edictum capitis ſupplicium ſiquis commeatum, vel res victui neceſſarias attulerit Mechlinienſibus. mittit ſignificatum ciuibus vt intra quatriduum ad obedientiam ſtatuum redeāt, quod niſi fiat, grauiſſima ſupplicia indicit. Ea cum ſigificata fuiſſent Mechliniæ non parua exorta eſt contentio, qm̄ magiſtratus, quia verebantur ne ſi copię ſtatuum repente vrbem inuaſiſſent illam caperent, oēsq; Mechlinienſes trucidarent, vòlebant Hiſpanos introducere ad ipſius vrbis defenſionem; at populus armatus reſiſtebat, minabaturq; cædem magiſtratibus, quia non videbatur aut his, aut illis vrbis libertas cōmodè eſſe concredenda ab iis, qui liberi ipſi eſſe poſſent, ſatiſq; validi ad defenſionem ſi concordib. animis ad illam conſpirarent.& quoniam pacis conditiones fuerant ad comitia ſtatuum delata, plurimumq; controuerſiæ natum in iis de illis accipiendis vel reiiciendis, nihil concludi potuit, quāobrem quindecim prouinciarum delecti ad pacem Coloniæ concluſionem vel accipiendarum vel reiiciendarum prorogant ad finem Octobris. Aurantius princeps in comitiis ſtatuum ſe cupere pacem quidem accipi ſignificauit, quam tamen magnopere non laudabilem putaret, niſi cum libertate eſſet coniuncta, & quæ animis illorum populorum planè non faceret ſatis. interea dictus fuerat Dux Alenconius in Britāniam eſſe nauigaturus, ac ducturus reginam in matrimonium, qui rumor non ſolum in Britanniam ſed per vniuerſos Europę populos eſt peruagatus. at verò cum regina neque ipſa ab illis nūptiis magnopere abhorrere videretur, non potuerunt Britanni quidam illud ęquo animo ferre, quare non modo inuicem querebantur ſe exteris nationibus per nuptias reginarum ſubiectos fieri, qui regnum non vt patrimonium ſtabile cum multa charitate ſint gubernaturi, ſed vt populos ignotos & ad certum tempus. oblatum eſt etiam ſcriptum Reginę ad eas nuptias turbandas,& ad animum reginæ ab illa cogitatione reuocandum, in quo continebatur pręter multa in Alenconium Ducem maledicta & contumelias & accuſationes, ꝙ multis de cauſis illud matrimonium non erat ex vtilitate eius regni. quod cum à viris non aſpernandæ autoritatis factū fuiſſet, ægerrime tulit regina, qm̄ ſuſpicaretur hos fauere partibus Hiſpanis. id vero tāto grauius viſum eſt ꝙ eo tpe in Ibernia inſula capta fuerunt tria caſtella ab Hiſpanis; quorum cum eſſent in inſula ad tria millia cum duobus millibus inſulanorum conſpirauerant, atque multa damna Iberniæ incolis intulerant. Id videbatur fieri conſenſu regio, quoniam orator Hiſpanus conqueſtus fuerat apud reginam quòd ea rebelles Hiſpani Regis auxiliis iuuaret. ad arcēdas opprimendas & profligandas copias itaque Iberniæ moleſtas regina mittit quatuor ingentes naues onerarias & tres minores cum multis armatis, quæ magnam manum in inſulam exponerent, viderentq; ne alii Hiſpani in inſulā traiicerentur:

Hannut Zenum, Villebruchū opp. capta.

traiicerentur, hę copiæ repente egreſſę coniunctis viribus cum Iberniæ incolis Hiſpanos nihil tale opinantes cum catholicis inſulanis coniunctos inuadunt. pugnatur acerrime vt anguſtia temporis ferebat ab Hiſpanis ac magna virtute, ſed tamen numero & pertinacia Britannorum omnes Hiſpani cum armatis catholicis trucidantur, neque vllus è tanta ſtrage euaſit. In Belgio pugnabatur pluribus in locis, quoniam ex altera parte Parmenſis princeps, quia videret pacē Belgarum ſinuoſis ambagibus differri, ne res bellica ſegnius ageretur Rempen verſus cum exercitu procedit ad oppidi Berghenę expugnationem, quò iubet tormenta, & commeatum bellicum conuehi, ex altera parte Lillæ prę ſidia, & Hiſpani coniunctis viribus cum Malcontentis Menin tentant ad expugnationem, quoniam ſitus eius loci plurimum conferre rebus Hiſpanis videretur, cum etiam non parua ſpes prædæ ob opulentiam loci ad illam expugnationem inuitaret. conuenerant iam ad Menin triginta Vallonum vexilla & alię copiæ Malcontentorum, quæ inter Lillam, & Menin fuerant caſtrametatæ. ſed cum locus non ſemel fuiſſet tentatus, reiecti ſunt Hiſpani cum magna centurionum, & inſignium militum clade per virtutem defenſorum, cum ineſſent duo millia lectiſſimorũ peditum, & locus aſſiduè muniretur. Non tutam præterea illam oppugnationem eſſe ſinebant ingentes ſtatuum copię apud Haleuinum caſtrametatæ, quæ plurimum. excreuerant, & quotidie nouis cohortibus augebantur, quæ ob propinquitatem etiam caſtrorum quotidie minutis prælijs decertabant. Haleuini præfectus cum videret, & propinquiores, & maiores hoſtium vires quam vt auxilia mitti poſſent, venit in poteſtatem ſtatuum cum oppido per deditionem. ipſe liber dimiſſus eſt, at oppidum euerſum & ſolo æquatum, quia nimis eſſet vicinum Menin oppidum munitiſſimum ſtatuum, ne ſi hoc ab Hiſpanis poſtmodo caperetur vllam inferret moleſtiam. ſed enim Parmenſis princeps cognitis copiis ſtatuum, quæ ita ſuccreuiſsent, mittit ad colligendum equitatum, ac peditatum, quod ipſum faciunt principes Belgarum, tanquam bellum nũc primum excitaretur. enimuero cum aſſiduis acceſſionibus virium aucta eſsent caſtra ſtatuum, auctus eſt etiam animus, & vigor, & ardor pugnandi, quia non parum cum fortuna ſtat aut cadit, languetque animus mortalium, quamobrem Nuenſis regulus non amittendum tempus ratus cum expeditiſſimo equitatu ac

Veruuichũ captum. peditatu repentino conatu per vim armorum Veruuichum oppidum capit. ducentos & quinquaginta milites præſidiarios ſeruat incolumes, cum multum bellicum apparatum inueniſset. Veruuicho capto Rizieren verſus iter capit, quod vbi Malcontentis nuntiatum eſset ſuccenſum, & deuaſtatum oppidum deſerunt. Hinc Vaſtento & Canerua potitus quinque vexilla equitum Malcontentorum commiſso prælio in fugam vertit nullo prope negotio, in qua pugna ferè octingēti equites vel cæſi vel capti ſunt. illa cum ſtatibus feliciter ſuccederent, iam pęnitebat Malcontentos abſceſsus Hiſpanorum è Belgio, quia ſine illis intelligebant grauiſſimum excidium ſibi imminere, atque cupiebant cum Hiſpanis ad defenſionem vires coniungere. illud quo commodius fieri poſset, cum ēt

Flauiobrigã. precociores hyemes fiant in Belgio, eſsetque in hyberna recedendum, in dicta ſunt comitia Valentianum a Malcontentis, in quibus decerni poſset de ſumma belli, nam cum anni tempus copias eſse ſub dio non pateretur, apparebat potius inuitare ad inſtaurandum quam ad gerendum bellum facultatem concedere, & ad conſultandum quid vtilius agi poſset. Ea dum parantur ad bellũ vtrinq; in Belgio, copiæque vtrinque colliguntur ad vires inſtaurandas, pugnabatur in varijs regionibus varia fortuna belli. nam Bironius regulus cum arbitraretur ſe poſse repentino conatu vrbem Flauiobriga poſitam non procul a Pyrenæis montibus in litore maris Oceani ad ſeptentrionem proſpectantem occupare cōſentientibus quibuſdam ciuibus, colligit clam quaſdam copias equitum ac peditum in finibus Cantabrorum, idque in varijs locis, qui iuſſi ſunt in vnum ad certum tempus conuenire. Vbi per obſcuriſſimam noctem ad Flauiobrigam eſset peruentum admotæ ſunt ſcalæ pluribus in locis, quę cum eſsent breuiores, quam vt poſsent ad aptam mæniorum altitudinem pertingere, cognitum eſt a ciuibus vrbem per inſidias nocturnas inuadi. conclamatum eſt ad arma tota vrbe, atq; Bironius coactus eſt cum ſuis copiis re imperfecta in fines Cantabrorum ſe recipere. interea belli apparatus & claſſis ſumma diligentia ab Hiſpano Rege inſtrui iubebatur, cum etiam Prorex Neapolitanus omni diligentia conaretur eum militum numerum claſſi imponere, qui fuerat deſtinatus, quod certe fieri non poterat ſine magna difficultate, cum ea quæ ſuſcipiebatur expeditio appareret magnas copias requirere ob auxilia quæ putabantur datum iri à diuerſis principibus. Idcirco etiam Magnus dux & operis & militibus, vt diximus, regiam expeditionem iuuit, quę miſsæ ſunt Piſas & Ligurnum triremibus Fabricij Columnæ traiiciendæ; quarum copiarũ Dux erat Proſper Columna. Quò tanti hi maritimi apparatus inclinabant omnes proſpectabant intentis oculis, cum triginta & ſex onerariæ multis militibus onuſtæ, & commeatu & apparatibus bellicis ſtationem haberent in portu Neapolitano, ſed in primis Genuenſes, non quia de Regis erga ipſos fide ac beneuolentia dubitarent, ſed quia ſic natura comparatum eſt, vt rebus cariſſimis maxime timeamus, qualis eſt libertas. Vt enim oculus vel leuiſſima quaque re contactus offenditur, ſic rerum omnium humanarum nobiliſſima libertas omnibus vel leuiſſimis bellicis apparatibus aut bellicis minis offenditur, atq; excitatur ad excubandũ ſibiq; conſulendũ. ille timor nonnihil augebatur ꝓbabili ſuſpicione, quia per luem multa millia mortaliũ dicebantur in ditione Genuenſi intercidiſse. Sed tamen omnis metus, è Regio conſilio occupandæ vrbis ſublatus eſt, & tanquam vana nebula euanuit, cum impetratæ fuiſsent ab eo Rege literę ad Proregem Siciliæ, quibus continebatur vt pateretur Genuenſes frumentari in ea inſula, atque ita naues frumentaturæ miſsæ fuerunt Panormum. ſed quoniam rumor inualuerat quòd præter alios principes rex Tamuſigæ ſubſidia ſatis valida rebus Luſitanis eſset miſſurus, quò conuenerant ad hoc negotium & Amurati vt diximus legatio, & Galli Regis ac reginæ Britannæ, Philippus quoque Rex legationem miſit, quando omnis

firmitudo

firmitudo regnorum non ſolum in cuiuſque Regis viribus conſiſtit, ſed etiam in amicitiis propinquorum, & conciliandis finitimorum principum animis. iubet legationem hortari amicè Regem Tamuſigæ ne aduerſus Philippum Hiſpaniarum Regem amicum arma ſuſciperet, aduerſus æquiſſima iura, quæ habet in regnum Luſitanum, aduerſus res toties ipſi Regi Hiſpano à peritiſſimis iuriſconſultis, & vel ab ipſo Rege Luſitano adiudicatas. præſertim cum arma Hiſpana non ad inferendas cuiquam, ſed ad propulſandas iniquorum & temerariorum iniurias ſint parata. illud fortaſſe difficilius poſſe ab imperitioribus fortunæ mutationum regibus obtineri, ſed ab eo Rege qui ſucceſſerit Regi per vim, & per iniuriam è legitimo regno pene eiecto, non eſſe difficillimum obtinere. His rationibus commotus rex Tamuſigę ſiue Feſsæ oē belli conſilium depoſuit. Ea dum aguntur apud Regem Tamuſigæ de rebus Luſitanis, non ſegniter agebatur res bellica a Perſis in finibus Armeniæ; nam cum Sinams cum ingentibus copiis à fronte regiorum caſtrorum conſtitiſſet, auctęque fuiſſent Perſarum vires acceſſu filii Regis quadraginta millibus equitum, Perſæ ne res diutius otioſè protraheretur facultatem offerunt prælii Sinamo, ſi velit totis viribus dimicari, ac fortunam belli vno prælio experiri. Sinamus quoniam per exploratores cognouiſſet aucta eſſe caſtra hoſtium tot millibus pugnatorum, ſeque ita factum eſſe viribus multo inferiorem, non modo pugnam detrectauit, ſed etiam ratus eſt non eſſe ſatis tutum ſi diutius in eodem loco conſtitiſſet, vbi nulla ſatis firma eſſet munitio. decreuit igitur ad oppidum munitiſſimum Aazirū quod vulgus Argironē vocat ſe recipere. illud poſitū eſt inter fines Turcomanię & maioris Armeniæ nō procul ab Eufrate flumine. Perſæ poſtremam aciem diſcedentium hoſtium inuadunt, multoſque Turcas trucidant, deinde ad euerſionem Carſi munitionis caſtra mouent. erant relicta in præſidiis munitionis decem millia Turcarum, & Ianizzerorum cum multis bellicis tormentis ad defenſionem. vbi Perſæ acceſſiſſent, cępta eſt munitio pluribus è partibus vno tempore inuadi, ac poſt diuturnum certamen trucidatis Turcis munitio capta, euerſaque eſt. Sinamus vbi frequentes ſuorum clades cognouiſſet, copiaſque virtute Perſarum non mediocriter quotidie labefactari, ſignificauit per literas omnibus prouinciarum præfectis, vt quanto plures poſſent milites mitterent in caſtra. Fabricius Columna interea biremem piraticam capit in mari Tyrrheno, quę prædabunda ante alias acceſſerat propius ad litus Italiæ, cum circiter viginti & quinque partim prædatoriæ naues inſigniores, partim biremes conueniſſent è Iulia Cęſarea, & aliis locis Numidicis ad prædam direptioneſque nauigiorum Chriſtianorum. vt verò Fabricius ad pugnam alliceretur, qui cum paucis triremibus nauigabat, ſeſe illi oſtentant decem prædatoriæ, cum aliæ non procul intra quēdam ſinum laterent, ſed monitus Fabricius per captiuos ne in altum recederet, periculū deuitauit. Turcæ non multo poſt plures trecentis non procul ab hoſtia ad Oſtia fluminis deſcenſionem faciunt, qui litus procurrentes neminem inueniunt, cum incolę accepto ſigno e ſpeculis profugiſſent, idcirco indignati tuguria & ędificia quæque obuia ſuccendunt. Miſſa eſt ala equitum leuiorum, & quidam Germani pedites a Pōtifice, qui non procul aberat, imperatumque Paulo Iordano vt ſuos iuberet cum armis ad litus deſcendere, qui vbi fere quingenti conueniſſent non potuerunt tamen vi ſclopettorum Turcas à litore depellere, quòd illi a claſſe frequentibus ictibus campeſtrium tormentorum protegerentur. denique poſt aquationem abductis multis nauigiis captiuis frumento onuſtis in Numidiam receſſerunt. at in Pannonia quia frequentes fierent Turcarum incurſiones, omneſque populi finitimi Turcicis finibus vexarentur, quia ſimulabant Turcę multa ſibi feliciter aduerſus Perſas euenire, ne conſternati eſſe viderentur, neceſſe fuit indicere comitia Poſſonium, quare Cęſar eò principes Pannonum ad certū tempus conuenire imperauit. eò vbi ventum eſſet expetiuit per literas vt quoniam ipſe ob valetudinem intereſſe non poſſet, contenti eſſent Herneſti fratris Cęſaris ipſius præſentia, quod certe obtineri non potuit, cum omnes ipſum Cæſarem adeſſe oportere affirmarent, Sinamus vbi Aazirum ſe recepiſſet, quoniam cęptum eſſet in caſtris Turcicis laborare penuria commeatus iubet filium Mahometi cum tredecim millibus equitum in agrum Perſarum incurrere atque commeatum ſi poſſet in caſtra captiuum conuehere. Ille repentino aduentu prædabundus omnia obuia populatur. multum capit frumenti, multaque iumenta, & omnis generis animalia. ad eius prædationis rumorem Perſę excitati redeuntem in caſtra, nihilque hoſtile timentem, ac præda impeditum repente inuadunt. Turcas omnes trucidant. prædam & captiuos recuperant, cum tamen dux copiarum acceptis quatuor vulneribus per bonitatem equi ſe fuga in tutum receperit. at vero quoniam principes Belgarum parum propenſi ad pacem amplectendam eſſe viderentur propter varietatem ſententiarum, neque quidquàm concluderetur, cenſebant legati Colonia eſſe diſcedendum, quare per literas principes ipſos certiores fecerunt. dimiſſi ſunt igitur negotiatores ab aliis principibus, ſed Cæſar ſuis commiſſariis imperat ne nunc adhuc diſcedant, quod etiam aliquam ſpem pacis ob ingens fortaſſe deſiderium retineret. ſed iam Herneſtus Masfeltius Valērianam acceſſerat, quò fuerant indicta comitia proceribus Malcontentorum, vt de ſumma belli decerneretur, & an perſiſteretur in ea ſententia, vt Hiſpani pro conditionibus pacis exirent è Belgio. omnes vbi conueniſſent, variæ fuerunt omnino ſententiæ, quòd alii plurimum præſentiæ Hiſpanorum eſſent pertæſi, nihilque magis cuperent quàm illos excedere è Belgio, alii arbitrarentur omnem ſecuritatem, & regionis, & Catholicæ religionis poſitam eſſe in auxiliis Hiſpanorum, qui ſi exirent, Malcontentos certiſſimam prædam copiis ſtatuum eſſent relicturi. maxime vero formidabilem eſſe ſtatuum indignationem, quòd omnium grauiſſimè ferant ſe a ſuis Belgis eſſe neglectos, vel etiam oppugnari. acerrima odia plerunque eſſe ſolere finitimorum populorum vbi ſimultas aliqua nata ſit, ſicut etiam priuatorum acerbiora ſunt odia inter coniunctos. illud autem probabilius videbatur, quia copiæ ſtatuum aſſi-

Carſi munitio euerſa.

duè

duę ſuccreſcerent, & commeatus, & apparatus bellicus non ſegniter comparabatur. acceſſerat in Galliam etiam Nuenſis regulus vbi occupaſſet caſtella quædam Malcontentorum ad colligendos mille equites & ſexcentos pedites, qui ſibi conceſſi ſunt à Condæo cum eſſet in Vermanduis, & Vicecomes Tarenius ab Aurantio acceſſitus diceretur in Belgium proficiſci cum ſex millibus peditũ. Hiſce rationibus effectum eſt vt Malcontenti non amplius inſtiterint Hiſpanis vt abirent, ſed proſpectaretur quid ſtatus conſilii caperent. Quę dum conſultantur in Belgio, Aetna Siciliæ mons maximis horrendiſque ignibus exarſit cum magnis fremitibus ac motibus terræ. Nam aperti ſunt quinque hiatus, vnde maxima vis flammarum erupit, quæ ad decem millia paſſuum fere defluxerũt in morem fluminis cum maxima arborum fructiferarum, & cultorum locorum deuaſtatione. ita vero alte eructabantur ſaxa ignita vt quoduis acumen aſpectus ſuperarent, neque a proſpectantibus vltra quoddam ſpatium concerni poſſent, quę mox cum maximo frangore, & periculo finitimorum in terram recidebant. Sed iam annus alter inierat, qui fuit octogeſimus ſupra mille & quingentos a partu Virginis, cum illum duæ res tantum inſignem fecerunt, altera fuit anni intemperies omnium bellorum maxime periculoſa ſi paulo acerbior fuiſſet in Italia, altera fuit regni Luſitani captiuitas, quod Philippus rex magna claſſe, magnoque exercitu comparato cæpit, ſed hęc paulo vlterius progreſſi opportune diligentias explicabimus. Nam cum per duos prope aſſiduos menſes Aprilem & Maium magni imbres facti eſſent, ſubſecutaque maxima temporis intemperies, quod modo intolerabilis æſtus ſequeretur, modo repeterentur imbres & frigora vel ſupra anni tempus, exortus eſt tam in vniuerſa Europa communis morbus, vt vix quatuor e ſingulis centenis immunes euaſerint, appellabantur ille morbus Caſtronius vulgo, quod latine vernecinum dixeris, quo correpti grauiſſimo capitis dolore, & aſſiduis febribus ardentiſſimis infeſtabantur, ſed vbi per triduum apta dietæ ratione vſi eſſent ſubſequente vomitu vel ventris pro fluuio, liberabantur. cæpit tamen ingraueſcere per autumnum cum multi mortui ſint, vel quod eos male affectos morbus inueniſſet, vel quod illi neglecta ratione victus pro appetentia viuerent, paruiq; facerent morbum, ut qui breuis, minimeque periculoſ us cæteris extitiſſet. penetrauit etiam in Aſiam, & in Africam paulopoſt, qui ſi paulo fuiſſet grauior propter multitudinem ægrotãtium, multo plures erat deleturus mortales quam quiuis alius ante hæc tempora auditus. Interea quoniam magnum, & atrociſſimum bellum, quod inter Polonos, & Moſchos exarſerat, cæpit initio anni præſentis maiores vires reſumere, vbi per hyemem vires bellicæ ceſſantes aliquantum conualuiſſent, nam propè hyems vniuerſa non ſegniter pretermiſſa eſt à Rege Polonorum, cum res apparatuſque bellici vbique pararentur in annum ſequentem, quo poſſet omnia regni Poloni a Moſcho occupata per ſocordiam ſuperiorum regum recuperare. Sed quoniam non nulla explicaturi ſumus, quæ ad bellum inter Poloniæ Regem & Moſchouitarum Ducem geſtũ pertineant, non erit abſurdum ſi pauca, quæ ſpectent ad mores, & naturam Moſchouitarum explicemus, quoniam neque regio, neque mores eius gentis pleriſque cognita ſunt. Eſt autem Moſchouia Regio non valde ampla vel populoſa Septentrionem verſus in extrema parte Europæ, vbi Aſiæ fines pertingit orientem verſus. eius Metropolis eſt vrbs Moſchouia ampla ex ædificiis ligneis conſtructa, ſicuti mos eſt eius regionis, quæ principatum tenet Ruthenorum, quæ nomen accepit a fluuio, qui eiuſdem nominis per illam delabitur, qui e ſuis fontibus ab Olenſcho pago ortus acceptis in ſocietatem itineris, & in communem alueum per varios amphractus nonnullis fluuiis per centum ferè milliaria in illam vrbem nauigabilis denique decurrit, atque ex ea digreſſus illabitur in Occam flumen. eſt Moſchouita regio non valde fertilis, quoniam ager vbique eſt arenoſus, quare fruges vel per mediocrem ſiccitatem plurimum areſcunt. aer eſt immoderatus temperie, quare cum frigus vim ſolis aliquando ſuperet, fruges non perueniunt ad maturitatem. nam vt alibi ob nimium æſtum terra fit hiulca, ibi hoc accedit ob nimium frigus. at aliquando par ęſtus vis eſſe dicitur, ita vt fruges comburantur, & penitus areſcant. abundat tamen plerunque frumenti, & quarundam frugum copia, niſi inuſitata fiat intemperies, & fructiferis arboribus, amygdalis, ceraſis egregiis, iuglandibus, ac reliquis huiuſmodi, præter auellanas, quæ nulle in ea regione inueniuntur. animalia minora ſunt multo Italis cuiuſuis generis. horum potus eſt ceruiſia, & Medo vocatus, cum frigus vitem non perferat in ea regione. longiſſimus dies Moſchouię eſt horarum decem & ſeptem ac quindecim minutorum, quorum poli eleuatio dicta eſt eſſe graduum quinquaginta vel paulo plus. Militia Moſchouitarum conſtat è nobilibus, cum tertio quoque anno ſaltem princeps filios nobilium deſcribat, vt poſſit recognoſcere quot equos, & ſeruos quiſque habeat. qui ſunt opulenti militant propriis ſumptibus, aliis ſunt conſtituta ſtipendia. equi ſunt parui, euirati, ſine ſoleis ferreis atque ephippiis vtuntur aptiſſimis in quibus poſsint arcus intendere contractis pedibus, pauci calcaribus vtuntur, ſed pro his flagris. arma ſunt arcus, & iacula, & baculus pro ceſtu, cum nobiliores tamen lanceis vtantur. preſtantiſsimi cenſentur qui vtuntur thoracibus quibuſdam è ſquammis ferreis confectis, cum etiam nonnullis veſtes viui ſint bambaſio ita condenſatæ, vt ictus facile ſuſtineant. peditatus & equitatus incurſionibus potius, quam iuſto marte decertat, cum ſint omnino expediti, & ad inſequendum, & ad fugam. nam primo impetu hoſtem fortiter inuadunt, ſed impetus non eſt diuturnus. perraro vrbes vi expugnant, ſed vel diuturna obſidione premunt, vel per inſidias conantur potiri. illud proprium eſt Moſchouitarum, vt ſtatim atque in fugam verſi ſunt ſi ab hoſte comprehendantur, non ſe defendant, neque precentur victorem, quorum eſt longe diuerſum Scytharum ingenium, qui vel ex equo deiecti, & armis priuati aut etiam grauiter vulnerati, tamen vel vnguibus vel pedibus aut dentibus quoque ſe defendunt. cum illud cõe ſit omnib. animalibus pericula per viribus a corpore propulſare. reliquæ ſunt

vrbes

Aetnę incẽdium.

1580.

Morbus caſtronius vocatus.

Moſchouiæ deſcriptio.

vrbes Moſchouiæ quædam peramplæ & fertiles ac ſalubres, inter quas non negligenda eſt Vuolodimeria inter Rham & Occam, cuius tanta eſt fertilitas vt pro medimno tritici triginta & amplius aliquando colligantur. habet Cleſmam fluuium propinquum, quæ fuit aliquando metropolis Ruthenorum, vt nunc eſt Moſchouia. habet ſyluas ampliſſimas proximas. ſunt qui non ſuperari agri fertilitate Nouogardiam & ipſam vrbem amplam contendant Moſchouiæ. reliquæ ſunt vrbes multæ & caſtella non paruæ dignitatis, præter Pleſchouiam, & Smolentchum, ſed omnes lignea habent ædificia de more regionis. Terminantur Rhutheni, in qua regione eſt Moſchouia, Sarmaticis montibus & flumine Tyra, vbi à colonis Niſter dicitur, ad mare vſque Euxinum, fluuiumque Boryſthenem, cuius tamen regionis quædam pars à Turcis fuit occupata. inde ad Chiouiam vſque extenditur. poteſt Dux Moſchouitarum, vbi libuerit, vel ad ducenta millia equitum colligere, cum paucis peditibus vtatur. perraro ocioſi ſunt Moſchouitæ milites, quoniam vel cũ Lithuanis, vel Liuonibus, vel Caſenẽſibus Scythis belligerãtur, vel ſi nullũ ſit bellũ, habẽt ſtationem ad viginti millia armatorum ad Tanaim & Occam fluuios ad reprimendas incurſiones rapinasque Scytharum Precopenſium. Rex igitur procurato commmeatu, tormentisque, & omni grauiore inſtrumento belli nauibus premiſſo, tametſi nondum è remotioribus regni oris copiæ conueniſſent: tamen fama ſuæ profectionis celerius ſubſecuturas ratus, Vilna profectus vno milliari inde conſedit. iuſſæ erant copiæ collectæ ad certum locum conuenire, qui Lioſnouicia vocatur, atque illud eſt oppidum Lithuaniæ. Conuenerunt itaque ad ducenta millia mortalium. cum rebus bellicis, & pugnæ apti tamen paulo plures eſſent in caſtris ſexaginta millibus. aderant & octoginta bellica tormenta. numerus equorum qui ad vſum rei bellicę adducebatur, multo erat amplior ducentis millibus: cum ſingulis peditibus equo ſaltem opus eſſet ad conuehendum commeatum, quia per facienda itinera nihil edulii omnino reperi poterat. Vbi Vitebſcum ventum eſt, illud eſt oppidum munitiſſimum diſtans à Vilna 80. milliaribus natum loci, duabuſque arcibus, & præterfluente Duina nauigabili fluuio. habita ſunt comitia militaria de more, in quibus decerneretur de ſuſcipienda expeditione, & de itinere faciendo. Decretum eſt in ijs referente Rege ad concilium militare, vt Vielicholucum accederetur. nam cum rex vel ante comitia ſuas copias Gaſmicij cenſuiſſet, inueniſſetque ſe habere in caſtris ad triginta & quatuor millia equitum, decem & octo peditum, multoſque equites ſclopettarios, atque equites Coſachi vocati, partim lanceis, partim arcubus vterentur, cum pedites alij Pannones, alij Poloni, alij eſſent Lithuani, ſibi viſus eſt poſſe quamuis expeditionem tutò ſuſcipere. Tres autem peramplę & celeberrimæ ciuitates proponebantur in comitijs, Smolenſcum, Pleſcouia, & Vielicholucum, quarũ hæc ad Louatum fluuium, Pleſcouia ad Niemum è Liuonia labentem, Smolenſcum ad Boryſthenem ſita eſt. Sed cum iter ad Smolenſcum eſſet faciendum per loca deſerta, terramq; à Polonis etiã per crebras incurſiones ferro igniq; deuaſtatam, videbat ſi eò ſe conuertiſſet exercitum commeatus & rei frumentarię inopia laboraturũ, aditumq; hoſti patefactũ iri ad fines Lithuaniæ inuadẽdos. Illud etiã incõmodi accedebat, quòd ſi Smolenſcũ peteret nulla ratio apparebat auertẽdi hoſtis à Liuonia, quæ ſola ſuſcepti belli cauſa erat; neq; vlla ſpes erat Moſchũ propter vrbẽ longe à ſuo regno remotã ad Boryſtenẽ nimirũ ſuas vires in vltimũ diſcrimen adductur ũ. Plæſcouię vero expugnãdæ ratio difficilior hoc tẽpore viſa eſt, quòd expeditio à finib. Regis longinquior. quòd iter ob crebriores hoſtiũ artes piculoſius, ꝙ lõgior receptus, cũ nullũ eſſet p̃ſidiũ Regiũ ĩ locis ꝓpinqs, ꝙ nullus eſſet deniq; fluuius ĩ illo itinere, ꝑ quẽ res frumẽtaria, & bellicę poſsẽt deuehi. his rõnibus diligenter in comitiis militaribus ponderatis ſtatuitur Vielicholucum eſse adeundum. Eſt autem Vielicholucum vrbs & oppidum diſtans à Moſchouia vrbe ad cẽtum & quadraginta millia paſſuum in aperta fertiliſſimaque regione, quæ diſtat à Nouuogardia ſexaginta, à Polocio ferè quadraginta milliaria, neque valde plus diſtat ab oppido Toropecio. Nam tametſi Vielicholucum accedentibus iter eſset per ſylueſtres regiones faciendum, cum multis maximis ac denſiſſimis ſyluis referta ſit omnis propè Moſchouia, tamen cum & à populationibus integra omnia eſsent, & fluminibus Duina & Vſuiatha tormenta & commeatus opportunè conuehi poſsent, minor videbatur in ducendo exercitu futura difficultas. His accedit quòd Vielicholucum Liuoniæ imminet, vt ſi eam vrbem Rex ſuæ ditioni adiungeret, & commeatu è Liuonia iuuari poſſe videretur, & iter è Liuonia in Moſchouiam intercludere, & magnam regionem atque amplam à moleſtiis hoſtium liberare. Illud etiam verſabatur in animo ſapientis & cuncta diligenter rimantis Regis, poſſe accidere, vt ſi abiecta omni ſpe pacis eam vrbem oppugnare Moſchus videret, quæ ſuæ ditionis ſemper fuiſset, & quoquo modo ſuis opem ferre contenderet, daretur optata opportunitas aperto mare, totisque caſtris dimicandi, cuius pugnæ Rex eſset cupidiſſimus. Neque illud etiam futurum commodum negligebatur, quòd omnis regio circa Vielicholucum propter agri fertilitatem, vbertatemque rerum omnium, poſset facilius ſuppeditare commeatum, vtpote abundantior alendis exercitibus ac iumentis. Nam regio Vielicholucenſis ad Pleſcouiam vſque culta eſt vbique & habitata à multis hominibus, quam ſi Rex in ſuam poteſtatem redegiſset magnam commoditatem relictis in præſidio militibus erat præbitura. Cæterum ituro Vielicholucum duæ arces cum firmis Moſchorum pręſidiis munitæ occurrebant Vieliſsa in citeriore ripa Duinæ fluminis, & Vſuuiatha intra duos lacus ſita, quorum alter ad Occaſum vergens Vſmiana, alter ad Orientem pertinens Vſcciatha vocatur. Has arces ne quid à tergo infeſtum relinqueretur, Rex partitis copiis expugnare decreuit. Ioanne igitur Famoiſcio magno regni Cancellario cum ſeptem millibus armatorum ad expugnandum Vieliſſam præmiſſo ipſe quartis caſtris ad caſtellum Suraſum peruenit. Hic duabus de cauſis maxime quatriduum ſubſiſtit, altera vt Duinam fluuium pontibus iungeret ad

Copię Poloni Regis.

Smolenſcũ vrbs Moſchi.

Vielicholuci d'ſcriptio.

LI I traiicien-

raijcie ndas copias, altera vt expectato aduentu Vieliſſæ, quæ octo millia paſſuum diſtaret à Surano, de rebus à Cancellario geſtis certior fieret. cœterum tertia pars exercitus, qui fuit in tres partes diuiſus, data eſt Palatino Vilnenſi. tormenta deuecta ſunt per aliquod ſpatium itineris ſecundo flumine Gieuina, cum à copijs à Cancellario ductis iter captum eſſet. illud habitum eſt per ſyluas, in quibus antiquiſſimæ viæ veſtigium quoddam extabat, in qua Moſchus pontes ita multos annos deſuerat, vt omnes eſſent putres, cum etiam ita arbores excreuiſſent frequentes ad denſę, vt neceſſe foret & decidere arbores, & pontes inſtaurare longiſſimos ad iter copiarum, ad quod munus octo millia operarum caſtra ſequebantur. nam in ijs ſyluis maximę inerant paludes quæ certe ſine pontibus pertranſiri non poterant, cum ad ducenta millia paſſuum ea ſylua extenderetur per quam nullus exercitus iam annos. 180. pertranſierat. nam aliquæ paludes ad decem miillia paſſuum protendebantur. propter difficultatem viarum. 2000. hominum aliquando tormentorum curam habebant. Cancellarius itaque præmittit expeditiſſimos pedites & duces cum Coſachis, equitatuque cum Lanceis, qui vias tuerentur. locabantur caſtra ſemper in ripa vel fluminis vel lacus vel alio natura munito loco, cum equitatus circum pedites ſtationem haberet ſicubi glabrus locus vicinus inueniebatur. in mediis caſtris platea & quaſi forum deſignabatur apud tentorium ſummi ducis peditum cum ſuis excubijs. circunquaque carri pro aggeribus caſtrorum concathenati multi locabantur. ſtatuebantur quatuor portæ, quæ ab armato peditatu cuſtodiebantur. Cancellarius vbi primùm per aſpera itinera ductis copiis Vieliſſam quæ munitio eſt Moſchi è denſiſſimis ſyluis penetrauit, loci ſitum contemplatus tribus ex partibus circunducta foſſa, iactoque aggere munitiones in arcem ſumma celeritate direxit. nam nullo intermiſſo tempore peditatus per occulta loca, cum valles arci eſſent vicinæ, arci propinquat. eodem die prima vigilia arx recognoſcitur, penetratumque eſt ad foſſas vſque à Chriſtophoro Polono tribuno, & Theodoro quodam Daniæ Regis familiari qui etiam centum ſclopettarios Polono Regi miſerat, & à quodam Theodoro Danſicho tribuno magni iudicii ac virtutis, & à quodam Pannone viro magnæ autoritatis & Dominico Ridolfino Camerinenſi, vnà cum Cancellario. & quoniam non ſolum vires hoſtiles debilitandæ ſunt infringendis præſentibus, ſed etiam arcendis auxiliis ſiqua ſubmitti poſſint, Cancellarius ex aduerſo arcis vltra Duinam aliquot cohortes leuis armaturę collocat arcendis & ſubſidijs & effugijs oppidanorum. tribus igitur in partibus collocata eſt verberatio, alia Pannonibus, alia Polonis, alia Dominico Ridulphino Camerinenſi eſt aſſignata, qui & foſſas militares, & corbes terra oppletos erexit. admotis igitur tormentis cum vndique verberari propugnacula conſpicarentur, miraque audacia regiarum copiarum faces manibus inferri uidiſſent Vieliſſenſes pacti incolumitatem deditionem faciunt. Illa re cognita dum pontes ex Lintribus contabulatis ædificantur, rex cum familiaribus ad viſendam Vieliſſam excurrit. capta Vieliſſa literæ à Moſcho redditæ ſunt, quibus humiliter & demiſſe, quod plerique calliditati aſcribebant, quibus aiebat iam ſe legatos contra ſuam, maiorumque ſuorū conſuetudinē ad eū miſiſſe aiebat cum ijs mandatis, quæ petitæ ab ipſo paci eſſent accommodata. ſed cum incertus eſſet quid ab ipſo Rex poſtularetur, ſe vereri ne non ſit ijs contentus futurus, quæ legationes ipſius nomine pollicerentur. inquit igitur ſe repetere vt rex quam citiſſime ſuas poſtulationes per literas explicaret, quo ſuis legationbus id facere permitteretur, atque antequam audiret legationes intra ſuos fines contineret exercitum, nec pateretur in ipſius regiones fieri incurſiones. petebatur denique vt miſericordia ſubditorum moueretur, neque curaret videri cupidus profundendi Chriſtiani ſanguinis, neque à ſtudio oblatæ concordiæ abhorreret, recordareturque ſaluberrimæ admonitionis, vbi ait diuinus vates; Reges ſapite, & erudimini qui iudicatis terram. nam extremam Pſalmi partem literis ſuis inſeruerat. Rex cognitis his literis nihilo remiſſius exequi inſtituta pergit, perfectiſque tribus ſupra Diuinam pontibus vniuerſum exercitum in vlteriorem ripam traiecit, ibique caſtra facit. Poſtridie iter facienti literæ Moſchi denuo afferuntur, quibus ſignificabat ſuas legationes maximis itineribus progredi. expectaret venientes. nec tridui moram expectando conſumptam magno detrimento ſuis rebus fore exiſtimaret. Regem nihil de celeritate conſueta remittere cupientem retardaret difficultas viarum. nam ſylueſtria erant loca vix ſingulis hominibus peruia, implicatis inter ſe arborum ramis nimirum, vel vti perpetuā quandam ſæpem obijcientibus. accedebant obiectæ crebræ paludes, cęnoſumq; iter vt homines & equi veſtigia vix aliquādo firmare poſſent, quod iter ęgre moliebantur. nā vbi ad Suras oppidū copię vniuerſę cōueniſſent, rex ad ſiniſtrā cū parte copiarū iter ceperat ad quoddā oppidū expugnandū. eo vbi cōueniſſet rex, oppidū nulla expectata expugnatione ſe dedit, in quo multū frumēti & ſiliginis & leguminū inuētū flāmis combuſtū eſt, quod annona hoſtium ij populi veſci non ſolēt: cū ſola animalia in vſum carniū cędatur. cęterū ante oppidi deditionē vociferātibus in exercitu regio elatis à militibus Lithuanis, quod lente tardeque ſternentes viam procederent, quia conſumpto omni pabulo nihil ipſis præter nudum ſolum relinqueretur, rex iubet trecentos Pannones è prætoriano peditatu ad parandam celerius viam cum Lithuanis præcedere. ſic Lithuani duce Palatino Vilnenſi tandum ad arcem Vſuiatam perueniunt. Rex ipſe duobus inde milliaribus concedit. Vſuiata arx in tumulo eſt ſita ad duos lacus. Moſchi obſidionem expectantes paucis ante diebus oppidum arci ſubiectum ſuccenderant admiſſa in arcem omni oppidanorum turba. Palatinus arcis oppugnationem aggreſſurus illos prius miſſo caduceatore hortatur ad deditionem, quibus denuntiat vna in ea re inuēturos Regis clementiam & ſalutem. illi cū ferociter primū reſpondiſſent, ac deinde circunduci militares foſſas, admouerique vimineos corbes vidiſſent, omniaq; parari ad expugnatio-

Itinerum difficultates Moſchouiæ.

Vieliſſę oppugnatio.

Vieliſſę deditio.

pugnationem, polliciti ſunt eodem die velle facere deditionem, territi potiſſimum aduentu peditum Pannonum, qui vna nocte pro ipſa porta intra lapidis iactum producta terra per ſclopettorum ictus neminem in aduerſa turri verſari patiebantur. Deditis conceſſa à Regevita, dataque facultas exceptis præfectis, volentibus redeundi in Moſchouiam. rex deinde ad veterem Vſuiatam poſitis caſtris nauiculam conſcendens cum paucis ad inſpiciendam ex aduerſo arcem nauigauit vbi per quatuor dies commoratus Vielicholucum verſus iter capit. At Ioannes Famoiſcius, cui aliam partem copiarum datam fuiſſe ſuperius oſtendimus neque ipſe inutile aut vanum iter facit, qui ad oppidum munitiſſimum Vellicum in ripa Gieuinæ fluminis ſitum, caſtra poſuit. erant in oppido ad duo millia mortalium, cum illud eſſet paruum, ſed tamen munitiſſimum. miſſus eſt caduceator qui ad deditionem ſollicitaret, ſed reſponſum eſt velle moſchouitas rem ſibi concreditam ſuo domino conſeruare. ſtatutum eſt itaque vt pluribus è partibus oppidum vno tempore concuteretur, ne diutius exercitum ad maiora negotia properantem retardaret. alia igitur verberatio inſtituta eſt à Pannonibus, alia à Polonis, alia à Dominico Ridolfino Cameriñenſi erectis corbibus ac foſſis ductis per noctem. Moſchi vbi dies illuxiſſet cęperunt duobus Sagris hoſtes impetere, quorum globi vel corbes penetrabant. directis in illos tormentis deuaſtati ſunt, quare defenſores ad maiores ſclopettos ſunt conuerſi. cępta eſt verberatio in turrim a Dominico conuerti, quę turris conſtabat ex aggere ceſpitum ad craſſitiem ſeptem pedum, cum interius craſſa eſſent ligna ad ſex pedes & trabes prælongæ craſſæ atque firmiſſimæ. nihil aliud ea turris patiebatur per verberationem, niſi quòd ligna penetrabantur, quæ nulla vi omnino deuaſtari poterat, cum ita tenacia eſſent ligna, tamque affabre compacta, vt nihil auferretur, niſi quantus eſſet globi circulus. at defenſores lignis rotundis continuo foramina ſtipabant craſſioribus. idcirco Dominicus decreuit regio inuento ad loci expugnationem vti oportere, quoniam opportunitas & vſos magiſter rerum omnium multa ad euitanda incommoda excogitat. Illud inuentum fuit vt igniti globi in aridam materiam contorquerentur, qui & ignem & deuaſtationem vno tempore importarent. nam puluis de more cæterorum tormentorum prius intruditur tribus captis cochlearibus ordinarijs. deinde obturatur fræno vel palea puluis ne dilatetur. tum multa terra cochleare intruditur, ne ignitus & candens globus ignem excitet. Idcirco diligenter terra interius conculcatur, tum dirigitur tormentum. Directo globus ignitus à magiſtro tormenti candenſque cochleare intruditur, quem impellit inſtrumento impuſorio vocato ad terram vſque, deinde additur ignis, vt aſſolet. ea res tantum flammarum ac fumi in materia ſiccorum lignorum excitauit, vt attoniti propè defenſores, cum vix triginta globi igniti fuiſſent contorti, tanta nouitate rerum deditionem non diutius diſtulerint. nam plurimum globi vi impetus & ignis in materiam penetrabant, neque vlla ratio extinguendi vim ignis ab obſeſſis inueniebatur. illa re territa præſidia oppidum cancellario dedunt, qui habebat in caſtris tria equitum & tria peditum millia cum Poloni eſſent pedites noningenti, at Pannones centum & duo millia. nec multo poſt ſuperatis longiſſimis & frequentiſſimis ſyluis aliquot diebus itinere vi patefacto Rex non procul ab arce Lucana cis flumen caſtra poſuit, cum iam quinto die ciuitas ipſa ampliſſima incendio fuiſſet deleta à præſidijs. Cancellarius itaque regni diuerſo itinere veniens in caſtra regia ad Vielicholucum vires vna coniunxit. Eſt autem Vielicholucum vrbs in ſatis ampla in ampla planitie ſita; fertilitate agrorum quoquo verſus perąmna. à meridie fluuius Louuatus imam eius partem alluit, qui fluuius placidus eſt ac non violentus, natus nimirum inter Duinam lacum & paludem Franouum, vel potius ex ipſa palude non procul à fontibus Boryſthenis. foſſa & lacu interiecto, ibidemque diuiſus in duos alueos effecta inſula paulo infra inter ciuitatem & arcem dimidiam propè eius parte perſtricta rurſus vergit inde in ſeptentrionem relicta arce in duas partes ciuitatem ſecat. cęterum ſtagnis ambiuntur partes ligneis roboribus operæ magno compaginatis conſtat, quem contiguum vallus ſuprema parte ceſpitibus obductus protegit, neque globis vlla ratione labefactari patitur. at vbi ad Vielicholucum rex caſtra poſuiſſet, imperat Cancellario vt cum omnibus peditibus propinquaret munitioni, niteretur que illam infeſtare, dum reliqua pararentur, quæ ſpectarent ad expugnationem. interea venerunt tres legationes à Duce Moſchouitico in regia caſtra cum pluribus mille equitibus nullis ad huc erectis munitionibus ad arcem expugnandam. excitati ſunt animi omnium per illorum aduentum ad magnam expectationem: cum omnes cenſerent ipſos, vti præ ſe ferebant, cum ampliſſimis mandatis veniſſe ad res ad pacem componendas. At auditi nihil præter abſurda petebant, quod erat vti Rex cum vniuerſo exercitu ſe intra ſuos fines reciperet, quod iniunctum ſibi eſſe affirmabant, ne quidquam de pace agerent, niſi ita fieret. quibus rex ait an aliud eſſent dicturi, cum dicturos negarent, ita non dicta legatione ad ſua tentoria legationes ſunt reductæ: quòd facile cognoſcebatur quò tenderent illorum conſilia. Rex nihil ea re moratus conſilium expugnandę arcis imperat duobus in locis vltra fluuium Louuatum munitiones excitari, cuius rei expediendæ negotium iniunctum eſt Ioanni Famoiſchio Cancellario regni, qui partem regiorum caſtrorum in vlteriorem ripam fluminis traduxit, ſeque ad expugnationem accingit. ſic Pannones alterum locum ad occaſum, at Polonus peditatus ad orientem ſolem ſibi muniendum recipit, quibus in locis erant primaria arcis propugnacula. deinde biduum eſt abſumptum munitionibus erigendis, foſſiſque ducendis & vallis, & tormentis inter corbes terra oppletos dirigendis ac collocandis, quibus ita ſingulari diligentia & peritia rei militaris diſtributis negotiis, cum aduecta fuiſſent duo deuiginti muralia tormenta noua, cæpta eſt acriter concuti, nam ſuribus è partibus quadraginta bellicis tormentis diuerberabatur. ducta eſt & via, qua tecti obſeſſores ad foſſam vſq; perueniebãt, atq; ligonib.

Vſuiatæ deditio.

globi ferrei igniti inuentio

Vielcholuci deſcriptio.

Legationum Moſchouiticę petentes.

detractum eſt propugnaculum. at tormenta vt in recenti tenacique aggeris materia parum habebant virium, quamuis per quatriduum magna vi concuteretur. obſeſſi quoniam pertinaciſſime vellent munitionem defendere, neque locus appareret per vim tormentorum poſſe expugnari, decernitur vt per vim flammarum ad deditionem oppidum compelleretur. iniecti ſunt igitur malleoli & frequentes ignes à Pannonibus, qui toties extinguebantur, quoties vires ſumere viderentur. ea difficultate expugnandi oppidi ad Regẽ delata, decernitur regio mandato vt quoddã propugnaculũ ex cauatis cuniculis euerteretur, qui vnius noctis opera magna celeritate conficitur. nec multo poſt puluis tormentarius intra cuniculum incenſus magnam ruinam repente excitauit. Pannones magna alacritate duobus in locis oppidum inuadunt, ſed magna virtute defenſorũ repelluntur non ignobili accepta clade: nam quãuis aliæ nationes vno tempore oppidum inuaſiſſent, maior tamen ſtrages fuit ipſorum Pannonum. Illatum eſt paulopoſt oppido incendium, quod ad dimidium vſq; noctis perdurauit, atque non mediocrem aditum obſidentibus patefecit. nam ſpirante Ahrico tantas vires incendium ſumpſit, vt non prius ceſſauerit, quam oppidum & bellicus apparatus fuerit abſumptus. multi ſeſe demittebant è męnibus in exteriorem partem arcis vel vim flammæ deuitantes, vel incendij reſtinguendi cauſa, quamuis tormentorum ictibus ex aduerſis munitionibus in oppidum repellerentur. nec prius vis ignis Moſchouitis fruſtra deditionem flagitantibus, extincta eſt vallo tantummodo incolumi remanente, quam munitio tota flammis ſit abſumpta. Pannonicus peditatus partim vltionis ſuorum deſiderio impulſus, partim ſpe rapinæ incitatus arcis præſidia inuadit, quæ hinc flammarum metu, inde vi hoſtium vrgebantur. regię copiæ victoria denique potiuntur, atq; in arcem irruunt obliterata prorſus omni humanitatis memoria obuios quoſq; trucidant nulli neque ętati, neque dignitati, neque ſexui parcentes. milites quidquid rapinæ per flammas conſequi poſſunt efferunt ex arce, atque cum iam ignis ad eum locum penè penetraſſet, vbi erant ad quadraginta cadi pulueris tormentarij, non defuerunt è Polonis, qui intenti rapinę illud non curauerint. At vero paulo poſt tantus fragor & vis flammarum erupit, vt multi oppreſſi ſint, qui non exierant ex arce & vnà cum hoſtibus concremati aut vſtulati. cæſa ſunt ad ſeptem millia hominum in arce, multique in ſeruitutem capti, atque inter hos primariæ autoritatis Chmas Fędor, Chmas Georgius Achſachorus, Chmas Michael Caſſenius, Ioãnes Dicoirichus, qui magnæ crudelitatis homo illuc à Moſcho miſſus fuerat, propter quam ex arce deductus in caſtra Pannonum à militibus facto impetu trucidatur. ceciderunt pauci è regijs in ea expugnatione, atque imperatum eſt poſt primum impetum vt fęminis & pueris parceretur, qui nudi à militibus relinquebantur. capta vrbe in oratorum Moſchouitarum conſpectu expetita eſt Regia denuo audientia, atque neglectis prioribus tam abſurdis petitionibus omnia quæ haberent in mandatis à Duce explicarunt, quæ quoniam ab omni æquitate aliena eſse apparerent, rex reſpondit ſe arma depoſiturum, ſi ſibi Moſchouia vrbs & Liuonia & quædam alia loca regni Poloniæ reſtituerentur. vbi ſe non ea habere mandata confirmarent, impetrant à Rege vt tabellarium mittere ad ducem liceret, quo de rebus omnibus fieret certior, cum quo peculiaris etiam regius miſsus eſt. Interea dum reſponſum Ducis sxpectatur, cum eſſet capta ad octingenta milliaria patens regio, captum eſt conſilium muniendę arcis, vbi eſset deuaſtata, cuius ambitus vniuerſus in quatuor partes diuiditur. duas rex ipſe muniendas ſibi recipit, vni perficit Lituanos, altera data eſt munienda Polonis. ſic enim rex fore exiſtimabat, vt mutua nationum ęmulatio non parum iuuaret ad celeritatem operis conficiendi. ita omnibus nationibus ſingulari ſtudio operi intentis Rex ne arma hoſtilia audacium inſurgerẽt, quòd non infeſtarentur, mittit Bornemizzam Pannonem & Palatinum Palocium ad oppidum Neuelam expugnandum, quamuis aqua vndique cingeretur ac viſum eſset opus magni laboris ac difficultatis. cæterum copiis omnibus muniẽdo Vielicholuco intẽtis, nũtiãtur multa millia hoſtiũ ad arcẽ Toropeciã, quæ diſtaret à caſtris duo de viginti milliaria cõſediſse in duas partes diuiſa, cũ maior pars vltra duo milliaria ꝓgreſſa eſset, at minor cõſediſset ad arcẽ. erãt hic quatuor millia equitũ, vt ferebatur; ibi ſex, qui eſsẽt ſubſidio, at pars citerior pabulatores & lignatores vel ad ſex millia paſsuum à caſtris intercipiebat, vixque fuerant quinquaginta capti, cum res fuiſset ad Regem delata. Rex his incurſionibus perceptis Georgium Barbilium tribunum equitum Pannonum virũ ſtrenuum & in re bellica multos annos exercitatum cum ſexcentis equitibus Pannonibus & Polonis mittit adiunctis quibuſdam peditibus ſclodettariis, iubetque Toropecium verſus proficiſci ad hoſtes reprimendos. ſed non multo poſt vbi nũtiatũ fuiſset adaucta eſſe caſtra hoſtium, mittit etiam Gianutium Duredam Ebaram regulũ Braulamienſem cum mille & quingentis equitibus Polonis, Pannonibus & Germanis, cui imperatum eſt vt viribus cum Barbilio coniunctis cum hoſte confligerent, ſi facultas daretur, neque pugnam deuitarent. at Gianutius cum his copiis è caſtris egreſsus totam noctem iter faciens poſtridie vbi illuxit caſtra cum Barbilio coniungit. His ita actis miſſi ſunt quidam duces cum ala equitum ad exploranda hoſtium conſilia, inter quos fuit Albertus Chirarinx & Samnon Boronius. non multum ſanè ſpatium progreſsus erat Albertus cum in quoſdam equites Moſchouiticos præcurrentes & ipſos exploratum miſsos incidit, qui viſis procul regiis ſe in fugam verterunt, neque ora quidem hoſtium videre ſuſtinentes. Albertus eos ad mille paſsus inſecutus via anguſta & lutulenta nimirum duobus Moſchis ex equo deiectis ad pontem vſque peruenit, quo foſſa paluſtris erat conſtrata. eo in loco ex inſidiis poſitis in inſequentes ſclopettariii Moſchi numero longe ſuperiores ab vtroq; pontis latere regios equites elato clamore exilientes inuadunt. multam grandinem plumbeam in regios effundunt. diu illos ne pontem pertranſeant morantur. Sed fortuna regia, quæ ſucceſsus parum felices Moſchouitarum inſolentiæ minata fuerat, fecit vt ſclopettarij Pannones equis vecti, qui antea à via vberrauerant, ſeſe contulerint ad clamorem hominum

Vielicholucaptũ & incenſum.

& ſtre-

& ſtrepitum ſclopettorum, regiiſque equitibus pugnantibus ſubſidio acceſſerint. cęptum eſt rem grauiter agere per magnam vim ſclopettorum cum quingenti etiam Scythæ equites Moſchis ferrēt ſubſidia non procul à ponte. Perdurauit illud certamen ad dimidiū horę. cum Albertus diu fruſtra expectauiſſet eos, qui ſequebantur, quoniam miſerat expeditos equites è ſuis qui nuntiarent vt ad properarent pro viribus quod adeſſent multi hoſtes, qui non poſſent niſi magna manu ſubmoueri, deinde cum nonnulli acceſſiſſent equites ſublato clamore denuo in Moſchos fit impetus. Sclopettarij Moſchouitæ clamore Polonorum perculſi rati aduentare exercitum cum Scythis auxiliaribus vniuerſi de ponte decedunt, atque ad proximum ſuorum ſe recipiunt, Chirarinx fugatos hoſtes per intempeſtiuā noctem vlterius perſequi deſtitit illorum multitudinem & nouas inſidias veritus, quoniam Barbelius Georgius cum ſuis longius aberat, quippe qui neſciret quo in periculo Chirarinx verſaretur, ad quem poſtridie tantum iam clara luce peruenit. cæſi ſunt complures è Moſchouitis & Scythis, at è regijs pauci vulnerati, ſed equi multi cæſi. conſecutus eſt paulo poſt reliquus exercitus, atque in eodem loco inito conſilio Chirarinx cum maioribus copijs miſſus eſt ad excubias hoſtium in itinere circunueniendas additi ſunt enim viginti & octo Coſaci equites & totidem pedites ſclopetarij, ne vllus nuntius de regiarum copiarum aduentu ad hoſtes poſſet peruenire. at excubiæ exploratum miſſæ, quoniam aduentum exercitus ſubodoraſſent, ad ſuos celerius omni opinione regiorum refugiunt, capti ſunt tres Moſchi tantum. At in Gallia res omnino erant adhuc turbulentæ & plenæ calamitatum, cum per idem tempus pluribus in locis agri deuaſtarentur, armaque mutua hoſtiliter importarentur. nam cum rex Cantabrorum Pheras oppidum munitiſſimum in finibus Morinorum multis præſidijs firmaſſet, eaque ſæpius populabunda in proximos agros incurrerent, rex Gallorum ad ſubditorum querelas iubet regulū Marſignonium eò cum multis copijs ad illud expugnandum conuolare. collectis igitur ad quindecim millibus peditum, & duobus equitum cum bellicis tormentis ad oppidum caſtra poſuit. excauatis foſſis militaribus de more, excitatiſque aggeribus, ac vallatis caſtris oppidum concuti cęptum eſt non vulgari diligentia. poſt verberationem magna virtute inuaditur; ſed cum eximia induſtria & fortitudo & peritia militaris eſſet defenſorum, inuadentes per magnam cladem pręcipites repelluntur. Marſignonius quoniam videret vires præſidiorum paulatim minui per frequentes conatus, neque tamen auxilia poſſe accipere, decernit omnino per vim armorum illa oportere expugnari, cum rex nullas vellet admitti deditionis conditiones. idcirco rex Cantabrorum cum videret ſe non poſſe obſeſſos auxilijs ſubleuare, petit ſubſidia ab Alēconio, cui profitetur ſe velle concedere illā munitionē. ex alia parte Bironius regulus dū animi Gallorum intenti ſunt, ac proſpectant ſucceſſus Magni Prioris, qui cum mille equitibus & quatuor millibus peditum auxit caſtra Ducis Numenæ, quo communibus viribus Liuronum vrbē in finibus Allobrogū expugnarent, Bironius regulus Chaos oppidū per proditionem capit in Aquitania. Phere tamen vbi diutius conatus regiarum copiarum repuliſſent, tandem virtute & pertinacia pugnatorū vincūtur, & ad vnū milites trucidantur.

*Pheræ captę a Gallis regiis.*

Sed quoniam tot, tamq; diuturnę patriæ calamitates omnibus eſſent moleſtæ, cæptum eſt à quibuſdam primarijs proceribus agi de pace vniuerſæ Galliæ, cum tamen interim multa caſtella caperentur à regiis copijs in Allobrogibus, & Maſa quindecim bellicis tormentis muralibus concuteretur. erant in ea non vulgari munitione pedites quingenti viri ſanè ſtrenui, qui eximia virtute oppidum tuebantur. At Numenius ſummus regiarū copiarum imperator ſuccreſcentibus viribus poſt captum Liuronum vniuerſa caſtra ad expugnationem Muræ vocatę vrbis conuertit, quam aggeribus & omni genere vallationum cingens mox cæpit multis muralibus tormentis concutere. ſed cum ineſſet ad mille & ducenti pedites veterani, viſum eſt nimis periculoſum conatus certamen, quare ad cuniculos deuenitur. vbi vero acies regię ad inuadendum inſtructæ proceſſiſſent, iniectus eſt ignis cuniculo per magnam cladem inuadentiū, cum magna vi defenſorum fuiſſent reiecti. vbi ſæpius ita per magnam ſtragem vtrorunque pugnatum eſſet, Murenſia præſidia ac defenſores, quia bellici appparatus & commeatus & omnia defenſioni neceſſaria deficerent, vrbem ſuccendunt, ſeque in arcem recipiunt. ſed cum arx non eſſet tantæ multitudinis capax initum eſt conſilium de deditione, atque ita deditio deniq; facta eſt vt ſalua vita libertate & armis octingentorū militū, qui ſuperant, diſcedere liceret quocūq; vellēt qui ad opp. Gapum ſe receperunt.

*Mura opp. captum.*

ceciderunt in ea oppugnatione circiter mille è regijs, inter quos fuit ſignifer & vicarius ipſius Numenij inſigniores. Bironius poſt chaos oppidum captum & ipſe ad Momarſanam expugnandam contendit, magnamque partem Aquitaniæ magna trepidatione implet. at in finibus belgarum etiam res erant plurimum turbulērę, quoniam varijs in locis pugnabatur. nam Malcontenti collectis multis millibus armatorum ad expugnationem Niuellæ vrbis contendunt. factis de more reparationibus decem & ſeptem muralibus tormentis magno ſtudio diuerberant. Niuellēſes cum neque præſidia haberent, neq; commeatum, neque bellicos apparatus, quæ tot viribus poſſent reſiſtere, decernunt clementiam potius hoſtis per deditionem, quam fortunam immanioris belli per ſæuitiem & auaritiam gregariorum militum experiri. omnes igitur Niuellenſes fuiſſent humaniter tractati à Malcontentis eandem fortunam ſubierunt Oldoſę præſidia & ciues, vbi erant decem vexilla peditum in Buſateris.

*Niuella capta per deditionē à Malcontentis.*

Aurantius ne loca alia per inopiam rerum neceſſariarum tam facile venirēt in poteſtatem hoſtium Mechliniam & Liram & alias vrbes ac munitiones, quæ eſſent in finibus Tungrorum, eaſque in omnem opportunitatem rebus omnibus neceſſarijs munit. quibus rebus ita ab Aurantio conſtitutis, cum aucta fuiſſent breui in Tungris præſidia, cęptum eſt ſæpe pugnare leuibus prælijs uictoriam belli ſæpe fortuna modo ad hos, modo ad illos transferente. nam parata ſunt paulo poſt ſubſidia, quę Niuellam mitterentur, ſed cum dicta fuiſſet ſe dediſſe, cęptum eſt copias paulatim in munitiora loca contrahere. his rebus fortuna belli arridente

 felici-

feliciter geſtis Malcontenti, Boluereque poſtea capto ad expugnandum Amſterdamum magna alacritate contendunt, nec ita multo poſt directa ſunt tormenta, & vrbs magna vi diuerberata. at præſidia & ciues repente egreſſi magna virtute inopinatos Malcontētos inuadunt, cum ad quinque millia hominum ex vrbe exiuiſſent. pugnatur cum prima acie malcontentorum magna virtute. victoria demum fuit penes Amſterdamenſes, qui hoſtem coegerunt cum clade duorum millium fere & multorum captiuorum ſe ab ea expeditione recipere omiſſis etiam ſex vexillis peditum. nec ita multo poſt Malcontenti, quoniam tamen agro potirentur ad Samarobrigam obſidendam contendunt: quæ vrbs vbi nimis inſtructa rebus omnibus viſa eſſet, & cum dicerentur magnæ copiæ in Gallia parari ad ſubſidia ſtatuum relicta illa expeditione ad Enger obſidendum ſigna conuellunt. illud eſt oppidum quod diſtat ad quinque belgica milliaria à Bruxellis, natura & arte munitum, in quo prçualida erant præſidia. At principes Belgarum, quia viderent in magnas difficultates rem bellicam breui eſſe venturam, niſi opportunis remedijs occurreretur, legationes miſerunt ad Alenconium principem cum conditionibus, quibus inuitabatur ad Belgij defenſionem, dabaturq; ſummū imperium omnium rerum bellicarū. at vero ad belli ſubſidia impoſita ſunt tributa in vniuerſo Belgio, vino, ſali, biræ, frugibus, bonis, peruentibus, vt certus numerus pecuniæ in ſingulos menſes conferretur. interea Louanij præſidia quoniam Vilfortium oppidum parum diligenter cuſtodiri audiretur collectis ad quatuor millibus militum è finitimis prçſidijs, illud repentino conatu inuadūt, magnaq; vi oppugnant. ſed cum ineſſent valida præſidia, & res longe aliter ſeſe haberet atq; nūtiatum fuerat multis è ſuis amiſſis re infecta recedere coguntur. At verò quoniam nō videbatur Alenconio conuenire vt ad extinguenda vicinorum incendia conuolaret, cum propria domus arderet, decernit res prius componi in Gallia, oportere, quam ad auxilia Belgarum animum cōuerteret, ad quam cū rex propenſus eſſe appareret, dicta ſunt paulatim collecta fuiſſe ad octo millia peditum Gallorū, ſexcentiq; equites ad fines Belgarum, non procul à Samarobriga. Malcontenti, qui iam obſidione cçperant denuo poſt felices ſucceſſus eam vrbem premere inito leui prçlio cum Gallicis copiis accepta inſigni clade coguntur ſeſe in Arteſiam finesq; Attrebatum recipere. At in Gallia res in has conditiones ſunt compoſitæ. 1. Vt poſt publicationem pacificationis, ambæ factiones ſtatim arma deponant, dimittantq; omnes copias militares. 2. Vt Vgonotti intra octauū diē à publicatione dimittāt omnia præſidia vrbiū, quas tenent. 3. Vt intra alium octauum diem omnia caſtella & vrbes ſpectantes ad Regem Cantabrorum, & quç capta ſunt per bellum reſtituantur in priſtinū ſtatum, præter munitionem portus Santonici, quæ reſtituatur per conditionem. 4. Vt Cantaber gubernatorem habeat Regis obſeruantem. 5. Vt Vgonotti reſtituant omnes vrbes intra duos menſes pro pactionibus anni 1577. 6. Vt Alenconius princeps has pactiones exequatur. 7. Vt omnes magiſtratus ſeuerè & acriter animaduertant in repugnantes edicto pacis vel impedientes eam conantes exequi. 8. Vt omnia caſtella & vrbes ſpectantes ad catholicos & priuatos vtriuſq; factionis ſiue religionis reſtituantur ſuis dominis, cum ea libertate, qua prius & ante has moleſtias fruebantur. 9. Ne religio Vgonottica palam habeat conciones in locis Regi ſubditis. quibus rebus ita impoſitis viſa eſt res Gallica aliquantulum à grauibus diuturnisque moleſtijs reſpirare. Dum Malcontenti multis calamitatibus affligunt modo copias ſtatuum per frequentes clades, modo caſtella & vrbes infeſtant vel minutis prælijs, vel frequentibus incurſionibus, neque res Turcica fortuna valde benigna vtebatur, cum tanta penuria rei frumentariæ per diuturnam ſiccitatem celi nata ſit in illis regionibus, vt nullis antea ſeculis par ſit audita, aut repetita ab antiquiorum Turcarum memoria. laborabatur præcipue in caſtris, quç erant ad fines Perſarum, quare Sinamus ſummus copiarum Imperator frequentes militum querelas exaudiens plurimum diſcruciabatur, cum nullum poſſet adhibere remedium, neque ipſe autor eorum eſſet incommodorum. Amuratus Idcirco neſcius à quibus auxilium peteret in tantis ſuorum populorum difficultatibus & lamentationonibus literas ſcripſit ad ciues Epidauros, quibus imperabat ſub pena amittendæ imperatoriæ gratiæ vt quatuor onerarias naues frumento onuſtas Byzantium mitterent, quod iuſtum precium & conueniens eſſent relaturi. ſibi pergratum fore tantum vt ſui populi his tot calamitatibus ſubleuarentur. Per hoc ferè tempus filius Regis Perſarum cum viginti millibus equitum prædabundus ac populabundus in agrum Turcicum incurrit. at Sinamus auditis his prædationibus ad triginta millia equitum mittit, qui horum incurſiones refrænarent. Perſa relictis impedimentis fugam ſimulat, in quç cum Turcæ auidi irruiſſent, eſſentq; intenti direptionibus, denuo reuerſus tanto impetu perturbatos ordines inuadit, vt ad viginti millia Turcarum trucidarit. Neque plane pacata erat Ibernia inſula, quæ & ipſa bellorum fluctibus vexabatur, cum eſſet Hiſpanorum conſilium per occaſionem contentionis de religione illam occupare conſpirantibus non paucis inſulanis, qui catholicam religionem tuebantur. accedunt eò ſeptem onerariæ cum mille & ſexcentis peditibus Italis & prouinciç Tarraconenſis & Cantabrorum, qui coniunctis viribus cum inſulanis præſidia regia & munita loca inuadunt. ſed cum multo maiores eſſent vires catholicorum, quam regiorum, multa loca capiunt trucidatis defenſoribus. at regina auditis his motibus bellorum in Ibernia tam repentinis, iubet ſtatim magnas copias colligi, nauigiaque parari ad copias eò traijciendas, adauget præſidia omnibus in locis Britanniç, iubet omnes Hiſpanos ſub pena capitis excedere ex vniuerſo ſuo regno. Augebant ſuſpicionem reginæ apparatus bellici Philippi Hiſpaniarum Regis, qui fiebant magni terra marique ad occupandum regnum Luſitaniæ. nam cum fruſtra diu fuiſſet diſputatum dç nominatione, & multi iuriſc. regnum illud ad Philippum Regem iure peruenire contenderent, atque Antonius trucidati Regis Luſitani legitimi ſucceſſoris filius illud ad ſe ſpectare æquius arbitraretur, conſecutuſque eſſet ſtudia popularium, ceptum eſt ad arma pro iuribus ſpectare

Galli Regis pax cū Vgonottis.

Penuria annonæ Byzantij inſignis.

Atque

Atq; ne quis ambigere poſſit,ſcianturq; rationes, quæ in medium afferebantur ab vno quoq; contendentium,regnum Luſitanum iure hæreditario,ſucceſſionemq; ad ſe ſpectare,Illę ferè huiuſmo di fuerunt. Alphoſus ſextus Hiſpaniarum Rex ſpuriam filiam habuit Tereſſiam nomine, quam Lotharingio Henrico Gallo in matrimoniũ collocauit ob egregiè nauatam operam, virtutemq; mili tarem in bellis ſuperioribus cognitam: cui Luſitaniam Ducatum in dotem ceſſit. Res ita per ſucceſſionẽ protracta eſt ad Alphonſi eius vſq; tempora ducatus nomine,qui primus Rex Luſitaniæ fuit appellatus.at varijs deinde ſuccedentibus Regibus deuentum eſt deniq; ad Emanuelẽ Regem,cuius filij fuerunt Ioannes,qui primogenitus regnauit poſt patrem,& Iſabella,& Ludouicus & Henricus Card.qui & ipſe poſtremus regnauit,& Odoardus.cæterum Ioanni regnanti nati ſunt filij duo, Ioannes & Maria,quę poſtea nupſit Philippo Hiſpaniarum Regi,de qua natus fuerat Carolus princeps Hiſpaniarum.de Ioanne filio Ioannis natus eſt Sebaſtianus qui regnãs trucidatus eſt in prædicta clade in Mauritania.ex Iſabella quæ nupſit Carolo V. Imperatori natus fuit Philippus Hiſpaniarum Rex,quæ ſecunda genita fuit Ioannis.è fratribus reliquis nemo habuit filios mares,præter Ludouicum,qui habuit Atonium,qui dictus eſt ſpurius.natæ ſunt tamen fœminæ ex Odoardo,Maria Rainutij Parmenſis principis mater, & Catherina Dux Bragantiæ. Dicitur alia fuiſſe ſoror Iſabellæ, de qua natus ſit Dux Allobrogum,qui noluit cum Philippo Rege de ſucceſſione contendere,quod ea eſſet poſterior nata. Addiderunt quidam Galliæ etiam Reginam poſſe iure ad illius regni ſucceſſionem aſpirare,quod per longam ſeriẽ è filiorum Tereſſiæ ſanguine eſſet progenita. Veruntamen vniuerſa vis contentionis ad paucos perducebatur.nam quod attinet ad Luſitani populi ius nominandi Regis,obijciebatur ab Hiſpanas partes tuentibus,quod vis in ſuperiores Reges, aut beneuolentia popularis nõ poteſt pro re legitima haberi,niſi oſtendant priuilegia,quę certè nulla ſunt quoniam quod ſemel aut etiam ſæpius illegitimè accidit, illud nõ poteſt vllo tempore pro æquo & legitimo haberi. Quod ad Antonium ſpectat,qui ad regni ſucceſſionem aſpiraret Luſitani,illud aiebant fieri contra omnes leges reclamantes,quæ nullo pacto permittunt certum patrẽ eſſe ſpurijs,ſed tantum certam matrem cenſeri:qui tametſi legitimationem cõſequantur,fiantq; pro legitimis, tamen non poſſunt per illam artem quaſi in fraudem legitimorum filiorum hæreditatẽ debitam legitimis extorquere. Aduerſus Rainutium & Catherinæ filium Ducem Bragantiæ breui & facili contentione diſputabatur: quod,ſi fœminæ mortuis iam omnibus maribus ſuccederent, nemini dubium erat, ex his tribus Iſabellam ſucceſſuram ſororem Ioannis,Imperatricem ac Philippi matrem ſecundam genitam Ioannis Regis, excluſis neptibus fœminis filiabus Odoardi Maria & Catherina,cum ſoror potius fratri ſuccedat,quã neptes auo.vel filia patri,quàm ęędem proauo. Hæ rationes,quoniam pluribus in locis à iuriſconſultis diſputatę ſunt multa contentione,& multæ etiã impreſſę omnibus ſunt in promptu,non viſæ ſunt à nobis multis verbis dilatandæ: quibus etiam addebatur tãquam non leue argumentum,quòd nemini videri poſſet illegitimum,ſi propinquiores fœminę ſuccederent in illud regnum,quod per fœminas in eam familiam perueniſſet. atq; cum Antonius per iura ſucceſſionem non videretur poſſe obtinere,cœperat in animo cogitare per Luſitanorum populorum ſtudia & per arma,vt diximus,Philippum Regem ab illa ſucceſſione excludere,cum ſciret ius regnorũ plerũq; eſſe in armis.atq; cum ingẽs claſſis Hiſpana inſtructa eſſet tanquam ad Africanam expeditionẽ, quę tamen diu fuiſſet ocioſa, verebatur Antonius ne ea repente ad inuadendam Luſitaniam conuolaret. auxit eius timorem Regis imperium,qui iuſſerat nonnullos Duces in finibus Luſitaniæ finitimis copias habere promptas,quare & ipſe ad faciendos bellicos apparatus animum adijcit. Colligit igitur multa millia popularium,ne imparatus repente opprimeretur:& ad quadraginta nauigia grãdiora inſtruit rebus omnibus & epibatis ad pugnam neceſſarijs, quæ conuenerant in portum Vliſiponæ.at Rex quamuis demonſtrarat ſe in Albanum Ducem animum habere parum propenſum, tamen quia cenſeret ſe neminem habere imperatorem vel maioris autoritatis,vel maioris peritiæ rerum bellicarum hunc præficit cum ſummo imperio illi expeditioni. Albanus collectis circiter viginti & quinq; millibus peditum partim Italorum partim Hiſpanorum,& duobus equitum,& ſexcentis cataphractis equitibus cum multis proceribus Hiſpanis Luſitaniã verſus iter capeſſit. Antonius vbi ad viginti millia hominum tumultuariorũ & imperitorum rei bellicæ collegiſſet,caſtra poſuit extra vrbem Vliſponam, illaque foſſis & aggeribus circumuallat de more caſtrorum, intra quæ proſpectabat quid conſilij Albanus erat capturus. at Albanus nõ procul à caſtris Antonianis caſtrametatus conuocat priores proceres ad comitia,in quibus ageretur de omni bellica ratione.& quoniam in vna expugnatione caſtrorum Antonianorum tota vis belli conſiſtere apparebat,cum neque munitiones eſſent difficiles in Luſitania, quippe quod Luſitani Reges ſemper inferendis potius quam expectandis aut propulſandis bellis creuiſsent, neq; tanta vel multitudo vel peritia hoſtilium armorum vt victoriam poſsint facere difficilem,decretum eſt vt collatis ſignis,niſi hoſtis pugnam deuitaret,confligeretur.eo conſilio poſtridie itum eſt ad caſtra inuadenda, atque accepto ſigno pugnæ primum magna manus Italorum peditum pontem vrbi finitimum,qua itur Norbã Cæſarienſem, magna vi inuadit, quem tuebantur Luſitani. pugnatur aliquãdiu ancipiti victoria modo his, mòdo illis ſuperioribus,qui ponte potiebãtur. ſed cum virtute Italorum deniq; deiecti fuiſſent Luſitani pons venit in poteſtatem Hiſpanorum Sancius Abulenſis pontem ita occupatum tranſit cum multis cohortibus peditum,quibus in acie inſtructis ad caſtra hoſtium inuadenda contendit. vbi propinquatum eſt initur prælium,ſed poſt breue certamen Sancius aggeribus ſuperatis multos ex hoſtibus trucidat.mittit ſignificatum vt mitteretur equitatus,atq; ita eodem ordine progreſsus ſecundum vallũ inuadit.miſſus fuerat interea Fernandus Toletanus cum parte equitatus, qui obuios & in fuga verſos quadringentos pedites & paucos equites in itinere cõmiſsa pugna ad vrbem Vliſponam vſq; in-

Genealogia Regis Luſitaniæ.

Contendentes de ſucceſſione regni Luſitani.

AlbaniDucis exiſtimatio.

ſequitur,quo tempore Sancius ſecũdum vallum ſuperauit. Fernandus ad ſuburbia vſq; peruenerat inſecutus cum magnũ ſtrepitum ſclopettariorum exaudit ex caſtris. colligit ſuum equitatum in caſtra rediturus.obuia habet quindecim peditum vexilla & cẽtum ferè equites,in quas copias fortiter impetum faciens facilè in fugã vertit,& ad portas vſq; vrbis inſequitur.ibi conſtitit,qm̃ regium erat edictum ne vel ſi maximè poſſent, in vrbem ingrederentur, quia nollet vrbem diripi per militarem auaritiam.Sic enim fieri & procurari omni ratione ſtatuerat.Cæſi poſtea profligatiq; ſunt aut in fugam verſi omnes Antoniani milites,quare capta ſunt bellica tormenta,& multa vexilla peditũ. Sancius his profligatis ad portas vrbis procurrit.paulo poſt acceſſit eodẽ & Fernandus.cum nihil aduerſus vrbem,quod attineret ad expugnationem,molirentur,vnus è magiſtratibus vrbanis ait è mœnibus ciues facere velle deditionem Regio nomine Duci Albano,ſeruatis facultatibus & incolumitate ciuibus,quod vbi ſignificatum eſſet Albano,iubet non accipi in fidem niſi ad arbitrium victoris, qui ita poſtea viſa clade ſuorum,cum nulla ſpes ſupereſſet ſubſidiorum ,ſeſe dediderũt.miſſus eſt ad Regem victoriæ nuntius in Hiſpaniam,qui etiam peteret Regis conſilium de rebus Luſitanis . interea ſuburbia miram per auaritiã Hiſpanorum militum direpta ſunt , atq; ſupellectilia infelicium ciuiũ per multorum annorum pacem comparata ad nouos dominos per vim transferũtur. Antonius vbi diu pugnaſſet acceptis duobus vulneribus è caſtris cum paucis diffugit.at claſſis Hiſpana quę nõ procul à portu Vliſponæ cõſtiterat cognita victoria regiarum copiarũ in portum ingreditur. multa tormenta diſplodit in onerarias,quæ quadraginta & duæ inſtructæ ſtationem habebant in portu, Antonianasq; partes ſequebantur. inter quæ erant ſeptem inſignes Galeoni vocati,quorum nonnulli habebant bellica tormenta grandiora plura nonaginta:atq; in ſingulis erant quadringẽti propugnatores . Sed cum terreſtrium copiarum clades cognita eſſet, & Antonius à ſuis vulneratus profugiſset, neq; vllus eſset ſummus imperator rerum claſſicarum,omnes in poteſtatem Hiſpanorum venerũt nulla edita defenſionis ſignificatione. Ciues Vliſponenſes quoniam verebantur ne vrbs diriperetur, coacti ſunt certum numerum pecuniarum diſſoluere , quæ in copias Hiſpani Regis diſtribueretur pro corrolario,quæ tamen vbi non potuiſset ad ſtatutum tẽpus diſſolui,non potuit deuitare in gluuiem militarem cum paſsa ſit per direptionem iacturam inſignem tricies cẽtena millia nũmum nimirum,& amplius.at qm̃ Antonius ad Manliana, quæ vrbs eſt Vettonum Luſitaniæ nón procul à mari,vbi habebat ad ſex millia peditum,confugiſset, Albanus ratus ſe non habere liberum omnino regnum,in quo eſset adhuc hoſtis cum exercitu, mittit Sãcium Alulenſem cum parte copiarum ad illum expugnãdum cum tribus millibus Hiſpanorum & quibuſdã Italis ſcilicet & quingentis equitibus tanquam ad apertam victoriam, aduerſus hoſtẽ profligatum,conſternatum,imperitum rei bellicæ.eo conſilio vbi ad fluuium Ruberam vocatum perueniſset,qui vel Arari eſt amplior & profundior,equitatus natatu traiecit,at pedites quidẽ pontonibus tranſuectus eſt. Antonius cognito numero hoſtiũ Hiſpanorum aduentantium,cum & ipſe ad ſexcentos haberet equites contẽpta paucitate decernit pugnę rurſus cum hoſte fortunã experiri. Sancius nõnullos ſclopettarios præmittit qui caſtra hoſtiũ ſpecularentur, cum reliquę copiæ interim procederent. at Antonianæ copię viſis procul Hiſpanis nullo expectato ſigno belli fugam ſponte arripiunt,qua re cognita Sancius illas inſecutus multos trucidat,atq; ad vrbem Euportum,quo multi ſe ſeruarãt peruenit.ciues cognita prima & ſecunda clade ſuorum,fortunã acerbioris belli minimè expectandam rati ſpontè faciunt deditionem. at Antonius qui viderat ſuos tam turpiter in fugã verſos,neq; poſset vllo pacto ad pugnam reuocare,neq; ſi reuocati fuiſsent cognoſceret in tam timidis animis vllam ſpẽ eſse collocandam,& ipſe cũ equitatu diffugit. Florebat per hoc tempus in foro Veneto Nicolaus Craſsus ciuis Venetus peranti quæ ſtirpis & maiorum gloria nobilis, orator grauis nimirum,acutus,acer,vehemens,omnibus ingenuis artibus excellens,& in primis ſciẽtia exquiſita iuris ciuilis,propter quas virtutes corporis & animi apud patricium ordinem plurimum gratia & autoritate præſtabat.his accedebat elegãs hominis ingeniũ in rebus antiquis perſcrutandis,cum nullis ſumptibus à congerendis rebus vel raris vel mirificis deterreretur. Hic operoſam argẽteam machinã criſtallinis ſpecularibus latis miræ pulchritudinis ſuopte ingenio adinuentã,diuturno omniũ prope Europæ artificũ in eo genere pręſtantiũ ſtudio domi ſuæ faciendam curauit; vt in ea ſanctiſſima Euchariſtia tanquã vno oĩum auguſtiſſimo loculo haberetur.eam vſq; adeo elaboratam confecit,artificio prorſus admirabili;vt ſolutis innumeris fibulis mirifica explicatione vel in minutiſſimas partes diſſolueretur. Erat ea machina tantæ mirabilitatis, tantæq; ſtructuræ,vt non ſolum propter pondus argenti & multiplicem copiam exquiſitiſſimi criſtalli,ſed multo magis ob eximiam cęlaturam,atq; operam multorum annorum,triginta & amplius millium nummum precium excederet. Craſsus itaq; patriæ ſuę,Venetiq; ſenatus amantiſſimus illud opus,quod tãto ſtudio,tot ſumptibus,tanto ingenio conſtruxerat,reip. Venetæ, cuius liberalitas nemini Europę principum vnquam ceſſit, liberali animo largitur . at Decemuiri quòd ea machina viſa eſset mirificè ſplendori templi Diui Marci conuenire, hilariter munus Craſſi amplectuntur . Deinde vt inſigne aliquod beneficium ciui de repub. optime merito pro maiorum conſuetudine reſponderent, Craſsum ipſum,& Marcũ filium,& Marci liberos inſigni,& ante hunc diẽ inaudito in aliquem ciuem munere, pro ſua ſingulari benignitate liberaliter cohoneſtarunt . Cæterum Polonorum copiæ quædam in itinere anguſto & lutulento afflictatæ relicto poſt ſe lõgius denſiore agmine in planitiem arci & ciuitati Turopeciæ proximam perueniunt,cum propter difficultatem itineris omnes pariter expediti eſse non poſsent. accedunt eò ad Albertum Chiraringem equites Germani quinquaginta ac totidem pedites ſclopettarij,atq; Georgius Sibril relicta ala equitum in qua erat collocatus, pariter ſeſe obtulit, quare cum ſe eſse apud caſtra hoſtium cognoſcerẽt acies, iter accelerant. Moſchi contrà fluuium Toropeciũ, relictis mille equitibus cis flumen tranſmiſerãt,

[Margin notes: Victoria Hiſ. in Luſitania. — Vliſponæ deditio. — Claſsis Luſitanę deditio. — Euporti deditio. — Nicolai Craſſi Veneti ciuis munus pręclarum.]

qui

qui regios milites leui prælio retardarent. Sed vbi vlterius procederetur, conſpectaque eſſet arx &
ciuitas, cognitum eſt agmen hoſtium ad pugnam eſſe inſtructum, atque mille equites nulla facta
prælij facultate ſenſim ſe recipiunt regios trahentes ad flumen, cuius in aduerſa ripa multi pedites
ſclopettarij Moſchi longo ordine erant in inſidiis. vbi vero copiæ regiæ fluuium traieciſſent, atque
illi diſploſiſſent in accedentes, mox in vrbem ſe recipiunt, eamq; ſuccēdentes in arcem properant. at
Poloni ea re cognita monitu Alberti iubent Germanum equitatum cum ſclopettarijs à dextro late-
re in equites Moſchouitas irrumpere, cum ex alia parte Albertus cum expeditis haſtatis in hoſtem
procederet. Moſchouitæ primum impetum fortiter ſuſtinent, ſed vbi alia vexilla regia conſpicaren
tur in ſe accedentia veriti ne tantas vires ſuſtinere non poſſent, cōtinuo in fugam vertuntur, cum ta-
men non ceſſaretur interim regios ex arce tormentis impetere. atq; quamuis Moſchouitæ omnem
ſpem ſalutis in celeritate fugę repoſuerant, tamen illa non prorſus eos ſeruauit, cum Poloni ad mul
tam noctem inſecuti ad quingentos & amplius trucidarint, & ducentos cum vexillis ceperint. quod
niſi noctis aduentus reliquos protexiſſet, pauci omnino è quatuor millibus fuiſſent ſuperſtites. con
ſtabat ille exercitus è primaria nobilitate Moſchouitica, quod ex eorum veſtibus auro intertextis &
precioſis pellibus cognoſci potuit. ſic regij re proſperè ad Toropecium geſta paucis amiſſis aut vul-
neratis incolumes ad caſtra redeunt. ex captiuis duo præcipui Regi conceſſi ſunt Gregorius Oſſana-
ſouicius Naſczochius paulo ante diſceſsū Regis è Vilna orator à Duce ad Regem miſſus, & Demē-
tinus Ceremeſtinus chariſſimus Moſchorum principi paucis diebus ante ad exercitum miſſus, vt eū
in fide & officio contineret. Interea Philo Chmita palatinus Smolēdenſis cum mille & ſeptingen
tis equitibus leuis armaturæ in agrum hoſtilem Smolencum vſq; progreſſus tametſi rem prius feli-
citer geſſit, tamen cum maior vis hoſtium immineret, quo ad decem millia fuiſſe dicebantur, vel no-
uies petitus eos ſuſtinuit. ſed cum diutius tantum impetum perferre non poſſet, omnibus captiuis,
quos habebat, interfectis amiſſis ſex cāpeſtribus tormentis & vno paulo grauiore non ſine detrimē-
to Moſchouitarū ad Orſam ſe recepit. cum vero multa ſpolia hoſtilia cepiſſet, horologium ferreū
elegātiſſimi operis, quod fuit Ognacij Bludori Palatini Moſchi occiſi, ad Regem miſit cum malleo
ferreo, quo ille pro claua vtebatur, & regium vexillum. Enimuero illa clade Moſchorum ad Torope
cium accepta, qm̄ anni tempus ad hyemem inclinaret, tria Regem facere coegit, vt inſtaret operi ar
cis Lucanæ, quod in certas partes diſtributum cuiq; nationi ante diſceſſum Regis erat abſoluēdum,
vt cancellarium regni cum iuſto exercitu mitteret ad obſidēdam Zauolociam, quæ quidem arx ma
ximo incōmodo futura erat Lucenſibus ob vicinitatem, ſi relinqueretur in poteſtatē hoſtium, vt ar
cis Neuellēſis oppugnationi maiorem numerum militum ſubſidio mitteret, & apparatus bellicos
& commeatum. nam ita eius ſitus natura loci erat munitus, vt vna ex parte tantum eſſet acceſſus me
ridiem verſus, cum reliqua eſſent ingenti lacu circū ſepta, ex quo lacu fluuius non ignobilis Nemen
effluit in orientem. illa in parte, qua patebat acceſſus, excitatæ fuerant munitiones Palatini Polocen
ſis, ex quibus tam exiguo regiorum numero arx capi ægrè poterat, cum preſertim Moſchi ſe intra ar
cē continerent, & modo ictibus tormentorum, modo repentinis eruptionibus fortiter ſe tuerentur.
nam Moſchouitæ paruæ ſunt virtutis in acie aduerſus Polonos, cum duo millia Polonorū facile poſ
ſint vel octo aut decem Moſchorum profligare. at in defendēdis munitionibus ſunt præualidi, quas
ad extremum vſq; tuentur. eorū pertinaciæ cauſa eſt, neſcio ſęueritatem ne an crudelitatem dicā ty-
rāni, qui nulla audita neceſſitate deditionis non modo illos qui ſe dediderunt immaniter trucidat,
ſed omnes illorum coniunctos ad tertium vſq; gradum affinitatis crudeliſſimo mortis genere nulla
habita vel infantium ratione. at proceres, qui ad Neuelam cum exercitu contenderant Ioannes
Bornemizza nimirum cum ſeptingentis peditibus Pannonibus quibus præerat Ioannes Gallus, re-
dacta in poteſtate arce Lucana ſubſidio Palatino Polocenſi miſerat cum tribus bellicis tormētis ex
caſtris. eò vbi perueniſſet, nam duodecim milliaria tantum diſtat à Luca Polocium verſus, maxima
diligentia munitiones cęptæ ſunt apud foſſas arcis excitare. hinc adiectę ſunt duę alię foſſę vtrinq;
tanquā brachia, vt ad foſſam arcis facilius perueniretur, quarum alia in occaſum non longe à margi
ne foſſæ in mediocrē longitudinem, altera ad orientem ſolem ad fluuium vſq; è Lacu effluētem du
cta fuit. nam tametſi Bornemizzæ diligentia omnia ad oppugnationem ſcitè inſtituebantur, nihilq;
deerat quod ſpectaret ad optimi ducis officiū, tamen multa fiebant inutiliter, quod hoſtes eò magis
fiebant inſolentes, atq; aliquando ex arce repente in munitiones erumpebant vncos ferreos inuſita
tæ magnitudinis funibus alligantes atq, iacientes in regios milites ſiquos comprehendere eminus
poſſent. ſic paucitatem regiorū contemnebant primum. atqui dum Io. Bornemizza noua auxilia
a Rege expectaret incredibili opere ſtudet per cuniculos in ipſam foſſā penetrare. at progreſſu ope-
ris & excauationis incidit in validas contignationes coniunctas & confibulatas trāſuerſis lignis, qui
bus decem pedum latitudine ab ima parte ad ſummū vſque labrum foſſæ Moſchus ſuperiecta terra
munierat. magno tamen labore ſecuribus & ligonibus & alijs inſtrumentis ad ipſam foſſā excauan
do peruentum eſt tanto ſilentio, tantaq; dexteritate, vt illud Moſchi non prius ſenſerint, quam Re
gij milites per foſſam ad incēdendos parietes ligneos miſſi mœnibus ignem ſubiecerint. Moſchoui
tæ illud repente conſpicati adeo ſunt percuſſi vt confeſtim de ſeruanda arce deſperarint, ac deditio-
nem vel inuitis præfectis polliciti ſint, arcemq; ſuccenſam extinguere. deditionis vnica conditio fuit
vt vitam regiæ gratiæ permitterēt, omnemq, ſupellectilem, & in primis militarem in arce relinque
rent. hoc modo arce promiſſa extincto incendio integra Rex potitus eſt. Rex mandata dedit vt eos
incolumes dimitterent è Moſchis, qui nollent manere, at tres prefectos captiuos ad ſe Lucam mitte
rent. eſt autem Neuela arx ampla non inferioris amplitudinis quam Luca, quæ diuiſa eſt in duas par
tes interiecto interius pariete. at minor eſt tamen quæ ſpectat ad Septentrionem, cum altera ad me-
ridiem

Clades Moſchouitarū.

Neuelę deſcriptio.

Moſchi crudelitas.

Neuelę deditio.

ridiem ſit maior.erant in ea mille milites præſidiarij,ſed promiſcuæ multitudinis agreſtis cum vxori
bus & liberis,qui omnes ad tria millia accedebant.capta ſunt tormenta maiora decem, minora quæ
ab alijs Anſatæ,ab alijs Barbatæ vocantur,centum ferè,præter murales ſclopettos, qui quingenti &
amplius fuerunt.ceciderunt in eius arcis oppugnatione ducentis è Moſchis, at è regiis centum ferè,
accepta per deditionem Neuela cancellarius cum ſuo exercitu & ſex tormentis Luca dimiſſus eſt à
Rege Zauolociã,quibus copiis additi ſunt ducenti equites Pannones,& ſexcenti pedites, quibus om
nibus præerat Gabriel Beches.cõmiſſa eſt cura arcis Lucenſis abſoluto opere , & ad iuſtam formam
munitionis perducto, tormentisq; & omnibus rebus ad defenſionem neceſſariis inſtructæ, Philoni
Cmitæ Palatino Smolenſcenſi,cui relicti ſunt in præſidiis mille & quingenti equites,& totidem pe
dites.His omnibus ita tranſactis Rex Luca profectus tribus caſtris ad Neuelam peruenit,atq; è regio
ne porta arcis orientem verſus caſtrametatur. Secuti ſunt Moſchorum ducis oratores a ſuo princi-
pe noua mandata in dies expectantes. Rex Neuela recognita aliquot dies in iiſdẽ caſtris ſubſtitit Za
uolociæ euentum expectans,de quo non parum erat ſollicitus,quia verebatur ne aliqua ſubita cœli
mutatio ob orta cum imbribus & vẽtis aut ninibus,ac gelu,omnem ardorem militibus extingeret,
adimeretq; facultatẽ ad operas præſtandas,ac cęptum victoriarum curſum inter rumperet. interea
legationes miſſæ in Moſchouiam a legatis & à Rege redeunt in caſtra ad Neuelam, quæ literas lon
giſſimas,vel potius volumen à Moſchorum duce reportarũt, in quibus longis ambagibus verborũ
de more ſuo argumentum præmittebat eorum iurium,quæ habebat in Liuoniam,quam ſibi vt hæ
reditario iure deberi aiebat,cum diceret fuiſſe quendam è ſuis maioribus Suentoſlaum Miſceſlauo
vicium nomine,qui antequã baptizaretur pro Chriſtianæ religionis ritu,Iurg vocabatur,à quo Iur-
gohorodunum conditum ſit,quam arcem & vrbem Germani Derbatum appellãt.hinc aſſerebat to
tam Liuoniam,ad ſe tãquam verum hæredem per ſucceſſionem pertinere.in reliqua parte literarũ
continebatur quòd fraternam neceſſitudinem ad Regẽ deferebat,atq; oſtendebat ſe ſtudio pacis ma
ximopere teneri,ne Chriſtianus ſanguis amplius ſpargeretur. pacis conciliãdæ ſtabiliendæq; gratia
profitetur nõ modo Liuoniæ titulum ſe paſſurum eſſe cõmunem, ſed etiã è quatuor arcibus ceſſu
rum,inter quas Chochenlanzũ eſſet pręcipua,ſi ipſe Rex è nuper occupatis Luca,Veliſſa,Neuela ex
cederet ſuæ vetuſtæ ditionis.his addit plura mandata ſe ad ſuos legatos perſcripſiſſe. Poſtridie legati
ad Regem adducti petunt ſibi dari poteſtatem agendi cum ſenatoribus.proximis diebus ter congreſ
ſi adijciunt illis quatuor munitionibus alias ſex,in quibus Roneburgũ erat nobilius,cum aliæ vilio
res domibus potius priuatorum,quam arcibus eſſent ſimiles.legatis itaque alia mandata non profe
rentibus re infecta diſceditur.Illis autem imperatum eſt vt Regem in Lituaniam,ac inde in Poloniã
ſequerentur.ſed antequam Rex Neuela caſtra moueret, Oſeriſcia proxima arx hoſtium lacu cincta,
tribus milliaribus diſtans à Neuela,nouo pariete,nouisq; propugnaculis ita affabre ædificata vt ſin-
gulę turres mirificam elegantiam præ ſe ferrent ob varietatem ſtructuræ,Palatino Vilnẽſi à Rege il-
luc miſſo cum exercitu ſpontè ſe dedidit,cum præfectus arcis facultatem redeundi in Moſchouiam
cum præſidiariis militibus facile impetraſſet. nam Moſchi inter res tam turbulentas illam retine-
Oſeriſcia op- capta. re omnino non potuiſſent,ꝙ arcibus regiis vndiq; cingeretur.miſſi ſunt ad Regem tabellarii à can-
cellario per idem tempus,quibus ſignificabatur Zauolociã multo eſſe munitiorem,quàm antea per
latum eſſet,& quòd quãuis iniquitate tẽporum exercitus maximè premitur, arxq; ipſa poſita eſt in
inſula vaſti lacus,ad quã nullus patet acceſſus,tamen nullum boni ducis officium in ſe deſideratum
iri.non deferbuiſſe priſtinum militum vigorem,qui de alacritate inter ſe contenderent.neq; horre-
re temporum aſperitatem,ſed potius per has difficultates metu maiorum ad rem perficiẽdam exci-
tati.ſeſe ab incępto nõ ceſſaturum niſi diuino auxilio adiutus re bene ac feliciter geſta. his addidit ſe
illum locum,qui anguſtior patebat iunctis ratibus ſternere ſub munitionibus voluiſſe,ſed fabrorũ li
gnariorum iniuria pontem breuiorem eſse factũ,quam parierat; quare accidiſse vt conatus eius diei
fuerit irritus. certatur paulo poſt de ponte, qui modo vento in diuerſas partes agitatus fuit cõfectus
è ſubiectis lintribus,modo per excitatas flãmas ab hoſte tentatus ſcaphis ad illã appellente,quæ om
nia fruſtra tentata & vana euaſerũt.ponte ita demum ſeruato Chriſtophorus Comes Boſdraſouius
duarum turmarum equitum pręfectus in munitiones exteriores progreſsus accepto ex arce vulnere
interiit. Ponte deinde pręfectorum & opificũ induſtria refecto mox oppugnatio maiore vi tentatur
ſed irrito tamen conatu.nã pedites,cum tranſiiſsent,loco in diuerſa ripa capto vbi conſiſterent atq;
incendium miſcerent licentius hoſte contempto ſub pariete locis iniquioribus vagati hoſtilibus te-
lis & excurſionibus reiecti ſunt. Eſt autem Zaualocia arx in amplo lacu ita ſita vt inſulã munitioni-
Zaulociæ de ſcriptio. bus omnem occupet,relicto breui & arduo ripæ ſpatio;amplitudine propè pari Veliſiẽſi,cum ſupe-
ret tamen numero propugnaculorum.lacum per medium flumẽ præterlabitur,quod aliis atq; aliis
lacubus Septentrionem verſus excipitur.caſtra ad meridiem trans ipſum fluuium Cãcellarius habe
bat:oppugnandę autem arci munitiones ad ſolem Orientem erant excitatę,qua in Occaſum vergit,
& quo loco lacus eſt breuior in citeriore ripa oppidum fuerat arci ponte coniunctum, quod biduo
ante regiorum acceſsum Moſchi incendio deleuerãt.his perceptis difficultatibus Rex fit dubius de-
ſiſtat ne ab incępta oppugnatione an perſeueretur.Sed vicit demum cancellarii conſtãtia & promiſ
ſa,qui maiores copias Polonas & Pannonicas impetrauit,quibus acceptis altero ponte facto, pluri-
busq; ſcaphis contractis, adducta etiã nobilitate vt armati pedites ad arcem accederent inuadendam
in eum metum præſidia coniecit, vt cum iam miles regius ſub ſignis conſiſteret, lacumq; ad arcem
tranſiturus eſset,Moſchi repugnantibus ipſorum Palatinis ſe dederent pacti incolumitatem & redi
tum in Moſchouiam.Zaudocia ita per deditionẽ capta Cancellarius quatuor Palatinos in cuſtodias
tradidit, reliqua præſidia ſunt in Moſchouiam dimiſsa. erant ibi in præſidiis milites quadringenti,

reliqua

reliqua multitudo accedebat ad mille homines inutiles rei bellicę. hoc nuntium de capta Zauolocia allatum eſt ad Regem, qui ad Dziſnam contenderet, atq; inde ad Vilnam peruenit, quo & Cancellarius paucos poſt dies ſubſecutus eſt. Iuſſa ſunt tamen omnia loca capta diligẽter muniri, cum firmiſſima præſidia in omnibus locis captis fuiſsẽt impoſita, & Vielichuluci prætertim duo millia equitũ & duo millia peditum & viginti bellica tormenta. ſic capta ſunt à Rege multa caſtella & vrbes, qui dilatauit ſuos fines per virtutes bellicas ad octingenta millia paſſuum. vbi Vielichuluco Rex diſceſſiſſet profecturus in Lithuaniam ex ipſo itinere arcem cepit etiam Pallotam; atq; cum trãſeundum eſset per altiſſimas & frequentiſſimas pinus per centum milliaria, vbi nulla eſset copia pabuli aut herbarũ mortui ſunt inedia ad viginti millia equorum. at in Lithuaniam profectus comitia Voſcouiam indixit ad nonum cal. Martij anni ſequẽtis, vt de re bellica, & conſeruatione eius prouinciæ totiusq; regni conſultaretur. nam Rex ille eſt inuicto animo, & ad omnia Illuſtria negotia prompto, quippè qui vel cum ſex millibus equitum tantum primum accederet ad bellũ, & ad recuperãdos fines regni vel ſi comitia noluiſsent dare alia ſubſidia, vt regio muneri ſatisfaceret. Eſt enim princeps omnibus animi & corporis dotibus ornatus, religionis catholicæ verè cultor, & virorum bonorum in omni genere fautor: qui vbi Vilnam aduentaſset ſupplicationes ob res feliciter geſtas inſtituit, audiuitq; legationes Turcicas & Scythicas, atq; comitia Varſouiam indixit ad x. cal. Februarij, cum interim acerbitas hyemis in hybernis omnes eſse cogeret.

Regis Poloni ingeniũ.

FINIS.

# TABVLA
# RERVM MEMORABILIVM,
## QVAE IN HIS HISTORIIS CONTINENTVR.


ABEVILLA ab Vgonott. expugnata. 395
Acierum inſtructio. 12.14.18.19.20.40.79.98.172.223.225.251.276.417.437.475.646.
Aciei lunaris vis. 14
Aciertum ordo præcedentium. 14
Adami Trotti virtus. 15
Adorſi deditio. 40
Ademnm captum 498. obſeſſum. 512
Adrianopolis vnde dicta. 367
Adriaticum mare à Turcis vexatum. 260.477
Adrianus Baleonus captus. 134
Adminiſtratio popularis qualis. 558
Aeneas Pius pugnando ab Vgonot. cap. 415
Adulterij mala. 363
Aeris vis. 277
Aethiopum Bella. 494
Aetnæ incendium. 370.671
Agamontij virtus, & victoria. 229
  Autoritas in Belgio. 251
  Oratio, & victoria. 252
  Rerum ſeries, & coniurationis. 390.392
  Condemnatio. 412
  Cædes & amor populorum. 413
  Agamontis filij filiæq; nubilis, & vxoris mors. 413
Agam. à ſecretis ab equis diuiditur. 414
Agamontius iunior Agamontij filius cum Hiſpanis Mechliniam capit. 665
Agareni eiecti, & cæſi. 499
Aginum captum ab Vgonot. 421
Aiduchi qui ſint. 79
  Trucidati à turcis. 98
Aioneus mons captus. 179
Ailamus Arabs ſpoliatus à Teredone. 332
Aydar purpuratus Caruani Tunetum expugnat. 540
Albanus ſummus Dux copiarum Phi. Reg. 184
  Mediolanum accedit. 189.191
  Error. 191. copiæ. 190.399.411.386.426
Albanus Napolim adit. 197.198
  Conatur placare Pontifi. 202
  Exijt in Pontificem. 203
  Literæ ad Pontif. 208
  Romam inuadendam pronuntiat. 231
  Res componit cum Pont. 232
  Procurator Philippi ad nuptias. 264
  Auctoritas in Belgio. 374.389
  Seueritas. 408.410.412.414
  Edictum in Belgio. 390
  Stipendiorum inopia laborat. 407
  Libelli criminoſi. 411
  Contumeliæ. 411
  In ipſum coniuratio. 410.411
  In ipſum copiæ. 411.417
  Victoria de denanſienſe. 418
  Ingens periculum. 427
  Subſidia à Rege Gall. 428
  Pecuniam à Magno D. Hetr. petit. 498
  Auxilia mittit Gallo Regi. 432
  Petitiones in Belgio. 439
Aeream ſtatuam ſibi erigit. 497
  In Hiſpaniam recedit. 522
  Exiſtimatio, & ad expeditionem Luſitaniæ miſſ. 679.680.
Albæ Regalis proditio. 340
Alberti Chiarinorum pugna cum Moſc. 676
Alberti Laſchi auxilia Cæſari miſſa. 355
Albertus Marchio cum ſummo Imper. in Lang. 5
  Turpiter captus. 36
  Liberatus. 52
  Fraudes. 123
  Profligatus. 155
Albertatius Albertius Magni Duc. Hetbr. orator iuſſu Solymani Byzantio excedit. 350
Albis fl. vadatur. 90
Alcimenij deditio. 31
  Senatus mutatus. 64
Aldanæ negligentia clades. 98
  Turpe facinus. 106
  In vincula coniectus. 119
Aldana capitis condemnatus. 131
  Liberatus. 136
Alis D. Summus Turcicæ Claſſis. 468
  Sententia de pugna nauali. 485
  Oratio. 487
  Prætoriam Auſtriæ inuadit. 488
  Cędes. 488
Alenconij Legat. ad Pontif. & colloquium cum matre. 583
  Pax cum fratre Rege. 509
  Imperator ſum. cop. Her. 621
  In Belgium accitus. 639
  Proteſtatio. 644
  In Belgio. 645
  Libelli ſam. 669
  Rumor de nuptijs. 669
Alexandri Patritij Veneti magni Nauigij Venet. præfecti negligentia. 261
Alexander Crucius agit inducias Philippi, & Amurati. 664
Alexandri Vitellij virtus. 15
Alonſii Golfini virtus. 289
Aloyſius Bonricius à ſecretis, vel Henr. gall. Regem. 536
  Aduentus Byzantio. 446
  Aloyſii Farneſii cædes. 49
Aloyſius Aurelianus ſummus D. aduerſus Vgonot. 301
Aloyſius Cordubenſis procurator Philip. Hiſp. in regno Sicil.

# INDEX:


Sicil.& Mediol. 194

Aloyſii Caruagialis error. 251

Extremo ſupplitio affectus. 253

Aloyſius ſalaſſiorum Marchio Regi Gall. ſua iura renuntiat. 307

Aloysijs Phliſci facinus 47

Stratagema. 48

Mors. 49

Aloyſius Mocenicus D.Venet. 449

Oratio. 449.513.613

Mors. 631

Aloyſii Barbari calliditas. 446

Aloyſii Perij fortitudo. 406

Aloyſii Martinengi virtus. 477

Alphonſi Pinentij virtus. 430

Alphonſi Marchionis Finalis controuerſia. 431

Alphonſus Viues conatur Canodurum occcupare, & caſus. 64

Alphonſus Ferr.D.ad Inutrij Comitia. 530

Aluarus Sandeus ſummus D. Hiſpa. in expeditione Meningis. 283

Oratio. 289

Deditio. 290

Animi magnitudo. 291

Liberatio. 306

Amaſius flu. 417

Amathuntis Epiſcopi religio. 473

Ambertollum opp. captum. 71

Ameria deſcripta. 197

Amida regnum eripit patri 62

Crudelitas in patrem. 63

Amidæ filij hortatio ad patrem. 525

Amida Hiſpanum vocat ad expeditionem Afr. ſuſpectus Hiſp. in Siciliam tranſmiſſus. 525

Amicitiæ regum quales. 37.136.213

Amirantis Gallici aſtutia. 235

Vgonottorum fautor. 237

Clades. 438

Eius bona fiſco addicta & eius imago patibulo ſuſpenſa. 440

Confert ſigna cum Andienſi. 441

Conſilium Regi Galli. 507

Cædes; & cadauer tractum. 307.508

Amſterdami deſcriptio. 582

Tentatum per inſid. 583

Amuleus Numidiæ Rex. 648

Crudelitas. 649

Amuratus Turcarum Imperator. 548

Crudelitas in fratres. 548

Edicta præclara. 550

Literæ ad Polonos de creatione noui Regis. 579

Induciæ cum Cæſare. 605

Furmentum petit ab epidauris. 678

Legationes ad Reg. Tamuſige. 664

Induciæ cum Hiſpano. 664

Legationes ad Scyth. principem & auxilia petit. 664

Ancomanus à ſuis Ianizzeris trucidatus. 642

Anconæ deſcript. & munit. 530

Lazaretum. 654

Ancharanum captum & concrematum. 227

Andelotus Vgonottorum Imperator ſalutatus, & captus. 238

Liberatus. 239

Andreas Auria ſummus Imperator Gen. 142

Præfecturæ apud Principes. 555

A ſtipendijs Gall. recedit; & fit ſummus Imperator Claſſ. Car. V. 556

Genuam à Gallis liberat; & Imperium Gen. ſibi delatum reijcit. 336

Statua erecta à Gen. 556

Conditiones cum Car. V. 556

Andr. Auriæ mors exequiæ ex publico, & laus. 292

Andreæ Firlei Lublinenſis in caſtris Polon. Reg. virtus. 627

Andreæ Foruienſis Italicæ cohortis præfecti mors, & virtus. 21

Andreæ Barbadici virtus in victo. nauali. 488

Angeli Soriani diligentia. 504.505

Anna Iagellonia Polo. R. coronata de nup. 602

Annorum Turcicorum ratio. 367

Anſterdamum captum. 503

Antiochi facinus nobile. 413

Antiuaris deditio. 476

Antonij Barboni Cantabrorum Regis mors. 505

Antonij Albonis Lugduni præferti vigilantia. 292

Antonij Toletani virtus. 418

Antonij Comitis ingenium ſingulare. 280

Antonij Canalis virtus. 450

Equos Gall. Reg. 537

Conſilium prudens. 457

Antonij Auriæ virtus. 558

Antonius Caraffa in mare deiectus. 541

Antonij Bragadeni Laus. 457

Antuerpiæ diſſenſiones cum arce. 615

Capta & direpta arx. 616

Munita. 637

Antonij Luſitani fuga. 680

Aphrodiſium captum à Turcis. 73

Captum à Cæſare. 74

Apparatus ad arcendam luem. 614

Apoſtatæ exagitati à Pio Quinto. 263.405

Aqua dulcis e ſalſa. 285

Aquarum marinarum natura. 273

Arabum ſeditio. 331

Deſcriptio. 331.220

Copiæ inſignes. 332

Arabiæ Petreæ Bellum. 420

Arcana Principum periculoſa. 361

Arcula Romæ expoſita accuſantibus. 263

Aremburgi deditio. 426

Argeliæ deditio. 50

Argentorati deditio. 33.36

Vnde dictum. 37

Argiron. 671

Arma Romanis erepta. 200

Arma tumultuaria populorum leuia. 390

Arni flu. deſcriptio. 166

Aronſper trucidatus à Turcis. 553

Arx Diui Hermetis capta. 329

Aſcanius Columna eiectus. 137

Criminationes mors & teſtam. 199

Aſcanius Cornienſis. 164

Transfugit. 203

Expetitus ab Hiſpanis. 334

Conſilium de pugna Nauali. 479

Mors. 508

Aſcriuij deſcriptio. 479

Proditio. 467


Munitio

Munitio turcarum. 501
Aſculum exules capiunt. 313
Exules diſſipati. 348
Aſtoris Balleoni conſilium. 452.457
Aſtrologiæ vis. 230.258
Athenienſium auaritia. 558
Atheſis flu. deſcriptio. 404
Attrebatum Epiſcopus cæſus. 408
Auacutenſium pax. 365
Tumultus. 384
Res ſedatæ. 385
Arx excitata. 392
Auarici Vrbis deſcriptio. 240
Auaritiæ vis. 72.98.152.286
Auaritiæ mala. 237.348.405.442
Peſtis militaris. 57.98.151.280.285
Auguſta in amicitiam Cæſaris rediȷt. 33
Auguſtana Comitia. 61
Senatus exautoratus. 63
Auguſtini Barbadici diligentia. 486
Oratio conſtantia & mors. 488
Auguſti electoris victoria. 381
Auguſtini Spinolæ virtus. 558
Summus Dux Gen. 559
Auguſto ritum ab Vgonot. derelictum: & à Catholicis captum 305
Auguſtoriti deſcriptio. 434
Obſidio dura. 436
Auguſtini Landi facinus. 58
Aulicorum contentiones. 236
Aurantius deffendit Catholicos. 360.375
Actuacuti res componit. 384
Fuga è Belgio. 385
Querelæ. 385
Auxilia è Germ. 389.399
Condemnatio. 408
Copias dimittit. 407
Oratio ad Principes Germ. 389
Defenſio. 409
Copiarum inſignia. 425
Belgium inuadit. 406
Copiæ 411.418.426.198
Inſcriptio vexillorum. 426
Auxilia è Gallia. 427
Error. 427
Clades, & crudelitas. 428.522
Exitus è Belgio. 428
Stratagema. 497
Literæ ad Belgas. 501
Menapiorum regione inuadit, & multas vrbes per dolum capit. 502
Crudelitas in ſacerdotes. 503
Clades maritima. 581
Victoria naualis. 582
Aurantius vicarius Alenconij. 645
Defenſio. 663
Aurelius Fregoſus ſum. Imp. Gen. No. 577
Aures Regulus in Antuerpiam admiſſus. 615
Auriæ familiæ honores, & immunitates. 557
Auſtriacæ familiæ origo. 194

B

Babyloniæ forma. 331
Babylon tentatur per inſidias. 353
Baciani Aluari virtus. 510
Baduellij fraudes, & clades. 402.40
Baiazetus Cæſus. 15
Baiazetus paternum regnum inuadit. 71
Bani virtus. 474
Baragani egregia virtus. 328
Barbaruſſæ mors. 73
Bartholomæus Montobius popularium Gen. Princeps. 561
Barth. Concini res ſapienter geſtæ. 593
Barth. Montis virtus. 14
Baptiſtę Quirini virtus. 505
Balaſſus Debrezenium ſuccendit. 314
Balenæ magnitudo. 336.426
Balſaræ deſcriptio, & obſceſſa. 331
Baueſium captum. 170
Batauorum Princeps Medelburgum repentino tentat. 522.
Becche oppidum captum. 173
Belgarum iura, & pacta cum Carol. V. 374
Priuilegia. 374
Deſcriptio, Vrbes fertilitas. 374.531
Legationes ad Hiſp. 375
Petunt interim. 375
Sęuiunt in imagines ſanctorum. 375
Mercatorum diſſidia cum Brit. mercatoribus. 339
Belgæ capti à Reg. Brit. 407
Fugiunt è Belgio Papæ ſeueritatem Alb. 414
Belgarum moleſtiæ ab Hiſp. 531
Coniurati Hæretici. 383
Varietas religionum. 383
A fœminis gubernati. 390
Amor in Agamontium. 413
Peſtilentia. 582
Belgici apparatus. 618.624
Inſidiæ in Auſtriacum. 623
Conditiones Auſtriacus proponit. 624
Belgarum ſtatuum conſpiratio ad recuperandam Belg. libert. 606.607
Matthiam in Belg. uocat. 625
Conditiones Matth. propoſitæ. 625
Apparatus Belli. 631
Auxilia. 632
Copiæ & Duces. 634
Clades. 635
Alenconium vocat. 639
Conditiones Alenco. 644
Conditiones petitæ. 647
Fœderatio Vtrechij: querelæ de Aur. D. Matth. Arch. 663
Articuli pacis & reconciliationis. 666
Bella æquitati aduerſaria. 257.420
Bellorum initia quæ eſſe debent. 16.255
Celeritas vtilis. 16.248.43
Tarditas peſtifera. 158
Partes tres. 323.362
Ratiocinationes. 28
Bellica ratio obſeruanda. 249
Bella purgatio ciuitatum. 234
Bellorum imminentium inditia. 234
Bellorum fortuna inconſtans. 7
Bellorum initia in Italia. 197
Bellum nauale in Oceano 196
Benedicti Superantij virtus 489
Berga capta. 622
Bernardinus Maripetrus cæſus. 448
Bernardini Cardonæ virtus & mors. 488

# INDEX:


Bernardini Vgobini mors. 472
Beſſegnani Prin. victor. de Turcis. 608
Betica bella. 440
Bighettus condemnatus. 174
Binſii deditio. 170
Birum Vrbs. 60
Biphus Archipirata profl. 137
Bironio virtus in Ricellæ expugnatione. 119.677
Biturgium agrum populatur. 240
Boemiæ deſcriptio. 35.38
Vires. 35
Tumultus. 55
Pœnæ iniunctæ. 56
Boemi turcas profligant. 265
Profligati,& iniuncta ſupplicia. 56
Bogdanus admittitur in principatum Myſ. ſup. 638
Ad auxilia Perſet ſe conſert. 665
Bonæ Reginæ aduentus in Ital.& mors. 196
Bononiæ inceptum concilium. 63
Decretum ſalubre. 584
Diſſenſio cum Duce Ferrariæ. 643
Boromei Card. Archiepiſcopi Mediol. diſſenſio cum miniſtris regijs. 526
Congregationem inſtituit. 527
Bonitas,& charitas. 610
Borzi qui ſint & Oratio. 376
Boſſuenſis Regulus ſum. Imper. Hiſp. claſſ. in mari Britan. 522
Bouinæ captæ. 168.637
Brederodenſis fuga è Belgio. 385
Bregretij incendium. 370
Briſaccij aduentus in Italiam. 77
Briſſellum captum. 76
Britanniæ deſcriptio. 138
Regum electorum mos. 139.140.144
Pompa coronat. Reginæ. 141.142
Nuptiæ Reginæ,& conditiones. 158
Bellum conclamat. 226
Britannorum clades. 70
Britanniæ Regina Heliſabeta. 256
Britanni deficiunt ab Eccl. Rom. 260
Britanni ab Albano capti. 407
Britannorum ſeditiones ob religionem. 62
Claſſis. 249
Claſſis ingens fruſtra parata. 253
Coniuratio ad impediendas nupti. 159
Solennia inter ſigna lætitiæ. 140
Potio. 409
Nauigia capta. 278
Redeunt ad Eccleſiam. 181
Britannorum coniuratio in Reginam. 800
Inſidiæ pateſactæ. 500
Britannorum mercatorum diſſidia cum Belgis. 338
Britannorum Cath. ſeditio. 439
Britanniæ Reginæ reſponſum de pecunia Hiſp. intercepta. 408
Brixienſis tumultus. 330
Bruxellenſium amor in Agamontium. 426
Bruxell. pompa in aduentu Auſtriaci. 621
Buceri horrenda impietas. 2
Bugiella capta. 179
Burani Comitis copiæ. 16
Burgdigalenſium ſeditio. 65
Senatus reſtitutus. 72
Burgomagiſter qui ſit. 85
Butua dirupta,& incenſa. 649
Butua direpta 479
Buyzæ Coloniæ deſcriptio. 202.308
Obſidio. 308
Byzantij templa Chriſtianorum euerſa. 334.339
Munitio euerſa. 496
Inundatio. 515
Lætitia ob victoriam Numidiæ. 546
Peſtilentia & penuria. 584
Penuria annonæ inſignis. 678

C

Cadetti qui ſint. 262
Cædes ingens Vgonottorum. 507
Cæſaris Gonzagæ virtus. 418
Cagninus Gonzaga Genuam inuadit. 558
Calegiæ deſcriptio,& deditio. 50.52
Caluiniſtarum cædes. 383
Calumniatores arcendi. 265
Camanorum controuerſia de Diœceſi. 135
Cameni controuerſia. 287
Camillus Vrſinus Romæ Dux. 132.202
Parmam miſſus Octauium non admittit. 72
Oratio de Roma munienda. 204
Romam munit. 133
Camillus Columna in cuſtodias à Pont. miſſus. 200
Campilium captum. 219
Campium captum. 585
Cameracum captum. 498
Caniſia munita. 344
Canoduri deditio. 64
Canodurum. 258
Canoi deſcriptio. 171
Cantabrorum Regis nuptiæ. 507
In carcerem detruſus,& liberatus. 508
Dogmatum hæreticorum abiurans exuit. 503
Cantabrorum Princeps Condeo ſuffectus. 433
Capes in Antuergium admiſſus. 615
Caraſa Pontifex. 148
Statua ob præclara initia. 193
Honores à Romanis. 195
Reformationes. 196
Cardinales delegit. 197
Affinibus titulos addit. 201
Regnum Neapol. fiſco addicit. 201
Multos capi iubet. 202.203
Liberalitas. 197
Animus infenſus in Hiſp. 199
Venenum paratum. 199
Arma Romanis adimit, & Caſtella Marci Ant. proſcribit. 200
Apparatus ad Bellum. 202
Solicitat Venetos ad arma contra Hiſpanum. 209.213.
Fœderatio cum Gallo,& Fer. 213
Edictum de ſuis euocandis. 224
Pax cum Hiſpano. 232
Indignatio in Figarolam. 236
Legat. ad placandum Henr.& Phil. 234
Non admittit Ferdinan. Legat. vt Imperatoris. 244
Res vrbanas componit. 261
Publica audientia. 261.263
Arculam Romæ exponit. 263
Natura. 199.262
Mors & ſtatua comminuta. 269
Caraſis honores adempti. 262.269


Caraſica

# INDEX.


Ca[illegible]inſignia deleta. 269
Promiſſi venia. 270
Fraudes contra Florentiæ D. 218
Procurator Pontificis. 232
Pontificis audientiam occludit 262
Carafarum auaritia. 262
Caraſa Card. Legatus ad Regem Gallorum. 200
Diſcedit Roma per Pont. indignatio. 262
Pactiones pontificatus. 270
Captus, & mors. 274
Crimina obiecta. 347
Caratis infamia reuocata. 347
Cardinales ad concilium Trid. miſſi, vt Pont. nomine intereſſent. 292
Cornelius Bentiuolius Germ. copias profligat. 135
Virtus in Senæ expugnat. 185
Carolus Caraſa Card. Legatus ad H. Gall. 200
Carolus Philibertus natus Duci Sabaudiæ. 297
Caroli Quinti aduentus in Germaniam, ad frenandum nonnullorum inimicitias cum Auſtr. familia, & Auguſtanam confeſſionem concedit. 2
Indulgentia. 47.99.54
Grauitas. 38
Religio. 38.43
Liberalitas. 57
Diligentia. 26
Obſtinatio. 132.127
Maximus appellatus. 55
Exercitum inſtruit aduerſus coniur. ſmal. 6
Nouas monetas imprimit. 8
Auxilia contra Lantg. 12
Reſponſum Lantgrauio. 12.53
Carolo V. Auxilia ex Itala miſſa. 12
Error. 18.177
Armatus in equo conſiſtit ante turmam. 15
In hiberna per ſe recipit. 24
Laus in caſtris eligendis. 25
Lantgrauium inſequitur. 28
Pax cum Odorico D. Intuergorum. 32
Sueuorum vrbes in amicitiam recipit. 32
Liberas ciuitates in amicitiam recipit. 57
Italas copias inopes dimittit. 33
Auxilia ad Mauritium. 34
Carol. V. Albim vadatur duce Ruſtico. 43
Victoria de Federico. 45
Condemnat Federicum mortis. 51
Reuocat ſententiam Fed. in parte. 52
Maximus appellatus. 55
Lantgr. in gratiam recipit. 54
Totam Germaniam intra quindecim menſium ſpatium ſubiugat. 57
Claſſem inſtruit ad expeditionem Numidiæ. 73
Tuneti regionem tributariam facit. 74
Concionatores Hæreticos eicit. 83
Fuga. 101
Pax cum Mauritio. 102
Tituli additi. 118
Exercitum Alberti obtinet. 121
Ad Diuodurum clades. 244
Exercitum in agro Senenſi. 134
Bellum Alberto indicit. 154
Pax cum Senenſibus. 136
Studium in Remp. Gen. 142
Iacobum Marinianum ad expeditionem ſenæ mittit. 157
Albanum cum ſummo Imperio in Italiam mittit. 184
Imperium & inſignia renuntiat. 1
Philippo Regna aſſignat. 194
Adhortatio ad Philip. 206
In cœnobium ſe recipit. 206
Imperium renuntiatum. 244
Mors. 256
Caroli V. conditiones cum Auria de libertate Genuenſium. 556
Caroli Archiducis virtus. 338.357.360. 366.421.
Nuptiæ cum filia Ducis Baueriæ. 480
Carolus Gallorum Rex. 294
Ingenij indoles. 296
Petitiones in ſynodo. 298
Externa auxilia implorat. 302
Literę ad Auguſtoritanos. 304
Victoria de Condeo. 305
Pax cum Vgonottis. 307.415.459
Controuerſiam Galliæ Lugdunenſis componit. 311
Caroli Gallorum Regis fœdus cum Heluetijs. 314
Controuerſia de præcedentia & literæ. 317.318
Legationes ad Pontificem de Mirandula. 327
Copia in Indias mittit. 338.545
Conditiones pacis ab Vgonott. propoſitæ. 396
Auxilia miſſa. 397.415.432
Pacis conditiones Vgonottis proponit. 398
Supplicationes antequam exeat ad bellum. 419
Auxilia Albano mittit. 428
Accipit mutuo pecuniam à Venetis. 430
Victoria de Vgonottis. 433
Bona Amirantis fiſco addicit. 440
Veniam Vgonott. promittit. 444
Mariam Auſtriam ducit. 462
Artes in Amirantem, & Vgonot. principes. 505. 507
Expeditionem Rocellæ. 519
Mors. 535
Caroli Maſſeltij virtus. 637
Carolus Sulmonenſis Regulus in caſtris Cæſaris. 6
Carolus Toringius captus. 45
Carlotus Vrſinus cæſus. 167
Caroli Sabaudiæ D. mors. 142
Caroli Principis Hiſp. mors, & cauſa. 390.400
Exequiæ. 479
Carras Vrbs capta. 60
Caritnorum Regionis deſcriptio. 32
Caruanni inimicitia cum Draguto. 271
Carſi munitio euerſa. 671
Caſalenſium controuerſia cum Duce Mantuano. 387
Caſale muris cinctum. 387
Sententia pro Duce. 388
Caſalenſium conſpiratio in Ducem. 388
Caſale Captum. 183
Caſalis ſinus obſeſſus, & deditus. 143
Caſalis ſinus captus. 195
Caſmiri rationes defenſionum. 644
Caſtalius magiſter caſtrorum eligendorum Cæſaris. 13
Dux ſumus Ferdinandi. 79
In Pannoniam Aduentus. 79
Hortatio de Reg. Pan. de reſtituenda Pannonia Ferdinando. 81
Caſtra cum Monaco coniungit. 86
Stratagema. 90.108
Conſpiratio in cœdem Monachi. 94
Caſtalij liberalitas. 96




2

# INDEX:


Prudentia in aduerſis 114
Conſpirationem in ſe detegit, & Vaiuodam Myſiæ interficiendum curat 114
Conſilium prudens. 191
Mors & pompa funeralis 307
Caſtrametandi ratio. 11.218
Caſtra officina crudelitatis. 163
Caſurgium Metrop. Boemiæ 35
Caſtrametationes. 10.12.13.14.17.19.22.26. 51.360
Caſtrorum conſuetudo, vel ad ſanitatem, & annonam parandam: 163
Caſtrorum Turcicorum forma. 362
Catarini Maripetri virtus. 488
Caſtrum Nouum tentatum. 501
Cauſæ morborum Claſſium. 273.277
Cazarini deditio. 488
Mors atrox. 279
Cechini Martinelli inuentum aduerſus ſtramas, & venenum viperarum. 269
Centalij deditio 255
Mœnibus nudatum. 256
Cepinij Vitellij virtus. 414
Cerda ſumus Hiſp. Claſſis Imp. ad Numidiam expeditionem. 274
Duas onerarias capit. 276
Error. 277.279
Conſultatio. 277
In ſignum lætitiæ inter Mauros nummos deijcit. 282
In Siciliam aduentus. 283
Ceroniæ ſitus. 424
Ceſoniaci Naualis deſcriptio 240
Deditio. 242
Ceſtria capta. 450
Recuperata à Turcis 479
Deſerta. 492
Chamoliæ munitionis Senæ deſcriptio. 157.162.163
Charitas oppidum captum 439
Chami crudelitas, & perfidia 467
Cherium captum. 77
Chiatelettum captum 231
Chiſilinter Dux ſummus cop. Caroli Archid. 645
Chij deſcriptio. 351
Captiuitas. 351
Chios inſtaurata. 523
Chionius Palatinus in caſtris Pol. Reg. 660
Chriſtophori Canalis virtus. 311
Cibinum petitum à Solimano. 352
Cimetta concremata. 122
Cimeum captum. 111
Cimmerij vexati à Turcis. 352.360
Venetis ſe adiungunt. 452
Cirta Vrbs. 62
Ciuitellæ deſcriptio & obſidio. 167.220
Obſidio ſoluta. 222
Ciuitellæ deſcriptio & immunitates 226
Clades Saxonum. 45.98.108.358.354
Turcarum. 61.321.357.366.455.491.421. 553.489.653.678.671.
Scotenſium. 61
Sueuorum Daniæq; Regum 364.403
Scytharum. 371.523.605.653
Caluiniſtarum. 383
Britannorum. 70
Chriſtianorum. 98.489.553
Germanorum. 108.411
Hiſpanorum. 412.582
Strozzanorum. 172
Gallorum. 153.279.252
Ad ruuinas liziſi 89
Genuenſium. 322
Sueuorum. 339.340
Perſarum. 354
Nanſienſium copiarum. 418
Vgonottorum. 422.433.438.441.583
Aurantianorum 428.581
Amirantis 438
Rheticorum. 440
Lutetiæ & totius galliæ. 508
Ghiſii copiarum. 508
Moſcouitarum clades. 246.404.603.681
Danciorum 627
Claraſcum captum. 219
Claſſis Turcicæ inſtructio. 473.484
Magnitudo. 473.494
Inſtructæ ordo. 483.509
Federatorum magnitudo & ordo. 481.508
Claſſis Britanna ingens fruſtra parata. 253
Claſſis Hiſpana profligata. 283
Magnitudo. 312
Claſſis Venetorum magnitudo. 449.457.504
Claſſis prædæ diuiſio. 276
Claſſicæ peſtilentiæ cauſa. 273.277
Claſſis inſtructa ad vitæ rationem. 450
Clauarij deditio. 577
Clemens Athenaſius Vinundriam inuadit. 136
Clementia validum tormentum. 40
Clementia Pontificis 508
Gallorum Regis. 127
Hiſpanorum. 146
Sabaudiæ Ducis. 69
Pialis. 290
Turcarum. 382
Epidauriorum. 463
Cluſſa capta à Mauritio. 100
A Cæſare. 11
Cœlonidum hæreſis. 2
Collis Mandinus. 425
Cometa grandis in Italia. 389.632
Comitia habita Auguſtæ. 61.74.257.341.185
Artobrigæ. 5
Smacaldica. 3
Turdæ. 98
Boroduni. 102
Vaſraelis. 128
Carni. 232
Coloſuaris. 135
Britanica. 147
Londini de religione. 180
Vandomiorum. 237
Santronij. 377
Poſſonij. 582.671
Caſurgij. 381
Arſienæ. 381
Troppæ. 381
Vtrechij. 663
Comitia Bicurgij. 381
Bruxellis. 439
Dieſſenica. 427
Petrocouij. 403
Coloniæ Agrippæ de morte Agamontij. 416
Litomarizzi 35


Iuliobo-

Iuliobonæ 344
Varſouię 516
Inutrij 529
Bredenſia 550
Argentorati 583
Vrtobrigæ 602
Androuiæ 596
Valentiæ 671
Comitiorum lex & ordo 132
Comitiorum Maieſtas 257
Comitia Germanica quæ ſint 341
Concilium nationis in Gallia 291
Concilium Bononiæ inceptum: 47.63
Tridenti inceptum. 2.274.292
Vt petitur à Mauritio. 73
Tridentum relatum. 79
Tridenti apertum. 297
Dimiſſum. 308
Concinorum nobilitas & Antiquitas. 583
Conclauis vocandi mos. 342
Concordia Regnorum eſt propugnaculum. 224
Condeus Princeps Vgonottorum. 302
Captus & vulneratus. 305
Nuptiæ. 340
Liberatus. 307
Coronatus nouas monetas imprimit. 394
In Condęanis caſtris proceres. 395
Condęi bona fiſco addita. 395
Pacis conditiones proponit. 396
Pax cum Rege. 415
Copias denuo colligit & legationes ad D. Allobrogum. 419
Clades & mors. 432
Condęus iunior in Belgium cum copijs proficiſcitur. 582
Callidum reſp. ad matrem Regem Gall. 539
Coniuratio in Pontificem: 188.313
In Philippum Regem. 392
In Regem Gallum. 281.282
In Ducem Allobrogum. 308
In Caſtalium. 114
In Albanum. 410.411
In Reginam Britanniæ. 500
In Sacerdotes. 410
In Epiſcopum Leodienſem. 410
Coniuratio Smalcadica. 3
Neapolitanorum. 34
Vgonottorum in Lugdunum. 293
Coniuratio immanis Pariſiis. 293
Caſalentium in Ducem. 388
Phliſci in Genuam. 49.559
In Petrum Alo. Farn. 58
Senenſium in Mendocium. 118
Britannorum ad impediendas nupt. 159
Conſpiratio Brit. in Heliſab. Reginæ ſororem. 254
Conſpiratio Principum in Cæſarem. 47
Florentinorum in Ducem. 175.642
Conſtantinus Dux Oſtrogię agrum Moſcho: prędabundus incurrit. 662
Copiæ vbi colligendę. 177
Corcyrę deſcriptio & vis antiqua. 543
Muniendæ cauſa. 544
Munita. 549
Vetant Turcas facere deſcenſionem in inſul. 631
Vexata. 480
Corcyræorum nobile reſpon. ad Sinam. 544
Coronationis mos Pannoniæ. 308
Corregij compoſitio. 213
Obſidum fuga. 219
Obſidio ſoluta. 224
Coſmus Florentiæ Dux Coronatus regia corona, & Magnus Dux appellatus. 451
Literæ ad Pontificem & Cæſarem ad eiciendum Gall. Regem ex Hetruria. 256
Copię ad Senam recuperandam. 265
Romam accedens excipitur honorificentiſſime à Pont. 291
Componit rem Farneſiam cum Gonzagis. 293
Militiam equitum S. Stephani inſtituit. 293
Conſtantia in aduerſis. 307
Controuerſia de pręcedentia. 317.318
Auxilia Cæſ. in Bello Germanico. 356
Auxilia Gallo Regi. 397
Auxilia Venetis & adhortatio ad ſęd. 452
Mors, & exequiarum pompa. 532
Copiæ. 533
Virtutes. 534
Crudelitas non terret tantum quantum irritat ad vltionem. 413
Crudelitas. 63.98.85.108.476.478.330.345.412.428.476.478.501.502.503.506.508.510.522.548.582.598.605.622.262.151.482.393.649.681.678.
Crypta Ferrata capta. 216
Cudabenches Rex Perſ. creatus. 628
Cunij deſcriptio & obſidio. 220
Cuniculorum cognoſcendorum ratio. 334
Curtij Martinengi virtus. 418
Curta capta. 79
Incendium. 644
Cypri deſcriptio. 424.445
Vnde dicta. 445
Legatio de munitione. 424
Capta à Duce Sabaudiæ. 445
Tributaria Aegypti. 445
Donum Sultano decernit. 245.246
Ingenia hominum. 422.424
Vt peruenit ad Venetos. 445
Proditio tentata. 423
Copiæ inſulanæ. 446.467.425
Quibus rationibus petitur à Turcis. 447
Cypri inſula capta. 478
Peſtis. 539
Terræmotus. 619
Error. 453
Cypriorum paricorum conditio. 422
Agricolis data facultas libere colendi terram. 463
Cyrnus capta à Gallis. 137
Bellum. 142.235.184
Deſcriptio. 137
Cyrnenſis ſeditio. 406
Deditio. 407
Cyrnenſis Belli initia aduerſus Sampetrum. 315

## D

Dalmas opp. captum. 164
Danciæ deſcriptio & hæreſis. 316
Legationes. 317
Bellum cum Sueuorum Rege. 321
Victoria. 339.340.403
Pax cum Sueuorum Rege. 341.407.422
Clades. 364

Danic

Danicæ copiæ & populat. 404
Danicæ obſidio & rebus compoſita. 628
Danuillæ deditio. 111
Danubij deſcriptio. 254
Inundatio. 362
Debrezenium vſtum. 214.320
Decumæ ſacræ Venetis conceſſæ. 470
Delphini Menſarij capti Venetiis. 448
Delus inſula. 352
Decumati milites. 215
Deſpotum opp. captum. 360
Deſſius ſummus Imp. Gall. Claſſ. 70
Diaſſorini proditio Cypri. 423
Dibiſſi fl. deſcriptio. 315
Dicteria ſunt arma ſtultorum. 267
Diegi Mendocij ſeueritas. 117
Diegi Maldonati virtus. 541
Dieſtum captum ab Hiſp. 638
Captum à Bel. ſtat. 645
Difficultates ingenium excitant. 446.455
Diui Dionyſii fanum expugnatum. 393
Dinantum captum. 169
Ditmarus diſcedit à ſuo Duce. 266
Deſcriptio & victa. 267
Dinoduri deſcriptio. 100.109
A Gallis captum. 100
Munitum. 122
A Cæſare obſeſſum. 124
Concuſſum. 126
Obſidio ſoluta. 126
Repetitum a Ferdinando. 258
Inſidiæ pateſactæ. 174
Docleæ turpis deditio. 476
Dolus laudabilis in hoſtem: 16.283
Dominici Ridolphini in caſtris Pol. virtus. 675
Doncherche capta. 251
Dragutus Barbaroſſæ ſuffectus. 73
Stratagema. 82
Facinus memorabile. 326
Draguti exiſtimatio. 271.285
Perfidia. 271
Mors. 328
Auriæ triremes capit. 112
Mandatum clemens in captiuos. 290
Drigal obſeſſum. 12.108
Duces Car. V. in caſtris. 6
Lantgrauij. 7
Hiſp. & Galli. 253
Hiſp. in expedit: Numidiæ. 272
Caro. Gall. Regis. 394
...ina fl. 268
...pontij vires. 432
Legationes ad Reg. Gall. 433
Mors. 434
...chij concuſſio. 260

E

...us ſalma cum ſummo imperio Bregeti. 355
...um perpetuum Bruxellis confirmatum. 619
...m opp. 70
...ptio & eſpugnatio. 11.125.147
...n & renouatum. 148
...mperij qui ſint. 4
...a Mauritio. 55.61
...ar. V. Sororis, vxoris Luſitani Regis poſtmodo

Franc. Gall. Regis mors. 245
Elſnici deditio. 40
Emanuel Philibertus Dux Sabaudiæ: ſummus imperij copiarum Car. V. 146
Stratagema. 147
Emanuelis Philib. Sabaudiæ. D. copiæ. 165.228
Clementia. 230
Nuptiæ cum Margh. Henr. Gall. Regis ſorore. 264
Principatum reſtitutum. 296
Copiæ ad extinguendum Hæreſes Vallis Engroniæ. 297
Inſidias ab Vgon. paratas pateſecit. 308
Controuerſia de Caſale de Monteſerrato cum Mantuano. 341
Piratas propulſare conatur. 254
Auctus eſt filiolo. 497
Accedit Venetias, & creatus eſt nobilis Venetus. 537
Emonuchus cum auxilijs Ottoman. regno potitur. 646
Vires, acies: & victoria de Luſitano. 648
Engronia hæreſis oppreſſa. 297
Epidauriorum clementia. 463
Nobile reſponſum. 547
Superbum decretum. 654
Epidauriorum calliditas. 352
Epiſcopi Atrebatum mors. 468
Equitus Santi Stephani. 293
Equites Liuones Diui Io. 245
Equites fidei à Paulo quarto. 193
Equites Diui Iacobi. 194
Equites Sancti ſpiritus ab Henr. G. R. inſt. 652.654
Equi cur charateribus inſigniti. 316
Erdeum captum à Maximil. 315
Captum à Turcis. 320
Eræ inſulæ. 66
Eremberga capta. 22
Eremitæ inquiſiti. 263
Error Bellicus. 15
Errores bellici quales. 476
Errorum bellicorum remedia. 266
Error Turcarum. 202.450
Vgonottorum. 293
Venetorum. 450
Cypriorum. 453
Aurantij. 427
Nicolai Danduli. 453
Parmenſis Principis. 510
Caroli V. 14.177
Henrici Gall. Regis. 178
Error Marinianij. 179
Albani. 191
Cerdæ. 277.279
Euporti deditio. 680
Exules Piceni. 213.348
Aſculum capiunt. 213
Exequiæ Solimani. 367
Coſmi Magni. D. Aetruriæ. 532
Ferdinandi imperat. 330
Exploratorum vtilitas. 24.323
Expugnationis ratio. 316
Exercitus ne diſſoluatur remedia. 18
Incedentis ordo. 223

F

Fabij Canalij virtus. 448
Fabricij Columnæ virtus. 671


Fallaciæ.

*Fallatiæ hoſtium vitandæ.* 45
*Familiæ veteres & nouæ Senarum.* 117
*Genuenſium.* 556
*Famis vis.* 27
*Farneſii Gonzagis reconciliati.* 293
*Fauſti Nauigium.* 449
*Federici Saxonis nobilitas comitia ſmalc. indicit.* 3
*Hoſtis imperij iudicatus.* 5
*Mauritij principatum occupat.* 34
*Saxoniam occupat.* 35
*Error.* 36
*Pacem cum Car.V.requirit.* 37.38
*Captus & profligatus.* 45
*Nobile reſponſum.* 51
*Condemnatio & conſtantia.* 51
*Captiuus moritur.* 101
*Federici Palatini deditio.* 31
*Federici Toletani.* 498.502.521
*Perfidia.* 506
*Federici Tapatæ virtus.* 521
*Felititas humana.* 194.207
*Felicis Lodronij virtus.* 586
*Ferdinandus Rex Boemiæ electus aſpirat vel Regnum Pã noniæ.* 78
*Rex Pannoniæ coronatur.* 78
*Literæ pro Georgio ad Ponti.* 82
*Pannoniæ inſignia miſſa.* 83
*Copiæ.* 86
*Literæ de Monaco ad Caſtalium.* 87
*Copiæ de Tranſyluania eiectæ.* 141
*Ferdinandus Imperator.* 244
*Legatio non admiſſa vt imperator.* 244
*Coronatio.* 244
*Maieſtas in comitijs.* 257
*Diuodurum repetit, & non admittit legat. vt Regis, ſed vt Vaiuodæ Tranſyluaniæ.* 258
*Petitiones in ſacra Synodo.* 298
*Induciæ cum Solymano.* 305
*Mors.* 312
*Exequiæ.* 331
*Ferdinandus Archidux ſummus dux copiarum.* 356
*Fortitudo.* 361
*Ferdinandi Toletani virtus.* 418
*Ferdinandus Vitellius architectus Corcyram munit.* 549
*Ferrariæ Dux ſummus fœderatio.* 213
*Honores à Ghiſio præſtiti.* 218
*Criminationes diluit Venetijs.* 219
*Vrbanæ inſidiæ.* 222
*Controuerſia de præcedentia.* 317.318
*Philippo reconciliatus.* 253
*Nuptiæ cum principe Flor.* 253
*Nuptiæ cum Maximil.* 342
*Pompa exeuntis ad bellum.* 350.356
*Diſſenſio cum Bonon.* 643
*Nuptiæ cum Mant.* 656
*Ferrariæ terræmotus.* 464.530
*Ferrarienſes ciues vexati à Veneto quodam Exule.* 530.
*Ferrarienſis Ducis monitus.* 363
*Ferrariæ inſidiæ paratę fruſtra.* 223
*Ferrarienſis Cardinalis Senam munit.* 133
*Ferrandus Gonzaga præfectus Mediol.* 1
*Literæ ad Card. Farneſium.* 59
*Summus. D. Car. V. in Italia.* 67
*Eccleſiæ ſummus Dux.* 76
*Criminatio.* 179
*Abſolutio.* 192
*Mors.* 255
*Ferraroli qui ſint.* 177
*Figmentum ob Galathen amiſſam.* 545
*Figarolæ virtus.* 586
*Figarola Mediolani præfectus.* 232
*Mors.* 236
*Filecum captum.* 354
*Finalis opp. deditio.* 473
*Controuerſia.* 432
*Flauiobriga.* 670
*Florentinorum Principum mors.* 307
*Florentini D. Orator apud Solyma. Byzantio oblegatur.* 350
*Floren. D. Orator inuitatus Byzantium proficiſcitur: & reuocatus.* 622
*Florentini D. legationis querelæ apud Pontificem.* 262
*Florentini Ducis honores.* 451
*Præcedentia.* 317.318
*Nobilitas.* 318
*Exules pronuntiati.* 175
*Gubernatio.* 642
*Fœderationes quales.* 624
*Fœderatio Pontificis.* 213
*Fœderatio Lantgrauij in Cęſarem.* 100
*Fœderatio Pontif. Hiſp. & Venet.* 369
*Promulgata.* 470
*Claſſis magnitudo & ordo.* 481.508
*Inſignia acierum varia & religio imperata in claſſe.* 482
*Imperatoria inſignia.* 486
*Duces & proceres in claſſe.* 479
*Conſultationes.* 479.480.481.483.
*Copiæ* 479.505
*Locus ad pugnam delectus.* 486
*Triremium numerus.* 487
*Victoria de Turcarum claſſe.* 489
*Turcarum claſſem fugat.* 504
*Fœderatio Perſę.* 630
*Fœderatio Saxoniæ.* 604
*Belgarum ſtatuum.* 666
*Fœminarum virtus Cunij.* 220
*Vinundrię.* 120
*Venetijs.* 454
*Senenſium.* 133
*Aremburgi.* 426
*Salaminæ.* 473
*Genuenſium.* 589
*Fluuii vt traiiciantur* 20.427
*Folianum captum.* 167
*Fortitudo quæ ſit.* 15
*Fortuna Bellorum vt inconſtans.* 7
*Foſſanum obſeſſum.* 231
*Franc. Gall. Regis mors & ceremonię.* 39
*Franciſcus Venerius Dux Venetiarum.* 166
*Mors.* 203
*Franciſci Donati ducis Venetiarum mors.* 137
*Franciſcus Rex Gallorum creatus.* 264
*Nuptiæ.* 249
*Coronatio.* 264
*Pax cum Reg. Britan.* 284
*In ipſum coniuratio.* 281.282
*Comitia religionis cauſa & oratio.* 291
*Sumptus bellici magnitudo.* 291



4

rs. 293
Aquilatis facinus. 334
Touari perſidia. 63
cus Giantinus Solymani mortem prædixit. 361
Auali March. Peſcolienſis præclarum facinus. 134
Contareni Epiſcopi virtus. 457
ſci Troni à Caracoſſa fugati virtus. 475
. Boni Egregia virtus. 495
nciſcus Tauana abſolutus. 254
anciſci Maria D. Vrbini mira prudentia. 535
Franc. Grimaldi virtus. 587
Franc. Spinolæ virtus. 586
Adortatio ad Genuenſes. 579
Franc. Turrij oratio. 366
Franciſci Florentiæ principis Coſmi filij nuptiæ. 342
Franciſcus Magnus Dux Hetruriæ conclamatus & oratio. 536
Ad Auſtriacum reſponſum. 575
Auxilia Genuenſibus, 576
Literæ ad Auriam vt arma deponat. 578
Appellatus ad Cæſarem ob titulum Magni Ducem. 590
Sublimitas & Serenitas conceſſa à Cæſare. 592
Literæ ad Mahomettum. 622
Coniuratio in illum 642
Cohoneſtatus à Venetis titulis Sereniſſ. & Sublimi: 632
Reſpon. ad oratores D. Sabaud. 627
Auxilia Auſtriaco. 641
Coniuratio pateſacta. 642
Franc. M. D. mutuo dat magnum pondus Auri Philippo. 664
Frictena capta. 24
Frigoris vis. 315. 511
rumentum Venetijs imperatum exteris. 431
ranconiæ deſcriptio. 29. 121
Vnde dicta. 29
Populatio. 121

G

Abrielis Serbelloni virtus. 163
Excitandarum munitionum peritiſſ. 526
alathos munitio. 539
aptus. 543
h expugnatio. 540
à Turcis. 541
ata. 542
per mentitas veſtes captum. 88
miſſæ figmentum. 545
olę virtus. 586
olæ Caſſani virtus. 578
Bellorum initia. 236
ementia. 127
Belli. 228. 261. 519. 520
Naufragium. 304
itaria. 261
ra militaris. 261
ceremoniæ. 39
. 237
tumultus. 583
s conditiones. 600
Gallica res denuo turbata. 544
Gallicæ res à Tutoribus gubernatæ. 294
Gallorum hæreſis. 260
Galliæ res diuiſa. 261
Galli tributa à Rege impoſita reijciunt. 656
Gandauum captum. 400
Garzias Toletanus agrum Senenſium inuadit. 133
Vicarius Albani. 190. 203
Hiſp. claſſ. ſummus imperator. 312
Capto Pignone in Hiſp. nauigat. 313
Aduentus in Cyrnum. 321
Subſidia Melitenſibus. 328
Turcarum onerariam capit. 335
Virtus in Galathæ expugnat. 541
Gandię Ducis oratio ad Gen. 573
Gandaui Pacificatio. 605
Ad Gandaui Pacem conſpirantes. 606
Edictum perpetuum. 619
Gaſpar Contarenus legatus apud Cæſarem 6
Gaſpar Valetanus in Tripoli perfectura. 271
Gauium captum. 586
Genebum direptum. 301
Genuę deſcriptio. 47. 554
Genua pene capta. 48
Apparatus in Phi. Hiſp. aduentus. 69
Tumultus in aduentu Philip. 67
Regina Maris. 554
Gubernatio Antiqua. 554
Vnde dicta. 554
Capta à Gall. recuperata ab Auria. 556
Inuaditur à Cagnino Gonzaga aſſentientibus nouis. 558
Genuenſium natura. 554
Furor popularis. 562. 584
Legum Reformatores. 556
Aggregati qui ſint. 557
Syndicorum autoritas. 557
Coniurationes in Gen. 559
Garibetum quid ſit. 560
Semina diſſenſionum ciuilium. 560
Populorum petitiones & factiones. 561. 563
Veteres arma deponunt. 562
Garibetum per vim abrogatum. 563
Veterum digreſſus ex Vrbe. 563
Nouorum bell. apparatus. 563
Diffidentia Auſtriaci. 565
Populares trecenti nobilitati aggregantur. 564
Procuratores qui ſint. 565
Veteres à Nouis reuocantur. ſed reliqui recedunt. 568
Legat. Vet. & Nouo: ad Hiſp. 568
Contentionis ſumma. 568
Veterum liberalitas. 573
Vet. literæ ad Cęſarem. 566
Vet. variæ ſententiæ. 567
Vet. Pacis condit. proponunt. 578. 587
Vet. Copię. 585
Decreta. 576
Legationes ad Principes. 577
Noui profitentur ſe dedere Pontificiæ defenſioni. 577
Noui ſummum imperator. Aurelium Freg. creant. 577
Perturbatio ne Vrbs inuaderetur 587
Addita à Nouis conditionibus. 588
Pecunia ab Hiſp. intercepta. 589

Genuenſium Matronarum Magnificentia. 589
Genuenſibus leges latæ. 599.600
Genuenſium ſuſpicio de Hiſpanis. 226
Genuenſes claſſem inſtruunt & Auriam ſummum imper. creant. 142
Bellum in Cyrno inſula aduerſus Sampetrum. 313
Legationes in Gall. 322
Clades. 322
Copiæ denuo in inſula Cyrni. 339.406
Victoria de Sampetro. 407
Georgiani qui ſint. 630
Preclarum facinus in Turcas. 653
Georgiane Abbatia eſpugnata. 100
Georgij Auriæ virtus. 586
Georgius Bullabacus in caſtris Poloni cum auxilijs. 660
Georgij Cornarii virtus. 489
Georgius Monachus Epiſcopus Varadini Pannonię inferioris gubernator. 78
Fortuna. 78
Excuſatio apud Solymanum. 84
Munia & ſtipendia data. 85
Cardinalis per literas Ferd. 82.87
Suſpectus proditionis. 87
Conſilium liberationis Olimani. 91
Proditio tentata. 91.94
Trucidatus. 95
Georgii trucidati cauſæ quę circunferebantur. 96
Interfectores in diuinam vltionem illapſi. 96
Supellex precioſa. 96
Indignatio Pontif. 96
Cędes inquiſita. 119
Sententia lata. 130
Gena capta. 320
Georgii Barbilii Trib. equitū Pan. in caſtris Pol. virtus. 676
Germanię deſcriptio. 4
Populi. 4
Potentia. 57
Fertilitas. 4
Germanorum ingenia. 520
Iuramentum. 54.358
Inconſtantia. 122
Natura. 4
Callidum dictum. 524
Contentiones de religione. 63
Querelæ & conſpiratio in Cæſ. 99
Auxilia à Gallo implorant. 99
Facinus 113
Inſtituta militaria. 33.36
Geſterum captum. 355
Ghiſię familiæ authoritas in Gallia. 236
Ghiſiorum prudens conſilium. 239
Nobile reſponſum. 435
Liberalitas. 248.250
Ghiſii virtus. 440
Copiarum clades. 508
Ghiſius tum copijs Henrici Gall. Regis ad Pontificem. 211
Glande tranſfixus. 307
Ghiſii Victoria de Vgonottis. 583
Ghiſii ſponte ex aulicis recedunt. 397
Giblui deditio. 636
Giſnæ deſcriptio. 243.244
Deditio. 244
Globi ferrei igniti inuentum. 675
Czernibouia incendio deleta. 662
Gotta opp. captum. 381
Grauelingę deſcriptio. 250
Liberalitas. 250
Capta ab Hiſpanis. 641
Gregorius XIII. Pontifex. 496
Nepotem galero inſignit & reſidentiam ſacerdotibus decreuit. 496
Legat. ad Gall. Reg. 497
Legat. Hiſp. de fide ſeruanda fœderatis. 499
Hortatur Hiſp. ne Africæ expeditionem ſuſcipiat. 499
Clementia in Vgonottos. 508
Colloquium de noua Fœder. cum Venetis & Hiſpan. 524
Collegium Germanorum inſtituit. 577
Literæ ad Genuenſ. 574
Iuuat Gallum Regem. 584.597.632
Iuuat Hiſpanum. 64
Lazaretum Anchonæ inſtituit. 654
Grompathi ſeditio & cędes. 380.381
Gruninga obſeſſa. 414
Gubernatio Florentina. 642
Gudelſingueua capta. 284
Gualterus Plettemburgenſis magiſter equitum Liuonum copias colligit contra Moſchi & oratio. 245
Gulielmi Rocandulphi virtus & mors. 79
Guelforum factio. 47
Guidobaldi Vrbinatis. D. prudentia in ſedando tumultu. 515
Mors. 535
Gugnius caſtrorum magiſter ſtat. Belg. 635
Guzmanus Silua apud Venetos orator. 468
Guſtaui Sueui mors. 291

H

Hebręorum perfidia in Venetos. 442
Hebreus regulus in caſtris ſtat. Belg. 634
Hæreſeos varietas. 3
Hæreſeos deteſtatio. 70
Hæreſis Hiſp. 260
Britannæ. 62.315.511
Galliæ. 260
Scotiæ. 260
Tranſyluaniæ. 265
Danicæ. 316
Engroniæ. 297.308
Belgarum. 383
Hęreſis Hiſp. repreſſa. 265
Hereſis Valentianæ & Bagani. 360
Hærlemi deſcriptio & obſidio. 521
Imbelles ex Vrbe emittunt. 522
Deditio. 522
Halę deſcriptio. 29
Capta. 31
Hamaxobiorum Exercitus. 421
Vnde dicti. 421
Hannum captum. 231
Hannalut opp. captum. 669
Hannonię Montium deſcriptio. 640
Heliſabeta Britannię Regina. 256
Pax cum Henr. Gall. Reg. 258
Iniqua decreta contra Rom. Eccl. 260
Claſſem inſtruit in Gallos. 278
Bellum Gallo ſub conditionibus obnunciat. 278
Auxilia Vgonottis mittit. 302

...iſ.vocata. 440
...us. 164
520
...m Gall.Rege. 65.314
...apiunt pro Geneua. 389
...Gen.offerunt. 567
...Gallorum Rex coronatur. 39
...etios ſibi iungit. 65
...ordinis Britannici. 72
...Scotenſes auxiliis. 70
...um Odoardo Brit.Reg. 71
...ilia Octauio Farn. 74
...onſum ad Pontif. 75
...licus apparatus in Ceſarem. 76
...i inſcriptio & publica expeditio ob Bellum Ger.
99
...edit in caſtra. 109.253
...cam claſſem conducit. 111
...lia Senenſibus. 118
...a ęrea pro teſeris. 144
...m vilem imprimere facit. 153
...tem viuendi pro arbitrio in Gallia concedit.
...l Leonem Strozzam. 156
...rgentia. 168
...na. 172
178
...hilippo Rex indicit. 211
...Pontif. 211
...a Vgonottos. 238
...onſilium. 238
...R. æs alienum contrahit. 243
...amitia Brit. 258
...eg.Brit. 259
...ua poſt pacem. 260
...Philippo Rege facit. 259
...udicro certamine. 264
...lienſis Henrici Regis Gall. frater ſummus
Vgonottos. 397
432.520
433
...eſponſum ad Cantabr.Reg. 433
...s obtinet victoriam de Amirante. 438.
...o cum exercitu. 444
...m Amirante Gall. 507
...oloniæ petit & conditiones. 518
...x exped.Rocellæ. 519
...electus. 520
523.529
Poloniam. 529
529
...ia. 536
....relictæ. 536
...eptus Magnificentiſ.a Max.a Car.Arch.
...s. 537
...netus. 537
...eſponſum ad legat.Pol. 538
...olonos. 538
...gonottis. 567.678
...Rex Galliæ. 572
...iones Alenconio proponit. 600
...nconio. 609
...a. Rex Octauus hæreſim introducit.
Veſſonum in caſtris Cæſaris. 6

Profligatus. 53
Henricus Iulicurgenſis captus. 5
Profligatus. 53
Henrici Cantabr. mors. 196
Henrici Brit.mors & teſtamentum. 33
Henrici Scotenſis Regis cædes. 402
Henricus Sueuorum Rex. 291
Henricus Sciatilonius Cardinalis Rex Luſitaniæ creatus. 649
Herberia munita & capta. 235
Herculis Piſani virtus. 541
Herculis Martinengi virtus. 473
Hermanus Roterus Buſcoducenſis arcem Loueſtainam cepit. 473
Herneſtus Philipp. fil. Vicarius Fæderici. & captus. 45
Hermetis Diui Arx capta. 329
Hermolaus Teupulus recamatorem pirat. capit. 495
Hierges Regulus ſummus imperator Cop. Hiſp.Reg. Belgij inſer. regiones inuadit. 581
Hier.Ragazzoni diligentia. 471
Hiporegia capta. 142
Hieronymi Venerij virtus & mors. 489
Hieronymus Priolus Dux Venet. 265
Mors. 405
Hieronymi Raſponi facinus. 598
Hieronymi Contareni virtus & mors. 487
Hieronymi Lomellini virtus. 586
Hieronymi Martinengi copiæ. 446
Hieronymus Zanius ſummus Dux claſſis Venetorum. 449
Iaderam accedit. 450
Exautoratus & in vinculis Venet. ductus. 463
Hippolytus Portius Vicentinus Feder. D. Saxo. capit. 45
Hiſpaniæ laus. 66
Hiſpan.clementia. 146
Virtus. 60
Virtus ſclopettariorum. 15
Inſidiæ. 60
Perfidia. 339.345
Hæreſis. 229
Hiſpana claſſis ad Melitam. 334
Hiſpana nauigia capta. 430
Naufragium. 600
Hiſp.claſſis turpiter capta. 283
Hiſpani capti à Reg.Brit. 407
Iuſſi è Belgio exire. 616
Suſpendio necati. 412
Clades inſignis. 412
Hiſpanus Orator captus. 201
Hiſp.victoria in Luſitania. 680
Hiſtoriæ vis & finis. 1.183.307.444.596.
Hocſtata capta. 23
Horatii Farneſii mors. 148
Vi captus. 392
Hornei cędes. 413
Humenius Dux Brouaggium obſidet, & munitionem ſalinæ capit. 624
Huſtum captum. 354
Huuietus captus. 160

I

Iacobus Foſcarenus claſſis Venetæ Dux ſummus. 492

Conſilium vt Pylos expugnetur. 509
Iacobus Boncompagnus D. Summus Pont. 594
Iacobus Grimaldus Duratius Dux Genuen. Vrbanæ quietis ſtudioſus. 561
Iacobi Dreſeni trierarchi virtus, & mors. 489
Iacobi Stuardi mors. 444
Iacobus Raggazzonus Venet. legatus ad Selimum. 467
Diligentia, & charitas in patriam. 468
Comes D. Odorici. 482
Autoritas in Britannia. 158
Iacobus ſuperantius ſummus Prouiſor claſſis Ven. 490
Claſſem Turcarum fugat. 505
Varbagni munitionem vi capit. 512
Brixiæ tumultus ſedat. 529
Imperator ſummus Claſſis: V. electus. 530
Legatus ad Amuratum, & Iaderæ agrum recuperat. 553
Procuratoria dignitate inſignitus. 553
Iaderæ munitio. 448
Inſidiæ paratæ. 464
Agrum repetitum à Venetis. 544
Agrum reſtitutum. 555
Ianizzerorum ferocia. 364.368
Munera. 368
Inſolentia. 558
Ianizzeri in Cypri inſula Amurati triremibus potiuntur. 643
Ianottus Lomelinus Gen. Dux. 560
Iberniæ bella. 409.439.669
Icium captum. 242
Ieſuitarum ſacerdotum conſilium Luſitano Regi. 643
Imagines ſanctorum vt colendæ. 2
Imperatoris electio Italis erepta. 4
Mos eligendi. 4.121
Iuramentum. 4
Imperatorium exilium, quid ſit. 4
Imperatoris copiarum præſentia vt vtilis ſit. 15.170
Prudentia neceſſaria. 13.32.171.255.277.427
Exiſtimatio quanti ſit. 11.16.32.255
Imperatorum varietas quam obſit in caſtris. 11.15
Obſtinatio quam obſit. 127
Quæ ſit neceſſario cognoſcenda. 19
Imperator includi non debet in vnum locum. 637
Imperij Turcarum magnitudo. 368
Impudentia quorundam iuriſc. 264
Incendium Byzantij. 339
Bregetij. 370
Aetnæ. 370
Naualis Venet. 441
Palatij, & nudinarum Venet. 530
Palatij Venet. 632
Inantium captum. 498
Inſidiæ. 502
I cuſarum ciuium petitiones. 498
Indiarum amplitudo. 8
Opulentia. 8
Copiæ à Gallo miſſæ. 345
Tumultus. 445
Ad fidem Chriſti conueniunt. 445
Induciæ plerunque doloſæ. 212
Caroli V. & Henri. Gall. Regis. 193
Poloni Regis cum Moſchouitis. 351.429.602.434
Ferdinandi & Solim. 305
Induciæ Regis Hiſp. cum Amurato. 664
Maximiliani cum Selimo. 409
Rodulphi cum Amurato. 605
Infortuniorum initia timenda. 172
Ingenia quarundam nationum. 520
Ingolſtadium vnde dictum. 12
Ignobiles intolerabiles. 271
Inundatio Tiberis. 238.271
Veronæ Vicentię Patauij. 404
Florentiæ & Romæ. 462
Venetiarum. 543
Byzantij. 515
Interim formula. 61.323
Intuergorum principatus Lutherum admittit. 2
Io. Auſtriacus claſſis fœderatorum ſummus imp. 479
Ad Venetam accedit. 506
Comitia propria. 480
Diſſenſio cum Venerio. 482
Oratio. 486
Vulneratus & victoria. 489
Nauigat in Afr. cum ingenti claſſe. 524
Munitionem in Africa erigit. 526
Genuæ deſiderium. 567
Suſpectus Gen. 665
Bellica tormenta Neapolit. petit. 567
properat in Belgium. 616
Bruxellas aduentus, & conditiones propriæ. 621
Literæ interceptæ & inſidias patefacit. 623
Vires in Belg. 634.639
Victoria. 635
Auxilia a Pont. & M. D. Hetr. 641
Mors. 649
Io. And. Auria Hiſp. claſſis præfectus. 453
Conſilium ne claſſis in Cyprum procederet. 457
Diſcedit a Venetis. 458
Contentio cum Columna. 458
Monitus præclarus. 483.48
Ars & virtus ne a Luzali circunueniatur. 4
Virtus in pugna nauali.
Luzalim intercludit ne fugiat.
Hortatio ad artifices Genuenſes.
Oratio ad Veteres Gen.
Summus imp. veterum Gen.
Suſpectus affectati Genuæ principatus.
Clauarium & Ceſtrium capit.
Nouorum Gen. triremes fugat.
Literæ ad Magnum Ducem.
Ioannæ Auſtriacæ vxo. M. D. Hetr. mors & Lau 641
Ioanne Aragonæ fuga. 20
Ioannettini Auriæ Mors. 46
Io. Batt. Auriæ virtus. 57
Io. Batt. Fornarius Dux Gen. relegatus ob ſuſpic. 55
Io. Batt. Lercari ſtudium in Rempublicam Gen. 56
Io. Batt. Concini Oratio ad Cæſarem pro titulo Magn Ducis. 591.59
Prudentia in negotijs. 59
Io. Batt. Montius Pontifex creatus. 7
Io. Batt. Montii mors. 7
Io. Batt. Lodronij mors. 143
Io. Batt. Arcuenſis virtus. 10
Io. Batt. Burgenſis virtus. 1
Io. Bembi virtus. 50
Io. Bornemizzæ virtus. 681
Ioanna Britanniæ Reg. conclamata. 139
Cędes. 160
Io. Cardonæ virtus in bello Nauali. 489
Io. Colonienſis præfec. Dancicarum copiarum virtus. 627

t. 439
...natator. 293
...imprimendi artem inuenit.
...ris Polo. 675
...enſis reus perduellionis. 380
...ę abſolutio. 300
...tor Philip. Regis ad ſedandos Gen. tu-
561
Gen. 562
Cæſaris mors. 194
...della ad Moſchum cum pontif. mandatis. 302
...nandi virtus. 289
...Paccechi virtus. 418
...Iuachius in caſtris Carol. V. 6
Io. Luna confugit ad Henr. Gall. Reg. 201
Io. Lauredani mors & virtus. 488
Io. Manriquis virtus. 585
Io. Tranſiluanię Vaiuoda proſlig. 178
Io. Rex Tranſil. coronatur. 78
Admiſſus Rex Tranſilua. 100.141.314
Bellum cum Ferd. 258
Pax cum Maximil. 319
Literæ ad Solim. 341
Literæ ad Pannones. 346
In odium Solimani. 359
...cythas profligat. 371
...t. ad Solima. de reſumendo bello aduerſus Cæſa-
...m. 429
... 474
...uli Gneſnenſium in caſtris Polonis Re-
627
...giſter militiæ Melitenſis. 323
324
...& Toleta. 328
...ites. 329
...litaris. 335
345
... Dux ſummus in expeditione
73
72
...t. 199
...æ querelæ. 102.114
114
...um à Soliman. reſtituatur.
195
479
609
189.515
39.520
601
549
197
381
263.472
...e calumniatores. 263
357.358
...m & claſſem inſtruit. 308
77
359
...b Hiſp. 404
...s Maſſę facinus in Gen. 559
...ſex. 72
...er. Gall. & Octauium. 75
...m Gall. Reg. 78

Studium in componendis rebus Se...
Mors. 186
Iuramentum Germanorum. 54
Iuſtitię vis. 263
Iuramentum quatenus ſeruandum. 6

L

Lalainus Comes in caſtris ſtat. Belg. 624
Lancium captum. 227
Lantgrauius hoſtis imperij iudicatus. 5
Principatum Henr. Iulicurgienſis occupat. 5
Accedit ad Cęſarem. 5
Literę ad ſocios Smacal. coniu. 7
Munia in caſtris. 7
Literæ ad Cęſarem. 10.12
Copię. 7.8.13
Caſtra Cęſar. inuadit. 14
Auxilia à conſęd. petit. 17
Penuria in caſtris. 27
Pacem petit. 27
Soluit exercitum. 29
Veniam petit & gratiam Cęſaris impetrat. 54
Conditiones impoſitę. 54
Captus. 55
Fugam tentat. 74.101
Solutus. 102
Mors. 407
Laſcus profligatus. 294
Laſchi palatini fuga è Polo. 602
Latini Vrſini virtus. 548
Laurentius Priolus. D. Venetiarum. 203
Lazarus Suendius ſummus Dux Maxim. 315
Literę. 346
Huſtum obſidet, & victora de Turcis. 354
Croſſonorgum capit, & crudelitas. 363
Dimiſſus. 405
Lauginga capta. 22
Legationes Tranſyluani, vt Regis non admiſſæ. 258
Tranſyl. ad Selimum. 429
Legationes principum ad conſil. Trid. 297
Vandomię vt Regis Cantab. 293
Ferdinandi vt Regis. 244
Galli Regis de Mirandula. 375
Belgarum ad Philippum. 375
Genuenſium ad Cæſarem. 564
Dancicę. 317
Genuenſium in Galliam. 322
Vgonottorum ad Selimum. 412
Selimi ad Venetos. 443.447
Selimi ad Perſam. 380
Cypriorum ad Venetos. 424
Venetorum ad Pontif. & Hiſp. 464
Ad Pontificem. 513
Ad Gall. & Hiſpanum. 499
Philippi ad Venetos. 468
Ad Venet. pro victoria. 461
Paricorum. 423
Pontificis ad Gall. Reg. 210
Ad Gallum Regem, & Hiſp. 234
Florentini Ducis. 262
Pontif. Hiſp. & Luſita. ad Gallum. 498
Santronianę non admiſſę. 378
Liuonum ad Moſ. de pace. 246
Dupontii ad ad Regem Gall. 433
Germanorum ad Henricum Pol. R. 524

Polon.

7

Konserwacja dokonana w r. 1962
przez Piotra Karowskiego
Introligatora Biblioteki Miejskiej

B. 38